CONSILIA MEDICINALIA IN QVIBVS VNIVERSA PRAXIS MEDICA EXACTE' PERTRACTATVR.

AVCTORE

CHRISTOPHORO GVARINONIO VERONENSI,

VIRO CLARISSIMO AC SACRAE Cæsareæ Maiestatis à cubiculo Medico primario.

Cum Priuilegio eiusdem Sacræ Cæsareæ Maiestatis, Serenissimi Senatus Veneti, & aliorum Principum.





VENETIS, MDCX.

Apud Thomam Baglionum.

Brandani Augusti Concordiensis M.D. ão 1676.



VDOLPHVS Secundus Diuina fauente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vuiertembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Exposuit nobis humiliter Honorabilis Doctus fidelis nobis dilectus Christophorus Guarinonius Medicinæ Doctor Physicus noster primarius Varia se scriptorũ, ac librorum genera magno studio elucubrasse, quæ rei litterarię bono in lucem edere statuerit, Vereri autem se se ne quod fieri solet Typographo suo quem delecturus sit in fraudem alij Typographi eadem imitentur, ac typis edita venundent. Cum verò nos rogarit, vt aduersus eiusmodi fraudem, & iniuriam priuilegio nostro Typographũ suum munire dignemur; benignè considerantes non solum vtilitatem publicam, quam scriptorum, ac librorum illorum secum adferre editio possit, sed etiam priuatas Typographi, quæ necessariæ sint expensas humillimis eiusdem precibus deesse noluimus, Ideoque omnibus, & singulis Typographis Bibliopolis, & alijs quamcunque librariam, negociationem exercentibus seuerè interdicimus, vetamus & prohibemus, nè quis memoratos libros intra Sacri Romani Imperij Regnorumque ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines simili, aut quouis alio Caracteris genere, vel forma, siue totos, siue aliquam eorumdem partem recudere, aut alio eos recudendos dare, vel alibi etiam impressos apportare, vendere, & distrahere clam, et occultè citra voluntatem, & consensum prędicti Christophori Guarinonij, aut hæredum ipsius audeat. Si quis autẽ secus faciendo priuilegium, & interdictum hoc nostrum Cęsareũ spernere, negligere, aut transgredi, temerariove ausu aliquo violare conatus fuerit, eum nõ solum exẽplaribus illis omnibus sic recusis, & adductis (quæ quidem prædictus Christophorus Guarinonius, aut eius hæredes, eorumve Mandatarij vbicumque deprehensa, vel propria, quam ipsis hac in parte facimus, ac tribuimus potestate, & auctoritate, vel Magistratu loci illius ope, & auxilio sibi vendicare poterunt) de facto priuandum, sed, & pœnam insuper decem Marcharum auri puri Fisco nostro Cæsareo fraudis Vindici, & dicto Christophoro Guarinonio, aut hæredibus ipsius applicandam decernimus absque vlla remissione mulctandum. Dummodo tamen huiusmodi libri orthodoxæ Catholicæ nostræ Religioni nihil contrarium contineant, & idem Guarinonius, siue Typographus ille terna, vt minimum exemplaria suis sumptibus ad Cancellariam nostram Imperialem aulicam transmiserit. Mandamus ergo Vniuersis nostris, & Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis cuiuscumque status, ordinis, conditionis, dignitatis, aut pręeminentiæ existant tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu Constituti, vel suo, vel superiorũ suorũ nomine, & loco iuris, & Iustitię administrationem exercẽt, nequaquã priuilegium hoc nostrum Cæsareũ temerè, vel impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potius Contumaces, si quos compererint præscripta mulcta puniri, alijsque modis coherceri curent; quatenus, & ipsi in eandem mulctam incurrere noluerint, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cęsarei impressione munitarum.

Datum in Arce nostra Regia Pragę die prima Mensis Ianuarij Anno Domini millesimo sexcentensimo primo, Regnorum nostrorum Romani vigesimosexto, Hungarici vigesimonono, et Bohemici itidem vigesimosexto.

Rodulphus Rom. Imp.

Rud. Coraducius scr.

Locus † sigilli.

Ad mandatum Sacrę Cęsareæ Maiestatis proprium Io. Barsutius, etc.

C O P I A.

Gli Eccellentissimi Sig. Capi dell'Illustrissimo Consiglio di X. infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relatione delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerẽdo Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Gio. Marauegia, con giuramento, che nel libro intitolato Christophori Guarinonij Veronensis Medici, &c. non si troua cosa alcuna contra le leggi, & è degno di stampa, concedono licentia che possi eßer stampato in questa Città.

Dat. Die 18. Augusti 1610.

D. M. Antonio Valaresso.
D. Almorò Zane. } *Capi dell'Eccelso Consiglio di X.*
D. Francesco Corer.

Illustrissimi Cons. X. Secretarius. Leonardus Otthobonus.

1610. Adi 19. Agosto.

Registrato nell'officio cont. la Biastema, à carte 55. tergo.

Ioan. Francesco Pinardo Secretario.



TABVLA
OMNIVM CONSILIORVM SIVE CONSVLTATIONVM,
QVÆ CIRCA VARIOS MORBOS NOBILI Præcipuorum Medicorum congressu adhibita fuerunt.

D

Pro

Gra-

N

O

P

Q

R

Renum

S

T

V

Carte 577.Conf.499. riga 40.colum. prima,in paucis quibufdam copijs fic lege.
Solet à craffis humoribus commoueri,hic tamen nō admodum craffus effe poteft.

rig.62.dedecimum,lege detentum.
In aliquibus primis paginis more medicorum & Pharmacopolarū hic numerus 15 reperitur quod eft ac fi fic ponatur 1.5.

FINIS.



CHRISTOPHORI GVARINONII VERONENSIS, MEDICI A CVBICVLO

Sacræ Cæsareæ Maiestatis Rodulphi II. Rom. Imperatoris semper Augusti,

CONSVLTATIONES MEDICINALES.



CONSVLTATIO PRIMA.

De curanda febre quartana pro Illustriss. & Reuerendiss. Vaciensis Ecclesiæ Episcopo.



PRæter illa, quæ coram pro Illust. & Reuerendissima. D. T. locutus sũ, hęc iussu tuo literis cõsignaui, ut habeas ante oculos, quę potissimũ sunt facienda, quo te è quartana expedias, quę iam notas aliquas inclinationis habere videatur. Sic itaq; consulerem. Pridie eius diei, quo accessio febris futura est, à cæna, in qua cibi illi accipiantur, qui ad vomendum idonei sunt, vomitus moueatur, adiuueturq; potione iuris pinguis largissima, cum vncijs duabus Oxymellitis, & vncia saltem olei oliuarum. de quibus cibis ad vomendum idoneis facile fuerint Olus spinaceum, beta, brassica, raphanus, & eorundem, quemadmodum etiam leguminum iura, tum pinguia omnia, præsertim butyrum. His enim ventriculus bene completus parua sui compressione perfacilè eijciet, quæ in se cõtinebuntur, &, quod res efflagitat, crassam pituitam. Post vomitum accipiat ius carnis suillæ recentis, & ætatis iunioris, quoniam grandioris ætatis longè esset aliena, & mediocriter salitum, atq; cum pipere conditum, cui lac amigdalarum, seu emulsio admixta sit. Subindè, vero tota nocte conquiescat. Proximo mane sumat ʒ.i. Theriacæ Andromachi non recẽtis, hoc est, non ante xij. annos confectæ cũ duabus, aut tribus vncijs vini Vngarici: deinde corpus bene calidum eousq; seruet, quo accessionis tempus prætererit,

A cui rei faciendæ, si auxilio esset opus, aut lateres, aut potius panes calidi è furno recenter accepti vestimentis cubileis essent subijciendi.

Inclinante vero accessione cibum liquidiorem capiat, sicuti sunt carnium contusa, aut expressa, sicuti pulmenta ex hordeo optime percocto cum pipere præcipuè, pulmentaq; ex pane contrito, & lurea ouorum iure soluta, ac similis generis, atq; etiam aliquid ex suilla iuniori, cum pipere quidẽ omnia. Quas res circa accessionem quamq; seruari consulo. Reliquo tempore sumantur quoque mane tria cochlearia ex liquore hoc. ℞. Oxymellis squillitici, sir. de succo Bor

B raginis an. ʒ. vj. cum iure florum borraginis, florum & radicum Buglossæ, foliorum Melissæ ac Cardui Benedicti, tum radicis Gentianæ, atq; etiam Asari. Aptissima quoq; esset ventriculo huic frigido, & pituitoso Hiera simplex Galeni. cuius puluerẽ ad ʒ. ij. semis Oxymellite squillitico cõprehẽsi quaq; hebdomada sumi possent die, quo integrum corpus à febre dimittitur, etiam cum vino horis tribus ante cibum. In viuendi modo diebus, quibus corpus à febre integrum est, post suprascriptam potionem ante cibum quidem ambulationibus vtatur in aperto cælo, vel curru, aut equo vehatur, ita tamen ne corpus aspirantem auram frigidiorem

C accipiat. Cibos frigidiores dimittat, durioresque, & qui crassum succum, ac glutinosum habẽt, vt bouilla, Apruna, & cuiusq; porci grandioris caro, ac omnis ceruini generis, & in summa grauiorum animantium omnium, seniorũq;. Tum cerebella, & iecora omnium pręter gallinaceorum, & suum, præter iecora vero etiam lactentium vitulorum. Minus grauia, & teneræ ętatis omnia tutius admittentur, & nescio an agninam excipiam, vt fere cum porcilla excipi consueuit. Multa sunt inutilia, quorum tamen ius vtiliter sumetur, vt legumina, Brassica, Rapum, Cæpeq;, quæ cocta edi etiam vtiliter poterunt. Illa ex toto, & summopere vtilia erunt, Buglossum, Borrago, Lupulus, & interdum

olus etiam spinaceum omnia cum emulsione amigdalarũ, A & pipere. Semper vero vuæ passæ, & cappares, & amigdalæ amaræ, ac pasticia. Vtatur porrò non vetusto vino, non admodum dulci, minus valdè austero, aut aspero. propriè autẽ vitet, quod in ventriculo diu manere ex ructu obseruarit. Semper albo vtatur, nunquam nigro, aut crasso, sed omnino quàm potest tenuissimo. Non vigilet noctu, non det operam literis attentius, aluum seruet mollem, & alias obseruationes habeat, de quibus coram verba faciebam. Tristitiam quidem certè in primis, & ignauiam vitet, oblectationibus vero continenter vacet. hæc propria cum communibus seruanda sunt, de quibus longior oratio mihi non videtur habenda. Vale Illustriss. & Reuerendiss. Domine.

S. Illustriss. & Reuerendiss. D. Addictissimus.
Christophorus Guarinus Fontanus.

Inualido ad Venerem Seniori.

CONSVLTATIO II.

CVm vsus medicamentorum sæpe, dum generationi prodesse volumus, vitæ partibus nocere soleat, ego de victus ratione tantummodo hic loquar, & admonebo, vt vitet frigus omnino precipuè extremorum, abstineat vero à frigido potu, à succo limonum, ab aceto, à lactucis cuiuscunque generis etiam agrestibus dictis, à mentha sicca, quæ contra quidem viridis vtenda est, à cucumeribus, ab ordeo, à Ruta, ab acido citriorum succo, à malis omnibus, à Cæsaris austeris, à malis verò maximè persicis.

Vtatur acribus maximè bulbaceis, vt sunt Cæpe, & porri, repa, pastinacea, thaphano, Helenio, Eruta, sinapi præcipuè cum corticibus Citri condito, galanga Zedoaria, croco, aniso, feniculo etiam viridi, pipere longo, asparago, Cinarea, dracone dicto recentiorum, citrei mali cortice. Vtatur leguminibus præterquam lenticula, ciceribus vero arietinis maxime vescatur, præserrim rubris, iuglandibus auellanis, amigdalis, pistaceis, pineis, nucleis, castaneis cum pipere lõgo, Vua, ficubus, lacte vero etiam vaccino, aut ouillo cum cinamomo, & saccharo. Cerebellis animalium cũ volucrum, tum quadrupedum præsertim suum cum saccharo, & cinamomo. Testibus vero etiam eorundem, maxime vero Gallorum, carnibus caponum, carnibus vitulinis, agninisque pullis, columborum, perdicibus, coturnicibus, phasanis, attagenis, anoribus, auiculis, montanis. Cancris conchilijs præsertim ostreis cum aromatibus quidem, ouis gallinaceis, & in potu, quod maxime facit, vino vngarico probatiori.

Antiquo capitis dolori & alijs molestijs in muliere ętatis xxxv. annorum tenui corpore & obscuri coloris, moribus, iracundis, & sollicitis, purgationes longæ adiũcto vsu aquarum chalderij ventriculo etiam frigidiori. instillata in caput aqua lucensi. vsus longus triferæ persicæ, rhabarbari pulueris cũm saccharo rosaceo, & sirupi de endiuia compositi præscripta sunt.

Verrucis herba verrucaria, quæ species est seridis commesta.

Vestigijs earum oleum tartari ex aqua sæpè, & subinde identidem oleum de luteis ouorum, atq; vnguentum de pomo citri.

Vngui alendo cera propolis dicta cum myrrha, ordeo, & melle.

Ex vsu verrucariæ verrucæ abolitæ sunt.

De melancholia pro Celss. Illustriss. DD. Ioannis Ducis Iuliacensis apud quem consilia habuerant. Reinerius Solenander, Lambertus Redolphus, Galenus Vuiarus, Henricus Boterus, Ioannes Slotanus, & Arnoldus Manlius. Tres postremi Coloniæ Professores.

CONSVLTATIO III.

MOrbum hunc Doctores præstantissimi Melancholiam esse dicunt, à toto corpore ipsum existere censent eo, q videant corpus eiusmodi speciẽ præseferre, à cuius etiam tenuitate eis illi tabes timeri posse videatur. quodque iecur calidum sit, quod lienis imbecillus, & vnà partes omnes principes. hoc morbi genus tum à natura ob parentum similitudinem, tum ab incidẽtibus rebus extitisse. Itaque curatu quidem difficile, leniri tamen posse, si æger curationi non resistat, quod ipsum fecisse referunt.

Nobis vero etiam, quoniam res examinanda est, sic de eo morbo videtur, vt, si metus, & męstitia sine euidenti causa sit, tunc perspiciendum sit, an cum æstimationis errore ea fiant, an sine eo, quod sæpe multis videmus accidere, qui sui mętoris nesciant vllam causam afferre. quod vero cum
B acciderit, certè ipsi cerebro nihil causæ potest attribui. Sin autem ad æstimationem, & assensionem mentis ille metus, ac mæror sequantur nulla externa causa, quæ nomine euidenti notata est, tunc cerebri etiam opera in malo est connumeranda, quæ sane dupliciter potest in malo esse. Nam vel falsum, & alienum aliquid de re molitur, sine opinio, siue visum illud sit, vel ad verum etiam his habitis, de re tamen tãquam mala nimis, æstimat. Illud iam insaniam, hoc melancholiam tantum significat, quæ res certè diligenter attendenda est, cum plurimum referat vtro modo eueniat. Cuius vero cerebri operá, si semper, & in omnibus sit, & nõ tantum in vna certa re id habeat, tunc profectò cerebrum ipsum morbo suo, non alieno sic agit, præsertim vero ab humore id sicciori fuerit, si vigiliæ nocturnæ adiungantur, qui morbus potest talis à toto etiam corpore sustentari, & tunc
C debet id pro certo haberi, cum corpus eiusmodi esse prospicietur, sin minus, contra solius cerebri culpa eum esse iudicari. Verum si cerebri opera non continenter in omnibus, sed per interualla peruertatur, tunc protinus in se cerebrũ morbi naturam non comprehendet, at aliunde, seu alieno morbo illius opera & officij functio peccat. atque tunc, si erroris tempore in quamcunq; rem animus incidat, in ea suspicionem, aut metum, aut molestiam supra morem inuehat, tunc pro halitus, aut humoris percursionem ab infernis partibus officium cerebri afficitur, aut ab hypochondrijs solet. Sin in vna tantum re id faciat, & interea dum errat, de alijs tamen rebus quibusq; id verum existimat, neque maiorẽ in illis causam metus æstimat, in eandẽ vnã, &
D certã rem semper recidens cũ errore suo, tũc cerebri functio nõ vt causa ipsius cerebri vitiari, q̃ ipsum vel contineat, vel aliũde, ex tempore accipiat, imo ipsum integrũ esse ẽt eo erroris tẽpore certo apparet, alioquin, si aliquo modo afficeretur alieno ẽt malo non esset integra eius functio in vllo suo opere, donec id tẽpus erroris perduraret, ipsumq; etiam alieno malo vitiaret. Sic tunc halitibus non perturbabitur, qui delectum non habeant, quo potius in vnam, quam in aliam functionem incidant. Ab animi ergo malo affectu functio cerebri id habebit, vt in vnam illam & eãdem semper suspicionem recurrat, quam ipse affectus mouet ab ipsa semel maiorem in modum excitatus. Is enim facile eam memoriam moueat, vnde semel fuit exortus. In sede itaque, in qua animi affectus eiusdem versantur, omnino mali causa consistet, in corde scilicet. In quo vero ẽt fuerint, tunc ne
E in eo quidẽ mali causa herebit, sed à sibi cõiũcta aliqua parte veniet, vti maxime os vẽtriculi habetur. Quod cũ id habere aut à mesaraicis obstructis, aut à liene soleat, ea dignotionis ratio erit, vt mesaraicarũ, & lienis propriæ notę obseruentur, à mesaraicis non solũ ructuum illud genus, & inflationes, sed etiã pulsuum crebritas melãcholico humori aliena, & maxime à cibo, & inęquabilitas efficitur, cum aliquo etiam calore, à liene, à quo ventriculus succum melancholicum generis crudioris accipiat, non eadem afferuntur.

Hi inducti flatus varij admodum sunt varietatem maiorem à vario humoris genere habituri, & notæ, & species læsionem ostendent, quemadmodum illorum, quos definiuimus, flatuum quoq; suę non erunt obscuræ, atq; ita, quam curationem sibi quisque certam efflagitet, sui ipsius noritia demonstrabit, maxime si eorum cuiusq; natura etiam quantam magnitudinem habeat, quem motũ, quemque motem con-

constiterit. Magnitudine æstimata à corporis ipsius naturali genere, vnde per illam declinarit, finibus enim naturæ corporis constitutis, quantum illis corpus excesserit, quantaque opera sit, ipsum in eos reuocandum, declarabitur. Eo siquidem reducendũ corpus est, vnde per morbum est deductum, cuius quoque maximam partem habet spatium, quo morbus inhæsit, non spatium seipsum, sed quod per ipsum morbus radices altius egerit. Ex quibus vero non solum curationis, sed prædictionis ratio pendeat, quemadmodum pendet ex ea quoque notitia, morbus ne à genetatione, an ipsa in eum tantum propensio extiterit, num vero ab incidentibus rebus morbus, an etiã in eum propensio inducta sit. Sic enim leniori ne tantum morbus, an etiam tolli possit, perspicieretur; vt difficillimus etiam esset sublatu, si caput, si totum corpus vel casu quidem etiam in eum deducta essent; si cor, paullo minus, lienis, & mesaraicæ faciliorem haberent sui restitutionem. Ac quod ad curationem iam attinet, corpus totum sic affectum vna epicrasi poterit restitui, ei supposito vsu longo balneorum potabilis aquæ, & natationibus, si eis vti queat. In ipsa epicrasi missiones sanguinis, & nutritiones confertim habentur, vbi lac quoque sub ipsa munctione vtiliter sorberetur, cum saccharo certè mixtum, & antequam refrigesceret, nisi bilis, nisi renum calor, aut obstructio viscerum, aut imbecillitas capitis non tantum dolor prohibuerit Asininum certè esset minus metuendum.

Cerebrum propriè affectum ipsum quoque propriã curationem postularet, eamq; post totius corporis prouisionem quamquam etiam non affecti, ac præter alias propriæ curationis cerebri partes, in quibus per proprios mearus facienda purgatio illius est, ipsum fotus, & lotiones requireret ex aqua potabili, cui incocta essent, quæ eius intemperiem emendarent, & vna humorum illius causam educeret, vt malua, althea, folijs nimirũ acceptis, viola Buglossum, Borrago, chamemelũ, salicis frondes, cannarũ radices, atq; etiam folia senæ, ac coluteæ, quibus ad penetrationẽ adijcerentur amaracũ, & asarum. Requireret etiam inũctiones oleorũ temperatiorũ, & sesamini, violacei, Nenupharini, chamemelini, ex amigd. dulcibus ex sem. lini cũ paulo ex oleis aromaticis capiti magis cõueniẽtibus, vt penetrationem iuuarent. Lotiones etiam crebriores ex aqua potabili ijs vtiliter iniungerentur, oleaque, & fotus dicti in sinciput ex alto per fistulas infunderentur.

Vlcus præterea per inustionem excitatum, diuque seruatum in sincipite iuuaret.

Odores quoque rerum minus calidarum, vt violarum, gielsimini, corticum citri, malorum, ambræ, & similium prodessent.

Si cor primitus affectum teneat, à quo tamen affici ratio consueuit, aliter enim iudicat iratus, ac beneuolus, aliter metuens, ac spei plenus, in cor ipsum dirigi curatio debet, vt proprijs expurgetur paratis ante diligenter humoribus, & omnino caueri, ne ante perfectam purgationem cordialia illa dicta ingerantur, nisi ipsa expurgandi quoq; vim habeant, pleraque enim sunt, quæ cordialia nominãtur, sola vi exsiccante, & refrigerãte, atque etiam abstringente, quibus cor non purum necessario peius haberet, quòd illa alienam materiam in eo altius defigerent, & magis concretam redderent, quæ quandoque in cordibus reiectorum corporum tamquam calx, & terra exusta reperta fuit. Lapis Bezaar ille, qui ex Indijs modo affertur, quoniam vim expurgandi habere creditur, vt sudore mouendo ipse persuadet, is quocunque tempore tutius dabitur.

Temperiem vero cordis quærentibus summa attentio adhibenda est. Nam quamuis melancholicus humor suis proprijs notis frigidior perspiceretur: sine causa tamen calidiori nequit genus suum sortiti, quod siccius sit, frigidaque intemperies potius pituitam gignat, adeò, vt in calidissimis etiam corporibus collecto, vt fit, melancholico humore, quòd ille habitu suo ventriculum refrigeret, multũ pituitæ fiat. Cordi itaque humore melancholico occupato etiam refrigerantia, quæ tamen leuiora sint, & maximè post purgationem attribuenda sunt, vt violæ nenupharis flores, malorum succus cum buglossi, & boraginis floribus, in quibus etiam cardinæ radicem poneremus, seu chameleontis albi rem cordi aptissimam, bona temperiè præditam.

A

Purgantibus vero semper crocum adiungeremus, in quorum vsu ita nobis temperaremus, vt humor proprijs notis calorem, vel frigus ostenderet, exustus enim tamquã cinis sopitum, & latentem calorem continet.

Scorzonera quoq; temperatior est, & huic humori maximè creditur aduersari, cordique apta esse, cum veneno resistat, propriè quidem eius serpentis, à quo nomen quasi serpentariæ inuenit.

Aquis eiusmodi rerum etiam stilaritijs, quibus solent Medici confidere, posset id temperamenti quæri, quamquam quæ nec saporem, neque odorem eorum referunt, vim retinuisse difficile persuademur. Ea quidem aqua commodè posse facere videtur, quæ ex eiusmodi floribus

B

violarum, ac boraginis, & buglossæ, ac malis dulcibus ad balneum mariæ exprimitur, quæ profectò, & cordi, & toti corpori tum capiti vtiliter administraretur attemperandis.

Lien pariter, cum causam præstitisse constiterit, propriam sui prouisionem efflagitabit, quo suo muneri idoneus restituatur. Ita in mittendo sanguine per sectam venam respiciendus est, vt a suo quoque latere illa secetur, in cubito quidem, cum ater & crassus sanguis potius fuerit submouendus, in extrema autem manu, cũ potius dimouendus excussione maiori è liene fuerit, nam alioquin ab extremis venis elaboratior semper, & magis confectus sanguis exhauritur, tamquam qui nutritioni magis appropinquat.

C

Hæmorrhoidum venæ propius à liene sanguinem exhauriunt, per eas ergo tentanda lienis affecti inanitio fuerit; ac, quamuis sępè pulchrum sanguinem emittant, ea tamen detractione auersio a liene fit. Videndum quidem, ne capitula venarum exteriorũ huius nominis potius aperiantur, quam interiorum, nam exteriores à carnibus, & à vena caua illuc deriuant, non à vena portæ.

Medicamentis præterea proprijs splen erit expurgandum extergendumque, & temperandum tandem. De expurgantibus verba non sunt facienda, minus de extergentibus ad eos, qui illa optime norint. Certè Capparis radices, cortex tamarisci, puluis chalibis aceto paratus, & tritura diligenti. Gumata, vt sagapenum, assari radix, gentianæque cum alijs lenioribus, quemadmodum phyllitis cap. vener. trichomanes, asplenium, & similia facient.

D

Exterius demum ei apponẽda erunt, quæ & discutiant & eius calorem iuuent non adeo adstringentibus munita, vt iecori debentur, ac ventriculo. In ijs ammoniaci gumi ex aceto paratum apprimè est vtile, illud vero etiam cataplasma aptissimum, quod recipit vim capparorum etiam ex folijs, & filicis, & radicũ cum eiusmodi gumis, ac oleis valentioribus.

Instituendus autem erit longus vsus oximelitis squillitici propriè ad lienem accommodati per ea, quæ supra comprehensa sunt lieni apta, quæ vel aquæ, vel aceto incoquãtur, ex quibus oximel paretur.

Thermalis subindè aliqua aqua deligenda, quæ ad expediendum lienem valeat, illumque confirmet, quæ chalcanthum habent, valentissimę videntur, fuerint autem opportuniores, si sal quoque, aut nitrum tenuerint.

E

Tettucianæ in Hetruria sunt ad huiusmodi mala vsitatissimæ, & quocumque asportãtur, atque ad annum seruatas vidimus integras.

Exterius etiam aliqua aqua ingeri deberet, aut oleum medicatum ex ijs, quæ supra comprehensa sunt, ex capparis radicibus maximè.

Si obstructio Mesaraicarum id incommodi afferat, tũc propria illa obseruatio maximè necessaria est, & cautio summa habenda, ne dum toti corpori in hac curatione prouisio habetur, ab eo humores in hanc partem obstructam conducantur, & peior mali conditio acutis obstructionibus obueniat.

In expurgantibus vero semper habendum Rabarbarũ calidior tamen vitanda; quo casu quidem lac maximè

extimescendum, & cœteris magis nocuum existimandū. Serum minus malum putandum, quin potius tamquam materiam medicamentis deligendum, vt ius quoque gallorum vetustiorum.

Seri tamen apparatus ad præceptū Dioscoridis, & Galeni faciendus. In ijs abstergentia medicamenta indenda, vt succus fumiterræ, & aliorum, quæ in syrupum de cicoreo Nicoli cum Rabarbaro conferuntur, & in syrupum etiam de eupatorio, aut bizantijs. Identidem vero deducere humorem per clysteris aptissima res est, & tutissima.

Aquæ etiam Thermales, quales in affecto liene commendabamus, erunt aptissimæ censendæ; & ea, quæ exterius lieni adhibebamus, fotus vero maximè ex ijs, quæ publicè nota, & vsitata sunt.

Non minus ventriculi os, & cor, tum caput inter ea fuerint munienda, ac contra incursiones aliunde factas firmandas: sic a cibo illa, quæ os ventriculi confirmant, prębenda sunt, in quibus iam satis vulgatis, & publicis nos non infimum locum damus ei cytoniato, quod Galenus conficit lib. de tuend. Valet. & libro de compos. Medic. per loca, a quo tamen multum gingiberis detraheremus, piper album, & acetum retineremus, aliquid vero ambræ grisæ, adijceremus, ad maiorem oris ventriculi, cordis, & capitis tuitionem.

Cor vna defenderemus, ne tam facilè illa cognatione, & vicinitate afficeretur. Sic ad cordialia dicta nos referremus, neque quantumcumque frigidi, & sicci generis essent, hoc in casu metueremus, quæ in pulueribus cordialibus dictis permulta sunt, illisque tam interius, quàm exterius vteremur.

Alchermes quoque in his numeramus, quæ interius danda sunt, Theriacam etiam in ijs, quę exterius apponuntur, quam contra cor appositam vidimus, & solamen afferre, & cum recens esset, etiam vigilias lenire.

Ori ventriculi adhibenda exterius difficilem habent occasionem, quoniam id anterius habet cor, posterius autem spinam cum multa musculorum mole, locus vero sub osse pectoris fundum potius, quàm os ventriculi habet substantem.

Capiti etiam muniendo exterius difficillimè possumus aliquid præstare officij, aut operæ, nisi collo circumponantur.

Restat, vt si quæ de purgatione, & victus ratione reliqua facta videantur, ea suggeramus.

In purgatione post longum humorum apparatum nos certe veratrum non timeremus, nigrum præcipuè, quod vel ptisanæ incoctum cum aromate aliquo dari potest, vel in iure cum aromate pariter, quod ægro gratum sit, in quo iure mannæ multum sit dissolutum. Certè cum minori molestia, quàm quodque aliud medicamentum paratum sic, dare solemus. ℞. fol. senæ elect. ℥.3. passularum, Radic. polypod. quer. ana ℥. ſ. epithymi, cinnamomi, ana ʒ.1 ſ. prunorum num. 5. Mastiches ʒ.ſ. cariophyllorum, macis ana ℈.1. cortic. Radic. ellebori nigri præparati ℈. ij. Tartari vini albi ʒ. 1. florum cord. m. 1. Fiat decoctio in sero lactis s. a. quæ coletur cum expressione. ℞. Mannæ electæ ℥.3, syr. rof. sol. ℥. 1 ſ. elect. indi maior. ʒ.3. M. & fiat potio iniecta ʒ. 1 ſ. aquæ stillatitiæ cinnamomi. Eodem pacto dari poterit cum Rabarbaro macerato adiecta macerationi ʒ.1 ſ. eiusdem aquæ stillatitiæ cinnamomi.

Cum mesaraicæ erunt potissimum respiciendæ, tunc lenissimis erit agendum, atq; cum vomitio Medicinæ, postquam ea duabus horis ad summum contenta fuerit in vētriculo, fit commodissima, quòd nihilominus per aluum purget, quòd per vomitum multam pituitam eijciat, quæ per inferna non nisi difficulter, & cum dolore secederet, quòd hominem a noxa medicamentorum liberet, ideo nisi Rabarbarum in medicina insit, cuius opus firmandi ventriculum nobis expectatur, semper vomitio esset post duas horas mouenda, quæ etiam mesaraicis expurgandis valde esset idonea quibus Rabarb. maceratio cum elect. Indo apta admodum essent, adiecta parte syrupi de cicorea Nicoli cum Rabarb. & mannæ. Vbi in longo vsu

A haberi vtiliter posset confectio aliqua in forma solida veluti ea esset, quæ recipit pulueris Radicum ellebori nigri ℈. 2. Mastiche ℈. 1. Rabarbari electi. Turbith, Gumosi ana ʒ. 1. specierum Aromatici rof. ʒ. 2. olei stillatitij anisorum, vel Cariophyllorum ℈. 1. Aquæ Melissæ, sacchari q. s. M. & fiat confectio in forma solida in rotulis.

Alchermes pariter huic generi affectus faciet non solum confirmando os ventriculi, cor, caputque, sed etiam humori melancholico tum purgando tum leniendo.

In succis etiam Boraginis, Buglossi, Melissæ, & Malorum dulcium, macerati ellebori radix posset, & inde cum aromatibus idoneis syrup. fieri, cui syrup. de Cortic. Citri adijceretur; sed clysteriorum vsus est potior, etiam validiorum.

In vita quidem omnia illa seruanda erunt, quæ à do-B ctissimis Medicis præcepta sunt, quæ si à nobis percutrerentur, superuacaneum laborem adderemus lecturis, oratione nihilominus aliqua non priuabimus. Lucidum ædificium tunc fiet commodum, cum auleis coloris viridis, aut Cærulei, aut purpurei veri paratum erit, sic enim lumen, quod semper melancholiæ vtile est, minus acre, & iucundius fiet.

In cibis Saccharum sui causa non timeremus, nisi cum biliosum admodum corpus crederetur, ventriculusque caloris acrioris, nam humores crassos extenuat, atque deradit, ac soluit tum ventrem lubricum reddit, aluum certè deducit.

Sturnos aues videmus Galeno placere in corporibus siccioribus, extrema animantium recrementis vacua esset, & vno lentore alibili maximè suspecta fieri videmus, C propterea lentorem eis posse conditura, coctioneque modificari, ac ea suspicione liberari; illud verò in eis optimū esse, quod carnosum est, quod & tenerrimum, & purissimi alimenti, ac facilis omnino est.

Coturnices nimio humido genere, & pinguedine posse lædere, panem quàm recentissimum esse optimum, modo calorem igneum amiserit. Veruecinam tanquā crassioris succi, vt vitulinam adultiorem vitaremus, eoque magis illam, quod frigidioris naturæ sit, & quamuis masculi generis sit, Castratione tamen ad fæminæ temperiē recedit, quę in crasso succo incommodū augeat. In Regionibus quidē calidis opportunè sumitur, vt in Hispanijs, vbi à calore loci coctior est, & calori Regionis resistit sua crassitudine, & temperie. Cui porro crassitudini odor ille fœdus coniunctum esse etiam aliquem malum succū in-D dicat. Vitulina autem cum generis sit aridioris, duriorisq; & terrestre plurimum habentis, quo tenerioris ætatis fuerit, eo melior censenda est, quæque fæminæ est.

Lac coctum pariter, aut refrigeratum crassioris succi, quamquā boni est, & concoctu durioris. Recens antequā refrigescat tenuioris, & concoctu facilioris. Omnino vero vitandi, vbi obstructiones in Hypochondrijs fuerint, & caput imbecillum, cum venter autem biliosus fuerit vel maximè recens.

Pisces saxatiles, qui ab auctoribus eius nominationis sub hoc nomine comprænhenduntur, ij neque crassi, neq; tenuis succi sunt, mediocreque alimentum, & boni succi præbent. Itaque tutò sumi possunt. Saxatiles autem vulgò dicti, qui in fluuijs viuunt, ij longè humidioris gene-E ris, & succi tenuioris, ac aquosi sunt; itaque ijs concedi eiusmodi pisces possunt, qui cum esui piscium assueuere, tum squallidiori corpore esse cernuntur. Trotta crassioris succi est, nisi parua admodum, & in bono genere soli capiatur. Ciprinus quoque cum humidissimi generis est, tum, si grandior fuerit, etiam crassioris succi.

Frixio in sartagine humidiori generi emendando piscium idonea à Galeno assationi non est postposita, quæ in craticula fit, & bene valentibus vtraque conceditur. Conualescentibus verò potius elixati pisces dantur, nempe ex albo illo iure cocti. Frixi autem noxiam suam deponere existimantur, si subinde aliquo liquore diluantur & vino, aut alio, qui sal habeat, aut garum.

Pastas,

Pastas, tortasque minus tutas existimamus, vtrumque A genus ob crassitudinem, & lentorem, tortas etiam ob inclusam varietatem.

Horas cibi dandi, si iustum prandium sit, aliquantò lõgius dissitas esse vellemus, vt inter hoc, & cœnam plus spatij intercederet: aliter autem, si paucum, & sæpius cibum dari necesse fuerit.

Vinum maturum, nec admodum potens, album potius quam rubrum commendamus, quod simplex nil, nisi aliquid aquæ secum habeat ad citiorem suam penetrationẽ; aromata in eo nimium infesta ob citam in iecur, & caput, & renes peruasionem, confici quidem posset ex buglosso, & boragine rebus temperatis, & humori melancholico aduersantibus.

Quòd tandem a cibo stet, vel leniter ambulet, id omnino breui faciendum est, & tantisper modo, donec cibus B in imo ventriculo fuerit compositus, beneque ab eo comprehensus, alioquin motus, & standi labor crudo cibo essent alieni.

Atque hæc nos ita transegimus, vt tanquam iussi de re ab alijs rectè tractata non sileremus; & quæcunque prætermiserimus, illa ex descriptis consilijs repererentur: quæ vero complexi sumus illorum iudicio tẽperanda deferantur, qui & ægrũ inspectare, & ex eius ore cognoscere omnia certius possunt.

Faxit IESVS Opt. Max. vt eius Celsitudini Consilia tanto fructui sint, quanta cum fide, & studio sunt excogitata, & literis comprehensa.

Christophorus Guarinonius Fontanus, Philosophiæ ac Medicinæ Doctor Veronensis, S.C.M. à valetudinis consilijs. Hæc supponebat scriptis Gulielmi Clophterij, respondentibus quæstioni factæ post biduum ab Illustrissimis Viris, ad quos Ducis cura spectaret.

Ego Christophorus Guarinonius Fontanus Veronẽsis laudo, quæ à Viro Excellentissimo dicta sunt, atque in summa repeto de Angli pollicitationibus, quòd ea quidem remedia, quæ ille nominatim proposuit a se faciẽda ex saphyris, corallio, auro, margaritis, ruta, & saluia, pa- D rum omnino huic morbo factura sunt: ea vero, quę occultat, si, vt per coniecturam proponitur, elleborum habeant, nisi ex arte, & a Physico bene intelligente administrẽtur, posse quoque esse perniciosa, ac longè etiam magis, si habeant antimonium, quæ duo si modificẽtur adeo, vt quinta eorum essentia detur ab igne multum habent varietatis, atque ab artifice, & illius quidem incertæ. Neque video quid securitatis acceptura sint a quinta essentia lolij, papaueris, hyosciami, & crystalli: quintam autẽ essentiam Nucis moschatæ, cinnamomi, corallorum, gẽmarum, saphyri parum proprietatis continere credo ad uerùm maniam.

Tandem dico, quòd cum de occultatis remedijs consilium ex arte dari nequeat, ad populare illud confugiendũ est, vt facto in alijs periculo eorum vis prius cognoscatur.

Sententia Christophori Guarinonij Fontani S.C.M. à consilijs valetudinis.

De medicamẽtis a muliere propositis sic posse in summa statui arbitror. (quæ res infra latius ab Excellẽtissimo D. Clephter exposita est.) Eorum medicamentorum alia non solum non profutura, sed obfutura in posterum, vt oleum succini, siccantissimum capiti melancholico datum. Partim vix vllam vtilitatem posse afferre, periculo certè maximo id factura, vt præcipitatum, alia vero non inutiliter quidem posse dari, vt pulueres illos, & vesicatoria dicta, sed non tam valida, aut tam accommodata esse, quàm sunt multa alia medicamenta, quæ non est verisimile à Medicis in hac curatione fuisse pretерita, quoniam vsitatissima sunt. Nullum quidem certè eorum medicamentorum propriè aptum melancholiæ esse. Inter auxilia vero opportuna illud existere, quod a sectione venæ pedis, & brachij petitur. Sed permittentibus illis rebus omnibus tantum ipsam esse adhibẽdam, quæ Physico intelligenti perspici possunt. Casus autem quibus mulier fidem sibi conciliat, illi facilè repentini, & ab incidẽtibus nouis rebus extiterint, vt his vel spatio deletis, vel submotis, detractoque per seram illam purgationem humore ex illis externis causis fortè genito casus ipsi cessarint. Alioquin si δυσκρασία substitisset, vt in hoc corpore curando subest, humori illi gignendo idonea, hæc ab illis medicamentis tolli non potuisset, & alia subinde materia in locum detractæ successisset, & morbus esset renouatus.

De febre cum alui fluore.

CONSVLTATIO IIII.

Qvod vos Viri Excellentissimi Litigatis in alui fluoribus curandis, & partim vultis sanguinem mittere, atque purgare; partim resistitis verbis Galeni in libro ad Glauconem sententiam vestram munientes. Ego sic æstimarem, quòd in febribus curandis, vt naturæ morbi remedia aptemus, multa videnda sunt. In primis verò ” de natura eiusmodi morbi nos certi omnino esse debe- C mus, num ibi febris se ipsa sit morbus, an tanquam casus, & symptoma morbum aliquem sequatur, ita vt eo discusso ipsa nulla futura sit; ac si fieri posset, vt illa tolleretur morbo relicto, postea tamen iterum è morbo esset necesse renouari. Quo cognito ego statim videor videre vestræ litis solutionem. Nam Galenus eo libro ad Glauconem alium morbum nõ habebat, quem respiceret, sed febrem seipsam consistentem curabat, hoc est in sua causa, quæ humor putrescens esset, & ad οὐσίαν eius pertineret, vt accidentis, quod nunquam esse, aut sciri sine sua causa potest, & nunquam sine ea perfectè definiri, vt necessario dicat Aristoteles Eclipsin Lunæ esse ipsam terræ interpositionem, & nos si naturam rei sequi velimus, dicere cogemur febrem putridam esse humorem putrescentem. Itaque Galenus humorem putrescentem hoc est ipsam febrẽ D videns excerni a corporis natura, etiamsi ea excretio satis esse non videretur, existimat non esse fluorem illum incitandum, ne diutius manens febris ægrotum debilitet; qui fluor si multus esset, a natura ipse satisfaceret febri curandæ, quoniam putridum humorem, hoc est, febrem eijceret, seu eius proximam, & continentem causam. Si multus fieret ab arte, nequaquam, quoniam materiam non paratam efferret, & aliam ab ea, quæ febris cõtinens causa est, obstructionibusque relictis putredo, seu febris propagaretur; qua in re quidem, si Galenus Rabarbari vires expurgandi nouisset, omnino non negasset eiusmodi febri Rabarbarum dari posse, & absynthio anteposuisset, quoniam melius, quàm absynthium purgat, & minori calore, quoniã minus amari, & plus austeri habet. Obstructionibusque demendis est aptissimum, quia materiã E crassam, & lentam maximè obstruentem expurgat vna cum biliosa, vt quisque potest obseruare, ita cum Galeno ijs in febribus vetante purgationem mihi videor esse, etiãsi cum aluus fluxerit Rabarbarum do cum ijs commixtum, ” quæ mitigant, quidquid in eo nobis metum faciat, saltem ” Cicoraceis.

Febres modo, quæ seipsæ morbi non consistunt, sed alios sequuntur, vt inflammationes, aut erysipela. Illæ profectò sunt tollendæ vna omnino eorum morborum discussione: itaque si illæ cum fluore alui fuerint, fluor certè vnà cum febre morbum ipsum necessario sequetur, & is non erit æstimandus, nisi ad morbi rationem, quoniam morbo ipso curando tantum potest submoueri, sic videndum penitùs quid morbus postulet, quantumque

tumq; vires à fluore tractatæ permittant de re, quæ a morbo postulatur, non solum mittendi sanguinis, sed & medicamentorum. Sępissimè autem inflammationes & erysipelata, quæ fluorem alui vnà, & febrem faciunt, ad simam iecoris partem, & ad intestina pertinent, vnde etiã intestina erodantur. Propterea sæpè sanguinis missio, & purgatio, sæpè alterutrum necessarium est, non tamen temere adhibendum, sed tempus, & vires sunt considerandæ. Profectò DD. ego vidi cadauera dissecta eorum, qui fluore alui interijsse dicti sũt, quorum intestina crassa admodum, & sanguine tumida essent, foraminibusque pertusa, ac si faui mellis fuissent. Quorum curatio multam partem in sanguinis missione habuisset, atque in purgatione per vomitum procuranda. Itaque ne moremini in contentionibus; notas habetis iecoris affecti, & vlceris intestinorum; dum vires sunt sanguinem mittatis, & deinde paratis, temperatisque humoribus per vomitum purgetis.

Ad Excellentissimum Ambiorigem Samperolium Serenissimi Ducis Vrbini Physicum.

CONSVLTATIO V.

QVod Eques Gratiosus sentire se dicat humorem à capite in inferiores partes descendere, forsan deceptio erit, quoniam humores morbum hunc facientes in internis sedibus sensu carentibus versantur, & in ipso caput non ita completum est, vt tanto malo satis materiæ suggerat. Pulsus etiam minimè imbecillis videtur, cum incitatior est, & per vim à calore distentior, dilatatiorque fit, & cum cor, atque arteria durioti corpore sunt. Quod autem Comiti Iulio Cęsari dorsum magis doleat, credo quòd parcior minctus faciat, qui largissimus antea erat. Crus sinistrum tenuius fieri a propria concoquendi, & attrahendi alimenti infirmitate non est ita verisimile, quoniam nullam causam habuit nouam huius nouæ rei, viæ potius vasorum à Rene eius lateris vitium acceperint, alimentumque vitiant, Arterijsque vitiatum spiritum inferentibus eius quoque imbecilliorem calorem sortitur. Vasa quoque deprauata facilè obstrui potuere, & ita non modo alimentum peius, sed parcius in crus deferre. Excretiones virides (qui color, vt plurimum, ex luteo humore refrigescente, aut cum cæruleis partibus aliquibus permixto exoritur) ostendunt, quòd iecoris calor cum alterius alicuius partis frigore coniungitur, quæ contrarietates difficilem curationem faciunt, quas omnino recipere opus est, præsertim dum tollimus humores, quibus ex intemperies sustentantur, & viæ obstructæ sunt, de quorum curatione alias satis dictum est. De Illustrissimo & Reuerendissimo nostro, ego video calorem principũ partium esse magna ex parte dissolutum, dico naturalem ipsum à cœlesti informatum, quamuis ob ariditatem relictam ab igneo calore in parte affecta etiam sunt exustionis notæ, quæ inflammationem diu pertulit, ex quo videre possumus, quòd dolor ille colicus dictus causam habuerit in parte intestinorum iecori admodum coniuncta, ac cordi, quemadmodum in multis notaui, qui paucissimis horis extincti sunt cum vrinis ictericorum ferè, & pulsibus formicantibus dictis, de quibus, qui conualuere, colore luteo fuere aliquandiu, quidam aluos liquidas, & Chyli colore habuere paulatim, & crebrò descendentes totis ferè horis. Quo in affectu flatus, inflationesque magnam sui causam sortiantur, cùm non solum per dissolutionem calor naturalis diminutus sit, sed per intemperiem frigidiorem relictam, dum diminutus calor naturalis opus coctionis non perficit, vt perfacilè est ventos nasci, alimentum non transmutari, & recrementa non solui, & non sequi anasarcam tamen, quoniam alimentum non traijcitur eiusmodi, neque humor fit glutinosus, quo partibus adhærescat, sed in vasis manendo per vrinam eijci-

A tur. Facilè itaque alimentum, & temperatè calidum maximè esset idoneum, quale esset, quod excipitur è pullis columbaceis, si ex ipsis contusis sorbitiones fierent cum paulo Cinnamomi, cũ Zedoaria, aut Cubebis, si etiã adderetur particula aliqua ex Aprugna, vel domestica suilla rubra illa, nec adeo pingui, cuius ætas annum non trãsiret bene tabefacta. Ex pedibus quoque suillis esca opportuna fieri posset coctura bene tabefactis, è gallinaceis etiam testibus, & iecoribus, è farte benè percocto, vel etiã percolato.

Adijcerem vero de fructibus pistacea, sed hæc potius iecori amica, quia aperiunt, & robur conciliant, quàm alibilia sunt, quamquam calida, & humida, & impinguando apta. Itaque alendo iecori passulas adhiberem, & non nihil de ficubus præsertim aridis. At alui feces obscuræ B sunt, & sitis infestat, hæc habent in sui causam humores exustos dum dolor esset acrior factus, quoniam ille tam acutus esse nequit sine inflammatione, & febre, vbi propterea pulsus quamquam paruus, & formicans dictus, durus tamen sentitur.

Quas vero reliquias, si possem ego, purgarem cum sero lactis vaccini, nisi obstaret aliqua res, in quo bene parato ego macerarem cortices exteriores Pistaciorum, neque vllam aliam purgationem adiungerem, quàm aliquid ex Rabarbaro interdum macerato, interdum toto, quo etiam vterer cum saccharo rosaceo, & cinnamomo. Atque si mihi vtenda essent humorem parantia, & corrigentia, nihil potius haberem ipso agrimonio, buglosso, cicoreo, & lupullis, in quorum iure imponerem emulsionem seminum melonum, & loco aromatis cubebas, & zedoa- C riam. Memini me consuluisse cuidam sic affecto vt iter faceret, & in primis itineris diebus optimè est restitutus. De natura aquarum medicatarũ in vniuersum ego semper eius animi fui, quòd earum permixtiones naturæ ex diuersis generibus fiant antequam vapores in aquam vertantur, & halitus illi varij in metalla, aut fossilia concrescant, materijsque illis aquæ, & aliorum generum rerum permixtis, vnde illa fieri solent, & concretionem aquæ vnà subeuntibus manet eorum vis in aqua; itaque alias aquas videmus quamquam limpidas, si alant stirpes, ipsas in lapidem conuertunt: aliæ Canales, per quos perlabuntur, loricant genere aliquo lapidis, in alijs lapilli pulcherrimi gignuntur, quòd materia cõprehensa nempè in halitu earum, tandem concrescat, sic vrinas limpidas, & claras videmus ea vasa loricare tandem lapidosa lorica, D cum diu versatæ in eis fuerint. Itaque non mirum est, si „ per stillationem harum aquarum vi ignis expressam non „ omnia reperiũtur, quorum vim in earum vsu experimur, „ siquidem res non insunt, sed halituum tantum materiæ, „ eorum permixtio, qui vi ignis exolescere possunt, vt genus eorum est ad euanescendum facile. Et profectò mirabile esset, si aquæ Thermales dictæ percursione tantum habita per metalla etiam calefactæ vires comprehenderent ab illis, & retinerent in annos, quod vidi in aquis multis, si seruatæ essent in vasis vitreis. Incoquas metalla in aqua, quid virium accipiunt? quamdiu retinebunt? præcipuè vero aquæ, quæ lapides pariunt suo sedimento, quo pacto id genus lapideum conceperunt solo transitu per lapides? quo pacto traijciendo cum natura lapidis adeo permixtæ sunt, vt pellucidæ maneant paulo post lapidem E ex se pariturę? quod de metallis quoque dici debeat, facilius certè fient illarum naturæ multis generibus, & contrarijs commixtæ, si halitus secum concrescendo comprehendant, & meliori mixtione contineant.

De quibus halitibus, qui minus vaporũ nacti fuerint, illos superant, & agitari in Cauernis incalescũt, vaporibusque per calorem consumptis ipsi per eam agitationem, vt eorum naturæ est, inflammantur, & è cauernis sua extenuatione, & dilatatione ampliorem sedem quærentes eruptiones faciunt, per quas in ignes vertuntur, qui continenter suggesto halitu continenter gigni possunt. Neque id mirum est, cum halitus perpetuo fiant, & citæ generationis sint, vt mirũ est, quod opinantur plerique omnes Physici ignem eiusmodi nempe sulfure, aut pice ali, cum non

tam citò refici fulgur possit, à tempore, quàm citò igne gignẽdo consumitur, quod de halitu dici non potest, præsertim qui à longinquissimis partibus concurrere potest citissimè ad eruptionem faciendam, & illa incitatione ignem excitandum. Atque hæc mea est de aquarum Thermalium natura, sententia.

Ad P. Maxim.

NEscio quàm verum efferatur, quod de S. P. inaudini, scilicet, quòd calculũ è Renibus eiecit, & decoctum Guaiaci sit accepturus, quæ res certè mihi metũ fecit, quamquàm parum notitię eius corporis habeo; perfacilè si quidẽ est à Guaiaco Renes iri excalfactos, & exsiccatos, nec non & iecur, vndè succi è ventriculo, & intestina citius, & vehementius attrahãtur, adeo vt aluo adstrictiori facta, recrementisque in ea diutius retentis crassiores, & magis terrestres partes è cibis exprimantur, & à calore dictorum viscerum afflatæ calculos crebrius, & maiores faciant, quod periculum à ventriculo frigidiori nequaquàm tantum est, dum iecur, & Renes sint tẽperatiores. Non minus autem eius periculi est, imò longè plus à ventriculo calidiori, tamquam magis succos terrestres per suã elixationem è cibis exprimente, & aluo adstricta iecori, & Renibus tribuente ex quo fiat, vt Guaiacum non solũ ratione eius, quod iecori, & Renibus præstaturum sit, sed etiam quod ventriculo suspectum videatur, quòd si ventriculi non calefaciendi, sed temperandi causa Guaiacum expetatur, ea attemperatio à multis alijs temperatioribus haberi certior, & tutior potest. Calculi autem generationi occurri alia longè ratione magis expedit, nempe auertendo terrestrem materiam quo per aluum deuoluta antevertat sui in Iecur, & Renes attractionem, & refrigeratis Iecore, & Renibus minus attrahatur. Et vt quæque eius particula in Renibus cõstiterit, ea è Renibus exprimatur. Quæ quibus auxilijs perfici possint cuique perito Medico obscurum non est, nempe quæ aluum mollem seruent, aut etiam ducant, quæque Renes identidem repurgent. Ab emulsione seminũ Melonum per potiones quotidianas accepta Renes, & iecur multum voti expetiti, poterũt accipere, ab Oxymelle appositè cõposito ex decoctis multis cum Renes purgari, tum vẽtriculus, ac iecur poterunt, lupulorum nempe, & hordei, &c.

De Illustrissimo Domino Don Guilhelmo à Sancto Clemente.

CONSVLTATIO VI.

EX aspectu ipso specieque corporis, ex carnium habitu, & maxime qui in cruribus extat, ex omnibus recrementis procedentibus ex morbi modo, & eius progressionibus certus esse quisque potest, quòd huius morbi natura & in intemperie est posita, & ea quidem generis humidioris, tum quòd sanguine tenui admodum, & humido sustentatur, eoque incrementa in dies accipit. In quo quidem morbo primũ debilitas neruorũ extitit, deinde obesitas corporis; quoniam quamuis forsan nerui non priores humidum genus acceperint, priores tamen eo læsi sunt, tanquam genere à sui natura, & officio magis alieno. Scimus enim, quòd illi nerui, qui sua natura sunt humidiores, sensum quidem præstant, at motum nequaquam. Etenim postquàm vir Illustrissimus abhinc vndecim annos, & amplius cœpit incõmodo manifesto debilitari in motu, subinde postea habitu etiam pleniori fieri visus est debilitari vnà cum corporis obesitate crescente. Nerui ergo priores hebetari cæperunt, deinde chordæ eorum naturæ cognatæ, cum genus humidum eis sit maxime aduersariũ, cum ijs tandem corpus reliquum idem mali sensit. Quando nerui tantum in vitio erant, tunc minima quaque auræ mutatione, eorum variabat offensio, & vel horarum diei varietas, nedum tempestatum summam mutationẽ neruis afferebat, eaq; res singularis ferè quotidie incidebat, quòd, A cum Sol à Meridie ad triquetrum aspectum medij Cœli accederet, tũc ferè ipse poterat è sellula surgere nullo adiuuante, & ambulare, atque etiam scalas ascendere, nullo vel scipionis auxilio vsus, quod omnes admirabantur, qui eadem hora vidissent ipsum sellulæ hærentem, neque ex ea posse se erigere, neque dorso erecto sedere, in pedes nequaquam insistere, nedum ambulare vllo conatu valere. Tempestates austrinæ, aut austrinis cognatæ ei graues semper fuere, & omnino humidæ, eæque grauiores, si sine pluuia cum aura tepidiori, vdaque essent: à frigida enim, & sicca semper meliusculus fuit. Aliquando etiam mutationem ab animi motionibus accipiebat, & cum etiã hilaritatem indueret, validior videbatur, contra verò cũ mærore aliquo afficeretur. Nunc postquàm chordæ plenæ eius generis alimenti fuere, & corporis habitus grauior ab B eo madore factus est, ex incidentibus dictis mutationibus vix aliqua varietas in viribus dignoscitur nisi obscura. Post longa enim spatia, & magnas morbi progressiones humidum genus nõ solum neruorum habitum, sed chordarum, sed musculorum compleuit, & totos artus hebetauit, & maxime crura, quæ ferè Oedema maximum præseferunt, nisi quòd color rubet est, in purpureũ vergens quidem, cũ refrigerantur, & sedenti ipsi crura in decliue pendent, neque enim tam malum alimentum est, vt in Oedomate habetur; imò in hoc corpore indicia multæ pinguedinis sunt in vẽtre, & superioribus thoracis partibus, quæ pinguedo non nisi bonum alimentum consequi consueuit. Certè nunc præter caput nulla pars est, quæ id genus humidioris alimenti non præseferat, & crura, quæ tam intumescunt tumore rubro, nunquam tamen indoluere nisi C chordæ pone genua, quæ tamen densissimæ factæ sunt, & plenæ, ac tensæ sensum suæ molestæ tensionis interdũ habeant, crura quidem etiam prioribus temporibus identidẽ intumescebant, & aliquantulum etiam manus, cum præsertim tempestates illæ infestæ instarent. In hoc vdum genus ab origine corpus propensum fuisse auditum est ab ijs, qui cum eo à prima ætate consuetudinem habuere, vel Matris etiam verbis cognouerunt; neque enim dum infans esset, artubus duris admodum fuit, minus iuncturis, seu articulorum capitibus admodum extuberantibus, minus musculis torosis, sed artuum semper leniori, & delicatiori Figura, qualem ad ἄναρθρον Hippocritus dixisset, etiã posteaquàm ei vita iam erat militaris, & laboriosa, in qua fortissimè se gessit, cui naturæ corporis semper mores animi conuenere lenissimi, faciles, ac placidi, & ad omnem D humanitatẽ, ad omnia officia vrbana propensi, vt ad vitæ cultum, & splendorem. Ventriculi humidæ naturæ indicium illud non mediocre est, quod cum rarenter sitiat, quando bibit, longam semper potionem expetit, quod aqua potius, quàm vino delectetur: id enim etsi educationis cõsuetudini attribui potest, eam tamen mutari consuetudinem perfacile fuisset ei, qui ab educatione Patriæ diu longius abesset, & cum vini potatoribus continenter conflictaretur, nisi iam ipsa vinum fuisset aspernata; quæ porrò aquæ potio duplex indiciũ præbet generis humidioris: nam & naturæ humidæ appetitionem sequitur, & humidum genus inducit, vt vita otiosa Oratorij muneris post militarem suscepta, & aulica, & in Germania à patrio cœlo, tam diuersa, nimirum Hispano, ad hoc multum potuisse credenda est, quæ causa certò nobis indicio etiam esse E debet. Indicia quidem alia multa habemus, quæ à morbo ipso in conspectum dantur in vrinis, aluo, & alijs omnibus. Sãguinis etiam tenuioris in alimentum huius morbi venientis notæ suæ non desunt, in quibus illa summa est, quod è cubili egressus continuo in cruta tumor maior, & coloratior descẽdit sine vllo dolore, qui subitus descensus non nisi summæ tenuitatis signum est, vt doloris vacuitas humidi generis omnino. Cum vero etiam secta vena sanguis est missus, ipse pulcherrimi, & tenuioris generis cernitur. A qua sanguinis etiam pauci missione ipse solet quendam animi languorem, & lentitatem, simulque mærorem maximum sentire solubilis facilè spiritus, & tenuioris sanguinis indicia, cuius tenuitatis culpa fieri potest, vt neque sudores, neque abstinentiam facilè patiatur;

etſi cibi appetens admodum non ſit. Sic ergo ſententia A erat, quòd ex humido alimento, eiuſque generis ventriculo, ac iecore corpori in id propenſo idem ſubminiſtrantibus is humidior habitus fuerit conciliatus, corde vero pręcipuè molliori, & humido ſpiritus ſimiles cōficiente. Neruos autem priores noxam ſenſiſſe humidi generis, quòd illud habeant inſenſiſſimum, & molliores ab eo facti munus ſuum mouendi obire non poſſint. Curationem itaq; omnem in exſiccando, & abſtinendo eſſe ponendam, ſic multam partem in manu ægroti haberi, quoniam præter medica auxilia omnino victus exſiccantioris diuturnum tempus res ipſa efflagitat, quo nil tutius, nilque valentius ſit exiſtimandum. Tanta enim exſiccatio, neq; per vim medicamentorum citò fieri ſine periculo poſſet, neque breui tempore per placidiora obtineretur, quòd antiquus iam habitus exiſtat, & cum natura complexus ſubſiſtat, quæ ſu- B bitis, & vehementioribus ſiccandi motibus non flecteretur, ſed frangeretur potius, & cũ eo habitu ſibi iam coniūctiſsimo diſſolueretur. Neque enim hic obſtructionis ab humore craſsiori vlla ſuſpicio eſt, quæ ſubitò materiæ decurſu ſubitam læſionem, non mediocremq; attuliſſet, neruorum denſo corpore non aliter ferente. Neque vero ſi totos neruos repleſſet, vt hic fuiſſet neceſſarium, non conuulſionem potius, quàm mollitiem hanc effeciſſet minus omne corpus ſimili modo occupaſſet facilè, vt hæc fecit, quin potius parti alicui certæ motum penitus abſtuliſſet. Atque ſi omnes neruos ea materia obſediſſet, commune eorum principium omnino ſibi in originē habuiſſet nempè cerebrum ipſum, cui porrò nulla noxa hactenus intelligitur, contigiſſe, quamuis vel lingua ei proxima, neruiſque cum eo coniunctiſſima interdum mollior, & hebetior in C loquendo videatur, & humorem vnà cum dentibus ſæpe infenſum habeat; quæ profectò lingua in oībus per craſſiam, & obſtruentem materiam in neruis hærentem nunquam nō dialectum amittit, quod poſtea vix vnquam poteſt recipere, vt hic poſt aliquas mollitiei, & hebetudinis horas cito admodum ſuum robur recipit, in eum modum, in quem artus ſuperioribus temporibus vix ab vna auræ leui mutatione confirmabantur. Neque vero poteſt obſtructio etiam repentè facta tam citò remoueri, vt genus humidum, quod in neruis ſicca re multum abundare non poteſt, à leui auræ frigore, & ariditate poteſt corrigi, atque mollem neruum firmiorem relinquere. Curationes itaque omnes adhibitę, quas ſciam, eo ſpectarunt, non ita vita, victuſque, quoniam generis lautioris ſemper fuit, & ſine multo motu, etiam cum poſſet deambulare, & cum non poſ- D ſet ſponte moueri, fuit ſine eo motu quoque, quem poteſt obire per aliorum geſtationes, & currum: totas namque quinque, & ſeptem etiam horas ſolet eodem Sellæ veſtigio hærere, ita vt cum vehitur, aut fertur, id corpori potius replendo, quàm ſiccando opportunum ſit, cum leniter fiat, neque admodum diu; medicamenta quoque cum faciliora, tum ſemel in anno, aut etiam alterno tātum ſunt adhibita, violentiora autem illa ex ſalſa parilia, Guaiaco, China, cum mixtione aliorum, in quibus etiam Agallochum fuit, ea rariſſimè exhibita, quæ etiā eiuſmodi habitui prodeſſe admodum non potuerunt, cum non fuerit ea abſtinentia ſeruata, quam ad fructum horum medicamentorū percipiendum experimur neceſſariam, quod euenit Medicorum ἀρεσκία, & miniſtrorū potius ἀδολεχία, quàm ne- E gligentia; nunquam enim ſine carne ſaltem pullorum gallinaceorum, & quidem grandiorum erat eſca, nunquam ſine bellariorum, & dulciariorum varietate, & copia, & eæ curationes nouem annorum ſpatio vix tertio ſunt inſtitutæ, ne dicam penitus perfectæ, aut mediocriter præſtitæ, vnam poſſes excipere, quam etiam propter tędium, ſed nō cito recuſarit. Miniſtrorū præſertim verbis perſuaſus, ſemper quidem cito ad largiorem victum redijt. Quadam tamen harum curationum effectū eſt, vt poſſet ambulationibus exerceri, & gauderet, quòd ſeptingentos paſſus faceret ſine ferula, aut alterius vllo auxilio, quod cum quadam die autumni temporeà prandio faceret, ſubita orta tempeſtate ventoſa, & frigida, cum ſe domum recepiſſet, debilitari ſupra modum ſenſit, quod antea ijſdem horis, ijſdem pariter orientibus ſæpe tempeſtatibus ſubitis, & in agro eum deprehēdentibus ei non euenerat, qđ mali ipſe in curationem ſuperiori mēſe habitam reijceret, & ſuſpicioſus factus poſtea nunquam bono animo illas admiſerit. Aquę Medicatæ etiam ſæpe ſunt ei propoſitæ, & ipſe in iter ad illas faciendum paratus, ſemper tamen nouis incidentibus rebus eſt impeditus. Nunc eadem morbi natura manente idem conſilium manet, firmitate quidem morbi maiori, & magnitudine eius ad ſummum perducta, conſiliū tantum ſpei non tenet. De exſiccantibus aquis, vt ferè Thermales omnes ſunt vna commendatur, quæ in Belgis nunc eſt celeberrima, intus, & extra adhibenda. Atque niſi commodū fuerit ſumendi has, alias ſimiles eſſe tentandas operæpretium iudicauimus. Quarum vſus, ſi cum eo, qui eſt ſalſæ pariliæ, & Guaiaci, alijs earundem virium rebus permixtis iungeretur, exiſtimaremus curationem omnes partes opportunas adeptam. Exſiccantia alia valentiora ob ſupradictam rationem vitanda crederemus, vt ſalis illa varia genera, in quibus eſt viperinum, quoniam viſceribus primum ſibi obuijs vim nimiam inferrent, neruos vero minus iuuarent, ad quos etiam nimis tarde accederent.

De eodem Illuſtriſsimo D. Guilhelmo à Santo Clemente.

CONSVLTATIO VII.

HActenus ſimpliciter per caſus, & eorum cauſas progreſſus de hac valetudine dixi, quemadmodū demonſtrandi via ex doctrina expoſcebat. Sequitur, vt opinionem, quæ ex communi, & vulgata conſuetudine oriri potuit, ab hac recta via aberrātem remoueam. Siquidem ij, qui res per capita, & ſummatim ſine doctrina percipere maluerunt, quas, quamque varias, certis tamen ſub titulis æquè coactas perſequuti ſunt, facilè in ea opinione permanerent. Audito enim in neruorum debilitate παράλυσις vocabulo, eius caput adeunt, in quo vident ex vno illius titulo ad quoddā certum exemplum de ea traditum, quòd ſit verbi gratia à materia craſſa à capite in neruos delapſa, & eos obſtruente, huic inde præſcriptioni adſtricti, vt homines rerum naturæ ignari, nullam aliam debilitatis cauſam neruis incidere poſſe intelligant. qui tamen omnibus noxijs pateant, quibus aliæ corporis partes obiectæ ſunt, cum pariter in nomen οἴδημα incidunt, idque tumoribus pedū conuenire, qui dolore vacui ſunt, & foueas impreſſas retinent, intelligunt, tum eos tumores καχεξίας ſigna eſſe; hanc ſententiam audacter de omnibus æquè proferunt. Quod de hoc morbo factum omnino eſt, & audacter ſic conſtitutum, ac ſi fieri nequeat, vt nerui intemperiei obnoxij ſint, ac ſi ſpatium xij. annorum ſatis nō fuerit humidæ intemperiei inducendæ, cum viſcera, alimentumque, & omnis vita generi humidiori valde idonea extiterint. Quaſi vero craſſus humor tot annorum ſpatio opus habuerit, vt neque adhuc ſatis illud fuerit ad obſtruendum, cum pedes, ſi retrorſum reducantur, vt digitis inſiſtant, ſtatim inſiſtendo vehementer tremant, & cubando æger poſſit extremos pedes huc illuc conuertere. At qui nerui minus denſi ſunt quàm oſſa, & cum ſunt à materia craſſa obſtructi, adhuc ſpiritui, aut radio facultatis tranſeunti patent, ſcilicet hæc cauſa eſt, quòd crebrò caſus huiuſmodi videamus: quin verò contra ſubitò penitus factas paralyſes quotidie ad curandum ſuſcipere cogamur. Neque intelligunt, quę natura oſſium, aut neruorum ſit: natura enim oſſium duritate eſt prædita, magnis tamen, & cuiuſque ordinis meatibus referta, de qua cauſa non ſolum θραυστά ſint, ſed ἄθραυστα; & aciem ferri perfacilè accipiant, atque cum elixantur, humoris, quem meatibus ſuis cōtinent, longè plus, atque facilius emittunt, quàm nerui faciant: hi enim contra neque θραυστοί, neque minus ἄθραυστοι, ſed σχιστοὶ tantummodo ſunt, neque facilè ferri aciem admittunt. Ex quo tam paucos viderit quiſque Medicus ex Paralyticis vel repen-

tè quidē factis leuari, vt sub Apoplexia, si aut brachium, aut lingua, vt ferè fit, resoluta fuerit. Quàm citò verò λύσις totius corporis semper fit, quæ vix vnquàm quinque dies spacij expectat, vt consumetur, fere autem subita est? Quę autem causa fuit, vt huic λύσει faciendæ, quæ totius corporis est, spatij satis xij. anni non præstiterint? Quos vnquam videre contigit, qui materia crassa è cerebro delapsa fuerint totis artubus resoluti, quorum cerebrum sua officia integra retinuerit? quin fatui, & sine memoria extiterint. Cerebrum suo vitio totum hominem male habeat, cum ipsum in vitio non est? noster æger vitio cerebri toto corpore vsq. à ceruice sit resolutus, qui cerebri officia tam prælare exerceat, vt multos sui ordinis homines antecellat. Tam humido corporis habitui, qui humidioris neruorum generis esse indicium esse pōt, isti opponunt quendam vulgaris consuetudinis cursum materiæ in colli musculos ob externas causas factum, illumque ad hinc annos circiter 29. bello scilicet ad Illiberim, seu Granatensi feruente, à quo materiæ cursu perfacile finito ipse diuturnum tempus sine vlla neruorum debilitate mansit, quæ post multos annos vix incipere paulatimque, & obscurè admodum enasci obseruata est.

Itanè verò malum, quod neque cum esset, neque cum proximè, neque cum multo post abesset, id mali afferre potuisset, idem tandem post xxviiij. annos elapsos, cum discessit, & nullum est, tantum polleat? profecto si eius solutio materiam in omne corpus demittendo morbum hunc effecisset, vel vna die morbus non dilatus fuisset. vbi.n. materia interim tot nēpè annos latuisset in corpore, quin suæ molis, & intemperiei notas præbuisset? Hanc certè crassam materiam obstruentem comminisci; quæ tamen à cæli minima, & obscura varietate vel eadem hora nulla maiori tempestatis facta mutatione identidem leuetur, & ingrauescat, amentia est vt contra videtur rationi congruentissimum existimare ex eo, quod, cū paullo, & obscure aridius cælum fieret, nerui protinus, & in puncto temporis robusti euaderent, id debilitatis ab humido genere esse, eget enim multos menses antea identidem è maxima debilitate in subitum robur transibat, atque cum neque erectè sedere posset, mox subitò è sella per se surgebat, ambulabat, & scalas ascendebat, qui proximè ne insistere quidem poterat, etiamsi sustineretur. Verum lingua capiti proxima interdum hebes est, ergo materia crassa à capite detrusa id fit. Vllus verò existimet fieri posse, vt ea materia crassa in tenuissimis linguæ neruis considens, & denso eorum corpori infixatam facilè se ipsa nullo auxilio discutiatur? neque eius obstructio dialectum penitus auferat? Potius ab humido genere id vitij fit, quod per tunicam à vētriculo cum lingua cōmunicatam suggeritur, & tanquam ab alieni vitij exuperātia veniens eiusdem superantia considente facile finitur. Cursus porrò ille humoris in mandibulas perquam rarissimè incidit, neque non familiaris illis sanis hominibus, qui non vitant nocturnum cælum, aut vespertinum frigus, vt is nunquam vitat vllum, qui quibusque diebus vesperi, ac noctu præcipue hyemis tempore curtum circum it, neque enim conclusa Rheda talo resistit, neque adeò conclusa esse consueuit, vt aspirātem aera defendat, præsertim, qđ eunti currui obuius in illū maiori impetu incitatur. Quod autem longa sessio potuerit neruos crurum constringere, si duram sessionem sella prębetet, si nerui nulla carne non essent suffulti, non negarim, sed ipse carnosus semper fuit sub hoc malo etiam antequam id inchoatum esset, & molliter sedit. Potius ea ignauia potuit diu sedente corpus hebetare, & neruos, ac chordas humidiori alimento nutrire, quæ partes melius omnino per motum aluntur.

Atqui, si nerui tota sua longitudine referti eo alimento essent ipsi fidium instar breuiores essent facti distentione, neque male haberentur. Hic verò interest multum intelligas, quid intemperies inæqualis cum materia, quidve æqualis sine ea, quæ ab habitu fit distincta, possit. In hac enim solidæ partes, & fibræ ipsæ, quibus corpora intexta sunt, laxantur, in illa, quæ inæquabilis est, quæque materia sustinetur fibrarum tantummodo spatia, & mea-

A tus inuisibiles complentur, Vnde fibræ solidæ necessario fiant breuiores, quoniam à materia in latus deductæ distinentur, & quantum à rectō ductu deflexæ sunt, tanto breuiores redduntur ipsæ, & nerui, qui illis continētur. Verum hoc habitu tam humido in neruis, chordis, & ligamentis hominis vita totos xij. annos sustineri non potuisset, quod suum temperamentum transgressæ partes essent. Non tamen id fuit necesse, quoniam in primis ea intemperies ipsas partes, quibus vita continetur, non tam malè habet, quàm neruos potest, neque humidum, tam vitæ, quàm neruis aduersarium est, de qua re fidem faciūt nuper nati, qui tenent vitæ vsum prȩstantissimum, neruorum autem nullum in cruribus præsertim. Minus verò ipse ab hinc xij. annos in hoc statu fuit, in quem latenter B admodum, & paulatim horum xij. annorum cursu deuenit, quo quidem iam non esset ad totidem annos cum vita peruenturus. Sanitatis porrò, & ægritudinis cuiusque certam latitudinem esse, & intemperiem non continuo vitæ finibus excedere non latet Medicum intelligentem. Tanto vero facilius cum hoc humido genere is in vita potest contineri, quod cum eo frigoris notæ non sunt admodum insignes, minus eius generis frigidi, quod præter naturam, & morbosum est, quoniam non nisi quantum naturæ corporis tepidioris ætas, attulit, refrixit, quod bonus color, & carnosum genus demonstrāt, molle hoc quidem sed mollitie bonæ carnis, bene sanæ, & delicatæ, nō œdematosæ, nisi ea parte; qua dictum est, cuius corporis bonam nutritionem pinguedo abdominis sequatur tāquam bonæ nutritionis omno comes. Nasci modo pinguedinē ex malo sanguine absurdissime dictum est, qui vel fit, vt C in refrigerato corpore, pituitosus, res est cum à natura aliena, tum insolentissima Medicorum auribus, & nunquam audita apud Aristotelem, aut Galenum, aut eos magnos Physicos, qui ab ijs auctoribus sunt, aut vnquàm fuerunt. Neque vllus est tam parum intelligens, qui non videat à pituitoso genere aliud quidque nasci posse sub frigore, quàm, quod pituitam etiam deteriorem referat, & ignem extinguat. Vt contra è nulla alia materia pinguedinem posse existere, q̄ est, quæ ἄριστον in sanguine, qđ bonam sanguinis concoctionem sequitur, quod oleosum, aut aereum est, temperieique calidioris, vnde πιότης coit protinus, cum è venis expressum, aut è nutritione reiectū, vt superuacuum in partes frigidiores incidit, illisque adhęrescit, cuius naturæ indicium est, quod ignem nutrit, & inflammatur. Sed extrema crura extumescunt tumore Oe- D dematoso, quod & crudioris sanguinis, & καχεξίας signū est. Profecto aliter fieri non potest, quin in humidiori sanguine aliquid finibus illius excedat, & ad aquosam naturā vergat, quod à partibus detrusum ad pedes delabatur, vt surgente ægroto è cubili cernere est, cui crura demissa statim maiorem ruborem, & tumorem recipiant, qui rubor paulo post purpureus sub frigore euadit, quemadmodum fere quibusq; etiam beneualentibus fieri in pedibus consueuit, qui tumor, cum hic infra medias tātum tibias fiat, videtur eius humoris nil amplius supra retineri. Malè autem fuisse illum tumorem non absoluto Oedematis nomine appellatum, sed de eo illa verba prolata, quod crura fere Oedema maximum præseferunt, & quod illa alimentū tam malum non habent, quàm in Oedemate esse cōsueuit, nullus admirabitur, qui rerum naturas attēdit, & tantū E nominum illis tribuit, quantum merentur, sciens, quod Oedematis nomen non nisi ἀναλογῶς per participationem huic rubro tumori tam subito prodeunti conuenit, quodque non Oedema, sed tumor Oedematosus est appellandus. Admirari quidem intelligentes homines debent, quod, qui profitetur se curationem ex ratione velle instituere, is non naturam, sed nomen, vt Empirici faciunt, attendat, & nomen etiam malè accipiat. Mitto, quod id nomen, quamuis benè acceptum sit, non solum apud Hippocratem est significationis infinitæ, sed apud Galenum quoque ancipitis, apud quem non solum aquosos, sed flatuosos quoque tumores comprehēdat. In curatione quoque illæ res notandæ sunt, in primis, quod ægrotus à missione sanguinis in deliquium animi non cadit, vt malè acce-

ptum

ptum est, sed post aliquas tantum horas ei quidam animi languor, & lentitudo, ac mæror succedit, qui per tres, aut quatuor dies maneat. Deinde quod indicans missionis sanguinis esse morbum à sanguine non tuto pronuntiatur, si indicans adesse debet, & nos mittendo sanguine sæpe morbos nondum factos anteuertimus, neque raro sanguinem emittimus, quo locum maioribus curationibus, & medicinis faciamus. Postea quod à recta purgandi ratione valde alienum est purgatione à pilulis de Rheo ordiri, quæ præscripti à Mesue intelliguntur, cum illa sit à laxantibus, & ijs, quæ corpus vnà, & humores parent ordienda. Vsum præterea salsæ parliæ cum ligno Indico compositę vituperare ob illam suspicionem quam ea habet sui, cum simplex datur, est non intellexisse compositionis vim, minus causas, quę mouent Medicos intelligentes ad medicamenta componenda, vt in exemplo Triapharmaci solent indicari, in quo vulnetibus aptissimū est acetum, & oleum vtraque res vulneribus maximè aduersaria. Demum illa vituperatio magni remedij in magno morbo, vt absona est, sic elatio quædam est hominis eam ab ἀρεσκίᾳ non à recto curandi consilio petentis, siquidem non solum magnum remedium magno morbo necessarium habetur, sed extremum cum morbus extremus fuerit, quod, vt necessarium est, sic certa moderatione in adijciendo eo adhibita, est etiam tutum. Commune porrò, & indefinitum nimis illud enunciatum est, naturam extremas mutationes non pati, quod in locis proprijs à Medicis vel mediocribus facile ad vtilitatem contrahi, & definiri consueuit, vbi tenuissimus victus instituì debet, & aliæ partes curationum pariter ad extremum sunt reducendæ. Chinam verò etiā non bene cum ligno Indico misceri, ac per se datam nimium sudoris mouere pronūciat auctoritate propria, permittat quęso alijs etiam suam, neque de viribus elixationis ad eliciendos succos, aut concoctionis succorum ad perficiendam eorum mixtionem tantum detrahat, neq; dicat, quòd China mouet nimium sudorem, quæ sæpe moueat etiam nullum. Huius tandem corporis naturam vinum exhorrescere eo indicio, quòd ei in faciem ruborem vnà cum calore submittit nulla alia molestia illata, aptè satis dictum non est, ineptè vero etiam existimatum, cum vini suspicio asseritur eo argumento, quòd vina Hispana potentia sunt, quæ profectò ipse nunquam in vsu habuit, habuit quidem longè imbecilliora, vt quę in Germania fieri consueuere. Quod ad extremum vina meditata damnanda sint, eo quòd ipse suspecta habeat, id ille sua auctoritate contra omnis antiquitatis commendationem persuadeat, cui potest.

Christophorus Guarinonius Fontanus.

De nimio hæmorrhoidum fluxu pro Illustriss. Domino Rosburm.

CONSVLTATIO VIII.

EX interuallis per aliquot dies extillat postquamq; alui egestionem sanguis euena prope extremas imi intestini oras, quod per vigintos circiter dies fit, cessat postea, & interualla habet saltem spatij vnius mensis. Ex quo vero fluxu sentit se nimium debilitari, & ait in malū corporis colorem sub eo semper trahi. Medici inspiciunt, dum ipse conatur intestinū exprimere, in eo extremo quatuor capitula, quæ non sunt rubra, nisi postquàm aliquamdiu intestinum fuerit expressum, quo conatu illa capitula e flacidis tumentia, e decoloribus rubra cum eo omni intestino fiunt, & sanguinem referunt, & vna exilit sanguis procul excussus tamquam linum tenuissimum, qui, cū primū in solo cernitur, ater, cōtinuo vero pulcher videtur, isq; quinta vena inter sinus intestini latente, Hic ego quædam agnosco, primum, quòd non est, cur ambigamus Medici, sit ne fluxus is hepaticus, an hemorrhoidum, cum cernatur sanguis integer continuo e vena exire, cuius osculo excedens procul, & lōgius iaciatur, nequaquam vero per ca-

A uum intestinorum delabatur, non tamquam carnium lotura, nō fædi coloris, vt propter aut malum genus, aut spatium, quo extra venas versetur, esset necesse, præsertim in intestinis inferioribus loco frigidiori. Nouimus nos sæpe sanguinem multa in copia in ventriculum, & in intestina effusum, vidimus vomitu vna, & aluo egestum concretū, nigrūque adeo, vt florem dictum cassiæ siliquę esse dixisses, saltem maxima sui parte, quòd e vena elapsus nō continuo in conspectum excerneretur, sed aliquamdiu in intestinis versaretur, picem liquidam non referebat, quoniā alibilis generis esset, non per exustionem e genere alibili eiectus, in quo manens poterat concrescere. Nimius is effluxus est, ideo certè reprimi debet, ita tamen, ne omnino penitus, & ex toto sistatur, quoniam eiusmodi suppressio multa mala minaretur, vel phtisin ipsam, siquidē pulmones sua laxitate facillimè confluxus omnes excipiunt, &

B cor apertam, breuemque viam in illos habet ad se se exonerandum vena caua facile in ipsum, dum dilatatur, suum onus deponente, sic & sanguinis sputum, & ab hoc puris sputum, & phtisis existit, vt pulmonum inflammationes, hydropes, & alia multa quoque à suppressis hæmorrhoidibus impendent. Propterea aliud quoque hic agnosco, ꝙ vena vna tantummodo sanguinem emittente, si hanc ligemus, aut exuramus, suppressio eiusmodi fiet, quæ tot malorum metum facere dicta est, Nequaquam enim Actius audiendus est, vt neque ab vllo antiquiorum auscultatur, qui suppressionem penitus faciēdam sentit & in eo Aphorismo Hipp: sexti libri, quo monet, quòd nisi μία διαφυλαχθῇ vna seruetur, mala dicta sunt expectanda, is delet verbum (vna,) & interpretatur verbum (seruetur) victus

C scilicet ratio, non autem vena. Et profectò, si ipse sanguinis effluxus seruata victus ratione nullam causam, nisi in venarum laxitate haberet, effluxus ne interualla quidem cessationum admitteret, quoniam congestio vlla non esset expectanda, minus laxitas, & intemperies hanc intermissionem haberet. Relinquitur igitur, vt, cum effluuium hoc non debeat ex toto impediri, nos eam venam, quæ ipsum edit, nec ligare, nec exurere possimus, debeamus vero tantum eius laxitatem tollere, & sanguinem temperare. Hæc etenim duo ad nimiam hanc effusionem faciendam conueniunt, vt demonstrat cessatio, & ipse nimius sanguinis effluxus, is enim maxime venarum laxitatem, cessatio expectationem congestionis mali sanguinis sui causam habet, congestio si quidem spatium vult, quo ipsa ad mouendum profluuium habet sui expectationem. Posset nimij

D profluuij culpa reijci in noxij sanguinis cū bono permixtionem, quòd bonus quoque sit inquinatus, quamquàm exiguo infecto, ipse tamen tamquam noxij eijceretur. At non adeo venas irritaret, vt hæ tantam inanitionem quærerent. Potius ergo venæ inaniri ob osculorum laxitatem coguntur, vt etiam bono sanguine priuentur. Genus ergo sanguinis, & venarum laxitas tamquam duæ huius casus causæ sunt attendendæ, quo cognitæ idoneis auxilijs remoueri possint. Genus sanguinis ab ineunte ætate semper huic corpori infestum fuit, Ex ipso enim viro Illustrissimo cognoscimus ipsum omni ætate scabiei obnoxiū fuisse, qua scabie per vsum potionum Guaiaci identidem liberabatur, quas adeo repeteret, vt illas tādē sibi quotidianas effecerit, verūtamen nunquam à scabie tutum fuisse, nisi

E postq̄ florente ætate is fluxus sanguinis accessit. Vsu vero Guaiaci id proprie euenisse, quòd scabies ante humidior, & purulenta in squallidam degenerauit, nec mirum, quoniam vsus extenuantium diuturnus, vt considerat Galenus libro de boni, & mali succi cibis, venas tandem exsiccat, quæ propterea etiam sanguinem demum crassiorem gignunt, adeo vt extenuantia possint incrassare. Non fuerit tanti is Guaiaci vsus, exsiccasse tamen, & generis acrioris sanguinis in causa fuisse è genere scabiei intelligitur. Cuius modo generis is sanguis sit, ipsemet specie sua declarat, quoniam, quamuis, cum primū erumpit, nigri coloris videatur in solo, in vase tamen subinde exceptus continuo florens, & phœnicei coloris cernitur, ac tenuis, quamquam sine sero. At etiam fuerit suspicio cuidam vestrum, quòd eiusmodi sanguis ex arteria prorūpat.

pat. Cui Doctori ego tollerem hanc opinionem monendo, quòd is effluxus non fit per saltus, quod esset necesse, si erumperet ex arteria propter huius dilatationem, & constrictionem continenter factas.

Neque vero necesse est, vt sanguis è vena elapsus euidenti semper cum sero sit, minus nouum est, si cum sero sit ille, qui excidit ex arteria, Cum sanguis arteriæ quoque serum habeat, quo possit per solidas partes alendas commeare, cui sero emittendo arteria quoque vasa habeat emulgentia. Eiusmodi opinionis alium errorem ego prætereire non possum, Illius enim opinionis Medici, cum vident vrinas speciosas in malis febribus, statim eò recurrunt, vt dicant putridinem earum febrium intra arterias esse, ideo eius indicia in vrinis non apparere, nec vident, quàm sæpè accidit in eiusmodi febribus, vt materia in aliquod viscus, aut in caput confluat, ibique includatur, nouumq; morbum faciat dictũ a Galeno superuenientẽ. Minus in memoria habent, quòd febres pleræque symptomaticæ sunt, de quibus omnes, quæ pulmonum erysipelata sequuntur, malignæ sunt, in quibus vrinę minus habent signum putredinis. Sed is Doctor excusat se, quòd suspicio sua non leuem occasionem habuerit, nimirum, quòd is effluxus sanguinis maximè hominem debilitet.

Ego vero dicam virum Illustrissimum non magis debilitari hoc profluuio, quam vllo alio suo cuiuscunque generis fluxu, cum ipse ab eo non impediatur, quin sua munia obeat, & suam debilitatem in motionibus, cogitationibus, & memoria potius, quã in viribus cordis percipiat ea causa, quòd cerebrum, & ventriculus ei per consortiũ coniũctissimus vtræque frigidæ partes valdè refrigeratæ intelliguntur, vnde, vt, inauditum est, epileptico casu, aut certè vertigine grauiori tentatus non semel fuit.

Verum cur caret sero is sanguis? Quoniam venæ per quas fertur, sero non egent, quo eget sanguis cauæ venæ vt fluidus vna cum spiritu possit in omnia solida percurrere. In solidis quidem partibus serum non habet sanguis, quoniam serum suo officio iam perfunctum in venas rursus reijcitur, nisi ea parte, quæ interdum in sudorẽ erumpit, Cucurbitulæ aliquando attrahunt sanguinem cũ sero, quando vel nimium serum abundat, vel ipsæ longius e venis valenter attrahunt, Tenuis ergo is sanguis, & phœniceus, nempe clarioris, & nitidioris ruboris, qualis est rubor in arcu cælesti, ad biliosum genus erit referendus, Cuius biliosi sanguinis etiam illa nota concomitans est, quòd homo sub hoc effluxu luteum colorẽ recipit, si modo id verè dicatur, nam alioquin, cum corpora sanguine priuantur, solent ochreum quendam colorem præseferre, quòd ea naturę cutis, & pinguedinis subiectæ existãt. Vt verè autem id dicatur, is color mihi signũ est sanguinis pariter biliosi vna cũ alimento attracti, & ex alimento tamquã coctioni ineptioris reiecti, quoniam eodem tempore natura ad biliosum sanguinem eijciendum prouocata, eũ quoquo versus extrudat, nedum ad venas hęmorrhoidales illum e liene excipientes, ad quas tamen magis conuertitur, quoniã in eis magnus cumulus eius sanguinis cõgestus est, & motu citatiori expellitur; quo expulsio, quæ ad cutim fit, non tam cita apparet, eoque serius, quoniam via longior est, & per operas nutritionis eo traducitur, a qua nutritione demum excidit, cum in alimentum mutari non possit, & tãquam alienus. Exit igitur per inferna, quidquid melancholici sanguinis est, quòd ibi officinæ suæ lacunã habet, vna tamen cumillioso, sed postea biliosus agnoscitur, ad eum modum, quo vidi sæpissimè aluum solutam propter cruditatem, ad cuius incitationem subinde excretio longa multæ bilis sequeretur, vidi pariter vomitus, quos pituita mouisset, bilem consequutam multam. Scilicet quoniam natura onerata eò onus deponit, vbi motio concitatur.

Onere ergo hoc sanguinis, & genere molesto prius natura earum venarum excitata, quod in se oneris est, deponit, deinde eo reliquum onus, & molestia etiam totius corporis conijcitur. Sed neque est alienum cogitare, quòd cum lien crasso, & melancholico sanguine alatur, hoc non ita multum abundante huic corpori lien cogitur sanguinis plus allicere, vt ex eo satis secernat idonei alimenti, ex quo

A selecto necesse est multum superesse sanguinis tenuioris, quod tamquam alienum in venas proximas continenter reijciat, Ibique id tanto spatio ad eum congeriei cumulũ perueniat, quo natura excitetur ad expulsionem. Dicit Doctor, sed vir Illustrissimus est tristis, & melancholicus. Dicam ego pariter, quòd est supra modum iracundus, quodque tristitia, & mæror grauissimas, & plurimas habet causas, ira contra nullas, nisi communiter cuique homini incidentes, vbi liene biliosum sanguinem respuente, si incidat leuis commotio eiusmodi, ille in ventriculum excidit, & ingentem iram concitat. At resistat Medicus, lienis nutritio quotidie fit, quotidie tamen hæmorrhoides nõ exercentur. Responsum est facile, hæc obiectio omnibus fluxionibus per interualla factis habenda est, imò omnibus, nam etiam nunc primum fluxione incipiente cur hæc in

B hoc tempus dilata fuit, quo sic vniuersim fieret, nec potius quotidie, vt superat e nutritione, materia eijciebatur? Natura nõ mouetur, nisi cumulo iusto facto molestæ rei. Minus ergo necessariam existimo hanc respõsionem, presertim, quòd hæc à scholis, vbi tritissima est, debet reuocari. Sicuti, cum obijcit Doctor, quod per eandem viam reijceretur sanguis a liene, per quam illum attrahit si in vniuersum corpus reijceret, quoniam habet à scholis, quæ in diuersis temporum punctis per eandem viam hoc fieri est perfacile, imò ijsdem quoque punctis fieri quidam subtiliores, & admiranda quæritantes contendunt. Galenus quidem quatuor tempora distribuit his nutritionis operibus. Totius ergo corporis vis adhunc motum inferiorum venarum conuertitur, & eo se se exonerat, & cum malo sanguine bonus ei commixtus extruditur tamquã respuen-

C dus, exiguum namque amari cum multo dulci permixtum dulce quoque reddit aspernandum, & cum hoc incitatio expellendi, cum inceperit, non tam facile sistitur, minusq; cum consuetudinem adepta est, & osculorũ venarũ laxitatem. Non exit tamen sanguis, nisi cum aluus deprimitur, quoniam pars illa intestini, in quã lunæ eiusmodi pertinent, alijs temporibus constricta manet, neque venas laxari permittit, Vbi contra, cum ea pars extruditur, cum laxari venas, tum sanguinem extrudi cogit,

Sed hoc iam ad venarum attinet vitiũ, quod fortè calidi, certè humidi generis est, flacida quidem illa capitula nõ nisi ob humidam intemperiem sunt talia, cum quibus conspirent venæ coniunctæ, & illa præcipuè, quæ sanguinem eijcit, quæ ob humidum genus non ita cito queat os

D suum colligere ad sanguinem retinendum, quin impulsui excretionis aperiatur facillimè. Flacida illa capitula negotium non facescunt, propterea tantum dicam, quòd, si quis eorũ curam exoptet, legere potest de ficubus in anomatis qui si filo sericeo ligentur, non multo spatio decidunt, exsiccantur etiam, si aliquo puluere attingas earum virium, hanc tamen ego molestiam ei non mouerem, nisi ob maiorem molestiam remouendam, quæ profecto nulla existit, Ad osculum venæ laxius ego potius consilium conuerterem, & sanguine curato id osculum ad naturalẽ temperiem reuocarem, neque omnino occluderem, ne interdum sanguinis inutilis cumulum retineret, itaque nunquam ligarem, etiam si ministrum sortiret, qui vsum huius rei haberet, sine quo vsu profecto nunquam esset cura vlli committenda. De exustione minus loqueter, ne vena exesa in motũ identidẽ egerẽtis intestini incidens nõ cohalescẽdo peiorẽ casum redderet. Hanc laxitatem tantum fir-

E matem per exsiccationem, vel candenti quidem ferramẽto venam afficiendo, non contangendo, ne vlcus faceret, sed vel suspensa manu ferramentum ei propinquum tenẽdo, vel per arundinem in anum, tanquam clystere iniectã idem submittendo, quo non cõtinenter intus haberetur, sed identidem insereretur, ne exureret, sed solo calore afficeret, quam rem in libro de hæmorrhoidibus Hippoc. adscripto habemus; vbi etiam flos æris ex vrina subinde apponitur, puluis quoque ex mirrha trita, & leuigata, tũ galla, & alumen ægyptium vstum parte vna, ac dimidia ad omnia reliqua, & melanteria eiusdẽ ponderis. In eo quoque libro habetur, quòd dimidia chalcitidis vstæ pars idẽ efficit, vt hæmorrhoides tamquam corium combustum

dece-

decedant, succus præterea ficuum laudatur, quam ficum scimus maturam quidem inflammationem aperire, sin minus exsiccare, sic dolentibus quoque hæmorrhoidibus bene facere. Nos fumum suggerere possumus ex rebus saltem exsiccantibus, vt sulfure, aceto, gallis, alumine, sumach, malicorio, balaustijs, hypocistide, macere, thure, gũmi iuniperi, sarcocolla, borace, & alijs salium generibus, ex chalcitide, mirto, rosis, glãdium calicibus, summitatibus rubi, Verbasco refluxibus sanguinis modis omnibus accommodatissima, vt ex alijs herbis etiam decoctis, ex quarum iure fumus accipiatur, cui quidam etiam colocyntida adiungunt. Ex radicibus quoque bardanæ, &, vt quidam probant, capparorum, capparibus ipsis, nucibus cupressi in vino, vel potius aceto coctis. In quo liquore insessiones quoque fiant. Fumo itidem sicco idoneæ sunt cortices castanearum, cortices cucurbitę, & soleæ veteres, quæ super carbones, vel super ferrum candens inspergantur. Per tubulum fumus vi maiori anum petet, qui potest parari ex materia, hoc est, ligno, potest metallo aliquo non admodum latus, labijs tamen superioribus sparsis, explanatisq;, quo ei queat insidere, fistula præterea aptari ei tubulo potest, quæ fumum receptum in anum inferat. Dicti pulueres & inspergi in venæ osculum, & per glandem, seu suppositorium ingeri possunt, atque præter hos cerussa, acacia, plumbum vstum, colophonia, sepiæ testa, plumbago parte tertia, bitumen, alumen, flos æris modica parte, & itidem ærugo modica, galla hypocistis cocto melle excepta. Ossa quoque mirobalanorum indorum combusta pondo ℥.5. scoria ferri præparata p.ʒ.ij. lapis hæmatitis p.ʒ.1 5. gipsum. p.ʒ.ij. bene trita, & succo plantaginis, aut millefolij excepta, & illita. Succus item extremitatum rubi. p. ℥.2. albumina ouorum num. 2. pulnis gypsi p.ʒ.3. quæ trita in mortario plumbeo leuigentur, diuque ducantur. Emplastra in super dorsi applicari possunt ex eius generis rebus, & vnguentum Comitissa Varigna præscriptum, Ano itidem ex herba crassula, semperuiuo, cicuta, quidam apponunt etiam emplastrum ex folijs rosimarini, quidam puluerem anethi cum semine vrticæ exceptũ, Alij emplastrum ex symphyto, ex chelidonia minori, atque ex scrofularia, Alij ex meliloto, antimonium alij cum succo verbasci. Nonnulli puluerem scarabeorum combustorum ante in oleo extinctorũ, quã comburantur, venæ prius eodem oleo inunctæ inspergunt. Aliqui commendant puluerem radicis filipendulæ, quem inspergunt post inunctionem ex colliquatione carnium anguillæ excepto capite, & cauda, quæ in sartagine diu ad ignem, & compressione assidua contabuerint. Non est inusitatum auxilium ex bolo armeno, terra sigillata aceto dissolutis, Nouum illud videatur cataplasma, quod fit ex labro veneris, seu διψάκου ad ignem in pultem redacto, laudatur puluis carbonum quercus cum sumach. Assa quoque cocta cum cortice granatorum in aceto, & aloes cum vino dulci.

Intus dari poterit succus plantaginis vsu commendatissimus, succus mille folij. Cinis putaminum ouorum ex vino albo. Illudque quod ex lapide iudaico super cotem ducto, fricatoque resoluitur, nempe per potionem datum. Elect. de Chalibe tritum remedium est, triphera quoque Phenonis minor, & michleta opio adiecto cum sanguine draconis. Pilulæ de bdelio, trochisci de spodio, de carabe Mesuei, aut Rasis cum sanguine draconis, trochisci de semine acetosæ dati cum succo aliquo adstringente. Interea non præteritis auersionibus sanguinis per ea, quæ brachijs adhibentur, & per cucurbitulas præcordijs affixas, non prætermissis amuletis, vt lapide Topatio manu comprehendendo.

Quæ vero tutius, & certiori auxilio agentur, si totius corporis, & sanguinis procuratio præcesserit, quæ profecto bis in anno erit instituenda. Missione quidem illius, nisi per fluxum fuerit admodum diminutus, aut, nisi auersionis necessitas sub nimio fluxu extiterit, qua occasione paulatim, & multoties secanda vena erit in brachio, vel manu extrema, quo tempore certe purgatio corporis non erit opportuna, sed erit omnino expectandum, donec sanguis sistatur, ne paratibus ad purgationem humores pro-

A fluuium magis concitetur. Quæ porro parantia, quamquã sub cessatione adhibita, sic erunt modificanda, vt vasa cõfirment, imo aluum lenientia quoque sic aptanda. Verbi gratia cum flore cassiæ pulpam tamarindorũ componendo, Rabarbarum, Coriandra, & zedoariæ aliquid, aut etiam Nasturtij, quod opportunum sistendo sanguini cõperitur. Ego Rhabarbarum initijs purgationum alienum multis suis partibus credo, propter tamen prædictam necessitatem idoneum existimarem. In parandis humoribus ego præter cicoracea omnia maxime barbam hircinam haberem, & Nympheam, pimpinellam, Acetosam, cum suis seminibus, cum suis plantaginem, & item portulacam cum suis. Purgationem vero facerem cum maceratione Rabarbari & senæ cum suis foliculis, cum triphera persica p.℥. 1. Michleta. p.ʒ.2.s. darem q; ex iure tamarindorũ,

B Mirob. citrinorum, & indorum, coriandrorum torrefactorum, zedoariæ, Nucis moscatæ, Nasturtij, & eiusmodi rerum. Sint ne modo supponendæ purgationi potiones Guaiaci an non, ego eas facile non permitterem, etiam si alios viderim per eas conualuisse, forsan illi lue venerea infecti erant, sit uero forsan is sub ea suspicione, profecto nõ facile permitterem, & alia omnia prius tentarem. Ac cum dare cogerer Guaiacum semper p.℥. x. cum Mirobalanis citrinis p.ʒ.6. componerem. Sed credo quod alijs remedijs facilius, ac tutius conualescet. Si vero suspicio illa augeatur, & per ea remedia profluuium moderetur ego ad Guaiacum facile deuenirem, paratum, vt dixi, & cicoreum in fine coctionis filo suspensum adderem potius, quam sandala.

C Is purgatione in suprascriptum modum accepta, fumoque in sedem excitato nunquam amplius sanguinem eiecit. Guaiacum, itaque datum est, cum Myrobolanis, Sandalis, & Cicoreæ radicibus. Postremis vero diebus Myrobolani, & Sandali reiecti sunt, minus sanguis extitit.

Quia vero Scotomia quadam cum distẽtione arteriarum temporum, & dolore capitis tentari solebat, cum tensionis sensu Hypochondriorum, & ad iugulum, ac ceruicem pertinente. Sub vsu tamen Guaiaci id Symptoma primum crebrius, leuiusque, deinde post longam intermissionem graue fuit, vt cõsueuerat, stomachum tamen non amplexum est.

D

De tumore recentis partus ad spinam extante, & nato vna cum eo, pro filiola Excellentissimi Domini Americi.

CONSVLTATIO IX.

INfantula vix decem iam dies nata, habet tumorem ad imam lumborum spinam, quem ab vtero gestauit, qui valde crescit, adeo vt his x. diebus duplo maior sit factus; à principio gerebat foramen summa sui facie, id nunc carnoso quodam corpore oppletum, obseratumque est, ex eo foramine exibat sanguis impurus, & vt aiunt mulieres, cum sanie. Ipse tumor rubens non est, minimeq; tensus, aut durus, nam cedit comprimenti, sine dolore etiam est, vt ex quiete infantulæ potest intelligi, rotundus est, pressus statim in suam formam reuertitur. Cutis à radice eius vs-

E que ad quendam locum colorem suum, suumque naturalem habitum tenet, inde ad summum vsque sic est mutata, ut cornu perlucidum videatur, & oculi acies per eã transeat, per quam crassæ quædam lineæ nigræ, tumque venæ latiores transuersum percurrunt, in facie nimirum superiore, in qua media extat caro illa, quæ demũ supercreuerit. Quod in eo continetur certe tenue, & diffluens est, quasi sanies aquosa sit, aut flatus, id quidem cutis corpus non ingreditur, nam illa tumeret se ipsa, & premente digito materia illa exiliret, pressionem subterfugiens in latera, neque ita cito rediret, quoniam inuisibiles cutis meatus non tam facile ei regressum darent ad foueam replẽdam, quæ fouea interea maneret, donec humor permanans per meatus, multoque spatio temporis vsus in eundem locum relabe-

relaberetur. Fouea impressionis non permanet, quin A recedentem digitum cutis compressa sequatur, ac quasi repellat. Sic liber humor est, suo nutu ad cutem permissam attollendam recurrit; Intra cutim ergo est, non in eius corpore. Flatusque certè id indicium est, sine humore tamen esse non videtur, cum exiret humor antequam foramen obstiparetur. Verum posset ne continere spiritum cum sanguine, & tanquam aneurisma esse? minimè verò, quoniam per illud foramen spiritus cũ sanguine egressus fuisset, & tumor micasset ad arteriæ micationem, neque tam elatus in promissum globus fuisset, minus colorem seu habitum cutis mutasset, vidi ego aneurisma in sexagenario sub osse iuguli sinistri maximum, quod cutem extollebat, & pulsabat ad arteriæ motum, vt necesse est, cum ipsamet arteria sit dilatata, neque tumor in globum tam promissum efferebatur, vt B arteria non potest; sed leniter ab imo in gibbum ascẽdebat. Certè cutis ea perluciditas eius tenuitatem ostẽdit, & tenuitatem, quæ non admodum humida sit, flatu ergo potius elata videtur, ac distenta. Materia autem huius flatus sanguinis fex facile fuerit, a qua tanquam minus humida potius flatus, quam vapor effertur. Eius indicium sunt venæ illæ negræ à venis humorem eum inferentibus venientes dilatatæ ad cutis distensionem, vt semper fit. Exprimatur ergo etiã flatus in cauum illud vna cum ichore sanguinis, & fece eius aliqua, dolorem non parit, quoniam id sensim in vtero partibus adhuc mollibus factum est. Molestiam tamen hinc allaturum videtur, quoniam ab ambiẽte cutis obdurescet, ac magis ictus flatuum sentiet, ac ferietur, tum materia putredinem comprehendet, & febrem, & sua acrimo- C nia etiam spinæ molesta poterit neruorum distensionẽ afferre, sic videmus, & quid mali subsit, & quid comminetur, vbi magnitudinem morbi, & celeritatem etiam intelligimus, ac morem malum, quoniam putredo ea potest pessimum genus acquirere, & casus horrendos afferre huic tenerrimæ ætati. Quid agendum sit per vos, res per se admonet, nimirum, quod humor ille fluens inde esset reuocandus, & quantum eius ibi consedit exhauriendum, tumorque amouẽdus. Rationem horum faciendorũ, ea, quæ continentia cum morbo sunt, ostẽdunt, vt ætas, locus affectus, & anni tempus, in quibus ætas maximè resistit operi expetito præsertim ei parti, quæ ad auertendam materiam attinet. Certè verò tamẽ posset filum sericeum circumduci, & paulatim adstringi, donec ingressus in cauitatem obstrictus sit, & cutis D sensum & vitam amittat, quo postea ignis sine molestia ferrumque adhiberi queat. Si cutis minus affecta videretur, posset permitti integra, & traduci toto tumore transuerso ignita acus, & inducto filo sericeo foramina cõseruari, quo materia paulatim exeat, & hoc dico quoniam mulieres primam curationem penitus reformidant, imò video etiam hanc iam exhorrescere. Certè in acu inducenda venæ essent vitandæ, alioquin nihil ab hoc periculi video, prohibemur etiam ab hoc authoritate.

Confugiamus ad ea quæ adhibet Galenus tumoribus pus continentibus, cum illos non vult aperiri, de quibus tenerioris corporis ratione valdè valentia quidem non diligerem, neque tamen leuia nimis, ne spatium malo tantum permittant, vt pericula proposita E inferantur. Sunt verò remedia omnia dicta de genere exsiccantium.

Sequuta est longa & crebra conuulsio, sub qua tamen non penitus sensum amitteret, spuma quidem ex ore in extrema conuulsionis motione eijciebatur, sic puella prohibitis auxilijs extincta est.

De febre puerperæ cum ventris dolore per literas.

CONSVLTATIO X.

Ex literis tuis cognoui non vnum esse incommodum huius puerperæ, in quibus febris fortè nocentior alijs est, etiamsi ab eadem causa fiat, à qua ventris dolores, & capitis tumor. Neque enim potui ex verbis tuis percipere, num febris alia mala consequatur, num verò dolor ventris ad vterum pertineat, an ad intestina, an ad partem aliam. Cõijcio equidem illum in vtero esse, nam subito post partus insolentiorem laborem hisce malis occupata est, quapropter febris vteri malum sequatur, quod non aliud esse queat, quam aut obstructio ob copiam, & crassitudinem mali sanguinis contrahentis se se vtero factam maiorem, qua cùm febris, tùm dolor fiat, sic.n. obstructa materia putrescit, & malum genus acquirit, hærente ergo malorũ causa in vtero & putredinem continente, multa essent dignoscenda, quæ in tuis literis ne odorari quidem potui. Nã puerperia solent maximas febres, & acutissimas afferre, solent ẽt contra leuiores, & pernitiosissimas; nunquam.n. vehementiores febres facilè sanescere, quam in grauidis, & puerperis, nunquam etiam leuiores tam facilè necare vidi. Certe in grauidis, si partus infirmus, aut ægrotus est, morbum matri auget, & in perniciem compellit. Si partus firmus est, suo naturali calore, qui tunc valentissimi generis est, maximè potest mala matris superare illis calorem fouendo, a quo pabulum, non vim accipiat. In puerperis autem purgationibus aperta via vehementissimæ febres facilè calorem naturalem per copiam vitiosam occupant, vnde illæ facilè in tumores œdematosos, quibus facies, & pedes occupentur, incidunt, eosque maximè intumescentes, incidunt in alui inflationes, in hydropas, mitto, quæ eueniant, si secundæ retentæ sint, & putredines omnes inde augeantur.

In hac puerpera quid horum sit, quidq; euenturum dubitem, ego affirmare non possum, cum nulla indicia describantur præter vnam sitim, & capitis illud, quo videatur circumferri, ac spiritus angustia, quæ duo posteriora solent malignis febribus esse familiaria; Secundas exisse vnius tantum infantis mulieres affirmant, sed asserũt etiam geminos in eadem secundarum copula contineri, quod omninò verum non est, cũ vmbilicis diuersis alãtur, qui in diuersas partes tendentes, diuersas quoque secundas sortiuntur, imò ex se producunt, nã præter quandam pelliculam, quæ quasi oui est, omnes mẽbranas oriri ab vmbilici vasis, & hæc à corde conceptus conspicuũ est; quemadmodum inspectione ouorum animaduertitur. Spiritus etiã angustia ab vtero esse potest, vt experiẽtia docti sumus, nã vel fauces ipsas adstringit, si ipse tendatur. Hic verò valde potest tendi, & tumere. Sed quid in re tam incerta, & ambigua faciam, ne frustra nũcius reuertatur? Tutũ porrò omninò fuerit, si in eo maneat Medicus, vti purgationes moueat, aut faciles reddat sine calfactione, & putredini resistat, nimirum, si vires ferũt, vena ad talũ aperta, nisi largius perfluant, atq; ijs exhibitis, quæ sine calore menses mouere, & vrinas cõsueuere, quibus ẽt obstructiones dissoluuntur, & putredo frangitur, ex quib. factæ potiones tutioribus horis dentur tum cibi, tum febris ratione. Quemadmodum ex radice dulci, indice graminis, & asparagorum, ex hipulis, Melissa, betonica, acetosa, cicerbita, cicorea, hordeo, seminibus melonũ, cucurbitæ, cucumeris, & similib. adiecto ẽt pentaphylo, & seminib. citrorũ. Vbi si flatus infestet, ẽt radices petroselini, & cinnamomũ illis adijci poterit, atque anisorũ. Nisi puerperij purgationib. & vtero suspecti essent sunt acidi, illi malignæ putredini defendendæ essent admodum idonei, itaq; potius prætereundi, atq; in eorum locum ea parte, qua siti solet occurrere, deligẽda sunt mucilagines ex seminib. præsertim cytoniorũ, tum q̃ ex violis cõficiuntur, aut seminib. dictis frigidis. Sit iam

auferre solent cōdita ex saccharo illa frigidioris generis vt caules lactucæ, cucurbitæ, radicesque buglossæ. Iuiubæ, nisi recentes sint, parum faciunt, melius faciunt cerasa ex saccharo, vel illa arida ex aqua cocta cū saccharo. Malorum granatorum, & aurantiorū succus, etiam si non sint admodum acida, & nomen habeant dulcium, possunt vtilia esse, quoniam verè dulcia non sunt; proprio quidem generi comparata talia rectè dicuntur, & ad commune genus saporum relata potius ἄποια, seu saporis expertia dicerentur, certè quidem pinguis saporis, & subdulcis melius à physicis dicerentur. Hæc quidem demulcere sitis molestiam possunt, vt pruna pariter, quę, nisi recentia reperiantur, percoqui in aqua poterūt. Vbi, si febris non admodum acris sit, si corpus se se expurgasse etiam satis intelligatur, saltem non ita plenum sit, tūc ad ℈. 1. thoriaca cū matutinis potionibus permixta, multum profutura videatur ad vterum expurgandum, & reliquias malæ putredinis elidendas, infarctusque omnes expediendos. Verum ad singula tuto descendere non possum, cum, quid certi subsit in hoc morbo, percipere non potuerim. Si plenius de eo certior factus fuero, certius etiam consilium excogitare potero. Vale, & me, vt facis ama. Pisauri xj. Cal. Maij M D LXXVIII.

De Capitis dolore.

CONSVLTATIO XI.

SI dolor capitis sine febre est, & ventriculi aliqua noxa se aperuit, in his ego manerem. Primoque repeterem bolum cassiæ cum ℥. ij. specierū hieræ. Deinde potionē infrascriptā sæpe darem. ℞. Myrobalanorū omnium ʒ. 3. rad. dulcis ℥. ʃ. Macis ʒ. ʃ. Passular. ʒ. ʃ. piperis longi, albi, an. ℈. 1. endiuiæ m. 1. & facta decoctioni adde Rhabarb. ℈. 4. & facta infusione per 12. horas postea detur. Post horum aliquem vsum oxirrhodinū erit commodum. Cibum nullum alium darem quam pultem ex pane percocto in iure pulli. Potionem autem ex aqua, cui coriandrum incoctū esset, cum paulo garyophillorū & vino malorum medicorum, medij, vt aiunt, saporis.

De destillatione copiosa ad pectus cum febre continua pro adolescente.

CONSVLTATIO XII.

GRacile est sua natura hoc corpus, & facie coloratiori ab ineunte ætate, nigris pilis, fusco corpore, & eminentibus partibus asperfis secundum cutem, intēperantissimę vixit, laboribus, & cibis, ac potionibus sinė modo, & delectu abusus, itineribus laboriosissimus, & nocturno cœlo frequenter vsus, itaq; vt ipse ait, iam sex mensibus cecidit in hanc destillationem, præcordia tetigi, dextrum, quamq̃ non durum plenius tamen videtur inde aluus semper mollior fuit, aut citatior, quæ incocta quidem, aut cruda non est, neque tamen æquabilis, aut lenis, habet verò etiam aliquem humoris biliosi colorē: Vrinæ bonæ videntur, somnus, & cibi cupiditas modū naturæ seruant, sitis aliquanto excellit. Hic non solum pulmones, sed iecur quoq; videntur male habere, & tussim, ac febrem facere, & aluum etiam in eum modū mutare, potuistis cum Galeno obseruare, quod genæ rubræ solent esse pulmone inflammationē habente, possumus etiam credere, quod à pulmonis calore rubræ fiūt. Corpore ergo adeò tenui, & suo colore nec bonum, nec multum sanguinē præ se ferente rubræ impensius genæ mihi pulmonum calidius genus ostendent, vnde cor quoque acriori calore interea leneri verisimile sit, & homini mō rosos, & iracundos mores præstare, vt is fuit ex ore omnium, qui eius notitiam habuere, aut consuetudine vterentur, horum ventriculi non solent bene cōcoquere, &

A longe minus, si frigidi forte fortuna fuerint, neque enim necessarium puto, ventriculum in eo corpore esse frigidum, in quo cor aut iecur calidius fuerit, neque Galenum huius sententiæ fuisse agnosco, qui concedit viscera sæpè similia esse, atq; ait, si dissimilia fuerint, facere corpora valde valetudinaria, vt cum contigerit iecori calido ventriculus frigidus, certè contigit huic adolescenti non solū sua natura, sed etiā vsu, quoniam sub iracundijs, & malo viuendi genere, cruditates diutius factæ, ventriculū tandem frigidum efficiunt. Huius vero cruditates viscera calidiora nimiū semper auida, etiam nimium attrahūt, & infarciuntur, illisq; male habent, iecur, quod ex colore corporis, & venis magnis, ac pilis calidius deprehēditur, seipsum infarcuit, pulmones recrementis inde abūdant, quæ profecto tanta sunt, vt à capite venire per arteriam asperam non credam, minus à capitis intemperie
B fieri tanta, in quo proprium tantum, non commune alimenti opus non potest tantū recrementorum parere. Sit ergo ventriculi peccato origo prima, & quo materia in iecur, & pulmones attrahatur, à capite etiam ipsi reliqua facta veniat, atq; à toto corpore non pauca, nam rheumaticæ hæ ægritudines solent iudicio ēt Galeni ab imbecillitate facultatis corpus nutrientis venire, ea pōt imbecilla facta esse ex multis causis, ex externo frigore maximè nocturno, cui se obiecerit, ex motionibus à cibo laboriosis cibum extenuantibus, & in oēs venas succum crudiorem fundentibus, à qua cruditate vis ea nutrix nō potest non affici, & tandem eneruari, præsertim frigori succedētibus cuiq; calfactioni, sic in caput quoq; ijsdem motionibus, & iecoris, & cordis calore succi extenuati,
C atq; elati facile ingrediuntur, etsi illud non attrahat vllo suo calore, quo verò calore magis attrahat. Calidū porro esse caput hoc varia adolescentis studia, & promptitudo in omnem motum, & cogitationem ostendit; Omnem verò huiusmodi motionem auget febris suo calore, quo fumi celerrimè in vapores attolluntur, & caput replent. Salsum quidquàm in pituita non sentitur, quoniam non est tantum caloris in cerebro, & quæ in visceribus cōsistit, statim cum bile per aluū demittitur, bilis enim sub quaque febri multum fit, quoniam sanguis concalfactus bilescit; emittitur ēt per vrinas cum eadem bile, atq; ita cū feces alui, tum vrina colore bilioso affectæ sunt. Febrem humor putrescens facit, facile verò collectus tum in pulmonibus, tum in ambitu corporis putrescit, cū sibi vias perflationis impediat, præsertim verò in ambitu, cū ca-
D lores, & frigora vicissim monent. Hactenus morbus, & causæ omnes tum internæ, tum externæ visæ sunt. Quē magnum esse non dubito, cum sui, tum partium affectarum ratione, & quod maximè vitalis facultas, vt nutrix infestetur. Lōgum futurum etiā videmus, quod materia eiusmodi tardæ motionis sit. De more morbi hic nō ero solicitus, futurū exitum minimè bonum expecto, quoniā rheumatici morbi semper sunt difficiles; & huiusmodi morbus in hoc corporis genere mihi videtur admodum periculosus, nam vix vnquam à pulmonibus calefactis „ potest rheuma amoueri, ob eam quæ in pulmonibus la- „ xa natura est, & aperta maximè sordi, à quo accipiant „ recrementa, vt in ipsum à toto corpore suo motu, & ca- „ lore atttrahuntur. Partes morbi, & illius causæ, ac, quæ „ continentia cum eo sunt, etiam à cœlo ipso vobis cura-
E tionis partes, & modum ostendunt. Ventriculum esse exonerandum, & in dies purum seruandum, suoque calori restituendum: venæ omnes, & vna iecur ac totum corpus similiter curanda, pulmonibus, item repurgatis cum toto refrigerium addendum.

Caput etiam exsiccandum, de febre non dico, quoniam causis his tollendis ipsa amouebitur, respiciendū tantum est, ne calidioribus cum corpore agamus. Sicut obstructiones quoque ad materiæ detractionem tolluntur, respiciendæ tantum curando, ne materia ad illas attracta sub purgationibus magis ipsas augeat, præsertim, quæ iecur obsessum tenent.

Medica instrumēta etiam, primo venæ sectio magno morbo debita, cui à sanguine semper timendum est incrementum,

crementum, ipsa est uiribus non prohibentibus danda, Præsertim quod per eam crassior materia melius tutius, ac citius euocatur, quæ materia longitudine febris hic maximam sui partem habet in sanguine torrefacto, dāda etiam sectio venæ est quoniā ab obstructis partibus, nescio qua vi maiore materiam retrahit, neque tamen tam citò, & statim facienda, quin primum è ventriculo materia detracta sit, & potu aliquo etiam sāguis fluidus redditus sine calfactione, postea deinde potiones valentius extenuantes tutius exhibebuntur, incidentesq́;, atque abstergētes omni potione, & esca in eum finem delecta, vt generis subtilis, & modo mediocris, ac sine vino, non tam, quod salefaciat, q̄ quod materias moueat in partes magis obstruendas, habenda autem viscerum ratio postular, vt eorum semper confirmatio respectetur in potionibus parantibus componendis, vt etiam exhalationes in caput prohibeantur. Habeant ergo rosaceū syrupum cum oxymelite, amaror enim rosarum habet abstersionem, habeant incidentia alia, & abstergētia, ac confirmantia, vt asplenium, fumus terræ, pimpinella, quæ incidens, & sistēs, nimium fluida ad tenendū idem propositum maximè profutura est, scilla etiam non erit prætereunda. Parandam materiam identidem, & detrahendam pedetentim arbitror, ratione iam dicta obstructionum, quæ in iecore sunt; illæ enim & prius amouendæ sunt, & vim multam non patiuntur. Ijs maximè faciat rhabarbarum, & iecori robur præstet. Agaricum tamen etiam materia ei mouendæ, & visceribus expediendis aptum cum rhabarbaro erit componendum, vt ad abstergendum ventriculum mel rosaceum solutiuū. Diacatholicon adiecto rhabarbari maiori modo aptissimum erit parte trochiscorum agarici iniuncta. His primis detractionibus aliquoties repetitis, accedendum erit ad valentiora in vires, cœlumque prohibeant, vt pilulæ aggregatiuæ addito agarico, vel parte pilularum cochiarum potionibus præparantibus valentioribus interpositis, vt cum syrupo de radice dulci, & oxymelle, cum hyssopo, betonica, floribus rorismarini, & suprascriptis, melissa, borragine, buglosso coniunctis. Ac ni febris repugnet dandi etiam erunt syrupi compositi, vt de betonica, de stoechade, de fumo terræ, de epithymo, sed ille de cicorea mioli cum rhabarbaro maximè iecur spectaret, essetque cū oxymelite adiuuandus. Purgatis vētribus, venæ quoque ad ambitum corporis pertinentes purgandæ essent potionibus ijs, quæ sudores mouent, & in sudorem exeūtes medica vi solidas corporis partes purgāt, atque in suum pristinum statū reuocant, in quibus multa genera sunt radicum, & chinæ maximè, & salsæparillæ, lignum guaiacum nimis calfacere, & exsiccare multis videtur, alioquin maximè incidit, atque abstergit, & viscera confirmat. Mythridatum in vsu est, ad sudores promouendos idoneum, & magis quam theriaca, quod post corporis perfectam purgationē non esset prætereūdum: Corpori tandem toti temperando, nutritione, & à febris noxa, squalloreque vindicando, ptisana & lac essent danda: alimento enim maximè squalor auferēdus est. Sputum ipsum etiam, propriam requirit animaduersionem, adiuuandum enim est ijs, quæ materiā in pulmonibus collectam abstergant, incidantque, quoniam ea tum crassa, tum glutinosa est, calorem maximè ferēs, viæ quoque lubricæ faciendæ, eam verò materiam, qua ori laryngis irritando præsto est, dum à capite delabitur, mordaxque est, ijs delenienda, & irretienda est, quæ glutine aliquo eam inhibere possunt, ne in os laryngis liquidior incurrat. Ea enim sæpe est, quæ inanem tussim moueat, nisi alia in pulmonibus substans per eam tussim moueatur. Ex amylo ergo, & sacharo, & oleo amygdalarum dulcium fit, id quod detentum in ore liquescens faciat ea omnia; est saccharum candidū, sunt penidia, nec admodum recentia, nec admodum antiqua facta, est diatragacantha frigida dicta sine bolo, quæ etiam, si qua inflammatio moueretur, apprimè opportuna est, est dulcis radix, sunt mulei pinei, & eorum lac, est syrupus violaceus, iuuabimus de Tussilagine, sunt mille aliæ res,

A vt quæ pulmones purgant, quas tanquam notas præteribo. Timebitis rheuma à capite, multa erunt excogitanda, vt ignis, & cauteria, vt pulueres, cerataque, seu emplastra, vt lotiones ex amaraco, betonica, stoechade, foliculis Sene cupressu, rosis, vt gummi iuniperi, nux moschata, iris, carabe, pix, einis, cotonis exusti. Fumus carabis in nares acceptus maximè opinionis est, Errhina etiam attracta per fistulam ex ebore expolita suo capitulo bene rotundato, quod inijciendum in nares est, quæ liquida si fiant, magis penetrant, & nō tanta molestia adhærescunt, quanta puberes. Palatum non tum facile irritarem, ne ad fauces irritantem humorem mouerem. Ventriculo quoq; exterius sua danda, vti calori suo restituatur, quemadmodum oleum de nardo per lanam purpuream ex eo calfactam, expressamque adhibito, vel solo, B vel cum oleo absinthino, aut certè masthichino, cum nimium exsiccare timeremus, est oleum nucis moschatæ, est illud, quod nomine balsami ex Indijs affertur, quod est lachryma odora. Hæc etiam aluo vtilia essent, si nimis flueret, maximè si cum masthichino, & oleo de cytonijs componerentur. Quo casu etiam iecori auxiliari oporteret illiniēdo præcordia contra ipsum cum sandalino vnguento, & oleo absinthino. Sed pro necessitatibus, quæ variæ in longo morbo possunt incidere suis temporibus erit consilium capiendum. Dixi.

De muliere cachectica febriente.

CONSVLTATIO XIII.

C Malum corporis habitum videmus, is è malo alimento est. Verum malitia alimenti duplici modo dicitur, Vno, cū mali humores sunt, & homines cacochymos faciunt. Altero, cum crudi humores in bonas carnes transmutari non possunt, mutantur tamē in carnem rudem, & imperfectam. Hi autem propriè mali humores non vocantur, quanquàm malam carnē faciunt, & alimentum malum non à malitia humorū, sed a malitia carnis nuncupatur. Crudi namque humores in his, qui boni succi sunt, numerantur, & sub dulcis, aut insipidi generis sunt, sic cum sanguine permixti, sub specie sanguinis attrahuntur à partibus, quibus suo glutine etiam facile tanquam alimentum adhærescunt, resistentes tamen mutationi, in malum habitum carnis cōuertuntur, qui si etiam, atque etiam abundent, tandem D habitum in leucophlegmatiam, seu anasarcam deducunt, & tandem inascitim illam, quę albam aquam habet, & viscera molliora, & tumentia, albaq;. Sicuti cacochymia succis amaris, & à corpore repudiatis cōstat, & corpus tenue reddit, atque si inhydropem illud deducit, in eam deducit, quæ aquam luteam, & fuluā habet, visceraq; duriora, & squalida, intestinorumq; mēbranas luteas, vel si crassiorem sanguinem, & exustum aridioreue habuerit in tympanitim, quæ flatu consistit. Crudi ergo hi humores sunt, & hydropes illas minantur, qui non exusti, non tenues, non salsi, aut amari, sed sapore dicto subpingui sunt, & boni succi dici solēt, sic sub specie sua tanquam sanguinis naturam decipiunt, &, cum duo cruditatis genera ab Aristotele proferantur, alterū coctionem fugiens, & in exustionē delabens, alterum coctio- E nem tantū non attingens, & intra fines frigoris manens hoc posterioris generis est. Itaq; coctio humoribus procuranda est, & carnibus bona nutritio sublato prius eo, quod nutritionem bonam, & coctionem impedit, quod continetur crudis succis iam corpus, & carnes cōplentibus. Quæ curatio paulatim facienda est, nam morbi, qui paulatim subcrescunt, paulatim subcidendi sunt, siquidem altius inhærescunt, & partes potiores curationis in ratione victus statuendæ sunt, quæ maximè potest in his morbis, qui longo spatio vires suas assequantur. Nā de febricula curanda non dicam, cum ea propria natura metum non faciat, & materia submouenda abitura sit, à qua sese obstruente, & putrescente mouetur, & lenta, quoniam materia frigidior est.

Demendæ autem huius materiæ ratio valdè lenis esse debet, ob eam, quam dixi causam, & quoniam ea in venis omnibus est, maximè ijs deduci debet, quę vrinas mouent, nam ab illis amplioribus ad venas iecoris angustiores adducta, ibi infigi, & viscus illud infarcire posset. Certè quidem primum a ventriculo, & venis illius detrahenda, postea interior incidenda, extenuandaque & vna per vrinas paulatim mouenda, vt paratā esse contigerit, sed medicamentis omnibus coniungēda ea, quæ visceribus amica sunt, quæ ea confirmare possunt, præsertim quādo purgantibus vtimur, quæ inimica visceribus sunt, itaque omnia rhabarbarum habeant; ergo mel rosaceum solutiuum cum electuar. Indo maiori prius, deinde apparatu aliquo facto eadem cum rhabarbaro, agaricoque & diacatholicone, atque senæ parte. Oportunæ quoque erunt pilulæ de tribus cū rhabarbato, de hiera cum agarico, quæ ob magnam aloes copiam mirificè exsiccant rhabarbaro adiecto. Habeant ēt secū aliquid succi iridis, quo maximè viscera expurgantur, habeant cinnamomum, squinanthum. Parantes autem potiones, & vrinam mouentes cōmodæ erunt ex capparis radice, eupatorio græcorum, asaro, aniso, fœniculo, eupatorio Mesues maximè absinthio, cetrach, capillis veneris, adijci oxymel ijs debet, atque etiam squilliticum, Syrupus de cicorea Nicoli cū rhabarbaro ex syrupo acetoso, vel oxymelle. Oportuni erunt trochisci de rhabarbaro Mesuei, vel potius Rasis, trochisci de eupatorio, dialacca, diacurcuma, electuarium etiam nostris dictum de vino nempè ciphoides, quibus ad depellendos per vrinas humores adiungi poterūt raphani aquæ per elumbicum expresse; aqua orionidis, decoctum ex corticibus cæparū. Sed succus iridis cum rhabarbaro sæpè vrinam mirabiliter eiecit. Exterius ventriculo lana illa a Galeno proposita purpurea, calfacta in feruenti oleo nardino, expressaque multum profuit plerisque, cui cōiungi poterit etiam absinthinum, si venter intumesceret. Emplastrum, seu cataplasma ex baccis lauri mihi optimè fecisse visum est.

Verum ratio victus est potior in diuturno morbo, & eo, qui materiam alimenti crudam habet. Non debet verò victus tum tenuis esse, quam extenuans suo genere, non tenuis ratione, qua ali corpus debet extenuans verò ratione, qua tenue alimentum postulat, sic auriculæ potius, quam aues grauiores, & hoc veluti gallinacei generis potius, quam quadrupeda, & in ijs hœdana potius, quam vitulina, paratæ verò cum radicibus petroselini, heseni, smyrnio, lupulis, cinnamomo, pipere, fœniculo, aniso, & eiusmodi alijs. Cyminum aliquibus ori gratum est, aliquibus etiam radix lepidij pauli, seu raphanitidis, ptisana esset oportuna, non tamen sine ijs, quoniam forsan in ventriculo acesceret. Vitanda verò in summa, quæcunque crassa sunt, lentaque, & veterum omnium animantium carnes, tum grauiorū. Veruecis verò etiam magis, quam vitali, quoniam, cum humidi, & frigidi generis sit, castratio autem ad fœmineā naturam deducat, in corpore quod calore non valeat penitus suspecta est: Vbi corpora calida, & sicca sunt, vbi cœlum eiusmodi, vt in Hispanijs, ibi magis conuenit. Vitanda sunt legumina solo iure accepto, præcipuè cicerum, arietinorum, maximè si satureia, aut thymus, aut helenij, radix incocta fuerint, vel etiam cepæ, porrum, allia. De herbaceis idem dicerem, nam iura multorum olerum vtilia esse possunt, cum olera omnino mali succi sint, nam quamquam ea, quæ mali succi sunt, huic generi, vt nuper dicebam, aduersantur, quoniam tenuis materiæ sunt, & crassum hoc nostrum genus possunt in melius reuocare, ego tamen nollem materiam mali succi cum materia crassa, & obstruente cōiungere timens malum insuperabile, quoniam vna putredinem obstructione moueret, altera illam in pessimum genus conuerteret, iura ergo tantum concederē, vt ex brassica, atque beta. Pastas omnes prohiberem, & oua durius cocta, ac caseum, & lac etiam, & fructus omnes præter amygdalas, & phystica. De potione, si

A caput infirmius non est, vinum eligerem optimi, & tenuis generis, ac potius imbecillum, quam potens, videtur etiam ne ventriculo cruditatem habēt id darem; ne eum in omne corpus citius, quam oportet, diuideret, ea vero leuata ad nouum cruditatem viādam concederem, sed hæc iam prudentiæ Medici cui cura cōmissa est, permittenda sunt.

Pro muliere cui partus instaret.

CONSVLTATIO XIIII.

DVm cænaret cæpit ventre dolere, & aquā emittere, quæ partim vrina fuit, partim ex vtero, ita mulier tota nocte operam dedit vti pareret, & fatigata est,
B mane sequenti aliquid sanguinis prosilijt, ita mulieres adolescentem ipsam, & imperitam vrgere modis omnibus, vti contenderet partum expellere humeros demitteret, spiritum contineret, & omnibus viribus impelleret vterum. Obstetrix confirmare se partus caput attigisse, hortari, ne cessaret, dicere se capillos agnouisse. Interea horror cum concussione puerperam incessit cum multa pulsuum imparitate, paruitateq;, & animi maxima abiectione, quo penitus demisso, & fracto tota die fuit sudoribus interea continuis dissoluta. Ventris dolores rari erant, nec vehementes, dorsi continua lassitudo, vomitus cibi a principio, qui postera die restitit, & cæpit cibum tenere, nocte prima nunquam quieuit, altera parum. Pulsus quoque secunda die, cum in cubile esset delata, maior erat, & æquabilior, ac rarior lōge ter-
C tia die nempè hodie mane rursus crebrior, maiorque, ac celerior, sine sudore, animo elatiore. Quid procurandū sit, vt ab hac molestia liberetur, ego sic existimo, quod obstetrix errarit, quæ ante tempus laborē eam presserit, & horam partus non expectarit, & omnia summa illa fuisse sic partum anteuertendo omnia perturbant. Nā dolor ad vmbilicum vehemens non fuit, minus in infimo ventre, qui dorso tantum etiam num incumbat, in periculumque eam adduxit, ne, antequam partus in caput se se conuerterit vterus expulsionem facere cogeretur, & partus non naturali modo eijceretur, ad quam conuersionem in caput commodior est status, quā sessio mulieris, & melior etiam ambulatio, melioq; sessio ea, quę recta sit dorso, & se se brachijs distentis ad humeros circumsistentium mulierum sustentet datam.
D Cum verò partus imum ventris compleuerit, & venter superior consideat, dolorq; in imo est, tunc humeris demissis conatus illuc faciat. Alia ergo obstetrix accerseatur peritior, quæ & ipsa sua sponte admoneat suis tēporibus, quid agendum puerperæ sit, & Medicorum etiā authoritate, vt è re nata illis ipsa retulerit, cum ambulandum, cum in pedes insistēdum, cum sedendum, aut decumbendum est. Interea in cibo vteter maximè pullis columborum, & eorum iure cum cinnamomo: potione autem vini satis potentis, & albi, sed non multa. Vbi autē pronum partum vterus imbecilliter expelleret, præter vnctiones exterius factas ad lumbos, sumen, pubemq; ex oleis liliorum, chamæmeli, violarum luteanum, anethi; ad os autem vteri, oleo amygdalarum dulcium, & pinguedine gallinæ, darem in potionē aquam
E frigidam præsertim melissæ, cū ijs, quæ vim expultricē irritarent, vt cassia lignea, cinnamomo, dictamno cretico; dictamno albo, ciciclamino, aristolochia, quæ inde nomē accepit, croco, baccis iuniperi, aut horū aquis ad maiorē penetrationem, galbanum ēt valet, castoreū verò maximè, Rubia ex iure chamemeli, & arthemisię, nā non solum mouendū, irritandumq; sed vterus ēt est ad expellendum, & se se contrahendum firmandus. Est succus porri idoneus, est sabina, sunt trochisci de myrrha, ad hoc attemperatè penitus compositi.

Dant tanquam certissimum nunc boracem dictum, quod ego ferè semper vitaui. Dedi ego sæpè stercus accipitris album, cum cinnamomo; ferè tamen dictamnum creticum cum cinnamomo mihi satis prodesse

visum

visum est. Quidam maximè fidunt vnctioni otis A vteri ex oleo baltaminæ, quidam expertos se dicūt, quod lapis ille Indicus, quo ad lapillos renum eijciendos corpori apponunt; facit etiam ad partus mouendos, vt ille alter lapis Aquilę dictus: sed infinita esset materia. Vidēdum certè, vt mulier spiritus recreet, & quiescat satis. Vidi ego quandam mulierē, quæ male à mulieribus, importuneque tractata tribus diebus per sudorem erat languidissima, eam ego referendam in cubile curaui, vbi aliquantisper dormiuit, & expergefacta subito partum se se edidisse clamauit, in latus autem dextrum decumbebat. Clamor iuuat, sternutatio, & tandem scalarum descensus. Sed vterus est bene firmus faciendus.

De gallico curando, & eius casubus in aliam causam non referendis.

CONSVLTATIO XV.

EXcellentissimi viri, ego, vt debeo, dicam sententiā meam libere. In ipso viro Illustrissimo sunt ijdemmet casus, qui erāt, cum vir peritissimus, & magni ingenij physicus eum curandum suscepit, propterea ego duco ipsum eodem penitus morbo teneri, eidemq; curam deberi propriam, alioquin defraudabitur, & alios cura exhibita periclitari de vita facile poterit, nō satis sint casus morbi permanentes ad morbi permanentiā indicandā, quæso cur putem morbum leuissimis remedijs hoc anno curatū, qui à valentioribus anno superiori nō potuit superari? Vbi etiam hominis morem admiror, qui ea remedia, quibus casus morbi minimè repelli potuere, illis anteponat, a quibus ipsi casus adeo deleti fuerant, vt nullo indicio morbus subesse posset suspicari, quamq̄ postea suis iterū casibus elatus extiterit; qui institutā nouam curationem multorum magnorum Medicorū consensu ipso præsente, & concorde, noluerint sequi, & infirmiorem curandi rōnem delegerit illam vituperando, quam nouit tantum profecisse, hanc laudet, quæ nihil penitus effecerit, eosdem verò casus, quos gallicos esse non dubitat, & pro certo haberet ab eodem gallico reuixisse, quū penitus fuissent deleti, quamuis nō intermiserint sub sua curatione, iam nolit in gallicum referre, sed in longè diuersum morbum, quem etiā non verecundatur in priorē curationem referre remotissimam rem, & ab alijs Medicis tanto cū fructu præstitam; quid non pōt ipsa, si nō lucri, aut gloriæ cupiditas, certè auiditas extollendi magnitudinem suorum meritorum apud potentem virum, quis nō suspicetur, ipsum noluisse curationem secum institutam à multis sequi, eo quod, ne suam laudem cum alijs communicaret, voluit etiam illos priuare debito laudis testimonio? Et profectò ego non possum non ei resistere, à quo vita huius nostri Illustrissimi Domini tam sit periclitatura. Cum accepisset Guaiaci potiones, quibus denis vncijs guaiaci denæ aquæ libræ darentur; & casus omnes sublati essent, paulo post tamen ijdem, & peiores casus reuertissent, decretum fuit sine vlla controuersia, vt iterum potiones guaiaci exhiberentur quæ in denas aquæ libras acciperent guaiaci singulam libram cum dimidia, quod consultissimè fuit factum, id enim quod fere morbum sustulit, si modo valentiori repetatur, certè posse morbum penitus auferre credendum est. At profectis Medicis, & vix e limine digressis, is, & ęgrotum alloqui, & hortari ne consilio eorum vteretur perterrefacere, si tam valēs remedium accipiat de vita periclitaturum, & continuo iubere potiones parandas, quæ in denas aquæ libras ternas tantum vncias ligni acciperent, esset autem aqua stillaticia maluarum, quasi crassefaciēdum esset, adderentur, passulæ, ficus, hordeum, cicerbita, cicoreum, thus, & sexcenta alia impedimenta inter se pugnantium rerum, prohibere tandem ne moueret sudorem vllo pacto, quem facillimum semper habuisset, scilicet ab aliorum itinere penitus declinandum esse significans. At repetita tamen hæ molles curationes perfectum opus possunt assequi. Ego verò nunquam iter tutum ac certum aspernarer, vt eius loco insitatū, & nouum longiusq; multò facerem, quo verò arbitrer me nō posse ad locum quæsitum peruenire, præsertim, quod interiectis spatijs gallicus easdem vires recipit, quas per curationem amiserit, & eas, & longè peiores, vt experimento notū est. Seminarium illud per leues operas nō discutitur, nō consumitur, sed in partes omnes funditur, in illas imprimitur, & vis morbi dilatatur, in caput vero impulsa pessimos casus parit, in cito validioribus operis cōsumatur, elidituruè, aut ergo eleuandus penitus morbus est, aut non fundendus, solum ergo materia purgationibus, per vomitum, aut aluum submouenda. Dubitatis vos forsan ne eadem symptomata, ijdemque casus sint, B quamq̄ peiores nunc, quam ab initio cœperint? Videte pustulas in capite, & in fronte præsertim, videte maculā tēporis sinistri maximam, illa omnia etiam ab initio extitere, cum capitis grauitate, & sensuum torpore, & secūdo, ac tertio anno pustulæ illæ admodū auctæ, quæ à Medico ipso eodem tanq̄ familiaria gallici indicia tā obseruatæ, & magnifactæ sunt, vt oēm curationem in eas solas conuerterit, ne manentibus ijs nō conualuisse homo à gallico existimaretur, sic nescio quibus adhibitis illas supra modum multas compressit, audio quidem aquam ex folijs quercus etiam ingessisse, quarum compressioni capitis dolor successit acerrimus, adeò, vt hominem de mente deturbaret, tanquā materia earum detenta mēbranis infestissima intus remaneret. In quem dolorē curatio itidem conuersa fuit, cum vix cum vita posset tol- C lerari, eique multa extrinsecus obducta sunt, quæ ipsum cum sua materia depellerēt, inter quæ fuit pileum ex folijs hæderæ, cuius verò doloris remissioni, aut sublationi cito factæ paulò post cōuulsiones musculorum faciei, & totius corporis superuenere nimirū epileptico modo admodū vehementes, dicunt enim, qđ illis remedijs dolor subito penitus summotus est, & epilepsia paulò post cōsequuta, sub quo per os non solū multa pituitę copia, quę certè incredibilis est, sed aliquid ēt vitiosi humoris, qui à situ gallico solet proficisci. Itaq; videmus manere morbū eundem, & casus ēt, quamuis vi illius curationis variarint, eandemq; materiā retinere, epilepsiamq; hāc seipsam nō esse, sed ad alium morbū sequi, nempe gallicū, quare purgato corpore ab humoribus illā diu abfuisse, rursus aūt humoribus refectis redijsse, nam quamq̄ ca- D put eo spatio, quo caruit eo labore, se se receperit, & suas vires collegerit, fomes tñ gallicus subflās potuit causam ad suum cumulum augere, nihil enim exterius occasionis præstitum est huius congestionis materiæ, lues siquidem ipsa est tanquā vitium tabici, quod diu potest latere, nec nisi materia congesta palam apparet, diutiusque potest occulta esse quàm intemperies, qua epileptici homines fiunt denominati, vel à morbo non præsente, sed qui expectatur vel à morbi reuersuri causa, qua procliues in eum sunt. Cuius causæ curatio posset dici præseruatio à morbo, vt ergo in epilepticis est intemperies materiam colligens, quemadmodum etiam in podagricis, ita in hoc est lues gallica capite nihil præferente necessario nisi imbecillitatem, vt in podagricis pedes faciunt. Gallicum quidem vitium potuit plus pituitæ congesionē ab E alimētis frigidis, quæ Medicus ægto totos tres annos dedit, nam lactucarum maximam copiam eadē, singulaq; mensa dabat, varijs modis conditam, & in acetarijs, & ex iure, & ex saccharo, atque alijs modis. Id verò fecit ea proferendo, quod iecur à guaiaci potionibus fuisset assatum, cuius assationis nullum extaret indicium, cuius assationis idoneam causam guaiacum non habeat, maximè in corpore tā humido, & carnoso; in quo genere corporum Gal. renes nihilo plus iusto exsiccati cōfidit, ab aniso amygdalis amaris, & absinthio, quorū calor, et ariditas guaiaci calorē superet. Esto verè fuerit corpus, calidius, & siccius effectu à guaiaco quibusdam diebus dato, cur tū longo triū annorū vsu frigidiorū, & humidorū non est restitutum? Si Galenus hecticam febrem tam

cito superat, imò etiam marasmũ nutritione facili reddita? Verum hoc corpus, quumque sub media curationis tenuius aliquanto esset factum, non tamen fuit vnq̃ sine iusta carne, & quàm citissimè se se refecit. Gallico ergo substãti cum remedia propria danda sunt, tũ Guaiaci vsus non prohibendus. Atque hæc rationem naturis rerum sequentibus nobis tenenda sunt; tenenda etiam multo maximè, sequentibus experimentum. Nam multos gallico affectos in epilepticos casus deuenisse scimus, & sunt Illustrissimi viri satis publicè in Italia, & alijs regionibus noti vt Alt. Postquam etiam in craneogummata extitere, nam forsan antequam exeat materia facilius eo casu possunt apprehendi. Vidi enim ego in cerebro cadaueris gummata à gallico facta quæ in viridẽ colorem ex albo vergebant. Scio ego nunc Anchonæ esse iuuenem, qui sub gallico morbo est, eo malo casu tentatum, de quo his diebus consului, cuius medicus est. Excellentiss. D. Federicus Rochensis ab ipso quæso sciscitemini; Primum is naturalium, seu genitalium morbis varijs, & doloribus artuum, ac capitis laborauit, deinde ruboribus quibusdam aurium cum dolore, tandem in epilepticum malum incidit modis omnibus huic simile, maximè quod à casu ad se reuocatus, releuatusque non potest nisi longum post spatium etiam dierum pro sano agere, vt pro sanis agere continuo solent communiter epileptici, sed q̃d nostro euenit, diu stupidus manet, & immemor, insanit imaginibus falsis, & visis alienis promotus, quamquàm non continenter, sed ex interuallis, atque breuissimo spatio identidem, donec tandem ad se redeat sensusque recipiat, apud se enim est ipse antequam casus adueniat, isque bis in mense reuertitur. Linguæ quoq; cum sensibus id euenit, nam ante casum videtur incolumis, post eum voces fingere non potest, & crassa admodum, & impedita penitus lingua est, & longiori spatio ita manet, quàm reliqua, nam liberatur quidem paulatim vt sensus. Sed serius longe. Accusant illi vnctiones ex hydrargyrio factas. Verum noster æger, quod sciam vnctus non fuit, in eundem tamen penitus modum conflictatur. Gallico itaque remedia vulgaria, & propria, vsuque omnis antiquitatis in Orbe probatissima tribuatis, neque patiamini Illustrissimum virũ sua curatione priuari, quod pace medici sui dictum velim. Ita namque sentire à rebus ipsis coactus sum.

De epileptico casu ex gallico pro Bergomate.

CONSVLTATIO XVI.

AB inunctione ex hydrargyro totos duos annos visus est bene habuisse, quod ab accepto negligẽtius Guaiaco non fecerat; postea in dolorem capitis recidit, & postea in epilepticum casum. Mirabile certè est, duos annos integros à molestijs vacuum vixisse, & nulla noua causa data in molestias maiores reuertisse. Mirabilius multo est, 12. annos alium penitus sanum se existimasse, & à gallico liberatum, exinde tamen in pessimos casus fuisse reuolutum, nulla occasione præstita. Huiusmodi ego multos audiui. Quare sic tanquam vera posita nos non possumus aliter rationem excogitare, nisi quod lues hæc vetustatem aliquam consequuta, & humoribus atq; alimento per curationes priuata, quasi rabies delitescat nacta maximè aliquem fomitem eius generis, quod frigidius, & aridius sit. Casu autem aliquo nascentium humorum in corpore sibi conuenientium ab illis nutrita vnde amplificata molestias pariat. Si velimus ergo sic excogitare, dicemus, quod in hoc iuuene duos totos annos sic latuerit præsertim iuuene venereas consuetudines fugiente tandem accepto forte apto sibi adimẽto ex commota, & congesta materia peruenereas iucunditates aucta in caput fumos sustulerit, quos cum primum membranæ exciperent, dolor moueretur, tandem cerebro fumos in se retinẽte, & ad principium neruorum protrudente, membranis non amplius recipientibus casus hos euenire, & mirum est, non prius vertiginem eos fumos attulisse, sed fortè in sinus cerebri nõ potuerunt penetrare, nunc principium neruorum vellicãt, non tam communi fumorum natura, quam viroso quodam gallici genere, quo inimicissimo natura neruosa irritata ad expulsionem incitatur, & id genus cõuulsionis facit, quæ fieri, non facta consistere dicenda est, motionibus enim multis cõposita est, vt ferè in epilepticis casibus euenit; quamquàm non omnibus, aliquos enim vidi distintos manentes tamdiu quãdiu sub casu essent, alioquin plerique sub incitatissima motione sunt, & motionibus vehementissimis caput terra affligunt, & frãgunt, maximè nares vt Pragæ in plateis cernitur sæpè. Vbi mirum est, quàm multos viderim curatos etiam iam senescentes. At in hoc corpore tum est multis composita distintionibus distentio; tum non semper casum epilepticum complet, quoniam interdum non omnes artus distendit, minus ipsos sensus occupat, vt propterea neque absolutam naturam epilepsiæ habere certum sit, quæ in cerebro completur, & alium morbum sequi, nec illum quidem proximè, sed alijs intercidentibus casibus inconstantibus, vnde ea quoque inconstanter sequi cogatur; de quorum inconstantia cum integram causam in cerebro sortitur, tunc epilepsiæ speciem consequitur, totumque corpus distendit, & sensus opprimit, & tunc tamen nequaquam primarius morbus est, cum ad alterum sequatur. Cur modo distentio manens non sit, quoniam non replentur nerui, sed tantummodo aut malo spiritu identidem implentur, qui facile discutitur per motum à se factum, aut malo genere fumorum nerui lacessuntur, cur nõ totius corporis partes distendãtur, causa est, quoniam non caput neruorum, sed rami tantum aliqui concitantur, qua ratione fit, vt, cum caput tentatur, omnes æquè nerui tracti, non magis antrorsum quã retrorsum, aut ad latera artus trahant, sed potius in rectum sic partus rigent, & contra, cum rami tantum irritantur, tunc & diuersæ aliquæ partes, & in aliquod latus flectuntur. Cerebrum modo sæpè completum pituita in suis sinubus in causa est ipsius distentionis neruorum omnium dum contrahit se ad onus tantum eijciendum, id tamen non tam crebro fit, quam opinantur multi, minus verò fieri tunc videtur, cum integris sensibus omnibus subitò homines concidunt, neque enim subito compleri sinus illi possunt, minus ea crassa materia in eos potest repentè delabi, minimè verò sinus, antequam penitus obstipentur suo spiritu non priuantur, vt enim illa accedit, spiritui locus occupatur. Solent etiam sæpè flatus excitari in musculis, sic artus mouere in eam partem, in quam illi musculi solent, sed ea distensio, seu flexio per alicuius musculi distensionem facta, neq; vehemens, aut valida est, neque distentio, aut cõuulsio appellanda, sed potius saltus, palpitationisque effectus, sequitur enim partis eius saltum palpitatio, neruique ille motus, quam in sui definitione tanquam casus illius, seu accidens habere debet. Verum ad casum nostrum pedem referamus, hic pituitę quidem copiam habemus, sed etiam vitiosam quandam putrilaginem, & situm, quo mordentur nerui, sic cõtrahi coguntur quasi molestiam eiectui. Morbus itaque Gallicus, à quo illud vitium pendet, à quo etiam pituita fit, quoniam vim nutricem infirmiorem ea lues reddit, neque ab ipso Guaiaco tãquam calidiori metuendũ, à quo origo etiam pituitæ potest remoueri, & cum casu pituita crassior neruum aliquem ingressa paralysim fecerit, vt iam interdum fecit, quamquam breuem in lingua, tunc Guaiacum, maximè si cum sarsa parilla fuerit coniunctum, erit accommodatum. Quam ego libentissimè adiungam quoniã etiam humoris melancholici multũ subest, vt ex mæsticia nimis longa, & desperatione intelligitur, etenim, quamq̃ citra occasionem non sit, cum tñ humor eiusmodi nimius non subest, homo in alias cogitationes necessario naturæ vsu, & more traducitur sæpè, & mœrorem interrumpit, etiamsi ad eandem sui casus cogitationem identidem reuertens etiam tristetur, neq; enim vlla tam magna miseria est, cuius cogitationem

tempus

tempus non debilitet, & interrumpat, sed cum melancholicus humor inhæsit mœror etiam sine cogitationis motu retinetur. Qui mœror,& qui melancholicus humor etiam excandescentias mouet, cum incalescit, & bilis etiam aliqua subest quæ facilè in exagitationibus animi solet generari. Ea igitur curatio instituatur, vt primum humores submoueantur, deinde virus gallicũ consumatur exonerato stomacho, paratis vijs, & humoribus cum solitis syrupis tum simplicibus, tum compositis, vt de epythymo, de fumoterrę, & adiecto etiam oxymelite squillitico, detur ius, in quo præter alia etiam elleburus incoctus sit, sena agarico, & rabarbaro nunquam dimissis myrobalanis, quo viscerum robur sustineatur. Serum etiam caprinum, quo paulatim corpus ab humoribus, tam inhærentibus liberaretur, mihi imprimis probaretur, præsertim aucta eius in dictis etiam medicamentis, & cum illis adiuncto fumiterræ succo ad seri vim perficiendam admodum accommodato, imò succus is quotidie esset commiscendus, illa verò ex quibusdam interuallis. Corpore exactè expurgato ad potiones guaiaci cum sarsa patilla, ego omnino accederem, easque summa cura & diligentia darem, victus ea moderatione adhibita, quæ ab ipsis uiribus sustinendis permitti videretur. Atque longo spatio datis potionibus, & sudoribus promotis vellem hominem aliquibus diebus quiescere, & postea easdem potiones repetere. Etenim remedia in vetusto morbo non solum spatio longo danda, sed identidem renouanda, sic enim & vires refici, & morbus tandem depelli potest. Curationes siquidem spatio & repetitione tandem plus possunt, quam morbus sua antiquitate resistat. Acciperem vero etiam occasionem materiæ a capite auertendæ, ne casum illum promoueret ab his sudoribus, nam illis ciẽdis, inungerem spinam oleis valentioribus, & aromatibus, vt oleo cranei humani, rutaceo, naphthæ, seu petroleo, castoreum adiungerem cum vino alicui oleo incoquerem pœoniæ radicem, pentaphyllon quibusdam cõmendatissimum, & vsu probatum, tutam, rutæque semina oleum succini quoque cum illis miscerem, & certè sum expertus vnguentum ex oleo naphthæ, oleoque cranei cum oleo succini, & in teneris infantibus visum est efficacissimum remedium, intus etiam illa, quæ sudoribus iuuandis essent alexipharmaca huius mali, vt theriaca, Mitridatum, aurea Alexandrina, Alchermes, lætificans illud anacardina, & similia, sed profectò ea nõ crediderim necessaria, quoniam morbo gallico debilitato casum non metuerem.

Atque, vt iam casus post gallici curationem metuendus sit, ego præberem pulueres ex visci ligno ex craneo, pœoniæ radice, pentaphyllo ebore; cornu cerui combusto, vngue asini, vel cerui illius, quem magnam bestiã vocant, & ruta, quibus ego soleo addere rhabarbarum, & certum effectum habui. Antimonium etiam cũ sacchàro rosaceo exhibui, & mire fecit; Verum non credo hæc necessaria futura.

De ardore vrinæ, & puris minctu.

CONSVLTATIO XVII.

GEnus corporis humidius videtur, atque etiam aliquanto calidius, salubre fuisse dicitur, preterquam oculi, qui ab ineunte ætate semper malè habuerint, & habita occasione incidentis calidæ aquæ in rheuma inciderunt; cui ferè postea obiecti fuerunt, id verò pituitosum vt plurimum, interdum etiam sanguineum; adeò vt alter eorum aciem penitus amiserit, in quo pituita tã quam in gypsum concreta remansit; reliquus etiã oculus adeò hebes sit, vt vix literas maiores cernere potis sit. Sed de oculis nunc negocium non est, quod dicebam, id est, nimirum genus hoc corporis præter oculorum morbum salubre esse, quod ætatis 54. annorum est. Superiori anno ex itinere insolentioris laboris vrinam A sanguineam minxit, a quo casu semper purulentam vrinam prodigiose obseruauit, nec multo post tantum puris efferre, vt in singulos dies pus minctum pondo quinque, aut sex vnciarum esset, nempè quinæ, aut senæ in singulos dies vnciæ exirent puris tam fœdi odoris, vt vix possit, ferri coloris non penitus albi, potius in viridem vergentis, habitu admodum lento glutinosoque, & crasso, vt pituitam cum eo admixtam facilè intelligas. Id vero pus ita cum vrina exeunte continetur, & confusum est; vt separari non nisi sex horarum spatio possit, duas certè horas spatij requirit, vt secedere incipiat ad sextam horam imum matellæ occupet, ita tamen ne vnquam vrinam puram relinquat, quin semper turbida iumentorum lotia imitetur, fœdum autẽ odorem statim egressa tenet, & si creberrimus minctus est, nec spatium intus habere, quo fœdum fiat, videatur. B Vrina enim crebro & exigua emittitur. Cum hoc minctu illa coniuncta sunt, lumborum frequẽs ardor, dolor ad collum vesicæ, qui post minctum leuior est, & ante eum talis est, vt videatur vesicam distendere, & tumentiam habere quasi in ea sit aliquid duri corporis, quod progressa vrina, vel etiam progrediente leuius fiat vesicæ collo. Anus quoque vnà afficitur, & cupiditate importuna deijciẽdi vrgetur, quæ lotio emisso tollitur.

His animaduersis, atque ante oculos positis creber minctus ab imbecillitate cõtentricis hic non est existimandus, vbi dolorem, & vrorem habemus, quo expulsiua nimium irritetur, vrorem illum, & dolorẽ fieri eo, quod collum vesicæ, aut vesica ipsa abrasa nimis, & exulcerata sit, possemus quidem arbitrari, sed pus fœtidũ C est, quod mordendo supra modum id faciat, cum vel tenues vrinæ sæpè id possint, cum salsedinem præ se ferũt, quam pus etiam habeat præter alia genera ad morsum idonea. Diuturnitas tamen huius morsus necessario & abradere, & exulcerare etiam debuit, imò ob nimium dolorem etiam aliquod inflammationis genus abducere, & sustentare. Pus a principio post sanguineum minctum exijt, ergo cum vlcus indicet non tantum hoc a se factum, aliquod indicabit, sed alterum a quo venerit, & illud quidem magnum, cum pus multum sit, ita non in vesica vbi caro vlceri magno nõ patet, sed in renibus vbi & caro vlceri magno, & copiosus sanguis multitudini puris faciat, sanguinem præcedẽte minctu id cõfirmante, maximè, qđ vrina potius sanguinea, quam sanguis separatus extiterit, maximè quod po- D tius purulenta vrina sit, quam pus ab eo secretum.

Etenim in vesica mixtionis illud fieri nequeat, in quã vrina facta pus factum inueniat, neque occasionẽ permixtionis habeat frigida in parte, & spatio non suppetente crebro præsertim minctu facto. In renibus putredinem eam fieri calor contra eos perceptus confirmat, vti aliquod vlcus, vel abrasionem nimiam in collo vesicæ factam, vel qua in collum definit, testari potest dolor eius loci, & ani illa crebra irritatio, quæ tamẽ cessant, remittunturque vrina expressa, quoniam ab illius morsu liberatur, qua rectum intestinum afficitur. Pus ergo non nisi longo spatio segregatur, propterea quod cum ea eodem loco conficitur, propter quam cau sam nunquam ipsa clara euadere potest, neque ab eo penitus liberari, cumque natales suos ipsa sortita est, nõ E dico ob id, quod vrina sit renũ magis, quam venarum recrementum, cum sanguinis totius recrementum sit. Sed, quod loco, vbi separari à sanguine per quandam coctionem debent, ibi vnà cum eo sanguine, qui in pus vertitur tanquam recremento conuinctim secernitur, & recrementi conditionem eandem permixtim coctionis suæ nancis cit, seu maturationis, quæ certa quædam permixtio est, infirma tamen, nec nisi sub calore mansura; vt materiæ illius permixtio, quæ post minctã, & refrigeratam vrinam in nubem, aut eneorema concrescit, & residet, quamquã hoc pus sua crassitudine tm̃ permixtionis sustinere non potest, & pondere suo citius subsidere debet. Pus multo glutine affectum est, idque non sua natura habere est credendum, nam conferamus

mus pus cum crudo illo humore certe pus non est ita puluerosum, sed potius glutinosum dicendum, vt proponit Galenus, at cellatum cum pituita alia glutinosum non videatur. Gluten ergo hoc à pituita secum mixta habuerit, qua comprehensum est. Hanc vero à toto corpore contrahi renum calore vna cum sero facile est, & facilius ab omnibus partibus in debilem, & laborantem partem compelli, vt multis partibus affectis euenire quotidie obseruamus, faucibus nimirum, thoraci, pulmonibus, intestinis & præcipuè vesicæ, ac renibus, si inflammatione & dolore exagitentur. Ea ergo materia, vt fœtorem, & acrimoniam à pure habet, sic gluten tantum à pituita cum pure in renibus per calorem commixta; & caloris maiori vi etiam glutinosior facta. Quibus sic expositis morbi genus constare videatur, nimirum vlcus in renibus ad quod reliqua consequantur. At quid causæ præcessit, vnde renes exulcerati sint? Renes prius quam sanguinem emitterent lapillos crearunt, sic male affecti erant, sanguinem pus sequutum esse dictum est, eruptio sanguinis primum facta est, & laborem corporis sequuta indicat, quod copia mali sanguinis per eum laborem in renes delapsa originem mali pręstiterit; solet quidem in renibus copia sanguinis venam aliquam aperire, quę multo effuso sanguine rursus concluditur, at, cum casu corpus renis a malitia sanguinis noxam acceperit, primo non tanta illa est, quin sub illa sanguis speciem suam aliquandiu retineat, at paulo post subit corruptionem, quod in pulmonibus, quod in intestinis factum obseruaui: ita corruptus semel plus partem vitiat, quo illa sanguinem inde semper in pus vertere cogatur. Vlcus ergo tenum curandũ, & vitiũ eorum quod intemperies omnino calidior est, remouendum, laxitas ad firmamentum reuocanda cum purgati fuerint. Quo facto certe vrina morsum amittet, neque crebrum minctum mouebit, ac si quid in vesica detrasionis fuerit, aut vlceris, id cursu mitioris vrinæ dilutum sanescet. Interea tamen tædio crebrioris minctus, & dolori aliquid dandum est, pręsertim verò, quoniam, dum vlcus curare volumus, omnino abstergentia, & illis ea, quæ ad renes deducũt dare cogimur, sic ardorem sæpè augemus, quem refugientes ægroti curationem cum non ferunt, tum damnant, tanquam malum non curantem, sed augẽtem, sic lenioribus vtentes sub morbo diutissimè esse coguntur. At corpus tutum quoque purum reddendum est, ne supradicta medicamenta ad renes impulsum habentia materiam nimiam in eos deducant. Quæ omnia factu difficillima certe sunt, nam neque corpus facile in eam puritatem adduci potest neque prohiberi, quin purgãtes medicinæ vel ex solis rosis factæ multa sui parte ad renes euntes secum plus mali humoris ferant, minus impediri, quin renes spectantia in eos secum ipsa easdem molestias afferant, ægroti tandem minimè sustentari sub ijs doloribus possunt, quin potius curationem aspernentur, quam exhorrescant. Ergo corpori purgando vomitus potius deligendi sunt, qui non solum per vomitoria, sed etiam per ea, quæ aluũ mouent, fient commodè, nam data hora medicamento moue vomitum, cum quo illud penitus cijcietur, neque sua materia ad renes perueniet, & tamen tum per vomitum, tum per aluum opportunissimam purgationem habebis. In quibus medicamentis semper cassię medulla habenda est, quæ suo liquore deliniendis humoribus, & renibus demulcendis, mire facit. Neque superstitione illa prohibendi sumus, quod vrinam moueat, cum id diluendo, non mouendo per vim caloris, aut alterius molesti generis præstet. Sed Medicis peritis purgatio corporis describenda nõ est, id tantum monebo, ne medulla cassiæ posthabita syrupo rosaceo solutiuo potius fidant, nam ad renes venit ille partibus suis amatioribus fato quodam renum, qui suo corpore fœdo semper fediores humores promptuis attrahunt Renibus potuis purgandis erit idoneus, & ita vel ipse, vel mel rosaceum solutiuum post corporis expurgationem cũ sero caprino permiscẽdum sero exacte puro, ne aliquid

A lactis crassioris in renes ferat lapillis gignendis idoneũ. Sic corpus purum seruari, & renes purgari poterunt. Si ardor vrinæ sub ijs augeatur, syr. violaceus molestiæ remittendæ faciet cum ijs permixtus: emulsio seminum melonum cum ijs perferet ad renes reliqua, & ipsa eos repurgabit, & dolorem leniet. Serum ego ad Dioscoridis modum purgarem oxymelle, sine sale tamen parato, & ferrum etiam candens in eo multoties extinguerem. Huius potionem ad 15. dies producerem, & bolum ex terebinthyna cum eo darem lota succo plantaginis, & pimpinellæ, aut etiam rosarum. Trochiscos de alkakengi dictos cum ea coniungerem, puluerem chalybis tenuissimum etiam, quem vlceri purgãdo, & carni continuandę idoneum credo, plantaginis succum, & millefolij ad extremos dies in locum dicti boli subiun-
B gerem, atque etiam betonicæ, & pimpinellę, quibus perfici posse curationem crederem. Molestiæ vrinæ cum succo violarum, & nympheæ floris occurrere, aut etiam radicis, quæ vlceri opportunior flore est, quoniam exsiccat, eidem molestiæ inijcerem in vesicam delinientia, & emplastica, non sine abstergentibus, & exsiccantibus, vt serum, lac caprillum, puluis lythargyri, boli armeni, terræ sigillatæ, quos pulueres ego maximè facere vlceribus partium molliorum vidi, collyrium album etiam cum opio, si cum dolore nimis confligetur, ceratum filum, aut cordam intestinalẽ, aut coriaceam oleis illitam inijcerem, vt violaceo, rosaceo, & vnguento rosaceo, vt infrigidante dicto, aut de tutia cum succis. Si vlcus esset, & id emplastris, seu ceratis curari oporteret, ego illa potius inducerem lineo panno tenuissimo, &
C velo dicto, quod sic imbutum inijci in meatum sine ea molestia potest, quæ inijciuntur cerata fila.

Verum aquæ violarum, nymphææ, plantaginis, rosarum, cum sero, vel lacte iniectæ commodæ, & vtiles fore videntur. Sed curationem perficere poterunt maximè aquæ thermales epotæ, præcipuè, quæ vobis vicinæ S. Marini dictæ sunt. Renibus expurgandis, & confirmandis facientes, quæ copia potionum tantum vrinæ copiam faciunt, vt ardor vna cum renum purgatione facienda mitescat, quod maximè expetimus ad ægri tolerantiam, donec curatio perficiatur.

De ventriculi intemperie frigida cum multa materia ad Illustrem & Reuerendum Camillum Peruzzium pro eius sorore.

D

CONVSLTATIO XVIII.

Quod rogitas de curanda valetudine sororis tuæ, sic habeto a me simpliciter, & per capita familiariter pro summa ea necessitudine, quæ mihi tecum intercedit. Duo ego obseruabam in ipsius Medici expositione, primum fuit superioris temporis curationis vtilitas: alterum fuit petitio sententiæ de thermalibus aquis exhibendis. Ex priori iudico consultissimum fore, si eadem curatio repeteretur. De posteriori sic statuerem, atque rem sic explicarem, quod ratione ætatis, & corporis plurimum melancholici humoris habeat,
E cum etiam ex natura cœli, aquarum, & vinorum eius vrbis, in qua ei præter consuetudinem viuendum esset, ventriculum labefactatum, & materiæ plurimum nactum ad obstructiones comparandas credam, vtilissimum fore puto, si aquas thermales Tetutij dictas per aliquos dies potarit, non continenter sed alternis diebus tantum eo modo, & ratione, qua Medico præsenti visum fuerit; illæ enim tum ipsam materiam, quæ retinet intemperiem abstergent, tum corpus ipsius ventriculi firmabũt, obstructiones verò omnes expedient, nõ solũ in venis ijs, quæ ad ventriculum pertinent, vnde ventriculo noxa multa importetur, atque inde etiam capiti, sed in illis etiam, quæ iecur, & lienem amplectuntur quæque obstructionibus impeditæ præter cætera etiam

sanguinem purgare non possunt, vnde multa in ventriculum recrementa inutilia se se recipiant. Quibus verò obstructionibus submotis, non solum hæc mala auferri poterunt, sed etiam mensium, si quod sit impedimentum, detrahi vnde toti corpori salus sit facilis. His ego credo paucis petitioni fuisse satisfactum, quare hac vna adiuncta obseruatione, finem faciam quod ad vsum potionum quotidianũ aquæ crudiores omninò coquendæ sunt. Sic verò, vt quo crudiores fuerint ei diutius ferueant, neque dubitationem tibi illud faciat, quod concoctio crassiores succos efficiat, nam concoctio propriè accepta id facit, quæ mixtis tantum conuenit perfectis, hæc autem concoctio propriè dicẽda non est, quoniam eius rei est, quamquam simplex elemẽtum non est, mixtionem tamen propriè non habet, qua re per feruorem potius ad suam simplicitatem proprius accedat cum caloris sit separare ea, quæ diuersi generis coniuncta sunt, neque in vnum per veram mixtionem conuenire possunt. Imò ea quoque obseruatio erit vtilis, vt, cum ferbuerit iusto spatio aqua, antequam refrixerit, in aliud vas leniter effundatur, ima parte eius in priori vase relicta abijcienda tanquam inutili. Vina autem crudiora penitus vitentur, vt dulcia quoque, natura tamen deligantur, & tenuia. Vale, ac, si quid à me amplius volueris, significato. Vrbini Cal. Iulij 1578.

De affectu vertiginoso ventriculi causa.

CONSVLTATIO XIX.

HAnc vertiginem fieri ventriculi causa ex proprijs affecti ventriculi notis iudicatum est, ita ventriculi malum ad se omnem curationem vocare. Ergo ipse omninò est primo per hieram purgandus, deinde aloe lota, & myrobalanis confirmandus, Et profectò hiera non solum bilem, cui vertiginis causa attribuenda est, sed pituitam quoque infirmo ventriculo familiarem, subtrahit, vbi ferè eius generis est, qui crudus humor appellatur, atque is quoque hic subesse creditur, eo, quod intemperies frigida ventriculi intelligatur, quoniam à calidis iuuari, à frigidis autem lœdi expertum est. Vertigo tamen sequitur bilis ascensum in os ventriculi imbecillum, quoniam leuis est. Certiores verò etiam facti de hoc Medici sunt, quoniam illis humoribus alias purgatis ipsa sanitas videtur consequuta. Curatio itaque sic à me institueretur, vt post acceptum mel rosaceum solutiuum semel saltem cum iure pectorali dicto, cinnamomi portione adiecta, coniuncta etiam manna, hæc catapotia in vsu haberet. ℞. specierum hieræ s. Galeni, ℥. 2. Myrobalan. citrinor. ℥. 1. Agarici trochiscat. ℥. 4. rhabarb. el. ℥. 15. cum succo Iridis Misce & f. pill. n. 21. ex quibus sumat, Primò 5. deinde. 3. bis quaque hebdomada. Medijs autem hebdomadæ diebus sumat sacchari rosacei ℥. 1. pulueris macis ℈. 5. coriandro. ℥. 5. Misce. Quod si catapotia succo iridis non contineantur tãtum oxymelitis squillitici adijciatur quantum ad continendum satis fuerit.

De maculis rubeis faciei.

CONSVLTATIO XX.

SVmat prius purgantia humorem feruentiorem, vnde sanguis incalescens submittit eiusmodi vaporem, deinde refrigerãtia, tandem faciei exsiccantia cum refrigeratione. Exempli gratia. ℞. Myrobalanorum. citrinor. ℥. 1. cinnamomi ℥. 5. sebesten Num. 7. flor. cordialium. M. 1. radicis dulcis ℥. 15. Passularum. ℥. 5. Prunor. Num. 5. & facto iure illisque bene expressis. ℞. syr. rosacei solutiui ℥. 5. Misce & f. potionẽ, quæ iterũ sumatur septimo post die adiecta tunc ℥. 15. electu. rosacei. M. vel de succo rosarum. Medijs diebus inter medici-

A nas, & etiam sequentib. omnib. vsque ad 15. in aurora bibat aquam cicorei, cui incocta sint tum cicoreum, rum cicerbita, sumpto prius bolo ex saccharo rosaceo cum ℈. 5. rhabarbari. Postea faciei ingerenda refrigerantia ex aqua rosacea cum paulò aceti stillatitij cum camphora, cuius etiam oleum per se maximè faceret, faceret etiam vsus longus aquæ è melonibus, atque è cucurbitis expressa, neque esset alienum, si aliquid salis, & sulphuris adijceretur ad maiorem exsiccationem, & cutis firmitatem.

De Vertigine.

CONSVLTATIO XXI.

B QVoniam caput ab ineunte ætate in vitio est, nunquam bene habuit, sed tota adolescentia doluit, etiam dum in connubio esset. Viro autem amisso totos ferè 12. annos sensit quædam vertiginis initia. Interdum etiam vertiginem menstruis præferrim purgationibus quiescentibus, antequam consueuerint ventriculo etiam cum vertigo increuerit male se habẽt, a uomitu autem omnibus leuamentum accipientibus. Vbi ego sic statuerẽ quod ad antiquũ capitis infirmitatẽ sanguinis postea multũ citrioris, & crassioris accesserit, ætate iam quinquagesimum annum prætereunte, & corpore carnoso mediocriter nigriorisque coloris. Ventriculus ergo, ac caput cum plus materiæ suscipiunt, tum illam in peius genus permutant. Itaque corpus primo purgandum, deinde ventriculo, & capiti robur, & temperies restituenda. C Totum verò primum sanguinis missione qui exire multus permittendus, si crassus cognoscatur, vt suspicio est, sin minus, longiori, & magis repetita purgatione agendum, nimirum diu materia crassa extenuanda, & paulatim, vt extenuata fuerit, educenda est; proprijs quidem medicinis vt epithymo, polypodio, sena, myrobalanis, & postremo tandem radicibus ellebori adiunctis, vt describere Medici poterunt. Ventriculo verò melius tractando aquam Teucrij darem diebus saltem 15. quæ ei firmitatem cum abstersione coniungeret. Quod si quid in capite reliquum videatur vt certè reliquum fiet in vetustissimo morbo, tunc illud summa moderatione, & longo spatio tractandum, quo ad aliquam temperiem reducatur, sin minus id fieri queat, vt suspicio est, ad vlcus faciendum per cauterium transire D oportebit. Purgato itaque toto corpore, & ventriculo, caput quoque purgandum erit masticatorijs ex mastiche, pyrethro staphideagria, elleboroque albo, ac cera confectis. Sternutatorijs etiam ex succo betæ, anagallidis, parietaria, ex manna, succo rosarum, succo cyclamini diligenter attracto per spiritum adductum ex fistula, quę sue cauitatis vnicum habeat foramen quod in nates inijciatur. Caput verò interea retrorsum reflexo, vt succi interius eant, diutiusque maneant. Puluis etiam ellebori albi maxime sternutationem mouet. Purgatum caput, erit lotionib. exsiccandum ex chamæmelo betonica, ruta, asaro, agarico, salsa parilia; saluia, & tandem etiã ruta. Postremò ad cauterium erit veniendum, occipitio infigendum, vlcusque apertum seruandum, & interdum E puluere cantharidarum irritandum. Pilula madefacta in puluerem iniecta, quo ipsi adhærescat.

De renum affectu pro Illustri Aegidio Franceschino de quo Iulius Cinus, & Oratius Eugenius multa.

CONSVLTATIO XXII.

QVæ in eo oculis subiecta sunt, vnde morbus, & eius causæ deprehenduntur, hæc à me notari contigit. Totum corpus ex carne est, decolore, mollique cute pulsu inæquabili, & crebro. Vrinæ sunt albæ

albæ cum sedimento albo, ac crasso ita, vt puris tempe- A rāmētum, & corpus habeat, adeò tñ perlucidum vt pituita videatur, imò quoniam non admodum est glutinosum, pituitæ illud genus refert, quod crudus humor dici consueuit, neque enim aut odorem, aut penitus habitum puris tenet, potius vitrum liquatum imitatur, quamuis illud in minimas partes dissiparum, cum hoc non sit admodum, vt dixi glutinosum, habet porrò etiā quasdam partes, quæ cum non sunt perlucidæ, tum albedinem lactis imitatur, quod crudi humoris est. Minctus, quamquam interdum ob eius humoris copiam retardatur, nunquam tamen impedimentum habuit insigne, quem minctum proximè, antequam fiat, grauitas lumbos occupans omnes, antecedit semper post eum decedēs, ante eum nulla est irritatio ad perinęum, morsus nullus sed post eum aliqua renouatur meiendi cupi- B ditas, & comprimēdi suminis quidam stimulus ad quā compressionem cum suminis dolor, tum lumborū vsque ad imum coccygis os tanquam rei lacerantis sensus sequitur intolerabilis, deijciendi tamen alui interea cupiditas nulla fit, quamquam ipse tunc sua voluntate, atque ad commodiorem vrinæ excretionem id quoque procuret. Lapillos cicere minores sæpè excreuit, ferè albos, nitidosque, & multi liuoris, sæpius etiam arenatū copiam. Quo malo iam quatuor annos præmitur, cuius ab origine vrinam sanguineam minxerat. Originem hanc est antegressa illa vitæ ratio quæ apprimè renibus est aduersaria venationum laboribus, & ciborum ac potationum intemperantijs referta. Sub ijs incommodis quidem lapis in vesica esse consueuit, ad cuius onus, & molestiam eiusmodi humores attrahi, & labores cū C vicinis partibus communicare consueuere, propriè tamen ex ijs ego id non possum certo statuere, quamquā alij id fecerunt. Nulla est ad mingendum irritatio, prętereà eam, quæ a lumborum grauitate fit, nullum in vesica pondus, nullam in ęquitando molestiam ea in parte sentit, nunquam vrina suppressa fuit, semper arenatum, & lapillorum minctus facillimus. Vror ille nunquam ante minctum est sed tantum post eum, vt etiam irritatio illa ad excernendum, quæ tamen nunquam cum recto intestino communicetur, quod semper a lapide vesicæ solet ad excernendum incitari, tanquam pondere eius oppressum, ob eam, quam cum vesica habet cōiunctionem. Abstersio autem vesicæ, & colli illius maximè ad tantam derasionem peruenit, vt quoties humor ille mordax eas derasas partes percurrit, molestiā D illam summam illis & coniunctis partibus etiam alijs afferat; primum pubi, deinde etiam ad infimum os coccygis vbi non mouet deijciendi cupiditatem, quoniam id non habet, vnde organa solent ad excernendum moueri, neque ad cauitates pertinet, sicuti esset vel puris copia, vel lapis, Sed vna parte infestata in suij psius corpore altera ab illius molestia afficitur, quæ molestia per fibras communicata vsque ad illarum extrema capita solet pertingere, ita mirum non est, si vsque ad os coccygis perueniat. Cur autem lumbis infestum id sit, credo non tam à vesicæ labore fieri, quàm a propria meatuum vrinalium molestia; qui sua cauitate non adeo lata crassitudinem eius humoris magis sentiant, asperitateque & acrimonia magis afficiantur, itaque imbeciles, & breuiores tam longo attritu mordacis humoris E facti, cum vesica ob lotij pondus eos distendit, dolore afficiuntur, saltem pondus sentiunt, neque facilè se se eo fœdo humore expurgant, vi expultrice infirmata, nisi quando vesica penitus vacua, si non sua facultate attrahendi (quæ ei denegatur etiam si fibris quoque longis prædita est) certè ratione vacui illum ad se allexerit. Et profectò nulla pars dolore insigni laborans potest nō etiam inflammatione tentari aliqua; ea saltem, quæ phlogosis vocata est; qua meatus vrinarij breuiores facti longè etiam magis trahantur, vesica distentiori effecta, qua distentione corpus vesicæ sub dolore affectum compressionem pubis molestissimam habeat, imo etiā propriam contractionem, qua vrinam expellit, sic post actionem eam doleat, & dolorem efectura conatum faciat; quo etiam dolor maior efficiatur.

Ergo cum lumborum dolor sit; antequam vesicæ, meatus illi in se ipsi affecti esse debent, & non lapide, sed humore, quoniam non tam cito tolleretur pondus, neque tam cito reuerteret. Lapidem facilè gigni posse pro certò habendum est, quoniam causas habet, quas eum antecedere opus est, adesse tamen nunc dicere necesse non est; imò multa prohibent. Humorem descriptum certò habemus insensum, cuius causæ quærēdæ sunt. Renes certè in causa esse credendum, qui cōmune opus exercentes copiam tātam parare vitiosi humoris possint, quia tamen totius corporis recrementa tractant, & cum suis excernūt, materiam a toto corpore vel paratissimam possunt habere, quod de vrina liquido constat, de hoc humore videndum est. Tantam porrò humoris copiam ipsi de proprio vitio generare nequirent, tanquam minus bellè materiam propriam sui alimenti conficientes, itaque a toto corpore copiam a vitio etiam aliquid vitij esse ei humori putandum est, pituitosus humor est, quoniam crudus in genere pituitę est, ergo toti corpori a ventriculo maximè, deinde etiā a capite tribuitur. Vitium habet mordacitatis, illud a renibus esse potest, potest etiam a toto, quoniam febris aliqua id habet; in vētriculo ergo cruditates facta in iecore non possunt perfectam sanguinis speciem assequi, sic venæ omnes eo sanguinis genere refertæ ex eo quod melius est eliciunt, & crudum quod superest tanquam inutile, & onerosum vna cum sero ad renes impellunt. Seca venam ijs corporibus in brachio, multum inutilis sanguinis exire videas. Seca in talo, aut manu, puriorē sanguinem cernas, quoniam, quo magis ad carnes accedit, eo longius afficitur, & perficitur magis sanguis, & ab alieno segregatur, quod etiam vsui naturæ maximo venit, nam quamquam carnium vicinitas faciat ad cōcoctionē, venæ tamen maiores a carnibus remotæ plus spirituum habent, & ita melius possunt crudos humores in se reiectos superare, ac concoquere. Vnde medijs corporis partibus cruditate, & malo genere humorum refertis, frictiones, balnea, exercitationesque suspectæ sunt, & non nisi maxima arte adhibendæ. Iecur itaque tanquam spiritibus magis abundans, & si corpore non ita duro sit, viribus renes etiam duriores superat, sic venę omnes ea propter sua onera deponendo ad renes reijciunt. Renes quoque illa attrahunt suapte natura ad id comparati, qui non solum sanguinis serū, sed quicquid terrestris est in venis attrahere, & vesicæ tradere debeant.

Hoc autem in casu affecti quoque aliqua maiori caloris ui id valentius faciunt. In ipsis verò tanta humoris copia non potest non putredinis aliquid concipere, quę nisi in pus, certè in salsum humorem degeneret ijs in partibus, quæ caloris vim magis excipere natæ sunt. Continuo itaque decursu & meatus vrinarios, & ora, per quæ angusta in vesicam ingrediuntur, tum ipsam vesicā, & os illius atque collum abradere, & exilia reddere humor sic vitiatus potuit, etiam alijs suis partibus magis idoneis in lapillos concrescere nitidos quidem, & albos, quoniam materia eiusmodi est. Arenulas etiā crebro parere illis suis partibus, quæ terrestres quidem, sed nullo glutine affectæ sunt. Iam capita huius morbi colligamus. Est intemperies totius generis venosi necessario a longa consuetudine crudi humoris illata, & adhærescens. Est humor pituitosus totis venis versans, est atrophia carnium corporis, est eadem renum, & vesicæ cum eadem intemperie.

Materia enim inepta nutritioni est, & uires male idoneæ propter intemperiem, materia frigida sua natura propter moram, quam trahit in venis, & corpore propter obstructionem, quam sibi molitur concalescens, neque in melius sed in peius lapsa, putrilaginemque, & salsedinem nacta corpori etiam, venis, iecoti, renibus, & vesicæ inæquabilem intemperiem parit, earumque partium uires dissoluit, partes verò ipsas detersione nimia

&

& priuatione nutritionis consumit, & maxime renes, & vesicam nondum certe vesicam exulcerauit, quoniam ad mingendum non sollicitat, sed post minctum molestiam relinquens denotat meatum potius à collo vesicæ ductum nimia abstersione esse derasum, & vlcere affectum. Renes quidem hoc suo tanto recremento, quamquam materiæ à venis acceptæ, adeo tamen mutato periclitantur, ne vlcus contrahant, quod sine indicio sanguinis futurum non videtur, vesica quoque ob acrem in dies materiam magis fututam. Possemus quidem etiam suspicari, quod in alijs partibus exulceratis sæpe videmus, nimirum cur tot annos hoc malum perseuerarit, & ab initio vlcus in renibus factum, & sanguinē, ac pus emisisse, postea tamen contracto callo non iam sanguinem exire per callum posse, minus eum humorem maturescere licere, aut putredinem peiorem subire, quam rem in fistulis videre quisque potest. Quæ omnia iam incurabilem nobis morbum describunt, partes tamen, quas præstare Medicus debet, ostendunt, quatum ordo artifici ipsi constituendus, atque ad artis præcepta dirigendus est. Materia, quamquam opus intemperiei est, tamen quia intemperies materia manente remoueri non potest, humores inutiles primum remouēdi sunt, in quib. ea pituita est, quæ tantum vitij habet, vt reduci in melius non possit; qualis in hoc corpore multa reperitur, à renibus verò motus eius auertendus, sic per vomitum potius, quàm per aluum detrahenda, quoniam verò medicamenta purgantia non solum proprie dicta, sed pleraque etiam aliorum lenioris generis humores vbique sui parte in renes propellunt, quod vel ipsum rhabarbarum facit ideo cum per leniora agendum est, tum per ea maximè, quæ lenire morbum queant, quemadmodum flos dictus cassiæ, & ea composita, in quæ cassia ingreditur, vt electuarium lenitiuum, & diacatholicon, & cum his rhabarbarum componi potest, quoniam plus certe adiumenti afferret vi sua confirmandi renes, quam damni, aut incommodi humores illuc deducendo.

Quod si medicinis valentioribus corpus purgandum sit, & solutiuis dictis agendum, ego tutissimè id fieri posse existimarem, si acceptum medicamētum horam vnam aut alteram contineretur, deinde vomitu eijceretur, sic enim humores ad ventriculum à renibus retraheret, neque in omne corpus, aut ad renes diffundi posset. Corpori purgato temperies sua restituenda, & interea renes à recrementis comprehensis expediendi, deinde ad suam temperiem reuocandi, eisque habitus per alimentum restituendus, vt ventriculo ipsi, cuius ratio primum habenda, non tam, vt inde curatio initium accipiat, vnde morbus initium habuit sed quoniam totius corporis materia tractari tuto non posset, nisi ipse primum expeditus à suo onere fuerit. Atque cum vomitus opportunus futurus sit, poterit prius detergi humor melle rosaceo, vitando oxymel ob acutum genus ipsius, postea vomitus mouendus, primo lenioribus, vt eodem melle rosaceo, vel syr. rosato solutiuo, cum manna valde dilutis, deinde cum iure seminum raporum, deinde raphani, agarici, asari, elaterij mitigato cum butyro, cum oleo, cū melle, aut manna, aut syrupo rosaceo solutiuo, aqua malorum aurantiorum etiam multum potest, vt ius mali citri sine interiori acida parte cocti, quod ego expertus sum, vt ius radicis ipsius raphani. Multa alia in vsu sunt vulgo, vt lixiuium etiam, quorum quod ex vsu pro tempore videbitur deligi poterit. Antiqui vtebantur albo elleboro, nostri multis vtuntur ex stibio, & hydrargyro paratis, verum Antiqui ante diu ventriculum ad vehementiorem eum motum facilem vsu longo reddebant, vt vel menses integros consumerent in eo, ac metuerent magis eum motum, ne, aut ventriculo, aut pectori incommodum aliquod afferret; aut etiam humores minus promptos, minusque paratos habens eos in aliquam partem venarum angustarum, aut nobiliorem intruderet, quæ pericula, nihilo secius à nobis animaduertenda sunt. In lixiuio satis multum abstersionis, &

A nauseæ mouendæ vis est, quod si ipsis valentioribus vti voluerimus, ijs loco aqua tepida iura pinguia, vel talia butyro parata miscenda sunt. Ius etiam betæ multum abstergit, & oleris etiam hispani, & seminum peponum, & cucurbitarum, & mille aliarum rerum. Cæterum, quoniam nostro tempore ea industria caremus minusque pronos homines habemus in vomitum, & venas purgare valentioribus vomitibus neque commodè, neque tutò possumus, propterea ad ea, quæ per aluum purgant necessario confugimus, &, quod sponte non faceremus, id reipsa coacti facimus, & non solum diacatholicon, & lenitiuū damus, sed diaphœnicon, & hamech, cum illis tamen mitigamus, quæ partem eorum acrem, & renes petentem deliniant, vt iuribus sebesten, prunorum, radicis dulcis, iuiubarum violarum, florum nym- B phææ, buglossæ, prunorum, quę benè ad ignem contabuerint, vt flos cassiæ semper adiungatur. Cum verò etiam parantia humores danda erunt, idem faciendum, vitatem autem oxymel, & potius betonicam vellem, quam asparagos, quam radices petroselini, ea enim temperatior est, quamuis incidat, mallem etiam ceterach, seu asplenium, pimpinellam, fragariam, plantaginemque quam, quæ communiter diuretica vocitātur, in ijs enim abstergendi etiam ius est, quibus quoque quidquid caloris alieni ab obstructionibus, & morsu humorum excitatum esset, remoueretur, & omnis molestia vesicę illata, eluaretur, alieno autem calore sic fracto naturalis redintegraretur complexione generum omnium ad tēperamentum reuocata. Purgare renes apprimè terebinthi resina potest, atque etiam laricis cui morsus detrahi C lotionibus potest, quæ commodæ erunt ex aqua plantaginis, vel supradictarum aliqua alia. Magnorum quorūdam Medicorum authoritate metuūt multi harum resinarum usum, quod faciat renes tanquā cloacam totius corporis, scilicet uerò si ars non adhibeatur, & habeantur in usu quotidiano nulla alia obseruatione, quod de omnibus purgantibus renes dici debet. In quem certè sensum magni illi Medici loquuti sunt, alioquin errauissent.

Ars uerò diureticis necessaria iam dicta est, nimirū quod corpus ante benè expurgatum sit, ut, quod in renibus exiguum est reliquum factum, tuto demum euocetur, & quoniam tuti esse, certique de perfecta expurgatione non facilè possumus, moderatio horum ea seruāda est, ut identidem corpus expurgetur, & illa mitigata D exhibeantur. Terebinthyna itaque maximè accommodata est, ad purgandos renes, & uesicam lenitate maxima, & tepido calore consolandā, aliquod etiam robur afferendum. Puluis quoque subtilissimus ex chalybe more solito paratus cum uiscerum purgationi, tum renum, & uesicæ maximè opportunus est usu deprehensus, nam una cum abstersione etiam robur præstat, quod cum terebinthyna misceri potest; eaque colligi in bolum, & lapillis quoque è renibus deradendis diminuendisque idoneus est. Qui si inciderint proprijs remedijs erunt deturbandi, atque protrudendi ut iure medij corticis radicis ononidis, ut saxifragijs, ut spongia rubi, uel eius radicis iure, ut seminibus mespilorum; quæ dico libentius, quàm alia quoniam non calefaciunt, & robore inferendo potius id faciunt, quam laxando, quamquā E maximè abstergāt, lanugo etiam asplenij a tergo foliorum nata eiusmodi est. Appositus autem exterius lapis ille ex India allatus creditur lapillos è renibus & urinarijs uasibus exprimere, & multi expertos se affirmant, possem ego quoque iam dicere, nisi multa auxilia interuenissent, semper cum lapis apponitur, ut contra possum affirmare, uidisse homines ijs lapidibus indicis oneratos nihil leuamenti accepisse. Est lapis ferè in ponaceū colorem uergens, perlucidusque, quamquam etiam, si magnus sit, habeat partes albas, atque rubeas alias aliquando. Verùm purgandis renibus potiones largæ esse debent, itaque serum cum per se idoneum est, tum quod multis excipiendis medicamentis aptum, tum autem, quoniam in multa copia bibi potest, qua ad renes

citius,

citius,& magis integrum perueniat. Itaque ferrum candens in eo extingui, multa de supradictis incoqui, & macerari possunt, vnde attemperatè ad malum accommodetur, succi etiam commiscentur facile. Succus verò pimpinellæ, præsertim maioris odore hirci, betonicæ, atque etiam saluiæ mihi viderentur vtiles. Non mihi improbarentur potiones salsæ pariliæ, ad renes purgandos, & omnem callum auferendum, quæ si ventriculo infensę essent, ego aliquid guaiaci illis inderem, vel alterius rei, quæ ventriculo apta esset, vt saluia, & betonica. Quibus potionibus boli illi è terebinthina, & chalybe associari possent, nam à largis illis potionibus ad renes perducerentur. Vbi cum tandem robori conciliando opera attribuenda esset, tunc terebinthina dilui ex aqua tosacea, vel componi cum saccharo rosaceo posset. Verũ nihil magis renes attingit nil magis diluit, aut abstergit, aut firmat, quàm aqua thermalis, qualis esset Chalderiana in agro Veronensi, qua cum viscera omnia, tum lien emollitur, tum autem renes expurgantur, & firmitati suæ restituũtur; quod & natura sua facit, & facilius, quoniam, vt fere aliæ aquæ thermales large bibuntur; & tam cito renes adeunt vt integras vires suas illuc ferre credi possint. Manent verò etiam aliquandiu in vesica, nimirum; donec completa cogitur eijcere, sic multum agere sui operis possunt integræ, & diu ibi versantes. Aqua tenuis est, & omnes humores potest diluendo tenues reddere, quorum nullus aquæ tenuitatem superet, vnde Galen. serosos humores per sudorem elici posse ait siue vllo apparatu; quod nulli alij humori licet, ita fere eo dem puncto temporis, quo potantur aquæ hæc, renes ipsos attingunt, & viscera omnia perluunt, vt harum potione magis restitui posse corpus credendum sit, quàm vllis alijs. Egemus verò hic summa corporis restitutione, quoniam rheumaticus affectus ex longo spatio esse cognitus est; qui necessario corporis rectricem vim imbecillem, & vitiatam habeat oportet. Itaque post potiones supradictas salsæ pariliæ ego eiusmodi aquam datẽ, quod suo tempore eueniet, quoniam mense tantum Iulij incipit tempus id. Si hoc non erit ad manum, quoniam delutæ longius non seruant suam vim, & ad earum locum est accedendum; nam refrigeratæ si calfiãt, multum virium amittunt, & potius frigidæ sumendæ, cum refrixerint, quam calfactæ. Nisi ergo ad locum accedi potuerit deferri possunt Lucenses de villa dictæ; qui bus quidem à quodam tempore aliquid nominis detrahi videtur. Sunt etiam aquę S. Marini. Sunt Patauij à Medicis illis in hunc vsum idoneæ prædicatæ. Viciniores vobis aquæ sunt ficuncellæ. Harum aquarũ coenum præsertim chalderianorum, mirum est, quia vlcera corporis sanet, & quia confirmet laxa omnia. Sic aqua habet vim secum cognatam, dum etiam vapor esset, & cum ea parte, corporis percurrendo, illis commoda iam dicta facilè affert: neque ventriculo frigido abest, si humidus etiam sit, quod experimur; ad tutiorem tamen illius vsum exterius ventriculo sua auxilia applicantur. Exterius quoque aqua ipsa per balneum, & natationem adhibetur, quod ego sic facerem vt corpus non nisi ad renes vsque demitterem, nimium enim metuo cutem totius thoracis astringere, quæ perflationi idonea esse debeat, alioquin humores computrescent, & vidi multos, quibus demersionem eam tam altè factam denegassem. cum aliorum Medicorum verbis fisi, se totos nubi toties demersissent, nõ multo post malignis febribus fuisse sublatos. His omnibus perfectis videretur etiam satis roboris toti corpori vna cum purgatione, & attemperatione esse allatum, quare nihil mihi videtur de robore inducendo præterea dicendum. Ratio victus tantum reliqua facta est. in qua lactis vsum compræhendã, cum in medicamentis mihi locum non habere videatur. Cum Galenus calculum metuit, lac vitat, quod si qua causa concedere cogatur, asininum deligit tanquam minus casei haberes, aut nihil. Vt hic cum nulla necessitudo nos impellat ad lactis vsum id videtur omnino esse fugiendũ. Necessitudo lactis exhibendi apud Galenum

A est, cum ventriculus grauiora cibi genera non potest cõficere, cum corpus citiori opus habeat nutritione, quam illa sit, quæ à grauioribus cibis per longam coctionem speratur, vt in his, qui marasmo affecti sunt. Quæ hic non habemus, vbi cum corpus, quamquam male nutritum, non sit admodum extenuatum, & eius tenuitas à defectu boni alimenti veniat, possumus certi esse, quod viscera, & cor potissimum nutrita sint, quoniam valentiora semper melius retinent. Itaque vsus lactis videtur prætereundus. Verumtamen illud vellem considerari, quod renes, & vesica in tam longa conflictatione, & extenuatione tanta opus haberent alimento cum cito, facilique, tum eius generis tepidioris cuius lac est, & cum timeamus lac caseosum interea, dum calculorum metus est, asininum deligamus, idque faciamus post omnes

B alias procurationes, & perfectam renum purgationem, sic enim eorum calor, factis curationibus erit temperatior, & renes a nutritione lactis perfectũ sui caloris temperamentum, & humidiorem habitum sortientur, sed sumendum erit recentissimum, & ex vberibus ipsis vix expressum; alioquin lac omne refrigeratum, & quocunque modo paratum prætermittendum fuerit, ne dum caseus omnis, id verò propter calculi suspicionem. At propter vrinæ vitium omnia mali succi, hoc est omnia, quæ saporis genere aliquo excellunt; nam quamuis non omnia remissi saporis, nempe subdulcis, aut pinguis bonũ succum habent, omnia tamen bono succo prædita eiusmodi hebetioris saporis sunt, quemadmodum oua, carnes, ptisana, panis, castaneæ, amygdala, & similia; saporis namque excellentia à vi aliqua medica venit. Herbę

C etiam fugiẽdę sunt, maxime beta, & brassica, interdum borrago, buglossum, & lupulus concedi possunt. Lactuca singularis naturæ est, & ex herbis sola videtur alimentum habere, fructus pariter aspernandi sunt, & radices, nisi rapum in radicibus ad leniendum vrinam placeat, vt in fructibus pepones, si tempus tulerit, quod de cucurbitis quoque dicendum est, fundere enim quodammodo humores possunt, ne tam facile retineantur, & concrescant. Itaque etiam in cibis boni succi, illi vitandi, qui aut glutinosi, aut crassi, durique sunt; & multo maximè, qui vtrumque genus huiusmodi continent, nimium & lentorem, & crassitudinem, vti ferè caseus, & multa piscium genera, & suilla caro habent. Crassi autem succi sunt castaneæ, & legumina omnia; Sed longior essem, quam deceat eum qui Medicis intelligentiam harum

D rerum habentibus sententiam suam explicat. De potionibus sic statuerem vinum non posse dimitti in ventriculo, & corpore nutricem vim habente tam infirmam, initio tamen primoque corpus esset purgatum, ne nimium materiam moueret, datem rubrum, & ualde dilutum. postea cum corpus purius esset, & iam materia per corpus euocari deberet, darem album, in quibus ego dulcedinem esse nollem, quoniam aut flatuosa est cum remissa est, aut, cum intensior etiam bilem facere potest, & plus acuminis humoribus afferre, quam uino austero, dulcia quidem lenire humores creduntur ob lenitatem suam, eos tamen tantum lenire possunt, in quos incidunt ante suam transmutationem, ita pulmonibus etiam prosunt, & potius laryngi. At postquam immuta-

E ta sunt, dulcia esse non possunt, sed longius à dulcedine deducta in amarum humorem necessario perueniunt, cuius rei ratio facit, vt boni succi cibi infra gradum dulcedinis se continere debeant; quo per transmutationem in dulcedinem perfectam ingrediantur; quod enim nutrire debet, dulce esse oportet. Ita mel quoque fugiendũ, nisi valde dilutum sit, & nisi frigido corpori dandum, ut senili. Sed tenuia uina deligantur, & bene matura.

Hęc dicta sunt consilio eo, ut Medici curantes, modum præbeant, & ordinem, ut è re nata opus fuerit.

De febre uerò nulla mentio facta est, quoniam ad materiæ sublationem ipsam tolli necesse est.

De vrinæ vitio.

CONSVLTATIO XXIII.

COnstat indicijs multis corpus hoc tum malis, tũ crudis succis esse refertum, quod non ita crebro solet accidere, ac ferè nisi cum corpora ex melancholicis humoribus frigidum ventriculum sortiuntur, & omnino, cum viscera inter se minimè consentiunt sua temperie, ex quo corpora solent per Galenum, & per naturæ rationem esse semper valetudinaria, non est itaque mirum, si corpus nactum aliquam renum maiorem infirmitatem nimijs recrementis copia, & varietate peccantibus obiecti sint, cũ ipsi venis omnibus præter eas, quæ portæ sunt, ab omni recrementorum genere, etiam terrestri expurgandis destinentur, itaque vrinæ sint perturbatiores maxime ab exercitatione maiori, quæ colore obscuro, & fuluo ab exustis humoribus fiant, crassæ verò etiam à crudis. Hic metus est peioris mali, saltem ne crassitudine retenta casu aliquo in renibus calculi fiant, cum crassa materia renum calorem inuenerit, præterquam quod molestius indies fieret hoc tædium ætate, & partium imbecillitate, sed vlcus etiam habet humores exustos, à quibus oriri in renibus, & in collo vesicę posset. Ergo materia aliò auertenda, imo penitus submouenda & causę generationis ipsius tollendę, & renes firmiores reddendi. Materia autem prius aggredienda, quoniam causas sibi sustentat, deinde viscerum intemperies, vnde materia gignitur, tandem etiam renum ea, quæ imbecillitas eorum existit. Corporis ergo purgatio necessaria est, & præcipuè vomitu, si ipsi corpori difficilis, aut natura, aut insolentia non sit, quæ si per aluum facienda fuerit, minimè acribus fiat, ne plus acuminis materiæ inferatur, & plus molestiæ renibus veniat ea irritatione. Quare cassiæ medulla, diacatholicon, lenitiuum, diaprunum simplex, diasebestenque potius repetenda, quam valentioribus agendum. Post horum autem vsum de sero lactis caprini attemperate ad vitia viscerum, & renum præsertim comparando cogitãdum, vt ventriculi ratione cum succo betonicæ, quo etiam renes puriores fient, ratione iecoris & item renum cum succo cicoreę, gratia quoque roboris conciliandi, & purgandæ crassæ materiæ cum succo pimpinellæ, ijs enim & humorum reliquiæ educentur, & firmamentum partibus, ac temperamentum reddetur. Succus etiam fumiterræ sero vim auget expurgandi, & visceribus admodum commodum est; exustosque humores maximè respicit. Robur autem renibus maxime potest inducere serum, si chalybs candens in ipso extinguatur. Si purgatio etiam per ventrem spectanda, mel rosaceum solutiuum, & senæ etiam folia per macerationem adijcienda. Verum, quo ad renes cum cito, tum multa parte, & integris viribus accedat, id multa in copia dandum est ad Dioscoridis præceptum, vt omnino duas libras, & tres etiam superet pro ventriculi tollerantia, & ad 15. dies spatij concedantur, quo opus queat, perficere. Qua purgatione perfecta crediderim etiam per eadem satis temperamenti, & firmitatis viscera sortita esse, tamen postea vsum sacchari rosacei cum momento rhabarbari ego laudarem admodum longum, interdumq; loco rhabarbari saccharum ex floribus betonicæ, atq; etiam saluiæ immiscerem. Pimpinellam etiam in eundem modum darem diutius. Victum instituerem a crassis cibis, à crudis, & glutinosis remotum, atque etiam ab ijs qui mali succi sunt, sic ab acribus, salsis, amaris à caseo, pasta omni, leguminibus, fructibus, siue dura, siue molli carne sint, hic enim etiam malum succum timemus. A vinis etiã potentioribus. Sed hæc Medico præsenti erũt indicanda indies.

De motionibus, quas sibi noxias experitur, id dicam, quod, cum necesse est, ipse potius in equo, quam in curru iter faciat, motiones vero etiam animi immoderatiores fugiat, iram præsertim, neque diu stet, minus prã-

A dium diu differat, ieiunioque insolentiori non vtatur, quoniam ex eo humores etiam crassi solent vitiari, nedum renes. In crassis namque semper aliquid nutritioni alienum est quod tunc salsedinem, & alia vitia per caloris actionem acquirit.

Excellentissimus Physicis D D. Francisco S. Agathæ & Constantio Felicio. S. D.

CONSVLTATIO XXIIII.

EX literis alterius vestrum facile potui intelligere, quam incertum sit commodum, aut nullum ex potionibus chinæ perceptum a quibus tamen certissimũ, B & maximum sperari debuerat: qua in re eò minus cõmoueor ex literis ijsdem, quod cognouerim sudores per quos omnino potiones illæ iuuare solent, nullos fuisse, & nescio quo metu virũ Illustrissimum id artis pati noluisse, quod eis mouendis solet adhiberi. Ego itaque minus de spe deiectus ad hoc officium præstandum vobis quidem minimè necessarium, mihi tamen debitũ maximè excitatus sum, quo ratio omnis huius causæ, & deliberationis agendorum vobis ante oculos reuocetur. Chinæ potiones, quamuis fortè leuarint, certe non penitus sustulerunt artuum tremorem, non linguæ hebetudinem, qua sæpè tentatur, non somnum, non etiam symptoma illius excretionis per palatum, non illud tandem, quod neruos ad mandibulas præcipuè spectantes, attingit.

C Modo horum vitiorum causa partim in venis subest, quæ dicitur antecedens, partim sparsa extra venas est tanquam partium nutritionis, aut vitiũ, aut certè recrementum, atque quod tremoris causa est, pituitosum id est, quod ad alendos neruos tãquam mucor quidam lentus accedit, cum à natura aut nihil penitus, aut non ita belle superatur; quæ causa iam cum morbo cõtinetur, in carnibus etiam ea sæpè fit nutritio vitiosa, in qua quamuis carnis speciem succus accipiat, illam tamen integram non assequitur, quin succi naturam referat pituitosam, aut melancholicam, aut aliam, ita moles corporis, & carnis oneri potius, quam viribus augendis excrescit, quod Galenus libro de multitudine pulcra ratione exprimit, & vos etiam in hoc corpore Viri Illustrissimi cum nimium aleretur a Medico perspexistis. D Sic igitur in neruis factum, sic vel in ipso cerebro incidere iam potuisse videmus. His verò rebus iam intelligitis, quam potiones chinę sudoribus non factis per vrinas erumpendo vasa quidem, & vias per quas ipsę mouerentur, potuerint expurgare, & eam partem tantũ antecedentis causæ, quæ in illarum partium venis subsisteret, amouere; quod verò contra non potuerint cum ab omnis corporis, & artuum venis, tum minus superiorũ partium, minimè verò capitis, quicquam detrahere, lõgè autem minimè vitiosum alimentum, & intemperiẽ ab eo sustentatam extinguere, quod omninò per sudores erat faciendum, qui totius corporis partes permeando, & ad caput etiam pertinẽdo id perficere potuissent, nam membrorum coctionis vitia, in quibus Galen. vel „ erysipelata, & omne tumorum genus ponere solebat, „ E cum in ambitu corporis sunt, cum in capite hærent per „ vrinas vi depelli non solent. Contingit quidem aliquando externis partibus aut capitis, aut totius corporis frigore compressis impetus ad interiora, sed is a chinæ potionibus non fit. Quid quæris? non esse desperandum, non esse ab incepto desistendum, cum non ob morbi vires chinæ vsus frustratus sit fine suo, sed ob id, quod contra artem ei metus supradictus detraxerit, vt de curatione perficiẽda cogitare, & de guaiaci potionibus, quod fuit constitutũ, bona spe exequi possimus, præ oculis habentes tum mali vim, tũ symptomatum eius oẽm originẽ. Vis mali guaiaci tollitur tam recens, q̃ antiqua, antiqua vires auxiliorũ maiores requirit, qđ præter vim propriam eam cõmunem nacta est, quæ omnibus lõgis

morbis succedit, ea verò est, quæ discutientibus magis, & magis calidis opus habet, quod dissoluatur, vt a Gal. in libris methodi summa ratione est constitutū; quę res præcipuè in hoc malo existit, qđ multa nutritionis partium vitia cōsequuntur; quorum omnium origo in hoc corpore præcipuè in crassis, & frigidis humoribus sita est. Dico præcipuè, nam vel ipse Galenus, cum de exquisitis morbis loquitur, non audet semper illos in simplices penitus humores referre, in vnius prædominiū quidem certè eos nunquam non refert, Nam cū Medicus excessus tātummodo corrigere debet, tum illius officij non est minutas quasdam rerum rationes, & mixtiones obscuriores persequi. Mihi ergo sat est, quod præcipuus metus a tremore est, initium paralysis cum existat, qui quidem metus ab illa linguæ tentatione augetur, nam symptoma illud aliud cum excretione factum non ita occupari vires, imò excitari, & agere in materiam, & eā expellere indicat. Tremor illas occupatas tantum demonstrat, & nunquam exonerari se posse, imò iam intemperiem ab insidente humore insitam fore. Quare, præter luis dictæ suspicionem in hoc incumbere præcipuè debemus, & huc omne consilium dirigere, ne pituita neruos suo aut corpore, aut frigore occupet, & in hoc insistere penitus cum remedia tractamus, vt illā à neruis discutiamus. Quæ.n.à calore metuenda vidētur, huic vitio potius opem essent allatura, a bile siquidem pituita abstergitur, inciditur, & extenuatur, à calore concoquitur, & digesta discutitur. Atque vtinam hic caloris notæ non mentirentur. Nam nostis vos huius luis esse ferè vlcera efficere, vt in veteri etiam, cui multi anni spatij accesserint, vlcera vel cancerosa esse molesta, quoniam hæc lues humores vitiat putredinosa quadam vi, qua vel in initijs vlcera pariat, Vnde fit postea, vt, cum nullum humoris genus in corpore manere diu possit, quale primum esset, quin aut in alimentum, aut in corruptionem mutetur, ipsi sic vitiati, quo diutius in corpore continentur, cò corruptionem maiorem, & putredinem peiorem accipiant, quæ, cum calorem externum habeant, mirum non est exustionis speciem subire, & dicta exustionis vitia afferre. Cum ergo calor vtilis hic esse possit, atq; notæ eius sæpè falsæ existant, ille inquam minus nobis timendus est, Cum est necesse ratione luis præcipuè guaiaco vti, & præterea tremoris, & hebescentis locutionis metu, cogimur discutiendæ pituitæ, & frigori ab ea neruis iam impresso superando vacare, hæc enim αἴτια tremoris, & hebescentis linguæ causa est. In quibus melancholicus humor quoque, vt frigidus, & crassus habere suas partes potest, habet verò hic, vbi indicia non pauca ipsius sunt, ijsdem autē remedijs illius ratio haberi poterit, vt scilicet vna cum pituita discutiatur, quos scopos quam spectet guaiacum & ea, quæ solet exhiberi abstinentia, facilè intelligitis, & quod non ab vlla alia nota calorem præseferente impediatur. Vbi verò illa obseruatio summè necessaria est, quod, cum discutientia omnia siue calore, siue alia vi id habeant, prius fundant humores, quam discutiāt, hic præcipuè modis omnibus prius humorum nocentium copia, ne ad caput, aut neruos maiori incōmodo feratur, subtrahenda est, idq; eo valentioribus purgantibus, quo tum corpus iam consuetudinem cum eis longiorem contraxerit, tum humores crassiores sunt, & in magis longinquis partibus hærent, vbi non solum corpus totum, sed præcipuè caput pituita suis proprijs auxilijs exonerandum est, sic enim & tutior & vtilior guaiaci vsus fiet, quod & sudores facilius mouebit in corporis meatus expeditos incidens, & solidas partes onere humorum vitiosorum leuabit, ac neruos præcipuè, luis verò semina hærentia conuellet, & expurgabit, quæ maiori, quam vnquam alias diligentia tractandæ sunt; nec mediocri fidendum, nam & firmum iam vitium est, & quidquid eius relinquetur firmius semper erit, tum tempus ita idoneum, vt nunc, habemus rarò, & non nisi longo post spatio nancisci poteritis. Hęc sunt, quę ante oculos habenda iudico, & vna vobiscum quotidie in animo habeo, quæ vobiscum per literas communicare volui, vt vestris consilijs similia, & à me ipsi Domino debita. Valete, Pisauri. 10. Calend. Iunij Anno 1577.

De febre infantis cuiusdam per literas.

CONSVLTATIO XXV.

Qvoniam petis à me, quod amico, & humano homini negare non licet, de morbo puelli tui ego his literis eo amore, quo me tibi deuinctum tuis officijs sentio, petitioni tuæ satisfaciam. Hac ætate corpora calida, & humida, & sanguine maxime constātia, febres incidūt ferè à sanguinis corruptione; ita fere con-
B tinuæ sunt, saltem feruorem sanguinis sequuntur, rarius tertianas videmus, & quartanas rarissimè, quamquam ego quartanas multoties præ manibus habui in puellis etiam num in cunis, & fascijs viuentibus; Adiungunt vero sibi sæpè hæ febres et pituitæ putredinem in ventriculo, & intestinis, vnde etiam vermes molestiam febris augeant. Quæ duo in hoc infantulo fuisse proprijs notis ostenditur. Ille intensus vrinæ color, & pannos tā inficiens, denotat sanguinem feruore suo in bilem verti, duplex illa quotidie tempore meridiano facta exacerbatio, incrementumue, indicat duas partes esse in corpore affectas, quales essent venæ in iecore, & venæ ventriculum amplectentes, notæ illæ vermium, quæ præcessere, ostendunt etiam in ventriculo pituitam putruisse, & putrescere etiam, quoniam non tam cito illius pu-
C tredo solet quiescere; vt nunc quoque corruptam manere in ventriculo possimus existimare. Horum omnium priores causæ sunt cum ætas, tum viuendi puerorum intemperantia. His itaque sic perspectis, palam fiunt omnia, quæ agenda sunt, siquidem sanguis in feruorem, & putredinem procliuis sustinendus à feruore, & corruptione est, idē materia, quæ in ventriculo stagnat, exposcit. Quæ verò eorum iam corrupta sunt, omnino detrahi volunt, prius tamen aliquo pacto parari, Refrigerantibus ergo, abstergentibus, & incidentibus maximè agēdum, leniter etiam exsiccantibus, viæque sunt aperiendæ. Quocirca consilium vtendi accidis omnis generis probandum erit, vt succo, & granis malorum punicorum, qui medij sapori, sunt, & sane, succus is est facillimus superatu, neque onerat ventriculum. Valentior, sed
D grauior est succus limonum, & citreorum malorū. præsertim si cum pulpa deuoretur leuior ventriculo est succus malorum aurantiorum, & quamquam ex eo fit, qui dulcis nominetur, multum tamen abest à vera dulcedine, & ab illius offensa, dulcedo enim illa in suo, non in communi genere saporum dicenda magis ad pinguem saporem dictum, quā dulcem accedit, & aquosi valde generis est. Est etiam aptus huic vsui succus acetosę, seu oxalidis, & vel acetum ipsum, hęc enim refrigerant, siccant, & à putredine tuentur, incidunt, abstergunt que & ventriculo infantis aliena nōsunt. Expurgando aūt ventriculo, mel rosaceum solutiuum, & manna, quibus aliquid tamarindorum commodè adiungetur, vel aliquid tartari, seu fœculæ vini. Sanguini autem puro faciendo, mundādoque dari poterunt commodè ea, quæ vri-
E nas mouent, maximè graminis radices, sed & succi prædicti id faciunt, & multis maximè hominibus succus malorum aurantiorum, betonica quoque id potest, quibus radices fœniculi adiungi bene erit, atque asparagi, & rusci, non ita petroselini, quoniam capiti noxiæ sunt, apium enim est, quamuis hortense.

Hæc in potionibus cum cibo sumendis incoqui poterunt, cum portione cinnamomi, & aceti, ac succi malorum punicorum, & paulo sacchari, quibus post aliquot dies coctione iam perspecta adiungi poterit rhabarbarum per macerationem, quod apud nos locum absynthij tenere debet, cum illius vires habeat, & etiā meliores, purgat bilem expedit viscera ab omni crassa materia robur illis conciliat, & a putredine maximè

humores

humores tuetur, facit verò contra vermes mirũ in modum, & ventriculum valentẽ reddit. Sed longiori scriptura egerent, si illa multa vellem scribere, quæ essent idonea, quam prudentiæ curantis Medici conuenire videatur, reliqua ergo illius consilio permittam, & finem faciam. Vale Vrbini nonis Iulij 1577.

Febrienti causone notho cui sanguis esset detractus.

CONSVLTATIO XXVI.

Recip. syr. acetosi simpl. de succo limonum an. ℥. 1. aquarũ acetosæ, endiuiæ an. ℥. 2. s. misce, p syrupo. Item ℞. syr. rosacei solutiui ℥. 5. elect. de succo rosarũ ʒ. 15. decoctionis hordei, additis ʒ. 2. s. tamarindorum q. s. misce, & f. potio suo tempore post vsum syruporum danda.

Item ℞. aceti ℥. 3, vini granatorum ℥. 5. aq. acetosæ ℥. 11. fiat iuleb cum saccharo, ex quo in singulos calices aquæ coctę in quotidianas potiones ℥. 1. permisceat. Potest etiam aqua ipsa coquenda vna cum his parari sub sua coctione miscendis.

De puerpera, quæ doloribus totius corporis primo, deinde cruris tumore laborauit.

CONSVLTATIO XXVII.

Non satis fuisse expurgatum corpus pro sui necessitate tunc incidente ostendũt morbi insequuti, postquam eæ purgationes quieuerunt, quæ a puerperio sequi cõsueuere, plenitudo enim non simpliciter dicta, sed cum adiectione mali generis, primo vẽtrem tentauit, per quem nequaquam facilem egressum inuenit, neque citra dolorem ob confidentes in eo cruditates, quæ tum humoribus acrioribus detinendis diutius torquerent, tũ illis abrasę, & exeũtes multis modis dolores mouerent, & præsertim quod flatũ ederent, & quod acrib. ipsis permixtæ, atq; intestinis adhærescentes lentore ea morderent, vt propterea partibus alui ad resistendũ proprio malo collectis corpus excretionẽ in alias sui partes D tentarit, sic reiecta materia in externas, & eminentes corporis partes, omnibus dolores attulit, tãdem in crus depulsa non solum dolorem, sed tumorẽ omnis generis illud affecit varia ipsa suæ varietatis effectũ præbens, dolorem. n. & ruborem, tensionemq; tum albedinem, & mollitiem sine dolore importauit. Sic ergo varias curationis partes petit. Nam & sanguinẽ vt alimentum cõficiendum, & morbo agendo materiam præbiturã minuendum non solũ per abstinentiam, sed, quoniã magnum morbũ minatur, etiam per sectam venam, quæ et crassioribus malis humoribus facilior via erit, & humores alios vitiosos per medicinas esse detrahendos postulat. Crassus humor vna cum sanguine melius per infernas venas exit; Secta etiã vena ad poplitem vel malleolum internum purgationes facilè reuocãtur, sic prius in crure sano, deinde in ægro id fieri erit commodum, E ni prius tumor cõsederit, vt a primo sanguinis ℥. 7. mittantur, ab altero 5. eo spatio interposito, quod Medicis visum erit. Interea, si fuerit necesse cruri anodina concedenda, sed reprimentibus coniuncta, quoniam hic tumor ab internis omnẽ sui causam habet, in illis. n. qui ab ictu fiunt anodina, etiam sine reprimentibus dãda sunt vt Gal. lib. ad Glauconẽ sentit, neq; tñ hic materia illa reprimenda, sed decursus eius moderandus, qm̃ inutiliter admodum ad internas partes rediret, præsertim antequam corpus a mala copia leuetur, leniter ergo etiã dissolui dẽt, modo ne nimium in crus ipsum incitetur, sic reprimentia anodinis miscenda. Interea prursus

A auertenda materia est, tum clysteribus; tum post eius apparatum aliquem etiam leuioribus purgationibus, vt vteri purgationes permittere videbuntur apparatus per syrupos faciendus, vt rosaceum, qui satis abster git, motum tamen nimium in crus potest retardare, vt syrupum de betonica, de circorea, quibus varietas humorum respicietur, his aquæ similes sunt adiungendæ cum diluuntur. Medicina autem oportuna videretur, si fiat ex syrupo rosaceo solutiuo, manna, & rhabarbaro, quod, si totum imponatur, & magis faciet purgationi, & magis robur inducet partibus, id ergo è re nata tunc erit determinandum, sę folia senæ quoque adijci oportebit, si omnes humores trahendi sunt, nam non solum in melancholicum, sed pituitosum humorem potest, vt rhabarb. in flauam bilem, & pituitam crassam, B & lentam, atque à calore valdè affectam. Myrobalani quoque essent idonei cum reliquis, quæ in concinnando iure sunt in vsu, quod verò medicamentum, nisi satisfecisse videatur, & morbus longius trahat, erit simile postea repetendum, apparatu humorum valentiori interiecto. In victu idoneo præcipiendo videndum ne periclitemur, ac dum corpus cacochymum nutrire timemus, abstinentia magis lædamus, qua humores à nutriendo alieni solent fieri deteriores, dum calore agitantur, moderatione igitur summa agendum in cibo, in potione etiam non minus, quoniam vinum motiones humorum solicitat, sic, quamquam est concoctioni vtile tempore tamen concoctionis sub morbis quiete opus est, & vini opera in eo inutilis, vt cum mouendum est, ea maxime expetenda. Hic non solum quietem volu- C mus ad concoctionem, sed motum timemus, ne nimijs humoribus crus obruatur. Interea ergo aqua cum coriãdro ad ignem modificata vti oportebit, vel exiguum vinum multa ea diluendum. Cruris tumor mollis curato intus corpore cessabit, nam tenuis materiæ est, at durior, & dolens supradicta genera postulabit, quemadmodum si oleo rosaceo oleum amygdal. dulcium addetetur, & chamæmelinum, si farinarum fabæ orobi, & hordei puls ex lacte cocta cum ijs misceretur, vel si medulla panis ex lacte, sapaque & oleo rosaceo in cataplasma imponeretur. Sed Medicis peritis hæc dictu necessaria non sunt.

De gallico morbo cum multis casibus.

CONSVLTATIO XXVIII.

In tanta, & tam multiplici rei dubitatione video tãdem ea capita esse discutienda, primum numquid in hac affectuum complicatione eodem remedio omnes tolli possint, vbi quidam primarius est, alij inde nascũtur. Alterum est, num diuersis vel contrarijs remedijs requisitis primo priori morbo vacandum sit, an verò posteriorũ aliquis tam vrgeat, tam viribus officiat, aut pręteritus tantas vires sit acquisiturus, vt vel ægrotus eũ non sit tamdiu laturus quo prioris curatio finiatur, posteriorisque tentetur, vel posterior etiam priori sublato postea tolli nõ possit. Tertiò sunt illa, quæ ad rationem tẽporis, & corporis, & moris ægrotantis, tũ verò superius habitæ curationis habendã pertinent. Affectuum complicatio est ipsius luis gallicę cũ casu epileptico, & melancholico, de quibus ego non dubito; tamen, quoniã aliquis gallicum sublatum esse cõtendit, cogor eum persuadere, & dicere, quod restant adhuc illi casus, quos ab initio lues, cum ea aperte ęger laboraret attulisse credita ab eodem medico est, nam sub epileptitis concussionibus pustulæ in faciem erumpunt, & eadem penitus in primo epileptico casu rediere, quæ initio morbi extiterant.

Maculæ etiam eædem etiam sæpe postea emicarunt, tum capitis dolor, prætereo illam totius corporis decolorationem, & liuorem in eo homine, qui coloratissimus esse consueuerit, qui nunc, etiamsi nihil mali sentiat, bene cibum sumat, totis noctibus cõquiescat, nihil

tamen coloris sui naturalis recipit, sed fœdo admodum colore cum semper, tum certis diei horis est. Præsertimque hoc in oculis insolentius cernitur, quod gallicæ luis familiare est, & a peritis hominibus maximè certum illius indicium receptum, prætereo etiam, quod corpus suapte natura tam validum, nunquam non aliquid mali sentiat, omitto tandem tot imbecillitatis facultatum concoquentium indicia, quòd sunt in pedibus, & cruribus tumores molles, & albi malæ coctioni iecoris attestantes, vel sub ipsa curatione manentes, sub ipsoq; theriacæ vsu non cessantes, quòd vrinæ continenter crudiores sunt, & mille alias res vt luem eandē adhuc manere dubitare non debeamus. Cuius verò natura ferè ab omnibus posita est in virtutis nutricis vitio in parte eius præcipuè concoctrice; vt est necesse, cum ῥευματικὰς νόσους facere eius proprium sit. Morbos enim eiusmodi, hoc est, rheumaticos Galenus in imbecillitatem, seu vitium facultatis totum corpus regentis referebat; quos morbos etiam recenset, cum de tumoribus agit, qui de genere inflammationis sunt, & profectò si vllus alius morbus est, is verè est, qui, cū affectus ῥευματικοὺς faciat, & nulli non parti infestos & in virtutis altricis vitium, & eius, quæ totum corpus continet est referendus. Atque si Galenus ex vnius partis inflammatione ῥευματικῇ cōstituit tanquam ex symptomate vim totius corporis malè habere, cur non multo maximè id faciamus nos in eo morbo, a quo nulla pars tuta est, & nunquam vna sola tentati consueuit? Forsan verò eius curatio idem non penitus demonstrat, quæ semper duas partes postulat, nunquam earum altera contenta. Vnam, qua iecur, alteram, qua totum corpus expurget, vnam medicinis per aluum, aut vomitum purgantibus, alteram sudorem mouentibus vsam, vt & ventres, & carnes, mediæ, & eminentes corporis partes expurgentur, nimirū corporis totius natura redintegretur discusso ab omnibus eius partibus vitio.

Quod verò vitiū esse intemperiem cum materia nulla dubitatio est, ea propter purgationib. & omnino humorum depletionibus consumitur, & ab eo sæpènumero homines purgatis ventribus solo labore, & exercitatione adiecta liberantur, quoniā cū materia expellenda intemperies vna secum eijcitur, nunquam verò econtra fit, vt sola tēperatione adhibita solis tam celebrari alexipharmaci nominis medicamētis sine repletione vniuersi corporis morbus vincatur. Vnde in summa persuasum habeam hoc vitium etiam in habitum totius corporis effundi, sæpèque in eo contineri, vt scabiei praua contagio accepta, & eos longè errare, qui, cum in vno iecore vitium statuant, & vim natura illius ac substantia, vt dicunt, morbumque esse à tota substantia, per substantiam nō temperiem certo modo expressam, sed corpus ipsum intelligunt, solis namque exercitationibus illud in suam naturam non rediret, quæ calore excitato coctionem solum, & expulsionem humorum faciunt, neque vitium in substantia situm possunt exturbare. Prætereo, quòd in substantia morbus alia ratione esse non pōt, quam sunt alia accidentia, s. in subiecto, quoniam morbus est accidens. Materiam ergo esse cū suo malo genere certum est, cuius iam natura esset, cum cōmuniter, tum propriè in hoc corpore videnda. Ex contagionis vi putrilaginē habere, & situ quodā cōsistere ipsam intelligimus, qua solent non solū humores in venis, sed ij ēt, qui in carnibus sunt, comprehendi, vt in scabie, & lepra, atq; elephantiasi clarū est, humores aūt in carnibus etiam versari tàm qui boni alimento, q̄ mali, dubium non est, vt vel in cerebri densissimo corpore a Galeno statuantur ipsi mali, nedum in eius venis, & ventriculis, cui aūt generi humorum hæc putrilago, & situs nitatur, ēt cerni potest, nimirum, quod in omni generi crassatur, nullum, n. genus est quod emanare sub hoc morbo non obseruetur, omne verò cōtaminatum & impurū, vt vel pituita coloris impuri fiat, sicuti, & corpus omne nitidum minus euadit, quasi alicubi ēt humor & bonus inficiatur, vt nutriat quidē corpora & plena carnis reddat, speciem tamen nitoris non retineat, & qui facie coloratiori sunt, horum tamen rubor in quandam purpuram inclinat, minimèq; roseus dici pōt. Varios ergo humores habet, vnde sustentetur & cū corpore contineatur ea ita, & puritas, & profectò cum humores glutinosos nacta est magis etiā curationi resistit. Verum cum morbus is & contagio inferatur, & eo, quo materia seminis & spiritus illam pellens primo inficiantur, consentaneum est, vt recrementum id vltimi alimenti sit prima materia huius morbi, vnde & pilis capitis ex recremento alimenti nascentibus generatio inter initia auferri soleat, & per gonorrheam totum corpus diminui. Cum vero lædat actiones nutricis facultatis, & propterea in partes similares sit referendus, oportet in intemperiem reduci, itaque in earum aliquā potissimum, quæ vim coctricem offendunt, qua maximè sunt calida, & frigida.

Nam infirma vis concoctrix cruditates parit, ea vero duplex est, vna à frigore, altera à calore. In ventriculo quidem à frigore pituita nimia, præsertim eius generis, quæ crudus humor appellatur, à calore nidorosa quædam corruptio in venis autem à frigore pituita, à calore flauabilis, & spatio etiam melancholicus humor, ac melāncholia. In ambitu corporis similiter à frigore fiunt cruditates pituitosæ, & flatuosæ, & diuersorum aliorum generū, vt in œdematibus, & vitiliginibus, & alijs eiusmodi, vbi appositum alimentum non perfectè transmutatur, à calore autem erysipelata, herpetum omnia genera, & alia eiusmodi vitia. Vbi, si de huius morbi intemperie iudicium facere velimus ex dictis cruditatibus, quoniam cruditates omnium dictorum generum affert, nos vtriusque generis intemperiem, & in omnibus dictis partibus eam teneri statuemus, sicuti ex impuritate, & fœditate earum cruditatum putrilaginem eam adiunctam esse affirmabimus. Ergo ita cogitandum est, quod, quoniam putrilago semper adesse intelligitur, illa vim morbi teneat, cruditates verò, & intemperiei genera variare, vt putrilago illa forte in eius generis humorem incident, sic varijs intemperiebus sub eo morbo homines affici, vt vel idem homo morbi progressū etiam varias eas incurrat, vt vitæ ratione diuersa, diuersi humores eo vitio inficiuntur. Etenim scabies quoque non idem genus retinet, neque in diuersis hominibus, quibus ab vno, & eodem communicata est, neque in diuersis temporibus in eodem homine.

Hęc res facit vt putent multi, hanc intemperiem latentem esse, & vitij genus obscurum; quod de scabie quoque dicendum foret, ea inquam, quæ contagio adhæresciit. Is itaque morbus primum partes naturales inficit, deinde humores in venis calidiores, tenuioresque, sic initio biliosi generis apparet, spatio accedente diuerso, alios humores, & partes corporis rapit, ita varias species subit. Ad corpus iam hoc nostrum descendamus, in ipso ferè frigus, & crassi humores significantur, vt ab initio contra tenues, & calor. Melancholicus siquidem humor calorem quidem, sed potius præteriti, quam præsentis temporis, & status, indicat, qui igniculos illos exustionis etiam non retinet, nisi exusti illius, & pessimi generis sit, qualem exustionem hic non habemus, quoniā ferinum faceret furorem, nō mœrorem, & mæsticiā, & per quas partes excerneretur, exederet, & pustulas cancerosas exprimeret, & cætera quæ Galenus percurrere solet, quorumque nullum hic habemus; pustulæ namque benigniores sunt, & nihil eiusmodi cernimus in toto corpore, aut in excrementis: Color etiam corporis albus est, quamquam minimè nitidus, & decolorē hominem videamus, sic pituitā significant ea omnia. Tactu etiam fere frigidum corpus sentitur, & ipse ait se frigus percipere semper, calorem autem rarissimè, breuiterque & tantum aliqua in parte, qui calor minimè acris est, flatu abundat, qui ex humore calido efferri non potest. Corpus etiam pingue est, & molle, quemadmodum sua natura etiam neque hirsutum, neque moribus nisi benignissimis, vt nullum videas beniguiorem, somno

etiam

etiam longo est sine insomnijs, & minimè interrupto, quæ interruptio calori solet attribui memoria, sua natura firmissima esset, nunc sub hoc morbo sæpè hebes, vt cogitatio quoque, & sensus omnes, sententia etiam firmior, & obstinatior facta; quæ ipsa quoque, vt dictorum tarditas frigus significat, his consentit lingua blæsa facta, caput graue cum sensuum internorum stupore quodam, quæ non solum frigus, sed humidum genus adiunctum demonstrant.

Præterea, dum dolet capite, dolor acris non est, potius stupidus ei videtur, totam frontem occupat pondere cum somnolentia, ita, vt ipse studeat oculos tendere ad sui excitationem Epilepticum symptoma esto pituitam non denotet, multam tamen illam ostendit, cum eius incredibilem copiam per os eijcit, quæ vitreæ modo pellucida est, & non ita multum crassa. Siti etiam caret, satis cibum cupit, multa glutinosa per aluum expurgantur, quæ à Medico non in pituitæ abundantiam, sed in intestinorum abrasionē mucositatum refertur, quasi eorum abundantia tanta esse queat, nisi ob nimiam pituitę creationem, quasi mucositares, quæ modum non excedunt, quæque intestinis necessariæ sunt, non maiori vi egeant, acrioribusque abstergentibus, quo ab intestinis euellantur, & secum etiam aliquid sanguinis non soleant elicere; hæc pituita vero sola intestini lotione perfusioneve iuris carnium cum sacchato facillimè tam largè delabitur, quæ profectò, si in loco vllo calfacto versata esset, aliquid salsi haberet, & id intestinis molestum adeò, vt ad deijciendum irritarentur. Sæpè, nedum clystere nō expectarent. Sed totius quoque corporis grauitas sæpè magna, & tremor interdum cū multis alijs mihi frigidū, & crassum humorē denotant. De quo quidem tremore obseruari velim, quod propriè tremor non est, quoniam quiescenti mēbro etiam fit, Conuulsionem igitur esse dicat aliquis sed hæc ipsos motus voluntate edendos prohiberet, quos is tremor non prohibet, nā sub eo æger & ambulare, & brachia attollere, & pondus sustinere valet, quamquam sub eo pondere maior tremor excitatur, potius ergo palpitatio musculos cōmouēs extiterit, cuiusmodi vidi sæpè in capitis musculis factam ēt capite reposito, quamuis illud quoq; fieri pōt, quod, cum non omnes musculi quiescant reposito mēbro, sed aliqui tñ interea figuram membri, & collocationē regant, is motus a debilitate eorū actionis fieri, & tremor esse posset. Quidquid modo sit, certè ad genus frigidum humorum, & crassitudinem eorū debet referri. Vidimus quidē sæpenumero eius labra hoc pacto tremere, vt a flatu inter carnes excitato, & identidem cōsumpto seu discusso fieri consueuit, nā actione labiorū non impedita dum comederet, labia tñ cōtrahebātur, qui verò flatus in crassum omnino pituitę genus referēdus est, tenuis namq; & aquosa pituita ad cum minus oportuna est, vt tremor verus a neruis male a pituita nutritis esse consueuit. Humores ergo frigidi, & crassi hic erunt. Posset quidē aliquis existimare, qđ casus epilepticus fiat ab humorib. calidis, si calidorum humorum aliquæ notæ existerent, at neq; illæ vllæ sunt, & frigidorū plurimę, sed quid vetat fieri epilepticū hunc casum a maligno illo genere, pp gallicum humoribus inducto, quo cōmune neruorum principium vexetur aut vaporibus eius mordacib. immissis, aut ipsomet id principiū attingentes, dictum principiū quidē a cerebro primum exit, nā cerebrum ipsum sensu carens molestiam illam non perciperet, & cū ob pituitā, quę eius sinus obstruit conuulsionem cerebrū facit, id natura altrix per spiritum facit quærens liberam sui perspirationem, & excitans mēbranas ad eam cōpressionē, quæ crassa pituita in sinubus cerebrum onerans eijciatur, ferè quidem casus epilepticus sit a malo spiritu dum cū bono in neruos fertur, & impetu expulsus eos tendit. Quęcunq; modo causa conuulsionis sit, vel ēt ob morsum ventriculi fiat, vnde cerebrū afficeretur, & pituita, solum pp cōmotionem cerebri tāta de-

A scendat, illa tamen sui ipsius abundantiæ indiciū est, cū tam copiosa cernatur, & originem ēt sui intus esse iam ostendat, &, cū æger post casum tamdiu stupidus maneat, & tanto stupore, vt dormire videatur, pituitosum humorē mulrū, & ab eo refrigerationē denotat A frigido humore ēt, vel eo cōiuncto omnino fieri casum hunc illud quoq; indicium est, quod cum somni quietissimi sint, post eos mane ferè casus mouetur, fit verò post somnū, quoniam humores per somnū collecti expergefacto ægro excitantur, atq; a natura irritata excernuntur; neque.n. somnus tam quietus esset, si calidi vapores cerebrum peterent, a quibus semper turbulenta insomnia excitantur. Confirmat idem, quod, qui casus post somnū mane non fiunt, illi omnes ad vesperam differuntur ad horam.s. humorum frigidorum.

B Sed licet ne proferre aliud, quod forsan mirabile videatur pro confirmatione huius sententiæ? Illud equidem non possum silentio præterire, quod minuēte se lumine lunæ eius casus sit accessio, quasi altero sole non tā iuuāte cerebri coctiones, sit ēt luna existēte in frigidiorib. signis. Primus siquidē accessit luna tenente aquarium, & propè silentium suū, & proficiscente à coniunctione saturni, secundus, luna existēte in fine scorpionis cum oppositione Martis, inde luna nunquam in scorpione fuit, quin hoc malum senserit, bis tantū ea existēte in Tauro, semel cū sileret in Ariete, ter ī Capricorno, vbi esset quoque Saturnus. Sed vehementissimū fuit cum luna sileret in Cācro, & oppositum haberet Saturnum, &, vt in summa dicā, his signis lunam habētibus, fere, & Saturno oppositam; vel coniunctam peius habuit. Quæ cœli partes, C quæq; sydera partim frigore, partim concitatione aliqua posse creduntur. Eius casus vexationem, conflictationemq; sequebantur pustulę in lingua, seu papulę, quę Galeno essent, φλυκταίνες, & in pituitā referentur commixtā multam cum ichore, seu sanie, quę ipsa quoq; cruditatē refert, vesiculę verò sunt aquę plenę, quę acris quidem est, quo separet cuticulam à cute, seu carne, pituita tamē liquidior est, habet verò eā acredinem ex putrilagine vitiosa proficiscentē, quæ hic gallicæ luis est. Atque hactenus humoris pituitosi notę, & frigoris sūt propositæ. Videndū modo esset, num etiam calidus humor subsit, qui certe, nisi corpus quam longissime à sua natura esset deductū, omnino esset videndus, maximè sub hoc morbo, qui calidos prius humores non solū arripit sua putrilagine, sed per illam quoque vel frigidis aliquos addit igni- D culos, dum vitiat, ac corrūpit, tamen nisi diligentius perquiratur, vix aliquis humor naturæ calidioris perspicitur. Sub eadem concussione corporis laboriosissima, quæ etiam sudores mouet, dum alias excretiones tentat, natura, exeunt, toto fronte, seu facie pustulæ, seu papulæ, & vna cum illis maculæ illæ sibi ab ineunte morbo tam solitæ, quæ aliquam caloris vim sequuntur, qualem diximus à natura putrilaginis cōcitari. Dicunt fere Medici, cum inspiciunt alui feces ex albo in luteum inclinātes, & bilem dilutam referentes id caloris, & bilis esse indicium, quæso conferatis colorem hunc cum eo, qui in homine eodem sano deberet esse, vel in aliquo temperatæ naturę, & meminini rem, vt debetis, tunc colorem hunc potius dilutum, & ad partes pituitæ, & bilis aquosæ accedere cognoscetis. Etenim per aluum recrementū bi- E liosum, & in felle valdè obscurum factum deijcitur in omni corpore benè habente, & de melancholico nō parum, vt a liene confectū superuacuū respuitur, ita feces alui obscuriores in sanis esse consueuere, fuluum cū fusco colore mixtum semper præ se ferentes, quapropter cum in hoc corpore minus obscuræ sint, & albedinē pituitæ, & recrementi ciborum vix tusso colore illo diluto inficiant, certè minus eorum recrementorum erit, quæ calidis humoribus attribuuntur, & calidam temperiem requirunt; vel etiam mediocrem, quoniam hæc non nisi multa pituitæ admixtione, & bilis vacuitate tales feces esse possunt. Cui iudicio vero fauent vrinæ ipsæ quoque sæpè ferè aquosæ, rato coloratiores ijs, quæ sani hominis esse consueuere.

Cum ergo hic pro sano homine recrementa non fiat, illa ad frigidius non ad calidius genus sunt referenda. Verum quod extent nota humoris melancholici is Doctor vrget maximè quod ob id intemperies calida sit, cuius præter mœrorem,& mæstitiam, & illa alia superius compræhensa illud etiam signum est quod in collutionibus oris liquor reiectus effert sordem quandam nigri coloris. De quo propterea humore melancholico ego cogar verba facere vt intemperiem, quam indicat dignoscamus;& primo illud nigrum recrementum examinabo,id spumosum est,& supernatat,colorisque liuidi potius,quam fului,aut atri,fine vllo sapore, sine vllo molestiæ sensu, aut detersionis, & rarò admodum cernitur,& nũquam sine multa collationis vi. Mitto,quod potest esse sedimentum relictum ex ijs, quæ in collutionibus cum aqua commiscentur, vel ex ipso diamoron. Certè,si exustum quid esset,non supernataret, non liuorem præseferret,exusta enim nigra,aut fulua sunt,& terrena sua natura ad imum deferuntur, sensum etiam sui afferunt igniculi ab exustione necessario relicti, vt lixiuium; Certè humor melancholicus per exustionem accidus esset,qui tamen sic frigidum se esse indicaret, longe enim est magis accidus, quàm naturalis melancholicus humor,si Galenum audiamus, & naturæ rationem sequamur exulcerat verò etiam vel intestina genus durius,& omni generi infestorum recrementorum assuetum,mucoreque cõtra erosiones munitum, ne dum oris mollissimæ naturæ partes,quibus diu is humor adhærescit,nec nisi per vim deraditur,quid mollius, & raru facilius faucibus,glandulis earum,& gingiuis? In quibus partibus diu is considet, cum ipsæ non habeant organum expellendi, vt intestina habent, quæ ad quanque molestiam se se citissimi contrahere:& liberare ab offensa possunt,eo tamen dicto humore incurabilibus vlceribus afficiuntur,tanto mucore à natura munita. Esto ergo, sit melancholici humoris id recrementum, certè naturalis,& frigidioris fuerit atque si à cerebro descendat, propterea in eo nil nisi frigoris effecta præfert,non caloris,sic non insania acri,& audaci illa,quæ mania dicitur eo exusti humoris effectus est, sed mœrore, metuque. Quod si ad indignationẽ moueatur interdum, quæ quique principis naturæ familiaris est,& probitatis socia,& iam in morem redacta,& vehementem vim facere deberet,ea tamen semper metus plena est, mæstissimique generis,quasi naturam hominis sequens,at nõ suam speciem retinens,verum in eum traducta,quæ humorum efficientium est: Sub animi ægritudinibus, quæcunque illæ sint,sententiæ semper firmioris est, neque eam mutare tam res natæ possunt, quin metus magis confirmet. Frigidioris ergo humoris melancholici, & naturalis indicia habemus. Neque calorem tanquam eius causam accusare debemus nimium superantem, sed causas solitas,quæ corporibus huius naturæ eueniunt, & in hoc certissimæ extitere. Corpus enim semper multo sanguine abundauit.ita multo sanguinis ferè iuxta Hippocratis sententiam,quæ ait,eiusmodi corpora, nisi sanguinis expurgationes aliquas habeant, in corpora melancholica traduci. Sanguinis enim pars meliorà carnibus absorbetur,& in alimentum absumitur,sic crassior reliqua fit,quæ non tam exiguo spatio commorari potest, quin à calore etiam naturali,à quo in alimentum conuerti nõ potest,in peiorem,hoc est crassiorem habitum, & frigidiorem tandem conuertatur. Accedit ætas,quæ non solum in huiusmodi corporis genere; sed in omnibus etiã maximè potest eiusmodi humorem facere, nimirum enim 44.annorum est,facit quoque ad humorem melancholicum morbi ipsius longitudo, & natura,gallicus enim ferè in melancholicum genus tandem, & pituitosum humores perducit,ita Medici celebriores solent ad eum semper curandum purgatibus melancholicum humorem vti,adhibentes Senam,e Pithymum,elleborum Polypodium, & myrobalanos; & componentes, sirupũ elleborinum dictum,quem Montanus Veronensis ad exemplum eorum,quos magnus Arabs ad antiquum ca-

A pitis dolorem excogitauit nobis tradidit,parando etiam humori quis est, qui non det syrupum de fumo terra de lupulis,tandem de fumo terra,compositum? Itaque cum omnes morbi diutius trahendo humores suos in melancholicum deducant,in hoc præcipuè id esse conuenit cũ eius natura eiusmodi sit,propter dictam putrilaginẽ qua vel pituitam sordidam,& virulentam reddit, subeit ergo humor quoque melancholicus non ille torridus, sed frigidior, quanquam virulentus ob morbi naturam, & ipsa quoque pituita, vt propterea intemperies frigidior censenda veniat. Et profectò, vbicunque humor melancholicus fuerit,nisi exustus ille sit,& calore nutritus, semper pituitę multũ reperitur,quoniã frigidus est,itaque in quartanis febribus (quæ fiunt ferè ab humore melãcholico iam refrigerato,alioquin ab illo feruido malignæ essent) copiosa pituita est,nimirum, quoniam siue per exu-
B stionem siue alio modo humor effectus sit,frigidus semper euasit,alioquin quartanæ in continuas, & malignas euadunt,quibus vidi sublatos homines 27. die, à prima inuasione,cum nouem primis diebus intermittens fuisset,& simplex. Omnia ergo confirmant intemperiem potius frigidam hic esse. Verum audiui duos Doctores hic altercari, quorum alter dixisse videtur morbi genus frigidum non semper ostendi ab ipsa Apoplexia,quæ frigidus morbus ruus dici non potest, cum à sanguine est, tamen semper diminutionem, & extinctionem actionũ habet,sic non semper diminutionem, & extinctionem actionum animãtis facultatis esse in frigidam intemperiem referendas, minus hic valere argumentum, quod cum fiant diminutæ illæ, & stuporem referant, frigus
C subesse indicent,à cuius Doctoris,partibus illud quoque stare videtur,quod neque corruptæ actiones semper caloris causam habent,quoniam in insania, quæ cum mœrore est,& tristitia,quæque à frigido humore melancholico fit,corruptę tamen actiones sunt,siue in imaginibus falsis,siue in cogitationibus erroneis sint. Diceret etiam alius,quod comitialis morbus actionem motionis corrũpit,tamen in frigidam causam, vt plurimam refertur. Hic certè harum disputationum necessarius locus est, quoniam de re illa fit,quæ curationem variam faciat,& alienam nisi ipsa ad veram firmiter statuatur. Apoplexiam à sangnine fieri non est dubitandum, & sæpè etiã eo carotidas arterias complente,obstruenteque,& è cõtra Epilepsiam à pituita; tollitur tamen nodus,quoniam,
D cum Galenus refert corruptas actiones in calorem,& diminutas in frigus, loquitur de actionibus ad notionem spectantibus non ad motum, & de morbis in intemperie positis,& ad similare corporis genus pertinentibus, non in obstructione,& ad organum corruptum referendis. Sic corruptus epilepsiæ motus,tum non ad intemperiem est referendus, sed ad organi vitium, tum actio notionis non est. Sic Apoplexia quanquam actiones etiã notionum extinguat,motiones tamen ipsas etiam cohibitas complectitur,tum verò ad organi obstructionem, non ad solam intemperiem reduci debet, sic quando à sanguine fit. Ille quidem ob suam intemperiem actiones mentis,& sensuum potius corrumperet, & corrumpere cernitur,antequam penitus facta obstructione eas facultates intercipiat,insani enim videntur ægroti illi,cum incipit malum,quamuis postea perfecta obstructione vna
E cum omni actione etiam insania intercipiatur. At in melancholia frigidi generis,quæ tota ad notionem pertinere videtur, & corrumpit tamen, non diminuit. Dico quod humor melancholicus meo quidem animo, non corrumpit primo,& se ipso actionem notionum, neque modo tenebrarum id facere potest, vt putat Galenus, quoniam vbi lux locum non habet, ibi neque tenebræ veræ,quas veras faceret ater humor,vel atri humoris fumus,nec alias aliquas translatiuè acceptas. Verum primo, & se ipse humor melancholicus afficit animi vim suo frigore,& ariditate,illamque arctè coercet, vt calor humidus sanguinis illam fundit, & dilatat, sic quemadmodum sanguis lætitiam affert, melancholicus humor tristitiam, ille animum auget, & metum incutit, ille

fiduciam

fiduciam , is suspicionem ; & sic contrarijs naturis contrarias animi ægritudines faciunt ; atque eo frigore , & ariditate tam inimicus est vitæ, quæ in calido, & humido viget, tantum timorem, & suspicionem,& desperationem infert,vt non solum animus cōstrictus teneatur,sed instrumenta quoque corporis,nam ad animi motionem spiritus mouentur, spiritum ipsum sanguis,& humores requiruntur, his autē corporis partes agitantur adeò,vt vel ad intestina motu contractionis pertinente,illa quidquid continent, exprimant,præsertim quod interea spiritus musculum claudentem relinquunt,qui infirmus non potest contingere,& vi vitæ omni se se contrahente, actio tamen animalis remitti cogitur, & laxari, quoniam uis animalis in suis instrumentis insita non est, vt quæ vitæ, & naturæ est, sic ad suum initium cum spiritu reuocata instrumenta relinquit inualida. Sub ijs ergo animi ægritudinem mens, seu noscendi ius ad imagines senilis generis conuerti cogitur, atq; ad eiusdem generis existimationem,sic imagines infensas,& suspicionis plenas, sic suspiciose,& cū tremore cogitat.

Nil ergo dubitationis sit, quin in ægroto nostro intemperies frigida subsit,siue ad animi vim,in qua mœrores,suspiciones, desperationesque semper versantur, siue ad vim notionum,in qua stupor quidam, & sopor, ac stoliditas sæpè est, siue ad motiones, quæ languidæ sunt,nisi per casum illum corrumpantur,quo distentiones neruorum fiant, aut ab obstructione, quæ organi morbus est,neque ad similares partes, aut intemperiem refertur,aut ad irritationem a virosis humoribus, & fumis factam in neruos, quæ intemperiei quidem fuerit, sed calidæ, Vtroque quidem modo nerui distendūtur, quoniam natura contra nitens, & propulsans facit illam exagitationem partibus identidem in se contrahēdis,sub quo tamen in ægroto nostro tantum pituitæ excernitur, vt intemperies frigida non mediocris,sed maxima subesse intelligatur. Ex quibus ostenduntur nobis iam, quæ ad curationem facere debeamus. Nam subest primum vitium gallicum quod absumendum se esse indicat, non enim tàm intemperie, quàm corpore suo illam continente valet.

Deinde intemperies frigida in multis membris, ea tamen, quæ non seipsa manere queat, nisi humoribus sustentetur,ideò relinquitur,quod humores sui ablationem significent. Ordo verò ille demonstratur, vt corpus prius prauis humoribus omnia mala sustinentibus, & a malo contra remedia stantibus expediamus, omni genere purgationum,tum communi,quæ per vomitum,per aluum,per vrinas,per sudores,tum propria qua caput maximè spectet, deinde à vitio gallico mundemus, quod absumēdum omnino calido,& sicco remedio est,& eodem per sudores eijciendum, quoniam, vt dicebam, iam totum corporis ambitum occupat, quo verò non impellat in caput humoris plus, non solum ea purgatione cautum est,quæ ante instituta est, sed auersionibus continenter , & quotidie factis per clysteria acriora , per frictiones, per cucurbitulas cruribus affigendas,per vlcus cruri inurendum, quod maiori ea necessitate faciendum est , quoniam vlcus antea factum, & diutius gestatum coaluit, & inde fortè casus peior euasit,nam sæuior , & crebrior accedit,sic tutius causæ submouendæ vacare possumus, qua sublata casus omnes remoueri cogantur,neque metuendum erit, si auersiones hæc diligenter fiant, ne caput nimio affluxu humorum oppressum sibi malum habitum cōtrahat , neue potiones guaiaci suo calore in caput nimium humorem tollant, purgato præsertim benè corpore, neque enim sat est, quod ait Medicus,caput esse imbecillum, quo repleatur, nam imbecillitas sine materia nunquam recipiet fluxionē. Itaq; dū chinæ potiones sumeret, & sudoribus minimè promotis humores non excernerētur , caruit quidem eo malo casu, cum proximè corpus purgatum fuisset,at interea eo longo dierum spatio nouam humorum congeriem fecit non factis sudationi-

A bus, sic casu finitis chinæ potionibus, acceptisque alijs, nempe guaiaci valentioris rei ex ea congerie in caput pars elata est,& casus acrioris facti. Quapropter ea cautione agendum est, vt dum corpus leuatum ab humoribus est, antequam nouum cumulum congerat, sudores moueamus auersionibus illis non præteritis , ac nisi vlcus cruris satis potuerit,brachio etiam alterum faciamus. Si etiam sub sudoribus iacenti in cubili caput repleri nimis ex eo decubitu videatur, componatur æger in dolio,seu lacu in sella , & sedenti totum corpus intra lacū,& integumenta conclusum habeatur capite exerto,donec satis sudauit. Suppositis interea ignitis lapillis,& iure herbarum ad sudorem facientium insperso, vel ne fumi nimis fiat, supposito vase iuris illius pleno, & coniectis in id identidem lapillis ignitis , neque interea B capitis purgationes prætereundæ , neque auersiones dictæ. Sed iam essent proferenda omnia suo ordine & describenda,quę facienda sunt. Continuo ergo bolus dandus est eiusmodi. ℞. specierum hieræ simpl. Galen, p.2.s.electuar.lenitiui ℥. 10. misce & cum saccharo , & puluere cinnamomi f.bolus, sumendus tribus horis ante cibum. Ego libenter tres horas spatij de eiusmodi medicamento, quo melius possit ad efficiendum opus suum perduci,antequam sumatur,& sumendo cibo vētriculus illud ad intestina deprimat,vbi facilè postea reliquum operis sui perficit,neque cibi molitionem impedit,quoniam neque dum in ventriculo esset, quidquam molestiæ ei attulerit, neque dum in intestinis est aluum depellens,quoniam leniter id agit.

At quoniam pulueres hierę humorem ventriculi con C uellunt,qui sæpè in huiusmodi genere corporis, & morbi solet esse pituitosus, & multus, quique non facere per longam intestinorum viam deuolui potest, ego propensionem ad vomitum facile arripio in occasionem, & vomitu curo cum medicamento humorem eijci, qui sæpē tam multus est, vt nunquam per aluum tantus posse descēdere videatur,maximè tam crassus,& glutinosus. Fit verò vomitus facilè dato iure pingui cum saccharo, vel oxymelite,quod ad horam tertiam differendum est,vnde euulsus humor esse iam sperari possit. Vomat, non vomat tunc,cibus dandus est modo mediocri, quo ventriculus etiam libentius medicamentum deponat , si retinuerit,cum à cibo satis distentum , & offensum se senserit. Postera die eius diei,vel tertia, si plus uenter deiecerit,videndum an sanguis minui per hæmorrhoidas pos D sit , nam per sectam venam mittere non auderem corpore tanta pituita occupato, diminutionemque sanguinis ipsius sine causa non quærerem, sed melancholici humoris deriuandi vicina via. Atque venis illis apertis, si pulcher sanguis exiret tantum , ego eius egressum reprimerem , si niger crassusque efflueret,certè hanc esse partem insignem curationis sperarem. Venas itaque has libenter cum ferro potius aperirem , quam opera hirudinum,quoniam foramina admodum angusta egressum crasso sanguini non præbent, cucurbitulamque etiam ad extrahendum applicarem, modo sanguis niger, & crassus appareat. Certè verò hoc maximè à capite impetum fumorum,& humorum retraheret. Sed Doctores optimi ego vellem eum,qui manum adhiberet, diligenter animaduertere, vti venas à porta venientes delige E ret, non eas quæ à vena caua, & quæ per intestinum ad sedem veniunt,non,quæ ad eandem per cutem, & carnes vicinas,causam potestis iam intelligere, nam melācholicus humor,quem quærimus hic,per vnas, non per alteras euocari potuit;vtrumque autem genus venarum cum in locum peruenire credo certi estis. Diebus sequentibus potiones darē parandis humoribus, & vijs,& auertendis illis similiter operam darem , ne dum apparatione mouentur,in partem vergerent,quam minimè vellemus; sic lotiones crurum , sic frictiones, & cucurbitulæ identidem in opere essent. Syrupi parantes eiusmodi essent. ℞. syr. rosacei simpl. de succo betonicæ, oxymelitis an ℥. 5. deco. betonicæ, fœniculi boraginis, buglossæ, cetrach , cicorei , lupulorum. ℥. 5. Misce pro syrupo. Potiones

nes

nes has tantum augerem, quantum ventriculus paterentur, pleniores enim facilius humores attingunt parandos, neque ante consumuntur, transmutanturque, quam opus aliquod effecerint. Vbi etiam miror, cur somnum Medici indicere soleant post eas, quo scilicet potiones susceptæ citius suam amittant, & à calore naturali superentur, neque opus ab ipsas expetitum perficiant.

His aliquid coctionis largitis, vt ex vrina, & pleniore pulsu intelligetur. Medicamentum sic componerem. ℞. thymi, M. 1. epithymi, ʒ. 1 5. polypod. ℥. 5. fol. senæ. ʒ. 2. s. Passularum. ʒ. 5. prunorum. num. 5. sebesten num. 7. radicis dulcis ʒ. 16. cinnamomi ʒ. 1. gariophyllorum ʒ. 5. florum cordialium m. 1. fiat decoctio in sero caprillo, quantum post coctionem remaneat ℥. 4. ℞. suprascript. decoction. ℥. 4. cõfectionis hamech ʒ. 3. elect. Indi maior. ʒ. 1 5 mannæ elect. ℥. 3. syr. rosat. solutiui ℥. 1. misce, & f. potio sumenda 5. horis ante prandium. Magna videtur potio, sed neque tam multa est, quam videtur, quoniam manna illam non ita multum auget, neque multa potio exhorrenda est, quoniam ea humores magis dilui, & minus infesti reddi inde possunt, facilius etiam aluus mouetur, & sine molestia, quod potuistis experiri, ita pilulæ magis molestæ bolis, boli magis molesti, & minus aluum mouentes ipsis potionibus esse obseruantur. Hora quarta à potione ius dari solet quod mihi tantum in maligniotibus medicamentis, & pilulis dari probatur; post pilulas verè libentius continuo exhibeo, quo dissolutæ citius, ex minori cum ventriculi molestia ad efficiendum opus suum deducantur, tribus diebus insequentibus exhiberem ℈. 4. theriacæ cum saccharo rosacco, neque metuerem quod multi Medici in vrbe, etiam Roma, ne caput petens officiat, nam vtinam caput petat, ei non potest nisi commodum afferre, at opium? Id impositum tanquã vtile ei compositioni, & necessarium. Sit ergo theriaca vltra sex annos facta, tanquam vtilis danda est, post hæc iterum apparatus humorum etiam valentioribus est habendus, & crassiores, magisq; defixi altius eruendi, vt syrupo de fumo terrę cempos, de cirorea Nicoli cum rhabarbaro, ex oxymelite squillitico, iure pæoniæ, cardui benedicti, saluiæ, rutæ, radicum rusci, capparorum, iridis, cũ supra positis etiam sunt syrupi magistrales dicti de polypodio, dicti ad lutem gallicam, ille Domini Augustini, de quibus in longa habenda purgatione delectus erit faciendus, ijsquem huorum facto apparatu. Medicamentum dandum, vt ℞. Rerum pectoralium m. 1. macis ℈. 1. mastiches ʒ. 5. cinnamomi ʒ. 1. zedoariæ ℈. 5. ellebori nigri, radicum pręparatarũ ℈. 2. radicum ellebor. albi ℈. 1. myrobalanorum omnium ℈. 2. s. Fiat infusio, & decoctio s. a. in aq. fumi terrę, quę coleturcum expressione, tantum veio sumatur aquæ, quantum facta decoctione supersit ʒ. 4. decocti iuris. ℞. foliorum senæ ʒ. 2. s. rhabarb. electi ʒ. 1 5. agarici optimi ʒ. 1. gingiberis, spicæ ana ℈. 5. fiat infusio per 12. horas, quæ coletur cum expressione. ℞. Diacathol. elect. Indi maior. Hamech. ana ʒ. 2. Mannæ electæ ℥. 3. Misce, & fiat potio sumenda quinque horis ante prandium. Tãtum mannæ semper ego libenter impono, quo medicamenti malignitas diluatur, & abstersione humoribus iniuncta facilis purgatio fiat, & mihi certè bene semper respondere obseruatum est. Quod si vereamini, quod elleborus decoctus molestior futurus sit, quam maceratus, quoniam minus sui relinquit in potiore per macerationem, quam per decoctionem, non decoquatis sed maceretis. At nunquam ego quidquam molestiæ ab eo perceptum fuisse vidi, nisi humorib. non bene paratis. Ius hora quarta poterit exhiberi ad ventriculum diluendũ & cum saccharo ad maiorem abstersionem. Nisi vero hęc purgatio satis profecerit, repetito apparatu cum similibus pilulas ego darem cochias, & fœtidas an. ℈. 2. cum maceratione ellebori compositas, & inde ad sudores venire, si corpus abstinentiam illam, quæ guaiaco debetur ferre non poterit, detur china, quæ minus abstinentiæ postulat,

A Sed ne decipiamur, nã abstinentiam ferunt sub guaiaco maximã corpora infirmissima. Certè æstiuis caloribus aliquantũ fractis in china non manerem, sed guaiacũ penitus vellem visceribus firmandis; & ab omui inimico humore etiã quàm glutinosissimo expediendis aptissimũ; quod vel acri, & nicidenti gustu suo pollicetur. Non minus verò guaiaci quã denas vncias in octonas libras aquæ incoquerẽ, cuius materiæ expressæ cinnamomi ʒ. 3. adijcerem, & in aqua ad potandũ cũ cibo coquerem. Sacchari etiam ℥. 1. adderem, nã gratissima potio fiet; Neq; audiendi sunt illi, qui cinnamomũ dicunt esse guaiaco contrariũ, qui neque id obseruare potuere, neque rationẽ dicti sui intelligunt. Sudoribus ad 60. dies producendis ego fiderẽ penitus Illustrissimũ virum esse conualiturum. Quæ erunt autẽ incoquenda

B in aqua, inquã igniti lapilli mittendi sunt sudoribus mouendis, erunt veluti, lauendula, origanũ, pulegium, calamenthum, chamæmelum, anethũ, lignum iuniperi, rosmarinũ, & eiusmodi alia. Sudoribus verò sic elicitis nõ erit tanta necessitas mutãdi lintea sui cubilis. Sub quibus sudoribus si in os rueret humor, & faceret vlcera, q̃ in faucibus pcipuè iuxta glandulas solent pertinacissima excitari, in ipso autẽ, & lingua, ego tangerem vlcera sordida penicillo intincto in oleo sulphuris, vel etiã oleo atramẽti sutorij. Deindè sciphone exiguo inijcerem aquã plantaginis, in cuius libra essent ʒ. 2. eius olei aquam ẽt rosarũ permiscerem, camphoram adijcerem. Sunt qui malignis eiusmodi vlceribus applicãt per penicillum dilurũ præcipitati. Miscent enim ipsum præcipitatũ in aqua aliqua eiusmodi, & ex ea penicillo in-

C fecto vlcus attingunt, vel melle rosaceo etiã excipiunt. Alij permiscẽt in dictis aquis thuciã, thus, corallos, terram sigillatã, adijciuntque sublimati etiam bonũ modum; factaque leui coctura ex ea aqua idẽ moliũtur, cui etiam camphoram adiungunt. Quoniam verò sæpè os diluere oportet, & identidẽ vlcera expurgari, cõfici poterit ex guaiaco, salsa parilia, plãtagine, consolida, saluia, cynoglossa multa, nicotiana, & eiusmodi, quidã fidunt multum ipsi rorimarino; Huic iuri bene expresso addi potest mel rosaceũ, aluminis aliquid, terræ etiã aliquid siglllatæ, vel boli armeni, & corallorũ, & omninò camphora. Si pustulæ leniores sint, simplici aqua, cui immiscerem vinum mali punici, vel alterius eiusmodi succum. A Vino libenter abstinerem ob eius casus pericu-lum, aut parum immiscerẽ in aqua, cui coriãdra essent

D incocta. Ab eo certè abstineri vellem dum guaiaci potionibus vteretur.

De morbo gallico.

CONSVLTATIO XXIX.

HAbemus corpus multiplici ratione affectum hoc æstiuo tẽpore, hac ætate annorum 45. cuius mala quædam recentia, alia vetusta sunt, nouaque ex vetustis orientia. Nam annus iam quartus finitur, cum primum gallico morbo tentatum est, indeque nunquã conualuit, sed more suo species malorum spatio tẽporis mutauit, & multò facilius, quoniam curationes di-

E uersæ in diuersum distraxere: ætasque inclinans spario quatuor annorum, tum sua, tum morbi causa magnam mutationem suscepit. Nam ferè fit, vt à curationibus, nisi corpus redintegretur, acerbius malum euadat. Spatium verò ipsum semper sub morbis humores crassiores facit, q̃ in hoc corpore eò magis euenere, quo illius genus sanguineum magis nacta sunt, nã id genus corpora progressa ætatis fiunt melancholica, quoniam sanguinis partes tenuiores sub eius abundantia, quæ à corpore consumi prouecta ætate non potest, solæ in carnes transeunt, crassioresq; spatio in humorẽ melancholicum degenerant, cum neque in alimẽtum mutentur, & à calore tamen afficiuntur, quæ ea ætate, nisi egressum visibilem habeant, per inuisibiles meatus

excerni non possunt, sic retentæ corpus melancholicum faciunt. Quod hic etiam facilius sic fieri potuit, quoniam in melancholicam naturā à prima ætate ipse erat procliuis, & quamuis sanguis primas partes teneret, proximè ab eo succus melancholicus abundabat, ita à sanguineo genere in melāc holicum vergebat, quod ex hominis moribus intellexisses, & ex venarum modo, non ita lato, vt generi humidiori, calidiorique conuenit. Curationes verò etiam longè gallici frustra susceptæ exsiccādo id generis inducere potuere. A genere melancholico corpus iam humore frigefacto pituitosum fieri solet, coctionibus sub frigore minus perfectis, id verò in hoc corpore citius potuit, quoniam Medico intemperiē calidiorem verito refrigerantia medicinis continenter admixta sunt. Imperfectarum coctionum signa habemus in alui fecibus, quæ aspetæ, minimèque coniunctæ, B nedum parum compactæ sunt, & cum crudo illo succo crassissimo commixta sæpè aluo sponte descendente, semper verò clysteribus ducta. Vrinæ quoque crudiores sunt, quæ interdum & crassæ nimis, interdum nimis tenues, modo albæ, sub exiguis etiā potionibus, aut nullis, interdum subruffæ, rarò subflauæ, quandoque quidē fuluæ. Crassæ illæ esse solent quæ media nocte procedunt. Sedimentum ferè crassum, albumque, raro exustum, interdum tamen benè coctum. Hæc cruditates ventriculi sunt; illa etiam carnium pedes, & crura intumescunt oedematoso tumore, totum corpus decolor ad albedinem illam crurum vergitur, & plenum valde est carnibus certè minus boni generis, vnde etiam grauius est, & tactu frigidum, præcipuè, & maximè in extremis. C Videmus inde pulsuum maximam raritatē, tarditatemque, ac paruitatem, animi quēdam torporem cū metu, cum mœstitia, & desperatione. Videmus somnolentiā, quamquàm non arcto somno prementem, fere tamen continuam: videmus quietem tota nocte continuā sine somnijs; quæ ore excernūtur, humida, glutinosa, & multa, atque ea, quæ dentes torpore afficiant. Videmus colorem faciei etiam album, nullo nitore, aut rubore, cōtra quàm consueuerit, nisi cum excandescit, faciem ipsam qualis est hominis è longo, & arcto somno modo excitati, sic sensus omnes tanquam non benè expergefacti. Memoria valde læsa, & internis sensibus omnibus, atque etiam externis, nimirum præter auditum, qui sortem longè mutauit; nam, cum malum recens esset, sæpè tum fuit læsus, vt surdum hominem penitus diu haberet, nunc acris admodum est, & subtilissimè audit, D forsan tunc humidiore, & calidiore morbo suis halitib. aures occupante, vel bile aquosa, vaporosaque, cui facilis est ossium penetratio, nunc contra corpore, & morbo siccioribus, etsi recrementa humidiora sint, crassiora hæc tamen, & frigidiora minus possunt in angustissimos auditus meatus induci ossibus, & neruis contentos, & ipsa corporis siccitate acrior eorum sensus factus est. Sic in multis hydropicis obseruamus, & melancholicis factum esse. Atque hactenus hæc ad vetustatē morbi, & longas curationes, & refrigerationes importunas consecuta habent pertinaciam, subitum periculum nō minantur. Verum nouissimè aliud superuenit, qđ præceps vitæ periculum habere videatur, maiusq; detrimētum attulit. Factus est impetus dictorum humorum in E caput, quo comitiales casus generis cuiusdam atrocissimi fiunt; qui vix viuum hominem cessantes relinquāt; Semper aliquid detrahunt vsus ipsorum neruorum, & præcipuè eorum, qui ad linguam pertinēt, eoque res deuenit, vt metuere debeamus, ne spacij satis ad curandū morbum suppetat, quo potius casui subueniendum sit, quàm morbo ipsi vacandum, vnde hoc malum progressum est; & certè repentino periculo, & detrimento irreparabili, cura prior, priusquam consilium attribuendum, & natura eius primo videnda. Casum hunc, dolor capitis acerbissimus, & diuturnus antecessit, qui in dextra capitis parte esset, huic multa sunt exhibita maximè extetius, nescio, an fuerit vnguentū de Alabastro, qđ solet prodesse, & forsan tutius fuisset, nā non reprimendo, sed euocādo, & exsiccādo id facit, tutus ēt fuisset vsus thapsię, vel euphorbij ad alterum tp̄s applicatū. Sed reprimentia multa sunt ingesta cuius generis meo quidem animo etiam sunt folia hædere frigida imposita, quæ huic adhibita fuere. At quod præsens in ipso casu considerandum est? Duas ipse habet partes, & si non semper vtraque hominem exerceat, prima leuior, altera grauior est, cum vtraque inuasurum malum est à leniori initium facit, grauior tamen interdum sine lenioti, vt sæpè lęuior sine altera accessit. Ego grauiorem prius describam, tamquam illam, quæ comitialis speciem integram tenet. Hæc ergo totum corpus comprehendit, & sensus omnes tam internos, quam externos intercipit; neruorum tamen distensiones magis sinistras, quam dextras partes exagitant, illę vehementissimæ sunt & membra contrahunt, quasi non æquè omnes nerui distendantur, quæ contractiones fieri cōtinenter cernūtur motionibus identidem sine intermissione repetitis, non autem factæ quiescere, membraque contracta tenere. Pertinent vero vsque ad oculos mandibulas, labia, & omnes faciei partes, quæ musculis vtantur, quæ vexatio fit cum sudore maximo, cū mutatione coloris corporis ad liuidum, fuscumue, cū pulsuum inæqualitate maxima, & admodū varia, exagitatione autem hac interdum aliquo spatio intermittente, sub quiete tamen illa media sensus non reuertuntur, sed ipse languentibus etiam membris quasi apoplecticus videtur, & interea interdū stertit, sine tamen spuma plerumque, & spiritu interdum quietissimo, etiamsi stertat. Color corporis, & maximè faciei multa varietate mutatur, idem oculis accidit, qui sub ea quasi quiete modo aperti sunt, & quasi aspicientes videntur, modo obtersi, & tanquam demortui, qui redeunte conuulsione summopere agitantur. Redeuntis autem conuulsionis signum id est, quod ipse, quasi à somno sese erigere velit, brachia reducit. Contra finem facturæ signum est, quod in album pallescit, & membra remittuntur, delabunturque, & facies tanquam morientis hominis euadit. Interdum etiam obseruatum, quod pulsus finiente sic conclusione intermisit, & ab intermissione exiguus aliquandiu fuit, indeque ad suam magnitudinem paulatim redijt, nam in illa quiete inter conuulsiones media fere magnus est, sudoris proprius, à quo casu, & à quibus conuulsionibus tandem relictus (sub quibus interdum ad duas horas cruciatus fuit) per aliquid spatium primo sub somno esse videtur, deinde stupido animo, & torpidus totis sensibus manet, postea querulus fit quasi ad se reuersus, & lingua balbutiente modo de ventriculo delere se ait, modo dentes stupere, & frigere maxime, & ab vltimo casu etiam singultiebat, & aliquot dies sui negligens erat, & risu omnia excipiebat, etiam quæ dolorem ei afferre solebāt maximum, vt cum brachia ei languore delaberentur, quod alias terrorem summum ei attulisset, tunc risum mouebat, sic in risum pronus erat, lingua vero semper à singulo casu maiorem subinde noxam retinuit. At sic habet grauior casus pars. Leuior autem, quæ quādoque sola malum finit, quandoque grauioris principium est in eum modū habet. Mandibulæ primum cōuelluntur, præcipui sinistra, deinde cum his oculi, & facies tota præsertim partibus sinistris, quæ conuulsio agitatio est, sed non facta quiescens contractio, sed multis motionibus contractionem constans cum magnæ rubore faciei, cum sudore, cum lachrymis, & humore multo oris aquoso effluente. Sensibus nihil impeditis, lingua tantum blęsa, & interea nunquam non loqui conante, omnino sollicito, agitatissimo, & nunquam hominem quiescere permittente, quin summa contentione, & conatibus timoris plenis & loqui, & mauere se huc illuc, non posse quiescere, aut sedere, quin statim assurgat, caput circumuertat, quod quisque marat obseruet suspiciosus ad se accedentes impetu reijciat, quos tamen subinde reuocet, obsecret, commendet se, & quem hoc modo his precibus fatigauit, rursus

tamen

tamen repellat, ita, vt quem repulerit etiam reuocet. In- A terrogatus, quid causæ habeat id faciendi, respondet suspicari ne sibi ignis capiti admoueatur, vereríque cas propè esse, & iam iam comprehendere se, Sic procumbit in genua Dei auxiliũ implorat, & vouet, turgida interea, & rubente facie, quæ exagitatio interdum continua est, interdum spatijs quibusdã intermittit, quę multoties spatio aliquo morata eum relinquit, interdum ẽt longius progreditur, & in casum, grauioremque partem supradictam transit. Iam quartus mensis finitur, ex quo id malum primò inuasit, bis quidem grauissima sui parte, postea multoties leuiori altera, demum grauitatẽ primũ recepit, & ter eum peius habuit semper grauius subinde factum, vt postremò pessimè illum tractarit, ac hebetes omnes sensus, tam internos, quam externos vno auditu excepto reliquerit, & vna manum sinistram de- B bilitarit. Hactenus sub aspectum nostrum posita res est, iam eius interiorem vim, & causas perspiciamus, & ex his, quæ conspicua sunt ad ea, quæ scientiam cõpleãt, deducamur ἐκ φανεροτέρων καὶ σαφῶν, εἰς τὰ ἀφανῆ, καὶ σαφῆ Nerui agendo tenduntur breuiores facti, quiescendo remittuntur longiores facti, qui verò tendi bono spiritu eos complente, & non alia causa posse videntur, dũ integri sunt, qui spiritus adeo tenuis est, vt Galenus dubitarit, num radij vim corporis expertem teneãt. Sed vbi perlucidum corpus non est, ibi radij natura locum non habet, sed vim suam debet spiritu corporeo continere, eo quidem tenuissimo, vti queat corpus densum neruorum permeare, & complens illud tendere, certissimèq; id facere, vt videmus, quod tenuitate tãtum potest, qua & citò adeat, & citò dissoluatur, vt nisi nouus semper C spiritus succedat nerui remittantur, quod in aciei oculorum vsu possumus obseruare. Modo conuulsio tẽsio est actionem imitata sic per ingressum spiritus in neruos fieri existimanda. Mittamus, quod hic locum non habet, ab ariditate etiam neruos tendi posse, ea enim tẽsio neq; subito, neque in motione est, sed lente accedit, firmaque est: Sint ergo spiritus oportet à natura alieni, qui tamen naturales ipsos imitati, eorumque vi vsi eorum actionẽ ęmulentur, & illam, vt ipsi sunt, ab vsu tamẽ naturæ remotissimam, neque illam finiant, nisi cum, aut per vim, aut sponte finiti fuerint, aut aliò reuocati, quoniam verò nulla alia ad neruos spiritibus via est, quàm, quæ per corpus cerebri est, propterea cerebrum quoque percurrentes, complentesque, cum multi sunt, sensus oẽs intercipiunt. Sic verò cum neruos paruos possunt ten- D dere, vel qui ad faciem pertinent, vel alios aliquos, quoniam exigui sunt, sensus quidem perturbant, saltem interiores, non tamen occupant. Qui sanè spiritus flatuosi fuerint, non tantum caliginosi, hi enim humidiores tã citò motu partes non permaneant, neq; impetum afferunt, quod in subterraneis videre in magno mundo licet. Humidi enim terram non mouent, sed in aquam transeunt, fontesque pariunt; Flatuosi verò quoniam sunt, sicci, terram agitant, cum exitum non sortiuntur. Sunt quidem hi cum humidis ferè, vt in aere fit, vnde venti, & pluuiæ fiunt, propterea sub motu, & maximè post eum multus aquosus humor ex ore elabitur. Ita comitialis morbus à spiritu fiet. Apoplexia etiam à crasso humore, qui in corpore cerebri frigido subitam suã crassitudinem accipiat, & in neruos sæpè expulsus paralysin E faciat, sic ad mentem Hippocratis accommodara res erit, quæ melancholico humori tanquam magis idoneo ad flatum producendum hos casus attribuit. Pluribus certè res hæc, agenda fuit, &, sed locus non patitur, vbi consultatio non in θέσει, sed ὑποθέσει vt loquuntur, qui de deliberationibus tractant, versari debet. Nõ placeat sententia hæc, vos aliã accipiatis, & quod ego in deliberatione soleo communem sententiam sequamini, sit obstructio ventriculorum cerebri facta à pituitæ copia; qđ forsan curationi non efficiet, auxilia quidem certiora illa esse constat, quæ motum spirituum malorum possũt coercere. Neque verò hic locum habere crederem eam causam, quæ vapor aeris dicitur, & malignus ad neruorum caput accedere, irritationeque ad distentionem irritare, nam irritatio fieri potest tantum in partibus quæ sensu vtuntur, cerebrum sensu caret, neque irritari potest nisi per membranas, sic eo tantum loco vbi initium neruorum membranis excipitur, & in spinæ medullam transit poterit irritationem habere, & tunc, quamquàm totum cerebrum ad eam incitationem commoueretur, certè casus non tamdiu hominem haberet, neque torpidum illum, stupidumq; relinqueret, aut debilitatum, vt facit, vidimus enim ipsum post priores casus diu tremere, audiuimus balbutientem, post nouissimos autem etiam brachio sinistro penitus debilitatum; & duos digitos manus torpentes. Ventriculi quidem aliquæ molestiæ interdum casum antecessere, non tamen aut semper, aut tam graues, tantæue, quantæ conuenissent, quo cerebrum tam grauiter afficerent. Potius caput pondus habere consueuit, & dolet sæpè, quamquàm nõ acriter, vt crebro sunt falsæ animi imagines, & cogitationes. Somnus etiam assiduus, etsi non ita arctè illum habeat, quæ cerebrum materiam accipere indicant, vt etiã copiosus ille humor aquosus interdum etiam cum lentore aliquo, qui ex ore delabitur post ipsas accessiones. Certè verò materiam esse frigidam notæ omnes supra narratæ ostendunt, pituitosam inquam, & melancholicã, sic cerebrum nunquam à frigido deseri, quamquàm modo melancholiæ, modo pituitæ notas habeat, neq; semper aut à pituita, aut à melancholica humore tenetur, semper quidem alterutrius frigore opprimitur. At caloris tamen notæ aliquæ sunt, neque frigoris notæ tam certè, quoniam, quamquàm somno assiduè tentatur, eoq; longo vtitur, leuis ille tamen est, si oedematosi tumores in cruribus sunt, illi tamẽ ad lungos quoscunque morbos, & conualescentibus adueniunt, imò à calore sæpè sub febribus acutissimis nascuntur. Caloris autem notæ sunt, quoniam calorem ipse in ore sæpè sentit, interdum rubet facie, extant verò etiam maculæ rubræ, & vrinæ interdum coloratæ sunt. Præterea quo pacto anhelitus tantus humorum in caput efferretur, nisi vehementior calor saltem in visceribus humores exerceret? Dico verò ego Doctores, quod frigidiorum humorum signa superare certi estis primum, deinde hæc, quæ caloris adducitis, sic æstimare debemus. Anhelitus is humorum in caput elatus etiam in corpore temperatissimo fieret, cũ humores adeo abundarent, humores enim semper vaporem in viuo corpore emittunt, neque viuum corpus vnquam tam frigidum est, quin etiam, cum est frigidissimum, vapores ex humoribus moueat, dum vita est, q̃ nunquam sine caloris vi esse potest, Caloris autem sensus in ore rarenter admodum fit, & sæpè eo quinq; dierum interuallis caret, cum frigoris sensus, & sibi, & ijs, qui eum tangunt, perpetuus existat cum tot signis narratis frigus demonstrantibus: neque mirum est, si interdum calor moueatur, in corpore gallica vitiositate affecto, cum ea putrilaginis vi contineatur, cum humores tam multi ab alendo alieni subsint, qui cum manere in eodem statu in corpore non possint, & à calore vitæ agitentur, necessatio aliquid putredinis, & corruptionis concipiunt; cuius aliquæ partes semper acrioris generis fiant, ita tenues ad os ascendere possunt, & miror, cur tã longis interuallis quiescant.

Quot videtis vos quotidie gallica lue, affectos ẽt antiqua febribus quotidianis laborare? scilicet quoniã non possunt non corrumpi humores tam alieni ab alimento. Sic de maculis rubeis dicam cum eo, quod illæ frigidiorem potius sanguinem indicare videntur, nã, quamquàm in halitum prius à calore vitę conuertitur, & ad partes illas penetrat, tamen ibi considens redit in suum frigidum genus, & non mutatus in alimentum colorem eum præbet, quæ verò maculæ nunc paruæ sunt, & tantum post labores casuum vehementiorum apparent, calore tunc laboribus magno excitato, cum in recenti etiam num morbo toto corpore illæ extarẽt admodum frequentes, & rubeæ nunc ferè solum sinistrum tempus habet vna insignis, alterum obscurior quædam, &

nares vix aliquę interdum breui admodum tenent. Miror verò, quod dicunt de tumoribus œdematosis, nam longitudo, & vetustas morbi non seipsa œdematosum tumorē facit, nullum genus ipsa vetustas est; quod vim eiusmodi præ se ferat, vt neque quicquam agēdum medico indicet, vt Galenus admonere nos consueuit, sed aliæ causæ sunt, quas respicere in morbi vetustate oporteat, nam imbecillis calor factus longo morbo, ipse est, qui œdemata illa parit, sæpè etiam ægri intemperantia. Hic longus morbus est, & vel sub abstinentia tument crura assiduè, non possumus nos in aliud, quam in imbecillitatem caloris referre, proximamque causam, quæ pituitosi humoris, & crudioris est. At imbecillus calor etiam ab intemperie calida fit. Rectè verò dictum est, sed imbecillus per calidiorem intemperiem nunquam pituitam gignat, bilem quidem in iecore, in ventriculo verò corruptionem aliquam efficiet nidorosam, & sæpè putredinem in venis, ac febrem, in carnibus autem erysipelatum genera varia, sub acutis febribus quoque pituita non generatur, sed colliquescente sanguine exprimitur, & fit illa ἀναστοιχείωσις à Galeno dicta quasi reelementationem dicas, quo in elemēta sua humor dissoluitur, quæ, vt Aristoteles naturæ interpres monet, in mixtis sunt præsertim terra, & aqua, atque in humoribus terram aqua superari necesse est. De colore etiam vrinarum videte Galenum libro methodi, qui rubram etiam vrinam pituitosam facit, quam tamen rubram scimus raro hic apparere, sed aquosam ferè, & crebro crassitudinem turbidam retinentem, & sedimentum farinaceum, ad albumque vergere. Somni autem leues sunt, non tamen à calore tales fiunt, nam à calore præsertim humido turbulentis, & tumultuosis somnijs turbantur. Hic fine somnijs sunt, ita eorum leuitas veniet quoniam pituitosi vapores cum halitibus humoris melancholici commiscētur, qui si melancholiæ essent, hoc est, exusti humoris melancholici, turbationes certò efficerent, sed humoris melācholici sunt, qui fex sanguinis est. Leuitas verò maximè somni inde esse potest, quod non solum cum vaporibus humidis aliqui etiam sicci halitus commiscentur, sed corpus præterea cerebri suapte natura frigidum non est, minus illatam à vaporibus intemperiem in habitu habet. Sic neque illa ingenij tarditas, sensuumque torpor continenter eum habent, qua quidem cerebri temperies calidior sua natura fuisse cognoscitur ex notis multis, præsertim conformationis capitis, capillis, & venis oculorum maioribus, & forsan anteriores cerebri partes calidiores posterioribus minus aduenientium aliunde vaporum intemperie superantur, quam posteriores, ita, cum in ipsis fiat somnus, non tantum intemperiei ostendunt.

Sed neq; Galenus facit arctum somnum, aut grauem vbi sola intemperies frigida est non etiam humida; quę humida hic multa esse non potest, cum habitus etiam melancholici inuehantur, sententiam hanc suam Galenus exprimit libro secundo aphorismorum primo. Ita vero fit, vt, cum facies ob morbum decolor facta sit, facile tamē in ruborē suum reuertatur, siue leuiter manu tractetur, siue animi aliquam commotionem sentiat, nam facile partes in suam naturam redeunt. Præsertim effuso ab internis spiritu ad ipsas nimirum sanguine tenuiori, cum quo habitus quoque melancholicus permoto intus calore extenuatus effertur, paulò tamen post à commotione caloris ibi relictus in suam naturā rediens refrigescit, & pallorem illum fœdum facit. A quo habitu sic facile materiam suam mutare, vt Aristoteles quoque in problematibus demonstrat, varij etiam mores identidem in homine cernuntur. Causa igitur huius casus rectè in pituitam, & melancholicum humorem relata videtur, & in illam intemperiem, quæ cum eorum humorum est causa, tum ab illis inferri debet. Dubitare tamē aliquis Doctor vult nos, ne fit aliqua ossis caries, ex qua mali ichores saniesue, maliq; habitus cerebrum infestantes eius casus causa sint. Cui ego responsum volo, quod caries illa non sine multis se-

A cum continentibus esse posset, atque, si in craneo esset seu caluaria aliquam sui notam in cutem extulisset, si in basi capitis, etiam per palatum aliquam ostendisset, maximi fœdi odoris, quo pacto vero eum casum afferret, nisi etiam membranas maximè initio suo infestaret? Vidi ego alius gummata dicta in cerebro concreta eius, qui sit corriperetur, & diuexaretur, quemadmodum hunc videmus, à quibus ichores, & mali generis halitus etiam in multa copia poterant tantum incommodorum afferre. Ita in cerebro potius aliquid timerem ab halitibus, & temporibus continenter ascendentibus concreuisse, quam ossis vitio fieri, notæ enim cerebri affecti non cranei aperiæ extant, mitto, quod ex carie breuiora essent mala, breuioresque casuum labores, neque tot incommoda relinquerent tum in cerebri facultatibus, tum in membris omnibus, alia itaque causa B præter eam, quæ dicta est, quæri non debet. Possunt verò internam externæ multæ mouere, præsertim quæ animum commouent, quoniam cum animo spiritus, & cum spiritu sanguis, & humores agitur, vt si habitus ad neruos incitati huius sint casus origo, certè nil valentius esse potest ipsa animi commotione. Possunt etiā multum causæ communes à cœlo, cœlestiumque aspectum dispositione, & potuistis accipere ab his, qui omnia obseruarunt in suo Domino, quod ipse vexatus tūc est, cum Luna percurreret scorpionis signum, vel illa, in quibus esset saturnus aut ijs esset opposita. Vnde non exiguum argumentū est, quod in venerea lue vis huius morbi posita est, scorpione in naturalia apprime valente, vt planetis in eo versantibus semper malum vene-C rum efferascere obseruatum Astrologis est, & profecto is luna in scorpione existente nunquam immunis fuit ab huiusmodi laboribus, à quo tempore incepere, nimirum iam quinque menses. A lue etiam illa primam originem trahere, & à fumis potius ac vaporibus malis quam ab humorum multa copia fieri argumentū exiguū non est, quod sub maximis purgationibus, & abstinentijs etiam casus is concitatur sub quibus non copia certe humorum, sed fumorum esse potest, qui sub agitatione vel exiguæ materiæ interdum etiam plures fieri consueuere. Sępè vero à materię copia opprimuntur, & cōsidetēt. Sed iam originis modum, & effecta inde nascentia explicemus, à lue gallia quamquam propriè recremētum vltimi alimenti occupante infirma viscera venæque factæ sunt vitioso suo illo genere, & humo-D res crudos multis modis faciunt.

Caput verò imbecillum redditū, maximè, quod sua natura calidum, & humidum facilè eiusmodi iniurijs patuit, facilè noxas accepit, quæ variarunt pro varietate, & mutatione in visceribus, & humoribus longo spacio sequuta, Iam quatuor autem menses humoribus iā sua crassitudine pituitosa maiori facta, & fecem sanguinis plurimam nacti, in locis calidioribus, & præsertim arterijs, in quas tandem penetrarunt, facilè in halitus crassos plurima sui parte effundūtur, & eodem habitu, & calore infimius factum caput petunt, & cerebrū permeantes, ab eo in eos canales exprimūtur, per quos spiritum à se perfectum, & fortasse alimentum neruis solet mittere, imò cum eo illi quoque protruduntur. Sic exigui neruorum meatus ab exigua re compleri, & nerui E tendi maximè possunt, & breuiores identidem celerrimè fieri, atque ad tantam contentionē venire, vt membra validissimis motionibus agitentur, & tantam vim præseferant, vt vnus homo à tribus, & pluribus contineri non possit. Quæ certè tanta non esset, si aut ex ore ventriculi commerso cerebrum afficeretur, aut si repletum cerebrum pituita sese contraheret, attrahitur quidem multa pituita ex venis illius, dum agitatur, & per tantam diuexationem in os depressa effluit. Neque verò possum videre animo, quo pacto cerebrum se tam contrahat, vt motionum harum sit in causa, cum ferè craneo per suas membranas alligetur; quibus verò tantummodo contrahendis potest contrahi, suo corpore alioquin ad contrahēdum, & dilatandum ineptissimo;

quapropter

quapropter expulsionem quidem illam faciat ea opera, quæ similaris est corporis cuiusque, at alteram, quæ est organici valde obscuram habere potest, & eiusmodi tantum, quæ ad eam sequatur, quæ similarium est. Videmus verò etiam homines improuiso hoc casu, quamquam vehementissimo, corripi, subita tamen adeo esse non potest cerebri repletio, quin & spatium requirat, & interea materia crassa influens in ventriculos non se ostendat sensuum hebetatione, & torpore, somnolentiâ, & stupiditate hominis, quæ res tantum post exitum ipsius casus existunt, nimirum, quoniam ea concussione è venis attracta pituita est, & spiritus multi dissoluti, longius autem spatium requirit pituita, vt excernatur à cerebri corpore, sic diutius manent illæ noxæ homini ex illo casu resurgenti, & tres etiam dies spatij, & amplius requirunt, vt finiantur, cum casus ad summũ totis duabus horis perdurarit, & interea etiam intermiserit mox reuersurus. Intermittit verò non vna causa, quoniam & excretrix vis fatigata quiescere cogitur, & spiritus, quibus ea vtitur, consumuntur, possunt etiam interdum intercipi accursus malorum halituum; sic homo tanquam sub somno interea manet cum spiritu sensuum, & motuum opifice careat, quo refecto, & vna cum eo malis halitibus elatis, agitatio renouatur, donec malorũ halituũ vlla copia suppetat, qua consumpta homo quiescere potest, donec alia congesta alicubi copia inde in caput submittatur, & quoniam cum habitu dicto etiam aliquid vaporis effluit in neruos, propterea vapore non ita cito dissolui idoneo, & in humorem conuerso, ea membra debilia fiunt, & stupore detinentur, quod manui sinistræ euenisse videmus, quæ delabitur, & res apprehensas non tenet, quin excidant, quoniã vero etiam in cerebro nonnihil relinquitur, ideo ipse fatuitate quadam, & somnolentia diu tenetur, vix cogitare potest, vix cernere, nihil sui curæ habet nihil attendit, ita minus mœret, quoniam minus cognoscit, potius ridet, vt in iocosis, & ludicris integer soleret. Sinistra autem manus potius debilitata manet, quoniam etiam sub casu magis conuellitur, & dictum vaporem cum pluri halituum malorum copia excipit. Cur modo sub vexatione liuidum, fuscumque corpus, & frigidum fiat, existimare possumus, quoniam spiritus cum suo calore intus in cor reuocantur, quamquam sanguinis inutilioris multum per eas motiones ad eminentes partes exprimitur, vti etiam sudor, itaque refrigeratus, & spiritu desertus, nigrescit. Macularum iam dicta causa est, & mutationum coloris. Pulsuum etiam ratio non obscura, quoniam, quamquam sub agitatione sæpè contractissimi, & inæquales, hoc est conuulsiui, magni tamẽ, vehementes, subsequenti sudore sunt. Postea demum magis subeuntes sunt & minores, nam cor sub illa initio ad se copias, & vires reuocauit & dum quidem conuulsio viget initio, contrahit se maximè ad expellendum, cæpta autem expulsione dilatatur, vt sub expulsionibus, & crisibus facit, tãdem spirituum copias partim consumpsit, partim toti corpori retrusit. Sic languidum remanet. Respiratio sub maioribus laboribus, & angustijs stercorem facit; quoniam motrix facultas distorta, distractaque est, neque satis dilatari partes possunt, fauces etiam contorquentur, neque spiritus magnus, vt tunc opus est, siue strepitu potest commeare. Neque mirum est, si aliquis calor oris interdum percipiatur, quoniam, vt dixi, vbi putrilago, vbi corrupti succi sunt, aliquis calidus halitus potest excitari. Frigus autem dentium copiam maiorem frigidorum humorum sequitur, qui de cerebro delabuntur, quoque sub habitu vaporum è ventriculo subeunt. De parte leuiori huius casus multa diceda non restant, quoniam clarum est, quod tunc exigui halitus minus occupant cerebrum, potius eius spiritus perturbant, & corpori eius imagines excitant inanes, timoresque, tum ad aliquos molliores neruos depulsi, illos distẽdunt, ac quoniam à toto pariter cerebro non pelluntur, sed particulatim hinc, indeque vt partes diuersas cerebri petunt, ideò non omnes eodem tempore tẽduntur,

A sic musculi hinc inde conuelluntur, quasi vicissim modo dextri, modo sinistri, sic interdum oculis quiescentibus buccæ agitantur, interdum è contra. Appropinquante verò accessione, & sub parte eius leuiori semper insaniæ aliquam speciem subit, halitibus tũ cerebrum petentibus, recedẽte autem fatuitas ob causam dictam à quibus halitibus aduenientibus etiam faciei color inrenditur, & maculæ, quæ à gallico natæ fuerant, etiam renouantur, quasi originis suæ vim teneant, nimirum gallicam. Cur modo spatia circuituum equalia nõ sint, non est difficile visu, cum multa intercidant à purgantibus, à vitæ ratione, ab extrinsecus incidentibus, quorũ vi variè originem halituum variare necesse est, & non ijsdem spatijs temporum perfici. Ergo cernimus ipsum primo turbari, ac commoueri sensu cuiusdam halitus B calidi in caput elati, qui quidem frequens est, neque semper speciem eius casus exprimit, ac nisi citò refrigescat, vt ferè refrigescere solet, sæpè affert inanem aliquã imaginem, & cum ea opinionem falsam, vt aliena loquatur, ac quando calor diutius etiam perseuerat, & maior est, tunc ruborem faciei diutius sustinet, & oculi extant supra modum, nitentesque sunt & minus timet, loquitur etiam tumque ebrius, quod si non tam ferueat, tunc summum timorem præfert, & exhorrescentem facit, atque ab omni homine metuentem, qui & circumspicit & pauorem ipsis oculis refert, tum verò lachrymatur, sub quo tamen metu labor ei ruborem faciei retinet; qua in specie cernas, quod Aristoteles de varijs effectibus humoris melancholici loquitur, vt vario modo afficitur calore, & refrigescit, cum enim vincit calorem, C merum facit, & horrorem, cum vincitur, agit hominem in furorem, ac cum medio modo se habet, copia, & natura sua sapientiam hominis cõseruat instar vini, quod multum à calore incensum adigit hominem ad insaniam.

Si vincat calorem, conciliat somnum, si vtroque modo fiat varios affert loquacitatis, & actuositatis casus. Si temperanter bibatur, sapientiam magis excitat, atque animum auget. Ad hunc affectum verò non semper, sed sæpè labiorum agitatio cur sequatur, iam potest intelligi, quoniam in solam cerebri interiorem partem delatus halitus, vt ex imaginibus falsis colligitur, inde facile in propinquos neruos detruditur à ui cerebri expultrice, vt similare est, vel etiam in proxima spatia, & ita vel conuulsionem, vel palpitationem parit, ita agitantur D labia, mandibulæ, oculi, palpebræ, & linguæ radix, abeunte verò tenuiori halitus parte, crassiori autem, & humidiori manente, aliquando diu lingua impeditur sic cerebrum manet stupidius, cum calorem, quo extenuati, & elati sunt amiserint, & somno premitur. Crede iam ex ijs excipi posse, qui planè affectus sit & quot genera, quæve causæ, nam cognouimus luem gallicam infectum corpus tenere, quamquàm infectio quędam est, quæ putrilagine recrementi vltimi alimenti primũ continetur, quodque tamen genus arripit, in glutinoso autem magis se tuetur, & diu corpora exercet, vt ex longitudine genus id humoris subesse intelligamus, præter hunc affectum cognoscimus etiam esse melãcholicum genus humoris, quod ex eius causis, & indicijs perspectum habemus, quod cum continenter non exerceat, E putemus in capite non esse proprio, & primario affectu, sed aliunde in caput subire per eiusmodi humoris anhelium. In capite vero esse frigidam intemperiem præter naturam, quoniam eius notæ iam perpetuo insistũt. Quibus verò partibus omnibus cum occurri debeat nisi pluribus simul queat ei erit primò occurrendum, qua magis vita periclitatur; sicuti conuulsionum vehementia est, alioquin enim melancholiæ, & lues gallica inducias dant, itaque quamquàm ea prior fuerit, ex qua alia nexa sint in postremum tamen differri debet, & illa prius liniri, quæ acuta, & summi periculi est ob pessimum suum morem, qua lenita ad luem gallicam, & ad melancholiam consilium erit conuertendum, nisi quod multa fient contra eius mali periculum, quæ contra

tra gallicam luem etiam facient, & melancholiam, quemadmodũ corporis depletio, quæ debet omnia antecedere, non solum illa, quæ per vomitum, uel ventrem fit, sed etiam, quæ per vrinam, & sudores præsertim, quoniam multa componi in illis medicamẽtis possunt, quæ omnia tria genera respiciant, propria etiam, quæ auertendæ, & deriuandæ materiæ à capite fient, humori quoque melancholico, & lui gallicæ submouendis alẽtibus humoribus fa . videntur. Quorum verò permulta iam facta sunt, n corpus est per ventrem, & urinam expurgatum, materia etiam auersa à neruis, cum aperta ei fuit uia per syncipur, caustico applicato, ut etiã deorsum est, si non retracta, certè reuocata causticis cruribus, & humeris quoque ingestis crura quoque frictionibus, & lotionibus, cucurbitulisque tractata, cucurbitulæ etiam dorso affixæ, chysteres acriores infusi. Humorum præterea discussio per theriacæ usum quæsita, robur etiam visceribus conciliatum, ac capiti, & attemperatio exsiccatioque petita cum eo, quod etiam humorem melancholicum partim expurgat partim etiam lenit, nimirum Alchermes dicto medicamento exhibito. Ventriculi tandem ratio habita, & quamquàm benè concoquat nunc, iniunctio tamen ei est adhibita, & emplastra applicata. Cum etiam instaret halituum ille ascensus, quæ faciei musculi distorquerentur ei interrumpendo, viæque intercipiendæ circumpositum collo fuit sæpè linteum posca, vel aqua rosacea cum aceto in vsum etiam meliorem quàm posca madefactum, quod Doctori cuidam suspectum fuit, quoniam acetum neruis inimicum proferatur, non animaduertenti, quod neruis detectis, vel male tectis tale habetur, nam, cum tecti sunt, non solum cute, sed carne, acetum potest tantum vim medicamenti secum coniuncti introducere, sicuti calida medicamenta calidis intemperiebus conueniunt, cum illæ intemperies profundæ sunt, nã tunc frigidis adiuncta altius illa introducunt. Suturæ quidem coronali nollem adhiberi, neque etiã fortasse temporibus, quoniam vererer, ne fumi illi vehementius in cerebrum, & neruos reijcerentur.

Cum enim ad suturam appellunt, iam cerebrum prę teriere, in quod reijci non deberent. Quæ modo iam agi deberent, & qua spe ex horum, quæ acta sunt, fructu licet conijcere, restaret exponendum. Metus manet adhuc terribilis casus, manet melancholia, & luis venereæ vis, non satis profuere ea, quæ facta sunt, ego ab illorum vsu non discederem, cum recta ratione sint instituta, & præstantissimorum Medicorum authoritate confirmata. Timori casus inseruiemus auersionibus omnis generis, & purgationibus repetendis totius corporis, eò fidentius valentiorum medicamentorum purgantiũ vsu adhibito, quod ipse leuissimè ferat, eadem melancholico affectui facient, facient lui gallicæ. Quæ verò consumi non poterit cum totius corporis venis hæreat recremento vltimi alimenti compræhẽsa, nisi etiam sudores moueantur, & curetur, ut per ipsos absterfa corruptio exportetur. Etenim, Doctores, plurimos vidistis solis sudoribus per exercitationes sanatos, solis purgationibus, & illis quidem ualentissimis per paucos. Solis vrinã mouẽtibus, certè nullos, & quę vnctiones, & suffumigia hydrargyri sæpè curarunt, illi totius corporis ambitus materiã eruunt, & in fauces cõpellunt ac per alias vias educunt, atque nisi crurib. datæ vnctiones satis egerint, dorso postea datæ magis possunt, & profecto sic res habet. In genere eo infectionis hęc lues est, in quo etiã illa est, quæ venas, & carnes habet sub scabie maligniori, & lepra, quæ nunquã curantur nisi venæ, & carnes purgentur illa infectione exsiccanda, absumendaque, & per attrahentia etiam auocanda. De vsu iniunctionum earum sic haberem, vt quoniam materiam sursum cõpellunt, & versus fauces, essent fugiendæ. Nã præterquam vir Illustrissimus capite calido, & humido est sua natura, & hoc tempore etiam casui huic obnoxio, habet etiam fauces angustiores natura sua, & plenioribus carnibus adstrictas, neque verò conueniens id remedium corporibus lautioribus videatur, neque de tan richitandum in eius vsu, cum tutiora & certiora mus, quale guaiacum est, quod summa incidendi, et abstergendi vi, tum venas & viscerum carnes colligendi, expurgandique per sudores apprimè eiusmodi generi morborum facere compertum est, vt abigendæ quoque melancholiæ, & consumendæ materiæ casum inferenti, quo persuasum habeam nullum remedium huic esse anteponendum. At disertissimus Medicus summa facundia iam contendit suspectum guaiacum esse, sub cuius vsu casus is primo visus est, sub cuius actione caput potest compleri, cuius calor humores queat magis exurere, caputque præterea afficere in illud suis halitibus ascẽdendo. Cui verò Doctori eo difficilius potest resisti, quòd iam in suam sententiam non solum ægrotum, sed ipsorum quoque Medicorum ἀρεσκίαν adduxit, itaque ego non frustra nitar non contendam multa oratione, simpliciter rei, & causæ statum exponam, faciat ipse quod malit casum incidisse, postquam octo diebus iã guaiaci potiones accepisset, non debet nos deterrere ab vsu idonei remedij, vt tunc fecit, quando metu illo iustũ remedium dimissum est, quod longius datum certè etiã casui obstitisset, nam primo potuit corpus minus perfectè esse expurgatum Medico lenitatem semper præ se ferente, & nihil, quod ægrotus primo aspectu aspernari videatur, laudante, alioquin certè vis guaiaci id mali non attulisset potius etiam non illius vi, sed alia id fieri. At suis calidis vaporibus caput petit, esto petat, tanto citius salutem pollicetur, quanto magis ad partem affectam accedit, sed secum effert materiam nocuam, non magis eam in caput fert, quam per totũ ambitum corporis efferat, & per vrinas, quas sub eius potionib. propterea crassiores videmus, ita vt, cum corpus perfectè purgatum in ventribus saltem fuerit, & ventrium materia in diuersum, vt gignitur in dies, etiam, atque etiam reuocata illis, quæ supra sunt proposita nullus esse metus debeat, quin guaiaci vis capiti sit saluberrima futura. Chinam mauult Medicus, sub qua tamen sudores mouere non vult, certè illa multum longius duret, quoniam sine sudore minimè proderit, & materias mouens non autẽ educens potius nocebit, mota enim facilius eo labetur, quo iam consueuit, nisi vi expellatur, consumaturve. Sic & guaiacei opera melior, & sudoris concitatio, quod magis ambitum petat etiam, quam caput, quod firmitatem visceribus, & capiti ad resistendum vaporibus afferre potest ea vi aliqua adstringendi, quam nullam china penitus habeat. Neque experimentum aduersatur, nam scimus guaiacum ab ægro bis admodum vtiliter in hoc morbo acceptum, erant tamen calidiores affectus tũc, qui caput, & oculos inflammationibus occuparent, & tantum abest, vt illis calorem adiunxerit, quod eos omnes toties deleuerit, quoties sumptum est, esto enim calefaciat, morbi à materia facti, quamquàm calidis, calidis etiam, et materiam suo calore absumẽtibus tolluntur, et refrigescũt partes illis obsesse, adeò verò liber omnibus illis molestijs ęger euasit, vt integer penitus ab omnib. Medicis iudicaretur, neq; in idem malũ recidit, nisi longis admodũ interuallis, quod si etiam in peius id fecit, hoc ex more morbi euenit, qui ferè acerbior reuertitur, & firmior, cum acceptis remedijs non cessit. Cuius rei causa in supra propositis appatet facile. Quoniã cum in ambitu venarũ inhęreat vltimi alimenti recremento cõprehensus glutinosaq; materia magis adhęrescat, ea quę mouent per sudores, nisi penitus fomitem eijciant, magis illum, & altius defigunt, glutenq; ex medio corpore, et ventrib. in minores ipsius ambitus venas efferũt & magis in eas impingunt, et agglutinant. Reuersis verò morbi malis non est tanta caloris suspicio renouata, quin maximis Medicis annuentibus potiones giaiaci multo valentiores sint prę scriptę, quãquàm postea Medici metu reiectę. Theriacam etiam calidiorẽ tem summa vtilitate sumpserit. Ergo à proprio, & certissimo remedio non recedamus, casui occurrenter his, quę causam auertunt, quibus ego annumerarem eductionem sangui-

...ijs per hæmorrhoidas,& ijs omnibus,quæ supra ...prehendi,putarem esse anteferendam,quia a capite omnis materia, & præcipuè melancholica detraheretur in diuersum eam reuocando ; & exhauriêdo sanguine in eas venas prius multis auxilijs allicito,alioquin enim hirudines tenuissimum extraherent, venis etiam non cauæ venę,sed portę petitis. Clysteria porro acriora maximè id possent, quod venas intestinorum vellicent, interea etiam auersione per aluum facienda vtiles,& nullo pacto prætermittendi. Corpore itaque perfectè purgato, & auersionibus quotidie adhibitis per ea,quæ dicta sunt guaiaci potiones dari,& sudores moueri poterunt, & debebunt, atque si tantus metus incesserit à cubili,incipiamus eos mouere longis ambulationibus corpore grauioribus aliquanto vestimentis induto;ea etiam obseruatione,vt potiones largę exhibeãtur,sic enim & toti corpori possunt satisfacere, & sudores mouere facilius,ita non minores; quam pondo vnciarum nouem potiones dentur.Galenus in eiusmodi re ne sub purgationibus, quidem ab ambulationibus abstinere volebat in suo illo consilio, tamen sine labore multo eã haberi vellem. Cuius verò guaiaci nescio cur calorem metuat Doctor noster in eo corpore, qđ semper frigidum est, At interdum conqueritur, præsertim, cum sumit res calfacientes, de sensu caloris, vt dixi,id perquam rarissimè est,& breuissimum totis.n.quinque diebus caret eo sensu,&, cum fit, medium horæ nõ excedit, atq; id in parte tantum aliqua vt ore, aut fronte.

Verum cur frigore semper occupatus de frigore nũquam verbum habet? a frigore tam longo non metuit, vt a breuissimis tentationibus caloris, quoniam quotidie Medicus ei calorem tanquam pestiferum prædicat; ab eo metuendum persuadet homini iam melancholico,& suspicioso factõ, facileque in metum obiectũ delabẽti,qua persuasione vel minimæ caloris notæ ei maximè videãtur,sic caloris vel nomen exhorrescit, frigoris sensu recreatur,persuasus enim sic est. Cuius verò frigidæ intemperiei signa omnia, & grauissima habet in humore pituitoso plurimo, & melancholico,qui frigoris causæ sunt,in vrinis aquosis,multis, & crassis,in alui excrementis,in pulsibus,& pleniori habitu corporis, & œdematosis membris,in decoloratione, in sensu frigoris toto corpore continenter percipiendo, in animi hebetudine,capitis grauitate,somnolentia,tremore,recrementis oris plurimis,aquosis, recrementisque eiusmodi oculorum,in sitis vacuitate, qua potionem ad extremã mensam differat,& etiam prætermitteret, nisi admoneretur,& demum in eo,quod sub ambulationibus etiam sero admodum incalescat. At dicit ipse,bis,aut ter guaiacum accepit,curatus tamen non est. Ab eo tamẽ speciẽ sani hominis habuit,vt certi esse possimus, si ipsum valentiori modo, & longiori spatio sumpsisset, conualescere penitus potuisse, nam cum valentissimum sumpsit, tum singulæ vnciæ libras singulas aquæ habuere; a quo etiam benè aliquandiu habuit, & melius,quam, cum diutius accepit, præsertim, quod etiam commixtum cum multis refrigerantibus metu Medici accepit, quod sanè eo valentiori modo nunc esset parandum, quo vetustior morbus inde euasit,& natura & medicamento assueuit, nisi speretur eam minus consuetudinis cum guaiaco habere, eo quod posterius cum accepit illud tam permixtum cum alijs,vt minor eius esset copia, vix sentiret. Simplex ergo melius acturum, & valentius speremus, & tanto spatio, quantum morbo vetusto dari solet, vt ad 55.diem producatur. Cuius quidem opera crederem capiti penitus iri satisfactũ, quoniam non credo intemperiem defixam ei esse, sed ab humoribus sustentari, vbi,quoniam pituita semper adest, semper eius notæ cernuntur,quoniam verò humor melancholicus non semper, ideò eius notæ sæpè nullæ sunt; Illis itaque absumptis, & excusis nullam intemperiem remansuram sperarim. Quòd si aliqua restiterit vel tutiorem ab ea hominem reddere voluerimus, tunc propria capitis purgatione, repletioneve facta,

A ad intemperiem suis contrarijs auferendam accedere poterimus,lotione,stillicidio,ex alio immisso, pulueribus, alijsque rebus adhibendis, vt vel fumo ex thure,& eius generis rebus in lanam, vel linum,vel cotonem excepto,illisque capiti ingestis.

Purgabitur caput meo quidem animo tutius ijs, quæ palato ingeruntur, quam,quæ naribus,quoniã hæc magis caput concutiunt, & replent, vt ... omnes, nisi corpus benè penitus habeat; concussio etiam videtur solitum iam casum posse excitare, sed tamen, cum corpus curatum satis videbitur,etiam in nares sternutamentum mouentia,tutò inijcerentur. Medicamentorum modo narratio à me videtur prætereunda, cum vulgo satis in promptu sint & affuturos etiam curationi nos audiam. Illa non prætermitam,quæ præ mani-

B bus habenda sunt ad casum repentinum defendendũ; quæ mihi plurimum valere experimento innotuerunt. Ad retrahendos halitus malos à capite, eosdemque consumendos, ego summa cum fælicitate vsus sum inunctione contra ventriculum facienda. Dixi contra uentriculum,hoc est in fouea illa,seu lacuna, quæ medio pectori subest, illic enim fundus uentriculi maximè detegitur,reliqua sui parte costis, & pectoris ossi subiecta. Locum illum ego iniungere soleo ex aliquo olei genere valentiori ad retrahendos, & absumendos dictos fumos,vt petroleo,seu oleo de naphtha mixto cum theriaca, cum oleo de nuce moschata adiectis alijs prout è re nata videtur opportunum, & vidi adolescentulam quæ cruciaretur huiusmodi fumis, adeò ut ex se exijsset, & nullum familiarem cognosceret,quando iniuncta ei tẽ-

C pora fuere quibusdam valentiotibus adhuc acerbius diuexatam fuisse, cum his iniuncta ad ventrem,fuit paulo post ad se redijsse, nihilque eorum memorem, quæ sub eo casu incidissent,ipsave fecisset. Verum,quoniam hi fumi à cerebro in neruos repelluntur couulsioni cienda non solum in eo manent insaniæ faciendę,sinciput, & tempora iniungere non vererer præsertim corpore iam mundo facto, quod pueris utiliter admodum vsque ad admirationem feci, nam casus ille non amplius redijt. Sit uerò oleum cranei humani, oleum succini, & pariter petroleum, quo sinciput cum frictione leui iniungatur. Neque verè etiam temporibus deessem, quin cum his fricarem admixta theriaca oleum ex craneo ad ℨ.2. Dant quidam cum ℥.3. aquæ pœoniæ, sed ego sic eo nunquam vsus sum. Pulueres quidem eius ossis

D dedi sæpè adiectis alijs ad idem valentibus, vt vngula asini,aut cerui eius quem dicunt magnam bestiam, & esse alcem multi putant, quæ tamen à descriptione Cæsaris longè distat,vt radice pœoniæ, ligno visci, corallijs margaritis, & terris quoque vt sigillata, vt bolo armeno, atque id genus alijs coniuncta rhabarbari portione, & ambræ etiam, ac moschi, cuiusmodi puluere vidi sanas factas mulieres grandioris ætatis, & adolescentes, tum maximè puellas. Nescio quo casu non recorder masculi generis alicuius,nisi pueri cui postquam radix pœoniæ brachio alligata fuit,nunquam in casum solitum alioquin incidisse visus est,ac cum rogarẽ suos, vt auferrent radicem quo experimentum certius foret pati non potuero illud periculum.

E Antimonij grana singula singulis vncijs sacchari rosacei semel commiscui,& quibusdam diebus dedi adolescenti fœminæ,inde relatum est à suis non amplius casum subijsse. Quidam dant antimonij non præparati, opopanaci,castorei,sanguinis omnium ℨ.1. Alij in potũ aquam expressam elambico ex castoreo, & pullis hirundinum. Dant alij sal nobile dictum ab Alchymis. Multa amuleta sunt illud singulare indi habent, qui est lapis Corniolina dictus,si in digito annulari habeatur,gesteturque cui plus fidunt indi,& ij qui ab eis regionibus eũ deferunt,quam vngui magnæ bestiæ dictæ, & quam lapidi hirundinis,qui in pullorum ventre excecatorum inuenitur.

Quidam faciunt etiam puluerem pici martij, quem in Piceno Gazam bruscam appellant.

Sed

Sed non persequar ea, quibus credo meliora me protulisse. De abradendi cranei consilio, deque scarificatione capitis, & vena frontis secanda breui dicam. De abradêdo osse, dico nullam in cute notam esse, qua locum affectum sciamus, vt locum non possimus reperire, nisi cute tota craneum nudemus, quod est hominem interficere, si os affectum non est, minus cutis secari debet, hominemque tali vulnere in periculum adigere. Scarificatio materiæ iam consistenti forsan aliquid faceret, quamquàm os intercedit, sed etiam num illa venit, & ita vehementius attraheretur. Venam secare magno morbo conuenit, secta in cubito est, in capite secanda non est, nisi à sanguine in eo considente magni morbi timor sit. Verum à capite sanguis tutius retraheretur, & citatis hæmorrhoidibus retrahetur. Atque hæc mihi uidetur iusta huius morbi curatio, & salutem posse polliceri.

Consilium de gallico cum Iul. Alexandrino. Hieron. Capiuac. Hieron. Mercuriali, & alijs pro &c.

CONSVLTATIO XXX.

QVę res, viri sapientissimi, & summi Medici, die hesterna fuit a doctissimo physico exposita ob ęgroti dignitatem, & sui difficultatem est tam grauis, vt merito vobis reseruata uideatur. Siquidem curationes difficillimæ maximorum Medicorum sunt, vbi cuiusque tamen nostrum est de suo aliquid conferre ad rei perfectã explicationem, quo illa sub oculos sic constituta clare ostendat veras sui curandi rationes. Corpus affectum nunc quod nescio, quo casu satis quierũ offendimus, hoc sæpè recidere consueuit in grauissima, ferè eadẽ interdum etiã diuersa mala, vix vnquam integer interea visus, & semper in peiora reuolutus. Non est itaq; considerandus tantummodo pręsens eius status, sed qui alias sæpissimè fuit pessimus, ne fortè cura eius refrigescat, cũ nullo non tempore possit de more suo in mortis periculũ repentè incidere, si futura nos ex præteritis conijciamus. Etenim, cum gallica symptomata Illustrissimum virum primo inuasissent, illa tunc per guaiacũ facile sublata sunt, adeò vt octaua die potionũ illius oculus sinister ruborem amitteret, & sincipitis pustulæ abolerentur solo rubore purissimo cuti relicto, vlcere etiam glandis sanescente, atque in eo bono statu fuit toto reliquo potionum tempore, quæ ad 40. diem productę sunt. & alijs præterea 25. diebus, post hos leui tẽpestatis occasione, qua vento sese obiecisset in breui itinere, repentę in capitis grauitatem, in surditatem, in maculas temporis dextri rubras, & item frontis, incidit, tum autẽ in ruborem oculi sinistri tantum, vt totus oculus occuparetur, sine tamen dolore, nihil autẽ videre oculus poterat. Itaque cum per guaiacum hyberno tempore conualescere visus fuisset, iam vere instante facilè guaiacum iterum admisit, & inde in speciem pulcherrimã suam fuit reuocatus, quam integerrimæ valetudinis aliquandiu retinebat, cum repente in sincipite cutis extumuit in mollissimum ædema, artus verò dolore tentati sunt, & glãs vlceribus exesa, & mille alia mala sunt consequuta. Media itaque tempora, quæ meliora sunt, ea auxilijs Medicis, & guaiaci præsertim extitũt, cuiusmodi est hoc quietum tempus, quo eum meliusculum videmus, nõ tamen tam integra specie, quam prioribus temporibus, nã semper in peiora recidit, tum symptomata, tum interualla, quæ nunquam non breuia fuere, neque hoc diuturnum fore est sperandum, eo minus, quod minus integritatis præ se fert. Ergo illa respicienda mala, in quæ solet recidere, quæ quidem pessima sunt. Ex quorum multo numero tria mihi videntur potissimũ consideranda. Casus ipse comitialis, melancholia cum metu, & mœrore summo, tertio malus habitus frigidus, frigidave cache-

A xia Melancholiam & casum comitialẽ Medicus ipsius Illustrissimi Viri hæreditarios affectus esse contendit, neque à gallico partos vult, quoniã matrem vtroque laborasse affirmat, patrem autem, & sororẽ altero, nimirum melancholia. Esto verò ea generis sint, quamquàm de matre historia, tã vario modo à diuersis refertur, ut fidem ferè amittat, quorum quidam dicunt etiam duos annos ante partũ Illustrissimi viri conualuisse, alij nunquam liberatam, esto inquã, & quod mater ad iuuentutem, & filius ad inclinantẽ ætatem reseruarit, hoc nihil facit, quin à gallico is casus saltẽ habuerit πρόφασιν, occasionem nempe, nam à genere est propensio, est alicuius partis imbecillitas, nunquam morbus est propensio, & imbecillitas certè partis facit, vt re aliqua incidẽte homo magis in hunc, quàm in alium morbum cadat. Ita
B à gallici malis is potius in symptoma comitiale, quam in aliud deductus sit. Cuius verò rei argumentum id maximum iudico, quod non paulatim eiusmodi symptoma accessit, sed primo insultu fuit maximus vt & valentissimam causam subito tantam factam, & eam non à propensione naturæ, quę tantas mutationes, tam subito non fert, sed ab aliena incidẽte renatam fuisse, iudicandum sit, cuiusmodi esse fumi à gallico morbo potuere, alioquin enim in viuendi modo iam multos annos, quibus valetudinarius est, admodum temperans extitit, neque in viuendo vllam causam prabuit. Si à natura corporis potissimum id euenisset, primo in viuendi modo aliqua ratio causæ fuisset, deinde paulatim ad eiusmodi genus deductus fuisset, vt in uertigines in incubos, & similia, postea in leuem huius casus aliquam speciẽ, quales aliquæ ex posterioribus fuere.
C Sed prima acerbissima fuit, & longissimè vexauit, mitto, quod naturæ propensio ob alicuius partis imbecillum genus sit, quod si similitudine matris tale esset, necessario mater in habitu membrorum eam similitudinem continuisset, tunc verò mater non conualuisset, vt mihi refert optimus senex, qui ei in intimis erat inter seruitia. Si conualuit, id potius in humoribus, quam in solidioribus causam sortiebatur, sic non solida, solidis matris similia, sed humores nati è matris humorib. ex ps si eũ primis à partu dieb. in id impulissent, cũ diu humores ijdem seruari non possint, nedum ad 44. annum sese sustinere, mitto hæc inquam, & multa alia. Hoc vrgere maximè credo, quod natura corporis, & temperies, præterquam quod occasionem expectat, seu προφάσιν, vt
D dicit Hippocrates, non potest etiam subito mutari, vt continuo ad summum alicuius mali compellatur, nisi per vim maximam rei valentissimæ incidentis, quæ nulla hic causa fuit præter vnum gallici affectus damnum, quod potuit sua congerie, tam acerbam continuo accessionem mouere, prima enim accesio acerbissima omnium fuit, post eam multæ postea leuiores fuere, quamuis postremo etiam maximè extiterint; Sic etenim habuere primæ tres, & vltimæ tres inter maiores fuere, de primis duæ posteriores minores, longius quidem interuallum inter primam, & sequentem intercessit, quàm inter hanc, & tertiam, atque hæc quoque minor, quàm secunda, Spatium à prima ad secundam fuit 21. dierũ, à secunda ad tertiam, quatuordecim, ita, ut maius malum longiorem postea quietem reliquerit. Vltimæ tres
E accessiones illis ex aduerso contrarium ordinem tenuere, nam postrema maxima fuit, & quietis spatium maius sequuta scilicet 13. dierum penultima minor, hæc maior tamen antecedente, ac quanto minor, quàm postrema fuit, tantò breuius spatium consequuta est, quod fuit, quinque dierum. Harum omnium medio totius tribus mensibus intercidentibus leuiores ipsis vtrinque positis extremis fuere, Melancholiam ego facilius referam in parentum similitudinem, quanta tamen repentè hominem insanire, aut mente exire identidem, & crebro faciat, non certe, & præcipuè eum, qui ante hanc ægritudinem, & tribus etiam annis sub cã prudentissimus semper extitit, ut nunc quoque est, cum accessiones quieuere, & sua spatia perfecerunt, Hippo-

cratis illam προκάταρξιν Doctor reperit tandē,& ait, quod Illustrissimus. Vir ante carnis primū animi causa choreis noctu interfuit,& varijs cibis vsus est, sed quot cum eo fuere longe eò infirmioris naturæ, liberioremque vitam degentes, & tamen nihil penitus mali inde sensere? Comitiales casus certè ego non possum in aliud referre, quam in luis gallicæ vitium siue inde πρόφασιν, siue causam habeat sine eo hoc tempore non fieret, neque dubium arbitror, quin gallica lues id possit, à qua videmus quotidie pro corporum opportunitatibus omnia morborum genera nasci. Minus dubitarim nam illa subsit, cum nullum tēpus prærerierit, quin hominem vexarit ab eo initio, quod & pessimè eum habuit, & eo firmius inhæsit, quod à Medicis non curatum, sed compressum intus fuit. Vos audire potuistis, quod chyrurgus intentus curationi vlceris glandis, persuasit Medicis, vt profluuium illud sordidum gonorrhæam dictum sisterent, quod facere multarum rerum pulueribus vsi, quoties verè vidistis vos, quod purgatus, & guaiaco vsus totos tres menses bene habet, & tamen postea recidit, multoties ego etiam sex menses, Nonnulli mihi affirmarunt se tres annos bene habuisse, & nulla data occasione recidisse. Quidam etiam voluere persuadere, se 12. annis integra vsos valetudine, nullaque præstita occasione malum pessimo modo reuertisse. Videte modo cursum in hoc ægroto, qui nunquam mensem bene habuit, imò ne 20. quidem dies; an successione malorum ostendat morbum hunc vnquam fuisse extinctum, remissa gonorrhæa gallica peius habuit, doloribusq; tum capitis, tum artuum diu cruciatus fuit, præter alia multa, in quibus fuerant pustulæ priores in facie, & syncipite. His deletis per guaiacum exiguo spatio intercedente rursus alia similia resurrexere, in quibus demum pustulæ crebriores, & turgentes magis molestæ viderētur; quoniam aspectum hominis turpissimum redderent, & Medici laudibus detrahere videbantur, qui eum iā perfectè curasse se iactarat, & summum pretium mereri asseueraret.

Ita populis intus repressis continuo faciei, & corporis totius dolor hæmicraneus hominem arripuit; hoc represso subitus casus comitialis extitit, neque tamen interea multa alia cessarunt, quin crebro dolor capitis, & tumores temporum eum tenent, quæ symptomata nūquam quisquam melancholiæ, aut epilepsia attribuat, neque tanquam παθογνωμονικά, neque tanquam ἐπιγινόμενα, aut συνεδρεύοντα, potius verò gallico tanquam familiaria, maximè verò, quod varia quidem semper fuere, & identidem reuerti consueuerunt, & sub hoc a morbo alias ipsum ferè eadem habuerint cum lui gallicæ attribuerentur. Sic ego videor posse priorem malorū horum originem in causam communem referre, quæ gallico morbo continetur. In quem verò cum omne Medici consiliū referri debeat, ob eo potior curandi ratio petenda est. Sic eius natura, & corporis genus, quod occupat, omnino explicanda sunt. Luis gallicæ naturam in aliqua intemperie facta contineri non posse id penitus ostendunt eius curationes multæ, quæ nullo adhibito tēperamento fiunt, plerumque enim sola bubonis expurgatione longa, solis sudoribus per exercitia insolentiora factus morbus consumitur, ita solo humore detrahēdo, vt alij plerique morbi, tollitur, Ergo in humore positus est, atque adeò, cum pertinax redditur, id non aliunde, quàm ab humoris aliquo glutine, & crassitudine ab aliquibus valentioribus eius obstructionibus fiet Putrilaginis autem sobolem esse illum ipsum humorem clare apparet, quoniam contagio comprehenditur, & eo quidem admodum subtili, nam sæpè uix partium naturalium leuissimo attritu communicatur, præsertim, cum nuper illæ partes eum accepere, & admodum recens in illis consedit, inde enim facillimè colligitur, & quidem pessimi generis, quod is forsan fecit. Habeat itaque vapores fumosque acres, & lentos, quibus sese insinuet, & insinuatus adhæresçat primo vicinis, deinde etiam longinquioribus partibus primò humidioribus, mollioribusque

A busque deinde etiam alijs, naturalia ergo primum occupat, per quæ sæpe etiam nullo visibili male ibi expresso ad humores reliquarum partium permeat, fortè enim venarum potius & arteriarum humores corripit, carniū humoribus præteritis, quod carnium hi sint minus opportuni, vt cōtra in alijs sæpè carnium potius humorem occupat, & ibi vlcera exprimit; sed plerumque vtriusq; generis humorem inuadit, & ex eo sese alit, vnde omnis corporis humores sua virulentia inficiat: primò cauitatum deinde etiam foraminum inuisibilium. In eundem modum loquebatur Galenus, quando humorem uitiosum, quò cerebri actiones afficiuntur, non solum in vasis, & sinibus cerebri collocat, sed etiam in illius corpore, qui humor primo se ipse vitium contineat, deinde etiam corpori cerebri tradat, de partibus enim eo

B malo humore infectis dico ego quoque. cum omnibus, tum verò naturalibus dictis, & iecore, carnibus, & venarum corporibus. Vbi uerisimile quidem est, quod de vasis priores arteriæ fumos illos & halitus attrahant, non tamen priores earum humores inficiantur, quoniam tūnicæ primum humor frigidior est alendis illis similis, & meatibus angustioribus occlusus; tunicæ ipsæ sunt duriores, densioresque, tum autem humor cauitatum visibilium tanta vi caloris naturalis viget, ut illam putrilaginem & consumat & expellat, ita neque cor illam aut recipit, aut receptam patitur, quin celerrimè absumat, ac reijciat. Venæ ergo ipsæ molliores minusque pollentes, & humoris minus valentis, & materiæ potius uices præbentis plenæ, facile infectionem, & illapsam putrilaginē retinent; humoresque suo omnis generis alunt, eius lentote etiam irretitum. Perquam rarissimè itaque videC bitis bubones sub axillis tanquam à corde affectis humoribus, & arteriarum ferè in inguinibus, tanquā à venis, & iecore maxime, quoniam naturalium, seu obscænatum partium contagione, & conualescentia communicatum vitium primo recrementum vltimi alimenti earum proprium occupat; Sed à proposita διέξει ad ὑπόθεσιν, & certum nostrum casum venio; Primo infectionem accepere glandis humores meatibus inuisibilibus diffusi, ita vlcus factum est, dum glans eos infectos in unam partem compulit, quod etiam in scabie carnes, & cutis corporis faciunt, deinde vasis naturalium infectio subijt, & inde gonorrhæa gallica extitit seminis meatibus putrilaginem amplexis, & ab omni corpore materiam quæ potissimum vltimo alimento superest ea sua

D imbecillitate excipientibus, postea venæ quoque suis humoribus, vt opportunos illos putrilago offendebat, eandem infectionem comprehenderunt, & inde pustulæ in sincipite, rubor in oculo, & maculæ in toto corpore rubræ extitere, tum dolores in medijs artubus molesti. Tandem longo adiecto spatio, vt difficultas curationis ostendit iecoris corpus quoque in suis eum situm accepisse credendum est ei lentore maximè adherentem, & nouissimè quoque caput in maiorum saltem meatuum humoribus. Modo quamnam speciem, & differentiam morbus à cōditione corporis nactus sit, videre debem⁹. Corporis genus est molle, candidum, carnosum, ne dicā obæsum, cui in abdomine, & in cruribus pili nulli sunt, venæ verò satis paruę, aut minores, quā corporis virilis sit, vt neque pulsus, neque arteriæ magnitudinem osten-

E dunt: Mores hominis in agendo tarditatem, in irascēdo facilitatem, & eandem in sedatione iræ habent. Quare quod pertinet ad cor, & iecur, aut mediocre corpus est, aut patū ab eius finib. ad paulò frigidius, et humidius inclinat, est itaq; cū summa comitate admodū officiosus, & pari gratia obsequētissimus, humanitarisq; amantissimus, pulcherrimo colore nitidus, & carnosus, De capite non tā facile iudiciū, nam quamq̃ subito sententiam aliquā arripit, diutius tamen eā, & mordicus tenet, ita verò, vt tandem eā penitus dimittat, quod in agendis reb. fit, in intelligendis ēt facillimè percipit, & ad verum iudicat, neque exiguæ memoriæ est. Somno quidem longiori, sed interdū, nescio quibus casibus, bis aut ter quāplurimorum dierum spatijs nullo, nullis somnijs permixto,

mixto, & leui. Sensus nō semper eodē modo sunt, nam aliquando hebetiores intelligantur, aliquando acriores, maximè auditus. Visus quidē nō ad modū acris. Os humidū semper est, & omnes eius partes ad fauces, & linguā pertinent, est figura capitis bona ad eminētiam expressis certis eius partibus, & oculis. Capilli citò crescūt, & benè crassi sunt caluitio maturè facto, & item canitie, ex quibus mixta est coniectura de capitis temperie certè inæqualis illa uideatur. Memoria maturo caluitio iuncta ariditatem, vt citus pilorum ortus, & crassitudo. Recrementa tamen oris, & destillationes, ac bronchia contrarium. Quocirca non possum nō ita statuere, materiæ quidem causa, quæ per venas in alimentum submi nistratur, genus humidum continere; habitum autem naturalem corporis cerebri, & membranarum genus aliquāto secius habere, quoniam somni satis longi sunt, neque humor ab infernis partibus elatus ab eo sicciori genere potest superari. Sic verò ipsum calidius quidem capitis, & osculorum forma indicat, quemadmodum etiam color, id tamen somni, et quietes sine somnijs denegant, nimirum quoniam calor non tam multus est, quoniam non tantum habet caloris humorum à iecore neque spiritus à corde, vti ferueat, quiescit, & somnos in somnijs habet vacuos, temperamento inde potius acquisito adeò quod a se quidem calorem aliquem, ab infernis autem humorem, quibus excellere videatur, sic destillationibus, & rheumatibus fuit obnoxius tantis, vt febrem etiam afferrent. De ventriculo non possum aliter iudicare, quamquàm humidior suapte natura sit, quoniam sitis rarioris est, quam pluri semper potione extingui oporteat, quoniam aluo molli semper vsus est, vnde etiam integræ valetudinis semper fuerit illis exceptis distillationibus. Hinc ad propriam mali speciem accedamus, obseruemus illius effecta, quæ dictæ corporis naturæ determinatam repræsentent, humida à principio gonorrhæa erat sine fętore cum humidissimo vlcere, quamquàm exedenre admodum. Oculi rubor den sissimus sine dolore, sine tensione, sine vlla recrementorum acrimonia, quæ essent humidissima, atque admodum copiosa, tumores molles, repente extantes, citò cōsidentes, vt ille in sincipite maximus, qui vix tota hora permansit, vt illi circum oculos subito abeuntes, copia sudoris incredibilis ad tertiam culcitram sudenti subiecta pertinentis, sitis vacuitas sub largissimis sudoribus. Alui liquor perpetuus etiam sub abstinentia. Humidissimum tamen mali genus suæ naturæ putrilaginem retinuit, vt vlcus & pustulæ manifestarunt. Cui cum spatium iam quatuor annorum accrescit, aliquam varietatem ei attulisse mirum non est, præsertim curationibus multis habendis, à quibus nisi absumatur semper naturæ suæ aliquam mutationem accipit, & interdum durior reuertitur eò, quo vetustior est, imò hic periculosiora semper retulit symptomata, quoniā uitiata nutrice facultate totius corporis semper abundant recrementa; hæc verò temporis spatio peiora fiunt, & cum varia in hoc fuerint, etiam varietatem deteriorem adepta sunt, sicciora adhuc magis arida, & dura euasere melancholicamque vim reportarunt, humida autem magis lenta, & glutinosa facta sunt.

Sic obstructiones effecere, quibus etiam falsæ caloris notæ excitantur, præsertim putrilagine illa inclusa, & caloris alieni concepti uim augente, & quamquàm humoris frigidi natura omne viscus refrigeret, sua tamen eadem abundantia, qua maius refrigerium afferre debet, dum meatus obstruit, etiam calorem aliquem excitat, ita quamuis sanguinem pituitosum penitus uideamus, & carnis genus eiusmodi, tum decolorationem totius corporis, atque extremorum tumores molles, interdum etiam frontis, aliquando tamen subiti calores, & colores in faciem suffunduntur, qui rari certè, & breuissimi sunt, non eodē semper colore, sed modo rubro, modo pallido comitante.

Intemperiem itaq; frigidiorem visceribus inductam constare videtur, cum tot notas frigidorū humorum vi-

A deamus, & quas paucas caloris cernimus, illas in putrilaginem, & obstructionem accessorias res referre cogamur. Neque.n. quod Doctor persuadere conatur, calidam intemperiem posse esse pituitæ causam, aut verū, aut tutum est, siquidem facto tanto caloris excessu, quo naturalis calor iam non vi caloris, sed priuatione agat, iam extinctus calor erit, & cadaueris, non viuentis, viuēte animante agit calor naturalis, & agit etiam per ascititium, alienumq; calorē & per eum necessario caloris opus efficiet, non frigoris, sic aut calidos nimium humores, aut corruptionē edet, cruditas namq; frigoris opus infra actionem caloris subsistit. Cruditas caloris opus exustionem refert ex Aristotele. Galeno autem opus caloris nimij semper aut bilis generationem, aut mille formarum corruptionem materiæ facit, nimirum caco-
B chymiam, ita in solidis partibus erysipelata parit calida intemperies, in humoribus bilem & melancholiam nimirum cacochymiam, in ciborum materia corruptiones sine proprio nomine innumerabilium generum, & fumos nidorosos. Si iam vult Doctor superesse calorē naturalem, hac intemperie calida formatus hæc genera pariet. Si nō vult superesse, tunc corpus non erit animalis, sed cadaueris, ne dum tam multum nutriatur q̃ nutritum hoc cernimus. At Galenus pituitam humidā rem gigni vult à sicca intemperie, Verum non ab ipsa sicca intemperie vt ipsa est, sed a frigida semper, cui ēt siccitas adiungatur, vt in senibus, & his, qui ab ortu naturæ sicci, & frigidi sunt, vt non pituitam, sed melancholiam in ijs, qui calidi, & sicci, cum ætas fuerit longius progressa, quasi melancholia quoque in frigus sit
C referenda, nam in calorem non præsentem sed præteritum refert. Siccitas namque in actiuis potissimis non est, sed lima sæpè vtrisque, in mixto enim partes materiæ tenet vna cum humida.

Verum quam speciem videt Doctor, in qua appareat tantus caloris excessus? Certè calorem naturalem non vicisset, nisi pabulo caloris absumpto nempè humido, quo pacto ergo corpus carnosum maneret? Certe hecticam senectutis haberemus. Sed vnde tanta caloris acris abundantia? Respondet Doctor, ab vsu potionum guaiaci, cuius verò scilicet singula vnciæ denis aquæ erant incoctæ, imò singulis. Videte num hoc potuissent in corpore tam humidi generis, & nequaquam calidioris, potiores ea moderatione factæ, quod vel in aridissimis corporibus, febreq; longissima pressis longè
D validiores non solum non fecere, sed nutritoria reddidere, si vnquam guaiaci consuetudinem in egris curandis habuistis. Sed corpus nutritum nimis est, ita iecur aridum esse non potest, minus cor, minus calor naturalis corpus suum genere humido constans amisit, ergo suas vires retinet, quæ intemperie calida informatæ nō pituitam, non frigidos humores, sed calidos parerent. Neque verò vlla vel minimæ intemperiei iecoris calidæ notæ vnquam visa est, neque per sitim, neq; per deiectiones alui, neque in ijs quę toto corpore efflorescebant, nam rubri coloris erant, qui color sanguinis, non bilis est, nunquam pruritum habuere quo pituitam calefactam intelligeremus, necessario enim, cum pituita in calefacto loco diu manet, salsum saporem acquirit,
E etiamsi in capite parte aliarum omnium frigidissima id euenerit. Concludam itaque, quod intemperiei calidæ suspicio esse non debet, quoniam neque signa, neque causæ illius sunt, sed potius omnia contraria. Quapropter mirum non est, si corpus non pallidum, vt cacochymum, sed verè album est, extrema alba, tumentia mollibus, oculi humentes sine acrimonia, venisque suis albis. Recrementa oris aquosissima, copiosissimaque, & post releuationem a casu per totū quatriduum lenta, pituitæque uitreæ speciem referentia, cursu spontaneo delabentia.

Minus mirum est, si aluus habeat tam multum humoris crassissimi, & glutinosissimi summo pondere præditi albi, si nulla sitis, aut bibendi necessitas ei sit a famulis in memoriam adducenda. Si vrina ple-

rumque albæ sunt, et manè nunquā non tenues, vt aqua semper. Minus ét mirū est, si semper frigeat toto corpore, potius mirabitur iure aliquis, quod nunquam dolet, quod frigeat, & cum rarissimè calorem aliqua in parte, vt in facie, sentiat de eo tamen valdè conqueritur. Dicit quidem se semper frigido corpore esse, nunquam tamē lamentatur, & frigus illud præter omnem rationem naturæ est, cum sub cane simus, & omnes nos calore torqueamur. Superioribus quoque diebus longe etiam magis frigidum sentiebatur, nostris manibus lapis frigidissimus videbatur. Itaque de frigore non dolere animaduertetis, quoniam ab eo nil sibi timendum persuasus est de calore contra quoniam existimat sic à Medico persuasus: Ab eadem frigida nimis intemperie venit torpor, & stupor ille animi, qui ante hos cœli calores immensus mihi uidebatur, nam eo deuenerat, vt seipsum ignoraret, nedum mala sua, vt risu, iocoque omnia exciperet eo more, quo sanus in rebus iocosis facere consueuerat. Venit ab eodem frigore intemperiei illa somnolentia sine insomnijs, & sine memoria cuius memoriæ defectus insomnijs etiam illum priuabat, amissio namque memoriæ frigidæ intemperiei attribuitur, inde quoque mœror, & metus perficiscitur, qui continentet eum premunt, inde tarenter excandescit; & non sine occasione, quæ tamen excandescentia, tum ab indignatione oritur, tum metu excipitur. Rarius imaginum vir pertur batur, & fallitur, & ita ad iram mouetur, quæ quidē ab aliquo calorum fiūt, quoniam non sunt infirmitates, remissionesque actionum, sed corruptelæ, quæ à Galeno calori datur, quod enim mœreat, timeatque sine ea causa, quæ satis sit id à fallacia, & corruptione imaginum est, & quamuis metus, mæstitiaque nō corruptiones, sed deiectiones animi ipsæ in frigus referendæ uidentur, fallacia tamen imaginum, vnde mouentur ad corruptionem debet referri, & hæc ad calorem, si modo ab intēperie proximè veniret; Dico si ab intemperie proximè ueniret, quoniam Galenus vult falsas moueri imagines a fumis atris in cerebrum abeuntibus, non ab eorū intemperie iam frigida, sed à calore, aut etiam motu, vt, si quid caloris etiam retineāt, vnde facti sunt, per calorem tamen id non faciant, sed per nigredinem, & motum, quamquàm hæc à calore sunt. Rem ipsam nos introspicientes etiā dicere possumus, quod perturbatio illa imaginum, & insaniæ species à calore suffuso uenit, & ira quoque sine perturbatione sequatur, siue etiam antecedat imaginum. Itaque rara, & breuia hęc sunt. At mœror, & metus, qui continenter eum habent frigoris affectus sunt, & proximam sui originem in frigore tenent tunc, cum non ab imaginibus horrendis, sed à cordis affectu sunt, quod in melancholicis fit, qui si falsas imagines versent, ij in eas è cordis affectu cōpelluntur non affectum cordis ab imaginibus accipiunt, nā, qui in metu est semper ea, quæ metuenda sunt, versat in animo, vt qui excanduit illa, quæ iram mouent. Neque enim credibile est colorem, aut obscuritatem ad imagines mouendas facere in cerebro, in quo opaco, & lumini inepto, nunquā nitor, aut tenebræ locum habere possunt. Sed de his disputandi hic locus nō est, sat est, quod uidemus aperte in corpore hoc illa superare, quæ frigoris indicia sunt, & sæpius, longiusque adesse, imò semper, cum casus vicini sunt, latenter autem, quæ caloris, ita hæc ex accidenti morbum sequi, frigoris autem effecta morbū sui causam, & se ipsa tanquam frigidum ipsum. Quamuis ego non statuerem hanc frigidam intemperiem esse in cerebri corpore firmam, quoniam video ipsum sæpè è stupore illo ad se redire, & nunc maximè apud se esse, & facultatibus cerebri integris vti. Credam potius eam intemperiem cerebri ab ea pendere, quæ in uisceribus perpetua cum morbo continetur, & inde in cerebrum per vapores, & humores, ac fumos identidem inferri, sic interdum etiam calidis ex accidenti fumis intra excitatis, cerebrūque petentib. effecta tunc illorū in cerebro moueri, falsasq; imagines excitari, ut in febriētib. uidemus, quo tēpore etiam facies erubescit, & secundum buccas

A nisi cum nimis crassæ, aut turbulentæ maximè ab ipso sentit calorem, quod interdum etiam sine falsarū imaginum excitatione uaporibus exteriores tantum partes petentibus ei euenit. Qui verò fumi ab obstructionū calore, & materia in caput elati parū diu ibi manent, quin calorem acceptū amittāt, & in naturam materiæ, vnde elati sunt, recidentes intemperiē frigidā cerebro sustentent, & stupidos sensus faciant, & qui dum calidi essent infra quidem iram supra autem imaginū commotionē efficerent, nunc refrigerati infra mœrorē, supra autē hebetudinem, & stoliditatem moliuntur. Vt humores uiscera occupantes, quāuis obstructionib. aliquē malum calorem sæpè moueant, suo tamen frigore uiscera afficiunt, & concoctiones impediūt. Fumis etiā suis os ventriculi petentibus ibiq; refrigescentibus ipsum refrigerāt B totumque ventriculū, & corde inde tacito quodā sensu pariter affecto mœrorem inducunt. Hic enim melācholia dicta propriè, quam exustus humor est, non reperitur quoniā non in breuem iracundiam, ut facit, sed in furorem ageret, & pessima vlcera faceret, neque acor ille, et stupor dentium à simili humore venire potest, cum aere nihil sentiatur, sed à pituita tantū, cuius maxima copia ex ore elabatur. Ergo ex eo genere metus, tristicia, & lachrymæ crebræ sunt, ex pituita etiam præter alia iam dicta blęsitas linguæ quamquàm ex parte remota sit, cum diu sine eo casu fuerit, tremores quoque interdū, & neruorum debilitas. Non est mirum tandem, si theriaca, si alchermes tantum iuuit, atque elleborum, sicuti ignis quoque capiti adhibitus.

Adijciam his tempestates temporaue, nā minimè mi C randum est, si frigidioribus, & humidioribus tempestatibus male habuerit, & luna præcipuè in frigidis, & humidis signis agente; & maximè in scorpione, qui tanto valentior fuit, quod ascenderet in ipsius natali puncto, tum ante initium huius morbi habuerat sub se Saturnum cum Marte coniunctum, quod signum præcipuè in membra naturalia valere tenent Astrologi. Luna verò etiam decrescente, & in fine luminis, cum cerebri calorem, & eius generis similium rerum minimè iuuat. Sic semper melius habuit luna pleniori, & sub signis calidioribus & siccioribus versante. Atque huc de morbi genere, & humoribus, quibus continetur. Quibus modo causis hi humores, & intemperies factæ sint, dicendum superest, nam de gallici causa dicere non est necesse, nisi illud tantum notauero, quod, quo recentior D est, & quo exterius magis partes commisse naturalium se contingunt eo facilius communicatur, in mare enim præcipuè vasa spiritum, adiungendum differentia in extremum osculis suis conueniunt, & locus putredini magis idoneus est, intus enim calor naturalis vigentior est, & magis potest discutere. Frigidos humores, & eiusmodi intemperiem facilè videre est, vnde nata sint primum ætas morbi est, qua potuit morbus refrigescere, diuturnitas enim tenuiores, & calidiores humores nō retinet, crassos verò adhuc crassiores habet, ætas quoque ægroti inclinata idē attulit, nam vel sanguine abundantia corpora, cum hac ætate sunt melancholico humore abundāt, non solum morbis, & curationibus exsiccantibus tractata, vt experimur, sed benè valentia penitus: His accessit curatio superioribus annis, & post E illam primam hucusque habita tuta ad refrigerandum instructa, præsertim in ipsa victus ratione, nam fuit lactucarum vsus assiduus, adeò vt totis mēsis in cibis omnibus insererētur, assidua ptisana, frigidi fructus omnis generis, aqua etiam cochlearum ad libras 11. exhibita est. Syrupi omnes in aqua maluarum humida re parati cum herbis frigidioribus, serum minimè purum, aut expurgatum à caseo est multo tēpore datum, quod eo modo solet viscera infarcire; & flatu compellere vt multis ab eodē medico hoc anno euenit. Quies etiam corporis continua habita sub ciborum exuberantia, nam in cubiculo eodem continetur iam quatuor menses. Nimia etiam copia sanguinis detracta, potuit eum in veteri morbo valdè refrigerare, nam, cum multoties vena

secta

ſecta eſt, tum ſemel ad vncias 18. ſanguis miſſus corpori ſatis exiguo. Sic etiam cauſas manifeſtas, ſeu euidentes conuenire cum intemperie perſpecta, & humoribus demonſtratis videmus, & morbum cum cauſis omnibus ſub oculis cōſtitutum. Vbi, ſi quærat aliquis cur ſomnolentus cum ſit, ſomni tamen profundi non ſunt?

Dicam iam apparere, quoniam a frigore tantum nō etiam ab humido multo fiunt, vt Galen. 3. aphoriſmor. vltimo. Nam vapores melancholici frigore quidem cū pituitoſis conueniunt, at ariditate ſua humido earum generi reſiſtunt. Sic ſomnolentum quidem hominem reddunt, ſomnos tamen arctos non efficiunt, vt facerent, ſi humidum genus polleret. Facilè autem fumi illi melancholici mouentur, vbi craſſi humores diu venas obſtruunt, quemadmodum enim Galenus ex Diocle ſentit fieri in venis medij inteſtini, cur idem in alijs quoque fieri nequeat? Obſtructa autem viſcera eſſe in hoc corpore multis propoſitis notis intelligitur. Sic dati illi fumi etiam imagines perturbant, & in metuendas ſæpius inclinant, illud per motum, hoc per frigus ſui generis facientes, ne dicam per atrum colorem. Et potuere magis refrigerari, atque contineri in cerebro, quoniam Medicus initio percepto perturbationis imaginum ſtatim acetum, & aquam roſaceam ſincipiti ingerere ſolitus eſt, quæ res diſcuſſionem vaporum, & fumorū prohibet, & illos refrigerat, potius faceret, ſi collo ceruiciq; fieret, nam ſic eorum aſcenſus interciperetur. Retenti itaque poſtea infra depelluntur, atque ſi in neruos conuulſionem faciunt, ſi in muſculos pariter, at ſi intra laxiores muſculorum partes permeent, etiam palpitationem, quæ genera non ſolum in toto corpore, ſed in labijs, in mandibulis, in oculis, & naribus ipſis cernūtur, quæ non ſolum vaporibus, & fumis, ſed ichoribus etiā, ſeu ſaniebus tenuioribus humorum a cerebro reiectis fiunt. Quærat aliquis cauſam, cur diſtentio neruorum, ſeu conuulſio intermittat, & redintegretur, in ipſiſque vallis homo tanquam Apopleticus iaceat, vel tanquam ſopore oppreſſus? Facile eſt adeo delaſſari a validiſſimo motu hominem ſpiritu conſumpto, & per eum motum adduci in cerebrum pituitæ vapores, ſicuti ſudoribus maximis tunc per ambitum efferunt, vt ita iaceat homo interea, donec ſpiritus reficiantur. Sic cerebrum reſumptis viribus concretam ex illis vaporibus materiā, & fumos, ac vapores per idoneas vias expellat. Fumi verò, & vapores aliqui cum eis facilè ad neruorum ferantur anguſtias, ſic diſtentiones eorum renouentur; per quem motum ijdem in toto corpore vapores concitentur, ſic viciſſim modo conuulſio, modo quies illa fiat, donec non amplius tantum materiæ relictum fuerit, quantum eos effectus queat efficere.

Motionem verò illam tantum poſſe non miror, quoniam cor ſub ea maximè exagitatur, & pulſus maximi, celerrimi, & creberrimi fiūt vt etiam in quiete illa quāquam non crebri, nec admodum celeres, certe magni fiunt, niſi contingat vires etiam cordis admodum infirmari, ſic uti ſemel viſum eſt, cum in fine laborum huiuſmodi etiam pulſus paruus relictus eſt, qui paulo poſt paulatim ad ſuam magnitudinem reuertit. Debilitas etiam in aliquibus artubus relicta, quoniam cum halitu neruos diſtendente etiam vapor accedit, qui loco alimēti malè neruos afficit, & malum habitum inducit, ſic in lingua blæſitas remanet.

Sed natura iam morbi colligenda ſuis cauſis cōprehenſa, & quid agendum moneat, videndum. Luem gallicam ſubeſſe dubium non eſt, cumque ea multam pituitæ copiam in omnibus recrementis conſpicuam, ſiue vrinas, ſiue aluum, ſiue os, ſiue oculos, omnia profluuiū pituitæ habentia ſpectemus. Melancholicum etiā ſuccum ex proprijs notis videmus, Intemperiem in viſceribus eorum generum ſimilem eſſe etiam ſtatuendum. maximè communem vtrique humori; quæ frigida eſt, quæ in capite eſſe iam facta nō videtur, vt in viſceribus eſt ſuſpicandum, quoniam illius actiones videntur ſæpè redintegrari, ſic à materia illius appellente inferri, & ſu-

A ſtineri tantum modo, donec materia conſederit iudicādum eſt.

Caſus verò etiam ipſe eſt, qui ſui vehementia tanquā peſſima cauſa, exitiumque minata curationem ad ſe videtur reuocare. Gallica lues lento, & glutinoſo humore viſceribus impacto illigatur, ſic humoris generi occurrendum, ipſaque viſcera expedienda, & ſudinde vis gallica abradenda, conſumendaque eſt. Atque dum materia detrahitur, ſemper auerſio interea materiæ a capite procuranda, quo caſui obſiſtamus. Num verò caput quoque expurgandum ſit, ego nō dubitarem, nam difficile ei eſt ſe ſe ſponte a tanta materia liberare, cui propterea medica auxilia materiam detrahētia neceſſaria ſunt, dicatis modo vos morbum in capite eſſe per eſſentiam, vel non, ſat eſt expoſitum, quomodo in capite reperiatur, B nam certè materia ſub motu cerebrum ad ſua officia eſt admodum expeditum, ſi omnia in memoria habeo, quæ expoſita fuere. Accedamus iam ad curationem. Metus horribilis caſus inſtat, nam nimium viribus aduerſatur. Ergo ſi præludia eius incidant. Facies erubeſcat incaleſcatque & incipiant eius muſculi contorqueri. Statim aduertendę materię opera danda. Frictiones crurum faciendæ, non tam facile brachiorum, curſuſque vaporum aſcendentium intercipiendus, & viæ comprimendæ, maximè carotydes arteriæ, atque collum linteis aceto, & roſacea madefactis circumdandum, neque inaniter in hoc verēdum acetum, eo quod neruis inimicum ſit, nam his nerui adeò contecti ſunt, vt illos attingere nō poſſit, neceſſarium verò eſt ad vim roſæ introducendam, cum eo quod ipſum quoque po- C teſt adſtringere, parteſque colligere. Quo liquore verò neque facies, neque ſinciput, aut caput tangenda ſunt, ne ſuſcepti iam fumi, qui vtilius excuterētur, contra intus repreſſi, in neruos exprimantur ad maiorem diſtentionem, a cute enim ad cerebrum, ab ignobili ad nobilem partem inimicam materiam reuocari peſſimi cōſilij eſt. Cucurbitulæ quoque cum igne, cum ferro, & cutis inciſione affigendæ fæmoribus quidem interea, at caſu verendo iam eum habente etiam ſcoptulis, & cum eis ferramentum candens ceruici admouendum. Vbi etiam, quæ veſicā excitāt, ego laudarem, ſi extremis adhiberentur, quoniam auertendis fumis a capite ego nil valentius expertus ſum a quibus dolorem capitis continuo tolli vidi ſæpiſſimè. Quod ſi caſus in ſoporem, aut apoplexiam conuerteretur, tunc ignis ſincipiti quoque D neceſſaria curatione eſſet admouendus.

Sed cauendum etiam, ne lingua ſub eo dentibus incidatur, vt multoties vidi, lignea aliqua materia inter dentes aptanda, continendaque. Erat puerpera cui cū indicaretur partum eſſe fœminam prę triſticia maxima ſubito incuſſa, adeò ſuppreſſæ purgationes partus ſunt, vt fumis in caput elatis comitiali caſu continuo correpta ſit, atque eo tum vehementi, vt è lectulo motionibus illis in opiſtotonum attolleretur, & tota nigra fieret, huic itaque lingua dentibus fuit vulnerata, vt diu balbutiret poſtea. Cui verò ſanguis ab vtroque pede miſſus eſt, & ita liberata purgationibus reuerſis; cum caſus eam multoties tentaſſet, etiam inter vtramque ſanguinis miſſionem, non item poſtea. Illuſtriſſimus quidam Baro, qui ſummum magiſtratum ſumma prudentia gereret, caſum hunc latenter ferebat, nec vnquā ſuſpicio eius mihi vlla incidit, niſi cum vocaret ad lin- E guam curandam, quæ tota liuida, & diſſecta erat, tamē conualeſcebat.

Verum quam primum occaſionem purgandi corporis, aut, purgationis perficiēdæ cùm per aluum, tùm per ſudores, & à capite detrahendi arripiamus, non prætermiſſis ijs, quæ caſui ipſi aduerſantur, Purgatum quidem iam multa ex parte corpus eſt, ſanguiſque miſſus, propterea materiæ ego tam pituitoſæ venæ ſectionem non amplius attribuerem, potius venas hęmorrhoidum prouocarem; quibus etiam auerſio à capite fieret, interea alijs auerſionibus non prætermſſis, poſtea valentioribus materiam dictam pararem, & identidem detraherem,

ſetum

serum ego non penitus damno, etiamsi in caput repere constat experimento, pararem verò ijs, quæ si eo in caput trahantur, vtilia cerebro esse possint, vt succo betonicæ, radice pæoniæ, ruta, oxymelleque scillitico tunc in gesto, cum serum fit. Præterea non dimitterem succum fumitetræ, imponerem etiam certis diebus senæ folia, & veratri radices, tuncque mel rosaceum adiungerem. Semper verò cuique seri potioni aliquam præmitterem, quæ viscera respiceret, vt ex eupatorio, ex capillis veneris, cetrach. radice capparorum, & betonica, atque pęonia, cui potioni succederet seri potio circiter librarum duarum, quod clarissimum factum esset, ne aut viscera obstrueret, aut caput repleret, & flatum, ac fumum ederet, quo quindecim diebus dato, & per ipsum aluo abūdāter soluta, ad guaiaci auxilium vim referrem, quo & pituita penitus deraderetur à visceribus, & totius corporis venis; & per sudorem cum vitio gallico putrilaginoso elideretur. Neque verò mirari desinam quod metuat aliquis guaiaci calorem in hoc corpore, in quo omnia in frigidum genus inclinant, & præter naturam quidem, cum corpus non adeo sua natura frigidum credamus. Atque si quis cautius agere nos velit, in fine feruoris cum decoquitur cicoreum adijciamus. Sed certe ego sine vllo refrigerante calidis corporibus dedi, & cum expedita fuere à materia vitiosa, optimè habuere, & nutrita admodum postea sunt, nihil enim est eo oportunius ad viscera expedienda, & confirmanda cum maxime incidat, abstergat, & aliquantulum etiam abstringat, vt ratio viscerum postulat.

Proponunt quidam aquas thermales præcipue Patauinas ad D. Petrum, sed remedium proprium non habent, esto etiam profuturæ gallico sint: Video Galenū deridere eos, qui articulis absinthium adhibent, quod tamen nostro tempore in eo vsu est, & vtiliter adhibetur. Cur ego aquas thermales guaiaco anteponam rem insolentissimam rei solitæ, & vbique laudatę? Dicunt, se sanasse aliquos, quid tum? Ars non est facienda paucis, & paucorum hominum experimentis. Sed dicam etiam quod non resciuere ipsi exitus suarum curationum, quoniam ægrotos nondum restitutos in suam patriam remittunt, cum primū à purgationibus meliusculi fuerint.

Ego scio Illustrissimum Brunorum Zampiscum: quē adductis sanum illis aquis factum, interijsse, postquam domum peruenit; quod alijs etiam contigisse audiui. Quid quod percrebuerit inter Medicos cuiusque conditionis thermales aquas gallico morbo pestiferas esse. In memoria ego habeo fratrem Illustrissimi viri, cum resistente eius Medico alij in consilium adhibiti, ei thermales aquas chaldeuados dedissent afferentes, esse etiā gallico curando idoneas, & vix vitam potuit retinere. Gallicus morbus solet curationem expectare, non adigit homines rum facile sua ipse causa in mortis periculum. Cur verò thermales aquæ gallicum tam exacerbēt excogitatum facile est, quoniam putrilagini ei abradendæ non faciunt satis, solum diluunt, & crasso, rudique modo detergūt, vnde humores magis efferentur, & corpus exagitent. Certe ego expertus sum in tumoribus internis melius, & tutius facere salsam pariliam, & guaiacum, quam thermales aquas. Hæc enim non tam emolliunt, non incidunt, non consumunt, aut abradunt, vt salsa parilia, & guaiacum faciunt. Imo ab aquis thermalibus vidi mulieres tumoribus vteri laborantes pessimè habuisse, quæ à salsa parilia, & guaiaco melius longè haberent. Lues gallica recremento vltimi alimenti comprehensa cum eo altius defixa est, & duras humorum radices habet, maximè verò cum spatio humorum solidorum illis tanquam alimentum affusum irrepsit, Ergo si obstructiones veremini, detis syrupos valentiores ex fumoterra compositum, ex epithymo, ex acetoso diarrhodon, de pomis compositum, & purgetis corpus diligenter, quo potiones guaiaci possint apertos meatus inuenire, & opera altius in carnes viscerum, & solidorum penetrare. Cum ijs vero commiscenda identidem erunt, quæ propriè casum metuendum respiciunt, vt pul

A ueres non solum halitu inhibentes consumentesque, sed vias etiam firmantes ex ambra, moscho, corallijs, castoreo, vngula asini, aut alcis dictæ à nostris, ex eraneo humano, quem cranei puluerem saccharo conditū etiam per se exhibent. Olea etiam possunt adhiberi ad consumendos eosdem halitus, & cerebrum exsiccandum, vt oleum succini, & petroleum dictum, seu naphtę cum eo, quod balsamum dicitur ex Indis hoc tempore allatum. Neque amuleta spernenda sunt, vt lapis ille Corneolus dictus, vt Radix pœoniæ, & alia. De verbis ego non loquar, quamquam à scriptoribus tradantur tanquam valentia, si in aures cadentis insusurrentur. Sed repetam tandem, quod gallicus curandus est, quo demendo omnia alia tolli videbimus, neque aquæ thermales aut alia auxilia postea erunt quęrenda, sicuti illas ante

B gallici curationem nullo pacto dari posse sine periculo existimo.

Hic Patauium deductus est, sub aquarum potione, quamquam notæ illæ in facie sæpè excitarentur, casus tamen minus frequens visus est, halitus namque vapori aquæ permixti, cum minores aiebant, tum vna cum eis per sudores totius corporis, & capitis exibāt. Itaque scribere eum Medici compulerunt ad amicos Principes viros sese conualuisse. Patauio in patriam reuertens vbique exceptus est perpetuis conuulsionibus agitatus colli præsertim, & alterius brachij, neque apud se erat, neque benè loqui poterat. Medicus, in quem culpa referri debebat, comminiscebatur motum illum à cacodæmone fieri, quem mutum appellabat, quoniam sæpè æger soluere linguam nō poterat, idque confirmabat, quoniam

C sæpissimè non solum brachijs, sed cruribus conuulsum ipse attolli iubebat, & per cubiculum trahi, isque suis conuulsionibus, & distentionibus adeò resistebat, vt duo famuli ipsum regere, & retrahere ab illis motionibus nequirent; vires. n. tātas dicebat medicus nequaquā in morbum neruorum posse referri, itaque in cacodæmona, cum quisque nosse possit quantam vim neruí à morbo distenti habeant. Certè aut inscitiæ, aut malitiæ accusandus erat Medicus. Sed concessi etiam sunt ei Sacerdotes exorcistæ, viri integritate, & fide notissimi, qui coram me (sic petente ægroto) periculum fecere; & nullum cacodæmona subesse affirmarunt. Certa enim, aut saltem solita signa habent ipsi, & certa cie-dam., quoniam vidi incredibilia signa semper excitari,

D cum sacerdotes eiusmodi, vel etiam minus integri cacodæmone oppressos, tactu digitorum sacrorum, & signis crucis, ac verbis exagitarent. Medicus tamen in ea sententia affirmabat se manere, & mansit quousque caros in lethargū deuenit, & hoīem extinxit. Cui capite aperto sinus cerebri sinister totus aqua erat refertus, & pars cerebri corrupta, ac si gangrænā tulisset. Erant et in media illa corruptione tria corpuscula tanquam gummata virentia. Febris fuerat acutissima, & vna cum profundissimo eo somno ipsum circiter 11. horis sustulerat.

Clarissimo Viro Iulio Alexandrino S.C.M. Physico Primario. De symptomatibus conuulsiuis pro Illustrissimo N.

E

CONSVLTATIO XXXI.

IVssus à DD. meis hæc ad te scripsi de valetudine Illustrissimi N. Sęuissimum illud symptoma hoc verè, cum Patauio reuersus est aliquoties eum habuit, & tantā vehementia, vt stupidus fieret. Linguæ verò dialecti sustulit facultatem, ipse Patauio reuertens secum conuulsionem linguæ, labiorum musculorum ossis ὑοειδῆς brachij sinistri, & fermè eriā cruris attulit, quæ assiduis motionibus eum per plures dies continenter vexarent humore liquido, albo, lento per os assiduè elabente. Vlceribus inustis in brachio vtroque, in sinistro cruri ad summam colli vertebram; & in sincipite (quod Pata-

uij demum factum est) humore multo abundantibus, facta demum purgatione, in qua & sanguinis missio per frontis venam, perque hæmorrhoidas satis larga fuit, & medicina valentior, & seri potio purgantibus immixtis valentioribus. Sic iam habet, vt symptoma illud grauius, mediocribus tum interuallis dierum, tum viribus, & in sinistris potius partibus tentet; conuulsiones labiorum, & brachij à somno tantum molestæ sint, interdiu rarò, nunquam dormienti, locutio verò non ita impedita, quin ab omnibus, quid velit percipiatur, brachium tamen cessante conuulsione non valide moueri possit; sed delabatur, quo formicarum decurrentium se sentire molestiam ait, vt etiam in eiusdem lateris crure, in quibus sinistris partibus multum debilitatis esse quiescente cõuulsione intelligitur. Quæritur sępè de capitis aliquo dolore, semper timet, & terretur, quasi symptoma illud instet; à quo terrore fere nunquam vacat. Somno tamen nocturno vtitur quieto, & longo vt 8. horarum spatium exæquet, nullis insomnijs perturbato, qui à cibo etiam, & alijs sæpè horis eum tentat, non tamen valdè occupat, sed facile discutitur; motiones corporis omnes tardissimæ, sententiæ fit missimæ, & eiusdem semper rei cogitatio, cibum non auersatur, potionem nunquam cupit, & vix monitus accipit, aluo non cita, ferè verò subastricta, quæ clysteribus tamen facilè soluatur. Vrina, quæ alba ei esse cõsueuit, iam mediocriter colorata est, corporaturæ etiam habitu fere tenui, non perturbata, non tamen lucida, aut liquida cernitur, pulsus rari, cætero quin mediocriter habentes, tactu nocte calidus est satis, interdiu tamen frigidus sentitur. Carnibus mediocribus, melius, quam antea coloratis, solidis, & bonum denotantibus; quamuis facies macilentior videatur, & minus colorata. Quid hoc Autumno Patauij actum sit, non possum describere, quoniam non aderam, verumtamen si rectè in memoria habeo, quod mihi relatum est, ei salsa parilia non per se, sed per potiones naturalium balneorum medicatorum in illis demissa, & macerata est exhibita. Sincipiti vlcus inustum est, ventriculo exterius stillicidium aquarum earundem adhibitum.

A quibus tamen rebus hoc verè peius habuisse certum est, & hoc æstiuo tępore, quamuis sæuiori eo symptomate cum leuius, tum in sinistris potius partibus tentetur, tamen artus, vt narraui, sinistri, brachium præcipuè, & ferè labia, ac lingua perpetuo partim conuulsa, partim debilia sunt, & motionibus distendentibus vexantur, & tanto mœrore ipse occupatur, vt nihil cogiter, de nulla re possit agere, nisi de eo symptomate, vt aduenturo, vnde semper summo terrore exhorrescat, ac non rarò lachrymas edat, aliquando eadē causa in medicum, & famulos irascatur, modo potius indignationis, quam iræ, & lachrymis potius, quam vltione aliqua vtens. Ex quibus quod genus melancholici humoris subsit, quanta adiungatur pituita, apparet, quæ in morbis diuturnis ferè solent exoriri tum corporis calore deficiẽte, tum siccitate accedente, tum autem animi ægritudinibus eum humorem progignentibus.

Vnde conuulsio illa, quæ si esset ob materiam in venis infarctam, & quietam, parti eorum alicui hærentem iam in paralysin, & fortè sensus amissionem peruenisset, quæ quidem conuulsio per quietem non fit, quoniã id genus halituosæ materiei a capite per neruos discurrens, tunc cum spiritu animali quiescit, neque ad artus effertur, & quæ interdiu cum per neruos impulsa, tum in totis musculis versans, inquietæque causam conuulsionis affert tũ motione, tum inflatione crebra, & quodam anhelitu excitato, identidemque resoluto, sic enim subitò artus contrahi, & remitti posse iudicandum est, materia pituitosum, & melancholicum succum continente. Quæ cum incredibilibus purgationibus amoueri nõ potuerint, intemperiem subesse in visceribus omnium horum matrem est necessarium, quæ cum multis curationibus non sit deuicta, occultam quandam rationem habere semper a me iudicata est, vt ex me iam annum cognouisti, verum, quoniam de hac re tunc satis loquutus sum, non te afficiam tædio, sed proponam tantum, quod requiritur a DD. meis, primum, quid tibi potissimum remedij videatur, vt hæc mala discuriãtur, deinde, num expedire putes aliquod vlcus occludi eorũ, quæ in sinistris membris sic infirmis existunt. Sũt enim insignes aliqui medici, qui putent ab infirmioribus partibus vlcera esse remouenda, quod eis, infirmitatem adaugeant. Tuum ergo iudicium de hac re expectant omnes, & consilium tuum exoptant. Vale. Forosempronij Idib. Iunij 1578.

Ego Gaspar Carth. Physicus Forisempronij supradicta affirmo.

De sputo lutei coloris diuturno cum febre, & tumentia viscerum pro Io. Bapt. Palatio Fanensi, cum Iulio Alexandrino & alijs Medicis.

CONSVLTATIO XXXII.

EX sermone Doctorum, & propria inspectione inuestigabo, quidnam sit, quod in hoc corpore auferendum est, quibusque partibus, & initijs contineatur, & quas sedes teneat paucis de genere corporis, & natura prædictis. Corpus esse calidius forma eius gracilis hucusque seruata (nam ætas iam 27. annorum est) cum venis latis, colore pallido, iracundo animo, omnia cito, & properanter agente, ostendit. Inæquabilem verò esse naturam, quatenus pertinet ad genus siccitatis, declarant crura valdè hispida, & crispis pilis obsita, cũ asperrima cute in eo corpore, cuius reliqui cutis mollis admodum est, & glabra, quod minus ariditatis, non dixerim multum humidi generis, indicat; nam in calido corpore mollities, quæ a calore iuuatur, minus humidi generis ostendit. Thorax glaber est, quæ res non humidum cor, sed sæpè etiam siccum sequi solet, ac cutis mollities illud minus siccum, & minus calidum indicabit. Iecoris maiorem calorem, ariditatemque, quod in cruribus cernimus, tum quod truncus ex carnis sit, in dextro magis latere, quam sinistro sine carne est. Contra de capite iudicarem, in quo pili molles, tenues, minimè rigidi, aut crispi in album è flauo colore vergentes, nimirum ruffi, tardo incremento minimè decidui, nullum hucusque initium caluitij admittentes, Vt cum reliqui corporis partes in calidum, & aridum genus vergant, & materiam sui similem huic parti subministrẽt, certè hanc partem contrario suo genere valdè resistere communis alimenti ministris visceribus necesse est. In huius generis corpore febris diuturna est, quæ tandem sputum tenue liquidumque, & lutei admodum coloris, copiosumque attulit; corpusque etiam, atque etiam extenuauit. Putridam quidem hanc febrem esse primo aspectu omnia ostendunt, nam vrinæ modo crassę, modo mediocris habitus sunt, modo crudum, modo concoctum eneorema habent, modo est asperum dissolutum, & nigrum. Ipsæ interdum a crassitudine ad tenuitatem transeunt sedimento deposito in imum copiosissimo; semper verò sunt coloratiores. Pulsus autem inæquabiles sentiuntur in dilatatione præsertim, & cõtractionem citatiorem habentes; Mane minus concitati, vesperi magis, inquam maius spatium protensi, seu maiores.

Præterea sunt ipsius febris certa incrementa, non aliunde, quam à genere febris nascentia, horis pomeridianis, & fortè ea sunt accessionis compressæ, quamuis id non fuisse obseruatum videam, solumque frigescere carnes ei dicant ante meridiem, quod omninò compressionis pars est. Dolorem etiam costarum sinistrarum febris sequuta est, qui vsque ad iugulum pertineret, & ad hypochondria, cum aliqua spiritus difficultate, sine tamen

men tussi, dolor eiusmodi non solum intemperiem, sed materiam ostendit, quæ tussim non moueret, quoniam brachia, & larynga non irritaret, neque enim semper materia in partibus thoracis tussim mouet, nam non semper sensum sui eum facit, quo illa moueatur. Vidi ego sæpè, & quotidie video materiam multam vel in ipsis bronchijs, qua nulla fiat tussis, neque illa expueretur, nisi larynga aliquo ichore alicūde ab ipso irritata tussim moueret, per quam etiam, quod infra est, elideretur, vt cum naribus vellicatis per pili solam tractionem sternutatio multū pituitæ eijciat. Potuit inquam dolor esse sine tussi cum branchia non sentirent vllam molestiam lacescentem. Cuius verò doloris materia febrem mouet, quæ frigoribus quotidie eadem hora repetitis renouaretur, postea etiam sine eis, & iam ad 47. diem traxit. Tumores præterea in ventre non quidem duri, sed B tumidi valde humorum crassorum, & obstruentium copiam denotant, à quibus non nisi putredo solet existere. Sputamina tandem lutea, quæ spumosa exeunt, vt solent sputa, paulo post liquantur spiritu discusso, & aquā luteam referunt; ea omninò humorum vitium significant. Febris ergo putrida est. At potest ne hectica quoque huic esse adiuncta. Primum enim febrem non sentit, & si calido admodum corpore toto sit, deinde consumpto quoque corpore est. Causæ etiam fuere, vnde hectica fieret: si diuturnitatem febris, si animi ægritudines, & indignationes. Attamen viri professione magni ego video signum, quod necessariū Galenus existimat, nimirum calorem arteriarum, etiamsi reliquum corpus refrigerat permanentem. Sic enim Galenus intelligi vult hecticam putridæ conuinctam, quòd putrida per C sudorem cessante corpus integrum non relinquitur, sed calorem, & ariditatem in arterijs retinet, nullum tamen calorem suum sentit. Quæ hic ego non animaduerto, nam arteriæ carnibus tepidioribus factis calidæ non sunt, minus aridæ, desuntque aliæ notæ, vt pulsus imbecillitas, quæ necessario ad cordis factam intemperiem sequeretur. Video enim Galenum febri hecticæ statim post eius initiū squallorem date; vel ipso die tertio squalloris quidem latitudo sua est, quæ potest in multas differentias deduci, quarum extrema marasmus est; per has autem percurrit, antequam ad marasmum perueniat, qui notissimus est extremo suo squallore; duritie, & asperitate. Hic iam diu febris hæc manet, nullum tamen indicium squalloris penitus fecit, vt fecisset necessario ad mentem Galeni, & ad verum res cogitantibus nobis. D Concalefacto namque cordis corpore, aut eius humore proprio vix potest differri, quin cor exsiccetur, cū quo arteriæ pariter afficiantur. Imò, quoties diuturnitatis febris culpa est febris hectica, tunc nunquam cor exsiccatur, nisi reliquæ corporis partes prius id perpessæ sint, quoniam cor modum caloris toti corpori dat, & ipsum tanquam princeps pars, & validissima ad se se alendum à reliquis partibus semper potius alimentum trahit, neque enim, vt in acutis morbis proprie aliquo casu premitur, impediturque quod in deurente marasmo fit, qui properanter admodum cor exsiccat, & consumit. Sed esto hæc nota nulla sit, calor certè arteriæ, desiderabitur, tanquam nota propria. Illa verò addamus, quod à cibo corpus nullo modo incalescit, vt febri hecticæ esset necesse, quæ secunda, cum tardissimæ, hora speciem incrementi manifestam præbet. Vt Medico tunc aduenienti initium circuitus febris incōpressæ videri possit. E A quo tamen febris incompressæ initio hectica hac sua incrementi specie distat, eo, quod febris incompressa cum initium sortitur proximè à cibo, tunc initium incompressum non est, & si alijs temporibus initium nacta illud penitus incompressum est, vnde ipsa dicitur febris incompressa. Hectica enim solum caloris augmentum à cibo adipiscitur, febris verò incompressa etiam compressionem, cum post cibum initium facit, quæ cōpressio ei accidit non sua, sed cibi causa, si rectè recordor, quæ disputat Galenus lib. primo de different. febrium, cap. 9. & 10. At hectica tamen videtur, quoniam

A febrem non sentit, quod indicat calorem æquabiliter corpus cordis occupasse; Nisi ego multos obseruassem minimè hectica expressos, calorem febris non sensisse; hoc argumento in dubitatione manerem. Neque verò est à natura alienum, cum febris lenis est, & humido humore contenta; si non faciat sui sensum, quoniam acris illius calor humore hebetatur, minus est ita vehemens, a quo carnes infestentur.

Hic calor exiguus est, & tarde admodum inuadit, increscitque, quo sensum sui vix vllum faciat. Si etiā quis velit carnes calorem in habitu iam comprehendisse, quamquam in cordis corpore nunquam insederit, ego permittam; Certè in cordis habitu calor adhuc non est, neque mirari quis debet, cur cor calorem sibi alienū nondum in habitu considentem, non sentiat, quoniam cor non tanti sensus est, totius corporis carnes illæ sunt, quæ sensum complent, & illæ interdum possunt æquabiliter incalescere quoniam generis rarioris sunt, maximè verò in hoc corpore, corde resistente suo habitu densiori, firmiorique & pulsationum, ac respirationis refrigerio, & se se in suo temperamento sustentante, etiamsi in perpetuo calore cum toto corpore sit. Materiam igitur habeat febris, non corpus ipsum, sed humores tantum, & illos quidem, vt videre est, biliosos cum pituita mixtos, hoc est, bile aquosa constantes, plerosque alios autem in visceribus crassiores, vnde obstructa teneantur, putrescit verò vtrumque genus, & febrem facit. Num autem humores, qui obstruunt, tantum in venosis meatibus, & intra venas sint, an etiam in habitum, seu corpus viscerum expressi tumorem visceribus pariant suspicio est, quoniam tactui duriora, & dolentia viscera percipiuntur.

A quibus locis pars aquosa magis effluat, & facilè in loca spiritus permeet, præsertim verò ad eam partē traducatur, quæ morbo priore cum imbecillis facta est, tū calidior etiam humorem illum tenuem attrahat.

Primò acceperat ab his humores minus biliosos, minusque penetrantes, nunc eos magis biliosos, serososque accipiens eis facilè transitum in brōchio præstat, adeò, vt laxatis meatibus, & materia etiam sub specie vaporis delata, traductaque nil doloris fiat; quæ cum in cauitates maiores collecta est, facilè in humorem è vapore concrescit, & tussim excitat, illo maximè in oppositum latus decumbente; nam pondus sic ei pulmonis parti facit, in quam traducta est, & facilius in bronchia permanans defluit, quod non tam facilè ei esset, si in idem latus cubaret, siquidem materia in pulmonibus est, & illorum parti pendenti grauior, & molestior fit, considēti autem grauis non sentitur, non percolat, quod si materia in membrana esset, quæ costas succingit, tunc cōtra eueniret, nam, qua parte pulmo considet, si ea affecta est, inde ipse humorem facilius absorbet suo spiritu, ab ea autem, a qua pendet, magis remoueri potest, & non ita attrahit. Vbi scire licet, quod pulmo lateri inflammatione affecto vel membrana sua erit inflammata ob spiritus commeatum, quo humor allicitur, & ob calorem glutinosus fit: Pulmo, inquam sua membrana maximè lateri agglutinatur, parte, inquam, quæ affecta inflammatione est, adeò, vt sine laceratione abduci non possit. Sed hic inflammationis harum partium indicia non amplius sunt vlla, Humor certè a calore extenuatus in pulmones permeat, ibique reuersus in suam naturā tussim mouet, & per eam eliditur. Salsum saporem habet, quoniam serosus humor in loco calido manet, aliquandiu, antequam elidatur. Ita, qui aquosus a capite proximè in os descēdit, omni sapore vacuus percipitur, quoniam caput adhuc calorem non sensit. Copiæ modo tantæ humoris serosi causa est mala victus ratio, quæ & antea, & nunc quoque habetur. Quibus quidem mihi videor morbum ipsum, & eius causas cōprehendisse. Vnde difficile non sit videre, quænam partes curationis ostendantur. Crassi humores in visceribus sunt, putrescentesque. Inde tenues expressi ad thoracem protruduntur, ij reuocandi, & ab illis viscera expedienda,

pedienda, qui verò in pulmone, & thorace residere, submouendi quod factu difficile erit morbo vetusto facto, non tamē tam resistet Medici opera, quam, si ipse adultiori ætate esset, periculum quoque minatur humor, qui in thorace est, ne eo pulmo nimirum abradatur salsedine illa, & hominem in phthisim compellat. Difficultati ergo diligentia Medici, & ægri obtemperatiorē occurrendum est, idque ægro significandum. Eadem autem opera obstructionibus materiæque obstruenti occurretur, & thorax, atque viscera deplebuntur, imo si etiam caput aliquid materiæ habeat, iisdem exonerabitur, atque motus ingruentium humorum, vaporumque retrahetur, aut retardabitur. A

Initium verò curandi ab internis quidem visceribus faciendum est, ratio tamen interea habenda etiam pulmonum, quo eijcere iam receptam materiam possint, B ne dixerim confirmari, cum in illis partibus non sint, quæ multa egeant ea opera. Inferiora ergo viscera primum tractanda, & præsertim iecur, quod quidem, quoniam in via est, qua è toto corpore humores ad aluum deducuntur, & obstructum est, leniter omninò purgari debet, & præcepto Hyppocratis obtemperari, ne materiæ detractæ sua copia aut crassitudine, aut lentore magis ipsum infarciant, atque impediant. Ergo mannam cum syr. rosat. solutiuo, & flore cassiæ in iure pectorali addito fœniculo darem, adiecta portione diasebestēn. Postea syr. de cicorea Nicoli cum rhabarbaro vti vellem, cui quarto quoque die ʒ. ſ. rhabarb. per macerationē inderetur, neque enim totum ipsum darem, quoniam pulmonibus expurgandis, aptum nō est. Agarici etiam aliquid septimo quoque die coniungerē. C Sputum ego facile video, tamen, quo humor deliniatur, & ne sua salsedine offendat, præsertim larynga, & fauces, ego ad lambendum darem syrupum violaceum cum iuiubino, & penidijs. A cibo etiam aliquid sacchari rosacei, & violacei vellem simul acciperet, quo suis halitibus cum cibi halitibus permixtis pulmones peterent, & eorum humores mitigaret.

Si videatur ferre posse medicinam validiorē, vt ego credo, erit ius faciendum ex rebus pectoralibus dictis, in quo etiam fœniculum, & anisum coquatur. Deinde in eo macerandum rhabarb. agaricum, & folia senæ cū gingibere, cinnamomo, & spica, cui expresso ad miscendum electuarium è succo rosarum cum lenitiuo, & māna. Ac corpore purgato possemus tunc exhibere cum saccharo rosaceo, & violaceo trochiscos de spodio, vel D pulueres diatrionsantalon. Quod dictum est de iride, & oxymelite miscendis, & edegmatibus mihi non placet, quoniam in pulmonibus hic est tātum tenuitas humorum sine vlla crassitudine, & quamquam spumosa sint sputamina cum primum refrixerint, in aquam liquantur, & luteo colore sunt; ita eorum spuma ob spiritum, & agitationem accidit.

Post purgationem etiam perseuerarem in iisdem syrupis, vel hos in iura mutarē, quibus incocta esset abundanter viola, flores borraginis, & buglossi Maluæ vna etiam cum herbis suis, flos verò etiam nymphææ, lactuca, atque, si haberi posset syluestris lactuca; quæ hic in Piceno lactucella dicitur, frigida certè, & humida res, atque etiam viscerum abstersiua; cum his semina frigida dicta maiora aliquo adiecto ad vrinam valentius E mouendam, vt radix graminis, & asparagi. Exoluendis etiam humoribus externis, & corpori toto temperando, nisi cruditas vrinarum interdum prohibuerit, ego balnea aquæ potabilis adhiberem, quæ æstiuis caloribus sine vllo periculo etiam inusitata fient. Si haberi poterint Lucensia de Villa, ego illa per os exhiberem. Lac asininum libenter darem, sed ea tantum conditione, quod & purgatum benè à bile corpus sit, iecorisque intemperies remissa, & obstructiones etiam viscerum remotæ. Lac enim facillimæ corruptionis, & æstuationis est. De quibus rebus suis temporibus videndum erit, interea id omne, quod ante hæc propositum fuit erit perficiendum.

Is mense sequenti conualuit, vt balneorum nulla necessitas fuerit, & toto Autumno, atque hyeme ferè benè habuit. Recidit postea, & grauissimè habuit, adeo, quod Medici desperassent de eius vita, & breui extinctum eū putassent. Crassa verò adeò, & in tanta copia spuebat, vt mirum videretur, & Medici affirmabant mihi carnes pulmonum expui. A cognatis igitur vna cum Medicis ego Pisauri conuentus diligenter de re interrogans comperiebam nihil de carne pulmonum eijci, sed totius corporis iam debilitata eius nutritione humores in recrementa degenerare, & in pulmones partem laxissimam, & debilitatam confluere, neque mortem in proximo esse, vt ipsi assererent, & posse Lucam peruenire, atque ab vsu earum aquarum iuuari. Itaque reluctantibus Medicis, & affirmantibus eum ad secundum, aut tertium lapidem cum vita duci non posse. Egi deferrēt ad thermarum quod factum est, & conualuit vsuque aquarum cochlearum postea vsus est, sic nutritus bono habitu, & speciosus vixit, & vxorem duxit.

Præstantissimo Physico ac Medico Ambiorigi Samperolio S. D.

CONSVLTATIO XXXIII.

QVoniam dum abest Dominus de valetudine Illustrissimi certior faciendus est, ego melius id fieri posse per te iudicaui, ex cuius ore ipse plenius omnia, & planius accipiat, quam scriptis committi possint. Itaque post eius discessum, quamuis cōuulsio illa grauior non accesserit, & leuior illa agitatio mane tantummodo, ac breui brachium sinistrum tentet, totis alioquin diebus quiescat, ægerrimè tamen ipse habet, ac vix se aut incedens sustinere, aut in lecto conuertere potest; dumque totis noctibus quiescit, interdum in se ipsum mingit. Dicunt hi ipsum melius habere, & amicis principib. scribunt eo vsi argumento quod vehemētia illa symptomata non accedunt, quod crederem euenire potius, ex maiori naturæ occupatione, oppressioneque, dicunt etiam omnia huiusmodi nō corporis morbi sed animi ægritudinis esse, quia ipse negligat neruorum contentione vti, quia nolit perferre vrinæ morsum dum matula afferatur.

Ego verò non video, si posset sine labore ingredi, si se in lecto pro commodo suo posset componere, quid habeat solatij iis diebus esse semper toto corpore detecto, & incommodè delabente iecore.

Cur vero malit gradiendo delabi in dorsum, & ad aliorum manum se manere qua multo incōmodo suo suspensus incedat, qua iacens in lecto distorqueatur, quam ad libitum hæc omnia per se perficere non intelligo. Vrinam mordere etiam credam, quoniam ex pituita diutius detenta id fieri necesse est, sed cum minxisse prius intelligatur, quam seruos appellet, omnino aut conuulsione noctu tentari, aut debilitatem, & mollitiem summam in neruis esse metuendum est. At minimè tentari ea conuulsione per quietem facilè spero ex eo, quod, cum his diebus vel grauiori adueniente cōuulsione sub ea non impediatur locutio, nec sensus vllus, profecto sub ipsa expergisceretur, atque excubantes vocaret, quapropter id in eandem neruorum mollitiem referre coactus sum, quibus sic eneruatis frigidior etiam spirituum natura, & paucitas accedat, siquidem lāguere animum, & internos sensus ex frigore, & indigentia spirituum scimus, vt pulsus rariores, quos alias tibi in eo esse demonstrabam, & quos iam minores esse possum constanter affirmare, alterum ex frigore, reliquum ex exiguitate spirituum fieri potest, præcipuè multa humorum alienorum, & onerosorum copia insistente. Medicus ille Empiricam curationem profitens cōgressus est, & conatus demonstrare ex ea neruorum mollitie pituitam esse tantorum malorum præcipuam causam.

Contra

Contra Methodicus noui generis elato, & amplo ore nudis aſſertionibus vnam exuſtionem vt principē cauſam cauſari, diſputationem de ea re recuſare, iam ſatis diſputatam, & à ſummis viris iudicatam affirmare. In eandem ſententiam maximos viros deſcendiſſe iactares. Cuius verò exuſtionis melancholicæ actiones notam præberent. Adhęc Empiricus metum, & mœrorem nō eſſe exuſtionis, ſed frigoris notas; ille rurſus eum etiam ſæpè iraſci, & in furorem agi, contra alter iram, & furorem metus & mœtoris eſſe contraria, nec poſſe conuenire.

Hic intercedens ego fruſtra in his diſputandis tempus conſumi, iudicium Patauinis delatum, non poſſe eripi; non potui verò tam demiſſe, tam modeſtè, aut potius etiam humiliter loqui, quin elatior factus ſenex, erumpendo inclamaret, mea opera eum empiricum fuiſſe aduocatum; cuius opera verò in diſputando miſellus egerem. Inaudiui, deinde omnem remediorum huius empirici ratiouem Patauinis, vt propoſueram, Illuſtriſſimi Viri iuſſu eſſe deſcribendam, ſed ſat ſcio fore, vt nunquam à ſua ſententia dimoueantur, quin balnea de villa danda, quin pro fuiſſe Patauina, quin ea Villenſibus ſimilia confirment, quin incendium iecoris iactent. Vbi bone IESV, continuū frigus percipitur ita, vt poſtulet æger ſæpè pannis calidis foueri, quod brachio ſiniſtro continenter ferè contingit, cruribus interea noctu, & interdiu ſemper frigidis, nulla parte corporis calida, atque ipſo vel tepefactam igne aquam ſummo cœli æſtu tanquam frigidam auerſante, vt mihi iure verendum videatur, ne quod adiumenti à villenſibus aquis expectari aduerſus rheumaticum morbum poteſt, id ab incommodo, quod viſcera infirma, & alienis humoribus occupata acceptura ſint, cum ſummo periculo impediatur, de qua re alias tecum agebam, ac debes Dominum cettiorem facere. Vale. Vrbini 4. Idus Iulij 1578.

De natura, & modo exhibendæ aquæ Villenſis.

CONSVLTATIO XXXIIII.

De vſu potandarum Villenſium aquarum hæc videntur eſſe notanda, quæ etiam à Medicis Lucenſibus quondam deſcripta fuere, quod ferreæ ſunt, quòd aliquid aluminis habent, quod inde potius calidis partibus refrigerandis, quam frigidis calefaciendis faciunt, quamuis vtriſque vtiles ſint, quod adſtrictionem, & exſiccationem habent ſed leuem, propter multæ aquę dulcis permixtionem. Iecori ergo imprimis calefacto, & renibus etiam vtiles, & arenam mingentibus, calculumque metuentibus, vt vſu compertum eſt. Purgatis tamē ſemel, aut bis etiam corporibus demū dandas, alioquin inutiles fuerint, per loca autem affecta eliciendas, ſcilicet per vrinam, quo illis ſint vtiles, minimè vero per ſudorem, quem facillimè tamen mouerent, potius per ſedem, aut vomitum reuocandas, cum ad vrinas non perueniunt. Ad vrinas producuntur potione ex duabus radicibus, aut certè ſaccharo, aut liquiritia, quod fieri etiā deberet per emulſionem ſeminum melonum, vt chalderianis certo euenit, per aluum, cum manna, aut roſacea potione, clyſteribus ex hiera, & per vomitum cum rebus ei accommodatis. Quandoque integrum diem ſpatij conſumit, antequam tota exeat. Quare ei dantur ſeptem horæ, aut ſaltem ſex ſpatij ante cibum; quo aut in lecto, aut leniter ambulando, aut viciſſim vtrumque faciendo ei inſeruiatur.

Dum tamen ſumitur ſedendum eſt, in qua ſumptione dimidium, aut minus horæ conſumi debet, quamuis modus ſit a 6. libris noſtratibus ad 10. Vt æſtimari poſſit autem, num tota proceſſerit, omnia excrementa diligenter ſeparatim ſeruanda ſunt. Prandium leuius cęna ſit, a quo minimè dormiat, quod difficile eſt ægroto A propter aquæ naturam ſomnos mouentem. Cibus conualeſcentis hominis ſit tertia parte parcior, quam in ſano homine eſſet; Potio vini albi non potentis, ſi flatus excitarit, ij aniſis, aut ſimilibus diſſipandi. Noctu quieſciendum omnino eſt, aut aqua ipſa prætermittenda; Quinto quoque die eius potio intermittitur, & clyſtere ſubijcitur, ſpatio tamen ad ſummum 12. dierum accipitur. Temperatioribus tempeſtatibus ſumi debet, aut domicilijs ſaltem ſic comparatis. Ita enim omnibus temporibus ſumi poteſt. Seruatur diu in vitreis phialis obturaris, & ad longinquas regiones perfertur, potètior tamen in loco proprio eſt, vbi ſic calida iugiter exilit, vt potanda eſt. Calefaciēda alioquin eſt, cum refriguerit, vt plus, quam tepida ſit. Ita tamen, ne ſudorem moueat neve propria vis diſſoluatur, quod in Chalderianis B certè fit. Si penitus reddatur aqua, omittenda eſt, niſi quis quoque die binas ſcutellas, aut ſingulas velit accipere. Vſque tamen ad tertium, vel quartum diem ſumpta tuto eſt, etiam quod non fuerit reddita.

Amiciſſimo compatri Doctiſſimoque Pharmacopæo Franciſco Calceolario.

CONSVLTATIO XXXV.

Qvod expetis a me, & plurimum requiris de cancris ad tabiem finiendam comparandis, nunc ſanè non poſſum valdè fusè tibi explicare, nā C aliorum teſtimonia, quæ hic eſſent deſcribenda, non poſſum ſine libris certò exponere, quibus quidē careo, cum longè a meo domicilio, & libris omnibus hoc æſtu in montes me receperim, pati tamen nō poſſum te diutius animi ſuſpēſum eſſe, ac propterea quid ſentiam ego ſimpliciter, & breui demōſtrabo. Noſtri Gambari publicè ſic appellati omnino cancri, hoc eſt, καρκίνοι proprie non ſunt, cum ſub authore Ariſtotele ſine cauda penitus, & rotundo corpore cancros, ideſt, καρκίνους hiſtorici omnes memoria digni faciant. Quod in libris de Animalibus, Ariſtoteles ſæpè repetit, præcipuè verò 4. de hiſtoria cap. 11. hæc habet. ὁ δὲ καρκίνος μόνος τῶν τοιούτων ἀνερρόπυγιον, καὶ τὸ σῶμα τὸ μὲν τῶν καράβων, καὶ καρίδων προμηκές, τὸ δὲ τῶν καρκίνων στρογγύλον. hoc eſt. Vnus autem cancer ex his ſine cauda eſt; ac corpus lo- D custarum quidem, & ſquillarum longum. Cancrorum autem rotundum, lib. etiam 5. de hiſtor. Animal. cap. 7. Caudatorum coitum ponens non comprehendit cancrum, cuius poſtea ſcorſum coitum prodit. Hinc noſtri ferè Medici ſub authoribus magnæ diſciplinæ viris noſtros hos Gambaros nequaquam in genere καρκίνων, id eſt, cancrorum, ſed contra nomine ἀστάκων, ideſt, aſtacorum comprehendunt, quod genus ἀστάκων ſimile eſt generi καράβων, hoc eſt, locuſtarum vnis forficatis pedibus exceptis, quibus κάραβοι, ideſt locuſtæ carent, ἀστακοὶ verò ſunt præditi, alioquin ἀστακοὶ corpore ſunt, vt καραβοὶ longo, non autem rotundo, vt cancri, qua lōga corporis forma, quibuſque forcipibuſque noſtri quoque Gambari ſunt præditi, & ita nō in genere cancrorum, ſed ἀστάκων a nobis numerati.

E Verum quoniam ἀστακοι Ariſtotelis magni ſunt, eaque magnitudine ſua longè cancros antecellunt, quibus καρκίνοις, ideſt, cancris non ſunt maiores noſtri gābari, nunquam ego gambatos in aſtacis numeratos ab Ariſtotele iudicatem. Potius noſtros Gambaros ab Ariſtotele deſcriptos, & ſine nomine relictos mihi perſuadeo eodem ca. 11. vbi ait ἔτι δὲ καὶ ἕτερον γένος μικρὸν μὲν ὥσπερ οἱ καρκίνοι τὸ δὲ εἶδος ὅμοιον τοῖς ἀστακοῖς. eſt autem aliud genus paruum quidem, vt cancri, forma autem ſimile aſtacis eſt. Itaque genus quoddam paruum quidem, vt cancri, at non, vt cancri, forma rotunda, ſed vt aſtaci lōga. Cum ergo forma quidem ἀστακοῖς ſint ſimiles noſtri Gambari, non autem magnitudine pares, & magnitudine cancris ſint comparandi, & omnino

ninò ab illorũ rotunda forma differant, videntur Gambari nostri propter paruitatem nequaquam ἀστακοὶ esse, propter verò formam non esse cancri, omnino verò eis verbis ab Aristotele descripti, & sine nomine relicti, vt forma ἀστακοῖς similes magnitudine verò cancris pares.

De quibus verò gambaris nostris ea mentio fit sine nomine, neque multa diligentia, quoniam in Græcia aut nulli, aut rarò inueniuntur, contra quam in Gallia, & Germania, quibus in locis ad modum abundãt, vt contra cancri fluuiatiles, eisdẽ in regionibus, in Germania scilicet, & Gallia vtraque non nascuntur, vbi loco cancrorum fluuiatilium Gambaris nostris vtuntur quod nobis Veronensibus accidit, quamquam in Italia veros cancros fluuiatiles reperiri audio. Verum possunt ne ad morsus canis rabidi nostrates gambari facere, vt in fluuiatilium cancrorum locum suffici possint? Dico id experimentis esse committendum, atque cum expertum sit à viris fide dignis, & scriptis commendatum cinerem Gambarorum facere ad morsum supradictum, nullo in errore esse eos, qui in locum cancrorum fluuiatilium nostros gambaros suffecere. Prætereo authoritatem Auicennæ, quod ad morsus rabidi canis cancros caudatos qui nostri gambari sunt, parat. Habemus maximorum virorum testimonia, in quibus libenter nomino summum nostrorum temporum medicũ Iulium Alexandrinum, qui certe affirmat se id experrum, & ab alijs etiam expertum esse accepisse; Quare meo quidem animo neque Gambari nostri sunt nomine vero cancrorum comprehendendi, neque tamen ea virtute priuandi quæ canum rabidorũ morsibus occurrit. Habes itaque sententiam meam vt potui sine locis scriptorum nostrorum explicatam, non vt fortè expetebas, munitam; qua in re scio me excusatum habebis. Vale scitoq; mihi gratissimum fuisse libellum hunc Valdanij postremò à te missum, cui vellem plurimam meo nomine salutem diceres. Vrbini Nonis Iulij, 1574.

HISTORIA.

Quod post exhibitas aquas thermales quidam conualuit ex gallico.

QVando tam dubium est apud Medicos num pestiferum sit genus omne aquarum medicatarum ijs, qui gallico laborant, non possum non memoriæ literarum commendare, quod his diebus mihi narrabat summa fide, & probitate iuuenis de fratre suo, qui cũ iam ad triennium gallico fuisset vexatus, & postremò tibiarũ inenarrabili dolore cruciaretur, post guaiacum, & cætera quæ ei malo dicuntur alexipharmaca dolore eo nihilominus premente, delegatus est à prudenti physico ad balnea S. Cassiani, quæ ficuncellæ dicuntur, illaque accepit per potiones ad 12. dies. Deinde consultis medicis Cortonæ ab eis missus est ad locum, vbi scaterit eius loci thermales aquę; & pariter 12. diebus eam accepit. Postea lutum eius tibijs ingessit sub maximo æstu, vbi interea, refrigerij causa eam aquã potabat; atque ita vide iam defatigatus, nihilque leuatus descessit, quin maiori fere dolore per aliquos dies vexatus est, tamen conualuit, vix leuioribus quibusdam balneis exterius adhibitis ad deliniendum dolorem, & optimè habuit.

Crediderim materiam dolorũ in remotioribus à iecore partibus congestam fuisse, iecore proprijs gallici remedijs leuato & ex eius aquæ vsu, & luto; sic illas partes abstersas, & confirmatas fuisse.

Dominus tamen Forlimpo Brunorius Zampescus perijt ex gallico post vsum aquarum Patauinarum.

CONSVLTATIO XXXVI.

DOloribus qui repente diuersis artubus molesti essent, leui de causa redeuntes, & leui etiam eadem abeuntes, qui cum calore non iuncturas tantũ sed musculorum chordas cruciarent, & certas capitis partes repentina quadam incitatione tentarent. Cum neque labores sudorifici, neque æstiua tempora iuuassent, malo hybernis temporibus increscente, & in homine ætatis inclinatæ hæc præscribebantur.

Prima die.

℞. Electuarij lenit. ℥.1. Confect. Hamech. ʒ. 1. Misce & cum saccharo f. b. sumendus hora ante cibum.

Secunda die.

℞. Seri caprini purgatissimi cũ oxymelite lib. 3. Syr. de fumoterræ compositi ℥.3.

Misce, & sumatur eadem hora tribus potionibus, quę potiones quotidie sumantur vsque ad 15. dies quibus adijciatur quarto quoque die cum syrupo de fumoterra composito infusa ʒ. 1. s. foliorum senæ.

17. die.

℞. Diacatolicon. ℥.1. Conf. Hamech. ʒ. 2. s. Misce & cum saccharo f. b. sumatur in aurora.

18. die.

Incipiat accipere potiones salsæ pariliæ mane, & vesperi horis quaternis ante cibum, & sudori vacet. Modus salsæ sint ternæ vnciæ in denas libras aquæ communis cum manipulis binis betonicæ, & singulis saluiæ, & decoquantur sa. ad medietatem. Modus potionis sit ℥.8. cum ℥.1. iuleb rosacei cuius salsæ pariliæ secunda decoctione vtatur in potationibus prandij, & cœnę. In prãdio pane bene cocto, & passulis vtatur, quorum modus sit panis quidem ℥. 3. s. passularum verò ℥.2. In cœna autem aut pullo gallinaceo, aut columbo assis vtatur, & sic continuatis diebus faciat vsque ad 22. dies. Postremis autem quinque diebus adijcianrur ʒ.3. myrobalanor. citrinor. in decoctione salsæ pariliæ.

Aduersus caligines oculorum quæ in vtrisque oculis confirmatæ tamen à ventriculo sustentari crederentur.

Purgatione corporis identidem facta cum decocto senæ, quoniam atræ caligines essent.

℞. Infusionis rosarum rubearum in aceto factæ, & bene expressæ. ℥. 5.
Aquæ vitæ ℥.3.
Succi limonum ℥.2. s.
Resinæ terebinthinæ ℥.2.
Camphoræ ʒ. s.
Chelidoniæ m.3.
Succi fœniculi ʒ.2.
Sulphuris ʒ.1. s.

Misce & ad balneum mariæ per elambicum extrahatur aqua.

Aliud.

℞. Vini granatorum ℥.5.
Aquæ vitæ ℥.2.

Destillentur ad balneum Mariæ.

At cum profunda, & intra vueam essent, nihil penitus remissæ sunt etiam potionibus guaiaci sumptis, nihilo tamen magis per longam ætatem creuere, minimeq; visui offecere vnquam.

Ambiorigi Samperolio Ducis Vrbini Physico. S. D.

CONSVLTATIO XXXVII.

EX tuis literis cognoscere facile potui, quid morbi nobilem istam puellam occupet, nam eius imaginem mihi doctissimè expressisti, cui sententiam cum subiungis tuam, videris mihi omnem responsionem eripuisse.

Quare nihil mihi dicendum restat, nisi quod balnea vtilia in longo morbo duabus de causis futura sunt, prima ad materiam educẽdam si concoctionis tñ notæ cernan-

cernantur, si humor suo calore, & tenuitate ex illis dissipari discutique possit, alioquin si materia frigidior sit, quamuis ea febrilibus fumis dissipandis aliquid leuaminis afferre videantur, humiditate tamen sua ad interiora viscera non pertinent, qua cor tueri a siccitate sperari possit, & quousque attingunt humorem nō possunt extenuare, Altera autem causa vtilia futura balnea censenda sunt, quod coctionem adiuuant, quod in morbis longis expetere debemus. Vtilia quoq; humorum generi fuerint, quoniam quāquam biliosum quidem humorem non esse calor exiguus febris ostendit, tamen, cum acris sit, melancholicum genus denotat, quod ex infirmo liene, & cibi cupiditate quoque confirmatur, nisi enim is humor vitiosum genus nactus fuerit cibi appetionem auget.

De victus ratione præter balnea, si quid dicendum est, ptisana in melancholicis succis non est tuta, nisi vt ipsa tenui corpore est, alioquin, vt frigida, inutilis, propterea per calidiora aliqua temperatior reddenda est, imo ad calidius genus perducenda. Quod de aceto quoque dicerem re pueris grata, etenim extenuando, secandoque crassitudinem humoris proficere multum posse videtur, si tamen incoctis, aut immixtis his, quæ temperent illius frigus, mitius efficiatur cum saccharo, & passulis.

De vino dicam, quod de balneis dicere mihi contigit, nisi quod coctionem humorum hoc magis postulat frictionē, vt eorum, quæ coctionem, etiam adiuuāt, si leuiores fiant, rationem haberem. Ac, quoniam affirmans vsus medicamentorum nullam fieri per puellam medicis potestatem, videtur nihil attinere de ratione eorum loqui, nisi, si qua sit per cibos facultas, in quibus herbæ partim extenuantes, partim temperantes ingerantur, ex buglosso, ex borragine, nasturcio, acetosa, satureia, thymo, origano, capparibus, petroselino, radicula, asparago, lupulis, beta, caltha, & similis generis cum semine peponum, quæ ad temperamentū iusculi, aut intinctus, salsæ dictæ perduci possunt. Si per potionem medicamēta penitus aspernētur, incoqui in iuribus identidem turbith folia semi cariophylli, polypodium, & enicui debebunt. Clysteribus verò si potestas non negetur, in illis vim medicamentorum imponerem.

Ac quoniam firmis corporis vis est, vt ambulare satis possint, hoc genus exercitationis ad eundem vsum adhiberem, atque permitterem. Imò præciperem, vt, si non pedibus saltem curru quoque mane circumiret, quod & animo, & corpori leuando est aptissimum. De qua re iam satis superque Sapienti tibi dictum puto; nec aliud restat, nisi, vt quid in dies accidit in exusto illo Viro describerem, verum nimis longum foret. Papirius iam intercessit; sed auribus tantum cum illo agit, mecum verò etiam lingua & singulari quodam admirationis genere in Pantheram bestias ad se specie sua contrahentem, & in Arpias illas agitur, qui verò iam diu algebat, nunc stupet, animo riget, & neruis, nisi ijs quibus mingendi munus traditum est, qui soluti penitus sunt; alioquin lingua etiā rigida facta est, nullumque verbum informare potest. Dicunt læsas esse animi imagines, & nolle ipsum verba informare. Dicunt cacodæmone esse vexatum, & Medicus exectando id iam mihi affirmauit hoc vesperi. Tamen, cum aquæ medicatæ potionem, vt cuius dandæ iam nulla potestas per eius infirmitatem fiat, prætermittendam statuerint, humorique melācholico educendo incumbendum, post medicinam constituit ille sanguinem mittendum ex hæmorrhoidibus, primum, deinde ex vena frontis, velletque mea consensione id agere. Ego deberem ita me gerere, ne ipse artibus suis vsus post hac aut impeditum, aut hortatū se ad id dicere vnquā possit. Sed nimius sum. Vale, & fruere tuo isto otio. Vrbini 4. Cal. Sextilis 1578.

A *Excellenti Petro Iacobo Arrigonio Montauianorum Medico. S. D.*

CONSVLTATIO XXXVIII.

EX binis literis tuis cognoui te meam sententiam expetere de eo, quod per consultationem decreuisti procuratione oculorum amici tui, atque ex ea re intellexi te plurimum facere eius hominis iudicium, cuius quidem cum fidem, tuam voluntatem summam in te cognoscere potuisti, ingenij autem, vel doctrina fortè nullum, aut perobscurum habet argumentū. Quare ea fide, & voluntate respondebo quibus potius fretus, quam aliqua alia ratione hæc a me (vt credo) es percūctatus. In eius consilij expositione & loca omnia in- B ducta ad oculorum affectum pertinentia, & copiosè explicata videntur, & præterea præcipuæ quædam, ac subtiles animaduersiones propositæ, quæ sunt egregiæ doctrinæ propriè, non ad scientiam tantum, sed ad curandi quoque rationem pertinentes. Itaque ego existimo esse eijs potius subscribendū, quam aliquid sine necessitate adijciendum. Quoniam verò non solum studium istud tuum scribendi, tuæq; doctrinæ exercēdæ probare debeo, teque ad ipsum cohortari, sed etiā quantum in eo profeceris laudare, & admiratione complecti. Patiare modo tu, vt ego, qui hoc specimen tuæ doctrinæ incrediliter sum admiratus, ea spe, quam accepi ex eo tuæ gloriæ, adductus te etiam, atque etiam horter, vt hunc tuorum studiorum cursum tenere cōtendas contra omnem aduersam tempestatem. Vale, C meque vt soles ama. Vrbini Idib. Augusti anno 1578.

Consultatio habita cum S. Ag. Bonifac. Parisano Scapezz. Amerigo Samper. Papirio Becoli, & Nicolao Melino Medicis, tum curialibus, tum ciuitatis, & exterius aduocatis.

CONSVLTATIO XXXIX.

IVssus sum etiam nunc sententiā dicere de hoc morbo mihi sanè infausto propter eam viri dignitatem D rerum summarum necessitudini coniunctam, tū morbi ipsius inauditam miseriam, tum autem hominū nostrorum temporū licentiam, & peruicaciam. Res fuit diu, & sæpè tractata multoties definita, identidem in quæstionē reuocata. Superiori demum hyeme eius rei iudicium partim gratia, partim artib. nescio quibus est ad votū Medici assistentis distortum, vt malo subinde in peius labente, postremo hoc vitæ ægroti tempore de integro rerum ad disputandum nobis demandatū sit, quæ, vt difficilis semper fuit, sic accessione tot opinionum, tot controuersiarum summam acquisiuit, & ferè inexplicabilem multiplicitatē magnis ingenijs, & contentionis, ac defendendæ suæ sententiæ studiosis noua semper, & subtiliora excogitantib. ex quibus rebus labor disputationis nobis incredibiliter est auctus, E vt nullo tēporis spatio finiri posse videatur. Ego tamen ad tam magnū laborem hodie, non satis idoneus, temporisque angustia coactus grauiora tantum huiusce rei capita persequar leuioribus, & tenuioribus, innumerabilibusq; particulis prætermissis; quas si volent, qui posteriori loco dicturi sunt, poterūt complecti. Grauissimū illud caput semper mihi visum est, propter Medicorum dissensionem, ac potissimum discutiendum: Nū calidis, an frigidis medicamentis vtendū sit, quod miror, qūo Medicis dubium esse possit, Cuius rei ignoratio non solum incertum remedium facit, sed periculosum, quo Medicus facilè a morbo staret contra sanitatem, ac, vt in summa dicam, ea ignoratione nullus medicus medicum potest profiteri.

De

De hoc capite ego disceptabo quando Medici illud dubium fecere, & ab ipso omnia breuissimo itinere deducam. Calidum, & frigidum hic appello omne id, quod à medio temperamento discedit, medium verò temperamentum quod temperatum etiam dicitur, id quod ex calido, & frigido ex æquo constat, ac si ex feruentissima aqua, & glacie paribus ponderibus esset commixtum, & tactum nihil moueret, quod medium ipsum quoque tanquam iudex constitutum est, At quoniam morbus in eo mediocri statu pro natura, & genere partis, in qua consedit esse non potest, sed necessario aut ad frigidum, aut ad calidum, aut ad humidum, aut ad siccum vergit, ipse necessario contrarijs pariter valentibus est superandus, si ad vnum caloris gradum aberrauerit, remedio in primo gradu frigido solum curari potest, si in secundum, aut tertium, ab eo tantum, quod in secundo, aut tertio gradu erit, propterea temperatum illud medium inutiliter, aut non satis valenter posse facere aduersus morbos est notum, & ita de vsu temperatorum, vt de inani re, sermo non est instituendus, sed totius quæstionis ratio ad calorem, & frigus referenda. Calidum quodque excedere mediocre vel vno, vel duobus, vel pluribus gradibus intelligendo, similiter & frigidum. Quo cõstituto ego in disputatione hac, illud primũ propono, quod omnis morbus ex materia factus, & antiquus necessario calidis medicamentis est tractandus; authore Gal. lib. methodi; teste ipsa experientia, qua omnem inflammationem veterem calidum morbum, omne erysipelas calidiorem, non solum in externis partibus, sed in internis quoque, & principibus per calida medicamenta discutimus. Iecoris quidem inflammationem absinthio, & apio curamus, phrenitidem verò pariter calidioribus dissipandam materiam adhibendis, ac quamuis aliquando adstrigentia commisceamus, id non ratione morbi, sed partis affectę aut confirmandæ aut ab humore influente tuẽdę facimus, atq; in veteri propriè morbo id nunquam facimus aut facere præcipimus, nisi aut pars princeps sit, cuius munus toti corpori sit necessarium vt vires ei muneri à dissoluente medicamẽto non eripiantur, sed ab altero adstrigentiũ ei adiecto contineantur, seruenturque, aut morbus rheumate defendatur, siquidẽ tunc quoq; pars, quæcunque illa sit, sẽper eget sui confirmatione, ne excipiẽdo ei humori sit subiecta, alioquin calidis tantũ veteres morbos curare debemus experimẽto pręceptis Galeni cõsono. Cuius rei ratio etiã certissima est ab initij naturæ rerũ deducta Aristotele, & Galeno interpretibus; quod caloris est rarefacere, dissoluereque nedũ concoquere, frigoris autẽ cõstringere, cogere materiã, compingere eã, & indurare, Crassa autem semper est veterum morborũ materia, & firma atq. diuturnitate squallidior facta, dũ in corpore animalis subsistẽs, & eius calori subiecta est, & eo demũ siccitatẽ nacta; qua muis enim calor colliquet initio, diutius tamen agendo exsiccat, & indurat, vetus itaque materia extenuanda, incidẽda est, & dissipãda, extenuatio verò, & dissipatis à calidis omninò facienda, quod quo gradu calidis agendũ sit, ne magis incrassetur, & qua temperatione per accessiones virium caloris, hic locus dicẽdi non est, hoc satis est, quod omninò calidis agendum cum veteri materia est. Deinde, id quod, cognitum vobis certo scio, quod gallicus morbus materiã secũ habet, ego eo maximo argumẽto audeo affirmare huius nimirũ morbi vim non esse sine corpore, & humore ali quo quo inhærente in iecore, & venis, ac carnibus corpus vi illa mala deprauetur, quod morbus semper eget, purgatione humorum, nunquã sola temperatione qualitatum, aliquando sola purgatione valenti, aut longa curatur, cum solum scilicet iecur, aut viciniores partes affecerit, & inde vel vlcuscula, vel bubonem tantum mouerit, tunc enim vel bubonis effluxione, vel medicinarum purgatione semper ferè expellitur, quæ solum humores, & solas in humoribus insitas qualitates educunt.

Multi verò nõ solum viscere eo, seu vicinis partibus,

A sed toto etiam venoso, & carnoso genere affecto ea prauitate, quæ spatio accedente ex viscere cum omnibus venis, & carnibus cõmunicatur, solis exercitationibus diuturnis conualescunt, quæ exercitationes nõ possunt aliquam vim expellere, nisi ea, quæ in humoribus continetur.

Cum materia igitur est huius morbi vitium, quare etiam suffumigijs, & inunctionibus materiam ab artubus ad medium corpus perducentibus per os eijciendum superatur. Guaiaci etiam potionibus, quibus cum iecur, tum viscera omnia, & venarũ, & carnium meatus inuisibiles abstergendo expediuntur, expurganturque, & sudore materiæ efferũtur, adiecta abstinentia ad exsiccandam materiam admodum oportuna, quo hic eat conijcere humorem aliquem huius mali vim contiB nere, qui virosus cum sit, putrilaginem & inde lentorem habeat, quibus & valdè adhæreat, & tanquam oleũ altius se se insinuet, & situ quodam partes, quascũque attigerit, inficiat, cruditatibusq; sequentibus coctione deprauata foueatur, & sub earum lentore & glutine comprehensa lateat, & diu in visceribus obstructa conseruetur; a qua humores affecti putrilaginem illi similem referant, & vlcera sine sensu, sine acri aliqua vi sensum mouente tamen excitent sola putredinosa corruptione carnes, & cutem exedentes neruis, & neruosis partibus tantum summos dolores, ob eam oleagineam, & pestiferam vim importantes, quæ vt oleum membranis oculorum sic ipsa periostijs certa inimicitia aduersetur. Itaque materiam nõ solum initio secum affert hæc pestis, sed postea etiam subito creat, & se se alit, tuetur, ac conC firmat; Quo posito sequitur, vt, quo inueterauerit magis, eò crassiorem materiam, eoq; magis infarctam habeat, quæ etiam calidioribus medicinis sit amouenda, id quod ex superiori enunciato constituto efficitur, quãdoquidem initio tenuiores, & magis serosos humores vitium cum primũ alimenti vltimi recrementa, vt propriam materiam cęperit comprehendit, & vel vlcuscula extima cuticulam tantum exedentia parit omniũ pestilentissima, & contagio summè noxia, vel capillorum defluuium eorum alimento corrupto nempè vltimi alimenti recremento, & radices eorundem erodendo tenui humore vitiato in extimas partes facile transmisso; & poros non solum lariores, & molliores carnium, sed angustiores quoque, & firmiores, interioris cutis sua subtilitate penetrando, etenim quam maximè natura D potest; humores noxios in cutem semper, vt in idoneũ, & ad excrementa paratum locum emittit, quod in arboribus quoque videmus, crassioribus subinde correptis humoribus vlcera altius penetrant, quod humor non ita in sublime potest efferri crassitie sua resistẽs, dolores ad artus mouentur, materia adhuc expulsioni magis renitente, vt crassiori facta, neque.n. alioquin in alto corpore esse permitteretur, At quomodo in periostia penetrãt facta crassiora quę membranosa sunt, & densa? pñt dolorem efficere, qm̃ inter os, & periostium delabatur e capitibus venarũ expressa materia, & intendens, atq; sua mordaci vi offendens cruciare continnũ inuisibili dissipatione; nam non semper e capite a pericranio demitti crediderim, minimè verò in gallico, in quo initio sæpè morbi dolores excitantur solo iecore, & venis E affectis, sed de hoc nunc disputandi locus non est, crassior materia inquã fit, quo vetustior, & parit demũ vel profundissima vlcera vel gummata dicta, quorũ humor nullo modo cutẽ põt penetrare, aut exedere, ex quibus efficitur hunc quoque morbũ cum alijs idem efflagitare, cum ei spatium accesserit, & vetustior effectus fuerit, vt calidioribus tractetur. Frigidiora uitentur, ne humor magis impinguatur, pateturve, Vnde, qui guaiaco ex aqua accipiendo conualescere nequiuere, multi eodem ex vino accipiendo sunt restituti calore, & spiritu maiore sic adijciendo.

Postea illud 𝐞t considero, q̃d humoris melancholici mala cũ omnia, tũ longiora calidis medicamẽtis curari obseruamus, neq; vllum medicamentum in apothecis para-

paratum seruatur, aut in scriptis maiorum inuenitur, ad melancholiam, quod calidũ non sit; Percurramus omnia pharmacopolia, & omnes libros medicorum. Lætificans illud Galeni, quod Almanglolis est, de gemis, de margaritis, diatrionpipereon, quo vel recentissimis melãcholicis morbis præscribimus, diambra, diamoschũ, alchermes plirisarcoticon, & similia, sunt quidem plures melancholiæ differentiæ, vt hypochondriaca, vt quæ a capite est, vt quæ a toto corpore, medicamenta tamen nulla inueniuntur ad melancholiam præscripta præter ea, quæ calida sunt,

Vnde quartana quoque febris suo tempore calidis curatur medicamentis, in qua, si vllibi, humor quotidie renouatur, & causam habet progenerantem. Nam, quamuis humor esset exustum, & a complexione qualitatum calidiori fieret, tamen non admodum calidus ipse est, vnde etiam saporem acidum, & austerum habet, crassior verò eget calidis, vt extenuetur, & rarefiat, & discutiatur, neque temperari qualitatem illa complexio potest, nisi purgato penitus humore, & liberatis eo obstruente visceribus.

Postremò id quoque adijciam, quod morbi omnes epileptici non solum exsiccantibus, sed calidioribus ipsi pariter medicamentis abiguntur. Veniant ab ore ventriculi bilem excipientis, bilis hiera purgatur, & ita fumi illi acres submouentur. Veniant a qualitate venenosa, non dixerim veneno ab aliqua parte submissa, tunc causticis medicamentis pars illa eo malo prius expurgatur, veniat ab humore in ventriculis cerebri collecto, & ad initium neruorum traducto, tũc calidis omnino excutitur.

Imò conuulsio propria manens febre accedente dissoluitur, si experiẽtiæ & Galeno credamus. Qui omnino morbi contra, si inueterauerint, & a crassis humoribus sustententur, frigidis omnino medicamentis firmantur frigore humores impingente, & infigente, cogenteque. His itaque sic constitutis accedo ad rem nostram. Materiam facere nostrum hunc morbum nullus vestrum negabit non solum ob notas apertissimas, & ob speciem eius, sed ob id, quod purgari corpus debere VVEE concedunt, & Medici millies purgarunt, & infinitæ materiæ copiam eductam conspexerunt. Veterem verò morbum esse quintus iam finitus annus ostendit, vt hac vna ratione frigidorum vsum fugiendum esse appareat tanquam extremam pestem. Gallicum verò esse hũc morbum mihi satis certum videtur, cum origini suæ, quæ maximè gallica fuit, continuetur; & nulla nota sit, qua persuadeamur conualuisse, quæ maxima, & certissima requiratur, vt id persuadere possit. Nullum fuit temporis spatium, quo integrum penitus corpus hoc fuerit; qui duos annos benè habuerint post curationem gallici, si recidãt in morbos nulla causa manifesta, ad gallicam curationem rursus redeunt, & multi tunc demum melius sanescunt, vt experimento compertum est. Is non duos annos, non duos menses, sed neque duas septimanas bene habuit; quomodo ergo conualuisse affirmare audeamus? Ad minimum sex menses spatij requirimus; vt, qui v.g. Autumno curatus fuerit toto verè etiam sanus maneat; quo conualuisse confidamus, imo annum volumus, quo spes certa aliqua habeatur, ac qui verè curatus est; ad alterius veris finem sanus perseueret oportet; quo fides aliqua adhibeatur, qua ergo audacia quis affirmet hunc conualuisse ab eo morbo a cuius curatione semper deterior fuit? Semper curationi vacarit, semper sibi temperauit in viuendo, semper medico audierit, tamen in peiora semper symptomata lapsus est? At aere malo vsus est aliquando se se boreali tempestati in sacello obijciens. Bone Iesu, sanus homo, qui benè valet, & suæ spõtis est, tam angustis vitæ legibus obligetur? Causa procatarctica ab aere intra parietes angusti templi, & minimæ cellulæ morbum tam longum effecerit? Causæ procatarcticæ sanis hominibus cum valentissimæ sunt, neque ephemeram quidem faciunt, cum verò etiam minus bonis humoribus præditi fuerint, vt biliosis, sæpè vix ephemeram patiunt. Ephemeram morbum nos statuimus futurum esse illum, quem a causa procatarctica profectum esse agnoscimus; Nunc in corpore tam salubri, tanquam purgato, vt in eo nullus humor noxius abundaret. Sanguis verò esset optimus, in homine, qui antea sanus tota vita esset ad 40. annum, nisi semel Sol, in quo lusisset insolentius ephemeram cum destillatione febrem mouisset periculosam ob destillationem iudicatam, sanus, inquam, semper, quamuis semper in motu, & sub dio esset, nunquã easdem sedes teneret, aut vrbis, aut agri, aut ruris, a nullo cibi gñe solitus abstinere.

Huius corpus sanum è gallico factum tam leui causa procatharctica in tot mala reciderit, tot purgationibus postea semper curatum, vt non bis in anno, sed in mense medicina vteretur? Videamus quomodo morbi huius partes sint progressæ, nunquam a pustulis, & exanthematibus fuerat liberatus vir, quibus muliercula quoque illa; vnde malum deductum est, erat affecta, cum dolor capitis intolerabilis accessit, post cuius doloris ad ortum maculæ minus extabant. Dolore verò ipso se inclinante, nondum penitus ablato, quin identidem rediret, quin etiam maculę sæpè cernerentur, symptoma epilepticum aduenit, quod dum bis mẽse, & plus agitaretur iam annum, tumores interea in fronte molles existebant eis similes, quibus sæpè onerabatur, cum gallicus nouus esset, nequedum curatus crederetur, & capitis dolores, cum tamen semper purgationibus incũberet. Purgatio bis in anno facta morbos grauissimos solet anteuertere, quod tñ in hoc corpore vel continuata multis annis non potuit, vt dixi enim non solum ter verè est repetita, totidemque Autumno, sed bis in mense semper aluus medicina satis valenti est soluta. Continuati sunt morbi hi ab origine gallica sine idonea causa præseruandi auxilijs nunquam intermissis. Sunt familiares ne dixerim proprij gallico morbo, & nominati, & propositi ab his, qui gallicum curant; vt familiares, nempe melancholia, & epilepsia, & conuulsio; propterea non possum non statuere eum ab eo morbo cõtinenter fuisse afflictatum. Itaque si tanquam gallicus, & antiquus curandus fuerit, iam notum est num calidioribus, num frigidioribus vtendum maximè corpore frigidis humoribus & casibus onusto. At Patauini Medici Excellentissimi disceptarunt (ait Doctor) gallicum penitus fuisse sublatum. Scio ego nullum eorum ita statuisse, quin omnes vna cum Alexandrino summo nostri temporis medico deliberasse salsam pariliam exhibendam, vt gallicus auferretur, quam postea exhibuere, & subinde fortè dixere a sua illa curatione gallicum morbum sublatum, nec mirum. At etiam dicebant, minus vrgere gallicum, quam epilepsiam, & melancholiam, & verè quidem id dicebant, nam gallicus seipse vix quidquã molestus est. Morbi, qui ab illo progignuntur molesti ipsi sunt, illo interea latente tanquam causa inuisibili, & ita a medico censu morborũ non habẽda, gallica enim corpora quiescentibus symptomatibus, vt sæpè fit, neutra potius, quam ægra dicẽda sunt, meritò igitur metuebãt magis symptomaticos hosduos morbos sæuissimos, quam gallicã vim, quæ se se non est ita vitæ noxię, quin multos ad serium comitetur, nõ.n. omnis corporis imbecillitas morbus est, sed cũ apertam, & euidentem aliquam noxam attulit, q̃d ex Gal. sumere potuistis. Demũ si vniuersi Medici Italiæ affirment gallicum sublatum, neque idoneum argumentum adducant, eis credere non debeo, cum non solum ex notis singulis adducar, vt credam subesse, sumptis ex casubus familiaribus, sed ex successione continuata, & syndrome illorum facta, iam non solum familiari re, sed propria nota cogar penitus affirmare eiusmodi morbum manere; At esto, fac, si potes, ne sit gallicus morbus is, cuius melancholia, & comitialia symptomata, ac cõclusiones sint morbi symptomatici, sed hi sint morbi primogenij, ad medicamenta tamen calidiora confugiendum est, & omnino frigida vitanda,

Sit

Sit melancholicus morbus à se, non ab alio iam calidiora requirat. At curationem ipse non eflagitat, quia naturalis est, hæreditaruis, multi suorum cum eo periere. Quod multi eorum eo morbo laborarint ignoro. Scio quidem alijs eos morbis perijsse, & diuturnis etiam, ex quibus non negarem ob vetustatem in melancholiam esse deductos. Negabo tamen hunc hæreditariũ esse. Si namque in memoria habetis, iam biennium cum cępir capite dolere, tam vehementer, & phrenitim verẽdam iudicaretur, tunc quoque hęreditarium eum dolorem faciebant ij, qui nunc melancholiam hæreditariam faciunt, tamen dolor ille cessauit, & vix aliquando persentitur, & specie diuersa, qui, si naturalis fuisset, certos seruasset circuitus, nec ægrotum hominem alijs morbis cedendo reliquisset, cum illis potius auctus fuisset. Sed melancholicum natura hunc hominem denotarunt vigiliæ, quæ quandoque ad viginti dies eum habuerunt, Mœrores, qui aliquando, cum sanus esset, sunt in eo semel in tota ætate obseruati. Esto fuerint illæ vigiliæ, quæ fortè eiusmodi in principe viro concedendæ sunt, cuiusmodi in alijs obseruabam delicatioribus, qui, cum semel noctu aliquas horas insomnes duxissent, ad multam diem somnum producebant, vel meridiabãtur, vnde fiebat, ne somnus nocte accederet, natura circuitu semper agẽte, & ita ad multos dies eo ordine progrediente, nocturnę vigilię ex parte eæ dicendæ erãt, at non penitus; nã die restituebatur, quidquid somno nox detraxisset, sed, vt vigiliæ fuerint tantæ, quæ etiam mihi interdum acciderunt pariter ad vigintos dies spatij. non tamen efficitur inde, ergo melancholicus est. Nam ipse contra, vt affirmat vt sui dicunt, toto penitus vitæ tempore, totis noctibus conquieuit & semper longũm somnum habuit, & semper sine somnijs, vt nunc etiã facit, quo eum esse pituitosum licet colligere, nã vel insomnia non habet pituitosus; vel, si habet facile obliuiscitur, contra melancholicus, ea habet, & expressa animo seruat; quod si uos mihi non conceditis, ex totius eius vitæ spatij argumento eum esse pituitosum, cur ex 20. noctibus de tota ætate liceat vobis eum facere melancholicum sua natura; potest ne magis spatium 20. dierum spatio decem millium? Cur non deceat me dicere eas vigilias 20. noctium vigilias ex accidenti aliquo fuisse, si tibi vis licere omnes alias vitæ totius noctes cõtinuatis somnis præditas non à natura sic habitas; pari modo dicã ad illam animaduersionẽ, quã adducit Reuerend. Antistes, Medici patronus solertissimus, semel scilicet eum vidisse facie admodum demissa, & decolore, & mæstũ. Hilaritas vultus, rubor pulcherrimus in eius facie cãdidissima, & nitida tã fuit pro prius, vt omnes antecedere hac proprietate sui ordinis, atq; ętate homines vulgo crederetur; ac quando alios eo nitore forte non antecedere visus esset, si vnquã est visus; miraretur, & ei metuerent. Verum melancholicum natura corpus, vt nostis, duabus modis habetur aut homine frigido, & sicco natura sua nato, melancholicus. n. homo natura omninò est frigidus, & siccus, & humor melancholia dictus, vt supra ostendebam, naturam hãc attingit, etsi nõ sit ita frigidus, vt succus melancholicus, aut ergo talis nascitur homo, aut fit ætatis progressione si nascitur, tunc corpore partes solidas frigidas, & siccas habente, humores, tamen ad humiditatem excedunt. Frigore semper sic, agente, vt humiditas redundet, quod Galenus authoritate sua confirmat; Si ætatum processu fit, tunc tanto calore præditũ à natura corpus esse oportuit; vt vi eius caloris humiditas tandem exsiccetur; non potest verò vehemens calor diu cum humiditate esse in homine, vt Galenus obseruat, quamuis non assentiatur eis, qui nunquam humidi generis multum cum multo calore esse affirmabant, posseque multum humidi cum ingenti calore esse statuit contra eos Galenus; tamen hoc proximè à prima origine, & in molliori tantum ætate seruari posse. Spatio verò longiori humiditatem, ab eo calore consumi. Itaque si aut tantus calor sit in aliquo corpore, vt mul-

A rum etiam humidi possit & exsiccare, & exsiccando se ipsum extinguere; ac frigidum corpus facere, aut tam exiguum humidum sit, vt calore sic facile consumpto illo se se imminuere cogatur, tunc humores frigidi, & sicci restant, & hoc inclinante ætate, ex quibus fieret necessario, vt viris aut pituitosus omninò fuisset, & sine colore, qualis nunquam fuit, aut aliquando calidus & siccus, siccus verò nunquam fuit, & iam 40. annum attigerat, agit enim nunc 45. ætate ergo iam inclinata erat, & rubore illo nitido, & candore spectabatur; mollitie summa carnium, pilo paucis in locis orto; cui tamen nolo fidem præstemus, indubiam tamen tactui, & colori demus omninò oportet, igitur melancholicus natura sua esse non potest; quod ostendit etiam morbus, sub quo humiditas semper omnẽ aliam vim superauit,
B morbo rationẽ corporis sequẽte gonorrhea primum minimè acri, & sine sensu tumore molli sine dolore penem totum etiam obeunte, vlceris eius humidissimi occasione, deinde rubore oculorũ crassissimo sine dolore, tumoribus mollibus sine dolore, sine colore vllo, exanthematibus in facie sine vlcere, quæ ab humiditate incredibili inaudito quodammodo euenere, nam gallicus vlcera quidem sine dolore potest habere, at oculorum inflammationes sine eo esse, hoc inauditum, & inusitatum est & quod Galenus fortè non concederet, plenus oculus sanguine fuit, & visionẽ amiserat, sine dolore tamen. Ergo sanguis humidissimus erat, quẽ molles tumores oculum vtrumque occludentes etiam sequebantur. Exanthemata rubra latissima erant sine vlcere, ergo sine calore ex humore leni sanguinis humidioris recre-
C mento facta, vt molles quoq; illi tumores. Sed quomodo melãcholicus ex pituitoso morbo est factus. Frigus cordi metum afferre solet, vt calor audaciam, ex metu verò homines melancholici fiunt, postea id facilè fuit abundante pituita, crassiorique facta, & spatio etiam siccata, cum & propter prauitatem in sanguinem non mutaretur, & propter moram a calore colliquante primum, deinde etiam exsiccante crassiores eius partes in siccum, & frigidum humorem verteretur, & tandem cum expurgationem sanguinis hæc impedirent, tum verò sanguine ipso abundante, & impuro facto ob dictam causam, & ob vitiatam concoctionem fecis plurimum nacto. Sãguinea etenim corpora inclinante ætate, nisi expurgationibus vtantur melancholico succo abundant, ait Hipp. lib. 1. Epidem. 3. proh. 70. & lib. 6.
D sect. 6. quod Galenus declarat.

Pręterea diuturnitas morborum semper humores ad melancholicum, & crassum perducit, vbi videmus etiã, quodnam genus melancholicum hoc sit, nam potuerit ab hypochondrijs ordiri ab initio pituita, ob diminutam coctionem in hypochondrijs abundante, tamen nũc toto corpore consistere necesse est morbo vniuersum venarum genus occupante, prætetea exustam melancholiam esse non posse, faciunt multa, quæ cuique sunt obuia; nam illa insaniam efficit, nõ stultitiam, seu fatuitatem, & furorem edit ferinum non mętum. Febrem secum habet, vt summi medici existimãt, quamuis Galenus libro de locis affectis sine febre esse proponat etiam mania hoc ipso a phrenitide illam disiungẽdo. Caloris ab ortu nullum est indicium, imò contraria
E apertissima omnia suprapósita, nulla febris ardens, quæ potuerit exurere, nulla causa externa vehementior. At mœrores? hi non habent exurendi vim, sed exsiccandi, & prius ephemeram febrem excitassent, ac crebro, quã exussissent, febrem tamen iam quatuor annis, non obseruarunt Medici, tantum abhinc quadriennium quibusdam diebus quotidie frigore leni corripiebatur, deinde leni ẽt calore, quæ in gallicos vapores a pituita in iecore gallicam vim continente attolli sunt iudicati, aliquibus ẽt in destillationẽ latentem eam febriculã referentibus, quæ tñ non erat cõtinuata, nec tanta, q̃ posset exurere, quin potius pituitæ dissoluẽdæ esset vtilissima. At ab vsu guaiaci exustio potuit proficisci ab abstinẽtia sub eius potionib. seruata, scilicet verò id verisimile est,

præcipuè ijs Medicis, qui quotidie guaiaci decoctum exhibentes experiuntur vel in calidissimis, & siccissimis corporibus, non dicam natura, sed morbo effectis (nam multum refert) nihil incommodi afferre, cū caliditas eius temperata sit, expurgando etiam aliquos homines apertè frigidiores reddiderit, at terrea quadā naturæ est præditum, quid tum? Sentimus ipsum incidere, videmus ipsum oleosum, quare illa exigua terrestris vis, vt in absinthio erit aperiendis visceribus, & confirmādis commodissima, aquæ commixtum dilutum fit & humore eo omnis terræ vis maior mitigatur, vt in hordeo, cum sorbitio ptissanæ fit, nedum in eo, in quo alia sunt eam terrenam vim frangentia, in eo cuius decocti tantum aqua accipitur, quæ per decoctionem cum terra, non solet facilè commisceri, quin facta decoctione abijciatur, cum hæc elixatio fit. Datum fuit temperato modo, vt in singulari eius libras 10. libræ aquæ darentur, & sudores, qui copiosi facilè elicerētur, nulla citati sunt molestia, quamuis nō defuerint, qui suffis excitatum dixerint, & falsò. At sumpsit 90. diebus, Vtinā continuatis illis accepisset, nam sanus nūc degeret. Sed illis intercessit spatium ferè trium mensium, duabus.n. purgationibus id accepit, sed quot sunt qui quinquies accepere calidis corporibus præditi? qui quinta randem sumptione curati sunt? singulis verò sumptionibus nūquam minus quam 40. aut 50. dies tribuerint? Ita volūtas ea est, qua argumēto ducto nescio vnde asserit guaiacum corpori huic caliditatem, & exustionem attulisse. Nam quæ ratio fuit, vt id tam certò asserere auderetur? fortè sumendo eo male habebat, fortè siti vexabatur, qui semper facie, coloreque pulcherrimo. sub eis potionibus esset, qui nunquam sitiret, vix ter in mensa, & parum potaret, etiam cum largissimè potare, cogeretur suasu medici magnam vtilitatem potionis proponētis, nunquam potionis cupiditate adductus, cum siti penitus careret. Post potionum spatia ambulatione aliquādo vsus quæ duobus miliaribus itineris conficerentur, sub maximis etiam Iunij, & Iulij, & Augusti, æstibus nunquam sitiebat, quod non ex pituita esse poterat, cū purgationem vix perfecisset, cum abstinētia vsus esset, & temperantia etiam vteretur. Calorem, quem nos ingentem vix ferebamus, ipse non sentiebat, & ambulationem etiam facillimè conficiebat, vt nos eum consequi nequiremus; nunquam in manibus calor, nūquam in vrinis color plenior esset, & primæ notæ recidendi in morbum cum mollibus tumoribus in fronte, & circum oculos fuere, ruboresque, qui cum eis erant, omnes sine dolore, ac, si quod vlcus vi gallica factum est, id sine dolore, sine tumore vllo rubenti fuit, quare vt gallici notæ, quæ guaiaci potiones antegressæ fuerant, naturæ humidioris corporis erant, & morbi, sic, quæ guaiacum sequutę sunt, eandem naturam seruatam fuisse, neque nimis calfactam, aut exsiccatam ostenderunt, vt ex ratione principes Medicinæ viri in consultationem aduocati potiones guaiaci duplicatis viribus præbendas tertio, & quarto præceperint, quod cum factū non sit, sed protinus corpus refrigerantibus continuis toto spatio triū annorum tractatum fuerit, quomodo aut calefactū corpus postea guaiaco sit, aut si fuisset antea iam non esset refrigeratum? Causa ergo quæ fuit tanta, vt exustio illa fieret? quæ solet ardentes febres solummodo consequi, vti melancholiam illam pariat quæ exusta est. Fieri vero etiam non potuisse est manifestum, nam aut ex bile, aut ex sanguine, aut sanguinis fece exustio ea facienda esset, ex bile non, quoniam nullum bilis indicium habemus, ex sanguine verò minus, quoniam ille non nisi sub febribus sic corrumpi potest, prius verò in bilem fere sic immutatur, bilis verò nullo indicio existente, minus aūt febre id iudicium esse nō pōt, minus ex fece sanguinis, quoniam cum nulla sit exustionis causa, (quamuis multum eius fecis subesset,) apparet, cur exuratur, non posset autem latere exustio, neque causa ipsius, cum calor latere non possit, minus verò vis exustæ melancholiæ incendio factæ.

A Hic enim exustionem, & melancholiam exustam accipimus propriè, non communiter, quo communi vocabulo etiam ille, qui inclinante ætate, caloris vi per squalorem deficiente in humore bilioso fit, melancholicus succus vocatur, & propriè exustus non est; sed paulatim calore deficiente factus, quamuis ex bile, & sicca euadat, quæ tamen ipsa quoque potius refrigerato iecore ob ætatem, & resiccato existit. Quæramus iam, si vlla nota sit caliditatis, aut incendij in iecore, in quo humor is fieri solet; aut in venis illis.

Vbi obseruarem primum, quod in corpore viuente, cui quatuor humores sunt necessarij semper omnium humorum notæ in suis recrementis appaiere debent, alioquin vitam, aut sanitatem non retineret. Quare dominatus alicuius humoris ex superantia sit iudican-
B dus, deinde, quod notæ non solum numero, sed continuitate, sed excessu vehementiæ sunt examinandæ. Postea, quod cum multa effecta per accidēs contrarias sequantur causas, vt sciamus dignoscere, quæ per se, quæve per accidens sint, ad numerum, ad constantiam, & inconstantiam, ad diuturnitatem est respiciendū, quibus obseruatis, cum numerus, cum perpetuitas cum vis, cum contensio summa, & constantia eorum effectuū sit, quæ frigus præseferunt, inconstantia verò, exiguitas, & paucitas, raritasque eorum sit, quæ calorem indicent, omnino dicam, non solum calidioris humoris defectum adesse, frigidumque superare, sed præterea posse ex accidenti calidos hosce raros, ac breues, debiles, & inconstantes effectus causam frigidam habere.

Nam friget ferè totis diebus, vt sub æstu Iulij men-
C sis, vel aquam tepidam manibus attingens illam nimis frigidam quæratur, nunquam sitit, albo colore est, pulsu raro, & exiguo, vrinis albis semper, & crassiusculis, nisi posterius his diebus, quibus sunt in coloratiores, & & tenuiores mutatæ. Excrementa alui lentorem semper multum, & quandoque tantum crudi humoris cōtinent, vt mirum videatur in vllo corpore id fieri posse; quod semper cernitur, præcipuè tamen, antequam balneis Patauinis vsus esset, ore semper tanta pituitæ copia lenta, & liquida, quanta ex decem vel frigidissimis capitibus, & humidis descendere vix posset, tumores molles iam annum & frontem sæpè, & tota crura semper occupabant, omninò albi, & sine vllo dolore, quo etiam tempore aluus fluida, & cita erat, semper certè mollis. Somni longi semper totis noctibus eum haben-
D tes, & sæpè continui, aliquando arctè occupantes, sine insomnijs, qui sæpè etiam interdiu eum capiant, & quādoque etiam in mensa, vel, dum edendo incumbit, sensuum internorum torpor ingens fatuitas maxima quæ *μώρωσις* dicitur, seu stoliditas, seu stultitia, nullus furor, memoria (præcipuè cum peius habet) nulla, vt vel edendo, quid agat, obliuiscatur, sæpè panem, & cibum modo potionis ore apprehendit, sæpè poculum modo cibi mandere vult, neque matellæ illa vulgaris pituitæ nota deest, sententiæ firmitas, & obfirmatio etiam obstinatissima, ira nulla, quamuis vtique semper habeat famulos insolenter eum increpantes, & digitis vellicantes, pellentesque ne cœnando dormiat, vlceribus etiam irritatis vix dolore erubescit, nunquam in
E quemquam agitur, semper mœret, & silet, cum loquebatur voce flexa, & sermone querulo vtebatur cum lachrymis, ac, si per contentionem familiarium in iram excandesceret, illa non furoris erat, sed ex metu, & in lachrymas semper desinebat, metu continuo opprimēte, quamuis ille ex ratione expectati symptomatis nasceretur, si quando, quod bis aut ter in anno est notatum, pugno petijt famulum, id ob metum, ne ignem infligeret, euenit, & subito a lachrymis exceptum.

Si excitari visus est intemperatius, id a pauore euenit symptomatis aliqua nota præcepta, cum aut brachium, aut mentum sibi contrahi sentiret. Quæ omnes notæ, & cum ijs aliæ innumerabiles non solum frigus, sed humiditatem quoque multam significant.

At

At verò calidæ non debent in viuo homine deesse, neque est mitum, si aliquando copia ingens phlegmatis suffusa est russo quadam colore exiguam quanrulæcunque bilis partem sequente, color enim, nō corpus ibi cernitur, quare uix quidquam corporis potest multum coloris afferre, & hoc temperato corpori est consentaneū, imo etiā frigidiori. Aiunt aliquando nigram æruginosamque bilem cum morsu ani demisisse, hoc tam rarū est, vt nunquam longissimè temporis spatio potuerim obseruare, credam tamen affirmanti Medico, & si sententiam ex hoc maximè tueri suam contendat, & quod cupit, facilè eum credere sit verisimile, præterea vrina nunc demum est subflaua, demum arenulas secum effert, ipse quoque interdum solebat calidus manè à somno sentiri, quādoque etiam, etsi rarissimè rubore facies ei suffunditur, qui, vt subitò accedit, subitò etiam remittitur, & albam factam relinquit. Hæc, vt rara sunt, vt inconstantia, vt pauca, vt exigua, quamuis naturæ viuētis corporis, vt dixi, sunt necessaria, tamen ad frigus ex accidenti possunt sequi, quoniam calor ille post continuum totius diei, & multæ etiam noctis frigus existit. Cur autem viuo homine ad frigus calor non sequatur natura vim demum suam renitendo in frigus aperiente fumis retentis incalescentibus necessario exteriora tā dem petentibus? præcipuè verò à somno, sub quo calor se se collegerit, quo demum possit effundi. Conclusus verò inualuerit, & fumis conclusione calefactis, dum in visceribus collecti obsiderentur, ad exteriora vna cum eo calore erūpentibus vi calidorum sic nacta, vt in summa corporis semper feratur.

Itaque & interdiu, quamquàm admodum raro, subitò rubore suffunditur, quod alias metu symptomatis euenisse vidi, cum sensibus plus valeret, nunc etiam sine ea causa, quod tamen rarissimè, ac vel semel, aut bis totis duobus mensibus est obseruatum. Vbi materia crassior est, ibi seipsa occludit, & æstum acquirit, quamuis non semper æstum cum corde communicet, vnde febrem efficere necesse sit, quandoque tamen crediderim febrijsse, ac tunc somnolentior, quamuis calidior sentiebatur, quod fuit, postquam multis diebus frigidus fuisset, quod verò ad vrinam pertinet, & id quod de alui excretione nobis non est obseruatum, ex ijs detentionis humorum causis potest euenire. Vrinæ nunc præcipuè arenas efferunt, quoniam excretrix facultas omnis corporis imbecillior facta est, vt neque descendat aluus, nisi clystere vtatur, quæ antea spontè multoties in die deijceret, quare crassa excrementa subsistentia vi expultrice torpida quemadmodum in senibus etiam salsa fiunt, & terrena non tam ob calorem, quam ob moram, propterea arenosa fiunt.

At subflauus color? Dico vtinam necessario subflauam nunc esse, quæ quatuor annis sub eodem morbo vix rufa fuit, quoniam per aluum nihil bilis descendit, & nos videmus feces albas præter consuetudinem hominis, quæ etiam nisi essent à colore mellis rosacei, & olei, & sæpè infectę, melius albæ iudicarentur. In vrinam itaque bilis omnis ruit, cuius rei, quæ causa sit existimarem, quod debili admodum dorso laboret, dū sedet continuè, eadem enim infirmitate ipsi dorsi musculi affecti sunt, qua cęteri, quibus iam vix sustineri potest. Sedendo ergo ij defatigantur, & sic renes afficiunt eo calore, qui ad laborem consequi consueuit, & præterea, quoniā ob infirmitatem nocte tota in dorsum decumbit, quod si in latus iaceat id admotis aliquibus fulcimentis dorso facit, & sic illud nihilominus incalescit. Præterea iam vrina potest vim aquarum balneorum Patauinorum referre, quæ & exsiccant, & omnino calefaciunt, ac præcipuè Renes, maximè in corporibus, quæ expurgari ab illis omnino non possunt, vt hoc fuit, quod alio remedio fortè indigebat ad gallicum magis idoneo. At aquis tēperatioribus vsi sumus, tamen à tēperato per calorem recedunt, quæ, si eduxissent morbi causam, profectò refrigerassent, at illa relicta vel exiguo calore, & siccitate sua renibus insita arenularum causam afferre potuerunt, quæ nunquam ante illius aquæ vsum visæ sunt Oedematosos illos molles tumores post eas aquas amplius non videmus, & imminutam pituitæ alui copiam, & inde iudicium operis earum supradicti confirmatur. Somnos etiam continuos, vel noctu, vel die non cernimus, vnde solebat quotidie post cibum mane, & vesperi somno subito opprimi, quod minus iam euenire certum est, quare omninò aliquam partem exsiccarunt. At de ruboris illa suffusione proprio iudicio dixerim, eum a spiritu sanguineo effici, nam color ille pulcherrimus est, fieri verò cum natura in capite periculum sentit, ferè enim caput mirabilibus modis afficitur, neque hoc est à ratione alienum, quoniam iam annū, & duos menses cum symptoma immineret, eo rubore suffundebatur, quamuis à symptomate incredibilis pituitæ copia delaberetur nō solum vno die, sed totis quatuor sequentibus.

Dicebat Medicus eum ruborem summum cuiusdā iecoris flammæ denotare, qui in caput ascenderet, & pituitam liquaret, quæ symptomate finito descenderet. Bonè uir in capite viuentis hominis, neque ita tunc, vt hodie, fatuo, ac stupente concrescere pituita posse putabas? natura demissura pituitæ illam copiam pendere eius excitata concurrebat, confluebat totis viribus, & spiritu. Sed iam frigidæ notæ tuendæ sunt, alioquin oppugnarentur, quæ, vt perpetuæ, vt plurimę, ut magnę, vt inter se consentientes, & constanres suam per se seqni causam, & illam superiorem omnibus iudicandæ sunt. Nam frigus totius corporis esse ex accidenti, & fumum calidum pungentem sequi dicunt. Quod tunc neque diuturnum esset, neque verè frigus sed rigore quodam membra moueret, & pungendo potius, quam refrigerando afficeret, vt in ephemeris fit quibusdam, & terrianis.

Sed etiam calore illo suo proprio acri exciperetur, neque posset sine effluuio acri dissolui, quamuis sine putredine esset, vt de ephemera ob biliosos vapores detentos Galenus loquitur, quamuis acrimonia illa non multa sit, copiosa tamen est effluxio. Sed aiunt, esto subsit pituita, tamen illa suo frigore potest, & necessario debet calorem nimium sequi. Nam acrior calor, & præter naturam factus consumitur, quamuis ergo qualitate valentior, copia tamen infirmior fit, & ita coctionem non perficit, & loco sanguinis crudum humorem, qui est pituita, parit. Breui ego summam cæcitatē, & hominem initiorū naturæ ignarū non possem docere, nam principia nisi à sensu quis accipiat, nisi quis spontè assentiatur demonstrari ratione nō possunt. Nunquam calor cum uita eo ardoris deuenerit, vt ob ipsum ardorem imbecillis, tam fiat in viuo animante, quod crudum humorem generet, & pituitosum, minus verò in hoc corpore hoc fieri potuit. Nam in hecticis hoc non videmus, in quibus maximè acris, & consumptione sui humidi exiguus est factus, nil aliud enim est calor naturalis, nisi tēperamentum solidorum, aut humorum, aut spirituum, non potest verò consumi à se, nisi humido consumpto, quo vno exsiccato consumi calor dicitur. In hecticis propriè hoc fieri necesse est, in quibus tamen tanta pituitæ copia, quanta in hoc corpore nunquam videre licuit. Cur verò Galenus dicat, quod febres vtiles sunt conuulsionibus à pituita, & melancholia factis dissoluendis, si actitudo caloris humorem suum consumens, tam imbecillum ipsum facit, vt pituitam potius gignat? longas febres, & quartanas proponit ipse hoc facere calore quidem concoquendo, rigore verò discutiendo 5. Aphor. Acrior ne forte calor in hoc est corpore, quam in febre fit? corpus notas nullas habet per se effectas a calore, da mihi, quæ per se à calore efficiātur, postea delebas frigoris, & fac id sequi per accidens. Si iecur ad tantum ardoris deuenisset, vt caloris humore consumpto, & sua temperie ignea facta, & deinde imbecilla non posset concoquere, & iam annum, & dimidium sic fuisset, possetne cor ab eo affectum non esse, & integrum seruari, quin vna squalidum, & igneum effectum fuisset?

fuisset? quis hoc credat, qui initia naturæ calleat? Hecticus ergo esset, & marasmo laboraret. At quomodo nutritum corpus interea vidisses, quomodo nunc etiam mediocribus carnibus, melleque? quomodo ipse pulsum mollem haberet, & tam rarum? quomodo ventriculus non fuit notis caloris iecoris affectus, vt vna etiam cum pituita bilis noxam non sensisset? quæ siti, quæ amarore, quæ vomitu detecta esset vomitu semper pituitoso plus, quam viuo homini licet semper, cum accidit, obseruato. Si tantus calor non fuit, imbecillem coctionem efficere minus potuit; adeo vt pituitam ederet. Nam Galenus in his, qui acrem calorem habent, & præter naturam ab ipso, & ascititium vocatum, vult crassa cibaria facilius concoqui, tenuia verò in bilem, & fumnm verti. Ecce quomodo bilis imbecillo etiam calore fit; imbecillo verò, quoniam minus temperato, ecce quomodo tantum abest, vt pituitam generet, quod illam facilius, quam temperatus calor potest concoquere, iste adibit ad squalorem maiorem, quam in febribus, quibus iuuantur conuulsi, adibit ad hecticum statum, tamen generationem pituitæ non conficiet, nam acrior calor potius putredinem, potius colliquationem acutissimum malum in principe viscere efficiar, potius anustichiosim, quæ omnia in excrementis apertissima sui indicia proferunr, & vitam breui consumunt. Sed animaduerte, ais, quod tanta copia glutinosi humoris, qui ex hoc corpore exit, est mucor ipsorum intentiorum, Optimè est. Sed cur in alijs mucor non est tantus? quando vnquam tu audisti mucorem intestinorum tam crassum esse, vt picem quandam albam imitetur. Ergo abundat nimium iam mucer, & crassioris generis est, quis est verò ipse, nisi crudus humor ipsis intestinis tuendis à natura tributus? Abūdat ergo cruditas; ergo pituita abundat. At mucor non abstergitur, nisi ab acrioribus, is verò vel butyro, & sæpè iniectis cum melle rosaceo incredibili copia exijt, sed qui vomitur albus liquidus, & nitidus? Age verò nos pace tua cogimur concludere notas has per seipsas ad suas causas sequi, quæ frigidæ necessario sunt, & humorem melancholicum hic non esse exustum, sed diuturnitate morbi effectum, & animi etiam perturbationibus quæ frigus possunt tantum genuisse, vt timor, mœror, & animi angor ob morbi eam turpitudinem, & nominis detrimentum, quæ eo magis valentes fuere, quo semper nouæ illi fuere, neque à tempore illud solitum auxilium acceperunt, vt mollescerēt, tamen, dum identidem renouatæ sunt, nouitas earum fuit seruata.

Sæpè enim reualiturum ipsum, & euasurum proximè asserendo ipsum in spe confirmabant, quandoque, imò sæpè conualuisse iurabant, ipse verò cum iam animum collegisset, tunc subito aliquo mali casu tanquam nouo arreptus, repentè percellebatur, & incredibili dolore nouo cruciabatur, quæ ratio semper seruata; nunquam animum componere permisit, & illum nouis semper, renouatisque doloribus perpetuo anxium fecit. Melācholicus is humor, si exustus fuisset, nō potuisset latere, quin malignissimas res attulisset, neque vitam ei huc vsque permisisset, si, quæ de eo ab Hippocrate, & Galeno dicūtur, obseruauimus, si infra deijciatur, quid affert? quæ vlcera transiens generat, & in intestinis, & in cute, & in ore per quod etiam profirebatur eiectum hunc humorem fuisse, quamuis neque acidus, neque acris esset, neque in ore vlcera, nisi albissima in lingua essent, & aquæ plenæ pustulæ.

Mœrorem verò, vel metum non facit, memoriā non adimit, obstinationem, quæ sunt frigoris, non inducit, sed audaciam, & temeritatem, inconstantiam, & furorem, qui non est leuis excandescentia cordi calidiori familiaris, in quam homo incidere cernitur, vel maximè prouocatus, sed est dura, & vehemens rabies, audacissima in quosque ruens, quare metus, mœror, & lachrymę cum eo esse nullo modo potuissent, quod si aliquando, tamen valdè raro, nam non est necessarium simplicem speciem illam semper subesse, vt neque mirum esset, si

A aliquando in furorem actus fuisset, quia non est, vt fieri non possit, aliquam partem humoris eius frigidioris exuri, cum in locis calidis diu continetur, & obsessus calorem acriorem concipit.

Hunc quoque frigidum humorem melancholicum non tantum esse, vt possit pituitam superare, constat ex somno longo, & sine insomnijs, aut eorum memoria non seruanda, quæ necessario secum haberet, si multus ipse esset. Superior ergo est pituita, at ille humor melancholicus vapores suam vim redolentes in caput submittit, illi suo frigore, & squalore (non dixerim nigredine, quæ in loco opaco, in quem neque lumen, neque oculi illius acies pertinet, cognosci non potest) lædunt, frigore quidem memoriam tollunt, fatuitatem inferunt, imaginibus omnibus auersandam speciem frigore eo vitæ
B inimico inducunt, & etiam siccitate, quæ potius ab anima, & vita tactui penitus, coniunctæ, quam nigredo sentiuntur, siccitate verò, nisi esset pituita illis copia superior, vigilias afferrent, saltem, si pari copia cum illis ea esset ipsi propendere eum in somnum frustra efficerent; ac, quoniam melancholicus humor exigua copiæ est, et pituitam habet superiorem, propterea somno hominem non potest siccitate prohibere, ad fatuitatem, obstinationem, obliuionem, & cætera dicta progeneranda à pituitæ frigiditate adiutus, qui verò siue solus, siue sic pituita coniunctus, tamē calidioribus egere medicamentis constat ex his rationibus, quas initio commemorabamus. Restat dicendum de conuulsionis hac specie, qua affligatur, num in supradicta præcepta curandi referri oporteat; Dicit hanc quoque esse naturalem. Cum ta-
C men varietate sua non solum ostendat se naturalem nō esse, sed neque etiam esse purum comitialem morbum seipso constantem, quo, qui laborant, ferè spatijs quibusdam capiuntur, & eadem specie etiam, à quo resurgunt integri, & ambulant, & munera sua possunt obire, hic mille modis afficitur, & breuissimis modo spatijs, modo longissimis, nunquam integer relinquitur. Conuulsa membra relinquuntur, & continuis aliquando motionibus conuulsiuis agitatus est toto mense, vt brachij sinistri, vt musculorum ossis ὑωειδὲς, vt labiorum multo tempore singulo mane sinistra parte distendebatur, sæpè oculorum & faciei musculis.

Impedita sæpè lingua est, sæpè deuorandi munus retardatum, colli musculi vtrinque sæpè crassi visuntur, & tensi sæpè, & præcipuè his diebus dum ambulare cōten-
D dit conuulsione crurum, & dorsi capitur. Quæ omnia à materia crassa facta cum epileptico malo conuenire iudicanda sunt.

Nam si, vt dicit Doctor, à fumis recentibus nerui exsiccati per inanitionem contraherentur, hi non possent amplius remitti, non possent amplius relaxari, remittuntur verò, & inter motiones ipsas interuallis multis identidem, & prætetitis, finitisque motionibus in longitudinem naturalem redeunt præcipuè verò brachium sinistrum cum manu, quæ multo tempore contracta fuerunt, & distendi per duos, aut tres menses non potuerūt nunc remissis neruis extēdi, & explicari facilè videmus, quamuis motionibus contrahētibus crebrò identidem capiatur. Potius ergo fiat oportet, aut per irritationem ab artibus fumis modo singultus natura neruorum per
E contractionem eos expellere nitēte, aut per repletionem ab halitu neruos replente, qui vna cum spiritu in eos incurrit, aut ijs commixtis; Ab acribus fumis si fieret, teste Galeno 3. de locis affectis non solum ventriculi bilem continentis causa fierent, quam in ventriculo nullam esse videmus, sed breues motiones longis interuallis dissitæ essent, vt Galenus testatur & ratio dictat, & singultus exemplum probat. Si dixeris possunt ab alia parte quam à ventriculo ascendere ij acres fumi, tunc non assentiar conuulsionem eos efficere posse, nam quamuis iecur afficiat cerebrum sub febribus per venarum vias, & vterus similiter, ac per febris effluuiū etiam multa symptomata cerebro generentur membranis eius suis venis effluuium recipientibus, & cum cerebro com-

communicantibus, tamen sine febre id non fiat, cum cordi prius calida efluuia, quam cerebro tradantur ob venarum maiore commeatum, & cordis dilatationem. Vbi ergo capiti prius, quam cordi quidquam tribuendũ est à partibus inferioribus, necessario communicatio per neruos tantum fiet. Vnde cum iecur eos insignes non habeat, solis neruis nõ potest caput afficere, venas verò afficiendo prius cor aliquomodo affici esset necesse, similiter de splene, & partibus omnibus alijs dicendum.

Quare Galenus ab ore ventriculi ob neruorum multam copiam cerebrum effici præcipuè voluit, vterum autem sine febre cerebrum non posse afficere nisi ore ventriculi interueniente, ita lien, ita & iecur. Atque cũ epilepsiæ ortus varios declarat, eos similiter ac melãcholiæ narrat, vel ab ore ventriculi per neruos humoris vim communicante, vel à parte aliqua venis magnis prædita, vt cum malignus humor veneno similis in parte aliqua confectus est, & in cerebrum suos sibi similes anhelitus effert. Quapropter pueros illos se sentire ascendentem rem quampiam dixisse narrat, & qui maior esset, & posset iudicare dixisse tanquam frigidam auram, quoniam per neruos sentientes necessario ille ascensus esset, alioquin cerebrum non potuisset affici. Hic ergo neque ab ore ventriculi, & ita neque à viscere per os vẽtriculi, neque ab aliqua alia parte fiunt hæ conuulsiones quoniam nullus sensus delationis habetur, quocirca restat, vt hæ conuulsiones fiant, aut a pituita cerebri ventriculos opplente, aut ab ea halituosa neruos impetente, quę interdum refrigerata prius, quam discussa etiã concrescant in neruis.

Nam sæpè contractiones longę fuere totum corpus distortum diu seruantes, aliquando per menses contractæ partes mansere, quod non potuit esse, nisi materia in neruis manente. Ingredi autem, tum materiam halituosam, tum maximè spiritum etiam crassum per eandem viam, per quam ipsis neruis alimentum, & bonus spiritus venit, verisimile est, & distentiones illas breuissimas identidem repetentes efficere, vt identidem discutitur halitus, & discusso nouus succedit. At materia ex hoc concreta, quo modo non potuit resolutionem, quam distentionem efficere? Num quoniã tunicas potius neruorum à meningibus deductas occupat, quam mediam & veram à cerebro etiam neruorum partem quà vis sensus, & motionum defertur, in tunicis namque facilior concresio est. Neque verò dubitandum est, neruos ita esse compositos, quãuis enim nerui cum in capillamenta exeunt videantur non posse tot partes distinctas retinere, vt Galenus ait libro de placit. Hipp. & Platon. tamen ad multam sui partem sic distinguuntur facilius quidem semper per mediam, & veram neruorum partẽ descendit, quà spiritus & alimentum à cerebro venit. Rei cuius notas habemus apertissimas in hoc corpore, nam quando contentius nititur ambulare, tunc conuulsionibus tentatur.

Primam ambulationem potest aliquo modo efficere, at paulò post conuulsiones crurum, & dorsi incurrit, quod signum est cum spiritu mouente exiguo, & non satis suppetente impelli spiritum mutilem, à quo ea extet conuulsio, vt illi accidit qui oculis imbecillibus lectionẽ trahere nitẽdo in caligationem oculorum incurrit, quæ ab inutili spiritu loco alterius subeunte, aut cum exiguo bono illo inutili in oculos incitato dum materia illuc spiritum mittere cõnatur. Materia etiam illa signa sunt. Post conuulsiones vidimus eius artus delabi tanquam funiculos, ac resolutos, quod tunc fortè halituosa materia, quæ totam longitudinem occupans neruos breuiores primum redderet, nunc aliqua ex parte concreta, & in angustum locum compulsa neruos non amplius breues, sed ea parte obstructos reddat, quę tamen spiritu impetente tandem dissoluatur, huiusmodi materiam quandoque etiam cum accidit, in neruos pituitam esse non negatim, tamen non credã esse ita crassam, vt est cum expuitur, aut aluo excernitur. Natura siquidem, cũ materiam motura est, illam extenuat, nisi in uaporem, certè in roris formam spiritum adijciendo, vnde in excretionibus, tam spiritus cõsumuntur, quibus spiritibus postea relicta crassior efficitur, potest itaque etiam per mediam neruorum sedem percurrere, & inde quoque expediri spiritu sic agente, quod si ibi diu inculcata incrassetur, tũc resolutio fit neruorum illa, quam experimur vix curabilem, cum in parte frigida, & densa humor crassus concreuerit. Cõuulsiones verò curabiles magis sunt nisi a siccitate fiant, quoniam materia per totos neruos fusa minus concreuerit, sed rorida ferè manet, vt materia, qua nerui aluntur sic subinde deportatur, fluxumque habet facilem.

A repletione itaque fit quandoque pituitæ, quandoque etiam spiritus crassioris, vnde non semper conuulsiones permanentes, sed agitantes motionibus crebrioribus in hoc corpore fuere. Quibus si vis acutã aliquam fumi vim adiungere, qua ad excretionem nerui irritentur vt facias conuulsionem hanc non à morbo tantum, sed etiam à natura excitarij ego non prohibebo, quoniã lues gallica non potest, non malignam qualitatem induxisse; quamquam necessario ex materia frigida illi maligni fumi erunt. Nam si ex calida, cuius nulla nota est, illi in caput elati cerebro perturbationes caloris proprias afferent, vt superius est disputatum, Corpore verò frigidis referto, & capite, & notis omnibus frigiditatem testantibus, caloris vim omnem abesse declarãt, quare hoc quoque malum calidis esse exstirpandum remedijs apparet. At cui parti remedium attribuendum? Iam annum ego visceribus omne remedium destinaram, quoniam quamuis cerebrum affectum cognoscerem, tamen ita infirmum affectum eius putabam, vt citerioribus viscerum malis sublatis crederem nihil eius remansurum. Verum hodie, cum annus integer accesserit ad superius tempus, quo toto anno affectum continenter à vaporibus est cerebrũ, qui vapores melancholiam referẽtes, & pituitam illud omninò refrigerarunt; Siccarunt autem non ita propter pituitæ dominatum; propterea & fatuus magis est factus, & obliuiosus, atque ita stupidus, vt catoche sæpè deprehensus videatur; cerebro non solum frigidam, & inutilem materiam iam excipiente, sed si quam etiam vtilem accepit, eam in sui nutrimentum conuertere nequeunte, quæ excrementosa relicta ad neruos identidem defertur varia sub forma extenuata, & iam quotidie, præcipuè somno, conuulsiones edit, & cum ambulare conatur. Quare capitis quoque ratio habenda est; Sed est ne aliquid, quod vsum calidiorum medicamentorum, & valentiorum impediat? Calorem nullum subesse iam demonstratum cuique esse potest, imo tantum frigoris ingeneratum iam, ut omninò calida sint necessaria. At vires ne ferent vim calidorum? Calidi ea natura est, vt agat tutius, si paulatim, & gradatim adhibeatur, alioquin enim colliquando facit subitam commotionem, & tanquam plenitatem, & præterea viribus infestum est, itaq; pedetentim à leuiori ad grauius remedium accedendum, ita si guaiaco vtendum, eo primum per exiguas potiones, deinde per pleniores vtendum; & quantum propter corporis infirmitatem virium auxilij detraheretur, tantumdẽ spatio vtendi restituendum, ac ad menses duos potiones eius, vel tres etiam protrahendæ maximè cum corpus humidioris generis videamus. Sciamus vera multos eius vsum etiã tota vita admisisse, & inde benè habuisse, vt pater ipsius ægroti fecit, qui corpore longe erat nigriori & calidiori, vt frater quoq;, qui ad 20. annos eius vsum produxit, non tamen, vt pater, quotidie, sed bis in anno 40. diebus sumebat, quamuis hirsutior, & nigrior, & magis melancholicus esset. Etenim, si hos tres affectus conferamus, omninò guaiaci ratio omnibus vtilis intelligatur, non solum gallico, qui propter latentẽ suam vim, & si primus sit, tamen minus vrgere videtur, sed comitialibus conuulsionibus, quæ metum summum habent, & etiam melancholiæ frigidiori, cui, & si ob siccitatem inutile videtur, ob abstersionem tamen, & detra-

ctionem

ctionem materiæ est vtile iudicandum, eius oleum mixtum in matutinis potionibus dari poterit, vt earum vires augeat, non modũ, viribusque imbecillioribus ęgroti consulatur; quod externis quoque datum neruis iuuandis erit vtile. Proposuit Doctor sanguinis missionem, tum ex brachio; tum ex vena frontis faciendam. Mihi verò cum planè purgatiuum corpus videatur, nõ solum vires medicamentorum in imbecillo corpori metuendæ videntur, sed missio etiam sanguinis, quæ præcipuè uires efflagitat, & imprimis, quoniam sanguine hic egemus. Minus probantur hirudines ano admouendæ, cum natura eo nihil propendeat. Nam sic hirudines angustissimo foraminè sanguinem tenuẽ extrahent, quod etiam superius sæpius obseruauimus, si namque sectio venæ nulla, tam angusta est, quã foramen hirundinis non maxime excedat, & tamen crassum humorem, & melancholicum non confidimus per venæ sectionẽ facilè extrahi nisi illa latior fiat, cur speremus per hirudinis foramen natura non impellẽte crassum sanguinem posse exire, cui rei obseruatio (vt dicebam) penitus respondet, dicam etiam, quod aqua quoque de villa Lucensi non videtur vlla ex parte hunc morbum iuuare posse.

Aegrediamur ergo, quæ visceribus, & toti venoso generi, & neruoso expurgandis quotidie vtilia esse possint sudore, & etiam per internalla per aluum, per sudorem enim nerui omnes facilius se se suo infarcta expedient, & guaiaci viribus imbibiti sanabuntur, vt viscera, & caput facient. Mixta cum illis guaiaci potio fit, quæ casui huic apta sunt, modo ne guaiaci vires frangant. Multi quidem negant mixtionem guaiaco non noxiam esse, sed eorum, quæ valentiora sunt. Nos verò in curationibus à dubijs rebus abstinere debemus, vt ab opinionibus ingeniosis, sed paradoxis. Si interea conuulsionum metus instet, rueamur quantum fieri potest ipsum cum puluere aliquo ad id idoneo, in quo & cranei, & tormentillæ viscique quercini, tum vngulæ asini, & pæoniæ, ac similium natura tota aduersantium vis compræhendatur, qualis illa compositio est, ex ℨ. ß. pulueris infra scribendi, & ℨ.ß. cranei olei, seu pulueris, & ℈.ß. cinamomi, & pari modo gingiberis iu sex partes singulis diebus dandas diuidenda pulueris cuius pars capiebatur, ratio est. ℞. Margarit. præpar. ℨ.3. fragmentorum de gemis, corallorum rubeor. an. ℨ. 1. s. pæoniæ, tormentillæ an. ℈.2. Misce, & f. puluis, cui ego semper aliquid Rhabarbari addo, inter vtendum verò tertio, aut quarto quoque die pilula vna mixta ex pilulis de agarico Mesue, cochijs, vel aggregatiuis, & cochijs, cum syrupo de stœchade multiplicato pondere, vt opus fuerit cibo vespertino omnino imminuto, & sine vino dato. Matutino verò cum aliqua vini parte diluto, cum aqua incocta saluia, & cinamomo. Sternutamẽta prouocentur ex puluere hellebori nigri, aut etiam albi, & cyclaminis, & amaraci Cucurbitulæ, cum igne affigantur somno illo exoluendo, & demum vel aqua vitæ incendatur circum caput insperssa, vel vesicatoria ingerantur vel ferramenta ignita.

At esset ne impedimentum aliquod à cacodæmone, quod Doctor ob miras morionum conuellentium mutationes, ob sermonis hærentiam, & obmutescendi morem crebro, identidem reuertentem, atque ob corporis nimium pondus, per subitos quosdam rumores subesse existimauit? Cui, cum idem hos affectus in naturã primum retulerit, non credo etiam cum dicit, nunc contra se à cacodæmone factos, nescio enim vtrum magis, ei credam. Præterea scio conuulsionem illam variam, & subitam modo antrorsum, modo retrorsum factã à materia in spiritum crassum conuersa fieri, quæ, quando ra lis est, vt rogitabam modo, ad celeritatem, & vehementiam nullo egebit cacodæmonis auxilio, vt Aristoteles ait, cum loquitur de terræ motu, Minus in angusto neruorum corpore, & duro, quare subita etiam rubedo mihi non fiet mirabilis. Mutationes à cacodæmone, ita sunt, vt à penitus deprauatis in integras actiones repente fiant, & modo liberos eos videas, modo penitus oppressos.

At hic mutationes à taciturnitate in eam loquendi potestatem fiunt, qua vix informare verbum vnum, & alterum possit, neque etiam expedite, loquebatur verò nunquam, ut libera lingua, nunquam post conuulsiones incedere libere possit, quare Cacodæmona subesse non video magis in ægro quam videam in Medico, nec aliquid aliud impedimentum quin Medicus moderatione aliqua possit aduersus ipsum morbum medicamẽta adhibere. Dixi.

De liene affecto.

CONSVLTATIO XXXX.

SI rectè in memoria habeo, Doctor Excellentissime non solum magno est liene, sed magno quoque ventre, & tenso, colore totius corporis pallido, & facie valdè extenuata, vt iecur vna affici necesse sit. Itaque non solum lienis, sed iecoris affectus pernoscendus est, vt, quid sit agendum ad valetudinem redintegrandam, apparet. Magnitudo lienis tanta est, vt, quãuis durum ipsum non sentiremus, præter naturæ consuetudinem se haberet esset iudicandum, & eam magnitudinem valetudini infestam, de qua magnitudine Hippocrates loquebatur, cum magnos lienes dicebat, ea, aut flatu, aut humoribus efficitur, hic, cum duritiem quoque magis, quam tensionem sentiamus, non flatum, sed humorem infixum subesse iudicare cogimur, qui non subsisteret, nisi crassus, & lentus esset, nisi alienus à natura existeret alioquin enim, vel in alimentum cederet, vel excerneretur. Crassus est, & subinde à natura alienus, quoniam quamuis lien melancholico succo nutriatur, eo tamen eget admodum tenui, ita vt iecoris nutrimentum huius comparatione crassum sit dicendum quod Galenus 4. de vsu partium exponebat, tenui enim sicco lien egebat vt raro corpore præditum; Vnde fit etiam quod facile lien tumeat, quoniam facilè euenit, vt melancholicus succus extenuari non possit, etsi in hunc vsum natura multas, & amplas arterias ei dederit spiritum extenuantem multum sua frequentia afferentes, purgationem verò crassi humoris facilem sua latitudine efficientes, quibus rebus iecur non indigebat, & ideo nec tot, nec tam ampli generis arterijs fuit donatum. Pulmo, quòd purgatione ea non egebat, angustiores nactus eas est, quòd verò refrigeratione per multum spiritum, crebras illas habere debuit.

Habet quidem lien hunc arteriarum apparatum, qui humorem melancholicum naturam suam seruantem satis extenuare possit, at cum ille crassior fit, & mixtura pituitæ glutinosus, tunc lien in se eum uertere non potest; quare eius tantum parte tenuiori in lienis alimentũ conuersa, crassior reliqua adhuc efficitur, & actione facultatis coctricis excedens, lentoremque ab ea maiorem nacta, ibi magis infigitur, & nouo humori accedenti vitium auget, & viam impediẽdo firmitatem, quo humore ibi obfirmato lien refrigescit non solum natura humoris refrigerante, sed spiritibus impeditis, nè libere cõmeare possint, & viscus excalfacere, vnde & lieni concoctio vitiosior semper fiat, & etiam iecur sua frigiditate afficiat, quod in coquendo deficiens, & sibi malum paret, & augeat lieni, sibi quidem obstruentem materiam conficiat, vnde nec bilis possit expurgari, nec color corporis non luteus fieri, nec bonus sanguis gigni, & inde venter ab aqua, & flatu nõ tumete, quæ quidem mala in hoc Doctore cernimus. Lentoris, & crassitudinis primorum humorum causæ palam nobis factæ sunt cum accepimus nuper vxorem duxisse, eoque tempore ei assiduè vacasse, quo studijs implicitus supra omnem consuetudinem esset, interea, quo veneri non deesset cibis eiusmodi vtentem, qui dulcedine, & crassitie sua flatus, & lentos humores progenerarent. Quibus ita propositis

A positis illud restat, quod febrē subesse ex notis proprijs intelligimus, quæ retētum alienum à natura humorem, & alienum calorem concipientem ex obstructionibus insequitur. At ad curationem inueniendam, perficiendamque, quæ nam notanda sunt? Constant quidem ea omnia, in quibus quæ remedia ostendant facilè cernuntur, quæ verò remedia tantarum sint virium, vt efficiāt opus expetitum, non inueniemus. Nam natura operatrix est omninò, lienis verò natura, tam occupata est, tā extra se deducta, tam viribus suis defecta febre, & malis humoribus obruta, vt nullam sperari salutem posse iudicem, aliud enim est, quod ostendit quid agendum sit, aliud quod pollicetur id agi posse. Ostendunt, quid agendum, morbi, eorumque causæ, obstructiones scilicet imprimis, quæ expurganda, expediendaque viscera B poscunt, discrasia verò etiam ad moderationem propriam complexarum qualitatum esse reducenda viscera. At num perfici ea possint, id ex remediorum, & naturæ opificis viribus est accipiendum, & preterea ex modo, quò remedia possunt adhiberi.

De modo hic non est diffidendum, nam intus in gesta facile ad lienem possunt peruenire, at de viribus eorum, & naturæ quæ eis vsura est, summa dubitatio est, debiliora siquidem remedia nihil profectura sunt, ex illis verò accedendo ad valentiora hæc potius vires naturæ frangent, & dissoluent, quam morbum discutiant. Ne tamen ægrotus sine auxilijs relinquatur, & longam desperationem ferre diu cogatur cū morbo, aliqua præcipi possūt, quibus & aliqua spe sustentetur, bonoque animo sit, & valetudo eius cum vita proferatur. Itaque ea præciperem, quę cum eo, quod abstergere, & expedire C viscera possunt, iecori quoque aliquid caloris, & firmamenti ad stringendo afferrent, vt essent genera omnia oximelitis compositi ex herbis illis, & radicibus, quę uisceribus idonea dictitantur, ob eam quæ in illis est aperiendi, & confirmandi vim, vt radix capparis, vt absinthium, vt cicoreum, eupatorium præsertim Mesue, & Auicennæ, quæ valentissima sit, vt chamædrys, & similia in quibus squillam reponerem ob vehementem eius abstersionem, & aperiendi vim. Rhabarbarum verò imprimis valentissimum iudicarem, & modis omnibus ingererem. Certis verò interuallis & opportunis tempo ribus aliquid etiam agarici iniungerem, vt gluten illud extersum, & ad exitum paratum euocaretur. Quod iudicio asistentis Medici est permittendum. Externis quoque illitiones ex oleo capparorum, emplastro ex ammo- D niaco aceto liquato, ex folijs capparorū cum radice coctis, & butyro antiquo permixtis, cum emplastro ex radice gentianæ facto, vel eo de artanita cum folijs raphani, & similibus. Viuendi eo modo seruato, quo tenues humores gignantur, non tamen victus tenuis est adhibendus, cum longinquus morbus sit futurus, & vires imbecilles se se ostendant. Quare acetum darē in cibis, & vinum tenue, atque album, eo verò tempore etiam potius, quo corpus expurgatius esse perceptum fuerit. Habitatio alta, exercitium pro viribus quotidie ante cibum vsque ad primam corporis humiditatem, & reliqua quę nulli Medico ignota esse possunt.

Ad calculum renum hoc præscriptum est.

℞. Cineres vitis albæ
Seminis Hederde
Ofs. mespilorum
Cicadas
} ex quibus f. puluis in vino pand.

E

Linimentum ad hernias hoc quoque datum.

℞. Ol. Iuniperi mitigatum ex adipibus anseris gallinæ, & anatis syluaticæ omnium ℥. 1. thuris ceræ ℥. 2. quod temperamentum vngenti habeat, & externis locis ingeratur. Interea 30. diebus spacij sumat cum cibis puluerem radicis pœoniæ sin minus Bistortæ, Tormentillæ, pilosellæ, saniculæ. Sed adstringere meatum excipientem seminales meatus tamquam certius remedium propositum est, quod sit futura facile in longitudinē ad initium eius facta omnibus tunicis apprehensis.

De dolore sinistri hypochondrij cum insaniæ quodam principio.

CONSVLTATIO XLI.

Quoniam in puerperijs consueuit hæc nobilis mulier hoc dolore, & hac insaniæ specie vexari, atque etiam, quoniam mēstruorum aliquid detrimentum nunc esse ait, præsertim verò hoc rempore, quo peius habet, illis caruit per duos menses, nō possum non vtero culpæ partem aliquā huius insaniæ attribuere, qui non liberum sanguini crasso decursum præstet, ex quo factum sæpè fuit sub puerperijs, vt hæmorrhoides extiterint, per quas, cum exiguus sanguis exierit, & fortasse tenuior, in ea mala vim maiorem crassior retentus sanguis attulerit.

Siquidem eo in omnibus venis abundante lien præcipuè nimium repletur, quem cum ob copiam, tum ob crassitudinem non potest in sui alimentum conuertere, quod quamuis melancholicum, tamen tenue omninò esse oporteat, ita relictus crassus ille, & multus sanguis cum sua eadem crassitudine subsistit, & remoratur, neque potest non crassior illa mora euadere locis calidis continenter in ipsum agentibus, ac quod extenuari calore non potest, id necessario crassius fit. Quapropter aliquid ibi molitur corporis, quo venæ impediantur, ac distorqueantur, vbi noua quotidie materia accedendo loca distendat, præcipuè cum flatum edere cogatur ea sic detenta, & minimè in alimentum conuersa, & natura melancholica à calore tractata. Ex quo flatu rugitus in sinistro hypochondrio maximi sentiuntur, dum se se mouet ipsa mulier, & dolores extensione dictorum humorum, & corporum excitantur, qui maximi, & lacerātes percipiuntur circum ipsum ventriculi os, quoniam membranosum est, & neruis crebris refertum. Dolores verò ex tensione maiores, quam ex aliqua qualitate actiua fieri compertum esse cuique potest, vt etiam ex erosione subtilitatem cuius rationis, hic non est tempus attingendi. Quod verò ex ore ventriculi caput facile afficiatur, ignotum non est, quomodo autem id habeat, Galenus rectè docet multis in locis, quod scilicet malū per neruos capiti communicatur, siue sola calida vis, aut frigida, siue humor etiam cum eis in cerebrū, aut membranas perueniat.

Fit verò, vt cum cerebri corpus calorem sentit, furorem concipiat, atque mentis vehementiorem agitationem, variam, & inconstantem. Cum frigus accipit memoriam amittat, & in stulticiam labatur, quam μώρωσιν Galenus appellat, quod frigus, si cum humore iungatur, somnum maximum affert, & morbosum. Hic animaduertimus leuem insaniam, quæ solum mortem in vicino esse metuat, multum verò sensum commotionis in capite, vt extendi, vt sublime ferri, & circumuolui sibi caput videatur, quod non tam calori est tribuendum, quam spiritui flatuoso capiti illato, ac, cum caput doleat, ad membranas quoque illum pertinere tenendum est, quare per neruos nō solum humoris qualitas, sed humorem quoque in caput inferri credendum. Qualitatem verò non admodum calidam esse, quoniam insania furores præ se ferret, neque frigus, at vim quandam animo inimicam, qualem solet humor melancholicus habere, vt eius molestiam æger explicare nesciat, quamquàm admodum laboret, quæ maximè per neruos solent cōmunicari, quæ propterea neque sitim affert, neque cibi cupiditatem augeat. Hæc itaque est morbi, & causarum illius natura emouenda, discutiendaque. Humor melancholicus detrahendus, viæ, & meatus omninò impedimento expediendi, firmitatis, concretisque corporibus, & humoribus incidendis, & abstergendis, extrudendisque ore ventriculi firmando, & visceribus in meliorem & naturalem qualitatum complexionem reuocandis, neam-

ne amplius tantum melancholici ſucci generent; quæ, vt certis, imò ex morbi partibus agenda oſtenduntur, atque à natura corporis moderantur, ita ex illis vtrum agi poſſint non declarantur, quemadmodum ſi cætera inſpectentur, quod Galeni verbis dicam. ἡ γὰρ τοῦ νοσήματος ἰδέα τὸν τρόπον ἐνδείκνυται μόνον τῆς ἐπανορθώσεως· εἰ δὲ ἀδύνατον ἐστὶν, ἢ δυνατὸν οὐκ ἔτι συνενδείκνυται, λαμβάνεται γὰρ ἐν ἁπάσαις ταῖς ποιητικαῖς τέχναις τὸ τοιοῦτον οὐκ ἐκ τῆς ἐννοίας τῶν γενησομένων πραγμάτων ἀλλ' ἐκ τῆς δυνάμεώς τε, καὶ ἀδυναμίας τοῦ δημιουργοῦντος αἰτίου, καὶ προσέτι τῆς κατὰ τὴν ὕλην εὐπορίας τε καὶ ἀπορίας, τὰ γοῦν αὐτὰ πράγματα τοῖς μὲν ἀδύνατα, τοῖς δὲ δυνατὰ καθίσταται, καὶ καθ' ἕτερον μὲν καιρὸν ἀδύνατα, καθ' ἕτερον δὲ δυνατά· αἴτιον γοῦν ἐστι τῶν περὶ τὸ σῶμα γινομένων ἐπ' ἀγαθῷ φύσις τε καὶ ἰατρός, ἀλλά τινα μὲν τῇ φύσει τινὰ δὲ τοῖς ἰατροῖς, ἐστιν ἀδύνατα, quod rurſus diuiditur, nam vel nunquam, aut Medico, aut naturæ facultas agendi eſt, vel quandoque. Si itaque nos hic naturæ vires ſpectemus, cum integritatem ex corporis habitu præ ſe ferant, non videtur deſperandum, quin ſe ſe poſſit recuperare, quamuis malum ei naturæ familiare, & ideo valde inſitum dignoſcatur. Aetas quoque bona, & iuuenis idē confirmat, quamuis difficultatem id agendi longitudo, pertinaciaque contra omnia remedia, & naturæ in id propenſio deſignent.

Materia quidem remediorum difficilis comparatu non eſt, quare prædici poteſt morbum quidem eſſe ſanabilem, ſed longo tempore egere, vt diſcutiatur, tum accurata vitæ ratione, ac Medicorum opera. Materia remediorum iam ſupereſt exponenda, in qua miſſionem ſanguinis repetendam numerarē, primo in dextro deinde in ſiniſtro faciendam. Poſtea medicamenta, quæ quidem, ſi vim detrahendi humores habebunt, mihi lenioris generis placebunt, ne à toto venarum genere in medij inteſtini venas materia violentius adducatur ibi facile tractuta moram, & hæſitura, quo cauſa mali ſic augeatur, quare mediocrium virium illa deligerem.

Sin abſtergendi tantum, viſceraque expurgandi incidendo habeant, valentioris illa generis eſſe vellem, quare rhabarbarum, quod vtrumque præſtaret, & epithymum ego probarem, quibus aliquid ſenæ adiungerem, ex quibus vtrumque auxilij genus acciperem. Oximel verò vt idoneum, ſic neque mulieri metuendum crederem, ſi eſſet compoſitum ex ijs, quæ ad viſcera ſpectant firmanda, quęque ijs abſtergendis ſunt accommodata, vt abſinthium, cuſcuta, cetrach, triſſago, chamæpytis marrubium, & multis nominibus Meliſſa, tum etiam ſcilla, atque omne genus radicum vulgo ad hęc celebratarum.

Præcipua verò laus tribueretur à me fœculæ exuſtæ, & poſtea in aquam liquatæ, & ſucco etiam iridis radicis, ſi aptè compararentur, nam, quando ſena alijs medicamentis adiungeretur, tunc fæcula eſſet valdè opportuna, quoniam & mirum in modum abſtergit, & ſenæ vim auget, parum enim abeſt, quin exulceret exterius adhibita, quod abſtergendi viribus Galenus attribuit. Idem facit iridis ſuccus, qui pituitam abſtergendo vehementer expurgat. Cum his ego ſerum caprinum opportuno tempore darem cui illa expurgantia adiungerem. Accommodatum enim eſt cum melancholico ſucco educendo, tum longis purgationibus faciendis, tum verò ventriculis, qui fortiora medicamenta non ferunt, & magnis expurgationibus ſupponēdi ſunt, quod ſi temporis ratione non poſſit comparari, præſto erit facile ius galli antiqui, ex quo eandem abſtergendi vim augere poſſumus, quę princeps requiritur firmandorum viſcerum facultate ſecundo loco quæſita ſatis ex dictis medicamentis ſuppetenda. Quæ & longi tēporis egent, & accommodato ordine, qui à Medico aſſiſtente erit pro tempore inſtituendus. De ſcobe chalybis etiam dixerim, quod valentiſſima eſt maximè cum melle roſaceo, & rhabarbaro data.

Ad Calculum.

℞. Folior. ſcolopendriæ.
Capillor. Veneris.
Vmbilici Veneris an. m. 1.
Cort. rad. lauri }
Rad. petroſelini. } an. ℥. s.
Sem. maluæ }
milij Solis. } an. ʒ. 3.
Bulliant in aq. com. ſ. a.

℞. Sem. milij Solis. ʒ. 6.
Dauci }
aniſi }
citri }
petroſelini } an. ʒ. 3.
Myrrhæ el. }
Bdellij }
Baccar lauri }
Cinamomi } an. ʒ. 2.
Spicæ. }
Capillor. Veneris. }
Saxifragiæ } an. ʒ. 1.
Fol. agni caſti }
Sangunis hircini.
Lapid. Iudaici }
Lapid. ſpongiæ. }
Oculor. Cancri } an. ʒ. 2. s.
Vitri vſti. }
Arment. lepor.

Pulueriſentur omnia ſubtiliter, & cū oximellis ſquillit. ſ. q. f. electuar. ſ. a. cap. ʒ. 2. In auror. pro diebus 30.

De victus ratione, & curatione pro lienoſo D. Iacobi Schiop.

CONSVLTATIO XLII.

Magnifice Vir.

DVm tua dominatio hac lienis obſtructione tenebitur, nihilque aliud incidat, quo victus rationem mutare cogatur, hunc viuendi modum ſeruare non grauetur. In cœlo aridiori, tenui, & calido degat, & cum tale non fuerit, ſuppleat ignibus, veſtimentis, & altiori habitatione. Cibo vtatur è pane benè fermētato, benè cocto, potius recenter facto, neq; curet, ſi è ſiligine, & candidior, ſed potius è ſimilagine, & ſordidior dimiſſo omni panis genere compoſito cum ouis, butyro, aut alijs rebus, dimittat alioquin oīa genera eduliorū, quę è farina ſeu paſta confecta, imò ſi panis malè coctus erit, ſola crusta veſcatur. Vino vtatur tenui, minimè dulci minus tamē acerbo, aut immaturo, potius quidem acerbo, quam dulci, potius albo, quàm nigro, ſaltem rubro duro. Pulmentis vtatur, è beta, herba fœniculi, boragine, bugloſſo, cymis braſſicæ, lupulis ruſco, olus hiſpanum ſeu ſpinacium dictum ego aſpernarer propter flatum nimium vt rapum propter craſſum humorem, ac napum quoque quorum tamen iuribus vterer.

Iuribus quoque braſſicæ, capitatæ etiam illius, omniumq; leguminum potiſſimum cicerum arietinorum cum rore marino, ſatureia, amaraco, ſaluia, & ſimilibus. Far non comedat, niſi coctura admodum liquefactum, & acero conditum, aut limonum ſucco, aut alio eius generis. Orizam autem viter, legumina omnia, in quibus etiam eanicum haberem, niſi multa coctura in optimo iure liquefactum.

Si hordeum placebit, cum aromatibus, & præſertim pipere, condiat. Pulmentum ex amygdalis erit vtile, & ſeminibus melonum, è phyſticis etiam ſi fiat, & luteis ouorum, modo ne nimis concretum ſit, & aceto, aut limonum ſucco confectum.

Intinctus etiam opportuni erunt, ſi fiant ex aromatibus;

ribus,aceto amygdalis,& acetosa,mentha,atque petroselino. Succus cerasorum acidorum saccharo,& aromatibus conditus. Sapa,si cum aceto mixta sit, vt etiā vuæ succus,ex saccharo conditus. Acetaria quoque huic affectui apta erunt ex cappatibus,cæpis,ruscis, lupulis,asparagis potius incultis,nam culti pleniores humore sunt,et in ventre æstuant; ac corrumpuntur, ita ventriculo,& intestinis infesti sunt,radices raphani,cicorei,ipsumque cicoreum. Tenera etiā cępe,et allium cruda. Cinara etiā primis mensis edenda esset exiguo oleo cocta, aut, si tenera sit etiam cruda,sed hæc mensa posttema. Herbæ quoque idoneæ erunt,vt acetosa,melissa,eruca,dracoditus;crithmum. Alienum autem rapum erit nisi vis tantum illius accipiatur,quod vrinas maximè mouet,& humores fundit,Napi melius facient,& rapunculi ex aceto post coctionem conditi, quamquàm rapūculi modo parco,& crudi edi possunt,pastinaca,petroselinum, caractæ,etiam dictæ utiles esse poterunt,potius autem oximelle conditi,quam aceto deberent,vt omnia acetaria cocta,aut sapa,& aceto. In prima mensa quoque salitæ res opportunæ erunt,sed exiguo modo,quo condimenta, & medicamenta in cibis sumi solent. Vel si carnes, aut pisces sint,præsertim sardæ patuæ, piscibus pinguioribus vitatis,illud ὠοταρικὸν, quod cauegiaro dicitur vulgo loco salitę escę erit numerandum cum aceto potius,quàm aurantiorum succo,cum hoc potius, quàm limenum,sumendum. De carnoso genere iecora fugiat, nisi lactentis vituli,aut suis sint,nisi gallinacea,quę tenera tantum etiam ratione coctionis sumenda sunt,intestina penitus vitanda,& cerebra,lac pariter,ac caseus. Oua,nisi recētia,& tenera albuginibus reiectis sumi poterunt, maximè sale,aut saccharo condita, vel etiam iure dissoluta, cum cinamomo,& succo limonis,aut aurantij mali,aut punici,vel eorum loco ex aceto. Grauiorum animantiū carnes minus aptæ sunt,vetustiorum etiam pessimę. Inter ea,quæ alis etiam fidunt,anser nihil boni præter alas præstabit,ex anatib. rara esca sit,& nisi ex erraticis. De minutioribus voluctibus iuniores delgendę sunt,vt etiā de gallinaceis de fasianis,perdicibus,externisque dictis, & attagenis,atque de his mōtanis coturnis vocatis, maximè verò de Indicis pauonib. pulli tantum admittantur. De leporino,& cuniculorum genere teneræ admodū ætatis sumantur,atque etiā rarenter. De suillo genere tantum trunculi, & petioli sumendi ex aceto cōditi, & sale. Vitulus paruus sit, & raro in vsum veniat potius fæminini generis,& benè coctus. Pisces maiores dimittantur,& anguillæ,ac tinchæ. Coquantur,verò maximè frixura in oleo,& deinde aliquo liquore,vt uino, vel punicorū succo,vel amigdalarum emulsione diluātur,coquātur venæ etiā ex vite alba,aut simili. Cochleæ minus aptæ sunt,nisi raro,& iure albo sumantur,& cū aromatibus. Ostreæ,quò molliores, eò erunt minus graues,sed raro adhibendæ. Iura eorum tamen utilia erunt. Cōchilia reliqua durioris carnis sunt, ita dimittenda,ut ēt cancri. Fungi omues,& tubera fugienda. De his,quæ posttema mensa sumi solent,ego pauca habeo in animo, quæ probem,parcè certe sumenda sunt,vt cydoniatū,probatem verò,maxime si cum aceto factum sit ad Gal. præscriptum, aut modo simili, vt essent pyra quoque cocta ex saccharo,& caryophillis. Caricę potius prima mensa capiendæ,& incisæ,atq; aceto maceratæ, reliquæ recentes in prima mensa benè maturæ,& parcè sumptæ. Oliuæ quoque in prima mensa,& parcè sumi deberent. Sic amygdalæ præsertim minus dulces,& phistica.

Sed cibum ne sumat crudo ventriculo, non subito à cibo decumbat, minimeque interdiu duas cum minimum horas inter cibum,& somnum interponat, neque è cubili surgat,donec concoxerit. Post concoctione ieiuno ventriculo se exerceat,sine tamen multo labore,agat verò exercitationem, pro vt vires auctæ esse ab vsu exercitationis videbuntur, idque non solum vehemētiæ ratione,sed spatij. A cibo neque corporis,neq; animi labori se committat,à tristitia quidem semper caueat, atque etiam ab ira,procuret,vt quotidie aluus,& urina re-

A spondeat. In vsum alui catapotijs ex aloe vti poterit, atque in eum,vt tentetur hæmorrhoidum apertio,quæ, si cum difficultate id recipiant, hirudinibus adiuuandæ sunt. Quoniam autem vsus aloe cum huius rei causa,sū, quoniam arefacit,non semper erit expetēdus, vti in eius loco rhabarbaro poterit,aut per catapotiū, aut per masticationem, vel catapotijs de tribus cum rhabarbaro, eo modo,qui ad aluum mouendam sit satis, atque vt aloe vesperi,sic rhabarbarū mane commodè capietur,vt dicta quoque catapotia; De eo verò,quod tēporib. purgationum quæri posset, nihil ego certo possum definire ob ea,quæ multa,& varia possunt incidere, quæ à corporis mutatione eueniunt,id tantum communiter dicam, quod ea vitare debet, quæ valentius purgant, nisi verò faciliorum vsu corpus paratum sit,& appatantibus medicamentis diu tractatū,illa admittat. Vere porrò lactis B serum in purgatione accipiat capræ quidem præcipuè, quod oximelite purgatum sit,& squillitico etiā, ad eam verò sumat copiam,quā ventriculus patiatur maximam ad tres nimirum,aut quatuor libras,quod,nisi aluū moueat,& minimè facile descendat, ei mel rosaceum solutiuum etiam ingeratur, idque tertio, aut quarto quoque die duarum, aut triū vnciarum. Hæ potiones ad 15. dies sumi poterunt. Sed,quo lien maximè repurget,incoquendum erit epythymum,thymumque, immiscendus succus fumiterræ spica etiam adiecta,& toto eo tempore ter saltem,aut quater folia senæ. Post hæc ad inūctiones descendere poterit,atque ad cataplasmata,& empla stra, quæ lieni scribi solent. Exempli gratia ex oleo de capparibus, laurinoque ex ammoniaco cum aceto para C to,cū pulpa è coctis radicibus filicis, ex herbis asplenio, lonchytide,folijs capparorū,cucumere sylues tri, cyclamino,rhaphano, & alijs eiusmodi, quorum numeratio nimis longa videretur. Sunt hoc tempore olea chymica valentissima ad exsiccandū,vt ex succino, ex mastiche, atque etiam ex aromatibus, sed docto Medico hæc quoque nimia scriptura fuerit,& tibi satis esse videri debet, præsertim,quod coram sæpè de his loquutus sum. Diligenter valetudinem tuam cura. Veronæ 12. Calend. Februarij Anno 1578.

Is ætate iam inclinante à uetusto hoc morbo adeò liber euasit, vt nunquam amplius in vita eum senserit,ac post multos annos alui lōgo profluuio extinctus est, quò descenderet humor eiusmodi ac si puluis laterum ruber cum aqua commixtus, quo morbo etiam eius filius in-D terierat.

De morbo gallico.

CONSVLTATIO XLIII.

Excellentissime Vir.

Rogatus ab ipso ægroto ego paucis cōsilium meum de eius curatione tecum cōmunicabo. Adolescēs est,& bonæ tēperiei,robustique corporis. In glāde vlcus habet,in capite pustulas exulceratas continēter erūpentes,in humeris dolores,ex quibus omnib. coniunctim intelligi potest,vitium iam ad venas maiores,& iecur per-E uenisse,propterea in curandi ratione, quæ cuique Medico satis nota esse potest admonere usum guaiaci nullo pacto esse prætereundū,& eius quidem simplicis,cū hic nullam intemperiem videamus, eo enim post diligētem purgationem exhibendo totum genus venosum per sudores expurgabitur, non solum ab ijs quæ in cauo venarum sunt,sed ijs quæ in membranis sub hoc morbo adhætescere cōsueuere,ijs etiam quæ extra uenas sunt, vbi recrementum utilis,& vltimi alimenti vitium primo,occupat,cum eo quod viscera omnia ab omni materia obsidente liberabuntur, ꝙ maxima incidendi, penetrādi, & abstergēdi ui facit,et ea quæ per sudores extrorsū materiā mouet. Bis die darē bis sudore uacare velle,intraq; eā abstinentiā continerē, vt, cū pane biscoto,aut crusta semel cocti nil præter amygdalas, & passulas acciperet.

Neque verendum, quo in aliquorum opinionem venit, inutiles passulus esse, quoniam humidi generis sunt, nam omnino tamen corpus nutriendum est; succo autem suo alimentũ tenue exhibent, & minimè mali glutinis, quin sit eiusmodi, cuiusmodi prisana est, & ouorũ lutea; dulcedine autem sua facile in iecur penetrat, & absterſionem aliquam affert, qua maximè sub hoc morbo opus esse certum est. Neque video, quomodo humidum genus habeant sub tanta dulcedine valdè superans. Habent verò contra acinos sicca, & astringente vi preditos, vt ventriculi robori maximè proficere posse videatur, quæ nisi aluo molli seruandæ satisfuerint, clysteres erunt adhibendi, atque ex eodem guaiaci iure potiones in mensa nullas alias permitterem, quam ex guaiaco. Et quoniam semper aliquid crassioris humoris in ventriculo, & iecore, aut etiam venis maioribus congeritur, catapotiorum ei aliquid darem octauo quoq; die, vt de fumoterra, vel codriarum. Expertus certè sum ea, quæ dicuntur de nitro Alexandri maximè proficere, & tuta esse. Sin catapotia aspernetur, macerentur saltem senæ folia in potione matutina tota nocte, quoniam sena videtur propriè gallico facere, & vidi quendam ex solo senæ vsu conualuisse, quo verò die a sudoribus abstineat, etsi potionem bis eodẽ die sumere debet. Vsus harum potionum eo vsque producatur, donec casus omnes extincti fuerint, cum supradicti, tum si qui etiam postea superuenerint.

Ad extremum potionum tempus, & casubus extinctis caput demum lauetur ijs, quæ halitus mali vitiũ fortè impressum consumant, vt lixiuio ex radicibus nardinum, abrotano, saluia, betonica, asaro, adiectis etiam rosis. Quod est consilium meum. Reliquum est, vt valeas, meque ames. Dat. Veronæ 9. Calend. Febr. anno 1579.

De vomitu continenter facto.

CONSVLTATIO XLIII.

Cibum euomit non confertim, sed, vbi cæpit, eum paulatim tota die, & nocte per eructationes emittit, superioribus quidem diebus crudum penitus, & minimè muratum, vidisse enim panem, aut pultem ex eo factam, & vinum, quę hesterno die vesperi sumpsisset in cœna, sequenti mane reddi vomitu integrã, & propriã speciem retinentia. Nunc verò aliquid mutationis referunt, aluus interea nunquam descẽdit, nisi perquam rarissimè, & artis opera, ferè tamen etiam a medicamento nihil secum deducitur, sed solum humor serosus, ac liquidus descendit, nam semel tantum per hieram parũ fæcum deductum fuit, vt omnis cibi materia per os reuolui videatur superioribus quidẽ diebus penitus cruda, nunc autem aliquantum mutata, quo facias tu superiorum dierum casum lienteriæ respondentẽ, qui verò nũc est, cœliacæ affectioni. Qui.n. veteri ventris vitio tenentur, si cibum nihil penitus mutatum deijciant, antiquis Medicis lienterici vocantur, qui verò aliquantulum mutatum cœliaci, quasi ventrales. Hic Aristotelis methodum imitando primo constituendum est, quidnã symptoma hoc sit, deinde ex eo natura morbi perspicienda. Actio expultricis, & retentricis, atque ẽt concoctricis læsa apparet, nam & expellit importunè, & continet debiliter, atque, quod continet ẽt vsque ad 12. vel 14. horarũ spatium, quamquã id exiguum restet, crudius tamen, seu non bene coctum eijcitur. Expultricis verò, & retentricis vitium augetur eo, quod per partem contrariã operæ suæ deprauationem ostendunt, per os expellendo, quod continere deberet, & pyloro continendo, per quẽ expellere. Actiones læduntur interdum facultate integra manente ob causam externam, vt cum aut nimius, aut nequaquam ad concoquendum idoneus cibus sumitur, is enim facultati etiam valenti resistit, & crudus remanet, sic concoctio læditur, quæ est facultatis actio facultate integra manente.

A Interdum autem facultas ipsa læsa est causa læsæ actionis, hæc prior læsio, quæ solius actionis est, morbum non indicat, posterior actionis læsio quæ læsionem facultatis sequitur morbum indicat, quem sui causam habet qui nil aliud reipsa sit, quàm ipsius facultatis læsio, fortè nomine, & ratione aliqua distinguatur, sed certè nõ re. Expultrix sæpissimè actionem suam vitiatam habet, nõ sua, sed aliena causa; ferè enim videmus eam insolẽtius, & immoderatius agere ob materiam corruptam, quam certè expellere debet, & expellẽdo sui muneris partes sustinet, quãuis crebrius expulsio facta visiosa actio videatur, quod etiam de retentrice dicendum est, verè enim continere debet tantum, quæ vtilia sunt inutilia autem dimittere expultrici, cum ergo hæc corruptas materias non continet, id vitium facultatis non est, actio tamen B continẽdi imbecilla, aut delecta videatur, & à Medicis talis habetur. Hoc loco certissimam facultatis cõcoctricis, ne dum actionis eius læsionem videmus, quoniã aliqua cibi concoctu facilis pars iusto spatio in ventriculis reliqua facta à vomitu tamen tandem non cocta reijcitur. Expultricis facultatis læsio nõ adeò certa est. minus contentricis, propterea quod materiæ causa id esse posset læsionis in actione amborum, qua re de hoc videndum est. Flatus ructum cõtinenter facientes ipsi in causa huius vomitus videntur, qui paulatim, & tota die, ac nocte fit, ideoque flatus in coctionem læsam referũtur, in quos retentionis quoque læsio refertur, possunt igitur, non solum expulsionem ciere, & retentionem prohibere, sed expulsionem per os ventriculi cientes eam, *a* quæ per portam inferiorem fieri deberet, impedire. Fla- C tibus tamen solis tanta vis tribuenda non videtur, tantorum malorum causa, qua & ante tempus, & paulatim cibus reijciatur, & ipse cibus reiectionẽ mouens aliqua causa per superiora potius, quàm per inferiora eum moueat. Certè id non tantum cibi, sed facultatum quoque vitio dandum est. Cibi uitium propriũ, tam citum fieri nõ potest, vt proximè sumptus irritet, ita uitiũ ipsum ab aliquo humore in ventriculo considente est, cuius mixtione etiam, antequã ab eo vitietur cibus ventriculi ori molestus fiat, dum illum humorem attollit forte suo flatu leuiorem, & supernatantem, ab eo verò etiam postea vitium accipiat, & ipse cibus irritet ventriculum ad sui vomitionem. Facultatum autem vitium proximè infert oris ventriculi solutionem, seu laxitatem, & infernæ por- D tæ duritiem, quæ ambæ res quamquàm solæ huius mali causa non sunt, cum alijs tamen coniunctę eius speciem efficiunt. Sicuti etiam pyloro vno obdurato, aut etiam penitus occluso cibus tandem vomeretur postquam, vsque ad perfectam sui coctionem deuenisset, nunc autem vix sumptus initium facit suæ vomitionis, resolutio ergo etiam ventriculi, nedum oris illius adest. Quid verò prohibet, quin totum cibum cõfertim eijciat? cum videam tantam ventriculi facultatum omnium infirmitatem, ego facile credo etiam expultricem infirmã esse, & impediri, neque totũ ventriculum se se confestim posse cõtrahere, constringereque ad expulsionem infestæ rei, prę terea verò retentricẽ non posse cibum continere, eoque nimis grauari, atq; cũ uia portæ inferioris facilis nõ sit, in laxum os superius cibum facile elabi, neque.n. porta E inferior dicta, tam inferno situ posita est, quin fere os superius exæquet, & ascensu egeat liquor, si uelit ad intestina ferri. Itaq; facilius per laxũ os superius, quã per duram portã elabi, dum ventriculus contrahitur ad onus sibi molestum eijciendum. Tãta ergo harũ facultatum infirmitate fit, vt paulatim cibus exeat, ac, sicuti, cũ per portam delabitur hyenteriam parit, & paulatim è ventriculo exit, non totus subitò, sic nũc supra exiens paulatim id facit, forsan ẽt illæ partes eius priores eliduntur, quæ prius ad aliquod molestum genus à calore ventriculi non victa perducuntur, & cum particulatim omnes subinde eo perueniant molestiæ, ideò particulatim irritent, & eijciantur. Perspectum itaque est, coctionem, coctricemque facultatem læsas esse, sub quarum læsione materia semper vitium concipit, neque obstat,

quod

quod illud exiguum fæcis à vobis visum coctionis perfectæ speciem haberet, quoniam & exiguum fuit, imbecillimaque facultate deuinci potuit, & sua exiguitate eã coctionem, quam a ventriculo non potuisset, ab intestinis esset consequutum. Videamus paulum vitiorum, quę ex imperfecta concoctione possunt euenire. Concoquendi vis in animante cum elixationis speciem referat, ab humido calore fit, qui calor si iustum sui temperamentum tenuerit, optimam coctionem molitur, si acrior fuerit, cibum torret, & ni is restiterit in fumosam materiam vertit, resistunt autem cibi crassioris, & frigidioris generis, qui propterea ijs dandi sunt, qui imbecillo ob calorẽ acriorem ventriculo fuerint, melius enim crassiora, & grauiora concoquunt, vt renuia in fumosum genus vertunt. Sin remissus nimis calor sit, minime cibũ mutat, si minus remissus, minus abest ab officio, & mutat omninò, at parum. Cum ergo cibus afficitur, & nõ penitus mutatur, ipse a suo naturæ statu dimouetur, & infirmi generis fit, & facile in peius genus delabitur dum in loco alioquin calido, & humido est ipse humidus, illeque calor ei alienus est, à quo non vincitur, sic in corruptionem agi necesse est. Sic acceptum in cibo leue mutationis initium in corruptionẽ exitu suo peruenit. Superans enim perfectũ calor in materia propriũ futuri mixti, & humoris calorem excitat, quo materia comprehẽsa ad eius generationis perfectionẽ perducitur, & eius humoris speciem perfectam subit, sub qua eo suo proprio concepto calore continetur. Non superans autem calor, & non perfectè materiam mutans, materiæ suum genus retinenti alienus fit, agenti nãque calori illa dissimilis manet, sic calot materiam imbecillam à se sua actione factam facilè putrefacit, qua putrefactione in varias, & alienas longè species ab agentis genere, materiæ concoquendæ delabuntur, sic sæpè acidum saporem, sæpius fumosum, torrefactæque rei præ se ferunt, & sitim pariũt. Ita fit vt non semper caloris insignis sapores caloris proprij notæ sint, sæpè verò potius corruptionis, quæ, vt à caloris aliquo momento cępit, sic putredine augetur, & acrius genus præ se fert. Hic modo in casu nostro res cõcoctu facillimæ eduntur, corruptuque in eo genere difficillimæ, eapropter, quamquã imbecillimo calore vix mutati queãt, nitegram tamen sui speciem ferè retinent aut certè parum mutatam, sub cuius mutationis initio ob dictam causam malum genus acquirunt, ac vt particulatim acquirunt, sic ori ventriculi morsum afferunt, & paulatim eijciũtur. Ori verò magis infestæ, quoniam & vẽtriculo in altera parte duriori facto in os reuoluuntur, & initio putredinis facto leuiores euadunt, & flatu concepto in sublime efferuntur, & quamquam os inferius dictum ferè exæquet id quod superius dictũ est, neque hoc sine magna naturæ prouidentia, quo prius cocta prius delabantur, cum leuiora per coctionẽ euadant tamen duritas eius partis renititur, & in superius os regerit. Contentricis imbecillis notæ aliæ existunt, in quib. sunt ventriculi sonitus ab antiquis κλύδωνες dicti, & eructuationes narratæ. Sic contentricem, retentricẽ, & expultricem læsam habemus. Restat, vt, quibus morbis id fiat, videamus. Certè cruditas ventriculi fere ab intẽperie frigida est, neque nos hic aliud signum videmus, calida namque magis cibos corrumperet, citiusque permutaret. Hanc intemperiem cum materia crassa esse durities intellecta in inferiori ventriculi parte significat, & tensio illa, ac tumentia, quamquàm non dura admodũ, quæ ab imis dextris costis ad vmbilicũ vergit, quasi duodeni intestini cursum teneat, quod non solum materiam, sed locum, quem eã occupat, nobis declarat, nam dextram ventriculi partem tenet, quę cum inferiori porta, & duodeno continetur. Infarctas ergo esse eas membranas, atque etiam nutritas malè ab aliquo crasso humore putandum est, & eo quidem frigido, non penitus tamen humido, quoniam spatio etiã pituita exsiccatur, quoniam illud alimentum sensim arefit. Vidi ego vesicas vrinæ hoc pacto ctassas, & duras factas, quarũ membranæ malo alimento grauatæ occaluerunt, quod genus tumoris refert Cor; Celsus lib. 7. cap. 18. loco a correctoribus non intellecto, & peruerso, vt in multis alijs videre est propter recentiorum sciolorum arrogantiam vidi ventriculos, & ob id sua munera obire non posse, possumus hoc pacto dicere partes, seu mẽbranas intumuisse, quoniam crassiores factę sunt, tumores tamen habere circumscriptos, & collectos nequaquam, illi enim quasi apostemata sunt, hoc tumentiæ genus minimè. Eo autem frigida intemperies deuenit hoc frigido alimento, & recremento pituitoso, quod multum cum vomitibus videmus hac spirituum vacuitate, qui duritatem, & obstructiones non possunt permeare, vt cibus parum admodum longo spatio mutetur, & leuissimi generis, vt succus carnium, & expressio per ignem facta è carnibus gallinaceorum; qua tanta intemperie non solum concotrix facultas, sed aliæ quoque omnes ob magnum ventriculi a sua natura discessum ferè exsolutæ sunt, sic nec cibum continet, neque valẽter expellit, neque infra deponit, quoniam cõtracta porta est partium illarum duritie, huius pituitæ copiæ causam possum credere fuisse primum abundan ẽ humorẽ melancholicũ imum ventriculi fundum percurrentẽ diu ætate superiori in corpore hoc satis exusto, & negotijs, ac sollicitudinibus vexato, qui humor suo frigido genere ventriculũ affecerit, atque etiam spirituum commeatum prohibendo.

Sic paulatim frigido humore nutritus ventriculus, sic pituita cumulata, & tandem ventriculi membranæ obduratæ, & facultates ventriculi increscente morbo semper magis debilitatæ. Sic vomitiones consequutæ, quæ non solum pituitam efferant, sed cibum secum, vidimus siquidem nos sæpissimè cibo in ventriculum delapso solam pituitam eijci, sæpè solum vinum, quasi ventriculus id, quod molestum est in sublime rapiat, & eijciat, retineat, quod est commodum. Vomit ergo hic, quoniam pondus ferre non potest, & paulatim, vt dixi, quoniam expultrix infirma quoque ipsa est, neque vsq; ad vltimam cibi partem cessat vomere, quoniam quo diutius continuit, eò fatigatus magis est, & qui nondum fatigatus cotyle cibi potest, is fatigatus cyathum nõ potest continere, eo verò minus quod cibus aliquam corruptionem subire spatio cogitur, vt supra proponebam. Sitis adest tum quoniam humor euomitur, & labor vomendi os ventriculi, ventriculumque sugit, tum quoniam pituita in obstructionibus in membranis condita comprehenso calore salsa fit, & quãdam etiam febriculam facit, quæ continenter hominem habet. His iam videor mala omnia huius viri amplexa esse, quæ præsentia sunt, quo autẽ progressura sint, facilè quisque potest ex his videre. Nam primo magnus morbus est, vires verò imbecillæ, ille magnus non solum natura sua, nimirum intemperiei copia, & duritie humoris, multitudine, & firmitate obstructionum, vetustateque iã occalescens sed magnus quoque est ob necessitatem partis, quam occupat, hoc est ventriculi, tum autem facultatis. Potius ergo a trophia, seu nutritionis defectus expectãdus, & marasmus ex ea febricula metuendus, quam salus sperãda sit. Et quamquàm morbus hactenus tardas progressiones fecęrit, ab hinc tamen celerior futurus videtur cum sui, tum virium ratione, credo verò quod citius hominem morbus tolleret, nisi senex esset, nam calor nõ tam consumit, quam, si iunior esset. Sed quid nostri muneris esse credis in hac re? Morbi partes ipsæ ostendunt agenda, & eorum ordinem. Nam pituita primum demedio se se tollendam esse indicat, quæ in ventriculi cauitate versatur, deinde materia, quæ tumidas, durasque ventriculi membranas facit, tertia intẽperies frigida. Pituita namque aliorum parrus quidem est, tamen eorum impendit remotionem, & conseruationem tenet, sub quibus procurandis tonus ventriculi tanquam partis publicum opus tractantis seruendus est. Quæ profectò à nobis prestari non potetunt, dimitti tamen eorum procuratio non debet, & quo ad fieri potest vita sustinenda est.

Hieræ potio pituitæ demendæ idonea est, tamē cum aliquo eius asperitatem leniente coniungenda, vt Aloe cassiæ, Diapranon simplici Manna, & melle rosaceo so lutiuo. Bolo acceptam hieram cum lenitiuo etiam dubi tatem magis molestã, & minus solutiuã. Oximelle qui-dem humor prius parandus, atque rosaceo syrupo. Ven triculo exonerato ad molliendam eius partē deuenien-dum, & deobstruendam, tumoreque eius absumēdum quod eximelle, q; syrupo de corticib. citri fiet, ac melle rosaceo syrupo de cicoreo. Nicoli cum rhabarb. Aceto so adiecto syrupo de eupatorio, acetoso diarrhodon. hie ra cum agarico non dixerim pilulas de Hiera cũ Aque-rico, qnia nimis multam Aloem habent pilulis de tribus cũ rhabarbato, terebinthina, laricina, abietina, iure ocu lorum abiectis, iure salsæ pariliæ, chinę, adiecta portione guaiaci ad robur ventriculo conciliandũ, adiecta spica ad idem, & discussionem iuuandã; Interdum etiam sy-rupo de mentha, quo vomitio inhibeatur cũ tuto id fie-ri posse ex euentubus intelligetur, nimirum cũ cibus mi nus vitij contrahere videbitur in ventriculo manēs. Dis solutioni tumoris apta erunt gummata, vt bdellium, sa-gapenum, myrrha, atque ammoniacũ, tum vero ipsum ladanum, nec non etiã mastiche. Maximè verò aptum illud erit, quod durum satis ex Tholu affertur sub balsa mi nomine gustu ferè genus nullum habens saporis. Va lentior verò erit resina illa, quæ ex eodem loco afferri di citur sub nomine balsami pariter colore succini, quæ sa porem eum habet, ac si ex terebinthina cypria & absin thij exigua portione esset cōposita. Valentius esset illud balsamũ vulgarius, quod ex Hispanijs fertur, illuc ex In dia allatum colore, et odore stactis myrrhæ, aut styracis etiam acriori sapore, ac feruentius, ac si exustione esset comparatum. Verum per os non facile darem ea, quę so lent ventriculis affectis dari, & maximè obstructis, vt a-cetum squilliticum etiam melle conditũ, vel diatrion pi pereon ego non audenter admodũ, aut assiduè adhibe-rem, ne magis arefacerem, quam emollirē, neue permo-tis humorib. non exolutis febrem maiorem cierem. Mi nus absinthij vsum admodũ probarē, nisi minores par tes haberet cum emollientibus sumptum, quoniam pa-rietibus ventriculi humorem absumeret, intusque com-pingēdo duritiem magis firmaret chinam quidē malim in potionibus decoquere. Interius illa dari mihi satis superque viderentur, neque facile ad thermas patauinas eum mitterem eadē, qua dixi, ratione suasus, squallorem .n. potius, quam mollitiem afferrent, quod alias vidi, & qui salsæ pariliæ potionib. meliusculus esset factus, aquis postea thermalibus in peius delapsus est, quod non solũ in ventriculis, sed in vteris quoque affectis obseruaui. Si post emollitionē aperiretur se occasio eis aquis, tunc tan dēipsum ad eas delegarem. Quibus nostrates Medici ea causa longè plus tribuunt, quod cęlestem calorē teneāt, qui si de calore qui tactu percipitur id dicant, ratione nō carent, si de eo, qui in facultate continetur, ego non vi-deo cur meliorem eum non habeant stirpium partes, & succi quam aquæ à cęlo identidem acceptum. Et profe-cto aquę illæ cum exiliunt, secum ferunt multum virium cœlestis caloris sub terra concepti, & plus longè possunt quàm si refrigeratæ rursus ad ignem, vel in aqua feruēte calefiant. Restant exterius admouenda aduomitũ leni-ter inhibendum, & calorem ventriculi fouendum, duri tiemque emolliendã idonea. Fotus per spōgias sunt val-dè efficaces, qui in omnes eos effectus oportuni essent, si ex vino cum aqua fierent aceto prætermisso, si absyn-thiũ, fęniculum, anethum chamæmelum spica etiam ro mana mentha, & saluia quoque incoquerentur adiecto verò ęnanthæ, vel labruscæ flore, ac rosis ad aliquod ro-bur. In quo fotu faciendo videndum erit, ne eius cōmo tione ventriculus in vomitum magis incitetur, illitionesque, aut in fotus locum sufficiendæ, aut post ipsum ha-bendæ ex oleo de spica nardi, aut Italica, cuius maxima est penetrandi vis, ex oleo absynthino, chamęmelino, et masticbino. Oleũ nucis myristicę mihi exsiccare nimis videretur, vt oleũ ex caryophillis. Emplastrũ verò etiam

A post inunctionē apponerem ex vnguento dialthæa, mastiche, ammoniaco ex aceto remollito terebinthina & cera, quo vidi senem alium ferè sexagenariũ liberatum tumore duro eatũ partium. Difficilis cibi ratio est, cum vix retinetur lutea, ergo ouorum eo libentius, & frequen tius darem quod nunquam euomisse illa vidi præsertim verò cum tanta alimenti ęgestas vētriculo sit, ea autem iure bono carnium dissoluerem, & cum cinamomo, & omphacino condirē, nunquam libēter pultem ex pane exhiberem, quoniam citæ nutritionis non est, qua citissi ma opus habemus, neque à ventriculo hoc concoquitur tardioris nunquam concoctionis, & crassioris succi est, sic etiam ferè tota euomitur, cum accepta est, succũ po-tius carnium, & iecorum pullorum, & testiũ eorundem probarem, & longè magis torculati expressum, quã igne

B quoniã ignis, quicquid præter coctionem affert exustio-nis, vel colliquationis in aliena genera a nutritione est. Lac nescio quo animo darem, nã obstipatis membranis tardę nimis coctioni, vel potius frigidissimo ventriculo, quam nocentissimum videtur. Vinum, quod potat nũc, vel nona hora, postquã accepit, adhuc ferè integrũ euo-mit, non quod partes spirituum vini tandiu resistāt, quin in omne corpus fundantur, et spiritũ alant, sed quod cor pus vini diutius calori etiam maiori resistat, præsertim cũ crassius, & valentius corpus vini est, alia.n. vina spi-ritu, alia corpore valentiora dignoscuntur, quod illa citò in ventriculo vim amittāt, hæc diu retineant, & sæpè in frigidioribus ventriculis acidum quendã feruorē acqui-rant, in calidioribus etiã sitim, & ariditatem pariant. Vi num ergo mutarē, & vellem albũ, ac tenue esse, non dul

C ce, non admodum austerum, certè maturum. At magis aptũ stomacho rubrũ, aut nigrũ est, quod vulgo stoma-chale dici consueuit, Gal. stomachale vocat nihil, quod non adstringat, quasi adstrictio stomacho conueniat, et rectè, nã stomachus est os superius ventriculi, cui nihil aptius esse videtur, quã vt rectè concludatur. Toti verò etiam ventriculo constringi commodum est, quo valen tius cibũ cōtineat, quæ certè omnia huic ventriculo ex-petenda sunt, qui continere non potest, quiq; laxiori ore suo superiori est. Tamen ego malim id vinum, quod ci-tius concoqui possit, citiusque pertrāseat in venas, & ci-tissimè nutriat, hæc enim res hic potior habenda est, prę sertim, quod omne vinum etiam album non caret sua adstrictione præsertim austerũ. Vina rubra longius spa-tium requirunt ad suam concoctionē, & traductionem

D in venas, sic nihil nocentius in hoc ventriculo, neq; vel-lem illud admodũ aquosum, nisi febris acrior sentiatur, quod cum inciderit, aqua poterit temperari. Initio men sæ præmitterem aliquid, quo flatus, tam infestus dissol-ueretur, vt modicum diatrionpiperem, aut ciminũ adeo ne arefaceret, nihil fructuum concederem, nisi pistacia, et exiguum corticis citri conditi, quod quãmquã durum ad concoquendum est, commodum tamen fuerit cum hic eius coctionē non quæramus, neq; vllam ex eo nutri tionem, verũ vt integra sua facultate aliquid in tui ope-retur, qua superata per coctionem nihil posset agere. Da rem quoque cytoniatum illud descriptum a Galeno se-nibus in 6. lib. de tuenda valetudine ad finem, quod e-tiam in medicamentis per locos recenset, fit verò ex suc co uel pulpa cytoniorum melle, aceto, & aromatibus,

E nimirum, gingibere, & albo pipere, vel etiã sine ijs, sed minuerem potius aromatum modum. A cibo quietem penitus præciperem, quæ somno alliciendo, & cibo reti-nendo, ac cōcoquendo est accommodata, vt motus in-firmæ contentrici valdè alienus est, & λυδόνες excitat, qui vna cum perturbatione continendi laborē augent, & coctionem impediunt, cibus namq; attolitur ab imò fundo, vbi maior concoquendi vis est, & in sublime ef-fertur, vbi facilius corrumpitur. Imo etiam locutio tunc omninò est prohibenda, a qua pariter gula agitata ven-triculum potest commouere. Ita pariter, & omnis ex-candescentia, omnisque sollicitudo vitanda, & con-tentio, à quibus æstus quidam mouentur, flatusq; fiunt, Clysteria non nisi summa necessitate admitterem,

nam,

nam,nisi acriores sint,à ventriculo non attrahunt,leniateque sua alioquin ventriculo laxitatem per intestina afferunt. Acres autem exsiccant, & ita hinc aluo videntur inutiles,hos tamen potiores existimarem,atq; uiribus carnium, vitellis ouorum, & sapa componerem, ac in sapa sit, iura caricarum bene tabefactarum sufficerent melle,& saccharo adiecto,interdum autem hieræ electuarium immiscerem. Sed id electuarium hieræ nimirum simplicis per os identidem propinarem, si per hæc ventriculus non det suæ nutritionis indicia poterit tentari lactis vsus, ac ne in uentriculo frigidiori aceat ego laudarem lac suctum è mulieris mamilla, quoniam sic calidum suo calore, & paulatim sumptum ante immutatum est,quam in ventriculo possit considere,& eo gi. Certè nostri corporis vis,& pariter ventriculi sic habet,vt ignis apud nos per quandã vim detentus,qui vna sui generatione continuata sustentatur,ac deficiente alimento contabescit,eapropter, vt nimio alimento opprimenda non est,sic nunquam nimis pauco extenuanda, atque,si errandum est,potius in maiorem, quam minorem copiam,quam sit necesse,errandum est, in ea certè manendum,quam, cum ventriculus labore aliquo tractet non dicam coquendo,sed cõtinendo quidem,vincere tamen potest,ab ipso namque labore victoria vires auget, sicuti in corporis exercitationibus euenire videmus.Multis quidem ego lac hoc pacto dedi,& vitã producere longius,ac minori molestia vidi,quod senib. maximè fecisse contigit. De cœli tẽperie id monebo,quod neque calida, neque frigida esse debet, ne aut exolutionem genere humido,aut refrigerationem calido afferat maiorem,quam expetatur.Ita neque admodum tenue, neque admodum crassum cœlum quæratur,atque si delectus liber non detur eiusmodi cęli,aut potestas, potius crassius petendum est.

Is non diu vixit,eodemque morbo cõsumptus est, de quo etiam altera consultatio fuit habita.

Pro matrona febricitante.

CONSVLTATIO XLV.

FEbris hæc in putredine est posita,si caloris modũ,si pulsus,si etiam vrinæ turbationes cõsideremus. Intra vasa humorem hunc corrumpi etiã dicendum, quoniam,quamuis frigora quędã senserit, illa sunt horrifica & non initio alicuius accessionis certo spatio, sed toto sæpè die vna cum calore afflixere, ita cum febre continua esse possunt;ac quamuis certum etiam secunda die spacium habuerint, tamen hoc fieri solet incipientibus etiã continuis febribus,imò malæ naturæ eas esse denotat,& ferè fit cum ad faciendas internas inflãmationes, aut erysipelata humores feruntur, quorũ febres postea malignæ sunt. Ostendit igitur continuitas sine inclinatione,aut cũ hac minus certo tẽpore facta,minusq; manifesta hanc materiã intra vasa putrefieri, ostenduntq; vrinæ turbatæ,quæ cũ sint sanguinis colamentũ,nisi humores sanguini coniuncti putrescerẽt, id turbationis ex putredine eorũ non efferret. Quo loco autem venatum putredo hæc est?quove in humore?humoris notæ ex vrinis, & alui excrementis mihi denotãt pituitæ copiã bile tamen aliqua colorẽ ruffum afferente,quæ sola luteum, aut flauum magis illum afferret. Crassitudo quoque vrinarũ pituitam necessario denotat,cui nescio quid luminis,perluciditatisve videtur inesse, qđ à bile existat. Locus putredinis infra thoracẽ à me esse iudicatur,quoniã si supra septum id esset,aliquomodo spiritus afficeretur, qui vel ex inferiorib. etiam septo subiectis partib. affici consueuit. Non dixerim,quod caput aliquam lusionem sentiret,nam vidi multas peripneumonias sub quib. nihil penitus caput pateretur, præterea stomachum affectum videmus,quod demonstrat nobis venas ei circum sistentes habere materiã putrescẽtem, aut à vicinis locis excipere,intra tunicas verò, & venas id esse ostendit fastidium sine vomitu,qui locus ad cauitatẽ iecoris omni-

A no pertinet,& potest continuas febres efficere, Natura igitur morbi, & partes causam eius continentes videntur apertæ. Febrilis calor est, putredo intra venas est in pituita,& etiam bile,stomachus quoque præcipuè ab ijs humoribus infestatur,& quadam anxietudine, & fastidio agitatur, vnde nulla quietis potestas fiat; qđ ipsum quoque vitæ periculum augeat, & ita sui remotionẽ faciendam nobis proponit. Quare materię submouendæ vacandum est primò,vt omnib.malis vna occurramus, sic enim & putredini,& vẽtriculi malo, & calori febris obsistetur. Materiæ detractio in magno morbo putredinem intra venas habente cõmode, & necessario fit per sanguinis detractionem, cuius modus genere corporis, ætate,& anni tempore,cælique statu definitur. Corporis genus sanguineum,& carnosum fuit, ætate tamen frigi-

B dius factum loco sanguinis pituitam, loco carnium pinguedinem attulit, quare ætas modum sanguinis imminuit,non omnino tollit,quoniam senectus huius viridis est,neque annum 60.excedit,ac si excederet robustũ est natura,& iuuentutem diu retinuit. Anni tempus hybernum est, tempestate tamen frigus valde imminutũ est, quare nõ impedient sanguinis missionem, neque etiam valde eam imminuent. Quid verò deligendum,cum remedium ab ætate sit moderandũ? scarificatio loco sectionis venæ adhibebitur,& cucurbitulis sanguis euocabitur,& eo modo quo Galen.solet,cum copiam vult imminuere,Nam errare illos iudico,qui eniitant cucurbitulas semper post coctionem dandas esse,& cũ natura extrorsum materiam impellit, siquidem duplex est cucurbitularum vsus,alter, qui est phlebotomiæ, & tempore,

C quo illa adhibenda est, ipsæ recipiuntur ad copiæ diminutionem,quem nunc exquirimus,alter est,cum maturatione materię facta nos à parte affecta illam uolumus exhaurire,quem nunc magnopere non quærimus. Itaq; cum Galeno,& Oribasio ad copiæ diminutionem nos illas non dorso,neque medio corpori affigamus,sed partibus potius eminentibus,nempe artubus ipsis, vt humeris,& fęmoribus,neque verò vlterius expectarem, nam quamuis quarta dies instet, tamen illã nihil operæ naturæ allaturam videmus in morbo tardi motus,qui vix primam initij sui partẽ attigit,vt urinæ ostendunt crudissimæ,& variæ. Aluus iã hesterna die ducta est, propterea non est iterum modo mouenda. Materiæ copia sic imminuta,reliqua parabitur potionibus ex syrupo acetoso atque acido citri succo,cum paulo mellis rosacei, & iu-

D re acetosæ betonicæ,cicoreæ,ac boraginis. Quæ stomacho etiam aliquid pręsidij allatura uidentur,nã materię detractio per partes eminentes à stomacho materiã abducit. Incisio verò, & detersio, quæ à syrupis afferetur materiã ex stomacho deturbabit, & ita curatio ordinabitur in eum finem,vt in dies,sicuti materiæ apparatus, et morbi tempora ostendent,consilium capiendum sit. Viuendi modus sine vino sit, nam, quàmuis stomacho aliqua adstrictione,bilisq; tẽperatione vtile esset, maius tamen malum à commotione,quam humorib. conturbatis afferret,esset metuendũ, aqua utatur potionib. in qua oxisaccharæ, aut acetosi syrupi aliquid immixtum sit,in qua etiam,si ex flatu deprehendatur ventriculum aquã non pati,aliquid coriandrorũ,aut cinamomi incoctum sit. Cibus ex pane trito,& ex iure in pultẽ,siue sor-

E bitionẽ percocto,aut ex ptisana idoneus erit, aut ex pane in iure macerato. Ex ouis nisi luteum in iure dissolutum cũ momẽto aceti darem, alioquin prorsus dimitterem. Quid verò metuendum,aut sperandum sit omninò periculũ subesse iudico,quod à corporis genere ab ætate ab anni tempore,a cęli humida constitutione etiam magis metuo,ex quib. longi morbi fiunt,& lõgitudine sua, præsertim cũ magni sunt,uires possunt superare, longus, & magnus hic morbus est,& a materia crassa natus, nutritusque. De more eius nondum dubitarem, tutus tamen morbus non est,quin ni diminutio materiæ, & elaboratio illa per syrupos eam defendat,in peiorẽ putredinem, & morem delabatur,vel in viscus aliquod influens malignam inflammationem faciat.

Excellentiss. physico, & Medico Io. Iacobo Benedicto. S. D.

CONSVLTATIO XLVI.

ACcepi tuam epistolam, ex qua cognoui, quę ex me audire velles de sudoris difficultate, de exanthematibus, ac de ammissa cibi, potionisq; cupiditate in nostro ægroto. Sudoris difficultatem ego superarē eorum ope, quæ ad id idonea sunt, & subiectis sub vestimento, & stragulo rebus calentibus initium à lateribus ignitis faciendo, aut ab aqua feruefacta vasis conclusa quales essent cucurbitæ, quæ, ni satis possint, ipsum ignē in arculo substratis haberem, donec sudor euocaretur. Arcu B lum autem sic compararem, vt contineri, ab ægroto inter crura posset, nimirum forma oblonga, nec plus lata, quàm igni habendo esset commoda, scilicet duob. pedibus longa amplitudine circūquaque in pedis vnius longitudinem potēs, esset verò aperta fronte eo, quo sursum ad ventrem ægroti spectaret, caput autem è regione oppositum superiori fronti aperto, id inquā per quod ignis inferius subijceretur, aperiri posset, & etiam claudi, vt, quando opus esset, tantummodo imponendo igni aditus fieret, clauderetur verò, vt impositi iā ignis vires sic conclusæ ab ea parte sursum ad ægrotum omnes cogerentur. Stragula verò, & vestimenta sic circumcollum aptarentur, ne ignitus halitus capiti noceret, nam certè uitarem penitus capitis calefactionem, cum ex papulis videam iam ipsum nimis affectū, ac sic non dubito mul C tum sudoris emanaturum. De exanthematibus autem, cum illa ex interna deprauatione existāt, nullam aliam curationem crederem postulare, præter illam cautionē, ne capite calefaciendo augerentur. De ijs verò, quæ pertinent ad cupiditatē cibi, aut potionis, minimè anxius essem, quoniā nihil minus potest ipse obtemperare medico tanto cibi, & potionum modo sumendo, quantum ipsi ab eo fuerit præceptum, & morbo curando, & omnia restituentur. Quod reliquum est te rogo vt me ames & bene valeas. Veronæ Idib. Februar. 1579.

De eodem cœliaco alterum consilium.

CONSVLTATIO XLVII.

SVperius consultum fuit de hoc eodem malo, ab eo tempore sic res cessit, atrophia, quæ ventriculi coctionem diminutam consequitur, iam eo progressa est, vt consilium iam ad se reuocet, tenue siquidem corpus nimis factum est, ventriculi tamen malum idem est; eademque præsidia postularet. Nam cum per stillaticiam dissolutionem carnium caponum vim maximam exprimi curatum sit, illam non ita vomitu quotidie reddebat sed quatuor, aut sex dies cum continuisset, postea tamen etsi non totam plurimam certè eam materiam euomebar, & confertim, magis, non paulatim, non ita liquidā, vt accepisset, sed glutinis temperamentum nactā, quod E maximè cruditatis, & obstructionis signū est, nam spatium quidem temporis, quo contenta est materia, fecit potestatem concoquendi partes tenuiores eius liquoris, crassioribus verò obsistentibus, & obstructione retectis materia a calore glutinis formam accepit, quoniam succi illi carnis sic a calore concreti lentorem habent. Itaque temperamento succi mutato color, tamen idē mansit ptisanæ, sed liuidior, odor verò fędus admodum tūc, cum uomeretur, qui materia manente in lance, & refrigerata euanescebat solis partibus quibusdā pinguib. putrefactis, & post uomitū dissolutis, crassis autē admodū integris manentibus, quod indicium est materiam stillaticiam, vt putrefacta, sic concoctu etiam esse difficilē.

A At aliquibus opinetur, materiam illā sic glutinosam esse humorem corporis ventriculi excolatum per tabescentiam, sed humor ille nutritiuus non potest exprimi, nisi febris ardentior id efficiat, quæ febris hic lenior multo est, quam possit hoc edere. Itaque coctricis infirmitate id fit, & ea quidem a frigore facta, quamuis occupationum viarum per crassas materias etiā acris quidam calor in viscera recurrat, & etiam in ventriculum infirmandum vim afferat.

At est præterea id noui quod exustio humoris ad obstructiones, & febrem consequuta est; qui humor, cum non habeat exitum inferius, supra refertur. Cernimus siquidem humorem exeūtem per vomitum colore fuluo, qui quotidie magis nigrescit, cuius humoris multa quoque copia detrahitur per aluum, cum aliquid rhabarbari assumit, aut clysterē ex cassia diu cōtinet. Alioquin enim alui fęces, quæ quidem rarissimè descendūt, suo colore collam ex farina imitantur, quod occupatæ sint omnes viæ, quibus humor tingens aluum solet demitti. Quod facit etiam, vt stabiliam mihi illam coniecturam subesse scilicet aliquid tumoris in partibus carū viarum, a quo & obstruantur, & etiam angustiores fiāt. Qua in re, si, vt supradictum est, causis, & morbo esset incumbendum, vires certè non essent satis idoneæ, neque medicamentorum exagitationem paterentur. Si viribus tantum auxiliemus, malum non solum vires, sed vitam suis progressionibus tollet citissimè. Mediam ego viam tenerem, Neque enim postquam è mammilla sugere non potest lac darem propter eas obturatio nes viarum, & propter putredinem eorum locorum, & febrem, ne morbus augesceret; quia tamen egemus rei facilis nutrimenti, succi carnium caponum (quod feci antea) exprimerem, non per stillationem, sed per torculare, admiscerem que cum eo succo ea, quæ etiam morbo repugnarent, incidendo, extenuando, & expurgando; vt aliqnid galangæ, erūt zedoariæ, quæ priuatim stomacho est vtilis, vt cinnamomum, vt radices, & herbas visceribus expurgandis idoneas, vt betonicam, vt cuscutam, vt agrimonium, vt petroselinum, vt asparagos, & lupulos, neque vererer etiam aliquid chinæ radicis in omnibus sorbitionibus, & potionibus incoquere, quæ lenissimè dissoluit duritiés. Exterius etiam frictionibus stomachum iuuarem, fomentis, & vnctionibus, & ceratis eiusmodi, quæ supra iam antea fuere proposita.

D *Consilium cum Excellenti Constantino Felicio, & Hieronymo Gradario habitum de morbis Excellentis Hortensij Vernatij.*

CONSVLTATIO XLVIII.

DVo morbi sunt, quibus vna redeūtibus, & abeuntibus sæpè afficitur Excellens febris scilicet, ad quam sequitur alui fluor, & morbus alter, quem sequitur destillatio ad trachæam, & pulmones, quæ tussim valdè molestā mouet, per quā ferè pituitosa, sæpè aquosa, aliquando crassa cum exiguo colore, quandoque verò salsa, vt bis, aut ter visum est, etiam cum paullo sanguinis educuntur. Circuitus intermissionem annuam E habuere ad vsque annum superiorem, imò prius etiam biennium intermiserat; ab hinc annum verò bimestris intermissio fuit eadem morborum duratione idem temporis spatium retinente semper, nempe 12. aut 15. dierū, alui fęces variæ sunt, & cum pituita etiam nigriores, & luteos humores retinentes; Sexies quotidie exeuntes. Vrinæ encoremate aspero, crasso, ipsę quoque crassæ, aut inæquales pituitam fere referentes. Corpus album capillis si cum Galeno loqui voluero rufis, molle, plenum, iuncturis exiguis, nitidum totum, & minimè hirsutum oculis albis, non magnis, naribus non aduncis, potius contra, voce muliebri, moribus mollibus, ac humanissimis. Somno tamen sua natura leui, & breui

inge-

ingenio non paruo, memoria tamen admirabili sua natura, adeo vt artificio acquisita credatur.

Ex quibus colligere posse videor siccum caput, non tamen calidum natura fuisse, imo calorem fuisse frigore tanto inferiorem quantum ad ingenium retinendũ, & memoriam, & capillorum ruffum colorem cum siccitate satis fuerit, quæ alioquin cum calore actes omninò motiones ingenij, & nigrum colorem capillis parit, quibus pilis quoque ad hanc ætatem in syncipite retinendis, & ita ruffis generandis plurimum fecisse totius corporis reliqui temperamentum necesse est; quod ex supradictis omninò humidum esse, ratione efficitur, mollitie, candore, nitore, voce, & moribus omnibus, quibus addas pulsus paruitatem, licebit, vt cum ijs potius frigus præstare, quam calorem in corpore affirmes ad quod facit glabrities, & venarum etiam occultatio. Studia, & otium his corporibus valdè obesse constat, quoniam inutiles materias multas congerũt, quę, cum a calore non possint, ab exercitatione deberēt excerni, à quibus sub otio detētis viscera genus frigidius ad crudam materiam pariendam idoneum suscepere. Caput similiter ex vaporibus, qui submittentium materierum retinent naturam, ad frigidius deductum est, & etiam aliquam humiditatem rectementitiam acquisiuit; Vnde, vt ex frigore memoria naturalis diminuta est, ita ex humore aucto somni ex leuibus & breuibus arcti, grauesque euasere, quamuis non multo productiores, cui malo cœlum Perusinum plurimum valuit augendo, & prætereà alia loca, in quibus humidioribus vixit, quamuis enim à calidiori, & crasso cœlo melius se habere dicat, tamen illud, quod siccum, & calidum esset commodius foret, tenuitas siquidem non generans sicca, sed generans acuta, & celerius altiusque feriens nocet, vnde humidum, & tenue, ac frigidum cœlum sibi pessimum fuisse ait Neq;.n. dubito ego quin cœlum crassum siccum esse ex copia halituum siccorum possit. Collecta itaque tempore suo materia in toto corpore, & in capite vna omnis mouetur; cum grauitatem certam fuerit assecuta, partibus consentientibus, & se inuicem afficientibus, si caput primum grauatum fuerit & in materiam demittendam vrgere cæperit, & commotio reliqui corporis affectum, & molestiam facta à materia congesta quasi acutiorem facit; vt magis moueat corporis vim ad se eijciendam, ex quo sequitur cōmotio humorum, & putredo, dum ipsi in vias anguſtiores compulsi abesse à perspiratu coguntur, atque sic putredine confecti, vel exusti vel maturi per aluum eijciuntur, Catharrus autem ad pectus demittitur, vt ex grauitate eius notũ est, ad pulmonesque, & arteriam, vt ex sputis, qui à calore in capite obstructionibus, aut incidente aliqua re excitato quandoque salsus sentitur, in pulmonibus autem permanendo crassior euadit, & colorem acquirit, & quandoque etiam sanguinis, vt acrior factus nimium tunicas trachææ abstergit, & aliquid sanguinis ex venulis illarum arripit. Quæ cum ita sint, metus est ne ex febre, aut aliqua alia causa acrior factus etiam trachææ bronchia exulceret, & sic insana bile malum faciat. Quare omninò subueniendum est, & citò visceribus, ne tantum inutilis humoris generet, præcipuè à quo prima occasio pituitæ; & etiam capiti, quod fiet facilè materiebus parietum vasorum affixis extrahendis, à quibus enim intemperies mali causa cōseruatur, si illa detrahantur, facilè temperamentum restituitur. Itaque non solum medicamentis aluum mouentibus, id faciendum, vt agatico, rhabarbaro, & rosis, non solum caput purgantibus, sed per sudorem corpus totum ab infarctu malorum humorum liberantibus, sic demum poterit robur capiti per lotiones exsiccāres adiungi, & toto corpori per electuaria. sudoribus quoque vtilioribus, & tutioribus faciendis miscemus, quæ visceribus robur concilient, vt si salsæ pariliæ paulum guaiaci indatur. His summatim dictis credo, posſit valetudo huius renouari, victu probè instituto, aere ſicciori, temperatiorique cœlo petendo vino imbecillo, A & cibo temperatiori dando præcipueque cęna tenuanda, & exercitatione ante cibum habenda.

Scabioso commodum esse hoc linimentum expertum est.

℞. Radicis helenij
Iridis
Butyri antiqui
} quod commodum sit.
Axungię lotę aqua rosacea.
Misce & f. vnguentum.

Alteri adiectum est sublimati granum in quamque vnguenti vnciam, sed cautum est, ne vngues, aut emunctoriorum glandulæ attingerentur.

Tertio cuidam tantum pulueris ellebori nigri, & benè fecit.

Laboranti Ischiadico dolore post purgationem corB poris, & post pilulas fœtidas, & cochias hoc clystere præscriptum est & conualuit.

℞. Pulpæ colocynthidis in petia ℥.1.
Fol. calamenthi
Origani
Rutæ
Anethi
} an. m. 1.
Fiat decoctio secundum a. quæ coletur, & exprimatur.
℞. suprascript. decoct. lib. 1. s.
Ol. anethini
rutacei
} an. ℥. 1. s.
Sacchari rubri ℥. 1. s
Misce pro clystere.

Concoqui etiam dictas res in lotio pueri, & vino paC ribus partibus iussum est.

Pro quodam qui sinistri oculi aciem amiserat.

CONSVLTATIO XLIX.

Consuluit me Vir, qui sinistri oculi aciei iam multis amissa iam sibi de dextri quoque iactura timet & iure, vt poteris videre, siue ad dextrum, siue a sinistro veniat per spirituum communionem, siue a capite humor repleto meatu sinistri in dextrum reuertatur, capitis omnino ratio habenda est; humor, qui illi potissimũ noxius est, non est biliosus, cuius speciem in coniunctiua videmus, quin sanguine bilioso in oculum influente, D inflammanteque: tunc acies ei minus hebes est, at eo inhalitu, aut etiam alio modo abeunte, & pituitosam materiam relinquēte, illa concrescit seipsa a calore relicta, aciemque magis impedit, quare potissimum pituitę, deinde verò etiam bilis, vt illius, cura habenda est.

Quod medicamentis primum purgantib. corpus vniuersum, quæ tibi nota à me non sunt cōmemoranda, deinde caput per os ijs, q̃ nosti, tertio oculos, de quib. oculis tractandis, nunq̃ mihi consilium miretur; nisi explorata penitus, & cognita totius, ac capitis purgatione, depletioneque, quæ, quo perfectam absolutionem habeat, videtur postulare etiam potiones sudorificas capiti idoneas, quales ex salsa parilia parari solent, & sub eis abstinentiam, vel saltem victum validè tenuem, præ E terea etiam auersionem humoris in partem contrariā, vt traducto filo per cutem ceruicis, quibus perfectis materia oculis adhibita certius, & tutius remedium afferre poterit, sicuti per vaporationem aquæ incoctis herbis eius generis vt chelidonio, eufragâ, fœniculo, ruta; deinde per eos, etiam fumos, qui sicciores sint, vt ex aceto, incoctis eisdem, atque etiam ex sulphure, cæpe, & similibus. Succi quoque eorundem ex melle imponi poterunt, & fella; Aqua etiam mellis primum quæ alba, deinde quæ ruffa est, & gummi, vt sagapenum, neque valentiora prætereũda, quoniam mater iāintra vineam est, oculi verò valentissima etiam patiuntur, quorum copiam, & certam rationem ex tuo, & aliorum etiam experimento tibi cognitam esse credo. Vale. Vrbini. 15. Calend. August. Anno. 1579.

Ad lienem magnum, cui accesserat color luteus oculorum, & totius faciei.

℞. Corticum tamarisci.
Radicum capparorum.
Gentianæ.
Fol. Cetrach.
Lupulorum.
Capillor. Veneris an. m. 1.
Fiat decoctio s.a. qua expressa, & colata.
℞. aceti squillitici.
Mellis optimi. q.s. & f. oxymel ex quo sumat ℥. 1. s. singul. mane.
℞. Rhabarb. el. ʒ. 1.
Agarici opt. ʒ. 1. s.
Gingiber. ℈. 1.
Rad. capparor. ℈. 1. s.
Elaterij ℈. s.
Succi iridis.
Oxymellis simpl. an. q.s. Misce & f. pill. ℈. 1. ex quibus ternæ singula hebdomada sumantur.

Inungatur autem sides lienis oleo capparorum, imponaturque emplastrum ex gumi ammoniaco aceto squillitico emollitum.

Ad exsiccandum bocium, seu bronchocelen.

Post purgationem etiam adhibita salsa parilia diu vtatur saccharo condito floribus rorismarini, & rosarum cum maci, & his pilulis frequenter, & masticatorijs, sternutatorijsque.

℞. Agarici opt. ʒ. 2.
Rhabarb. el. ℈. 4.
Aloes rosacei ʒ. 3.
Nucis moschatæ ℈. 2.
Elaterij } an. ʒ. s.
Euphorbij
masliches. ʒ. 1.
Cum syrupo de stœchade f. pilulæ vnius scrupuli.

Quod si reperiretur minister idoneus, qui huius operis esset peritus ego consulerem vt cutis aperiretur, & à folliculo tumoris circũ vndiq; absolueretur, deinde radicitus totus tumor cũ folliculo abscinderetur, iniectiisq; penicillis putrefactio, & concoctio purgaretur, & tandem purgato vlcere agglutinatio fieret, nam vidi hoc feliciter admodum factum, neque larynga quidquam affectam, minus tumorem redijsse.

His tuis cossis, se raris frontis videbatur posse benè facere hæc mixtura.

℞. galbani ʒ. 1. thuris masculi ʒ. s. alumin. rochæ ℈. 1. sacchari candi ℈. 4. succi limonis ol. amygdalar. amarar. an. ℥. s. cum paulo ceræ m. ad ignem, & f. vnguentum s.a. ex quo inungatur noctu.

Interdiu verò mad efacias hac aqua.

℞. aquar. plantagin. rosarum an. ℥. 4. ol. tartari, ℥. 3. aluminis rochæ ʒ. 1. s. misce ad ignẽ emplastrum tandem diacalcitheos, cum aliquid vlcusculi restitisset, optimè faciet. Vani.

Cornelius Celsus dat resinam, & non minus quã ipsa est aluminis scissilis, & paullum melis.

Stomacho a pituita, & capiti etiam liberandis, & sterilitatis ab ijs profectæ remouendæ.

℞. specierum hieræ. s. aloes epatici, agarici, rhabarbari an. ʒ. 1. myrobalan. belliricot. ʒ. 1. s. pulpæ colocynthidis ℈. s. schænanthi, macis, galangæ an. ℈. 1. myrrhæ electæ thuris albi, croci an. ʒ. s. cum succo saluiæ, & mellis an. q.s. f. massa, ex qua pilulæ ℈. 1. ternæ sumantur septimo quoque die. Quæ nisi satis profecerint ad aquam thermalem puteolorum accedendum erit. Vtatur etiam infrascripto electuario.

A ℞. Rasuræ eboris.
Pulu. coralliorum rubeorum.
Calami aromat.
Galangæ.
Gingiberis.
Cubebarum.
Schænanthi. }
Seselis. } an. ʒ. s.
Sem. napi. }
Misce in formam electuarij cum syrupo ex succo saluiæ, & melle ex quo sumat ad ℥. 1. quotidie.

Diluat etiam pudenda ex vino in quo rosæ balaustiæque decocta sint, & penis inungatur oleo spicato cum exiguo moscho, aut ambra. In cibis bulbaceum omne genus coctum pulli columborum, & anates, radix helenij, fœniculum, napus, cicer, & similia, vinum autem satis potens sit, sed benè maturum, habeatque in vsu aromata præsertim gariophylos, & galangam.

B

Tuis clauis pedum benefaciet.

Crassula herba, seu faba crassa, seu telephium.

Ammoniacum dissolutum aceto cum cærato mollitiuo paulo viridis æris, vt stercoris columbi molliendo sæpè clauum cum lixiuio aut iure pingui, solum etiam Ammoniacum Aceto scillitico paratum diu gestatum, eruet ipsum clauum, Vt sagapenum quoque, si 20. diebus, & amplius gestetur.

C

Herniæ, doloribus dentium, & ventris, Nigredini dentium, & vermibus alui.

CONSVLTATIO L.

Herniæ ego cingulo apto occurrerem, quo sex mensibus gestato vidi multos restitutos, præterea emplastrum de pelle arietina, & id, quod fit ex pice, mastiche, & cera. Quidam probatum esse experimẽto dicunt oleum ex lythargyrio, quod plurimum facere asserunt, si cingulo superposito sæpè apponatur linteis ex eo madefactis. At dentibus oleum adhiberem roris marini, cum pyrethro, mastiche, & diamorrhone ad dolorem. Albandis verò dentibus nihil melius vsto pumice qui misceri debet cum aliquibus aromatibus. Vermibus autem corallinam cum dictamno, scordio, & aromate aliquo. Doloribus ventris maximè oleum ex roremarino. ex lateribus, atque ex cera. Oleum ex sulfere purgat quidem dentes, sed colorem malum fecit, oleum atramenti sutorij melius, sed aqua fortis dicta longe melior.

D

De suspicione grauiditatis cum destillatione pro Vxore Doct. Palatij Fanensis.

CONSVLTATIO LI.

E

Dvæ sunt partes status huius nobilissimæ iuuenis præcipuè à nobis spectãdæ, in quibus vertitur omnis nostra curandi ratio. Altera est suspicio grauiditatis altera est certissimus, & multiplex morbus. Morbi ratio illa est, quæ certissimam ostendit sui curationem, ac nulli medico dubiam. Suspicionis verò contra incerta quidem, at certum nobis afferens curandi impedimẽtum, quoniam omninò mandatis, & legibus pontificum sumus adstricti, nec salutem quærere corporis matris possumus cum animæ fætus periculo. Cuius cum dubitatio sit, cum in dubijs agendum non sit, nos valenti curatione omninò prohibemur, quæ maximè septimo mẽse iam ineunte omninò esset periculosa. De suspicione primum pauca dicam, deinde de morbi vi. Suspicio ex detentis menstruis orta, & mamillarum plenitate, & papillarum turgore non mediocri, facta ex alui tumentia

videtur

videtur certitudinem acquisiuisse, nam aluus non vniuersis partibus, neque tota sui forma increuit, sed ad vteri formam tantum collecta non extimis suis, quibus continetur, partibus tensa est, sed contineat intus aliud medium quod penitus formam vteri tensam referat; Itaque vterus plenus intelligitur, num verò fœtu, aut alio, certè mihi videtur dubitationē habere. Vidi enim aliquas & illas quidem non paucas vterum tumentem habuisse cum sua figura, vt grauidæ viderentur, & tamen tumor sine partu solutus est. Si verò aliud esset, vel spiritus alienus, vel mola esset, & tunc omnino spiritus ille alienus causam haberet, quæ malū colorem ægrotanti pareret, qui non est, febre præsertim eam exercente. Posset quidem mola esse cum minori coloris, & habitus incommodo.

B De producto hucusque vomitu, vt nota grauiditatis non dico, quoniam ille antequam menstrua suppressa essent, orsus est, & vltra terminum pergit quo grauidæ vt plurimum solent eo tentari, nouem enim continuis mensibus ab ortu, quem immodicum sanguinis effluuium sequutum est, tertio ferè, aut quarto quoque die, vt nunc quoque facit, sed crebrius eam tentauit. Minus de cibi fastidio dicam quoniam febris eius causam, vt etiam sitis, satis idoneam habet. Fœtus si subest, motio eius non multa est. At nec ipsa vno tantum abortu potest satis experta esse. Grauiditatis itaque multam rationem habere debemus. Aegrotatio tamen plurimi facienda est, quoniam febris continua iam diu opprimit, vomitusque, & tussis vehementissima cum sputo crudo. Vomitus fuit primus ab orsu incæptus, quo refrigeratis per nimiam inanitionem sanguinis, & spiritus visceribus, & ventriculo, remanente etiam crassiori sanguine, & frigidiori, renuiori verò egresso (vt ex suppressis tunc mensibus, obstructisque locis intelligitur) cruditates subsequutæ sunt, & inde obstructiones maiores factæ, vnde vomitus via vna relicta, excretioni sit, per quem, vt nostra cogeretur, sic efflueret, nō omni verò nostra potestatem exeundi habente, multa retenta, & obstructionibus occupata in putredinem cōuersa febres factæ sunt cum incertis temporibus frigorum exiguisque caloribus, & humori frigidiori, & crudo conuenit.

C Multa verò etiam huius materiæ parte in vasa pulmonum, & in ventriculum distributa illic tussis, hic vomitus, & fastidia ciborum affert, & vtrinque spiritus difficultates. Ex quibus locis periculum non mediocre vitæ est, & anxietudo nobis, vt citò succurramus; at ita, ne fœtui obsimus; tutò itaque, non tamen leuiter penitus agendum ne morbum nimis valentem in suo robore relinquamus. Non prætermitterem ergo humorum præparationem ex his, quę vteri cotylidonibus minimè afficiant, quæ pulmonibus, & ventriculo, & obstructionibus vtilia sint, quale esset buglossum, borrago, cicoreum, cicerbita, betonica, cetrach, & amaracus.

D Purgationem etiam leniorem adhiberem, ex agarico, rhabarbato, & mastiche ad vteri tuitionem, neque etiam aloem rosaceam timerem, vti esset agarici ʒ.1. rhabarbar. ℈.4. mastiches ℈.2. aloes rosat. ʒ.s. cum syr. rosat. simpl. f. massa, & ita his vicissim repetendis ei auxiliarer, donec ad partem tempus peruenerit, quo si pariter omnino iri a morbo liberatam crederem sin minus vterus erit propriè respiciendus. Destillationi autem sic succurrerem, vt ore teneret, quæ descensui, & morsui destillationis occurrerēt, vt diacodion Mesues vt diapapauer Nicolai, penidia, saccharum candum, saponea, quæ fit ex amygdalis, saccharo, & amylo; vt terram sigillatam, aut bolum armenum, & similis generis alia. Cum verò cubitum it, saccharum rosoceum quod aliquid habeter ipsius olei anisorum cum mastiche, & thure.

De dolore hæmorrhoidum.

E Oleum quod requiris ad dolorem hæmorrhoidatū hoc erat, ℞. benzoini, styracis calamithæ, styracis liquidi, terebinthinæ certas potiones, & destilla. sed tutiores sunt mucilagines ex psyllio, radicibus althea, seminibus cytoniotum cum vitello oui, & assungia, atq; paulo croci, & mastiches.

Ad tuum dolorem tibiarum.

℞. pingued. canis rubri, equi, ceram, lumbricos, terebinthinam, oleum hypericonis, & destilla.

Pro quodam cui ambusta facies fuerit hæc scribebantur vnguentum Reinerij Moreti Senensis ad ambusta.

Requisiisti a me quale nam esset vsitatum a quibusdam cui maximè fiderent, id erat.

℞. ol. veteris lib. 1. vnguenti dialthææ, styracis liquidæ terebinthinæ an. ℥.4. saluiæ, rutæ, absinthij, corticis medij, sambuci an. m. 1. ceræ nouæ, q. s. ex quibus f. vnguentum s. a.

Alius loco dialthææ olei de saxo aliquid imponebat vim maximum autem styraci tribuebant.

Alius vstioni succū caulium subito ingerebat. Alius deradebat limum illud quod relinquitur sub dolorum fistulis vini a stillis. Alij atramentum indunt.

Alius mirifice faciebat ambustis cum vnguento facto ex cerato loto diutissimè ex aqua, quod ex oleo & cera esset. Postremo addita cerussa.

Vnctuosa ego vidi lassisse ob calidam inductam intemperiem, propterea aquam violatum cum puluere cerussę primum, deinde cerussam, & bolum armenam cum eadem aqua in linimentum componebam præsertim in facie, quoniam carnis colorem imitabat, & turpe visu non erat.

Cuidam ad purgandos corrosos dentes, atq; tuendos hoc probabatur.

℞. rosarum rubearum m. 1. mastiches ʒ. 1. rad. ireos ℥.1. ligni cupressi ℥.s. fiat decoctio in vino rubro s. a.

℞. dicta decoction. lib. 1. oxymellis squillit. ℥.3. m. Cum hoc dentes diligenter abstergamur hoc per hyemem calefacto, deinde repleantur eorum cauitares mastiche mollito cum cera, & longa sub actione manuū facta. Quandoque verò alumen rochæ est lotioni superiori adiungendum ad dentium purgationem, & firmitatem. Interea melli rosaceo adijciendum paū olei sulfuris, uel potius olei ex atramento sutorio, ex quo fricentur partes dentium corruptæ.

De morbis multis Io. Frumenti consilium captum cum Exc. Ambiorige & Felicio.

CONSVLTATIO LII.

De multis huius corporis malis ego quoque, sententiam dicam ne frustra aduocatus videar vbi si nihil amplius egero certe capita à vobis disputata repetā, & quam maxima potero distributione, & ordine sub oculis ponam ex quo vestrum aliquis melius, & minori labore ea describere possit, erit enim necesse ei senogaliam decessuro omnia minutim literis consignata tradere. Notæ quæ oculis cernuntur quæ sensui patent hoc sunt. Aluus mollior, & fœtida, colore terreo cibi partibus minus mutatis, si quid densioris cibi deuorauerit, ac si vomitus moueatur mirificam pituitam, & crassitudine, & copia effert, totius corporis tenuitas, & pallor, febris lenta pulsu molli, ac languido, mane ratiori; ad vesperam crebrescente, ac quandoque ad vesperam frigore lento accedente, qua febris accessione carere eo die, quo se in lecto continuerit aiunt, certe frigore non tentari. Vrinæ ferè tenuiores, quæ diu albæ fuere, nunc rufæ

rufæ potius factæ semper sedimen asperum habuere, nunc quandoque etiam eneorema crassius, ac discerptum, hypochondria non valdè tensa, tensi tamen recti abdominis musculi,& quæ sub eis sũt. Thoracis sæpè leuis dolor est non in eadem semper parte, in eandem tamen, id est, sinistram reuertens, in quam cum decumbit, magis lacessiuit, tussim siquidem habet, qua alba,& albo quasi puri similia sæpè, sæpè etiam pituitosa, lentaque efferuntur, quæ, cum aliquantum resedere, subrussa fiunt, atque etiã nitorem contrahunt, neque vero pauca sunt noctu, maneque præcipuè exeuntia. Cibi nulla cupiditas, neque tamen sitis molesta, lingua minimè mutata, somnus non nisi à tussi interceptus, alioquin facilis, à somno tristis penitus, à cibo placidior. Hic cum saluberrimè iam 10. annis viueret, nescio qua opinione adductus aquam quandam montis Albutij in Piceno medicatam accepit, & largis admodum potionibus eius vsus est, ex quo causarius, seu valetudinarius est factus, nam inde modo ventris doloribus colicis putaris cruciari consueuit, modo ab arenulis exerceri, modo articulorum doloribus vexari. Ab hinc quatuor, aut quinque menses soli, imbrique, cum se se obieciflet, diuque in littore nauium, & mercium causa fuisset, catharrus illum cæpit cum febri, cuius cum rationem nullam haberet, neque viuendi modum seruaret, tamen præterquam in medicis aluum soluentibus sumendis medicorum dicto audiens esset, cauterium in brachio sinistro proximè accepit, neque dum vlcus benè effossum est, iracundus admodum est, & sæpè ex iracundia febrire dicitur. Hęc videmus in corpore quinquagenario, hirsuto, quod ante hæc mala plenum admodum fuisse refertur, capite minimè caluo, minimeque cano. Ex quibus iam licet conijcere primum ventriculum infirmum esse, qui aluum quasi cœliacorum faciat, qui tantam,& tam mali generis pituitam generet, alimentumque corpori tam exiguum suggerat, quod sane à febre tantula, & ferè intermittente non ita esset extenuatum, crassis præcipuè, & frigidis humoribus refertum, si ventriculus chylum bene confectum suggereret. Deinde hypochondria benè habere non possunt sic frigido ventriculo in corpore, vt cernitur, calidiore, præsertim quod ventriculus ad tantam frigiditatem adductus non fuisset facilè, nisi arteriæ spiritum ad ipsum deducentes essent impeditæ. Quæ non solum ad coquendum, sed ad tenuandos etiam humores, qui coqui debent, conferũt, vt ait Galenus de liene 5. de vsu partium; quarum obstructionum cruditas est, & signum, & causa valentissima,& ita duplex pręstat nobis argumentum cuius nota est tensio sub rectis musculis illis per communia vasa communicata, quam obstructionem sequi solet febris, &, cũ in his partibus est, etiam leuissima, quamuis alendo corpori magis alijs forte contraria, quæ sane eum humorem sequetur putrescentem, cuius notas in vrinis videmus,& etiam in pulsu intelligimus, hoc est melancholicum, & pituitosum humorem, nam tenuitas illa, & asperitas vrinæ melancholiam, & siccum humorem significat, atque etiam pituitosum, sed valdè crassum, cuius portio simul cum vrina præ crassitudine nõ exeat nisi rarò, quod per tertiæ coctionis opus separatur, & in sedimento locũ tenet, præterea etiam thorax male habet, vt dolor, vt tussis, vt sputa ostendunt, in cuius cauitate potius humorem illum esse, quam in pulmonibus multa ratio est, quoniam, si in corpore pulmonis esset, vehementiorem febrem excitaret,& genus tumoris efficeret pituitosi, quod peripneumoniam nominamus;& difficultas maior esset respirationis, si in vasis ad cor pertinentibus esset, pulsus omnis generis apertissimam inęquabilitatem haberent, quam non habent; si in arterijs, hoc est, bronchijs, seu chondris esset, difficultas respirationis maxima esset, in thoracis autem cauitate cũ multa materia non sit, non insignẽ facit, vt faceret in bronchijs, & pulmonis corpore respirationis difficultatem. Materia hæc putredinis aliquid sæpè concipit, & tunc febrem augescere necesse est, quæ quidem in sinistra

A parte potius est; cum ibi,& inflando molestet,& vrgens in ipsum latus comprimensque peius habeat, tarior verò tussis est, cum materia morsu careat, neque valde putrescat, vnde videmus multa asthmata tussi carere, quia sunt à materia minime mordaci aut aspera. Generetur ne ibi hæc, an à capire, an à toto corpore conueniat, conijciemus nos eam ex capite quidem, & toto corpore eius rectrice facultate casu quopiam debilitata, vt in rheumatibus fit, à principio totam demissam, diuturnitate verò pulmones, & pectus etiam infecisse qui se se nutrientes plurimum huic materiæ adijciant,& cũ imbecilles facti sint, etiam a toto corpore facilius semper indies malis humoribus referto multum accipere, quoniam russus color recremento pulmonum alimenti, id est, sanguinis flaui conuenit, vt etiam recrementis aliũ-

B de, quam a capite a mandatis, aut asperæ arteriæ alimẽto. Russus quidem non apparet donec sputa ampullulis bulliant vi spirituum motus, & calor pulmonum possunt efficere, sic enim alba apparent, illis vero dissolutis colorem proprium magis referunt, vel donec humida manẽt, & pituitæ humore vincuntur cum verò arescit, & dissoluta est, multa pars pituitæ, tunc colorem suum ostendunt. Ad vesperam autem febris increscit, vt ferè pulmonariæ febres solent, & pituitosæ modo cũ frigore, modo sine eo, & hoc præsertim cum in lectulo se se die toto continuent, quoniam tunc vapores quidem subtiliores a lectuli calore dissipari, viæque laxiores, factæ sunt, neque illi per carnes compelluntur, vt a frigore, cum die resurgit, quando motu vel etiam stantis labore, aut residentis humores moueri concitatius solẽt,

C quam recubitu, & quiete integra, quod a motionibus quoque animi ipse experitur euenire. Nulla sitis est catarrho, & pituita abundante, nulla cibi cupiditas eadẽ pituita ventriculum obtinente, qua somni etiam potius iuuantur.

Verum a capite descendens humor in eo ne generatur? an a toto corpore eo sublatus deorsum reuoluitur? aut etiam a toto ipso corpore breuiori via in pulmones fertur? Potest a toto corpore caput infirmum halitus recipere, diu verò receptos ferens non potest non ab ijs affici, & similitudinem qualitatis accipere. Imò cum primum solis vi repletum ijs frigidis humoribus fuit, qui hominem articulorum doloribus, & colicis,& arenulis vexabant, sic onustum caput non valens eos superare caloris sui multam partem amisisse potuit ijs in parti-

D bus, vbi materia resedisset, in vasis scilicet,& membranis, imo verò etiam in cerebri corpore, quo calore refracto partes omnino refrigeratæ sunt,& factæ imbecilliores, vnde frigore externo etiam calorem solis sequente, discrasianque frigidam confirmante, postea plurimam pituitam generarint, etenim si destillatio, & coriza Galeno oritur vna refrigeratione aeris, quod partes inde refrigeratæ imbecilles subitò fiant, ex quo humor, qui illis valentibus facilè ferebatur, postea infirmioribus est grauis,& ab illis deponatur.

Cur hoc loco tanta occasione idem effici nõ potuit? Cur verò materia caput non affecerit, cum tamdiu duret eius frigidi humoris cum capite consuetudo? Sed à toto etiam corpore in pulmones vel ipso corde suis mo-

E tionibus ministro potest materia traduci, & ita copiosius sputum fit. Tot itaque affectas partes esse concluderem, Caput refrigeratum, & humore frigido abundans, pulmones non solum à capite per destillationem, sed etiam à toto corpore confluente & ex se humorem congerentes; hypochondria obstructa, & ventriculum refrigeratum, atque cum febre hæc omnia consequi solita tum præterea multam materię copiam toto corpore subflantem, quæ crassa, & frigida est, melancholica quidem, sed maximè pituitosa, sic magnum, sic tardum esse morbum videmus. His verò propositis facile ostẽditur, quidnam agendum sit, nempe pituitam melancholicumque humorem incidendos, detrahendosque, ventriculum calefaciendum, hypochondria expedienda, pulmones, purgandos, firmandosque vna cum pectore

store toto, & caput etiam siccandum. Quæ hac ætate, hoc anni tempore, quo hyems instat, imò secundum Græcos Physicos iam accessit, his viribus, vetusto malo facto valentissimisque remedijs egente an præstari possint, mihi difficile iudicatu est, potiusque desperare quam fiderem. Attamen, quibus aduersus ea pugnarem breui vobis exponam. Manu cauterij auxilium est, & vesicatorij, quibus ego vterer ad materiam à pulmonibus auocandam. Vesicatoria scapulis admouerem, eaque bis saltem repeterem, deinde cauterium syncipiti aut candens ferramentum multis capitis partibus ex præscripto Aetij ingererem, vt caput calore, & siccitate in suam naturam reuocaretur, firmitatemque reciperet. De medicamentis autem, capiti quidem aqua vitæ cum sandaracha, quæ est iuniperi gummi cũ amaraco, betonica, asaro, cũ oleo succini Naphthe, & his similib. Lotiones ẽt ex his factæ, & fotus ex cãnabe halitu succi ni imbutæ, pulmonibus ventriculo, & visceribus oĩbus resina cum succo iridis, & rhabarbaro, & agarico septimo quoque die capienda. Vomitus etiam cum oxymelite, cum decocto raphani radicum, vel elleboro albo paratarum, cum ipsis corticibus viridibus malorum aurãtiorum materia prius parata. Proprie autem pulmonibus eclegmata ex ficubus, amygdalis, succo marrubij, hyssopi, enulæ campanæ pulegio, pulmone vulpis, & croco. Potionibus matutinis ex beronica, radice dulci, farfara, ficubus, helenio hyssopo, & eiusmodi adiectis passulis, & hordeo. Propriè ventriculo fomenta ex absinthio, mentha spica, schœnantho, œnanthe vino incoctis. Inunctione ex oleo spicato, absinthino, de nuce moschata, de anisis, & etiam philosophorum. Clysteribus quoque pituitam deducentibus incocto centaureo minori, mercuriali, chamæmelo, & alijs communibus, adiecto melle rosaceo, saccharo rubro, oleisque. In ore habeat præter electuarium, oxymel cum syrupo violaceo, & diluat os cum aqua cui incoctæ sint passulæ, radix dulcis, saccharum, & hordeum cum eodem oxymellite, & violaceo syrupo. Cibi mediocriter extenuantes sint, & boni succi, vt ptisana, panis lotus carnes gallinaceorum fœminatum, præsertim cum aceti modico, auiculæ, perdices, atagenæ, columbi iuniores, In iuribus omnibus helenij radix esto. Bis die tantum cibum sumat. Potio sit mane modici vini, vesperi aqua supradicta, aut consimilis. In lecto se contineat, non laboret animo. Iram vitet maximè noctu quiescat, interdiu vigilet, præsertim cibo sumpto.

Ad scabiem hoc faciet percommode.

℞. Ol. commun. lib. 1. Ol. ex cera ℥. 3. minij, cerusæ, lythargirij an. ℥. 1. m. & f. Vngentum.

Ad dolores partium externarum omnium faciet oleum hoc.

℞. Ol. commun. lib. 3. terebinthin. lib. 1. Ceræ lib. s. Ad elambicum extrahatur cum lateribus tritis, oleum.

Ad dolentes dentes.

Decoctio ex nuce moschata, pyrethro, gingibere.

Ad sterilitatem quæ a frigido genere erat, hoc datum est, quod quidam referunt se per experimentum nouisse valentissimum aduersus huiusmodi sterilitatem.

℞. Ammoniac. piper. longi, myrrhæ, cymini, acori, anethi, gariophyllor. an. ℥. 2. chæsulli, hoc est chachile Serapionis cap. 65. de simpl. med. ℥. 1. castorei ℥. s. piperis albi, costi, styrac. liquid. galbani an. ℥. 4. mellis despumati lib. 2. misce & f. electuar. s. a. de quo vtatur mane, & sero ℥. 1.

Præscribebantur etiam suffumigia ex aqua ferrefacta incoctis Caueua, vulgo Pisauri dicta rosis, & millefolio, vulgo herba S. Giouanni.

Sed aqua thermales Puteoli tamquam præstantissima proposita est cum vsu vaporum eius loci post aquæ potionem, quæ sæpissimè responderat.

Consilium Fani habitum cum Marco Antonio Capellero, Saluo Fauensi, & Io. Baptista Gratioso Pergulensi.

CONSVLTATIO LIII.

POstquam Viri Doctissimi huius nobilissimæ Iuuenis vterus ex medicinis detumuit, recéditque, & omnes aliæ grauiditatis notæ deletæ sunt, non amplius papillæ, non amplius mammæ duræ sunt, color verò, qui tumente vtero optimus erat, pallidus factus est, & ipsa iam ægrotantis faciem gerit, vomitibus etiam intermittentibus iam de ea suspicione nihil loqui oportet, sed febri, & tussi est studio omni subueniendum, quorum vtrumque timendum est, cum continenter eam vexet, quorum causæ sic à me exponentur vti ipsæ ortæ sunt, postquam a vobis exquisitæ, inuentæ, & probatæ fuerunt. Ventriculus infirmus primum sese ostendit ab eo tempore quo ab ortum ei contigit facere, & sanguinem supra cõsuetudinem nimium effundere, vt inde maximè debilitaretur, nam vomere cæpit quibusdã temporum interuallis pituitam multam cum paulò viridis bilis, & etiam luteæ. Ex quo iudicium id mihi factum est ventriculũ fortè sua natura iam in frigus propensum ea sanguinis effusione frigidum effectum subinde multam pituitam crudum præsertim succum generasse, agitatione tamen vomituum bilem etiam à iecore naturalem excepisse, quæ facile motiones aliorum humorum sequitur, & naturaliter in vomitibus apparet, ex qua aliquid ciborum in putredinem ob inquinationem procliue corrumperetur, & transirent in viridẽ bilem ex corruptione nascentem, quam facilè subirent cibi, quoniam inquinati a calore imbecilli, & è natura sua remoti in perfectam & firmam nullam naturã perduci, sed in quandam infirmam materiam deflexi nõ possent se se sustinere, quin ab eodem imbecilli calore non valente eos tueri putredinem sortirentur. Itaque indies magis frigidus ventriculus ex ea pituita fiebat, infirmior etiã ex putredine, & labore, sic vomitus crebriores facti sunt. Ac multo tempore circiter biennio post menses suppresi repente fuere quodam scilicet casu externa ve aliqua causa fortè mouẽte materiam eiusmodi ventriculi in venas, & ad vterinas vias, vnde vel vterus ipse non multo post dilatatus in amplitudinem membranis ab humore obstruente intumuit, & mamillæ intumuere sanguine non valdè impuro adhuc effecto in eas reiecto. Iecur interea latenter mali habuisse cõiectura ex ijs causis est, ac preterea ex eo quod sæpè ipsa potiones expeteret & meridie, & cum iret cubitum, ex qua potione intempestiua ventriculus longo peior efficeretur, potionis cupiditas ex aliquo calore, humoreue iecoris per uaporem in uentriculum immissо potuit existere, quod iecur id non fecisset, nisi aliqua obstructione itinerum, & meatuum fuisset occupatũ, nam sic calidius feruentiusque facile fit, & uijs naturalibus impeditis in quamcunque partem potest, humores extrudit noxios, sic sæpè latere morborum initia statuit Galenus in internis partibus quam facilius, quam in externis.

Exẽplo cancri, seu duri tumoris in cute proposito, quo cruris tamen actio non perturbetur aut impediatur, incrementa verò tantum lumen sui efferre læpè, quod facit nunc iecur toto hypochondrio pleniori, etsi non admodum aut tenso, aut duro, tussis post mensium suppressionem affuit, qua nihil ferè è pulmonibus efferri quidã ex vobis asserit se animaduertisse, de qua re diligenter est

est videndum, Febrem consequutam fuisse ad primam tussis originem, vt quasi ex coryza febrire videretur, affirmant, quæ cum iam octo menses producta sit, aliud, & firmius fundamentum habuisse certum est, ex materia siquidē in pulmonib. aut in thorace residente ortā illā febrē cum vehemētioribus accessionib. non est facilè credere, cū tā exigua semper materia, & modo, ac habitu suo naturali penitus inde per tussim efferatur, quare febrem obstructiones potius in inferiori ventre sequi est verisimile, neque tussis frigoris tempore, cum quo sæpè febris inuadit, molestior est, vt esse solet in febribus putredinem in thorace factam sequentibus, sed contra hic tussis calore potius exaggerato crebrescit. Frigoris tempore humor ad locum exustionis, & putredinis concurrit, motuque suo molestas partes irritat, quæ irritatio si fieret in thorace omnino tussim commoueret. At tussis hæc non sine difficultate respirationis est, imo cum in sinistrum latus decumbit moleste nimis spiritus vrgetur, & tussis excitatur, quo latere etiam superioribus diebus dolebat, sed neutra ratio valet, aut cogit, nam viscere dextro tumente grauiorique effecto, dū in oppositum latus dependet, ipsum magis premit, & vt tumens superiori præcipuè sua parte spiritus angustiam efficit, sic declinato homine in oppositum latus magis angustam eam reddit. Vnde in obstructis hypochondrijs semper ascensus scalarum fit cum denso admodū spiritu; & ab hypochondrijs tumentibus durius semper tussis exoritur. At in ea nihil expuitur, vt Galenus, & Aetius affirmant, in hac verò aliquid. Tamen animaduertimus sputi modum, & habitum omninò intra naturæ limites contineri, nam tussi vehementissima, & diu agitante vix aliquid albi spumosi, ac quantum in ore ex ea commotione potuit congregari, expuitur, tota siquidem die, ac nocte cocleare eius sputi naturalis emittitur, si color vllus in sputo, aut crassities est, id post somnum tantummodo est, qui continuus quatuor, & quinque horis sine tussi producitur, tunc enim in bronchijs reperitur aliquid recrementi pituitosi calore partium earum immutatum, quod ad colorem puris cocti accedit, admodum tamen lentum est. Aliquando exscreatu citatiori, & laborioso sputum album illud naturale rubore suffusum emittitur, qui rubor vix ab albi sputi colore dignoscitur, quoniam spiritu, & vapore sanguinis faucium rarissimæ rei potius, quam sanguine ipso est effectus, quod etiam rarissimum fuit. Verum si tussis ex viscere infra septum moueretur, ipsa tam vehemens non esset, quam certè vehemens est hæc nostra. Tamen de vehementiæ mensura quis potest definite loqui? sicca tussis hæc est cum pro magno modo tussis minimum penitus sputi edat, & potius à tussi ipsum, quam tussis ab eo fiat, idque naturali habitu. Vnde vis eum oriri? Materia tenuis quandoque post octo menses visa fuisset; crassiorque tandem effecta esset, saltem interdum. Crassa demum certè aut putrefacta eiecta fuisset. At subesse potest tuberculus durus. Cur vero tunc in calore febris maiori, & a cibo sæpè tussis intensior fiat? necessitati maiori respirationis crebritas eiusdem requireretur, quę tamen non multa tunc est, si febrem tuberculus efficit, & feruore suæ materiæ illam incendit, vnde cum maiori febre maior feruor tussim magis moueat, tunc cur genæ non erubescunt, vt fieri necesse est ratione, authoritate, etiam obseruatione? Cur respiratio difficilis euidēter non est, vt esse deberet hypochondrijs sic plenis tuberculo etiam subsistente? Cur tandem non tanto impetu ruptus ille fuisset? At frigidus est, cur febrim efficit? cur cum tussi febris orta est? Potius ex tumoribus in septum vrgentibus aliquis acris halitus eiusdem generis cum eo qui cordi febrem infert, septum molestat, & aliquo lentore contracto ei adhærescit. Siccus enim fumus oculis dolorem, sic ille acris vapor septo molestiam, & excitationem ad tussim adfert eo grauiorem, quo ipse acrior est, ex quo aliquid etiam penetret tenuissimo suo corpore, & in cauo thoracis, & in pulmonibus noctu tandem aliqua sui parte pituitosa concrescat, &

A ita pituitæ formam, habitumque recipiat, à qua elatus per calorem fuit, & mane expuatur. Vnde noctu sub calore febris vehementiori tussi vehementior est, quod vapor ille acrior, & plenior est, & tumores quasi inflat fusione ea caloris, & tumētiores reddit, hypochondriaque tensiora, tum viscera septum magis vrgentia, neque mirum etiam esset, si per venas halitus ille ad pulmones emanaret; quare vehementia tussis necessaria sub febre est, a cibo etiam repletis magis ipsis hypochondrijs, & exhalatione viscerum obstructorum ciborum humoribus multiplicato. At esto iam (ne etiam opinionibus suspicionique earum desimus) sit destillatio in pulmones a capite, quod vapores ab vtero, & a ventriculo cruditatibus affluēte, tum a iecore, a febreque recipiens ipsum etiam spatio tam longo aliqua frigida dyscrasia B affectum sit, præsertim sua natura calidū, & humidius, vt somni etiam nunc longiores permittente tussis intermissione manentes ostēdunt, remedia quoque ei assignemus.

Materia destillationis si est, & febris, quæ certissima adest, pituitosa est vt compertum videtur, si modum caloris, si frigus accessionū, si corporis habitum sese diutius sustinentem, si uomitiones, urinas, & somnum saltem non impeditum spectemus, cum quo etiam minima sitis est quamuis bene valente muliere ea crebrior sua natura extitisset. Vrinæ etiam ferè aquosæ sunt, quæ post accessionem flauæ in obscurum tendentes, & crassę sunt, vt pituitosæ consueuere, Febris quoque inęqualis modus, pituitę multa gn̄a ut, vt hoc uel illud casu sit magis uel minus crassum, magis uel minus bili & humor C melancholico ex suppressione mensium affluenti admixtū, & plus, uel minus retētum est; modo enim febres maiores pluri frigore antecedente sentiuntur, modo minores, cum eo hebetiori, nunquam ex toto intermittentes cum in principe uiscere materia infarcta sit.

Pulsus etiam molliores, quam tumoris, quam obstructionis, quam febris longioris esse consueuerint, quoniam humor pituitosus mollitiei tantum restituit, quātum eius à supradictis detrahitur, Dolor quoque qui ad costas diu fuit ex pituitoso flatu crasso erat, qui flatus succedente febre vehementiori tenuatus, & solutus est vt tumentia vteri fecit, Dolores crurum, & totius corporis habitus remanent, qui febre potissimum increscente mouentur. Dolores, qui admota manu hypochōdrijs fiunt, ob tendentes ea velamina flatus mouen- D tur, qui tamen modo magis modo minus extendunt, vt tactu ipso percipimus veluti magis, aut minus à febrili calore dissoluuntur. Visa morbi natura, & magnitudine cum de malo more suspicio nulla sit, iam curationis modus quærēdus est. At quoniam, quod ad celeritatem attinet, opinione vestra destillatio sęuissima est, periculumque tabis in lumine est; ei opinioni non rectè satisfieret, nisi ipsi maximè vrgenti destillationi causis inferioribus, febreque non neglectis quam primum subueniretur, nempe vaporibus à capite auocandis, cum frictionibus, pedūm lotionibus, cucurbitulis, vesicis in scapulis excitatis, & cæteris eiusmodi, eadem destillatione prohibita oris lotionibus, & gargarissimis ac bolo armeno ore detenta, & suffitibus, vt ex aqua incoctis nucibus cupressus, rosis, mastiche, saluia, hedera, amaraco, E agnicasto, sulfure, vt sandaracha, styrace calamita; aut certe succino in prunas iniectis nigellaue accto per quinque dies macerata siccataque atque puluere eius in carbones pariter iniectos eodem puluere madido ex aceto naribus submoto, auersa etiam destillatione post aliquam corporis euacuationem sternutatorijs, quę cruda materia, & pleno corpore alioquin incommoda sunt, quod magis repleant caput, & destillationes moueant vt ex succo betæ, anagallidis decocto; & herbæ urceolarijs, seu parietariæ, puluere amaraci, ellebori albi, ciclaminis per fistulam attracto in nares, quæ fistula ex osse, aut ligno solido expolito capite rotundato aptari solet. Interea clysteribus acrioribus inijciendis ex centaurea chamæmelo, mercuriali, beta, aut cucumere etiam asinino

nino cũ melle rosaceo cassia hiera oleis chamæmelino, quod abortũ si facit opinione quorundam, pôt ẽt vterũ a b infarctu liberare, & expedire, & ita causæ pcipuè huius mali occurrere, tũ oleo anethino, ac saccharo vt vt vobis videatur Sputo ẽt mouendo ego nõ extenuantia, incidentia ve valde adhiberẽ, ne magis humorem subtilẽ, redderem, & ad pulmones mouerẽ, sed potius delinienta, & idonea ad expediendum humorem, & mouendam tussim, abstergẽtia etiam darem, vt mel rosaceum cum momento oxymellis, vt eclegma ex succo passularum liquiritiæ nucleis pini, syrupo violaceo, & pulmone vulpis ad pulmones tuendos; & croco etiam ad eandem tuitionem, & preterea ad humoris maturationem. At febri? quo eius causæ priores prius remoueantur, sectione vterer is ne venæ tam magno morbo proposito? vires prohibere crediderim, prohibere etiam vitium causa humoris opprimentis genus, quod crudum, & crassum affluit, nimiũque, vires occupat, Alioquin crudus humor tamquam futurum alimentum missionẽ sanguinis permittat, cucurbitulas cum scarificatione meliorem, concoctioremque sanguinem detrahere credo, tenuiorem etiam hirudines ano appositas, nisi natura eo protensa grauiorem sibi sit incitata promouere hæmorrhoidum fluorem à natura effectum, vtilem vtero certè crediderim, at sic arte citatum inutilem vererer, nisi natura cõcurrerit. Clysteribus acrioribus naturam eo rettahi posse vtiliter arbitrarer, vt sanguinem ex suppressis mensibus crassiorem factum circum ea loca collectum eò mandaret. Purgatione ferè vterer per aluum, & deinde etiam per vrinas, & tandem mensium ciendorum rationem haberem manna, melle rosaceo solutiuo rhabarbaro, agaricoque re maximè vtero expurgando accommodata, cum decoctione florum, & fructuum cordialiũ addito cinnamomo. Potionibus, quibus incocta esset cetrach, melissa, capill. veneris, betonica, eupatoriũ, glycirriza, passulæ ordeum, immixtis syrupis ex hyssopo, violis, melle rosaceo dimisso vteri gratia oxymelite, repetita purgatione ex agarico, diasebesten, rhabarbaro dissolutis iure pectorali dicto. Vomitum etiam ciendo ex iure pingui incocta rhaphanidis, seu rhaphani vulgaris radice, quo nomine rhaphani antiqui brassicam accipiebant, oxymelle immixto. Helenij radicem in cibis incoquerem, plus cibi manè, quam vesperi, maximè cũ eo tempore febris magis premat, darem, ptisanaque tũc sola vterer, potione vini tenuissimi, & oligophori. Quod si sudores, qui iam apparuerunt, redirent, manè præsertim post remissionem accessionum, & post somnum eos adiuuarem, quoniam etiam pituitosi humores, cum per febrem tandem liquescunt, sic exhauriuntur. Stephanus enim Atheniensis de crassa, lentaque pituita tãtum educi per sudores non posse dixit. Frictionibus certe ad eius tũ p coctionem, tum etiam per sudores, si fieri potest; detractionem, vterer, neque enim credo Galenũ libro ad Glauconem negare penitus sudorem in quotidianis, sed illũ ipsas non finire accessiones affirmare neque Stephanũ Atheniensem, si græcũ codicem inspiciamus, quo Galeni locũ interpretatur omninò sudorẽ negat in quotidianis educere materiã posse sed eam materiam tm̃, quæ est in profundo, & glutinosa est, alioquin eam quæ totũ corpus humidum reddit, nõn negaret ẽt per sudorẽ educi posse, Preterea in quotidianis exquisitis sunt illa dicta accipiẽda, non in nothis, vt ferè fiunt, & hæc est. Postremo fotu vẽtriculi, & hypochondriorum, tũ vrinam, ac mẽses mouentib. vterer, de quibus suo tpe erit consiliũ ineundum. Quę vt ab bonũ valetudinis exitũ possint ægrotantẽ perducere, necessario spatium multũ requirit, qm̃ medicina morborũ genus omne non pôt penitus trãsmutare, vt, si chronicus sit, acutus, aut breuis fiat, pôt quidem breuiorẽ reddere, & tutiorẽ. Chronicus itaq; morbus is ex materia admodũ tarda requirit, vt lẽtè tractetur, quare repetitis diu, & mollioribus remedijs, nec nisi longo post interuallo valentissimis, quapp vires egẽt vt mediocri cibo sustentẽtur, nec tenuiori, nisi cũ ad coctionis notas ipsam perductã intelligemus, cũ febres ẽt vehementiores fuerint, coctionis namq. vigentis indicium sunt, sicuti pulsus quoq; maiores, in summa. n. maturatione magis vires aluntur, illud hoc loco admonerẽ materias has tã crassas non æquabiliter vnquã maturari, aut putrescere, sed modo maiorẽ, modo minorem coctionẽ, maturationemq; subire, qm̃ in crasso corpore partes sẽper sunt dispares, quare sæpè ad statũ peruenisse videri poterit febris hæc totius sui temporis, sæpè ẽt ad declinationem, tñ postea mutabitur in formã incremẽti, atq; ita in cibo dãdo, vt vt natura grauari videbitur, & ad hunc, vel illum terminum morbi materiam perduxisset, sic cibo tractanda fuerit.

Illustris Domine mi obseruandissime.

CONSVLTATIO LIIII.

AD parandũ iusto modo corpus, quo oportunũ sit recipiendæ vtiliter renũ curationi, opus erit primò vt V. Ill. D. purgationẽ, quæ fieri consueuit, & eo maiorẽ accipiat, quo magis eam in vsu habuerit, in qua post florẽ cassiæ, aut simile aliud sibi vsitatũ erit locus necessarius, cum Veris tps sit, ipsi sanguinis missioni intra eũ modũ, quem feri sua consuetudo, postea prosequi per syrupos, in quib. rosaceus primas partes teneat, nõ tã quia cursum humorũ ad renes frenat, & tẽperat, & robur eis restituit, q̃, qm̃ hẽt vim deradendi pituitam lentam a venis, & a renibus, a qua oĩa incommoda ei proficiscũtur, & cum hoc syrupo ẽt ille, qui ex betonica fit simplex, q extenuat, incidit eũdem humorẽ, ac sæpè liquat, vel si in lapidẽ cõcresceret, ac in lotium vertit. His oxymel adiuuabit operas, cũ quibus conuenient optimè dictis rõnibus in iure aspleniũ, pilosellæ, cuscuta, quæ absque vllo impulsu humorũ ad partes infirmiores eos dissoluũt, & obediẽtes, reddunt naturali calori extenuandò ipsos in loco, vbi concoquatur, & partim in alimentum, partim in recrementũ facile ad exeundum. Post quorũ syruporũ vsum a Medico præscribendum accipiet medicinã sub ea forma, q̃ ei facilis sit, ẽtsi esset pilularum, in quib. vellẽ agaricum, & rhabarbarũ principatũ habere, quẽadmodum ẽt, si vellet in potionẽ sumerę, aut bolos. Pręter hæc duo medicamenta vellem folia senæ permittẽdo modi pscriptionem iudicio Medici. Facta hac purgatione, & vijs expeditis cõmunibus, quo possint aditum præstare subsequẽtib. rebus ego laudarẽ, vt V. D. Ill. aggrederetur partium remotiorum, & renib. magis coniũctarum, cum sero lactis ita parato, vt renes permearet, & alias purgaret, quod efficiet, si paratũ erit, sicuti Dioscorides docet, saltẽ separatus sit caseus cum oxymelite una feruefacto, & ei facta deinde colatura ingesto item altero oxymelite quod iterum secũ ferueat, quousq. benè purgentur casei reliquiæ, vbi vellem, quod oxymel secundũ esset squilliticum ad ℥. 1. s. in binas qualq; libras seri, non minus, q̃ duas libras, aut duas cum dimidia sumere non deberet. Oxymel aũt factum sit modo Dioscoridis cũ paulò salis. Bibendi modus is erit, sumat singulum calicẽ vsq; ad totius seri consumptionẽ intermittendo inter vnum, & alterum calicem horæ quadrantem, quod tẽpus deambulando transigat, atq; sic ad minimum decem diebus ad summum quindecim, quod aptissimè caderet in mensem Maij, quo oĩs purgationis tempus deligendum erit. Post hæc expediret, vt aquam Chalderianã acciperet solita copia, qm̃, si pauca sumatur, trãsmutatur a calore naturali, & dissoluitur eius ius, neque potest eam secum ferrè ad renes, præterquam, quod, etiam si eousque vires ferrè posset integras, ob exiguitatem parum posset prodesse. Aestate deinde non vtetur illis medicamẽtis calidis, quę proponi solent con sulentibus de illorum dolore, aut podagræ, sed rem trãsiget cum saccharo rosaceo vna cum eo, qui est ex betonica tam ex folijs, quam ex floribus, & interdũ cum oxymelite simplici, frequentius vero cum succo limonũ, & quando (quę res à purgatione timenda mihi non videretur in vsu dictorũ medicamentorum) inciderett necel-

G

necessitas subueniendi doloribus illorum, ego cum dictis conseruis commiscerem puluerem ossium mespilorum, & spongiarum rubi, & alia eius generis, quorum multa describerem, si incideret necessitas, & aptissima. Autumno autem insequuto consulerem, vt vteretur pilulis confectis ex agarico, rhabarbaro, aloe, ex rosis, & terebinthina, atque hac etiam sola, & conserua ex betonica ac oxymelite squillitico, omni verò anni tempore vomitu citato post humorum apparatum cum syrupo acetoso simplici, aut oxymelite; mouẽdo inquam vomitum post cibos sumptos abstersiuos, sicuti betam, spinachium, raphanida, pisces salitos, aut alia multo sale condita, & aceto, superbibendo ad ciendũ vomitum iuris pinguis magnum calicem, & amplius, aut cum oleo addito aceti paulò, aut syrupi acetosi, aut oxymelitis, qui vomitus postea erit iuuandus, vt inciderit necessitas, sumpto in iure raphanide, quorum loco sola aqua malorum aurantiorum solet optimè facere, si ad manus habeatur. Quod ad victus rationẽ attinet, quamuis hoc debeat, sicuti etiã reliqua, permitti medico praescribendum, tamen, ne videar hunc laborem subterfugere in re ei commoda, dicam, quod panis ex farina nimis pura ei erit magis nocuus, & opportunus magis ad gluten cõficiendum, lapidique pariundo, quam panis sordidior, & a furfure minus purgatus, & D. V. hoc pluris faciat, quam vllum aliud, quod in hoc consilio admonuerim, quoniam ex alijs cibis tantum sumere non solemus, nec tam continenter quantum ex pane, farina autem pura est ad gluten aptissima. Ita oportet etiam panem benè esse fermentatum, ac forsan etiam salitũ. Fortè dixi, quoniam aliqui crederent sal habere lapidis materiam, quod meo iudicio non est adeò suspicandũ. Nam, si ex sale sine glutine componi lapis possit, quae res esset difficilis, ille esset facilis dissolutu. In hoc tamẽ vsui domus rem omnem tribuam. Certè quidem noui, quod in ijs locis, vbi communiter panis cũ sale fit, minus calculorũ fit, & minus dolorum nemini; quam in ijs, vbi sine eo fit. Quod ad potionem pertineat, caueat a frigidiori potione, & cita in mensae principio. Vinum tenue sit, & imbecillum siue album, siue rubrum pro cõsuetudine sua, album potius pòst purgationes, & instante necessitate doloris submouendi ab ilijs. Rubrũ alijs temporibus, quod tamen interdum sumat, etiam cum album praecipitur, experiaturque, nam obseruaui saepissimè, quod rubrum, vel crassum admodum vrinae copiam educit, etiam si sit austerum; nec miratus sum, quoniam multae res austerae hoc faciunt, imò lapillos etiam expellunt. In vino erit imponenda saluia, atq; ẽt betonica, quod vtiliter fier, quia herbae hae omnia mẽbra iuuabunt aduersus podagram, atq; etiam iliorum dolorem. Copię harum herbarum modus non mediocris esse deberet, sed cum ad vsum mensae aptandũ sit, sat erunt canistra singula vtriusque earum in quoq; culeo vuarum, calcari autẽ debet duobus, aut tribus diebus in principio feruoris musti, &, quo melius calcari possit erit mustum subtrahendum, & subinde reddendum. De reliquis cibis in ipso primo mensae accubitu non damno aliquid rerum salitarum ex aceto quidẽ, sed rosis modificato podagrae causa, siue pisces sint, siue piscium oua, aut caro aliqua praeter vetustam, ficus non vituperò, minus vuas, neque cerasa cuiuscunque generis, minimè pruna, aut persica, & cogor laudare pepones, quoties tam boni fuerint, quam non moueant nauseam, aut stomachi turbationem, quae inutilis erit nisi cum vomere voluerit, passulas commendo, & omnes vuas passas, dactylos dictos, nisi caput dolori obnoxium sit. Acetaria non vitupero ex herbis, praesertim non impensè calidis, siquidem, quamuis herba nomine draconis dicta, & similes laudantur ad lapidem frangendum, & materiam eius submouendam, nõ tamen vtiles sunt, si causae efficienti sit occurrendum.

Cum verò etiam corpus mundum non fuerit, ego non admodum commendo lupulos, minus asparagos, qui, quamuis post purgationem sint optimi ad tollendam paucam aliquam materiam, quae in renibus haereat; Sunt tamen magis idonei ei, quando multa est in corpore, in renes deducendae. Si quispiam dixerit mihi tu concedis terebinthinam sine ea conditione depleti corporis. Respondebo, quod plus habet terebinthina inhibentium virium, & robur conciliantium, quam ad vrinam propellentium, per cuius viam permeat, quam illae stirpes, q̃ tantummodo vires habent validiores mouendi ad vrinam, absq. eo, quod renes confirmẽt, praeterquã quod ego terebinthinam cum saccharo rosaceo cõpono. Si in acetarijs pati posset betonicã, & eius flores, esset ei valde utile vti esset caltha. Pimpinella quoq; multum prodest renibus expurgandis sua incisione, & potest inhibere genus omne fluxionum humorum, cui fluxioni etiam bene faciunt flores rorismarini, & saluiae. Calidiores herbae, veluti etiam cepae, porra, allia, accipi vtiliter non possunt, nisi moderatè, quoties opus est mouere. In his sunt Cardui, sunt Alexandrini, & Selini. Quod autem spectat ad aelcas, de pultibus ego non laudo far, nisi cum paulò aceti mixtum sit, & valdè liquido modo, minus laudo oryzam, & damno omnem escam caseo cõditam, aut ouis induratis. Contra autem hordeum valdè vtile est, Legumina rarentet edenda sunt, horumque iura tantummodo, cum mouere oportuerit, quae amygdala recipiunt in rem erunt, magis vero quando mouenda erit vrina, & arenulae q̃ alio tempore, praesertim si repletum corpus fuerit. Herbae, vt beta, spinacium, & similes, quamquam succum bonum non praestant, nocere tamen nequeunt huic morbo, quia remotae sunt a generando humore crasso, aut lento, vitupero quidem rapas non earum ius, sed cum ipsae in alimentum sumuntur, vt omnes crassas radices, crassi enim succi sunt. Cucurbitae exposcũt multam coctionem. Cucumeres videntur mihi tam cocti, quam crudi fugiendi. Carnes tam volucrium, quã quadrupedum, ac piscium suspectae sunt, si veteres fuerint, & gluten habuerint, si iuniorum erunt, grauioris tamẽ animantis in vsu frequenti habendae non sunt.

Sed minorum animantium bonae sunt, & meliores, si fuerint iuuenis animantis, & bene nutriti. Lac fugiẽdum est omnino, oua non frequenter vtenda; minus, si non admodum recentia fuerint, si non mollia. Ob gluten, q̃d habẽt ostreae vitandae sunt, ob duritiẽ, & gluten testacea, & cochleae, ob solã duritiẽ cancri, praesertim caudati si cãcri dicendi sunt in crebriori vsu haberi non debent, & quoties aliq̃s ad horũ vsum vult accedere, q̃ dura, & glutinosa sũt corrigat cũ succo limonũ, aut aceto, sicuti ẽt aĩalium pedes debent cõdiri. In vsu habenda nõ sunt pastacea, neq. intorta dicta, & similis cõpositionis, in q̃ farina triticea ingreditur, nõ fermentata, & caseus, atq; oua nimiũ percocta. De scda mẽsa cauẽdus caseus est, & eo magis, quo vetustior est, & glutinosior, ex alijs reb. vt mala, pyra, castaneae, amygdala, nucleos pineos moderatè sumat, pistacea liberalius pòt adhibere. At minus longus sermo esset, si vellẽ oĩa percurrere sigillatim. Nisi coxerit cibũ non repetat, nõ exerceatur. Exercitationes potius lõgę sint, q̃ vehemẽtes. Balneo vtatur praesertim post purgationes cõfirmãdo articulos, qui laborauerint impositis rosis in lauatione postrema earũ, atq; ẽt sal, q̃ pñt tueri a dolore, seruet oĩno articulos ne frigus accipiant, & pariter renes cũ a frigore, tũ a calore, & a labore dorsi tueatur, naturales inanitiones procuret, vt sunt quotidianae, & ab insuratis abstineat, & a lãguore illius inanitionis, q̃ potius ob voluptatẽ, q̃ ob necessitatẽ fit. Nam profectò oporteret semper necessitatẽ naturae expectari, quemadmodũ nũ q̃ exposcit valetudo, vt superuacuum aliq̃d retineretur. Ex quo nimius cibus est inter grauiora corporis dãna, praesertim nisi cõcoquatur. Et lõgè magis vini potio in hoc calido corpore; Nihilominus ĩ tuo calido corpore maximũ dãnum erit ẽt ipsa abstinentia ad arenam pariundum efficax. Quo credo me posse finẽ facere, cum fortè nimium sim loquutus cum Viro iam bene instructo, cui consilia Sapiẽtiorum Medicorũ non deessent.

Ma-

Magnifice & Excellentissime Domine obseruandissime.

CONSVLTATIO LV.

QVod occupatus sis, in hoc ero tibi socius, itaque et in scribendo ad tuas literas similis. Vbi, cum mihi dicendum sit de morbo huius adolescentulæ, de qua scribis, cũ nos facile citò isthuc simus migraturi; præterquam quod V.E. non eget admonitu, mihi non videtur aliud tibi reuocandum ad cogitationem esse, quã hoc, quod, cum iudicaueris vti multa rõne fecisti, hunc morbum, a ventriculo venire, si vomitus ei esser familiaris, quemadmodũ mulieribus multis solet, videretur mihi ad rem facere, si vẽtriculus eã via exoneraretur, cum ijs auxilijs, quæ S.E. nouit, & hoc per interualla. In reliquis medijs temporibus vteretur, quæ non modo pararẽt humorem, sed etiam ventriculum confirmarent, vt melle rosaceo, & betonica, & demum etiam absinthio, præter cætera auxilia, quæ poterit V.E. ei tribuere. Manum deosculor Pisauri pridie Idus Maij. Anno 1579.

Pro D. Laura Thomasia Corbula Vrbinate.

CONSVLTATIO LVI.

IN auxilium D. Lauræ ad secundas eijciendas possũ ei in memoriam reuocare potius ob debitionem offi cij cum illa mihi intercedentẽ, q̃ quod V.E. opus eo habeat, hæc, quæ nũc veniũt in animũ. In potionem aquã frigidam, aquam melissæ item frigidam per se, aut vinũ cum puluere altheæ, vel chamæmeli, succum maluæ, cinnamomum, cum dyctamno, myrrham, puluerẽ aristolochiæ, aut marrubij, aut abrotani, aut pulegij, præter trochiscos ad id factos ex myrrha, & galbanum a multis cõmemoratum, Sabina adhibetur à mulierib. frequenter, pilula castorei simplicis est in frequenti vsu ob id, q̃d ferè respondet. Ad suffumigium malua, althæa, furfures in sacculo cocti, & calidi. Acanthus, fumus oculorũ piscium salitorum ficuum siccarum, lupulorum cum nasturtio, fumus allij decocti, & balneum ex eodem cum chamæmelo, anetho, &c. Inunctio propriè allij, & abrotani. Pessaria ex gentiana, aut borace, quem ego per os non libenter do nisi parce cum alijs mixtum. Pessariũ item ex cyclamino, elleboro albo, calamentho, sagapeno, euphorbio, quod est valentissimũ coacta cum aquis opportunis, cũ quibus rebus expetitur ẽt auxilium manus obstetricis cum agili dexteritate, quia nisi placidè trahat, quando nondum resoluta est secundina carnosa, hanc extrahunt cũ puerperæ vita, vt multis euenit. Tibi manũ deosculor Castridurãtiæ 13. Cal. Iul. An. 1579.

Illustri Domino meo obseruandissimo.

CONSVLTATIO LVII.

VIs illa infesta præter occupationem, & pondus, q̃d affert illi parti, q̃ omnes semper cordis noĩe appellarũt, q̃uis os ventriculi est, indicat, q̃d humor, vnde flatus ille, & vapor crassus existit, est melancholicus, q̃q̃ ẽt secum habeat aliquid pituitosi ob suum frigidũ genus. Atq; hoc esse nõ põt sine obstructione, & obstipatione multarũ venarum, in quibus humor ille crassus reperitur. Ex quo ego veni in hanc sñiam, quod vtendus sit is syrupus supponendus modo ternorũ cochleariorum quoq. mane, exceptis illis dieb. quibus accipiet pilulas, vt dixi, quod erit bis in hebdomada. pro syrupo. ℞. cetrach pilosellæ, capill. vener. an. m. 1. borraginis fumiterræ an. m. 2. rad. capparorũ ℥. 2. melissæ m. 4. cinnamo. ʒ. 3. Fiat decoctio s. a. ad consumptionẽ tertiæ partis, deinde coletur cũ multa expressione. Ex qua colatura cũ melle, & aceto fiat oximel liquidius s. a. & seruetur pro syrupo. Pilulæ erunt hæ. ℞. specierum hieræ simpl. ʒ. 2. s. agarici ʒ. 1. s. rhabarb. ʒ. 2. aloes ʒ. 1. masticis ℈. 2. pulu. fol. senæ ʒ. ʒ. s. cinnam. ℈. 4. cũ syrup. de epithymo f. pilulę vnius ℈. Ex quibus sumat ternas dictis tẽporibus saltem bis in hebdomada, alijs diebus medijs sumat syrupos, ab

A hisque exordiatur. Postquam per mẽsem sic se gesserit, poterit sumere ius galli veteris saltem quinque annorũ infarcti his suppositis, & benè percocti. Menthæ, melissæ, agrimonij, acetosę, amaraci an. m. 1. passulaium. ℥. 3. Rad. petroselini num. 7. fol. senæ ℥. 1. Cinamomi, ℥. s. coriandr. ℥. t. s. Ex hoc iure senas vncias accipiet quoq; ne, vsque ad. 15. diem vbi erit identidem ius ex nouis gallis sufficiendum. Interea summa temperantia, & sobrietate adhibita, & summo ciborum delectu habito, vt coram dictum est. Hac æstate subinde erit vtile admodum, si sumet sacchatum rosaceum, & borrag. cum rhabarb. E. g. ℞. Sacchari rosacei borrag. an. ℥. s. Rhabarb. ʒ. s. misce. &c.

Magnifice, & Excellentissime Domine obseruandissime.

B

CONSVLTATIO LVIII.

LIteræ V.E. serius trium dierum spatio redditæ sunt, quam debuissent, quid interea matri suæ successerat nosse non poteram in tam acuto morbo, cum mihi persuasissem, quod signa mihi descripta esset inflãmationis iecoris, & de ea mali exitum futurum indicasse, præsertim in senio adeò, vt trium dierũ spatio ad statum deduci potuisset, qui locum auxilijs parum concederet. Neque etiam egeram cum D. Ioanne ex literis ijs, cum ipse antequam hæ literæ redderentur pessimum nunciũ mihi dixisset, vt miratus fuissem me literas de hoc non accepisse, & iam teipsum expectare cæperã. Nunc, si febris diminuta est, sicuti per literas diei 17. indicas credere debes, q̃d materia crassior relicta est, ac frigidior, tum ẽt melãcholica ex exustione, cũ acida sit, quo non sit credẽdum rem adhuc in tuto esse ob malã eius humoris naturã penitus rebellẽ concoctioni, qui, si fortè tumorem fecisset, vt credi facilè posset cũ inflãmationem excesserit, pessimæ naturæ existeret. Itaque tãquam cancer tractandus foret cum lenientib. & mitigantib. veluti borragine, buglosso, liquiritia, gramine, endiuia, fumoterra, betonica, melissa, syrup. de pomis, de polypodio cõposito ex ijsdem adiecta acetosa loco oxymelitis. Cibis adiectis per similem materiã modificatis, potissimũ verò ex floribus horum acceptam, adiectis etiam violis, & altheæ florib. ob vires eius ad aperiendũ idoneas ad quod ipsa melissa esset optima. Manum deosculor Vrbini 15. Cal. Augusti Anno 1579.

C

Magnifice & Excellentissime Domine obseruandissime.

D

CONSVLTATIO LIX.

POsito, vti decens est, quod refert. V.E. de D. Faustina aliud dicere non possum, nisi, quod illum cum leuioribus tractarem etiam per mensem expectando tutius tempus, & certiora indicia casus ipsius. Vbi si pilulas non renuat, mastichinas deligerem cum rhabarbaro, & ab aloe puta abstinerem quod nimium amara sit, subinde in vsu habere vellem continenter diarrhodon cum aromatico rosato, quoniam mihi uideor videre; quod res illa, quam ipsa catharrum, & suffocationem appellat, sit ex magna parte in ventriculo, si pillulę recusantur mallem mel rosaceum solutiuum, cum iure, in quo incoctus etiam esset assaricus, aqua non timorẽ etiamsi vterum expurget, quoniam id leniter facit, nec sanguinem fundit, cum verò ad exspectatum spatium peruenerit, tunc pro statu temporis erit deliberandum. Clauo remedium erit gummi ammoniacum ex aceto solum diu detẽtum, aut hoc cum illo emplastro molliti uo, & viridi æris, ac stercore columbino, quod de potioribus est quamquã fortasse non sat erit, si vetus clarius est, nisi longo admodum spatio habeatur, alioquin caustica tantum valebunt, vt oleum sulfuris, aut atramenti sutorij, aut candens feramentum satis virium habebunt. Quæ tamen magnam partem habeant, quo tutò fiant in modo tractandi, & facilè inflammationem mouent, ac dolorem, vt vidi, adeò quod homi-

E

hominem in cubili plus, quam mensem tenuerint; Itaque vsus assiduus priorum erit melioris consilij cũ vsu balnei ex lixiuio vetusto.

Magnifice & Excellentissime Domine mi.

CONSVLTATIO LX.

NObilis iste opus habebit curatione V. E. ipse affectus est calida iecoris intemperie, quę a natura, & ab incidentibus rebus, præcipuè ab obstructionibus est, quo ego iudicarim ad tollẽdam hanc causam, qđ aqua balneorum Tetucij apta futura sit. Sic illum propterea consului, vt accipiat prius diacatholicon, & subinde die interposito quinque, aut sex calices huius aquæ augẽdo vsq; ad diem sextrum quotidie calicum numerũ, & inde B diminuẽdo vsque ad decimum diem ad minus, vel vsq; ad 15. & postea decernetur de reliquis. Manum deosculor. Pisauri 3. Nonas Septemb. Anno 1579.

Illustris Domine mi obseruandissime.

CONSVLTATIO LXI.

REdditæ mihi sunt literæ tuæ prid. Nonas huius mẽsis datæ. Ac pro responso ego ei cõsulerem, vt persequeretur eam tãtum curationem, quam permittit anni tempus insequens parum oportunum ob hyemem, quod tempus commodum non est sero lactis sumendo, vt morbus tuus exposceret. Itaque loco illius liceret sumere ius ex radicibus cicoreæ, borraginis, fumoterra, C gramine, acetosa, & folijs betonicæ, in quo iure per noctem maceratæ fuissent comæ absinthij, & paulo rhabarbari, quantum libuerit Medico. Quo per dies decẽ accepto vtetur postea sacchаro rosaceo cũ rhabarbari paulò admixto, ex quo tandem sentiet ingens auxiliũ. Si opus fuerit postea Veris tẽpore curationem absoluet cũ sero lactis in eum modũ, in quem præscribetur. Me cõmendatum habeto. Pisauri 5. Idus Octob. Anno 1579.

Magnifice & Excellentissime Domine mi.

CONSVLTATIO LXII.

REquies Nicolai res opiata est, neq. in vsum assiduũ D cõuertenda, neque nisi in magna necessitate adhibenda, Idem de alijs quamuis melius modificato opio sint vt Philonio Romano statuendum est, & de pilulis cynoglossæ, quamquam requies propriè ad hanc rẽ magis in vsu est. Itaq; si noxa vigiliarum intolerabilis est, sumere põt pilulam alias acceptam, aut pilulam de cynoglossa magnitudine ciceris. Si verò etiam tolerari potest, cras vtemur lenioribus quemadmodum ingesto naribus philonio, & locis pulsuum in brachijs, & inungẽdo tempora ex pinguedine alicuius piscis, quemadmodum lucij. Sed melius noscam, quid excogitandum sit, cum melius rem cognoscetur, quoniam etiam per sedẽ opium, & opiata iniecta solent somnum allicere. Manũ deosculor. Pridie Idus Octobris Anno 1579. E

Illustris Domine mi obseruandissime.

CONSVLTATIO LXIII.

CVm V. E. per Cæsarem Galantẽ petierit a me, vt significarẽ ei auxilia, quæ propòsuit Excellent. Papirius Becolius in consilio suo a me nois mei subscriptione confirmato, ẽtsi hoc poterat ex ipsomet Doctore cognoscere, quamquã decumbenre, nolui tñ nõ ea tibi nota facere per has meas literas. Sunt verò in summa vt quoque mẽse sumat oxymellis squillitici, syrupi rosacei, de corticib. citri an. ℥. s. & hoc septem diebus mane cõtinẽter, Octauo die mane sumat pilulas ex cochijs, & de A tribus an. ʒ. s. compositas. Reliquis diebus sumat tribus horis ante prãdium aliquid myrobalanorum conditorum, & sæpè frustulum gingiberis conditi, & hoc cum cochleari sacchari rosacei, si ex eo calorẽ perciperet maiorem, aut cum duob. cochlearibus syrupi rosacei simplicis, & interdũ his præteritis sumat parum rhabarbari, atq; etiam nonnunquã infrascriptas pilulas. ℞. aloes, agarici, rhabarbari, an. ℈. 1. gariophyllorum, gingiber, sanisorum, cinnamomi, salis gemmæ, an. ℈. s. & cum melle rosaceo solutiuo f. massam. Hæc a medico erũt ordinanda, qui curationi interierit. Quando autem fuerit cõmodius tempus reliqua fient, si erit opus. Manum deosculor. V. E. Pisauri 3. Idus Nouemb. Anno 1579.

Magnifice Domine mi obseruandissime.

CONSVLTATIO LXIIII.

IVre profectò ego V. D. dixeram his dieb. de petitione D. Matthæi Tingolij, quod opus esset procurare vt Medicus mihi scriberet statum morbi ipsius, quoniã, quamuis tibi videatur, quod hæ secundæ literæ, satisfecerint, quibus more quodam tuo solito imperas, vt acquiescam, & respondeam, ac si perfectam casus explicationẽ haberent, res tñ ita se nõ habet. Quare si D. Matthæo satisfactum non erit, id accidet ob nimiam tuã voluntatem ipsi satisfaciendi. Non noui ego ex his literis an dolor eũ continenter habeat, quod maximè præter cætera referret, & possum facilè loqui aliena. Age tñ in pęnam ipse vino priuetur, eius loco bibat aquam ex passulis integris incoctis semper ei admixto paulò vini malorum punicorum, aut succi mali medici ad formam syrupi redacti. In viuendi modo non curarem valdè absti neret, carnes iuniorum animantium, & non grauiorũ, siue pedibus, siue etiã alis fidant, oua, pultes ex alica, & chondro erãt optima ciborum genera, sal vitet nimiũ, & penitus acetum, escas pingues, frixas, assasq;, & acria, & aromata, a cibo comedat duo cochlearia granorum mali punici medij saporis. Multũ ambulet, conquiescat noctu, quam maximè potest, ẽt longinque a cibo, sæpè crura lauet aqua talenti, si õtem verò frigida caueat, Solem, & calidum cœlum, & flatum meridionalem, iram quoad eius fieri põt. Habeat in vsu aliquod clystere valentius, & vomitum, si facilis ei est, moueat verò ipsum a cibo cum aqua tepida largè assumpta, & si molestus sit dimittat. Accipiat quoque ter manę has potiones sic integras intermittendo inter vnam & alteram tres dies. ℞. tamarindor. ʒ. 1. sebesten nu. 5. cicoreæ, acetosæ an. m. 1. myrobalanorum citrinorũ ʒ. 2. coriandrorũ ʒ. 1. s. macis ℈. 1. aq. communis lib. 1. s. fiat decoctio s. a. quæ coletur cum multa expressiõne. ℞. suprascript. colaturæ ℥. 3. syrupi rosacei solutiui ℥. 4. misce & f. potio. Diebus medijs mane sumat ℥. 2. syrupi de succo acido citri. Applicet sibi cucurbitulas ceruici posterius sine ferro, trib. aut quatuor diebus mane, & moueat sternutamenta, leuiter tamen. Atque hoc est, quod mihi succurrit, & fortasse ẽt nequaquam ad rem, quamuis credibile mihi nõ videatur. Manum deosculor V. D. atque ipsi ægroto, qui me non alloquitur, quoniam ei iustum videtur velle, vt V. D. satisfaciat pro se quod ego nequaqu amsuis rationibus acceptum relaturus sum.

Domino Hieronymo Palatio Fanensi.

CONSVLTATIO LXV.

NOn miror coniugẽ V. D. vexatã a purgatione fuisse, cum fuerit ea purgatio humorũ crassorũ, & glutinosorũ, qui nunq̃ adeo parari possunt, quin vellicent partes dum ex illis conuelluntur, quin flatus faciant, & torsiones, quin ẽt alios casus efficiant. Video aũt valdè benè fecisse, quæ p suppressionẽ menstruorũ submouerit causam principem omnium istius ægritudinum, præter remotionem materiæ multæ, quæ erat in ventriculo. Video etiam, quod obstructionum illa remotio, & a ẽstruorum

ſtruorum apertio vexationem illam potuit maximè mo liri. Quibus fluentibus menſtruis ego ęgrotam medicamentis non agitarem, ſolummodoque ſyrupos darem, quoniam cognoſcuntur purgationibus menſtruis prodeſſe. His verò quieſcentibus continuò ei inderem phænigmos, qui veſicam excitarent ipſis ſcoptulis; & poſt ſex, aut ſeptem dies ad caurerium venirem capiti dandum, non ſubmoto, aut perturbato ordine curationis per ſyrupos, & medicinas inſtituto. Quod eſt quantum mihi ſuccurrebat pro tempore ſcribendum, faciat me excuſatum apud Excellentiſſimum D. Ioan. Baptiſtam Gratioſum, quod non reſcribam ei, quoniã ſum maximè occupatus. Deoſculor manum T. D. Piſauti Idib. Decemb. Anno 1579.

Pro electuario lambendo.

℞. Rad. althææ, helenij, farfaræ, iridis an. ℥. s. ſ. vtticę ʒ. 1. Comarum origani, pulegij, an. Miſ. f. decoctio ſecũdum. a. qua colata, quæ incocta ſunt contundantur, & per cribum eorum ſuccus exprimatur ex quo cũ ſua decoctione, & ſaccharo incocto fiat electuarium; additis croci, cinnamomi an. ℈. 1: ſ. melonum contuſorum; paſtæ amygdalar. dulcium an. ℥. s. & ad ignem componantur in electuatium.

Pro ſyrupo.

℞. Liquirit. raſæ, paſſularum. Rad. altheæ, Iridis, helenij, farfaræ ℥. s. com. pimpinellæ fol. betonicæ cim. hyſſopi marrubij m. s. Ordei ℥. 3. Fiat decoctio in iure galli antiqui ex qua ſumat quoque mane ℥. 6. addita oxymellis compoſiti ℥. 1.

Ad obſtructiones ex humore melancholico, & pituitoſo ex quibus & ventriculus, & cor, & caput afficerentur.

℞. Betonicæ m. 3. ſtœchad. Arab. euphragiæ an. m. 2. thymi, hyſſopi, maioranæ, calaminthæ, praſij an. m. 1. Rad. cappator. Iridis, gentianæ, ſ. aniſorum an. ℥. s. nucis moſchat. num. 1. piperis ʒ. 2. ſalis gemmæ ʒ. 1. tartari ℥. 1. s. Fiat decoctio. ſ. a. quæ colata condiatur ex melle, & ſaccharo, atque aceto ad temperamentum ſyrupi acetoſi, & aromatizetur cum cinnamomo.

Ad ſiſtendum fluxum ſanguinis renum per anaſtomoſin, quod non ſatis apertè profuit.

℞. Gummi Arabici, tragacanthi, carabæ, boli armenæ an. quantum vis Pulu. flot. tubeorum, trifolij pratenſis tertiam partem omnium, M. & cum aq. ſymphiti maioris f. p. ℈. 1. ſingulæ, quarum binas mane ſumat quatuor horis ante prandium.

Eidem, cum ſuperius non ſatis profuiſſet.

Præſcripta eſt decoctio ex equiſeto, lyſimachia, hypociſtide, polygono, pentaphyllo, alchimilla, piloſella, cui ſumendæ adijciantur ſ. melonum vt deducant ad renes, ex eodem decocto foueatur locus contra ipſos renes, adiecto paulò aceti, Inungatur etiam idem locus vnguento comitiſſæ, & de corticibus caſtanearum, ſumat aquas Chalderianas ad ſolitum modum, vt calefiant in duplici vaſe, ſin etiam ventriculus pariatur, & anni tempus, & ætas frigida quoniam calefactione debilitantur, & frigidæ retentricem confirmant, primis dieb. calices 10. quibus compleantur vnciæ, quotidie augendo donec ad 15. calices perueniat, & ita totos 15. dies ſumenda ea aqua, nihil ſalis adhibeat in eſcis, quas non niſi quarta hora ab epota aqua ſumat. Cuius aquæ ſumptio tota hora finiri debet.

Vel ſumat (ſi ventriculus non toleret) aquas Brandulæagri Carpenſis, quæ nitroſitate quidem ſua renes expurgant ab arenulis, tamen etiam adſtringunt, & profluenti ſanguini abſiſtunt.

Vel ſumat aquam. S. Caſſiani Balnei quidem maioris ad arenulas expurgandas, ſi id vrgere viſum fuerit; ficomellę verò ad renes refrigerandos. Sin minus primũ ſumat aquam Boſſi eiuſdẽ loci minus frigidam, & priores venas expurgantẽ, vt frigido verriculo, & primis vijs conſultũ ſit. Deinde Ficocellæ aquam ad totũ corpus expurgandum, & iecur, maioreſque venas refrigerandas.

Serum lactis præſertim aſinini mihi ſummoperè probaretur, præſertimque ante aquas corroborãtes, ne illæ in corpus minus purgatum è terreſtrib. humoribus inciderent quod quoque mane ad 5. lib. pondus ſumeret. Oxymelle paratum primo, ad poſtremum verò etiam ferro in eo extincto, melle roſaceo in priori calice ſemper ad ℥. 3. iniecto.

Aquas Chalderianas poſt eiuſmodi curationẽ omnem reſeruarem, quoniam ab illis maximè robur ſperarem. Aetas ſecundi ſenij eget alimento, & defendenda eſt ab exſiccatione, quare lactis ſerum rutius, Thermales aquas minus tutas cẽſerem. Finita curatione ne malum redeat victus præſcriptus a tot medicis toties conſultis ſeruandus eſt, vſus verò hordei maximè retinendus, & viſculis, aut ſyrupis ſæpè, & lenientibus medicinis corpus muniendũ, quę illi multa pręcepere. In quib. ego hũc ſyrupum facile principem iudicarem; ex aqua fragarum, & plantaginis flore, & radice nymphęæ, rad. althææ, liquiritiæ, graminis, folijs, & radice plantaginis, folijs betonicę, pimpinellę, ſeminib. meſpilorum, radicib. folijs, & floribus maluarum, bugloſſi boraginis cymis rubi, & pentaphyli, ſebeſten, iuiubis ordeo, myrobalanis, violis, papauere, &c.

Terebinthina cũ aqua roſacea lota, cũ ſaccharo roſaceo mixta etiã in ardoribus vſus ſum, & profuit. Myrobalanos maximè laudarẽ. Rhabarbarum metuerem propter impetum, quem mouet, acrioris humoris ad ipſas vrinas.

De balneo de villa Lucenſi non ita conſtanter aſſererem vtile futurum, vt Chalderianũ, nam à doloribus renum detentos ex calculo, vidi multos quidẽ meliores inde euaſiſſe, tamen plurimam inde arenularum copiã ferè mingere ſolitos, quod illis antea non contigiſſet. Vt etiam noſtro huic ægro accidit, qui à minctu ſanguinis, ſanguineęque, & turbulentæ vrinę benè habuit, at vel arenulas plures inde reportauit, vel eaſdem retinuit, vel etiã mingere cæpit, quaſi balneum illud robur renibus afferat ad eijciẽdum calculum, & eorum corpus laxatum colligat, tamen ſqualloris aliquid, & caloris relinquant, vnde arenulæ fiant, quamuis robore eo eijci poſſint, propterea niſi illis ſumptis aliud remedij genus accedat deliniẽdis renibus vel ab arte, vel a natura factum, ego Lucenſia illa balnea non præciperem; quod verò libenter facerem, quoniã vereor ne calculus ſubſit, neve in limine ſit illius noxæ, nã ardor ille ad anum cõmunicatus videtur a veſica, qui iam ardor continuus eſt, & quãuis non ita æquè ſemper moleſtus, tamen crebra minctio latentẽ moleſtiã loci denũciat.

Apud ſummum Magiſtratum ditionis Ducis Vrbini, de morbo vulgari tunc peruagante.

CONSVLTATIO LXVI.

Medicus de morbis vãgantibus quorũ nunc curatio deliberatur, diminutè ſatis potius refert, quoniam ſemel tantum morbos torius ſpatij ſeptẽ mẽſium inſpexit. Ex ipſius tamen relatu, quid ſentẽriæ mihi extiterit, breuiter dicam, ac non ſolum pro Medico, ſed, vt ſoleo, etiam pro eo cuius officium Duci eſt addictum, diſſeram. Malorum initium Iulij menſe fuit, & importatum ex agro finitimo Ariminenſi, qui id ſecum attulit ſublatus eſt, ex ipſo duo aut tres alij malum acceperunt, & ex ijs item alij, ſic ex vico in vicum

res est deducta; & ex pago in pagum, ita tamen, vt, cum filum deductionis ex vno in alium seruarit, paucos omnino comprehēderit. Nam 7. mensibus 50. vix sunt correpti, ex quibus tertia pars etiam conualuerit, quorũ cõualescentia fuit longi laboris, & cũ febre lēta diu vexāte. Nunc tres vici in pago vallis S. Marini male habent, quidam ibi conualescentes sunt, quorum febris diu traxit, quidam paulò ante malo correpti magnis febribus exagitantur, omnes liuore, quidam etiam sub vehementissima febre affecti sunt, & sine colore; ac toruo aspectu cernũtur. Stupidi quoque, ac surdastri videntur vix percunctantibus respondentes; Contagio tam certa est, quod subito vsi eodem cum ægrotis lecto apprehendantur, dum longius, quamuis in eadem domo, versantur, sani manent, cum cubile ægroti attingunt inficiuntur. Ita vt domus, quæ 6. haberet, vno excepto omnes per hunc morbum breui desiderarit, & iam plures eiusdem vici domus vacuæ sint, & qui vestimenta defunctorum accepere, ij omnes correpti sunt. Quo experimento edocti grabatos iam sub dio exponunt, quo vitiũ amittant. Morbi species vna cernitur, vrinæ duorũ tantum a Medico inspectæ sunt, Primumque perturbatæ magis sunt visæ, sed forte Medicus in diuersa eorum mali tempora inciderit. Quamquam eadem mali species est, non tamen in eiusdem sortis mortales tantum grassatur, sed in omnis generis corporum, ætatum, & sexuum. Qui interiere, nescimus, quot dies laborarint, qui conualuere, certè acriter vexati sunt ad 20. diem, & inde etiam lenta febri vsque in 30. & 40. diem ducti. Hæc historia est, seu narratio satis nuda, & rudis a Medico habita. Num hoc genus pestis sit, & vt pestis tractandum, an mitius leuiori modo curandum, quæri potest; Vbi, si vellem ad ingenij, & doctrinæ speciē loqui, possem etiam ad gratiā, & id quod cuperent audientes differere, & omnino, vt in his casibus cum finitimis in re dubia loquendum esse putatur (quibus tamen res patefacienda aliquo modo est) probare sæpe possem morbum hunc nullo modo pestem esse, quòd tanto tempore, vix 50. corripuerit, ne dum regionem totam non occupauerit, ex quo plures etiam correpti euadāt, qui diutius trahat de quo nullæ notæ macularum aut tuberculorum corpori efferantur. Vnde credendum sit neque a cœli vitio venire, neque a victu communi, quo ferè omnes eius regionis vtuntur ex fructibus arborum, & radicibus, præcipuè rapis. Plurimos etiam eorum qui periere facilè euasuros fuisse, si curari aliquomodo potuisset, si meliori cibo vterentur, si se se sub tectis continerent, neque a morbo exagitati cubulia fugerent, sub dioque in sole diu iacerent in paleas abiecti. Hæc inquam proponere possemus, & talem morbum sententijs scriptorum antiquorum collatis pestem nō esse profiteri. Certè tegere eum disputationibus non debemus. Nā prælterquam quod vndique pericula maiora fierent, publicis edictis non curato, ea quoque dissimulatione fidem apud vicinos amitteremus, qui a nobis vel sanis etiam sibi cautũ vellent, nihil veri crederent, & a nostra saltē negligentia sibi metuētes commercio nobis interdicturi facillimè sint. Itaque mali professionem, & diligentiam apertam tutiorem existimarim non solum contra morbi periculum, sed etiam ad commercia retinēda & fidem apud vicinos conseruandam. Itaq; sponte nostra non requisiti id vicinis significemus, & certiores de rōne huius morbi eos faciamus, diligentiamq; nostrā polliceamur; quam quidem verò non mediocrem ego necessariam existimarem. Nam, vt iam ad verum cognōscendũ, ad rectũ deliberandum ingrediare. Contagione hic morbus repit, tanta verò contagionis vis, & duritas est, vt septem menses se se sustinuerit, in plura loca deducta, & nunquā extincta sit, quæ vis contagionis me perterret, cũ is morbus malus iudicandus sit, ex quo vix tertia pars euaserit, & certo eos afficiat qui simul vna versantur, & per indumēta transferatur, vt illi nōn minus, ac pesti prouidendum sit, quocunque nomine eum appellemus, Venetiarum malum superiorum annorũ non

A esse pestem literatis sententijs contendebāt, quod annō toto in ea vrbe vagatus esset paucos occuparet, contagione tñ serperet, non multa indicia corporibus inferret, vt pestis solet, toto anno eo præterito tandem confestim plurimos cœpit inficere, & necare ita, vt misera cōspectu res esset. Adhuc etiam pestem esse negabāt, quod magis fœminas, quam mares opprimeret, contagionem quidem plurimum posse videbant, tamen, quòd ijs eriā domibus excitaretur, quæ cum infectis nullũ commercium, nullamq; habuissent tunc consuetudinem, putarunt omnino vna contagione non deferri, sed ab aere esse sæuissimæ pestis modo, pestem tñ nequaquam, quoniam aeris non essent pestiferi vlla indicia potius ex cōstitutione minus mala, & ex cibis morbum mitiorē, neque animaduertebant toto eo anno circumfusam contagionē per vestimēta, per mercimonia, vt vt cuique vti incidisset, demum malum, quod poterat, per ea omninò factitare. B Mantuæ febres malignas esse contendebant iudicioque pestis resistebāt eo, quod minuta solũ plebs, & malè viuens opprimeretur, quod etiam longius morbus sæpè traheret. Brixiæ pariter factũ est, quibus in locis omnibus toto irē eo anno malum latuerat, quo Venetijs, eodem. n. tempore & ijsdem nundinis. Tridento in eas vrbes simul delatũ est, Quæ anno, dum dictæ vrbes malum tegebant contagionique apertus uias, & potestatem faciebant, in extremam calamitatem deuenere, quæ postea sequuta est eo deterior, quo serius id eis ē magnitudine mali agnoscere contigit. Veronæ a primo eius anni initio, quo contagionis vitiũ omnibus vna delatum est, mali naturam suspectam habuimus a me verò certo pestis appellata, & suis indicijs demonstrata ciuibus id ægre ferētibus, & ferè omnibus physicis assistētibus, de quo cum ageretur apud magistratũm, & nō satis mihi fidei adhiberi dubitarem, orationē sic concludebam, officium vestrum est hanc ciuitatem a morbo C perimente, & per contagionem se propagante defendere, hunc morbum eiusmodi esse videtis, officium vestrũ ne deseratis, & morbũ quocumq. velitis nomine vocetis. Forte mihi Veronæ facilior fuit mali professio, quod & malum non diu latuit propter eius cœli tenuitatem, corporumq. genus cœli sequutum; & cito interimeret, tũ pestiferos tumores a suę propagationis principio ederet, præterea, quod eius urbis populus minus dissimulatę naturæ sit, quasi ut nomen Vrbis a vero ductum, sic ad ipsam cęli vim, ad corporum naturæ, & mores hominũ D corporis temperiem sequentes morborum et mores sequantur. Ibi itaq; facillimè malum extinctũ est eo modo, quo pestis solet, diligentissime tractatum nondũ. n. circumlata fuerant illa, ex quibus existit cōtagio, nec latè diuisa, qua verò contagione quiescente annis tamen sequentibus bis aut ter quibusdam locis vrbis reuixit, nota itaque subito, & expurgata est.

Quapropter ego nihil de diligentia detrahendum puto, quamuis nondũ habeat omnes pestis notas, cum initio supradictas vrbes in eundem modum deceperit, fortè primo partu non ita sibi similes fœtus edit, delatũ aliunde semen tēporis spatio virium aliquid amittit, ac per generationē postea vires acquirit, vt tandē sui similitudinem, & speciem recipiat, sic enim supradictis vrbibus euenisse scimus, præterquā Veronæ, in quib. ad extremum crudelissima, sæuissimaque pestis fuit. E Quocirca, ne obijciat mihi aliquis conualescentes ex hoc morbo ijsdem vestimentis vti, nec inde malè habere à quibus, si pestis infectio ea esset omninò perimi esset necesse. Nam dico materiam etiam illam humidiorem, calidioremque esse necessariam ad pestiferam luem excipiendam, quam materiam iam per febrem acerrimam consumptam ea corpora amiserint.

Vnde Galenus quoque vlcera in eiusmodi conualescentibus sanescere facile posse credidit, quę enim in eis materia restat, crassa ex siccitate facta est; & præsente etiam prauitate in vestimento ipsa quidem materia pōt affici at febrem eam edit, quam pōt suaicciori, & duriori natura, nempe longam & tenuem. Cōtagionis hic

certis-

certissima vis est, à victus enim ratione si malum esset, aut à corporum apparatu, propter cœli præteritas tempestates, aut ipsius cęli vi non tamen pestifera, tunc vulgò magis opprimerentur, nam vt vulgò victus ratio eadem est, non ita æquè cuiusque generis, & naturæ, & sexus, & ætatis interirent, sed eius facilius, quod esset vitio seu tempestatum, seu victus, seu cœli magis vicinum. Præterea qui ab apparatu corporum existunt morbi, & ex tempestatum mutationibus hi, vt Galenus interpretatur, vno anni tempore homines vix exercent, quod tempus vnum anni sat est humoribus permutandis quo eadem cœli temperies manet.

At vidimus nos hunc morbum, qui alioquin apertissimè certum filum contagionis sequitur, sub diuersis admodum tēpestatibus manere, & iam duo anni tempora perseuerare humoribus necessario, & ipso spatio, & mutatioae temporum immutatis. Contagione morbum a corporibus comprehendi scimus, & plurimos infectorum intetimere, cur non occurramus contagioni? Ei itaque omnino occurrendum, quo communi saluti, & nostrorum præcipuè consulamus, neque est expectandum donec ferè omnes extinxerit, & nomē sic pestis nanciscatur, quare multi contendant pestem non esse, nisi cum plurimos peremerit, sic pestis nomine accepto, certè potius ei nascenti, quam factæ iam occurri debet, eo pacto namque accepro pestis nomine, cum facta est, remedium non admittit, ei ergo nascenti occurramus, & cum eo commertia etiam retineamus. Nobis sat sit plurimos posse tollete, & definienda sic a Medico natura pestis esset, quòd possit, non quod iam id effectū det. Ergo contagium vitemus, quod etiam retento commercio faciemus. Omnes ægrotos in vnum vicum separatū conducamus, illis custodias, ne cum alijs versentur, ponamus, ijs, qui administrabunt, misso sanguine valetudinem, quantum fieri potest, & alijs etiam remedijs tueamur, præcipuè vero dato eis sacculo, quem gerant contta cor arsenici, & camphoræ pleno, cum cariophyllis, nuce moscata, ladano, & alijs eiusmodi, pilulis quoque Ruffa, vel alijs similibus, quibus bolus armena adijcitur, atque etiam agaricus, Res necessariæ importentur, in ostijs hæ statuantur, vt inde illi ministri assumant, qui omnino cum alijs misceri verentur. Vestimentorum omne genus decessorum conclusum in vno conclaui seruetur aperto, si fieri potest ad Boream cęlo, vt lecti, & vestes pelliceæ comburantur, & reliqua expurgentur, quod differendum est, ne certa nimis indicia pestis in finitimos proferantur.

Ministri intra mutos ægris assistentes mortuos in ligneis arcis locent, clauisque arctè valde defixis concludant, & ad tumulum ferant. Si aliquid mercimoniæ seruandum videatur, ne cupiditate rei multi occultent, quæ sunt infecta, & minimè expurgetur vitium, & inde circūferatur, illud expurgari certa ratione poterit, quædam enim aete perflato, vt lanea omnia, quædam non aere, sed terra, & arena, vt linum ipsum rude, & crudum dictum, si effossa terra demittatur tenuibus satis ordini bus, tum terræ, tum lini alternatim coniectis. Quædam aqua feruenti, vt contexta ex lino omnia. Lecti ex plumis, & pellicea omnia igni committenda sunt. De curatione morbi, & cautione particulatim cum medico ei loco pręficiendo agam, de ijs reliquis cum ijs, quibus cura horum est committenda, quorum electio in fidem, & prudentiam debet maximè spectare. Illa enim duo hic maximè expetuntur, quoniam rarissimum est, imò numquam fit, cum euenit vt huius mali genus, longius producatur, quin propagatum malitia hominum inueniatur.

Sæpè verò etiam ignorantia quibus affecti, & cupidi lucri homines ferè calamitates summas ciuitatibus intulerunt. Sint igitur probi & minimè ignari homines. Præterea pręsto illis sit proprius Antistes autoritate sua, & imperio eos regens, in officio continens, et cogens ad obedientiam eis præstandam omnem populum. Itaquè per literas est rogandus Antistes, ne vllo pacto suam ciuitatem deserat, & pagos inuisat. Præterea viri eiusmodi probi, & prudentes, & regionis gnari designādi, tum sumptus illis decernendus, & conquirenda pecunia, quibus facile credo nos hoc malo iri liberatos, sic Iesu Optimo maximo volente, qui nobis clemens hac in re quoq; sit, & nobis bonum præfertur, qui præfati eius nomen hoc negocium aggrediemur. Meæ partes modo erunt Medicum instruere.

De destillatione pro Hortensio Vernacio legum Doct. Nobil.

CONSVLTATIO LXVI.

QVæ sunt in hoc corpote notæ perspicuæ nobis statum huius valetudinis significantes permixti cernuntur, & illæ, quæ secundum naturam insunt, & illæ, quę præter naturam eum habent, propterea difficile est internoscere, qualis sit illius naturalis status, & qualis præter naturam, capitis præsertim, & iecoris. Nam vrinæ flauæ sunt, aluus sæpè colore biliosa, glutinosa, tamen, quæ exiens ardorem mouet; febris sæpè tentat eum alui fluere, quo febris finitur venæ tamen non ita multum latæ sunt, cutis alba, mollis, corpus nutritū nitidum, non ita multum hirsutum, imò ferè glabrum est, & nitore ferè muliebri pilis sub ruffis, capillisque, & herba mollibus, & ruffis corporis habitu facili in sudores, pulsu paruo sic etiam crebro, atque si spatia, & motionis spectes aliquando valdè impariter micante, animus est delicatior, mores molliores, facilis iracundia, quæ etiam facilè considet.

Quod verò ad caput pertinet, ingenium celer, acreq; memoria ante morbum maxima, nunc sub morbo infirma valdè, somni ante morbum breues, & leues, amissa bona illa valetudine arctissimi, color faciei roseus, & candidus, atque vt totum corpus nitens. In quibus notis discernendis ita me gererem. Corporis habitum inter notas naturales numerarē, ac venarum, & pulsuum, & pilorum modum, atque ex tanta albedine, nitoreque vasorum, & pulsuum paruitate, frigus potius viscerum superasse in natura iudicarem, ex mollitie vero corporis, ac morum, & facilitate irascendi, & sudandi etiam humidum elatius fuisse statuerem. At citus ille motus iracundiæ, humiditatem potius, & vasorum angustiam sequitur, vrinarum, & alui, ac febris notas in res nouas incidentes referrem, & aliquid caloris in iecore præter naturam hærere putarem, quod eò infensius esse possit, quo magis alienum à natura iecoris, & corporis existit. Sic in capite memoriæ firmitas siccitatem capitis à natura acceptam, vt somni leuitas, breuitasque, & ingenij acumen ac celeritas, tum siccitatem, tum calorem demonstrant, naturalē verò, quoniam, cum benè valeret, in eo existebant.

Nunc autem somni facilitas, & arctioris illius, ac longi ratio, & memoriæ infirmitas frigus, humidum que incidisse declarant, sub quibus ego magis à statu naturali suo puto cerebrum, & totum corpus declinasse propter recrementa nimia, quæ videmus ab ea destillare, & maximam dictarum rerum mutationem, quam iecur à suo statu ad calidius fecerit. Duas itaque præcipuas partes affectas, è statuque suo naturali deturbatas, & quidem longius abductas videmus; à quibus & ventriculus affectus est existimandus, nam quamuis leuem causam ipsum præstitisse illis omnis debet existimari, vt est verisimile, tamen maiorem ab illis noxam sibi repensam iam accipit, & etiam thorax, vt iam dicturus sum, si prius singulatim affectus dictarum partium ex causis suis exposuero.

Mirabile videtur, quomodo iecur calefactum sit ventriculo minimè calido, potius temperati caloris, imo frigido facto ex malo viuendi modo, & sępè incidente intemperantia, ex studijs literarum, & venere, à quibus potius

potius refrigeratum esse fuerit censendum. At,cũ multa,& ineffabilia sint, quæ possunt incidere in vita iecur calefacientia,& adolescentibus maximè,vt corporis labores horis alienis, meraciores potiones,iracundię,quæ peius tractant hos, qui habent vasa minora, & cordis sinus angustiores,quamuis cum humidius hoc cor sit,citò etiam dimittere necesse sit, breuitatem tamen exagitationis crebritas,& frequentia potuit superare, ne compensare dicam,frequentem verò in ira fuisse ipse confitetur, imò hanc potissimum causam ait,cur patriam relinquere coactus sit,& studijs literarum,se se ea occasione dederit.

Sed coniecturas dimittamus,iam ad id, quod oculis subiectum est,accedamus. In corpore multa crudorum humorum copia est, quod etiam secunda vrina indicauit plena crudi humoris illius, qui collatus cum pure dicitur minus lentus,quam sit pus ipsum,quoniam est puluerosus, ac quasi crassior puluis farinæ,qui humor,cum pituitæ species sit,facit,vt dicant sæpè medici ipsum pus glutinosum esse, non autem pituitam, veluti reliqua pituitæ genera glutinosa faciunt cum pure comparata, vt pus dicatur non glutinosum. Itaque ventriculus hunc humorem subministrat,qui venas, & iecur infarcit non semper ita,vt penitus obstruat, tamen perspiratum aliquantum impedit, cuius rei signum etiam est, quod, quoties ex febribus illi aluus per se mouebatur, glutinosa excernebantur, quæ,cum lutea essent, colore quidem bilem, corpore tamen pituitam denotabant, & tantò plurem pituitam, quanto facilius color flauus in albam rem à bile potest induci, eo igitur humore in corpore abundante, vt pulsus etiam impares contentionem naturæ,cum onere sequentis demõstrant, quid mirum si minus per flatum iecur incaluerit? accedentibus etiam animi permotionibus, & corporis laboribus, & vinis sæpè potentioribus.

Cur enim toties in febres incidisset, nisi ob stipationem horum crassorum humorum? Febris igneus calor est, & à crudis humoribus inducitur, vt Galenus sæpè notauit. Nam,cum de victu extenuante loquitur,& cacochymia ab vna parte,ab alia de crasso victu, & cruditates faciente, illo sanum hominem, sed valetudinis inualidæ reddi constituit,hoc verò robur maius afferri, sed corpus in febres paratius effici. Si itaque febrem excitare crassi humores possunt, cur etiam iecur non calidius reddere? per febres verò etiam facilius, à quibus liberabatur identidem illis humoribus excernendis. Imò sum eius animi, quod corpore ab his crassis humoribus expurgato,iecur nullum calorem retineret,nulla egeret refrigeratione,quoniam humor est continens huius caloris causa,etenim vel crassus,vel frigidus humor diu in visceribus,& vasis calidioribus insistens non solum salsus fieri solet,sed tenuioribus sui partibus ichorem facit & bilescit,neque hoc mirum videatur, cum & aqua ipsa in transitu retardata bilis vim suscipiat secundũ Hippocratem,vt Galenus etiam consentire videtur, quando in lib. 10. method. cap. 12. flauam vrinam etiam fieri a pituita contendit.

At iram, in qua vel renes apertissimè, & ideò iecur maximè calefiat adijciamus,& alias supradictas res, & febres,non mirabimur,si iecoris calidioris notas in vrinis inspiciamus. Capitis a sua natura sicca, & calidiuscula declinatio supradicta est; Causa esse multæ potuerunt; Nam corpore toto frigidiori,ac vita intemperantiori non solum in venereis,cibis, potionibus, motionibus corporis,animi perturbationibus,sed studijs proximè à cibo capescendis,lectura,& scriptione,qua faciem sibi,& caput incalescere sentiebat,vt consueuit,præsertim cum collum arctiori vestimento fuerit cõstrictum. Cerebrum,& caput refriguisse existimo, nam quamuis calidus vapor sit, cum ab inferioribus partibus accepto calore attollitur, & caput calfacere sentiatur, nihilominus sua nã frigidus est, & in capite calorem acceptum amittit,& in naturam sui reuersus caput refrigerat, descendens verò in cerebri sinus illius corpus afficit, & A perfundit,per vasa autem elatus omnem ambitum venarum, & arteriarum, & vasorum ex vtrisque nascentium choroides illas membranas efficientium,& vel re ipsum mirabile; vnde etiam spiritus frigidiores euadant, & functiones animi hebescant,memoria verò apertè, quoniam facilius à frigore obliterantur spectra, quam eis resistitur subiectis rebus suas imagines inducentibus,plusquam virium requiritur ad eas retinendas, quam ad recipiendas.

Memoriæ amissio frigus denotat,cur non humidum cum vir memoriæ siccitati tribuatur? humido quoque eius amissio datur, etenim Galenus memoriæ amissionem cum arctiori somno coniunctam humidæ causæ esse vult. At quoties ea à somno aberit,& siccitas quietem prohibebit,nihilominus à frigore memoria, vt facultas,facilè per debilitatem læditur. Capiti ita refrige B rato succedunt excrementa pituitosa, nam cerebrum, & membranæ illud amplexæ pituitæ pariundæ aptæ sunt, quæ recrementa pituitosa è corpore cerebri in sinus illius cadunt, ac deorsum in fauces delabũtur, tum in ventriculum per facilem deglutitionẽ, & in asperam arteriam si lenia,& arteriæ membranæ similia fuerunt, nam alioquin, vel aqua arteriæ est intolerabilis. Sic crassa per tussim exspuuntur. At,quæ per vasa demittuntur, possunt ad thoracem delabi, possunt ad cor peruenire, & impares illos pulsus,aut intercurrentes,& dicretos facere,vt natura valentior insurgit in onus à capite in partes eas delapsum,à quo corde quam facillime in pulmones reijciuntur.

Sed iam ad thoracis malum deuenimus,& etiam ip- C sius ventriculi. Ab eo, qui ventriculi est ordiamur, excipit uentriculus nolens etiam demissam destillationẽ, nam promptè admodum œsophagus, seu stomachus, (vtroque enim nomine gula dicitur non solum à Galeno,sed etiam Aristotele) promptè inquam in destillationem complicitur, & deglutit, ac deuorat, vnde uentriculus malè habeat,male tractetur nisi, vt ait Galenus libro de vsu partium,bis illam quoquo mense euomuerit, quod vel abstinentia nulla sæpè possit mitigari quin durior,& prauior euadar. Cur non peius ei accidat ex hac mucosa,lenta,& crassa, & multo maximè frigida cum priore conuincta? Hinc verò remittit in uenas plures cruditates,cum cibos concoqui benè non sinat, & vna cum eis per omne corpus diuidatur, & caput petat cerebro pituitosum sanguinem attrahente,quare caput, vel D calefactum facilè destillationibus vexatur pituitosis, quamuis sæpè salsis, ferè enim sibi similem materiam attrahit.

Maximè verò etiam omnium partium attrahit ob formam esse conclusam,& cauam, vt dicit Hippocrates,cui tantus immemorabilium vasorum calor circumsistit. Hoc uerò apparationis à natura ei est datum, vt multam spirituum copiam, qua ad suas actiones maximè indigeret,facilius ad se posset allicere,cum quibus sępè alienam etiam materiam attrahit, vt oculis nimium diu nitentibus accidit,alienis siquidẽ spiritibus,& fumis replentur. Calorem iecoris extenuando, leuandoque dictam materiam plurimum ualere certum est, ventriculum verò materia suggerenda cũ viuendi modo, & studijs,quæ non suis, & longe a cibo se positis horis, sed a- E lienis, & subito à cibo subeuntur,tum destillatione recepta oppressus, qui forsan sublata destillatione facile se ipse restitueret,vt de iecore diximus,si a materiæ illo genere exoneraretur. Thoracem affectum etiã uidemus, & in suam temperiem noxæ aliquid accepisse est verisimile. Nam tam diu considit materia illa humida,& frigida in ipso, vt vix credibile esset non aliquid sui frigoris,& humoris impressisse,vt, nisi cito liberetur, vel per se possit iam eiusmodi materiæ genus procreare,præsertim, cum ex pulsibus impariter micantibus materiam eiusmodi in vasis etiam circum pulmones sæpè residere intelligamus. Cur verò materia illa per noctem, & quietem non moueat tussim,sed à somno expergefacto tantum? Ego in multis hoc vidi, & sum causatus materiæ genus

genus primum lené sine vlla tangendi vi noxia ob maximam cum membranis similitudinem, causaret cum eo motionis etiam lentstatém, qua lente admodum, & sensim defertur, & in trachæa arteria colligitur, quo an gultiam etiam spiritus afferat, & suffocationem, ut subito expetrectus multò magis exagitetur, sicuti etiam radicem dulcem mandendo. Etenim materia lenis, nisi moueatur, aut admodum nimia sit, non solet naturæ molesta esse, vidi ego asthmaticos ferè non tussire, quare non potissimum impediendo spiritum tussim mouet destillatio, sed irritando, aut qualitate sensibili, aut motione, neque natura expultrix naturalis, neque animalis facilè, nisi grauatæ mouentur.

Animalis verò, quæ tussim mouet, sensibilem noxam expectat quare, cum expergefactus moueatur ipse, & in motionibus corporis primum, quod mouetur, sit septū B transuersum, & spiritus cū thorace, imò, vt ego animaduerti, cor cum arterijs, inde fit, ut cum spiritu necessario materia commota sui sensum faciat, & animalem vim excitet ad expulsionem, mitto eum motum, quo sub expergefactione spiritus à medio corpore ad partes eminentes effertur. Ex ijs ita explicatis apparent causæ omnium, quæ in hoc corpore cernuntur, atque etiā, cur cum tribus annis sub his malis fuerit, & in febrem sæpè, & in alui fluxionem incideret a purgatione superiori æstate facta melius habuerit, & febrem non senserit, neque dictum alui fluorem, nempè quoniam crassa materia non ita in eo valuerat. Hinc uidetis etiam, cur sanguis emanans per cauterij vlcus, quandoque aquosus est, pituitæ, scilicet permixtus. Cur hæmorrhoides à purgatione fuora dicta non amplius fluant, sanguine magis expurgato.

Atque hactenus de natura corporis, & affectibus ipsius. Adijce tu ætatem 25. annorum, adijce veris tempus. & subinde reliqua transigantur, quæ agenda ostenduntur. Hic est materia in toto corpore pituitosa, & intemperies capitis iam infra, vt perpetuum malum ostendit, frigida, & humida est fère ei similis etiam pulmonibus inducta, iecori adest quidem calor, sed ille dempta materia tolletur. Quid quodque horum a nobis agendum postulat? Materia primum submouenda est, quoniam, quamuis ab intemperie nascatur, intemperiem tamen, & efficit, & conseruat, & eius moderationem impedit, quibus tum materiam submoueres? Magnus morbus magna remedia postulat, hic magnus adeò est, quod periculum vitæ cōtinet, ergo magnum remedium vult. Vires adsunt ergo ad materiam submouendam caloremque concoquentem leuandum sanguis mittendus est, quoniam vires permittentes indicant una quod materia morbum nutritura, quæ in venis est, ea etiam sanguis est, siquidem, quod destillat, est recrementum alimēti cerebri, quod ex sanguine sibi elicit, ea itaque conditione mittendus est, ac neque cibo multo reficiendus. Magnus enim morbus in corpore quocunque, si vires adsunt alitur sanguine.

A sanguine ergo metus magnitudinis morbi est. Ergo subtrahendus sicuti etiā cibus nisi vires prohibeant. Sanguinem, ego nulla alia via detraherem, nisi per hæmorrhoidas hirudinibus adactis, quoniam natura eo demittere onus consueuit, quo, nos non vereamur, ne natura eo onus molestum compellat inuitata, vt sanguis crassus elici possit, præterea satis est, si tenuis etiam detrahatur, ad motum inhibendum sursum factum, & à capite reuocandum, retrahendum ve, atque etiam copiam eius liquidiorem, & pituitosam imminuendam. Pituitosum sanguinem per hæmorrhoidas educi mihi persuadeo, cum video illū sanguinem minus rubrum, & valde crassum, atque facilè concrescentem, qui nisi sit earum venarum, quæ à caua in carnes funduntur, sed sit earum, quæ à porta sunt, certè pituitosus est, earum enim venarum, quæ à caua ad carnes veniūt, sanguis mutatus valdè est, alimento proximus, sic eius habitus est, quamuis non sit pituitosus, vt venarum, quæ in extremis sunt esse solet. Itaque aluo demissa aliquo A medicamento leniente hirudines apponerem, deinde vaporem aquæ calfactæ subijcerem, ac nisi tantum sanguinis, quantum sat esset, efflueret, cucurbitulam affigerem. Medicamenta deinde subijcerem curationi, humores melle rosaceo, syrupo de betonica, & cicorea pararē adiectis aquis betonicæ, scabiosæ, & cicoreę; De inde medicamento humores purgarem supradictos, ex agarico, sena, & diacathol. subiungerem alteros syrupos fortiores, nempe de stœchade, oxymelle, & decoctis in aqua nenuphare, helenio, scabiosa, betonica, capillis veneris, & similibus, & interea iterum hirudines adhiberem modo supradicto, ad extremum pilulas ex agarico Mesue, & cochias. Ex quibus tamen non crederem corpus, & pulmones expurgatos, sed egere, vt sudoribus quoque omne corpus leuaretur, ad quos & ipse est facilis, & salsa parilia capiti etiam idonea satis valida est, & quia non est aspera pulmonibus magis apta est. Illam igitur 24. saltem diebus darem vel amplius, si cum guaiaco componenda sit, vt inferiorum viscerum etiam ratio habeatur, cum quibus helenium, & rorismarini flores componerem, & cum abstinētia darem; Quibus potionibus ad conueniens spatium acceptis, sudoreque purgationem totius corporis, & pulmonibus consequutis, & illorum confirmationem caput restabit tractandum, cuius materiam potissimum errhinis ego elicerem, vt à faucibus auerteretur, neque verò solum succum betarum, aut amaraci, vel eiusdem amara ci pulueres infunderem, sed cyclaminum, & albū quoque elleborum adhiberem, quibus caput expurgatum leniter deinde calefacerem, valentius vero exsiccarem, C vt calore non magis ab infernis traheret, siccitate verò firmaretur, & in suam naturam se se reciperet. Eo iudicio tamen calidiorum vim metirer, vt vsui esse possent ad vim medicamentorum altius adducendam, Fieri solent cerata, seu emplastra ex resina pini, myrrha, iuniperi gummi pulueribus guaiaci, gariophyllarum, betonicæ, macis, nucis myristicæ, & similibus. Sunt olea valentiora per destillationem expressa, vt myristicę, gariophyllorum, cinamomi, succini, myrrhæ, & eiusmodi alia, est aqua vitę dicta, in qua macuerint commodè supradicta genera; Lotiones capitis ex lixiuio, cui eadem incocta sint cum rosis, & cupressu, & sale. Verum interius accipiendis capiti quoque, & pulmoni possumus consulere, vt condito sacchato ex rosis, & rorismarini floribus admixto mace, vel nuce myristica, coriandro, D & etiam adstringentibus magis, præsertim si a cibo vespertino, cum dormitum iturus est, voluerit accipere, vt bolo armeno mirabiliter sistendę destillationi valente, & saccharo rosaceo, vt alijs eiusmodi.

Sed horum vsus nō erit necessarius, si uolnerit se se dare balneis, lucēsibus, à quibus interius accipiendis viscera omnia exactè purgabuntur, & firmari poterunt, pulmonesque preſertim exsiccabuntur, & ventriculus, qui humore nimio abundare intelligitur, caput etiam pariter, cui capiti siccitatem, & robur, ac leuem refrigerationem per instillationem quærendam esse consulerem & sanè certissimam salutem sperarem, neque præterea alia multa ei facienda iudicarem. De uictus ratione pauca supersūt: dicēda: aeris mutationes à calore in frigus potissimum subitæ vitandæ, cautè certè subeundæ, E & paulatim faciendæ, integumentorum capitis similiter, & quorumcunque eius generis.

Succum cœlum nec multum crassum esse debet. Frigidum omninò, & humidum vitandum, præsertim si tenuè fuerit, potuis enim crassum, & densum hyberno tē pore deligendum. Cibi anhelitus abundantis vitandi, & calidiores, & semel tantum capiendi, & minimè vesperi, vt omninò cœna sit prætermittenda, aut certè exiguum ientaculum capiendum ex ouo, aut panis pulte. Vinum certè vespertino tempore vitandum, aqua, cui incocta sit, aut saluia, aut rosmarinum, aut certè coriandrum. In cibo ante meridiano potest vino vti. Sed imbecillo, & cum floribus rorismarini confecto, ac minimè vaporoso, nā vel olfactus ipse ab odoribus est auertendus

tendus præſertim calidioribus, quare ſolæ toſę, & violę recipiendę à cibo, nihil agitādum, aut cogitandum, minimè ſcribendum, aut animus intendendus. Somnus longius à cibo differendus 7. tantum horis retinendus, ab eo exercitationes, quib. præſertim conſueuit, ſubeundę, quotidie ſemel ſaltem aluus incitanda, animi perturbationes, & ira prẽſertim prętermittenda, ac maximè à cibo. Venere parce vtendum, atque proximè à cibo nunquam. Dixi.

De eiuſdem vxore, quæ infirmis pẽdibus eſſet.

CONSVLTATIO LXVIII.

APartu, qui primis fuit laborauit cruribus ita, vt intumeſcerent inde ægrius habuit, ea verò ſpe trahebatur cũ iterũ eſſet grauida, vt ſequenti partu conualitura; altero partu non adeo male habuit, ut primo, verum neque conualuit, pedes, qui antea intumeſcebant quotidie, nunc ferè non intumeſcunt, ſed cum aliquanto ſpatio ingreſſa eſt, ferè torpent, & in eis uix poteſt conſiſtere.

Hæc virgo cum eſſet, dolorem capitis, & febres longas habere ſolebat; & ventriculum imbecillum, ex, carnis eſt, & calido iecore, vt color & venarum habitus indicat, & pilorum omnia confirmant; Dum procreandis filijs obnoxia eſt, corpus non exagitarem, ſed pedes defenderem, vt ne nimium reciperent onus illud, quod natura poſſet per menſes deponere, quare lotionibus & balneis pedum vterer ex lixiuio, cui vinum etiã immixtum ſit, in coctę verò herbæ prẽſertim ſyderitis, illa ſaluiam imitata, & ſaluia ipſa, & roſmarinum, betonica, chamæpitis alchymilla, ſal, aut alumen rochæ, & cupreſſus, ut quoq; mane pedes in hoc balneum demitteret. Sed id parum proderit niſi temperatè cibis vtatur, & ignauiam fugiat, ſola namque abſtinentia, & corporis motione poterit conualeſcere.

Excellentiſſime Domine mi obſeruandiſſime.

CONSVLTATIO LXIX.

CVm Veſtra E. curandi. Prætoris onus ſuſceptura eſſet, benè etiam factum fuit, quod ipſa deſcripſerit rationem curationis eiuſdem, quod ego illi dixerã oſtendens, quam ſecurus eſſe poterat de præſtantia, V. E. quo etiam rectè ipſa ſingillatim res omnes eſt in ea ſcriptione proſequuta.

Itaque quoniam negare operam meam illi non poſſum, ego quoque manum meam ſupponam, ſaltem nomen meum ſubſcribendo. Quando, vt verè dicam mutare ordinem curationis, V. E. eſſet, aut vanum, aut minimè tutum, tam ſi pilulas, quam ſi ſyrupos reſpiciamus, præſertim quòd ego opinor ſubeſſe partem humoris melancholici, prætrrquam quod credò iſtum non eſſe morbum gallicum, vt quoque exiſtimat V. E. illa caries quidem gallica fuit, ſed indicio non fuit malum eſſe interius ſupra penem, neque vllum aliud ſignum gallici inſequutum eſt, & cruris palpitatio diuerſum modum habuiſſet, ſi ipſe infectus gallico fuiſſet, ſaltem in ſolo crure ſe non continuiſſet, minus ſtabilis fuiſſet, & præterea, vt dicit V. E. aliquod aliud ſignum fuiſſet neceſſario conſequutum, & longè maximè eo, quod guaiacum acceperit, neque conualuerit, aliquid magis extraneum extitiſſet, & magis euidens, quamuis interea, dum ſumpſit leuamen, ſenſiſſet, quod leuamen cum non ſenſerit ab auxilio, tam proprio pariter non permittit credere, quod gallicus eſſe potuerit, ſicuti non ſenſiſſe leuamen ex eo puluere, qui vtique prodeſſe conſueuit, nempè ex ſena, ſalſa parilia, & alijs confectus, ſaltem dum adhibetur, vt ego miracula ferè viderim, qui profectò vidi multos

A conualeſceret, cum membris diſtortis eſſent propter gallicum, qui puluis tamen alijs, qui gallico non laborarent nihil profecit.

Humorem melãcholicum ſubeſſe V. E. deſignat mihi facilè in auxilijs proponendis, & ego cognoſco ex eius corporis tẽperamento à V. E. deſcripto, quod ipſe et tale exiſtimo hominis ætate adiecta, in qua capitis, & neruorum affectus ſolent eum humorem ſortiri. Signa verò etiam non pauca extant ſi animaduertat. V. E. timorem magnum, quem non dicam habet nunc, quando illius cauſa præſto eſt, ſed quem habuit à palpitatione cruris leuiſſima, præcipuè ſi conſideremus, quantum hæreat in eo, & maximeque, cum iam in curatione ſit non deberet ab eo metu, tam occupari. Flatus præterea, quamquàm ſolet etiam è pituita craſſa fieri, quod humoris ſicci genus craſſitudo contineat, facilius tamen a

B melancholico genere fit, vt nunquam a pituita ſi humida penitus ſit, quo etiam palpitatio in crure ſiniſtro cœperit, quod reſpondet lateri eius humoris fonti, potius verò etiam damnum percepit ex guaiaco, quàm adiumentum, vt accidit in humore, qui ſiccioris generis particeps eſt, & melãcholici, alioquin pauci morbi pituitoſi ſunt, qui non percipiant leuamen à guaiaco. Quo ego omnino deſcendam in ſuam curãdi rationem, maximè quod certus ſum ſe æquè in huius temporis curatione, atque in altera oportuni tẽporis ad aquas thermales accipiendas reſpecturum eundem humorem. Veluti exhibendo ſerum lactis cum ſucco fumi terræ cũ ſyrupis ex eodem confectis, & ex epithymo per multos dies, atque etiam ſalſam pariliam ad parandum partes neruoſas accipien-

C dã vtiliter a thermis. V. E. deoſculetur manum eius nomine meo. Sicuti ego V. E. facio.

De puero 12. annorum fluxu alui exagitato.

CONSVLTATIO LXX.

CVm peros ſumere nequeat, videtur mihi ſupernacuum multa proponere, quæ per eam viam eſſent vtilia. Verum tamen, cum aliquid cibi capiat, ad rem faceret exhibere lac in quo lapilli albi igniti extincti fuiſſent, quod lac etiam per clyſteria in aluum iniectũ conueniret, ad pondus lib. 1. quoties inijceretur, adiecto etiã

D oleo pondo ℥. 4. nempe roſaceo omphacino, quod ſi parum contineretur, ſaltem bis, aut ter repeteretur in die. Aut ius capitis veruecis, aut agni bene tabefacti adiecto dicto oleo, aut ius maluarum, violarum, portulacæ, ordei furfurum cum ſæuo hircino, & ſupradicto oleo. Quibus, quoties notæ vlceris inteſtinorum cernerentur, adijci terram ſigillatam, aut bolum armenam orientalem cum ſucco plantaginis oporteret.

Si interea per os accipere valeret, florem caſſiæ cum puluere cornu ceruini ei expediret ad deliniendum humorem, quod oporteret ſæpè aſſumere, & cum acciperet ſecundo, aut tertio, vtile eſſet ei bolo adijcere rhabarbarum toſtum, & lorum, vtilia quoque ei eſſent, iura pullorum quibus incocta acetoſa et eius ſemina, portulacaque, & endiuia, bugloſſum, borago, & cicoreum, beto-

E nicaque cum ſeminibus melonum, cucumerum, cucurbitæ, & radices graminis pentuphyli, atque etiam petroſelini, quã caperet hora ſyrupi. Ventriculus poſſet mungi oleo cytoniorum, maſtiches, & abſinthij adiecto vino ex malo punico patumper feruefacto cum oleo, & benè calida inuncto, quod ſi cibus minus retineretur, adijciendum eſſet oleum de mentha. Iecori quoque ſua auxilia danda cum vnguento ſandalino identidem, & ſæpè inuncto, & deterſo ſemper vetuſto cum ſpongia madefacta in poſca, quæ res ſemper tepefaciendæ non calefaciendæ erunt.

In cibum oua recentia tremula dicta, lac & huius atque illorum non multum ratione habita conſuetudinis ægroti. Carnes pullorum gallinaceorum, & veruecis iunioris

nioris,& præcipuè gelu è pedibus, seu turunculis elicitū, cum paulò aceti,& coriandra sine saccharo, pulmenta etiam ex amylo liquidiora, aut ex famis succo incocto mali cytonij paulò, aut sorborum, ex cicoreo etiam, & ex sorbis saccharo conditis,sed pauco,& coriandris sumere potest,& eius generis alia, quæ nunc non videtur à me esse persequenda singulatim. In potionib. si febris exigua est, quæ certe aliqua subesse credenda est, potest dari vinum album imbecillum stomachicum,seu austerum halitiosum aqua cocta admixta vel aquis stillatitijs rerum supradictarum,maximè portulacæ,tum quinque folij,hysimachiæ,hepaticæ pilosellæ,Acetosæ,plantaginis, & similium, quibus contra causa fluxionis agetur, quæ omnino iecoris obstructio feruens est.

De Franciscutia Matrona nobil. laborante destillatione cum febre continua iam vetusto morbo.

CONSVLTATIO LXXI.

QVamuis huic rei à vobis viri doctissimi cumulatissimè satisfactum sit,& omnia, quæ aut ad cognitionem, aut ad prouisionem,curationemque spectare videntur,locupletissimè explicata, tamen meā operam deesse nunquam ei pateter, quæ tot maximorum virorum intercessionibus vsa est,vt a Domino me impetraret. Itaque ego ab illis initijs,& fundamentis rē omnem deducam, quæ in illius corporis natura posita sunt, ad quam verò etiam corpus esset omninò reuocandum. Genus corporis calidum, & humidum esse ostendunt omnia,quæ Medicis solent esse indicia, cum integra valetudine esset, ipsa pulcherrima erat, candidissima,& nitidissima carne referta,atque illa multa,ac omnino molli,colorata,& benenutrita. Cuius quidem corporis humidum genus a iecore humidiore fuisse videtur,calor autem a cordis vi, vnde ipsa quoque animosa esset,vt propter humorem etiam hilaris, & multa vrbanitate prædita. Caput destillationi obnoxium, & excrementis abundans necessario humidum fuisse videtur,atque cum somno esset leui, & intercepto, in somnijsque agitato,& opinione non admodum firma, calorem quoq; præ se ferebat,calorem autem, & humidum raritas texturæ, & facilis noxa ab omnibus mutationibus ostendebat. Hac itaque ætate 5. annorum vi caloris hebescente,menstruis ademptis,cute non ita rara,recrementorum causis adauctis non est mirum, si occasione frequentissimæ celebritatis in templo concalefacto, cœli etiam intemperie calida ipsi caput repletū fuerit,quod præter modum tunc æstuare senserat, deinde refrigerij delectatione decepta ipsa præstiterit causam destillationi,quæ cum febre illam primum corripuit,& spacio suo vsa demum decessit. Postea tamen iterum,& tertio redijt,& demum reuersa duos iam,aut tres cōtinuos menses eum habuit,& malè tractauit,nam carne fere priuatur,& ægrè admodum quiescit, quāuis cibo satis abunde vtatur. Quæ tamen quiescente etiam per supradicta interualla, morbi vi, vt ex ea cognoui non penitus sine tussi fuit, vt nunc febre assidua opprimente tussis sæpè noctu eam relinquit, manè verò maximè exagitat, & tunc plurimum sputi promittit. Minus autem mirum hæc accidisse, cum ventriculo à natura humidiori, ac non ita firmo fuerit,cum & raro sitiret, & plurima potione semel,ac raro accipienda delectaretur, aluo verò etiam molliori semper fuerit, & ventriculi quandoque infirmitate vexata. Qui defluxus partem plurimā in se, vt solet,recipiendo magis refrigescit,& grauatur, & ita materiæ plus capiti suggerit,vnde destillatio producitur febrem verò vna parit is defluxus,quoniam plurima sui parte per uenas,tum à capite, tū ab alijs partibus ad venas pulmonum defertur iā multa occasione infirmio-

A rum, nam vel vna continua destillatione humentiores facti,aut certè simul cum ea motionibus tussis exagitati fatigantur,& præterea,tum motione illa, tum calore ex ea concepto,atque ex putrescentibus humoribus aucto materiam attrahunt,quod enim in intermittentibus febribus necesse sit aliquam corporis partem continere in se putredinem manifestum est,quod in assiduis,& continentibus ea pars sit cordi vicina,quod increscente febre,seu inuadente accessione tussis, & spiritus difficultas declaret ipsas spiritui dicatas partes,aut per se,aut ex connexione affici, quod visceribus minimè tumentib. hypochondrijs minimè affectis, difficili spiritu existēte, per se non connexionis causa illæ partes male habeant, est apertissimum. Quare non est mirum,si adueniente accessione, seu increscente febre, quæ modo nunquam
B quiescit, difficilior spiritus fit, & tussis molestior, si per quietem non ita molesta est, quoniam tunc etiam spiritus,& humores magis quiescunt,etsi concoctio vigeat. Magis verò affectam vnam,quam alteram partem pulmonū mihi significant duæ res,altera,quod in dextrum latus non potest sine maxima angustia spiritus decūbere,altera,quod ex duabus febribus altero quoq; die inuadentibus,& singula singulum diē occupante vna maior est. Etenim in latus plenius decumbere non potest sine maiori angustia, quoniā non ita liberè vtitur spiritu oppressus, non ita libere mouetur, cum verò in magis grauatum latus plus materiæ cōueniat, suam etiam febrem suo die maiorē facit, Dextri,& sinistri tanta diuisio est, vt quasi duo animantia,quodque animās referat, vnde geminatarum partium in corpore hæc potissimum cau
C sa Aristoteli est,qui vel linguam ipsam, vel palatum, ac quasi os diuisum esse doceat,nulla parte non geminata, nisi,quæ medium locum penitus tenere debuit, & vnitatis necessitatem habuit,vt utrumque canale spiritus, & cibi demittendi,alioquin vel lien contra iecur tanquam alterū iecur natura adiecerit. Corde ipso satis distincto, nisi quoniam vnum principium continere totā animantem idem tanquam animans oportuit, Non sit itaq; mirum,si dextrum,& sinistrum latus hic diuersas febres efficiant,quamuis enim ab vtroque vtrumque latus necessario afficiatur, tamen quodque suam præcipuam magis habet,& sentit. Tussis crebrior fit,cum in plenius latus decumbit,quoniā ex ea angustia,& oppressione minus perflantis spiritus accipiens magis incalescit, mate-
D ria plus agitatur,& ita tussim crebrius commouet. At quod genus materiæ febrem faciat, ostendunt sputamina alba,spumosa,& liquida,rarissimè salsa,ostendit vrina plenior corpore,colore non ita,pulsus etiam molles, qui sicuti à bile duriores autore Galeno fiunt, cur à pituita molles nō euadant? Quibus ita explicatis restat caput infirmum cognoscendum, quoniam pituita vel in ventriculo,vel in capite generatur, hic in vētriculo quidem fit,at non tanta,quæ sui copia sentiatur. In capite ergo etiam,vnde facilis descensus ex ipsa cōficietur. At vbi in capite? quoniam somnus non est admodum productus,nedum quoniam à tussi sæpè prohibetur,sed spōte etiam talis est,propterea quod,quāuis materia pituitosa sit,ea tamen in corpore cerebri, aut in finib. illius nō hæret,siccūque cerebri corpus est, Itaque frigida intemperies,quæ siccitati corporis est adiuncta,humiditati q̄-
E quàm recremētorum subiecta,sub febre,tam longa iam frigus in somno perficiendo exercere non potest,& minus humidum alienū sentire proprio squallore facilius vsa,præsertim verò quod quantumcunque pituitæ in capite ab infernis partibus missum, aut tractum colligitur illud in vasis capitis est,quæ caloris vim magis attrahentem habent, quam sit in cerebri corpore,aut sinu vllo, vnde in infernas etiā partes per venas delabatur, siquidem onere suo ibi retineri non potest,aut etiā molestando vim expultricē irritat,à quibus venis corpus quidē cerebri afficitur, sed non ita proximè, ac si in eo materia inhæreret,molestat autem materia,cum in dictis partibus calidiorib. propter moram salsa fit,quæ interdū loci calore valde extenuata permanat ad cerebrum,et ibi

A concrescens salsedinem profert, quod tamen rarò contingit materia facile in infernas partes per amplitudinē vasorum delabente. Illa tantum, quæ ad cerebri corpus alendum defertur minus benè cōuersa, & cruda relicta in pulmones cruda deiecta, & spumosa in his à spiritu, et motu tussis facta per tussim eijcitur, quæ verò in vasis pulmonum putrescit, per halitum dissoluitur, ac si quid eius ad cineris modum remaneat, id per vasa per cordis ventres ad vrinas pellitur, aut per pulmonū rarissimum corpus in trachæam expressa in similitudinem puris cū sputo effertur, ea enim magis, quàm pus lenta est, & pituitam potius concoctam refert. Ex quibus mirum non est, si insanabiles has febres experimur, cū pulmonum vasa, cum ipsorum corpore pulmonum affecta sint, tam longe a vi medicamentorum remota.

B Si vidimus ex affluentia multa eius humoris, & febres maximas fieri, & plurimum eius materiæ lentæ, coloremq; quasi viridem referentis iici, & ægrotos aliquos etiam suffocari, nōnullis ad tabem potius peruenientibus, & extremo illo marcore consumptis, non paucis sanguinis sputo tentatis vasis à materia labe factatis, & onere, ac qualitate irritatis; ac læsis; Quotum quid expectandum sit in hac ægra, si interrogetis, dicā ex coniectura potius corporis maciem metuendam, & consumptionem, quàm suffocationem, aut sanguinis sputum, materia per venas delapsa, & quotidie delabente per pulmones, & vasa durioris iam corporis propter ætatem non ita facilè per ruptura, quin potius per vasa ad vrinas plurima sui parte deferri possit, ex quibus, vt videtis, vix vlla spei vitæ occasio cernitur.

C Quæ autem agenda essent, quo non penitus à nobis deseratur, hæc inde colligi posse videntur, materia pituitosa in pulmones delabens potissima huius mali causa est, quod magnum, & mortiferum est, tum febris genere, tum parte ipsa affecta, tum autem symptomate spiritum impediente, corpus omne, & pulmones etiam alimento proprio priuante. Caput, & ventriculus alias causas omnes huius mali antecedunt, & illi prima initia prǣstant. Materia communis causa omnibus videtur, quę quamuis sui originem à capitis prauitate, à ventriculi noxa ducat, tamen omnibus conseruandis præsto est, neque illa non possunt dempta materia restitui. A materia itaque ordo curationis incipiendus. Multa, & cruda est, & longius tractanda, antequam detrahi possit, febris tamē vis instat, quæ tempore defigi in corpore, & habitu cordis posset, propterea me autore sic ageretis, vt leuiorib. vna,

D & detraheretur, & apparationem acciperet, vna simul febris impetus infringeretur, & corpus alimentum acciperet, pulmones paulatim confirmarentur, & tussis lenior fieret. Nam quod de sanguinis missione deliberetur, locus non est, cum illa suo tempore adhibita sit, neque amplius à viribus permittatur huic magno morbo, vt per sanguinem incremētum, aut periculum accipiat sanguine sic diminuto, neque eius diminutionem vires amplius tollerarent. Medicamentum, itaque sic pararē, ut & ab alimento non esset alienum, & omnia supradicta largiretur: Iura gallinaceorum scimus nutrire, & humores etiam lenire, tum pulmonibus propterea leniēdo esse valde vtilia. His adijciamus purgandi pulmones vim, & etiam pituitæ per aluum deducendæ, roborisque

E pulmonibus afferendi ex delectu gallinaceorū antiquorum, nam ab ætate superuenire carnibus animantium scimus, illud salsilaginosum, quod à tarditate digestionis, excretionisque eius ætatis exoritur, quæ duritate carnium, & densitate cutis efficitur.

Antiquos itaque gallos acciperem, & ijs medicamentis replerem, quæ expurgationem pituitæ, tum per aluum, tum per sputum iuuarent, vt est helenij radix, hyssopum, marrubium, melissa, scabiosa, quæ vt lenirentur, radicem dulcem, passulasque, ac radicem althæę, & caricas secum haberent, & his omnibus venter galli repleretur, & itidem etiam cum eis componerem, hordeum verò etiam in eo iure vna cum gallo percoquerem, & subinde ex eo iure ℥. 6. & ℥. 1. oximellis darem subito a somno quotidię vsque ad 15. dies.

At quarto quoque die loco oximellis floris cassiæ ℥. 2. & mannæ ℥. 2. imponerem, quoniam pulmonibus vtile crederem, & agaricum. Septimo saltem quoque die incoquerem trochiscatum, vt prima, & septima dies haberet agaricum, cassia florem, & mannam, reliquæ oximel; cuius agarici modus ʒ. 1. cum minimum esset. At xvi. die pilulas de agarico Mesues exhiberem. Betonicam etiam prius per vij. dies vltimos in eodem gallo adijcerē, vt iam capiti etiam aliqua ratio haberetur. Solent Medici in eiusmodi corporis consumptione lac, & cochleas, testudinesque adhibere, & cancros. De lacte sic statuerem capiti non esse idoneum, cui maxime prouidendum intelligimus, quoniam infirmū est. Si tamen eo necessitatis res adduceretur, vt metuimus, quod non posset cibos concoquere, & cita admodum, ac facili egeret nutritione corpus, tūc pro grauiori malo euitādo lac poterit ad vitam sustentandam concedi capite interea per errhina diligenter expurgato, vt morbi curatio postulat. De reliquis autem ea mihi sententia semper fuit quod illa neque multum neque facilè neque bonum admodum alimentum afferunt, Medici dicunt eius generis alimentum esse, quod maximè febrili calori dissoluenti resistat, & frigidum sit. Verum cum tardissimè nutriat, neque boni generis sit, potius melancholici præsertim si de cochleis loquendum sit, nunquam ipsum admitterem, nam Galenus in huius generis necessitate facilè & citum alimentum quærit, non solum concoctu, sed tractu ipso in partes alendas, nam ea celeritas summè necessaria est, contra tarditas, nocua; quæ & concoquendo, & transeundo summa in eius generis cibis est. Quare si Galenus lac deligebat potius, quā Suillam celeritatem alimenti copiæ anteponens, cur nos non tarditatem, & malitiam fugiemus? cur peiora, quam sit Suilla deligemus? quo pacto etiam vtilia sint calori febrili resistendo non video, nam postquam in alimentum conuersa sunt, tunc si bene aluerint, nihil ab aliorum alimento bono differunt, & nihil amplius calori tabefacienti resistent, Si antequam conuersa sint, tunc conuersioni suæ in alimentum resistent, neque verò tàm frigidæ sunt, vt instar medicamenti calorem frangant. At alij dicunt ea genera non præcipi alimentorum propter genus alimenti, sed propterea quod destillationi sistendæ faciant humorum motione firmanda sua crassitie, suo frigore, & cochleæ etiam sua quadam siccitate, omnia verò quodam lentore. Quæ cum ita sint, cur nos non potius iussula eorum deligamus? quæ & tutius refrigerabunt, & citius id genus alimenti præbebunt? nihilominus verò motiones humorum sistent? Eoque magis ad id moueri debemus, quod iura illa recipiunt quandam detergendi vim, qua obstructa viscera expurgant, & obstructis hominibus percipiuntur, vnde non solum frigidius alimentum, & facilius prǣstabunt, sed suo quodam lentore lenient pulmonum itinera, & detersione etiam expurgationem eorum iuuabunt. Pulmones siquidem purgari quidem volunt, at à nimis abstergentibus, & aperientibus siccantur, & inde male habent, quare sine lenientibus ea omnia mitiganda, vt itinera trachuæ æquabilia fiant, & læuia, & sputaminum eiectioni facilia, neque dubitare debemus posse esse idem lentum vna, & detersorium, cum in multis ea duo conuenire videamus, vt in succo ptisanæ, in ouorum vitellis, oleo amigdalarum dulcium & alijs. Cochlearum verò etiam aquam per alembicum susceptā multi dant quæ igne lento, & per aquam potius feruentem esset exprimenda. Attribuere etiam possumus destillationis exsiccationem eiusmodi potioni, cum videamus cochleas corpori exterius appositas exsiccare, quo non solum hydropas, sed vulnera etiam oculorum optime viuent. In illis iuribus eadem herbarum genera incoqui possunt & præsertim hyssopus ipsa, ac pro necessitate etiam folia boraginis, huiusque, & maluarum flores aut rorismarini, & betonicæ, Errhinis interea adhibitis ex succo betę, ex radice ciclaminis, ex anagallide, ex radice ellebori albi, ex amaraco, & manna etiam li-

quefacta aliquo eorum iure, quæ quamquàm frigefacto eo dura fiat, iuri tamen vim relinquit. Demum capiti quoque manus ad mouenda, & lotionibus vtendũ, quibus incoctæ sint herbæ capiti exsiccando vtiles, aliquo verò etiã calore præditæ, vt vis earum in cerebrum possit deferri, qualis esset amaracus, betonica, lignum cupressi, & nuces etiam eiusdem, adiectis ad robur inducendum, rosis, & sale ad maiorem exsiccationem, & ab externis iniurijs defensionem. De cauterio nihil dico, non quoniam ipsa illud recusat, verum quoniam non vidi multum iuuare cum materia tanta est, & ventriculi causa toto corpore effusa rheuma facit, illudque diutius habendum est, tunc etenim cerebrum solet infirmare ad materiam a toto corpore venientem facile excipiendam, cum diu in capite habetur, quo circa repentinis malis auertendis accommodatius est, præsertim ferramento candente adhibito. Atque hæc sint satis de malo curationi admodum resistente, & nullam salutis spem habente. Dixi.

Fuit tamen quidam curatus quinquagenarius similiter affectus qui omnia tentarat, & medicos varios adhibuerat, quo vsque illum desererent. Curatus in quã fuit solo vsu iuris cochlearum, in quo feruendo tabuissent hyssopo adiecta. Postquam id. 20. diebus continenter accepisset.

De minctu arenularum cum crebro ardore, atque etiam difficultate aliqua pro D. Hieronymo Marcheto Maceratensi.

CONSVLTATIO LXXII.

NVnc ita habet, vt creberrimè mingere cogatur, ferè cum ardore, sæpè eo insigni, vt quandoque dolorem vehementem faciat, modo facilè, modo cum difficultate vrina exit nempè non subito, ac protinus, cum vult, sed mora aliqua retardatur, arenulæ, quæ antea rubræ essent, nunc albę abundant, demum, malum vetus est, & ætas in secũdo senio versatur. Sed vt causam, quæ remouenda esset, intelligamus, quę antecessere videnda sunt. Iam ferè 20. annus est, cum is occasione quadam casus, & ictus sanguinis minctum habuit, qui potione aquarum lucẽsium curatus est, in quibus etiam se se demersit, & toto anno integer permansit. Secundo anno cum ipse firmandæ contra malum hoc valetudinis causa easdem aquas accepissent, post eas tertio anno in arenularum minctionem, quam ab ijs aquis aliàs reportasse scio, & crebritatem minctus incurrit. Tertio anno ad easdem aquas redijt, & nihil arenulis nihil crebro minctui profuere. Quarto anno ad sanguineos minctus, nẽpè prius malum, quod diu intermiserat, reuersus est, non ita tamẽ multo cum sanguine, vt quatto ab illinc anno cæperat, qui itidem ex potione, & demersione, earũdem aquarum Lucensium suppressus est, inde tamen spatio breui redijt minori, quam duorum mensium, & tertio ex potatione eiusdem aquæ restitit, ardorem tamen clara vrina afferebat, redijt ipso eodẽ anno sanguinis minctus atque etiam toto fere eo anno, qui fuit quintus a primo sanguinis minctu, permansit remedijs quoque arenularum, ardorisque adhibitis, hoc quinto autem anno per se clatuit vrina, inconstanter tamen claritatem seruabat, quæ sic clara cum etiam aquam Brandulæ accepisset, totos quatuor annos perdurauit, Octauo itaq; anno ineunte, ardor vrinæ accessit cum turbatione vrinæ & exigua quadam eius difficultate, quæ omnia sublata sunt ex potione, cui incocta erant sebesten, liquiritia, & malua, quæ 30. diebus esset adhibita. Indeque facilis larga, & sine arenulis minctio facta est præsertim lacte in virgam infuso, quod confirmatum existimatur ex potione postea accepta aquæ Chalderianæ, quãuis poculum tantum singulũ quoq; die, & eum quidem frigidũ accepisset, quæ valetudinis bona ratio, vsque in annum 13. perseuerauit nẽpe quinque integris annis. Inde huc vsq; nempeà 13. in 20. annum ferè male habet arenulæ semper, ardor sæpè, & difficultas vrinæ, retardatioque eum tentat, imò etiam dolor, qui ad sedem quandoque pertinuit, nunc ad os sacrum consedit. Certum commodum percipit solum ex cassia vna cum diasebesten, sine diagridio, aliquãdo etiam ex terebinthina cum ol. amygd. dulcium leuius habuit. Nàm vt ordine huius postremi temporis partes sequar etiam posterius dicta repetendo subtilius 13. anno acris, & crebra, & cum arenulis esse vrina cæpit, quamuis clara, & quandoque etiam remorabatur. Ex oleo autem amygdalarum dulcium cũ terebinthina multis rubris arenulis minctis, itẽ ex aquæ Lucensis potione, saltem sine dolore minxit, ac quamuis arenulæ, crebraque minctio maneret, & vrina etiã quandoque retardaretur, hæc tamen quoq; leuiora visa sunt.

B Anno 16. ex aquæ potione S. Cassiani balnei, quod magnum dicitur, calculũ album eiecit, potauit verò etiam aquam ficuncellæ 19. ad reliquos labores, qui iam consueuerant eum tentare podicis quoque ardor accessit, & remoratio, ac difficultas vrinæ longè maior, quæ ex cassia, & diasebesten lenitiuo leuabatur, subiũcta etiam potione illa ex sebesten, liquiritia, & malua, quæ vtilia fuere etiam post, quotiescunque malum exacerbatum est. Hoc itaque anno 20. & vrinæ ardor, & arenulæ maximè molestant, quæ, cum antea rubræ fuissent, albæ factæ sunt, ac neque sine lentore, neque sine muco quandoque exeunt, ad ea verò, & podicis dolor quandoq; accessit, qui etiam in ossis sacri dolorem traductus est. Variat malum, vel eodem die, vt, cum crebra minctio semper sit, ea modo retardetur, modo protinus procedat,

C interdum cum maiori, interdum cum minori ardore, nunc cum dolore, nunc sine eo, modo subtiliter, modo large exeat. Sequitur, vt consilium capiamus, quod vtilius ad hunc morbum leuandũ videatur. In tam vetusto morbo Medici culpam attribuere calori certè calidis humorib, præsentibus non solet, etsi illi initium etiam præstitissent, minus in extrema ætate multas partes calorem habere in morbis est verisimile, minimè verò in eo, in quo tamdiu cum calore refrigerantibus pugnatum est, vt ex præceptis tot annorum, & tam multorum medicorum descriptis, ex tot aquis medicatis toties acceptis videre est, ab aquis Lucensib. manifestè illa sanguinis proluuies repressa est, arenularum tamen malum eis etiam refrigerantibus est consequutum, quod hucusque trahit, atque, vt minus facilis sit re-

D frigeratio, quam exsiccatio in corpore, refrigerationi tamen cũ tanta opera data sit, non debuisset illius fructus tã exiguus percipi, cum ab exsiccatione, tã multus extiterit renib. ipsis firmandis sanguis, æque vrinæ emẽdandæ, faciliorem autem certè esse refrigerationẽ, & caloris restinctionẽ, omnes physici tenent pro cõstituto. Itaque, si vlla fuit caloris culpa, iã deletam illam esse sit censendum, cum humidi nimij malũ multo antea, & iam dudum remedijs exsiccantib. sublatum sit, quæ eadem, cũ refrigerantia fuerint, & post se vsum frigidiorũ, tam longum habuerint, non potuere non iustũ refrigerium afferre ætate fere iã calorem consumente, restinguenteque. At arenulæ, & calculi à calore fiunt, scilicet vero calor est, qui munera in animante omnia præstat, & oĩum materierum versiones facit, quæ non nisi mirabili qua-

E dam vi possunt permutari, & tanti exiguum calorẽ esse in animante vita manente non posse constat, quin trãsmutationibus materiæ efficiendis sit idoneum. Verum materiam cibi vertere in alimentum temperatus, frigidior autem materiæ genus etiam frigidius potest, at in lapidẽ, & arenulas, & humorẽ salsum, vnde ardor solet proficisci, non nisi valentior calor poterit. Hoc autẽ est, quod dubium res omnes præsentes faciunt ad refrigerationem potius persuadendam, quàm calorẽ spectantes, imò prorsus prohibent, credamus valentem aliquem calorem subesse, vnde ardor, & arenulæ existant, & nisi esset, non fides, si quis post tot refrigerantium 20. annorũ vsum, & post tam longũ morbi spatiũ ipsum vim refrigerandi habens, & ætatẽ velit tamen homines, credere

calorem nimium subesse. Fuit calor valentior, vt notæ omnes declarabant, fuit cum eo nimius humor, vt laxatio renum denotabat, at sub vsu refrigerantium moderatior factus est, quamquàm propter vim multam, quòd robusto in corpore se sustentarit, non ita cessit, vt ne frigidior, quam in humano corpore conueniat, euaserit quin satis roboris etiam habeat, neq; egeat tamen maiori refrigeratione iam temperatior, vim verò gignendarum arenularum habet non sui ratione, sed siccitatis, & duritiei corporum, in quibus ipse est, vnde Serapio à calore etiam temperato fieri lapidem voluit. At densitate & duritie calidi corporis idẽ calor solida colliquat, qui in molliori corpore id nequit. In balneo maria dicto, vel feruentissimo nunquam metalla colliquabis, aut alia solidiora corpora extenuabis in vaporem, subijcias verò arenam feruentem, aut carbones, aut flammam, tunc ea siccitate eiusdem gradus calor firmior, aridior, acriorque factus duriora quoque colliquabit, & in halitum fundet etiam terrena qui halitus alicui parti minus calidæ appulsus in terram penitus reuerteretur. Non est mirum itaque si reficcati renes, vel certè ventriculus, & loci coctionum sua natura satis validum calorẽ tenentes terrestrem ciborum, & sanguinis partem in halitũ fundant, nedum molliores, & alendo idoneas, vnde, sicuti hæ alendo idoneæ peruadendo per omnes partes vaporis formam, tam diu seruant, quam fuerint agglutinatæ, & inde solidescunt in carnium temperamentũ, seu habitum, sic terrestres ipsæ, quam primum remissioris caloris locum attigerint, facilè in terrenã materiam redeunt, & eo aridiorem, quo diutius eum calorem, & tenuitatem retinuerint, quare vix corpus renũ permeat carne calida præditum, quantum sat est ad tenuitatem illam sustinendam, vt, cum primum membranas internas eorum peruaserint, aut certè per meatus vreteres in vesicam peruenerint cũ lotio, ibi refrigerati in terram reuertantur. E cibis igitur calor squallidior ventriculi, præsertim si ciborum ipsorum exiguitas accesserit, terrenam materiam elicit, ex humoribus autem calor, qui in iecore, venis, vesica, & renibus fuerit talis eandem elicit nimirum non tam vi sua calida, quam squalido genere, & assante, ac duriora colliquante. Vbi præterea videmus, quod etiam mora longior in vijs habenda ad eiusmodi materiæ terrenę speciem ex humoribus, & cibis exprimendam est valentissima, vnde sæpè spatium longius ei ad concretionem recipiendam ea materia requirat, sæpeque solum in matula postea lotio refrigerato vis astat. Quod solet euenire nõ solum, quoniam quæ minori calore fuere extenuata, maiori etiam eius remissione, & quandoque etiam frigore egent, vt concrescat. Sed sępè, quoniam per vim valentioris expultricis citius eiecta non satis moræ traxerint, qua relinqui à calore tenuitatem sustentante potuerint. Sed hæc efficientẽ causam referunt, quę sine materia non agit vis, materię causa calore etiam temperato vult Serapio lapidẽ fieri eius extenuationis necessitatis oblitus concretionẽ tantum attendẽs. Materia cibus est, qui partes terrenas solet per aluum demittendas in intestinis relinquere, at, vt Rasis ait ad mentem etiam Hipp. adstrictior quibusdã aluus est, vbi terrestres partes non ita pelluntur omnes deorsũ, sed ea mora vim reliquis multæ extenuatæ, aut calore fortè solidiori per corpus cum humore deferuntur, sed eiusdem quoque alui adstrictionis siccitas intestinorũ, & ventriculi maxima causa est. Arenæ etiam, quas Auicenna vult esse indices sua digredine retentorum menstruorum, ostendũt moram multum facere, vt calor extenuet, exsiccetque, & ut materia relicta à calore postea concrescat. Siccitatis itaque, & soliditatis corporũ culpa est, & causa cur naturalis calor alienus, & durus fiat, vt Galeni etiam mens est, & inde possit recremẽta magis terrestria reddere, & arenulas parere, vnde quartanarios, & leprosos arenulas creare, & chronicos alios morbos uidemus. Cuius siccitatis culpa eriã vrinæ ardor senibus familiaris solet existere. Nam vel asperitate arenarum absente, nullaque insolenti salsedine inducta vrina tamen excrementis acribus semper prædita est, & semper ardori faciendo esset idonea, nisi pinguedinis cuiusdam lenitate à partibus carnosis corporis desumpta acres excrementorum partes inuolutas teneret, qua verò lenitate tunc expoliatur, cum partes carnosæ, & mẽbranosæ corporis siccitate sua calorem sibi acriorem pararint. Spoliatio verò eius lenitatis facit, vt acres partes detectæ acrius agant, & magis abstergant meatus, maximè quod hi suo calore squallidiori minus mucosi sunt vnde ea duplici causa vrinæ vror magis sentiri possit partib. mucore suo, vrina verò pinguedine solita item sua priuatis. Primo modo ægro ardor ille non idem semper est, quoniam mucor viarũ, & pinguedo vrinæ aliqñ redduntur corpori pro victus pro remediorum ratione. Quare antẽ interdum protinus vrinam, cum vult, emittit, interdum non ita, & huius sæpè animi metus in culpa est, cum ipse sibi dolorẽ comminiscitur, ad cuius metus motionẽ spiritus reguntur, & inde corporea instrumenta, multę enim motiones in corpus infiguntur ab animó profectæ, vt contra multæ a corpore incipiũt earum, quæ in animum pertinent, quod necessitatẽ coniunctionis corporis cum animo sequitur, neq; aliter fieri potest, vt Arist. 1. & 2. de anima constituit, quam multi sunt, qui coram cuiusquam mingere non possunt verecundia quadam animum tenente, quæ metus species quædam est, corpore tacito quodam sensu affectum animi sequentem? Quidam qui nihil molestante vrina liberè mingunt, tentante eius ardore quasi prohibẽtur, quoties ad mingendum aggrediuntur, vt quidã Medici putarint eo dolore tunc inflammari musculũ leui illa inflammatione, quæ facilè discutiatur. Sed id verisimile non est, vt tam crebro adeat illa, & decedat, cum tanta sit, quæ minctũ prohibeat. Musculus vesicæ spiritus habet à sensu rectos, tristi ergo sensu spiritus mouentur, & hos alij sequuntur etiã, qui naturæ altricis ministri sunt, & ad hos corpus omne, tandemque musculi. Multum autem facere, vt prohibeatur aliquo spatio minctus, spissamentum, & crassamentum adiunctum vrinæ ex arenulis, & lentore non est dubiũ, quæ res magis, & minus id faciunt, vt musculus est magis, & minus ad dilatandum aptus. Ardori itaque, & arenulis, & lentori etiã illi tollendo incumbendum est, eorũque causæ submouendæ. Ardoris, & arenularum causa est siccitas, & soliditas partium suo aridiori calore, lentoris verò frigus vna etiam cum siccitate per ætatem in sene inducta, sed per medicamentosas aquas, vt vidimus, maxime, nã à potione aquarum semper quidẽ sanguinis illa proluuies substitit, arenulæ verò successere. Quæ siccitas, cum vtrique malo firmando valeat supra à nobis cõstituto, omnino à nobis essent propulsanda, vna tamen etiam frigori occurrendum, modestè verò, ne per calefactionem siccitati incrementum afferatur. Quæ omnino difficillima factu erunt corporis, & morbi ætate maximè repugnantibus, & ad tractandum omninò ineptis, & duris. Siccitatem tolli non posse docemur eo, quod senium ipsum quoq; posset redintegrari. Quare vt, quod huius mali potest prohiberi, conemur, ad materiã nos conuertamus, necesse est. Interea, si quid efficaciæ ad siccitatem frangendam valere videatur, omne conferamus. Moræ ẽt, & tarditati excretionum, cui plurimam vim dedimus, incommodorum, partem plurimam demus curationis. In hac itaq; materia omnis medicamentorum, & ciborũ ratio referenda est, indeq; sumenda eorum delectus definitio. Humida omnia, & minimè crassa esse oportet corporis humidi minus terreni, velocioresque excretiones habẽtis. Calida verò, & frigida non ita tuta, imò penitus vtraque huiusmodi elario in omnib. fugienda. Nã frigus saltẽ ventriculi, saltemque ætatis certissimum subest, & crasso humori, tũ gignendo, tũ ab exitu retardando facit. Caloris verò elatiorẽ uim, si habeat spatiũ scimus corpora viscerũ exsiccare, & ita crassioribus gignẽdis, faciẽdisq; humorib. idonea reddere, vt a Galen. pulchre docemur, quare, si q̃d efficaciæ à calore expetẽdũ videatur, ille tẽperatior adhibendus, si quid à frigore pariter.

pariter. Nam, vbi materia timetur, sæpè contra quam intemperiei ratio postulet molimur, vt cum materia abstergenda, incidenda, & è corpore extrudenda cum sic citate corporis, & calore coniungitur, tunc namque exsiccandi vis non omninò vitari potest, neque vero permiscere solemus, cum maius commodum, & adiumenti plus speramus, quam incommodum timemus. Hic materiæ crassæ, & lentæ metus maximus est, quoniam ab illa, & terrenę partes per calorem acriorem siccitate factum exprimuntur, & coagmentatio lapidis timetur, præter multa alia incommoda retardandæ minctionis, & ardoris per suffectam materiam terrenam augendi. Vbi verò materiæ ratio habenda est illa semper δυσκρασίας rationi anteponitur, nunquã enim tam intemperiei efficacia metuitur cui materia deest, vt ti sublata etiam intemperiei efficacia materia semper nocua est, quæ efficacia cum è sui materia simili sustinetur, nũquam ante materiam auferri potest. Hoc itaque loco materia prius amouenda, deinde caloris siccitas demulcenda. Vbi omnia ad siccitatis metum propositum dirigenda sunt. Præparantia itaque eam materiam medicamenta omnia humido multo implicanda, etiam quæ sint tenuium partium potius, quam asperarum & calidarum deligenda, nunquam verò sine humidioribus præbenda. Exempli gratia betonica, quæ apprime idonea semper à physicis potioribus, est iudicata nõ solum sua tenuitate ad crassos humores extenuandos, & è corpore educendos, sed ad viscera omnia, & præcipuè renes sanandos, vt omninò hic recipienda est sic aut cum humidiori materia componenda, aut eius aqua in balneo mariæ certè oportunissimo destillata assumenda, quoniam lentorem quendam dulcem, lenem certè ex destillatione acquirunt omnia, ex quo ius illius acris delinita minus exsiccet, opus tamen suum nihilominus exercet. Quod de betonica dixi, quam summum, & accommodatissimum remedium ego in his difficultatibus, & angustijs diligendorum medicamentorum cum antiquis iudicarem, idẽ de pimpinella dicta, & de alijs eiusmodi ab Excellentissimis physicis propositis statuerem, & in eorum vsu hac cautione agendum censerem. Glyzirrizam optimè propositam ad eundem finem sua tenuitate, & subtili quadam lenitate existimo, lupuli ad vim vrinæ mouendæ tenuitatem illam, & gelidam quandam vim adiungunt, hordeum frigidius est, ita cũ alijs minus frigidis semper coniungendum, serum verò ipsum, præsertim cum parati humores erunt exturbandi, omnibus alijs medicinis ego præferrẽ materiam hãc expurgatiuis. Cassiam, & Diasebesten sine Scammonio inter expurgantia hanc materiam noxiam a venis non facile recensere solitus sum potius in illis, quæ cum ventriculi, & intestinorum purgatione lenire, & diluere humores venarum possunt, quęque cum extenuantibus misceri, aut intra eorum vsum interponi vtiliter poterunt. De materiam purgantibus dicendo, aquæ thermales, & aliæ potiones modo eodem sumendæ non solent præteriri, propterea his considerandæ sunt, in quibus serum iam suprapositum numeratur, quod humido non caret naturæ valdè amico, quo vim purgantem deliniente cum renes, tum ventriculus prius facillimè, & tutissimè exoneratur; vndè Aetius infirmis ventriculis corpora solet eo humore expedire, a quo sero terrestres materię educuntur, vasaque omnia cum visceribus absterguntur, neque tamen exsiccantur eo humore sibi amico delectata, & imbuta, vnde minus idonea relinquantur humoribus exsiccandis, & indurandis. Thermalium aquarum ratio suspecta superius visa est propter siccitatem, quę maximè antiquitas ei aquarũ generi attribuitur, & nostris temporibus cernitur, quamuis enim aquæ plurimum in se humidi habeaut, tamen, quoniam aqua pota vix corpora humefacit, quæ nutrimento insidente egeant, non humore pręter labente, & tenuitate sua in vaporem inutilem minimè concrescendo aptum caloris vi diffugiente, quo aqua prædita est, humor quidem alibilis ipse quoque in vaporem cõuersus adit corporis partes, at propter naturam materiæ, vnde effertur à calore, non diu sub ea tenuitate manet, quòd ab eodem calore quadã sua pinguedine terrenã naturã complexa concrescat, vt omnia, quæ aquæ, & terræ cõmunia sunt, qualia esse dicuntur perfectè mixta, à quo genere non erat serũ omninò remouendum, neq; enim tam exactè, diligenterve purgari serum potest, quin aliquid densitatis, turbulentisque corporis, & alibilis retineat, quod in aquis thermalib. non videmus, nisi id terra ipsa, & lapidis natura sit, aut simile metallicum. Vim ergo illę metallicam maximè præ se ferunt, quam quidem sortiuntur, quoniam vapores, vnde aquæ concrescunt, cum vaporibus, & halitib. illis, à quibus metalla gignenda sunt, vna congeniti attolluntur, & cõcrescentes in aquam eorum vim retinent, neq; in metalla concrescere permittunt ob maximam vnitatem, & nõ nisi longo spatio, aut per destillationem metalla exprimuntur, aut lapides longo tempore, & sine destillatione concrescunt, & ideo siccæ sunt, & à Medicis siccæ propter id, quod corpori præstant, iudicandæ sunt. Siccitatẽ verò præstãdi potius, quam humorem causa est, quoniam siccitas vno cõtactu inducitur, humor minimè, metallica vis in aqua mixta durior in corpore diutius subsistit non enim dissolutu est facilis, ita in corpore solidiori nitens plus agit, propterea non est mirandum, si ab aquis eiusmodi multoties viderimus arenularum minctũ sequi, vt in hoc viro perspectum est, quod de Lucensibus aquis in alijs obseruaui, quæ propter robur, quod cũ firmitate corporis renibus afferunt sanguinis minctum emendant, ac propter hoc, & abstersionẽ, calculos etiam eijciunt, atque eorum materiã, ita ut in posterũ non retineatur, neque tam facile postea calculo gignẽdo subsistat, arenulas tamen multas postea renes pariunt, quod sint ex eis aquis facti aridiores, & firmi magis, quę res aquæ Tyberinæ tribui solet. Si itaque vlla aqua thermalis ad robur renum, & eas materias expurgãdas deligenda sit, illa dilutior, & infirmior alijs esse debet, nec siccitatem multam relinquere, aut illi subitò post eius potionem aliquid humefacientis est subiungendum, vt iura, quæ infra describentur. Infirmiores solent esse ex ijs, q̃ renibus purgandis, & corroborandis idoneæ habẽtur, illa, qua in valle S. Marini propè Ramãchiolæ fines scaturit, atque etiam, quæ in finibus Veronensium in agro Chalderiano celebris est, a quib. non videmus adeò renes exsiccari, quin arenulas potius finiri, quibus tamen venter, & omne venosum genus ab humoribus alienis liberatur. Potiones salsæ pariliæ quoque potius, quam guaiaci probarentur in earundem materierũ detractionem, quoniam non ita, vt guaiacum exsiccat, & si tenuitate sua valenter dissoluat, à quo tamen guaiaco vidi eiusmodi ardores sublatos, propter humoris depletionẽ, cum in minus siccis, minusque adultis corporib. datum est. Chinam humano corpori amiciorẽ crediderim, & minus arefacientem. Cum ijs verò etiã, quæ renibus, & ventriculo amica sunt, coniungi debebunt, quorũ enumeratio hic necessaria non est, cum longis, & multis aliorum Medicorum consilijs sint cõpræhensa. Ordo horum medicamentorum ille accõmodatus esset, vt primum sero, deinde salsæ pariliæ, aut chinæ potius locus daretur, tertio, si oportuerit, ijs thermalib. aquis, ita tamen, vt aquæ non ita repeterentur, quotannis tantũ, & paucis diebus præbendæ; Salsa parilia bis quoque anno cum maximè serum ter, & amplius repeteretur. Purgãtia alia valentiora vitarentur excepto agarico, sena, & melle rosaceo solutiuo, quæ crassos humores, & terrestrem materiam suggerentes educunt. Pituita enim, cũ lenta est, & crassa non parum eius materiæ exhibet, quę & terrenum, durumq; temperamentũ suscipiat, & etiã asperitate sua ardorem inferat. Vnde vidi ego senẽ annorum 72. qui & ex represso vomitu pituitæ crassę in ardorem vrinæ incidit, & ea pituita purgata per masticatinas, & vini etiam valentioris potione, quamuis illa parcè adhibita ventriculo firmato sanatus est, cum sub eo malo sex mensibus continenter fuisset.

Hæc igitur, quæ pituitam, & terreſtrem humorem expurgant, leniterque id agunt, cum danda fuerint, ante letum, & omnia alia medicamenta præbenda ſunt. Sæpè tamen repetenda, vt quoque menſe, aut mel roſaceum, aut ſenæ aliquid, aut agaricus cum terebinthina, & aloe roſacea deuoretur, ita tamen, vt aloes portio exigua ſit. Ea verò, quæ humoribus, & vaſorum parietibus deliniendis idonea ſunt, ſemper his erunt ſupponenda, vt caſſia, vt diaſebeſten ſine ſcammonio, & deinde potiones eiuſdem facultatis ſubiungendæ, vt ex cauliculis, & comis, ſeu radicibus maluæ, & althææ, & reliquis, quæ à Medicis propoſita ſunt, præcipuè vero ex farfara iuiubis cauliculis raparum; & ex rapis ipſis, cauliculis item cucumerum, & cucurbitarum, atque etiam dactylis, qui cum maturi ſunt, omninò leniendi vim habent, neque mihi de illis aliud veriſimile fit, ſed commentitium putatur quod eis quidam attribuunt. Amygdalas aſperiores, niſi virides ſint, putarem, potiores verò pini nucleos præſertim aqua maceratos.

Paſſulas in ſene appoſitiſſimas cenſerem, non ſolum ventriculo firmando, ſed alendo humefaciendoque, cuique viſceri, quas meli, quod ſenibus vtile iudicatur, præferrem, quoniam illud quoque aſperius eſt. Sapam pariter mallem, in fructibus ceraſa dulcia probarentur, & pruna, ſed melones omnibus, tum cibis, tum medicamentis anteponantur, quoniam eos neque frigidos penitus intelligo, & humefacientes multum, & noui pleroſque, qui ſub eorum vſu donec illi durant ſolitas arenulas non mingunt, quare, ſi aut conditura ſeruari diu poſſint, aut cultura, vt agricolæ docent, plurimum ab illis beneficium eſſet expectandum. Sunt alia multa ex herbis, quæ, quoniam ferè à Medicis omnia propoſita ſunt, non eſt neceſſe hic à me exponi. Cancrorum, & locuſtarum, atque eis ſimilium, vt cochlearum iura plurimas partes habere huic malo repugnantes videntur, nam & eluunt ventriculum, ac renes, & humore quodam mulcent, atque etiam alunt; eorum tamen corpora non niſi benè percocta admittenda, tutiùs verò cochleæ etiam prætermittendæ. De reliqua vita pauca dicenda ſunt, cum à Medicis etiam ſint propoſita. Venter quidem mollis omninò ſeruandus eſt, quoniam eius adſtrictio inter calculi cauſas recenſetur, quod partes etiam terreſtres in venas diſtribuantur. Differre etiam cibum, parceque nimis eum ſumere, idem facit, ac ſtandi labor. Sed nimius fortaſſe fui, quoniam innumerabilia à Medicis prolata ſunt, quorum delectus iam potius ratio, quam numerus quærendus videatur, eoq; magis, quoniam huius corporis tuitio ad opportunitates varias dirigenda Medico præſenti eget. Cui ſat eſt ſententiam, vnde in opportunitatibus regatur, explicuiſſe. Dixi.

De eodem Marcheti vrinæ ardore.

CONSVLTATIO LXXIII.

Nihil ſanè à Medicis video præteritum, quod huic malo vnquam neceſſarium poſſit iudicari. Ne tamen Nobil. viri rogatum videar neglexiſſe, ſcribam in eandem ſententiam, quo vtilius poſſe me perſpexero. Abſentem quidem Medicum rationem curationis certo, & definite præſcribere difficile eſt, minimè vero etiã tutum in morbo longiſſimo, cuius ſpatium nouis ſemper caſubus pateat, quare quod neceſſe eſt præſenti Medico permittam temporis, & modi, & proportionũ omnium definiendorum rationem, & nouam eorum procurationem, quæ longo ſpatio poſſunt incidere. Etenim vt calculi ſuſpicio nunc quoque non leuis eſt, ita futuri metus eſt certiſſimus, ac, quod nobis nunc conſtat, & expetitur, videre nempe arenularum ceſſationem calculi profecto metum ad augeret, niſi ſumma ſecuritas ſublatæ arenularum cauſæ tunc foret, quæ ſecuritas in

A ſene, in vetuſto morbo, & ei ætati familiari, neſcio, an ſperanda ſit. Sæpè videmus nos Medici, & in aliorũ monumentis legimus, poſtquam arenularum proluuies ſtitit, calculum extitiſſe. Materiam quidem calculi coniunctiorem eſſe oportet, & lentore aliquo contineri, donec in calculum dureſcat, quo lentore arenularum materia omnino carere certum eſt, tamen glutinis acceſſio in ſene valdè facilis eſt; arenulis igitur procedentibus bono animo eſſe, & ſperare poſſumus calculum non ſubeſſe, quamuis cognatione materiæ omnino ſecuri non ſimus, præſertim cum inter arenularum etiam minctũ, dum aquas thermales potaret, calculum, & illum quidem minimè rubrum eiecerit. Cumque apud Hippoc. Arabum habeamus, quod à minctu illo perturbato, & nigro calculus exſpectatur, præſertim in ætate admodũ B adulta. Itaque optimè animaduerſum eſt, ne, dum ardori auxilium quærimus, in generationem materierum glutinoſarum incidamus, quod incurremus certo, quoties frigidis remedijs nimium addicti erimus ventriculo per refrigerationem in ſene nullum aliud materię genus, quam glutinoſum ſubminiſtraturo, & illud quidem ſemper craſſum, & ideò plurimum terræ complexum, quæ materia à calore huius ætatis longè à ſtatu naturali per ſiccitatem diſſito, atque acti facto, & denſitate corporum etiam dure extenuata facilè incidens in loca remiſſioris caloris in lapidem concreſcit. Videmus enim molles cibos à mollioribus corporibus duros verò à duris, & adultis melius ſuperari, quamuis in adultis calor minus naturalis ſit. Extenuata itaque materia terrena caloris durioris vi facile eo deſerta concreſcit C in lapidem, vel arenulas quidem ſi minus humoris lenti habuerit, quæ ad mentem Ariſtotelis, & etiam Serapionis è rerum natura mihi ducta videntur. Inde verò eſt, cur calculi, neque à frigore, neque à calore liqueſcant calorem, & frigus in ſui generatione nacti, frigus inquam illud, cui commiſſa, quamuis tepidum ipſum exiſtat, à calore tamen maiori, quo fuerant extenuata deſerantur, & refrigerata durentur.

Itaque vẽtriculi ſumma ratio habenda, vt calculum vitemus, imò vt etiam arenularum materiam minuamus, cum eius primus apparatus in ventriculo fiat. Aut enim ciborum portio, quæ delabi per aluum deberet, quæque terrena eſt non penitus demittitur aluo nimis adſtricta, & ſuctum materiæ longiorem patiente; aut ventriculi coctione imbecilla minus cibi partes ſecer- D nente, vnde terreſtres commixtæ ſub pituitæ craſſæ forma, quæ crudus humor nominatur, ad iecur deferũtur, à quo non poſſunt non extenuari, & in ſanguinis ſibi vicinum, hoc eſt craſſum genus mutari, & quæ omninò terreſtres ſunt, in melancholicum ſuccum, quæ niſi ſubito à liene trahantur, & beneficio ſpirituum multarum eius arteriarum liqueſcent, lienemque alant, in venas reiectæ corpus male habent, quarum, ſi quæ etiam a calore vlterius tractentur, exſiccatæ, & extenuatæ cum lotio effluunt, ac ab eo calore dimiſſæ, modo citius, modo tardius in arenulas concreſcunt, modo in membrana interiori renum natura frigidiori, modo in vreteribus ſæpè in veſica, ſæpiſſimè in matella lotio tantummodo refrigerato, in quo cum minus terreſtres fuerint, etiam ſublimes enatant.

E Quod de omninò terreſtribus dixi ſimpliciter, ad eas, quæ mixtæ ſunt, pro rata portione accommodatur, nam ſæpè ſanguinis etiam participes ſunt, ſæpius bilis, interdum pituitæ, quorum colores etiam referunt.

Ergo non tam calori viſcerum, & venarum refrigerando, quoniã terrena eo violentius extenuantur, quàm humidiori eo reddendo, quam vẽtriculi calore ſuſtinendo intenti eſſe debemus, deinde aluo etiã molli ſeruandæ, ne ſuctui nimio materia ſubiecta nimiũ generis terreſtris iecori permittat, & omninò cibis liquidioribus, mollioribus certè ſubminiſtrandis imò, vt verè dicam, in victus ratione mihi videtur potiſſima huius valetudinis ratio poſita, melius materia non ſumitur, quam ſumpta ex-

pta expurgatur medicinis purgantibus omnibus ad vrinam etiam materiam deducentibus, vt experimur, extergentibus incidentibus, & multo periculo id agentib. sine quibus suscepta materia è corpore exturbari non potest. At ardori quo modo occurres, nisi etiam frigidis vtare, tum cibis, tum medicamentis? Ardori ego potius humida, & diluentia puto idonea, quam frigida necessaria. Nam & humiditas calorem magis ad naturalem modum reuocat, & hic ardorem ab asperitate potius nimium detergente, quam ab acri aliqua calidæ materiæ vi fieri credo, quæ asperitas ab impresso materiæ squallore, profecta, ab eodem etiam detegitur vrinæ lentorem, & leuem quandam pinguedinem à carnibus desumptam absumente, sic apertius ferit. Siccitatem vnam posse acrem, aut potius asperam efficere vrinam proponit Galenus 3. lib. Aphoris. 16. Experiri verò possumus nos salsa magis oculis, & vlceribus molesta, quã vrinas biliosissimas, quas etiam assiduè mingi sine vllo ardore cernimus.

A siccitate verò in corporibus humanis calore eodem manente fieri humorem salsum, si diutius pituita detineatur, ostendit senij conditio in omni genere animantium, quorum corpora salsedinis semper participãt, quod non caloris, sed siccitatis incremento fieri necesse est, qua corpora solidiora, & calorem acriorem, duriorem que fieri oportet, quod in hoc corpore etiam esse fit verisimile, propter quam siccitatem calor ille meti, qui humidior molliores tantũmodo humorum partes vinceret, duriores verò minimè tentaret, imò eas permitteret frigidiores crassamenti crudioris modo excerni, iam durior siccitate, & acrior factus in duriores agit, quarum, quæ non possunt in alimentum conuerti, necessario exustionis speciem retinent, manent verò tenues ab eo calore extenuatæ donec calor remittatur, remittitur verò cum ipsæ in membranas inciderint ipsorũ renum, & vreterum, quæ longe partibus carnosis, & venis spiritus, ac sanguinis plenis frigidiores existunt. Ponamus nobis ante oculos quo modo fumus in caminis refrigeratus fuliginum corpora crassa molitur. Quare curatio illa in primis præferatur, quæ humectãdo corpori huic vacaret, non refrigerando, ne ventriculi culpæ adijceretur, non calefaciendo, ne siccitatem augeret, vt timetur etiam à Galeno, cum de vsu longo extenuantium loquitur illa dicens tandem incrassare, tantum abesse, vt extenuent, quæ verò prohibet in omnibus siccioribus corporibus siccantia porrò ego maximè cauerem; Quo capite constituto, & summa eius vi in uiuendi ratione posita ab ea exordiar eo, quod alimento vno corpora possint à squallore vindicari, quod victus perpetuus est, & vsu longo magis potest humoribus mollitiem, & lenitatem afferre, quàm medicamenta non nisi raris interuallis danda, tandem, quoniam potissima materia à cibis accedit, de qua tamen minus multa sum dicturus, cum ab alijs ferè omnia necessaria descripta sint. Humidam, & liquidam victus rationem esse ardori vrinæ, & arenulis vtilem, nõ solum supra posita huius ardoris, & arenularum ratio indicat. Sed in ardore præcipuè dictum illud Auicennæ confirmat, quo ait exuberantiæ vrinæ operam esse dandam, non quo vrina citetur, minus quo diureticis, sed vt liquida, & liquorem facientia exhibeantur, quo asperitas illa diluatur. At metus est, ne vasa illa renum etiam reserentur. Sed, si exsiccata sunt, & post vsum exsiccantium aquarum in arenulas, & ardorem inciderunt, quomodo nunquam quoque humore a siccitate ad alterum extremum humiditatis adducentur, vt laxa reddantur, quin potius humore quocunque recreentur, & nutrita firmiora fiant? Verum neque ex laxitate reserationem eis euenisse mihi coniectura est, quin potius à sanguinis acrioris vitio, quod irritans illis reseratis excernebatur, nunc ardorem, & arenulas facit, quoniã, dũ diutius detinetur, fit illius materia squallidior. Quod vitiũ materię emẽdatione humidis facienda refrangetur, & ita minus reserandis vasis valebit, ac vt reseratio vasorum fiat, id vtiliter tamen futurum existimo, & tutiorem valetudinem serum allaturum. Cibus itaque nullus durus, nullus siccior, raiò densus ferè liquidus certè mollis esse debet. Crudus nullus, nisi mollis, & liquidus factus sit. Coctus verò minimè assus, semper elixus. Nunquam lentus, aut glutinosus non solum è piscium genere, sed etiam gressilium, tum quæ alis, tum quæ pedibus nituntur, vnde ouile genus à me penitus caueretur, neque veruece laudarem, quoniam in eo genere fœminæ quas mares castrati referunt non expetuntur. At non solum genus, sed ætas est animaduertenda, quæ propter lentorem sæpè mutile genus facit vt in columbarum pullis nimis teneris, vt in animalib. vtero exsecto ad epulandum susceptis.

Gallinaceorũ quidem pullorum lẽtorem admodum tenuem non vererer, qui facilè in vaporem dissolui possit eodem lentore, & etiam densitate vel optimi generis animantium partes quædam reijciuntur, vt in quadrupedibus extrema præterquam suum iuniorum, quorum lentor minime firmus est, reijciuntur, glandulæ capita, rostra, & iecora nisi iecora, admodum mollia parentur nisique humidissimi generis aut lactentis sint, vt suis aut vituli fuerint, sed tutissima gallinacea sunt, seniorum item adultorum ferè omnium carnes in quoque genere vitandæ, & mollissime coquendæ & uirulenta omnia, pulmenta sorbitiones omnes liquidiores sumendæ; Vnde pulmentum ex farre quod lentore suspectum videtur, si liquidius ex multo iure pararetur in sorbitionem, non solum tutò, sed vtiliter sumi potest. Omnia denique supra positis animaduersionibus moderanda sunt. Quibus eam quoque adijciã; vt nihil quod multi saporis sit, comedatur, cũ nullus elatior sapor sine terrena parte aliquo modo exusta fiat, ex mediocribus autem saporibus dulcis quoque non solum acrior, sed etiã lenior fugiendus, propter cruditatem, & flatum, quibus causa ardoris, & arenularum possunt augeri, magis verò vitandus, foret dulcis sapor, qui acrior est, si ætas florentior esset, hac autem non ita suspectus, quare illi dulces sapores tantum penitus a Medicis prohibeantur, qui flatum, & crassitudinem materię, & obstructionem minantur, vt vinorum, non ita passularum. Itaque præter dulcem saporem omnium aliorum clarior saporis gradus metuendus est, insipidaque potius recipiẽda, & eius saporis, qualis ouorum, & prisanæ est, potiusque sale corrigenda. Genera autem ciborum hic à me nominatim appellenda non sunt, cum, vt dixi, iã fuerint descripta. Melones ego summopere probarem, quorum vsu vidi arenulas omnino sublatas & quamuis primo vsu plus arenarum promoueant, postea tamen eas omnino tollunt. Atque hoc velim animaduerti quoniam, si vlla arte diutius haberi possint, ea omnino tentanda est, & cultura quam a veteribus, agricultura autoribus docemur, & conditura, vt nostro tempore adhibetur, aut etiam seruata aqua ex illis destillatis præsertim per vasa vitrea ad balneum Mariæ dictum quam etiam cum vino in mensa potione prima sumendo commiscerem, & plurimum inde sperarem leuamenti. Iuiubas quoque nostro tempore nitidiores, & delicatiores quã antiquis essent maxime oportunas censerem, modo tamen parco sumendus, vt Medico videbitur. Herbam boraginis, & buglossum, atque etiam maluam eodem censu haberem, lactucam seni frigidiorem cautè darem, præsertim si capite infirmo, aut oculis sit. Spinaciam herbam nitrosum saporem habere iudico, & propterea leniendæ vrinæ, non ita vtilem, nisi aluum valentius moueat, sic enim vtiliter accipietur, lapidi quidem iam generari incipiente dissoluendo vtilem puto vt etiam herbam, quam regione hac Liscanum appellant forsan ad Kali referendam, alioquin in ardore his portulacam præferrem, imò cõsulerem, vt in cibis sæpè haberetur. Rapam crassioris succi existimo si tamen maxime cocta sit, erit opportuna, nam humores soluit, lenitus & vrinã multiplicat, Comas illius tenuioris succi, & vtiliores puto, qm̃ non solum suo humore, sed abstersione maxima multum aquæ vrinæ præbent, vt sine dolore exeat. Vnde,

de, qui retinere vrinam præ imbecillitate musculi non possunt, sub vsu horum etiam sine sensu eam effundunt. Lupulos multis duci nimis diureticos scio, tamen si, & non flores, sed tenera germina sumantur, ea & caloris mitis, & lenientis humoris sunt, & ardorem mirificè mitigasse vidi. Asparagos quidem improbarem. Cucumeres, & cucurbitas bene coctas non vitupero, dum venter doloribus obnoxius non sit. Mala aurantia seu narantia dulciora in senetuta esse, vt etiam Medica. Sentirem quoniam neque ita dulcia sunt, vt obstruant, minus flatuosum, aut crassum humorem inferunt, nec ita dulcia sunt, vt bilem gignat, præsertim in sene neque acri vllo sapore humorem exacuūt, potius vero leniūt, & diluunt, vnde facilem, & copiosum minctum reddere expertus sum. Præterea autem cerasa persica, & similia, cum de his satis superque sit ab alijs dictum. Amygdalas, vt asperiores vitarem, pineos nucleos mallem, si aqua diu macerati sint, ita vt & molliores, & insipidiores euaserint. De potione id aduerterem, vt vinum senex esset, non asperum, non austerum, tenuæ quidem non tamen acre, diureticumque, & cum lenitas soleat in censu dulcedinis haberi, tam ego illum in senibus non metuo, etiamsi plus dulcis saporis esset particeps, eum verè dulcedo ea non fit; si peritos saporum consulamus. Imo ad vini lenitatem augendam aqua eiusmodi ei immiscenda, vt cui incocta sit radix dulcis, aut iuiubæ, aut violarum aut maluarum flores, vt cū palato gratiam hoc, vel illud habere cōtigerit. Videndum porro ne nisi lenissimū, & imbecillimū vinū sit, primo cibo sumatur, renes .n. citius, & crudius petit, neue cibus differatur, quoniam huius dilatio humores exacuit, exuritque, sic renibus valdè inutilis est, neue ita commoueatur, reuino maximè, et ficco corpore. Vomitus quidē esset necessarius, & accommodatus materiæ ardoris, & arenularū submouēdarū, nec ita facile respuendus. Clysteria creberrima adhibenda ex mollioribus rebus ad renes deliniendos, & terrestrem materiam eis noxiam per aluum deturbandam, vt ex malua, violaria, althæa, oleo communi, violaceo, amygdalarum dulcium butyro, lacte, & rebus pinguibus. Motus lenior habendus, neque in horam famis, siccitatisque vnquam differendus, neque ventre crudo tentandus. Status in pedes quoque fugiendus, potius placide ambulandum, rhedæ etiam cauendæ, maximè si via aspera sit, potior equitatio habenda, equo præsertim gradario. Atque hęc de victus ratione, vt potissima re præter ea, quæ cumulatissime ab alijs dicta fuerunt. Materiæ verò, quæ iam aliena intus fuerit, tum educendæ, tum leniendæ medicamenta idonea satis à medicis præscripta sunt, quæ etiam renibus demulcendis faciunt. Mihi vero agaruum non respueretur tuto modo paratum, quod crudum humorem, & crassum euocat, serum probatur, quod cum illo coniungi posset, atque cum sena, quæ salsos humores educit. Cassiam siliquam adiungerem, aut diasebestē, aut vtrumque, quoniam purgationi, & lotio lenitas adijceretur, nymphæę radicem, portulacam, flores maluarū, glycirrizam, et passulas etiam, nedum violas, & iuuibas incoquerem, & similem purgationem sępissimè repeterem, aut vomitu certè vterer ter, aut quater in mēse. Potiones verò leniētes modo hoc, modo illo pacto paratas ex suprapositis acciperem, ex aqua lupulorum, melonis, maluæ, portulacę, nymphæę, althęę, & simili. Aquas destillatas libenter propono, quoniā si in vitro factæ sint, sine fastidio sumuntur, & diutius seruantur, citoq; permeant, & præterea lentorē quendā retinent, vt ex sapore percipitur, qui huic malo est accommodatissimus, de quib. aquis illa, quæ ex siliquis fabarum teneris, aut etiā ex fabis ipsis virentib. maximè commendari solet. Melonis quidem vsus nulla alia ratione cōmodior videtur, quam, si aqua ex ipso destilletur, ex cuius semine etiam oleum opportunè assumetur. Si materia crebro expurgetur non erit necesse, vt incidentia, aut extenuantia incō modo renum maiori, quā adiumento adhibeamus, qua re illa ventriculi expurgatio à me sæpè repeteretur.

A Ac etiam bis quoque anno serum caprinum darem, & in multa copia, qua potiorem materiæ partem per aluū duceret, nec multum secum per renes efferret, & easdē res quas supra dixi, renum causa in eo decoquerem, & sæpè cassiam adijcerem. Terebinthum suspectum haberem, quoniam acrem vrinam reddere vidi, nisi diligentissimè diluatur, ita multa diligētia dilutum ex aqua violaceum concederem. Salsam pariliam cum eisdem coctam vtilem putarem, cum sit lupulorum naturæ valdè similis, & diluens humores asperiores. Aquæ thermales omnes exsiccant, vnde corporis partes magis acrē calorem deinde in se se acquirunt, & si interea ab aqua refrigerentur l eijciēdis quidem lapillis, & retinendis profluuijs sanguinis sunt vtiles. Cum igitur purgandæ materiæ hærentis in renibus, vnde illi infecti calorē acriorem B habent, imbecilliores aquas deligerem, vt vallis ad S. Marini, & Chalderianas, quas nunquam ventriculo obfuisse animaduerti. Ita verò humore multo aqueo vis eorum integitur, vt plus diluant quam exsiccent, mediocriter tamen confirmant. Quod si præcipuè ardori fuerit subueniendum, simile medicamentū poterit parari, vt ex f. cytoniorum, f. althææ, f. maluarum, par pondus capiatur, tragacanthæ dimidium, ius radicū althęæ, f. papaueris albi, f. alicacabi, & in eo iure muccagines fiant, ex quibus ita permixtis sumat ad ℥. i. s. cum eodē iure, ex quo factæ sunt, ad ℥. 3. Est oleum etiam violaceū de semine papaperis, & id genus alia. Si casu eueniat, vt arenulæ restiterint leuioribus eas citarem, præcipuè verò ex aqua betonicæ, aut lupulorū, aut etiam succo portulacæ, qui vt Aetius asserit, quasi miraculo lapidem ex- C pellit & summa lenitate est præditus, culpatissimus quidem est cortex, radicis ononidis, sed ardorem vrinæ mouet magis. Si excoriatio subesse intelligeretur, solatri aquam darem. Si lapis, tunc longe aliud negocium, & accuratioris ordinis consilium petendum. Ab emolliētibus quidem tum clysteribus, tum potionibus ordiendum, vt oleo amygdalarum dulcium cum flore cassiæ, & sero caprino ex lacte ficulneo tunc purgato, & ligno pariter ficulneo agitato, quoniam ad expellendum lapidem propriè accommodatur, deinde fortiora post vomitum, post clysteres, post molliora dicta, exhibenda, quæ infinitæ materiæ sunt, neque hic est necesse nominatim recensere.

Hæc sint proposita a præsenti Medico si libuerit in ordinem redigenda, & ad capita suprapposita nisi ineprè D posita videanrur, dirigenda, atque ratione temporis, & virium, vt nouæ res incidunt, definienda, &c.

De Orpheo Rauignano, rheumate in humore & crure laborante.

CONSVLTATIO LXXIIII.

Rheuma hoc vetus est in corpore adulto valdè, cui iam male corpus consueuerit, quod si in ipsis neruis hæreret, frustra iri susceptum curationis laborē existimarem. Verum coniectura nō leuis est neruos ab incumbentibus partibus affici, quod illæ, & rheuma, quo E grauantur, cum neruis cōmunicent, & sic grauatæ neruos quoque opprimant, cuius rei signum est dolor, & frigus artuum affectorum, & quod non penitus nerui spiritibus mouentibus spolientur. Itaque curatio non prætereunda, sed neque negligēter subeunda est, nam difficilis sanitatis adeptio est futura. Purgatio corporis bis, ter & amplius, & cum pilulis iterato habenda est, ex pilulis cochiæ, & de hermodactylis, aut fætidæ deligendæ. Parato interea medijs inter purgationes temporibus humore pituitoso, & etiam melancholico idoneis potionibus, vt syrupo de stœchade, de epithymo, oxymelle, & eiusmodi alijs.

Multa verò, & repetita purgatione catharcticis habita ad purgationem, quæ sudoribus ciendis fit, accederem, quoniam partes materia grauatæ a catharcticis nimium

mium remotę sunt, sudorificis verò necessario iuuandę, vt exonerentur. Vbi salsa parilia mihi idonea videtur, quod ad remotiora facilè emanet, quod capiti vtilis reperta est, & minus iecur exsiccat, aut renes, & melancholico humoribus generi corporis, & ætati familiari accommodata est, summa verò cum abstinentia eius potiones ad 40. dies darem, nec æstum metuerem, quin ab ipso plurimum auxilij sperarem sudoribus quidē quotidie mane, & vesperi per has potiones ciendis toto eo tempore vacatęm, & nihil valentioris membro vlli affecto apponerem, cum membra rheumatibus affecta dissoluentibus simpliciter remedijs curari nolint. A

Excellentissimis D. Consalero, & D. Ioan. Bapt. Gratioso Physicis Ciuitatis Fauen-sis. De tussi cum spiritus angustia, & febre.

CONSVLTATIO LXXV.

Dubitatio mihi summa est, sit ne princeps morbi descripti causa in pectore, an infra pcordia, vtrinque certè notæ a. V V. E E. propositæ oriuntur. Tensio sub præcordijs describitur, dolor pectoris cum tussi minimè sicca, & spiritus angustia, febris assidua, & exigua vehementiorem consequuta reliqua est, quæ vtrum eorum locorum affectorū sequatur, non facilè potest dijudicari. Cum tamen primo febris orta est, pectus simul doluit, & male habuit, atque omne malum in eo primū videtur consedisse, ut, cum in eandem febrem postea reciderit, eadem initia habere, & potius pectoris uitiū sequi conijciam, uisceribus inde fortè læsionem suam nactis. Vtrique parti tamen prouidendum, nec uiscerum cura unquam remittenda; pectori certè potissimum uacandum, a quo & periculum præceps, & insanabile genus morbi facile oriri solet. Ibi materia pituitosa est, & aliundè deducta, attractaque loci calore, & etiam ibi a se aucta, & proprio frigore propagata. Ea rectè a uobis sæpius educta est, & me authore paulatim & sæpius erit educenda ijs semper adiectis, quæ pectori confirmādo utilia sunt, quod non solum cum medicinis purgantibus, sed cum materiam parantibus, & per tussim eam euocantibus faciendum est. In quibus rosacea omnia, & ex uiolis, & nymphæa confecta mihi aptissima uidentur. Helenio, borragine, melissa, quæ marrubij species est, pimpinella, quæ destillationes apprimè solet exsiccare, & cætera illa quibus uos usi fuistis. Purgationibus diasebesten lenitiuum cum agarico infuso, & aliquanto mellis rosacei, & syrupi uiolacei probarem. Māna semper coniuncta in sero benè expurgato hæc omnia dissoluerem ad iuuandam humoris detersionem, salsa parilia etiam mihi idonea visa est, à qua helenium nunquam seiunctū velim, melissam verò, & scabiosam, & nymphææ flores adijcerem. In cibis ptisanæ vsum continuum laudarem iniecto aliquo, quod eam ventriculo aptiorem efficeret, vt aniso, vt cinamomo, vel etiā cepa nisi capiti noxia intelligatur, piper fugerē tanquam laryngi noxium nisi nimis tenax materia esset expedienda atque, vt tutius dari posset cepam incoquerem in eo iure, deinde abijcerem, vt eius vim extenuandi pectori idoneam ius retineret, & quidquid noxæ timeri posset, vitaretur. Si vinum cōcedatur, cum eo aliquid sacchari miscerem, & illud quam tenuissimum, & lenissimum, & imbecillum vellem, sin minus melicratum imbecillum dare incocta pimpinella, hyssopo, & vrticæ seminibus, non percurram omnia, quoniam ex propositis satis vobis aperta mea mens est, uosque optimè curationem instituisse iudico. Valete, meque vt soletis amate. Vrb. 11. Cal. Iulij 1580. B C D E

De ardore vrinæ Excellenti Domino Hieronymo Barth. physico.

CONSVLTATIO LXXVI.

De tuo ægroto, qui ardore vrinæ vexari iam consueuit, vellem certior fieri, quando lotium effert secum illa excrementa, quæ tu Arazzi appellas, & continuo ne post minctum cernuntur à lotio secreta, an multo post; Tum verò cuiusmodi ipsum sit, & quod genus excrementorum illa intelligas, pus ne, an humorē crudum aut aliud pituitæ genus, subsint ne signa, quibus renes affectos conijciam, an solam vesicam credam malè habere; intermittat ne ardor aliquādo, cum mingit, vllius remedio vnquam cesserit. Præterea gonorrhæa ne vnquam illum antea præhenderit, corpus ne tabescat, cuius generis ventriculi, iecoris, & capitis eger sit. Interea necessarium iudicatim curiosè admodum victus rationem ei instituere, quod fortasse à te factum est, minimè verò alienum lactucis, & ptisana eum refrigerari. Maxime autem vomitu vti, præcipuè si ei laboriosus non est, toto etiam corpore partibus præsertim superioribus, & brachijs vacuo stomacho diu quotidie etiam bis perfricari, vt omnis inutilis materia aut consumetur, aut, si quæ superfit, à loco affecto auertatur. Terebinthinam ex aqua rosacea lotam cum sacch aro rosis condito mixtam, accipi, neque tamen potiones ex decoctis malnis, sebesten radice dulci, & mille folio intermitti, per clysteria oleum rosaceum, & ei similia in aluum dari, non tam quidem, vt subluatur, quam vt renes confirmentur, quo illa diutius erunt continenda. Florem dictum cassiæ sæpius sumi qui ei malo & ardori præsertim solet subuenire, quare non esset prætereundus, quin sæpius aut solum hunc per se, aut cum diasebesten, & syrupo rosaceo solutiuo (nisi suspiceris, eis scammonium esse mixtum) præcipias accipiendum. Diligenter quidem videndum, ne quidquam cū scammonio accipiat. Tumor glandis coloratus ne, an non; durus, an mollis sit, multum interest, propterea, nisi id cum cæteris prædictis intelligam, non possum de remedio deliberare, quare vel tua scriptura curiosius ea persequenda, vel coram à vobis cognoscenda sunt. Sed fortè non licebit ipsum in conspectum nostrum dari.

De Vrinæ ardore ad Excellentissimum Bartholinum.

CONSVLTATIO LXXVII.

Postquam ego ex ipsomet ægroto cognoui multa quæ prius non perceperam, & ex illis videor intellexisse quid sub ipsis mali sit, de remedijs audentius deliberabo. Vrina varia exit modo viridis, & crassa, modo flaua interdum cruenta, accedens tamen ad obscurioris lixiuij colorem, interdum tenuis, & alba, & hoc modo frequentius, modo rarius fit. Cum tenuis, & alba est, tunc creberrima, & paulatim stillat, ac dolore maiori. Sedimentum sæpè multum est, quod modo cineres, vt ait ipse, modo, quod vidi ego, pingue lutum, modo rubentem arenam refert, aliquando etiam pituitā, atque eam non eiusdem semper generis, nonnunquam etiam strigmentorum speciem referentem, aliquoties habuit sanguinis guttam, concretam, & postrema penis expressione ac nixu elisam. Vrina semper ardorem mouet, cum procedit, leuem quidem initio facto, ac donec largius effluit, iam finito minctu maximum, atque intollerabilem guttis aliquibus semper in meatu subsistentibus, & maximè torquentibus, adeò vt molestia ad anum intus, & inde vsque ad glādem pertineat, quæ etiam vi doloris extumescit, neque ei tumor desidet, nisi dolore decidente, qui tunc citius decedit, cum virga

digitis

digitis valenter comprehensa, pressaque lotij reliquias exprimit, maximeque sub ea expressione iuuari se sentit, si inter exprimendum penis longius trahatur distendaturque per ipsam expressionem. Vbi, si quid molestiæ restet, id fotu caloris maxime leuatur, frigore contra durius euadit, locus doloris, vt dixi, maximè intra perinæũ propè anum est, & inde ad glandem pertinet, duabus verò partibus præcipuè excruciat prope anum, & sub glandis radice. Sic deijciendi cupiditatem mouet, & conatus maximos, ita, cum aluus mollior est, dolor minor sentitur. Cuius verò doloris nihil fit, cum gutta illa sanguinis effertur, quod ego in plerisque animaduerti, ea tamen hic raro exit, & non nisi sub equitatione, & labore, Dolor maior est, cum vrina, non dixerim sanguinea, quoniam hæc potius sine dolore omnibus solet exire, sed specie lixiuij est, cum etiam flaua admodum, cum exigua, cum crebrior, & tenuior fertur, quocũque modo id eueniat. Cum contra diutius continetur, & pinguor est, tũc minus doloris affert, & certè videmus, quod vrina diutius contenta pinguedinem quandam acquirit, & minus acris est. Cum venter etiam adstrictior est, quod sub hoc malo ferè euenit, tunc quoque & aluus durior, & dolorẽ vrina acriorem mouet. Corpus minus nutritum est, quam esse consueuit, coloratũ tamen, carnosumque, & valde molle, solis cruribus cute duriore, & pilo præditis, alioquin ipsis quoque benè nutritis. Is, cum optimè ualeret, ex lusu pilæ sub sole habito repente in hac incommoda procidit, nimirum in urinæ sanguineæ, & lixium referentis minctum, vnaque cum eo in hunc ardorem, qui ab vsu seri lactis, quamuis in eo fumus terræ diu maderet, remissus est. Sed maximè sub eo sumendo, in quo lactucæ, & maluæ etiam incoquerentur.

Pariter verò sub vsu aquæ S. Martini minctus rarior effectus est, paulò tamen post crebrior redijt. Cum semen emittit, quod etiam sine Venere nocturnis imaginibus, vel etiam sine eis ei euenit, inde magis per duos, & tres dies torqueretur, qui casus ex vsu refrigerantium rarius accideret. Iam naturam mali perspiciamus. Videntur omnino renes ex propositis calfacti, & lotium ex ijs, atque alijs etiam causis acrius factum, a quo dolor eiusmodi fiat, nimirum quod tunicæ lotium deferentes nimium abradantur, irritenturque, vnde irritatæ perturbentur, atque erubescant, sic initium illud inflãmationis comprehendunt, & periculum etiam exesionis, vlcerisque subeant. Vlcus verò etiam in renibus subesse intelligitur, non in carne quidem, sed in interna tunica, si, quod cum lotio effertur purulentum, & pingue vna cum arenoso consideretur. In collo quoque vesicæ abrasionem saltem subesse conijcio ex sanguinis illa gutta, & modo, quo postremis meiendi nixubus interdum elapsa est, nimirum ter, aut quater toto hoc mali spacio grumosa, idem colligo ex incremento doloris a seminis emissione. Vlcus tamen valdè insigne in collo vesicæ esse non crederem, quoniam, si vlcus insigne esset, tũc, dum guttæ lotij collum molestãtes exprimantur, locusque dolens tam violenter comprimitur, dolor non ita permulceretur, vt fit, sed potius acerbior fieret. Nam, si etiam ad perinæum comprimat lotij reliquijs expressis nihil doloris animaduertit. At renes inquiet aliquis dolorem nullum sentiunt. Credo quidem, quoniam sensu carent, quamquam vrinaria vasa tã acriter sæpè dolent, & ab intima eorum tunica ducuntur, Verumtamen ipse ait, quod, cum in lectulo conuertitur, obscurã quandam molestiam ad lumbos percipit, scilicet quod renes vna cum sua tunica externa ab interiori malo afficiantur, præsertim materia totius corporis ad infirmũ locum inclinante, locique calore eam attrahente.

Primum ergo fuisse calorem verisimile est, quo vrinarũ pingue consumeretur, & in acre, ac biliosum genus verteretur, quo etiam acriori per intemperiem aridiorem facto vel vẽtriculus è cibis terrenas etiam partes colliquaret, quæ attractæ in iecur cum reliquis, & ad renes calore eorum illas liquidas seruãte, & magis exurente tandem in sinum, & interiorem tunicam receptæ ad suam naturam redirent, arenulasque facerent, ita tũ vrinæ asperius genus, tum arenulæ ipsæ ardorem in minctu ederent, & partes nimis primum detergerent, deinde etiam abraderent sua asperitate, & tandem exederent. Quòd malum eò peius, quò longius, factũ est, pessimum autem, quoniam è toto corpore in affectam partem recrementa compelluntur, & rheumatis modo malum sustentatur; illaque torrefieri ab arido venatum, & renum calore possunt. Sic ora venarum vellicare, saniẽque, seu ichorem sanguinis elicere, & vrinam inficere, quo lixiuium præseferat. Vlcerum itaq; ratio hic spectãda, & materiæ influentis, tum renum, iecoris, venarum, & ventriculi intemperies ad ariditatem, & calorẽ versa, quibus calor non iam elixet, sed asset acriori suo genere, & solidiores, terrenasque etiam materiæ partes liquet, quæ propterea non cum alui fæcibus deponantur, sed cum chylo in iecur confluentes, ibi non ad lienem descendunt, sed vna cum sero tandem per renes excernantur, iecore etiam crassiores chyli partes pariter colliquante, assanteque, renibus eadem tãdem operam similiter præbentibus. Calor ergo in humidius genus & temperatius reuocari debet in ventriculo, iecore, venis, ac renibus, vel etiam vesica. Humores item deliniendi humido eodem genere, &, qui mutari nequeunt euocãdi sunt. Quibus perfectis fortasse vleeris nil reliqui fiat, quod si aliquid restiterit, ei sua propria erunt attribuenda, faciendæ autem temperationis detractio humorum intemperiem sustinentium necessaria est, purgatis ergo præmittenda, sicq; attemperanda, ne symptomatis molestiam purgantia medicamenta reddant acerbiorem, aut ergo calidiora, & vrinam petentia purgantia medicamenta vitanda, aut postquã duas horas detenta sunt, euomenda, sic namque & nihilo secius purgabunt, neque materia corporis sui ad loca urinæ accedent, ferè enim purgantia per aluum, etiam per urinam purgant. Certè quidem tutius leuiora adhibentur, ut cassia, diasebestẽ, syrupus rosaceus, solutiuus, uiolaceus solutiuus, modo sine scammonio confecti sint. Sena etiam, & polypodium, quæ ijsdem poterunt mitigari, quæ ad humorum, & uiscerum intemperiem idonea sunt, ut cauliculis maluæ, & eiusdem seminibus lactuca, endiuia, nenuphare, portulace, papaueris semine, ac folijs. Seminibus cucumeris, melonis, cucurbitæ, anguriæ dictæ, tum etiã minoribus dictis seminibus frigidis, sebesten radice dulci, & alijs eiusmodi ut diacatholicon, quod hæc habet, & lenitiuum non sint spernenda. Serum quoque caprinum erit accommodatum, cui similia incoquantur, cui syrupus rosaceus solutiuus potest adijci, & uiolaceus pariter solutiuus, & manna. Ante tamen medicamenta, quoniam a sanguine tanquam materias omnium malorum continẽte, timemus, de eo secta uena in brachio aliquid mittemus; postea inter usum eorum bona arrepta occasione etiam per hæmorrhoidas, per quas mala renum solent commode leuari. Post purgatum bona ex parte corpus commodè sero lactis purgatio perficietur potione larga ad Dioscoridis, & Græcorum præceptum, vt quinque librarum modum attingat, & spatio saltem 15. dierum, ac quia morbus vetustus est, longusque, omnino longa egebit curatione firmatis iam radicibus, potionesque prædictarum rerum erunt repetendæ ad refrigerandum, & humectãdum idoneæ, præsertim verò humidum genus cibis, & alimento erit quærendũ, nam eo tantum corpora humida verè fiunt, vti ipsi humores etiam medicamentis humidioribus vel cibis medicatis ad humidum vergentibus, nempe hoc loco violis, maluatum folijs, floribus, ac corticibus lactucella agresti, primulis veris, portulaca, nymphææ flore, nam radix exsiccantior est. Adiungi tamen ad robur renũ potest, vt ad eorum expurgationem radix graminis, fragaria, fructus halicacabi, semina frigidiora maiora, & minora etiam, sebesten, radix dulcis, & eiusmodi alia, quæ ad manus fuerint pro tempore.

Neque auxilium clysteriorum spernendum est, ex oleo

oleo rosaceo, ex myrtino, vt confirmantibus, ex uiolaceo, vt deliniente, refrigeranteque. Minus verò negligendæ dorsi illitiones contra renes ex vnguento rosaceo cum camphora, ex infrigidante Galeni cum eadē, at in eundem modum adhibito quem ipse Galenus iubet. Quotiescunque enim illiniendum est, debet refrigerari, neque amplius illitum permittere, quam frigus retinuerit, frigore enim amisso, est illitio renouanda, alioquin & calefit, & suo calore locum incendit, sic de omnibus oleosis, quæ ad refrigerandum ingeruntur intelligi debet. Est etiam vnguentum sandalinum, est diapo puleon, quibus eadem camphora adijci potest, neq; desunt alia. Sed à valētioribus libenter abstinerem, vt est semperuiuum, hyosciamum, & similia, nam valentius refrigerantia ipsis renibus admodum tuta non sunt, nisi ergo calor earum admodum excelluerit, non oportet ea adhiberi. Renum autem vlceri præterquam quod dicta superius multa ex parte erunt idonea, propriè etiā componi cum eis poterūt alia, vt terebinthi resina aqua plantaginis lota, vt plantago ipsa Tragopogon millefolium, alchimilla, quæ per leonis quibusdam dicitur pilosellaque si aut incoctæ sint, aut succis expressis ex aliqua simili aqua præbeantur. Radix quoque nymphææ semina illa dicta alchachengi etiam maximè opportuna sunt. Sed curationem eam ordinemus. Sic itaque illam distribuerem in sua tempora.

Primo quoque tēpore clysterem subderem ad aluum ducendam melle rosaceo imposito, deinde sanguinem secta vena in brachio dextro mitterem, &, quo magis materiæ cursus a renibus auertatur sanguinis missionē partirer, primaque die ad ℥.vij. tertia ad ℥.vj. exhaurirē, postea die interposita vomitum à cibo mouerem, tunc die patitet interposita medicinam exhiberem ex flore cassiæ cum electuario lenitiuo, vel cum diasebesten sine scammonio, aut diacassia, a cuius purgatione clysterē iterum darem cum oleo rosaceo, succo parietariæ, & melle rosaceo, postea vomitum repeterem, & item alui solutionem per suprapposita medicamenta, aut per syrupum rosaceum solutiuum, diacatholicon, & senę macerationem conuenienti iure soluta. Facta hac expurgatione sanguinem per hęmorrhoidas elicerem. Tum postea ad seri lactis potiones accederem, quibus syrupi rosacei solutiui tantum immiscerem, quantum ad soluendam aluum sat esset, ne materia ad renes deduceretur, sic verò tribus diebus darem mox lupulos adijcerem, & postremis diebus chalybem in sero lactis extinguerem, plantaginemque pilosellam, & millefolium, alchimillā, nymphææ radices potius quam flores, tum pimpinellā, & alchechengi incoquerem, his etiam semina adderem plantaginis, portulacæque. Modus autem seri mihi esset librarum circiter 4. & spatium ad dies 15. ac nisi extincto tantum chalybe satis posse videretur, ego puluerem chalybis ipsius inungerem benè triti, & ex aceto parati, quo & meatus omnes purgarentur, & continentes partes firmitatem acciperent, præsertim renes. Neque verò interim vsum clysteriorum dimitterem, quin eis altero saltem quoque die aluus duceretur subluereturve; quorum etiam postremis vinum austerum imponerem, cui incoctæ essent rosæ, vt inde aliquid roboris ad renes pertineret.

Atque inter hæc sub finem præsertim dorsum inungerem dictis superius vnguentis ea animaduersione, vt infrigidans Galeni esset admodum curiosè factum, & refrigeratū, linteoloque illitum imponeretur, & simul atque frigus amitteret, auferretur, & rursus refrigeratū apponeretur, atque hoc, vt etiam illis alijs non solum dorsum, sed perinæum, & penis inūgeretur, quibus camphoram, vt dixi, adiungerem; tum verò etiam acetum. Quibus non satis proficientibus corpus in ijsdem tamen retinerem, donec thermalium aquarum tempus esset, & potionibus supradictis vterer adiectis trochiscis, vt proponebam, adiecta terebinthina ex aqua plantaginis, ac rosarum lota, vterer saccharo rosaceo cum ea aut dictis trochiscis, aut puluere chalibis. In potionibus succum millefolij, & plantaginis, & Alchachengi imponerem. Rubi cymas incoquerem, puluerem etiam ossium mespilorum adiungerem ad purgandum, confirmandumque suo postea tempore aquas ferreas, vel eiusmodi præberem, quales essent Lucenses, aut S. Marini, & Chaldetianæ. Dolori autem ipsi permulcendo lac cum oleo rosaceo, aut violaceo esset in vesicam inijciendum cum aqua violarum, aut plātaginis aut nymphææ, vnguentum de tutia cum succis, aut rosaceum cum tutia esset in naturale indendum cum dictis aquis, aut cum rosacea vel sero lactis lythargyrum, aut etiam tutia essent infundenda. Dolor enim tantus esse non potest, quantus sudores moueat, nisi canale admodum detersum sit. Cerussa quoque ad id erit idonea, & in ardoribus aqua lactucæ. Cāphora præterea poterit iniungi, qua putrilagini exesarum partium exsiccandæ, & refrigerando maximè faciet. Vnguenta supradicta per candelas cereaue funicula, per cordas intestinales, per loramentaque tenuia indi poterunt, quibus vnguenta firmanda, infigendaque erunt, quo firmiter funiculis adhærescant, in meatum arctiorem iniecta retrudantur detrahanturque prius in solidius temperamentum percocta, & coacta. Atque si exterioribus propositis illitionibus etiam exsiccantia aliqua iniungerentur, non inutile videatur, præsertim, quibus penis inungendus est. Nonnulli audent etiam aliquid sublimati imponere, quod perito chyrurgo sinendum est, De victus ratione, si de cibis dicendum sit, facile ex supradictis omnia possunt intelligi, quod calidiora omnia vitāda, quod acria, salsa, amara, & omnino quæ nimio sapore prædita sunt, quod intra insipida est manēdum, vt ptisanam, vt oua, vt carnes omnes laudatiores, quæ, in salis aliquid adijciatur insipido sapore sunt, est verò omninò adijciendum, quo minus in ventriculo putrescant, quo os ventriculi abstergant, & gustui etiam acceptiora sint, ea verò ne sint crassioris, durioris, aut nimium glutinosi generis videndum, quę certè neque nimium extenuabūt, si eius saporis fuerint extenuatione ipsa nihilominus me tuenda. Sic neque largius, neque parcius sumenda sunt, nunquam verò etiam matutinus cibus differendus, ieiuniumve diutius tollendum, Vinum pariter erit circūcidendum, aquaque in eius locum boni quidem generis sufficienda, aut certe vinum imbecillum. A motu laborioso cauendum, præsertim dorsi, ne materia in eā partem trahatur, imo à ponderibus cingulorum veluti ensis, & propter angustiam dorsum prementibus etiam maximè, videndumque, ne dorsum vlla alia ratione nimis adstringatur, quæ res peior renibus est, quam grauiora vestimenta, modo ne hæc lumbos constringant, Motu etiam laborioso peior ille est, qui duriori concussu fit, vt rheda, aut equo succussorio, nimisue feroci. Per fricandæ vero partes superiores potius, quam balneo vtendum, præsertim, cum ei non consueuerit, eo enim corpus nimium molle fit, & humores liquescunt; Verumtamen si corpus optime purgatum nanciscamini, tunc vtiliter etiam balneo vti poteritis. A venere tantū abstinendum, quantum corpus non grauetur. Semen enim, quod morbo acrius factum nunc eriam sine venere exit, postea medicamentis temperatius factum diutius retinebitur, quin fortasse per venerem erit expellendum, maximè quod connubio longo iam id emittere natura consueuerit. Ab excandescentia maxime cauēdum, qua nil magis humores exacuuntur, vnde renes torrefiant, ita contentio animi omnis & negotiosa cogitatio vitanda. Certa ciborum genera nollem prosequi, tamen non possum præterire quædam, quæ mihi vtiliora videntur, vt ptisana est, quæ assiduè vti vellem, lactucis non ita assiduè, ne, quamquam dolori commodæ sunt, humido tamen nimis genere vlceri incommodarent, Orizam lactucis potiorem crederem, neque leguminum quædam iure priori abiecto valdè vererer, siderem vero præsertim pulti benè coctæ ex faba fresa, aut etiam lenticula, seminibus quoque frigidis maioribus, plantaginem, si in cibis ipsam pati poterit, ego lauda-

laudarem tanquam medicatum alimentum, nec minus pimpinellam, deinde acetoſam, & portulacam. Vitarem autem petroſelinum dicta ratione, lupulos non adeo. De fructibus, pineos nucleos laudarem cytonia, meſpila ſorba, & pyra auſtera concederem. Sal modicum admodum permitterem, &, vt dixi, genera omnia nimij ſaporis, vt quæ ex leguminibus, & herbis ſapidioribus, & carne etiam, quemadmodum bubula fiunt, vt caſeo acriori, & vetuſto, atque abundè ſalito, recentem ſine ſale, aut cum hoc exiguo concederē, acetoſum certè magis, vt etiā lac tamdiu, donec calculi ſuſpicio non acceſſerit, qui in huiuſmodi renum affectibus colluuie illuc recrementorum omnium facilè conuerſa facilius concreſcit, propterea caſeum, & lac ſuſpectum facit. Piſcium etiam vſus vitandus, ſiue calculus ſubſit, ſiue non, dum renes ſic malè habent, & bono ſucco ipſi cū toto corpore alendi ſunt, & omnis recrementorum occaſio ſubmouenda, donec calculi ſuſpicio non eſt, potius cochleæ in hoc affectu recipiendæ ſunt, terreſtres inquam, & iure earum abiecto ſumpiæ, cum ea ſuſpicio inciderit, tunc, niſi præſens malum eſſet, piſces cochleis eſſent potiores, quoniam minus terreſtris, aut craſſi alimenti ſunt, præſertim, ſi minus duri, minuſque glutinoſi, & parui ſumantur cum vino quod imbecillum debere eſſe diximus, potuis auſterum ſit, quam dulce, maturum quidem cum aqua chalibeata vtiliter miſceretur. Inter labores pono ipſam in pedes ſtationem longam, quoniam in ea muſculi lumborum vniuerſi agunt rectum vertebrarum ordinem magno labore omnes ſuſtinentes, neque viciſſim agendo laborem quiete, intermiſſione vlla remittunt. Frigus ipſum inimicū valdè etiam habendum, quoniam membranis, & viſceribus maximè aduerſatur, & recrementa a cute in renes reprimit. Quibus omnino corpus carere opus eſt, & alternis diebus per clyſteria eſſet repurgandum. Id etiam admonebo, quod quemadmodum continere nimium vrinam nocuum eſt ijs, qui calculum in veſica timent, ſic crebra nimis minctio ijs inimica eſt, qui deterſionē colli veſicę ſuſpectam habent. Videtur enim lotium in veſica lentorem quendam acquirere, & craſſitudinem, vt cum parum nimis in ea manſerit, acrius ſentiatur, cum eo, quod crebriori deterſione meatus magis abraditur, & minctio inſequens incidit in recentem prioris minctionis deterſionem, ardoremque maiorem affert. Tamdiu itaque lotium pro viribus retinendum, quamdiu illa incommoda caueantur, & quoniam difficillimè retinetur, certè, quam maximè poteſt, minctio differatur, vt matutinum cibum nunquam differendum eſſe dicebam. Hæc ego, vt in mentem cecidere deſcribebā, ſi in dies, vt oportuerit, reſcribes tu, aut alius, forte longe plura exponam. Vale.

De dolore Ilij dextri pro Illuſt. Com. D. Paulo Trauths.

CONSVLTATIO LXXVIII.

Dolor in ilio dextro fixus eſt, pertinet tamen etiā ad vmbilicum, vbi morſum pręſefert, & pondus; vomitus ſubſequuti ſunt, & extractio teſtium cum colli veſicæ etiam, ac totius penis moleſtia. Ipſe certum ſibi eſſe ait hoc ad renum vaſa non pertinere, ſed ad colon ob flatus, quos toto ventre percipiat, quibus ſurſum, deorſumque eiectis leuatur. Ego non poſſum iudicare aliter, ac manifeſtæ res mihi ſuggerunt argumenta. quæ cuique Medico credo idem perſuaderent, nimirū craſſum corpus eſſe, quod à rene dextro in vrinarium vas expulſum diſtendat, & aſperitate aliqua abradat cum moleſtia, ac diſtentione illa dolorem verſus vmbilicū, quo vergūt ſuo ductu vaſa, promittat, flatus autem eodem, quo vomitus, conſenſu excitet, ſic primo clyſtere leniens inijcerem, deinde magis acre, poſtea medicamentum opportunum exhiberem, tum ad potum olei
A amygdalarum amararum deuenirem, atq; ad terebinthi reſinam cum myrrha. Tandem ad lapidem ducentia vt iura ononidis, ſuccum raphani ſylueſtris, ſaxifragiæ puluerem, & milij ſolis, ac ſimilia. Exterius applicatis cataplaſmatibus mollientibus. Quo ordine vidi multos facile aut craſſam aliquam materiam, aut lapillum minxiſſe; qui in veſicam deiectus dolore homines liberaſſet, pauloque poſt cum ardore quodam exijſſet.

Is ſpatio 40. dierum vt cōnſueuerat, in eoſdem dolores delapſus hoc ordine ſeruato lapillos minxit ternos, aut binos cui ad præſeruationem oxymel præſcriptum fuit factum ex iure multorum ſimpliciū, & aceto ſquillitico, quod altero quoque die ſumeret, & data ceruiſia amara quotidie, ac nunquam poſtea ijs doloribus agitatus eſt, qui antea quaternos & amplius dies ipſum cruciaſſent. B Multi laudem potius in lapides iſatides dictos referebant, quos in brachio poſtea geſtabat.

De dolore hæmorrhoidum pro equite Bizzaro à S. Angelo.

CONSVLTATIO LXXIX.

Iam, ut relatum eſt, vndecimus menſis agitur cum dolor hæmorrhoidum illuſtrem equitem cæpit vehemens admodum non ſine tumore, & febre. Cui leuando multa facta eſſe intelligo, nimirum, quæ laxarēt, ſoluerent, diſcuterent, atque etiam refrigerarent non ſolum locum, ſed corpus quoque, & humores, vnaque eos C lenirent, purgationibus factis, & ſanguine etiam miſſo, fuiſſe autē exterius adhibita butyrum cum terebinthina, & cera; quod medicamen eſſet lenius factum ſi aqua maluarum, & lactucæ, ac violarum fuiſſet dilutum, ſi etiam butyri loco fuiſſet oleum oliuarum multoties lotum. Cataplaſmata quoque dicuntur adhibita fuiſſe ex malua, violis, farina ſeminis lini chamæmeloque, iū balnea aquæ dulcis. A quibus verò nullum leuamen ſenſit niſi donec ea adhiberentur. A balneis verò etiam infirmior fieri ſibi viſus eſt, manet itaque etiamnum dolor, qui cum aſſiduus, tum incertis horis vehementior eſt, non adeo tamē increſcit, vt in ipſo initio faciebat. Duo tantum capitula venarum promiſſa ſunt, quæ cutis colorem retinent quaſi longiores, & tenuiores verrucæ ſede tota colorem ſuum immutatum ſeruante, vel cum D dolor eum admodum torquet. Ipſe vigilijs, abſtinentia, medicamentis, macer admodum factus eſt, cū eo quod calidi generis corpus habet natura, & malo etiam calidius factum, humidi quidem etiam à natura plurimum habuit, ſi album carnis colorem, mollitiemque, ſi, cum ſanus degeret, habitum carnium pleniorem, & pilorum ruborem, faciemq; coloratiorē conſidero, ſiquidem rubeus color non à ſolo calore, ſed eo cum humido coniuncto exiſtit ſed iam ſiccus ex malo euaſit. Huius doloris cauſa, continuique diſſolutionis, nulli corpori pleniori, quod diſtendendo vrgeat, dati poteſt; quoniam nihil duri, nihil tenſi, aut inficientis apparet, igitur vis aliqua mordax id faciat neceſſe eſt, quæ tenui, & minimè repleute corpore vtatur, quæ per doloris acerbitatem E oſtendit malæ naturæ ſe eſſe. Etenim videmus vlcera mala ſæpè nullo viſibili humore cruciatus immēſos afferre, ſic itaque humoris vel exigui, & tenuis ius mala infeſtet facile; quæ in genere quidem craſſorum humorū tenuis eſt, terrenæ tamen cuiuſdam naturæ admodum per calorem extenuatæ, quare neque ad ſummam cutē poteſt facile expelli, neque tamen replet eam ſedem, nō ſolum quoniam exigua eſt, ſed etiam quoniā extenuata eſt, quæ ſi humida eſſet, vaporis genus eſſet, & facilè diſſolueretur, & ad extimam cutem emanaret, ſicca verò mediocriter ſi frigida eſſet, non tantum doloris afferret, cum exigua, ſi calida, bilis flauæ naturam haberet, & elaberetur, cutiſque colorem mutaret. Eſt itaque calida quidem, quoniam tenuis, terrenæ vero naturæ, & ſicciſſima, quoniam immobilis, & tantos cruciatus per ſicci-

tatem tanquam caloris limam, & tam firmos, & stabiles affert, exustionem itaque habere est necesse, ex eaque etiam aliquod vitiũ, quale in gallicis affectibus obseruamus, non quod suspicer quidquam hic gallici subesse, si quid enim metus eius antea fuit, id leuissimũ fuit, alioquin, si apertè gallicus morbus fuisset, non crederem fidendum, quod ipse curatus adeò esset guaiaco etiam diligenter accepta, quin aliquid inde vitiositatis haberet, Animaduerti enim in iis, qui gallico præhensi semel sunt, etsi recte curati fuerint, & conualuerint, nihilominus in eis omnes incidentes morbos peiores fieri quod in vulneratis semper, & hoc anno in communi totius Italiæ, & Galliæ, imò Hispaniæ, Germaniæque morbo obseruauimus, nempe cum ipse morbus salubris omnino esset, in eiusmodi tamen hominibus mortiferum omnino fuisse, sed metus in hoc leuissimus gallici fuit, quare ab eo genere vitium huius acrimoniæ nõ fit, potest tamen mille alijs modis vitiosa, & mala uis humoribus generari, & præsertim in corporibus calidis, & humidis, & ætate vigentibus, abstinentia quoq; forte nimia accedente in corpore huius generis, & ætatis inutili.

Neque verò mirum est dolorem, tamdiu iam traxisse, cum solis relaxantibus partem eam vsus sit, nunquã his, quæ partem contra humoris defluentis vim obfirmarent, densarentque. Fontem huius humoris non ita facilè designarem, ait se se dolorem brachij diu tulisse, qui, postquam is cruciatus in anum irrupit, conquieuit; quasi rheuma illud huc demum deflexerit. Caput quidem, vt videmus, ex rubore semper magno tum faciei, tum oculorum calidum videtur, a quo humor demissus C possit etiam exustionem referre, præterquam quod a iecore non solum natura, sed casu quoque calidiori illuc accedit, eius quidem generis, quod plurimum crassi; & melancholici habeat. Etenim sanguis vel in bonis naturis, & sanguineis inclinata ætate fit melancholicus, nisi aliqua via excernatur, cuius obseruationis quòd sciã primus author Hippocrates fuit. Itaque locis calidioribus fex illa sanguinis torretur, & malam vim acquirit, præsertim biliosæ materiæ commixtione, atque ad partem infirmam demittitur. A liene quoque plurimum illuc accedit materiæ eiusdem, in quem, quicquid melancholici in iecore fit, solet trahi, ac confici, & cum non conficitur, non solum in stomachum, sed per inferiores venas remitti, atque vbi vi mala præditum est, & stomacho, & ano molestiam affert. Vbi facilè conspicari possumus, cur balnea aquarum dulcium, cur tot relaxantia non iuuerint, quoniam hoc humoris genus nõ facilè per cutim expurgatur, quoniam infirmiori facta ea parte impetus in eam minus inhiberi potuit, qui, vt coerceretur, necessario repellendus erat, & pars etiam comprimentibus iuuanda, sic enim quoque eo humore ipsa exonerari potuit, & depleti corpore præsertim prius expurgato.

His verò propositis patent ea omnia quæ a vobis aduersus hunc dolorem molienda sunt. Corporis purgatio per superiora potius ob reuulsionem, & ratione illius biliosæ partis, quæ educenda est, fortè etiam ratione atræ alterius, nam experientia videmus eam ipsam quoque facilè per superiora educi, vt pituitosam, Verum, quo tuto omnino, & minori cum molestia agamus, sero lactis cũ fumoterræ succo, cum epithymo & sena, syrupo rosaceo solutiuo, aut illo de polypodio composito, & ex genere apto visceribus aperiendis, confirmandis, & temperandis, vt buglosso, lupulis, cicoreo, cetrach, & capillis veneris. Cuius quidem seri modus ad lib. 4. accederet, aut paulò infra, nam Dioscoridis tempore quatuor hæminæ dabantur, quæ si acticæ essent, ni fallor, modũ dictum superabant. Spatio vero 15. dierum sumeretur, & sub eius sumptione omnibus casibus vt vr inciderint subueniret. Corpore verò ita expurgato locus tractaretur, vt rheumati abiectus leuantibus quidem primò, atque etiam euocantibus, sed tamen postea semper reprimentibus subiungendis.

A Interdum verò etiam leuantibus vna, & reprimentibus componendis interdum solis reprimentibus admouendis, nunquam certè solis laxantibus, quoniam laxãdo infirmiorem partem relinquunt, quæ necessario factum assiduè in corpore recrementum recipiat, & peius inde habeat. Inter leuantia oleum præsertim antiquum habeo, quod in maximo dolore expertus sum in genu dolore maximo, cui post multa adhibita calorẽ visum est attulisse, & subinde dolorem finijsse. Oleum ex lucerna antiqui vim habere, & hæmorrhoidũ, præsertim dolori bene facere animaduerti, præcipuè cum hominis saliua commixtum, oleum amygdalarum dulcium, ex seminibus lini in mortario plumbeo diu, pistillo plũbeo ductum agitatumque oleum ex amygd. chrisomilorum, seu armoniacorum, oleum ex luteis ouorũ, quod B nil aliud est quam lutea primum tosta, deinde expressa, quæ si exustione exprimantur, siccatiora sunt, sed acrius oleum edunt, si tractatione longa potius liquefiant, leniendi magis vim tenent. Solatri succus his immisceri solet, & agitatione multa in mortario facta bene confundi, donec in vnitatem redigantur tum succus scrophulariæ dictæ, succus semperuiui, succus parietariæ, & similium quę humore multo locum laxare possunt, frigore verò etiam causam obtundere reprimereque. Recentiores nouis, & peregrinis vti malunt, & Tabac prædicant. Quidam butyrum cõmendant, vt præstantissimũ, quod lotum aqua decoctarum maluarum, & uiolarũ, ac rosarũ inflammatis hæmorrhoidibus potius habẽdum est, quo deficiente, oleum lauari diligenter potest, aut axungia suilla cum aqua decoctarum violarum, & supradictis frigidioribus commisceri, lauari etiam cum aqua maluarum decoctarũ possunt, maximè quod hic inflammatio non est. Terebinthina resina doloribus facit altius insistentibus, vt coxarum dolores sunt, & quidam hæmorrhoidibus etiam adhibent vna cũ oleis suprapositis, quã ego calidiorem, & attrahere arbitror, ad discutiendamque, & emolliendam materiam imponerem, exulceratis verò potius darem, propter eam quã habet adstringendi vim, eius oleum tamquam calidissimum præterire, Diapopuleon cum opio expertus sum dolori maximè vrgenti valentissimum, vt singulis vncijs ipsius terna opij grana accederent, sed pro modo hæmorrhoidum hoc vel illud remedium respondet, & opij modus potest augeri, quare occasio ex statu mali capienda, loco olei, & butyri medullæ primum, & maximè deinde pinguedines, axungię, & seuum idonea sunt, D quę cum superioribus adhiberi possunt. At cum aliquid digerentis magis adhibendum est, chamæmelũ in oleo ex vino decoqui potest, lilia vel certè eorum bulbi melilotum, anethum, & similia, ex quibus emplastra quoque fieri possunt malua adiecta & brassica, atque etiam tritico. Vapor præterea similium accipi vtiliter solet, cum aquæ incoquuntur, cum quibus ad vaporis vim augendam calidiora quoque adijcienda, vt fœniculum, ruta, origanum, coniza; Vrtica, ex quibus lędum mihi maximè opportunum videretur.

Atque hęc de laxantibus, & dolorem leuantibus medicamentis, quibus si vis adijce, quod expertus sum, fomentum ex milio Indico decocto, quod refrigerat, & exsiccat, expertus etiam sum oleum lini cum mastiche E mixtum, Multoties crocus vtiliter ijs illitionibus adijcitur, reprimentia verò hic ea solent recenseri, quæ leniora sunt, vt rosaceum oleum, rosa ipsa, myrtus, & eiusdem oleum, vinum, ferrata aqua, aut lapidibus demersio cãdentibus asperior facta, quæ omnia alumine possunt vim suam augere, sed asperius illud fuerit, Malicoria potius, aut capitula eiusdem mali punici indenda, asser, aut tubula ex nuce arbore calfacta ano sedente homine subiecta multum fecit sæpè.

Atque vt dicebam, hoc reprimentium genus; aut per se post vsum superiorum subiungendum, aut tum illis permiscendum. Vbi scire licet, quod hoc genus, quamuis per se adhibetur, dum calidum est, non solum reprimit, sed etiam dissoluit, cõstringendo tamen postea robur

bur relinquit. Quod si materiæ decursus procedat, tunc cauterio infra genu vrendum erit, & vlcus non curandum, sed permittendum, vt per ipsum materia illa tandem possit expelli. Postea diureticis frigidioribus utendum, ut frigidis seminibus, radicibus graminis. Victus non extenuans, ac neque admodum tenuis deligendus, uinum imbecillum potandum, aluus seruanda mollis, quotidieq; tentanda, ut deijciatur, ac quoniam infecta clysteriorum iniectio est, in cibis mollientia capienda, ut pruna passulæ, spinachium olus, lactuca bene cocta oleo multo perfusa, præsertim amygdalino, saccharum, manna, & quandoque mercurialis. Passulæ etiam ex sena paratæ. Somnus porrò procurandus, exercitatio mediocris habenda, frictiones etiam totius corporis, & balnea dummodo postea parti dolenti, aut in balneo ultimo, aut post id comprimentia adhibeantur, ne nimis relaxetur. Ira omnino cauenda. Venus non nimis pertimescenda, quoniam nisi nimium exsiccat, motuve calefaciet, potius multum materiæ inutilis a partibus posterioribus per anteriora expellet.

De maximo vrinæ ardore cum eius meiendi difficultate.

CONSVLTATIO LXXX.

Doctores Excellentissimi nos verè in maximis angustijs versamus, dum de causa ardoris huius, & eiusdem curatione sumus deliberaturi, multa enim cernuntur in hoc malo inter se repugnantia. Vrina liberè non procedit, sed crebra, & subtilis, & cum conatu maximo dolorem intollerabilem excitat, crassa est, & materiam effert puris speciem referentem. Chyrurgus testatur se non posse in virgam indere filum ceratum, nisi quanta est latitudo septem ferè digitorum. Hinc primò conijcitur minatam esse carũculam in meatu, tum autem vlcus subesse vnde illa increuerit, atque dolor existat, Impulsum tamen illud cereum nihil doloris mouet, compressioque loci illius nihil molesta. Dolor verò mingendo tantus, vt glans cum toto pene, & pube, & osse coxarum, & dorsum ipsum maximè crucientur. Quare mirum videatur cur vrina tantum vexet, funiculus verò ille ceratus durior infixus minimè fit molestus. Quod tamẽ minimè erit admirabile, si cogitemus carunculam generis alieni & sine sensu, vt ferè fit in eiusmodi vlceribus obortam, quæ sentientem partem obtegat, & ab ipsa plaga cerei defixi accipienda sentiendaque defendat, non ita tamen ab ipso vrinæ morsu, tum quoniam spongiosa caro, & rarior liquorem vrinæ admittit, & cum vlcere subiecto cõmunicat, tum quoniam potest vlcus superius ad collum vesicæ nudum, & detersum esse, qua parte impetus descendentis vrinæ excipitur, inferius verò obtectum caruncula parte illa ab impetu vrinæ auersa. At alia difficultas longe maior sequitur, nam affirmat ipse ægrotus se hos cruciatus non continuos habere, imo longissimis interuallis hæc omnia quiescere, & tunc facillimè, ac liberè posse mingere, nihilque assiduum, & continuum animaduertere, nisi vrinæ ipsius crassitudinem, hos verò cruciatus post equitationes, post itinera ferè incidere, nõ in ipsis itineribus inter equitandum; Nam vel multorum dierum itinera si habeat, in ipsis benè mingit, & minctum potest sustinere tribus, aut quatuor horis, quæ spatia quietis multorum etiam mensium sunt, & fortè etiam annorum, nisi ardoris aliquid interea aliquando sentiret, non ita quidem molesti, aliquando tamen liber prorsus ab eo viuit, vel, vt dixi, sub ipsis longis equitationibus, cum molestiam nõ sentiat, nisi vel quatuor diebus post itineris finem, tunc enim & impedimentum meiendi, & ardor accedit, quibus quatuor aut quinque dies totos torquetur, & quandoque à Medicis relictus summa desperatione est, paulo post tamen vrina sponte exire incæpit, & deinde solum voluntate accedente minxit, &

A libere omnino, ac facile, & tandem sine vllo ardore, qui casus cum ita sint, quomodo carunculam, & vlcus habere sui causam possunt, quomodo caruncula tam facilè residere, vlcusque cohalescere potest, tamque subito sola equitatione, aut causa leuiori vtrumque renouari? Forte aliquis dixerit vlcus non est in meatu vrinario, non est ibi caruncula sed lapis in ima vesica in collo ipsius, qui modo obturare, modo liberum relinquere collum potest, præsertim verò congestione crassamenti vrinæ valdè increscente, vt ab equitatione fieri facilè est obturando, & eodem crassamento decrescente apertum relinquendo, cuius lapidis nota non obscura est ipsa egerendæ alui cupiditas, & conatus inanis, quoties mingit, incitatus. Experimur enim hoc ad lapidem vesicæ admodum consequi, & præterea dolor ille ad

B glandẽ penis pertinens, quod verò cereus funiculus non ingrediatur, causa est flexio penis sub ossibus pubis, illuc vsque, Contra tamen facit illud omninò, quod in ipsa equitatione neque dolorem inguinis, & petinæi, neque vrinæ difficultatem, ne dum in scalarum descensu: Cur enim lapis in equitationis succussatione non ad collum descendat, aut primo saltem itineris die non obstruat? quid impedit quin collidendo ea cõcussione locum non ipsum detergat, non sensum exasperet, non ardorem vrinæ subito faciat? quæ certè necessaria lapidi cum sint, faciunt, vt, cum non sentiantur lapidem subesse nullo modo credere, aut ratione recta iudicare possimus; quod incredibilis hic ardor à lapide excitetur, &, cum sub equitatione non solum subito non sentiatur, sed neque etiam post totius diei equitationem, nõ

C post diei vnius tantum, sed neque post duntum, trium, & octo etiam iter, ac neque nisi post habitam sæpè ab itinere duorum, trium, aut quatuor dierum quietem, lapis igitur nequaquam in vesica, minusque vlcus cum eo aderit. Dicat alius quispiam erit vlcus in renibus, contra quod intermissiones tam longæ tam subitæ huius mali, & eiusdem subita reuersiones faciunt. Vlcus siquidem renum semper pus emitteret, semper ardorem faceret, nunquam certè omninò intermitteret, neque ad obturationem vrinæ sine lapide satis posse facere videretur. Is sanguinem quandoque minxit, & quidem multum, qui à renibus omnino venisse iudicari debet, nam vesicæ vasa non tam magna sunt. Potuit anastomosis fieri, vt renibus calorem, vel acriorem sanguinem perpessis solet accidere corpore præsertim repletiori, quod

D sæpè vidimus in eodem etiam homine quoque anno factum, vt subito efflueret in magna copia, & subito cessaret, & profectò hic coniectura est eo modo hoc factum fuisse, quoniam semel tantum, & bona copia sanguinis effusa est; neque inde amplius quidquam eius visum, vt vas se se conclusisse, & os eius coijsse, nihilque eius per vlcus erosum fuisse nota est, vlcus enim non subitò fit, aut subitò sanescit, atque cum etiam num adesse esset necesse, sanguinis etiam aliquid proferret, si vas aliquando ab eo erosum fuisset, quare sicuti neque lapis in vesica neque vlcus in renibus esse potest, quoniam ardor vrinę continuus non est, ita quoniam in itinere dolor, & suppressio non fit, lapis nullo modo esse potest. At quidam alij ijsdemmet cruciatibus affecti, quibus sanguis eodem modo ab initio profluxerat, & semel tã-

E tum, lapidẽ habuere, alij vlcus in renibus habuisse post mortem depræhensi sunt. Dico ego nihil prohibere, quin hic quoque hæc metuenda sint, nam illi quoque donec intermittebant dolores, & haberent supradicta oĩa, lapidem non habuere, sed postea, quos postea continuis cruciatibus ego vidi vexatos & tũc lapidem & vlcus subesse affirmabam, vt apertis eorum cadaueribus agnoscere concessum est. Vidi tamen ego quendam in suppressionem urinæ subito a sanguinis repentino mictu incidisse, qui dum rheda iter haberet, urinam diu continuit, subinde sanguinẽ minxit, postea urinæ suppressione sublatus est, lapidem repente natum fuisse, & illud effecisse non est rationi consentaneum, neque uerò potuit in renibus factum in uesicam descendisse,

quoniam

quoniam dolor non fuit. Imo lotium in vesica nullum fuit sed in renibus illa suppressio euenerat. Vidi certè alios huiusmodi incōmoda perpessos, ex quibus vni post mortē in vesica non lapis, sed globus pituitosus satis magnus inuentus est, cui nunquā vrina suppressa fuerat, sed ardorem maximum afferebat, neque molestiam illam continuam habebat, nisi spatio 40. dierum ante mortē, quo vrina molestissima, & crassa cū glutinosis recremētis fuerat. Quid ergo huius mali iā causam statueres? Renibus ego totius mali causam attribuerē, qui facile noxā quàmque accipiant, propterea quod calidiores corpori calidiori acciderunt. Vidi ego hoc mali genus etiam in corporibus carnosis, ac coloratis, nedum in huiusmodi, quale hoc est gracilioribus, quod in eis carnes robustiores omnia recrementa à se intro repellant, quæ in renes à vasis spiritus, & caloris naturalis plenis regeruntur, vnde renes vitium in eis recremētis quaque occasione natum sentiunt, assiduus nempe est materiæ per renes transitus qua corpus vniuersum recremēta vel terrestria deponit, & cū alimentum non potest sibi applicare, fluores fiunt admodum muliebrium fluorum. Vir hic itineribus assiduis in renes transtulit sui corporis recrementa, quod quidem calidum, quamquam non admodum siccū est, minus verò carnibus præditum, quoniam eius vitę ratio illud impediuit, qua etiam recremēnta vitiosiora facta sunt, itineribusque faciendis maximè mouentur, at non sub itinere molesta sunt, nondum vitio ad summum incrementū perducto, maxime dū lotio multo demersum est, atque dilutum, dum diu retinendo lotium copiosius congregat, & spatio etiā modificat, potuis post iter sentitur vitio ad summum accedente, & crebra minctione plus molestiæ afferente, quoniam magis detersam partem attingit. At cur minctio impeditur. Potius impedita videtur, quam verè id fiat, nam, cum est multum vrinæ, facilius mingitur, cum parum, ferè mingi nō potest, scilicet quādo angustius vesica sese comprimere debet, quoniam tunc maiorem dolorem excitat, ac ideo in fine minctionis ijs omnibus videmus summum doloris excitati, dolore verò etiam ipso fit, vt collum vesicę contrahatur, vt in ijs, qui præpudore coram vllo mingere non possunt, vel si conentur, & destinato velint. Vesica ergo præ dolore arctari admodum non potest, quod est necesse in exigua vrina promittenda; collum quoque eodem dolore admodum laxari non potest, & demū crassitudo vrinæ facilè retinetur. Ergo tu non vides subesse carunculam, quæ immissum funiculum repellit? Difficile adducor, vt illam subesse credam propter rationes supradictas, quod tā celeriter non potest neque fieri, neque deleri, vt facit huiusmodi impedimentum. Funiculum verò ingredi non posse alias etiam vidi, cum magister certum modum impellendi ignorat, sistitur enim quoniam occurit flexioni ipsius meatus; & ita feriens in parietem obuoluitur repulsus. Modus autem est, vt cum eo vsque funiculus peruenerit, vna manu penis protrahatur, altera funiculus impellatur, sic enim productus, & tractus penis rectum iter in vesicā acquirit, sic verò deprahenderetur carunculam non subesse, vt alijs notis intelligitur, solosque renes affectos esse, qui si cōtinuus ardor extitisset, vt continua crassitudo vrinæ est, illi vlcus habere certius iudicarentur. Cum verò ille continuus nō sit, tamen turbulenta vrina semper sit; possumus etiā vlcus adesse existimare, non enim semper pus à renibus mordax est, cum vesica exulcerata non est, vt superius dicebam. Quidam, qui putant, quoties ardor est, & crebra minctio semper lapidem esse in vesica existimarent hic, & lapidem subesse, & tamen non sentiri dolorē sub equitatione, quoniam lapis læuis sit, post tamen equitationem ex agitatione locum collisum peius habere. Verum cur per multum sępè tempus nihil mali sentit, & si vitam minimè quietā habeant? quin omnibus modis se se moueat? quomodo nō finito vel vnius diei vel multorum dierum saltem itinere etiam si lapis læuis sit, eius collisionē continuo non sentiat? quare veram non existimo regulā illam, qua quidam ardore vrinę, & crebra

A minctione aliquandiu permanente volunt lapidē subesse, siquidem sub his sæpè lapis esse credi non potest, qđ ego in alijs quandoque obseruaui. Vidi quendam qui ætatis 70. annorum ex breui equitatione in ardorē maximum, crebramque minctionem incidit, qua bis, & ter quaque hora die noctuque vexaretur, Vrina crassa, & turbulenta erat, & tamen sine vllo remedio sex mensiū spatio sola victus ratione contra pituitam seruata, & vini potentis potione cum temperantia optimè euasit. Renesque potius, & humorum genus huius ardoris in causa sunt, vt etiam apud Galenum habemus, præsertim in aphorismis, & in hoc homine certè sunt. Renes. n. propter calorem abundantis sanguinis acrioris onus sensere, & venæ apertionem illam passi sunt, & identidem etiam acriorum humorum colluuiem, vt vt motionibus

B exagitatum corpus, & ipsi caloris vim augent; vnde nō sub ipsa agitatione, sed longè post eam vitiū ostendunt, quoniam in partibus remotis humor acuitur. Paulatim verò, & difficile mingitur, quoniam excreber minctus ab acri vrina mouetur, & non tantum temporis datur ad vrinam colligendam. Pauca verò non facilè excerni potest, neque sine vehemēti conatu, & dolore, maximè propter crebram mearus detersionem, atque ex eo & ꝙ dolor angustiorem facit meatum. Corpus itaque & renes restant curandi, & sensus ēt permulcendus, ne tātos cruciatus ardor afferat. Renum curatio difficilima est, & etiam ardoris lenitio, propterea nec citò sperāda, neque negligentius tractanda est. Humores primū è corpore quidem submouendi, ac corpus, & ipsi temperādi sunt, & renes exsiccandi confirmandique. Medicamē-

C ta humores detrahentia minimè valentia esse debent, quoniam eorum vis semper renes quoque attingit, leuia igitur deligenda, quo, si contingant etiam renes, vt plurima faciunt, lenitatem potius, quam acrimoniā eis adducāt, sed quoniam magnus morbus est, sanguis necessario mitti dēt, quod faciet, & ad totius corporis remperationem, sic enim quantum metus medicamentorum valentiorum nobis de citā curatione detrahit, tantumdem hoc tuto remedio restituetur. Venæ quoq; amplæ sunt, & tensæ, anni tēpus autumnale, nedum vires valētes sunt, & ætas 50. annū non præterijt, Clysteribus quoque renes permulcerem, ac recrearē, quibus aluus necessario mollis est seruanda. Imo a clystere initium facerē ex iure malue, althee, violarū, & melle rosaceo, atq; oleo

D pariter rosaceo multo. Deinde cassiæ, & diasebesten, lenitiui an. ℥. 6. cū anisorum exiguo puluere, & radice dulci deuorādum darē. Interposita die venam cubiti dextri inciderem, & sanguinem ad ℥. 8. mitterem, apertaq; relicta, rursus postera die vulnus resoluerē & alias 6. ℥. detraherem. Medicamentum idem quarta à misso sanguine die repeterem, clysteribus interea sæpè infusis, & postea ad potiones seri caprini ipsum traducerē, quo & corpus purgaretur, & copia lotij ardor obtūderetur. In quo sero posterioribus, diebus (15. enim dies darē) plantaginem, millefolium, maluam, pimpinellam, & fragariā incoquerem, ac chalybem etiam candentem extinguerem.

Inde ad terebinthi resinam liquidam accederem cū plantaginis aqua, aut succo potuis lotam, aut certè aqua

E rosarum, post cuius diuturnum vsum betonicæ, & pimpinellæ succum exhiberem, quo renes superioribus deliniti, & leuati valentissimè exsiccabuntur. Funiculi impositionem non vitupero, dummodo erodentia medicamenta non habeat. Plumbum vstum vtile fore credo, quoniam cum cera, & oleo, & tutia meatum magis defendet.

Verum, si vlcus fiat ex eo tam misero ardore, ea quoque magis necessaria sunt. Sin autem ad vlcus caruncula sequatur, tunc valentioribus opus erit, vt præcipitato dicto vel oleo tartari, & iride. A sublimato semper cauerē, quod potius exterius apponerem, nunc ea minimè necessaria putarem, nam, quāuis caro callosa esse possit, ꝙ sēsum fixionis insisti funiculi cærati impediar, quamuis mollior etiam caro spongiæ modo supernasci

possit, quæ modo humore tumens minctum impediat, modo eo aliqua causa vel vetustatis ipsius absumpto resideat,& minctionem permittat,tamen non ita citò hę mutationes euenirent. Itaque in leuiorum vsu manendum,& leniētia potius subdenda.infundendaque. Extrinsecus autem ad robur peni etiam valentiora apponenda. Renibus æquè extrinsecus subueniendum,nempe refrigerantibus a moderatioribus ordiendo, neque succo semperuiui, nisi maxima vrgente mali necessitate,vtendum. Intra vnguenta sandalina, rosacea, infrigidantiaque Galeni manendum, camphora adiecta. Quibus præstitis crederem siccari malum posse, præsertim cum spatia satis liberalia quietis habeat.

Pro Com. Montis Felcini Fabio Landriano.

CONSVLTATIO LXXXI.

Post morbum communem tibi eo sanescenti cutis aspera facta est,& admodum sordida,atque scabiosa, quod non miror in te esse factum qui meraco tanrū vti profiteare,scabiem hanc verè futuram non credide-rim, & spontè etiam finituram sperarem, tamen, quoniam non datur eius cernēdæ potestas, sic eius curationem præscriberē. Eam ciborum genere,& exercitatione, sudore, & balneis primum tentarem abigere. Nisi hæc facerent ℥. 4. syrupi rosacei cum iure senæ, & rhabarbari ʒ. 1. bis intra quinque dies acciperem. Deinde balneo aquæ potabilis, & sudoribus vterer. Postremò ex butyro,resina laricea,oleo rosaceo,succo limonis, & sale inungerem. Cibi rationem eam præciperem, qua acriora,& salsa,& meracum vinum cauerentur. Atque hæc breui, si aliud oportuerit, requisitus rescribā. Vale.

De ardore vrinæ intollerabili Excell. Physico Barth.

CONSVLTATIO LXXXII.

Ardorem hunc assiduum esse, nō tamen pus prodire cum vrina affirmas,sed crassam, & lentā pituitam,quę,quando crassior,& tardior exit,tunc intollerabiles dolores afferat, ita verò causam prodire sæpè, vt manu extrahi conueniat. Ego vidi sæpè ventriculo restituto sex mensium ardorem,qui a crassa,& alba materia,turbidaq; vrina existeret,conquieuisse, vini verò vsu potentissimi a me concesso in sene 70. annorum id effectum,in quo morbo ēt quandoq; guaiacum vtiliter pręcepi. Sed iuuenis is ægrotus est,calidiorisq; generis, quāuis humidi,& carnosi, tum caloris ēt vitiosi indicia habet,vt illud, quod habemus a pollutione per quietem incidente,& a miserrimo doloris genere. Quare esto (vt ferè fit in huiusmodi morbis rheumaticis a vi rectrice totius corporis pendentibus) ventriculus pituitam congerat,vt ex vomitu cognouisti,quæ ēt a capite initium aliquod,aut incrementum ducat,illa tamen in eo corpore bili admiscetur,eamq; compręhendit,& digeri per halitum non permittit,imò retardata in toto corpore ipsius excretione in locis calidiorib. non modò salsā,sed acriorem facit. Neq; igitur pituitæ generatiò vsu calidorū nō prohibenda, neq; venæ cum renibus non refrigeranda videantur, quæ duo contraria perfici nunq̄ posse rectè existimaueris. Mihi verò sic agendū videtur. Pituitæ generationem prohiberem non calidis suggerendis,sed ea assiduè per vomitum expurganda. Sic.n. ventriculus leuatus in iuuene carnoso sibi suum calorē restituet,præsertim si exterius idoneis fomentis,& illitionibus ei subueniatur. Quo vomitu nō solum pituita detrahetur, sed illius ēt cursus a renibus auertetur. Renum verò calorē mitigarē,& bilem purgarem, quod ijs,quæ alias scripta extant perficietur. Vbi sebesten ego vsum in memoriā teuoco,vt valentissimū biliē renibus euocandæ,& mitigandę,& violarū,ac florum maluæ seri potionib. non prætermissis,in quib. ea incoquātur quæ aliàs dicta sunt ad refrigerationem renum facientia,vt sunt oīa semina frigidiora, vt essent quoq; trochisci optimè facti ex ijsdē,nempe s. citrulli,cucurbitæ,lactucæ,portulacæ,succo recenti liquiritiæ,rosarū,& exigua parte glandium, lentium, & myrtillorum cōpræhensis ijs oībus, & coactis cum aliquo simili succo, vt portulacæ, & mucillagine phyllij. Pręter illa.n. quę incoqui in potionibus possunt, vt alias dicere consueui, hæc ita solidiora exhibita, sed subtilissimè trita cum potionibus vim facilius ad renes vsq; seruabunt. At victus ratio in his maximè potest, de qua in memoria habenda ea,quæ iā dicta sunt. Hoc repetam pineos nucleos,maximum auxilium leniendo humori laturos,& ēt althææ radicem in aliquo potionis genere incoctam. Quidam in maximis doloribus non solum papauera,sed magis succum semperuiui bibendum cū alijs rebus, dant, at hoc non nisi raro,& necessitate vrgentissima mihi faciēdum. De Medico amico,quod in nobis erit, tibi de nostra opera potes pollicere. Vale, & nos,vt soles ama. Pisauri 4. Nonas Octob. 1580.

De muliere melācholica,quæ à puerperio parce purgabatur, & vigilijs malè haberet.

CONSVLTATIO LXXXIII.

Mulier 35. annorū multos filios enixa melancholica facta,cum grauida esset,nocturnis vigilijs angebatur,cum peperisset vix purgabatur. Missus verò sanguis è talo ei nihil profuit, potius tota frigescere visa est, & maximè secundum ventriculū,vigilijs verò ēt magis vrgeri, quare, cū vix spes esset eam posse sanescere,hæc illi pręcipiebantur. Vt passulas infra scripto modo paratās crebro acciperet ad humorē hunc parandum,educēdumque,& ventriculum extergendum, frigidaq; pituita liberandum; tum ad obstructiones aperiendas,& robur viscerum firmandum. Ad somnum verò conciliādum theriacam recentiorē, nempe vnius circiter anni. Passulæ itaq. sic pararentur. ℞. cetrach, fumiterræ, capillor. vener. betonicæ, borragini, thymi an. m. 1. tartari ℥. 1. rad. asari ʒ. 3. Cor. R. capparorum ℥. s. Cor. tamarisci ʒ. 5. fiat decoctio s. q. aquæ absinthij s. a. quæ expressa & colata. ℞. rhabar. el. ℥. s. fol. senæ ℥. 3. garyophill. ʒ. s. cinnam. el. ℈. 4. spicę ℈. 2. nucis moscha. ℈. 1. sena,& rhabarb. infundantur in suprascripta decoctione per 24. horas, deinde colentur, & exprimantur. Aromata verò cū lib. 4. passularum in ipso expresso liquore imponātur, ex quibus passulis sumat bina cochlearia, quinto, aut sexto quoque die. Medijs aūt diebus sumat ℥. 1. oxymellis cōfecti ex suprascripta decoctione, & aceto minimè valēti. Item ℞. specierum rosatę nouellæ spec. diatrionpipereon an. ʒ. 2. cum sufficienti quantitate aq. melissæ, & absinthij,& saccharo fiant rotulę, ex quibus ʒ. 2. sumat quotidie post vsum superiorū crebro saltē. Vesperi verò cum it cubitū, sumat theriacæ nouæ ʒ. 1. cum vini meri ℥. 2. Veris aūt tempore, accipiat serum caprinū ex oxymellite squillitico paratū,vt alias a me præscriptum est.

De eo,qui hora, qua coctionem ventriculus expleret eiusdem ventriculi dolore cum mœrore summo vexabatur.

CONSVLTATIO LXXXIIII.

In multos alios incidi,qui ventriculi dolore angerētur,eo tantum tempore quo coctio ad summum perduceretur,vt si inter coquendum cibum nouum acciperent,quo coctio rursus incipienda esset, dolor quiesceret tādiu,donec ad summū feruorē perduceretur. Qđ ego nō aliter possum existimare,nisi ab humore atrū referēte proficisci, qui pp sui grauitatem & tarditatem non mo-

moueatur, niſi calore, increſcēte, & ſpirituum copia per coctionem excitata, vt in ſummò coctionis incremēto, atque caloris coquentis impetu euenit, à qua verò vi alia humorum genera potius vincerentur, is humor propter ſui duritatem vix commotus, liquatuſque magis cruciat, quo calore refrigerato ex noui cibi acceſſione ipſe reſidet, & obdureſcit, demiſſo etiā chylo ad inteſtina, imum ventriculi petit, & ſecum moleſtiā ſuam abducit. Mœrorem autem cū dolore affert, quoniam cor ſtomachus ſecum afficit, & malæ noxæ prauitate humoris illaræ particeps reddit, ſtomachus verò ipſe torquetur eo humore aſperos fumos ſuæ naturæ ſimiles in ipſum ingerente, cum fuſus calore, & cibi humore fuerit, quo cibi humore non tam diluitur, quam effertur. Ita is humor è ventriculo deuoluendus eſt, & ne in ipſum referatur curandum, quod vijs alijs apertis, quibus efferatur è corpore, & generationis ſuæ cauſa ſublata, & ventriculo firmiori reddito fiet. Antequam tentemus viarum apertionem, minuendus eſt humor venæ ſectione, & miſſo per hęmorrhoidas ſanguine, aliquanta etiam meatuū apertione facta purgandus. Lienis venę expediendę, vt ne ipſum in ventriculum remittat, totum potius crudiorem ad venas ſedis trudat. Firmandus quoque lien, & expediendus, vt humorem concoquat, & conſumat. Deinde iecoris vitium emendandum, ne tantum illius generet, quæ his medicamentis præſtari poſſe crediderim hoc tempore hyberno ſerum dimitterem, hoc vere reciperem, vt percommodum cum ſucco fumiterræ permixtum, ac optimè paratum oxymelle non ſolum ſimplici ſed ſquillitico ipſo, meliſſam, borraginē, cetrach, fumūterræ, abſinthiumque aquæ incoquerem, & in ea ſyrupos fumiterræ, betonicæ, & oxymel ſquilliticum immiſcerem. Pilulas ſubijcerem de tribus cum electuario hamech confectas, aut ſucco ex elleboro decocto expreſſo coactas, vt ℞. Ellebori nigri ʒ. 1. aniſorū ʒ. 2. maſtiches ʒ. 1. s. cinnamomi ℈. 1. fiat decoctio in lib. s. aquæ. ſ. a. ad conſumptionem tertiæ partis, qua expreſſa, & colata, ℞. ſupraſcriptæ decoctionis ℥. 3. mellis roſacei. ℥. s. agarici optimi ʒ. 2. aloes hepatici ʒ. 2. s. rhabarb. el. ʒ. 3. ſpicæ ℈. 1. cinnamomi ʒ. s. Salis gemmæ grana 7. tartari ʒ. s. Aloes reponatur in ſupraſcripta expreſſione tandiu, donec illa in vmbra exſiccetur, deinde cum reliquis fiat pilulæ, quas ſæpè repeterem dragmæ pondus identidem accipiendo vſu oxymellis ſquillitici interiecto, vel, cum æſtas fuerit, loco illarum pillularum capiat potionē aliquam, in qua incocta fuerit borrago, cicoreum fumuſterræ, meliſſa, aniſum, garyophillum, paſſulæ, & ſena cui admixtum ſit mel roſaceum ſolutiuum, & ſyrupus roſaceus ſolutiuus. Verum ſatius erit potiorem diligentiam in modo viuendi adhibere, fugiendis animi moleſtiis, otio corporis non niſi crudo ventriculo admittendo, alioquin exercitatione habēda, ſeu domi, ſeu aliquò progrediendo. Venere etiam rariori, nec niſi noctu, & poſt concoctionem obeunda. Frigore vitando vel ipſorum extremorum, alui deiectione quotidie, vomitu à cœna cum cubandū eſt bis in menſe promouendis. Cibis tandem nimijs, craſſioribus, crudioribus, durioribusque vitandis, in quibus carnes, ac piſces vetuſtiores, & craſſiores, oua duriora, fructus duriores præter amygdalas, & crudi, prętet eos, qui molles ſunt, forent enumerandi. Caſtaneę verò optime macerandę. Radices quoque omnes crudæ, duræque vitandæ, præter illas, quæ medicamenti locū habere poſſunt, vt raphanus, ſeu radix per excellentiam dicta, coctas alias recipiendas, vt petroſelini paſtinacæ, bulbaceaque, vt cępæ, allia, porra, niſi teneriores fuerint, cū quibus, & Aſcalonites concedenda. Aromata cibi ratione nō ſumenda, ſed medicamenti modo nēpè parce, & omnia quæ aromatis vim tenēt. Legumina inter duriores cibos reponenda, & ex ijs nō niſi iura admittenda. Herbæ potiores ſunt vna braſſica excepta, cuius tamē ius non aſpernendū, nec folia eius recentiori, mollioraque metuēda; neque ſalis vſus fugiēdus, Quæ in ſatisfecerint, valentiora erunt adeunda, quę nunc in recenti malo non mihi videntur proponenda.

Chriſt. Guar. Conſ. Med.

Ad tumorem ſcroti aquoſum nempe ὑδροκοίλην.

℞. Fol. lauri, rutæ, abſinthij an. m. 1. ligni cupreſſi m. 1. Vini antiqui q. ſ. decoquantur, & immixto ſale atro locus diluatur, foueaturve. Item ℞. Cochleas num. 6. ol. rutacei ℥. 1. laurini ℥. 1. s. mellis ℥. 2. farinæ cicerum q. ſ. Miſce, & fiat cataplaſma molle.

CONSVLTATIO LXXXV.

Magnifice, & Excellens Domine.

HIc nobilis Vir, de quo iterum alias ſcripſi Tuæ E. rogauit rurſus, vt ſcriberem pariter nunc ſententiā meā, quo perfectè a caloribus ſuis liberetur, quibus leui de cauſa in capite afficitur, quos ſentit aſcēdere à partibus infernis, & magis frigida, quā calida tēpeſtate. Ego ſemper exiſtimaui eos à materia craſſiori, q̃ ſpirituoſa, procedere, quoniam; q̃q̃ eunt, redeuntque, nihilominus non ſolum à contrario minuuntur, quod frigus eſt, ſed potius increſcunt, quod non niſi à corporata materia à frigore occluſa euenire poteſt. Præterea non tam arbitratus ſum calorē illum ei materię eſſe naturalem, quàm ex obſtructionib. aduentitium, propter quā obſtructionem materia ob minimam quamq; cauſam fumos surſum extollat, ex quo etiā fiat, vt ſcabie tentetur toto corpore, & in facie tuberculis cum materia craſſiuſcula ſit, & ſalſa fiat, qua propter etiam leuamen acceperit à potione aquæ Tetuccij, vt ipſe refert Itaque arbitrarer vtile vt pergeretur in abſtergenda, & expurganda ea materia arrepta temporis anni, & lactis occaſione, accipiendo ſerum lactis bene purgatum, & deinde aptatum cū oxymellite, quod vna ſecum ferueat ad ℥. 1. in ſingulos calices, & deinde per colum traiectum, & datū cum ℥. 2. mellis roſacei ſolutiui quoque mane ternorum, quaternorum, aut quinquenorum calicum menſura à minori ad maiorem indies aſcendendo, & propè finem pariter ad minorem reuertendo ſpatio puta 15. dierum, Corpore inquam pararo prius remouendis antea ijs materiæ partibus, quæ infirmas meſenterij, ſeu medij inteſtini venas occupant, primo per mel roſaceum ſolutiuū, & manna pondo ℥. 2. s. paripondere ſumpta per Indum maius; Quo ſeri potio apte ſubijciatur, cuius circuitu perfecto de reliquis ſubinde ſermo poterit haberi vt opus fuerit. Manum deoſculor. Piſauri 8. Idus Maij Ann. 1580.

CONSVLTATIO LXXXVI.

Magnifice & Excellens Domine mi.

ROgatus ab iſto miſerando homine meum conſilium pro filio, qui melancholia affectus eſt, opinabat me non poſſe ſatisfacere, niſi V. E. operam ei propoſuiſſem ad eius ſalutem, cum V. E. ei vicina ſit, pollicitus me cum ea conſilium meum communicaturum. Itaque per has literas dico V. E. quod ſententiæ meæ eſſet hanc inſaniam a viſceribus infra ſeptum ſitis proficiſci, quam ego curarem miſſione ſanguinis a brachio ſiniſtro, & potionibus ſeri caprini, cui indita eſſet uis epithymi, ſenæ, atque ſpicæ Indicæ interdum adiecto elleboro ad ʒ. s. Et quando malueris rem compoſitam, adijcerem ſyrupum de polypodio ſolutiuum magiſtralē, atque hoc per 15. dies, quod niſi ſatis effecerit V. E. poterit ſupplere demendo ſanguine ex hæmorrhoidibus, & alijs medicamentis eius generis. In quibus ego etiam aquam Tetuccij numerarem. Manum deoſculor. Vrbini 3. Idus Iunij 1580.

De morbo qui vniuersam Europam paucis mensibus peragrauit Anno 1580.

CONSVLTATIO LXXXVII.

Literis T. E. idibus Augusti datis, quibus quod etiã alteris 6. Idus datis fecerat, præterquam describit morborum genus istius ciuitatis, petit etiam sententiã de aliquo antidoto. Respõdebam, quod mihi est necesse pro constituto ponere, illud quod maioris momenti est, & in hoc ẽt indicium T. E. appellare, s. in hac Epidemia nõ reperitur maligna febris, quamuis sit contagiosa ob sui causam, Maligna nãque febris, neque hic, neq; vllibi reperta est, cum in omnibus finem optimum habuerit seipsa, & citũ, dico seipsa sine casu aliquo, vti corporis alicuius male affecti, aut consumpti alia causa. Et quamquam ostendit in corporibus magis sanguineis vehementiam maiorem, nacta tamen est ẽt sine sanguinis diminutione citiorem quietem, & magis integram secũda die in quibusdam, in nonnullis tertia, neque vnquam pulsus habuit valdè frequentes, nisi in ijs, quibus lõgior erat futura, & qui non tantum caloris præseferebant. Aluos non soluit, potius in nonnullis vomitũ mouit, potius in aliquibus flatum in intestinis excitauit, sudorem ferè omnibus, paucis quibusdam è naribus sanguinem. Destillatio aũt, cum qua febris hæc est, nisi aliter cõparata corpora inueniat, infra fauces non pertinet, & potius, dum delabitur in os tussim mouet, quam quod in thorace congeratur, nisi homines causam aliã dederint. Hoc inquam apud nos, quoniã alioquin auditur, quod Florentię, & alijs in locis pleuritidem attulit, nõ solummodo, vt hic, faucium ardorem, atq; faciei, & oculorũ adeò, ut cerebrum quoq; perturbationẽ operum ipsius senserit. Qui morbus, se longius traxit, id fecit ijs, qui parũ cęli iniurias vitarunt, nec sudorẽ ferre voluerunt, sicque ipsi malum sibi longius duxerũt, quorum perpaucis destillatio pectus compleuit, & ijs tantum, qui alio tẽpore illa affici consueuere, ex quo cognosci potuit, quod caput potissimũ lęsum est, ac illi, quibus imbecillum est natura, & recrementosum peius habuere saltem a destillatione. Quemadmodum cacochymi, & ad sudorẽ difficiles febrem longiorẽ perpessi sunt, rebus inquã cæteris pariter habentibus, quo senes ob quamque harum causarũ valdè male tractati sunt, & ij, qui longo aliquo morbo fuerint exagitati, & qui in pthisin procliues essent, ac similes, de quibus aliqui è suis laboribus decesserunt, Adeò, vt morbus ipse seipse nullam malignitatem his præ se tulerit, imò potius indicatit se longe à visceribus vitam continentibus versari ob pulsuum genus, & ob concoctiones non interruptas vna ventris coctione excepta, ob id, quod cum capite habet consortium, quod caput profectò in hoc morbo primas partes habuisse cognitum est. Atque vti solutio morbi per fluxum sanguinis narium facta, & perturbatio operum cerebri hoc idem confirmat, ita facilis, & cita per sudorem solutio ostendit humorem in morbi vicinum extimo corporis ambitui. Vt propterea ij, quibus sanguis missus est cum propter humoris morbi naturam, tum propter eius a sanguine disiunctionem, qui a sanguine remotus esset, longe languidiores alijs se senserunt, & capite valdè vna cum omnibus neruis imbecillo remanserunt. Quemadmodum contra, qui sudorem tolerarunt, neque eum repressere exeundo in aeris aspirationem, longè melius habuerũt. Multi qui ante octo aut quindecim dies sanguinis missione, & purgatione vsi essent, & aquã thermalem accepissent, nihilominus hoc morbo correpti sunt, & illi magis, quibus sanguis missus fuisset tantummodo, minus alij, quibus & purgatio, & potio aquæ thermalis fuerat exhibita. Signa omnia, quod mali causa prope cutim est, & longè a loco vbi sanguis conficitur, & a sanguinis natura remota. Qui iter fecerunt sub caloribus, omnes hũc morbum compræhenderunt, & insuper ẽt febrem mortiferam, multique interierunt, præ-

A sertim quibus sanguis demptus est. Malignus is morbus euasit, vt visum est, non solum in aliquibus mali corporis status, vti ob morbum gallicũ, aut alios morbos, aut malã corporis naturam, statumq; viscerum, Verum ẽt in locis colori magis obiectis, & humidis, & cauis, siquidem Florentiæ non parum mortiferus morbus fuit, Lucæ nequaquam, Romæ pariter mortiferus, Arimini, Mediolani, Venetijs, hic intra nostram regionem intra nubes, & locis valdè cauis, & calidis vti Forosempronij, qui locus est ẽt varietati cœli obnoxius, vt eadẽ die variet. Alioquin seipse morbus fuit salubris, neq; certam quandam formam, aut speciem mutauit, nisi alijs rebus incidentibus, quæ species erat, vt accederet cum capitis dolore, cum insolenti faciei rubore, atq; oculorũ, cũ aspero fauciũ dolore, ac tussi maiori ex parte, irritatione potius

B fauciũ ipsarum, quam copia materię incitata, pręterquã in procliuibus ad destillationem cum capitis dolore, sed magis dorsi, cũ febre cum pulsu raro valdè, & molli, cũ vrinis naturalibus, præterquam in solutione morbi, cũ sudore, præsertim capitis, qui duob. aut tribus diebus finem faciebat, cũ fluore sanguinis narium in paucis quidẽ. In aliquibus in causa fuit diuturnæ destillationis, in aliquibus perturbationũ sensuum internorũ, in alijs dolorũ totius corporis, in alijs doloris stomachi cũ vomitu, in alijs doloris alui, in aliis, & his quidem paucis cum ventris solutione, ferè oĩbus cibi cupiditatem tollendo, & mouendo vini odium maximè post morbi solutionẽ corrupto. s. gustus instrõ, os saporis pessimi, & sorderefertũ relinquẽdo. Aliquibus a principio inuasionis somnum aufert, sed oĩbus sub finẽ, quin multis in principio

C somnũ facit præter morẽ. Vbi ẽt si velimus vocare putredinis genus malignũ, febris tñ malignitatem nõ hẽt, q̃m malignitas non pertinuit ad cor cum fumis ad hoc appellentib. eius putredinis, q̃m malignitas est in tenui materia, & soluitur, antq̃ cor attingant fumi, cũ putredo, in venis extimis præsertim capitis versetur. Quo nõ arbitrer ego esse cordi quærenda antidota propriè contra malignitatem, qua ob contagij vim certò obseruatã præter cęli tẽpestatem eius causam subesse non põt negari. Si ego mali naturã considero ea quod mirũ videatur in siccitate solidorum nititur, vt est obseruatũ, & *in* humiditate recrementorũ, quæ multa facta est, non *solũ* ob genus cœli cõmune ex australibus ventis multorum anni tẽporum, ex pluuijs squalores longos insequutis nubiloq; cęlo iã 20. dies sub cane, sed ob meatuum inuisi-

D bilium angustiam a caloribus, & frigoribus eadem die identidẽ mouentibus factam quæ anhelitum totius corporis ambitus prohibuerit valdè necessarium, maximè æstate, quo tempore magis naturæ expetitur, præsertim ob potionum largitatem, & intemperantiam, ac esum fructuum, quæ tunc contingunt. Quæ meatuum inuisibilium angustia, vt dixi, ab inæqualitate, & inconstãtia incredibili temperata facta est, quam communem fuisse multis regionibus affirmant, præcipuè verò mane, & vesperi tantum frigoris erat sub canicula, vt homines ambularent inuoluti etiam pallio graui, & satis eis non erat, quod frigus identidem a calore quodam æstuoso, & molestissimo interrumpebatur, grauissimoque cœlo maximè homines occupabat. Humores itaque a calore fusi a frigore comprimebantur intus, concretiq; vias

E obstruxere, quod a frigore facilius, & eo magis fiebat, quoniam corpora a calore laxata minus frigori resisterent, a quibus tempestatibus initium hic morbus fecit in regionibus humidioribus, & pinguioris soli, in quibus pluuiæ post squalores citius cæperant. Nam si de vicinis nostris loquamur noui in Gallia Traspadana 11. Calen. Iulij factum esse huius mali initium & apud nos (quamquam prius in Hispanijs, quam in Italia, & in Italia quam in Germania) ad Nonas Iulij adeò quod apud nos nempe Vrbini malum longius est retardatũ, & longè magis in siccioribus locis, quoniam meatuum inuisibiliũ angustia non sat potuerat congregare recremẽta, quib. natura oneraretur. Itaq; calores malũ expectauit, quib. materia ĩ destillationẽ soluta est, quẽadmodum

dum in locis humidioribus à calore, & à frigore id factum est; Cæli ariditas pluuias antegressa cum calore in mense Maij, & Iunij singularis, & insolēter magna fuit, & diuturna, vt calida ea tempestas præsertim australis humores fudit, vt arida, & diuturna corporis solidas partes durauit. Vt intemperantia in potationibus, & intolerantia vestimētorum in nocte communes admodum fuere, neque est, qui id vitarit, adeò quod, cū natura corporū exhausta, & auara restiterit, ac sitiens cęlo humido facto multum humidi absorpsit recrementitij, quod ob meatuū angustiam, in fauces coniectū est prius in capite concalefactū. Quo factū sit, vt capitis sudore, & subinde totius corporis malū solutum sit ijs, qui nullo alio auxilio, quam abstinentia vti voluerunt. Neque vera ea opinio fuerit, quod abstinentia homines magis debilitarit, sicuti falsissimum est quod sanguinis missio per sectā venam citius morbum finierit, & minori cum languore, quoniam hanc maximus languor sequutus est, etiam ijs, qui per cucurbitulas incisa cute eum extraxerunt, aliquanta tamen, & insigni copia, quæ cucurbitula fortasse faucium dolori profuisse potuerunt, sed nulli præterea, rei minusque capiti, quoniam ea materia descendebat, non ascendebat, iam à calore fuerat elata, aut ab alia causa in caput, & inde labebatur, & toti etiam corpori dolorem mouebat. Hæc summa est, aquè conualuerunt, qui auxilium missionis sanguinis etiam per cucurbitulas prætermiserūt, atque alij cuius rei experimentum est amplissimum. Atque, postquam morbus alijs multis opus non habet obseruationibus, dubia quędam tantū relinquuntur de eius natura, præsertim quod contagione communicetur, & communis penitus, & ex toto sit. Qui id nō senserunt rarissimi fuerunt, & visi sunt incantatione muniti esse, signum maximum, quod commune. Quod vero commune, & contagione communicabile fuerit, illud est, quod, qui conclusi in domibus, & monasterijs se continerent, minus longè, quam alij id acceperunt, vt qui, & minus tempestatis genus senserint, & cū alijs minus versarentur, contagione verò propagatum fuisse proprie id indicat, quod, vt obseruatum est, postquam diu eiusmodi vitæ homines, & ferè ad extremum se sanos conseruassent, vnusque tandem de illis morbum intra eos muros ex aliorum consuetudine importasset, statim alij omnes eodem malo correpti sunt, cum se immunes ad extremum finem eius mali seruassent, & iam fiderēt incolumitatem certam se posse tenere. V.g. de Capucinis monachis, qui vsque in finem epidemiæ illius sani fuissent, ille, qui victum quæritabat, vespere quodam in monasterium cum pane reuersus hoc morbo infectus agnoscitur; omnes de more suo vt' ęgrotum illū inuisunt in eius cellula angusta maximè ęstuantem, sudantēque vbi ego quoque eram qui iam eo morbo liber post eum multos dies sudaram. Mane sequenti omnes pariter eodem malo tentati sunt, vt contagij vis vires mali corporum, & cęli status augeret, & inde malū propagaretur, neque profecto sine contagij viribus malum id tam cōmune fuisset, vt dubitationi locus non relinquatur, quo pacto contagij vis partem causę huic malo præstiterit, quod à cœlo esset, quoniam partem suam contagiū quoque ipsi causæ afferebat. Verum, qui fieri potuerit, vt contagij vis, cum hæc per pulmonum anhelitum agat, homines compræhenderit corde non prius occupato, & malignitate infecto, fortasse humoris, & halitus tenuitas à cordis calore fuerit cōsumpta, & in caput multa sui parte reiecta, quod iam a cœlo sic esset cōparatum retinendo eiusmodi humori, & halitui. Quòd quidam, quamquam hi quidem pauci, fuerint tuti ab eo malo, causam ego in corporis ratū texturæ genus referrem, & in calorem validum, qui causam consumpserit, aut in exitum aliquem recremētorum, sicuti in eo puero euenisse potuit, qui multis, & maximis vlceribus cheradum erat refertus. Nihil mihi reliquum dictu videtur de morbo, qui auxiliū non exposcit, cum tam citò cursum suum perficiat ad salutem, atque ea vitia, quę relinquit, proprias quæque requirant obseruationes, &ç.

A

De tabescentia.

CONSVLTATIO LXXXVIII.

Magnifice, & Excellens Domine mi.

Febris diuturna, tumor sub costis dextri lateris cum harum elatione causam indicant maciei, & cauitatis oculorum huius adolescētis, præsertim, qui sit albus, & mollis admodū, quam vero ego causam non possum videre, an vrgeat magis, quā ipsa tabescentia, quoniam hoc a longinquo non possum perspicere. Dicam tamen quod videtur, Tua Excell. quæ præsens ei est, poterit internoscere, & distribuere partes huius curationis pro rei necessitate, Macies vitari nequit, nisi per nutritionem, nec multum spei in balneis ponendum est, quia non restaurant humidum alibile, quauis repentinis squallorib. externis occurrūt non inutili humido. Hinc Gal. diuersa hæc recipiēs ipse locis diuersis diuerso modo est locutus. Nutritionē febris impedit præter cętera ēt cōsumendo alimentum quodcunq;, & siccitas a febre inducta, quæ partes corporis ineptas reddit, ne cōmeanti humori alibili viam prębeant, ex quo colligitur, quòd cibus ex vna parte debeat facilis esse distributu, & concoctu, ex altera parte debeat esse difficilis, quo calori consumenti resistat; Lac vnam partem habet, aqua stillatitia cochlearum, harumq; ius, in quo contabuerint, & item testudinum habent alteram. Sed vtrumq; genus hoc alimenti adeò duritiei iecoris, & tumori aduersantur, vt vtrumq; fugiendum esse videatur, & potius ptisana deligenda, & sorbitio ex carnibus gallinarum vna cū earum iure ex stillatis, aut potius expressis gallinis bono pastu nutritis, præsertim ex hordeo, coniunctis cum eiusmodi carneijs, quæ iecori prodesse possunt, sicuti cicoracea, hepatica, lichen dicta, eupatorium, agrimonium, trissago, lupuli, vsque ēt ad gentianam. Si destillationi dandę, & amaro rem extillata non retineat, cui obstructioni pariter opera danda est cū his, & similibus, quorum mentio nunc T.E. superuacua esset. Omnia quidē hæc rhabarbaro erunt firmanda, & interdum mechiacane quod solet educere, interdum crassa, sed semper pituitosa liquida recrementa, quæ solent reddere morbos oēs diuturnos. Atque exterius ego ingererē, vti expedit omnibus longis, febribus, inunctiones, emplastra, cataplasmara fomentaq; iuuandæ coucoctioni apta, vt facit Galen. in curatione, febris quotidianæ, & tertianæ spuriæ. Atque si balneis assueuisset, his ego in eundem finē vti vellem concoctionis, & viscerum emollitionis, quo in eum statū restituerentur, vt natura eorum posset humoribus dominari. Hæc sunt, quæ sicuti curationi tàm longæ, & laboriosæ pauca sunt. Sic nimia sunt V.E. harum rerum non ignaræ, & vel nutu penitus intelligenti, neq; meis admonitionibus opus habēti. Manū deosculor, & ago gratias de descriptione morborum istius regionis subtili quidem illa, & prudenter ac doctè scripta, adeo vt summę voluptati mihi fuerit, præsertim cū multas alias a diuersis locis acceperim, quæ præstantiā huius non attigerunt. Vrbini 10. Cal. Septemb. Anno 1580.

De nobili Matthæo Tingoli conuulsionis tentatione secunda laborante.

CONSVLTATIO LXXXIX.

Conuulsio hæc neruorum primùm eorum est, qui a secundo, tertio, & quarto pari promittuntur, quoniam & musculi faciei, oris, linguæ, & ēt ossis hyoidis distendūtur, deinde ēt eorum, qui a spinæ parte sinistra veniunt. Affectū, qui huius causa est, cerebrum adhuc non attigisse certū est, minus eius ventriculos in hanc motionis agitationem conuenisse, qm̄ interni sic sensus fuissent impediti. Nec.n. sinister tm̄ ventriculus cōtrahi potuisset, quin medij inferiores cum eo essent adducti.

Vbi cum sensus interim, tum externi quoque incolumes permansere. Ita neque materia, quacunque ex parte cerebri veniat in eos neruos, vel crassa esse potest, vel a ventriculis mittitur distentione tam breui soluta, & superiores facultates non complexa. Igitur potius vaporosa est, & a cerebri parte tantum, &, quæ spinā adijt, eius partes sinistrorsum tantum extimas attigit pro pterea ad crurisieius partis neruos noxa non peruenit. Ortum verò huius materiæ potissimum esse aliqua in cerebri parte res eædem testatur, præcipuè quod altera tantum eius pars in id malum efficiendū conuenire videatur, siquidem fumus is, si aliunde mitteretur, ille vel à toto corpore, vel a ventriculo veniret, ac non magis vnam, quam alteram partem subito suo accessu irritaret, & ab vtraque expulsus vtrinque in omnes neruos per conuulsionem eijceretur, Ac, quamuis cum non discutitur materia, tunc pro partium infirmitate magis in vna, quam in altera parte soleat subsistere, cum tamen fumus eijcitur certe in vtramq; partem a toto cerebro impellitur, vt, cum suffusiones in oculos a ventriculo veniunt, in vtrumque pertingunt; neq; verò a parte aliqua inferna submissus fumus a sinistris missus sinistram tātum afficeret, quoniam vasa tam dextra quam sinistra, antequam cerebro seruiant, coniunguntur, & in vnum coalescunt, vnde æquè toti cerebro, eiusque vtriq; parti noxa afferretur, neque enim hoc vitium in membranis cerebri est, neque per ipsas in neruorum tunicas descēdit, nam materia, quæ citò discutitur in membranis tātam motionem excitans etiam dolores afferret. In cerebro ergo nimirum eius corpore sensus experte, & in sinistra eius parte materia hæc gignitur, quæ per neruorum medullam dispellitur, & motionem illam acrem, & citam ciet, quoniam tenuis ac fumosa est, non dixerim simpliciter vaporosam, quæ potuis infirmitatē motionis, ac sensus hebetudinem, quam motionem acrem afferret. Cuius materiæ causa in cerebri parte est, & pituitosi generis, non tamen naturalis est, naturalis.n. non fumum sed vaporem ederet; quare & somnus nimius è pituita præcessit, sub dolore capitis antiquo ea materia demum crassior facta est, neque amplius in locum doloris capacem, hoc est, in membranas efferri potest, sed intra corpus cerebri subsistit, & concretior facta ex se propter sui corporationem, & vitium spatio tēporis ingeneratum non vapores, sed fumos per neruos eiusdem partis emittit, fumis vero intenti nerui contrahuntur, & fumos per hanc motionem eorum tenuitate facile discutiunt. Quæ omnia eo mihi verisimilia magis videntur, quo caput huius Nob. Viri infirmius semper fuit, præterquam quod ego hanc eandem mali progressionem ab hemicraneæ solutione ad eiusmodi casus in alijs animaduerti, & cum horum quidā alijs mor bis sublati fuissent, aperto cerebro vidimus concretas pituitas in parte, qua nerui conuelli solerent. Qua causa mali constituta iam apertè vident VV. EE. cui nā parti subueniendum, quod genus materiæ detrahendum, quidve aptius remedium futurum ei sit, guaiacumne, an salsa parilia; Etenim cum capiti, tum concretionibus eiusmodi pituitosis salsā pariliæ apprimè facere vos quoque fortè experimini, sub qua omnino sudores cicantur, corpore tamen tā exactè perpurgato, vt ne possit amplius in caput è toto corpore materia attolli. Caput.n. ipsum quoque tractandum, & perpurgandū fuerit, tum per os, & per nares materiam detrahentibus, tū etiam per cutem ipsam discutientibus, & per sudores eiusdem, & postremò siccantibus. In corporis purgatione elleborum adijcerem, quem nostris regionibus tam facilem experimur, & tam valentem morbis antiquis capitis tollendis, neque vero ei aspernenda, vt fecit semper superiori anno, sunt purgantia medicamenta, alioquin curatio recta institui non poterit, & noxia potuis euader. Non credo a me requiri, vt exempla medicamentorum rescribam, minus id facerem vtilirer aut libenter, cum sciam eorum moderationem esse medicis præsentibus permittendam, ijs verò sitis huic aduocati, qui minimè meo consilio, ne dum certa curationis definitione egeatis. Ordinem quidem certè curationis hunc instituerem, vt clysteria cæteris anteponerentur, quibus post syruporum operam aluus aptior medicamētis purgantibus redderetur. Post quæ purgantia sæpius repetita per os caput expurgarem, & per nares. Deinde salsæ pariliæ potiones præcepta summa abstinētia præberem, sudoresque cierem. Sub his theriacam propinarem, & sæpius, ac caput interea fouerem spongijs satis magnis ex aqua calida, cui incocta essent ea, quæ apetire, & humores digerere, ac confirmare caput possent, vt est sena, agaricus, chamæmelum, saluia, betonica, rosmarinum, amaracum, stœchas, cupressus, & similia, quæ vobis ignota nō sunt. Valete, meque amate Pisauri pridie Idus Februarij 1581.

A

B

Ad dentium dolorem præscriptum est pyrethri. Rad. Imperatoriæ, boli armeni sanguis drac. ān. q.s. in poltinem redacta melle rosaceo comprehendantur.

Ad vermes corallina præscripta est.

Ad scabiem.

℞. ol. ros. succi saluiæ, absinthij, rorismarini, rutæ, colophoniæ, terebinthin. cum rosacea lotæ sulfuris.

De imbecillitate neruorum, & tensione contra iecur Hieron. Bened. Doctor.

C

CONSVLTATIO XC.

Tremulę manus ferè à natura ei fuerunt, Nunc inclinata ætate, & morbi longi oppressione, quæ superioribus mensibus finita est, tremor ille manuum creuit, atque crurum debilitas insignis, accessit, & ipsius naturalis membri, semine tamen non deficiente, facultas erigendi penitus sublata, cum tamen nondum 42. annū excesserit. Tensionis verò eius, quā sentimus sub dextro hypochondrio, tēpus scire non possumus, eam inde tantum obseruauimus, cum iam ferè 9. menses febre longa ægrotabat, eiusque febris ferè omnē causam in ea esse positā iudicabamus. Causa tremoris, iā cum liberius viuendi esset licentia in ipsius intemperantiā referebatur, nam eius alia quoque signa prębebat, cui à cibo sui quādoque cōpos non esse crederetur, quamquam illud quoque causæ suberat, quod, alioquin cū generis melancholici sit, sępè sub animi perturbationibus apud se non esse videri solet, vtrūque tamen capitis infirmitatē ostendit, quæ vitio tū proprij natalis extiterit, tum aduentitio increuerit, cuius vitij ratio nunc inuestigāda est, deinde de tēsionis causa sermo supponendus. Vitiū illud humidioris, & calidioris generis est, caloris nāque, & humidi generis cōplexio debilitatē eam affert, quā per se fortè sine humido, calor certè non afferret, aliud enim separatim quæq; ea vis, aliud ambæ suā inter se cōplexionē corpori pręstant, ac multū interest frigori ne humidū, an calori coniunctum sit; calorne squallori, an humori accedat; Humido quidē certe calor adiunctus laxitatē infirmitatis matris parit, cuius generis caput hoc à natura fuisse suspicio est, nā ingenio non mediocri, & acri studio retū maiorū semper fuit, in agendo diligēs, & solicitudinis potius, quā negligentiæ nomen habuit; perspicax, atque ad apprehendendū facilior, quam apprehensionum tenax; quamuis reliqui corporis genere aliquanto ficciori, spiritū, ac sanguinē firmiorem administrante ēt retinendi facultas iuuabatur. Vnde neque somnus, qui humido duci solet, longior esset, q̄n calore interrūperetur, & perturbatior fieret, melancholicisque vaporibus vim sui humoris pręsegerentibus ēt prohiberetur. Atque, vt de natura sui

D

E

sui corporis sermo expleatur, Iecoris quidem genus calidius cernitur saltē ex colore cū cutis, tum pilorum, copia quę horū. Cordis quoque natura à calidiori genere non multum abest, si animū eius, cum bene valeret consideremus valdè fidentem. Humidū verò etiam cor potius, quā iecur intelligimus, cum mores eius faciles tam ad beneuolentiam, quam ad iracundiam sint humidi cordis notæ.

Corporis vero tenuitas, & asperitas siccitatem alterius visceris sequitur. Hoc naturæ statu huius corporis posito fuit facilis ipsius ventriculi refrigeratio, non dicam, quod iecur nimium exsuxerit, vix enim credo posse ventriculum à iecore exsiccari, cum ipse iecori id tantum permittat, quod sibi necessarium non est, actam promptam habeat sui alendi copiam. Dicam potius, quod calore continenter corpus exsiccante humores, hi atri succi plurimum conceperint; qui quoniam per ventriculum excernitur, cum nimius est, nimium etiam refrigerarit, atque etiam humidum exprimendo facilè exsiccarit. Vnde in huius generis corporibus voracitas sæpè incidit, nisi ille humor efferbuerit, aut alienam vim aliqua alia via acquisierit, & melancholiæ hypochondriacæ dictæ, & acidi ructus. Quæ mirum non sit, si infarctum viscus iecoris fuit suo calore, ventriculique cruditate id facilè administrantibus, cuius infarctus obstructio venarum paruarum ipsius esse solet, quæ se se anhelitu suo ventriculum etiam, atque etiam refrigerante nō solum sustentat, sed indies augere potest. Quo ventriculo, & iecore sic affectis, vnaque se se mutuo afficientibus facile intelligitur, quid reliquum corpus, & præcipuè caput inde vitij accipiat, nam iecur demum infirmum fieri necesse est, ac minus bonum sanguinem administrare, ex quo ipsi quoque capiti malum alimentum suggeratur. Ventriculus verò propter maximam neruorum, & eorum prestantium copiam in se ipso secum vitiatam cum cerebro vitium frigoris saltem communicat, ferè etiam melancholici humoris malam vim, quæ ineffabilis offensionis esse solet.

Ita cerebrum natura sua calidius, & humidius sui huius generis debilitatem cum contrarij generis infirmitate commutauit, a sua enim natura in contrariam est dimotum, & quo lógius processit, & ex sua natura minus iutium suarum potest tenere, à qua discessit, sic minus rectè concoquit minus perfectum neruis subministrat sui alimenti superuacui genus, quod ipsi per propriam medullam ad id factam accipientes minus probè alantur, ac indies debiliores fiant corpore eorum habitum malum contrahente, vt enim in reliquo corpore fieri videmus, alimento in naturam eius non penitus conuerso onus, non vires ei accrescere, quod naturæ refectio vires naturæ consentaneas afferat; Alieni verò corporis cuiusque adiunctio naturæ grauis sit; sic nerui minus bellè succum in suam naturam mutantes, ipsi onerantur, & debiles fiunt, eo verò magis, quod spiritus quoque cuiusque generis ille sit vel corpore vacuus vt lumen, vel corporatus, minus potest, dum eodē neruorum vitio per contagium afficitur, qui etiam a cerebro infirmo satis firmus nasci non possit, malumque neruorum habitum pertransiens, tamquam per nubes radius, vires amittit.

Idem verò naturalibus accidisse, & debilitatum ob id membrum illud fuisse summa suspicio est, quoniam viæ spirituum illuc a corde pertinentium propter humores crassos, minus libera sunt, neruosis verò etiam partibus ita malè se habentibus motio illa erectionis, quam Galenus incursioni spirituum anteponit, prohibetur, tum vtriusque generis spiritibus vitiatis & crassioribus, ac tardioribus effectis. A iecoris porro obstructione hypochondrij tensio est, ac, quod peius est, febris periculum, in quā si incideret, ęgrè admodum liberari posset, ex qua vapor in caput, ac potius halitus atræ naturæ, ac biliosæ ab eiusdem humoribus attollatur, & inde vigiliæ nocturnæ, iracundiæ mentem permouentes, atque neruorum debilitates.

Quibus expositis iam constat unam ventriculi, alteram iecoris, tertiam iam capitis vitiati causam malorū eorum esse. Ventriculum quidem frigidiorem effectum ac insistente pituitoso humore sic detentum, aut certè melancholico halitu cum refrigeratione nimia aliqua etiam exsiccatione tentatum, quæ non iam facta quiescat, aut existat, sed sub motione sit atque ab inhærente humore, aut halitu continenter moueatur, ac fiat. Iecur autem ob eum sui infarctum à genere quidem materiæ frigidius fiat, à feruore tamen cohibiti humorum perflatus etiam æstuet, à frigore minus belle concoquat, ab eo æstu etiā humores crudos partim exurat, partim certè colliquet, alios salsos efficiat ex quo urinæ aquosæ quidem, cum arenulis tamen procedant, renibus maximè æstum illum iecoris accipientibus, & acriorem ab humoribus tostis, squalidioremque calorem nactis. Cerebrum autem longius à suo genere calidiori ad frigidius deductum, materiaque suggesta, ne ad suam naturam redeat, prohibitum est sanguine propter ipsum fluente, materiam eam afferente, & uenas propter ipsum deductas, vitio eodem contaminante. Nerui ipsi quoque male alti, & frigidiori genere nutrimenti affecti intelliguntur. Quarum omnium partium vitia & tolli se oportere, & contrarijs sibi rebus tantū id fieri posse demonstrant.

Nec dum quidquam aliud extrinsecus, vel in corpore est, quod eam molitionem impedire uideatur, præsto sunt enim remediorum materiæ opportunæ, nihil verò in corpore obstat, quin adhibeantur, ac spem dabunt, si certo ordine illæ partibus affectis tribuantur, omnis enim ferè spes artis in ordine collocatur, quo peruerso incommoda futura sint ea omnia, quæ ad iuuandum apprimè idonea sunt. A ventriculo itaque, à quo materia commota, & in corpus fusa omne vitium amplificaret, primum materia submouenda est, medicamentisque, tam leuibus tractanda, vt ne, quæ ei similis toto venarum ambitu vagatur, in iecoris angustas vias, atq; occupatas venas concitetur. Ventriculo liberato vijs expediendis vacandum, quod extenuandis humoribus crassis, & incidendis ijs vna, ac glutinosis, atque abstergendis, hærentibus uenis verò aliquo calore aperiendis, postremo humoribus occupantibus purgatione dimouendis fiet, quæ etiam leniter omnia initio procuranda sunt, postea pedetentim ualentius agendum, vt subinde totum corpus obsidentes humores exhauriantur, & identidem ea adhibeantur, quæ uitium partium deleāt, præcipuè iecoris, & capitis, & neruorum.

Quibus rebus agendis, cui ordini seruandi oportunū crederem si toto hoc vere septimo quoque die, aut etiā crebrius hæc catapotia pondo vnius denarij sumerentur. ℞. Agarici opt. ʒ.3. rhabarb. el. aloes an. ʒ.2. salis gemmæ ℈.1. Spicæ nardi, fol. senæ opt. contritorum ʒ.j.s. succi iridis, aceti squillitici, terebinthinæ an. q.s. ad faciendam massam.

Medijs autem diebus quoque manè singulæ vnciæ huius oximellis capiantur, qui ex his conficiatur ℞. succi lupulorum, suc. fumiterræ, suc. borraginis suc. absinthij, succi iridis, succi rosarum an. ℥. 6. fol. beton. cetrach, chamędryos. Rad. pæoniæ, tormentillæ an. M. 3. Sem. coriādro. ℥.2. nucis moschat. ʒ.s. flor. stœchad. m.4. aceti ℥.8. aq. commun. q.s. & fiat decoctio quæ coletur, & exprimatur deinde adiecto melle fiat oximel. Ineunte æstate autem in locum catapotiorum supradictorum sufficerem florem cassiæ cum diaphænicon, & rhabarb. vt ℞. floris cassiæ ʒ. 7. diaphænicon. ʒ.2. s. rhabarb. el. ʒ.1. spicæ, cinnamomi an. ℈.s. Autumno verò vterer syrupis illis magistralibus dictis ex myrobal. sena, & veratro nigro, qui poterunt pro tempore prescribi, quibus ego adijcerem plus aromatum, & aliquid mastiches ad ellebori correctionem. Sub ijs autem faciendis habeat ceratum pro ventriculo ex mastiche, cera, aloe, myrrha, spica, garyophyll. partib. æquis, oleo absinthij, & spicato, & terebinthina q.s. ad cogendum ceratum. Sub finem verò veris si corpus expurgatum

videatur

videatur toto dorso ab occipitio iniungi oportebit ex oleis perforatæ rutæ, vulpino commixtis, & lauari caput ex lixiuio, in quo agaricus, betonica, & asarum cum rosis incocta sint.

Vesperi verò ante cœnam, quando mane, non potest id faciendum, neque domo inde exeundum. Autumni demum tempore sæpè theriacæ ʒ.1. mane sumenda erit, atque hæc erit curatio moderatior pro infirmitate virium, & statu iecoris obstructi excogitata, quod si interea obstructiones remoueantur, & vires etiam corporis conualuerint, tunc ad maiora auxilia, vt quæ per siccas calorem solent ad sudationem adhiberi, & potiones exsiccãdis neruis idoneas. Nisi hæc satis præstiterint accedemus. De victus ratione quoniam coram etiam, atque etiam sumus loquuti hic nihil dicam.

De ventriculi quadam palpitatione cum pulsus interceptione.

CONSVLTATIO XCI.

SYmptoma eiusmodi est ventriculi quod ferme ab assumpto cibo mouetur, raro ieiuno accidit, ab omni quidem ciborum genere, vel leuissimorum, & eo etiam exiguo, vt quandoque vix gustato aliquo liquore moueatur. Huius symptomatis circuitus quandoque fuit eiusmodi, vt 10. continuis diebus tentaret, 20. verò, aut circiter penitus quiesceret, ac pridie eius diei, qua quieturum esset, vehementissimè cruciaret, cum leuissimum esset, tunc sub cibo tantum, cum vehementissimum, tunc totis horis, & maximè cibi coctione vigente raro non circuitum seruauit, aliquando leuissimũ fuit, sed tunc continuis duobus diebus accedebat bis, terue à cibo commouens, aliquando quatuor menses intermisit. Semper flatus commotione insurgit, ac quo inflans magis cibus fuerit, & quo infrigidans magis, eo ualentius fit. Per eructationem semper leuari videtur, & eam maximè excitare, sed valde laboriosam, atque obnitenti nescio cui reluctantem, vt vel ori stomachi dolorẽ afferat, & nauseam, & pituitæ glutinosissimæ abundantiam ab œsophago moueat, eius species est impulsio quædam incitatissima in sinistro latere in quintam costam impingẽs, quæ saltus, seu palpitatio videtur, & ab ore ventriculi illuc pertinere, quamuis, quoties incutit, vna pulsum arteriæ eum intercipiat, in quem incurrerit, omnino œsophagus tunc laborat, & ventriculus ad eructandum cietur, ac ructu leuatur, vt etiam omnibus calidioribus assumptis, & potenti uino epoto.

A cibo solo id omnino esse non potest, cum temporibus intermissionum huius, vel grauissimis, & influentibus admodum cibis, ac frigidissimis nihil penitus eius moueatur, illis tamen cibis, dum tempus casus est, plus incommodantibus, cum verò semel casus accesserit, tũc tantisper donec totum suum circuitum perfecerit, vel a minima re suscitetur. Minus culpa sola ventriculi est, quoniam non tamdiu se se sub grauibus cibis sustineret, quare materia vitium afferens necessario aliunde delabetur, quæ suo frigore coctioni officiat, & sub illius confectione præsertim flatum, & ex eo symptoma illud administret, quamuis etiam sine cibo ipsamet ad id inflationis sæpè idonea sit, vnde & ieiuno ventre eã efficiat. Cuius materiæ genus pituitosum est, vt, quod per eructationem ab œsophago sæpè propellitur, declarat. Ac, cũ multum quandoque pituitæ emissum est, tunc symptoma penitus suam intermissionem assequutum est, & pituitæ quidem, crassæ, nam alioquin pituita per se inflare nequeat, quod humida penitus materia potius in vaporem digeratur, iuncta quidem alteri materiæ frigidiori, & crassiori, vt cibo sic gignẽdis flatibus opportuno, hæc propter proprium frigus potentiorem reddit efficiẽtem flatus causam, quoniam remisso calore cibus tractatus

A facilis flatuum materia est. Vnde verò illa pituita originem trahat, non ita facile scitu est, ea certe suspicio est, quòd intermittente tamdiu morbo, atque interea ventriculo, vel grauissimis cibis sufficiente illa non vitio penitus ventriculi congeratur, quamquàm sine illius occasione non fit, nã vel sub maxima abstinentia, qua guaiaci potiones sumeret, redijt. A capite igitur ortum ducat superest, cuius rei etiam illa nota est, quod sub eo symptomate destillatio in fauces valde copiosa, & glutinosa, ac cruda est.

Imo æger ferè potest prænoscere, cum accessurũ malum est, quoniam semper copia cruda destillationis illud antecedit, vt cum quieturum malum est, concocta destillatio, & exscreatu facilior est, ita cum destillatione præsignificetur, ex ea oriri omnino suspicio est, ac si diligenter ægrum interroges, inuenies eum animaduertisse B cius pituitæ delapsum per fauces maximum, & si latentem, id malum antecedere, & sub eo etiam vigente esse. Quieturo autem eo illam finiri, & dulciorem, & concretiorem materiam esse faciliusque exscreari, in quod aliæ etiam reuertuntur coniecturæ, vt, quod sub capitis refrigerationibus nimijs, aut per integumenti mutationem, aut per ventorum incursum symptoma id exspectatur; vt etiam, cum minus quiescere totis noctibus, aut nimium contigerit. Illa itaque pituita paulatim è capite in ventriculum, & tacitè delabẽdo, cum ad certum grauitatis onus peruenerit, quod certo temporis spatio etiam fieri contingit, ventriculum certis diebus opprimet, ac in uenas circum ventriculum, & propter ipsum diductas ingreditur, flatusque maiores mouet, qui inter- C cipiuntur materiæ copia, neq; eijci poscunt tunicis ventriculi sic delibutis, & sub ea materia implicatis, quare flatu eo identidem vasa ingresso, & vicissim discusso, sicque per impetus identidem factos inflante, saltus ille mouetur.

In parte verò ad lienem spectante, fit quod ibi calor, & materia ad flatum magis accommodentur, atque ob arteriarum copiam, tum ad vẽtriculum, tum ad lienem, & ad hunc frequentiorum pertinentẽ, sic impetus idem per arterias cordi efficit, vt sub eo impetu, & irruptione cor primo dilatatum statim cõtrahatur flatu. Siquidem eo infesto natura ad expellendum per compressionem insurgit. Cũ eo quod membranæ ferè, vt in singultu fit, contrahuntur ad expellendum, & cum ea contractione cor quoque conspirare cogitur, cum contractio vehe- D mentissima fit, itaque æger totum sinistrum hypochondrium impelli sibi sentit, & impulsu magno dilatationis cordis subtus costas feriri, quãuis sub apro illo ictu arteria sub sistat vnam pulsationem intermittendo cordis subinde maxima cõtractione facta, quo ictu redeunte flatus sæpè, vt in singultu euenit cum pituita per œsophagum attollitur, & labore maximo œsophagi exit, & os ventriculi arctissimum, ac flatui erupturo obsistens percipitur, imò singultus quoque aliquando accedit.

Quo verò tempore maximè insurgit ventriculi vis, & impulsiones illas valentiores, & crebriores facit, tunc finis symptomatis speratur, quod nobis coniecturam facit hoc non simpliciter saltum esse, qui vigẽte solum, & abundante materia fit, nam sic fieret diuturnior, & in longius tempus materia sufficeret, quoniam à mor- E bo solo tunc fit, sed ad hunc motum naturam quoque accedere vincentem, & expellentem videmus, vt in tussi, & ructu, neque nomen hactenus huic symptomati forte esse, vt neque ei conuulsioni est proprium, quæ ab excernente natura mouetur, in quo genere nominis experte singultus, & epilepsiæ conuulsio est, quæ propria sua specie singula tantum nominantur, vt non nomine conuulsionis, sed singultus, & epilepsiæ. Neque tantum posset flatus per se insiliendo, vt cordis dilatationem exterius vrgendo prohiberet, quin cordis offensa alios necessarios affectus cum ferret, & notis oppressionis uitalis spiritus detegeretur, nec uno arteriæ ramo, vel maximo obstructo aliarum dilatatio impediretur, adeò, vt nihil penitus mouerentur, fortè infirmius, obscuriusque

forte

forte intensius, ac durius id facerent, sed vigente cordis vi, & noxam flatu illatam repellente, non oppressa cum id fiat, nihil notæ offensi cordis percipi opus est; potius toto in corpore ipsæ arteriæ tunc subsistunt, cum se se attollere deberent, idque non corde fortius se se comprimente sed nimium distendente potius viribus in te retractis, cuius rei signum est, quod in costas sinistras tanta impulsio fit, quæ non solius quidem flatus, sed cordis quoque flatus distenti impetus est, neque enim cum cor vehementius exprimendo flatui se se constringit in fastigium suum, seu mucronem intendi, & costas impellere credendum est, quod in eas costas mucro eius rigidior dirigatur, nam vidi ego quondam diutius multa corda viuentia non extendi in mucronem sui constrictione, sed mucronem ipsum super basi sua contrahere, constrictioneque potius vndequaque, pariter facta cor in angustum cogi. Cui rei examinandæ etiam alterum physicum adhibui.

B

Ictus itaque in costas fit à cordis dilatatione ea cordis facie, qua costas contingit, ad insultum ergo flatus, cor quoque distenditur in tantam amplitudinē, & contractis adeo ad se viribus, vt interea arteriæ subire cogantur, atque vt à ventriculo quidem hoc originem habeat, ad cor tamen impetum faciat. Est ergo causa noxia huic facultati submouenda, quæ primo flatus, deinde eius materia pituita est, illa propterea cum a capite mittatur in ventriculum præcipuè à ventriculo, aut arcenda, aut continenter ab ipso deuoluenda est. Arceri à ventriculo eius vnius prouisione habita tuto non posset, cum in aliquam aliam partem æque præstantem, à quà difficilius quam è ventriculo detraheretur, facilè irrumperet, aut detenta in capite maius periculum afferret. Ita vel capiti omninò consulendum, curaque penitus attribuenda, vel certè ad ventriculum sic conuertenda, quo ex ipso assiduè illa materia, vt vt decurrit detergatur.

C

Vētriculi curatio, quoniam est facilior, nec alteri obest, quin potius etiam viam paret proponatur. Scopæ ventriculi mel rosaceum est oximelli autem cōiunctum valentius est, propter iniunctam abscissionem. Multa alia iniungi possunt, quibus & ventriculi intemperiei, et venis, & cordi, si quid consuetudine materiæ uitiosæ illatum vitij sit, aut obstructionis, aut qualitatis, eximatur, ac capiti quoque prospiciatur. Quapropter oximel aliquod ego sic componerem. Reciperem succum betonicæ, succum rad. iridis, succum saluiæ, succum melissæ, succum marrubij, succum foliorum capparorum paribus partibus pondo ℥. 2. fœculæ ℥. 1. s. Decoquerem s. a. & cum melle, ac sacchato paribus partibus, & aceto q. s. facerem oximel. quo vtatur singulas vncias quotidie assumendo, quo humor detergetur, & procliuem habebit deuolutionem, quam moliri etiam possemus interposita alicuius medicamenti opera stomacho apti, vt esset rhabarbarum, & hiera, aut aliud simile. Capitis procurationem alias suscipiemus, quoniam & longa eget opera, & valentissima, cum & natura, & aduentitio vitio iam vetusto facto affectum sit.

D

De ardore vrinæ cum febre Excel. D. D. physicis Papirio Beccholi, & Camillo Panætio.

E

CONSVLTATIO XCII.

Ad vnas literas vestras mihi de Nobiliss. Hectoris Vandini vxoris morbo scriptas possum breuissimè respondere, non ita tamen facilè meo consilio illi subuenire, quoniam factus certus non sum de multis, quæ ad definiendum ipsius morbum essent necessaria. Vna grauitas inferni ventris cum ardore sub mictu proponitur quæ percepta sunt post nescio quam curationē tumoris mamillæ, quibus febris quoque accesserit, ac prudenter quidem iudicium calculi, sed incertum supponitur. Febris, & calculus, aut crassitudo humoris curationem exposcunt, quarum curationū communis, & prima pars corporis perfecta purgatio est, febris tamen propriè multa spectanda proponit, præter simplicem humorum, & corporis apparandi rationem, quoniam sui materiam putrescentem, & aliquibus in locis conclusam esse persuadet, quæ ante maturationem, & alieno tempore permota maiorem febrem excitaret & vitæ periculum induceret.

Vtriusque itaque rationem habendam hortarer, & febre aliter non permittente, & sic ardore lotij postulante, leuissimis medicamentis purgantibus, & parantibus etiam tractandum morbum consulerem. Corpore verò perquisite expurgato ad discutiendam eam materiam, quæ grauitatis causa est, me conuerterem, tum intus, tum extra dandis, tum potionibus, tum fotubus, balneis, cataplasmatibus, & emplastris, nunquam non habita in ijs omnibus ardoris ratione, qui humidioribus certè leniri debet, & ijs, quæ caloris naturalis habitum restituant, & aduentitij acrimoniam frangant. De quibus si oportuerit alias rescribam. Valete Pisauri 16. Cal. Maias 1581.

De vlcere recti intestini extremi Excellenti D. Hieronimo Bartholino Vrbinati S. Angeli Physico.

CONSVLTATIO XCIII.

Vlceri, & doloribus subuenire non possumus, nisi antecedentes causæ submoueantur, à quib. cum ijs etiam nocturnæ vigiliæ, & alij casus proficiscuntur. Ita corpus prius expurgandum est, & exactissimè quidem, vnaque eius intemperies modificanda. Purgationem ego sic instituerem, Primo bolū floris cassiæ, cum diacatholicon exhiberem, deinde duobus, diebus syrupum darem, tertio sanguinem mitterē, neque 8. ℥. transcenderem, quinque sequentibus diebus syrupos repeterem ex lupulis ex cicorea Nicoli, fumeterra, & succo rosarum.

Aquis verò, aut potius decoctis boraginis, lupulorum cicoreæ, endiuia, fumiterræ. Tum medicamentum ex ℥. 4. conf. hamech, ℥. 6. diacathol. infusione senæ, & rhabarbari, & ℥. 1. s. mannæ dissolutis in decoctione pectorali. Postea saccharum rosaceum cum puluere coriandrorum per duos dies manè darem. Subinde verò eandem purgationem repetendam consulerem, postea serum caprinum exhiberem purgatissimum, in quo tertio quoque die syrupum rosaceum solutiuum permiscerem, & ℥. 1. senæ infunderem, semper verò succum fumiterræ. A quibus nisi malum leuetur ad decoctum ligni guaiaci deuenirem. Interea vlceris genus considerarem, an sordidum, an siccius sit, an humidum, an verò rubeum, an frigidius appareat, & pro eius genere me gererem. Abstergerem verò succis anagallidis, parietariæ iniectis decocto hordei, furfurum, & contusarū fabarum cum corticibus suis, & lupinorum, ac melle rosaceo. Exsiccarem aloe, & tutia, nutrirem thure, refrigerarem tutia cum succo solatri, oleo rosaceo cum pistillo in mortario plumbeo diu ductis. Si durus tumor subsit, decocto meliloti, chamæmeli, altheæ, & similibus recrearem, ac mollirem. Quæ à vobis præsentibus omninò sunt moderanda, ac diligenter videndum, quid illud vlcus emittat, necessario enim in ea parte humidius sordidiusque esse solet, & multum excrementorum habere, atque in fistulam degenerare. Victus rationi verò plurimum studere oportebit, ne intemperantia vlla sit, cibisque optimi generis vtatur, & ventriculo etiā consulatur saltem inunctionibus, & ceratis, quorum ratio vobis ignota non est; Vale, neque me tibi iratum putes, potius officiū abs te promissum exspectare me iam diu

diu cogita, quod alijs quandoque præstitisti. Litteras publicas, quas dicis non vidi, quare quid respondeam, ignoro. De malis Medicis à me cautum pro viribus est per literas Vrbinum, & Vgubium missas. Vgubij omnia iam peracta sunt, Vrbini nescio quid actum sit, vbi capita duriora sunt. Animus est in omnes vrbes, & pagos, ac vicos proprias, & accommodatas rationes mittere, cum videro fuisse primum à me Vrbinatibus satisfactum, quibus studeo verè imprimis satisfacere. Vale iterum Pisauri 10. Calend. April. 81.

De ictero cum febre pro Illustriss. Legato totius Status Ecclesiastici Cardinal. Sforzia.

CONSVLTATIO XCIIII.

Color itetum significat, tésio hypochondrij dextri causam in iecore subesse indicat, alui feces coloratæ porum fellis minimè impeditum, totius corporis grauitas, & in omnes motiones difficultas cum ab onere humorum intra vasa contentorum fieri non solent, potius prauam ex malo humorum genere nutritionem significat, qua non solum carnibus adiecta alieni generis pars oneri est, sed neruis quoque non solum quod aliena, sunt quod impedimento est spirituum comeatui, ex qua grauitate tremor efficitur. Ex eodem humoris genere nempe bilioso sitis, ex iecoris verò ipsius vitio, cum ventriculo communicato, tum hæc, tum linguæ nigror nascitur.

Ac mœror cum ex omnium horum affectuum molestia, tum ex exusto humoris genere proficiscitur. Verum ego, Doctores, vereor, ne febris etiam latenter excruciet, nam cum eo quod tantarum obstructionum vis facilis causa illius esse potest, tanta etiam sitis eius suspicionem facit, inquietudo, seu corporis assidua agitatio; linguæ nigror, pulsuumque crebritas velocitati coniuncta, & maximè quod ij contractionem dilatatione intentiorem habeant, quod inæquabilé motum eiusdem ictus habere mihi videantur duritiem non refero in febre, quoniam in bilis abundantiam hic sunt referendi, tales vero sunt hora ea præcipuè, qua quotidie nausea, & agitatio maior, & totius corporis sensus ille inæquabilis fit, qua hora pulsuum compressio etiam accedit, post quam compressionem pulsus fiunt elatiores. Neq; dici potest eam compressionem fieri, quod ventriculus onere cibi grauetur, nam sub ea molestia ventriculi arteriæ angustius quidem sese mouent, ac subeunt, non tamen intentius se se contrahunt, quam dilatent, vt hic faciunt.

Hoc verò cum fiat, necessario propter vaporum in cor coniectorum molestiam fieri est necesse, quos natura dum expellere conatur, valentius arterias contrahit, qui vapores necessario febrem cordi efferunt, qui verò attolli tanti non nisi à putredine possunt, à qua non nisi acriter calidi sunt caloremque acrem cordi inferunt, ac febrem. Cum his sunt etiam grauitas dextri hypochondrij, & spiritus angustia in ascensu. Effusio bilis fit non solum in corpus vniuersum, sed per vrinas, ac etiã quandoque per alui feces, quandoque enim ipsæ quoque coloratiores sunt, quoniam non omninò obstructæ fellis viæ sunt, quin aliqua vi natura sibi viam faciat, præsertim medicamento idem efficiente. Obstructæ itaque sint viæ bilem expurgantes, non tamen arctissimè, ita bilis copia magna ex parte in calidam iecoris intemperiem est referenda. Materia obstruens ipsa sibi perspiratum, seu perflatum prohibens putrescere coacta est, quæ cuius generis sit, modus febris indicat, quæ leuis, & obscura, & somnum afferens censenda est omnino pituitosa, quare materia alia obstruens, alia corpus inficiens deprehenditur, quæ obstruit, & putrescit pituitosa est;

A quæ corpus inficit biliosa, quæ meo quidem animo non admodum acris facta est, quoniam quamuis dolorem artuum, & dorsi afferat, non tamen eum admodum ferientem, aut ulcerosum. Hæc mixta materia ex pituita, & bile, in alui fæcibus cum est, non luteas eas facit, sed potius πυρρὰς, quas quidam ruffas dicerent, alij citrinas, etsi vi medicamenti, & eius infectione sæpè obscuriores exeant, Medicamentum namque rhabarbari efferr humores recrementitios, & biliosos, ac pituitosos, qui, cum diu morati fuerint in mesaraicis venis, aut alibi, nigriores fiunt, eo verò nigriores apparent, quod diutius aera senserint, & in matella ænea, vel ferrea permanserint, vel etiam figulina.

Non est mirum, itaque si bile sic abundante; minimeque putrescente, pituita verò ipsa sic ipsam obstruente, & sibi putredinis causa febris latens continentet efficiatur, & diutius pulsus comprimatur, coque compresso ventriculus quoque, cui os acerrimi sensus est, afficiatur, & grauetur, cum obstructio in caua iecoris propè os ventricoli sit, fundum certè ipsius complectatur, quæ molestia diu cum compressione permanet, quoniã materia crassa non facile superari incendio potest, quod incendium, cum incipit, ad se spiritum trahit, & natura exoriente sibi noua molestia se ipsa cum spiritu in viscera colligit, neque ipsa cum spiritu, & halitu effunditur, nisi materia tota flammam, & exustionem comprehendente, effusa verò facit arteriæ motiones exterius intentiores micare. Ita vna obstructio prima est omnium horum malorum radix, quæ pituitosa est, non negauerim etiam esse cum melancholico humore coniunctã, C quoniam ætas, & corporis genus id possunt suspicionis afferre, tamen ob somnum sæpè etiam sine insomnijs diutius arctè occupantem id iudicij non faciam, nisi eò confugiam, obstruere quidem pituitam vna cum eo humore melancholico, sed illum cum ea minimè putrescere, minusque ex se halitus in caput submittere. Subesse verò illum in corpore, quod, cum angustiorum venarùm sit, quamuis nõ ita frigidum alioquin appareat, siccius & melancholici generis credendum est, benè verò nutritum ob otij consuetudinem, & largam, ac lautam victus rationem; siccius quidem esse color atrior indicat, vt mediocriter calidum facies coloratior, color namque rubeus nũquam vehementem calorem in sicco corpore denotat.

D Siccum verò tactus asperitas, & eadem venarum angustia, quæ minus calidum ostendit, vt pilorum absentia. De obstructione, itaque tollenda nobis agendum est deinde de intemperie temperanda, quoniam horum sublatione, & febris, & reliqua omnia submouebũtur. Obstructio verò nil aliud est, quam infarctus vasorum minimorum ex humore crasso, qui partim pituitosus, partim melancholicus est, quamuis solus pituitosus nescio qua oportunitate humidi sui generis putrescat, solusque in cerebrum vapores attollat. Quare vnis extergendis ijs duobus humoribus vacandum, atque interea paulatim aliquid bilis copiæ detrahendum, ne interea nimis nutritioni corporis obstet, vna verò iecoris calor remittendus, dico paulatim bilem detrahendam, vt ut obstructiones tollentur, ne copiosius attracta materia E vias magis obstruat, magisque inhæreat, quæ paulatim educi tutius poterit, neque metuendum incipere ab aliqua leni eius detractione, quoniam viæ nõ sunt penitus impeditæ, vt ex excremẽtis intelligimus, quæ sæpè etiam colorata sunt.

Medicamentum autem mihi oportunissimum videretur ipsum rhabarbari macerati expressum, a quo, & obstructiones, & humor biliosus, ac pituitosus detrahũtur, & robur visceribus adijcitur, atque etiam ventriculo. De quo quidem ventriculo non maior cura mihi videretur suscipienda, quam quæ obstructionibus debetur, & bilis purgationi, nam nunquã male habuit ventriculus, nisi post vterum emersum, quo fit suspicio certa ab eadem causa affici ventriculum, à qua icterus est; nẽpe ab obstructione iecoris vicina in ipsum biliosam mate-

materiam reiectante, vaporesque acres aspirante, & à cibo magis molestè tractãte, quoniam in ipsam obstructionem ventriculus tensus à cibo magis inducitur, & concurrente tunc ad eum spiritu, cum hoc etiam acres halitus abundantius inferuntur, eo verò facilius, quo ipse laboriosius concoquit, vijs non ita libere ad ipsum spiritus, nec illos ita valentes, & temperie idoneos permittentibus, qui quidem ventriculus os suum tutius habere, & integri lienis auxilio munitũ declarat, cum ad cibum capiendum benè se habeat, fundum verò non per se affectum, sed à iecore ex supradictis significatur, quod ostendunt quoque alui excrementa, quæ satis cocta cernuntur, & si quid crudi habent, id in humorem debet referri, qui in ventriculo cum cibo communicetur, vt docet Galenus 3. libro de tuenda valetudine, est enim bili commixta aluus.

Præterea ructus nihil odoris saporisve præ se gerunt, quoniam cum ipse satis concoquat, humorem etiã cum cibo demittit, neque mirum est si a cibo grauari videatur, cum circum ipsum ventriculum tensiones sint flatum vrgentem indicantes, qui plurimus etiam sursum, deorsumque sæpè erumpit. Itaque exterius quidem ventriculi coctioni auxiliarer, interius tamen potior curatio obstructionibus attribueretur, & bilis expurgationi, quas non solum rhabarbaro præstantissima re, vt dixi, sed abstergentibus, & aperientibus multis conquirerẽ, vt sero caprino purgatissimo, vel per sacculos destillato, & oximelite etiam squillitico perpurgato, & valentiori facto præmissa etiam potione, cui incocta esset chamædrys loco absinthij, quod ei nimicum natura esse testificati estis, fumus terræ, anagallis, iridis radix, schænanthos, spica, & similia, deinde ad succos horum quorundam immiscẽdos sero ipsi accederem, vt chamædrios, & fumiterræ, atque etiam mel rosaceum adijcerem. Postremò ad rhabarbarum reuerterem, & non per ipsius macerationem, sed totum ipsum adhiberem. Ante tamen hæc, cum vijs, & humoribus parandis vacarem ego præsertim bizantino syrupo vterer cum cicoraceis mixto; aut cum eisdem oximelite composito, quib. exhibitis rhabarbarum, vt dixi, darem, ac eius vim cum melle rosaceo solutiuo ratione pituitæ ventriculi cõiungerem.

In victu à vino penitus non abstinerem, potionem tamen ex oxisaccharo, & aqua illi præferrem, & ptisanam admodum amplecterer, neque renui admodum victu vterer, cum longus morbus sit, & cacochymum corpus, quo neque tamen ita plenum illum adhiberem, nisi cum purgatum corpus esse spes esset, ne magis lęderem. De eodem doleo vehementer doctissimi viri me non esse tanta authoritate doctrinæ, tantaque vsus opinione, vt possim voluntates, non dixerim sententias, vestras verbis dissonantes, rebus concordes componere. Nam intelligo vos in verborum controuersia tanta, tamen in ope ferenda huic viro Illustrissimo omnino cõuenire.

Tentabo quidem pro viribus, quid concilij inter vos perspicio, exponere, & ad opus quam proximè reuocare. Quę sunt in hoc Illustrissimi viri corpore partim cõstantissima, & aperta cernuntur, partim obscura, & dubia latent, & partim antiqua, partim noua sunt. Vetusta illa constitere ictericus color, corporis languor tantus, vt incidere non posset, aut se sesustinere, & id cum membrorum tremore oris ariditas, linguæ nigredo, sitis, hypochondrij dextri tensio, excrementa omnia biliosa, pulsus crebri modo in contractionem, modo in dilatationem intenti, iactatio incredibilis totius corporis, præsertim à cibo, & ad frigidius semper pedum delatio, & frigoris quæritatio, extremarum partium frigus, ventriculi maxima grauitas post cibum, & frequens animi deliquium in assurgendo. Somni quandoque prolixiores, hæc vetusta sunt. Noua illa vigiliæ post eas leuis desipientia, primũ in imaginum perturbatione, dein de in infirmitate rerum copulandarum versata, & virium penè omnium infirmitas.

A Ex quibus, quod vrget, non est oratione differẽdũ nempe auxilium virium, quod in procurando somno omninò positum crediderim, quo nõ solum, vigilijs, sed insaniæ etiam subuenire poterit. somnus itaque imprimis quærendus lotionibus aquæ tepidæ vel solius, vel, cui incocta sint humidiora, non tamen admodum frigida, ne viribus officiamus, vt malua, salix, lactuca, papauer, nymphææ flos, viola, anethum, quod somno cognoscitur idoneum, & papaueris frigus tẽperabit, lenibus etiam frictionibus, illitione temporum, vt est propositum, ex oleo violaceo, nenupharino, & exiguo croco, & minimo aceto, ad penetrationem aquæ nymphææ, violacea, & simili, & vnguento diapopuleone, cui non esse imponẽdum opium prudentissimè Doctor ex Auicenna consulebat. Alter verò non male imponi posse asserebat, B spectans is quidem somni necessitatem maximè vigentem, quod alijs remedijs non proficientibus vigiliæ ipsas vires dissoluerent, vitæque periculum afferrent, ille verò periculum, ne vel in necessitatibus etiam largius eo vteremur, prudenter cauendo, atque admouendo esse nobis ab opio temperandum, nam viribus infirmis, nisi summa cum moderatione vtemur, officeret. Atque hæc de symptomate, cui separatim à reliqua curatione occurrendum est, cum quo leuando etiam metum phrenitidis tollemus, ij sdeq; auxilijs arcebimus. Ad reliqua iam me confero. Insaniæ huius initium certe in cerebro per se non hęret, quoniam subitò accessit, nec continua est, ita aliunde ipsa cum suo initio proficiscitur, non quidẽ humore transmisso, quoniam diutius, quam videmus perduraret, sed halitu tantum, qui, cum primum vapori esset commixtus, vel somnum producebat, vel non C impediebat, post vapore exsiccato, nimirum pituita naturali vestutate mali consumpta, halitus tantum siccior permanens vigilias attulit, qui quoniam quandoque incaluit, etiam cogitationem perturbauit, à calore siquidem proprię cogitationis, seu imaginum ordinandarum perturbatio nascitur, vt à frigore obliuio, vt à nimia inflammatione furor, vt eo halitu etiam demum refrigerato, insania illa, qua homo rem rei non connectit, memoria scilicet diminuta, quod tamen à perturbatione etiam supradicta venire potest. At præteritorum memor est, sed non recentiorum, profecto id est, quoniam præterita, & vetusta magis inhærent, recentia non ita, sed facile imaginem recentem tanquam leuiter inductam amittunt, huic symptomati itaque curando præter id, quod D superiori consultatione est dictum, commoda erit humoris sublatio, vnde halitus ille attollitur, & præterea, si generatio optimi spiritus huic sufficiatur halitui inutili, qui vtilium spirituum locum occupauit, & actionẽ animi deprauauit. Ventriculi illa anxietudo, & grauitas laborem retentricis facultatis denotat, cuius retentricis proprie laboris est sensus, alioquin enim coctricis nullus labor sensu percipitur, sed in cruditate ipsa tantum cognoscitur, quare coctionem nequaquam infirmam esse ille labor indicat, quam excrementa benè cocta ostendunt robustam, quæ quamuis etiam quandoque crudiora essent, tamen non ventriculi coctricis culpa talia se esse declarant; quoniam cum bile permixta sunt, docet siquidem Galenus mixtionem humoris nobis indicare cruditatis culpam humori non facultati esse tribuendã; E Attractricem quoque integram cum superiori ventriculi parte, prompta cibi assumptio ostendit, nam etiã cum integra cogitatione ipse eodem modo cibum assumebat; ne quis suspicaretur mente laborante ipsum naturæ auersionem à cibo non sentire. Excretrix demum benè excernit, & leui medicamentorum inuitatu largè mouetur, quare retentricem vnam infirmam suspicaremur, ex eo labore, qui à cibo sumpto percipitur, Verum neque illam læsam per se ipsam affirmarem, quoniã tensio hypochondrij causa illius angustiæ videtur, partibus namque ventriculo circumpositis flatus plenis, cum ventriculus cibo tenditur, circumquaque premitur, & ipse in septum transuersum sic vrget, & angustiam illam parit. Etenim ab ictero colore & à dextri hypochondrij tensione,

sione,& linguæ nigrore, & aluo lutea, & vrinis croceo colore infectis iecur obstructum, & calefactum intelligimus, à cuius obstructionibus fumus non vapor emittitur, quoniam non à pituita naturali, sed a crassa illa, & retento crasso sanguine, ac melancholico fiunt, ita non in aquam, vt vapor reuertitur, sed formam halitus retinet, & in cauitatē tendit, nec facilè ob suam crassitiem dissoluitur, pituita etenim crassa multum terrenæ partis continet, vt melancholicus, & crassus sanguis ferè terrenus est, & halitui ac flatui idonea sunt. Calore verò intra obstructos humores, & sese obstruentes concitato, ac propter prohibitum perspiratum aucto terreni illi humores facilè in halitum extenuantur. Vnde hydrops tympanitis sæpè consurgit, cum calor igneus potius, quā frigus eum locum occupat, & crassi potius, quam pituitosi humores ibi continentur, quare de ventriculi angustia, seu anxietudine, anxij non erimus, nisi quando iecori curando vacandum est.

Virium vitalium cordis infirmitas, quæ à vigilijs nascebatur, superius considerata est, iam, vt alius valentiores causas habet, consideranda. Virium uitalium infirmitas ex pulsu languido percipitur, atque etiam sępè paruo, quam quidem vtriusq; generis esse credo, nimirum, & illius quo grauantur humoris copia prauitateque, & illius quo spiritus defectu, & illius quo imbecillitate propria visceris, atque intemperie infirmantur. Illam quidem, quæ ab onere humorum, & spirituum defectione infertur dietim, & horatim variare cernimus, & modo magnum, & vehementem pulsum, modo paruum, & languidum sentimus. Illa autem, quæ in intemperie visceris posita est, continua est, & paulatim æquabiliterque augetur. Quæ quidem ab onere est, cum detracta copia malorum humorum fuerit, tolletur, quæ ab spirituum defectu, cum sanguis bonus satis abundè suppeditabitur, quæ verò ab intemperie est, eadem retusa, & in pristinum temperiei statum reuocata reficietur. Intemperies hæc, vbinam est sita, & quomodo in corde est? hæretne in illo, an adueniente aliqua re infertur? Intemperie hærente fieri non credo, quoniam sicca intemperies cordi non hæret facile, quin totum corpus prius alimento orbetur, cum cor tanquam tyrannus, quid quid sibi vtile est, prius compræhendat, quam reliquo corpori permittat.

Corpus autem hoc optimè nutritum est, neque tumidum, neque molliori carne præditum, sed bona, quamuis croceo colore infecta. At tam mali sunt in corpore humores, ac tam biliosi, à nutritioneque alieni, vt cor ali non possit. Dico quod reliquum corpus prius nutritione orbaretur, quod tamen bellè nutritum, & plenum cernitur, quare infirmum cor ob siccitatem, quæ verò à defecta nutritione semper est, fieri non potuit, minus ab humido, nimio, quod suo calore naturali facilè consumit; minus a frigore, cum biliosum totum corpus sit, cum frigus ipse æger assiduè quæritet. Ergo a calore, vel solo, vel etiam siccitate nempè igneo, sed propriusne est calor ille vitiatus, an aliunde profectus? Proprius esse non potest, quoniam corpus vna secum consumeret, siquidem cor siccādo sese necessariò reliquas partes quoque nutritione priuat, aliunde ergo proficiscitur, nimirum, vel humore, vel halitu calido transmisso, non humore, quoniam omnino deficeret cor alieno humore continēter occupatum. Restat halitus a quo calido incalescat, non ita tamen opprimatur. Verum is halitus calidus igneus est, & cordis calorem igneum mixtione facit. Quare non dubito, quin hæc febris sit, & putrida quidem, quoniam halitus non nisi ab exustione, exustio vero est illa proprie dicta, quæ non paulatim, & temporis spatio propter caloris naturalis præsentiam in humore ad alendum non conuerso nullum halitum igneum efferente fit, sed illa, quæ celeriter facta igneum halitum emittit, & necessario per putredinem, vnde etiam febris hæc erit, & putrida, nam sine putredine ignei vapores, & ad cor inflammandum idonei tamdiu non fiunt. At in qua parte calor in corpore hoc apparet, quem in

A febre, quæ vniuersi corporis morbus est vniuerso esse necesse videatur? Extrema omnia, imo & totus corporis truncus tanti frigoris est, vt vix tangentis manus illius tactum sustineat, dico sat esse, quo febris sit, corripsum igneo calore affectum esse, ex quo, nisi impedimentum intercedat, corpus totum similiter affici potest, seu affici idoneum est; proprietas enim est, ut possit, non vt sit statim.

Hic verò, quamuis cutis lutea sit, luteaque recrementa exeant, tamen in ambitu corporis pituita crassa effusa est, quæ fusionem caloris impediat, quæque suo frigore illam frangat, quamuis in corde tantus sit, & inuenis membrorum, vt vix quiescere possit, quod & viscera lacessat illius mordacitas, & ita iactari cogatur, & calor tàm sollicitet, vt frigus semper quæriret. Summa ergo B hæc est, quod cacochymia ad tantam virium infirmitatem præsertim cordis faciendam satis non est, quamuis cum ex pituita fusa grauare corpus possit, tāquam non nutrimentum, sed a nutrimento onus separatum, quæ nō in corpus, & vim membrorum transire possit, vimque eorum reficere, sed aliena omnino onus afferat.

Cordis infirmitas non, vt hæc membrorum debilitas in motione, sed in pulsibus arteriarum percipitur, quæ, vt dixi, omnino a febre est, præterea, quod febris hæc sit, etsi non propria specie, quæ calor igneus est, cū prohibitus sit, percipiatur in hoc corpore, tam exterius frigefacto, in ijsdem tamē pulsibus ipsa sese ostendit, quoniam propulsando natura eos igneos halitus febrem huius generis putridi afferentes necessario arterias contrahit valentius, intentiusque, quam dilatet, prę sertim in eo C febris, & putredinis statu, quo maior halituum copia, & crassior commouetur, qui est ipsius febris incremētum, & caloris ascensus, quam pulsuum compressionem in hoc animaduertere facile possumus. Præterea in dilatationis, & compressionis vtroque motu inæquabilitas halituum febrilium effusionem sequuta febrem putridam ostendit. Vbi ego bina quoque die tempora compressionis cognoui inter se primum coniunctissima, postea verò a se se mutuo discendentia, ambo primū coniuncta à mane summo ad tempus pomeridianum ferè continuata pertinebant, nunc alterum noctu hora tertia, aut quarta, reliquum hora vespertina accedit, medium quoddam spatium dilatationi relinquentia, quæ compressiones cum latentes, & diuturnæ sint ad febres tertianas nothas, ac continuas sunt referendæ. Huius D itaque febris materia erit bilis pituitosa, ac melancholica commixtione, aut generatione sic comparata, quæ sua crassitudine sibiipsa uias obstruendo putrescat, multa bile tenui libere exeunte, ac sine putredine manente, quare vt vt vapores magis hunc, quam illum humorem referunt, vel somnum, vel vigiliam pariunt. Ita modo somno longo modo vigilijs obsessus fuit æger, ac mihi quidem videtur melancholicum quoque succum, vt dicebam, cum ijs commisceri, quoniam mores einsmodi sunt taciturnitate, & torpore quodam affecti, & memoria sæpè, cum nocturnis vigilijs defecta, quare nō erit mirum, si vigilias etiam mentis titubatio sequetur. Minus mirum si excrementis biliosis procedentibus, febris tamen minus acris extiterit, quoniam pituita vna cum crassiori sanguine putredine comprænhensa intra E obstructiones consistens seipsa obstruit, bilis verò liberius eijcitur, ac minimè mirum si aliquanto post spatio pituita in ambitu diffusa febris vi consumpta calor demum in ambitum perueniet.

Atque illud quoque non videtur ab hac re alienum, quod nunc, quoties calor obstructionum nouus inualescit, toties spiritus ab ambitu in viscera contrahatur, & extimum corpus frigidius relinquatur, pituita eius loci sola relicta magis per se refrigerascente. Locum huius putredinis, & obstructionis in iecore esse constat, si tensionem hypochondrij, si atrum linguæ colorem, caloris ignei iecoris notum consideremus, si urinas etiam spectemus, atque aluum, quæ ipsa quoque, cum vrinis fuluis lutea est, quoniam ea obstructio in felle tanta non est, vt

est vt excretionem impediat, ac cum, vt refertis, maior fuerit duo arba tunc exeunte, iam minor facta est. etiãsi bilis nunc quoque generationem per putredinem, & in temperiem in eo viscere augeat. Febrilis namque, & putredinis calor igneus in eo viscere sanguinem biliosum procreat, & bonum in bilem, & melancholiam commutat cum partes per spiritum, & calorem agant, ille verò igneus præsenti putredine existat, & ignei opera edat. Sitis inde quoque nata est, & color totius luteus vt omnia excrementa biliosa. At a ventriculo quidquam ne mali est? Occasio quidem longa procreandæ pituitæ antea fuerit necesse est. Sed sub hoc malo, mediocrique abstinentia ventriculum non multum negotij facessere crediderim, quoniam aluus semper benè concocta est, imò, vt supra quoque a me dictum est, & mihi repetendum videtur, quamuis minus belle coqueretur, audetem dicere non in ventriculum, sed in humoré biliosum per ipsum delatum causam esse referendam, quod Galenus facit, cum humor commixtus in aluo est; At flatus, & angustiam à cibo persentit. Causa iam manifesta est obstructionibus illis, & earum calore in iecore cũ ventriculo commisso existentibus & ex sua putredine partem halituosam, & fumi naturam referentem effundentibus, & eam in circumpositas ventriculo cauitates mittentibus vt ventriculus repletur vna cum septo transuerso arctetur, & angustiam, atque anxietudinem afferat. Quibus ita propositis apparet principem curandi rationem a iecoris obstructione, & affectione calida esse petendam, & vna vires esse recreandas. Verum deliriũ nete moueret, vt capiti propriam opera ferres? Minimè Domini, quoniam illud subitum fuit, & inconstans est, nimirum à quo ad se mens citò reuertatur, quod indicio nobis est neque cerebrum per se affectum, neque humore vllo aut affusum, aut repletum, aut eius tunicas esse vllo eiusmodi humore grauatas potius ex halitu caput petente, qui cum primum pituita esset magis, & illius naturalis somnum non prohibebat potius protogabat, cum halitus consumpta pituita esset biliosior, vigilias attulit, & insomnia vel solo calore à febre in cerebrum delato, demum siccitate illuc per consequutioné, atque per fumos exustos promissa cum halitus magis esset exsiccatus, & melancholicus factus, calorem adhuc retinens mentem turbauit, calore tandem in cerebri regione frigida amisso memoriã abstulit. Sed nihil horum perpetuum aut longum fuit, quoniã vapor res mobilis est, & citò consumitur. Metus lethargi mihi nullus esset, quoniam per apostema, & tumorem cerebri eum fieri oportet, quod à concursione materiæ pituitosæ oue nire necesse est, quæ ex parte iam consumpta est, alioquin cum amissione memoriæ somnus quoque arctissimus esset, qui & diu abfuit & cum accedit leuissimus est, & intetmissus atque à vigilijs, à spirituum consumptione, ab inanitionibus multis prouocatus. Quibus inanitionibus & tuti esse possumus, neque verebimur materiam in caput allapsuram, neque pertimescere etiam à vapotibus melancholicis affici cerebrum posse adeò, vt frigus vllum retineat, cum breuem morbum, etiam si ad salutem reuocetur, futurum videamus celeri iam eius cursu facto. Siquidé 40. die coctionis multa pars in vrinis perspecta fuit, inde medicamentum exhibitum plurimum eduxit, etsi vix ʒ. ʃ. rhabarbari, & ℥.ij.s mellis rosacei haberet. Deinde per clystere ex iure quinquics plurimum excreuit, quod naturam agentem denotat, & morbum consumentem, cuius vires vtinam tamdiu sustineantur, vt reliquam coctionem moliri possit. Caput verò defendatur, ne cocta, expulsaque materia in ipsum se se corripiat.

Adde, quod die 44. copia maxima vrinarum sequuta est, & pulsus à 41. semper molles fuere, qui mihi nõ somnum, non pulmonum affectum, sed, præterquam quod tumorem aut durtiem nullam in visceribus indicant, etiam sudorem futurũ, aut naturę molitionem similem aliquam significant, præsertim quod vehementes sunt, & ita naturã ali, ita coctioné ex parte perfectã esse, etsi

A cum putredine fit, nobis denotãtes. Curationem huius mali eam idoneam putarem, quæ naturam iam causæ incumbente, obstructiones eij cientem, pituitæ vitia superantem, bilem obstructionibus totius corporis collectam per vrinas, per aluumque expurgantem iuuaret, & ambitus corporis obstructiones, vapores cacochymiæ retinentes, & febres incendentes frictionibus tolleret, quæ, vt ab exercitatione intempestiua, & post longum otium excitatæ, & externo frigore compactæ, sic quiete, & calore externo, ac etiam febrili cum frictionibus consumentur. Diureticis verò, & leniter aluum mouentibus suo tempore vterer; & valentioribus etiã, quo confidere possem vt à capite omnis molestia auerteretur, neque nunc cogitarem de capitis purgatione de vstione spódilorum, aut alijs similibus rebus, à vobis multo meB tu propositis, quoniam venientem materiam in caput attraherent, quæ potius repelléda est, neque fidatis, quod natura semper post coctionem vijs conuenientibus expulsura sit, etiam materiam à medico diminutã, præsertim cum natura non benè robusta est & à morbo longo fuit vexata. Capiti ergo imbecilli valde timerem. Vino itaque minimè vterer, ratione habita maximè capitis imbecillis, nam vaporem, vt videtis, à febre accipit, qui semper illud magis infirmum reddit. Incumbamus ergo iecori, tum aperiendo, tum refrigerando, & ratione capitis non solum cicoracea sed etiam rosacea in potionibus matutinis adhibeamus cum ijs, quæ supra instituta sunt.

De Anasarca.

Anasarcam describis ex destillatione factam, quæ si- C ne pulmonũ vitio, & sine interuentu aquæ thoracis esse mihi non facilè videtur, & propterea de hinc vt est nihilominus destillationi, vel potius defluxioni curandæ incumbendum sic vnà, & aquæ purgandæ, & pulmonib. ac omnibus visceribus defendendis, coctionibusque iuuandis vacandum. Terebinthyna cum succo iridis, nisi aliud in corpore obstet (anguste enim descripta mihi res est) cũ rhabarbaro oportuna videretur, & myrrha, styrax, & hyssopus cum ijs plurimum facere posse. Ac forte cauteria materiam è thorace, & capite euocantia esse necessaria, ni iam sint adhibita, quod non possum vaticinari; cum nihil de curatione dicas vt conueniret, quo illa, quæ à lædentibus, & iuuantibus necessario sumitur coniectura me in consulendo dirigeret, & ordiné institutæ curationis sequi possem, multum namque D refert quid quodque sequatur, & quid cuiq; antecedat, propterea pauca etiam possum proferre.

De symptomate epileptico febrem sequente pro eodem Illust. Cardinal.

CONSVLTATIO XCV.

TAndem ex febre continua illa sua, quam esse febré medici non noueram, postquam acrior facta fuisset, & 10. dies ea occupatus laborasset cum nigrore linguæ, siti, tensione dextri hypochódrij, colore aureo manente, iactatione summa corporis ipse die decima ab ea febris mutatione hora 21. subito rubore suffusus est, & E facie tota incaluit, ac capite die verò 13. hora 22. subito epilepsiæ motu fuit bis exagitatus, duabusque horis sub eis casibus detentus, a quibus vnius diei spatio interiecto, quo languebat postea forte propter ignes, & vesicas excitatas, & alia remedia leuior toto corpore, & minus tremulus fuit, memoria tamen minus semper valebit, vt superius octaua die; & duabus illam sequentibus, post vigilias, & deiectiones, sub quibus etiam vires infirmiores visæ fuerant. Ita iam sumus in duplici metu, cum ad vehementiam febris periculum eius symptomatis accesserit. Febris cum antea infinitam iactationem afferret, intus vreret, extra autem frigore premeret, & hypothymiam sæpè pareret, nunc exteriorã etiam calefacit, nihilque hypothymiæ minatur, tamen conti-

nua est, & tantum excrementorum copiam effert, vt mirum videatur, ac propterea ex aphorismo. 84. septimi libri secundum græcam diuisionem θανάσιμον, hoc est mortalis habenda, vt erat, quoque cum interea cum siti vrebat exterioribus frigidis manentibus. Nam nũc & per cutim bilis tenuior, & per vesicam crassior, & per aluum longe crassissima effertur, atque vndique in tanta copia, quanta nunquam quisquam videre potuerit, binas namque ferè maculas quotidie replet vrina crocea. Aluus bis quotidie spõte fulua mollis, quinquies verò ex clystere lutea, & fulua excernit, ferè omnia liquida. Cutis totius corporis lutea est, sanguis è naribus detractus, & per hæmorrhoidas totus luteus. Ac quando excrementa hæc biliosa sunt ætati, 48. annorum minus conuenire videntur, morbus periculosus habendus, vt de phrenitide sentit Hippocrat. libro 7. Aphor. 85. è qua non ita euadere multum eos vult, qui ætatem 40. annorum excessere, quoniam eiusmodi morbus ætati minus conuenit, Hanc tamen febrem non possumus in putredine bilis veræ statuere, cum ardens omnino non sit, cum longa sit, quamuis enim linguæ ariditatem, & colorem fuluum afferat, tamen id à iecore esse potius credo, quod pulsus non reddit magnos, non ita crebros, vt bilis putredo postularet, ac nunc, cum iam calor se se effundit, ille minime acris est, & ita in parte quadam fæcosa bilis statuenda, tenuioribus eius partibus minus putrescentibus, quod sua tenuitate minus intra obstructiones detineantur, quæ focosa pars, cum terrestris sit, melancholici humoris est particeps atque ita exusta est, bilis enim fœcosa, & crassa per exustionem euadit, quæ exustio dupliciter fieri potuit, tum febre, tum temporis spatio intus detẽta. In hoc corpore vtro modo facta sit, videor posse definire ex eo, quod non ardentem febrem habuit, quam habuisset, si bilis putruisset; spatio ergo talis euasit, & calore proprio quotidie, quidquid in ea tenuius esset, ad cutim, & per vesicam natura eijciente crassioribus semper partibus excretioni resistentibus, intusque manentibus ita cum ad cumulum obstructionum deuenerint, putredinem illæ fœtosæ partes cõpræhendunt. At quomodo tanta bilis copia congesta est, obstructione ne, quin excerneretur, eam retinẽte? minimè verò quoniam aluus satis biliosa fuit.

Quidam scelestus de medicis conscierat, quod propter calorem inductum a pharmaco sanguis conuertebatur in bilem & simulabat aluos albas fuisse.

Verum non vidimus qualis esset aluus ante tantam copiam congestam. Solum tensionem hypochondrij dextri sensimus, quæ iam abest; aluus forte ea tunc sine bile fuit, postea vndique bile redũdante aliqua via eam recepit febre præsertim naturam ad excretionem irritante, bilisque copiam augente, vel etiam obstructione diminuta. Certe ingẽte iecoris calore id, si nõ factũ, saltem sustentatum videtur, cum apertis vijs iam, & bile in maxima copia egesta, eadem tamen redundet. Sic vna cum febre etiam iecoris dyscrasiam calidam habemus curandã, cuius cõseruans causa est febris vna cum bile, efficiens autem quæ fuerit, dicunt familiares assiduum vsum calidorum, qui fuit incredibilis, & valde longus, præter vsum theriacæ, quam ego non ita calidam, aut nocuam existimarem, sed innumerabilium aliorum calidiorum quorum vsus assiduus fuit. Conuulsionis causa esse non potest nisi halitus, cuius est repentinus, & vehemens motus, isque vel neruorum originẽ irritet mordendo, vel perfusus per cerebri corpus tandẽ in neruos repellatur per eorum medium corpus ita eos identidem tendat hic non est disputandum. Certè ille halitus, & eius materia, & causa dicta est, & omnia sunt remouenda. Quomodo verò fabris curãda, & materia omnis detrahẽda, iam superiori colloquio determinatũ est. In illis itaque syrupis, & medicamentis permanerẽ, & eo magis, quod vrinæ iam minus biliosæ procedunt, & aluus plus bilis effert dictis medicamentis dãdis. Sed accedit etiam virium lapsus non solum animaliũ, sed, quod maius est vitalium, quæ in longo morbo omnino sunt sustinendæ quod in eis vnis fiducia collocanda est. Id quidem mediocri alimento fiet, ac sine vino ob febrem, & intemperiem calidam, & ob symptomatis mẽtũ, aqua potius, cui coriandra incocta sint propinanda, neque à coriandris sic datis capiti timẽdum, quoniã, si quid de illis mali ab Auicenna dictum est de viridibus accipi debet, nõ de siccis, ac præparatis, vt per vsum deprehẽdimus. Si qd itidẽ mali à Dioscoride illis attributur, id, cũ ex eis multum nimis sumitur est intelligẽdum sic enim insomnia, & alias mentis perturbationes incutiunt neque verere cum ea aqua miscere aliquid oxisacchari modo minori lõge ipsius aceti facto, sic enim à vi aliorum succorum, & sacchari aceti portio superatur, & tamen potest prodesse, quoniã incredibilis hæc bilis copia iecur nimis ex calefactum denotat, neque hęc potio ventriculo obesset, cuius etsi ratio habẽda potior tamẽ iecori debetur. Cibi genus ptisana mihi esset ita parãda ne inflaret, quod diligẽtius curandũ est, quoniam multi Medici sentiunt nostrate hordeum minus bonum esse, cuius vero loco possemus pane loto, deinde in pultem te dacto, ac bene cocto, qui ad reprimendam bilis acrimoniam aptissimus, atque ad prohibendũ, ne in caput illa conscendat. Lutea etiam ouorũ bilem obtundunt, quæ quoniam lentorẽ aliquẽ habent, ea in iure, cui succuslimonũ, aut aurantiorũ, aut malorũ citrorum incoctus esset dissoluerẽ, & sic liquefacta darẽ, horas compressionum quæ bis die accedunt deuitarẽ. Quod pertinet ad symptoma, quoniam id ex acerrimis vaporibus caput ferientibus fit, vt ex melancholicis memoriæ illa imminutio, quibus etiam, cum calidi corpus cerebri perfundunt, mentis perturbatio efficitur, propterea illi deorsum reuocandi sunt, atque ne eos cerebrum recipiat, quod cogitur ab acredine in membranas basis ipsius appellente membranarum contractionem moliri, aut halitus illos in neruorum corpus medium reijcere, ipsum quoque confirmandum est. Igne ne id faceres syncipiti dando? minimè quoniam ab infernis causam potiorem magis attraherem, potius auerterem ad ceruicem igne apposito, & vlcere facto, ad brachia, ad crura per vesicas excitatas, hirudinibus etiam ano applicatis, frictionibus, cucurbitulis ad inferna positis quod si hebetudo illa memoriæ, & cogitationis remaneret, tunc capiti fomenta darem ex chamæmelo, betonica, amaraco rosis & similibus, Gallos etiam per dorsum dissectos adhuc spirante calore imponerem, aut columbos. Interea febri curandæ omnino incumberem & iecori contemperando refrigerantibus, & humidioribus rebus, & humori bilioso paulatim detrahendo, qui vel clysteribus ipsis leuibus copiosissimus deducitur.

Is à febre consumptus est 53. ab ortus icteri die 60. ab illo, quo ab accepto medicamento & in victu peccarat, & noctu male habuerat, 20. autem à decubitu, tribusq; diebus ante mortẽ conuulsiones varias incurrit, leniter verò consumptus est; Dissectus omnia mirabiliter lutea habebat, præter vnam carnem, quæ nigra admodum esset maxima pinguedinis copia lutea, carne exigua nigra intestinis luteis, iecore in eundem colorem luteum præter lineas quasdam nigriores inclinato, quæ lineæ venis nigro sanguine plenis herent. Vena caua inani, exiguo alicubi sanguine nigro aquoso ita affecta, vt cerulea videretur. Vbi sanguis recentior, ibi flauus erat, fel plenissimum lien magis suũ colorẽ retinebat, pulmones erant quales in ijs, qui diu inter moriendum spiritus difficultate cruciati sunt. Cor pinguedine lutea onustum, quod ferè suum colorẽ intra habebat, in dextro vẽtriculo tamẽ ad stibij colorem accedebat. Nihil in summa sanguinis cõcreti, & boni vsquã visum est. qui in reliquis emortuis obseruari potest, niger quidem sed concretus, neq; ita niger vt in hoc cerni contigit, in quo niger ad modũ, liquidus esset ichore penitus flauo, quo cũ nigredine mixto viriditur alicubi maxima fiebat. Cuius rei id iudiciũ fieri debet pinguedo, & adeps copiã optimi sanguinis paulo ante in hoc corpore fuisse significant, quoniã pinguedo ex san-

ex sanguine optimã cocto,& à calore nõ acri, & minus dissoluēte consistit,ac qm prima est, quę sub necessitatibus, & calorib. dissolui solet,illa indicio est se exiguũ tẽpus habuisse egestatis,& caloris,adeò,vt dissolui nondũ quo exiguo tẽpore tamen sanguis calidus, & siccus euasit,& calidus,ac siccus quotidie generatus est,propterea minimè rubeus, cuius calidi, & sicci generatio sanguinis,iecur calidius,& siccius denotant,à quo conficitur. Vitiatum ergo iecur a calore, & siccitate fuisse necesse est,& ab eo sanguine calidum,& succum alimentũ, & febres,& symptomata omnia euenisse. Cuius Cardinalis Sfortiæ affectio fuit ex iecoris vitio calido sibi etiam obstructionem conficiente,ac febrem,quæ etiã obstructionibus per medicamenta sublatis permansit ob iecoris corporis calorem supra modum insignem, & crassum sanguinem ab eo calore factum,& putrescentẽ, bile interea in totum diffusa,& minimè putrefacta, a quo sanguine crasso feruente fumi in caput attollerentur,& ibi refrigerati memoriã auferrent, tremorem facerent, & calidiores manentes cogitationis perturbationem, & inde conuulsiones.

De morbo gallico vetusto cuiusdam matronæ ad Ioan. Baptistam Gratiosum Pergulensem Fani Physicum.

CONSVLTATIO XCVI.

VEtustum morbum gallicũ narras, quẽ hypochondriaci affectus iam sequantur, vt metus,& mœstitia longa significant, quæ animi ægritudines, quamuis manifestam causam aliquando habeant, tamen, continuæ, cum sint videtur internam potius, quam externam causam sequi, nunquam enim de exterius rebus cõtinui penitus mœrores esse possunt, quin sæpè animus relaxetur,& ab eius rei cogitatione in aliud reuocatus metum & mœrorem identidem deponat, quemadmodũ eadem cogitatione recepta in eandem animi ægritudinem recidit,& eam spatio temporis semper leuiorem, prēter hęc mala, febrem sæpè esse refers, ac, quod magis molestum est, in vtero fluorem quendam acrem, quo vterus pruritu intollerabili, præsertim sub mẽsibus vexatur, & cum eo scabiem quandam duram,& pruriginosam, qua pręcipuè in crurib.& pedibus exagitatur. Menses autẽ exiguos,& sine ordine procedere, & sanguinis flauioris esse, idemque sanguinis genus sæpè etiam per nares guttatim effluere, horum demum malorum molestiã tenuitatem corporis totius,& infirmitatem sequi, quoniã præter gallicam infectionem, qua iecur minus bellè sanguinem conficit, ventriculus ob hypochondriacos halitus refrigeratus minimè concoquit, ac proinde ęgro corpus alitur. Febris verò etiam calorem insitum vitiãdo eum minus idoneum suis alendi operibus reddit. Hic itaque præter antiquam illam luẽ malamq; gallici morbi vim humorum acriũ,& salsorũ ac præterea pituitæ,& succi melancholici copiam habemus. Quare hi primũ hauriendi sunt, deinde infectio ab illis in quoq; viscere infusa auferenda, & obstructiones ab hypochondrijs remouendæ, ne in posterum ventriculo,& toti corpori noxiæ sint, & tandem prauitas gallica pro virib. delenda. Verum cum à purgatione humorũ omnia mala fouentium initium capiendum sit, illa duabus de causis prohibetur, ne multa vi fiat, primum hypochondriaco affectu, qui in venatũ medij intestini occupatione consistit, deinde virium infirmitare, propterea sic ego de re hac statuerem, vt paulatim,& humor malus vna detraheretur,& obstructiones expedirentur, & omnis vis infesta mitesceret. Quæ omnia à potione seri caprini optimè ex purgati in quo oximel,& mel rosaceũ solutiuum esset,& salsa parilia etiam decoqueretur fieri posse considerem. Serũ itaque caprinum ex oximelle squillitico pararẽ, vt quæque libra vncię dimidium oximellis illius acciperet, & inde per decoctionẽ clarescceret, postea singulis libris

A singulæ ℥. mellis rosacei solutiui adderentur,& ternæ libræ singulo mane totis 10. dieb. darentur, quib. diebus ter saltem ℥.2. foliorum senæ in potione ipsa exhibenda tota nocte haberentur. Quæ seri potio 15. alijs dieb. repeteretur, cum salsa parilia incocta, cui sena sæpè adijceretur, ex sero namque omnium humorum, & viscerum etiam ablutionem, ex sena,& sero malorum humorum expurgationem, ex salsa parilia prauitatis gallicæ mitigationem, exsperarem, a balneis naturalibus gallico timerem, potius hæc sæpius repeterem. Vbi vero infectio gallica fuisset superata, ego saccharum rosaceum cum theriaca crederem posse ventriculũ, iecur, & omne genus venosum restituere. Ei, qui ex tumore iecoris difficultate respirationis,& tussi, atque icterico morbo laborabat cum febre,& anasarcæ principio, postquam a medicis B præscriptas guaiaci potiones accepisset cũ ijs, quæ asthmati curando facerent. Hæc ipsi inquã proderant multum. ℞. Diacathol. ℥. s. mellis rosac. solut. ℥. 2. s. Cum decoctione pectorali f. potio. It. ℞. Matrubij albi, capillorum vener. glycirrizæ, lupulorum, endiuiæ, trissaginis an. m. j. spicæ ʒ. s. f. decoctio in s. q. aq. communis, quæ coletur, atque exprimatur. ℞. Suprascript. decoct. ℥.4. syr. acetosi diarrhodon. de cicoreo cum rhabarb. an. ʒ. 6. oxymellis squillit. ʒ. 2. rhabarb. el. cum suis vigoratiuis ℈. 1. misce & cum suprascript. decoctione f. potio.

Post quorum vsum 7. dierum hæc alia addita sunt. ℞. Radicis rubiæ, rusci, asparagi, apij, petroselini, chelidonij, fol. chelidonij herb. anagallidis. Comarũ marrubij albi an. m. 1. Comarum absinthij herb. trissagi- C nis an. m. 2. anisorum ʒ. 1. s. f. decoctio in s. q. aq. communis s. a. quæ coletur,& exprimatur.

℞. Suprascript. decoctionis ℥. 4. syrup. de absinthio Mesue. De euparorio Mesue. an. ʒ. 6. oximellis squillitici ʒ. 3. rhabarb. el. cum suis vigoratiuis ℈. 1. m. pro syrupo,& sic pro 7.

Posthæc trochiscos de rhabarbaro cum eodem rhabarbaro,& succo iridis,& gentiana. Atque ex his melius habebat.

CONSVLTATIO XCVII.

Serenissime Dux.

D QVo minus verbis te tadio afficiamus, summã sententiæ nostræ scriptura consignare,& tibi mittere decreuimus, de tuę valetudinis, tũ statu, tum curatione. Status is nobis videtur, vt ex signis omnium capitũ à physicis considerandorũ intelligimus, quod corpus malis humoribus cuiusque generis abũdat, siue antecedentium, siue consequentium, siue concomitantium capita intueamur. Nam & corpus sua natura melancholicos, ac biliosos humores congerere consueuit, & purgationes, quæ binæ quoque anno fiebant,& pilulæ, quæ quondam bis in mense dabantur, dudum sunt prætermissæ, tum ex frigida nimium potione longo tẽpore, nimirum 13. annorũ, adhibita aliquid prauitatis intus impressum inhæsit, & intermissione aliquibus temporibus facta exercitationis, quidquid humorum per ipsam discutiebatur antea, id omne non exhauritur, sed plurima sui parte E intus remanet, quiescentibus præcipuè iamdudum copiosis alui excretionibus,& ætate etiam plus eius in generante, & minimè dempta cum ciborum, tum fructuum varietate, & copia, affectibus verò etiam animi ad id plurimum facientibus, vnde plus mali humoris, atque consueuerit, ipsum corpus congregauit. Ad cuius congestionem tamquam eius effecta, & notæ propriæ sequantur, quæ in corpore, in excrementis, in somno, & sensus, atque animi ęgritudinibus quotidie cernimus. Corpus minus colorarum, atque consueuit, & crebram lassitudinem sentiens, venter inferior aliquando durus, excrementa alui sæpè largiora, & fluida, sæpè nigra, quod ferè vesperi est, aliquando rufa, nonnunquam pallida, plerumque flaua, non

raro liuida, raro viridia sunt, modo ventriculis leuē dolorem sequentia, cum crudā sunt, modo alui dolorem afferentia, cum nigra, interdum inanem etiam deijciendi cupiditatem, interdum recti intestini morsum relinquentia, lotium verò crassius, plenius, & coloratius, atque consueuit, somni aliquando interrupti. Corporis non rara grauitas, & ab exercitatione etiam horum omniū maior molestia, sitis assidua, & oris amaror, vtrumque à cibo præsertim molestum, & animi faciles motiones ad iram, & alias omnes tristes ęgritudines. Quæ omnia malorum humorum, tum naturam, tum motionem consequuntur, quæ tamen sub vsu fructuum laborem ventriculo afferentium tantum sentiuntur, quoniam ab humore eorum succus vitium accipit, ac reddit, & vna cum eis satis causæ molestiarum habet solum humoribus nondum satis valentibus, qui paulatim per se quotidie excreti vix sentiuntur; Nam cum à fructibus abstinet, alui minus turbatæ sunt, nihil doloris, aut molestiæ afferunt, minus liquidæ, minimè verò corruptæ, sed solum nigræ, & liuentes descendunt, quando etiam ventriculus nihil mali sentit, quo nigrore genus humoris, qui paulatim detrahitur, ostendunt. Sic verò ab eo humore fructibus cōmestis illæ molestiæ fiunt, quoniam vtrumque onus actionem naturæ, seu caloris vitiare potest, vnde vitium eorum eousque augeatur, vt os ventriculi ichores eorum accipiens amarorem, & sitim sentiat, caput ex vaporibus somnos interruptos habeat, ventriculus acidos ructus è cruditate, & melāchołico succo elidat, flatus venter accipiat, tendatur, doloreque afficiatur, atque aluus descendendo ob prauā contagionis vim molestiam afferat, & deijciendi inanē cupiditatem relinquat, lenta aliqua, & salsa pituita illius delapsa, vnde etiam è cruditate liquidiores alui sint, magis, vel minus coloratæ, prout magis, vel minus in intestinis morantur, in quibus ex mora non minus ob accessionem humorum, quam ob propriam corruptelam colorantur. Sine colore verò etiam quandoque descendunt, quoniam non solum citò defluunt, sed quoniā humores in decursu per venas sibi vias aliquādo obstruūt, nempè cum crassiores esse contigerit, quibus demum innaturæ, & corruptionis expressis aluus, subinde ab ipsis coloratur. Lotium quoque crassius, & intensioris coloris sæpè fit, quoniā per ipsum etiam humores exprimuntur. Ab exercitationibus demum molestiora hæc, non semper, sed aliquando existunt, quoniā quiescentes succi molesti non sunt, commoti verò exercitatione sentiuntur, & quamuis aquosi, & tenues per sudores elidantur; ad cutim incitati, qui tamen per sudores exire non possunt modo ad fauces, modo ad ventriculi os interdum ad ambitum funduntur, vnde lassitudo, & sanguis ex cauterio. Sæpius ad ventrem refertur. Fructibus autem illis prætermissis molestiæ illæ quiescūnt, quoniam natura facilius humores per se regit, quam cum onere fructuum conuinctos, & vnum eorum vitium superat melius, quam cum alio, à quo etiam valdè increscat copulatum. In primis ergo, si naturæ opus omne relinquendum sit, omnino à fructibus est defendenda, vt reliquæ necessitate vacare valentius possit, & humores illos maturare, atque expellere. Duabus enim rebus ad malum conuenientibus, si altera detrahatur, malum non potest consistere. Tamen, vt corpus salubritati propriæ restituatur, melius humores detrahentur, sic enim valetudo tutior, & ad fructuum, & frigoris, atque caloris vsum reditus sine periculo esse poterit; Calida enim tutius reliquias humorum dissoluent, atque consumeṅt, neq; erit metus, ne non dissoluant, sed fundant tantum quæ crassiora sunt, & ad angustos meatus, ad caput, atque ad renes adducāt. Quæ verò frigida, solidas potius partes confirmabunt, neque erit humorum periculum, vt condensentur, atque firmius lædant, & nulli remedio cessuri infigantur. At, inquit ille, humori culpa danda non est, cū prætermisso frigidiori potu omnes supradicti casus prę-ter vnam sitim, atque amarorē desierint, sed potius ventriculo frigidiori facto, cuius rei signū est, quod fructib.

A etiam prætermissis concoctio statim restituitur. Nos tamen aluum, tam coloratam videmus, vt non possimus non humores malos accusare, qui leuata natura, & cibo amiciori, & faciliori retento reliquis ineptis circumcisis facilius possit humorum materiam tractare, & superatam eijcere, quorum humorum indicium amaror oris, & sitis dant maximum, neq; enim ab aliqua corruptione cibi duo illa proficisci possunt, cum nimis citò, nempe vix tota hora ab assumpto cibo sentiatur, qui per se, tam citò in alterum saporem conuerti non potest, sed sola alterius mixtione, qui leuior humor innatando ad os ventriculi efferatur, & cibo maximè incalescente à calore in superiorem partem ascendat.

B

De vxore Excell. de Benedictis pregnante & morbo laterali obsessa.

CONSVLTATIO XCVIII.

TErtio iam grauida est mulier, atque sub hac gestatione, postquam quibusdam destillationib. animi deliquijs, ac febre identidem tētata est, quæ vix tota die duraren t, & aluo fluente quiescerent, nunc sexto grauiditatis mense ijsdem molestijs oppressa, cum eis etiā lateris dolorem sentit, quæ diem totam iam permanent. Horum primum fuit frigus cū concussione, deinde humeri, & costæ eiusdem lateris dolor cūm calore insequutus est cum sputaminibus subito flauis per tussim procedentibus, ac demum vix die prima præterita aluus fluida biliosa facta. Pulsus minimè durus crebrior aliquanto, & vehemens, vrinæ vt prima dies fert, satis naturæ

C modum seruantes. Vos Medici pro grauiditate nēpe vira partus, pro animi deliquio, anni tēpore, alui solutione gessistis, quoniam fœtus iā multo eget sanguinis alimento, tempus anni calidum satis humorem consumit, animi deliquium sanguine eget, ne vires frangantur, aluus verò plurimum humoris, & virium absumit, propterea venæ sectionem præterijstis, cucurbitulas suffecistis, per quas triū tantum vnciarum sanguinis modus expressus est, cuius expressionis vi impetus sanguinis à loco affecto potuerit reuocari, quod verò per sectam venam amplius detrahi in magno morbo debuerit, id à supra*dictis* prohibitum etiam poterit consumi, qm̄ & fœtus, & cęli status, & fluida aluus multū eius absorbent quare, quod de secanda vena proposuistis facilè in partē negatiuam decerno. Vel enim vna aluus citatior maximos Medi-

D cos solet à venæ sectione prohibere, & certe iure quādo ea solutio alui febris ipsius casus est, non alterius morbi, vt inflammationis intestinorum aut alius. Ita ego magnitudine morbi æstimata ex eo etiam, quod nō solum per sputum, sed per aluū natura cogitur se se exonerare impelleret, at metu virium considerato sectionem venę præterirem, atque expurgationi inflammationis vna, & temperationi humoris vacarem, ne acrior aluum nimis cieret, & pectus nimis lacessendo magis inflāmaret difficiliusque etiam sic educeretur. Cui rei procurandę darem potiones ex iure, quo etiam vires sustinerentur, cui essent incoctæ melissa, acetosa, borrago, buglossum, passulę, endiuia, & immixtus syrupus de radice dulci, & violaceus. Fotibus pectoris etiā vterer ex chamæmelo, anetho, brassica, semine lini, meliloto, & similib. ac vngué-

E tis similium virium, vt ex cataplasmate dialthæa, (non vnguento,) & butyro, & semine cimini cum folio brassicæ suprapositо. Postea pro ratione insequentium me gererem, aluus enim nimis initio morbi cita facta minatur aliquam eius fluxionem, nam aut a copia, aut prauitate nimia id efficitur. 7. die alui profluuium cū doloribus, & torminib. sequutum est, sputaminibus vix quidquā alieni humoris efferentib. quod si quid esset id puris crassi habitum habebat in aluo lutea satis densa erant saniosa etiam, seu ichorosa, quę in rubrū vergebant. Postea transacta 14. alui nihil sanguinis, aut saniosi habuere, sed ventriculi feces pallidas, & obscuras, quandoque etiam virides efferebant cū dolorib. maximis toto ventre, dorso, cruribus, & ano, ac pube vexantibus.

CONSVLTATIO XCIX.

Serenissime D. mi colendissime.

NOn crediderim ei rei, quam de tuo stomacho scribis multa obseruatione opus ferè, placeat, quæso dicam tantummodo cibos illos, à quibus tibi cauẽdum est, qui fuerint fungi præsertim crassiores, & mala cruda, parce etiam fuerint alia genera fructuum admittenda, quamuis etiam cocta, in quibus castaneas quoq; numero, & tubera. Parum etiam admittat de cancris cuiusque generis, de polypis, ostreis, & multo minus de Felinis, & omnibus durioribus testaceis, & item de cochleis. Moderate etiam piscibus vescatur, cum valde magni, aut graues sunt. Et omnino crederem satisfore, si in præsentia demeret quartam partem de solito suo cibo bis die sumendo, & item potione, bibẽdo aliquantulum de suo vino potentiori. Deosculor tibi manum reuerenter.

CONSVLTATIO C.

Serenissime D. mi colendissime.

EGo non sum aggressus commemorationẽ quarundam rerum, quæ solent esse in vsu ad iuuandã concoctionem, persuasus, quod non expediat, cum caput, & renes respiciendi sint, ventriculum calefacere, qui per se cito efficiet, quod oportet. Quo ego nunquã existimaui valdè bonum in his casibus vsum aquarum stillatitiarum calidiorum, veluti cinamomi, aut alterius rei, quoniam nimis cito permeant ad renes, & caput, & secum humores crassos, & crudos è ventriculo ferendo periculum afferunt. Qui melius somno longiore, & victu tẽperantiori ad bonum alimenti genus reuocatur. Vt nunc potius in memoriam res quasdã reuocarim mediocres, quemadmodum quod de acetarijs optimum erit cicoreum, cicerbita, borrago cũ paulo melissæ, & pimpinellæ tenerioris sine lactucis, quod apti erunt etiam cappares, & ex fructib. phistici, castaneæ benè coctæ, sed paucæ, oleæ etiam paucæ, non nigræ, hoc est, non maturæ, passulæ, cinnara, fœniculum, cytoniatum persicatũ bonum, & vetustum valdè, pyra florentina cocta ex vino conditi melones, vt Pisauri in vsu sunt. Aliud mihi non succurrit, quod hoc anni tempus ferat, nõ cessabo, quin cogitem, & referam, vt iubebit. V.C.S. Cui à Deo precor felicitatem, demisse manum deosculor.

Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinal Alexand. Farnesio.

CONSVLTATIO CI.

AD præseruandum corpus Ducis præstantissimi à podagræ morbo valida hæc ratio comperta in ipso fuit. Purgatio corporis bis in anno facta, nimirũ vere & Autumno, eaq; varia, vt status corporis occasionem præberet, atque etiã anni tempus se præstaret, post vtrãque purgationem potiones guaiaci sumeret, fuerunt verò sumptę primis annis huius instituti ad 30. & 40. dies, sequentibus verò ad 24. Demum ad 12. Atque hoc postremo tempore guaiacum cum carne gallinacea percoquebatur. Modus potionis huius erat ℥. 6. & quibusque quaternis vncijs guaiaci dabantur. 10. lib. aquę adijciẽdo interdum liquiritiam, interdum myrobalanos, vt ratio tenum exposcebat, & sexenis vncijs huius potionis modo ℥. s. mellis rosacei, & singula, syrupi de succo cicoreæ imponebantur modo alium aliquem syrupũ pro opportunitate, cũ victus obseruatione, non demissa tamen vini potione, neq; carne gallinacea, toto anno vtebatur vino rubro imbecillimo, ut plurimum cum aqua facto, & austero, aut potius acerbo, bis autẽ in mense accipie-

A bat clystere ex iure gallinaceo, seu pulli, qui in caponem demum deductus est arte Medici seni versuti, qui caponem subinde deuorabat. In iure eo imponebantur. ℥. 4. olei amygdalarum dulcium ℥. 1. elect. lenitiui, sacchari rubri ℥. 2. s. mellis rosacei, & oui vitellum. Quod ad dolores attinet, ij rarissimi euasere, vt duorum annorũ interuallum relinquerent, quibus mitigandis auxilia pauca aliquid propriè effecerũt. Et quamquàm cataplasma illud ex lacte, panis medulla, corticibus interioribus alliorum, & ijsdem interioribus corticibus nucleorum pineorum semel laudem nactum est, tamen aliàs manè fuit, & laudem amisit.

CONSVLTATIO CII.

B *Serenissime Domine.*

NE quidquam prætereatur quod vsui Vestræ Celsitudinis Serenifs. futurum videamus non contẽti coram res commemorasse, scripto quoque idem faciemus, & ex corde proponemus, quidquid indicit nobis officiũ debitum, & studium nostrũ de sua salute, cuius curæ donec viuemus omnia sumus postposituri. Itaque in mentẽ ei reuocamus iterum, quod status suæ valetudinis, cũ varietate multa malorum humorum coniunctus est, qui humores continenter sibi similes alios gignunt auxilio perturbationũ animi ad alios eiusmodi gignendos maximè opportunarum. Quas porro T.C. Serenifs. facile cognoscit non aliunde magis effici, quã ex ijs humoribus, qui in stomachum appellunt, & ipsum procli- C uem ad perturbandum reddunt, ex quo ventriculus plerumque non concoquat, caput somnũ nõ capiat, ac tensiones, doloresque inferni ventris concoquantur, tũ oris amaror, cibi exigua cupiditas sitis multa, lassitudines artuum, & calor sæpè extremorum pedũ. Humores hi iudicio nostro nondum obstructionem aliquã momenti vllius in parte aliqua principe effecere, quoniam neque pulsus, neq; vrina, neque vllum aliud signum nobis illud demonstrat. Ea propter non percipitur vlla febris agitatio, quanquam temporis spatio excitari possit, presertim quoniã non poterit semper in tãta victus obseruatione, tam subtile se continere. Quę si producatur profectò, vt V.S.C. videtur, demum ventriculum imbecillũ, & prauum redderet, quia malis humorib. iam dictis aleretur, & ipsam procliuem redderet in morbos longos, & peri- D culosos præcipuè, hac de causa necesse est, vt intra paucos dies expurgetur, quia sublatis ijs humorib. subinde, si impressum aliquid frigoris erit in ventriculũ, non solum id percipietur melius, sed poterit calefieri tutius, si expedierit. Nam nõ tantum frigoris videmus, vt maius sit superioris temporis frigore, cum corpus purgabatur, quanquam non tãtum molestiæ inferebat, quin stomachus frigefactus maximè potiones sine offensa, aut cũ illa rarissima perferret. Postea liberius viuendi erit potestas, & à morbis tutius, qui alioquin possunt aduenire omnib. modis, & cum eo vita omnino esset continẽter habenda tanquam ægroti. Hæc sunt, quæ coacti à debitione officij nostri sumus. V.C.S. in mentem ducere cupidi bonæ suæ valetudinis, cuius gratiam expetimus, vt ipsa iudicio aliorũ quæsito confirmetur si hoc nostrum E non sit satis, vt certa quid agendũ sit hilarius degat, nec occasionem præbeat alicui incommodo valetudinis. Et addictissimi demisse eam veneramur.

Excellenti Paulo Anthonio Cæcubæo.

CONSVLTATIO CIII.

COrpus hoc varijs admodum humoribus, & multis grauari hac doloris symptomate, & lypothomiæ, excrementorũ varietas, & imprimis vrinatũ, tũ inconstãtia, & paruitas pulsuũ ostendunt. In quib. pręter pituitã, & flauã bilem, atrã quoque, si non mole, certe vi multa valdę posse suspicio est, cũ ętas, corporis genus, & vita

ipsius cum anni tempore, & cœli statu in id conueniāt; ac, nisi aliquā eius humoris excernendi consuetudinem quis habeat, ego plurimum eius humoris subesse in huiusmodi natura vna, & ætate, cum Hippocrate soleo iudicare. Dicta humorum, præsertim crassorum genera, atque varietas ætate, & cœli vi parum secundis longum ad concoquendū spatium exigunt, sub quo videndum, ne vires deficiant. Humores detrahere ante coctionem tutum non est, crassos verò etiam periculosum, in hac ætate demum ferè mortiferum, quare viribus sustentandis, & humoribus ad opus naturæ comparandis, vacarem, interea vel a theriaca abstinendo, nisi aliquod aliud, & maius necessitatis consilium interuenerit. In ijs, quæ comparandis humoribus nobis præsto esse solent, præter ea, quæ adhibuisti commodam esse melissam, buglossam, fumumterræ, & betonicam crederem. Morboque iam maturescente fortiora adiungerem, cuiusmodi in syrupis compositis habentur. Exterius quoque imponendis ventriculi coctionem iuuarem, & a defectu animi inde nascente eum defenderem, ita tamen, ne ad locum attraherem, quod corpore pleno, & humoribus crudis fieret.

Galenum certè imitarer, vbi tertianam notham, & quotidianam curando coctiones humorum procurat. In medicamentis mouentibus mihi priora essent, quæ id per vrinas, & per sudores leuiter faciunt; per quas vias reliquiæ humorum sub febre putrefactorum facilius educuntur, neque crassiores humores violentius mouentur, vt a purgantibus per aluum, quæ purgantia omninò vitarem, nisi materiam concoctam cernerem. Vnum rhabarbarum fortasse ante induci posset, quoniam non tam humoribus purgandis quam obstructionib. eruendis, & visceribus in coctione sustentandis proficit, in quod consilium exiguo modo dandum est, & in syrupis ponendum. Aluus enim, quæ mollior seruanda est ab eo id vtiliter consequetur. De ratione victus vix quidquam dicere possum, cum hic a viribus, & a statu morbi sit moderandus, quorum nullum mihi iudicium extare potest viderem quidē, ne error ille publicus ouorum exhibendorum ei obesset. Vinum, nisi aliqua leuis coctionis suspicio sit, non exhiberem, illa verò adueniente quamprimum oligophorum darem, vt coctioni perficiendæ, & vaporibus febris exportandis esset vtile. Quæ gratificandi magis, quam medendi causa scribo cum tu potius me, vt amico, quam vt Medico vti debeas, vt Medico certè, aut consulente opus non habeas. Vale, meque, vt soles ama, Pisauri 7. Iduum Nouembr. 1581.

De tumore lienis.

CONSVLTATIO CIIII.

Cvm V.P.R. duritiem tantam lienis habeat, & insuper in calorem æstatis, & febriculam inciderit, non potest deueniri ad auxilium admodum validum. Si aquam illam thermalem experta vtiliter fuisset, posset conuertere se ad illam sumendam, alioquin esset serum lactis tutius optimè purgatum, quod subinde ferbuerit cum oximellite squillitico, & corticibus tamarisci, & postea colo traiectum fuerit iterum, tum demum mixtum cum succo fumiterræ, quod 16. diebus mane bibatur adiunctis altero quoque die ad aluum mouēdam duabus, aut tribus vncijs mellis rosacei solutiui, aut totidem ipsius syrupi solutiui ex polypodio. Ponderis seri modus sit a binis libris, vsque ad ternas quoque mane. Modus oximelitis squillitici sit dimidiæ vnciæ in singulas seri libras, succi fumiterræ modus sint ternæ, aut quaternæ vnciæ quoque mane cibo, interea ex pullis gallinaceis, columbaceis vtendo, prætermissa exercitatione vehementiori cuiusque generis, quę alias ei erit admodum vtilis, pręcipuè in equo nunquam non ante cibum, sumpto prius oximelle simplici, aut squillitico modico. Et, cum epistola alio non spectet, ego finē facio, & me precib. tuis commendo. Vrbini tertio Idus Iul. Ann. 1581.

CONSVLTATIO CV.

Reuerendo Patri mihi obseruandissimo.

Cvm ita sit, quod V.P.R. multum scribit, multumque scribere alios vult, & parum efficit, & semper commoda tempora præteriit sine vlla suæ malæ valetudinis cogitatione, temporibus alienis non potest deueniri ad medicamēta aliquarum virium, hac æstate propter calores, hoc tempore propter frigus, inde fit, vt ijs causis ego difficile mouear ad scribendum, tamen curet sibi fieri infra scribendum oxymel, & sumet quoque mane ordiendo à pauco, accedendo ad multum. Verbi gratia, primo mane sumet cochleare, altero vnum cum dimidio, tertia duo, quarta tria, subinde intermittat vno die quo accipiet tres ex pilulis infra scribendis, postea perget in sumendis ternis cochlearibus dicti oxymellitis, vsque ad quinque dies; sub quibus easdem pilulas, & hunc ordinem teneat totos duos menses, postea quiescet, sumendo tantummodo ex electuario de chalybe, quod curabit sibi proprie fieri. Quibus diebus accipiet oxymel, se exercebit ventriculo ieiuno, post sumptum oxymel vsque ad primum sudorem comedet, & bibet sobrie, post cibum non dormiet interdiu. Vino vtatur imbecillo, albo, vetusto, cibi sint pulli gallinacei, columbacei, & auiculæ, in visculis habeat semina origani, satureiam fœniculum, piper. Pulmenta fient ex borragine, betaque, Acetaria sint ex capparibus cum oxymelle, cui acetum multum insit, vtatur amygdalis, quæ eò vtiliora erunt, quò amariora; cum ouis sorbilibus misceat sal, & acetum, vtatur multo sale, vel in ipso pane, in aqua candens ferrum extinguere faciat, Vitiet frigus & exercitationem proximè a cibo. Oxymel ita fiet.

℞. tamarisci, cetrach, gentianæ, cuscutæ an. m. 1. fiat decoctio in aqua ferrata. s. a. & cum dicta decoctione diligenter expressa, & colata melle, & aceto squillitico componatur oxymel magistrale.

Item ℞. rhabarb. el. ʒ. 2. s. spicæ ℈. 1. chalybis præpar. ʒ. 1. s. agarici opt. ʒ. 2. salis gemmæ ℈. 2. cum oxymelle suprascripto f. massa pro pilulis, quæ fiant ex ea massa singulæ ℈. 1.

Cum accipiet electuarium ex chalibe pondere dimidiæ vnciæ, accipiat mane semper quinque horis ante cibum, vt alia quoque auxilia. Atque cum nullam aliam ob causam scribam, finem facio, & commēdo me precibus tuis. Pisauri 12. Cal. Nouemb. Anno 1581.

Respōsum hoc sit, quod res illę omnes consilio isthuc adductæ optimæ sunt, quoniam vnaquæque earum inueniet in isto corpore cui opus sit. At quò originem omnium necessitatum tollas alijs auxilijs ea submouenda esset, quæ multis causis prætereuntur, ac interea vti poterit his passulis bis aut ter in hebdomada, & diebus intercedentibus syrupo supposito.

℞. Fol. senæ oriental. ℥. 4. melissæ, cetrach, borraginis an. m. 1. cimarum absinthij, flor. fumiterræ, violatum, borragin. ana m. s. cort. tamarisci m. s. fructuum prunor. num. 5. sebesten, num. 7. passul. ℥. 1. s. rad. Irid. ℥. 1. polypodij ℥. 3. epithymi ℥. 2. cinnamomi ℈. 4. anisorum ʒ. 2. s. galangæ ʒ. 1. macis ℈. 2. f. decoctio in s. q. aq. fumiterræ s. a. qua expressa, & colata. ℞. Passularum mundat lib. 3. ponantur ad ignem in dicta decoctione, & additis ℥. 2. pulueris senæ, ℥. 1. rhabarb. & ʒ. 4. pulueris diamoschū dulcis, & saccharo ad ignem habeantur tantisper donec f. confectio solidiorum. Item ℞. Melissæ, borragin. fumiterræ, lupulorum, cetrach, eupatorij Mesue, ana m. 1. thymi m. 2. ireos ℥. 1. galangæ ʒ. 1. Fiat decoctio in aq. fumiterræ, & absinthij, qua colata & expressa cum melle f. syrupus additis cuique lib. mellis ℥. 2. aceti squillitici.

De tumore iecoris cum febricula.

CONSVLTATIO CVI.

QVoniam occasio morbi Mainardi potest cum eius salute in causa esse, vt te norim, non erit mihi res tanto dolori, quoniam eius morbus bona vestra curatione facilius soluetur, quam memoria benignitatis, & virtutum tuarum, aduersus quem ego admodum pronus sum in omni occasione, quæ mihi offeratur, vt rem gratam faciam. Qui porrò Mainardi morbus adeò infixus est sua diuturnitate, vt ego non ausim accedere hoc tẽpore ad valentiora, & intra illa me continerem, quæ diu possunt adhiberi, & in diuturno vsu viresiustas consequerentur, quibus possent generi vitij aduersari, quod vitium est obstructio fortasse cum tumore magno satis in iecoris parte superiore, ex quo etiã refrigeretur, & aquosum humorem gignat, qui per crura funditur, & cutem omnem mutat in colorem sub luteũ, & causa est difficilis respirationis, & tensionis, quæ percipitur. Auxilia, quæ nũc sumit, sunt pro pilulis trochisci de rhabarbaro cum radice gentianæ, rhabarbarum, & succus iridis, si benè sum memor. Quod in iusculis sumit V. E. facilè viderit, cum quibus medicamentis pergerem spatio aliquo, & subinde ego mutatem in alia quæ similem facultatem haberent, quo natura magis à mutatione mouerentur, inter quæ opinarer, quod iridis succus valde benè esset facturus aperiendo, abstergendo, & exhauriendo id viscus, & idem confirmando vna cũ rhabarbaro, absinthio, eupatorio, præsertim Mesues, & similibus, quibus ego asarum adiungerem, nec gentianã prætermissem, Oxymelle squillitico non prætermisso, minus rubiæ radice, chelidonijque, thymo, aut epithymo eorum puluere, succo, aut decoctione adhibitis, & vti sibi placuerit. Fouẽdo etiam, & inungẽdo hypochondria rebus similibus ad adiuuandam concoctionem tam bonorum, quam malorum humorum, Hortando ipsum, vt se saltem brachijs exerceat, vt somnum proximè à cibo fugiat, & item afflatus ventorum, & mutationes subitas in frigus. Ad comedendum verò cibos succi tenuiores, neque valdè refrigerantes, neque valdè humidos, nisi quãtum cogit febricula quæ fortasse minor est, quam videatur cum pulsus ab obstructione magna concitatior fiat. Quo ego non darem potum aquæ vllo pacto. At imbecillum vinum, & tenue, & digestu facile, quo finem facio manum deosculans ægrotantis 3. Calend. Augusti Anno 1581.

De epilepsia.

CONSVLTATIO CVII.

SI iste casus obsui grauitatem, & diuturnitatem, (siquidem talis sit, vt non variet pleno, aut vacuo ventriculo) iudicati potest, quod potiorem sui originem in capite teneat, optima ratione, Medicus ignẽ proposuit, sicuti alia quoque auxilia omnia, veniat à quacunque causa, scilicet lactis mutationem, & pæoniam, ac vnguẽ dictæ magnæ bestiæ. Ex quibus, vt ex craneo humano scilicet mulieris, & vngue etiam asini puluis fieri potest, cum aliqua parte rhabarbari, & infantulę exhiberi, atque etiam nutriri modo, quo melius poterit. Saltem extrahi deberet aqua per destillationẽ ex herba dicta primula veris, & peonia, ac quinque folio, tũ si haberi posset ex floribus tiliæ, & in porum infantulæ dari. Curando interea, vt nutrix rectam in victu rationem, seruet, & maximè vitando acetum, & vinum potens, & acria omnia. Et cum hęc epistola ad aliud non spectet, ego finem faciens manum tibi deosculor. Vrbini 4. Idus Augusti Anni 1581.

De dolore nephritico.

CONSVLTATIO CVIII.

DOlet me non accepisse per Medici alicuius literas descriptionem morbi fratris tui talem, vt possem habere ex quo cognoscerem, quid ei opus sit, & scribere possem, quod mihi videretur ei fore vtile, quoniam alioquin ego non possum cognoscere, quid consilij dem. Nihilominus ita in obscuro proponam clysteria ex oleo amygdal. amararum, & dulcium, ex butyro, sapa, succo parietariæ. Demum etiam post multorum vsum adiecto ipso murium stercore. At verò per os exhiberem cassiæ medullam cum puluere corticis eiusdem subtilissimo, aut cum ℈. 1. seminis genistæ; Exterius ingererem pubi, & perinæo cataplasma ex raphanide domestica trita cũ butyro antiquo, & oleo scorpionum, aut parietaria eodem modo, quæ ego propono sorte quadam, vt dixi, & me tibi commendo. Vrbini 12. Calend. Septembr. Anni 1581.

De obstructionibus ad hypochondria pertinentibus.

CONSVLTATIO CIX.

Magnifico & Excellenti Domino meo honorando.

CVm videã quod V. E. in sententia sua mihi exposita per literas suas cursum cæptum tenet, non vacabo admonitioni alicuius alterius rei tanquam superuacaneæ; Nisi quod in electuario illo posset imponi loco mucillaginum, & liquiritiæ succus absinthij, aut euparorij, aut iridis, vt videbitur V. E. & nunquam esset dimittenda iris, neque rhabarbarum, minus oxymel squilliticum, & cum nil reliquum sit, me V. E. commendo. Vrbini 12. Calend. Septembr. 1581.

De Tenesmo.

CONSVLTATIO CX.

MOrbus Domini Archipresbyteri cum habeat casus tenesmi, facilè habebit vlcus in recto intestino, &, cum feces alui tam aridas habeat, reliquum intestinorum vna cum ventriculo benè coctionem proficient. Atque, si quis error suberit, is ob multam iecoris calidioris, & siccioris vna cum toto corpore attractionem fiet. Occurrendum itaque erit siccitati, calorique, & vlceri; huic cum aloe, terebinthina, sæuo hircino, iure radicum capparorum cum succo hæderæ, betonicæ, millefolij, plãtaginisque, et cum melle rosaceo, tum etiã cum mineralibus, si fuerit opus, & demum cum bolo armeno, terra lemnia, cauda equina, & similibus, quæ clysteribus introducenda sunt, aut suppositorijs, aut etiã per suffitum veluti, terebinthinæ, minij cum thure extinctorum. Siccitati autem ventris non solum clysteribus infundendo olea, butyrum, medullas, & pinguedines, sed per os multa lactuca cocta, malua, endiuia romana, cum oleis amygdalarum dulcium, terebinthinaque, quę vtrumque præstabunt, quod opus est. Calori deinde refrigerando syrupis quotidianis, seu vsitatis de quibus. V. E. scribendum non est. Cui ego suum scriptum remitto, cupiens, vt rem perficiat citò, & eo ordine, quo incæpit, referendo semper iudicij sui causam in singula quaque re, & vnde illud trahit, quod mihi erit gratissimum, & tibi ero incredibili debitione adstrictus; Quod pertinet ad leges pharmacopæorum iam illas præscripsi, vt sentio,

rio, si sumptus fient, ij pecunia pharmacopæorum fient. Manum deosculor. Vrbini 11. Calend. Septembr. Anno 1581.

De febre longa, & erratica.

CONSVLTATIO CXI.

EX litteris V. E. cognouimus D. Ambiorix, & ego, quod isthęc febris est admodum cruda ob exultionem, & incrassationem tum pituitæ, tum bilis, atq; obstructiones consequentes. Ea propter pertimescimus genus omne medicamentorum prætor illa, quæ possunt consumere, & remouere materiam, quæ vias impedit, quæ viæ à valido medicamento, & à longinquis partibus mouente impedirentur magis retinentes materiam ad se tractam, & multo magis febrem accederent cum periculo certo ipsius vitæ. Placet itaque nobis, vt in syrupis aliquantum rhabarbari imponeretur, & res illæ, quæ mitigantes eius calorem ipsum iuuarent ad detergendum, & efferēdum paulatim humorem, qui vias occupat, quemadmodū cicoracea, acetosa, borrago, agrimonia, syrupus bizantinus, & similia.

Neque ad trochiscos trāsiremus, donec post concoctionem humorum corpus esset parum, per expurgatū, & febris diminuta, & squalor, nimirum per concoctionem, per cibos, & potiones eiusmodi. Admonendo etiam, quod isti typi erratici, præterquam quod significant crassum humorem, & melancholicum, indicant etiam per consequutionem multa, quæ metum faciunt, ne typo quartam succedant, & postulant curationem tanquam initij quartanæ, scilicet potius ad transmutationem, & concoctionem quam ad motionem.

Hoc est quod nobis dicendum succurrebat & est nimium iudicio & prudentiæ tuæ; cui manus deosculamur. Vrbini 12. Cal. Septemb. Anno 1581.

De febre lenta partum sequuta.

CONSVLTATIO CXII.

DEscriptioni à V. E. factæ vt de re difficili ob corporis genus respondeo, quod ego febrem respicerem metuens, ne continua sit, & valdè occulta, ac difficilis sublatū suspicione certa sanguinis crudi, ac crassi, cum crudus, & tenuis exhaustus fuerit per largam puerperij purgationem, & conspiciens tot alios casus, tot vomitus, & alias excretiones pituitosas. Secundo loco vacarem ventriculo tamquam parti ad nutritionem necessariæ, & quæ in causa est febri longius ducendæ, vt hæc est naturæ valdè spuriæ. Quo ego ad syrupos compositos venirem, & præcipuè ad Bizantinum, & de cicorea cum rhabarbaro, cum singulo syrupo adijciendo singulam pilulam ex trochiscis de absinthio, & parte trochiscorum de spodio, quanta videbitur opus esse ad aliorum temperationem. Ventriculum fouerem cū spongijs expressis ex decocto absinthij, menthæ siccæ, pulegij, macis, nucis moschatæ, spicæ facto in vino, & aqua. Inungerem quoque cum oleo absinthino, mastichino, spicato, atque etiam de mētha. Vinum non darem nisi imbecillimum, & suauissimum gustui, nō dulce, ab ouis cauerem, quantum necessitas permitteret, alimenti, & intra victum extenuantem continerē, quātum vires eius permitterent, non tamen tenuem, sed mediocrem. Concederem verò aliqua acetaria, vt cappares, flores horaginis rorismarini, buglossæ, comas teneriores menthæ, acetosa, melissæ, cicoreum coctum. Radices aperientes coctas longinis, petroselini, & similes; cibum distribuendo pro eius imbecillitate, & tandem vim syruporum augendo, & trochiscorum cum ipso rhabarbaro. Reliquum est nil aliud, nisi, vt manum deosculatus finem faciā. Vrbini 8. Idus Septembr. Ann. 1581.

A

De obstructione vnde malus color corporis.

CONSVLTATIO CXIII.

VErè color iste tuus mendax est, & melius conueniebat alter ille æruginosus, quoniam verum indicabat de eo, quod subest intus, quamuis tantus non esset, vt omnino verum efferret. Cæterum, vt ad primum redeam, si alui admodum albæ essent, aut non admodum luteæ, quamquam, vt credo, vrina erit maximè lutea, non abre esset sanguinem mittere ab extrema manu dextra, aut a cubito, a iecoraria, post vii cicore iure cum oxymellite, deinde syrupo de cicorea Nicoli cum rhabarbaro, & oxymelle composito cum iure chamadryos, & foliorum raphanidis, & absinthij, nisi minus

B amatum videatur, & caueat a malo victu, & a venationibus post cibum, maximè ferarum domesticarum, & iram vitet, ac mæstitiam, tum crassi generis cibos, & glutinosi, & caueat à pleniori cibo, à vino dulci nouo, & nimis austero, & non tenui. Poterit de singulis ad huiusmodi formam Medicum consulere. Manum deosculor, Eugubij Medico 5. Calend. Octobr. Anno. 1581.

An octimestris partus potuisset, vsque 40. diem vitam ducere.

CONSVLTATIO CXIIII.

C QVærebatur octimestris partus possit nec ne ad 40. diem vitam ducere ea suspicione, quòd non esset partus perfectus, & hæreditati ineptus haberetur etenim per octimestrem partum semper Iurisconsulti imperfectum partum intelligunt, hoc est, qui nobis quidem dicitur adhuc egere eo matris spiritu, & alimento, quod per vmbilicum datur, nec nomine veri partus est dignus, Iurisperitis autem nequaquam loco filij, aut hæredis habendus, quibus octimestre tempus in notam certissimam eius imperfectionis assumitur. Verum cum in hac causa, in qua de partus perfectione, & de habilitate ad hæreditatem quæris, est, pro certo habeamus vitam huius partus fuisse ad 40. diem productam, quæ perfectionis partus cuique debet nota esse certissima, quoniam spiritu, & alimento vixerit exteriori nō quod

D per vmbilicum, sed per os vt perfectus accepit. Ineptum huic causæ & superuacaneum videtur quæri, num partus is octimestris fuerit, vt illud, quod sequitur, superuacuum, & ad determinandum difficillimum, num octimestris partus imperfectus existat.

Præterero ergo etiam quod, quamuis mulieres quædam testificatæ sint matrem asseruisse hunc partū octimestrem fuisse, illa tamen facillimè falli potuit, præsertim cum opinione, & metu mortis percita sub ægritudine sic loqueretur, quod sane ipsa neque ab omni perturbatione libera pro certo habere potuisset.

Ex cuius verò etiā matris verbis, si rectè relata sunt, septimestrē quoque eum fuisse suspicari quis posset, qua dixerit mense octauo modo initiato illum esset editum.

E Quid enim prohibet suspicionem grauiditatis 10. dierū spatio anteuertisse? quæ tamen etiam suspicio existimari potest longe post conceptionem fuisse subsequuta, & partus ipse nouem mensium esse, præsertim quod neque primo, neque postremo mense integro gestari solent, vt ferè scimus accidere, nam neque septimestres, quidem partus necessario totos septem lunares menses complēt, sed sat habent, si primi, & vltimi maiorem partem contigerint, vt alterutrius mensis. 15. alterius 20. dies occupauerint, & dimidium annum compleuerint. Quæ inquam omnia incertissima sunt, neque ei certo indicio vitæ 40. dierum conferenda, ne dum eidem anteferenda nobis, qui non de octimestri partu, sed de perfectione ipsius indicium suscipere debemus; cum octimestris nul la aut mentio, aut ratio vnquam habenda fuisset, nisi ab

autho-

authoribus tanquam imperfectionis nota fuisset propo-
sita,& ea quidem meo iudicio minus certa, quod Aristo
teles tempus gestandi vteri mulieribus varium statuerit,
& reuera apud quasdam nationes etiam, vt refert ipse,
octimestres partus perfecti existant, & de sententia Dio
clis,& Polybi apud quasque esse possint. Quare adiudi-
cationem huius causæ veriorem accedens definiã mea
sententia,num partus,qui 40.totos dies vitam produxe-
rit,perfectus habendus sit. Perfectus partus ille est, qui
quoniam sine vtero. Se ipse viuere iam potest, sic ex vte-
ro excessit, vt spiritu proprio iam animam ducere va-
leat, & cibo per os accipiendo ali, nimirum cuius vitæ
opera vteri tamquam terræ opera radici non amplius
necessaria est, quamquam propter alias causas ipse sibi
satis non est. Contingit enim partum, qui nihil amplius
vtero indigeat,qui & suo spiritu satis habeat, & nõ am-
plius ad hauriendum spiritum, & sanguinem inhærere
vitæ matris postulet, qui sua integra specie vniuersi pars
sit, ægrum tamen, & perdita omninò valetudine esse,
nec vitam suam posse sustentare & breui interire,ne dũ
aliquo membro carere ex ijs, in quibus vita posita non
est,vt manu, vel pede, Hic inquam sane perfectus par-
tus,vt partus,erit,perfectè verò etiam natus,qui iam ex-
tra vterum ex cibo sibi sanguinem cõficere possit, ex
respirando certè spiritum confecerit, quamuis vel inte-
reat breui,vel infirma valetudine sit. Matris.n.vita non
egere est sine sanguine eius ali, & spiritum sibi ex aere
conficere posse;id verò fecisse contingit,cum vmbilico
disrupto,aut interclusо partus respiratione vtitur ad vi-
tam sibi recreandam. Contra ergo imperfectus partus
intelligitur, qui, etsi in seipso pro suæ formationis ætate
sit perfectus, & firmus, aut salubris,nondum tamen id
maturitatis attigit,quo sine vtero, sine matris vita viue-
re possit,hoc est,nondum sibi ex cibo sanguinem, & ex
respiratione spiritũ reparare idoneus est, imperfectè aũt
ille natus,qui,quamuis perfectus pro suæ formationis tẽ
perie sit,ante tamen occiderit,quam interclusо,aut dis-
rupto vmbilico per se sibi spiritum, nedum sanguinem
reficere potuerit. Horum neuter neque filius,neque iu-
stus hæres est, neque partus veri nomine dignatur, sed
aut non natus, aut imperfectus, & abortus dicitur, quẽ
non edi, non nasci,non suscipi,sed eijci,excuti,abigi au
thores volunt. Num autem dicendus minimè natus il-
le, qui quamuis vitæ propriæ sustinendæ idoneus sit,
quemadmodum dictum est,tamen casu aliquo sit extin
ctus, dũ totus editus pede adhuc ad os vteri implicatus
retineretur, viderint ipsi Iurisperiti. Ego quidem sic sen-
tio,quod,quum pes eiusmodi mẽbrum sit, sine quo in-
fans & viuere,& perfectè nasci poterat sic est partus per
fectus, ac propterea neque eo implicato impediri posse
videatur,quin perfectè natus sit,& per se alatur. Ac quo
ties accidat,quod interea, dum pede partus retineretur
vmbilicus non intercipiatur,non tamen amplius potest
per vmbilicum viuere non suo sed matris spiritu,cum sit
secunda a suis cotilidonibus resoluta, itaque dicere non
possumus eum non dum perfectè natum esse. Ex dictis
certe inferendum iudico perfectum quidem partum, &
perfectè editum posse cito sua aliqua ægritudine extin-
gui. Imperfectum autem ad quadragesimum diem ne-
quaquam posse trahi, qui necesse habeat viuere alieno
sanguine,& spiritu,& vitam suam alterius vitæ inhærẽ-
do sustentare,& iccircò citius interire cogatur,quã par-
tus perfectus ex alia quacunque vel perditissima ægritu-
dine,viuere.n.seorsum imperfectus partus,& suo spiritu
non põt, cui aliena vita viuendum est, & quæ ei longe
magis necessaria est, quam vllum aliud alimenti genus
cuiquam existat,nedum vt possit ad tempus aliquod lõ-
gius vitam per se sustinere: Is ergo partus,qui 40.dies to-
tos a vita matris separatus superstes fuit, abortus esse nõ
potest,imò ex tãto vitæ spatio omnino partus perfectus,
& filius, & hæres iustus iudicandus est, neque dicta su-
spicione,& octimestris nomine imperfectus habendus.
At pallidus siue luteus fuisse dicitur. Id omne, & quid
quid de vnguibus etiam, ut solet, affertur, in imbecilli-
A tatem eam,quam mater cum eo per ægritudinem com
municarit, quaque ipse æger postea factus sublatus est
referendum existimo. Illud uerò maximè alienum a rõ-
ne duco, quod testimonijs mulierum referendis narra-
tur,nimirum prædictum fuisse omnino esse tunc partui
intereundum, cum extra uterum tamdiu uitam duxis-
set, quantum temporis fuerat reliquum sibi ad maturi-
tatem in utero assequendam. Viuere.s. amplius partus
non possit, postquam tempus illud extra uterum supe-
rarit,quo in utero esse necesse esset, ut proprio spiritu ua
leret; ante tamen illius temporis finem tam uiuere pos-
sit, ut nisi ius aliqua interuenerit non extinguatur; Ita
uero, quo imperfectior partus, & quo magis ante tẽpus
fuerit eiectus, ei extra uterum uiuendi facultas diutius
existat. Sed hæc tam leuia persequenda subtilius non
B sunt, quin finis faciendus, & concludendo orationem
dicendum, uitam 40.dierum satis indicij dedisse partũ
fuisse perfectum,non abortum, sed nomine filij,& hæ-
dis dignum,qui non solum proprio,& sibi a se confecto
sanguine,& spiritu se sustinuerit,sed tamdiu, ut nisi etiã
sanus natus esset, id præstare ea ætate mollissima non
potuisset.

De ægritudine 30. mensium Exc. Lud. Ga-briełis nob. Fanensis.

CONSVLTATIO CXV.

VObis tandem cõcessus a Serenissimo Duce Vr-
C bini meo domino, & tam egregia uoluntate a uo
bis exceptus, doleo malum tantas progressiones fecisse,
ac uereor ne labores nostri omnino frustrẽtur, Non se-
quar ego uanum augurium iam tota urbe acceptum a
casu equi, qui sub rheda obuiam missa repẽte extinctus
est, cum uos obuiam uenistis, equus inquam, qui esset
ægroto inter charissimos; sed mali natura me mouet,
quam conabor mihi explicare,& sub aspectum ponere,
ut quid curationis postulet, quid salutis spei, aut metus
habeat,accipiam. Corporis totius summa extenuatio
est non sine febricula, quæ calore acri medij corporis,
& si extrema crebro frigore tententur, percipitur. Hy-
chondrium,seu præcordium dextrum tensissimum est,
& durum, & quamuis durities illa longitudinem mu-
sculi recti seruet, altius tamen spectat, & cauitatem in-
D ternam occupare percipitur. Flatus uentriculi perpetuus
existit siue continenter exiens, & fauces uexans, unde
pituita identidem ibi collecta, & spumosa facta excree-
tur,in qua aliqua sæpè alterius generis uisitur, nimirum
illius maturioris,quæ solet in senibus, atque et iuuenib.
aut è palato, aut è bronchijs emitti aliquanto pallidior,
sed hæc pauca est,& ter, aut quater toto die excernitur
cum ea,quæ spumosa est. Tussis quẽdam etiã eum sæpè
tentat,quæ siue propter infirmitatem uirium siue aliam
ob causam tenuis est,& minimè uehemens, nihil quidẽ
efferens,nam inter unum exscreatum, & alterum sæpis-
simè nulla tussis incidit,& ferè, cum accedit potius post
exscreatum,quam ante ipsum fit. Spiritus angustia per-
petua est. Decumbenti uerò maior,& a cibo molestissi-
ma,quo tempore flatus magis mouere solet. Nã quam-
E uis ille perpetuo exeat,quarta tñ a cibo hora usque ad se
ptimam increscit, & incredibiliter discruciat,quo tem-
pore febricula calidior post extremorũ refrigerationem
uidetur. Hęc sunt,quæ nobis malum huius corporis de-
scribunt, quæ si deiecta diligenter dispiciatur, credo il-
lud nobis aperient. A macie corporis exorsus, cõsidero,
eam a corporis,& uiscerum conditione plus consumen
te,quam restaurante existere, quod dupliciter fieri põt,
aut uisceribus non bene sed uitiose cõcoquentibus, aut
corpore uniuerso nimis consumente,aut utraque causa,
quæ omnino in intemperie est posita, intemperies mo-
do uel calidior,uel frigidior esse consueuit,nam reliquæ
duæ superantiæ non ita multam solent facere transmu-
tationem. Vniuersi corporis calida intemperies tan-
tum

tum est illa, quæ consumit, & necessario etiam cor occupar, & ita febris est, quę cum calore siccitatem etiam habet coniunctam quemadmodum frigida intemperies corpus potius hebetat, & crudo alimento replet. Calide ergo tantum tribui hoc malum potest, si totius corporis culpa sit, & febrem subesse necesse est.

At si visceribus culpa attribuēda est, quod minus bellè concoquant, tunc non solum caloris, sed frigoris quoque ea esse potest, atque dictæ omnes intemperies vel humoribus similibus fiunt, vel ab illis factæ sustinentur: sine eis esse vix possumus excogitare, ita tamen, vt quandoque id fieri posse non negemus. Iam ijs propositis, videndum, quid horum in hoc corpore malum faciat. Totius corporis intemperiem calidiorem subesse febricula ostendit, quæ crebro, atque concitato arteriarum motu intelligitur, tactu etiam medij corporis sentitur, cū valdè ferueat, etsi extrema raro sint calidiora, sępè verò frigida. Viscerum quoque intemperiem, certe ventriculi, perpetua illa flatus effusio significat. Verum hæc à me subtilius perspicienda sunt. Nam potest totum corpus, & ventriculus aliena causa sic se habere, potest vterque etiam sua. Incipio à ventriculo, is potest sua intemperie flatum ex cibis mouere, ita vt nulla alia parte, aut viscere afficiente se id faciat, potest verò id etiā non sua propria intemperie, sed sibi aliunde impertita per immissionem humorum. Vtro modo autem huic ventriculo id eueniat, possumus discernere ex ijs, quæ ventriculus excernit, & ex eo, quod à mutatione ciborum ei accidit. Obscurioris coloris sunt illa, quæ excernit, figurata verò, & æquabilia, & concocta quo ventriculum minus infirmum denotent, quam, vt flatus tanti causa esse queat, quare ex colore alui humores potius aliūde introductos in ventriculum flatus illius causam esse conijcimus, quoniam melācholici sunt, & ita vel à iecore, vel à liene, vel à toto corpore transferuntur. Vnde non plures flatus edit, si vel plus cibi, vel crassioris, & grauioris accipiat, imò, cum minus, & mollius accipit, tunc flatu magis extorquetur, quamuis nunquam nidorem flatus proferat, quo nidore forsan nos in calidiorem ventriculi, & propriam intemperiem id referre cogeremur, non in humorem aliunde influentem. Vt contra in humorem nunc referre est necesse, qui cibo etiam leuiori ingesto dissoluitur, citius in flatum, imò etiam magis à calore in cibū coquendum confluente, ac propterea non tam concitatur, donec crudior adhuc cibus est, sed quarta demum, aut tertia hora, cum calorem, cibus compræhendit, seu calor cibū iam occupauit, & in humorem illum dissoluendū magis potest, cibo verò descendente humor quoque delabitur. A iecore humorem hunc in ventriculum referri est coniectura, quoniā lien non solet, nisi tumens id facere, totum autem corpus liene par, & vel parum nimis hunc humorem consumente huius humoris plenum sua causa esse non facile potest. Iecur ergo nimiū huius humoris efficiet, & in ipso prior erit huius mali causa, & intemperies. Cuius nota tactu ipso perceptu est, cum non solùm musculus ei insidens durus sit, sed alte penitus illa durities subsit, & magnam ventris partem occupet. Ac memini me alias quendam ægrum tractasse, qui ex flatu in anum impetente diu est cruciatus, cui iecur subinde induruit, & febrem attulit, qua demū extinctus est. Quod si meam sententiam volo liberè proferre, iudicaui ego semper tympanitem ex flatu non in ventriculo effecto, fieri, quoniam in eiusmodi ægrotis ferè alui sunt satis bonæ, & virum flatui late sunt ad exeūdum proxime intestina, & œsofagus, sed iecoris eiusmodi halitum in abdomen exprimentis qui ibi refrigeratus in flatum euadat, cuius materia generis melancholici est, & ideo id hydropis genus difficillimum curatu cognoscitur, redundat ergo hic non intra abdomen, sed in ventriculum ipsum, ex quo eruptio facilis est. In tympanite autem intra abdomen, vnde exitus non est, præsertim, quoniam eggressus in abdomen halitus à calore iecoris desertur, & densior euadit. Quamobrem iecur crasso, & terrestri humore, & intemperie ei simili, nimi-

A rum sicca, affectum, & durum est, sicque in ventrē se se exonerās, & aluum obscuriorem, & duriorē sępè, quamuis non suppressam vnquā, & vrinas meliores reddit, nā ipse præter calorem febris eneoremata bona, & liquorē mediocrē retinent. Iampridem ergo iecur infarctum eo genere humoris est, & paulatim naturam & temperiem similem ei accepit, atque induruit, & aliqua sui parte meliori multam eius humoris vim in halitum cōuersam in ventriculum infundit plurimum etiam liquoris habitum retinentem, & præsertim cum attrahendo chylo iam se accingit, tempus namque vltimum excretioni datū ipsi iecori concidere cum primum concoquendi ventriculi tempore in ijs præsertim potest, qui infirmiorum viriū sunt, & tardius agentiū, vnde vel nullo accepto cibo fere ijsdem horis cruciatur. Is infarctus principis visceris, B si non subito, saltem aliquo post spatio adiecto febrem afferre potuit, nimirum dictam totius corporis intemperiem, quæ num solidis iam partibus insederit, & ita facta sit, vt humoribus nihil conferentibus possit permanere, difficile scitu est, certè ea nota deest, quam incrementum insigne febris sine cōpressione secunda hora à cibo solet afferre, cum præterea incalescere se se medio corpore, & circa viscera ipse sentiat fixa febre sui sensum non faciente. Natura ergo huius mali præcipuo ei fundamento inheret quod in iecore statuimus. Cuius vitij magnitudinem non solum dictorum casuum magnitudo ostendit, sed illud demum obseruatū ab ægro, quod cibum auersatur, &, cum potionem cupiat, eam tamen, vbi gustat, fastidit. Potionis enim, & cibi cupiditas in morbis retinetur, cum tam ventriculus, quam iecur aliquem statum suarum virium tenent. C Cum verò vtrumque omninò deficit, cupiditas nō solum nulla est, sed cum fastidio, & odio summo etiam commutatur cum alterum tantum vitiosum est, cibi cupiditas claudicat, & non est absoluta ἀνορεξία, & ægri non omninò cibum, spernantur, vt faciunt, cum vtrumque viscus deprauatum est, tunc enim tāto odio cibi ægros videas affici, vt malint mori, quam quidquā eius deglutire, quod ego in non nullis expertus sum, quorū Serenissima Domina quędam tandem post. 40. diem conualuit, quidam autem Reuerendissimus pater hydropicus inde *factus* perijt. Hic ergo sensus est famis, & sitis, neque odium multum eorum, cum tamē accipit subito lassatur, quod ego iecoris vitio darem, à quo etiam ventriculus afficia- D tur, sua enim natura cupit, at satiatur citò, cum ei visà iecore male sustentata deficiat. At iecore affecto cur tussis fit? non est obscurū medicis, nam sicca est, & potius inanis irritatio, quędam, quam tussis plenior, septo namque transuerso id facilè fit, cum ipsum parte præsertim neruosa halitus acriores, aut etiam ficciores, certe quidem alienos ab ijs, quibus sua natura consueuit, accipere cogitur, eos verò à iecore sibi conuincto non potest non sentire. Videmus nos ex scalptu auris tussim moueri, quod inde natura partium coniunctarum ad expellēdum incitetur. Videmus ex risu idem cōtigere, septo ad se vaporem acriorem, asperioremve adducēte, vt etiam singultum. Tussis vero hęc inanis potius concutit thoracem, quam spiritu multo fiat, ac meo quidem animo eam non vomitui ventriculi, sed singultui conferrem, vt E infirmior illa irritatio cerchnos dicta nauseæ à Galeno conferebatur. At inquit æger nōn excreare quidem cōtinuo, cum tussit, tamen postea pituitam eijcere quod nimirum queat pituita è pulmonibus per tussim in larynga, & fauces trudi, vnde, cum iustus modus congestus est, excreatu ipso expellatur. Dico ergo, quod interdū hoc in aliquibus fieri non negarim, ita tamen vt aliquo tussicali motu è larynga illa pituita extrudatur, q̄d hic fieri non videmus; vbi exscreatus antecedit, deinde tussicula sicca sequitur, sæpissimè etiam inter vnum, & alterum exscreatum nulla tussis intercedit, sed flatibus continuis per œsophagum effusis pituita & in fauces, & in nares impellitur, in faucibus vero spumosa valdè colligitur. At illi flatus non exeunt per ructum, quid tum? sat est, quod œsophago, seu gula hiante effunduntur. Vt

namque

namque excretrix ventriculi infirma,& perpetuo eo mo-
tu laſſata,in ſuperiore ventriculi ore ad eruptionem ſatis
valida non eſt, & iam habitum acquiſiuit gula,tanto tẽ
pore ad eiuſmodi hiatum ſeſe effingendi flatu ſic cogẽ-
te,& perpetuo vſu eam efformante, bucis ẽt in eundem
motũ vocatis propter tunicarum continuationem, pp
q̃ eodem motu pituita quoq; a cerebro in fauces cõtra-
hitur. Hunc iecoris affectum, & ventriculi laborem iã
30. menſes ægrotum exercentem, non eſt mirũ ſi febris
ſequuta eſt,& totum corpus maciem contraxerit nõ ſo-
lum alimenti opere deficiente in iecore,ſed febris ẽt in-
temperie ipſum conſumente. De qua febre quærendum
videbatur num intẽperiem in ſolidioribus partibus in-
duxerit eam, quæ humoribus reſtitutis etiam permane-
re poſſit,quod non amplius ex illis penitus, & ex toto pẽ
deat, ſed ipſis ſolidioribus hærens conſiſtere poſſit. Tñ
ſpes eſt adhuc humoribus intemperiem eam agere,vt di
cebamus,quare ad iecur omnis conſideratio conuerten
da eſt,& videndum cauſas,quibus ſic affectũ eſt,ex qui-
bus mali ius notior euadat, & ratio curationis diluci-
dior,præſertim quod; ſi aliqua cauſa illud ſuſtineat, illa
in curatione ante erit remouenda.

Nobiliſſimus is Vir,cum adoleſcẽs eſſet, ſemper ſca-
bię ſcatebat,& a puero id habuit. Scabies curata tandẽ,
neſcio qua vi fuit,& profluuium ſanguinis è naribus eſt
ſubſequutũ,& eiuſdem ſanguinis ſputum ẽt, quod è pa-
lato fuiſſe ſeipſum ſuo colore atro offendebat. Ad hanc
ſanguinis effuſionem diuturnam, & ſi non ita largã fla-
tus hi acceſſere,qui ſemper maiores effecti ſunt, quo illa
magis deſtitit. Modo ſcabies,& ſanguinis profluuiũ ean
dem iecoris intemperiem ſequuta erant,& eandem pra-
uitatem. Cute.n. & carnibus firmioribus factis nõ am-
plius per ſcabiem expurgabatur, ſed viam ſibi ſua acri-
monia laceſcendo faciebat in nares, vt ferè conſueuit,
quo non ſatis faciente onus intus retentum,& vitiũ ma
ius factum eſt, & iecur occupatius demum, & infarctũ
eſt,& vitioſum factum. Siccitate verò increſcente in fla
tum ſe ſe expurgare cæpit,ſiccus enim,& craſſus humor
tam flatibus idoneus eſt, quam humidus vaporibus, &
ex illis aquæ congerendæ,qui ſi intra abdomen extra vẽ
triculum ſub habitu halitus,& fumi exprimeretur,tym-
panitem omnino iam effeciſſet, at in ventriculum im-
pulſus per vias latas exire poteſt vel ſupra, vel infra, neq;
diu includitur. Quare miror ego Galenum,qui tympa-
nitem fieri credat flatu in ventriculo ex cibis generato
cui via exeundi tam libera, & tam ampla, ac facilis ſit,
cui tam anguſta, & difficilis per tunicas ad abdomen.
In eam verò potius ſententiam pedibus eo,vt in tympa-
nitide, vel aſcite flatus intra abdomen extra ventriculi
tunicas fiãt ex halitu è iecore expreſſo, qui tenuior tam-
diu eſt,quamdiu calorem iecoris retinet, ab eo vero vi-
ſcere remotus refrigeſcit,& craſſior ſit,qui,ſi ſiccior eſt,
in aquam verti non poteſt, & tympanitim facit, ſi hu-
midior in aquam reuertitur pro ſui natura, & aſcitium
parit,& ita omnes hydropis differentia proximè a ieco-
re proficiſcitur,& pariter flatus is noſtri ægroti ſit ab hu
more è iecore in ventriculum confluente, aut etiam ab
halitu cum humore dimiſſo. Vbi ego non aliam cura-
tionem inſtituerem, quam vt in tympanite ſolemus, &
præterea nutritioni iuuandæ valdè vacarem. Nam expe
diendum eſſet iecur ab eo duriore humorẽ, & ad ſuam
temperiem reducendum, & hoc perfecto nihil curatio-
ni,aut nutritioni deeſſet. Verum difficilimum hoc factu
erit, adeò vt ne fieri quidem poſſe exiſtimem, quod ni-
mis iam res concaluerit, nimis repugnet ſiccitatis natu-
ræ,vitæ reparationi, aut ſuæ remotioni. Aliquod tamen
ſolatium inuentum eſt,quo minus moleſta,minus labo-
rioſa ei vita trahatur, quare ego flatui laborioſiſſimo oc
currerem, nec ita multum calida medicamẽta vererer,
vt etiam coctioni,& nutritioni auxiliarer, humori quo-
que detrahendo vacarem, & alendo corpori omnẽ ra-
tionem præterea conuerterem. Humoris detractio præ-
cedere deberet, tamen vna cũ eius apparatu etiam fla-
tus poteſt diſcuti. Violentis medicamentis humorem

A non mouerem,quoniam obſtructum iecur eſt, & craſ-
ſus humor, minus ſanguinis miſſione vterer, quoniam
vires non paterentur, vel perferrent, ſed leuioribus me-
dicamentis coctioni non officientib. Ea, quæ hæc om-
nia præſtent, videor poſſe colligere in aliqua potione
mane exhibenda; Nam ius galli non ſolum alendo, ſed
humoribus detergendis facit, huic vires adijcerem ex
iecori perquam amiciſſimo, cui præter eam expeditio-
nem ab infarctu robur etiam affert; Polypodium con-
iungerem,vt craſſus humor leniter euocaretur. Betoni-
cam ad incidendum,triſtaginem ad abſtergendum, &
reliqua iam dicta præſtanda,lupulos ad diluendum, ex-
tergendum, & temperandum quorum germina tãtum
capi debent,cum flores amari nimis ſint. Borraginem,
bugloſſum ad ea omnia perficienda,meliſſam, quæ idẽ
B poteſt, agrimoniã iecori familiare, & ſimilia cũ paulò
cinnamomi, cũ paſſulis pro iecore alendo, reficiẽdove.
Atque ex hoc iure ℥.5. acciperem, cui mel roſac. ſo-
lutiuum ad maiorem deterſionem immiſcerem pondo
℥.1.& quinto quoque die rhabarbarum inſpergerem ad
ʒ.s. quandoque etiam ſyrupum de polypodio illum mi-
rachialem dictum infunderem,aut ſimile. Ciborum ra-
tionem facilem ad alendum, vt ſeruat ipſe, ego laudo,
ab immiſcendo pipere non cauerem, cuius vis in ven-
triculo iam frigeſcente ob humoris naturam exoleſcet,
& coctioni vtilis, & flatui diſcutiendo neceſſaria eſt.
Iuſcula ex bugloſſo, lupulis, cymis caulium quandoque
darem,piſtachia,& amygdala concederem,nec a ſmir-
nia abſtinerem. Piſces molliores ex albo iure concede-
rem,præſertim ſaxatiles, cum eis aſſueuerit. Vinum ru-
C brum minus,quam album placet, quod tenue, nec dul-
ce,nec nimis auſterum deligerem.

De affectibus oculi vtriuſque Nob. Matronæ Senogallienſis nempe alterius ſuffuſione, alterius verò anguſtia pupillæ, & cecitate.

CONSVLTATIO CXVI.

CVm mihi quoq; dicendum ſit,non poſſum non in
ſiſtere veſtigijs veſtris,Viri Doctiſſimi, vbi liben-
ter dicendo breui perorarẽ ea quæ longa oratione a vo-
D bis rectè ſunt diſputata, quam vt quidquam noui affer-
rem. Matrona hæc aſpectu ipſo calida,& humida vide-
tur cum in toto corpore,quod color,& carnis copia oſtẽ
dit,tũ in cerebro, quod celeritas actionum, & loquelæ,
tum aũt corde,quod animi illa elatio demonſtrat,præci
puè verò ex ſpecie quadã vultus, & geſtus iracunda cer-
nitur. Hęc ętate ferè 50. annorũ menſibus finitis animi
moleſtijs,& ſolicitudinib. vexata,& luctu,ac lachrymis
exagitata diu eſt. Inde in capitis grauitatem, & calorẽ,
poſtea in viſiones deprauatas ſcintillarum ardentium,
& culicum creberrimorũ deuenit. Demum paulatim vi
ſione eſt deſtituta, ita vt ſiniſter oculus anguſta pupilla
euaſerit,& intra eam nihil mutatus ſit, nihil tamen cer-
net. Dexter autem pupilla latiori, & ſuffuſus pituita cer-
nitur,quo aliquantum videt falſẽ formas maiores, præ-
E ſertim cum manu ſibi vmbram obducit,aut per obſcu
rius ſpatium perſpicit. Quorum morborum formæ di-
uerſæ diuerſam naturam habentes eandem tñ cauſam
ſequi videntur. De cauſa,vt iam conſpicua me expeditã
primũ. Nam in corpore calido,& humido ætate iam in
clinata purgationem nullam habente, nec de ciborum
modo detrahẽre,ſemper craſſus ſanguis colligitur,& re-
crementoſus, vt ſingulis Hipp. & Gal. locis põt confir-
mari. Hip. quidem 1. lib. Epid. ſect. 3. text. 20. & lib. 6. in
fine ſexti ait,corpus ſanguineũ fieri melancholicũ ætate
inclinante, vt etiam bilioſum, niſi habeat aliquam ex-
purgationẽ. Gal. verò de ætate hac, niſi ex cibo,& alijs
rebus quibus conſueuerit vigente ætate, detrahatur, ſæ-
pè morbos minatur vſque ad plenitudines in comm. in

aPhorismos, cui rei ego adijcio, quod vir debilitatis cruribus iam diu est neque ipsi per copulam excretionem vtilé,& sibi consuetam inseruit, multū enim pituitę per eam excretioné exhauritur, quæ retenta non potest nō sui repletionem corpori pręstare. Repleto ergo corpore sanguine melancholico,& pituita, seu eius generis recremēto facile euenit, vt in caput ea recrementa efferatur, nā solidæ corporis partes ætate duriores, siccioresque caloris vim acrioré,& duriorem habent, ita melancholicū succum dum consumunt, multæ eius partes halitū dissoluunt calidiorem, cuius pars inflammata scintillas ob oculos obuersantes repræsentet, pars restricta, nigrū puluerem,& culices offerat. Pituitam etiam liquidiorem in caput attollant, atque etiam crassiorem effundāt. Caput verò calidum natura,& densitate ætatis calorem cogēs facile attrahat, ira ēt motū in caput,& oculos excitante, B caloréque mouente illuc malū omne deriuetur, quæ nisi fuissent, luctus ille cum indignatione, & lachrymis diuturnis satis valuisset. Prætereo genera vinorum, & loci, cœlique naturam, nam potestis dicere his vsam bene valuisse, quanquā hic nata nō est, neque semper corpus tā paratum habuit, quam hoc tēpore propter ætatem,& aliarū rerum concussioné. Quas omnes causas libenter dico, quo quantū fierit possit, amoueātur, vti suo loco dicere oportebit. Iam ad ipsum morbum accedo. Dextri oculi suffusio est, qua est pituita ibi considens. Cū enim cerebrum eo genere humoris alatur, id ex vniuerso corpore sua similitudine attrahit, cum verò nimiū eius iam attraxisse contigerit per causas supradictas multū eius in recrementum decessit, & spiritus vi in eam partem ad vsum visus exeuntis compulsum est, fletu ipso,& iracundia in oculos semper aliquid inferendo, ad id conueniētibus, C Quæ suffusio habeat ne obstructioné meatus optici sibi coniunctam, qua manente nunquam visio per demissionem suffusionis recuperaretur, suspicioné habet, nā altero oculo concluso amplificari huius suffusi pupilla apertè non videtur. Ego tamen spero non subesse eā obstructioné, quoniam eo oculo aliquantū cernit, quod obstructio meatu optico fieri non posset. Cur verò non dilatetur pupilla, causa necessaria aperta est, quoniā pupilla iam dilatata nimis vitio quodam alio est, neque spiritu increscenté amplius potest intendi, quā vitio intēta sit, quod verò nimis dilatata sit, ipsis primo oculis cernimus vidētes maiorem pupillā, quàm in oculis fuluis, seu charopis esse soleat, in nigris siquidé fortè eam latitudiné habet, in quibus semper latior pupilla, quam in aliorū D colorū oculis esse consueuit. Deinde alia causa esse non pōt oportunior, vt adumbratione visio iuuetur eius oculi, nisi quoniā pupilla latior, est, quo nimium à lumine feriatur, quod hic subtilius disputandum non videtur. Dilatatio ergo alter morbus eiusdem oculi est, quæ pituitam, aut crassum humoré sui causā habet inter fibras è venis nascentes ipsius vueæ infarctū, qui membranam contendat, efficiatque foramen eius latius, & magis amplū, dum eius oras distēdit, Dixi inter fibras eū crassum humoré infarctum esse, nimirū in interstitijs earum iniectū,& crassum, quoniā si tenuis esset,& non ea interualla, sed vaporosus, & tenuis corpus mēbranæ perfūderet, potius membranā relaxaret, quā contenderet, vt in carnibus,& cute in anasarca fieri videmus, atque in papiro, E cum cęlum humidū est, laxitatem.n.acquirunt, quoniā humor vaporosus in membranis insidens, illas remittit, quod in contextubus fibrarū non facit, quin potius contra tensioné faciat, presertim cū humor est crassus, quod vueæ huic, seu ῥαγοειδῆ euenisse certum est; Duplex ergo malū ferè ijsdem causis ortum est, nā verisimile est hūc quoque humoré esse pituitosum, quoniā est alimēti, vnde mēbrana alitur, recrementū, alimentum autē membranarū omninò est generis pituitosi. Ad alterū oculum accedamus, illius pupilla angustior est, quā conueniat, intra illā nihil mutationis cernitur, nihil tñ aciei, aut visionis est, neque altero cōpresso oculo hęc pupilla amplior efficitur, quare & impeditū meatū esse oportet, & vueā mēbranam concidisse, nā scio equidem angustiā fieri ex

A siccitate sæpè, imò eam esse φθίσιν à græcis vocatam, seu tabē pupillæ à græcis iunioribus. Tamen quoniā hic nullū ariditatis signum, nulla causa est oculo speciem integrā seruante,& abundantiam potius humorū ostendente, nullaque siccitatis in capite nota, aut causa antegressa propterea ad effectus humorum referenda hęc angustia est,& è Galeno accipiēdum, quod tenuis humor in corpus tunicarum insinuatus potest illas laxiores reddere, Vnde concidentes in se se vueæ partes præ laxitate foramen angustius efficient,& hoc facilius poterunt, qm̄ obstructio meatus non permittit spiritum eo peruenire ad vueam extendēdam, Obseruate quęso in aspicientibus quid eueniāt pupillæ, nā eminus prospicienti illa amplior fit. Cominus intuenti angustior, Hoc ego euenire existimo, quoniam, cum species visilis sit naturę luminis, hęc, quo proprior est, eo magis oculum ferit, ideo oculus ad sui defensionem pupillam constringit, quæ minus feriatur. Qui vero à Galeno sunt credant id fieri pluri spirituum copia affluente ad remotam speciem videndam, cominus autem,& minutiora intuenti minor spirituum copia veniat spiritu se se intus potius colligente in obscurius ad subtiliorem inspectionem, vuea enim contrahitur eo intus, reuertente, quo exeūte vuea ad corneā intenditur,& pupillam contracta angustiorem facit, vt latiorem intenta. Obseruate etiam in senibus, & videbitis latiores pupillas, quàm in iuuenibus, qui etiam non tā benè propinqua, quā remota vident, quoniam vueæ membrana in senibus,& aliæ omnes sicciores sunt, & contētā eam reddit. Cōtra in affectis gallico,& oculis, qui eo morbo sunt capti, sub multitudine humorum,& lachrymarū,& pituitæ,& inflammationis angustissimas pupillas obseruare, inflammatione quidem non ad pupillam accedente, sed tenui tantum humore eam relaxante. Ergo eadem humorum abundantia contrarium morbum potest efficere vt in diuersas partes peruenit, & aut subtilis, aut crassa est. Quæ porrò, vt cuique apertum est, discussionem sui postulat, hæc verò calidis facienda. Cum autem calidiorum vis semper attrahat, prius toti capiti prouisio sua facienda, quo in eo materia non redundet, & ita etiam toti corpori, à toto verò corpore initium faciundum, & omnibus medicis instrumentis perficiendū. Nam copia sanguinis subest, quæ morbū magnum sustentans sui detractionem requirit, vires sunt validę,& morbus magnus, idcò secanda vena est, crassus sanguis, & occasio nuper cessantium mensium secandā esse illā in cruribus, aut poplitibus monet, inde enim proximè, vnde occasio est, causa tollenda est, in infernis verò etiā partibus sanguis crassior residet, & ea parte facilius exhauritur. Postea etiam è capite reuocandus est sanguis, vt cum eius discessu caput præterea refrigeretur, quod vena cephalica dicta secta, vel cucurbitulis scapulis incisa prius cute affixis fieri poterit; ea semper habita animaduersione, quod impurior sanguis per sectā venam, quam per cucurbitulas exit; qui erit attractus, & in alimentum allectus, à partibus melior, & paratior semper est, postea reliquis humoribus corpus leuari oportebit medicamentis cum pituitæ,& bili, tum humori melancholico educendo oportunis; vno quoque humore prius benè subacto, & parato potionibus ad id idoneis, quæ Medicus, cui cura commissa est debebit deligere, quod expurgatum per hæc, per potiones etiam sudoré mouentes melius purgarem, ex quorum genere salsam pariliam deligeré,& guaiaco anteponerem, quoniā capiti accommodatior videtur, quæ, vt oculis etiam aptior euaderet, cum euphragia coniungerem, atque etiam betonica, vt ūentriculo cum reliquis consulerem, & summa sub abstinentia darem, interea verò caput ieiuno ventriculo expurgarem, neque masticatoria vererer, quamuis temporum musculos agitent, nam ad coniunctiuam potius si attrahendo aliquod esset in corpore, ducerent, verum corpore tam diligenter vacuo facto ad se potius musculi ab oculis per cōiunctiuā trahent. Postremò etiā errhinis vterer, quo excuterem, quod in meatu sinistri oculi subsistit, saltem mobilius,& tenuius ex ea motione efficerem,

cerem,

terem, quod si cautius agendum sit, materiam in occiput retraherem cucurbitula sæpè repetita, & præterea ēt vel vlceri murendo, vel funiculo injiciendo, qđ si caput quoq; aliquo præsidio etiam confirmaretur, id maximè laudarem, vt instillata aquæ aliqua medicata, cuiusmodi habetur naturalis ad Lucenses thermas, vel ad eius similitudinem arte comparata, quibus perfectis, tandem ad oculos me converterem, & à leuioribus discutientibus inciperem, molliendi vim etiam habentibus, vt butyro cum aqua fœniculi, gūmi aliquo leuiori, tutia, aqua euphragię, deinde etiam chelidoniæ, ad succos postea accederē fœniculi, chelidonij, ad fella ptius leuiora, deinde acriora cum piscium, tum auium ad sagapenum ad suffumigia, ad aquam mellis ad ignem valentissimum destillati salē albā nempe primā, atq; ēt ad fortiora, si opus fuerit. Verū cum medicamentis malum superari nō poterit, manu tandem tentādum est, perspecto prius, vt suffusio eius moderationis sit, quæ, & demitti possit, neq; nimis hæreat, aut rigida sit, & tractetur sine sui dissolutione, nempè quo motum ab acu accipiat, & impulsum, prętetea quę demissa resideat, nec amplius resurgat, & quod maximum est, vt demissa ipsa visus restituatur, qđ meatu optico non obstructo erit, quare tunc diligentius videndum est, num spiritus transmittatur, quos nunc speramus transmitti interea verò, vt dixi, ei curationi vacandum; quę toti corpori, & capiti necessaria est, ac ne malum in peius delabatur; cauet. Initio ab alui ductione facto per id medicamētum quod reciperet. Verbi gratia mel rosatum solutiuam mannam, & liquorem, in quo præter ea, quæ solent à medicis incoqui etiam senę folia essent, vel electuarium lenitiuum, aut diacatholicon cumhiera. Deinde sanguis mittatur à poplite, & saphæna potius, vt minus purus sāguis exeat, quam à talo, si id nequeat, à talo ne exteriori an interiori non curarem, potionibus tamen sanguinem extenuantibus prius datis, quo facto potionibus ijsdem humores parentur ad excretionem, quę essent ex fumoterra, lupulis, betonica, cicorea, euphragia, fęniculo, melle, saccharo, rosarum succo, & aceto. Medicamentum autem detur ex hamech præcipuè cū diacatholico, & suprascriptis, à dicto polypodio incocto in liquore: Iterū potiones repetantur fortiores, cum syrupo de stæchade, oximelle composito, & similibus; quibus pilulæ cochiæ, & fœtidę subijciantur. Demum potiones ex salsaparilia, cum euphragia, & saluia dentur; atque è fœniculo, & betonica, & reliqua ut dixi ordinentur inter quæ ponerem usum eorum, quę uessicas excitant, post aures, quæ ne urinam sanguineam moueant, ut aliquoties uidi, non nisi cū suis correctiuis cātharidas apponerē.

Excell. Ambrogi Samporolis Physico Serenis s. Vrbini Ducis. R. P. D.

CONSVLTATIO CXVII.

QVæ ego cogitaui de valetudine Serenissimi Dñi nostri, de qua hesterna die inter nos diu loquebamur, ijs literis scribere tibi decreui, neq; expectare, dum vna essemus, cū spacium illi aliquid maioris incommodi possit afferre. Ætas florens est, nimirum ad 33. annum accedit. Corpus generis calidioris, vt ex colore, & alijs notis indicatur. mores ad solicitudinem, & solitudinem propensi. Ingenium acre ab otio alienum, studijs, & cogitationibus applicitum. Exercitatio corporis quotidie quidem ambulationibus, per interualla aūt vehementior, vt pila, & equi saltu incitatiori. Cibi genus lautum, semper multiplex, ac ferè plenū, potiores hactenus frigefactæ. Vestimētum vel sub maximis frigoribus non ita multū, illud verò admodū leue, quo crura velantur. Ipse ab ineunte ætate destillationi fuit obnoxius, deinde rheumati, seu defluxioni, quæ ad dentes dolore semper, tumore raro sui significationē pręebat, palatum ēt quandoque tentabat, & sub forma destillationis ēt fauces; qđ noctu ferè contingebat ex qua excreatus, sed hic rarò multus, & nunq̄ diuturnus erat. Ætate firmiori, & iā ad florem accedente, nimirum circiter septē ab hinc annis veris initio cępit dolore adimū inrestinum tentari cum nihil hæmorrhoidum extaret. Sub finē Autumni eiusdē anni gonorrhæa illius generis sordidi, q̄ citò sublata est, postea, nescio quo interuallo, illi dolores tediere, imi nēpe intestini, quorum species erat acris, & cū sensu caloris, & interdū cū pulsu, seu saltu, plus noctu q̄ die, magis dum quiesceret, quā cū moueretur; atque ij ipsi ex interuallo. Tum horū loco alij dolores sunt subsequuti circūuentrem inferiorem ipsi quoq; per interualla reuertentes; sub quibus aluus soluebatur, quorū interualla primū erāt laxiora, nempè duorū, aut trium mensiū, diuturnitas ēt accessionum longior, vt semel totis 12. diebus eū haberent nō perpetuo, sed incertis horis torquentes, sub quibus idētidem aluus soluebatur, idq; septies quotidie fiebat, postea illa ipsa interualla angustiora facta fuerūt accessiones ēt breuiores, & tūc aluus mō liquida, mō mollior descendebat, colore plumbeo, & fere obscuriori, cū esset fluentior semper bene concocta, nisi prima die, quoniam ferè à cruditate ventriculi initiū facere videbatur, qđ sui exigua mutatione, asperitate, & liquoris abūdantia significabat, post primā diē biliosa primū (vt semel vitellina ēt visa sit) deinde obscurior, quemadmodū dictū est, & habitu nō ita fluēti, ęquabiliori, & q̄nque ēt figurata, & plūbei coloris descendebat, cū qua sic solidiori aliquid eius pituitæ, q̄ fortè crudus humor quondā dictus est, sed id sēper exiguū extrudebatur, Breuioribus factis harū molestiarū interuallis, vna, & accessionibus obseruatū est; qđ cum expectāda accessio esset, vētriculus ante male hēbat, & cū sui frigoris suspicionē, tū grauitatis, & compressionis sensū præbebat, cū quo sitis & oris siccitas esset, & nocturnæ vigiliæ vexarēt, cui vētriculi molestię ferè supradictus imi ventris ad aqualiculū dolor subsequeretur, & alui illa solutio, non ita à cruditate incipiens, imò neq; plumbea, sed magna oīnò subito existens, & cū extremi intestini dolore exiēs valde fluuida, p̄sertim postq̄ aliquibus diebus parcior, & minus colorata fuisset. Quadā longiori huius tędij intermissione alter testis, nēpe dexter ni fallor, intumuit subitò quidē cū magno dolore; colore rubro, obscuro, duritie, pōdere, vt q̄nque ipsi pedibus insistenti languor animi cū sudore aduētaret. Cū quo dolor dorsi, & pubis, & itē febricula, & vrinę crassę cōiungebātur, idq; sub finē ęstatis fuit; qui tumor quoq; breui solutus est, nec amplius redijt, inde vrinæ sæpè crassiores procedere cępere, alui aūt solutiones dictæ, cū dolorib. frequentibus fieri, vt propè cū suis interuallis iā confundantur; Vere p̄sertim, & Autumno molestę, quibus vigilię nocturnę solēt sępè p̄currere, in quibus aluus subitò nigra penitus, & fluuida excedit, vētriculo iā nihil molestię p̄ferente, vt prius facere cōsueuerat. Ipsā hāc alui profusionē nigrā imi vētris ille dolor fere antecedit, qui, dum ea excernitur, increscit, & post deiectionē ēt aliquamdiu magis excruciat, neq; amplius illud perpetuū est, vt à cruditate incipiat, vt vētriculi molestia præcurrat, vt plūbeæ, decolores deiectiones fiāt, potius nigris biliosæ intercedūt, imò, quoties crudæ sub dolorib. cernūtur, aliquid semp noui incidisse causamur. Tn̄, si clystere vtamur, multū pituitę detergitur, & cū illis profusionibus ēt flatus solet erūpere. Obseruatū pręterea est, qđ, cum aluus multa, mollior, vel ēt crudior est, dolores illi ex nigris deiectionibus ferè nō expectātur, cū bene cocta, figurata, nō multa est, tūc ipsi dolores in foribus esse solēt, id verò etiam animaduertimus, qđ illi tam sub abstinentia, quam

sub largiori victu redeunt,imò fermè abstinētia,quæ instituta malum sępè mitigarat,eadem diutius tracta dolores,& molestias infestiores postea habuit crebriores,atque vt à cruditate incipere olim solebant, nunc à leui medicamento vix aluum mouente oriri cū nigra admodum aluo visi sunt. Purgationes lenes adhibentur,quæ forsan à grauiori lapsu malum sustinent, ipsum tamē vix frangunt,aut prohibent,quin aliquas progressiones faciat. Multa cum eo consociantur, vt dolor sæpè capitis, multoties nocturnæ vigiliæ,quandoq; ue somni insolenter arctiores, non rarò interrupti,modo sitis,ut dixi,mòdo faucium siccitas,interdū earumdem dolor , interdum in ipsis sensus cuiusdam tumoris , ac si bolum compræhensum deuoluere non possent. Febricula aliquando cum totius corporis grauitate, cum pulsuum paruitate,cum ventriculi molestia coniuncta ante illam alui solutionem fuit, præterita æstate proxima summum cibi odium fuit , & diu traxit. Vomitus,si moueatur difficilis non est. & multum pituitæ effert,in quo sapor obseruatus non est,vt nec in ructu,qui ferè nullus est. Vrinæ, quæ sua natura lucidæ,& flauæ esse consueuere,sub ijs malis fermè variæ esse solent , interdum albæ, crassæque sunt, interdum biliosiores, Sedimen modo crassum , atque asperum,quale crudum humorē referat, modo etiam arenosum ferunt ; Ex ista corporis natura , ætate, & vitæ genere , tum ex indicijs supra positis iudiciū eliciam, atque illud in ijs præsertim capitibus constituā, quod corpus generis calidioris sit,cibique lauti,& plenioris,& ætatis iam constitutæ,quod diu frigidissimis potionibus sit delectatus, quod exercitatione acri, & vehementi,vel æstiuis caloribus vsus, quod non multa veste velari hyeme consueuerit, quod studijs sapientiæ,& omnium disciplinarum assiduè incumbat,quāuis grauissimarum rerum curas gerat , quod ingenio nimis perspicaci, studio nimis intento , à relaxationibus animi remoto, & solitudini dedito ; Atque in his expressam video omninò humoris nigri necessitatem, nam eorum omnium quoduis satis causæ ad illius originem haberet. Corpus enim calidius,cum ætas grādior constitit , satis potest sanguinem crassum efficere . Sanguinis ipsa vna abundantia ex lauto cibo, & copioso congesta non eget ; nisi spatio ad crassitudinem accipiendam , spatij verò huic satis est , quando ætate vigente non habet excretionem , aut per hæmorrhoidas, aut per nares , dū enim sanguis diu permanet in corpore , quod eius ex nutritione superest, & continentibus partibus simile factum non sit , interea tamen necessario à calore affectum siccatur, neque eandem naturam potest retinere, vt ait Galenus, & ita fit, vel humor melancholicus, si minus calidus, & crassior, vel biliosus, si tenuior, & calidus,aut bilis crassa , si iam bilis tenuis fit.

Quod inquam sanguinis exuberantiæ hac ætate omninò retentæ euenit. Atque,ne nimius sim,reliqua omnia proposita capita, si rectè æstimentur, eandem facultatem sortita sunt , quæ omnia ad exsiccandum sanguinem sunt accommodata.

Itaque ego non possum aliter iudicare , quā subesse eius humoris atri congestionem,quæ cum totū genus venarum,tum iecur ipsum,& lienem afficiat, illis sua intemperie communicata , vnde se se magis ille humor largius propaget , meatus verò eorū sua crassitie impediat, vnde se se magis congerat,& retentus etiam,atque etiam crassescat,& nigrior fiat, suo quoque halitu in totis venis inhærente vniuersi corporis naturam in sui propagationem cōuertat , & animum etiā in suos mores , & sui generis perturbationes impellat,rerum gerendarum cura, & studijs multam ad id conferentibus vim . Huius sanguinis crassioris, & nigrioris multitudinem lien non potest , vel integer omninò cōsumere, Vnde tentauit primò natura, cum nondum ita multus esset, ipsum per ora venarum imi

A intestini expellere, quod cum nō potuerit, ille copiosior factus est, purgationibus quidem magna ex parte detrahebatur, at reliquus intus manens sui propagationem sua intemperie moliebatur, vbi per gomorrhæam illam sordidiorem aliquid terrestris illius partis, quæ ex alimento excidisset concalfactæ, ac putrescentis natura expellere tentauit. Verum in intestina postea cum exprimebat, interea semel ad testē multū eius fecis enutritione elapsę dimiserat, postea per vrinas identidem plurimum expurgare cōnabatur , per quas terrestri excremento via minimè insolens est, vt quotidie videmus, & Aristoteles etiam, & antiqui notarunt, id nempè in omni genere animātium renibus prædito euenire. At is humor, dum in intestina percolatur , dolorem parit , præsertim quoniam ibi sæpè B humorē crudum in vētriculo ob vitij sui cōicationem genitum, vel à capite delapsum mouet, & secū effert, vt in deiectionibus cernere est. Intestina potius petit, quoniam illac crassorum humorū exitus magis commodus est , vt per cutem tenuiorū, & fæcis præcipuè sanguinis expurgandi locus, qui lienis est, venis intestinorū coniunctus est, quæ toto medio intestino, fusæ ad intestina omnia, vna & ad lienē pertinent, quæ quidē in hoc corpore maximè omniū venarū, vt indicio dicto demonstratur , eo genere sanguinis refertæ sunt , ac quamuis identidem multū illius exprimant, multū tamen etiā relinquitur , quoniā sua crassitie nō facilè expellitur, vnde post excretiones , alui dolor, eius motionē solet increscere . Ex interuallis id facit, C quoniā non mouetur natura ; non lacessitur nisi iusto onere, aut acrimonia, vtrumq; verò spatio certo eget, nam onus collectionem humoris , acrimonia mutationē , utrumq; uerò horum tēpus aliquod spatij postulat ; lacessita verò natura venarum, tum in iecore, tum in medio intestino, tum autem in liene extrudit, quod sibi molestū est, & tacitam suā molestiam in dolorem sensui apertum, nimirū uentris, transfert, sæpè à cruditatibus occasio fuit, quandoq; à medicamētis, quoniam, quod deerat ad lacessendum naturam alterutrum eorum irritatione sua supplebat. Aluus decolor esse potest propter obstipationes in transitu crassi humoris inductas , quandoq; ob cruditatem in huius humoris frigida , per habitū uentriculo impertita factā, humore cum ea etiā nondum effuso, biliosa autē, D quoniā natura irritata humorē ad exitū promptiorem facilius excernit, vnde etiā in sanis vomitus facilè biliosi esse solent facilius verò bilis in corporibus huius naturæ, & ætatis exuberat. Varia quoque excrementa sunt , quoniā is humor maximè omnium uarias uires præ se fert, & incredibiles mutationes recipit, ut plus minusve incalescit , plus minusve refrigeratur , vnde mirā uarietatē uidemus ab eo moribus hominū , imò eiusdē hominis afferri, itaq; uario modo coctionē uitiat, & inde dissimiles humores sibi associat, qui in aluo, & urinis identidem cernuntur. Renibus, ut dixi, ei expurgādo ēt destinatis. Idē humor halitu suo quacūque causa calfacto, & quādoq; ijs ēt medicamētis calidioribus, quæ iuuando uentriculo, dolorive tollēdo sumūtur, capitis dolorē facit, somnosq; aut interrūpit, E aut, cū siccior est, capescere nō finit. Eodē halitu refrigerato, & cū uapore pituitæ cōfuso somnos grauiores inducit, & ipse uarius halitu uario corpus, & spiritum inficit, qm̄ halitus ipsi naturā, & operā humoris, unde attolluntur, repræsentāt, citissimè uarios effectus edit, quoniā spiritus subitam omninò mutationē accipere, & edere nati sunt, halitus uerò spiritibus genere, & celeritate ualde sunt similes, & in spiritus plurimū possunt. Vnde diu seruatæ uētriculi coctiones subitis cruditatib. interrūpuntur, halitibus illis ad uētriculi parietes appellētib. q à calore eos attollēte destituti spūm illius subitò refrigerāt. Ab illis ita è vitiato humore elatis, aut ēt ab ipsomet humore odiū cibi extitit, & multa alia, q̄ p̄seq necesse nō ē: ex dictis uerò iā apertū est, cur

cur

cur humor hic sub copioso victu ferè nihilo magis, sæpè verò minus lædat, vt sub cruditatibus quoque mitior fiat, sub abstinentia ferè æquè, sæpè verò molestior fit, aluo certe adstricta peior sit. Nam ille in ventriculo propriam suam originem non habens, sed in iecore, & venis tam sub astinentia, quàm sub largiori victu potest molestare cum antegressa vita mul torum dierum in venis congestus quieuerit, & paratus, vel temperatissime viuente homine illud, vel minimum cumuli accipit; quod ad grauandam continétem, & lacerendam expellentem vim expectabatur, vnde sub summa vitæ temperantia potest in intestina excidere, & tædia paria inferre, ac sub intemperantia faceret, quin sub abstinentia ad eius modum, & copiam minuendam accommodata, acrimoniá tamen, vt generis ipse deterioris est, potest accipere, & ita expellentem vim mouere, qui contra cruditatibus leniri, & cum eis paulatim delabi queat. Sic molliori, & largiori aluo diu profusa minus molestiæ habet, quoniam & pedetentim emanat, & dilutior minus afficit, ea contra adstricta sub optimis, vt contingit, ventriculi coctionibus magis exagitat, quoniam sic copiosior colligitur, & ad maiores dolores reseruatur, quos acrius mouet, quoniam minus dilutus excernitur.

Quomodo verò is humor artubus quandoque grauitatem apportarit, & febriculam corpori, videre difficile non est; vtrumque enim in meatibus obstipatus efficit, & pro loci ratione, & multitudine hoc, vel illud parit, nam arterijs eo liberis núquam grauitatem afferre magni authores opinantur; minus difficile est intelligere, quo modo siccitatem ori, & faucibus, atq; etiam sitim afferat. cum halitu suo id possit, qui siccus est, & quandoque etiam calidus; & calor quidem semper sitim, siccitas verò semper squallorem oris, & sæpènumero sitim afferat illud, quod instar boli í faucibus inhærere aliquando solet, quamuis frequenter multis accidat, non ita tamen apertam, & tractatam causam habet, aliud quidem certe esse nó potest, quá frigidior tuberculus, qui aut venula, quæ vel humore, vel flatu tumeat, extet, aut etiam membrana, cú interstitio aliquo laxo, vt eo loci esse solet, humoré cópræhendente, & membranam imarum faucium in tumorem attollente emineat humore vel è capite, vel infernis locis delapso, halitu verò ab infernis certè illuc elato, & subsistente. Humorem itaq; eiusmodi in causa esse statuendú est. Præter quam ego nullá priorem causam subesse in corpore crediderim, nimirú intemperiem in ipsis corporibus viscerú insistentem, & ita insitam, vt ipso humore subtracto possit seipsa subsistere, nec egeat nunc ipso humore se se efficiente. Etenim illa calidior, & siccior intéperies sui aliquas notas præbetet, in colore, in nutritione, in efflorescétijs cutis, nunc verò corpus est carne refertum, non quod siccæ, & duræ carnes digeri facilè non possint, ná omninò prius eas gigni oportet, generari autem nó possunt multę, nisi humor humidior sit, qui visceribus ita affectis talis non esset. Ergo per collectioné est, vt diximus. Præterea nunquá scabies, vt si aliqua pustula, aut cutis abrasio casu facta est, facilè consanuerit, semel verò in crure maximus ictus acceptus, dú in equo incitato hasta intenta peteret alterú in armorú ludo, & in cancellos tibia incuteret adeò, vt eos frangeret, horum ictus tumoré totius tibiæ induxit, qui ferè sine dolore diuturnus fuit quamuis nó admodum molle, neq; tuber tamen multum, qui sanguinem crassiorem quidé, sed non ita ineptum nutritioni, qualis si viscera essent calidiora extitisset. Huius valetudinis curatio mihi uidetur necessaria, & spei melioris valetudinis plena. Nam sine curatione malum, & naturæ permissum in deterius laberetur, quod quáquá nihil vitæ periculi, plurimum tamen tadij in omni vita esset allaturum. Curatione autem adhibita emendatum iri crederem, quoniam nondum ita latè fusum est, vt ce-

A rebrum affecerit, quamuis calidius sit, & ad se trahendis halitibus idoneum, quod fortè nó tam humidum sit, quam ad infirmitatem recipiendo obnoxiá faceret, iecur quoq;, & præcipua uiscera proprio uitio minus affecta sunt, cum corpus ita benè carnosum cernatur, (ut dixi) non pingue, quoniam corpus calidius est, quam ut pinguedinem multá patiatur, quod uerò etiam melius est, quoniam caro uitæ particeps est, & uitæ uim secum amplificat, pinguedo contra uitæ expers increscens uitæ oneri est, & nimia facta eá etiam strangulat. Hæc tam bona corporis nutritio non posset sustineri, cú præcipua uiscera eius humoris intemperiem intra se altius defixam recepissent, ut neque uentriculi concoctio tam belle perficeretur, si sua causa illæ cruditates existerét. Humore ergo sublato sperarem

B eam intemperiem iri extinctam, ne dum stipationem crassitudinem moris factam. Tolli posse humorem non uideo quid repugnet, cum nondum tam infarctus sit, ut tumorem aliquem uisceris alicuius effecerit, unde ferè facies benè colorata est, nec decolor unquam sine manifesta causa existit. Humor mea quidem sententia duobus modis subest, uno, quo sua tátú crassitie in uenis contineatur, altero, quó suo anhelitu tunicis uenarum adhęrescente se se ad illas applicat, & tanquam in fuliginem ibi concrescit, unde bonum etiam sanguinem afficiat, & in suam naturam deducat; Hi duo ergo humoris status à Medico rectè curaturo spectandi sunt, alioquin eo tantum exépto; qui in uenis mouetur, alter ille semper nouo sufficiédo præsto erit, & ita malum ducetur, & purgationes,

C aut nihil, aut parum iuuabunt, & ars nulla sua culpa contemnetur, abrasa autem eius fuligine in parietibus inhærente corpus sua natura non tanti caloris, quantus solet exsiccare, & hominem melancholici generis efficere, in optimum habitum reuocabitur, in quem, ut ex eius nutritione bona intelligitur, omninò propensum est, & quamuis uerisimile sit non tam esse naturæ illam δυσκρασίαν, quá uictus generis, quoniam, si quid nutritioni caloris superantia detrahit, id latior uictus restituit, uictus tamen parum posset, si caloris illa superantia multa esset, præterea cor eius moderatioris caloris notas ipsum quoq; præberet, & alios mores faceret, nempè ad nimiá audaciam, temeritatem, & feritatem sæpissimè hominem impelleret,

D quod in eam sententiam dico, qua certum habeo humoré hunc non simpliciter fecem sanguinis esse, sed à calore factú. Ergo huius humoris purgatio cú necessaria, tum fructuosa à me iudicatur. Medicaméta idonea Medicis, uel mediocribus ignota non sunt, ut in simplicibus purgantibus polypodium, epithymus, sena, ueratrum, lapis lazuli lotus, rhabarbarum. In compositis. Diacatholicon, Hamech, Hieralogodij, indum, & similia. Mechyoacam radicem raró admodú huiusmodi humorem educere obseruauimus, immo nullum præter pituitosum elicere eius authores tradunt. Quæ humori, & meatibus ad purgationé comparandis accommodantur, non minus sunt peruagata, quæ eadem ipsa uisceribus temperandis, restituendis, & expediendis erunt opportuna, nimirum bu-

E glossum, borago, uiola, endiuia, nymphęa, succus malorum bene fragrantium, dulcis radix, lupuli, fumus terræ, asplenium chamædris, cassuta, capparis, tamariscus, thymus, epithymum, citrij cortex, & eiusmodi multa. Ac item syrupi ex ijsdem compositi, quibus ad perficiendam operam, syrupus acetosus, oximel simplex, compositus, atque etiam squilliticum debet accedere. Quorum delectus, & ordinatio Medicis, quibus isthæc curatio commissa erit, haberi pro tempore, & statu corporis, & natura etiam ægri debebit.

Vnum tantum de mea sententia interponeré, quod succus malorum non mihi uidetur, ita præstare ad omnia, quæ hic humor postulat, quemadmodum recentiores opinantur, ná cordi quidé conueniens est,

& acriori melancholiæ frangendæ, at mitiori huic, qui humoris melancholici nomen habet, parando ineptus est, quoniam potius adstringit, & crassefacit, quare eo non vterer, nisi multorum confusione modificato, & viribus necessarijs aucto. Detergendæ autem ei parti, quæ totis venis fusa per fuliginem potuit adhærescere, necessaria erit aliqua potio largior ad diluendum, & detergendum, deradendumve accommodata, quæ etiam intemperiei inde adiectæ contraria erit, vt vna, & humorem vertat, & partes omnes ab ea intemperie ad suam naturam reuocet. Ex omnibus vero, quæ in vsu sunt serum lactis benè purgatum peropportunum existimarem, quod sua natura & huic humori contrarium, & corpori animalis amicissimum medicamentis supradictis confirmatum, & oximellite expurgatum opus omne perficere poterit, præsertim si large, & iusto spatio dierum accipiatur, modo nimirum circiter quatuor librarum, spatio verò 15. dierum. Sic enim profecto omne venarum genus diluet, deterget, & visceribus temperiem, & robur restituet, & renes vsque adeò comparabit, ne à renulis congerendis obnoxij sint amplius. Aquas balneorum cum multis partibus carere, tum etiam posse obesse iudicarem, nam generi humoris, & intemperiei sua siccitate fauerent, & quamuis in præsentia corpus eo humore detersum, & expeditum nobis præstarent, & viscera siccitate sua valentiora, in posterum tamẽ maius malum nobis molirentur, quoniam viscera, & omne corpus ei generi humoris creãdo pararent; siccitas namque robusta est, at calori acumen, & soliditatem, seu duritiem, & firmitatem quandam adijcit, & ita ipsa sæpè sat est ijs malis faciendis, vnde senes, in quibus calor fatiscit, ea tamen duritie acrior fit, & eis malis eos obiectos reddit, prę terea nos obseruauimus multos hoc genere humoris occupatos ab eiusmodi aquis malè habuisse, nec diu vitam potuisse ducere. Dicunt tamen earum aquarum laudatores inesse illis quandam cœlestem vim, qua mirabiliter iuuent. Vbique ea vis est, & in animãtibus præsertim sanguineis potior, tum in sero eo est hominis naturę conuenientior, quo homini cum animante, in qua serum vim illam recipit cœlestem, & ibi ad hominis naturã magis modificatur, maior cognatio est, quàm cum terra, & fossilibus, quibus eo minus eius cœlestis virtutis impertitur, quo illa animante inferiora sunt. Sic enim sapientiæ humanæ author Aristoteles cœlestis corporis vim patiebatur, nimirum pro dignitate naturæ rerum & animorum, ac tantum abest, vt sero illæ aquæ sint præferendæ, vt illis potionibus etiam, quæ è stirpibus conficiuntur, sint deteriores, ita gallicus morbus, qui à guaiaco mitigatur, ab illis aquis perditus omninò euadit, quoniam guaiacum humorem naturæ humanæ amiciorem, ex vita stirpis sortitur; vnde luem illam consumendo, & abstergẽdo insitam tamen naturæ corporis humani vim sua quadam conuenientia recreet; aquæ autem illæ, ac si cum fossilibus detergendis res esset, vim nimis asperam, & alienam inferentes imbecillam sępè viscerum naturam enecant, vt postea breui vitæ sufficiant. Guaiacum tamen hoc loco non probarem, quoniam siccantius est, quàm noxa huius humoris postulet; quam ob causam, vt credo, grandiores ætare; qui nimirum 45. annum attigerint, & præsertim generis melancholici minus eo aduersus gallicum iuuari compertum est. Chinam radicem multis partibus, & viribus hoc loco expetitis carere video, forte enim detergẽdo tantum iuuaret, & leuius quoque id præstaret, Salsamparilliam eodem cum ea censu haberem, & eo deteriorem crederem, quod ventriculo inimica depræhensa est. Serum ergo supererit quod lectum aptè huic operi videatur, iuuãdum quidem fuerit viribus ad viscera accommodatis, nimirum robur eorum cogãtibus, quibus caret, vti Salsaparilia, Ad id vero spica, & fumus terræ ferè in vsu est.

At post vsum eiusmodi potionis permultum certè fiderem ipsi confectioni Alchermes, quæ in hunc vsum apud principes, & reges solet comparari, nam ipsa & humorem pedetentim detrahit, vt generatur, & viscera, atque imprimis cor ab illius iniuria defendit, & causam generationis ipsius absumit. Balneis quoque vel simplicis aquę dulcis, vel incoctis etiã ijs, quæ lenire, & digerere humorem possunt, multum tribuerem, nec minus fotibus extremorum, nedum ventriculi, illis autem quantum iuuetur coctio mirum est; calidis enim extremis totum riget.

Tempus curationis non solum verè sed Autumno deligerem.

Vere quidem initiato quod tunc is humor maximè qui sanguinis fex est in hoc genere corporum abundet, sic purgatione indigeat, & morbi, qui ab eo ad Ver semper timentur, nequaquam sint expectandi, sed anteuertendi, quod est, ac si dicerem, humorem esse detrahendum, antequam alicui parti infigatur, vnde difficile possit diuelli. Autumno item ineunte, vt materiam per æstatis calores paratam ei humori gignendo subtraherem, neque crassescere prius paterer, quod temporis illius inæquabilitate ei necessario euenit.

Verè præterea, quandoque sanguinem incisa vena mitterem, & hoc anno maximè, cum id satis diu intermissum sit, & iam hoc malum sui præcipuam curationem postulare videatur. Ea enim sanguinis missione, præcipuè si in cubito, non in manu extrema fiat si eodem die iteretur, crassum, & nigrum efferri facilius, quam medicamentis obseruamus Hæmorrhoidas nisi naturam illius eò contendere viderem, minimè tentare auderem, consilioque Galeni starem, eò magis, quod raro atrum sanguinem inde duci arte non natura mouente obseruaui. Purgato corpore, & visceribus ad temperamentum proprium reuocatis prouisio in posterum habenda est, quæ in causis remouendis tota est posita, & in ijs rebus versatur, sine quibus, viui non potest, & externæ sunt.

In quibus aer primò numeratur, cuius extremum frigus, extremi squallores, & calores vitandi sunt, & omninò hyeme partes corporis non solum mediæ, sed etiam eminentes à frigore tuendæ, & potius multo, quam pauco vestimento velandæ.

Secundò cibi, potionesque censentur, in quibus eadem obseruatio, ac fortè maior necessaria est; frigefactæque potiones præsertim, atque etiam cibi vitandi, nam, quamuis is humor calore potius siccante nasci videatur, ipse tamen frigore alitur, cum frigidior, & crassior fit, & inde concrescentes humores alij in huius naturã conuertuntur, frigus namque ipsum quoque experimento vaporem, & humores exsiccat, & crassos reddit, præterquàm quod visceribus inimicum est, quæ coctioni per calorem perficiendæ omnia inseruiunt, & expurgarioni excrementorum vias apertas postulanti aduersarium, quo viæ arctantur, vnde recrementa crassiora cum sanguine confusa retinent, illa autem spatio in hoc humoris genus traducuntur, siquidem vel pituita, si crassa est, terrestris plurimum habet, neque difficile huius humoris naturam subit, iam verò non solum, quæ reipsa frigida sunt, cauerem, sed quæ facultate id efficiendi talia dicuntur; nam ferè crassos humores pariunt, aut causas, & origenes eorum inducunt. In calidis potius vitarem, quæ eam facultatem insitam habent, vt calida euadant, quam quæ reipsa iam calore uigent, hęc enim uentriculo tantummodo talia sunt, eique operam suam omnem prętando consumunt. Atque per sui mutationem postea calorem exprimunt, præsertim si diutius eum possint tenere,

& toto corpore secum ferre, in eoque illum exercere omnino cautè adhiberem, quoniam sua consuetudine venarum, & meatuum omnes parietes exsiccant, & humores crassiores reddunt, & eorum generationi causam præbent.

Vnde in cibis piper, & cinnamomum potius, quam gingiber, quam nux myristica, quam macis admittenda sunt, quod eorum calor citò dissoluatur. In ijs verò, quæ per destillationem per vim ignis exprimũtur, potius ea legenda, quæ aquæ speciem, quam quæ oleum præ se ferunt, quoniam oleosum corpus diu se se conseruat.

Verumtamen nullius horũ vsus assiduus mihi probatur, sed rarò, & necessitate aliqua vrgente concederem, quod Medici ipsi viderint. Cibi, potionesq; crassi generis, vt vina crassa, turbidaque prohiberentur, vt carnes grauiorum, grandiorisque ætatis animantium, ac præsertim ceruorum cuiusque generis, vt qui Dainus vocatur, & caprarum Syluestrium, & in summa cornigerorum, ex quibus hædos tantum probarem. Exectos ante partum fœtus cauerem, propter eorum excrementum glutinosum, vnde neque agnos magnopere laudarem, caseum tantum recentem concederem. Exanguia animantia in eodem metu lentoris haberem, præsertim cum dura, cumq; lenta cernuntur. Lentum enim omne genus fugiendum, vt anguilla, & tinca in piscibus, leguminum nullum genus admitterem, iure eorum tantum vterer, nisi admodum percocta, subacta, & mollia, atque ad mollis temperamentum redacta sint, vt fabæ solent, quæ porrò e leguminibus leuiores sunt, quarum tamen vsus frequens esse non debet. In summa, duriora omnia suspecta sunt, vnde & castaneæ minus securæ sumendæ. Tubera quoque, & fungi prætermittendi, ex quibus nihil nisi crassi, & terrestris accipi potest.

Dulcia iecoti obstipando, & bili generandæ materiam præbent, vnde non ita multum in vsum recipienda, mel tamen, si aceto fuerit modificatum, vtiliter sumetur, & item saccharum. Passulæ cum corticibus propter eorum adstringendi vim ventriculo minimè excedentem, & propter alimentum iecori familiare tutissimæ, & vtiles sunt. Caricæ minus tutæ sunt, quod iecur infarciũt, & biliosum sanguinem gignunt. Vina verò valde dulcia omniũò fugienda sunt: Non minus austera metuenda, tum vina, tum ciborum genera, in quibus pyra, & mala sunt, nisi vẽtriculi causa parcè adhibeantur.

Tertio loco somnus exponitur, qui numquam breuior 7. horis totis esse deberet, & noctu semper, nisi cum nocturnæ vigiliæ fuerint, tunc enim manè omninò redormiendum, Vigiliæ namq; & exsiccant, & humores recrementitios per cruditatem pariunt.

Quarto exercitationis fit mentio, cũ ipse vehementiorem habere eam consueuerit, ac consuetudini multum tribuẽdum sit, tamen summis sub caloribus eam remissiorem, molliorem que laudarem, & longitudinem potius in uehementiæ locum sufficerem.

Quintò, quæ ad excretiones, & repletiones pertinent, recensentur. In his ego neq; abstinentiam, neque largiorem cibum consulerem, is enim materiam multitudini sanguinis subministrat, quæ cum nõ absumatur, necessariò crassior ipso spatio fit, & nobis infestum humoris genus parit, abstinentia autem in calidiori etiam num corpore biliosum sanguinẽ reddit, bilem uerò crassam facit, & dictum malum humorem procreat, atque exsiccando intemperiem illius matrem facit, & in posterum omne malum parat, cibum quoque pariter, & bis potius die, quam semel cibum laudarem, & moderatius, bis epulæ acceptæ haberentur, & melior coctio esset, neque spatium exacuendo calori viscerum, & exsiccando sanguini daret, neve semel acceptæ epulæ necessariam

A intemperantiam facerent, & nimiam humori materiam præberent, à qua postea spatio dicto aridiori facta humoris huius plus suppeteret. Alui excretiones potius, quam vomitum procurarem, nam clysteribus humorem crudum eluentibus sæpènumerò vterer, adiecto semper melle rosaceo ad maiorem detersionem solutiuo dicto. Vomitus verò vix, cum impetum pituitæ eo perciperem, nam alioquin niger humor illuc nec potest, nec tutò, si posset, impellitur.

Sextò, & vltimo animi permotiones collocantur, quæ vix dici potest, quantum ad humoris sibi similis generationem possint, & ratio satis dura est, nam generatio humorum per spiritus est, qui ad animi motiones maximè, & celerrimè afficiuntur, & sibi simi-
B lia generant.

Quare mirum non est, si omne ingenium acre, cum nitentius, & nimis diu exercetur, hos humores parit. Studia ergo saltem remitterem, imò ea intermittendi consuetudinem laudarem, quoniam & minus mali afferrent, & voluptatis maioris sunt, cum longius intermissa reuocantur. Æquè verò vitarem longam eiusdem rei cogitationem, & ad varias aliarum rerum curas eam traducerem, potius ex longo interuallo eam reciperem, quoniam illa vnius rei cogitatio longa, mirum est, quam hominem conficiat. Securiorem semper animi statum quærerem, iram vitarem, & magis etiam indignationes, sed lõgè maximè odium, & suspiciones. Suauium amicorum, &
C fidelium consuetudine, vterer, & tales mihi comparare studerem; numquam solus, numquam sine graui amico esse vellem, quod ad animi moderationem, & propriæ virtutis exercendæ solatium facit. Imprimis verò maximè cauerem ne cibo sumendo animus perturbaretur, & sub medicamentorum vsu omninò animi quietem, & fiduciam vellem, alioquin in venenum ea conuersa iri existimarem.

Serenissimo Franc. Mariæ SS. Vrbini Duci VI. S. P. D.

D
CONSVLTATIO CXVIII.

AD ea, quæ de tuæ Celsitudinis valetudine meo quodam ad te libro conscripseram, etiam hæc, quæ in præsentia mihi cognoscere datum est, adiungere, & hoc libello comprehensa tibi tradere in hoc meo, quem Deus bene vertat, discessu decreui. Nam, etsi omnia cum Samperolio collega meo summa fide viro, & Medico prudentissimo quotidianis colloquijs contuli, nec non per scripturam communicaui, eadem tamen summis saltem capitibus notata tibi grata fore existimaui, & cupiui absens etiã, quanta maxima possum opera nisi quanta debeo, ac opto tibi præsto esse, cui animum ipsum iampridem peni-
E tus dedicaui.

Discessus enim mei omninò ea ratio est, me quidẽ ciuilibus necessitatibus, & domus propriæ rationibus ab isthoc honestissimo ministerio abstrahi, animo tamen abs te nequaquam posse diuelli, quod cum mea natura, & summa erga te voluntate, tum maximè tua benignitate, cuius memoriam nulla vnquam obliuio mihi est deletura, perfectum est.

Ijs ego non queo non summoperè ægrè ferre à te disiunctum esse, nec sine summo dolore à te digredi, neque quidquam in fortunis meis præclarius ducere, quam in tuo seruitio esse adscriptum, vel in vita mihi aut maius, quam posse, aut honestius quam velle tibi satisfacere.

Ex quo mihi credo nulla necessitas, vel maxima mihi tanti esse potuisset, quæ meam cogitationem ad meos ab isto ministerio reuocasset, nisi idē tibi ab aliquo alio commodius etiam præstari posse pro certo habuissem. Illudque constitisset in hoc quidem munere meo tibi multos, rebus autem meis nullum præter me posse inseruire. De quo meo consilio te certum esse tam velim, quam qui nunquam quidquam solatij in hoc mœrore sum accepturus donec de mea hac voluntate minimè dubitare te mihi perspectum sit, qui hac vna demum re certo queam releuari. Sed ad meum institutum ingredior, in quo tu Dux Serenissime facilius meum erga te studium, quā vllo alio orationis genere intelligas. Hæc ego obseruaui hoc tempore corpori tuo molesta, dolores, qui sępè ad vesperam in imò ventre reuertebant cum alui infernæ tensione, & deiectionibus, quæ sub ipso dolore fere nigræ, rarò decolores essent, semper liquidiores, quamquam omninò mutatæ etiam nullam cibi speciem referentes, quæ quiescente etiam malo rarò admodum, ac fermè nisi sub abstinentia figuratę esse consueuere, atque cum figuratę descendunt, nō semper tamen bono colore sunt quin aliquādo omni colore careant. Cum verò molles, & diffluentes, quales vtplurimum cernuntur, tunc non semper benè concoctæ sunt, quin interdum minus æquabiles, minusque coniunctæ existant. Sæpè quidem biliosæ, quandoque plumbeæ, & decolores, numquam fine suæ naturæ odore, ac sæpè etiam fœdiori, rarenter admodum glutinosum, & pituitosum succum efferentes, nisi aut medicamēti ui, aut clystere sint ductæ. A medicamento sanè valentiori primum spumosæ, deinde serosæ, & vtplurimum, ni medicamentum leuius sit, colore fuluo in obscurum vergente, crassum quendam, & album humorem in imò residentem, habentes; qui est vt pituita crudus humor vocata discerptus.

Postea solutione medicamenti longius progressa glutinosas, & crassas quasdam partes non exiguas, subruffi coloris, & tandem alias minus lentas, & magis nigras efferunt. Quoties sine medicamento glutem illud effluit semper dolores illos afferre videtur. quod facit etiam aliquando, cum per vim medicamenti descendit. Iampridem doloribus accessuris ventriculus ipse primus sub cibi coctione ægri habebat quasi comprimeretur, & hoc non modo sub quoque circuitu in dies reuertēte, sed post longum quietis interuallum, cum dolores aduentarent, quod nūc descreuit, aut certè perpetuum non est. Imò contra post primas eius generis deiectiones dolorem afferentes alijs reuertentibus ventriculus sæpè nihil fuit infestatus, &, si fortè, antequam illæ nigræ deiectiones procederent, aliquid mali aut ventriculus, aut totum corpus habuerit, releuantur.

Etenim aliqua alia tædia ad supradictā molestiam accedunt; Deficit quandoque cibi cupiditas, & cum eo certum quorundam ciborum fastidium esse solet; Sumpto cibo, aut etiam sumendo caput interdum subitò calore tentatur, & totum etiam corpus, sæpè artus, & dorsum noctu præsertim lassitudine grauantur, qua surgendo, & ingrediendo, aut certè ambulando liberantur, cum ea nimirum noctu habuerit, diurna namque firmior esse consueuit proximis diebus illud fuit infestissimum, quod quotidie à cibo hora circiter tertia post leue frigus corpus concalesceret, venæ concitarentur, & vna spiritus grauior, & densior fieret, caput sæpè, manus semper intenderentur, & etiam pedes, artus, & maximè crura dolerent, nec non ipsum dorsum modo infernum, modo supernum, cum quibus oris siccitas, ac sitis accederent, & digrederentur. Sudore autem aduueniente simul omnia decederēt, quæ omnes molestiæ duas horas, aut paulò plus spatij haberent. Sub his mul-

A toties somnus capi non poterat, multoties somnijs turbulentis, & alienis perturbabatur, qui alioquin sine illis molestijs solet sæpè esse breuis, & interruptus, & earum molestiarum tempore interim, dū illę etiam quiescerent; maximæ tamen noctis partes vigiles ducebantur, & quod semel, aut iterum accidit, interim imagines ob oculos obuersabantur, à quibus vigilijs capiti dolor quandoque mane restabat, qui primo ingressu, vel ambulatione tolleretur. Flatus rarò in ventre perceptus est, rugitu, & motione naturæ suæ est, nisi cum aluus solutior esset futura, & sola tensione illa, quæ breui decedebat, cognosci potuit, quo illa multa solui consueuere. Sudor facilè per se solet moueri sine multa veste, quæ leuior non solum die, sed nocte etiam adhibetur. Abstinentia, quamuis, cum

B primum instituitur, eas molestias imminuat, diu tamen ducta illas variores sæpè habuit. Destillationes, & rheumata, quæ nos vulgo catharri nomine complecti omnia solemus, non rarò ad supradicta accedere consueuerunt destillatio modo crassa, modo aquosa, in os emanauit, fauces quandoque doluere, quandoque quasi bolum subsistentem in summa gula sensere. Humeri lassitudine tentati sunt, vt dorsum superius atque etiam lumbi, & hoc anno præsertim (quod commune plurimis Italiæ locis fuit) pectus, & costæ indoluerunt; Natura corporis ea est, vt à subitis frigoribus facile in grauitatem, & lassitudines actuum, & quandoque etiam febriculas incidat, à quibus sudore tum liberari, tum sustineri, &

C defendi videatur. Corpus vlceribus, erysipelatibus, scabiei numquam obnoxium fuit contra quàm calidiora corpora consueuerunt. Imò cum crus in aduersum asserem impegisset vehementius, equo nimirum in ludo hastarum incitato, totum quidem crus intumuit protinus, nullam tamen inflammationis speciem præbuit hebeti eo tumore non tamen ita molli diu manente. Sanguis vena secta missus numquam valdè niger fuit, pinguis quidem semper, & multo magis, qui iam septennium virus fuit, qui longè minus biliosus, quam, qui nunc est detractus, extitit.

Nunc enim cùm minus pinguis, tum aliquanto biliosior apparuit, & multa spuma, & grandioribus bullis, coloreque puniceo. Vrinæ, quæ superiori

D ætate, & sub finem adolescentiæ perlucidiores, & admodum biliosæ fuerant, deinde leniori colore præditæ, hoc iuuentutis tempore iam variæ procedunt, interdum albæ, interdum ruffæ, aut etiam flauæ sunt, modo tenues, modo crassæ, ita vt interdū quandoque serum lactis referant, cum albæ sunt. Mane autem cum crassæ, tum flauiores solent existere, saltem subruffæ, flauiores quidem, quoties corpus dictis malis exercetur, post quæ, cum meliores fiunt, sedimen asperum, & puluerosum demittunt.

Atque hæc sunt, quæ in dies incidere notatum est. Quid verò intus subsit, vnde existant, non solum ipsorum natura, & specie, & modo nascendi aperietur, sed illorum conditione, quæ id intus parere potuere,

E vt corporis genus, & ætas, & illa sex rerum genera earum, sine quibus cum viui nequeat, sua superantia, seu immoderatione valetudinem deprauant.

Corporis genus, vt omnes eius notæ, & color maximè indicat, calidius aliquanto est, nec tanta humidi, quanta calidi superantia est, siquidem non admodum rubrum cernitur, nisi aut carnes tractentur, aut facies aliqua causa, vel per exercitationem, aut quampiam aliam motionem rubore suffundatur, sic enim facilè in eo robur efflorescit, quocirca, cum corpus benè nutritum, & plenius videatur, id non pinguedini, sed carni bonæ tribuendum putarem, quod melius multo esse existi-

existimarem quoniam pinguedo vita, & spiritu caret, caro autem vtroque prædita est, ita pinguedo si superet, vitæ & spiritui insito oneri est, nec diu eum vigere permittit. Caro autem abundans vitæ etiam vires, & calorem secum largius amplificat, ac nisi compingens meatus obstruat, & perflatum caloris, & spirituum impediat, vitæ nunquam inutilis, aut onerosa existimatur. Huius ergo carnis copia à suprapositâ superantis caloris vi consumeretur, nisi quantum carnium dicta ius detrahit, aliæ causæ restituerent, quales in viuendi modo fortis idoneæ habentur, non solum in splendido, lautoque epularum apparatu, sed maximè in genere vehementioris exercitationis, qua & robustum corpus, & cum minimè continuata, nec vsque adeo longa habeatur, bene carnosum fiat. Hæc corporis natura, hoc viuendi genere non solum carne, sed longè etiam magis sanguine necessariò abundabit, quod non modo ex ipsius genere descripto, sed ex eo, quod illi respondet in venis plenioribus, & in sanguinis impetu, dum mitteretur, potest intelligi, præteritis multis alijs notis, quas in priori volumine de tua valetudine tuenda examinabam, ætate verò etiam idem iudicium confirmante sanguini multò cōgerendo opportuna, si Hippocrati, & rationi standū est. Aetas enim 33. annorum nimirum florens, ac summè ingens sui caloris firmitatem corpori attulit, & sanguini crassitudinem, vnde, cum nulla sanguinis excretio fit, sanguis crassior, vt Hippocrates admonet, abūdabit, quod vel virginibus accidet, & ipse eadem ratione iudicauit. Eo autem minus patet sanguini excernendo via, quod corpus leuioribus vestibus velētur, vnde meatibus constrictis vapores exitu prohibeantur, & subsistentes in eundem humoris, & sanguinis habitum redeant, ex quo effusi sunt, & si sanguini augendo faciant Naturæ, & ætati corporis ipsæ res vitæ necessariæ sunt subscribendæ. In quibus primum aer, & cœlum ipsum est, cuius mutatio ea esse nobis solet, vt subito à graui, denso, & calido qui de Pisaurense, & Senogalliense est, in tenue, & frigidum transeatur, quod præter alia incommoda corpus durat, aut constringit, humores intus reprimit, crassiores facit, & earum anhelitum cohibet. Ad idem videtur pertinere iste mos leuiorum vestimentorum, quo non solum veste non multa die, noctuq; corpus velatur, sed vel hyeme media simplici serico crura induuntur, vnde etiam uentriculo cruditatum causa fit, qui cum extremis maximè afficitur. Cibi ratio sequitur, qui semper admodum varius in eadem mens esse consueuit, & minimè commensus, hoc minus tutum est, quoniam sic cibus ad coquēdum durior est varietas verò etiam nocentior, quod ad largiorem commestionem faciat, nedum coctioni repugnet, saltē quoniam coctio per commixtionem fit, plura vero, quàm pauciora difficilius permiscentur. In qua varietate crassioris generis multa contingunt, vt grauiorum animantium carnes, pisces grandiores, & exanguia, hoc frigidioris generis. Oua in ferramento tosta, omnia, quæ ex triticea farina conficiuntur, caseoq; vetustiori condiuntur, legumina, & eiusmodi alia, atq; vt hæc crassioribus succis gignendis faciūt, fit istud quoque aut semel die cibum capere, aut si bis eum in cœna minimum vellet. Inde enim prandium necessariò plenius sequitur; & post longius à cęna interuallum, & sæpè post vehementiorem exagitandorum equorum, vel pilæ exercitationem, & ita non solum humoribus calorem, & tostionem parit, renibusque multā noxiam affert, sed crassioris sanguinis gignendi in causa est, quoniam egentem magis Caltricem vim cibus reperit, qui largius est, auidius sumitur sine apparatu in ore facto auidiusq; attrahitur, facilius tractū sequitur, quoniam ventriculo superuacuus ab eo facile demittitur, & eò erudior, quod præ copia minus cō coquatur, quæ res à iusta, & aliquanto pleniori cęna non eueniret, quæ satis esset, ne corpus per illud spatium, & exercitationem tam exhauriretur. neue cibū in prandio tam largum appeteret, tam ve auide deuoraret. Potiones superioribus annis ferè dulces, aut lenes delectabant, quæ impediendis visceribus, & crasso sanguine replendis faciunt, nunc sæpè mixtæ ex leni, & austero vino adhibentur; quod ad idem posse crederem, maximè verò, quod hactenus fermè semper frigefactæ placebant, & æstate præsertim, quæ gelidissimæ per niuem redditæ, accipiebantur; quæ non solum venas ventriculo vicinas, sed viscera quoque refrigerare potuere, & angustiores vias eorū reddere, cui plurimum accessisse ab vsu sacchari rosacei est verisimile, qui perpetuus penè fuit, somnus est sæpenumerò exiguus, neque repeti solet vltra statutā horam, aut meridiando recuperari quamuis conficiēdæ nutritioni noctu non satisfecerit, ita minus modificati succi in corpore crassioris sanguinis causa sunt. Exercitatio nunquam quidem præteritur, quin aliquo quotidie ambulationibus saltem longioribus ad sudorem vsque habeant. Illa tamen vehementior, quæ pila, quæ vehementiori equorum exagitatione fit, in dies non subitur, sed sæpè ter, quandoque quater in quaque hebdomada, & totam horam, aut paulo amplius ducitur, qua sanè corpus per sudorem ab recremento tertiæ concoctionis expurgatur, & plenius fit, cum non ita multum producatur, vt queat consumere alimentum; ac quotiescunque post nocturnas vigilias initur, crudiores succos in viscera, & venas inrroducit. Vsus rhedæ quotidianus non longè à prandio corpus pariter potest leniter replere, & sanguinem augere. Aluus, de qua ordo postulat, vt iam loquamur, quotidie commodissime circiter ter descendere solet, ita replendo minus opportuna cum superioribus non conspirat. An diu tamen, quæ iam minus incommodi habent, quoniam intelligenti rerum omnium tam minoris laboris tum maioris oblectationis sunt, iamdudum nocentiora coctioni fuere, & superiorum rerum damna amplificarunt, cum in obscuritate naturæ tunc primum percipienda, versabantur, & spinosas logicæ traditiones tractabant.

Cum ijs conspirant multa, quorum origo ingenij magnitudo, & acumen est, quo quidem in negotijs nihil præteritur, nihil non prouidetur quod à quoque possit suspicari. Ex eo summa ad sollicitudinem propensio est, & ab eo maximè sustentatur, hanc autem altera propensio ad solitudinem, quia cogitatio solet maximè vni, & eidem rei examinandæ inhærere, omnibus autem ijs coniunctis sanguis maximè solet exsiccari, & crassescere.

Ad quæ illud etiam accedit, quod animus quasi respuens suæ spontis esse horarum, & temporis momentorum partitioni distributionem vitæ, & negotiorum religiosissimè adstringit, & ei occupationi maximè tanquam legi se obligat, nec patitur sua libertate & relaxatione frui, nedum ab ea remissione remotus viuit, quæ iuuenibus à venere solet quæritari. In quibus iā cernere est, quid intus crassi sanguinis, & quid ex eo retento vijs angustia, & infirmitate propter eas dem causas, & præcipuè frigefacientes vitiatis potuerit procreari, vt ex ordine, quo dictæ molestiæ ortæ, & auctæ sunt, etiam aperietur. Ordo namque is fuit, quod, cum quædam molestiæ destillationis, & doloris dentium intermisissent diu, ab hinc 7. annis dolor nouus ad imum intestinum verno tempore cępit, qui non facilè remedijs leuabatur, ita diu traxit, nihil tamen sanguinis excernebatur, nihil capitum venarum extabat, quemadmodum sub illius loci doloribus consueuit. Insequens annus eandem molestiam, quæ diu quieuerat, habebat non solum vere, sed etiam autumno.

Tertius annus dolorē ab imò intestino antrorsum in ven-

in ventre cum tensione molestissima conuertebat, & aluum citã,& mollem dolor postea habebat, ac quotiescumque aluus liquidior descensura esset, ea molestia, & semper ad vesperam reuertebatur, sic diebus circiter septem exercens, ferè septies in die aluus mouebatur.

Quarto anno ad tempus vernum eadem alui solutio cum eodem dolore præsto fuit, indeque non solũ Autumno redijt, sed medio etiam, hoc est, æstatis tẽpore. Autumno verò ad 14. diem ducebatur, vt iam de aluo firmanda quibusdam consilium ineundũ videretur. Vbi prætereundum non est, quod, nescio quo consilio, purgationes corporis, quæ olim per medicamenta quotannis repetebãtur identidem, & tandem bina saltem quoque anno fiebant, ab eo anno nihilominus præteriri cęptę sunt. Mali verò propositi incremẽta ea facta sunt, vt tentationes eius interualla breuiora habuerint, quamuis accessiones contra minui viderentur, quod non tamdiu exagitarent: Eo tandẽ res deuenit, quod tam parum laxa interualla sunt, vt iam sæpè cum accessionum temporibus cõfunderentur, ita modo hoc modo illud mali persentiretur.

¶Primis tentationibus ea alui solutio ferè à cruditate initium faciebat, qua aluus perturbatetur, vnde liquidior, & quandoque etiam decolor flueret, sed postea densior, coloratior, obscurior, & penitus immutata, ac æquabili penitus corpore procedebat. Nunc multoties à leuiori quopiam medicamento permota eos fluores subibat. Ferè autem minus ea mala reuerti consueuere, dum aluus mollior, & citior permanet. Ex suprapositis mihi certa coniectura fit, sedẽ, in qua harum molestiarum causa hæret ad venas infernas à caua iecoris parte nascẽtes pertinere, quę partim ventriculum, partim intestina, partim lienem cõplectuntur, ex quo fit necessario, vt humor noxius eius generis sit, qui, cum à iecore propter sui crassitudinem, & terrenum habitum resputatur, ibi inter iecur, lienem, ventriculum, & intestina versatur. Nam primus eius excernendi impetus ad imum intestinũ fuit, quo venę ei humori efferendo destinatæ perueniunt, ipse verò niger cernitur, nec aliunde, quam à dicto loco amandari potest. Ex interuallis quidem erumpit, non quotidie, quoniam, vt, vt gignitur, eum natura non expellit, vt deberet, deberet autem, quoniam melius est, qđ ideò natura in integris corporibus consueuit. Itaque non posse id facere naturam necesse est, quæ semper melius opus molitur. Non potest, quoniam earũ venarum, lienisque expultrix vis infirmior, & impeditior à dictis causis facta est, in quibus frigefacientes nõ solum ipsam hebetiorem, sed venas, & meatus angustiores, & humores crassiores effecere. Natura itaque, nisi multo onere coacta, & per acrimoniam per spatio humori ingenitum lacessita ad expellendum mouetur, nec viæ nisi humore putidiori facto, & acriori facile expediuntur, qua per eas transire possit, neque humor fluidus fit, nisi postquam crassitudinẽ, & lentorem leui quadam putredine, corruptione, & exustione amiserit; quæ omnia spatiũ postulant, quo humor, dum paratior fit, ad maiorem etiam cumulũ reseruatur, vnde magis naturam vrgeat, & acrior etiã factus ad expellendum impellat (onere enim maximo contentricem, acrimonia autem expultricem vexat. Eo ergo spatio molestior fit, nec nisi cum dolore demittitur, & eodem niger euadit, quoniam non solũ superantior calor, sed diuturnitas etiam exustionem facit, interea pars illius in flatũ à calore mutatur, qui in circumsistẽtes partes sua tenuitate diffusus eas inflat, & tensionem facit. Diuturnitate autem, non caloris feruore humorem hunc sic exuri inde colligo, & necessaria ratione conficio; quoniam ille feruor alijs notis perspiceretur, neque spatio egeret, quo atrũ humorem procrearet, sed quotidie tantumdem ex alimento pareret, nec natura humorem atrum iam fa-

A ctum posset retinere, quin quotidie paulatim, vt vt conficeret, ad eum eijciendum excitaretur, eo maximè, quod sic exustus minimè lentus, minimè hærens expulsioni reniteretur, casu verò quopiã prohibitus, ne effluat tam exustus à calore humor, peiorem longè naturam acquireret, quam à nobis cernatur. Ergo per spatium exustionem cõtingit, & eam adeptus subito lacessit, & sibi viam aperit. Iam verò neque vllæ aliæ notæ immoderatioris caloris sunt, ille enim si in visceribus subesset, non solum sanguinem atrũ generaret, sed corpus ita bene ali non permitteret, pinguedinem sanguinis in bilem conuerteret, & eam sitim faceret, quæ non sine potione abiret, vt facit, neque nos corpus tam bene ali, & sanguinem tam parũ nigrum minus maximè pinguem videremus, vbi verè

B scabies, vbi vlcera, vbi erysipelata caloris necessaria effecta vnquam conspecta sunt? Forsan ne venæ dictæ suo aliquo maiori feruore eum humorẽ exurant, quæ à frigidis potionibus, ab assiduo sacchari rosacei vsu millies essent à summo calore ad summam temperiem, ne dicam frigiditatem reuocatæ. Retentio itaque eius humoris sui exurendi causa est, vnde, cum cita aluus est, minus molestiarum afferre solet, nõ solum quod non congeratur, sed etiam quoniam non exuritur. Viscerum ergo intemperiẽ stabilem subesse non crederem, sed eam tantum, quæ contagio, & consuetudine humoris huius, dum exuritur, infundi potest, quo detrahendo intemperiem abituram existimo. Minus ventriculo propriam aliquam infixam

C putarem, quoniam infixa intemperies stabilis est, nec cibum modo malè etiam pauciorem, modo bene etiã pleniorem cõficeret, sed semper agrè, pleniorem verò ęgrius concoqueret. Is ergo cum aliunde frigore afficitur, vel exiguum cibum malè modificat, cum nihil aliunde sentit, vel pleniorem conficit. At quo modo iam hoc intus constituto omnes propositæ molestiæ enascantur, videamus, & in ventriculo commorantes: de eo primum dicamus. Humor ille terrenus sic detentus necessario concalescit sit animantis calidioris natura cogente. Calor humorem comprehendens eum in alitum fundit, halitus calore comprehẽso effertur, & facilè in ventriculũ sibi incumbentem impingit, ab occasione concalescendi halitus remotus calore destituitur, & in suam naturam reuertit, ac

D frigidus, & terrenæ naturæ euadit, nam omnes halitus illi omnino humoris naturam referunt, vnde expressiui caloris sunt. Ventriculus ergo eo halitu perfusus, quamuis initio aliquid caloris sentiat, postea tamen necessario refrigescit, & qui sitim propter calorẽ habuerit, idem quandoque cruditatem propter refrigerationem facit, & os cum ventriculi tunica coniũctum certis horis siccitatem subit. Illo autẽ squallore, & frigore vitæ maximè cõtrarijs, & os ventriculi cõprimẽtibus solent anxietudines, & sollicitudines moueri, & ita ventriculus potuit molestari non solũ cruditate, sed aliqua etiam cõpressione, & dolore. Aluus autem varietatem suam, & molestias sic habet. Dum humor ille intus remoratur, deiectiones eo penitus priuatæ proprio & solito calore carent, aut nimis fla-

E uescunt; nimisque biliosæ vidẽtur, nullo obscuro calore flauitiẽ illam retundente, ac sæpè decolores mutatæ tamen esse poterant perfectã coctionem sequutę; quandoque crudiores & asperæ, quamuis biliosæ ventriculo tunc eam refrigerationem accipiente, & forsan præsui infirmitate bilem nimiam quæ fluetior est, admittente. Nigræ demum visuntur, cũ humor ille debitum spatium nactus, sibi excretionem parauerit, & tunc præcurrente & comitante dolore exeũt humoris morsu, etiam flatu non solum eiusdem, sed eius etiam humoris, qui alius per cruditatẽ fuerit cõgestus. Sæpè cruditatis fluorem nigræ hæ deiectiones sequi potuere, sæpè etiam læuioris medicamenti motionem, vtrisque enim ijs natura irritata in omne

nocuum recrementum inſurgit leuiore præſertim medicamento humorem noxium non exhauriente, ſed viribus naturæ iam euigilatæ eum permittente. Valentiore medicamento fuluum illud, & obſcurius ſerum educitur, quoniam ater ille humor, vt omnes alij ſolent, cum ſuo ſero in corpore coniunctus multo naturæ commodo ſeruatur; niſi nimia aliqua exuſtione, & febrili, ac pernitioſo ardore illud fuerit conſumptum. Fuluum autem potius, quam nigrum ſerum illud eſt, quoniam ſerum ſua natura aqua eſt, & cum bile flaua confuſum eſt, & ab atro humore neceſſario fuluum euadit. Fruſta illa glutinoſa, & craſſa cum eo effluunt, quæ ſunt eius generis pituitæ, quæ crudus humor vocatur cruditatibus ventriculi prædictis ſuggeſtus, ſæpè quoque ſine ſero glutinoſa, & craſſa illa efferuntur etiam ſine medicamento, quoniam crudus ille humor in inteſtinis erat, in quibus cum ſero permiſceri non poteſt; in quibus ſerum non eſt, qui verò etiam ſua natura ſero careat, & hoc ipſo à naturali pituita diſſimilis eſt, ſine ſero etiam ater ſæpè ſub illis doloribus deſcendere videtur, quoniam cum fęcibus permixtum ſerum ibi remoratum partim exſiccatur, partim ab illis id temperamentum, & craſſitudinem acquirit. Vrinę ſua natura perlucidæ, & flaueſcentes corporis genus aliquanto calidius ſequebantur, remiſſiores factæ eius aliquod refrigerium denotarunt, vt variè eius varia excrementa ſignificant, atrum humorem non præſeferunt, quoniam eius diſtributio in venas ſuperiores facilis non eſt, neque in illis multa eius copia eſt, vt in ſanguine notatum eſt, quoniam in iecore ſuæ abundantiæ potiſſimam cauſam non habet, monſtrant tamen pulueroſa earum ſedimenta copiã terreni humoris, crudum, & bilioſum potius efferunt, quoniam pituitoſus, & crudus amicioris naturæ ab illa præſertim ſub exercitationibus, & abſtinentia, quæ dimittenda cęna, quandoque habetur, in venas allicitur, bilioſus verò facile per omne corpus ſua tenuitate emanat, Ita is flauas, illi modo craſſas, & albas vrinas faciunt, modo craſſis ſedimentis replent, *cum craſſi, &* exuſtiores facti per moram in venis fuerint. Facilis etiam ſudor cruditatum, & aquoſi humoris ſoboles eſt, q̃ tenuioris cruditatis partes effert, quæ aliqua inuiſibilium meatuum conſtrictione retẽtæ laſſitudinis, & doloris artuũ in cauſa ſunt, quæ quoniam tenues ſunt, vix ſtando, aut ingrediendo muſculis nimirum intentis exprimunt; Crebrius iam hæ moleſtiæ reuertuntur eo, quod initio vnus ille ab ætate, & corporis genere humor natus abundabat, vel cauſis etiam alijs eius copiam augẽtibus, qui ſeſe ſua craſſitudine, & copia egreſſu prohibebat, poſtea per cruditates, quas peperit, pituita eſt ſubſequuta, cuius lentore implicitus citius impediatur, ex quo in aluo, & in vrinis, vt diximus, nonnihil eius cernitur, quæ in ſanguine etiam miſſo bullas illas admodum craſſas faciebat. Inde variæ, & contrariæ res fiunt, cum humor vnus ſiccus, alter humidus ſubſit, & contrarios halitus ex ſe efferant, ita manus quandoque ſicciori calore, quandoque humidiori afficiuntur. Caput quoque modo vigilijs, modo arctiori ſomno tenetur, & propter calorem, quo dicti halitus ſuſtinentur, vigiliæ crebriores ſunt, & ſomni interrumpuntur, & inſomnia mouentur, & imagines etiam vigilanti poſſunt excitari, quæ niſi ab externo ſenſu, quo forte imbecillis natura minus vti poſſit, reputetur, hominem fallerẽt, ſępè etiam dolet caput halitu potius membranas eius feriẽte. Hora autem coctionis totum corpus potuit incaleſcere ſicco eo humore, & terreno per ſpatium ſqualeſcente, & concalfacto, à vapore verò alimenti maiorem calorem concipiente, & halitum calidiorẽ tunc toti corpori ſuggerente, qui halitus in ambitu corporis conſiſtens, & à cutis anguſtia detentus laſſitudinẽ inducit. Eadem cauſa ſub coctione cibi cum eo calore ſæpè ſpiritus denſior, & pulſus concitatiores fiunt ha-

A litu cor, & pectus appetente, vnde cor dum eius expulſioni, & ſuæ refrigerationi dat operam vehementius ſeſe exagitet. Febrire tamen tunc ego non cenſerem, cum vix ternas horas ea moleſtia permaneat, vnde certiſſima coniectura eſt, ne ſpiritus quidem in igneũ habitum fuiſſet conuerſos, nedũ ſolidiores partes, aut humores, neque enim tam citò, aut diſcuti ille ignis, aut temperari poſſet, neque verò aliter febris excitari conſueuit. Itaque ſine febre cor, & corpus vniuerſum aliquãdo halitu calidiori afficiuntur, quo per ſudores ſeſe liberant eo halitu expulſo, & ſecum vaporem toto corpore humidiorem ſibi obuium efferente, vbi alienum non eſſet, ſi quandoque ea halituum diſcurſione ſubita corpus primum refrigeretur, nam ſic repente commota natura ſolet exhorreſcere, nimirum cum B ſpiritu, & ſanguine ſe intus, & in ſeipſam contrahere. quod vel ſub lotij emiſſione nõ raro experimur. Quare caput etiam primo cibo, vel potione interdum repenti incaleſcat, aut etiam corpus totum, idem ſquallor exuſti humoris eodem loco hærentis facit, qui vapore percepto ferueat, & ſubitum halitum emittat, quod in lateribus minus etiam exuſtis, nec ita multũ calfactis, ſi aqua reſpergantur, fieri videmus. At ventriculum, cui eius humoris ſedes ſubeſt, & per ventriculum etiam cor ventriculo in ſiniſtra parte coniunctiſſimum, nec ab eo diſiunctum, niſi per interiectum ſeptum, peius tractant hi halitus, & ad os vẽtriculi appellantes ſua propria ſiccitate, & calore etiam mutuò accepto, dum ab eo ſuſtinẽtur, hi & ſitim, & inde etiã C cibi faſtidium, præſertim cũ deteriores fuerint, & iracundiam, atque anxietudinem important, vt refrigeſcentes cruditatem, compreſſionem, & animi triſtitiã, & mille alias moleſtias. At halitus natura ſua humidiores, qui vapores dici ſolent, aut halitus humidi cõiunctionem pituitæ facti, cum nondum à calore fuerint deſtituti, idem cibi faſtidium afferunt, quod vel refrigerati etiam faciunt, cum deteriores, & naturæ inimiciores fiunt, nam in humorem faſtidij plenum conuertuntur, qui ſolet primo cibo detergi, & locum cibi cupiditati relinquere, vel eius poteſtatem facere. Deſtillationum, & rheumatũ ratio à capite eſt, quod ab internis partibus proprio calore, & figuram cucurbitulæ imitata cauitate attrahit, ſiccos quidem halitus, vt magis alienos, & tenuiores eijcit, humidos ve- D rò ipſum cerebrum ſibi conuenientes abſorbet, atq; vt per illos vigilias ſubit, ſic his humidis ad quietem vtitur, & quod horum concretione emergit, ſæpè inutile, & ſuperuacuum deorſum vijs diuerſis amandat, ſi exterius per ſuas tunicas, & earum fibras dimiſerit, corpori illud communicatur, & vbicunque conſtiterit, cute præſertim aliquo frigore conſtricta egreſſu prohibito laſſitudinem facit, ita frigidiori cęlo potius quàm calidiori, noctu magis, quam die contingit, & noctu factum die diſcutitur, & quod per quietem, motione; Inde ergo pectoris, dorſi ſuperioris, & aliarum partium dolores, ſi in proprios ſinus, & cauitates eum humorem cerebrum demiſerit, deſtillationes, ſi per tunicam ſuam, quę faucibus communis eſt, in fauces malum deſcẽdit, ibi illa laxiora tunicarum interſtitia hu- E mori patent, & illum collectum ſæpè retinent, qui ibi ſenſum, ac ſpeciem boli referat, ac ſi aliquid acris continuerit, dolorem etiam illis partibus infert, ſi os laryngis attigerit tuſſim ſuo morſu mouet. Poteſt quidẽ ſuo lentore, & lenitate adeò ſimilis tunicæ laryngis eſſe, vt ei nullam adferat moleſtiam, & queat in bronchia latenter deſcendere. Illud admiretur aliquis, cur abſtinentia vtilitate iam commendata diu producta has moleſtias ſæpè faciat peiores, quod tamen naturæ eius humoris maximè eſt conſentaneum, nam ea quidem breuis, & recens ventriculi coctionem iuuat, neque humores vitioſos, & à nutritione alienos multum afficit, ſuccis crudioribus interea calore vacante, diu tamen tracta, & vetuſta abſtinentia calorem acrio-

rem reddit, quo illi humores deteriores euadant, cum ad melius conuerti non possint, sed ficciores, duriores, magis asperi, & acres, & omnino nocentiores fiāt, vt consultius sit semper cum abstinentia solutionem alui coniungere, nedum totius corporis frictiones, ut iubebat Hippocrates.. Potius ergo per solutionem alui corpus leuatur, qua illis potest expurgari. Has demum molestias præsertim vere, & Autumno cieri cōmunis ratio est, non solum enim illis temporibus solitas huic corpori purgationes natura exspectat, cumulo humorum suo spatio ad summum perducto, & purgationibus fraudata perturbatur, sed temporum etiam eorum ea conditio est. Nam Ver excipit hybernā cōgestionē, & eam nouo calore fundit, ac mouet. Autumnus calidos, & siccos humores Aestas partos magis exsiccat, & crassiores, ac duriores reddit tū sua siccitate, tū caloris, & frigoris vicissitudine, qua eadē die corpus identidem, & soluendo, & constringendo ipsum vna cū suis humoribus exsiccat. Sic ver fundit, corpus à frigore ad calorē ducens, & vices caloris subit. Autumnus autem à calore ad frigus reuocādo potius cōpingit, & frigoris opus efficit, ea propter, quanquàm ferè eiusdē gradus caloris sunt, is tamē frigidus & siccus, illud calidū, & humidū vocatur ratione operis habita. Atq; ita id satis causæ habere omniū incōmodorū videtur, quod à nobis in corpore suppositū est, humor nimirum terreus ex copia crassioris sanguinis excedens, qui sub liene, & ventriculo, ac iecore in vijs, & venis propter dictas causas angustioribus factis, & infirmioribus remoratus calorē maiorem concipiat, & partim exuratur, partim in halitū tollatur, & suo halitu ventriculū, cor, caput, & omne corpus male afficiat. Cuius mali humoris, cuiusq; venarum deprauationis causas à corporis genere, ætate, viuendi modo multas, & valentissimas exposui, & ex notis proprijs cum sedes, tum humorem demōstraui, & omnino confirmaui, quod diuturnitate moræ potius exuratur, quam vllius visceris calore, quod crassitudine sanguinis potius, & viarum angustia, quā feruore vllo iecoris congeratur. Vnde facilior curatio sperari etiam potest, cum in vna viarum apertione, & confirmatione sit posita. In qua quidē curatione detractio insistētis humoris ante reliqua ponenda erat, vt his diebus factum est, & quoniam illius detractio, & detersio remedia valentiora postulabat, quæ pleniori corpori tuto adhiberi nō poterant, propterea totius corporis purgandi ratio prius habita est, deinde valentior ea detersio, expeditioq; venarū ꝓcurata, idq; sero caprino cū saccharo, cū manna, & medicamentis eū humorē detrahere abluereq; valentibus. Nam seri detersio minimum siccitatis habet, quæ eiusmodi humori, & visceribus eo humore affectis est inimicissima, præterea ei humori serum apprimè conueniens est, præsertim illis alijs adiectis valentius factum, quod ne dolores faciat, aut obstruat, & melius detergat, curiosius ex Dioscoridis præcepto purgandum est, nec nisi cū detergētibus commiscendum, cui ad apertionem absoluēdā, & perfectam venarum expeditionem, vt vna etiā vires restituantur, theriacæ vel rei similis vsus est subijciendus. Nā post tractationem corporis, & purgationē reliquiæ solent permanere, vt obseruauimus, quoniā vel in scabie curanda post purgationes efflorescere, illā magis videmus, & cū hac materia flatum vētre imo ad vesperam redire refertur, qui non multum illud significat, à quo antequam purgaretur, excedebat. Sed exiguum aliquod reliquum factū iam dissolui. Istas ergo reliquias theriaca, vel aliud similium virium absumeret, flatū discuteret, vires nutriret, & omnino venas, & viscera cōfirmaret. His verò perfectis, quo venę illæ omninò alia etiam uia firmiores fiāt; bona renutririone recreādæ sunt, vt restitutis spiritibus, ac bono sanguine suffecto, muniantur. Ita verò vita instituatur, ne in eandē angustiam, & humoris cōgestionem reuoluamur; alioquin ad eundē purgandi laborem esset reuertendū, neq; sperandum quod superiori anno in cōsultatione proponebatur, leuiora medicamenta assiduè adhibita posse satisfacere. Ea enim post purgationem corporis, cū metus est ne ea congestio fiat, & illi inchoatæ occurrendum est, accommodata sunt, & corpus satis tuentur. Ac cum infarctus ille iam constitit, leuiorum medicamentorū vsus neque idoneus, neq; crebro adhibitus tutus est, prætereo nāque purgandi receptam consuetudinē, quā suis tēporibus natura suos circuitus sequuta in auxilium expectat, quo priuara grauius habere necesse est, si congestio illa subest, illa leuiora, & necessario assiduè dāda, si acri vi agāt sua lōga cōsuetudine venas magis exsiccant, & crassitudinē humoribus afferūt, si humidiora B sint, necessario infirmant, & languefaciunt. At calidis vtemur, quæ humores extenuando hunc infarctum prohibebūt, vt aqua è cinamomo per ignē expressa, & alijs eiusmodi. Eadem vsu longo exsiccant venarum tunicas, & idoneas faciunt ad crassum sanguinē generandum. Frigidis verò vti nō licet, quoniam calorem eū nō habemus, cui sit frigore occurrendum cū tollendo in farstu humorum sit tollendus, & refrigerando magis humorem cōpingeremus, & vias arctiores redderemus. Itaq; in calidis, & frigidis adhibēdis cautè admodum agendum. Valentiora medicamēta corpus purgantia semel, aut iterum, aut etiam tertio data non possunt calorē minus q̃ siccitatem imprimere, cū citò vna cum hemore attracto expellantur, & naturæ C inimica respuantur, vnde calidiori humore exhauriēdo potius refrigerant, & natura leuata per purgationem facilè sese recuperat, illis leuioribus tacita suę cōsuetudinis vi irrepente detrimentū inferētibus, quòd natura nec percipiat, nec cauere satis possit. Neque illud prætermittā, num post purgationē loco seri caprini aliud genus detergentium esset commodum. Multa quidem sunt, quæ fermè eiusdem vtilitatis videantur. Chinæ radix, salsa parilia, guariscum, ius galli medicatum, naturalia balnea, & eius generis alia. Sed multum cuiq; deesse quisque potest animaduertere, & id maxime, quod potissimum volumus, & *in sero* habemus, cum eo enim, quod ipsum non exsiccat, prętor idoneam detersionem propria etiam vi humorem detersum detrahit, & per aluum secum fert, ita venis D medij intestini purgandis, & expediendis aptissimū; illorum autem nullum ei humori detrahēdo, auferēdove valet, & ad exsiccandum omnia, multa aluum non mouent, & quæ mouent hunc humorem non attingunt, ac potius relinquunt, in quibus balnea naturalia adeò exsiccant, vt vita multis inde breuior facta sit, & à certis morbis affecti, cum per ea curari tentarint, sublati citius sunt. Ideò sola Tetutij balnea hoc loco tuta viderentur, quòd vniuersim per aluum deferantur solum venas hic affectas atringendo, & propterea etiam vtiliter purgato præsertim corpore dari possent, quoniam eas maxime expediunt, & confirmāt. Ius quidem galli potest cū ijs cōponi, quibus his quoq, humor exhauriatur, sed ipsum per se nullā cum hoc humore habet feneris cōiunctionē, ita nisi sūma E necessitate esset sero sufficiendū. Verum huic sero succus ne maiorum quibus humori leniēdo opportunus creditur, esset cōmiscendus? Minimè verò, q̄m neque inimicum, & crudelem humorē satis deliniret, & detersionem detractionemq; eius prohiberet, viasq; potius impediret, & nobis aduersaretur, qui inimicū nō solum non mitigatum nolumus retinere, sed mitigatum etiam volumus omnino eijcere. Post ergo iustam purgationem, & humoris huius detersionē, si quid cōgeri suspicetur, id in dies leuioribus esset detrahendum, qua in re rhabarbarum cum thymo, & polypodio esset opportunissimum. Interea post purgationem nihil prætereundum, quod ad firmanda viscera, & Venas facere videatur, vbi meo quidem animo; sit di-

vt dixi, vsus theriacæ esset quam aptissimus, quæ naturæ non solum coctricis, sed expultricis vires munit, & vias omnes aperit, ac confirmat; nec valdè calefacit, & potest in omnem euētum moderari, vt sacchario rosaceo, vt similibus. Thymi etiam vsum charum haberem, nec piper aspernerē, vt à Medicis solet præscribi. Confectio Alchermes etiam probatissima est, quę in memoria in omnem euentum habenda est, leuiora, &, quæ assiduè adhiberi possunt facilisque vsus sunt, ea omnia sunt, quæ boraginem, buglossumque accipiunt, & mala ēt fragrantiora quę Medicis notissimæ sunt. Ego enim sic arbitror, optima esse remedia, quę plurimis cognita, plurimis probantur, quę .n. secreta dicuntur, ea ego minimè tuta existimo, qm̄ exigui vsus, & notitiæ esse possunt. Quo verò sic vita instituatur ne in eandē crassi, & terreni humoris congestionem recidamus, illa omnia, quæ corpus ei obnoxium facientia superius recensebam pro viribus vitanda sunt, quæ quoniam à me priore libro fuere descripta, hic subtilius persequenda non sunt, sed in eis ea tantum commemoranda, quæ hoc tempore magis nocitura videantur, omnes imprimis subitæ mutationes metuendæ sunt; Et id per omnem vitā in memoria habendum, & præcipuè in cœlo, & aere cauendū; nam si repentè à frigore ad calorem transeamus, corpus protinus cōualescens vna cum humoribus nimis soluitur, & caput ita repletur, vt inde ad moderatiorē temperiem relatum ab ea tamquam à frigore afficiatur, & facit eas saltem destillationes, ac si in frigus incidisset. Nam à calore in frigus transeunti euenit, vt stipatum corpus non solum cohibitis humoribus, & eorum perflatu periclitetur, sed caput, in quod ita intus in corpore repressi humores necessarium impetū faciūt. Ab oībus ijs mutationibus caput curiosius tuēdum, & à frigido ac tenui vento defendendū, potiusque ei metuendum subdio in concluso, quā in aperto loco, potius in fenestra quam extra parietes. Omninò verò vidēdum, ne à graui, denso, & calido cœlo in tenue, & frigidum transitus subitus fiat, quod fusos iam à calore humores in principes partes comprimit, quæ subinde se exonerātes onus in ignobiliores partes, & vtilius quidem deponūt, alioquin si exterioribus partibus obduratis influentes humores ipsæ nobiles partes retineant; si eodē frigore sese insinuante affectæ magis opprimantur, qđ pulmonibus tamq̄ laxis facilè euenit; corde in eos facilè sese exonerante, vitæ periculum subeunt, vt multorū incommodo, & pernicie iā sex menses sub multa cœli varietate obseruatū ēst; quibus pulmones, & cor ab ambitu corporis sic obdurato reiectos introrsum humores excepere, & sub illorū tum copia oppressi, tū putredine corrupti sunt. Cum ergo corpus habeamus, qđ facilè in lassitudines per frigora incidit, quā diligētissimè obseruandū est, vt, cum ea cœli mutatio, à cauis, & campestribus locis in montaneos facienda est medio cœli halitu leniatur, qualis esset, qui in Imperiali, aut Nobilariæ est, quorū habitatio in eiusmodi mutationibus cōmode, & tutò interijceretur. Adhoc indumenta vidētur pertinere, quibus non ita leuibus uti deberemus, cū corpus, & ad constipationem facilè habeamus, & ad sudorem propensum, quo commode exoneretur, ac ne grauioris integumenti insolentia nocturnas uigilias faciat pluri uestimento paulatim assuescendum est, qđ noctu præsertim, & externis artubus necesse est, unde frigus facilè in uentriculum pertinet, nec tā renibus à ueste metuendū, ut maiori suo incōmodo frigore opprimantur. Calorem .n. à ueste maiorē accipere non possumus, quā ipsi uestibus tribuerimus, uestibus non suū, sed à corpore acceprū calorem reddētibus, sine ueste aūt renes frigus longè alienū, & inimicum capiunt, quo infirmi, & cōstricti fiant, nec suū munus obire ualeant. Id unū præcipuè obseruandum potius pro renibus, ne lumbi laborem sentiāt, qui adstricta nimis veste, aut onerosa eis adferri solet, nam ex eo labore apertissimè renes male habere cōsueuerunt. De pelliceis vestibus, subtilior nimis illa obseruatio est, vulpinas nimis exsiccare, nam, cum exsiccare volumus, carni illas apponimus, & inde ēt parum exsiccationis speramus; nedum pleno corpori ab illis super alia indumēta positis timeremus, sed in re medica superstitiones multæ sunt. Magis grauis illa obseruatio est, qđ in cibo simplicitas quā maximè obseruari dēt, ac ne insolentia varietatis, cum fortè inciderit, noceat, illius cōsuetudo in diuersis mēsibus teneri pōt, vt aliæ epulæ alijs mensibus sumātur, sic.n. varietatis cōsuetudo sine incōmodo habebitur, ne incidēte varietatis necessitate periclitemur, qđ tutius fiet, si crassiores cibi tenuioribus parcius sumātur, in quibus generibus, qui cibi numerētur, eodē libro nominatim descripti sūnt. De crassioribus tñ illi indicandi vidēntur, castaneæ, tubera, fungi, oua tosta maximè in ferro, lagana, & pultis oē genus, qđ ex farina triticea cōfit, legumina, caseus, carnes grādiorum quadrūpedū, ēt senum, aut ēt ætatis nimis infirmæ, & immaturæ, & auium grauiorū. Pisces maiores, & maximè cartilaginei, & sanguinis expertes, præsertim, si duriores sint, oīa item ciborū genera, quæ dura, glutinosa, & cruda sunt, ętate aut immatura, aut vetusta, sale aceto diu seruata, etsi .n. ex aceto teneriora facta videantur, sicciora tñ sunt, & ad concoquendum inepta, & tandem oīa, quæ cum his elixa fuerint inter primā, & alteram elixationē refrixerint, nec calida fuerint seruata, Parcè ergo hæc sumantur non tñ omninò repudientur: Sic verò nobis moderemur, vt ciborum crassitudo, & copia cū modo exercitationis cōueniat. In cibis quoque, qđ de medicamentis dixi, videndū, ne calidiorū, aut frigidiorum assiduus vsus sit, frigida .n. constringūt, vires infirmant, & cruditates, & crassum sanguinē faciunt. Calida autē, quæ interdum sumpta extenuāt humores, diu accepta exsiccando crassos humores reddunt. De potione etiā nescio, an quidquam restet, præter ea, quæ alio libro fuerunt consignata, nē frigoris metū subijciā, de quo sanè nimis multa mihi essent dicenda, nisi cum prudentissimo viro agerē, cui id innuisse sat erit, qđ potionem frigus calido quidē ventriculo potest esse vtile, at nec semper, nec nisi suo tpe, & sobriè adhibitum, temperato autē est omninò alienum, atq; ad ipsum infirmandum, & ad venas illū complexas, & ad cauum iecoris, & ad lienē pertinentes vitiandas valentissimum, frigidiori aūt ventriculo penè pestiferum, nisi ea cautione sumatur, vt multus cibus calens præcipiatur. Vnum illud ēt de vinorum permixtione dicā, quod quamuis ea minus nocua sit, quam ciborum, quæ tñ rubri, & albi, quæq; austeri, & dulcis fit, est pessima, qm̄ quamuis vtrumque contrariū in malum sit, contraria tamen suis naturis vna permixta minimè corriguntur, aut vitia sua inter se retundunt; quin potius illa mutuo sibi confirmant, & augent, quæ seorsum infirmiora, & minora habent. Dulce siquidem, quod sua crassitudine est incommodum, per se acceptum sua dulcedine facile per aluum delabitur, vnde minus lædat. Austerum, quod hoc ipso diutius in pręcordijs sustineretur, & caput nimium afficeret suaptè tenuitate citò se subtrahit, & in corpus distribuit. At si commisceantur, dulce ab austero à cito lapsu per intestina sustinetur, austerum per dulce in ventriculo intestinis venis remoratur, & eas infarcit, ita & in præcordijs diutius hęrēt, & viscera infarciunt, ad quæ incommoda ferè vini etiam nigri, & albi nocumenta similitudine quadam metienda sunt. Etsi minora existunt. Potionis modum hyeme, & æstate variandum esse dicto libro satis probatum est; prandij, & cœnæ modus, in contra consueuisset, iam capite nihil grauius habente maior cœnæ, quam prandio dandus videretur. Cœna certè nunquam prætermittenda ni crudus ventriculus sit, alioquin bis

bis die penitus capiendus, sic enim nec inter vnas, & alteras epulas tãtum spatij intercedit, quo sanguis, & corpus, ac pſertim renes solẽt exsiccari, hi verò sic ad calculũ idonei fieri, neq; ventriculus tã partite, q̃ vniuersim accepto cibo grauatur, & minus crudum, crassumq; succũ visceribus subministrat. Exercitatio etiã, cũ cęna præcessit postero mane insequẽs, nõ tam corpus exhaurit, non tã ad attrahendũ crudum cibũ, aut ad se replendum, parat. Ita minus crassi sanguinis fit epulis bis die, quã semel accipiendis. De somno id vnum cõmemorabo, illum mane omninò esse repetendum, cum fuerit noctu parcior, donec ad bene concoquendũ satis fuerit. De exercitationibus, quod nũquã nisi benè concoxerit, satisq; dormierit, sunt subeũdæ, & quandoq; balneo excipiẽdæ, quo acres, & p exercitationẽ permoti humores leniãtur, & eorum inutiles discutiantur, nunq; ad post meridianũ tempus differẽdæ, vt neq; balnea tantisper, dũ corpus ita bene nutritum videmus, ne plenius efficiatur, minus verò prętermittendę, quin saltẽ ambulationibus fiant. Omninò enim motus artubus ad propriã vim, & nutritionẽ necessarius est, vel cum corpus integerrimum est, omnibus rebus non nisi munere proprio fungendo Vere viuẽtibus, & quibusq; id munus omnino nactis, quo vita propria sustineatur, calor verò corporis tanq̃ ignis valentior, & purior p exercitationes conseruetur. De vomitus vsu in memoriã illud reuocabo, q̃d is ad ventriculi pituitã expelliẽdam bona ratione putatur à Galeno necessarius, nobis uerò tunc penitus deligendus, cum esset suspicio, pituitam propter halitus melancholicos refrigeratos uentriculo hærentes nimiam generari, quam certè experimur facilius per uomitum, quã p alium expelli, & uidemus in multis, quorũ uentriculus ea esset oppressus, & p uomitũ quotidie maximam eius copiã eijceret, quod medicamento multoties dato ad eã per aluum deijciendam, soli tamẽ biliosi humores descẽdebant, pituita interea uomitu quotidie exeunte. Is in mensem bis pcipitur, nos eũ leniter ciebimus, nec medicamentis, cũ facilis sit, nisi detergẽtibus, ne melancholicus humor inepte nimis p superiora trahatur, Is renibus certè maximè erit vtilis, vt artubus quoq;. Clysteres non essent omninò aspernandi, quibus venæ medij intestini ad eũ humorẽ, qui in eis residendo ea facit incommoda, excernendum inuitaretur, & flatus eius soboles discuti possent, & dolores inde nati soluerentur. Eorum autem ratio eiusmodi esset, qualis huc anno seuogalliæ lecta fuit. Animus sæpe relaxandus, neq; solicitudinibus semper exagitandus, longe minus horis ad cibum accipiendũ, & concoquendum destinatis, quæ omnino illis natiuæ esse debẽt. Solitudo vitæ, q̃ maximè fieri potest, fugienda, ne vna, & eadem cogitatio nimis animum opprimat, & anxium reddat, quod in nocturnis cogitationibus experimur, quæ propter solitudinẽ semper grauius vrgent, & animę incredibiliter hærent. Consuetudo verò eorum luminũ potius deligenda, quibus fidẽtius, & iucũdius vti possimus, eorum quidem certè penitus fugienda, quorum moribus animus solet stomachari, aut fastidire, quiq; minus spectatæ fidei sunt, quoniã fastidium, & suspicio mirum in modum nocẽtia sunt. Pestiferæ autẽ animi ægritudines omnes sunt, cũ corpus præsertim medicamentis exercetur. De studijs sapientiæ non audeo loqui, spero equidem tantas in eis progressiones iamdudum esse factas, vt tua Celsitudo inde plus solatij, quam laboris sit acceptura, ac nisi solitudinis retinendæ ansa sint, vtilem habitura iam cõsuetudinem non insolenter adhibita.

Hæc à me ea fide proposita sunt, qua quisq; cum in omnes, tum in dominos, & reges vti debet ego autem & soleo, & maximè volo, & tuæ Celsitudini vtilem, & gratam fidem meam esse exopto, quod quidẽ etiam pro tua prudentia spero, q̃ non latebit me, quod potui, præstitisse, quamuis ne minimam quidẽ partem eius, quod velim, & debeo, attigerim. Nõ licuit etiam in hoc libello comprehenderes, ne eadem, quę in priori volumine sunt, maiori tuo tædio, & frustra repeterem. Restant subscribenda aliqua exempla eorũ medicamentorũ, quæ accommodatiora iudicaui, nõ quo eis medici se obligare tanq̃ legibus debeant, sed quo cõsilij nostri ratio sic illis magis expressa, & sub inspectum posita illorum cogitationibus ad vtiliora etiam in horum similitudinem inuenienda viam faciãt. Cũ vrgebit alui inferni dolor, nisi fomenta ex lapide salis, & ex furfure cum sale, chamemelo anetho, & floribus sat fuerint. Hoc clystere primũ, & lenius fuerit, quod accipiat oleum amygdali dulcium, oleũ sesaminum, mel rosaceum, saccharũ, mãna vel antiquius, succum parietariæ, decoctũ hordeũ furfurq; vel in aqua vel in sero caprino si ad mànus fuerit. Alterũ aliquãto valentius cõponi poterit, in coctis aquę vel etiam vini aliquanto beta, mercuriali, maluis, chamamelo, anugaldide, seminibus anisorũ, fœniculi. Oleo amygdalar. amarar. oleo etiam sem. lini, chamemelino, anethino. Melle rosaceo solutiuo, manna, electuar. lenitiuo, nõ diacatholicone, quod ad aliud propositũ confectũ est, sed potius Dialena. Tertiũ ijs etiam potentius fieri poterit ex centaura minori, rad. cucum. asinini, abrotano, catamorthi, thymo, sena, baccis lauri. s. carmina tiuis, aquæ, vel vino incoctis. Succo iridis betarũ, melle rosaceo solutiuo, hierologodij, benedicta, cõfectione Hamech, oleo cheirino, & rutaceo. Sub metu dolorũ eadem clysteria, aliqua potio ex decocto polypodio, thymo, cinamomo cũ manna, ac nisi stomacho intolerabile sit melle rosaceo solutiuo, vel pilulæ de tribus cũ rhabarbaro, vel quæ de rhabarbaro dicuntur, vel alephaugine cum rhabarbaro ipso, quandoq; post apparatũ humoris, & corporis, lapide lazuli, aut armeno optime diluto eis adiecto, & nisi horreat, etiã veratri aliquãto vel ipso, vel iurefacto ex eo. Apparatus humorum, & corporis commode fiet per potionẽ, quę ex succis lupulorum, boraginis, buglosso, fumiterræ, malorũ dulcium, decoctis thymo, capillis veneris, violis, radice dulci, cetrach, in aqua vel sero caprino, saccharo, melle, & aliquanto aceti. Hæc in potionẽ etiã redigi poterunt, ad ignem extillando in aquã conuersa, Sed minus accõmodata euadent, quoniam detergẽdi, & incidendi vires nobis necessarias amittunt, & meo quidem animo vim exsiccandi nimiam acquirũt vnde lubricum corpus non faciunt, sed potius adstringunt, vt in fluore alui ego dem illam vtilius, quam aliud quidquam. Dolori, & eius causis occurretur, etiam sumendo eam confectionem ex malis apijs cotoneis, aceto albo, pipere, cinamomo, garyophillis, ad similitudinem eius, quę Galeno in vsu ex cotoneis est. Facient etiã saccharum conditum ex thymi floribus, rosis, ac, si videatur etiam roris, marini buglossæ boraginis, & corticibus citri, prout necessitas postulabit. At hic non omnia congerenda sunt, multis etiam in libello apud Excellentissimum Samperolium extantibus, in quo exempla medicamentorum omnis temporis, vt adhibita sunt seruantur. In quibus etiam illud forte reperiatur, quod adhibebamus sub suspicione illa toti Italiæ hoc anno communi, qua pectori pulmoni, & cordi maximè timeretur, erat autem saccharum ex radice helenij cum supradictis permixtum. Præcipuè verò ad faucium molestias illud videtetur commode facturum, quod ex mucilaginibus farfaræ, seu tussilaginis, & s. malorum cotoneorum, & quandoq; s. lini cũ penidijs fieri potest in pastillos redactis. Præter ea, quæ ex violis rosis, saccharo conditis, seu liquefactis, quæq; ex dactylis hordeo, radice dulci, passulis iuiubis, succo mali punici malo cotoneo, s. acetosæ, violis, cornu cerui, & similibus aquæ in coctis, quæ nimia relatu essent. Ita finem facio s. Celsitudini summam felicitatem, & mihi eius gratiam præcatus.

Consultatio habita Venetijs cum Amaltheo, & Chairo de duplici tertiana notha.

CONSVLTATIO CXIX.

Tertianam esse hanc febrem ferè pro constituto à vobis receptum est, quamuis quotidie increscat, & nunquam dimittat. Corpus verò calidum iudicatum, in quibus ego vobis consentio, imo nihil fere habeo, quod dicam præter ea, quæ à vobis sunt animaduersa, vnde etiam doleam mihi hunc postremũ dicendi locum contigisse. Dicam verò sic volentibus vobis, & ijs, qui me huc accersitum voluerunt eadem ferè vobiscum repetẽdo, neque forsan inutiliter, nam repetita melius erunt in promptu ad exequendum. Corpus non solum calidum est, sed humidum quoque vehementer, vt ex summa corporis mollitie, & in sudorem propensione maxima, & facili dissolutione, & carnium copia deprehenditur. Ventriculus natura infirmus, & compressioni obiectus, doloresque diu perpessus. Aetas inclinata est, Victus ratio intemperantissima, & in cibo, ac potu admodum varia cum genere, tum etiam modo, & in venere nimis versata. Humores hinc mihi videntur crassi generis esse, & obstruentes, vt notis etiam proprijs indicatur cum febre eos sequẽtibus, crudos etiam, & serosos esse multus sudor ille assiduus demonstrat, qui semper dum cibum sumit, solet tantus adesse, vt spongias, & linteamina secum ferre cogatur, quod cœnitationibus dat operam. Corpora namque calida, & humida, cum huc ætatis peruenerint, solent sanguinis limo plurimum abundare, nisi aliqua excretione eius iuuentur, vt, Hippocrates docebat; quod illa ætas minus sanguinis consumat.

Sanguis verò abundans necessario tracta mora in corpore in alimentum non potis conuerti, crassescit, vnde vel in pueris, dum trahitur, sub specie vaporis longo spatio carnium in pilos etiam nigros producendos adducitur.

In virginibus etiã si menstruorũ copia supprimatur, affectus melãcholicos facit, quoniam sanguis non põt calorem ferre sine mutatione, Mutatus autem, nisi in carnem conuertatur, necessario partim in bilem flauam, partim in bilem nigram, seu succum nigrum conuertitur, pars biliosa facile discutitur, ac, nisi discutiatur, necessario ipsa quoque in atram bilem degenerat; Ita corpora sanguinea, cum ad id ætatis accesserint, melancholica fieri cõsueuere, hoc est, crasso saltem, & limoso sanguine abundare. Ventriculi autem imbecillitas, & victus ratio cruditatum causa omnino fuere, vnde crudus humor multus, & crassus, multus etiã serosus, & pituitosus effectus sit. Omnium horum notæ apertæ sunt, nam alui excrementa clysteribus educta cum glutinosis, crassis, & atris multis partibus cernuntur. Vrinæ crudę etiãnũ morbo eneorema habent, quod in tenuium tantummodo humorum malo coctionem sequi solet; in crassis autem humoribus cruditatem. At flauæ vrinæ sunt. Nihil moueor, quoniam pituita cum bile mixta est, & feruet, & ferui pituita solet eiusmodi colorem cõprehendere, vt Galenus libro methodi narrat, quod verò facilius fit, cum melancholicus succus feruet, vt in quartanis videmus. Sudores pituitæ serosæ proles sunt; Longæ illæ cõpressiones febre increscente cum pulsibus raris, & paruis nullũ alium humoris genus referunt, quam hũc crassum, & frigidiorem, cui consentanea quoque est illa in somnũ propensio sub febris incremento, sui accessione quotidie rediens, nam halitus melancholici humoris, quãdiu non benè incaluerint, possunt à vaporibus pituitæ obliniri, & viribus eorum cedere. Vigiliæ autem subsequuntur, quoniã calor vim halitui melancholico adijcit non solum exsiccando, sed etiam calefaciendo. Ex cuius calore etiam illa somniorum perturbatio subsequitur, calor siquidem imagines excitat, & confundit. Ex

A quibus halitibus os ventriculi petitum anxietudinem illam parit; quando illi non solum calfacti mordere videtur, ac pungunt, sed etiam, cum postea refrigerati in naturam priorem redeunt; nam siccum, & frigidum corpus vitæ, & sensui maximè infestum est. Ita omnes perspectæ notę humorem melancholicum subesse denotãt, vt in eum maxime febris referenda sit, & ob naturam eius humoris, ni intermiserit, periculosa iudicãda, &, ne in malignos mores se conuertat, metuenda, nam melancholicus humor, vt in vlceribus videmus malignam naturam facile recipit, præsertim, cum putrescit, quæ malignitas maximè vrgere solet, cum in partibus præcipuis versatur, & suo vitio opprimit. Vnde videndum esset, an in præcipua aliqua parte is humor resideat, & quæ sedes eius sit. Thoracem tenere mihi non videtur verisimile,

B quoniam eius nulla nota existit, & hypochondriorũ potius feruor tactu percipitur. Ea propter, quamuis sæpè thorax affectus nullam sui notam exhibuerit, & experti sumus, nimirum materiam intra vasa pulmonũ versante. Sæpè etiam caput nullam aliam notam præter dolorem expresserit, eadem causa tamen paulo post morbo increscente pulmonum corpore affecto, & trachæam cõprimente difficultas respirationis subsequuta est. Hic cessante etiam capitis dolore, insania, quorum nihil in hoc ægro post 7. diem adhuc est visum. Præterea tum caput tum thorax nullam caloris superantiam habet, neque hoc est, quod calor intus comprimatur, nam hypochondria calidissima sentiuntur, quæ alioquin in compressionibus solent reli gescere. In hypochondrijs ergo potius malum est, cuius ea quoque altera coniectura est,

C quoniam ventriculi os sæpè infestatum est, nec mirum certè est si frigescant diu extrema, partibus illis male a putredine occupatis, non halitu putrido membranosas partes impetente, illæ solent frigora, & horrores etiam afferre. Etenim hoc frigus extremorum aliquam internam inflammationem sequi non potest cuius nulla nota est, febre leuiori, & pulsu etiam raro sub compressionibus, propterea crassitudinem potius humorum significat; qui dum calorem concipiunt, crassitudine sua tarde inflammantur, vt eadem suum calorem conceptum opprimunt, ad eam oppressionem etiam fugandam natura se se conuertente, & spiritus vna cum sanguine ad eum locum reuocante, sed, vt dixi, etiam partium membranosarum morsum ab halitibus acribus per putredinem factis illarum sequi frigus consueuit, natura vel ad

D molestiam sese conuertente, vel ab ea refugiente. Propter eundem morsum oris ventriculi anxietudo illa, cuius metu vos sectionem venæ præterijstis. Atque ita partes circum ventriculũ sitas causam, & initium febris cõplecti iudicarem, neque ratione partis malignitatem metuerem; etsi symptomatum sæuitiem aliquantulum timerem, quæ propter oris ventriculi sensum possent excitari; quamuis in bona spe simus sæuitiem absfuturã ventriculo iam minus vexato. Ita constare videtur non solum mali natura, sed locus ipsius, non quod febris alium morbum sequatur tanquam symptoma, sed quod materiam habeat in hypochondrijs. Ibi enim est putredinis incendium ex humore crasso non solum pituitam, sed limosum sanguinem referente; cuius putredinis causa ipsemet humor est, non solum se se per suam crassi-

E tudinem perspiratũ impediente, sed naturam propriam minimè perfectam obtinenre, vnde in putredinem procliuis fit, quæ enim in sua natura imperfecta sunt, vires integras non obtinẽt, facileque corrumpi possunt; Addamus partium continentium contagio eiusdem humoris factam imbecillitatem, propter quam illæ minus possunt humorem sibi creditum fouere, minus in sui similitudinem conuertere.

Morbum autem magnum hinc agnoscitis, & satis tardum, nõdum malignorum morum. Quibus ita propositis ostenditur, quid nobis agendum relinquatur. Nã humor detrahendus, extenuandus, & cõcoquendus est, quod quidem initio detrahi potuit, & debuit, antequã a natura tractari inciperet, & per calorem a sanguine di-

stingueretur, nimirum per venæ sectionem ad cubitum factam, Nunc, qui reliquus est factus, iam ad corruptionem magis deductus, & a sanguine disiunctus per sectā venam detrahi sine periculo maiori non potest, neque nisi coctio, & naturæ cepta tractatio prius finiatur, per purgantia medicamenta, verisimile, siquidem est eam humoris partem iam certo in loco consedisse, & ibi impeditam putrescere, quæ dimoueri sine summa læsione non possit, vt in pustulis exterioribus, si premantur ante sui maturationem fieri videmus. Initio morbi plurima materiæ pars nondum consedit, nōdum infixa est; prętcrea plurimum vtile est morbo, si dematur etiam purgante medicamento sæpè, cum mobilis est, quæ in locū affectum processura est; facilè verò demitur, quoniam obfirmata non est; Nunc ergo restat, vt humorem extenuemus, & naturæ magis subijciamus incidendo extenuando, & abstergendo, interea tamen etiam portionem eius, quæ quotidie ex putredine excedit, per vrinas educendo Galenum imitati, qui quamuis concocta tātum medicari velit, tamen vel in quotidianis febribus post primos dies mouentia vrinas adhibet.

Igitur ad vestrum consilium adijcerem vrinam mouentia, vt lupulos, vt radices apij, & petroselini, atque asparagorum, adijcerem etiam melissam, vt cordi pariter consulerem, acetosum syrupum etiam ijs adiungerem, neque borraginem, buglossum, neque etiam mala fragrantia præterirent propter ventriculi oris anxietudinem, infirmitatemque & cordis laborem.

Interea etiam dum materia coqueretur frictionibus coctionem iuuarem, quas Galenus in crassis humoribus coquendis recipit, & si balnea fugiat, præsertim insueta. Fomentis ventriculi vim iuuarem, vt Galenus quoque solet, quamuis enim idem recuset fomenta partibus affectis admouenda, nisi corpus exoneratum sit, tamen iuuandæ coctioni ipse fomenta subministrat, quibus fomentis œnanthem, seu labruscæ flores vna cū rosis, cum chamæmelo, absinthio, fœniculo, cariophyllis, & alijs eiusmodi incoquerem.

Atque his ego sperarem ægrum suæ valetudini posse restitui. Nam, quamquam, vt videmus, morbus magnus est, vires tamen tam videntur superiores, vt longitudinem tardi sui motus illæ superaturæ, videantur maximè; si sustineatur putredo, ne in malignam delabatur, & in coctionem trāseat. Victu verò omni eo adhibito, qui nō faueat ipsi morbo sed curationi. Vnde inprimis bene tectum eum velim esse, quo cutis halitus non tepri meretur, potius verò euocaretur, cibo ab accessionib. remouendo, extenuante quidem, non tamen tenui exhibēdo. Potionem vini tenuioris, & imbecilli non timerem, imo opitulari posse considerem febre iam remissiori, & leniori facta, atq; mouendę vrinę consilio vigente. Clysteres qui sumi pñt in hoc corpore præciperem, nam loca propè ventriculum per eos facilè leuabuntur. Atque hæc mihi satis videntur pro partibus meis sustinendis.

De febre tertiana simplici sed notha consilium pro Sanguenidio.

CONSVLTATIO CXX.

Tertiana vna quidem, & simplex est, syncerum tñ sui humorem non habet, cum frigus non rigorem afferat, & duas horas ēt, atque amplius illud trahat, quāobrem cum morbus nequaquam magnus sit, missionē sanguinis rōne præsentis febris posse præteriri crederē, nisi a corporis statur, ante febrem ēt præceptus metum facit maioris morbi euasuri, quoniā minimè rectè habebat, & intus aliquid non leuis momenti esse denotabat, vnde ēt nunc flauities illa oculorum, & cutis totius existat. Natura ipsa corporis calida, & sicca ætate summū sui statum contingente, nimirum 37. annum assecuta crassum sanguinem ēt comprobantibus, qui & magnitudinem morbi minetur a se futurām, & non facilè medicamento, sed commodius vena secta euocari solet, ea præsertim obseruatione, vt, si crassus exeat, permittatur, sin minus supprimatur secta in hunc vsum vena ad cubitum, non ad extremam manū, quo impurior, & crassior sanguis educatur. Sic ego venæ sectionem probarē, neq; vererer cōturbationem quam 14. & 7. ab hinc annum sub sanguinis missione ipse incidit, nam leuis fuit, neque eius metu remedium prætereundum est, tam necessarium & fortè nunc non illam sentiet. Vinum circumciderem metu eodem quoq; maioris morbi, & victu exteuuante vterer; neque nunc vrinā mouentia darem, cum in initio penitus morbi apertè versemur.

Consilium pro Stagnolia de febre, cui bis die frigus accideret.

CONSVLTATIO CXXI.

Diminutis mensibus in vidua ætatis 37. annorū ventriculo imbecillo, animi verò ægritudinibus maximis ex infortunio insolentissimo acceptis, non est mirū, si vigilię sint subsequutæ sanguine detento, semper in limum desinente, si febre etiam assidua semel, aut etiam bis die frigus afferente tentetur, crasso enim humore solent eiusmodi inęquabilitates fieri, forte etiam quod mala hæc plenitudo seu multitudo tanta sit, vt multas partes diuersas occupans diuersa initia, & cursus putredinis accipit. Itaque rectè initio, post vomitum sanguis missus est, nam tactum magni morbi is afferebat, & medicamentum propinatum, deinde potiones ad humorem parandum datæ, nunc ēt arctè proponitur tempore mensium instante, illisque solius non libere exire mittendū esse è talo sanguinem, non, quo copia quidem etiamnū detrahatur, sed quo impetus deorsum fiat, & natura sui muneris admoneatur, quare tres vncias ego vix mitterem. Potionibus verò etiam, quæ menses mouent, adijcerem ea, quibus, si non menses, saltem vrinas cierem transacto, præsertim iam die octauo, quo & reliquias putrefacti humoris educerem, ne febrem, itemque materiam augerent, & humorem vna pararēt, quare lupulos, capillos veneris, radicesque petroselini adijcerem, &c.

De tumore uentris pro nobili Matrona Lacisia Basiania, cum Iuliario, & Furnanelio.

CONSVLTATIO CXXII.

IN tanta ego morbi ambiguitate, & difficultate curationis ipsius ita me geram, vt in re exponenda, & discutienda re ingenium, & disciplinā exerceam apud vos, non iam tamquam qui ante me dixeritis sim futurus vestrarum sententiarum disceptator, sed tamquā iudicibus rem ipsam iterum melius iudicaturis, neq;.n. video vos in vestris sententijs tam firmos, quin, in dubio cum sitis, sententiam seu potius opinionem melioribus audiris rationibus mutare possitis. Ambiguitas rei maxima est, quoniam & per se est obscura, & varietate sentētiarum magnorum medicorū perturbata. Difficultas autē summa in curatione est vel vna morbi vetustate reddita & sub vsu medicamentorum perspecta, quibus non solum nonnunquam cesserit, sed etiam malum auctū videatur. Quare ego libentius quidem uestras sententias priores audiui, nihilominus de illis iudicare non auderē. Ita potius ex illis admonitus decernam, quid mihi melius videatur, & id vobis optimis, & intelligentissimis viris, iudicandū permittam, quod longius sic tractatū fortè minus implicitū, & obscurum euadet. Historiæ capita illa potissima sunt, q̄d a ventriculo iam multis annis malū cæpit, q̄d duobus iam annis in ventre recedit. Vētriculo vix quidq̄ mali sentiēte, q̄d is primū male habēs acidum saporē in os efferebat, & vomebat, nunc vomit

quidem, sed nihil præterea molesti habet; cum ventriculi ea molestia cessauit, subito arquatus morbus extitit, quo mihi nondum liberata videatur quamuis ille tenuior factus sit, post arquati vero extenuationem tumor quidam in dextra ventris parte cæpit intus præsentiri inter vmbilicum, & hypochondria, qui circumscriptus erat, & leuiter etiam dolebat, is paulatim auctus est, & iam vniuersum ferè ventrem occupat, sed dextrã magis partem in ea sede, qua cæpit, durius proprie, & reliquo spatio minus, & potius tensionem præferens. Prius non solum interstitium erat inter inguina, & ipsum, sed inter ipsum, & costas etiam vtrimque incumbentes, vt manus imprimetetur, nunc cum costis, seu osse thoracis ita coniungi sentitur, vt inde pendere, & ex eo necti videatur. nunquam ipsa muliere erecta, & ingrediente visus est magis descendere, nec decumbente locum valde conuerso corpore mutare, sed sedem eandem semper retinere, nunquam femorum stuporem inducere, nunquam spiritus angustiam, numquam grauitatem, aut pondus pro se tulit, nunc ventrem penitus in orbem ad partem dextram extollit, & costas contingens, tamen angustum spiritum non facit, nullam actionem videtur impedire, nisi quod minus belle corpus nutritur, fœdioris coloris, & pallidi est, & vomitum mouet sæpè, qui quamuis ei familiaris in omni vita, & quaq; valetudine est, tamen nunc propriè id habet, quod pituitam aquosam effert, & vinum sæpè, raro cibum præter certa fructuũ genera, vt cerasa, qui vomitus fere bis die est; aliud verò molestiæ malum non habet, nec somnum, nec cibi si cupiditatem aufert, nec sitim insolẽter mouet, quin potius tardiorem eam facit. Mœrorem quidem inducit, sed ex mali sensu, & cognitione difficultatis illius, id est.

Causam euidentem huius mali nullam præter mensium diminutionem recitauit, medicamentis verò semper increscere visum est; nimirum tumorem maiorem accipere, ex vomitu nihilo magis iuuari, vno excepro, incredibilem pituitæ copiam eiecit, & mensium solutione etiam sequuta ab eo tempore penitus liberatam fuisse se ait, & ventrem mollissimum assequutam. Excellentissimus tamẽ Vir asserit in superiori parte ad præcordia nescio quid durum reliquum tunc factum, quod radicem mali nominat. Ex clysteribus molestiam summam capit, atque ex potionibus medicatis non mediocrem.

Ex his capitibus ego primum mali naturã, deinde etiã sedem coniectabo, si prius corporis naturam calidiorẽ statuero, & ætatem inclinatam, quæ cum diminutione mensium sanguinis melancholici congestionem effecisse potuere; qui cum crassior sit, & cum pituitæ generatione ob frigus à se inditum coniunctus, obstruere vias communes potuit, & in ventriculum regurgitando primũ ructus illos acidos, & molestiam ventriculi efficere, atque inde etiam, atque etiam obstruendo arquatum morbum inducere, quo iam leuata percuratio nem fuit, postea tamen humor partim in quandam certam sedem ventris recedens, partim in venis iecoris hærens, & tumorem, & iecoris obstructionem fecit, vnde, quoniam humor sui natura frigidior est, ventriculum quoque, qui alioquin suapre etiam natura esset infirmior, refrigerauit, vnde tanta pituitæ copia facta est: De quo tumore id mihi conijciendum videtur, vt etiam sensu credo posse iudicari, quod non vniuersus durus est, sed parte quadam tantum inter vmbilicum, & costas dextrorsum, circumsistentibus autem spatijs potius tensus est, quam durus, quare non vniuersus ex denso, cõstricto, concretoque humore est. sed media quidem sui parte talis, reliquas halitu, fumo, vaporeque, & humore liquidiore extendendo, imbibendoque extollit, quod eo argumento confirmatur, quod vnica vomitione quandoque venter penitus resederit, ac difficillime, & solo Medici iuditio quidquam tumoris subesse depræhensum fuerit. Ex quibus de sede tumoris etiam ferre talem sententiam possumus, quod

A in aliqua cauitate materia eius tumoris compræhensa continetur, eaque non vniuersi ventris, cum in dexteram partem vergat, non etiam vteri, cum per vomitum eiecta sit, cum fæmora numquam torpeant, cum erecto corpore non descendat, nihilque eius humoris aquosi è vapore ventrem extendente nati ex vtero elabatur; cum tantus tumor sit, qui vterũ quam maximè tensum redderet, medium tamen ventrem, vt vterus extumescens deberet, non occupet, non formam vteri seruet, & cum propè pubem, non ita tensæ partes sint, sed medio ventre potissimum, & ad dextras cum elatus sursum tumor, nihilominus tamen spiritus angustiam non afferat, vt vteri inflatio solet, præsertim ægrota ipsa nihil de vtero querente, & ab initio morbi etiam veneris solatia percipiente; quæ (vt vir Excellentissimus dixit) Em-B boto soluta venus fuerit quamuis hoc inditium satis nõ sit ad integritatem vteri comprobãdam, qui ab humoribus serosis possit titillationem maiorem & voluptatem sentire si Galeno credimus, libro de vsu partiũ referenti sinistrum spermaticum porum meatum ve ob id ab emulgente deductum a natura vt voluptatem in venere maiorem faciat.

Tamen tantam molem vterus habens, non credo, possit eiusmodi voluptatem percipere. At voluptas in pudendi oris esse solet vt multi experti in suis coniugibus sunt, credo, sed solutio veneris tamen ad interiores partes vteri pertinet. At diceres ne tu esse iecur, aut lien? neutrum certè, quoniam a medio disiitas sedes habent, & illud in dextrum, is in sinistrum latus magis vergeret; Hic verò tumor vix a medio ventre in-C clinatus est.

Preterea iecore tanto tumore affecto corpus non aleretur, & cachecticum uix vitam trahere in mensem potuisset, nedũ in annos febrem fugisset, qua omnino vacuum corpus hactenus est, & cum eo iecur inflationem eiusmodi recipere nõ potest, & minus lien, quamuis ergo ambo hæc viscera, vt etiam vterus, a principe parte læsa afficiantur, tamen in se se eum tumorem non habent. Causam quidem eius, & originem iecur, & vterũ continere necessarium dicerem. Vterum sanguinem menstruum retinendo, iecur vero illud sua obstructione crassiorem sanguinem gignendo, vt de ventriculo etiã dici debet, qui ab eiusmodi humore affectus eum quidem non gignit, sed frigore pituitam facit. Vbi ergo tumorem locares, in mesenterio ne, an in intestinis.

D Neq; intestina, neque mesenteriũ ipsum tumori huic in locum dari posse crederem. Nam alui deiectiones nõ impediuntur, non est læsa intestinorum opera, minus mesenterij, seu lactium opera læsã est, cum distributio chyli fiat, quæ lactibus tanto tumore occupatis fieri nõ posset, & præterea membranæ medij intestini, seu lactium non possent adeo tendi, quin dolorem perciperent, quibus maxima sexti paris neruorum copia tribuatur, nisi tumor scirrhosus esset, qui tantus in humano corpore vix fieri posset, vt in duplam eius magnitudinem ventrem adduceret. Et cum eo non subito sub tactu tumor, sed intercedentibus intestinis saltem, ad latera, & ventriculo, & colo sentiretur, prætereo mille alia tædia, quæ haberent lactes, si in eum tumorem tenderentur. Ergo vbi tumorem locas? In omento co-E gor ipsum statuere, cui omnes notę respondere videantur, siquidem habet locum tum inflationi, tum tumori recipiendo, nam saccus quidam est, qui in cauo potest halitus, & vapores, & aquam inde concretam capere, in tunica autem tumorem non solum certa parte coactum, sed ea tota membrana fusum, nam quamuis velum tenuissimum sit, eiusdem tamen tenuitatis membranas vidi in maximam crassitudinem elatas, vt habitum ventriculi bouilli haberent, vidi in eundem modũ etiam succingentem costas, & pulmonum tunicas crassefactas, cum aliquid eiusmodi essent perpessę, quare põt ẽt sic turgens omentũ duritiem maiorẽ præseferre, quã inflatio sola consueuerit, fieri autem id potuit facilius, quoniam omentum a venarum illa corona enascitur

quæ à iecore veniens fundum ventriculi amplectitur, A & sanguini crasso recipiendo opportuna est, cum ei veniæ coniuncta sit, & consors, quæ ad lienem pertingit ei sanguini consumendo destinatum. Crassus sanguis, & acidus abundans in ventriculum reiectabatur ventriculo fortè medicamentis, & aqua balneorum naturalium fortiori facto sanguis eiusmodi in eas venas reiectus est, in locum certum omenti depulsus, quo factum omentum etiam imbecillius, & frigidius iam & se se plus frigidi humoris creare, & aquosi, tum plus eiusdem aliunde demissi admittere coactum est, vnde non solũ tumorem duriorem definita parte habeat, sed etiam tota membrana vapore, atque halitu crasso referta indurruerit, & cauitate sua, ac sinu inflatum fuerit, ventremque in dextra potius parte, tumentem efferat, quoniam ventriculi fundus in eam magis partem vergit, rotundum verò tumorem facit, quoniam saccus eiusmodi ipse est, sine dolore est, quoniam minimum, aut nihil neruorum illa pars recipit, nimirum omentum ipsum, vnde etiam tunica pulmonum inflammata, & crassissima facta, vt post mortem in multis cernere potuimus, nihil tamen doloris perceptum sit, grauis tumor non est, quoniam inflatio eum sustinet, & sedem non mutat erecto corpore, quoniam cum iecore continetur, angustiam respirationis non facit, vt vterus eo inferior solet; quoniam vterus inflatus sursum impellitur, omentum verò potius deorsum, vterus siquidem ligamenta sic apta, sic annexa habet, vt tensis illis sursum trahi cogatur, quod omentum non habet, Vomitu quandoq; potuit exhauriri, quoniam cum ventriculo communes vias habet. Medicamentis aut nihilo iuuari tumor visus est, aut increscere, quoniam sæpe illa pituitam in flatum conuertunt, & humore ventriculi deterso, deductoque is tamẽ; qui in omento est potest permanere, & viribus medicamẽti purgantis non moueri, quare neque multis vomitibus quotidianis leuari solet, cum parcè eijciatur, quãuis interdũ leuatus fuerit, neq;, quod in omento est moueat. Color malus est, iecore, & felle aliquid eius obstructionis sentiente, quæ admodum vicinam originem habet, & valentem in crasso eo humore. His ita constitutis mihi videor videre oẽs hujus mali partes, & causas, & earundem ostensiones, seu indicationes, nam humor vaporosus, halitusque plurimus est, & secum eius humoris reliquiæ, vnde effertur, quæ reliquiæ perquam crassissimæ sunt relictæ tenuioribus partibus in halitũ solutis. Et cõiungitur tumor ex crasso humore infarcto, & ob- D struente, cui obstructio, & intemperies vicinarum partium, & viscerum genere coniunctissima est, nimirũ frigida, nam & melancholici, & pituitosi generis est. Quæ hanc curationem & hunc eius ordinem demonstrant; ac perunt, nimirum humorum extenuationem, incisionem, detractionem leniter faciendam, ne magis infarciantur, dũ humores a toto corpore per vim, & vniuersim illuc attrahuntur. Et tandem tumor sui dissolutionẽ postulabat. Quibus vero ea agenda sint, & qua via. Ego vomitu id opportune iri factum crederem, cũ illuc natura conuersa sit, & facillimus ei sit, nam nulli homini excreatus ille facilior esse potest quã sit huic eiusmodi excretio. Oxymellite simplici cum iure pingui primũ E id agerem, deinde ventre sic inanito, & remotioribus humorum euocarem incocto primum in eo iure raphano, deindè eo raphano, cui essent ellebori albi radices infixæ, vel asaro. Ad elleborismos dictos accederem, & per aluum etiam purgationem tentarem, succum iridis, tamquã aperientissimum, maximèque detersorium adijcerem, rhabarbarũ visceribus amicum, & illis expediẽdis quam accommodatissimum nunquam non consociarem vt agrimonium, & absinthium, & similia, de quibus indies consilium capi poterit. Hæc mea sentẽtia est. Hæc cum perforari sibi aluum voluisset, & specillum in tumorẽ intus immissum fuisset, dolor quinta die ad vẽtriculum maximus peruenit cum febre; & illum interfecit. Vix ℥.2. aquæ exierant, & humoris crassissimi, & lẽti totidem.

De Vxore Tentereti.

CONSVLTATIO CXXIII.

NOn est opus, vt ego aut addam, aut detrahã quidquam in hac instituta abs te, & propè non vlterius locum habitura curatione, morem tamen conseruans de eodem malo orationem habebo, & in ijsdem versabor, quo res magis clara exprimatur. Febris est in muliere ætatis iam inclinantis, naturæ corporis calidioris, & habitus tenuioris. Cuius febris forma hactenus tertianæ fuit simplicis intermittentis, vt ais, quamuis eius vir cõtinuam fuisse suspicetur, qua in re quidem tibi magis fi- B des præstanda est, qui naturæ scientiam profiteris, & me dicam peritiam longissimam habes, Qui etiam hoc manè eam benè habuisse certissime affirmes, neque maritus eius id omnino neger, qui eam satis commodè, aut leuius saltem laborasse consentit. Sudores primis diebus sequebantur, qui, si intermissionem afferebant, & febris cessationem, non ita mali sunt existimandi, si cõtinuationem febris non interrumpebant, suspecti habendi sunt, & copiam nimiam, naturamque coactam ostendunt.

Quartam accessionem attulisse ais alui fluorem biliosum, post quem huius generis fluor sequitur, qui glutẽ quoddam crassum, & rubens efferat, quasi membranã immitatũ cum dorsi dolore tunc molesto, cum aluus descensura est, prius crebrius, nunc rarius aluus descendit, C & minus eius lentoris demittit. Hodie, cum tempus dictæ accessionis, febris sit, nihil compressionis, nihil frigoris ipsa persensit, vt ferè prioribus etiam diebus fecit, & tamen circiter octauam accessionem hanc esse narras, & eam post quietem, & cessationem sequi. Vrina crassum eneorema præfefert, & satis colorata est, quod in alui, fluoribus non ita frequens esse consueuit, pulsus mihi durior esse videtur certè crebrior est, & velox; & febrem nõ mediocrem significat, lingua etiam aridior idem confirmat, & modus caloris. Vbi ergo, in febrem intermittere mihi asseueraretur, mortiferũ penitus morbum hunc iudicarem, nam sudores copiosi in initia, & alui fluor, & vrinæ etiam species multam & malam humorum putrescentium copiam mihi ostendunt, putrescentesque naturam nimium irritare, genus verò excretionis eiusmodi mihi, & crassum humorẽ, & per malam putredinem acrem factum, & mordacem ostendit, putredo namque, quæ maturationem affert lenem eum facit. Quidquid sit, & febris putrida est, & humores crassos, & multos putrescentes sequitur, & crassi humoris gluten illud ob calorem assequuntur, & exustionem etiam habent si vrinam bene intueamur, vnde etiam melancholiam possunt secum admixtam continere. Sanguinem non esse ab initio missum multæ causæ a te allatæ sunt, nimirum quod æstu maximo id prohibebatur, quod tenuitas corporis renuebat, quod menses inciperent effluere, quod febris sine periculo etiam omnino intermittens esset, & si productis satis accessionibus. Quæ ego debeo recipere a Doctore tãquam verissima. Certè, sanguinis mittendi opportunitas nunc nulla est; cum ex eo factum sit omnino, quidquid mali timeri ab ipso potuit, imò vires etiã prohibent, nam & alui fluor, &, pulsus non ita valens impediunt, morbo etiam crudo multum uirium ad sui coctionem postulante.

Quid verò agendum sit, paulum restat, tantum enim videndum, ne intestina exulcerentur, &, vt humor naturæ obsequentior fiat, viresque sustineantur. Intestina clysteribus muniantur si partim humorẽ deliniant, obtundanturve, partim intestinis inducant tanquam loricam, aliqua tñ ex parte adhærentem humorẽ detergant, partim etiam refrigerium adferant, nimirũ si conficiantur ex aqua, cui incocta sint hordeum, malua, violaria, furfures, immixtum etiam lac, quod & detersionem, & delinientem pinguedinem, & exsiccationem aliquam, ac

ac refrigetium habet, lutea etiam ouorum, quæ lētorem A detersioni coniunctum habent. Oleum rosaceum, quod firmandi, detergendi, & muniendi, leniendique vim habet, & ad horum similitudines alia, vt saccharum cum pinguedinibus, & feno. Quæ etiam cum aliquo quandoque coniuncta esse debent quod flatus leniter discutiat, vt chamęmelo; quoniā rugitus fere perpetuos sentimus. Humores naturæ obedientiores reddentur si primum ventriculi coctio procurabitur, si potionibus ipsi non tam abstergentur è meatubus iecoris angustioribus, ne aluo molestiores fiant, quam incidentur, cum lenti sint, & eorum acrimonia obtundetur, aliqua etiam vi contra putredinem modificentur, & mitiores, & meliores fiant. Iecori autem aliquod firmamentum concilietur. Incidit sine multa detersione betonica, confirmant ēt, & incidunt asplenium, capilli veneris, pilosella, acetosa, B portulaca, & similes herbę, à quibus neque borraginem, neque buglossum reijcerem. Hordeum detersionem lenientem habet, vt semina melonum, firmandi etiam endiuiæ, scariolæ, acetosæ, portulacæ, & eiusdem generis, multa eandem habent facultatem incidendi, & firmandi, ac refrigerandi, & præterea putredinem sistendi, vt cornu cerui maximè exustum, & vnicornis, vt corallium, terra sigillata, & his cognata omnia, si vel lapidem bezoar aliquis in ijs enumeret. Hæc vel eiusmodi in iure pulli coqui poterunt, & loco syrupi exhiberi, immixto syrupo de succo citri, de succo limonum, de succo acetosæ; atque etiam de scordeo, vt caloris, & putredinis ratio habeatur, nam, quamuis vrina metum ex putredine non faciat nunc, tamen continet eneorema crassiusculum, vnde solet in turbulentiam transire, qua- C lis turbulentia putrescentes vniuersos, & cum sanguine confusos humores sequi solet, neque potest eam confusionem sua turbulentia ostendere, cum per aluū expurgetur. Quæ ventriculo sunt familiaria, vt confirmetur, & calorem retineat, norunt medici omnes, vt oleum ex spica, quod maximè penetrat, & adstringendi, colligendique vim habet, & calorem auget, oleum mastichinū, ex citoneis, & de mentha confirmandi vim cum eo solent augere. Atque hæc mea sententia est.

Die sequenti postquam ex clystere melius habere, & refrigerium accepisse visa esset, cum febris nunquā cessasset, paulatimque, & minore dolore deiecisset, lenta tamen corpora, etiam vrinas turbidas excreuit, & pulsum minorem habuit, propensionemque in somnum in solentem. Medicus, nescio quo consilio, cum deliquij ini- D tium uidisset, theriacam media die exhibuit, ipsa sedebat, & iacere horrebat etiam toto corpore lassitudinem sentiens. Tertia die à consultatione consumpta est, subito pulsuum casu, & respirationis difficultate aduenientibus, sub quibus diu tamen trahebat oculis tanquam mortuæ.

De insaniā adolescentulæ subita.

CONSVLTATIO CXXIIII.

POst amorem diuturnum, & spei consequendi amissionem in eo statu diu fuit, vt tam male efficeretur commemoratione amantis vt eam commemorationē E fugeret, propter molestiam, nupta autem alteri cum suo etiam assensu, tamen sensus suos tā frustratos comperit vt primo cōcubitu ex se extiterit, alteraque nocte apertè insanierit, vbi iam insania, quamquā subita, continua facta caput per se vitium continere indicare videatur non sine abundantia humoris melancholici in toto corpore, cum coloris melancholici tota sit ex pulcherrima facta. Prius insania in furorem eam impellebat, nunc potius in risum, & quamuis nunc satis dormiat, nihil tamē prius somni capere poterat. Vnde humor prius in caput attractus, feruentior fuit ex assidua amoris molestia, & cogitatione exustior factus, quasi ex insania insaniam faciendo.

Attractus verò in caput non solum cogitatione, qua maximè potuit, sed potione vim potentioris sibi insolentis, & ex sole sub quo saltauit in nuptijs, & ex ipso motu saltationis assiduo, quo totos dies fuit exagitata, vnde caput etiam dolore cæperit. Quæ omnia mihi ostendunt ex sanguine in hunc, vel illum humorem dictis de causis conuerso id accidisse & non longe ab eius humoris natura remoto, qua re consumptis magis remotis à natura sanguinis humoribus hæc à sanguine facta insania relinquatur, Ita quę ego sanguinem detraherem, vixque relinquerem, quod vitæ eius satis foret, à talo, quoniam inferius crassitudo sanguinis facilius fertur; deinde à brachio, & tandem à fronte. Interea in quiete continerem, & aluum mollem seruarem, & etiam vi maiori mouerem tum clysteriorum, tum potionum medicatarū melancholicum humorem spectantium. Modificantia etiā humorem præberem, vt syrupum de pomis, de borragine, buglosso, de fumoterra cum oxymelle, & post leuem purgationem ad compositiores eiusdem generis accederem. Purgato corpore ad Alchermes venirem taūquam temperatius ex omnibus propositis, prefertim plirisarcoticone, & capiti etiam lotiones resoluentes humorem darem, nam nouus morbus est, neque eius malum ad solida peruenisse est verisimile. sed perfunditur, & suffunditur cerebrum, spiritusque à vapore humoris præsentis, quam cerebri perfunsionem vidi in cadauere hominis insania defuncti. Quare sperarem etiam ipsam esse conualituram, nisi opera medici per insaniam prohibeatur.

De calculo vitando, depellendoue pro Illust. Cardinali Alexandrino.

CONSVLTATIO CXXV.

SIc omninò constitutum est, calculi dictas tentationes ad descriptam corporis naturam, & victus rationem esse consequutas. Ventriculo siquidem frigidiori, & aluo adstrictiori, cuius adstrictione semper copia vrinis datur, multum crudi humoris suggestum fuisse, idque licciore eiusdem ventriculi natura magis terrenum densius, crassius, & glutinosius extitisse. Iecoris autem, & renum calore illud cum citius, & copiosius attractum, tum, vt ferè fit, sicco calore lentorem maiorem acquisiuisse. Renum vero propriè squallido calore quandoque assatum, & calculum concretum, prefertim cum suamet crassitudine, & lentore in vijs nimium remoraretur. Ac modo nigrum, modo flauum, aut rubrum calculū fuisse, vt iecoris, & venarum calore materia crassa pro sui oportunitate in hoc, vel illud humoris genus esset conuersa. Ita, ne id malum redeat, ijs omnibus esset occurrendum, primo, ne materia ciborum crassitudinem, aut lentorem afferat, aut copia, aut sumendi modo cruditatum sint causa; Secundo, vt ventriculus suum calorem conseruet, aut etiam maiorem accipiat, ad cruditates fugiendas. Tertio vt aluus mollis seruetur, quo minus crassæ materiæ visceribus permittat, dum diutius calori eam exhibet tractandam suggendamque. Quarto, si quæ ingenita in ventriculo crassa materia est, ea vel vomitu facili, vel detersione per aluum identidem eijciatur; simulque viscerum calor mitigetur, ne materia vel tenuitas saltem ei aliquibus medicamentis inducatur, simulque viscerum calor mitigetur, ne materia citius in ipsa attrahatur, humidior verò etiam reddatur viscerum calor, ne materia glutinosior, aut terrestris magis, per nimiam, & squalidam caloris vim, non elixantem, sed assantem fiat, minus in calculum redigatur.

Postremò eius materię etiā, quę in renibus versatur, expurgatio per vrinas procurāda, ne in renibus diu trahendo in id, quod metuimus deueniat. Vrina. n. etiam terrestrem materiam educi certum est; quæ diu detenta, vel calore infirmiori, squalido tamen in lapidem pōt cōcrescere, quod in articulis, & partibus corporis frigidioribus

dioribus fieri videmus in eorum corporibus, in quibus materia magis terrestris in ventriculo ex cibis expressa a calore nimio est, dum elixando cibo minium exsugit, & in venis ab eodem aridiori allatur, postea enim facilè concrescit. Illa omnino difficilè solent præstari, non tam propter rei naturam, quam hominum negligentiam, propterea in hac re certæ obseruationes firmiter tenendæ sunt, quæ à Medicis facile proponi solent, raro tamen sunt seruatæ, In quibus potissimæ hæ videntur.

Prima, ne diuretica corpori purgatione egenti exhibeantur, & eius generis valentiora non nisi perfectè expurgato homini concedantur. Lenioribus interea pro necessitate concessis corpori nec valdè referto, nec tamen expurgato.

Deinde ne extenuantia, aut diuretica nimis exsiccantia assiduè, & longo tempore permittatur, quoniam tunicis viscerum, & vasorum siccitatem demum inducunt; & sic, quod Galeno est optimè explicatum, crassitiem humoribus afferunt sua natura extenuante. Postea, vt uis omnis tuitionis a calculo in eo statuatur, quo tenuitas humoribus, & humiditas visceribus, ac calori conficienti afferatur. Tandem, vt spes potior semper in viuendi modos, deinde tantummodo, cum fuerit necessitas in extenuantibus medicamentis collocetur, Itaque viuendi ratio prior apertè proponenda.

Nimirum sensum omnino & caloris, & frigoris, Extremorum verò frigus penitus fugiendum, refrigerium omne subitum post calefactionem inimicum putandū. Balnea crudo, & pleniore corpore omnino vitanda, quē admodum indumenta grauiora, aut leuiora præter necessitatem, & grauiora, atque adstrictiora præsertim loco renum, ne laborem eis adferant, Indumentis certè varietati cœli, quæ Vere, & Autumno esse solet, diligenter est occurrendum, arctioribus cingulis non vtendū, laborem namque afferūt, quo labore calor, & attractio excitari maximè consueuit, sic lumbi nequaquā fatigandi, aut sedendo, aut insistendo. Culcitra pro strato non plumeæ habendæ, supino corpore non cubandum, nimius somnus, & nocturnæ vigiliæ cauendæ, sed somnus coctioni, vigiliæ diurnæ recrementorum digestioni discussionive inseruiāt, vnde etiam exercitationes aliquæ post coctionem necessariæ sunt; valentiores tamen inutiles, & maximè, quæ stando habentur, & omnino, quæ dorso, & lumbis laboriosæ sunt, vel si longè nimis ambulationes essent, quæ alioquin, in modum excedāt sunt perutiles, alta lectio, & psalmorum cantio commodissima, sub quibus tunc exerceri hominē intelligimus, cum anhelitus immuratur, satisque eum exercuisse, cū primam sudoris emanationem attingit, intra quam tamen sæpius finis faciendus est in eo homine, qui cibis moderatioribus & extenuantioribus vtitur, a largiori. n. & crassioris succi cibo cū benè concoxerit maior exercitatio necessaria est, citra tamen lassitudinem habenda, sudorque diligenter extergendus, aspiratusque frigoris ad nudum corpus, & præsertim subitus omnino cauēdus, tota antem hora quiescendum, antequam cibus assumatur, aut certè, donec pulsuum agitatio penitus cessarit, & motus eorum naturalis reuerterit. Cibus matutinus nunquam longius differendus, quoniam fames acrimoniam humoribus parit, qua renes afficiet exsiccari, & calorem acriorem accipere solent, præterquam quod si ad inediam etiam producatur, hæc stomachum malis humoribus infarcit; post tamen nimiam satietatem, & cruditatem sequutam abstinere ab integra cœna proderit, Nimia satietas, & ciborum, potionumque varietas in eadem mensa vitanda; intereaque multa arte, & compositione a coquis condiuntur, Ita vinum, cui assueuerit, non facilè mutandum, quod viribus mediocre esse debet (quo renibus vna, & stomacho consulatur) aut natura, aut per aquam, sic paratum omnino tenue, & perlucidum, siue album, siue rubrum sit; nec dulce, nec admodum austerum, nec trimestri recentius, neque bimo vetustius.

Panis omnino leuis esse debet, & benè coctus non ita puræ farinæ, ne lentorem habeat, nimis ita impuræ, ne grauis ventriculo sit. Lutea ouorum recentia, & tremula sorbiliave ad rem nostram facere admodum videntur; quorum lentor si quis est; lentorem ptisanæ imitatur, nam non sine abstersione esse videtur, & tēperies, cui coniuncta est, calori viscerum moderationē his expetitam afferre potest. Passulas ad idem spectare est verisimile, sicus extenuanriores sunt, atque caricæ, sic vulgo vocatæ nunc, quæ si incisæ in aceto aliquandiu habeantur, tunc commestæ renibus maximè vtiles creduntur.

Prunorum multa genera longe accōmodatiora, quæ melioris notæ habentur, persica non reijcienda, quorū nuclei in diureticorum censu habendi, nec nisi ex præscripta ab init o obseruatione permittendi, Cerasorum nuclei cum his numerandi, quorum fructus, nempè pericarpia, non omnino fugienda sunt. Melones boni generis admodum vtiles renibus videntur; nam nec vim renibus inferunt, vrinam tamen mouent, & detergunt & item humore suo calorem illorum deliniunt, horum esus nonnullis arenulas per vrinam mouent, nonnullis eas penitus tollunt, vt aut iam factas, aut materiam faciendarum eluunt. Vuæ præsertim pensiles non penitus improbantur; nihil crassi, nihil squalidi, aut acris habētes. In oleribus borrago, buglossumque præferenda, nec lactuca aspernanda, quæ mediocris humoris est. Cauliculi maluarum aptiores renibus sunt. Asparagus in diureticis habendus, & suo tempore datus vtilis futurus, lupulus, minori diligentia eget, cūm tener refrigeratiorem aliquam habeat; vt & cicoreum, quod in diureticis nō est, quamquam sua radice in illorum genus, ipsum quoque referatur, & pimpinella quæ secum adstrictionem quandam habet maximè vero illa, quæ fetorē hirci olet, Et capparis visceribus mirabiliter vtilis. Diuretica, in quorum vsu certa arte, supra dixi opus est, illa multa sunt, vt ruscus, pastinacæ, petroselini radix, & illa, quę carota dicta est, bulbi, cæpæ, sion, Alexandrina, selinon, fœniculum, crithmum, dracunculus vulgaris, & similis generis, quæ, cum non solum maximam vtilitatem, sed & periculum secum afferre possint, non nisi arte summa adhibita capienda sunt, Vt ius cicerum rubearum minorem obseruationem, ius brassicæ, tum postulat; Ius betæ acrius videtur, atriplicis tritius spinaciorum certè commodissimum, quoniam sine calore admodum extergit, & dura dissoluit, ac colliquat, sed in aluum potius, quam in renes potest, Ius rapæ, & præsertim foliorum magis verò seminum ab hoc non est dissimile, magis tameu vrinam petit. Carnium genus, quod lentore, quod densitate nimia careat, deligēdum est, Vetustiorum, grauiorumque animantium, & in aqua, aut in otio degentium siue quadrupedum, siue volucrium reijciendum, nimis iuuenum, & non natorum pariter.

In alibili genere passerculi sic renes spectāt, vt in medicamentis diuretica, & item erinacei. Partium quoque, quæ nimis duræ, aut glutinosæ, aut recrementosæ sunt, aspernandæ sunt, vt extremæ, præter iecur gallinaceum viscera, sanguis, & cutis omnino, & gladulæ omnes; In piscibus eadem spectari oportet; qui tamen ratione alendi nunquam carnibus volucrium, aut terrestrium præferri debent, vt omnino præferendi sunt ad calculum cauendum.

At sanguinei omnino, & in ijs deligendi ex marinis saxatiles, & fluuialibus, qui in salebrosis, & minimè turbulentis, non vrbes magnas præter fluentibus versantur. Fungi, & tubera, & terrena omnia genera prætermittuntur; quoniam in illis recensendis in immensum oratio serperet.

Secunda mensa rara sit, in qua amygdalæ, & pinei nuclei ferè in diureticorum censum veniunt, proptiē quidem amygdalæ amaræ. Pistacia visceribus amiciora ab eo genere non absunt, in quo cardui, cinaręque sunt, acriusque renes feriunt, & bilem augent.

Ca-

Castaneæ densiores sunt, & terrestris corporis; etsi cum bonum stomachum nactæ fuerint, optimè alant; In fructibus communiter monendum, ne nimis austeri, duritie sint, cocti autem potius, quam crudi edantur, vt pyra, cytonia, & cætera.

Lac rarò admittendum, idque recens, & minimè côcretum, & quicquid ex eo concretum est, inimicum habendum est. Asininum recens tutius est, & eius creber vsus esse vtiliter potest, quoniam renum calorem mitigat, & vdum reddit. Archigenes heminam dabat manè post ambulationê, quo calculum vitaret, quoniam detergendi, & humectandi, deliniendive, caloris vim habet, renesque petit. Ex condimentis sal temperatè admodum adhibendum, nec nisi ad suauitatem, & glutinosorum modificationem concedendum, pituitamque è stomacho detergendam, alioquin salita vitanda, saccharum ei, quod locû mellis subit moderatè, & in eandem commoditatem recipiendum, vt acetum quoque, gelu ex carnibus, aut piscibus factum, aceto quidem cor rigitur, tamen raro admittendum, aceto diu condita, & in eo vetusta facta cauenda sunt. Omphacium aceto magis refrigerat, & astringit, & stomachum calidum tantum iuuat, & frigido nocet, ita neque hoc loco concedendum. Aromata ad emendanda ciborum contraria vitia tantummodo adhibenda, ex ijsque piper, & cinamomum proferendum, quoniam eorum calor se se tam diu non sustinet, dum ad viscera perducatur, stomachumque interea iuuant. Coctio cibis plurimis necessaria, elixatione potius quam assatione quærenda est.

Vsus ciborum is esse debet, quo pituita, & crudus humor in ventriculo non congeratur, ita modo & natura tenuiorum. nam crudo humore congesto vomitus necessitas sequetur, quo aluus adstrictior solet euadere, quę tamê mollis esse debet, vt propositum est. Vomitus necessitas sui sensum faciet grauitate, ructuum qualitate, & cibi vel fastidio, vel nimia cupiditate à siti remota, tunc verò omnino vomendum est, idque protinus à cibo faciendum.

Vomiturus summo manè oximel deuoret, aut per se, aut cum melle rosaceo, quorum loco etiam syrupus acetosus esse potest, præsertim æstiuo tempore. Vomitum autem ciere larga aquæ tepidæ potione oleo amygdalarum dulcium immixto, & aceti, aut oximellis paulo, seu iure pingui, quod ni post cibum patiatur, ante cibum etiam fieri post largam potionem non prohibetur. Hoc bis in mense sat erit, nisi tentatio morbi vrgeat, idque continuis duobus diebus magis laudatur, quam, si post 15. diem ab vno vomitu alter moueatur. Aluus autem mellis seruabitur, si prima mensa liquida assumentur, & aluum laxantia ex iure, cui incocta sint pruna, passulæ, caricæ, saccharo, aut manna immixta. Fercula etiam ex herbis spinaceorum, blitorum, maluarum. Iura etiam eorundem, vel brassicarum, vel lentium, & similium. Fructus prima mensa accepti, quamplurimum idonei sunt, vt cerasa, pruna, ficus, & similes. Verum, cum hæc minus valebunt, & congestus humor opem postulabit, hunc extergere, & incidere medicamentis oportebit, & irritantibus quoque naturam euocare. Salita enim suspecta sunt, nisi illis facile venter moueatur, quare capparis cum oximelite erit sufficiendus, vel oximel per se, aut cum melle rosaceo, quibus parum facientibus manna subijciendum, aut cassia fistula, aut syrupus rosaceus solutiuus, præsertim cum sero lactis, aut passulæ imbibitæ liquore, cui sena incocta, vel macerata sit, aut hiera, si tempestas patiatur. Aloes quoque certis oportunitatibus, vel per se, vel cum rosis dari posset, tutiores tamen pilulæ, de tribus viderentur, & magis accommodatæ. Cypria præterea terebinthina renibus aptissima est, in diureticis tamen contenta est, quare certa regula admittenda, nimirum metu à plenitudine quacunque corporis sublato; cuius crebro vsu vidimus renes à congestionę omnis dictę matetię fuisse seruatos, cuius calor, siquandoque tempestatum ratione ferendus videatur, vel eius vsus interea dimitti, vel ipsa cum saccharo rosacco

A modificari poterit; vel lotione ex aliqua aqua frigidiori, cuive frigidiora medicamenta, & renibus apta incocta fuerint, quales essent violæ, rosæque, & item tussilago, & nymphæa renibus apprimè oportuna. Valêtiora medicamenta, & præsertim, quæ scammonium, seu diagridium recipiunt, noxia renibus sunt, quoniam biliosos humores vna secum illuc afferunt, & infirmos omnino reddunt, & calefaciunt, atque exsiccant, vnde assandæ materiæ idonei fiunt.

Ante omnia vero vsus floris cassiæ apte facere vsu compertus est, quoniam humectat, & diluit renes. Animi ægritudines, solicitudines, & perturbationes, pro viribus omnino fugiendæ, sed ira maximè potissimumq; à cibo, & item ventriculo famescente penitus, & ex toto declinandę, quo tempore etiam studia omnia, & co-
B gitationes sunt intermittendæ; ac si eorum tunc necessitas inciderit, ea remissius subeunda; Ira autem sic vitanda, vt, antequam incendatur quidem cohibeatur, at cum incensa est, potius cogitatio aliò auertatur, quam ita comprimatur, aut dissimuletur. Accedente autem dolore, cui necessario corpus aliquod alienum subest, tunc prudentia Medici opus est, qui corporis, & cęli statum spectet, & pro vtriusque ratione segerat, quæ quoniam, tam variare possunt, vt scriptura nequeant comprehendi, ad certa capita tamen sic videntur referêda. Ventriculus, si plenus est, confestim vomitu leuandus est; si ieiunus, tunc melius aluus clysteri molli ducetur, postea etiam acriori, semper enim à molli est ordiendû, ne doloris causa per materiam aliquam permota magis increscat; Corpore etiam perspecto, si purgatione ege-
C re videatur, purgatio molienda, si sanguis difficultatem & inflammatio nem minetur, ille quoque nulla re prohibente est detrahendus, interea lenibus fomentis, & alijs dolor mitigandus, & præsertim cum aluus descenderit, corpusque leuatum fuerit. Dolori subuenietur oleo verbigratia anethino, adipe anseris, aut gallinacei, aut fasiani, aut veteri butyro.

Idem poterunt parietaria fœnumgræcum, semen lini, flores chamemeli, meliloti, & ipsa althæa, mel, farina lupinorum, passum, seu defrutum, peucedani radix, lumbis, ventri, & pubi applicata in cataplasma, aut aliquod aliud temperamentum redacta, neque ab eis locus vnquam vacuus relinquatur, ne identidem modo illis appositis calefiat, modo remotis refrigeretur. In potioni-
D bus, aut deuorandis rebus ille ordo esse debet, vt post expurgatum ventriculum ab oleo amygdalarum dulcium, vel amararum ordiatur nulla re prohibente, febreque acuta non extante. Deinde saxifragia genus aliquod commodè subiungetur, & in puluerem tenuissimum redacta ex vino albo dabitur ad pondus vnius drachmæ, quæ si loco oportuno, & aprico lecta fuerit, solet mirificè calculum mouere, vel fraxini semen ante Idus Nouembr. lectum, & in furno tepido exsiccatum, ac tritum ex vino simili modo propinatum; Vel cerasia acida illa minora, & obscuriore colore vulgo marinellæ dicta cum nucleis suis siccata, & trita, vel pimpinellæ semen, & item crusismi vulgo herba S. Pietro. Tû apij, vel petroselini, & pœoniæ, lythospermi, genistæ, carui, ameôs, erysimi, asparagorum, althęę eodem pondere, darem flores quoque verbasci in vmbra siccati, & triti
E in eûdem modum, & pondus dati, siue radicis eiusdem corticis decoctum, ius cicerum arietinorû, ius corticum cæpe, corticis ononidis quod est valentissimum, aqua raphani syluestris.

Compositum illud laudatur, quod recipit personatiæ, iridis ana vnciam vnam piperis drachmam, ex quibus tritis cochlearis mensura ex hydromelite datur. Illud etiam, quod habet rutam, petroselinum, saxifragiam, sium, parietariam, quinque folium, fœniculum, vel in succum expressa, vel in vino decocta, cum oximelite exhibentur. Aqua pariter, cui incoctum sit semen hythospermatis, vel alium, vel, vt dixi, cicera arietina, cortices cæpę, & cortices radicis ononidis. Illud præterea est, quod pharmacopæi paratum habere consuecere

uete ex floribus sambuci, nucleis persicorum, & cerasorum, gumi prunorum, & vino maluatico. Quæ tota nocte maduerint in aqua vitæ optima, deinde p vim ignis extillauerint, cum maluatico in aquam, quæ aqua ad modum vnciarum quatuor in potionem datur horis pariter quatuor ante cibum.

Aqua illa etiam est, quæ per ignis vim extrahitur ex succo saxifragiæ, lythospermatis, petroselini vncijs singulis cum 8. vncijs aceti acerrimi, ex qua datur ad vnciam mane, meridie, vesperi. Sunt apud eosdem artifices trochisci in eundem vsum parati, electuariumque Iustinum, in quo plurima valentia in eum vsum sunt, longè verò magis, si in balneo propinentur, quod ex oleo communi, vel ex supradictis aquæ incoctis, quæ exterius vtilia erant, in quo æger vmbilicotenus resideat ieiunus, donec vires patiuntur, ea diligentia, ne reliquis superioribus partibus refrigescat, atq; balneum tepidum seruetur nempe noua aquæ eiusdem assidua calidæ infusione. Sunt animantia ad idem proficua, vt grilli in fictili nouo ad ignem exsiccati, ex quorũ puluere drachma cum aqua saxifragiæ exhibetur, vt cicadæ in eundẽ modum datæ. Vt interior membrana ventriculi palumbi, quæ ex vino veteri omnia propinantur. Passerculus troglodytes appellatus ad ignem assatus, si comedatur, vel eius puluis exsiccati integri cum plumis, cum piperis paulo ex mellicrato potus.

Si etiam eadem auicula. Aetio auctore viua plumis nudetur, & sale obruatur, & inde sumatur, non solum lapidem frangit, sed prohibet ne rursus renascatur. Sanguis hirci in puluerem redactus ad modum cochlearis ad idem potest ex vino potus. Sic verò parari perhibetur. Hircus anniculus mense Augusti loco sicco concluditur, toto triduo, ex lauro alitur, nihil aquæ permittitur, subinde iugulatur.

Marcellus illud superstitiose addit, sit impubis, & castus iugulator, die autem Iouis, vel solis id fiat, sanguis in olla noua fictili condatur, gypso stipetur, in furno torreatur, exemptus in puluerem redigatur. Quidam recentem sanguinem eundem propinant continuò, vt effluxit ad ternos scrupulos. Nonnulli vncijs tribus eiusdem sanguinis permiscent piperis albi, pulegij, thymi, apij, sem. olusatri singulorum vnciam, alij alia adiungunt. Alij alia, & modo diuerso, nam Aetius hircum quatuor annorum accipit. Multi sanguinem ex aqua coquunt, deinde exsiccant in sole, sed omnia persequenda non sunt. Leporis quoque renes comesti crudi ad idem probantur, qui, si fastidium crudi moueant, mediocriter et assati proderunt. Si leporis pellis recens cum villis in olla ita comburatur, vt in puluerem dissolui possit, & ex eo puluere drachma, aut amplius etiam in vino bibenda detur remedio eidem est. Alio etiam modo fit, lepus iugulatur melius prægnans, & cum eius sanguine pellis eius vsta, vt supra positum est, teritur.

Item etiam alio totus lepus comburitur intestinis solis auulsis, ac valentius remedium fit, si lepus viuus in olla noua concludatur, & gypso penitus obstipetur, & in furno concremetur, & inde cinis fiat. Quod remedium apprimè idoneum esse Aetius, & Sextus Platonicus eo indicio comprobant, quod is cinis si demittatur in aquam, vel vinum, & eodem lapillus inijciatur exiguo tempore dissolui cernitur, & nos non solum lapidi frangendo, sed eidem prohibendo facere experti sumus, cui pulueri commode terebinthina admiscetur, & liquiritia succus, vel oximel squilliticũ, quo efficacius remedium euadit. Quod ipsum per se sumptum ad vnciam vnam, vel cum semuncia mellis rosacei est materiæ lapidis extergendæ, & incidendæ, atque exturbandæ commodissimum, præcipuè verò interpositis quibusdam diebus accipitur, & hyberno potius, quam vllo alio tempore. Syrupus quoque de stœchade cum hoc oximelito multum facit ad lapidem exturbandum.

Cum autem æger dolorum tentationes euaserit, ne in eosdem recidat, hæc vtilia fore determinatum est. Primum, vt suprapolita victus ratione vtatur, & vsu eorũ-
A dem fere medicamentorum ei aduenienti resistat, quibus præsenti oppugnabat, eo tamen modo, quo supra initio præceptum est, & minus valentia deligendo. Modus ille satis seruari videatur si corpus, aut Vere, aut autumno prout hoc, vel illo tempore malum solet exspectari, ante mali aduentum expurgetur, accessioni enim omninò est anteuertendum, sub qua perfecta aliquibus diureticis, & renes firmantibus vtendum, purgatio nunquam valentioribus, aut scammoneum habentibus facienda, sed repetitis debilioribus facienda. Sub canis autem ortu renibus omnino, ex aqua chalderiana certum auxilium peti posse creditur, & id longo experimento confirmatur.

Quibus nec ventriculo offici etiam ob frigus imbecillo est obseruatum, cum frigidiori ventriculo hæc aqua
B sit temperatior, quam renibus robur, & temperiem conciliare vulgatissimum est, quoniã calore laxati multum aquæ eius temperie vincuntur. Neque ventriculo sicciori illa obfutura ducitur ea ratione, quoniam, si qua siccitas est, ea multitudine aquei elementi superatur. Vnde renes cum humiditati recrementitiæ, tum propriè siccitati remedium nanciscuntur, recrementitius namque humor à parte nitrosa, detergenteque, & item ferrea siccante superatur, partesque solidæ colliguntur, & ad excernendum confirmantur, humore autem elemẽtali etiam in sua temperie humiditas eorum propria retinetur, ita & calor tepore aquæ temperatur, & humidum humido elementali sustinetur, acrimonia caloris deletur, & vis assandæ materiæ ab eo remouetur, elixandi autem, & rectè cõcoquendi munus restituitur, & ex-
C plicandi se se ab excrementis confirmatur, & tandem omnis occasio calculo tollitur.

Eadem verò obseruatione hac aqua exhibenda est, nimirum corpore prius expurgato; quoniam quamuis aqua per aluum etiã humores exhauriat, tamen per vrinam fere effertur, & illuc è corpore nimios humores afferret, sibique forte etiã viam occluderet. At quoniam purgatio leuioribus facienda est, ea commode fieri posse videtur ex cassia fistula, syrupo rosaceo solutiuo, & manna, & melle etiam rof. solut. polypodio, enico, rhabarbaro, radice mechianaco, & similibus, maximè si sero caprino ea incoquantur, aut immisceantur, vt solet; ferique largus modus exhibeatur, nam renum vias petit & per se, & medicamentis secum latis eas expedit. Paretur verò præsertim per oximel, & ad normam à Dio-
D scoride propositam, inde ad aquam accedatur, & non solum semel, sed bis, & ter annis continuatis sumatur; sic enim certissimo, & tutissimo præsidio esse consueuit, præsertim, cum à conueniente, & sicca tempestate benè habuerit, nec pluuijs fuerit perturbata, aut a subterranea abundantia humoris dilatior.

Alias aquas scimus ad hunc vsum probari, tamen de nostra, quod certius, & summa fide, possumus, voluimus testificari, alij propria experimenta suarũ aquarum sequantur.

De affectu renum.

CONSVLTATIO CXXVI.

E *Venerande Domine mi obseruandissime.*

SPero thermalem aquam ab Excellenti D. Papirio tibi propositam tuis renibus, atque etiam ventriculo benefacturam, opus quidem erit post hanc curationem se in eum modũ gerere diu, quo longus morbus longa victus ratione vinci possit, quoniam vna modo breuis curatio non satis poterit, quanquam valida. Propterea eam diligentiam adhibebis, ne renes sentiant onus, aut cingulum arctius; minus calorem, aut frigus, cum non minus hoc nocuum sit intus coercendo, quam illa attrahen-

trahendo. Ventriculus à calore melius habebit, caput temperiem exquisitam requiret, quoniam tantumdem ei nocebit solis calor, ignis, lybicus ventus, & cœli similis alia tempestas, quantum frigus, aquilo, quæque aspiratio matutina antequam sol eam coxerit, aut modificauerit, præsertim isthæc Vrbini, qua ab anhelitu conuallium circumsistentium afficitur, sic cœlum etiã vespertinum propter easdem causas, quas de renibus dixi. Quoniam calor iste capitis, si ab externo calore augetur, etiam à frigore prohibetur ne exoluatur, sic maior euadat, & nocentior, ira debet etiam vitare aspirationem fenestrarum per quas angustior facta, impetum vehementiorem acquirit, pariterque ianuarum, præsertim considerando, aut studijs vacando.

Quod ad cibum pertinet, id Medicis permitto, atque tuæ experientiæ. Id quidem dixerim, quod mediocris in omni suo genere erit tutior, quoniam parcior, & leuior corpus redderet nimis obnoxium cuilibet minimæ mutationi, grauior autem, & plenior apte alere non poterit, minus concoqui, aut digeri, sic omninò se gerat, vt semper mane maturè comedat. Quod ad somnum pertinet, is non deberet breuior esse, quam septem horarum bene tecto corpore, & benè velato capite, potius æstate habitarem conclaui frigidiori, quam detecto esse corpore.

De motu silenta ambulatio nimis longa erit, oberit, quemadmodum longa statio in pedes, & in hora, qua cibus sumendus est, aut post cibum, antequam concoquatur adeo, vt, cum noctu non satis dormire potuerit, tunc interdiu potius fuerit quiescendum. Vti clysterijs deberet, saltem communibus, bis terue in mense, aut amplius.

Vitanda esset scriptio proximè ab assumpto cibo, & item cogitatio intentior rerum molestarum, atque ira semper fugienda, vt etiam mœrores. Ex tempore non venit aliud in mentem admonendum, & manum deosculor.

De hydrope pro nobili Manganonio.

CONSVLTATIO CXXVII.

EX ipso primo aspectu ventris, & crurũ triplex malum videtur sub hydropico nomine contentum in hoc nobili viro. Non dixi aspectu faciei, quoniam illa macilentior quidem est, sed tamen non malo colore est, & iugulum vtrinque satis bono colore, & carne est, vt crura quoque, quę, quamuis tumeant, non tamen admodum alba sunt, vt leucophlegmatias nomen vellet, toto etiam corpore quadam scabie rubra integitur, quæ etiam siccior est. Species ventris tumens, rotunda est, & tensa, neque in conuersione hinc inde facta declinat, minus sonitum aquæ edit, tamen aquæ etiam aliquid subesse facile suspicor, quoniam numquam vidi anasarcam, quam hic in cruribus videmus, cum tympanite, quæ tensione alui ostenditur, coniungi, quin intercederet etiam ipsa ascites, nimirum aquosa hydropis species iecore namque, (vt semper existimatui) ex se halitum in cauitatem abdominis amandante pro natura eius humoris, quem conficit, & compræhendit, si habet aqueum sanguinem, quamquam glutinosum, vnde anasarca fit, & præterea etiam emittit halitum siccum ad tympanitim faciendam, cur non etiam pars aquei illius in vaporem, cum eo elabatur? Si tympanitis non esset, nihilque halitus è iecore, ac venis in abdomen ingrederetur, forte iecoris, & venarum continens vis materiam omnem carnibus reseruaret, & ad crura permitteret, & ibi inflationem ex halitu, atque etiam ex vapore faceret. Verum si halitus siccior in aluum exit, cur cum eo non etiam aliquis humidior ex aquoso sanguine exprimatur, qui in aquam redeat à calore iecoris relictus, vnde Ascitis fiat. Atque vt ad causam huius mali deueniam, & quid de vniuerso genere, & indefinito sentio,

A id ad hanc personam accommodem, ita ego iudico hydropem omnem in iecore originem proximam, atque materiam sui habere non quidem coniunctam, sed ex qua conficiatur.

Nam vitiatum iecur siue seipsum, siue ob inductum aliquem humorem eius generis sanguinẽ procreat, quale eius vitium est, nimirum aut aquosum, aut melancholicum. Aquosum, vel liquidius, & ab alimento remotius, vel minus liquidum, nec ab alimento tam disiunctum, quin gluten alibile retineat, Aquosius non attractum sed reiectum tamquam alienũ ab vniuerso corpore, expressum verò tamquam onus nimium à iecore, & venis habitu vaporis in abdomen (quod quandoque etiam intra thoracem fit) rursus in aquam reuertitur, & ibi concluditur nullam viam exeũdi nactum. Minus aquosum B vna cum sanguine, & alimento attractum tamquam simile, aut non alienum ad partes illas subit, & imbuit, & eis adhæret, at non in illas potest conuerti, prius genus ascitim, alterum leucophlegmatiam parit Melancholicum autem genus cęnosum, & limosum potest quidem in totas venas fundi, potest in caput efferri, & insaniam parere, attamen ferè minus facilè à loco in locum dimouetur, & se se sua crassitudine impedit, quod si cõtingat capite firmiori hominem esse, hunc verò etiam limum à partibus respui, tanto magis in iecore remoratur, necessarioque in halitum sicciorem per iecoris calorem exprimitur, & tunicis eius excidens in cauitatem abdominis expellitur, ibique residens non potest in aquam degenerare, à cuius natura, aridior ipse valdè remotus sit, sed ariditate sua flatus vim, & naturam retinet, & tympanitim C generat, quoniam nullus ei exitus datur, alioquin enim exiret omninò flatus sua natura irrequietus, & vias omnes penetrãs, quæ suæ tenuitati satis latę sint, vnde tunicam iecoris peruadit, dum calor eius tenuior est; at cum in cauitate abdominis cum calor tenuitatem relinquat, latioribus meatibus egeret, qui iam non sunt, ea propter non fit verisimile ipsum in ventriculo generari, cui viæ duæ tam latæ vna per œsophagum, altera per intestina pateant. cur enim expressus flatus non potius per illas, quam per crassas, & densas tunicas ventriculi, & inuisibiles earum meatus erumpat? At contra quoque de iecoris loco eadem dici posse videantur, quoniam, cur potius per tunicam, quam per venas eijciatur? Vbi verò par ratio non est, quoniam in meatibus carnis iecoris angustioribus humor magis hæret, & ibi coctio D præcipua fit, dumque humoris in carnibus iecoris inuenitur impeditus, inde facilius extrorsum per iecoris tunicam, quam introrsum per venarum tunicas expellitur. Medijs etiam partibus viscerum valẽtioris naturæ semper ad extimas partes onus deponentibus, quod etiam lieni potest contingere, in quem largius quam ei opus sit humoris demittitur, concedam namque illud crassius, quod in venis continetur, id in totum corpus per venas fundi, at quod in meatibus hæret id paulatim à calore extenuari, & in carnes iecoris penetrare; atque ab illis in flatum conuerti, & sua abdomen expelli, qua propter hypochondriacos multos, & calidioris iecoris in hoc hydropis genus incidisse, & melancholicos multos, & solicitos eo laborasse, & mœrore maiori premi, & consuetudinem hominum declinare animaduertimus. Cuius E quidem certè naturæ, & habitus hominem hunc videmus, qui magno ingenio multaque prudẽtia semper fuit, & in negotijs valdè solicitus, colore pilorum, & carnium admodum nigro, & complexionis omninò calidioris, & melancholicæ maximè per ætatem factæ, cuius naturæ etiam fratres, eius omnes esse cernimus, & proximis diebus fratrem eius eodem malo extinctum scimus. Ita minus mirabor, si medicamenta purgantia ei & aluum parum moueant, & molestiam maximam afferãt, nam eius generis humoris hæc natura, & mos est, quo proposito colligam intemperiem frigidam esse cum materia limosa, cœnosaque. Nam esto quamquam à calore fiat materia eiusmodi, nisi fiat per vehementem combustionem, ex qua ceu cinis retineat calorem, frigida alioquin

est,

est, quoties sic limosa est ex diuturnitate consuetudinis, quam habuit cum calore exsiccata, ab hoc tamen calida non fit, quoniam non propriè exuritur, nisi per magnum aliquem æstum, vel febrem ardentem, cuiusmodi conditionis hæc non est.

At hydrops etiam ex calore fit nimirum naturali calore per calorem igneum extincto. Dico ego colliquationem, & ἀναστοιχείωσιν fieri à calore vehementiori, vt in ardentibus, & magnis febribus, quoniā vehemens eiusmodi calor colliquat primum humores, quasi faciat humidiores quos demum spatio longo exsiccaret, non deficiente namque spatio, calor per se numquam humidum efficeret, affectus autem calor natiuus sic agit, vt ipsa affectio postulat, & donec calor suam naturam adhuc retinet, & in vita est, qualitate, qua affectus est agit si frigida, frigidum, & humidum humorem, si calida, calidum. Vnde adueniente calore, alieno per gradus calor natiuus non subitò penitus consumitur, sed imminuitur, vi sua acriori tamen, & aliena accepta acrius agit, & loco sanguinis bilem potius creat, quam pituitā, nimirum materiam sibi similē reddendo, siccitate quidem calor affectus non semper siccos humores parit, quoniam ea qualitas actiua non est, frigore tamen ob defectum coctionis, & frigidum, & humidum genus facit. Vnde à minori frigore etiam humor fiet ille limosus, siccitate tamen illud frigus afficiente, fiet etiam ab eiusmodi sic affecto frigido pituita potius crassa, crudique humoris nomine dicta, quàm naturalis illa liquida, & tenuior, quam frigus humidius requirit, frigidam itaque omninò supetantium hic statuendam censerem, quoniam, etsi à calidi longa consuetudine is humor esset factus, tamen neque per exustionem, neque, si per eā, hucusque tamen calorem retinuis, quare & humor flatus materiæ submouendus, & siccior intemperies tollenda, & etiam frigidior cum humido genere complexa, & ab eo sustentata.

Sic enim, & flatus, & humor aquosus tolletur, quæ sanè difficillime perficientur, quoniam humor per se semper durus, & renitens est, hicque eò magis, quod diu infixus magis etiam ex spatio induruit, & vias obstruendo sibi dimotionem reddit impense difficilem, ex qua etiam obstructione febricula eum sępè, & facilè tentat. Imò quædam mihi facta est coniectura viscus aliquod ex eo humore intumuisse, & durum factum esse, quoniam cum in sinistrum latus conuertitur inde illud dolor mouetur, quasi tumore duro contundente, prementeque, quod viscus lien esse maxime est consentaneum, ex quo difficultas omninò augeri videtur, vt ab ætate, & corporis natura, atque alijs multis. Aeger tamen deserendus non est, quin omnibus idoneis remedijs iuuetur. Quorum ego illa omnino probarē, quæ humorem melancholicum respicerent, & obstructionem, ex quibus, quoniam, quæ nutura eorum est, omnia medicamenta validius purgantia infesta euadunt obstructione attractu humorum increscente, humoreque durius resistente, ego faciliorem vsum præferrē, & serum caprinum, quo aliàs melius, quam ab vllo alio medicamento habere visus est, omnibus anteponerem, præsertim, si per spicam iuuetur fumoterræ succo deficiente, & cum eo etiam, si haberi posset, cum quo sero satis idoneus ad deobstruendum mihi videretur iridis ipsius succus, & quidem crudus datus vna cum rhabatbaro, & incocto etiam polypodio facta aliqua cum medicamentis consuetudine, & parato magis corpore, vijsque aliquantulum expeditis conficerem pilulas ex pilulis de nitro Alexandri ad ℈.j. ex elaterio ad gr. 3. rhabarbaro ad ʒ. s. ex herba illa, quam staūca cauallo dicunt, vel ex Mezereo, & succo iridis, & hiera, atque illis ego vterer, paulatim tamen adhibendis, vt singula pilula pond. ℈.I. in singulum diem daretur.

Brasicę marinæ non memini, quoniam non tantum fructus ex illa venire obseruaui, quantum ex succo iridis, & pilulis dictis.

Verum ad humorem per vrinas mouendum darem aquam raphani syluestris, & macerationem ononidis, cum aqua stillaticia cinamomi. Illarum quidem ad ʒ. 4. huius vero ʒ. 2.

Postea sudor quoque à me maxime probaretur, qui sub ijs caloribus facile posset excitari, de quibus rebus in dies poterit deliberari. Neque exurendi ventris consilium iam à me iniretur, cum mortiferum remedium viderim, sed in his manerem. Interea ratio victus extenuandi vim habeat, nihilque aquæ, nihil pituitosi, & lēti, nihil duri, aut terrestris, aut crudi habeat. Si iuribus vtatur in illis aperientia coquantur, vt cicera rubra, brassicæ, lentes integræ, radices petroselini, serpillum, origanum, pulegium, & huiusmodi alia, alioquin ab humidioribus abstineat, nisi quantum melancolici succi necessitas humefaciendi rationem postulat, cui tamen satisfactum existimabimus, si buglossam, si quæ ex boragine, & malis etiam quandoque apijs fiunt, concedantur; nā alioquin humor incidentibus etiam eget, & aliquanto calidiora postulat, neque humida omnino tusta habere solet, propter pituitam, cuius copia maxima semper in corporibus melancholico humore affectis, abundat. Ita potionum exiguitas, & fructuum abstinentia necessaria est, exercitatio autem ante cibum per commoda videtur, etsi crura sub illa magis intumescant. A mœrore, & iracundia eum abstinere præciperem, & omninò hortarer, & bonam spem salutis habere. Atque hæc sunt, quæ mihi in rem nostram facere visa sunt, quæ vt salutaria, & felicia sibi contingant, vehemēter exopto.

Contra calculum quæ vitæ ratio, & curatio haberi possit, pro Venerando patre Magistro Alexandro Frācischio summo Theologo, & in dicendo potentissimo.

CONSVLTATIO CXXVIII.

EGo vidi calculos in corporibus duorum generum concretos, altero extenuatorum, & superantia calidi, & sicci affectorum, in quibus ferè in vesica fit, altero carnosiorum penitus, & plurimi sanguinis, quale corpus huius patris venerandi, in quibus vt plurimum in renibus inuenitur. In priori genere causa non est obscura, quoniam in eo causa efficiens in calore sicciori maximas vires ad assandum habet, etsi verò in ijs corporibus materia non videatur valdè idonea, vt in lapidem conglutinetur, quę, & cacochyma dicuntur, & male nutrita, quoniam ferè tenuioribus, & acrioribus humoribus ad concrescendum ineptis scatere consueuere, fit tamen, vt ariditate tandem crassescant, & propter partium disparitatem, vt glutinosa etiam materia, in ventriculo fiat, aut è capite demittatur, nam in tenuibus corporibus vētriculus solet frigidior euadere, propterea quod à musculis, & pinguedine ab dominis, & thoracis non ita foueatur, ventriculus namque suapte natura etiam bene habens, & integer frigidior est, atque à circumsistētium partium præsidio sibi necessario relictus, facile per suum frigus crudum humorem procreat, & ita materiam crassam, & lentā calidioribus visceribus subministrat, quæ sūt ex illis q̄ per calorē terrestres partes in crassitudine multas, necessario consistentes impensius exprimunt, torrefaciunt, & durant, quæ, quoniā ferè lentorem maiorem à calore recipiunt, in lapidem concrescunt, alioquin potius in puluerem, & arenam: quod si à summo calore, à quo cū sero dissolutæ sunt, liquidæ sustētētur, dū viscera calidiora permeant, vt ferè in ijs corporibus calidioribus fit, ad vesicā deferuntur, ibiq; à calore relictæ necessario concrescunt, quamuis contra etiam sæpè, vt Hippocrates ait, vesicę calore magis torrefactæ pariter densæ fiant. Atque ita obscurum non est, quo modo calidis, & siccis corporibus præsertim in vesica lapides contingant.

Alioquin

Alioquin vrina horum crustam lapideam matellæ A non multo spatio solet relinquere. Mirabilius certè videatur, quomodo humidis, & benè nutritis corporibus lapis eueniat, nam humidum ex parte, tam caloris conficientis, quam materiæ omnino est ad calculorum procreationem ineptum, quæ vim non elixantem, sed exsiccantem, & humidum absumentem requirit, cui operæ omnino humidi abundantia repugnat, vnde Aristoteles referens causam, cur cartilaginei pisces, cum intra se generent oua perfecta illa tamen, sine dura testa sint, humidum naturæ eorum causabatur, vt è conuerso testa causam in ouis auium calori dabat, & siccitati. Tamen in humidioribus, & benè nutritis corporibus lapideos ingenitos cernimus. At ætate potius inclinante, cum iam calor corpora viscerum exsiccarit, & ipse acrior factus fuerit; Materia verò etiam eiusmodi nanciscitur, quæ facile ea ætate, eo corporum genere solet abundare, nimirum sanguinis limosa quædam natura corporibus sanguineis inclinante ætate familiaris. Nam refrigerato calore non amplius ita multum sanguinis consumitur, tantumdem tamen potest generari, atque ita sanguis sui copia superat vim spiritus à cuius calore liquidus sustinetur.

Vnde in suam naturam terrestrem reuertitur, & melancholicum sapit, non quidem illud exustum, veluti cinis, sed limosum, vt terra, quod in omni sanguinis copia nimia, & insolenti euenit; vnde vel in virginibus melancholicus fit sanguis, si menses supprimantur. Sanguinea igitur corpora inclinante ætate melancholico sanguine, & ad arenas idoneo abundabunt. Imo casu quopiam refrigerationis ventriculi incidete, inde etiam gluten, & materiæ plurimum solet prouenire, quibus causis cumulus mali, & periculi proficiscitur, cum eo, C quod ea ætate excretrix vis minus sæpè valere soleat, ex quo excrementa crassiora facile remorentur, & spatio id etiam à mediocri calore accipiat, quod breui ab immenso nequirent; nimirum ipsa ad extenuandum inepta minus ad nutriendum idonea, necessario durantur. Hoc est, quod in hoc corpore vereamur, quod humidum quidem sua natura est, vt color & mollities carnium indicant, calore tamen per spatium ætatis sicciore facto, & sanguine, vel propter multitudinem crassiore potest cum efficientem causam, tum materiam subministrare excretrice vi non ita multum valēte, & ventriculo etiam ab hoc non alieno, sed ob studia assidua, & sollicitudines varias infirmiori, & frigidiori facto, multumque pituitæ subministrante, vnde arenulæ in vrinis crebræ cernuntur, & grauitas, ac lassitudo dorsi D assidua est.

Renibus præcipuè calidioribus ad se plus materię ab vniuerso corpore attrahentibus, & eius quidem crassiori parte ibi commorante non ita citò excernentibus ipsis.

His ergo cum occurrendum sit tot mihi capita res habere videtur, primum, vt si quid humoris est, qui foueat superantias dictas, intemperiei calidioris renum, & iecoris, frigidioris autem ventriculi illud detrahatur, deinde, vt superantia vtraque refrangatur, ac ne in posterum alterutrum resurgat, procuretur. Materia appositissime ad educendum parabitur, syrupo acetoso, s. rosaceo simplici, de succo cicoreæ, oximelle, melle E rosaceo, syrupo de betonica de lupulis, qui pro opportunitate temporis, & corporis, atque ætatis erunt deligendi. Exhaurietur autem eadem materia sic parata semper, aut per vomitum, aut per aluum, nam quamuis, quæ in locis ad renes pertinentibus est, commodè per vrinam duci possit, ac propterea etiam debeat, tamen, quoniam, quæ illuc feruntur medicamenta, ea secum humores eiusmodi trahunt, atque, si eorum copiam in medio corpore inueniant, eam confertim nimis in renes important, vias sibi occluderent, crudæ materiæ subsisterent, & lapidis, aut ei similis periculum afferrent. Mora enim multum facit ad maiora opera, tam aliena, quam naturæ conuenientia edenda.

Medicamenta vomitum cientia erunt in facilioribus aqua tepida, cum oleo, & oximelle, vel syrupo acetoso, aut iure pingui ijsdem iniectis, aut etiam ex aqua malorum aurantiorum, seu ea cui incocti sint cortium omnes partes, vel partes omnes malorum medicorum. Valentiora erunt, si asari radices, aut raphani, aut tandem ellebori albi incoquantur, oximelle semper, & oleo adijciendis, quorum ordo semper à facilioribus per gradus ad valentiora ducendus est. Aluo ijdem humores educentur oportune post vomitiones, & apparatus supra positos. Ex medicamentis idoneis erunt mel rosac. soluti. manna, & cassia ad reliqua medicamenta delinienda. Diacatholicon, diaphænicon, hamech, agaricus, rhabarbarum, sena, polypodium, & similia à medico apte componenda, quæ omninò repetenda, seu B iteranda sunt, antequam loca circum renes tententur. Subijcienda, itaque demum sunt, quæ renes expurgant, in quibus adhibendis idem ordo seruandus, vt à succo, seu iure betonicæ, lupulorum, seminum melonum, ad radices rusci, asparagorum, radices, & semina, & item petroselini, apij, alchachengi, ad ipsam ononidem, cetrach capill. Veneris, cicera arietina, amygdala amara, & persicorum, atque cerasorum nucleos, & eius generis multa.

Demenda materia ferè cum ea intemperiei superantia omnis vitiosa decedat, quoniam, nisi in habitu, seu corpore viscerum infixa sit, à quo est demptu omninò inepta, nihil firmitatis habebit, & materia remota medicamentorum vi, intemperies viribus corporum ipsorum viscerum eam respuentibus eliditur, fieri tamen potest, vt demptis humoribus quædam materię fuliginum similes tunicis venarum, seu vasorum infixæ relinquantur, quæ detersionem postulent, & refractionem suæ naturæ. Vnde visceribus sic impensius calidis illa necessario calida erunt, cum ab illis calor fit, & conseruetur, ventriculo verò frigido ibi erunt frigidæ. Fuligines hæ spatio non breui egent, quo dimoueantur, & detergente medicamento deradendæ sunt, quare leuioribus quidem vti solemus, seu diu, & in multa copia, qua totum venarum genus peruadere, & diluere possint, & id perficere.

Habemus verò ad melancholicas fuligines, & pituitosum etiam situm familiare serum caprinum, tam tenue factum, vt peruadere citò queat, tanta verò copia datum, vt necessaria loca attingat, cui detersionem mel le rosaceo etiam solutiuo, vel sacchato rubro, vel manna, vel succo certe fumiterræ augemus. Confirmamus verò vim omnem penetrandi per spicam, per oximel, etiam squilliticum, amicitiam item per eandem spicam ei cum visceribus conciliamus.

Renibus verò proprie purgandis succum anagallidis, alsinesque imponimus. Sero ipsi humores deducenti, vel salsam parillam, vel etiam commodius aquas balneorum naturalium subiungimus, viscerum verò calori immodico consulentes, calidiores vitamus nempè, quæ sulfure multum valent, eas verò deligimus, quæ plus ochræ, aut ferri habuerint; non sine nitro sale ue fuerint, non tamen multum ijs possint, ne nimium exsiccantes vim assandi viscerum calori inducant, sed aqueo elemento vis illa desiccans obruatur, quo verò viscera ei confirmentur, aluminis aliquid habeant. Quarum partium omnino Chalderianę, Villesesque, & sancti Marini existete ab omnibus compertæ sunt. Aquæ etiam Virginis à Patauinis similes esse prædicantur. Ego ex eo experimento, quod habui, certior factus certiora etiam possum affirmare de aquis Chalderianis, & de ijs, quæ in valle Sancti Marini scaturiunt. Nam de aqua virginis nihil certi obseruaui, de Villensi publicum scio eas esse apprimè vtiles, id verò experimenti habeo, quod quosdam ex rara calculi tentatione in assiduam copiosissimæ arenæ minctionem deduxere, à calculoque tutos fecere; alios à nocturna pollutione ad tempus liberarunt.

Aquæ Sancti Cassiani Ficuncellæ dictæ in vsu sunt con-

contra calculum, sed multos vidi inde reuertentes, qui forte vetustiori morbo affecti nihil leuamenti retulerunt.

Ergo de aqua vallis Sancti Marini in fenibus montis feretri, & de aqua Chalderiana possum bona fide testificari, eas esse, & tutissimas, & admodum accommodatas renibus ab hoc periculo vindicandis, quæ à plerisque etiam non purgato corpore solent sine noxa assumi, & minimè corpus affligunt, aut cruciant, aut valdè commouent. Certiori tamen cum fructu, & longè tutius post purgationem corporis medicamentis etiam valentioribus, si fuerit opus, vel sero caprino factam, vt dictum est, assumentur totis nimirum 15. diebus libris primum ternis, deinde increscendo quotidie vsque ad denas, & amplius ipsis nimirum ante medios sumptionum dies, & à medijs item ad ternas facta reuersione decurrendo, vt vltimo die ternæ pariter libræ sumantur, quæ aqua, nisi per renes, qua ferè soler, excernatur, aut etiam aluum, succus seminum melonum immisceatur, ad binas vncias in dies, quo succo semper solet per vrinam procedere, quod si non respondeat, sacchari rubri tantundem idem solet præstare, quibus non valentibus ad fortiora ad eundum; qualia ex vrinam mouentibus supra sunt descripta. Dictæ purgationes Vere, & Autumno esse debebunt, aquæ autem potio nimirum Chalderianæ, & Sãcti Marini Sole leonem ingresso solent esse commodæ. Villenses prima æstate primoque Autumno. Purgatio itaque Verna serius haberi poterit; cum aquas sumpturus est æger, quoniam aquæ sumendæ tempore aliquo leni medicamento resumpto illi satisfiet.

Medijs autem temporibus, donec valetudo in tuto non constiterit, cautè semper viuendum, & vitandæ primo omnes cum frigoris, tum caloris superantiæ, siue à cœlo, siue ab integumentis sint, nunquam subitæ mutationes ab hoc in illud subeundæ, ac frigus cœli non per autem corporis, sed per spiritum potius accipiendũ. Crassitudo cœli, aquarum, & vinorum, ac ciborum omnium fugienda, numquam à cibo laborandum, grauiusve aliquid, aut subtilius, aut, quod animum commoueat, cogitandum, minus tunc dormiendum, nisi aut consuetudo securitatem, aut nocturnæ vigiliæ necessitatem dormiendi faciant, tunc verò longè à cibo somnus recipiendus, nec longus admodum habendus. Aluus mollis seruanda ijs, à quibus id tuto potest exspectari, videndumque, ne inexercitatus mensę accumbar, ac quamuis exercitium non valdè laboriosum esse debeat, illud tamen vehementius, cui assueuit, erit tutius, quam aliud leuius, si insolens fuerit, superiorum autem magis partium, thoracis, vocis, brachiorum, quam inferiorum, ac dorsi esse oportet. Itinera in equo potius leniori, & gradario, aut etiam lectica, quam in curru locis præsertim asperis, & saxosis sint. Sigillatim autem omnia, & singula recensere operis ferè infiniti esset pro pterea ex omnibus cibos tantum attingam, & eorum quoque certa genera tantum exponam, in quæ singulorum rationes relatæ suis locis possint intelligi, atque æstimari. Genera ciborum summa duo sunt. Vnum penitus alibile, alterum ad aliud etiam, quam ad alendum efficax. Quod alibile simpliciter est, atque ad nil aliud efficax, id aut sine sapore est, aut à dulci, ita proximum, vt per coctionem facile ad dulce peruenire possit, cuius saporis est lac, caseus recens, ouum, ptisana, triticea puls, chondrus. Alica, oriza, carnes gallinaceorum, & similium, caro hædi, vituli, & multæ aliæ inter herbas lactuca, & inter fructus quoque castaneæ, atque amygdalæ: ita, quamuis non omnia huius saporis alibilia simpliciter sint, quoniam multa nimis humida sunt, alia nimis sicca, tamen omnia, quæ alibilia simpliciter sunt, huius saporis necessario existunt, & in hoc genere ciborum numeranda, omninò huius saporis sunt.

Alterum genus ciborum ad aliud præterea valens, quam ad alendum partes, habet alias ab his, quæ alendę sunt, & in eis ea vis efficax est posita, quare in sensum agere eadem etiam vi possunt, & gustum mouent magis, quam, quæ alibiles tantum sunt, quæ naturalis caloris actionẽ excipere in se idoneæ potius sunt, quam in aliud agere.

Contra illæ, quæ efficaces sunt, & actuosæ propter suam agendi vim, & sapiunt magis, & gustum irritant, quales, quæ in caseum veterascentem adueniunt; vetus enim iam non simpliciter alibilis est, sed alias partes vetustate acquisiuit, quæ vim aliquam agendi in corpus habent, vt sensu gustatus, qui quidam tactus est, cognoscitur. Ciborum ergo laus, vt cibi sunt, in eo est posita, vt sapore minimo sint, & eo, qui citra dulcem aliquanto consistat, atque hos boni succi esse dicimus. Differentia horum ea est, quod quidam magis, quidam minus alant. Magis alunt, qui crassiores in his, & magis glutinosi sunt; minus alunt, qui minus lenti, & minus crassi sunt, quoniam alimentum lętorem aliquem, & crassitudinem habere debet. Verum, qui minus crassi sunt, minusque lenti faciliores etiam ad mutandum in alimentum sunt. Crassiores namque, & glutinosiores difficilius conuertuntur, quamuis plus alimenti præstent, præterea id mali etiam habent crassi, & lenti cibi, quod facile meatus impediunt, in illis subsistunt, & obstructiones pariunt, & calculorum etiam periculum afferunt. In his ergo sic moderandum est, vt parcitate sumendi crassorum, & glutinosorum grauitatem leuemus, copia verò tenuiorum eorum alimentum augeamus, eo proposito semper, quod, cum otiosam vitam habemus, mediocre genus, & modus alimenti grauis sit, cum verò exercitationibus vtimur, mediocre tenuius euadit, & quod par ciborum genus paribus viribus, etiam pari necessitati est concedendum. In genere mediocri ponuntur gallinacei grandiores, in tenui ponuntur ptisana, pisces minores. In crasso tritica puls, oua indurata, pisces cetacei, caseus densior. Vltra mediocre à parte ipsius tenuis pertinentia sunt auiculæ, turdi, postea perdices, columbæ, & similes aues non admodum graues. Citra mediocre à parte crassi generis sunt vitulina, suilla, veruecina, hædina, & alię, quæ longum esset enarrare, caro bouilla, ceruina, & ferarum, atque etiam auium quarundam *syluestriũ*, & præterea plurium herbarum. Illi in secundo genere ponendi sunt, &, si quandoque laudantur à qui aliquid efficiendi, id habent, quoniam, quod efficiunt illud naturæ opem aliquam afferre possit, nimirum recrementis, aut secandis, aut detergendis, aut alio modo afficiendis. In his mel omnium minimam partem habere videtur, ad detergendum, & aperiendum valet, ni tamen caloris remissioris homini detur, nimis calefacit, & bilem generat, quare senibus tantum secure concessum est. Attendat igitur vnusquisque, cum Medici hæc ciborum generant laudant, quod ipsi laudant vim certam eorum, qua aliquid pręter alimentum valeant naturę in auxilium præstare, nec nisi certa moderatione, ac pro vsu, & necessitate aliqua vtendi sunt, nam alioquin omnino mali succi sunt, & eo peioris, quo actuosiores, & quo maioris saporis sunt. In hunc sensum cicorei, & lupulorum, asparagorum, & betonicæ, & similium laudes, accipiam, nec nisi artefice moderante adhibeantur, eoque cautius admittantur in hac calculi, & arenarum suspicione, quo magis ad vrinam ciendam, aut ad stomachum calefaciendum posse prædicabuntur, nam hæc viscera calefacient nimis, illa, nisi vacuo corpore dentur, ex omni corpore omnem materiam ad locum calculi conficiendi conducent quales sunt persici nuclei, asparagi, lupuli, & similia, &c.

De Febre, & artuum dolore, ac macie cum suspicione gallica pro nobili Lauaniolo.

CONSVLTATIO CXXIX.

COllega doctissimi, si à me hoc dicendi officium posset præteriri, certè vos omnem laborem mihi detraxissetis, causam enim abstulistis, cur mea opera hic interponatur, ita subtiliter omnia estis prosequuti, quæ huic curationi necessaria occurrebat. At contra longè euenit iam, nam, & locus meus vacuus à dicendo esse non debet, & vos ista vestra diligẽtia, non solum mihi dicturo laborem abstulistis, sed potius accumulastis, qui tam copiosè, tamque subtiliter dixeritis, vt nequeam memoria ea complecti, minus repetendo oratione prosequi, quæ à me saltem essent repetenda, cum nihil præterea habeam, quod in hac consultatione proponam. In eum ergo modum me geram, pondera tantum eorum, & monumenta maiora prosequar, sic officio satisfecisse, & saluti nobilissimi iuuenis prouidisse videbor. Summa capita eorum, quæ externis cernuntur, & grauissima sunt ea esse duco, febrẽ assiduã, cuius fere nullus est pulsus, artuum dolorem, infirmam ventriculi concoctionẽ, & mæstitiam, quæ dubios nos fecit, num sine causa sit. Hæc à quibus causis eueniant, & illis quidem cum assidua, & iam vetusta sint internis discernere facilè, & breue non est, quoniam vnumquodque varias habere causas potest, exempli gratia concoquendi ille defectus, posset contentricis, posset concoctricis effectum esse, nec nisi multorum consideratione longa posset determinari, eiusmodi multa alia sunt. Verum caput omnium à vobis, iam constitutum in gallico morbo est, quare ego eam potius disputationem aggrediar à vobis tractatam, num gallica lues horum in causa sit, quæ quamuis propria indicia certa non habeat, syndromen tamen certam solet assequi multorum indiciorum. Et hic ea tantam habet coniecturam, vt fere ad scientiam accedat. Coniecturæ multæ à vobis propositæ sunt, vt quod artuum dolores noctu increscant, quod ex remedijs gallicis melior fieri soleat; quod luis illius initio certissima signa extiterint. Præter has autem ego illam summè grauem existimo, quod ab illo certo gallico initio nunquam integer spatio aliquo tanto fuerit, quin post octo, aut decem dies in eadem symptomata, ac etiam peiora reciderit.

Et profecto quid causæ fuit huic adolescenti qui xx. annum vix attigerit, cur tot malis occupetur? Cur non conualescat remedijs valentissimis accipiendis, vbi tanta est in corpore mollissimo, quidem durities, quæ remedijs tantis resistat? At gallicis etiam nõ cessit, tamen ex illis etiam melius habuit, non est autem penitus restitutum, quoniam remedia satis spatij non habuerunt, citra namque iustum debitumque dierum numerum sunt dimissa. At potest ne lues dicta tot casus afferre? potest ne vlla causa, tamdiu trahere? potest, quoniam humores cuiusque generis parit, & sæpè eius generis, qui cum lenti, & penitus glutinosi sint luem illam implicitam tenent, & irretiunt, & vna secum ad parietes meatuum agglutinãt, & aduersus remedia obfirmant. Genus eiusmodi humoris quod abundet sub gallico dare cernitur, cum ægroti hydrargyro curantur, quibus per multos dies gluten crassissimum ex ore pendens continuum exit. Ex eo humore sic intus constipato calor concitatur, & halitus humoris similes efferuntur. Vnde aliqua caloris immoderationis indicia in iecore, & febris ipsa in corde excitatur, alioquin enim, neque in iecoris, neque in cordis corpore credo, ego calorem immo-

A deratum hærere, quoniam, neque calidi iecoris indicia extant, neque hecticæ febris, vt refertur, & qđ ego video nulla pulsuum duritie perpetua manente, sed identidem reuertente, vt vt obstructiones ab eo lento, & crasso humore meatus decurrente in angustosque incidente conficit hectica alioquin febre duritiem perpetuam omnino factura. Ast sensus febris sæpè nullus est. Hoc quotidie experiri possumus febribus pituitosis lentè afficientibus, id euenire, vt quæ laticæ dici solent, quorum generi hanc proximam existimarem; nam pituitam principem locum habere in hoc malo videor ipsis oculis cernere, vnde ea consumpta, aut per aluum excreta sæpè ipse bene habet, quod sine febre esse denotat, sic hectica esse non potest. Halituum eorum aliqua pars ad artus B demissa nocturno cœlo minus exoluitur, & ita dolorem facit; calore etiam interiora magis appetente, & eminentibus partibus refrigescentibus; vnde melius contectus minus solet dolere. Aliqua halituum pars calorem retinẽs in caput fertur, & quoniam siccior est à crassiori, & terreno magis humore elata, calore quoque magis potest, atque ita insaniæ leuem speciem affert, calore suo spiritus, & imagines permouendo; & alienas etiam excitando. Non habet locum hic illa contemplantium dubitatio, quomodo melancholia, cum frigida sit, actionem viriet, deprauetque, cum frigoris potius sit actiones infirmare, abolereuè, caloris verò peruertere. Nam hoc insaniæ genus, quod nouis, & alienis imaginibus, vel per- C turbata cogitatione fit, non sine calore fit, neque hic confugiendum est ad illud responsum nimis ab hac re alienum, quod tantum vera sit illa sententia, cum facultas ipsa læditur, non cum obiectum peruertitur. Sicuti in oculis suffusis, nam in externis sensibus illud responsum valet, in quibus obiectum potest peruerti ob animantis morbum, non valet in insania, vel in melancholia, neque enim fit per fumum, & tenebras oblatas (vt Galenus ait) corruptis obiectis, vbi obiecta nõ sunt, minus lumine opus habeat, longè minus locus lumen recipit, internorum namque sensuum insania est, quorũ non differt facultas actum suum nacta ab imagine recepta, vt differt in oculis. A calore ergo, & calido suffuso in cerebri corpus insania fit semper. At in frigida melancholia, sub qua D solus timor est, & tristitia, de aliqua certa re, vbi si insania est, de vna tantum re cernitur, vt de morte, & simili, dico qđ ibi cor ipsum afficit seipsum, cerebrum autem minimè: cordisque læsionem sequitur cerebri actionum læsio; quæ cordis læsio in peruersione non est, sed ad priuationem, tunc inclinat, quoniã fit quædam compressio in seipsam considens non ad robur, & fortitudinem se se colligendo, sed ad ignauiam, & desidiam occupando. Cordis verò, & animi consensione mens cogitur, & impellitur ad ea cernenda cogitandaq;, quę illi cordis, & animi ægritudini respõdent. Sed hæc obiter dicta sunt, ad leuis insaniæ causam referendam facientia. Ventriculi infirmitas ad eundẽ vaporem circumquaq; dimissum sequi potuit, qui tãquã caligo adherescit, & refrigeratur, & præser- E tim, quoniam in lue gallica iecur potissimũ vitiatur, quod facilè malum, cum ventriculo communicat. In hoc autem maximè corpore in quo obstructum est, neq; liberum habet spirituum cõmeatum, quibus spiritibus ventriculi natura frigida priuata facilè in immoderatum frigus delabitur. Atq; sic descripta huius mali natura, iam indicit ipsa quid opis, quæ desideretur ad illius expulsionem, nimirũ luem ipsam esse absumendã, sed prius materiam, qua conglutinata tenetur esse amouendã, quæ vt lenta incisionẽ, & abstersionẽ postulat, quo possit postea detrahi, in quo glutine, & lẽtore, ego credo vim oẽm huius luis collocari. Nam esto malum, aliquam sui proprietatem habeat, nullam ego videre possum proprietatem, quæ, etsi in

tertij,& quarti generis qualitate consistat,non tamen ad secundas,& primas sit referenda, itaque ad lentorem, & illius causas vitium gallicum ego referrem, qui quidem lentor putrilaginem aliquam retineat vnde factus est,vnde contagium,& adhærendi vim cōsequatur,& tandem maximè in membranis densatus hæreat,tenuis quidem adeò est, & vaporosus præsertim, recēs creatus vt minimos vapores edat atque ita facilius recens communicari consueuit. Eiusmodi vapores sua tenuitate minus idonei sunt ad febrem mouendam quoniam exigui sunt,tamen cum genere humorum tam multo crasso, & glutinoso sæpè coniungntur, qui propter obstructiones febrem etiam pariat vt in hoc corpore, & alijs multis euenisse scimus. Ergo situs quidam est,qui parietibus meatuum adhæret, & in membranis maximè tandem concrescit,iecori verò potius accidit,quoniam cor discutiendi, & dissoluendi, & propulsandi maiorem vim habet,caput verò humores longè maiorem, & longiorem mutationem nactus accipit, quam vt possint putrilaginem illam reseruare, quandoque tanta est, vt illucusque etiam feratur vbi etiam firmius adhærescit loco membranoso,& ita quibus caput quoque in gallico affectum est, eos fere conualescere non posse vidimus,& casibus totius corporis,& faucium per valida remedia sublatis breui tamen spatio recidere, nimirum propter mali vim maiorem, & propterea quod remediorum materia non facile illucrisque potest peruenire sic illa præcipitati dicti remedia tunc conquirenda sunt. Ventriculum quidem ei putrilagini minimè esse idoneum facit maxima illius capedo. Sic certis causis fiunt morborum proprietates, quæ tamen occultæ inscientibus vocitantur. Sic gallici toties accusata occulta vis nascitur, nam situs qui in dolijs tam molestus est,& res tā vulgaris quo quam cunque vinum nihil infirmitatis acquirit est, tamen tantæ partinaciæ, & tantum sui sensum facit, vt corpus crassum habere vim occultam non solum certissimum sit, cur ergo etiam in viuis corporibus quamuis exercticem vim habeant non possit ingenerari, aliquid quod suo lentore excretrici inresistens sese per propagationem saltem conseruet? nam excernatur quidem etiam est necesse, tarde tamen, & dum tarde excernitur,interea sibi simile parit. Hac suæ tenacitatis proprietate fit vt à guaiaco maxime incidente re apprimè superetur sin minus à præcipitato etiam deradente.

Causantur multi per quandā vim occultam ad substantiam iecoris accommodatam cuius substantiæ nō qualitatis vitium volunt esse hanc luem. Sed cur purgationibus solis,cut solis sæpè exercitationibus lues illa absumitur? quæ exhauriendo humores tantum possunt? quare luem hanc esse sobolem humoris omninò est credendum, non qualitatem aut quidquam substantiam iecoris continens. Ea ergo sui detersionem abrasionemque requiret, vt humor ille crassus eam tuens postulabat. Igitur à prioribus prius locis & medio corpore est detrahendum,deinde à toto ambitu inde purgantibus medicamentis, hinc sudorem mouentibus, & vna detergentibus, vt guaiaco, salsaparilia, china, & eiusmodi quorum delectus pro ratione iurium, & status corporis erit habēdus, & quoniam febris assidua subest, potius salsa,quoniam ventriculus infirmus est,non sola,sed cum cicoreo saltem & betonica propinanda,ac febre cessante per guaiacum tum lui gallicæ tum ventriculo aptissimum agēdum,& sic curatio ordinanda,vt mediæ quidem partes medicamento primum purgante leniter leuentur deinde etiam sanguinis missione illa qua crassus, & lentus exhauriatur nimirum venæ missione latius facta,id quidem hirudinibus fieri nequaquam posset, & minimè in extremis vbi sanguis magis confectus est,& magis delectus,quæ subtilius foramen faciunt, etsi proximè à medijs visceribus, & iecore per mesaraicas educendo essent non minus oportunæ,adhibitis postea ijs quæ glutinosum humorem modificant, fortiori postea medicamento tollantur quod ex Hamech confectione, & sena valeret; quibus demum potiones ex salsa,& cicoreo subijcerentur, & demum etiam guaiaci potio sufficeretur, cum febris esset sublata, &c.

Huic cum sanguis missus esset, ita in superiori parte concreuit,ut corium ibi videretur, quod neque gladio secari poterat, & calicem vitreum eius tenacitatis cum luce tā conglutinarat, ut abstrahi non posset, Ex purgatione uerò, & salsaparilia benè habuit.

De summo scriba Prætoris diarrhæa, & maligna febre propè extincto.

CONSVLTATIO CXXX.

NArratum est à Medico hūc uirum quadragenarium uoluisse mederi cuidam rubori faciei, & sumpsisse leuia medicamenta, & pręcipuè post multos syrupos rhabarbarum, spatio duorum mensium interiecto, cassia tantum sumpta, accessisse ad potiones aquę balneorum Chalderianorum, quorum neque tertiam partem mingeret, multum sudaret, & aluo deijceret, vix finito decursu potionum, diarrhæam fuisse animaduersam, quæ ex accepto cydoniato cum scammonea orta est, nam antea fluoris illius ipsas potiones aquæ Medici causabantur, cum nimium deijceret, postea verò diarrhæam, cum febre fuisse, & cum iam conualescere, & sine febre esse, fuisset iudicatus, & vinum concessum, tunc subitò vires lapsas, eminentes partes refrigeratas, sudorem frigidum sequutum, & in eo statu iam 15. totis horis esse,nihil ipsum molestię sentire, nisi summum languorem, & petere recreari, nam mente, & lingua, & sensibus omnibus valere, Nos fœces alui molles quidem, sed æquabiles, nec mali coloris, nec liquidas videmus; pulsum verò in dextro quidem brachio nullū, in sinistro autem vix sentiri posse digitis, vel maximè suspensis (compressis enim penitus cedit) maximo extremorum, & eminentium frigore partium sudoreque, cum mediæ partes, ferè bono calore præditæ videantur ad pectus, & hypochondria, lingua alieno etiam colore, sed non valdè malo in visum vergente, spiritu pauco, nec tamen valdè crebro, cum ipso sensu, & mente omni liber, atque integer videatur. Cuius ego casus naturam libenter exquirerem si salutis aliquam spem subesse iudicarem, quod non facio, quoniam existimò alui fluorem ex vitiata copia fuisse, illamque non satis eductam fuisse, quin multa relicta, ac morbo acuta, & spatio putredinis pessima facta eius vitam iam strangulet, vbi locum cordis quoque nacta est, vnde quamuis cor initium vitæ, & animantis sit, tamen, quoniam vis à corde partibus tributa illis, non vitiatis comprehensa potest leui cordis vi etiam sese aliquandiu sustinere, propterea cerebro ualere hoc exiguo spatio etiam 24. horarum potuit corde etiam sic oppresso; non tamen diutius trahet, sed una cum cordis uiribus, cerebri quoque uires concident, quod in morientibus phthisicis semper fit. Causam etiam huius mali quærere importuna res est, nam nihil utilitatis habiturum est, siue aqua balneorum corpus minimè purum, immo potius malo sanguine refertum inuenerit, & una cum eo uires presserint, unde spiritus, & calor innatus non ualuerit totis humoribus emanare, & illos à corruptione sustinere, ita in illam uniuersim lapsi cordi primum

mum vires ademerint, & ad ipsum reuocari ob eius indigentiam, & motum agitatum dilatationis, illud grauiter occuparint quibus iam suffocetur, fluxui certè culpam huius debilitatis non attribuere, quoniam non video vires per discussionem exolutas. Sed per oppressionem suffocatas, quoniam faciem pleniorem cum oculis,& calorem medij corporis minimè acrem sentimus, discussio autem nimia squalorem, & acumen calori acquirit, & corpori tenuitatem: præterea numquam tam subita fit discussio,quũ subitum videmus hunc virium casum,subitos quidem materiæ concursus,& oppressiones fieri posse scimus. Quid ergo restaret? Si possemus viribus prouidere, vt sese contra tãtam molem, & corruptionem sui alimenti sustinerent, theriacam proposuistis,quã etiam paulo ante dedistis. Ego in tanta virium tenuitate eam vererer ne nimis dissolueret,vt,& vinum potẽs, quare aliquid vini oliogophori potius concederem, cum modo cibum acceperit, & loco cibi gallinam anniculam ad ignem haberem donec tabesceret, cũ cordialibus dictis pulueribus, atque ipsius viscula cum puluere bezoar lapidis darem; nam ille lapis vires aliqua insigni qualitate non absumit,potius cordi amicus est, & humores ad ambitum corporis fugat, etiam vsum carnium de stillatitijs liquoribus sentio non admodum haberi commodum, nisi cum exsiccandum est. Modus vini vix vnciam attingeret,tempus nũc penitus esset. Tabefacti autem liquoris tempus ab hinc quarta hora; modus pro ea parte carnis quam comprehenderit, gallinæque vnius ius in 24. horas diuideretur, nam tota penitus non tabescit. Si liquidus succus non erit, scio enim varijs modis id fieri cum iuris alternis gallinæ liquidioris partibus; duabus vna huius liquoris commiscenda est. De cordialibus epithematibus, nescio quid dicam, permittam omnia, quæ aliquid solatij ei sunt allatura, nam ipse auxilia efflagitat, & desiderio eorum citius peribit.

Quarta post hora extintus est.

De vveritatio febre, & doloribus iunctura-rum laborante.

CONSVLTATIO CXXXI.

MAnifesta in illo ægroto sunt illa tria, dolores articulorum genuum præsertim, atque etiam carpi dextri. Febris quotidie eadem ferè hora rediens, atque lotij quædam sordities turbulentissima, horum omnium causæ putantur in lue gallica positę,quæ vetustissima est, & ita ad generationem humorum crassorum peruenit, vt consueuit cum omni tum sua conditione à quibus febris primum quartana duplex, deinde fortè triplex facta est, quoniam quotidie tentat, fortè etiam ob nimiam pituitę iam factę copiam quotidianã, fortè, vt affirmat excellens physicus altero quoq; die similis, nam vidi aliàs, cessanti quartanæ tertianam superuenisse. Hic itaque ex forma,seu typo ipsius non potest certò cognosci cum à simplicis humoris natura non fiat,ita potest bilis quoque aliquod, vt solet dominium in hac putredine habere; & eius circuitus ad se adducere. Quæ febris sine frigore fineque aperta refrigeratione reuertitur, quoniam humor cum in eadem parte congregatur in qua putrescit, tum non tantum incendium, aut tam subitum concipit, vt calorem, & sanguinem non ad se trahat, & frigus apertum faciat, refrigerium pedum tamen aliquod affert, quoniam initians quantulumcunque A incendium ferè id facit. Cur in eadem parte putrescat materia in qua generatur facilè videre est, in crassitudine, & lentore materiæ in Virium excernentium infirmitate, & viarum obstructione iam duriori facta; Crassitudo, & lentor materiæ diuturnitate ipsa facta est viribus ventriculi imbecillis factis,ipsoque materiam crudam suggerente, caloreque alieno per obstructiones facto,lentorem inde comparante, vnde in gallicis pro ratione corporum gummata sępè nascuntur eiusmodi materiam habentia. Hic verò metum facit eorumdem, quoniam quamuis tumeant ipsi articuli, seu artuum iuncturæ non ipsimet artus medij, vt in gallica consueuit, nihilominus cum certus gallicus sit, facilè tumores illi in gummata conuertentur, tumorum, & dolorum eorum causa fuit B quidem, quod mulieres febre iam quotidie cum exagitante frictionibus, eum agitare voluere, tamẽ materia gallico vitio infecta opus sibi cognatum edet, nisi inde remoueatur; Dolores illa facit, tum extendendo, tum morsu quodam virulentiæ suæ infestando. Vrinæ sic sordescunt, quoniam illuc materia impetu fertur quo consueuit iam diu per gonorrhæam, qua quidem subsistente cessanteque per vrinas materia conuersa est. Ita gallica lue, & materia eam fouente sublata corpus in integrum restituetur, immo auderem affirmare, quod nihil reliqui futurum sit sola materia penitus extirpata, nam in morbo gallico nihil præter materiam inuenio cuius remotio opem Medici efflagitet, multos enim solis purgationibus C per pharmaca purgãtia plurimos per vnctionem hydrargiri ipsam quoque corpus tantummodo purgantem,nonnullos solis exercitationibus vetusto etiam conualuisse nouimus,quapropter sublata vitiosa materia, quod in febribus quoque videmus,nihil restat, quod ope Medici indigeat, diligenter tamen illa est abstergẽda deradendaque, vnde guaiacum,& salsaparilia, quæ detergere, & per sudores materiam diluere possunt, huic malo tollendo aptissima sunt. Materia ergo subtrahenda, totis viribus vacandum est,cum ea namque,& febris,& dolor omnis submouebitur. Ac ne febri vires adiiciamus non guaiacum, sed salsampariliam mitioris, aut nullius caloris deligemus; leuiter prius corpore saltem in primis vijs expurgato, febre sublata, quoniam ipse omnia medicamentorum genera multoties expertus est, nihil D melius cognouit esse quam sit inũctio ipsa, quę ei nihil incommodi attulit,rogatus, vt illam quoque concedamus. Ego ad illam ipsum dimitterem,quæ non infirmior esset, ne materiam ad caput, & pectus moueret,minimè verò expelleret, & angustiam spiritus, & refrigerationem cordis pareret vt obseruaui, sed fortiorem potius præciperem, vt singula axungiæ libra non binas, sed ternas saltem, & amplius vncias hydrargiri haberet, cum ijs tamen, quæ illud modificarent. Ante medicamentum quo corpus purgari oportet humorem pararem syrupo acetoso simplici propter lentorem,& crassitiem pituitæ,& melle rosaceo propter eundem lentorem, & ventriculi infirmitatem, & syrupo de lupulis qui fumiterræ recipit, & E boraginem, & lupulos, quæ ad mitigandum diluendum, & abstergendum melancholicum humorem faciunt.

De missione sanguinis non consulerem, quoniam ab hinc duobus mensibus tanta copia ei per nares fluxit, vt si ei credamus, sex aut septem libras æquarit.

Is euasit, ita tamen, vt quoque anno in difficiles febres etiam cum tumoribus incideret, neque multos annos vixit.

De Febre intermittente biliosa pro Illustri Comite Marcola San Bonifacio.

CONSVLTATIO CXXXII.

IN morbo hoc quem in manibus habemus videtur mihi maior pars transacta non solum ipsius, sed omnis curationis, nam, & sanguis missus est, ex quo materia ad putrescendum, & ad alendam febrim idonea, detracta est, medicamentum etiam exhibitum, quo multum bilis eductũ est, & illius quidem mordacis, & minimè serosæ, quæ sua mordacitate paulatim, & crebrò exiret, Vnde prius multum materiæ febris haberet, quare non mirum est, si morbus inclinarit, vt accessiones febris non solum minus incensæ, sed breues omninò factæ sint; quare nihil mihi restat amplius videndum in ordine hoc dicendi, qui ad me tandem peruenit, quam vt ea medicatione agamus, qua reliquiæ morbi tutò ad insequentem valetudinem aboleantur, quod quomodo agendum ex illarum natura innotescet, quæ sic mihi aperta sit.

Videmus nos hypochondrium sinistrum plenius, & formam lienis maioris sentimus, ictericum ferè corpus est. Vrinæ adoratiores, ita vt inficiant, etsi pleniori in nitro spectentur in rubeum flauum vergunt. Antea, & vrinæ coloratiores, & febres incensiores, & cum ventriculi anxietudine non mediocri, alui tamen feces sine colore non sunt, qui quidem multus non est, neque generi febris respondet.

Ex his obstructiones magnas ad iecoris cauitatem, & ad lienem subesse ego conijcio, nam tactus, & ventriculi offensa, color lotij, & totius cutis ad testantur non omnem cauitatem, sed partem aliquam esse obstructam; & illam ad meatus fellis pertinere, non tamen eos omnes occupare indicat ipsa aluus nõ penitus decolor, & quod vrinę iam minus coloratę procedant. Liene malè affecto quodnam humoris genus congregetur, quodue meatu felleo non expedito obscurum vobis non est, humore ergo bilioso, & melancholico congesto, biliosus vincere potuit, & ita in tertianam speciem febres conuertere, & notas omnes eius naturæ præstare, quamuis corpus ætate 65. annorum ad bilem minus quam ad melancholiam, & pituitam oportunum sit.

Siquidem quæcunque ætas, quodcunq; genus corporis fuerit impedito felleo meatu, & liene, ventriculo etiam male affecto, semper notæ bilis superare consueuere. Hic ventriculum potius bile quam pituita affectum video, quoniam anxietudo non fit meo iudicio à pituita, sed illa quam Galenus Ventriculi compressionem vocat; neque pituitæ indicium hæc mihi anxietudo est, vt fuit Doctissimo Doctori, sed fit à bile, & bilis nota est. Crassitudo etiam bilis non semper pituitæ admixtionem, immo neque admixtionem semper sequitur, quoniam bilis ipsa cum per exustionem serum suum amittit, crassescit, hic verò fit, & per exustionem acceptam à putredine, quæ sępissimè species exustionis est, nimirum quoties cum à calore alieno fiat repentè, & vi sæpè multa fit, id est non educente humidum, sed absumente; & à febre inde accensa quæ ignis ferè est, sed fit etiam per admixtionem humoris melancholici, cuius certissima coniectura est, cum lienis tumeat, & pressus etiam dolorem faciat. Atque hæc de humoris natura mihi dicta sunt, quæ à nobis in curatione est tractanda, & vna cum obstructionibus amouenda.

Ad quod faciendum restat modo vt coniunctiores partes materiæ auferamus cum iam quæ poterant accedere per venæ sectionem, & pharmaca sublata sint. Medicamentis ergo quæ viscera expedire possint abstergendo incidendo, & extenuando, quæque familiaria visceribus sunt, vt cicorea cetrach, agrimonia, rhabarbarum, rhabarbaro quidem absinthij loco in morem Galeni vterer, darem etiam quædam eorum quæ per Vrinas materiam abstersam, & ex febre continenter excedentem euocant, vt lupuli, & radices petroselini, asparagi, rusci fœniculi, & catiotarum atque apij, neque enim formam vt aiunt febris, hoc est calorem metuerem cum mitis iam facta sit. Ne verò noua materia succrescat ad obstructiones faciendas ventriculo, consulerem inunctionibus, & fomentis, præterquam quod suprapositis medicamentis id fieret.

Aluum etiam alternis diebus ducerem quo non solum è ventriculo eam traherem, sed reliquias febris, & quasi cineres, subinouerem. De victus ratione non multa dicam, quoniam rectè instituta est extenuans, non tamen omninò tenuis, & horas compressionis non impediens, quamuis non tanta compressio sit, vt à cibo aliquid grauius timeri possit, duo tantum consideranda videntur.

Num scilicet vinum sit concedendum, num ptisana post purgationem differẽda, Vinũ inclinante iam morbo, & vrinis concoctionẽ in eneoremate ęquabilissimo demostrãtibus, & corpore omninò mediocri, etsi rubicundiori, ego non negarem, quoniam diureticorũ iam locus est, & cruditatis nullus metus est, ac quod de vino dixi, de ptisana quoque censerem, immò nescio, quid motionis ipsa habeat quæ immaturo etiam morbo vitanda sit. Quod si antiquitus prohibebatur in morbis crudis, forsan nomine alimenti prohibebatur, quoniam ea in morbis eiusmodi communis cibus erat. Forsan tamen in morbis iure tamquam genus eiusmodi cibi prohibebantur.

At hic ipse morbus longè à partibus thoracis situs est. In morbis thoracis, vel leuis humorum incitatio, verenda est, & ita ptisana ibi fortè tantummodo, & iure prohibetur. In iecor verò non ita, quoniam vias excretioni promptas habet, & non tam ex commotione accipit fluxiones, quam cum sese exonerat. In hoc verò morbo, vt dixi, & malum ad iecur pertinet, & concoctum iam est, excretionesque mouendæ sunt; & multum materiæ detractum est.

Quare hordeum in iure incoquerem, & ex ipso etiam in cibum darem quo viæ abstergerentur, & tenuis humor suppeteret. Atque hæc sunt quæ mihi ad prouisionem potius futura valetudinis, quam ad præsentis morbi curationem dicere visum est, febris enim iam ferè finita est, obstructio verò in posterum aliquid minaretur.

Febris paucis diebus sublata est, vrinis coloratissimis, & cum eneoremate crasso manentibus, aluo autem ferè alba, & corpore flauo, & imbecillo diu.

De

De Io. Donato Leui moribundo.

CONSVLTATIO CXXXIII.

HIc Collega nobilissimi nos habemus duo mortifera, quæ cernamus excrementa, & pulsus, alioquin enim facies, & totius corporis species vna cũ suo calore ad naturalem speciem omnino accedit, nihil alieni in oculis, in malis, in lingua, in locutione, in calore si vel ipsa hypochondria tangamus, pulsus creberrimus, minimus, & imbecillimus est. Vrinæ albę, sedimen crassum exustumque continentes, quod alieni caloris actionem denotat, alui fęces dissolutæ maloque colore existunt, & modo nimis fluentes, modo nimis adstrictæ sunt, quod etiam naturæ vim oppressam nec nisi morbi impulsu ac sine ordine agentem significat, quare vna cerebri vi excepta, reliquæ omnes fractæ sunt, quod certissimum exitium nunciat, vita enim non in cerebri vi sed in altrice, & cordis natura sita est.

Vbi mirari licet quomodo vi cordis tam fracta, & iecoris etiam pariter afflicta cerebri munera integra serentur, cum cerebrum vitam, & alimentum, & spiritus ab illis accipiat deinde quo ego sic statuerem quod non ipsę, vires in seipsis diminutæ sunt, neque aut cordis aut iecoris corpus in se læsum est. Sed ab humoribus malis, & alienis occupantur, ne possint toti corpori vires suas per spiritus communicare, illudque per arterias, hoc per venas ~~suum~~ officium exercere ita tamen, ne omninò impediantur quin iecoris munus cordi, cordis verò cerebro multa parte pręstetur vijs latissimis intercedentibus, quæ non tam facilè possunt impediri per suam latitudinem, cor enim per se numquam primum succumbit, sed sese reficit vsque ad extremum, obrutum verò mole aliqua humoris quod cerebro spirituum debet, non omninò denegat, ipsum tamen interea cum onere suo colluctatur cerebro integro ad se quod sibi necesse est attrahere valente.

Verum quid ageres tu in tanto casu? Ne relinquerem omninò cordialia dicta ex vino aromatico, aqua melissæ, & acetosæ, & pulueribus cordialibus, & croco confecta adhiberem, vel cum theriaca, & bolo armeno intus etiam theriaca ℈.1. singulum in singulum syrupum inijcerem, syrupum verò ex scordeo citriq; succo, & aqua cui incocta esset tormentilla scordeum acetosa, & citri semina. Cucubitulas toti dorso sine ferro adhiberem, vt materia cor amplexa retraheretur, nam vereor cor in malis humoribus notare, & vidi sæpissimè per inspectionem cadauerum euenisse, quod si videatur vobis conficiendum esse bolum ex saccharo rosaceo boraginaceo, & bolo armeno, citro, pulueribus smaragdorum, theriaca, & paulò camphoræ, illud ego summopere probarem. A vino abstinerem, neque tamen tenuissimum victum darem, o ouorũ lutea non aspernarer, in homine præsertim, qui cum egeat cibo, eo parum vti potest, sed & numquã sine paulo aceti concederem, quoniam quamuis crassi alimenti non sint glutinosi, tamen sunt, alioquin multi alimenti non essent, aceto verò ab eo periculo vindicabũtur, sed potius intra vsum ptisanę tamquam abstergentis, & tenuem nec glutinosum succum facientis manerem. Aquam quoque in potionem darem, cui incocta esset acetosa, cinamomum, & immixtus acetosus syrupus aut ex citri succo factus vel oxisaccharum, & in his manerem. Dixi.

Quarto die ab hoc sermone extinctus est; cum secunda cœpisset facie ipsa, & loquutione occultum malum significare.

De Archipresbitero Gebeci alui fluore, & febre exagitato.

CONSVLTATIO CXXXIIII.

HAbemus febrem, & alui fluorem, is tantus non est, quantus vel vrgendo nos metu iurium, vel cogendo tamquã sine quo tollendo febris tolli non possit, aut tamque causa ipsius nos agat ad se curationem conuertere, potius enim ipse fluor febri curandæ idoneus videtur, tum quod coctionem materiæ sequitur, tum quod nihil mali videtur intestinis aut viribus minari, quoniam rarus est, & humoris satis temperati.

Febri igitur curatio tota concedi potest, quæ quoniam in humoribus posita est, & non nisi per putredinem humores ad putrescendum idoneos, & putredinis, illiusque causas opportunitatis remouere debemus, ac quod in dies putridum factum est, illud discutere detrahereque, quæ omnia nos consequi posse mihi videor, si syrupum de cicorea Nicoli cum rhabarbaro dedero, adiecto etiam rhabarbari puluere, quoniam in eo conueniunt quæ vrinas mouendo putrefactam humorum partem, & quæ etiam ad putrescendum idonea est, possunt depellere, vt apij fœniculi, asparagi radices ac semina, alihachengi, rhabarbarum capill. veneris, & alia conueniunt, quę obstructiones expediunt, vt omnia quæ dicta sunt, & imprimis rhabarbarum, & præterea, setrach, cuscuta, & omnia cicoracea, ex quibus rhabarbarum depellere per aluum humores alienos potest, non solum biliosum sed vt ait Mesac, & nos experimur pituitosum, & exustum quoque, quod eò facilius, & plenius cumulatiusque faciet, quod iam viæ conuenientes morbo ipso apertæ sunt; & eò humor incitatus. Atque hoc credo morbum iri finitum. Febris ante finitam alui mollitiem finita est.

De Mandolo Physico habito.

CONSVLTATIO CXXXV.

VIri optimi, in corpore hoc quædam manifesta sunt vel certa, quædam verò coniecturis intelligenda sunt. Certissimum illud est quod ei pectus plenum est, atque cor angustia maxima oppressum est, illud ex angustia spiritus, hoc ex pulsuum crebro, & paruo insultu notissimum.

Materiæ etiam genus qua pectus refertum est cerni potest, ex ijs quæ per spirirum excernuntur, quæ ait ipse interdiu pituitosa, & alba sunt, noctu autem virorem quendam præseferunt, & pituitam ostendunt, quæ noctu propter moram, & putredinem, vt ferè fit illum colorem recipit.

Posset esse purulenta, sed hoc necesse non est, quoniam videmus sæpè eum colorem in sputaminibus à purulenta natura omninò remotis in puerulis, in adolescentibus, & senibus etiam bene valentibus. Coniectura autem illud colligere possumus nimirum à capite hanc materiam demitti, quoniam in iuuene bene carnoso bonique coloris non potest ventriculus tam infirmus esse, qui tantam copiam pituitæ conficiat, & subministret. Caput ergo id faciet potius, à ventriculo tamen materia pituitæ idonea suscepta, nam neque ipsum caput tam refrigeratum esse potest, & tam benè cerebrum posse officio suo fungi huius notæ sunt multæ, illa verò maximè quod fauces diffluentes humore sint, & fermè tument, & hoc quidem

dem sine dolore, larnix etiam nimio humore imbuta A vnde vocem raucam edat. Causæ plurimæ fuere, quæ etiam coniecturam confirment præsertim ex domicilio, seu conclaui cubiculoque nimis frigido atque humido. Coniecturale quoque illud est; num Vlcus aliquod in pulmonibus insit, nam sanguinem quondam spuerat cum pronus, & demisso capite nescio quid ageret, quod semel & iterum copiose expuir cū semel & iterum pronus id voluisset experiri; tamē alia coniectura non est, nam neque ea nota certa est, quod tussis nullis diebus intermittat, siquidem materia in thorace assiduè potest propagari, vel illuc assidue descendere, & ita tussim quotidie certis horis noctu, aliquibus verò etiam interdiu mouere, forte vlcus assiduam magis tussim faceret, at in sinistra magis parte B grauatur, destillatio autem promiscuè in vtramque descenderet. Hoc non est perpetuum, quoniam non semper æquè se habent dextræ cum sinistris partibus; & infirmioribus semper defluxio contingit, præsertim quod iste defluxus etiam per venas à capite descendit, neque per larynga omnis posset sine perpetua tussi etiā sensu aperto descendentis humoris fieri, vnde etiam repelleretur tussi, nec in pulmones descendere permitteretur. Materiam ergo pituitosam à capite demitti, illamque primum à ventriculo identidem reddi colligere possumus, quoniam ventriculus sæpè in vomitum propensus est, & sæpè etiam nimia cibi cupiditate tentatur. Corpus etiam vniuersum inde pituitoso humore infarciri indicant vrinæ ipsæ quæ modo albæ, modo virentes, modo crassæ, modo C nimis tenues procedunt, neque verò tanta materia in pectus conueniens in solo capite occasionem posset habere, febrem inde subsequi non mirarer cum tanta materia è toto corpore confluat, & in pectore cunctetur vbi putredinem etiam in vijs angustioribus concipiat.

Quomodo verò cor in angustia spiritus sic arctetur, sub qua sæpè in multis liberum esse intelligatur facile intelligatur, nam non solum in thorace, & pulmonibus materia angustiam spiritus faciens, & propterea arteriæ asperæ ramos occupans aut vrgēs, potest tanta esse, vt ad vasa cordis emanet, alioquin enim cor sæpè raram motionem habet, thorace creberrimo anhelante, sed facilius dum è totius corporis, & capitis venis in pulmones compellitur per dextrum cordis sinū percurrit sic thorace anhelo, cor cogitur creberrimè agitari, vt quasi suffocati cordis speciem præ se ferat. De quo morbo ego sic iudico hunc hominem prius iri suffocatum, quam pthisicum. Interea extrema remedia præcipiantur, ferrum candens capiti tribus, aut quatuor locis applicetur, errhina adhibeantur post aliquam corporis purgationem ex agarico cum sero caprino, aut medicamentis agaricum recipientibus, & frictionibus assiduis toti corpori adhibitis, postea, & legmata valentia dentur, vt de pino, sanum illud, & expertum. Postremo si vires supersint, ego salsapariliam cum ijs quæ pectori sunt familiaria propinarem, nam sic capiti, & toti corpori à pituita liberandis exsiccandisque, & pectori exhauriendo consultum iri crederem.

Is à Salsoparilia melius habuit aliquo tamen post tempore recidit, & interijt.

De Antonio Tomalio febre detentò.

CONSVLTATIO CXXXVI.

PVtridam febrim esse dubium non est, eandem esse pituitosam ex vrinis minus quam in febre consueuit coloratis, & ex modo caloris minimè mordacis, ex lingua humecta, ex modica siti, ex somno non impedito, & nulla cibi aspernatione facilè potest intelligi, quod ex febris diuturnitate, & multis euidentibus causis, & signis cruditatum licet confirmati, nam 13. dies finitus est, & tamen vrinæ coctionem perfectam non ostendunt, quamuis fortè hoc mane magis coctæ fuerint vt refert Doctor, quoniam eas non vidi ac si coctionis aliquam meliorem notam habuissent ego sperarem nos die 20. finem incrementi habituros.

Sed 20. certè erunt obseruandæ, in medijs enim diebus nullam indicij vim tenent. Vbi erit in memoria habendum quod plures partes vult vrina in indicanda pituitosæ febris coctione, quam biliosæ, in biliosis enim leuiores coctionis notæ pluris æstimandę quam in pituitosa grauiores.

Esto verò simus in ipsius febris incremento, quæ pituitosa est, nullosque casus metuendos aut molestos habet, eius causæ nimirum, quæ bilem, pituitam, & putredinem pariunt sunt submouendæ.

Ita cruditatum omnes occasiones cauendæ, quæ cruditates non solum pituitæ sed in corpore calidiori etiam bilis in causa sunt, cum partes dissimiles habeant, quarum tenues si non in bilem, saltem in aquosam quandam bilem aut salsam quandam pituitam vertuntur, crassæ autem in pituitam potius crassiorem, & lentam quam tenuem, & naturæ aptam, sic tertianæ febris pituitosæ tamen originem pręstant cruditates in calidiori corpore, huius generis causæ fuere repletiones præteritæ, ac nimiæ satietates, & labores illi qui subito à satietatibus subibantur, & maxime in Venere sub caloribus nimijs, sed hæ in decumbente ægroto facilè vitantur.

Aquæ potio simplicis nulla re incocta aut immixta D quæ aquam possit extenuare ne diutius in hypochondrijs subsistat, ipsa quoq; vitanda est, imò si neque aromatibus modificata esset, largius concedenda, ne ventriculus à concoquendo prohiberetur qui ex ructibus intelligitur valdè labefactatus: imò vt cōcedit Galenus in febribus vbi pituita metuitur ventriculi coctionem iuuarem aliquibus iniunctionibus, vel etiam fomentis bilis generationem minus timerem, quoniam hic illa non est potior huius mali causa, & cum tenuis sit facilius à natura discutitur, nec obstructiones sibi fabricatur, & pituitæ detergendæ auxilium præstat.

Vnde Galenus vel in tertianis puris origano, pulegio, & alijs medicamentis calidis vtitur, quanquam in cibis calori resistat, sic enim non solum ob- E structionum faciendarum, & pituitæ occasiones auferuntur, sed quæ substitere etiam dissolui possunt.

Verum humores qui iam in corpore sunt; & vitiati sunt, & putredini coniuncti, quod aut in illam propensi sunt, aut iam ea occupantur, & item obstructiones demendæ sunt. Atque in hoc præcipuus labor versari debet.

Vtrumque fieri possit, chyrurgia quidem si iterum sanguis mittatur, vires enim permittunt, & nihil prohibet, vim magnam retrahēdi materiam ab obstruēdo cteditur habere venæ sectio si in remotis, & directis partibus fiat, quemadmodum si in vicinis medio maioribusque venis plus sangninis crassioris, & rudioris educit.

Ergo hoc loco in se manet, quod in vsu hic Veronę maximo est, fiat quãquam sanguis elaboratior educetur magis tamen ab obstructionibus retrahetur febribus, id etiam non ita diu trahentibus admodum validum remedium ratione obstructionum à visceribus amouendarum experitur, hoc igitur faciundum consulerem.

Ex medicamentis autem maximè syrupum de cicorea Nicoli cum rhabarbaro deligerem, & rhabarbarum in eo sępè augerem. Nam credo ea omnia in rhabarbaro, & longè vtilius esse, & melius, quoniam Galenus in absinthio esse prædicare solebat cũ in febribus huiusmodi ipsum adhibebat ad expediendos meatus ad materiã detrahendam ad viscera recreanda colligendave, & confirmanda. In syrupo autem decocto insunt radices, & semina aperientia, & herbę iecur, & lienem spectantes, & omninò per vriuam, & aluum purgantia, & nisi quod missio non tanta est, quãtum syrupus de bisantijs, & acetosus diarrhodon habet illis, hunc omninò præferrem, quare acetum iniungerẽ, & ita bizantinum nihili facerem, nisi quod in eis rosæ sunt, at earũ loco cicoreæ multæ sunt, quæ possunt satisfacere vbi capitis ratio non admodum multa habenda est.

His ergo cum humores vitiosi, tum obstructiones subtrahentur, neque concoctio meo iudicio in vsu illorum valdè expectanda est, quoniam non nisi, quod putrefactum, & resolutum est educi oportet, quoniã alioquin remanens maius vitium compræhẽderet, & sic contagio suo meliores etiam humores vitiaret, ne dum coniunctum cum vitiatis molem eorum, & copiam augeret, hoc enim in putridis febribus maximè attendendum mihi videtur, præsertim vbi crassiores humores sunt, qui per putredinem non cõsumuntur, Hos propositis medicamentis facilè præstatur, alioquin enim ante perfectam maturationem purgantibus fieri posset maior obstructio, maiorque putredo dum attrahendo tam putridos, quam integros humores, & crassos, ac lentos quos putredo solet resoluere, & dissipare, antequam putrescant extrahũt, & ad vias angustiores deducunt, atque attractu illo cum alijs confundunt, & ita ad putrescendum impellunt. vnde à purgationibus in obstructis corporibus vidimus sępè febres maiores factas, & homines necatos, tũc verò id periculi est cũ affectus locus ad vias iecoris pertinet, cum verò ad pulmones nõ, nequaquam tamen molliora illa medicamenta, quæ quasi clysteriorum vsum præstare possunt, & non nisi promptos in vijsq; communibus subsistentes humores deducunt, essent adhibenda, & sæpè repetenda; quo humores, vt illuc demitti à putrescentibus contingit, detraherentur, quemadmodum de rhabarbaro dicebam, sunt enim, manna, cassia, mel, & saccharum solutiuum, alia ex rosis facta est, quod ex prunis fit, & eiusmodè alia, vt diacatholicon, & legitimum dictum, quæ meo quidẽ animo cum rhabarbaro coniuncta commodè sæpius adhiberentur. clysteribus nõ demissis; Atque hic modus curationis mihi summoperè cum Galeno esse, & maximè probandus videretur. Cum syrupo ergo de cicorea Nicoli habẽtes rhabarbarum, ego acetosum syrupum componerem, & altero quoq; die rhabarbarum augerem, quod etiam crassam pituitam educit, & quinto quoq; die saltem aliquid dictorum medicamentorum coniungerem, & sic conualiturũ hominem sperarem.

De ratione victus nihil adijcerem ijs, quæ dicta sunt, vitium certè penitus circumciderem tanta copia vitiosorum humorum substante, vt ex purgationibus per medicamenta factis intelligitur, quibus infinita copia detracta est, nec tamẽ febris quieuit præsertim vrinis nondum coctionem pollicentibus. Cibum mediocrem hactenus seruatum aliquantum postea imminuerem, eo. s. magis quo proprius ad summum incrementum accedimus; frictionibus coctiones, & anhelitus perflationes humorum iuuarem, & quoniam somnum habet iustum, de eo procurando nihil laborarem. Animi perturbationes certè prohiberem, & timorem præsertim, quoniam numquam vidi magis trepidantem hominem mortis metu simul ac Medicus accedit, pulsus fit hominis trepidantis adeò, vt nullum inæqualitatis genus non præ se ferat, & etiam paruus, ac creberrimus fit, talis quãdoq; ad omnem Medici orationẽ, quæ de se fieri sentit, euadit, vt vox etiam cũ pulsu consentiat, verbis quidem hilaritatem appellat, sed animo trepidat; quare dubito ne humores liberiores, & à putredine resoluti sub eo spirituũ impetu in cor facto, ipsi cum spiritu, vti ferè necesse est, in cor trahãtur, & ibi cum ijs humoribus, quæ cor alere debent, confusi, illis putredinem inducant, sic eo metu perturbatis, & calore proprio non sustentatis, quoniam tunc facilè alienum compræhẽdunt, quo propius minus firmiter eos continens superatur.

Is post sanguinis missionem, quę 18. die facta est ex indicta sibi domum à medio confessione facta, tam timuit, & tam conflictatus animo est, vt in sudorem incredibilem inciderit, & summam desperationem, & animi angustiam sub qua ineunte die 19. fuit. Incipiente autem 21. (cum vrinæ in 20. peiores fuissent, & confusionem minatæ essent, ex clystereq; multoties deiecisset) in summam opinionem, & subitum mortis quasi instantis metum cecidit, ut se mori iam iam clamaret. Pulsu tenorem suum, & vehementiam seruante, ex quo facilè reuocatus, & recreatus eius animus fuit, quoniam Medici omnes fortè aderant. At nondum finit, à 21. à cibo iterum eadem trepidatio cum habuit, & aliquantò longius tenuit. 22. Verò incipiente cum tertio aggressus idem timor est, qui totis tribus horis, & amplius modo eum magis, modo minus exagitauit, qui pulsum trepidantis identidem faciebat, nulla facultate deficiente, nullo cordis morsu, nullo frigido sudore, nulla corporis cõflictatione, ipse tamẽ se mori clamabat nulla siti, nullo oris amarore, nullo demum cruciatu, nisi quod se mori sentire asseuerabat, & se se magno labore exagitabat, nec vnquam clamandi intermissionem faciebat. Medici vino maluatico quasi animo deficientem recreare conabãtur, & theriaca & multis alijs. Inde ipse in quandam taciturnitatem sibi insolitam omninò, & quietẽ, & summa agitatione subitò conuersus est. vt secundo ab hoc die apud se non esse, & morem suum ineptè prosequi videretur.

Tertio verò etiam morem amittere urinis semper confusionem maiorem acquirentibus, & pulsu infirmiore euadẽte, & febris calore acrioti, qui mitissimus esse soleret, ita quinta die à leuiori illo initio trepidationis, & quarta à uehementi illius labore, & exagitatione extinctus est, quum toto die ante metuendo insolentissimè fuisset vexatus, præsertim suspicione veneni ex vino, & continenter expuere uina tentasset, & manibus tremulis, ac conuulsione agitatis fuisset. Extinctus uerò putuit citius, quam consueuerint cadauera, & faciem turpem acquisiuit.

De Monacha Lacisia varijs morbis affecta postquam Rhudolphus, & Iuliarius atque Turchetus dixissent.

CONSVLTATIO CXXXVII.

POstquam huius rei mihi disceptatio contigit, sic de ea ego statuo. Morbum quo tamdiu vexatur Reuerenda Virgo habere longè difficiliorem explicationem, quam curationis determinationẽ. Morbus ipse

ipse namq; tot,& tam varijs,& explicatu difficillimis partibus constat, vt longissimum tempus,& diligentissimam tractationem,& doctrinam summã requireret,nec sine longo differẽdi labore definiretur. Ordo curationis cõtra mihi videtur in duabus partibus tãtum niti, à quibus tamquam capitibus omnis curatio deduci, & constitui possit. Siquidem duæ partes tantum inter tam multas sunt, in hoc morbo, in quas si Medicus spectet, satis notitiæ pro curando malo captet, quibus demẽdis morbus omnis aboleatur, quare ego reliquas ad speciem dicendi potius, & ad ostentationem ingenij facientis prætereo, neque controuersias ad curationem nihil facientes attingam, partes vero duas illas tantum oratione prosequar, & curationem ex illis instituam, nimirum pituitæ, & melancholici humoris copiam in hoc corpore subsistentem. Quæ cognosci possunt ex ijs, quæ in eo perspicua extant. Vigiliæ, sonitus circa aures,& strepitus, seu crepitus magni, & assidui. Ventriculi, & totius ventris flatus, & tensiones identidẽ reuertentes cum constrictione hypochondriorum, ac si cingulo strictiori vrgeretur, totius corporis,& artuum præsertim palpitationes, & crurum œdematosi tumores, & ferè etiam brachiorum, dextri præsertim. Metus, & mœstitia in dubium reuocantur, quoniam ipsa nihil se metuere asserit, nisi morbum tamdiu se opprimẽtem, & tot curationibus numquam mitigatum,& aliarum consuetudine cui libenter alij dicunt eam continenter mœreri, solitudinem quæritare,& lachrymari, sed certissimum illud est. Menses iam à morbi primo initio semper exiguos fuisse in muliere, quæ calida, & humida iudicatur, quamuis potius calida ætatis summum incrementum tenentis, & omninò constitutæ 25. nimirum annos vix superantis. Ex quibus ego sic cogito, vnde tanta pituita in calido corporis genere, & ætate florenti quanta non solum ventriculum teneat, sed fusa per totum corpus cum sanguine eum pituitosum reddat, & postremæ mutationi resistẽtem conuertique in corpus recusantem, vt in quibusdam partibus apponatur quidem alimentum, sed minimè conuertatur, quæ tam crassa sit, vt non vapores ex se calfacta emittat, sed flatus terrenæ semper naturæ miscellam sequentes. Collegæ Doctissimi, quoniam mihi sermo est, cum magistris nõ cum discipulis ego simpliciter ductum originis huius morbi sequar, & à suppressione menstruorum vnde illam esse iudico, exordiar. Suppressio, seu imminuta excretio sanguinis menstrui frigoris, & pituitæ causa fuit, neque alia in hoc corporis genere in hac ætate locum habere videtur. Potuisse autem congestionem nimiam sanguinis, & præsertim recrementosi frigus afferre monet me sanguinis natura, quæ authore Aristotele summo naturæ rerum interprete per se frigida est, nec vnquã calida nisi donec cum spiritu cõfusa manet, abiectus & à spiritu separatus sanguis in frigidum, & terrenũ corpus sponte concrescit,& niger fit, quoniam spiritu calido tantum potest calidus, & fluens contineri vnde rubet, interea est, nimirum humidi generis particeps, & humidus, sic à calore sustentatus, ab humido enim ruborem habet sanguis Galeno authore libro de placitis Hipp. & Platon. flauitiem à sicco calido, nigrorem à sicco, & frigido, frigidæ naturæ suæ indicia maxima dat, cum in ventriculo parum valenti hominis à modo suffocat, excretione autem illa imminuta congestio sanguinis maior fit, quam vt possit tota à certo spirituum modo calida seruari, & liquida, ac humida manere, præsertim cum sanguis excremẽtosus fiat, nam quamuis ad alendum partum in vtero illa sanguinis superantia à natura data mulieribus sit, & idoneus ad alendum ille sanguis esse debeat, tamẽ quoniam longiori coctioni est subijciendus, natura eum minus perfectum esse uoluit, nam postquam ad vterum gestatum delatus est, ibi instrue illa cotylido-

A num vicem gerẽte tamquam in quodam nouo iecore conficitur antequam fœtus venus subeat, ita & imperfectior est,& limosior atque pituitosior, ex cuius congestione plenitudo vitiosa fit, atq; ad limosum & pituitosum conuertitur, spirituum verò vim superans etiam crassior, & limosior euadit, sicque refrigeratus partium se continentium calorem frangit, & ita ille postea minus humores,& suum alimentum conficiũt, minus calorem suum,& pituitam generant, cõgestione autem humorum crassiorum sic facta, angustiores meatus obstipantur, vnde partes minus sibi accipiant spirituum, quam par sit, ventriculus verò præsertim, qui sua natura generis frigidioris est, minori spiritu fruens, minus belle potest concoquere, & non solum pituitam, sed crudum quoque humorem parit. Quo

B casu non solum difficilè iussu est, quomodo calidum corpus frigidis humoribus scateat, sed mirabile est, cur non illi continuò putrefiant, qui spirituum vim superantes, & crassitudine sua confusionem sibi necessariam, & penetrationem spirituum recusantes, aut obdurescant, aut corrumpantur.

Certè cum à spiritu vinci non possint, semper deteriores, & crassiores euadunt, ac quamuis etiã non putrescant, sæpè calorem quendam alienum ex obstipatione compræhendunt, vnde in hac virgine calor ille ad dextrum præcordium contra iecur extitit quo sanguis acrior euasit, ut missus cognosci à quoq; potuit. Vnde alij omnes casus in hoc corpore profecti sunt, neque difficilis est ratio originis, illis duobus humorum generibus subiectis. Vigiliæ ab halitu sicciori,

C aurium sonitus ab eodẽ ad eam meningum partem crassiori, & flatuoso, vel ex alimenti conuersione superfluente dum humores ad conuertendum ineptiores sunt, nedum flatu ab infernis partibus in caput elato, tunc in cerebrum ipsum cum vertigo fit, assiduè verò circum meningas ad sonitum edẽdum, neq; enim ei Doctori possum assentire, qui pituitã affluentem in cerebro horum malorum causam facit, nam somnus tunc arctior,& altior adesset,& preterea aliæ læsiones in cerebro cernerentur ad frigidam, & humidam intemperiem sequentes potior crudi humoris, & sanguinis pars ad crura demittitur, & tumoris id genus facit. Halitus verò flatuosus, tum à crassa pituita, tum à limoso humoris genere elatus, & in cõ-

D ficiendo alimento è coctione excedens nõ solum intestina, & ventrem percurrit. Sed in ambitu quoq; corporis vbi coctio versatur cutem subit, & palpitationes illas, seu saltus edit; si timor & mœstitia est causa, ab humore limoso est, qui sua vi animantis vitæ,& functionibus animosis contratius et si sæpè sensuum, & cognitionis officijs amicus dum suis halitibus spiritus, & sanguinem inficit, cor quoque in mœrorem trahit frigiditate, aut siccitate, aut ad ipsum pertinẽs, aut ad ventriculi os cum corde coniunctissimum, & sic comprimendo, & vitales spiritus delendo molestans. Ego profectò cordi noxam attribuo potius, quam cerebro in melancholia, quoniam timor in cor proximè referri debet, si vitiantur imagines id fit animi etiam ipsa ægritudine.

E His igitur duobus propositis satis causæ subest omnium malorum. Diligenter igitur, & videnda eorum conditio est,& quid exigant, vt submoueantur. Conditio horum humorum communiter est, vt diuturnitate sua meatus, & continentes partes affecerint saltẽ more aquarum, quæ assiduo suo cursu canales quos præterfluunt aliquo suo excremento inquinãt, quãuis enim canales uiui uim excretricem habeant, quã se se ab excrementis,& alienis humoribus exonerent, non tamen semper id possunt, alioquin si semper sic possent, numquam homines malè haberent. Proprie uerò limosus humor crassus est,& siccior. Pituitosus autem cum crassus, tum glutinosus est.

Itaque illa exigere videntur, vt non solum proprijs

medi-

medicamentis à communioribus finibus detrahatur, sed vt detergentibus postea, & diluentibus, ac ferè abradentibus è canalium membranis, & meatibus resoluantur, euellanturque. Antea verò, quam medicamentis purgantibus exhauriantur, crassitudo extenuetur; incidaturque, vt etiam lentor cum incidatur, tum verò etiam detergatur. At posset ne incisa vena aliquid auxilij præstari? Vniuerso corpore crassis humoribus referto, nihil magis necessarium eius saluti videtur, quoniam sæpè medicamenta non possunt, & non sine multa vi id faciunt, sic humores perturbant, paratos cum imparatis confundunt, & corpus in periculum adducunt.

Præterea causam maximè spectare sanguinis missio videtur, quæ imminutis mensibus existit, & illa non mitigata morbis augeri potest, nedum curari nō posset. Itaque sanguis omninò mittendus videtur. At cruditates subsunt, & bis hoc anno sanguis missus est; authore autem Galeno, ait doctissimus Vir, sępius repetita eodem anno sanguinis missio corpus labefactat, viribus tamen constantibus, & metu à sanguine ne morbum augeat magnumque faciat emittendus. Sic verò ego, moderandum nobis in hoc negotio crederem, vt nulli necessitati deessem, nullique periculo non occurrerem, cruditatibus minuendis primum vacarem, deinde sanguinem mitterem, nam etsi bis missus sit, tamen non ea copia est missus, qua tempore Galeni solebat; tunc vel ternas libras mittebant, huic mulieri vix quinæ ℥ missæ sunt, vnde expertum est, quod quibusdam mulieribus ob imminutos menses aliquando quoque mense aliquantum sanguinis vtiliter mittitur, imò quibusdam etiam vtero gerentibus non aliter abortus vitantur.

Prætetea cū morbo curando necesse est infirmius corpus euadat, sic tamen omninò sanescendum est. cum conualuerit firmari, tunc demum poterit, alioquin longè maior infirmitas à morbo, quam à sanguinis missione fiet, etiam abstinentia à cibo tenuisque viuendi ratio infirmat, tamen deligitur ferè semper in morbis, & maximè in acutis à quibus maximè corpora dissoluuntur, viresque infirmantur.

Sic verò ego mitterem, vt prius à cubito dextro, sed instante menstruo tempore etiam à talo sanguinis eo attrahendi causa, magnaq; foramina facerem quo sanguis crassior educeretur, cuius detractio tunc quoque facilior esse poterit, quod non solum cruditates erunt submotæ, sed aliqua etiam tenuitas ipsi sanguini adiecta est. Initio ergo ipsam hieram non solam, sed cum cassia fistula, aut aliquo leuiori electuario darem, deinde melle rosaceo, cum cicoraceis vterer, tertio oximel cum ijs componerem, postea leue aliquod medicamentum propinarem in quo saltem ℥.1.s. confectionis Hamech comprætenderem; & hieræ iterum aliquid. Tum ad syrupos valentiores accederem, quos numquam non dilutos darem quamuis Viro doctissimo magis non diluti probentur. Nam qui diluti non sunt ventriculo tantum apti sunt; ideo enim tamdiu immorantur, vt cum vlterius traducuntur vim suam amiserint: qui diluti sunt propter tenuitatem quidem citius transeunt, & integri magis in totum corpus perueniunt, at cum eo tamen etiam ventriculo citius propter tenuitatem eandem magis se se insinuantem operam valentem, præstant, vndique verò crassos humores melius liquant, & abluunt, quod in hoc corpore opus est in illis oximel compositum, syrupus de cicorea Nicoli, de epithymo, de polypodio. de pomis regis Sabor, oximel squilliticum, & eiusmodi alij, quorum vsus ualentiora purgantia postulat, quæ ego repeterem, & illis helleborum etiam iniūgerem, confectione Hamech numquam prætermissa. Incoquerem ergo aquæ ℥. 2. senæ ℥. s. polypod. ʒ.1. epithymi ℈. 2. radicum ellebori nigri ʒ.s. masticis ʒ.1.s. liquiritiæ rasæ ℥.s. passularum quinque sebesten, tria pruna cum anisorum ʒ.1. & cinnamomi ʒ.s. & huic expressæ iuri immiscerem diachilon ʒ. ʒ. s. Hamech ʒ.ʒ. mel rosaceum, & manna paribus ponderibus ℥. 2. s. Et tandem repetitis syrupis ad pilulas ascenderem factas ex paribus partibus, trochiscorum de colocinthide, seu alandal, trochiscorū absinthij trochischor. ellebori, diagridij, & aloes, vel tantundem pilularum de nitro Alexandri, quibus detractum iri humorē omnem in canalibus præterfluentem arbitrarer.

Reliquus qui tunicis canalium, & alijs membranis infixus est, quive tamquam fuligo inhæret, quãquam deradendum duxi, tunc restaret tractandus, eum ergo potionibus largioribus aggrederer, quoniam latè fusus per minora, & infinita totius corporis vasa amplioribus eget, & ijs, quæ in totum corpus effundi nata sunt.

In ijs aquæ thermales, potiones ex guaiaco, salsaparilia, china, serum caprinum medicatum, ius galli medicatum recensentur, ex quibus ego pro tempore, & horum oportunitate delectum facerem, & vsum thermarum semper in postremo loco huius ordinis ponerem, thermarum vsui tempestas post tam longam purgationem non erit, quare in Veris tempus differenda illa aqua est, malum enim diuturnium facilè eius vsus occasionem præstabit. Guaiaci potio simplex dum humoris melancholici suspicio est aliena mihi deprehensa est, alioquin cum certi essemus eum humorem penitus exhaustum esse, tunc eius vsus quoque satis idoneus videretur, sic salsæ pariliæ tutior potio est, & item chinæ, ego hæc cum guaiaco commiscerem.

At illis omnibus ius galli præcedere debet, quoniam medicatum eo modo esse potest, vt humores dictos commodè per vias communiores, & latiores deducat. Neque verò, vt uidetis gallus duorum tantum annorum quemadmodum volunt quidam minores Medici est deligendus. Sed quinque saltem, alioquin vis nitri tantum non habebit, quam ex ætate potest accedere, & quantum ad propositam detersionis necessitatem quærendum est; præterea neque cicoracea, neque cetrach cuscutave satis virium ei præbebunt, quoniam non valdè mouēt, sed epithymum, thymum, polypodium, sena, & eiusmodi alia, vel vsque ad elleborum adijcienda sunt. Confectiones antidotaque illa maiora demum probanda sunt, si quid reliquum factum sentiatur, vt theriaca cum minus. Mitridatium cum magis calfaciendum est theriaca, mitridatum cum minus siccandum est. Alchermes cum cordi, & ori ventriculi, & capiti magis consulendum. Sub hac curatione autem uentriculi ratio semper habenda, ipseque fouendus, & embrochis ex oleo amygdalar. dulcium incoctis absinthio, mentha, garyophillis, mastiche, & similibus cum vino est.

Sed plura fortè quum opus est à me dicta sunt, de ratione uictus autem à uobis satis expositum est, quare finem facio.

De morbo gallico iuuenis de Maph. nobilissimi Hiaræ.

CONSVLTATIO CXXXVIII.

POst curationem Patauij habitam recidit in notas gallici morbi non easdē, quæ antea visæ fuerant, nimirū teredines bubonesve, sed frontis exāthemata, & quosdā dolores per artus vagantes. Curatio habita est præterito Vere, nunc autumnus instat, quare nisi iuuenis ipse, & humidæ naturæ esset, ego vererer ne non amplius conualesceret, sed quoniam nullum ego

ego huius ætatis vidi adhuc qui non conualuerit recta curatione adhibita, propterea difficilem quidem at non eam quæ fieri nequeat sanitatem existimo, eò verò difficiliorem, quod caput ei humor iam appetiuit. Nam ex potionibus quæ ad discutiendum hunc morbum dantur ni ipse superetur, hoc est in humores penitus à tunicis, & membranis abradantur, & è corpore per cutim aut alias vias exprimantur illi relicti ab illa impulsione magis funduntur, magis impingũtur, & ad caput etiam sæpè truduntur, vnde difficilior eorum discussio euadat.

Ego enim vim gallici morbi esse putidum quendã situm existimo, qui in humoribus sit, qui si discutiantur morbus penitus absumitur, vnde plurimi ex solo pituitæ sputo, vt qui fumo, & inunctionibus vtuntur sanescunt, multi solis purgationibus, aliqui exercitationibus se se liberant, quare cum discrasia hic pugnandum non esse sed cum humoridus credo. Illis ergo magis impactis nos remedijs magis abstergentibus vti debemus, & quo facilius id efficiant prius medium corpus quam maximè potest expurgandum est, & viscera ab humoribus inutilibus expedienda, vt quæ medijs spatijs versantur non impediant eorum quæ adhærent, & infixa sunt tunicis, abrasionem, aut ad tunicas sub illis remedijs magis impellantur. Itaque ego laudo summè purgationem, quæ post lenitiuum post syrupos, & medicamentum quale in vsu est ex Diacarhol. ex Hamech, infusa sena, & rhabarbaro cum melle rosaceo, & manna habeat serum, cui incoctum sit sena, hermodastyli admixto manna vel melle rosaceo solutiuo cuius potio ter saltem repetatur. Vt ℞. Seri caprini lib. 4. fol. senæ orientalis ℥. 2. hermodactylor. præparator. ℥. 1. quæ infusa decoquantur s. a. & colentur postea dissoluatur in colato sero mannæ electæ ad ℥. 4. pulueris garyophillorum ʒ. 1. Ex quo octonæ ℥ altero quoque die sumantur tepidæ quatuor horis ante prandium. Sunt qui hermodactylos, & senam iniungunt etiam potionibus quibus ambitus corporis per sudores est, expurgandus, & sæpè res illis etiam cedit, verum ego non audeo naturam tot motionibus contrarijs præsertim exagitare, sed potius septimo quoque die eiusmodi purgantia imponerem, neque tunc sudorem mouerem, vt si qui humores è membranis resoluti essent, & per cutim, & ambitum deduci non possent, ij per aluum detraherentur ita vtrique parti, & generi humorum satisfieret.

Post corporis ergo purgationem per aluum factã ad guaiaci potius, quam ad alterius generis potiones accederem, aut ipsum cum alijs miscerem sicuti salsaparilia, aut china. Sed in iuuene molli, & humido guaiacum solum audentius, non dicam cõuenientius darẽ, & victu tenuissimo vterer ex passulis aut amygdalis aut pistacijs cum panis crusta, quoniã nihil glutinosi mihi probaretur, neque enim siccandi causa puto, sed facilius abstergendi, & absumendi eiusmodi victus adhibetur. Bis die potiones eas darem, & sudorem mouerem non contecto capite, sed fumo stragulis subiecto per arculam à capite qua corpus spectat apertam igne imposito, & thure ac storace, & similibus inspersis. His ego adhibitis, & diligenti obseruatione perfectis crederem ægrum conualiturum.

De dolore ad ilium pertinente in Matrona nobilissima.

CONSVLTATIO CXXXIX.

Collegæ præclarissimi in hoc casu non solum de causis, & de eo malo, quod intus latet, disquirendum est. Sed dubium maxime id vnde rationes, A & indicia summa ad iudicium colligendum. Nam audio virum doctissimum, & experientissimum dicentem, dolorem hunc esse in renibus, quod vrinæ turbulentissimæ indicium videtur confirmare, & propensio in hoc malum in quod multis ab hinc annis incurreret, & omnes eius fratres, & sorores vexari soleant persuadet, tamen si rectè, accepi quæ ab eo modò narrabantur, dolor in ilio, & ischij osse versatur, numquam in lumbis aut dolor aut pondus subest, qui tamen cum ex renibus cruciaretur cum arenulas, & lapillos mingeret, vexabatur, quare ischiadicus potius dolor quam renalis iusta ratione videri possit, nam si ex nephriticis fiunt homines ferè podagrici propter communionem materiæ, & vt quidam volunt propter vsum diureticorum, quibus materia fusa facile B in artus demittatur, cur etiam ischiatica ex nephritica mulier hæc facta esse non potuerit? Verum si rectè animaduertamus profectò quidem ex loco doloris minimè in renes est referendus, quoniam quamuis à renibus sepe dolor vsque in femur pertineat, illi potius est torpidus, & potiorem partem in lumbis habet. Ita quoniam neque femur nec crus dolet, vt sub ischiadico solet euenire, & demum si diligenter locum dolentem tangamus, contingit quidem ille os ilium summum, at in ipso non est. Imò si ipsa in oppositum latus conuertatur, ille dolor descendit, ab osse ilium versus medium, aliquantò certe ab eo osse distinguitur.

Præterea crescit dolor etiam cum in oppositam par C tem conuertitur, quod indicium est, non esse in cauitate eius ossis sed in cauitate abdominis intra cauitatem communem ossis sacri, nam dum suspenditur locus seu pars onerata dolore, onus tensionem facit mẽbranis dolentibus, & dolorem auget. Quare aut in vretere eius lateris, materia erit dolorem faciens, aut in cornu seu ligamento aliquo vteri. In ligamento vteri esse multa ratio non est, nam solent ea ligamenta parum doloris afferre quoniam facile relaxantur, vnde tumores maximos vidimus ibi sine dolore. In vretete verò esse eius lateris nempe sinistri ostendit, Vrina turbulentissima, & persuadent teliqua supradicta argumenta. Quid verò faciat hunc dolorem lapis ne an materia mollior? Ego non posse videre quomodo lapide meatum replente vrina tam crassa D tamque perturbata procedere posset, nisi vt alias obseruaui vno meatu à lapide obturato materia per alterum expurgari posset, renibus officia sua secum communicantibus, tenuem tamen procedere vrinam cum lapides poros occupant vt plurimum consueuisse omnes maiores Medici affirmant. Vt mollis autem materia sit quomodo præterfluens molestiam tantam faciat? Dolor est fermè ex solutione continui, at verò etiam ex maxima qualitatis mutatione sæpè fit solutio continui per tensionem à materia rigidiori, per erosionem autem à calidiori, sed hic materia calida non est, quoniam pituitosa est, & non extergens neq; salsa quoniam in mingendo ardorem aut dolorem faceret quem nullum facit, ergo vi qualitatis, & generis sui dolorem infert, & tensiones, quoniam Vrina sub E doloribus frigidissima mingitur, & à materia facilè in flatum vertitur, & ita meatus tendit, quare ex flatu eiecto dolor mitescit, atque etiam à cibo assumpto, quoniam sicuti in renibus repletis, & ex repletione dolentibus à cibo dolores increscunt vt Hippocrates affirmat, quoniam ventriculus illis repletus subiectus est, grauior ita contra in Vreteribus distentis euenit, vt multoties animaduerti, quoniam à cibo ventriculus amplior fit, & abdomen sustinet, & facit ne intestina tam concidant in cauitatem ossis sacri neue eos meatus premant, quod facilius factu est, quoniam intestina tunc ferè vacua sunt, descendente verò à ventriculo materia, tunc magis grauantur intestina, & abdominis superiori parte minimè tensa, minimeque su-

spensa

ſpēſa inferiora,inteſtina retrorſum vrgentur,& meatus illos contundunt.

Præterea à cibo calor mitior quidem fit,& dilutior vt etiam ſerum renibus permiſtum, vnde minus eam materiam calor inflat bullantemve reddit potius leuitate ſua, & humore leniter concoquit, & humore ſuo laxat ventus, & ita dolorem qualitate ſua anodyna, & laxante mitigat.

Malo ergo ſic expoſito reliquum eſt, vt videamus quid poſcat, vt ſubmoueatur. Quod dolorem facit nō videtur poſſe è corpore educi, niſi per meatus vrinę,Quæ verò ad eos meatus impetum habent,omnia videntur vim habere ducendi ſecum excrementa, in quæ in corpore incidunt, propterea ne nimius impetus, ne nimia materia in eum locum feratur, ne illa locum magis obſtruat nimiſve ibi conculcetur,tōtum corpus prius recrementis, & ſuperuacuis humoribus leuandum eſt, neque ſolum excrementa, ſed ea quæ excrementis occaſionem præbent, quæque ratione doloris illuc mitti poſſent ob ſui abundantiam omnia ſubmouenda ſunt, quare, & ſanguis mittendus non ſolum à brachio, vt factum eſt, ſed à talo etiam, vt propius inde vbi malum eſt corpus leuetur.

Deinde purgādum ex melle roſaceo ſolutiuo, diacatholicō, poſtea craſſioribus humoribus paratis oximelite moderato, cum ſyrupo roſaceo. Repurgandum cum diaphœnicone, cum Hamech, ob ſuperiora adiectis rhabarbaro immixto, quod vias vrinæ videtur attingere, & propterea etiam inde materiam exhaurire poſſe. Caſſia fiſtula ſæpius repetita,& oleo amygdalarum dulcium quo meatus ille laxior fiat, & materia illinc leniter moueatur, huic ſubijci poteſt terebinthina diureticis fortioribus poſtremò adiectis, vt betonica,cetrach, capilli veneris, vt puluere ex rhabarbaro, & milio ſolis, vt ſaxifragia,vt geniſtæ ſemina, vt centum grana, illa rubi ſpongia, oſſa meſpilorum,ſuccus limonum,lapis ſpongiæ,lapis Iudaicus, cinis ſcorpionum,& vitri cum ſeſeli, cum pipere. Verum mihi ad expurgandos per longum vſum eos meatus poſt corporis purgationem ſummoperè probaretur terebinthina, reſina, vel per ſe, vel ex aqua Aſchachengi lota, myrrhæ etiam portione adiecta. Probaretur ſuccus iridis quem expertus ſum vehementer mouere vrinas, illumque cum rhabarbaro darem.

Si materia hęc in lapidem concreuiſſe cernatur accederem ad valentiora ſaxifraga, in quorum tamen vſu cauerem ne aſſiduus calidorum, & ſiccorum vſus cauſam durandi lapidis afferat, & laxantia ſemper cum eis componerem, atque frigidiora incidentia mallem. Dixi.

De vulnerato quodam in thorace ſuſpirioſo facto cum febre vehementiſſima.

CONSVLTATIO CXL.

VVlnere exterius bene habente ager febre ſumma,& anguſtiſſimo ſpiritu eſt,vt ſpiritum attrahens, vel ipſas clauiculas ſurſum trahat, ex nimia autem febre pulſus creberrimus, tenſus, inæquabilis fiat.

Hic quæſitum eſt ab excellenti Medico, num vulnus intra pleuram penetrarit, & vel interim abſceſſus conglutinatum cauſa præbeat, vel ab eo intra thoracem ſanguine reſiliente ibi facta ſit quædam repletio materiæ, quæ putrefacta horum ſymptomatum in cauſa fuerit. Iam 25. dies agitur,cum vulnus in μεταφρένον, ſeu in dorſum ad quintam coſtam accepit cultrò deorſum infixo, & exterius coſtas ferè

A duas præterlapſo, vt cutem inferius altero ferè foramine affecerit, ſeu mucrone exiens, non tamen penitus aperuit, niſi qua parte ingreſſus eſt, inferna enim pars ab artifice aperta eſt, quo melius vulnus expurgaretur, ab ipſa vulneratione cæpit paulatim per anguſtias ſpirare,& ſecūdū dorſum magis,ac magis dolere, nunc, vel vſque ad hypochondria dolor, ita pertingit, vt attingentem manum nullo modo patiatur, & moueri vix ferat. Tuſſis ſequuta eſt, numquam humida, niſi poſtremis diebus,poſt eclegmatis exhibitionem, anguſtia verò ſpiritus tanta eſt, vt vix animam trahere dicat, & exiguum omninò ſpiritum ſe poſſe accipere affirmet.

Doctor primus non penetraſſe vulnus contendebat, quoniam neque ſputa cruenta, neque ſpiritus
B nunc eſt, atque initio ſpiritus viſus è vulnere erumpere, & vulnus exterius ſecundum externam coſtarum faciem ductum eſt, totiuſque difficultatis ſpiritus cauſam ad deſtillationem referebat, cui ipſe obnoxius eſſet, & plurimam occaſionem præſtitiſſet.

Alter Doctor contra reſiſtere, & contendere non poſſe eſſe deſtillationem, quoniam febris nimia erat, nimiaque ſpiritus anguſtia, iam repentè facta deſtillatione minimè idonea, tam citò putreſcere, minus tanta eſt ſub tenuiſſimo victu ſub manu Medici, & vini abſtinentia, imò cauſam manifeſtam à vulnere eſſe, quod penetrarit, & ſanguine thoracem replerit, & ſi indicia ſpiritus erumpentis per ſe non dederit.

C Nam magnum eſſe vulnus, ac cultrum potuiſſe non penitus ingreſſum hoc feciſſe, qui non ſolum punctim, ſed cæſim etiam illud agere potuerit, neque impediri hoc iudicium,quod ſpiritus non exciderit per uulnus, quoniam alias ſæpènumerò hoc euenit, recurrente nimirum cute,mutato corporis geſtu, & internum uulnus contegente.

Ego conſeſſus Ampliſſime,quamuis res plus ad diſputandum argumenti, quam temporis habeat, qui uitæ huius poſſit ſubueniri, & oratio ſuperuacua omninò futura uideatur, quæ nihil eius ſaluti eſt profutura, tamen utilis ad rerum artis noſtræ intelligentiam, & ad muneris noſtri, cognoſcendarumque rerum exercitationem, non eſſet prætereunda. Iudicium meum à rerum natura ductum exponam de
D hac re.

Deſtillationem non eſſe uidetur mihi ſatis probatum, tum ex febre, tum ex tam celeriter facta ſpiritus anguſtia, & pulſus crebritate, & ſputorum paucitate. Non eſſe etiam humorem ex uulnere in cauum thoracis pro lapſum febris uehementia primum indicat, quæ ſi à putredine eius humoris proficiſceretur, & maxima eſſet,& malū odorem proferret,quoniam in alijs quidem empyematis febres magnas uidimus, ſed tam fœdo odore erant, ut accedere ad cubiculum non pateremur.

Itaque ſi exigua putredo eſt vnde tanta febris incenſa eſt; ſi magna, cur odorem ſibi familiarem non effert? præterea numquam durum pulſum, aut tenſum empyema facit,præterea empyema dolores non
E parit, minus, os qui ad partes uicinas pertineant, ut hypochondria,quomodo enim libera materia intra thoracem loco, ſibi amplo uerſans dolorem partibus uicinis faciat? quomodo urgebat adeò, & tendat, ut attingi non patiantur hypochondria? mitto,quod fluctuationem humoris non percipit, cum conuertitur, mitto,quod in utrum latus cubet æquè premitur, humor uerò à uulnere in altero tantum latere abundaret,& cubanti in oppoſitum moleſtior eſſet.

Propterea ego ex febris uehementia, & dolore in omnes thoracis partes pertinente, & multis alijs notis non poſſum non perſuaderi tumorem intus in thorace, & illius quidem parte maximè membranea ſubeſſe, qui ad tantam magnitudinem peruenerit, ut

per

per corpora membranarũ ad longiores partes etiam suam molestiam, & tensionem valeat proferre, & cordi plurimam vaporum copiam ad vehementem febrim faciendam, & arterijs tensionem, & membranarum communionem præbere.

At cur ea parte qua morbus est dolorem præcipuum non facit? quoniam iam gangrænosa est, laxiorque, & corruptior facta pars, & integræ magis contentæ dolorem maiorem sentiunt, quæ sæpissimè causa est cur in cerebri apostematibus homines eadem parte debilitentur, & resoluantur, opposita autem conuelli consueuerint, ea conuulsione naturam valentem requirente, quamquam etiam sæpè opposita inflammetur, vt vidi in vulnere colli, sub quo opposita pars intumuit, vnde is neque in oppositam, neque in eandem partem cubatum profert, quoniam omnes membranæ consensu eodem dolent. Pulsus quoque eiusdem lateris mollior est, quoniam mala putredo suis recrementis humidiores illas partes reddit, & ita maior etiam videtur, at oppositæ partis minor, & durior, propter duritiem namq; & tensionem minor esse cogitur, durior verò propter membranarum tensionem. Vbi ego illud animaduerti, quod pulmonibus, & arterijs repletis exiguo spiritui aditus est, & ita crebrior respiratio, quę etiam breuis sit cum dolor adest, sic minus magna facta, minus videtur etiam laboriosa esse.

At cum vel tumentibus thoracis partibus angustior cauitas est, & sine dolore est, vel cauitas repleta est, tunc, & arteriæ idoneæ ipsæ per se sunt pluri spiritui accipiendo, & ideo ad plurem spiritum hauriendum thorax ad maiorem amplitudinem maiori opera tenditur, scilicet cum dolor nullus, vel tacitus etiam subest, vnde ad clauiculas videmus illum quoque distendi, veluti etiam in ijs quibus infirmior mouendi vis facta est, quare in moribundis hoc idem fieri videmus.

At quæ causa tanti apostematis fuit? Prætereo, quod in materialibus dictis morbis non semper idoneæ, & pares euidentes causæ requiruntur, vt neque in putridis febribus eosdem morbos sequentibus hic satis causæ ab ipso vulnere fuisse credo, quoniam in vulneribus inflammationes solent oriri, & vicinas vulneri partes occupare, & præterea in ijs, quæ non expurgata conglutinantur occluduntur que ferè apostemata succedunt.

Hunc esse in præsenti huius morbi statum existimo ego, quid verò futurum sit sic videor præsentire, apostema, aut ægrum ipsum suffocabit, aut erumpet eius sanies in thoracis cauum, & empyema faciet, viribus verò infirmis, vt videtur, facilè extinguetur, nam etiam facultas altrix videtur parum posse, si vrinas turbidiores, & decolores, ac sine lumine, si angustiam spiritus, & cordis oppressionem considero.

Alioquin enim si vires patiantur, & febre remissa iudicetur, pus factum ego intra costas contra locum suppuratum, aperirem, ac ne exincisio, ne inflammatio fiat, neve multum sanguinis effluat, cauterium adhiberem, deinde locum exustum inciderem, & paulatim pus mitterem, deinde abstergentia inderem, ex melicrato, melle rosaceo, & aqua cui incocta sint abstergentia, atque siccantia ad vtrumque excrementi genus auferendum, vt betonica matrisiluia, succus apij, capparis, hædera, hypericon, & similia.

Aloe quoque immiscerem, ac si videretur lignum præterea guaiaci incoquerem.

Si non conualescat, & phthisicus fiat, tunc ad phthisicorum remedia accederem, de quibus nimius essem si loqui, vel mediocriter vellem. Dixi.

Is altero die cæpit in latus affectum decumbere posse, & in nullam aliam partem posse, sicque erat inde spuens indies magis, sed pituitosa, ad extremos autem vitæ dies duos etiam purulenta, dissecto eo inuenta est costa læsa, cum pure, & aqua multa in thorace, quæ solet ad inflammationes thoracis confluere, vt in plerisque cadaueribus pleuriticorum, & peripneumonicorum vidi.

De Abbate Herbeio febre maligna oppresso.

CONSVLTATIO CXLI.

Nobilissimi laborum socij, credo quidem, vt decet Venerandum hunc Abbatem ab initio, nimirum ab hinc quinto die cum cæpit ægrotare febre ea tentatum fuisse, quæ tertianas accessiones haberet, & non solum frigore, sed horrore eum accedens, vexaret, verum hoc mane quo primum ego accessi nimirum sub finem quintæ diei illius pulsus mihi, tam exilis, tãquam languidus uisus est (quamuis minus creber esset) vt rem ipsam longè aliter se habere iudicarim, ac vos narretis, in quo iudicio ego confirmor hoc vesperi, nam calor quidem maior est, & pulsus crebrior, & aliquanto maior, tamen non multo firmior est factus, de quo ego sic statui nimirum, quod hoc mane esset hora compressionis, sub qua ipsis venis, & cordi minor esset micandi necessitas, ita tunc iudicij mei prolationem ego suspendi, vt uiderem prius febrem apertam, quo constituto, & vrinarum spacio adiecto, quæ turbidæ sunt, & si non admodum coloratæ, quas verò vos dicitis fuisse longè turbidiores. Ego non possum non suspicari hanc febrem malignam esse, & ideo à tertianæ natura longè remotam, neque bilem solum, aut sanguinis tenuiorem partem certa corporis sede comprendisse. Sed & omnem sanguinem, & ubique infra caput vitiare, non putredine illa exurente, & humidum absumente, sed sanguinem tamen dissoluente, hoc est, quæ humidum eius euocet.

Duo namque, ego putredinis genera ui nostris corporibus inuenio, alterum, quod fit vi obstructionum, & conclusionis, & concalfactionis multæ, quæ exustioni est similis, alterum illius putredinis est, quæ infirmitatem humorum in corruptionem procliuium, & partium continentium uim suam minus integram tenentium consequitur; & educendo humido vna, cum proprio calore fit. Vt enim succi fructuum, & vuæ malis tempestatibus comparati facilè cœlo uel minus calefacto, putrescunt, sic sæpè sunt in corpore humores ita malè confecti, ita in sua natura parum firmati, ut facilè in putredinem delabantur. Etenim cum calorem suum perfecte non fuerint assequuti, non possunt in sua natura contineri, quin à quocumque externo calore suo humido, & calido priuentur.

Maximè cum partes eos complexæ, & seruantes ipsæ quoque fuerint imbecilles. Hoc uerò genus putredinis à spe salutis ualde remotum est, quoniam si cuti in eo, quod per exustionem fit, natura sæpè utitur calore à se alieno ad humores semiputrefactos, (ut ita dicam) consumendos, & à bonis disgregandos, & nisi in corpore uniuerso, & omnibus principibus partibus, & corde certe ipso incensio illa immensa sit, natura sæpè uincit, putredinemque solet superare, & tandem in bonum pus conuertere, ita in altero putredinis genere contra facilè natura succumbit putredine parum per se caloris habente, & naturam magis dissoluente, quam vti ante, & præterea vicinas partes, etiam suo contagio corripiente caloris quadam similitudine, & glutine humoris in eas

eas se se insinuante. Cuiusmodi ego puto putredinē hāc esse, vt infirmitas virium, tam cita cordis, & ipsa vrinarum perturbatio exiguam caloris magnamque humoris significationem habens, & tangentibus calor mitis potius ostendunt, vt & lingua parum sicca, & facies sani similis spiritum minimè exsiccatum accipiens, ita neque priuatum quendam locum obstructum esse, neque certum humorem putrescere, sed sanguinem corrumpi existimo.

Non cor precipuè affectum, nam semper vbi meatus latiores sunt, vbi sanguis est purior, ibi minus est ad putrescendum occasionis, & vbi fons caloris, & virtutis est, ibi concoctio, & nutritio semper minus infirma est. In Vniuerso ergo corpore, & iecore præsertim vitium est, cor tamen infirmum primùm in pulsibus sentitur, non quod reuera infirmius alijs partibus sit, sed quoniā spiritus ipsi vitiati sunt, cor verò meliores ad se trahens eminentiores partes illis priuat, vnde pulsus in brachijs fiunt infirmi, & magis in vno, quam in altero, vt peior sanguis, & spiritus in illo, aut altero est.

Ita vitij pulsuum causa non semper omnis in corde est, sic enim pares partium pulsus essent semper, quæ enim vni tertio sunt similia, & paria inter se similia, & paria sunt, ergo vitiorum causæ sæpè in partibus sunt, vt infirmitatis, inæqualitatis cuiusque, & etiam celeritatis, vt calor maior in aliqua parte esse potest, vnde etiā crebritatis causa esse posse videatur, verū quoniam quādoque initium pulsationis cum cordis motu est, crebritas numquam sine cordis consensu esse poterit, maior itaque potius fiet, aut minor pulsus celerior, & tardior, aut etiam inæqualior in parte, vt calore, & frigore maiore, & vario humore pars tenebitur, quo constituto possumus statuere, & rectè quod pulsus infirmus esse potest, & a medicis cor infirmari magis, quam alia viscera, creditur tamen non semper, ita est nisi proprio morbo affectum fuerit, alioquin illud valentissime se se ad extremum vsque tueri potest, ita prius partes quas tangimus infirmum pulsum habent sæpè, quoniam cor de spiritu, & sanguine impuro, & vitiato meliores partes ad se trahit, reliquas alijs relinquit, itaque hæc summa est, quod non semper pulsuum debilitas viribus cordis respōdet, cuius rei signum est, quod cogitatio sæpissimè benè habet, & sensus, motiones tamen debilitantur, sæpè etiam motiones valentes sunt, nisi morbus in capite valdè possit, sed cerebrum benè habet, quod exiguus spiritus illis satisfaciat, tamen pulsus infirmi existunt, qui cum in extremis partibus, sint etiam ad vasorum amplitudinem copiam maiorem spirituum requirunt, quam motiones faciant, & longe maiorem quam sensus, vt in hoc ægro conspicimus, in quo imbecillimi pulsus artuum, motiones tamen robustæ sunt, robusti magis sensus, pulsu, qui in hypochondrijs sentitur vehementi manente, quoniā fit ab arteria cordi proxima.

Vbi mirari licet cur in eodem corpore pulsus in hypochondrijs, modo seruatur, modo non in eodem homine, quod vero ego euenire existimarem, quoniā partes continētes modo repletæ sunt spiritu crasso, & membranæ tensæ sunt, modo remissæ membranæ, & partes vacuæ concidunt, nec motionis consequutionem continuationemve sua tensione recipiunt, sed frāgitur motionis, seu impulsionis consequutio, continuitasque ab interrupta partium tensione, & continuitate. Cum ergo iecoris, & venarum atque arteriarum humor tanta corruptione ten tetur, atque etiam cum eo iecur, & venę cum venis humores expurgat, & modificat, nescirem, quid spei vitæ haberi posset.

Nam si sanguis mittatur incisa vena, nunc vt in febre iam maligna facta sanguineque corrupto plus boni sanguinis semper exit, & ita cum exiguus sit bonus sanguis, non relinquetur subsidium aliquod viribus contra morbum sustinendis, & citius serpet corruptio viribus fractis, & succumbentibus, nec valentibus humores in aliquo statu continere quin penitus corrumpātur, quin in partem aliquam; præsertim in pulmones laxum rem fluant, præterea medicamentis tantæ corruptioni occurrere non poterimus, illis tamen omninò pugnādum nobis esse crediderim, ne ægrum, sine auxilio penitus relinquamus, & viribus cordis consulendum quib. prorsus etiam cibo id præstandum est, neque enim in huiusmodi putredinibus præcipuas venas occupantibus, & non tam ab obstructione, quam a malo genere sanguinis proficiscentibus abstinentia tuta non est eadem ratione, quæ de sanguinis missione dicta est, imò potius mortifera est, quoniam natura non admodum habet, vnde alatur, quare in febribus hac de causa malignis abstinentia, vt sanguinis missio solet, & iure prohiberi, quamuis cibi etiam copia multa suspecta in malorum succorum corporibus est, itaque summa moderatione vtendum.

Contra putredinem, itaque syrupi, ex succo citri, ex succo acetosa cum parum theriacæ, verbi gratia ℈.1. facerent, & cordis vires confirmarent, pulueres quoque ex radicibus pentaphyli, tormentilla, ex semine citri ex bole armena, ex smaragdo, & margaritis coralloque essent optimi, neque lapidem bezoarticum omittendum existimarē si verus habeatur, vt qui ex squammis multis constat, & illis facie non aspera, sed nitidis omnibus, & interius comprehensis puncto medio puluero so etiam substante.

Qui lapis si ex albis sit, & occidentalibus, vt minus adulteratus esse solet, sic duplo pondere est dandus, vt ad gran. 20. Os etiam de corde cerui mihi probaretur. Vires credo ijsdem colligerētur, & obstructiones etiam nonnulla horum expedirent, cibo tamen vires propriè iuuarentur, si cum aliquibus ex ijs pararetur, atque facilis generis esset. Lutea ouorum opportuna crederem, quoniam ventriculus a cibo non alienus fidem facit se humore eo corrupto non abundare, cuius causam ego crederem esse, quoniam in magnis venis ea corruptio est, & potius crassis illis quæ spiritui destinatæ sunt, ex quibus ob crassitudinem humor non facile in ventriculum demittitur.

Præterea, si succus ex citro incoctus primum in iure addito paulo cinamomi adijciatur, lentorem ouis demet, quamuis hic vbi obstructiones non maximè veremur luteorum lentorem non metuerem, in quibus detersionis etiam aliquid esse experimur, cum loco saponis illis vtimur, & fortè meliora lutea fuerint, quam carnes contusæ, quæ facilius ob pinguedinem quādam in bilem conuerti per febris calorem possunt. His liquidioribus eum alerem, & toto die naturaliter darem. Semel verò vis cum dictis pulueribus, & succis propinarem, in ijsque manerem, & mortis differendę, non salutis comparandæ causa, aut spe.

Apertum cadauer, sed sero admodum, totum bile suffusum erat albis partibus natura in luteum omnibus mutatis, & carnibus in obscurum, & nigrum, iecore neque ad lienis colorem, vt solet in mortuis, inclinato, neque ad pallidum, sed ad liuidum, & terreum quendam colorem, sanguine intus atro quasi per corruptionem, vt facit, partim in bilem flauam, partim in atram versus esse. Pulmones, vt solent a tergo ad lienis colorem erant conuersi. Cor sine pituita illa solita in mortuis sinus suos, exiguoque sanguine suffusos habebat, & intus quasi percocti cordis carnes referebat, extra verò tanta pinguedine obrutum, vt mirabile videretur, qua pinguedine etiam totum corpus scatebat, penitus lutea, & quæ cordi obuoluta erat non solum lutea, sed ad cuspidem eius etiam in viride vergente, ac si esset corrupta. Fœtorem verò corpus citum habuisse visum est, nam octaua hora à nece ferri eius odor non poterat.

De coniuge Centurionis Cornelij Veneti multis malis affecta.

CONSVLTATIO CXLII.

MVlta ego ex sermonibus vestris colligi viri doctissimi quę me ambiguum reddunt. Mala namq; in hoc corpore conspecta minus certas huius mali causas ostendunt in quas referantur, & difficile constat, num omnia referri in eandem possint. Est primum in hac adolescente mensium suppressio, & ventris tensio cui forte dolores alui, qui maximè superioribus diebus eam exagitarunt fuere coiuncti, est febris, est oculorum seu aciei subito facta amissio, & tandem est sæuissimi symptomatis metus, nępè epileptici quod nouum quidem eam repente inuasit tertia, aut quarta a doloribus die, & totis tribus horis eā cruciauit. Quæ omnia cum submouenda sint, suas causas tolli postulant, quæ profecto dubiæ sunt quænam ipsa, & quot sint. Singula, itaque illa symptomata consideranda sunt, & descriptè expressęque eorum natura ante oculos constituenda, vt causas suas certò nobis possint indicare. Suppressio mensium non fuit ante febrem, sed cum diutius febris fuisset, tunc demum menses repressi sunt, quare duplicem causam habere possunt, seorsim vtramuis, & separatim, atque etiam ambas coniunctas, vna est sanguinis exiguitas quæ redundantiæ eius priuatio est, vnde menses possint effluere, & hæc quidem esse potuit, quoniam febris iam tribus mensibus, & etiam diutius est, qua sanguis, & alimentum consumi potuit. Altera causa etiam huic coniuncta esse potuit, nempè humorum crassitudo, & lentor, illa ex febris diuturnitate hæc ex pituitæ procreatione, dico pituitæ non quidem naturalis, quoniam ea liquida est, sed crassioris, & crudum humorem imitante, cuius notæ claræ sunt in vrina præsertim quæ crassa, & sine colore est. Febris diuturnitas suo calore quo breui spatio colliquat, funditque humores longo postea spatio potest sanguinem, & humores omnes crassiores reddere, vt de omnibus extenuantibus medicamentis dicebat Galenus, eadē febris ventriculum imbecillum facit, & capiti multam materiam infert, atque suffundit, vnde pituitæ, & crudi humoris multum congregetur præsertim cum diu febris ducitur. Sit ergo vtraque ea causa suppressionis mensium, scilicet, & humorum crassitudo cum lentore, & sanguinis paucitas.

Vbi iam cōstat, & symptomatis huius causa, & quod suppressio mēsium febri, & reliquis malis in causa non fuit. Tensionis, & plenitudinis ventris humorum genus propositum in causa esse potest, qui venas, & inania loca repleuerint, qui idem dolores illos colicos putatos inferre potuere, & vt quidam posset suspicari etiam epilepticum symptoma, atque meatuum visoriorum obstructionem. At febris? cum ea longa sit, & crassiorum humorum putredinem sequatur ostendit nobis, & humores suam causam quoque antea habuisse, quam febris aduenerit, vnde per febrem, vt vidimus causa sit duplicata. Vnde cum melius sibi habere persuasisset, eo quod frigus, accessiones non amplius antecederet, & liberius viuendi licentiam, & potestatem sibi sumpsisset, in vehementes eos dolores incurreret, quos vomitus nō solum pituitosus, sed biliosus, non solum flaue, sed viridis bilis sequutus est, nam febre subſtante ichores partim quidem consumuntur, at partim etiam bilescunt, nec mirum si vel aqua ipsa bilescat, dum diu sub hypochōdrijs trahit, in hoc corpore in quo tantæ obstructiones sunt quibus ægrota tota lutea fuit facta, & etiam in hodiernum diem pallida manet humorum crassorum etiam detenti ichores corrupti in bilem mali generis conuersi fuerint, & dolores acriores effecerint, nec mirum si post illam licentiam in epilepticum malū, & cæ-

A citatem hanc deducta sit, malis illis à materia crassa semper nascentibus, quorum symptomatum ratio restat expendenda vt causa nulla submouenda negligatur. Certè mirum videatur alicui tam longum symptoma subito exiuisse in quod numquam amplius inciderit, & tantum illud fuisse quo nerui omnes etiam ex anteriori cerebro nascentes contraherentur os distorqueretur, & collum & artus omnes vsque ad articulos manuum qui inflexi & rigidi manerent, spuma in ore fuit, & acies tunc amissa est nec amplius tunc recepta est. Tantam ne materiam pituitosam in sinus cerebri subitò delatā esse quin prius sui aliquod indicium in capite dederit? multa sane esse debuit si obstruendo sinus cerebri tam diu secum colluctantis tam diu illud tenuit. Epilepticos cadentes etiam propter crassum humorem vix ali-
B quod momentum temporis agitati videmus, quorum caput est multis notis pituitæ refertum, quomodo in sinus tam repente impelli hæc materia potest, & cum in cerebro non fiat nullam speciem male affecti habente per ipsum tam citò traduci, per quod certè à venis traduci oportuit, per quas à partibus infernis sublata sit, quando cerebri multus læsionem aliquandiu non senserit? forte ne per venas illas quæ sinus cerebri percurrunt? scilicet non potius esset apoplectica facta quā epileptica, nam accessiones spirituum à corde prohibuisset, potiusque cerebrum sine motu etiam coegisset, & cum cerebrum spiritus plenū est, & ventres angustiores fiunt potest cum materia colluctari vnde hoc epilepticum vt illud apoplecticum faciat ipsum. Hac in re ego cogor multis animaduersionibus edoctus alterum genus causæ cum eo quod à Galeno expressum est, epilepsiæ ponere, nam præter eam necessitatem colluctationis quæ
C potest afferri à pituita in sinus cerebri demissa, altera causa, & meo quidem animo valentior, à qua violentiores artuum motiones fieri possunt, vel in acri quadam materia statuenda est, quæ originem neruorum attingit, & eam violenter irritat, vt in singulis fibras ventriculi, quacunque enim parte ille humor appulsus fuerit si exterius neruum molestet motiones tantum conuellentes parit non etiam manentem illam conuulsionem, si in tunicas insigatur neruum illum, & ad motiones conuellentes, & sæpè etiam ad manentem aliquantisper conuulsionem adducit, si ad originem neruorum tunc id toti corpori affert. Vbi videor videre etiam quod cerebrum potest etiam excrementum aliquod aut à se factum aut aliunde susceptum ad ambitum suarum membranarum expulsum secundum illas
D se se tuentes deorsum mittere, membranis vsu suarum fibrarum depulsionem molientibus, vnde membranæ tunc cerebrum identidem colligant, constringantque, & vna omnes inde nascentes neruos in se adducant, humore vero etiam secundum membranas neruorum, & vnius sæpè magis partis quam alterius pro repente, vna magis pars quam altera contrahitur, neque eodem tempore neque eodem modo omnes partes contrahantur, vt in multis conuulsis non epilepsia illa vulgati, sed ea admirabili quæ ad pessima quædam malorum genera, & mali moris sequi animaduersa est vt ad febres malignas, & ad gallicam luem quæ epilepsia ipsa quoque maligna dici à multis, con-
E sueuit.

Fuerit ergo humor aliquis tenuis ex ichoribus vitiatis, vt suprapositum est, vna cum halitu putredinem redolente, & eos acres humores inde tolli contingat, qui facile in caput sublatus intra cerebri membranas neruorum conuulsiones illas tam multiformes effecerit, qui vel si halituosus fuerit, posset etiam totis tribus horis distendisse, nam dolores capitis ab halitu factos in parte laxiori, & calidiori totis sex horis, & amplius durare videmus, halitum quoque tympanitidem faciente diu manere posse natura etiam contra nitente.

Tumores flatuosos & diu subsistentes, nēpe ꝙ halitū hūc non in ventriculis cerebri ponā, in quibus vertiginē

potius, & breuem motionem concitaret, quoniam apertum satis exitum habet, sed inter cerebrũ, & membranas ipsum constituto loco ad exeundum maximè impedito, membranæ enim densæ sunt, vnde quamdiu manere videmus dolores succingentis à flatu factos dolores intestinorum ab eodem trahi in longum scimus; Illud quoque comminiscar. A

Video spiritus à cerebro neruis per medullam distribui; video etiam fieri posset, vt halitus per eandẽ viam à spiritu missus in neruos impellatur, & eos distendat. Atque eũ repentè distẽtiones fiant, à nulla materia fieri possit facilius, q̃ ab halitu, vt de terræmotu, ait Aristoteles cũ violẽtissimè, imò à violentioribus, fieri nõ possint q̃ ab halitibus, qui citissimè gigni possũt, & impetu magno moueri, identidem solui possunt, & similes motiones, vt est epilepsia videmus facere, qui certè halitus non æquabiliter in omnes neruos funduntur semper, & ita maiorem hæc habuit conuulsionem in manuum articulis, quam in medijs artubus, maiorem in facie, quam in pluribus alijs partibus, quod quo modo vnquam fieri posset, materia in sinubus cerebri crassa existente, & cerebro se se constringente ad eius expulsionem? Sit ergo in toto corpore, & medio præsertim, atque ad ventrem maximè plurimum crassæ materiæ, quæ ichores ad se, & halitus multos putrefacta sursum promiserit, capite quoque in suas venas attrahente propter ea quæ sibi applicata sunt ad capillos illustrandos ex aquis feruentibus. B

Vnde donec materia in venis manebat, neque obstructiones propter sui tenuitatem faceret, tenuisque esset, nihil sui indicium dabat, at omnino loco facto natura materiam nõ patiens, illam subito in vicinas partes, & ita in neruos propulsauit, & sic neruis conuulsionem fecit, vbi meatus visorij ipsi quoque eius ichoris vna, cum malo halitu, quo etiam conuelleretur plurimum receperint, & quoniam laxiores sunt, aliquid etiam materiæ cum ichore, & spiritu sub eo vehementiori motu liquatæ, & fusæ, maximus siquidem ille est motus. C

Quanquam ego non credam motum illum cerebri esse, neque vel in sternutamento, etiamsi videatur, nam thoracis potius illud effectum est, tam longo ergo eo motu conuulsionum facto sub quo etiam cerebrũ commoueatur necessario plurimum materiæ in cerebro alibilis quidem, & familiaris liquatum est, vt cum lingua torquetur aqua in os confluit, cum oculi, lachrymæ, cum nates, sæpè coriza fit, & eius materiæ multam partem meatus illi accepere, plurimam verò etiam os, vnde spuma facta est. D

Concussionem cerebri sæpè spiritus ipsos consumere nos obseruauimus, & Galenus etiam innuit contingere, vnde vidimus nos per ictum temporum ex folle lusorio flatus pleno totis tribus diebus amissam fuisse penitus memoriam in Illustri Ruberto Ricardo, qui Domini sui Vrbini Ducis, cui erat intimus familiaris eo spatio numquam recordabatur, neque se illius famulatui esse addictum, vt erat iamdiu credebat. At visum ob id vlli fuisse amissum non memini, fortè quoniam oculi plurimum innati spiritus teneant, vt ex lumine eorum in multis animantibus ignem referente declaratur, qua de re non facilè ex cõcussione capitis ipsi suis spiritibus priuentur præsertim, quod ipsi oculi multa pinguedine muniti circum contra os sunt, quo non facile contundi possint, sed neq; reliqui externi sensus tunc læsi vnquam sunt, vnaque maxime memoria amittitur, quoniam reficiuntur spiritus sensuum a corde submissi, sed memoriæ, & phantasiæ imagines ex concussione perturbatas adhuc confusas recipiunt, nec nisi multo post refecto cerebri corpore, & cũ receptis spiritibus imagines communicatæ possunt exerceri, externis sensibus semper patentib. & ne valẽtibus refici spiritu, vel recentissimo, & nouo recepto, vt nerui etiam mouentes eodem nouo spiritu satis possunt, quare ille iuuenis post ictum à ludo non continuo recedebat, sed colludebat, & aliquantum suasque partes gerebat, & cum sedisset, tunc non amplius ad locum suum in ludo tuendum reuertebatur, & nihil sibi cum socijs esse contendebat. E

Oculorum itaque meatus ij aliquid effusæ per eam exagitationem materiæ recepere, cuius generis illa esse potuit, quæ in os delapsa per motum in bullas conuersa est. Ijs explicatis res mihi ante oculos constituta videtur, & constare iam materiam crassam, & lentam in venis præsertim ventris inferioris, & hypochõdriorum subesse, quę lente iam putrescat, & in varia vitia per putredinem trahatur. Eius portionem in meatus visorios peruenisse eosque obstructos reddidisse, quod facile fuit etiamsi non valdè crassa sit, quoniam illi non sunt caui, vt Galenus existimauit.

Putredo ergo hic esset extinguenda, at id fortè fieri nequeat, nisi materia, quæ non solum est causa excipiẽs putredinem, sed ẽt conficiens euacuetur, qm̃ perspirationem sibi ccipit sua crassitie meatus obstruendo, ita de ea, quæ est in meatibus oculorum omninò cogitandum, vt citò detrahatur, ne cum a calore loci digeri non possit, ab eodem concretior fiat, & durior ad remouendum, neue ea pars ea materia grauata aliarum excrementa recipere cogatur, & sic magis in dies oppressa numquam amplius releuari possit, quod in alijs sæpissimè obseruaui, & viris, & mulieribus præcipuè quibus menstrua diu essent suppressa. Vnde non dubitarem curationem oculorum, cum reliqua coniungere, & ad chyrurgiam accedens ab ea auxilium vtrique parti peterem. Nam suppressio menstruorum nunquam non potest ad missionem sanguinis adhortari, & quod ꝓpter ipsam retinetur, omnino rectè per inferna mittendum, monete, vt illuc superuacuum reuocetur, hic verò præcipuè ab hypochondrijs, & a capite humorum impetus retraheretur missione sanguinis a talo, aut poplite facta, aut si hæmorrhoidum aliqua tentatio fit, & per ipsas illas venas hirudinibus adiectis capiti idem præstarem in occipite, nam locum ego primum cucurbitula semel, iterum, ac tertio tentarem, primum quidem incisa cute, postea etiam sine ferro subinde nõ intermitterem auxilium, quin protinus ceruicem sub occipite funiculo traijcerem, vt excernendæ materiæ locus contra affectos oculos adstaret materiæ in contrarium reducendæ.

Interea non dimitterẽ infernæ materiæ tractationẽ non solum ne in caput subreperet, sed ne halitus etiam submitteret propter illius sæuissimi symptomatis metum, cui etiam illa ceruicis reseratio valde occurreret. De materia ergo ea interna illud esset consilij, vt post eam ad infernas partes reuocationem paulatim, & pararetur, & retraheretur, quoniam crassa, & lenta non sequetur si vniuersim trahatur, minus verò etiam tutum erit per hypochondria tantopere impedita illam euocare, vnde in tensione hypochondriorum, præcordiorumve prohiberi solemus a purgationibus, per vomitum sanè libentius id facerem, sed tamen oculis, & capiti metuerem, & omnino etiam per infernas partes faciendum est, & ijs quæ robori quoque viscerũ consulant. Parabitur humor melle rosaceo, & oximelite non solo, sed cum eo, & alijs eiusmodi, vt syrupo de betonica, de stœchade cum succo cicoreæ temperatis, vel syrupo rosaceo incoctis, euphragia, betonica, stœchade, agrimonio, saluia, & similibus in capiti, & oculis metuatis. Vomitus cum oximelle liquidiori promoueretur, cum oleo amygdalarum dulcium, cum aqua aurantiorum, cum in ea incoctæ sint raphani radices, asarum, aut etiam aliquid albi ellebori, quod elleborum non est, tam verendum, vt quidam existimant, quando hypochondria erunt liberiora, per aluum autem infernam, nunc commodè purgabunt pilulæ de tribus cum rhabarbaro, quæ viscera, caput, & omne humoris mali genus spectant. Postea cum fuerint hæ semel, & iterum datæ, & vsus syruporum interiectus ad pilulas de agarico Mesue, & aggregatiuas ascendendum erit, & sic malum fugandum. Interea ventriculo consulendum, quo minus occasionis fit pi-

tuitæ procreandæ exteriusque libentius absinthium, quam interius darem, oleum quidem certe de spica nō præterirem per lanam in eo demissam, & expressam, atque appositam, quibus cum diu egissem ego crederem eam iri leuatam hoc malo, nisi oculi parum iuuentur, nam alterum saltem vidi cæcum in alijs remansisse. Quod vnum de ratione viuendi mihi dicendum superest id de vini abstinentia est, nam illud penitus circumciderem, & aquæ saluiam incoquerem, & in cœna parcè cibum darem, & ante somnū longius, diurnumque somnum prohiberem, & ab excandescentia, maximè continerem.

Hæc paucis diebus conualuit, nihilque impedimenti in oculis mansit.

De Marco Antonio Gabieo febre pituitosa oppresso.

CONSVLTATIO CXLIII.

TEcum certè sum vir Doctissime, neque locus meo consilio relictus à te est, colligam ergo quæ à te discussa sunt, & ante oculos cōstituam, atque rationes afferam, vt videar saltem rem intellexisse, neque tecum temere sentire voluisse. Aetas senilis omninò est, & ad 70. annum accedit. Corpus ergo natura humidum ætate refrigeratum, tempestate præterita insolenter humida, & frigida post subitos calores subitis frigoribus factis, & identidem eadem varietate ijsdem redeuntibus, & spatia sua virtute ad motiones suas in corporibus edendas habentibus, non tam breuia, & potius inuicem operas suas frangerent, multa copia pituitæ, & etiam melancholiæ ea tempestatum varietate ad id maximè valente congesta est, vitæ verò etiam diuerso, & insolenti instituto accedente, quod senibus ferè infaustum esse consueuit, qui enim iampridem continenter in Vrbe consuetudinibus, & negotijs in vmbra operam dabat, postremo tempore vitæ exagitatus est, & cibis ruralibus liberius vsus, & fructibus præsertim. Ita quod hæc vitæ mutatio, quam semper in senibus pestiferam animaduerti, & quod hæc causę poterant, notæ insequētes ostēdunt, nā vrina alba omninò, & crassiuscula est, & cum febriat, non sitit, nōn valdè concalescit, imò extrema identidem refrigerantur, somno rentatur, aut certè eius propensione, audio etiam alui excrementa valdè glutinosa esse, vna lingua aridior videtur, vt vix informare voces possit. Hic itaque putrescit pituita, & tam crassa, vt calor à corde omni corpori communicatus, non possit sæpè ad extrema deduci, fortè propter obstructiones fortè etiam, quod eiusmodi humores febris calore effusi, cum ad extrema peruenerint, ibi calore amisso, vt alieno in se redeant, & refrigerentur, atque vt vt maior calor accedit, aut minor, modo discutiatur, modo etiā concrescat, & caloris intimum incendium colligatur, atque ad se spiritus contrahat, & omnem calorem halitibus, ijsdem multos vapores efferentibus per os transeuntibus ore hiante semper lingua quidem, arescit, at in cerebrum parte maiori vaporum rapta suo frigore illam in pituitam exprimit, à qua somnus efficitur, quæ quoniam ex vapotibus crassa admodum non est, somnus minus altus arctusve est, tarditas quoque illa sensuum interiorum fit, & quoddam animi otium. His ita propositis in quibus potissimū pituita crassa, & multa cum sua putredine locum tenet, quæ cruda ex vrinis intelligitur, & præterea senium satis ad concoquendum ineptum, vt ad uires sustinendas progressionem hanc morbi fore, cum periculo suspicio est non leuis. Ad detrahendam ergo hanc materiam à chyrurgia exiguum auxilium habere possumus, quoniam sanguinis missio tolerari non poterit, in morbo longitudinem promittente, & viribus non ita robustis, nō solum secta vena, sed neque cucurbitulis, quoniam hæ nihil serosi solent

A educere, & sanguinem ferè tantummodo valdè concoctum, & à partibus continentibus valde in sui alimentum paratum, qui citissimè cōcrescat, & rarissimè non densum, quare etiam optimi generis, ad medicamenta igitur potius confugiendum, & solas frictiones ab opera manuum petendas, quibus leuioribus vti iubemur in huiusmodi febribus pituitosis.

Medicamentis verò leuioribus ego ventriculum purgatum altero quoque, aut quarto quoque die vellem, ne materiam febri suggereret, & medijs diebus illam pararem. Melle itaque rosaceo solutiuo dicto crebro ad ℥.3. vterer quotidie verò oximelite, & melle rosaceo, & syrupo de corticibus citri, & syrupo de succo cicorei primum deinde illo, qui de cicorea Nicoli cum rhabarbaro dicitur, cum aqua in qua incocta essent, cicoreū,

B betonica, hyssopum, melissa, & lupuli, rhabarbarum, aut pilulis de tribus progressu temporis adijcerem, vt minores iecoris venas obstruente humore expedirem, & sic curarem. Victus autem ratione mediocri vterer, nam non crederem abstinentiam posse eiusmodi crassam pituitam, & non naturalem facilè ad sanguinem reducere, potius crassiores faceret multas illius partes. A vino uerò abstinerem propter caput, & humoris nimiam copiam, & cruditatem.

Hic paulatim cōsumptus est quinque postremis diebus à cibo penitus abhorrens.

C

De Dominici Dellauechij filio torpido tardoue facto.

CONSVLTATIO CXLIV.

VT rectè exposuisti Vir doctissimè, ex nimio veneris vsu tener adolescens ægrotus est factus febri primum, quæ cessante in nouum malum cecidit, quod nunc videmus, adde ad vsum veneris etiam largiorem victum, & equitationes subito à cibo equis succussorijs habitus, sub quibus cibum necessario vomeret; His, & refrigeratus est ventriculus, & vna cerebrum, obstructiones autem multæ factæ sunt attractis succis crudioribus, & extenuatis à motu in viscera, & in caput. Præterea bilis copia occassionem habuit, cum à motu, rum

D ab obstructionibus. Vnde quamuis à febre liber euaserit, tamen obstructionibus manentibus, & ventriculi, & capitis frigore, cum incredibilem fructuum, & malorum maximè punicorum copiam hęsitauerit, in hūc effectum delapsus est, in quo vomitus pituitæ mouetur, quamuis bile sæpè infectæ, & tanta in somnum est propensio, vt continuare orationem non possit ac singulo ferè in verbo langueat, & subsistat, tantus verò etiam linguæ torpor, & tarditas, vt exprimere informareuè uocem non possit, oculi tamen sicci sunt, & facile eos aperit, faciesque tota sicca, pulsus non admodum mollis, rarissimus tamen etsi uelocior uideatur. Sine siti est, lingua mollis, humida, albior, carnes frigidiores, nullus mali sensus præterquam segnitiei corporis totius. Quare Doctor eximie, non crediderim ego subesse bilem ni

E miam tanquam huius mali causam, vt metuis. Esto, hucusque fuerit, minus fauces mihi introspectæ rubræ uisæ sunt, etsi columella laxior apparuerit, vnde cum reliquis propositis notis, ego refrigerationem in caput pertimuisse à uentriculo tot acidis, & frigidis fructib. præter alias causas refrigerato, & pituita referto, quæ cum euomitur faciē bilem etiam attrahit secum, sed eam naturalem.

Propterea ego cum uomitus necessitas accedit illum iuuarem oximelite, etsi cibum sumpserit facilius id facerem, cibumque repeterem. Prima autem luce, & post somnum aliquod abstergens propinarem, ut oximel cum melle rosaceo, quod cum iure diluerem.

Ante

Ante omnia clystere inijcere ne inferiora per vomitum sursum adducerentur ventriculum fouerem, quo concoctio perficeretur,& etiam inungerem. Sternutamenta mouerem ventriculo ieiuno, & extenuante, ac mediocrem cibum darem ne cruditas occasionem haberet. A vino tamen abstinerem ne corpore forte minus expurgato,& cruditates,atque crassos humores cõtinente aliquid mali in caput iam labefactatum inferretur. Aquæ quidem aromata incoquerem. Paratã pituitam quamprimum videretur cum hiera etiam diacolocynthidos, aut Pachij purgarem, vel hieræ logodij Aetij. Cui purgationi tunc calefacientes potiones, & vinum subiungerem, & antidota maiora vetusta exhiberem ne ex opio male haberet.

De Paulo Verzio cœliaca fere affectione laborante.

CONSVLTATIO CXLV.

PRætermissis his quæ officij moratioris causa dici initijs consultationum solent. Vir Excellentiss. venio ad ea quæ necessaria sunt, quando huc cõuenimus conuocati, vt quisque operam suam conferat ad huius Nobilissimi Viri salutem. Vt exposuisti tu, atque vt licet cernere hæc extant in hoc corpore, alui fluor, quo se xies, aut decies quoque die aluus descendat, ita tamen quod quatuor, aut quinque totis horis à cibo, tam matutino, quam vespertinè consistat, inde subitò multoties profundatur, quæ exeunt omninò varia sunt, modo nigra, modo fulua, interdum biliosa, sed frequentius decolora, & plumbum referentia, tunc præsertim cum ad liquoris habitum accedunt, aliquando enim densiora, aliquando liquidiora, aliquando fusa quidem, sed habitu quasi mellis sunt, & tunc, vt dixi plumbum, aut cinerulam referunt, is alui fluor nullius doloris est, nullius que morsus, quamuis sæpè in excrementis supernatet quidã sanguineus humor saniesque obscurior de qua dubitare possumus num è sede extrema effluat quam, aut sibi consueuisse saniosum, & sordidum aquæ genus effundere, & semper madere, an verò ex intestinis exprimantur cum fęces excernendo se se contrahunt. Huic alui fluori accedit tumor œdematosus in genibus identidem reuertens, mane enim, & paulo post decubitum minor est, vesperi postquam ambulauit maior ita vt ingressum etiam impediat, tertio est lienis magnus, adeo vt manu apertè sentiatur etsi durus nõ sit, & cum eo media præcordia etiam valdè tẽsa sunt, etsi vtrinque molliora sint quarto mihi videtur pulsus valdè paruus in homine calidioris cordis, vt reliquæ coniecturæ ostendunt. Cum ijs nihil aliud molestum est, nam etsi sitis aliqua sit, illa tamen ea maior nõ est, quæ ad fusiones aluui sequi conuenit, neque admodum molesta est, in reliquis benè se habere asserit, nam & cibum commode accipit, nec fine eius cupiditate est, & iustum somnum capere potest, & satis virium habet ad ambulãdum quocunque opus est. Vbi & excernendi facultas læsa est, aut sua, aut contentricis causa, & concoctrix etiam vitiata, excrementaque alui admodum mutata sunt. Corporis etiam species videtur ægroti esse, & item præcordia tensa, & lienis magnus est. Morbi ijs notis substantibus discrasiæ cum materia sunt, & hoc in lienis tumore satis perspicuum est. Dubium quidem est num lienis primus affectus fuerit, & postea hæc mala pepererit, an verò eadem causa, vnde fluida aluus est, ipse quoque intumuerit; sic enim difficilior, & celeriori s periculi mihi res videretur. At siue fluor antecesserit, siue sit subsequutus eius omninò ratio est, morbus est quærendus, & vna cum lienis tumore, & hypochondriorum tensione tollẽdus. Cum fluor eiusmodi sit frigidioris naturæ, videtur ita neque morsum habere, neque dolorem, neque (vt hoc etiam adijciam) ferè odorem, vt à sanorum excrementis in hoc etiam recedat, quod fœdi odoris, & vt fert sua

A natura, non est. Siue ergo à iecore, siue à ventriculo sit, frigidum morbum, aut certè minime calidum sequitur. præterea calida materia difficilimè nõ putresceret, non febrem afferret, quæ hic nulla est. At in iecore tantum frigoris esse, vt humorem eiusmodi pariat, non posset cum ijs corporis viribus, cum nutritione hac nõ ita mala, nam præter tumorem genuum, & aliquam faciei decolorationem vix ab habitu bene nutriti corporis distat, totum corpus sane iam totis quinque mensibus iecore, iam refrigerato ministrante vniuersum iam malo habitu, & anasarca, aut ascite fuisset affectum, quinque enim menses transacti sunt cum cœpit ipso hoc malo tentari; vt mirum sit ni iecur à parte male habente ipsum quoque affectum sit, vnde mirandum non sit si genua sic intumescunt. In ventriculum ergo morbus est

B referendus, at benè habere videtur cum satis cupiditatis habeat ciborum. Certè tanto frigore affectus non est, vt vis concupiscendi in ore præsertim cibum extincta sit, tantum tamen illud esse potest quod ei non repugnet, & quidem multum põtest frigus superare, & cibi cupiditatem potius augere, quã imminuere, augeret verò semper nisi cum humore aliquo coniunctum vis eius ad hoc faciendum idonea non frangeretur, vt cum humidum illud frigus est. Humidum verò hic esse, & ab eo potiores vires profusionem alui habere multa coniectura est, nam nisi humidum genus esset, vix posset prohiberi quin cruditas à frigore facta dolorem, & flatum afferret, quin ructus emitteret qui in hoc nulli sunt. Cruditas ergo, tam mitis ab humido ipso potissimum est, & ita factum; vt remissa vi contentrice ventriculus iusto spacio cibum non possit continere, qui ex parte concoctus demissus ab intestinis, & eis familiaris, & conue-

C niens comprehendatur, & ad aliquam meliorem concoctionem perducatur, parte tamen plurima sic superari non possit, vnde in peiorem conditionem ibi detentus, & nulla natura certa præditus nullum firmum calorem tenens declinet, alieno calore mouente, & interea aluus conquiescat. Peiore verò natura ex quadam putredine accedente molestus intestinis, & grauis fiat præsertim in vnum aliquem locum confluens, vnde subitò se se demittere cogat intestina, sic multum suppetit iecori quo corpori suppetias ferat, cibi quibusdã partibus spatio illo ad bonum soccum perductis, quod esse non posset si obstructis vijs chylus retineretur, sic humidiore materia nihil doloris affertur, nec permittitur frigori, vt nimiã cibi cupiditatem afferat, quod eo facilius posset quod lien impeditus, & minus humoris cõsumẽs

D nimium humorem in ventriculum sui generis effundit, ex quo contractius os eius immodicè cibũ appeteret, ꝙ nisi lien faceret tanta esset ventriculi in superioribus, vt inferioribus partibus laxitas, & egestatem non sentiret, & cibum non appeteret, inde etiam fit, cur cibum non diu sentit in stomacho manentem, nec ructus edit superiore ventriculi parte eum facile demittente, inferioreque imbecillis contentricis, & recipiente, & delabi permittente. Humiditatis modo huius causa necessario aliqua substat, & est humor, nã ipsa per se non ita solet induci, vt calor, & frigus ab actuosis nascentia, humiditas namque parũ agere potest, & sibi similem infundere, & imprimere. Materia ergo esse præsens humidior debet

E qua dyscrasia eiusmodi sustineatur, ea verò pituita necessario fuerit, quę tunicas inferiores vẽtriculi obtineat, & in illis altè insederit, iamq; infixa sit, quę seipsam cruditatibus propaget. Ergo hæc omnia agẽda sunt, pituita illa è tunicis euellenda, & omnis humor in mentib. lienis infarctus extrahendus, & omninò est exsiccandum. Verum quoniam suspicio est ne lues venerea subsit quoniam artuum dolores diu habuerat, à quibus non nisi vnctione hydrargiri leuatus est, & à potionibus contra eam luem dari solitis, liber penitus factus, sed vomitibus variæ materię inde obnoxius factus, eius suspicionis aliqua ratio habenda est. Igitur quoniam exsiccãtibus, & abstergentibus vtimur, guaiaco etiam vti poterimus à quo ventriculus solet ferè bene habere.

Sic ergo medica auxilia disponerem, vt in viuendi modo, & in medicamentis ratio exsiccans quæreretur, & ne materiæ humidiori potestatem faceremus, sui propagandi etiam cruditates cauerentur, ventriculiq; concoctio iuuaretur. Mel itaque rosaceum, & oximel mihi idonea creduntur, magis verò etiam syrupus de eupatorio à te propositus, ac propter lienem, etiam syrupus de epithymo. Ijs verò numquam postponerem syrupum acetosum diarrhodon. Syrupum de absinthio superuacuum crederem, quando syrupus de eupatorio Mesue adhiberetur, in eo enim absinthium quoq; suas partes habet, cum his post aliquod temporis spatium etiam syrupum de mentha coniungerem. Hos syrupos diluerem aqua, cui incocta essent cum guaiacum, tum agrimonia, tum etiam tussilago, atque etiam mentha cum betonica, & cicoreo, quibus adiungerem rhabarbarum totum sumendum, aut per se, aut etiam magis cum trochiscis de capparibus coiunctum, sic enim absterssio valentior haberetur, & lienis malo consultum esset, emolliunt enim illi trochisci, portio autem rhabarbari ea esset, quę indies necessaria mihi videretur, quod si ventriculus melior inde fieret, ego ad integram curationem suspitionis accederem, & guaiacum vna cum cortice propinarem ex aqua quod ventriculo etiam satisfacturum putarem. Interea ventriculo consulerem proprio fouendo ipsum spongijs, & vaporib. per cucurbitam perforatam accipiendis, vt Hippocr. vtero solet accommodare, quibus identidem illitiones subiungerē, & tandem etiam cerata. Vbi si fluori proprie occurrendum esset, ego rhabarbarum prius dilutum, & expressum darem. Itaque hæc de medicamentis. De ratione victus ego pauca dicam, nam non est ita exquisitè seruanda, sed tantum mali succi cibi, & nimij, nimisq; laxantes vitandi sunt, grauiores etiam etsi boni succi essent, prætermittendi, vt vitulina caro est nisi admodum teneræ ætatis sit, quod de hædina dictum velim, alioquin auiculæ boni generis gallinacea iuniora, pulli columborum mihi magis probarentur, & in visculis far benè percoctum, vel panis contritus, aut maceratus in potionibus vinum potius boni generis, quam vllum genus aquæ, etsi incocto guaiaco medicamenti vim haberet. Hic enim coctionem summoperè quærimus, & spirituum renutritionem, neque febrem, neque capitis malum habemus, neque veremur ne cruditates in angustas venas deferantur, quæ quotidie, & quaque hora infra descendunt. Quietem autem præciperem, quæ coctioni commoda est fluida autem aluo necessario nisi cum loco exercitationis iusto modo adhibendus motus est. Nunc genuum tumori certè quies requisita, alioquin per motum vidi alui fluores curatos, præsertim in rheda factum. Animi perturbationes sedandæ essent, & omninò fugiendæ, cogitationesque, & sollicitudines rei, & honoris nunc seponerentur, suo tempore recipiendę, vita enim omnibus non quidem dignitate, sed tempore anteponenda est, qua firmata, reliquorum cogitationes rationesque resumendæ.

Cura proposita adhibita, & diluto rhabarbaro præbendo paulatim venter minus fluida, efferebat, & genua minus tumebant.

De nobilissima Cecilia Aleardia de Pompeis angustia æsophagi, & cordis laborante.

CONSVLTATIO CXLVI.

Mirabilia is casus duas partes habere mihi videtur vnam altera magis horrendam, quamuis vtraq; pessima sit, horribilius namque visu est cum honestissima mulier deposito oī decore, & pudore abiectis stragulis, in omnes gestus incompositos agitur, tamquam furens, & se se omnibus modis iactat, quod tanta vi, & viribus facit vt multos robustos homines ipsam cohibere conantes à se abijciat, & propellat.

Minus horrendum videtur, sed nihilominus miserendum cum mores retinendo quibus ornatissima est, eloqui tamen non potest, minus quod deglutiuit potest in ventriculum demittere, sub quo malo iam triduum perpetuo est, prius verò dictum horribilius ex interuallis incertis bis reuersum est, & in metu sumus an reuertatur. Morbus vnde hæc fiunt esset omnino abigendus, alioquin breuis vita est futura, itaque & cognoscendus, cuius cognitionis notas in ipsis symptomatibus diligenter ponderandis, & causis recensendis habere, tantummodo possumus. A symptomatibus ego incipiam, hæc gestu nobis significat cum lingua vti ad eloquendum non valeat, quod postquam diu crurum dolore, quotidie redeunte fuisset tentata, æstate quidem interdiu hyeme autem noctu, iam tertius dies est cum subitum cruium calorem, qui sub dolore accedere consueuerat sensit ascendere in ventrem, & inde ventris turbationem, suspicata quæsiuit aluum exonerare, sed solū lotium emisit, inde cardialgiam persensit, & tanto cruciatu, vt se se interficere contenderet, neq; contineri à robustis admodum hominibus posset, sub quo furore totis ferè 7. horis fuit, nec nisi parum, & præ lassitudine intermisit, & cū furor esset reuersurus, ferè sub animi deliquio aliquantū manebat.

At frictionibus vinculisque adhibitis, & item cucurbitulis affixis intra fęmora ab eo furore quiescere cæpit inter quæ molienda cum per os theriacam dare mulieres tentassent, ipsa acceperat, & demittere conata erat. At omnis liquor cum theriaca sursum referebatur. Multa ad vomitum ciendum data pariter exiliebant, cum eo verò ipsa quāuis apud se esset, & alioquin posset omnibus reliquis signis, & gestibus manuum informare nobis speciem suæ molestiæ, tamen lingua exprimere nihil poterat, vt nunc uidetis, vocem quidem interea edebat, vt edit nunc, imò si diligenter animaduertistis ferè verba voce imitatur, adeò gutture liberè, & faucibus vtitur, voce enim ferè verba adumbrat, præterea cordis dolore exercetur interdum leniori, & angustiæ tantum sensum præbente, interdum acriori. Sensibus interea tam internis, quam externis liberis, & omnem solitam prudentiam retinentibus, capite vix nescio quibus horis externa die grauiori, nunc omnino bene habente, faucibus colorem naturalem, & omnem habitum vna cum lingua habentibus, nullo dolore affectis demissoque funiculo cerato, vel durissimo, nihil dolores mouēte, imò syringa argentea innoxie ea loca tractante spiritu facili, neque vnquam concitatiori, nisi cum cordis dolor increscit, siri quæ ex tot laboribus agitationum, & tam longa cibi priuatione in sano homine maxima esset, vix mediocri cibi etiam cupiditate nulla, & si neque fastidium eiusdem sentire se significet, & libenter deglutit, quamuis vel aqua ipsa demissa à medio œsophago reijciat.

Pulsus certè minores videntur quam huic corporis natura conuenire arbitrer. Vrina rarissima, & exigua, quoniam sine cibo, & sine potione tot dies, alioquin neque ita colorata, vt sub tanta fame esset necesse, & in summa sine febre hucusque fuit, nisi quod aduentante iam quarta die pulsus crebrior aliquanto, & concitatior vna cum respiratione existit. Ex quibus notis partes ad œsophagum pertinentes oppressas video. Nam fauces, & larynga affectas esse perhibet, quod nullum eorum quæ propriè eatum partium mala consequi soient cernitur, quæ sensu præditæ omnino dolorem aliquem, aut molestiam sentirent, quoniam membranis præditæ necessario tēderentur, & molestiam reciperent, certè propriæ tumentiæ sensum haberent, etiamsi œdematosa esset. In larynga vel eius musculos exiguos vix quidem intrudi potest, quin doleant, quin dolorem sentiāt, præterquam quod non solent obiectæ esse, nisi humoribus calidioribus a quibus inflammarentur, & cum dolore tensionem, & tumorem, & ruborem præseferrent, tumoreque non apparente, aut rubore, summa esset spiritus angustia seu impedimentum, esset etiam febris om-

nino

nino intensa, non posset autem deglutire sine dolore, A aut impedimento saltem si fauces materiam accepissent, quæ solent ipsæ, quoque calidiorem eam accipere, & citò pus conficere, & rubere, atque cum tumore, & dolore raro sine eo, & tunc tamen suum impedimentũ, & tumorem sentiunt, quorum nihil cernitur.

Cum ergo etiam aliquanto inferius demittantur, quę per os sumit, & vomitu reijciantur, videtur malum ad inferiores œsophagi partes pertinere, præsertim quod ipsa designat nobis adstrictionem quandam ad iugulũ. & colli inferiorem partem percipere. Ita verò infernam œsophagi partem non intelligo, vt mediam excludam. Verum os ventriculi, cum ipsa corde doleat, estne affectum? Affectum omnino credo non tamen primas huius mali partes in se concludere, nam maior est angustiæ œsophagi sensus, quam cordis sic dicti dolor, B quod si in ore ventriculi princeps malum esset, cum ea pars acerrimo sensu sit, necessario ventriculus anxietudines illas sibi familiares, & quasi animi deliquia insequentia haberet, neque est respondendum, quod cum humor sit frigidior, illud non facit; nam vel ex lacte, vel ex pituita ibi concretis solemus videre animi deliquia, & anxietudines incredibiles, hic tantum impedimentum fieri nequit nisi a materia valdè frigida. Sic os ventriculi notas suas haberet.

Hic animus & sensus omnis constat, & tamen compressio cordis sentitur tam subitò præterea neruosos, & densius est os ventriculi, quem vt frigidos humores excipere in se queat, tam subitò vnde partes vicinas potius ori quam os ipsum affectum crederem, neque putarem potius exterioris tunicæ fibras, quam interioris affici, C quoniam nerui ori insiti potius exteriori cognati sunt, vnde cum confluens materia aliquid saniei mordacioris habet, suaque tenuitate in os ventriculi effundit se se tunc miræ illæ motiones concitantur, quòd si in ore vẽtriculi penitus tota nisi illa esset, caput seu neruorũ initium omnino afficeretur. Esto quod non materia, sed tantum aliquis halitus mali generis locum occuparet, vt œsophagus occupatur ab ea potione, quę macerata sit, solatij maioris radix, vt occupantur dentes solo genere austero, vt pulmones solo halitu carbonum, more enim ventriculi ea genera etiam principio neruorũ molesta sunt. Ergo illud omnino afficeretur, & facilè etiam conuulsiones moueret, os enim ventriculi, vel in extrema (vt dixi) membrana est valdè intextum neruis, sic mirabiles casus afferre homini affectũ consueuit. Quod D etiam confirmari eo potest, quoniam nõ fastidit cibum quamuis eo malo genere pręsente in œsophagi detrudere illum in ventriculum non posset, neque nimis eius appetens est, vt ori affecto vno, aut altero humoris genere euenire consueuit.

At linguę malum quomodo inde esse poterit? Linguę malum non tantum est quin totum aliunde per consensionem accipi possit, nam duobus muneribus linguæ attributis altero gustatus reliquo motionis, gustatus integrum munus seruatur, quoniam non agendo, sed accipiendo præstatur, & minori vi eget, præterquam ab alijs neruis fit, quam motio, nam motio à neruis septimi paris vim recipit, sensus autem propositus ex neruis tertij E paris à cerebro proximè insertis motionis munus diminutum est, ita tamen vt moueant quidem linguam, sed subtilem eam motionis varietatem, & expressas formas vocum conformantem perficere non potest, quæ maximè extrema lingua agi solet, quare non est impedita vis neruorum septimi paris, sed imbecillior facta, quæ maximè cognata est cum neruis ad œsophagum pertinentibus cum quibus plurimam sui partem communicat postquam partem suam lingua distribuit, vnde impedita ex toto cibi intromissione in ventriculum, & infirmata tantum linguæ motione, si consensionis culpæ alterutrius malum dandum est, eorum minus, & quod facilius sequi potest omninò dandum est, nempe eloquendi infirmitas, vnde radice linguæ, & gutture voces quasi informat instar eorum qui os aquæ plenum gerant, & loqui conantur, extremo tamen linguæ eas non exprimit, consensione cum œcophago facile fit, ne tam valida lingua sit, præsertim quod non solum neruis sed tunica eñ communi cum eo coniunctissima est, quare concludendo possum pro constituto habere quod locus primitus, & se ipso affectus est gula media, per consensionem verò affectus est in lingua. At cuius generis affectus sit videndum restat, quod eodem degluti endi impedimento demonstrari poterit cuius impedimenti natura ex natura actionis cognoscenda est. Deglutitio seu deuoratio qua cibi, potionesque delabentes deducuntur, actio est, quæ apprehensione eorum, & detractione, & detrusione fit, hæc villis tum longis tum transuersis perficitur, & meatum satis latum requirit quo superius contracto inferiusque dilatato illa demittantur. Cum ergo impedita illa actio sit, aut meatus constrictus est, aut fibræ infirmæ factæ, de infirmitate fibrarũ dicere possumus quod impeditæ sunt, itaque ratione debilitatæ, nam hęc species impedimenti diminutę actionis non est, sed penitus prohibitæ, quæ subito facta prohibitio est, eapropter nõ à sola intemperie facta, paulatim enim accessisset, & antequam ex toto fuisset extincta debiliter prius operam exercuisse eam fuisset necesse. A materia ergo, & meatus constrictione quæ causam aut in ipsomet æsophago, aut extra ipsum habet, malum hoc est; extra quidem omnino haberet si ab aliquo tumore adiacente vrgeretur, aloquin non video quomodo constringi externa culpa posset. At tumor quamuis etiam citò possit ingenerari præsertim partibus gulæ conuinctis satis laxis, in quibus etiam sine dolore fuisse visus est, & œsophagum compressisse, tamen spatium habuit saltem trium dierũ antequam omninò œsophagum comprimeret, vt in duobus alijs per hos dies visum est. Esto breuius spatium habeat certe breuissimum vnius diei spatium illud erit.

Nam anginam ex tenui humore fieri, solitam semper diurnum spatium, cum minimum habere videmus. At hæc coarctatio eodẽ temporis puncto quo in furiosam illam agitationem percita est, constitit, nam cum mulieres horribilius quodque veritæ, theriacam exhibere conarentur dilutam, nihil demitti poterat; Quare tumor externus id efficere, & longe minus tam repentè nullo modo potuisset, causam ergo in ipso œsophago esse conuincitur. Eadem vero ratione illa causa discrasia sola esse non potest, quoniam neque ipsa subitò potest consistere, cum materia quidem potest accedere, eaque substante tum induci tum conseruari. At videndum quodnã materiæ genus cuique parti œsophagi affectum faciat tanti mali, & vnde illuc tam subito impulsum sit, & idem cursum tenuerit, quibusque vijs vsum. Subitus, & celer ille aduentus tenuem materiam significat febre carere eam minimè habere multos calidos halitus, agerem eos furores eam ad os ventriculi peruenire, & insuper mordacem, & vi mala præditam, & corruptam esse; quare cum corrupta, nec multis halitibus calidis sit, necessario generis acris quidem, sed frigidioris in cineres melancholicique fuerit, ac cum tenuis sit fumus illius omnino eius naturam tenuem, & acrem referet; qui ad os ventriculi accedebat.

Verum quomodo tenuitas humoris potest tã latum meatum, quam œsophagi est constringere? quomodo id sine dolore facere? præsertim vim malam, & mordacem referendo? Vermes halitus malos edunt, & solent obstipare sua mole, atque ictu etiam hominem exagitare, a quo cum cessant, sola obstipatio sine dolore consistit, vt hic videmus, rarum tamen id sine aliqua alia molestia est non solum elocutionis, vt hic est, sed etiã sensuum, & maximè cordis, vnde febres solent esse familiares, eapropter vermium non ita multum mihi suspicionis est, præsertim qui soleant quò longius trahitur abstinentia eò molestius exercere, hic verò ab initio subitus cruciatus omnes alios vicit. Vnde potius existimandum videatur iam partem acriorem materiæ ex spatio fuisse consumptam, restare verò illam quæ quietior intra suos fines, neque amplius ad os ventriculi exudans

dans œsophagum modo potest contrahere. Mirum tamen videatur, quomodo ea tenuis tantam constrictionem possit efficere si tamen multos alios eiusmodi euētus consideremus admirari desinemus, nam affectus ex vtero venientes sæpissimè & œsophagum adstringunt, & elocutionem impediunt, & subito maximè id faciūt vno vapore, aut halitu malo cum vētriculo, & œsophago communicato, quid enim tunc contrahit œsophagum, quam halitus. Quid œsophagum impedit radicis solatri maioris, nisi halitus ab eo impressus? quid dentiū stuporem conseruat, qui non solum glutinosis, sed asperis etiam & sale ipso tolli solet. Fumi ergo eius naturæ ab humore in œsophago imbuto, & sub specie halitus ab vtero illato faciant hanc molestiam. Esto ergo nunc vteri malum cessarit, quod impedit halitum in eundem humorem esse reuersum vnde discessit, & iam humoris halitum habere, & idem opus præstare contrahendi fibris nimirū imbutis, ne dum delibutis, quæ veluti chordæ imbutæ breuiores fiant, & vi humoris frigida, & sicca durescunt, atque eo magis meatum constringunt, interea ab vtero præsidium habente eo humore, nam alterem quaque die interdum etiam breuioribus interuallis breui quadam suffocatione vteri tentatā est, vtero nimirum materiam suppeditante, & fortasse ne dicam certè quoniam constrictio eundem statum seruat sub illis casibus nouam suppeditans. Cuius itaque generis sit, & ex qua parte adueniat materia, atque per quas vias secum cursum teneat, satis apertum videtur, ab vtero, namque in ventriculum viæ non solum cognatione tunicæ externæ a peritonæo, sed venarum magnarum quibus per iecur cum ventriculo habet coniunctionem nescio an dicam neruorum, nam dubito ne vterus neruos a sexto pari accipiat, à quo intestina, & viscera inferni ventris habent potius per eos cum cerebro, & capite coniungeretur, cum quo tamen etiam venarum copia, & magnitudine complexum habent, sed halitus possunt etiā angustiores vias, atque inuisibiles meatus permeare, & ad septum transuersum congesti, vbi consueuere spiritus difficultatem facere, in vicinum œsophagi initium infigi, & superius etiam attolli, ac nisi cor sua se vi & calore illos discutiente sese defenderet, nisi caput idē suo temperamento faceret, & fumos a se depelleret, vnde etiam nerui linguæ torpore cogantur fumis in tot demissis, eas omnes quoque partes, vt sæpè vidimus infestare. Vterum potuisse huic malo initium præstare multa coniectura est, quoniam ætate hac 30. annorum, & florentissima, tum corpora natura calida, & humida menstruis purgationibus iam 12. annos diminutis ea sępè in similes casus incurrit, quamuis non ita horribiles speciem tamen eandem retinentes, vt linguæ hæsitantiam gulæque angustiam, secum coniungerent.

Præterea suspicio est ne à capite multum causæ sit, nā sub sole diu esse solet ad capillos nitidos, vnde illud concalescens nimium humorum ad se attrahat, nec tantum conficiens necessario deorsum multam materiam demittat quæ in vterum per venas decurrens tēpore menstro eius meatus impeditiores reddat, quam conueniat ei expurgationi quæ diminute facta omnium dictorum malorum causa est, quod si ordine quo malum procreatum est liceret illud tollere, certè ab hac prima causa esset ordiendum, sed quoniam vel hac manente malum curari plurima sui parte potest, neque tantæ induciē eius grauissimæ molestiæ dari possunt, propterea ad id quod magis vrget illo præterito nunc fine quo instituta purgatio aliquem fructum habere potest non solum capitis ratio postponetur, sed vel purgationum menstruarum procuratio in suum tempus differretur, nūc materia quę quoniam in locum affectum potest incurrere metuenda est, ea necessario primū submoueri vult, quod sine ea, nec tuto, nec commodè quæ iam in loco affecto hęret discuti potest, & vt dixi maius malum minatur, deinde quam primum poterit ad discutiendam illam, quæ iam molesta est accedendum, vires verò vti nutriantur omni studio prouidendum, quæ etsi satis valentes sunt, tamen ci-

A bi via impedita facile laberentur. Videamus iam morbi necessitatibus constitutis, & parte affecta designata, vitiumque ratione exposita, à quibus rebus remedia accipere possimus. Magnus morbus est, vires validæ sunt in futurum tamen ne durent metus est, nam non solum agitationes illas horrendas, & laboriosas metuimus, sed abstinentiam, & famem tollerandam videmus, neque quamdiu possumus prospicere quare sanguinis missionem suspectam haberem auertendæ, quamuis materiæ idoneam, & cum vires valent in morbo magno nunquā prætereundam, quoniam non nisi cum sanguine satis multo, à quo mali incrementum metuatur, & cruditatis nihil habente tantum virium subesse potest, quantum missione sanguinis ferāt, adeò vt morbo ferendo etiam sufficiant, quod Galenus libro contra Erisistrateos statuit, & Oribasius eius fidelissimus interpres, refert, quam B uis Galenus alijs in locis à sanguinis copia, vt quam virium constantia non semper cuique ligenti apertè exprimant, adiungat; aliter enim loquendum est cum summam præceptionis statuimus, & in summam propria cāpita colligimus, aliter autem cum rem volumus omnibus modis explicare planè ijs, qui non ita rem subtiliter suis sensibus attingunt. Ergo propter vires non existimarem tantum sanguinis esse, quantum id quod viribus, cum satis sit, etiam metum facere in morbo magno posset, ne eum augeat. Tamen ad auertendum in partem vnde redundasse est verisimile venam in talo aperire, & aliquid eius mitterem sed parum. Deinde cucurbitulis sine ferro vterer inter fœmora adhibendis, & sępissime repetendis frictionibusque assiduis, vnctionibus ad pubem, & persarijs in naturalia immittendis, nec C alienas putarem illitiones partium in quibus pulsus sentiuntur factas ex oleo illo extrahente venena, & discutiente inflammationes quod fit, ex hypericone, & scorpionibus, & oleo antiquissimo cum multis alijs tum antidotis compositis, & aromatibus tum herbis, nam malignos fumos educeret, & à medijs partibus reuocaret, tandem dorso similia apponerem, vt cucurbitulas, frictiones, illitiones, fomenta, & etiam caustica, vt quod œsophago molestum est dissoluerem. Inungerem etiam oleo de naphtha dicto cum theriaca stillaticio, oleo ex succino cum eodem quod maximè vtrumque discutiat, & per os quamuis cum his demitti possit oleum amygdalarum dulcium infunderem, nam iam satis ex vino punicorum malorum datum, & ex alijs reprimentibus D est satis vomitus frustra tentatus, sub vsu autem huius olei demitterem syringam ab extremis apertam sed oris foraminum rotundatis, ne feriret secando pungendoue, & per illam castoreum cum oleo de castoreo inijcerem, & theriacam, & oxymel etiam squilliticum. Incisio venarum sub lingua proponitur, sed non video ad quem vsum, tamen ad abundantiorem cautionem neque ea prætetirem. Cucurbitulas certè ceruici, & dorso darem, postquam tot auersiones perfecissem, exterius etiam præter fomenta, & illitiones, & emplastra imponerem, quorum ratio obscura non est. In pessario oleum ex matricaria cum chamomælino, & ad ℈.1. galliæ moschatæ in binas olei vncias. Oleum vero ad pubem, & inferiorem ventrem, & extrema dandum à me deligeretur, E quod dixi paratū ad venerea, quod etiam ad stomachum adhiberem, neque alienum putarem oleum de naphtha, vt dixi aut aliud simile quod vehementissimè discuteret, vt oleum de succino, & circum collum quoque illud ingererem, vt partes œsophagi foueret, & calore, atque siccitate noxam discuteret, odore etiam vtero demittendo eam iuuaret. Verum hæc de morbo curando. De vita vero sustinenda, hoc est viribus conseruandis, quod cibo fit, hæc duo, namque indicationum genera Medico semper videnda sunt, vt ex Galeno 9. Method. 13. habetur. Ego eadem syringa liquores ex carnibus etiam stillaticios ingererem, & odoribus vini, & panis calidi recentis vterer, & clysteribus ex iure, & luteis ouorum intestina, namque etiam concoquunt.

Hęc ægra tertia nocte exagitata fuit, neque inde amplius

plius ita manens sine cibo vllius generis, & sine coquẽdi facultate, in reliquis sanæ mulieris speciem referens vsque ad quintam noctem, in qua cum oleum amygdalarum dulcium assiduè ore tractasset, ante verò etiã cum cereo funiculo ex oleo de castoreo delibuto cum castoreo œsophagus intra ostentatus sæpius fuisset, cecidit in quandam veluti syncopim, sub qua referunt habuisse spumam in ore, ac si fuisset conuulsa, aut strangulata, vnde tamquã mortua lugeretur, quando ferè vociferatura excitata est, aitq; se sensisse à corde, & gula descendere in ventrem graue, quoddam pondus, atq; cum succurrerent vino id experta est omnino iam delabi in ventriculum, vnde ius attulerunt cum luteo oui, & ita commodè deuorauit, & tunc primum somnum cæpit. Sexta nocte verò postquam oleũ nucis moschatæ in viribus sumpsisset, & tandem post refectionem aliquam ex theriaca in iure somno compræhẽsa fuisset ab eo experge facta, nescio quam sensuum amissionem, & quasi deliquium subijt, & sub eo sensit, nescio quid ab occipite deorsum subito repere, vnde subito loqui potuit, & se in summa angustia cordis fuisse, & tunc visam sibi nimium effusam dicere, finita ea die nihil mali nisi sitim, & lãguorẽ sentiebat. Illis verò diebus quib. fuit sine cibo, nihil potuit intra corpus recipere, nisi clysteria ex iure, & luteis ouorum, quæ retinebat. Vsa verò etiam est vini odore cũ pane immerso, quo retulit se multum recreatam. Sic quinque totos dies sine vllo ciborũ genere fuit, & nihil tamen consumebatur.

De tumore mamillæ in puerpera, cum febre duplici tertiana.

CONSVLTATIO CXLVII.

MVltiplex hic morbus mihi videtur, nam difficilimũ puto, vt febris speciẽ tertianæ duplicis sequatur tanquã vmbra eum tumorem, qui sub febris accessionibus, non maiorem dolorem sentiat, quin incertis temporibus magis, vel minus doleat, si enim propter incendium tumoris cor ipsum incenditur, cur eo tempore tumor maius incendium non habet cum tanta inflammatione esse debeat, vt non solis finibus tumoris contineatur, quemadmodum quiescente febre, esset verisimile, sed ad cor vsque pertingat, ad febrem faciendã; febris ergo putredinem propriam, citra tumorem habere est necesse, quæ cum per frigus accedat, quod cum corporis concussione fit, & alternis diebus ad speciem eandem reuertatur, extra venas quidem suam putredinem habere debet, alioquin sine motione, & quiescens humor id frigoris non faceret, atque eam in humore ẽt vt plurimum bilioso, & quidem crasso, quoniam nunquam perfectè febris quiescit, sed diu trahitur, quoniam etiam vrina crassa eum crassum indicat, generis tamen diuersi, quoniam febres similes non sunt, atque si barbarorum distinctionem sequamur, potius duabus tertianis constare eam dicemus, quam duplicem tertianam esse, cuius remotiorem causam eam esse crederem, quoniam sub vteri gestatione per æstatem, & autumnũ habita in corpore calidioris generis bilis congesta sit, nũc demum autem incensa, quod subitum frigus cutem obstipauerit, & a malo mamillæ, etiam incendij sui occasionem traxerit. Mamillæ autem tumor facilè causam habuit a confluxu sanguinis in eam à partu conuerso, & eius non ita boni, altera mamilla firmiori malum a se repellente, hac autem infirmiori ob similem in superiori partu affectionem ad se admittente cum eo, quod meatus densiores ex malo & curatione eius longa fuerit sortita, nam tumor fuit cancerosus putatus, & mille varijs admodũ remedijs tractatus quibus restituta mamilla ipsa nunquam amplius in suam mollitiem reuersa est, qua esse antea cõsueuerat, & minor mansit, quod ex aspectu alterius potest iudicari.

A Vnde neque naturalibus viribus receptis omnem humorem in lac potest conuertere, neque lac potest facile exire, vt crassioribus partibus suis remoratis intus manens, oppresserit partis calorem, eamque infirmiorem reddiderit, & coctionẽ idẽtidem lactis infirmarit, præterea partibus multis humore corruptis, doloreque excitato humores ad se attraxerit, & calore quoque per putrefactionem incenso, idem fecerit, & in summa malos humores, & in mamilla pepererit, & corporis totius omnes ad mamillam adduxerit, propterea varijs humoribus affluentibus, variè etiam mamillæ partibus à prçterito malo affectis, alijs duris, alijs mollibus, varietatem quoque tumor nactus est, & neque æquabilis figura, neque eiusdem halitus totus, sed vna parte durior, altera mollior, & aliqua etiam pus continere cognoscitur, dolorem itaque non æquabiliter totus continet, sed parte B tantum, in qua pus confici est verisimile, neque perpetuo eiusdem magnitudinis, sed modo magis modo minus acrem, vt ex putredine, & calore concepto modo plus modo minus halitus mouetur, vt vt materia magis, vel minus idonea succedit, ad cuius doloris incrementum febris non crescit, quoniam, quemadmodum certa coniectura existimaui, illa ab eo tumore non fit, sed propriam putredinem, propriumque humorem habet eumque duplicis generis, & in diuersis locis versante cũ duas febres, & specie varias efficiat, genus tumoris varium diuersas quoque materias continere est verisimile, sanguinis tamen participes, nam neque schyrrhi, neque canceris speciem videmus, quod si lac etiam è rupto tuberculo effusum sit, fortè quod retentum viamque C suam impeditam habẽs, quęcunque sit exeundi potestas, expellitur, & ita modo lac, modo sanguis, modo pus effluit ex ruptis illis tuberculis. De horum malorum curatione cogitans, versor in difficultate non mediocri, quoniam nisi medio corpore libero ab abundantia malorum succorum, non video quomodo nos maturationem, & discussionem tumoris tutò procurare possimus, febre verò in corpore versante vias obstructas subesse necesse est, vnde purgatio longiorem apparatus tractationem postulet, quam malum mamillę passurum sit.

Præterea, si de lacte, imo de lactis materia a mamilla auertenda necessaria deliberatio est, quomodo ipsa lactis materia a mamillis attrahitur, Lac verò ipsæ inde conficiunt, mamilla verò malè affecta sanguinem etiã D bonum in prauum succum conuertit? Sanguis etiam quamuis per venam cor meantem ducatur, tamen recipit, secum malos etiam humores a vicinis partibus se se exonerantibus, & in partem ægrotam infirmitate sua admittentem calore, & dolore attrahentem propellentibus, qui malorum humorum societate facilius corrumpitur, quod si materia illa ad vterum, & vias mensium promoueatur, fortè secundum illius cursum hæc reliqua genera humorum confluent ad naturalem sui expurgationem; natura namque eo propensa est, & se ipsa & ex consuetudine, neque enim lactatio ex altera mamilla satis erit, ad motum humoris retrahendum, nam ab vtero sursum omnino illa trahit, & vna vtriusque mamillæ, & non ita cõmunes sunt, vt vnius lactatio ab altera lac attrahat, aut sanguinem, ita tamen E communes, vt quæ lactatione tractatur, dum ad se sanguinem allicit, etiam consociam attrahat.

Sic ergo me gererem, potionem medicamenti leuioris, primum darem, vt aliquid mali humoris a communioribus locis submouerem, deinde venam in talo, aut poplite aperirem non quo multum sanguinis detraherem, sed quo ad ea loca contraria eum mouerem, quãuis enim ex ratione fuerit mensibus, & iusta copia eorũ usa, tamen illud vt malum indicat, non fuit satis & artis opem pustulat.

Interea mamillam medicamentis non priuarẽ, quibus vel ad maturationem, & doloris discussionem cõparatis oleum rosaceum commiscerem, ne facilè materiam a medio corpore attrahant.

Ita

Ita numquam nisi corpore purgato & à febre leuato rosam submouerem de cuius febris curatione nihil præterea dicam quoniam vobis notum est quidquid ad materiam eiusmodi parandam ad vias expediendas, adhuc mores dictos purgandos atque ad δυσκρασίαν propositam ipsarum partium eos humores gignentium defixis similibus in partes humoribus illatam remouendam dici potest. Verum de mamilla propriè dicam quod antiqui quędam emplastra conficiebant, quibus vna & maturatio, & emollitio, & discussio & eruptio & curatio vlceris promitteretur. Vt multa à Galeno & ab Aetio proposita, in quibus mihi probaretur illud Asclepiadis ex spuma argenti, cera, cerussa, adipe suillo, myrrha, vitellis ouorum tostorum & oleo, vbi rosaceum nos impo nere possemus. Diamellitos etiam Pauli quod fortasse illud est cuius vsum Galenus libro sexto methodi laudat, non præterirem. Verum quoniam in superiori parte foramen est, & inferiori speratur, quoniã angustia non præbet viam crasso lacti & puri euocando, ipsa verò ferrũ non admittit, ego penicullum ex spongia compressa, & in arctum subtileque corpus contracta, pararem, filo iniecto in postremam partem vt extrahi possit è foramine postquam fuerit eo humore tumida amplificata. Ipsam uerò sic compressam redderem prius in vino madefactam nigro in quo alumen esset dissolutum, & dein de filo circumінducto constrictam totam donec exsiccaretur. Cætera multa quæ proponi possent vobis deligenda permitto & finem dicendi facio.

De Thura tabellariorum singultu & alijs affectibus cruciato.

CONSVLTATIO CXLVIII.

QVamuis in Medicina facienda vos potius Duces optarem semper Doctores nobilissimi, consuetudinis tamen seruandæ causa postremus dicam cũ ad consultationẽ postremus vocatus sim. Historia ea est quod is ægrotus iam ferè nonum & quinquagesimum ætatis annũ habens, vxore noua vsus iam menses 16. post æstatem humidiorem, & tempestatem admodum Variam, autumno squallidiori eam excipiente, cæpit de stomacho cõqueri, & Medicum consulere à quo nimirum ab altero vestrum curari cæpit, & oxymelle, melle rosaceo, pilulisque de tribus tractari & vsque ad oxymel compositum & squilliticum adduci. Demum ab hinc octo dies certe sex singultum sentit, bis die præsertim longius exagitantem, vt duabus ante lucem horis & ante cœnam ferè totidem cum maxima molestia & anxietudine, & vomitu, quo ab omnibus laboribus leuabatur, & ad suas vires & quietem omninò rediret, progressione quidem mali etiam medijs temporibus eodem singultu interpellebatur, præsertim interdiu, nam noctu pręter vnã corporis iactationem nihil aliud sibi molestum fuisse refert.

Vomitus pituitosus semper fuit, nõ tamen albus sed quodam liuido colore totus qui color ad vinum excellentissimo Doctori posse referri visus est, mihi tamen aliter iudicandum videtur, nam sordidus & decolor est omninò ille succus, & vini spetie longè remotus. Vomitus copia maxima fuit, nunc verò longe minor est, imo hoc mane nihil euomuit. Clysteribus etiam sine quibus numquam aluus descendit cum solidioribus fæcibus, quandoque strigmenta quædam crassa pituitosa quasi intestinorum laceratorum specie deducta sunt. Venter tensionem in ima parte habuit sine qua nunc est, vt tumorem subesse sit iudicatum. Nocte hac quieuit sine iactatione, tamen sius sumpta etiam potione, lingua lucida nimis, & sicca est, quamquam non aspera, cuiusmodi alias sæpè in alijs vidi quasi vitro inducta sit; pulsus parui, & aliquanto crebriores existunt, & infirmi, neque ex proximæ cœnæ cibo somnoque intercedente releuati sunt, quemadmodum neque proximo cibo vt debebant, quamuis etiam vini maluatici in panem imbibiti aliquid concessum sit; tantaque est animi abiectio, & desidia vt neque mouere se, neque loqui tentet, tempora caua sunt, de reliqua facie iudicare non queo, quoniam eius consuetudinem non habui.

Ex his quid intus morbi includatur indagãdum est. Vomitus mihi multam pituitam & non parum humoris lutosi subesse indicant, qua subsistant intus, & sibi viscera similia reddant, & sui propagandi in causa sint. Singultus eorum humorum aut flatum membranas ferientem aut corruptione aliqua factum quoddam acumen infestans, & excretricem membranarum vim irritans, neque enim hic locus suspicandi est num ex inanitione singultus fiat cum tantam humorum præcipuè frigidorum copiam videamus frigiditate facile ex colore, & odore acido perceptam, nam quamuis quandoque ei amari vomitus visi sunt, facile ex minima bilis vel naturalis commixtione id fieri potuit, minus hic disserere libet, num concussio hæc, quæ non ab inanitione est ad plenitudinem referenda sit, numue conuulsio sit, num autem conuulsio numquam fiat, nisi aut inanitione aut repletione minus, num à morbo tantum non à natura reluctante, in morbum vt in concussionibus quæ sub frigore fiunt rigoribus dictis, nam hic locus his disputationibus non est. Constantissimè quidem affirmo conuulsionem reperiri admodum variam, nam vna est è consensione vt demorso aliquo neruo vel extremo si totum corpus cõuellatur, sic enim accidit illa vt tussis quæ ex scalptu, & pruritu auris sæpè accidit. Alteram dico dicti conuulsionem non consensione sed affectu partis proprio, eamque duplicem esse, & vnam quidem singultui similem, singultumque fieri à natura excretrice irritata valentius, non grauitate, & copia humoris sed eius vi feriente, siue cum acumen habet, sua tenuitate vt flatus siue acrimonia vt corruptis humoribus solet euenire, cuius generis similitudinem sequitur primò dicta quæ ex consensione fit. At altera quæ cum hac conuenit quod proprio affectu fiat non irritatione sed repletione neruorum fit vt inanitione, quę hic locum non habet. Hic acumen à corruptione nasci crederem, quoniam in pulsu in corporis iactatione, & lingua mihi certissimum signum febris est, quæ necessario hic ex putredine fuerit.

At dicitis vos, febrem hactenus nunquam obseruauimus. Ego viri experientissimi vestram experientiam appello, ad quod genus causæ tantum vos virium lapsum referendum putatis? ad vomitum, ne qui bis die fuit, & longè ab assumpto cibo, & vix sex diebus eum habet, & iam dimisit per horas 24. quibus, & cibum optimum sumpsit, & optimè quieuit? quot vidistis immensam pituitæ copiam vomere, vel cum febre, & tamen vires tam citò non amisisse? sine febre verò ad annos quotidianum vomitum traxisse? In grauidis mulieribus certe plurimis hoc cernimus. Sed in alijs etiam cuiusque conditionis hominibus. Sicca lingua nunc est, & tamen modo ius cum oui luteo accepit, & ventriculus pituitosus est, & fuit; vnde hoc post cibum & somnũ? Pulsus quoque creber est, cuius quæ causa esse potest? pituitane, & humores frigidi toto corpore abundantes? Certè quidem febris in occulto subest, & humorum frigore putredo mitiorem calorem habet, vnde in prouerbio est.

Febres senum sepultæ est.

Ego itaque constituo febrem pituitosam, præsertim subesse, & corpus vniuersum frigidiori generi humerũ scatere, nam neque ventriculi est lutosum humorem generare, neque ipse solus tam multam materiam, vel pituitosam posset indies parere, quantam euomuisse vidistis maximam partem ab vniuerso corpore & è uenis in uentriculum confluxisse existimo. Nam esto illa in uentriculo primam originem traxerit ex malo uiuendi

modo

modo non solum in cibis, sed in ueneris usu, quo fortè vt sibi satisfaceret, & ne nouæ vxori segnior igniauiorve videretur, ac fortè vt illi morem gereret cibis copiosioribus vsus est, & crebriori venere, æstate præsertim non ita bona, sed corpora insolentioribus varietatibus tempestatum valdè affligente, vnde ventriculus crudior sæpè fuerit, & cruditatibus, & pituita indegenita refrigeratus multam pituitam procrearit; & indies plurem semper, vnde iecur necessariam materiam ad se alliciens pituitam, & crudum humorem ad se attraxerit, & totum corpus ea repleuerit, cum, vt in sententia est, secunda concoctio non corrigat primam. Toto corpore sic repleto, donec mitior pituita fuit, & minus ab alimento aliena, & intra venas manens aliquam sui partem sanguini creando suggerebat, ipse bene habere sibi videbatur, præsertim cum intra venas non pulsantes cótineretur, neque ad arterias, seu venas pulsui destinatas traduceretur, at cum alimenti necessitate in arterias translata est, cum diuturnitate crassior, & ineptior ad alendum pluribus suis partibus facta, quod fieri docemur a Galeno quinto de Vsu partium, cum frigora huius tempestatis accesserunt, & cutis externæque partes firmiores factæ eam intus a se propulsarunt, ab extremis, & ab ambitu ad medium impetu facto omnis cófluxus in ventriculum concitatus est, præsertim qui iam infirmior esset de dictis causis effectus, & fortè ab arterijs, primum vt spiritu valentioribus impulsus, incepit, maximè quod ipsæ primum onus corporis sensui aperiunt, neque homo se grauari percipit, cum venæ solummodo onustæ sunt, sed tum omnino aliquam lassitudinem, & onus sentit pulsu notificatum, cum arteriæ cóplentur, quamuis tunc omnino cum carnes ipsæ, vnde arteriarum, quoque primum vis incitetur ad onus deponendum, cum illis vero omni corporis parte consentiente defluxus ad ventriculum factus est, quo non alui fluor, vt in multis solet, quoniam humor, quamuis grauis sit, & deorsum labi facilè solet, tamen vt sæpissimè videmus in ventriculo tantus collectus, neque multo morsu inferiorem portam eius irritans ventriculũ onus amplum sentientem facilius ad vomendum commouit, & semel eo facto facilè in idem reuocauit, vt naturæ vsu venire solet.

In venis aliqua putredinis semina concepit, quæ cum ad angustiores iecoris, & vẽtriculi venas perductus est, maiores factæ sunt, & obstipatione putredo insignis cócitata, frigus tamen humorum sequens, non multum caloris mouit eum tamen igneum, & siccum, præcipuè cũ plurimum lutosi humoris haberet, & sicci, quod facilè euentu est, vbi crassa pituita, & humor crudus est, hæc namque crassitudinem a terrena portione multa tenet, quæ siccescens, non potest non humoris melancholici naturam sapere, tunc certè demum cum putredine siccior, & tamquam cinis efficitur.

Vnde putrefacta ea materia colorem medium inter pituitæ, & melancholiæ exustæ colores nacta est: ita & linguam exsiccat, & sitim facit, & cordi igneis suis halitibus, & siccioribus alimentum absumit, spiritusque ipsos absumit, & extinguit. Vnde tantus languor subsequatur arterijs, & corde quotidie alimenti necessitate id genus humoris attrahentibus, & eo oneratis. Quæ omnia horribiliora fiunt, quoniam halitus melancholici habent, quicquid malignitatis potest exspectati, vitæ omnino contrarij cum sint, & putrefactionem sequẽtes illam pessimam referunt, vnde vlcera melancholica cum putrida sunt, pessimi moris sunt, & quartanæ continuæ ferè interficiunt.

Intermittentium namque halitus antequam cor adeant purgatiores effecti sunt; sed iam videbor malignã febrem fecisse, quid tum? quid deest huic febri, quin maligna iudicanda sit? Vires deiecit ei, & sexto diebus ferè omnino absumpsit, in homine suaptè natura fortioti, & tota ætate sua itineribus citatissimi cursus versato, & officium id suo principi præstans, & difficilimis tempestatibus vitam, & tempus omne consumpsit, &

A robustus omnia facilè tulit, febris autem ipsa non adimit salutis spem, & tamen hominem cum metu mortis vexat. Malignitatis causam in vlceribus statuebat Galenus partis affectæ δυσκρασίαν hoc est intemperiem seu vitiatam qualitatum complexionem, difficultatem verò curationis in humorum malorum affluentia ponebat.

Ego soleo febrium malignarum vim in altero trium reponere, aut in nimia procliuitate humorum ad putrescendum cum minus bellè concocti, minusque naturã suam adepti infirmiores sunt, & facilè in alienam naturam, & corruptionem a calore agitati labuntur, aut in nimia obstructione, aut in partium cótinentium infirmitate, qua continere, sustinereve humores a putredine non possunt.

B In hoc corpore, ego tres omnes causas has subesse video, nam humores crudi naturam suam integram nõ habent, qua se se possint continere, quin facilè putrescant, crassitie sua facilè meatus obstipant, frigore illo suo tam diu partes occupando illas infirmiores reddidere, vt vel viscerum calorem stupefecerint. Vnde omnis procliuitatis momenta ad putrescẽdum audeamus, & ita malignam putredinem esse hanc iudicemus a causis persuasi, effectu verò etiam malignitatis proprio confirmari qui est virium lapsus. Formam seu naturam malignitatis ex dictis causis natam ego esse puto putredinem in contrarium maturationi statum vergẽtem, cuius vapores cor obumbrent, quapropter aut in toto uenoso genere, aut in uenis maioribus, aut in uisceribus sit necesse est.

C In contrarium autem statum ducitur putredo maturationi, aut per exustionem qua mixtio humoris dissoluitur humido consumendo, aut per putredinem ueram, qua mixtio dissoluitur humido educendo qua forsan hic malignitatis ratio habetur.

Morbum hunc tam omnem uideor perspexisse, quis nunc sit, & quid incommodi afferat, nempe quod actiones lædit vitæ necessarias non solum ventriculi sed etiam totius cordis ac totius corporis, qualis verò futurus sit quid vlterius incommodi allaturus vt non solum præsentia sed futura etiam procuremus. Video ego vires morbi tam inferiores vt non possim sperare illas se se recepturas quo morbum vincant, non solum quod cum infirmę existant ipsæ valde magnus sit morbus, sed quod vehementer inhæserit, & solidas partes altius teneat viribusque maiora medicamenta non passuris iu-
D uari satis non possit. Etenim materia malum continens in visceribus insistens esset detrahenda quæ crassa est, & lenta, & valentioribus egeret, detrahenda verò esset non solum quod obstructa putrescat, & cordi halitus malos subministret, sed quod intemperiem, & complexionis qualitatum vitium à se visceribus infusum sustinet, qua detracta quidem crederem nihil amplius in reliquum quo malum perducatur nam quidquid tamquã fuligo adhæserit parietibus ex illius materiæ anhelitu crederem facilè natura, & à cibis insuperatum.

Hic ergo vires vitam proximè continentes, & ventriculi proponuntur sustinendæ, & morbus submouendus qui ea materia constat, illæ cibis facilimis, & multum alentibus tuendæ sunt, morbus autem remouenda
E materia tollendus, quæ per missionem, detersionem, & extenuationem, primo paranda, deinde purgante aliquo medicamento a quo vires minimè soluantur detrahenda, & discutienda, interea si quid eius ad vsum naturę & alimenti potest, melius fieri tentandum; quę quidem etiam antea quæsita optimo consilio, & opportunis rebus sunt, & a vobis subinde quærenda esse similiter cum eiusmodi idoneis remedijs est deliberatum.

In quibus ego hunc delectum haberem, vt cibi quidem humidi molles, & liquefacti essent, carnes pullorum gallinaceorum pinguedine detracta (cutem tamen relinquerem) contusas esse vellem, quo ius plenius & alibilius fieret, cum eis tamen panem tritum quoque coniungerem, & percoquerem, eoque iure benè ex-

presso

presso alerem, si cibum liquidiorem, & medicatũ vellemus, quod certè placeret, acetosam, melissam, betonicam, hyssopumque vna incoquerem, expressum, deinde illud carnis ad ignem, per aqua vaporem dissoluerem, & succum susciperem, vel sine iure crudas etiam carnes, & herbas, sic igne per vaporem aquæ ad exstillandum cogerem, & succum inde exortum darem, viribus etiam cordis propriè cum ijs, quæ cõmuniter cordialibus appellantur, in cibis ijs, & in epithematibus, quæ aliquid caloris haberent, cum pulueribus, tum vino, & aquis cordi opportunis succurrerem, vt cum speciebus cordialibus calidioribus essent aquæ melissæ, scabiosæ, cardui benedicti, & similium, esset crocus, esset vinum maluaticum. Pulueres ergo accipi possent, quæ in confectione cordiali, in electuario læticiæ, lætificantis, & liberantis sunt.

Viribus verò ventriculi operam nauarem cum fomentis ex absinthio, calamentho, chamæmelo, rosis, œnanthe, & spica saltem nostrate, nam spica nostras ipsa quoque tenuium partium est. Oleo etiam de spica orientali inungerem. Humores enim sic quoque pararentur, vbi post vomitum tam copiosum non vererer a fomentis, præsertim necessarijs, quoniam materia cruda eget auxilio ad sui concoctionem. Per os quoque ad apparatum, & cultum quendam materiæ eiusdemque detractionem darem oxymel, mel rosaceum, syrupum de corticibus citri, præterea syrupum de absinthio, a quo non timerem substante etiam pituita, quoniam & cum multis alijs coniunctum esset, & materiæ multum eiectum est, compositos illos quoque, vt oxymel compositum propinarem. Rhabarbarum adderem, mel rosaceum solutiuum, mannam, incoquerẽ verò etiam agaricum, his mitridaticam confectionem interponerem, imò in dictis syrupis singulo mane singulum scrupulum admiscerem, vt ad discussionem, & concoctionem, & omnem apparationem momentum adderet.

De potione in cibis consulerem, vt cum vini aliqua parte ea esset, & panis in vino madefactus propinaretur. Singultui propriè etiam faceret castoreum, pilulæ alephanginæ, & multa eius generis, tum materiam discutientia, tum colligentia ventriculum. Sed hic etiã febri est consulendum.

Is manebat sine multo singultu, & nullo penitus vomitu toto eo die, & sequenti, tertioque, & quarto ferè & totis noctibus conquiescebat, ac spem tantam dedit peritioribus medicis, qui eius curam gerebant, vt sibi obuijs hominibus saluum dicerent, & mihi quoque nescio quo audientiori vultu qui de eius vita desperassem. Ego repeterẽ memoriam eorum, quæ in eo videram ad linguam, ad vocem, ad animi abiectionem, & tacitum quendam pauorem, ad singultum imbecilliter iam cõmotum, ad ea cruda, quæ vomuerat, ad pulsum minimè releuatum ex cibo, & ex somno, atque adeò minimè sperarẽ, cum subito nunciatum est hominem perijsse, nimirum singultu maximo, & vomitu vsque ad nescio quid sanguinis genus. Retulit etiam quidam medicus eum spuisse sanguinem atrum.

De Magnifico Equite, & Doctore Pio Turco febre, & ictero occupato.

CONSVLTATIO CXLIX.

Credo ego huc cum vobis fuisse aduocatum, non quod omnino existimet æger se mea opera, aut cõsilio indigere, cum vos consumatissimos, & prudẽtissimos Medicos habeat, sed quo opinioni hominum satisfaceret, & nihil prætermitteret, quod fieri hac in re potuisset, aut consuetudinis esse existimaretur.

Itaque ego quoq; consuetudini parebo, & vestræ humanitati cõfidens quæ a vobis exposita sunt examinare tractabo, & quo potero distinctius meã sententiã ante oculos cõstituam, eo modo quo mihi videor rem ipsam intellexisse. Pulsus febrem significat vna cum modo ipsius caloris, vrinæ præter cutis colorem icterum, cæteræ notæ nón sunt ita propriæ neque hic in ipso ægro perpetuæ, vt nocturnæ vigiliæ, vt à cibo auersio, sitis, & corporis iactatio, vomitus, & tussis. Febris assidua esse obseruata est quamquam continua non sit, exigua tamen est. Huius ergo febris quam sane putridum esse omnes propriæ notæ ostẽdunt in calore pulsu, & vrinis, causa videnda est, & quo loco fiet; nimirum quo febris continetur, nam illam quidem in vniuerso corpore non esse coniectura est, quoniam cum putredo sit, tunc ab vniuerso corpore tot fumi, & anhelitus ad cor peruenirent vt febris tam exigua esse non posset, vbi ego exiguã febrem putridam non pono in exiguo feruore caloris sed in exigua naturali occupatione à fumis putredinis, & humorum; sæpe enim exiguus calor est, febris tamen magna, eiusque occupatio per copiam exhalationis, & hoc discerni debet à Medico, alioquin sæpè dicet imminutam esse febrim, & tamen æger moritur, & febris vires maiores habet, & naturalem calorem suffocat: Exigua febris ergo exiguam halituum copiam, & exiguam materiam putrescentem denunciat, assidua autem, & numquam quiescens materiam cordi vicinam ostendit. Locus ergo cordi vicinus est, & in principe viscere atque aut minus sentiente aut non materiam confertim recipiente, sed in seipso paulatim generante, cum frigus nullum minus cum concussione corporis increscente febre fiat. Viscus hoc princeps ex vomitu, siti, & cibi fastidio esse iecur in concaua præsertim parte colligendum est, quod vrina regium morbum ostendens cõfirmat, meatus siquidem fellis, quo obstructo id fit, in concauo iecoris est.

Vbi ego modum sitis considero quod potionem quidem non petit multam, & propinatam non valdè auidè appetit, tamẽ cogitatione potionum continenter cruciatur, quod meo quidem animo solet ijs euenire quorum ventriculus pituita refertus est, iecore interea humore sitim naturæ afferente.

In iecore ergo malum est, & maximè in concaua eius parte. At cur vrina adeo infecta est, quæ superioris potius iecoris esse indicium solet? Vrina febre semper solet affici, hic verò non solum à febre, non solum à materia febrim continente, sed ab ea, quæ cum non possit à felle attrahi in venas remittitur, ex qua vrina sordidior eo fit, quo feri minor copia est, parum enim omnino mingit, vt vel in hydropicis parum mingentibus semper. Vrina rubra, & crassa sit. Hoc ergo malum in iecoris cauo constitutum quodnam est? Putredo certe est, at illa in venis ne tantum iecoris an etiam in meatibus ipsius est? In venulis minoribus eius partis esse crederem, quoniam in maioribus exigua putredo esse non potest quin à spiritus copia vinceretur, in meatibus etiam non est, quoniam iecur cogeretur inflammari, & maiorem febrem concitaret. Verum genus putredinis quodnam est? Eiusmodi ego crederem quod speciem cõctionis possit recipere neque malignum vllo modo esse cuius naturæ humor est, ex febre maxime, & vrina atque etiam pulsu illud intelligere possum, tum autem à nocturnis vigilijs etsi non illis multis, & cibi nescio quo fastidio, & dicto sitis modo.

Quæ omnia non ita multum caloris habere hunc humorem indicant, & illum quidem certè cum sine putredine non sit per eam excitari, vt humor etiam multis suis partibus frigidioribus natura esse possit. Ex putredine tamen incalescens calidos anhelitus in caput, eosdem ad ventriculum vna cum ichore à se expresso dimittat, & inde vigiliæ aliquæ, sitis & cibi fastidium existant. At humor in toto corpore abundans bilis videtur si colorem corporis si Vrinam si alia multa consideremus.

Certe vrina, & cutis bilem habent quoniam illa per

aluum

aluum secerni non potest, sed remissa percutem in venas, & vrinas expurgatur, in qua verò etiam vrina multæ crassitudinis, & nigroris caloris materia est, quæ atrum humorem præferunt. Verumtamen cum causam qua febris continetur perquiramus, illa est, quæ putrescit, putrescit verò obstructa, subsistens, quod semper crassiori materiæ facilius euenit, cum qua si bilis inflammaretur maior omninò febris calor extaret; eius notam lingua haberet, & sitis valentior esset.

Crassum ergo esse humorem hunc ipsa febris demonstrat exigua, pulsus parui, & crebri id confirmant qui nequaquam sanè parui sunt, propter corporis genus, quod mos omnis promptitudinis celeritatisque, & audentis animi est, sed propterea, quod occupatur à materia inhærente, occupatio verò à crassis, omninò fit. Crassitudinem hanc ab humore nigriori esse mihi probabile est, si corporis genus ætatem, vitæ studia, anni tempus, temporisque ipsius præsentis tempestatem, cum superiorum temporum tempestatibus, & vsum victus, & omnia alia expendo, si ceteras etiam notas adiungo. Nam corporis genus calidum, & minimè humidum est, colore nigro pilis, multis, & illis nigris cute asperiori, id designantibus, acrioribus moribus, semper animi ardorem, præseferentibus.

Cuius generis corpora sanguinis, crassioris esse necesse est, ætate verò grandiora facta maximè. Sanguis is ater, humor est, quo abundasse fluxus maris earum declarauit, crebro factus, idem verò suppressus, multum eius humoris contineri indicat, qui humor tempestatibus superiorum temporum inconstantissimis, vt sua natura est, potuit abundantissimè congeri, tota namque æstas modo æstuosa, modo hyberna, per pluuias fuit. Siccissimus autumnus, subsequutus est, quo congestus humor per nimiam sui cum copiam, tum crassitudinem, non potuit tam expurgari, quam partibus humidioribus, & tenuioribus discussis ad maiorem crassitudinem redigi, & à victu ipso cum materiam multam, tum confectrices causas habere, nam omnis generis crassioris victu vsus est, & omni corporis motione à cibo subito non in ęgro solum, sub diu nocte multa locis caliginosis, & humidis versatus, sed venereo etiam luxu exagitatus, cuius atri humoris notæ, non desunt, in vigilijs, & animi tristitia. At pituita euomitur, & exspuitur multa credo, verũ enimuero ignoramus eam, consueuisse in corporibus melancholico humore abundantibus fieri, & in quartanis id esse maximè assiduum, quod eius humoris, frigidæ naturæ dandum est, qua ventriculus, frigidior factus, multum pituitæ, aut crudi humoris pariat. Præterea caput ipsum quoque à dicto viuendi modo male habuit, & ea propter destillationem mouet, quæ non solum ad larynga, sed ad ventriculum, etiam defluit; ex qua pituita etiam vigiliæ mitescunt. Somnus tamen pro natura, non fit, sed interruptus, & somnijs, perturbatus; quoniam pituita naturalis, causa illius non est, calore verò etiam commota somnos turbulentiores efficit.

Hæ ergo huius mali partes sunt, & sic ordinandæ sunt. Limosi sanguinis aucta, copia maximè mariscis cessantibus, & frigoribus intus detenta atque ad viscera compulsa est, motionibusque maximè intempestiuis ad minores venas, è ventriculo crudus, humor attractus, & obstructiones sunt factæ, humore per illam putrescente febris commouetur, quæ quoniam hærent firmiter motione nulla corporis sensum afficiunt, sed assiduo anhelitu putrido cor exagitant, & febrem assiduam faciunt, quæ tertia quoque nocte maior est, quoniam biliosus humor, vt ferè consueuit homines ad sui putredinem commouet, & ipso tertio quoque die excitatur, sic generatione, & putrescendi opportunitate sua cogentibus; assiduè tamen

A cum ipso reliqui humores, putrescentes assiduam febrem faciunt, quod in viscere cordi vicino sint, quod vere non multi, & frigidioris minorisque anhelitus etiam exiguam vnde dicto modo vigiliæ, sitis, cibiq; fastidium, tum somnia fiant. Iactationes corporis quoque ore ventriculi eruciatui, & feruori vicino, vomitus non solum à biliosis halitibus, sed à pituitæ copia è capite delapsa, & in ventriculo genita. His mali partibus sic ordinatis vita male habet mens, hoc est facultates infirmantur, & vitiantur, vsque ad eas, quæ vitam ipsam, continent nimirum cordis. Hæc incommodà ergo nunc facit, quæ verò factura sint videamus.

Credo ego ipsum posse recta cura vestra liberari, aut certè lenari multum. Vetum quoniam dixistis,
B iam triennium multoties eodem hoc genere incommodi fuisse tentatum, ego inde suspicor ne obstructio firmitatem aliquam nacta sit, vnde fiat vt facilè ex viuendi modo increscat, & hos labores afferat; quę nisi hanc radicem amittat, sit quoque eosdem labores identidem allatura, & illos in dies periculi maioris. Curatio ergo non solum id, quod habemus spectare debet, sed id etiam, quod exspectandum metuimus. Nimirum etiam vetustam, & firmam illam obstructionis partem, quæ aut tollatur radicitus, aut ne pariat, hunc cumulum prohibeatur. Ita ergo curationis partes efficerem, & ordinarem partibus morbi, eas, vt quæque postulat attribuendo, & ne vna alteri incommodum afferat. Materiam primò, si quæ metuitur in toto corpore aut in ventriculo ad locum af-
C fectum delapsuram remedijs præsertim tractatum, attraheutibus, illam prius submouerem, quæ quoniam non solum vitiosus humor esse potest, sed sanguis etiã, quem quotidie videmus affectas partes tractatas, & exagitatas aut doloribus aut remedijs appetere, & materiam quibusque morbis afferre, ego sanguinem quoque imminuetem.

Itaque ventriculo deterso primum, materiam ab eo metuendam tollerem, deinde vena aperta, & frictionibus adhibitis, & victus etiã modo, sanguinem imminuerem, nam purgatio, vbi obstructiones in iecoris cauitate sunt, minimè tuta est. Sanguinem ergo secta vena in brachio, saltem retraherem, neque multum minuerem per eam nisi crassus effunderetur,
D hoc primum, post ventriculum exhaustum manna, & melle rolaceo efficerem, deinde per hæmorrhoidas, seu mariscas à loco viciniori cauitati iecoris eundem detraherem, qui inde quàm proximè vbi malum est, facilius deducetur. Ijs factis ad parandum interiorem humorem eductioni accederem, si oximel tam aspernetur quem dixistis cum alijs syrupis, acetosum simplicem componerem, & cum sytupo de succo cicoreę neq; rosaceum reijcerem, quoniam abstergendi vim incisioni illius adijceret. Deinde syrupum de cicoreis Nicoli sufficerem, postea etiã rhabarbari, aliquid aut absinthij coniungerem neque multum ne humorem ad locũ obstructum attraheret. Chamædrim in iute, quæ syrupi dissoluerenrur incoquerem atq; etiam rubiam, tum syrupum bizantinum cum aceto darem, cũ
E rhabarbari pilula, neq; vererer corpus ipsum rhabarbari integrũ, quo adstringat modo & tenuib. suis partibus minimè priuatum sit, nam illarum penetrationẽ sua adstrictione iuuat, postremo pilulas de tribus, cum rhabarbaro darem, rhabarbarũ enim sæpius est, repetendum, frictiones interea, numquam præterirẽ. Parandis quoq; humoribus, & subtrahendæ materiæ crassiori à ventriculo ne amplius suppeterent fomẽta idonea crederem ventriculo adhibita ex chamamelo anetho, spica etiam nostrate, rosis absinthio, & similibus, mel rosaceum solutiuum cum rhabarbaro, & mãna quoq; componerem sæpè, vt ventriculus purgatus seruaretur, quibus adhibendis crederem, conualiturum. Seruata victus ratione extenuante potius quam

tenui,cum aceto in quocunque cibo,id patietur,cum amygdalis, cum radicibus petroſelini, helenij, paſtinacæ,carotæ, & ſimilibus. Vinum non vererer, niſi craſſum ſit,& nimis potens. Deſtillationis tamen ratio habenda. Clyſteria neceſſaria non crederem,niſi hoc initio,nam poſtea potiones propoſitæ ſuperuacuum eorum vſum reddent. Frictiones deſtillationi profuturas crederem. Gargariſmata ex aqua cui incoctum ſit hordeum, & roſæ paulo aceti adiecti, aut mellis roſacei,aut oximelitis. Si dolor excitabitur paſſulæ, & dulcis radix erunt commodæ, quæ in dies erunt deligenda prout conditio morbi poſtulabit.

Conualuit in ea ætate ſatis citò,malo tamen colore diu fuit, & neſcio quot annis poſt in febrim maiorem, cum vrinis, & colore peiore recidit, qua extinctus fuit.

De Peripneumonico Pedemontio.

CONSVLTATIO CL.

HAbet iam ſeptimum diem morbus, qui, vt narraſti eximie Doctor, cum horrore ſatis longo ceſſit,cum quo numquam poſtea fuit, febre perpetua manente, quæ mihi pulſum non admodum crebrum facere videtur;neque reſpirationem,cum labore magnæ dilatationis,video potius crebritatē, ait ſibi coſtas ſiniſtras,vſq; ad humerum dolere, quod tuæ Excellentiæ nouum eſſe dicis. Vrinæ craſſiuſculæ ſunt, neque tamen perturbatæ, aut valdè coloratæ, ſputa cruenta ſunt cruore obſcuriori,& fuluo prædita, lenta quidem,& craſſa,dicis tu fuiſſe nigriora; nares mihi videntur extenuatæ, & tempora caua, diarrhæam eſſe dicis qua tamen vix ter die excernit. Rubeas genus,ſeu potius malas dicunt ei veſpere fieri, vnde, & febrem, & ſpiritus difficultatem ei increſcere exiſtimo; ex ſputis thoracis partes affectas intelligendum eſt, quæ verò illæ ſint,non ita facile perceptu eſt, ego ſæpè obſeruaui, quod thoracis cauo impedito dilatationi maximè datur opera,vt quantum cauitati deeſt ſpacium per diſtenſionem reſtituatur, & cauitas ſpiritui, & pulmonum liberorum diſtentioni ſufficiat. Pulmonibus verò repletis contra obſeruaui minimū, & creberrimum thoracis motum fieri. Spiritu repletur,cui loco impedito magis thoracis maior diſtentio nihil facit, vt contra thoracis cauitate anguſtiori facta liberis pulmonibus ſpiritus loco fiebat, niſi enim expediti pulmones ſint,thoracis maior dilatatio nihilo plus vtilis eſt,crebra potius pluribus vicibus reſtituit,id quod ab anguſtia denegatur, alioquin ſi poſſet, thoracis diſtentio ſemper crebritate eſt potior. Nam natura bene valida numquam crebritate maiori vtitur,cum iuſta magnitudine vehementiaque ſibi poteſt ſufficere.

Verum vbi dolor eſt, vel tacitus quidā doloris metus naturam tenet, tunc paruus anhelitus, & creber fit,nullis alijs cauſis,quidquā tunc valentibus. Ponamus ergo hic hunc doloris tacitum metum,ponamus etiam pulmones repletos,vt notæ omnes oſtendunt. Hic enim viribus ſatis validis anguſtia ſpiritus eſt,nimirum breuis eſt,& creber; nam nulla contentione reſpiratur, vt niſi diligenter inſpectes motum thoracis non videatur febris, tamen vſum maiorē ſpiritus poſtulat, & ita crebritas magnitudinis in locum ſufficitur, paruitas ob anguſtiā thoracis cauitatis eſſe non poteſt,quoniā à viribus non defectus thorax amplius diſtenderetur, quo iuſtam amplitudinem pulmonibus ad ſputum recipiendum præſtaret,vel ergo dolore prohibetur à maiori diſtentione thorax, vel etiam ipſe locus ſpiritus anguſtus,cum repletus eſt emittere ſtatim acceptum ſpiritum vult,iam ſeſe diſtendentē, & calfactum, & fumis confuſis perturbatum, & rur-

A ſus nouum ſpiritum recipere. Pulmones ergo qui locus ſpiritus ſunt prius eo pacto impediti ſunt. At brōchia ne,an pulmonum corpus. Bronchijs impeditis, corpore pulmonum libero ſpiritus tamen ceſſat,quoniam in pulmones,antequam in venis,cum ſanguine mixtus ſit,nō penetrat, ſat eſt,ſi in extrema bronchia peruenerit, ſed quoniam impedita ſunt, ſpiritu externo replentur,& breui,& ita thoracis dilatatio non fit longior, quo longior,& amplior fit,cum bronchia vacua ſint, & libera,thorax aūt anguſtior factus, imò cum ſtrepitu,dum ſpiritus,& aer in ſuum locū cui expetitus eſt perueniat, ſi mediæ viæ quoque anguſtæ ſint. Quare in plurimis aſtmaticis,& magnam thoracis dilatationem, & laborioſam, tum autem ſtrepitus plenam videmus.

B Verum hic bronchia media à corpore pulmonum tumente comprimi videntur, vt iudicandum ſit pulmonum corpus citius impeditum, quam bronchia ipſa; quod ipſa ſputa cruenta demonſtrant,nam bronchia pituitæ potius quam cruori obiecta ſunt ſubtiliſſimis venis prędita,niſi ille à thorace,aut à corpore pulmonum immittatur, & quoniam ſanguinis ſpetiem non habet, ſed corrupti humoris, & cum febre eſt potius,cōgeſtionem ſanguinis in corpore pulmonum corrumpi eſt veriſimile,in venis,namq; pulmonum congeſtio anguſtum ſpiritū non reddit,quoniam bronchia,ſeu arteriæ ramos non comprimit. In corpore ergo pulmonum eſt, congeſtio autē eiuſmodi ibi tumorē facit, qui neceſſario inflammatio eſt,& febrē inducit. Hęc verò congeſtio in hac ſede pulmo-

C nia,ſeu peripneumonia dicitur,quæ quod tumor eius loci ſit bronchia comprimens,anguſtiam ſpirituū facit,quod putredinem concipiat,cor incendit,& febrē facit,quę quoniam ex materia humidiore eſt ſemper, & in viſcere raro eſt,pulſus molliores, & rariores ſolet efficere,& ſomnum ēt inducere, vt in hoc ęgro fit ſi rectè memini eorum,quę relata ſunt,extenuationē autem faciei, & maiorem tantā eſſe non miror, quoniam cor ſanguinis omnem florem ad ſe, & ſpiritum ſibi aliunde impeditum retrahit, quo genere ſanguinis facies ſolet valdè nitere,& plena fieri. Si diarrhęa eſſet, niſi ſtato die facta eſt,& criſis aliquā partē nunciet,corruptionem in omne corpus iā pertinere indicat,& eam à natura inhiberi non poſſe,tamen pulſus

D non eſt,tam imbecillis, aut Vrina,tam pertutbata,vt tantam corruptionem verear. Cuius nimiæ corruptionis cauſa continentium partium infirmitas, humorum ad putredinem propenſio,& obſtructionum nimia copia cauſa ſunt,hic eorum notæ non ſubſunt, putredinem ergo in pulmonum loco tantum eſſe credendum eſt,quæ cuius generis ſit,valdè anceps ſum, color enim ſputorum nihil eius ad concoctionem accedere oſtendit. Putredo verò,quæ coctionis particeps non eſt,aut exuſtio, aut maxima corruptio eſt. Hic ego exuſtionis citius quam peioris putredinis, & malignitatis ſuſpicionem video,nam malignitas,iam cum corde fuiſſet communicata, & vires Sept. die iā abiectæ,quæ ab exuſtione non tam cito affici conſueuere. Hic ergo ſubeſt pulmonum inflammatio exu-

E ſtionem potius quam maturationem complexa, quæ facilè in malignitatem laberetur, cum in viſcere ſit. At dolor non fit pulmonibus ſenſu carentibus affectis. Fit tamen certè bilioſis ichoribus materiæ in membranas emanantibus, viſcus illud induentes, & etiam in coſtas ſuccingentes: Sanguis verò bileſcit primum cum corruptionem ſubit, & ichorem bilioſum effundit, quem luteum vidimus totis ſuccingentibus,& pulmonem veſtientibus mēbranis,ita vt pulmonum tunicā à pulmonibus deraſiſſet,aliquādo ſuo lentore etiam illam vna cum ſuccingente coagmentaſſet, quod quilibet veſtrum poteſt diſſectis mortuis inſpectare,quare is dolor ab initio mali nō fuit, quoniam nondum materia penetrare poterat, horrorem

peperiſſe

peperisse initio nouum non est, nam non solum in externis tumoribus, & erysipelate futuro horrorem, fieri videmus, sed in internis etiam dum materia ad certum locum confluens membranas profundit, neque enim alienum,& nouum est, erysipelata in internis etiam partibus fieri,& pulmoniam sæpè, quod pura non sit, quidquid bilis habet, & erysipelatosi ad membranam pulmonis,& succingentem per mediastinum effundere, membranarum densitate sic ad bilem excipiendum opportuna. His ita partite propositis extant,iudicio meo, quæ morbum continent, & quid mali ipse faciat, quòd melius constabit, si vires ipsas consideremus, omnis enim morbus viribus obest, alioquin actiones non offenderet, cum non exterius noceat, vt causæ euidentes, sed internus affectus sit.

Externa siquidem possunt, actiones lædere facultate minimè mutata,morbi,verò non sunt,ideo suffusio oculi morbus totius quidem oculi est, quoniam facultatem totius,eius structuræ contaminat,& actionem. Crystallini tamen neque facultatem lædit,neque eius morbus est. Hic ergo facultates, tum vitæ, tum naturæ altricis, tum autem motricis læsæ sunt, interna causa enim actiones læduntur. Periculum itaque vitæ morbus minatur,quare, vt etiam quid effecturum sit, videamus cum facultatem pulmonum, tollat spiritus hauriendi, tam ad vitam sustinendam, necessariæ rei certissimus,metus est,ne ægrum tollat, nedum putrefactione ipsa sanguinis, & febre, Vnde videmus quotidie, vel magno quidem pulsu ægros suffocatione necari. In tantis ergo periculis videndum restat,quid agendum tandem sit, si vnquam eũ defendere à morte possimus, si à longitudine morbi vindicare. Atque num horum aliquid præstari queat, & vtrum nam eorum.

Materia omnis vel sanguinea, vel alterius generis in toto corpore versans quæcunque metuitur ad affectum locum itura vult submoueri, eius verò impetus in contrarium cursum reuocari, quæ collecta iam recedit, & tumorem effecit, inde tollenda consumendaque exustio in maturationem, pro viribus conuertenda, vt partim alere,partim emitti,per sputum possit,saltem ne in malignam corruptionem labatur sustinenda. Cor à febre, & à fumis exustionis defendendum, viribusque consulendum. Sicque curationis hæ partes ordinandæ,vt protinus,rettactio materię procuretur,incidenda vena minimè, quoniam vires non paterentur, sed cucurbitulis ad artus adhibitis aliquibus cum ferro,aliquibus sine eo,& iisdem sine ferro quotidie repetendis, deliniendo etiam corpus maximè thoracem vnguentis extrahentibus, vt vnguento dialthæa cum butyro,cimino,& oleo s.lini. Frictionibus, clysterijs, & eiusmodi alijs. Sustinebitur autem materia,ne maligne putrescat ijs, quæ exsiccant,ita tamen ne spuitionem impediant, & vna vires confirment,& materiam etiam discutiant, quæ omnia facile a theriacę viribus possent sperari,quæ etiam coctionem iuuaret, seu maturationem eaque cũ ijs,quæ sputum mouerent, & fistulas pulmonis delinirent, coniungi deberet, vt cum syrupis ad pectoris vitia paratis cum syrupo de hyssopo de iniubis, de nymphæa,meliorato dilutiori cum oximellis momento,& similibus dilutis ex eo, cui incocta essent pectoralia dicta ego vel ipsum helenium incoquerem, quo cordi,& putredini,& spuitioni consultum crederem. Viribus cibo succurrerem, ita tamen ne morbo nimiũ materiæ subijcerem,esset ergo extenuans, sed non extremè tenuis,quoniam spuitio vires,& lubricas,& humectas postulat. Ptisanam ergo colatam ex iure pullorum darem,in eo helenium incoquerem, ni ipsum penitus auuersaretur, emulsionem seminum melonum,aut amygdalarum dulcium, & succum quoque carnis eiusdem expressum in eo immiscerem, vt va-

A lentius aleretur. Vinum non darem ne materiam pelliceret ad morbum ad caputque, & febrem magis atque inflammationem moueret; à somno per diem sustineretur, sitim aliquibus tolleraret,quæ etiam sputum iuuarent,vt violaceo succo ex saccharo confecto, vt aqua cui incocta essent iuiubæ passulæ, dactyli violæ;& similia.

Hæc à me ita sint proposita,vt quæ à morbo requirantur. At possint ne adhiberi, & adhibita possint, à morte hunc vindicare difficile id credo futurum,tamen vires, & parua adhuc difficultas spiritus,etiam sputaminibus mali coloris non priuat me spę salutis.

Is euasit, sed recidit,& iterum conualuit, ab ea enim die retulit Medicus,quod semper meliora fuere omnia.

B

De dolore renum ex materia terrea.

CONSVLTATIO CLI.

HVic dolor ita accessit, ventrem exonerandi cupiditas prima fuit, deinde cum nihil deijcere posset,dolor inuasit vna cum vomitu,dolor à summo osse ilij ad pubem paulatim peruenit, & scrotum totum comprætendit, quæ omnia ostendunt calculum à rene per vasa vretera in vesicam descendere, siue aliud eiusmodi, quod calculi vim possit præseferre.
C Situs enim locum affectum dolor, & motio eiusmodi materiam duriorem,quare prouidendum,vt vię relaxentur,impetus naturę expellenti adijciatur, ita tamen ne materiæ plus eo impellatur, quod vitatu difficilimum est. Itaque si inducias daret, & interuallum dolor, quod non facit, totum corpus prius esset exonerandum, verum vrgente dolore cogimur vix citato vomitu quamprimum relaxantia saltem adhibere,mouentibus interea vitatis. Clystere ergo ex decocto maluæ altheæ parietariæ chamemæli s.lini, anethi primum, & item alterum per os interea oleum amygdalarum amararum vua,& dulcibus expressum, cum vino albo cui saxifragiæ m.1. incoctus sit tum terebinthina vel laricina eiusdem saxifragiæ puluere mixto, tandem aquæ ononidis,raphani,cum stillati-
D tia cinamomi. Præterea fiat emplastrum ex folijs caulium apij parietariæ,radice raphani,& butyro veteri.

De Beroldo ex phthrysico iudicato.

CONSVLTATIO CLII.

FEbris continua est,corporis squallor non mediocris,putum copiosum, & viride ac crassum cum difficultate spiritus,qua,& parum,& crebro spiratur, quod tamen multa thoracis contentione fit, & sub his gallicum malum est, & demum maxima iurium infirmitas. A gallico omnem originem trahi credo,
E & à malo etiam viuendi modo occasionem certam certæ ægritudinis fuisse, vt sudoribus à frigore exceptis, & onere capitis per galæam, & nocturnis laboriosisque ambulationibus atque vsu veneris. Pectoris cauitatem colligo plenam ex contentione spirandi, pulmones verò infarctos, atque etiam trachæam ex crebro, & exiguo spiritu cum nulla doloris suspicio subsit. Expuenda materia esset,itaque abstergenda, promouenda,viæque deliniendæ, febris extinguenda, corpus renutriendum, gallicum mitigandum.

Vrget maximè materia in thorace spiritum, cohibens, reliqua tamen quoque mortifera sunt, & præsertim corporis marcor cum febre viribus sic infirmis. Ego itaque potionem pararem qua per inco-

ctum hordeum cancros, testudines, & nutritionem iuuarem,& febrim refrigerarem,& destillationem sisterem,& sputum mouerem,ita passulis, & radice dulci,& ficubus atque radice althææ ac farfaræ adiectis sputum facilè redderem. Pectori oleum violaceum, & amygdalarum dulcium applicarem, & etiam dorso. Eclegmata ex pineis, & amygdalis præciperem, vt nutritioni,& sputo esset accommodata,alia fortiora interijcerem ex looch sano,& experto,ex eo,quod est ad asthma ex diabutyro ex pulmone vulpis, & similibus. Lac quoque asininum propter metum vlceris aliquando propinarem. Sed res omnino desperata videtur.

Huic pulsus erat languidus,& creber,& paruus noctibus augebatur,& sputamina multa liuida in viride inclinantia,facilè etiam spuebat,inde cum tribus noctibus melius habuisset,quarta peius habuit, & quinto die constans animo,& facili locutione,& hilaris subito non animaduertentibus illis multis, qui coram eo confabulabantur extinctus est.

Pro sene decrepito, & fere nonagenario febre continua laborante, & dolore alui.

CONSVLTATIO CLIII.

Nihil erat cur ego aduocarer Doctor perillustris, nam tibi potius tędio, quã consilio esse possum, quem nihil fugere solet,quod ad morborum curationem,sit necessarium,seruiam tamen consuetudini, & dicam aliquid vt assensioni meæ, quam tuis consilijs debeo præstare,rationes aliquas adiungam.Vita omnino sustinenda est,hæc in iuribus,quæ à bona valetudine nascuntur,est posita,quę quidem in hoc homine tum ab ætate,tum à morbo infirmantur, & hos duos maximè aduersarios habent. Aetati nos nequaquam occurrere possumus,illa tantum simul cum iurium infirmitate coniungenda est,ita, vt viribus prouidendo satis officij fuerit præstitum.Vires ergo cum per se, & alimento,& refectione,tum morbi demolitione reparandæ sunt.Quid morbum possit,tollere primum dicam,deinde de cibo loquar.Tollentia morbum illi cõtraria omnia fuerint,natura ergo omnis morbum sustinens nobis designabit partes omnes curationis,vbi illa ,quæ ad aliorum remotionem deleri possunt, nisi nimis vires labefactent,per se curationem, aut remedia non requirent,vt quæ symptomata propriè dicta sunt,& tanquam vmbræ aliorum sunt. Eorum ergo naturæ primum,& offensæ videndæ sunt,febris clara est,& putridam se esse ostendit,& ab humore dependere, vrinis crassis,& magis,quam pro ætate coloratis calore duriori pulsu etiam minimè ęquabili cum eo, quod ad vesperam quotidie increscit. Dolor quoque alui hucusq; tertia quoq; die reuertens humorum vitium sequi se demonstrat,ita restat, vt de humore, qui,& ex se halitum emittit ad dolorem efficiendum. (nam certè nullam aliam ob rem molestiam sensui afferre potest existimari,) & putredine compræhensus febrem continenter facit,atq; de causa cur putrescat, videamus.Causa enim putredinis vna cum eo,submouenda est,quare necessario etiam de loco vbi est illa, & vbi humor reperitur diligenter cognoscendũ. Aetas anni,tempus,& victus ratio plus pituirę,quam cuiusq; alterius humoris subesse demonstrant, quod febris obtusæ modus,quamuis calorem duriorem, tandem tangenti acrem ostendat,facilè cõfirmat,& prętereae etiam vrinæ idem faciunt, non multo colore quamuis crassiusculæ sint. At altero quoq; die increscere febris videtur, & vna dolor moueri. Videmus hoc nos in ęgris ferè,& rarissimè superantem copiam pituitæ non à bile in putredinis illius circuitum trahi.

A Nam certè, & bilis subest, & vini potentioris potus; cum crassis,& crudis,& multis cibis potuit etiam alicuius immodicæ bilis causa esse.

Verum omnis humorũ copia intra venas locis spiritu,& calore cõpletis solet corrigi facilius,& ad meliorem statum reduci, nisi cũ ea loca infirmiora fuerint, & materia, adeò in putredinem propensa,vt sustineri quin in putredinem labatur non possit. Sed hoc auertat IESVS Opt.Maximus,nam febris maligna esset,& sanguinem quoq; putredo comprehendisset. Sic vrina perturbata esset,& pulsus,atque aliæ etiam facultates infirmiores, igitur putrescens materia potius in locis,quæ facilius obstrui possunt,itaque angustis, vt supra se ipsam concludat, & sibimet putredinis in causa sit; quod in venis amplioribus non

B faceret, vbi etiam facilius consequeretur. In venis ergo minoribus eam esse credendum est ea proptet etiam circuitus incrementum habet,quę alternis diebus maiora sunt,& ad vesperam quotidie. Itaque in minoribus venis ambitus ipsius corporis esse posset, illuc intrusa à laboribus crudo, & crasso humore ad eas partes adducto, posset etiam in viscere aliquo locum putredinis habere, quod mihi sit magis verisimile, cum corporis nulla lassitudo sit, sed potius sub sinistro hypochondrio renixus, quidam ad tactum plenius,illud hypochondrium indicans, quapropter lienis venæ erũt forsan eius humoris putrescentis locus, vbi, vt putredinis causa est infarctus meatuum ex crassitudine,& lentore humoris,sic quę diu trahatur putredo facit, quoniam humor eiusmodi identidem illuc confluit,& totis venis infirma parte facilè id patiente,nec resistere valente suo vero etiam calore illum attrahente, certè enim putredo cito humorẽ consumeret, & febrem quam facit, cum eo etiam finiret,nisi noua materia cõtinẽter suggereretur, quare duplex materia hic subesse cognoscitur, & quę lienem obstruit,ibique putrescit,& quæ ab omni corpore illuc traducitur,& hæc de materia,obstructione,& febre ipsa sint satis,nam materia tollenda vna, & obstructio, & febris omninò delebitur. De dolore, id videor intelligere, quod increscente ex maiori cõfluxu putredine halitus tanti efferuntur, vt circumquãdoque diffusi membranas feriant, cum lienis, tũ mescenterij,& intestinorum, itaque dolorem moueant.

D Qui quidem dolor sic constitutus tolletur ipse quoq; materia detrahenda, & nisi tantus sit quantus vires labefactet,& somno prohibito languorem afferat nõ multum consilij diuersi ab eo, quo eius causam spectamus ad se reuocat,nisi interea,dum causę,hoc materiæ auferendæ vacamus eadem opera etiam illum per dissolutionem,& coctionem materjæ mitigemus. Putrescens ergo materia, & ad putredinem accessura nobis sit proposita, quarum cum neutra subito tolli possit, sed possit longam tractationem sui requirat, putrescens quidem sic tractanda est,vt illius putredo maturationem efficiat, non aut exustionem, aut putredinem meram. Nam quoniam concalescente

E humore sub obstructionibus confluũt ex arterijs pręsertim multi spiritus calorem putredinis absorbentes illi incendio aucto materiæ eius partem dissoluunt, partem autem modificant, & à putredine in maturationem retrahunt; & tenuiore humore liquidiore ad dissolutionem,crassiore ad modificationem si vincat spiritus,idoneo,ita dum maturatio fit medium increscit,nõ minus,ac cum fine maturatione putredo, aut exustio augetur,nimirum, cum calor putridus spirituum vim deuicerit,atq; absumpserit, & tenues quidem partes humido absumpto in acrem halitum cõuerterit,crassas, autem in cinerem, aut omnes dissoluens non autẽ humidum absumens in elementa prima,maximè in aquam biliosam, & flatum demolitus fuerit, quod in malignis febribus solet euenire. Qũo verò id fieri possit, vt sustineamus naturalis

caloris, & spirituum vim putredinis verò vitium imminuamus; vt non ad exustionem aut ad dissolutionem, sed ad maturationem humores malos perducat, non est difficile videre, putredinis scilicet causis mitigandis, & calore naturali, & spiritibus iuuandis. Putredo minor fiet, si materiæ propensio sustineatur, & obstructiones imminuantur, quo calor naturalis, & spiritus perflentur. Materiæ propensio in putredinem maxime à cruditate maximè mali generis proficiscitur; scilicet materia potius vitium quam suam naturæ integritatem sequuta, infirmiori semper, & minus idonea, ad sese in sua natura sustentanda, ita ad corrumpendum opportuna, in qua cum humidum calori non respondebit, sed superantius fuerit, quod cruditatibus quoque præsertim vitiosis solet contingere, facilè in putredinem commouetur.

Ea propter materiæ concoctio, quæ est naturæ humoris perfectio, est procuranda, genus humidum nimium exsiccandum, nisi febris siccitas prohibuerit, quæ certè hic non prohibet; Præterea obstructiones submouendę, quo calor in suam temperiem, & robur reuocetur, lentore, crassitis, & copia materiæ auferendis; & non solum putrescenti materiæ hoc attribuendum, quæ obstructionibus oppressa est, & ei quæ obstructiones parit, sed ei quoque quæ ad locum putredinis accessura, & putredinem propagatura est; quod non eadem ratione, & obseruatione fieri solet, nam quæ accessura est, liberiori loco vtitur, & cum sanguine in maioribus venis est, propterea cum ad opem afferendam accedimus, & sanguinis missionem, & medicamenta, & viuendi rationem consideramus. Hic delectus eorum ita haberi posse videtur. Vt quoniam ætas, & anni tempus brumæ frigidissimum viribus officiunt sanguis detrahi omninò non possit. Medicamenta tantum vel leniora permittantur, quæ quoniam apparatum requirunt, identidem videntur danda, modo quæ præparent, modo quæ materiam detrahant.

Præparantia eadem materiæ putrescenti, & obstruenti factura sunt, propterea alacrius dari possunt, quod detrahentia quoque pollicentur. Sic incidendo, extenuando, abstergendo, & vim naturalis caloris iuuando, pituitosam materiam modificabimus, vt eximelite, melle rosaceo cum iure cui incocta sit betonica, cicorea, & hyssopum ac melissa. Compositum oximel post ipsum simplex propinando, coctionem iuuabimus cum frictionibus, cum fomentis, & alijs eiusmodi, neque verebimur illud præceptum seu monitum, ne adhibeamus fomenta partibus ante corporis expurgationem, quoniam Galenus quoque in tertiana notha ante purgationem id facit, in quartana quoque summum quidem morbi incrementum exspectat, sed purgationem non anteponit. Cuius rei ea ratio esse potest, quod cum consulendum sit coctioni ventriculi, neque febrem symptomaticam dictam habeamus, quæ inflammationem visceris sequatur, nequaquam est verendum ne illa applicatio affectum locum grauiorem faciat; nam ventriculus hic locus proprie affectus non est, neque materiæ putrescenti subiectus; sed aliam potius ad putrescendum accessuram parat, quare ne id faciat omnino procurandum est, & coctiones omnino iuuandæ, vnde dolori etiam succurretur fomentis ijsdem, quæ ad coctionem dabantur.

Sic ergo noua materia non suggeretur, & iam vitiosa facta emendari, & parari poterit, atque viæ etiā expeditiores fieri. Vnde purgari, & detrahi illa materia possit, quę quoniam crassa est, ego libenter identidem pararem, & paulatim detraherem; nam sic leuioribus, & ventriculi ac iecori amicis vti possem, vt rhabarbaro, quod crassam pituitam quotidie excernere cernimus, cui adiungere etiam agaricum possumus saltem potionibus ipsum incoquendo polypodium

A quoque ad huiusmodi humores educendos idoneum videtur, quod incoqui debebit, ijs adiectis quæ possunt ventriculum colligere, ne eis nimis laxetur, quæque vires eorum medicamentorum iuuare solent, vt passulas, radicem dulcem gingiberspicam, cinnamomum, macerem, & eiusmodi alia, quibus repetitis atque iterum ac tertio datis medijs autem temporibus præparatione interposita, credo omnino euadet quāuis decrepitus sit, præsertim optima viuendi ratione instituta, & ad consuetudinem, quæ in senibus summe potest accommodata, vt cum multi cibi sit continere nolimus, sed carne pulli, & pane ex eius iure alamus neque vino interdicamus quod senibus tam opportunum est, præsertim quod neque inflammationē neq; capitis dolorem veremur minus, vt in senili cor-
B pore multum incitationis in humorum motione inducat. Dixi.

De adolescente in collo sauciato.

CONSVLTATIO CLIV.

DOctor præstantissime in hoc adolescente vulnus ictim factum cernitur in collo latere medio sub sinistra mandibula, quod iam quarta die finita siccum est, depressum, colore purpureum, non rubrum sed rubro obscurius, & tam apertum, quamuis cuspide non admodum crassa factum sit, vt intus vsq;
C in imum ipsius cernere possimus, cuius natura ea est, quod non solum carnes secuerit, & ex parte concusserit, sed laryngam quoque, vt referunt hi chirurgi læserit saltem collisione, & detersione seu derasione musculorum, & tunicæ ipsius quam à succingente accipit; nam introspectantes cartilaginem candore suo maximę conspicuam videre se, & satis latè detectam aiunt, quod mirum videri debeat cum mucro pungēs tantam latitudinem attigisse non videatur verisimile factum verò id esse necesse est, si ita est, à cuspide interius irrumpente, & transuersam sectionem ei cartilagini inferente, vnde musculi dissecti, ad locum cui capitibus suis hærent reducti illam mediam latius detectam reliquerint, tum qui deorsum larynga, & os ὑοειδὲς trahunt, tum sursum etiam adducunt integro
D ad latus eo relicto, qui à iugulo ad processum mamillarem ducitur, Hæc est vulneris natura, hi sunt casus, & insistentes, nam nihil aliud præterea habet vel doloris vel fluxus sanguinis, sed tantum incommodam ipsam deuorationem, & quendam angustiæ faucium sensum quasi larinx laqueo constringatur etsi modo libera, modo impedita deuorādi actio sit non semper eodem pacto affecta.

His adiunguntur tumor primum, musculi alterius nimirum contrarij lateris, qui in opposito latere à iugulo ad mammillarem processum ducitur, qui tumet totus, & durus ferè circumquaque est, vt mirari liceat partem vulneratam non potius illum defluxum excepisse. Est cum hoc etiam febris malæ certè naturæ, si
E vrinas crassas, quamquam flauas si maximè pulsuum infirmitatem paruitatem, & crebritatem, si exteriorum, & eminentium partium, quasi frigus considero, insanire etiam, quod nisi cum malis ijs indicijs esset, forte paruifaciēdum, forte cum ijs malitiam ipsorum omnium confirmat, animi quoque illa desponsio suspicionem omnium cumulatissimam reddit, vt corporis exagitatio, vt vigiliæ, & reliqua eiusmodi, vbi quo vita vna cuiusuis viribus sustineatur, hoc est, bona valetudo status corporis prior recuperandus est, & vires remittendæ. Status ergo malus in suum contrarium reuocandus est, ita quis status sit, in quo est, planissimè cognoscendus.

Continuitas primum soluta est, in parte musculis

referta arteriã,& leuem,& asperam continente,quod solutionis genus simplex esse non potest, cum dilatatio punctim facta necessario per compressionem, & collisionem tam latè aperta sit. Contusas itaq; oras circumquaque habet,& præterea discrasiam multam, vt cernitur,quæ siccior est. Vnde caro illa tum proprium alimentum non habet,tum neque ipsum neq; recrementa præ infirmitate concoquit, hæc continentiæ cum vulnere sunt; consequentia autem multa videntur in quibus angustia faucium proxima est, quæ ob repleta fibrarum interualla masculos contexentiū fit,materia inutili in locum infirmum vna cum spiritu, & sanguine transmissa,& non si in vulnere in partibus saltem vicinis subsistente, quod quidem mirum videatur,cur enim in sinum vulneris non emanat?Alterum consequens est ille tumor in opposito latere extans,qui dolet cum præmitur, & musculi illius situm tenet,materia illius potius quam in sinum,& partes ei circumsistentes delapsa,quod rursus admiratione dignum est,& cum sit euentus is similis ac quando in ictu capitis opposita pars conuellitur, aut apostemate opprimitur,causam quoque eandem habere putandus; quam nescio accipiamne, vt à multis est, tradita in illo, & ad hunc referam an potius magis congruentem hoc loco conijciam,& illud postea trãs feram,cum omni humoris defluxione continentia sunt,non solum humor ipse,sed vis illum propulsans, & infirmior alterius partis vis humorem admittens, alioquin partibus vna omnibus firmis ille non facile in parte aliqua sisteretur. Hoc in casu vulnus partem infirmauit,ex quo reliquis facile fuit, quidquid abundantius haberent in eam depellere, præsertim, vt dixi, spiritu ad vexatam partem appellente, & secum sanguinem,& humores superuacuos afferente,ex quo factum est,vt per vulnus initio aliquid dicti humoris effluxerit,postea accepta frigoris iniuria, & item medicamentorum non exigua,partes vulnus complexæ contractæ in seipsæ fuerint, & defluxioni restiterint, accedente verò maximè ferri recens detersi ad molarem lapidem,aut cum lima asperioris facti vi, quę carnibus inimicissima est,eisque constringendis asperioribusque, & durioribus reddendis aptissima. Nam hastæ nouæ erant,& ferramenta recens parata, inde ergo factum est,vt partibus omnibus per vulnerationem, grauissimam ad depellendum promotis, & iam cogentibus,humoreque iam impetum habente fluxio sisti non poterit, vulnerata parte etiam in se contracta,& vna spiritum cum humore repellente. Itaque fluxionis cursus potius in consortem, & ante alias à vulnerata etiam affectam partem inclinarit,quoniam ergo partes vulnus continentes collectæ in seipsę sint vulnus latius,& depressius relinquunt, sicciusque redduut cum humorem non admittant, imò propter nimiam inuectam sibi à dictis causis ariditatem duritiemque,& frigidam discrasiam neque quidem quod sibi ad alendum se esset necessarium recipiunt, quocirca vt cognata, & consortes cum vulneratis partes nimio, ita vulneratæ exiguo alimento male habent. Tertium quod ad vulnus consequutum est,febris est, quæ calore acri facto,& igneo continetur, neque in spirituum tantum calore illud vitium est, sed humorum,quod nisi per putredinem fieri non potest. Humorum vitium, & acrem illum calorem esse ex calore corporis pulsuque,& vrinis dependitur, quæ non solum putredinem,sed perturbationem vniuersi sanguinis demonstrãt.Calor ergo totius corporis igneus est factus,& in eo incendio sustentatur, vt necesse est principio,& fonte suo incendium concipiente, & toti corpori diuidente nimirum per spiritus, qui quidem cum in fonte hoc est,corde incalescant,non quidem penitus incensi sint, sed cum halitu humorum putrescentium confusi penitus inflammato ipsi incendium tantisper sentiant, & eo afficiantur,donec illis haliti-

A bus implicati fuerint in totum corpus circumferẽdis. Putredo verò hæc humorum vnde,& vbinam est? locus vulneri finitimus esse deberet, nam potest humor confluens in nimia copia se se ibi arctius comprimere, & proprio calore nimis aucto, & alienæ naturæ facto corrumpi.

Hic verò cum siccum vulnus sit,& compar locus te pletus eo modo ibi putredinem esse iudicandum est, à qua quidem parte cordi vicina venis spiritui destinatis amplissimis, & item alijs abundante,facile potest, dum se dilatat cor halitus putridos recipere, illisque obrui,vt quod sibi refrigerio datum est,id ei in cendium,& oppressionem afferat, ita sub tonsillarum & faucium inflammatione, & angina pulsus admodũ parui,& crebri esse consueuere, sed quomodo vel san B guis totus contaminatur, & eo calore perturbatur? nam quamuis id fieri debere in cuiusque febris incendio videatur, vt sanguis contagio calidi halitus ferueat,& feruendo dissoluatur perturbeturue,tamen id minimè fieri cernimus. Sunt enim febres in quibus non modo spiritus solus inflammatus hnmores,& sanguinem calfaciat quidem, sed non commoueat è finibus naturæ suæ, neque penitus incendat, verum etiam in quibus humores certi incensi, & inflammati sanguinem integrum relinquant etsi calore suo afficiant,alioquin numquã inuenissemus febres totis mẽsibus cum vita esse nedum singulis,sed totis binis, & ternis,& quinis etiam. Illæ quidem quæ breui tempore noceant solent suo feruore malo sanguinem C quoque in acrem humorem, & biliosum conuertere, & ita corpus alimento,& spiritu priuare intetimereque,imò aliquę sanguinem in elementa prima dissoluunt, & ἀναστοιχείωσιν illam faciunt, vnde, & flatus, & aqua fiat,& hydropici breui casu facto extinguantnr,ac vt verisimile est partes quoque solidiores corporis sæpissimè in idem cum humoribus incommodũ trahuntur febribus mortiferis,& citò tollentibus,quã quam fere acutæ febres interimant,quoniam corde incenso,sanguinem nimium attrahente,& in pulmones repellente,homines suffocantur,quod Hippocrates animaduertit,& nos in cadaueribus aptè vidimus. At quo modo ex æstu, & feruore loci breuioris qualis est, quem tumere in collo videmus,sanguis ita commouetur? Commoueri enim,& calore alieno peni- D tus comprehendi,& mutari,indicium est in vrinis cõspicuum, quæ serum sanguinis sunt. Præterea infirmitas non dixerim motionum,quoniam nerui exiguo alimento egent,& spiritu etiàm non multo vt firmiter agant. Sed pulsuum qui proximè sanguinis modum sequuntur. At quomodo pulsibus infirmis, & vitiato sanguine exiguum,& infirmum spiritum præbente nerui sensuum,& motionum bene habere possunt,cum spiritus neruorum ab eo qui pulsibus subest procreetur? Caput in principibus partibus iam ad se adduxit quod satis sit,& continet, & ad vsum adhibet,quod etiam de sententia Galeni ex spiritu naribus ducto spiritum suum reficit,& corde quã peius habẽte,cerebrum aliquamdiu sese solet sustentare quamuis non ita diu. Ergo pulsuum infirmitas cor labo- E rare debilitate indicat quoniam sibi multa sanguinis copia opus est,ad suum feruorem nutriendũ qui multum solet consumere. Itaqne cor primo sanguinis vitium sentit,& eo infirmatur,sed sanguinis hanc calamitatem videmus,vnde illa fit non intelligimus,nã ex pauco humoris conclusi in tumore sanguis in id detrimenti non traheretur, quocirca cogemur aliud vlterius intelligere,& rem nobis sic informare. Corpus hoc adolescentis adhuc, & natura humidius victus ratione praua vsum sub hoc casu malo sanguine, & crudiori forte scatuisse,ipsoque casu, & perterrefactione, atque iracundia permotum sanguinem eiusmodi in labem facilè decidisse animo nimis multum perturbato, & spiritibus multis partim incensis, partim ex-

tim extinctis iracundia vna, & metu dolore, & tenore perculsis, occasionem verò incendij à vulnere primum sua propria concursione concalefacto nactum in putredinem, iam pronum in eam delapsum fuisse, humoribus verò vndequaque ad cor sub commotione animi contractis, & ex illis maximè, qui ad vulnus impetum haberent inde reiecti, & male affecti essent. Putredinis focum in corde factum, & inde totũ sanguinem perturbatum; ac veluti in altero ictim, seu punctim vulnerato concursione humorum facti sunt sinus magni, circa vulnus, ita hic cordi vicino euenire potuit, præsertim, quod candor ille, qui intimo vulnere cernitur, meo quidẽ animo caput asperæ arteriæ non est, sed ægri ipsius corpus, nam nullum indicium de se motionis laryngis est, quod esset, si musculis fuisset detecta, neque sine dolore moueretur, neque quo penitus sæpissimè id facit, etsi ligari sibi sæpè fauces sentiat. Est ergo saporaria arteria illa, vt situs, etiam demonstrat, quæ cordi insita facilè læsionem ei infert: Sicco igitur vulnere quidquid humoris per ipsum effundi deberet, id in cor, & partes illi vicinas defluit, & cor incendit, halitibus verò non solum cor, sed ventriculi os ferientibus corpus quiescere non potest, cerebrum verò etiam petentibus alienæ imagines excitantur, & ipsum perturbant adeò, vt æger insanire cogatur. Eminentes quoq; partes frigidiores sunt calore intimo spiritum à toto corpore ad se attrahente corde verò etiam tyranno præsidia sibi vndique contrahente. In quibus nos omnia, quæ ad vulnus sunt consequuta, & eorum rationes conspicimus, à quibus iam, corpus eripiendum esset, & priori suo statui restituendum. Vulnus esset colligendum, vt coirent oræ in vnam continuitatem, at prius δυσκρασία tollenda, quo vulnus nutriri possit, & coalescere, at materia minimè impura, aut sordida suggerenda, nimirum sanguis in suam naturam reuocandus, & omninò nimius calor reprimendus ad δυσκρασίαν vulneris submouendam, & alimentum bonum reddendum, hæc sanè facienda indicari à morbo intelliguntur.

At fieri ne illa possint videndum; ne multa frustra recipiantur Doctor peritissime vires morbi magnitudine mihi videntur inferiores, vulnus magnum, eius refrigeratio incredibilis, quam credo, iam cum corde quamuis incenso communicari, arteria illa frigus facilè in ipsum deferente. ex quo fit, vt febris minor lõge factu sentiatur, quam sit, corde vna frigore, & calore afflicto, nec tanta refrigerij necessitate agitato quanta febris huius esset, vidi enim partibus cordi vicinis vulneratis maximas febres, magnis, & crebris pulsibus notatas. communionem ergo vitij, cum corde multo facillimam videmus, & infirmitatis tantæ causam, quare, quod ad prognosticum attinet concludam, quod deliberationi mihi præponendum videtur, quoniam omnem actionis fructum despero, & labores frustra iri susceptos. dico, quod maturitas vulneris non speratur, nisi ad 10. diem cum citissimè, illucvsq; verò nos certè ægri vires sustinere non poterimus, eo propter nescio, quid consilij capiam. Purgare corpus non possumus; viribus id non ferentibus. Sanguinis enim missio, & cucurbitulæ in locum phlebothomiæ repetitæ purgationem postea viderentur postulare, & vtrumq; vires maiores requirit. Vulneri maturationem procurare, & fouere esset putredinem maiorem cordi iniungere, cõcludere verò materiam introrsum magis repellere. Iuniori emplastrũ de nido hirundinis adhibeatur, ex quo discuti, & maturari possit, alioquin, vt solet ille deorsum exonerabitur, & residebit. Cor verò omnem defluxionẽ recipiet. Sine maturatione numquam vulnus sanescet, minus oleo stillaticio de terebinthina, & de hypericon cõposito est tẽtandum, quoniã maturationẽ impedient. Potius illa calidiora initio semel data profuissent, modo nimirum caustici: ad consumendum ferri recens limati asperiorisq; vitium, & ichorem, eo vitio affectũ, quod experientia quoq; quotidie comprobatur. Nunc neq; tempus, neq; vires id permittunt. Vidi quidem etiam die 8. & 19. theriacam post ferrũ etia illa olea imponi, sed vires integræ erant, & febris minus mala. Sequamini ergo curationem, & minus criminis vobis habitura videbitur, estis enim chyrurgi multæ doctrinæ, & vsus.

Capita historiæ scriptæ ab Excellentissimo Ambiorigi Samperolio de valetudine Serenissimi Vrbini Ducis. F. M. Fel.

CONSVLTATIO CLV.

POst purgationem factam cum medicamẽtis, tum sero caprino oximelite, & syrupo de polypodio permixto ipse nihilominus sitim vigilias, & atras alui deiectiones, cũ doloribus habebat. Vnde statuit omninò parciori cibo vti, hoc vitæ institutum ferè continuò illa sequuta sunt, vt melius aluo habuerit, & somnum capere potuerit, dentibus tamen dolere cœperit, fuerat illis diebus venationi deditus, à cibo se in illis exercens. Dolore accessuro venæ temporum tument, rubicundæque sunt, & inde etiam manilibulæ pleniores fiunt, postea dolor sequitur interdiu, semper noctu cessans, nulli remedio, vel à purgatione rectè absoluta cedens, nisi aliquanto dum aqua frigida ore tenetur, non nihil etiam dum aqua frigida ore tenetur, & dum oleo amygdalarum dulcium dentes deliniuntur, vel aqua cui incocta est radix Alchymillæ, à vino ad aquæ potiones se trãstulit, cui cinnamomum incoctum est. inde melius ventriculum habere sensit, quamuis dentes nihilo melius. Vrinæ minus coloratæ sunt, & sine aspero sedimento. Somni aliquanto arctiores, alui fæces figuratæ, & coloratiores, capitis lotiones, quæ 15. quoque die fiebant dimisit. Quærebat in aqua, ne vsu permaneret guaiacum, ne aquæ potandæ incoqueret, num guaiacum dentibus esset profuturum; & aqua, ne an vino vtilius incoqui deberet ad dentes diluendos.

Christophorus Guarinensis Fontanus Ambiorigi Samperolio Serenissimi Vrbini Ducis Physico optimo. S.

CONSVLTATIO CLVI.

VT primum legi literas tuas, quæ de valetudine Serenissimi Domini ad me allatæ sunt, rescribo & quidem rebus quibusque postpositis. Nihil enim crede mihi habeo potius in vita, quàm inseruire commodis illius valetudinis, & producendę illius vitę, cui ego sponte meam addixeram vitam, in cuius seruitio meliorem ætatis partem consumpsi, faciam verò id breuissimè, vt potero, neque repetã ea capita, quæ in tuis literis mihi exponis disceptanda, nam ea tibi in memoria impressa esse credo. Continuato verò ordine, & eadem orationis serie omnium eorum rationes contexam, & ab illis initijs deducam, quæ, nec mihi, nec tibi è memoria excidisse, certo scio, ita neq; commemorari est necesse, dum vẽtriculus obscuriori illo humore teneretur ipse, vel summa sub cibi modo ratione in cruditates crebro incidebat, vnde aluus moueretur in quam sic exagitatam facilè corpus omne noxios humores depellebat, proinde postquam cruditatem aluus deiecerat nigros, etiam illos liquo-

res

res aliquando efferebat, quod noxiorum impulsione alui solutio, & infirmitas ad se conuerteret, ergo reliquum corpus, & præcipuè caput inutilibus succis liberabantur, nec fluxiones sentiebant, quod si quandoque iustum somnum capere non poterat, id non humore in capite collecto, sed halitibus ijs fiebat, qui per neruorum ductum in cerebrũ à sicco humore in præcordijs hærente elati cerebrũ siccitate afficiebãt.

Scimus enim, quod cerebrum per suos neruos sentiat ventriculi, & præsertim stomachi affectum. Vnde cum superioribus diebus, vt narras eum alui solutio tentarit, tunc leuius etiam à dentium dolore habuit. Eo iam obscuro succo partim purgationibus detracto, partim natura, & spatio consumpto; tum recto viuendi modo meliori materia in eius locum suffecta; cruditatum vna, & alui motionum occasio remota est; & aluus, tam crebro cita non est. Ergo quamuis corpus melioribus omninò succis vtatur, cũ tamen nondum ad puritatem perfectam peruenerit quidquid inutilis in dies colligitur, quoniam aluo firmiori facta, non ita pronus in eam decursus est, illud in caput propellitur, quod suopte genere infirmius semper fuit, maximè verò sursum tollitur facile, quidquid tentius, & leuius est, atque adeò calidius. Quod quoniam per venas fertur, & illas quidem exteriores, & antequam in interiores per caput influere possit, depellitur, propterea cerebrum illius contagio liberũ vigilijs minimè uexatur, venæ verò externæ tument, & vna ipsę partes ad mandibulas exterius positæ. Dũ autem humor is in venis se continet, aut in meatibus laxioribus, aut pinguioribus, nullum dolorem affert, cum verò ad interiores mandibulas demittitur (quæ quoniam suapte natura, & dẽtium assiduis malis debiles sunt, facile eum in se admittunt) tunc sensum molestat, Venæ enim, illæ nimis onustæ, & humore acriori in se ob moram facto lacessitæ, deponere illũ coguntur. Modo cum his humor tenuior, & calidior fit, tum extimas partes perfundit, tum interdiu potius quam noctu mouetur, venasque lacescit, tunc enim calore cœli funditur, & amplior fit, & sua tenuitate, & calore, facilè è medijs ad eminentes partes effertur, diurno calore euocatus, cuius tamen tenuioribus partibus dissipatis crassiores in mandibulas recidunt, ibique sua pondere considere coguntur, donec calore loci fuerint per dolorem discussæ. In adolescentia noctu magis vexabatur, quia humor pituitæ plus habebat, quæ quoniam non adeo per venas, sed secũdum neruos potius ab internis capitis partibus demitti consueuit, propterea si quosdam authores sequi velimus ab ea dentes corrupti fuerant, nam interius influat oportet humor quo ipsi contaminantur, intus nihil influere, nisi per radices eorũ, & neruos potest, is verò humor tantum secundum neruos duci potest, qui similitudine primum à cerebro attractus, cũ neruorum alimẽto genere coniunctus est, nempe potritosus. Tunc autem pituitosus magis, quoniam ætas illa humidior est. Nunc calidior humor est, quoniam ætas summum caloris incremẽtum, & acumen habet humoris calor, sensu oris etiam percipitur, idemque aquæ frigidæ vsu intelligi potest, nã ab illa dolor mitigatur, biliosi ergo generis est, & atræ etiã bilis ichorem posset continere, qui cũ seroso humore toto corpore diffunditur cuius atri humoris forte aliqua copia etiam infernis partibus resideat, quæ sui sensum factura non sit, nisi ad eas, quæ sensu acriori sunt deferatur, aut cumulum sui nacta, & occasionem ipsa quoque molesta euadat. Aqua ergo frigida leuamentum afferre potest, quoniã humor calore noxius est, ac quamuis diuersa etiam causa dolor moueretur, posset tamen eum frigore suo, mitigare sensum dentium frangendo, quod facilè facit, dentibus non suomet corpore, sed alterius contagio sentientibus, & natura sua frigidioribus. à frigore facilè omni spiritu priua-

A tis, propter quam causam, & cerebro, & omnibus ab eo profectis, vt neruis, ossibus præcipuè verò dentibus frigida aqua inimica ab Hippocrate appellatur libro de vsu humidorum, & libro etiam aphorismorum. Nec mirum tamen, quod oleum amygdalarum dulcium, aliquid contulisse visum sit, quoniã causam doloris molliter dissoluit, atque delinit, minus, quam alchymilla, idem fecerit, quæ adstringendo iuuare eos dentes queat qui natura sua, mollieres sunt, vt ex corrosione planum est, & cũ eo partes in seipsas colligendo humoris defluxum sustineat. Superioribus temporibus quamuis sæpè ad sibi abstinentiam confugeretur, tamen, neque ventriculi malum leuius fiebat (nisi interdum exiguo admodum spacio) neque dẽtibus dolor inferebatur, quod aluus crebro corpus B expurgabat, nec materiam dolori reliquam faciebat. Ventri autem abstinentia non conferebat, quoniam per illam humor potius vtilis quam noxius consumeretur, noxius nõ nisi purgationibus diminutus demũ natura, & victus ratione potuit superari, quibus tandem, quidem ita poterit spero superari, quod ex dentibus etiam malum abstrahetur. Post venationum vsum quibus à prandio operam dares, is dolor accessit, quoniam caput sub sole ad tãtum apparatum adductum est, quanto ipsum ad admittendum humoris appulsum idoneum fuerit. Remedijs nullis dolor cedit, quoniã ex rheumate fit, quòd cum vna, & reprimentibus, & discutientibus tractari velit, eorum moderatio difficilima est, nec nisi summa dexteritate C adhibenda, aliquam afferre vtilitatem solent, semperque periclitamur, ne aut tantum comprimamus, aut materiam noxiam intus includamus, aut tantum relaxemus, vt fluxionem concitemus. Purgatio autumni tempore facta nihil dolorem imminuit, vt neque illa verni tempore ventri contulit, quia quemadmodũ quotidie experimur purgationes raro admodum satis possunt corpus expurgare, vnde non, nisi spacio accedente, quo victu, & naturæ opera satisfiat vtilitatis earum fructus percipitur, quod tum omnibus purgationibus euenit residuum aliquod ferè relinquentibus, idque commotum, & inhalitus magis effusum, vnde magis etiam noxium sentiatur, tum verò maximè ijs, quas capitis causa Medici moliuntur. Capite sero admodum materiam purgantibus con- D cedente, intereaque venis ipsius, quæ eo humore imbutæ sunt eius genere affectis, vt ut ille consumitur, aut paulatim detrahitur nouum, sibi prioris similem humorem propagantibus, & quod detractum, aut absumptum est restituentibus. Iam verò tardius in dies is dolor soluitur mitiorisque molestiæ fit tempestate ipsa, & vsu aquæ, vnde humidior; & abundantior factus ampliorem quoque locum arripit minori cum dolore. Ventriculus ex aquæ potione incocto cinnamomo euasisse melior videtur, quod in corpus pluries purgatũ incidit, ac si quid humoris alieni reperit, illud minus commouet, minusq; ad stomachũ excitat, illius anhelitum. Sunt porrò quædam vina, quæ difficilius delabantur, quam eiusmodi apparitionis causa, vt vrina austera, quæ etiam sæpè difficilius E superentur, & sursum efferri consueuere, ex quo aquę vsu etiam somnus actior, & vrinæ minus coloratę fieri potuere, præsertim, quoniam illa minus, quam vinũ humores per vrinam mouet, vnde minus etiam sẽdimenti in vrinis cernitur hoc maximè tempore, quo corpus, & purgatiuis est, & melioribus coctionibus nutritum, vt ex aluo figurata intelligitur. Sic alteri generi capitum, quo ordine illa scribis responsum videtur. Insequuntur reliqua ad curationem, & mali vitationem spectantia, quibus, vt respondeam naturæ, tum mali, tum corporis, atque illius consuetudo præter alia omnia sub aspectum constitui debent, vnde ratio omnis administrationis ducenda est.

Notitia corporis, iam diu animo præcepta nobis est,

est,& literis,etiam consignata,consuetudo præcipuè, quæ ad dentes pertinet maxima semper fuit, cum rebus non solum frigefacientibus, & exsiccantibus, sed magnopere frigefactis. Mali natura plane ex summa dentium labe summaque infirmitate, & rheumate,seu defluxione indies redeunte constat defluxio est humoris,quidem calidioris aliquãto, & tenuioris etiã generis,qui alioquin,tam citò neque dissiparetur,neque deflueret,minus sublimes,seu extimas partes tam facilè peteret. Verendum tamen est ne aliquid etiam crassioris, & frigidioris generis altius perpetuò insistat, quod per se dolorem mouere non possit in meatibus maxillarum,&dentium admodum laxis,& corruptione vetusta apertis versans, calidiori autem altero influente fusum, & excitatum causam doloris adaugeat.

Nam & suopte vitio maxillę vna cum dentibus infirmæ, vsu verò frigidorum, & exsiccantium magis refrigerata, squallentesque redditæ proprium alimẽtum minus belle conficiunt,& recrementa frigidiora pariunt, nedum à cerebro,secundũ neruos demissam pituitã possunt sua infirmitate admittere, qui humor non solum propter meatuum laxitatem, sed propter sui cum osseis partibus similitudinem minus noxius esse potest, quin calidiore humore abeunte subsistit, conueniens enim naturæ molestũ esse non solet, neq; suo corpore humido vrgere ea loca quit, qua laxiora facta sunt, aut graue esse debet cum in locum abrasi corporis suffectus sit.

Hæc natura mali est, quæ quidem perpetua nõ est, sed indies discussa à facto identidem influxu indies reuertitur, ita defluxionis ratio potior censenda, ac magis opera danda, quo minus humor nouus delabatur, quam vt delapsus decedat, cum per se dissoluat, quocirca consultius adstringentia,& refrigerantia adhibebuntur, modo infirmitatis, & frigiditatis mandibularũ, & dentium vna, & corrosionis eorum ratio non parua habeatur, ne maiorem in modum refrigerentur,& infirmiora fiant. Est ergo cauendum maximè, nec calidis medicamentis nouus à capite,& toto corpore humor alliciatur,cum cõtra austeris defluxio ipsa inhibẽda sit, & repressis humoribus repellenda, quod quiescente dolore maximè faciendum res ipsa monet, nam si calidorum, & discutientium vsui locus est,is vigente dolore,& potius inclinante est, tamen quoniam causam calidam potiorem habet eo etiam tempore refrigerari vult.

Quam ob rem quamquam magnos Medicos videmus in dolore dentium materiam calidis elicientes, quamquam tumores in dentiũ dolore vtiliter in gingiuas efferri,eam tamẽ hoc loco rationem, sequi non debemus, siquidem illa runc perpetuos non redeũtes dolores emat,non eos,qui statim per se cessaturi sunt & postea reuersuri metuuntur, sed qui discuti per se non solent, & manendo non tentationibos repetẽdis torquent, quorum princeps curatio est, vt finiantur, non vt reuerti possint.Defluxionum curatio ergo pręcipuè instituenda,hoc est futuro dolori occurrẽdum, dolori verò etiam leniendo dum est opera danda.

E Tollitur omninò defluxio materia detrahenda, & quoniam id fieri non potest reuellenda, aut deriuanda, aut certè repellenda, detrahitur purgatione præcipuè per aluum,quapropter cum aluus fusior crebro erat,ij dolores feriabantur, ea etiam prouisione quo minus ea generetur. Purgatio absolutior fit, cum purgatis per aluũ vicinis ei partibus remotiores quoque non modo per aluum,sed per vrinas, & corporis ambitum repurgantur. quorum administratio, & tutior, & expeditior est.si prius nulla re prohibente sanguis ipse missus fuerit, quod oportuno tempore omninò faciendum consulerem,atque in ijs,quę per ambitum inutiles humores exhauriunt ponerem non solum frictiones, & balnea capiti etiam adhibita, non

A solum exercitationes, sed illas sudationes,quæ epotis medicamentis habentur, vt china, vt salsa parilia, vt guaiacum, in quibus quoniam capiti maximè consulere oportet salsa parilia principem locum mihi habere videretur,cum guaiaco tamen composita,& ijs, quæ illam magis naturæ corporis, & humorum aptarent, vt radice dulci, violis, iuiubis,prucnis,& id genus humorem acrem, & nigrum mitigantibus. Interea autem dum oportunitas temporis exspectatur leuioribus aluus crebro citanda erit, quo spacio catapotia capiti aptissima secure queunt adhiberi,quæ cũ ad genus detrahendi humoris sint deligenda haberent aurearum, & cochiarum partem, paulumq; veratri nigri, vt si ad ℥. 1. catapotiorum gr.6.illius adijcerentur, aut etiam 8. vt vt benefecisse visum fuerit.

B Reuelletur porro materia modis ijsdem, ac deriuabitur etiam si propius, inde vbi dolor est admoueantur ea,vt frictiones scapulis,& cucurbitulæ,quæ cum ferro, & incisa cute quandoque applicanda sunt, & tandem proximè ipsi ceruici sub mente etiam nonnulli dant. Sed defluxionis dicta ratio vetat, vt etiam ne gingiuæ incidantur, quod humori in parte firmato extrahendo faceret, nonnulli venas sub lingua, & in labijs aperiunt, quod ferè eodem censu habendum. Repriment autem, & repellunt materiam, quæ partem colligunt, & constipant, vt adstringentia, maximè si frigidioris naturæ sint, & (vt partis habitus postulat) etiam penetrantis. Vnde Medici materiam idoneam ferè acetum statuerunt.

C Nos hic conditionem dentium spectantes ne acetum apertis, iam corrosione nimiũ vijs neruosas partes acrius feriat; quod alioquin illis tectis præsertim calidioribus modificatum maximè esset oportunum, vitabimus, & in eius locum, aut vinum album austerum, aut succum malorum punicorum sufficiemus. Ijs equidem vterer, cum solis, tum ut incoquẽdorum materia, quibus camphoram, etiam immiscerem, vt eorum vim iuuarem, neque aquæ frigidæ fiderẽ, qua nihil dentibus inimicius creditur,nisi caloris, & inflãmationis sensu maximè vrgente. Sunt enim derecti dentes, non sicut articuli,quibus ad discutiẽdum vtiliter interdum infunditur, nedum ad reprimendum. Incoquenda autem ad materiam propulsandam illa idonea sunt. Lentes sine corticibus bis cocti, melius

D santala,cornu cerui,quod quidam volunt ex aqua coqui in olla cruda, vel ad ignem per destillationem liquefieri. Radices quinque folij, tormentillæ,bistortæ, rosa, myrtus, mala omnia præsertim cydonia, & punica eorum maximè cortices, & flores. Alchimilla radix,& mori, thus obsoniorum,millefolium,galla, sanguis draconis,sal,& alumen.

Refrigerium adiungunt,violant.nymphæa,alsine, lactuca, atriplex, fragaria, ranæ si placet, radix plantaginis,rumicis,acetosa,vel eius semina,vt portulacæ pariter folia, & semina,parietaria, quæ dolorib. summe facit; papauer, solatrum, semperuiuum, hyosciamus, cuius semina huic malo proprie accommodata videntur; & cum à dolore coacti sumus etiam poma mandragora, & opium. Dolori enim præsenti cum leuiora non iuuant, & viribus ille minatur ad narcotica confugimus, Sed cum is dolor eiusmodi non sit, ab illis ego abstinerem. Illis verò vterer,nempe aqua tepida, cum oleo amygdalarum dulcium, uiolaceo, de nymphęa,ex semine melonum cucurbitæ,chamęmelino, & ratione rheumatis etiam rosaceo, & myrtino,quibus vinum album admiscerem. Incoquerem quoque passulas, quæ cum corticibus rheumati occurrerent,radicem dulcem,sebesten,althæam semina lini, & sapam imponerem cum dictis oleis, vel sesamino illo, quod fit ex luteis ouorum,& ex chrysomelite, atq; etiam anethino, nisi fastidium moueat. Mel in ijs numero,quod calfactum,& in oui testa coctum iam discutit, quod si valentius, & ad penetrandum aptius

aptius velimus ad ignem stillare faciamus. Sed tunc extrahendi fortè nimiam vim habet, vnde cum alijs mitigandum, nec nisi apto tempore, & dolore inclinante dandum. Dolore enim extrahentia postulante, si vnquam id contigerit ad alium ordinem est cōfugiēdum; quæ vino potius, quam aquæ incoquemus. & guaiacum, quod dignitate quadam primum pono. Radices verbasci, filicis, calthæ scabiosa, radix aquilegiæ, imperatoriæ, iridis ononidis valerianæ capparis, in quo adstrictoria, etiā vis est. tamariscus in quo eadem est, & inde magis extrahit suo præsertim fructu, quibus similis est hedera, macis, ac si vis piccæ pinique folia, ac ligna pinguiora, rosmarinū pulegium hyssopum, asparagi radices, coriādrum, spica, & dentibus amica lentiscus; mastiche, thus, terebinthina, nardus Italica, nux moschata, piper, gingiber, nigella, pyretri maximè. Semina e gummi iuniperi, quod per fumum etiam iuuare solet galbanum myrrha, storax, nitrum sulphur iuniperi oximel, & illud compositum, & potissimum ex scylla, proprie facere creditur cum supradictis aliquo liquore incoctis dilutū, vel similibus, vt polio, ruta, origano, mentastro, garyophilis, synapi chelidonio tapsia, euphorbio, hermodactylis, thytimalo, Cucumeris syluestris radice; vrticæ, bryoniæ, aristolochiæ, cyclaminis, & vtriusq; ellebori; staphideagria, colocynthidæ, proponit Rasis suam illam ad hoc theriacam, est Andromachi etiam & similia multa generis opiatorum. Compositorum ego infinitam rationem non sequar. Forte illud in dolore non ineptum, quod ex melle, cui luteo tosto, & sapa fit, ad digerendum radices cannarum, & chynæ, tum salsam pariliam, nec minus betonicam, & similia incoquerem. Valentius extrahi illud, quod ex caphare, pyrethro, tamarisco, elleboro, & radice cucumeris syluestris conficitur. Quidam vtuntur oleo, cui incoctæ sint vrticæ radices, alij, galla, pyrethro, & melle ex vino. alij, corallio, pyrethro, maci, id est mastiche. Alij caphura, pyrethro, & terebinthina in linimentum coactis. Tu posses pyrethrum reijcere, propter caloris metū, alioquin enim terebinthina, & caphura essent accommodata, & dentibus amica. Quidam faciunt gargarisma ex saluia, ruta, origano, pyrethro, hyssopo. ellebori nigri radicibus, tum cucumeris syluestris, tum cyclaminis. Sed vt dixi potius in doloris cessatione, ego supradicta astringentia applicarem, hęc enim non nisi in doloribus, quando firmiores fuerint, locum habebunt. Frigida nimis, & frigefacta declinarem, narcoticaque apponere coactus, illa semper cum castoreo, & croco, certè componerem, & potius recenti theriaca Andromachi, quam alia compositione ex opio vterer; imò dentibus corrosis illam ipsam theriacam, cum sapa probarem. Quod si gingiuæ tumerent, tunc propriè aquam, aut vinum in quo pimpinella cocta esset, præciperem. Verum cum exterius malum descendat, non est contemnenda illa iniectio remediorum in aurem lateris eiusdem, quæ, aut repellat, aut etiam leniter discutiat, vt oleum rosaceum, cum lumbricibus, & alijs, quæ Medici scriptores proponunt. Exterius quoque partes, aut siccis, aut humidis fouerem, & oleis supradictis illinirem, sed nimius fui in his. Illa enim potius requiris nimirum, quid arbitrer de aquæ potione. Eam sanè ego, ita permitterem (nam in defluxione permittenda est) vt ne vini potio ei insolentior euaderet, nam aqua præsenti quidem ætati nimirum florenti è summo incremento caloris facilis est, inclinanti autem, vt paulo post fiet, inutilis futura est vino contra multas vtilitates ei ætati ad vitam nutriēdam, & producendam, habente, quare eius consuetudine priuari huius naturæ corpus non debet.

Ac quo saltem Celsi præceptum seruemus, nempè, vt habeamus, quo in morbis confugere possimus in bona valetudine vinum est concedendum in eo præ-A sertim homine, qui in eius vsu nimis sanè temperanter se gerat. Quiescente ergo fluxione vini omninò vsus recipiendus videtur, interea interpositis aquæ potionibus, vt vsu veniet modo, aqua modo vino adhibendo vis vini frangatur, quæ omninò vt fit, incocto cinnamomo, & immixto sacchari, paulò patari debet, nihil enim aptius, aut visceribus amicius ei incoqui potest. Guaiacum nimis medicatum est, nimisque exsiccans, ex cuius vsu longo vasa venārum exsiccantur, & renes maximè, & inde crassiores humores redderentur. Cum opus erit id valentius, & breuiori spatio dandum crederem, vt supradictū est. Simplicitas cibi probatissima est, & de ea satis literis nostris notatum, vt de cœna minimè dimittenda, renum saltem causa quoniam in hoc genere corporis B facilè labem aecipiunt, à sicco, quin potius tantūdem ipsi prandio detrahendum, quantum cœnæ concederetur. Fructus, & quæ fructus nomine mensarum instructores intelligunt, auferendi non sunt, dum hanc valetudinem alioquin firmam habemus. Nam corpus non replent, & aluum faciliorem seruant, quamuis etiam adstrictiores essent, cum eorum plurimi abstergant, & omnes inutilem materiam ventri importent, quæ citò delabi solet, & alia recrementa ad se inuitare, quæ cum ea exeunt. Exercitationes verò illas retinerem, quæ corpori magis solitæ, & maiori ei voluptati sunt, in quibus ego numquam illas probare potui, quæ, aut longius ducuntur, & nimios sudores diutius mouent, aut duriori saltu in equis agitandis C habentur. Quando enim illa equorum agitatio, tam placet, in illis equis haberi eam vellem, quę lenius faciunt, at omninò tunc agitandi finis faciendus est, cū sudor sentitur, in Sole numquam exercitationem, aut ambulationem esse tutam huic capiti crederem, præsertim nunc defluxioni, ita obnoxio, quando etiā benè valens Solem passurum hac natura, caput nō credam. Capitis lotionem prætermissam inutiliter suspicarer, & inde capitis maiorem repletionem futuram crederem, quemadmodum balnea, quibus assueuit vt de more fiant dimissa toti corpori onerando essent, quare vtrumque morem retinendum censerem. Neque porrò video vllam lotionis capitis metuendæ causam, quando ne imprimat aliquid ea citò, & rectè potest adhiberi, vt semper factum est; & omnia caD ueri, quæ mouere nimis possunt. Commodum potius ab ea dū solita est exspectarem in eo maximè capite, quod tenuiorem, iam defluxionem à se promittit, per lotionem namq; materia tenuis, quā commodissimè posset dissolui. Nescio, an aliquid omiserim de locis propositis, cui nō responderim, nam crede mihi tempus angustissimum his scribendis fuit, & caput dictationem longiorem, non sustinet, alias fortè subtilius rescribam, quod tamen opus, non esse malim, qui nihil iucundius vnquam sum ex tuis literis accepturus, quam Serenissimum Dominum benè valere, & beate viuere. Vale. Veronæ 7. Cal. Februarij. 1583.

De Ioanne Antonio Maudellio febre, & sanguineo mixtu laborante.

E

CONSVLTATIO CLVII.

QVæ erant explicanda pro consultatione suscepta, & quid vere in ea deliberandum copiosissimè, & discretissime. Vir Doctissimus est persequutus, quo tamen res omnis sub oculis magis, atq; magis explicata constituatur, ego eadē repetam, & pro viribus exponam. Tria ab ipso constituta sunt, stomachi dolor, febris, & vrinæ sanguinæ minctus, quod is non à rupta vena fit, quoniam maiori in copia esset, minus cariosa, quoniā non esset, sine aliquo pure, non à vesica, quoniā dolor nullus est; sed à renibus

bus & aperto, quidem vase, quoniam habet leuamẽtum ima alui post illius minctum, & quoniam in imò residet sanguinis crassamentum. Febrem autem ipsam dixit habere causas obstructiones, quæ ab humore pituitoso genito ex infirmitate ventriculi, & malo viuendi modo, qui pituitosus humor à calore iecoris in venas attractus eas obstruat, dolorem verò ventriculi à pituita in eo residẽte. Remedia ventriculi danda oximel, mel rosaceum, fomenta, purgationem pituitæ cum hiera, quemadmodum prius factum est; fomentum ex anetho, chamæmelo, absinthio, rosis. Illitiones ex vnguento nardino, & oleo mastichino. Febri per eadem occurrendum, renibus autẽ addendo syrupum de radice dulci dictum de liquiritia, & post purgationem emplastica dando, vt bolum armenum, atque adstringentia, vt rosas myrtos, trochiscos ex carabe, proponit etiam lac ouillum (si calculi suspicio non sit) vt græcis, & latinis probatum, & demum inunctiones, quibus etiam vsus est. Vinum prohiberi non posse, quia renuit omninò cibum si non concedatur. De quibus ego, vt disceptem dicam primũ de sanguinis minctu, qui sanguinem satis aquosum mihi habere videtur, & cum lotio penitus confusum, vt malim appellare sanguineum lotium, & sanguinem aquosum, cum hac adiectione, quam sanguinem sine ea, videtis enim, quod nũc postremum minxit ferè sanguinis colorem non habet, nedum corpori eius crassiori caret, alios minctus videtis quidem rubentiores, & colore sanguinis pulchro affectos, & in imò etiam crassamentum rubore nitente habere, tamen non est tantæ crassitudinis, quantæ sanguis esse consueuit, esto verò, etiã in imò consederint, etiam aliqui grumi, illud in omni sanguine ex parte aliqua fieri necesse est, cum frigescit, alioquin sanguis penitus esset, sed humor à sanguine remotus, tenuis certè is sanguis est, & toto lotio confusus, nec ab illo quit secerni, nisi crassiori sui parte cum refrigeret. Itaque per diapedesin non illam tunicis venarum laxioribus factis, sed alteram per osculorum minorum referationem. Maiorum enim vasorum referatio plus, & crassitudinis maioris sanguinem deferret, & illa non nisi à multitudine, & onere nimio ipsius aliquo quidem, quandoque morsu coniuncto, sed etiam sine eo fieret, qua multitudine satis imminuta profluuium quiesceret, quod sæpè in multis fieri ex longis interuallis vidi, sine vlla valetudinis noxa, in quibus, vt vt copia congesta esset, sic eo profluuio detraheretur, ipsum verò ea sublata protinus quiesceret. Verum hic ipsa copia non est, quando paulatim indies effluit, & nullum diem intermittit, & tenuis est, vt à parte cernitur, cum subito vrina processit antequam aliquantula sui parte cõcrescat, quare tenuitas sanguinis causa est cur retineri non possit facile, mordacitas autem cur venæ aperiantur, non maiores, quoniam non est necesse, neque satis causæ in sanguine tenui, sed minorum venarum ora ei emittendo satis faciunt, propterea sola aperiuntur, ac morsum adesse in vasis indicat ille morsus, quo etiam vrina emittitur. Morbus ergo renum in relaxatione vasorum, & acrimonia, & tenuitate sanguinis consistit, quę acrimonia, & tenuitas, non mihi videntur à bile esse, sed à pituita salsa, nam videmus bilem, cum ad renes peruenit nũquam tantæ acrimoniæ esse, quantæ pituita salsa est. In ictericis infinitam bilis copiam, & crassissimæ emitti cernimus, & nullum morsum afferre, ardorem tamẽ vrinæ fieri vrinis aquosis plerumque biliosis, & crassis perquam rarissimè. Salsedo enim in exusto corpore nititur, vt amaror, tamen crassitudinem maiorem in partibus, quibus nititur, & detersionem, & asperitatem longe molestiorem habet, in bile verò etiã amaror pinguedini cuidam humoris implicitus est, qua lubricus, & lenis humor fit, & asperitas, ac morsus oblinitur, nec nisi diu moretur sensum sui faciat, &

A gustui potius illum, quam tactui afferat, etenim quãuis gustus sit, quidam tactus, tactus tamen simplici, ter non est crassiorique spiritu, at gustus delicatius corpus, & spiritus penetrantiores postulat, ita gustus non ab omnibus, quæ tactum afficiunt ipse quoque mouetur, neque tactus ab omnibus, quæ gustum, à salsis quidem certè magis, quam ab amaris tactus infestatur. Salsa pituita tenuis est, & serosa, & in hoc pituitæ naturali satis similis, propterea sua copia sanguinem tenuem reddere potest, qui tenuis quoque esse quit, & serosus, quoniam minus bellè conficiatur, vnde reliquæ videntur causæ constituendæ cur salsa pituita abundet, & cur sanguis non benè conficiatur iecur in causa esse oportet, cuius opus est ipsa sanguinis generatio, & frigidius factum esse debet, si B sanguinem imperfectum ad partes frigidiorum humorum inclinantem debet procreare.

Nam quamuis à quacumq; δυσκρασία cruditas fieri possit genus, tamen cruditatis generi δυσκρασίας simile fit, calida enim cruditatem biliosam in iecore, vt nidorosam, & biliosam etiam in ventriculo facit, frigida autem in iecore pituitosam, vt in ventriculo, quoque in quo sic pituita crudus humor vocari consueuit, vt bilis porracea est.

At iecoris frigidior natura, non videtur in corpore generis calidioris potius ventriculo frigoris causa attribuenda à quo suggesta crudior materia iecori grauior est, quam vt possit eam in sanguinem meliorem conuertere, quod iecur si calidius esset, etiam idoneum foret salsæ pituitæ ex ea cruditate gignendæ, C illa enim à superante nimis salsa fit, postquam constitit, à ventriculo ergo suppeditata cruda humoris copia plurima sui parte pituitæ naturam retinet, sed salsa à calore fit, nam infirmitas iecoris illam superare non potest, in similitudinem tamen suę δυσκρασίας quam maximè potest, adducit.

Verum calida iecoris dyscrasia necessario, etiam bilis modum maiorem crearet, quod quidem hic non videmus.

Crearet verò, quamuis materia esset crudior, quoniã in ea partes dispares semper sunt, & multæ etiam tenuiores, quæ in bilem necessario conuertuntur, nedum iecore calidiori in quo multæ etiam crassiorum, in tenuiores deducuntur.

D Itaque ego non possum eam salsedinem in iecoris calorem referre, sed in alteram duarum causarũ quarum una in senibus, frequens est, altera in hoc sene nescio, quo casu adiuncta.

Prima est, quoniam pituita in senibus serosa tardius deducta propter moram, & propter squallidam naturalis caloris, quandam duritiem à senio acquisitam solidis partibus siccioribus, & terrenam naturam magis referẽtibus salsedinem facilius, quam in iuuenibus calidioribus acquirit, in quibus expultrix valentior citius excremẽta eijcit, & solidiorum partium calor minus aridus, minusque durus est. Altera causa febris est, quę ipsa quoque est perspicienda si prius de renibus sermonem compleuero, nam præter tenuitatem sanguinis, & salsedinem, laxitas etiam renum fuit E inducta, cuius suspicio ex vno fluore sanguinis colligebatur, at quomodo subesse possit laxitas salso humore ad colligendum potius apto, & valenti, & ætate potius solida membra sicciora sortiente, atq; adeo etiam magis dura, & rigentia, quam laxa.

Vt quidam potius suspicari posset sanguinem hunc aquosum mingi, quoniam renes minus suum alimentum conficiant, minus retineant, quorum munus est sanguinem à sero separare, & eo in alimentum retento serum, seu aquam eius puriorem dimittere, propterea cuiusdam sanguinis minctus causæ duas partes Auicenna faciebat, alteram coctionis, quam ipse digestionem vocat, alteram discretionis, quasi discernẽdiue opus aliud sit ab opere cõcoquẽdi, seseqũe

feseque alendi, & sui attrahendi retinendique alieni A vero excernendi, quod tamen aliud non est. Vbi ego cum hac osculorum laxatione puto necessarium esse huius coctionis, & separationis vitium, nam etiam in lienteria, idem fit; retentriceque suam operam non præstante concoctricis opus necessario impeditur, & laxitatis osculis venarum corpus quoque renum eadem causa laxari consequitur, cum eo, tam venis, quã corpori renum præsens sit, quare sicuti in anastomasi maiorum ob copiam sanguinis facta, & natura excretionem tentante, non est necessaria vasorum, aut carnis renum laxitas, natura ad excernendum tantum eas partes conuertente aperienteq; stimulo coacta, vnde post excretionem ad suum statum reuertantur, neque sanguinem amplius effluere permittant, sic laxis renibus numquam fluxio cessat, cum retentrix infirma facta sit. Immo vna etiam tunica interioris sinus laxari debet, quæ admittat in se sanguinem demissum à venis, & carnibus renum, cum ille in sinum carnibus propinquum lapsus est circumsistitque ei membranæ, nempe sinui medio interiori chyrotecam referenti, & tunica illa sanguinẽ in hunc medium sinum per seipsam labi sinat; neque hoc mirum esse debet, cum tunica pulmonum, idem faciat, quando thoracis cauitas pituita referta est, & pariter tunicæ trachææ, quibus carthilagines σιγμοειδεῖς colligantur. Qua non solum ichores, & dictam pituitam, sed sanguinem crassum pulmonum per se fluere, & demitti sinunt, aditumque laxissimum præbeant, quoniam non solum floridum, & tenuem sanguinem, à corpore nimirum pulmonum sputo duci videmus, sed crassum etiam, qui tum ab apostematibus pulmonum, tum à thoracis venis, tum autem ab apertis pulmonum venis qui maximè per anastomasin sæpè crassus effluere solet, & etiam per vasorum ruptionem, vt Galenus monet. Membranæ ergo sinus renum hoc contingere nimirum nõ est, quæ perpetuo aditũ sero præbens detersa esse debet, & meatibus liberis quamuis fibrarum corpore duriori. Neque culpa minctus sanguinis in huius membranæ laxitatem vnam referenda est, quod nimirum laxioribus meatibus factis sanguis non retineatur, neque solum serum exire permittat, nam instrumenta naturæ non sunt penitus artefactis similia, & cum dicimus renes factos ad serum segregãdum, & tunicam hanc D esse illud, per quod serum percolatur, non debemus intelligere, quod sanguis corpore suo pleniori meatibus membranæ occurrens, neque exitum idoneum inueniens, retineatur, vt in atrio cribris videmus fieri, sed quod sanguis in carnibus renum vi retentrice comprehenditur, continetur que, & serum exprimitur, postquam sanguis per coctionem fuerit separationi idoneus factus, vt apponatur, & appositus inhærescat, & serum segregari excernique permittat. Nam quamuis serum propriè renum recrementum non sit, tamen eorum excretione effertur, & ab alimento eorum omninò separatur, vnde nisi id fiat, videmus quod nunc accidit id alimentum, cum sero excerni; quapropter auderem dicere, serum non esse quidem renum recrementum, tamen eorum excrementum. Itaque non est dubitandum, quomodo E ætas siccior solidas partes duriores nacta possit illarum laxitati obnoxia esse, nam fibræ sunt sicciores, & constricti corporis, ac duri in senibus, meatus tamen qui sunt interualla contextionis earum, quo illæ magis in se propter siccitatem constringuntur, illi laxiores relinqui debent, virtutis verò partium similarium retentricis, etiam robusto instrumento facto; organica tamen vis instrumentum ineptius habere potest, vt si fiat imbecillis, longè infirmior euadat structura sui organi sic extenuata, & consumpta, nedum decursu longo vrinæ detersa labefactaque, quare in senibus facilè fiunt hæ noxæ; quæ magis ariditatem sequentes potius ad generationem lapillorum, & arenularum renes adigunt siccitate calorem ad lapidis confectionem aptum faciente, & ad salsedinem.

Meatuum verò detersione, & laxitate illa etiam ad sanguinis minctum. Atque hactenus de mincta sanguinis. Est stomachi, seu ventriculi dolor, cum maxima auersatione à cibo quamuis sitis multa hactenus non fuerit, id in pituitam relatum est, & iure quidem quoniam ab alijs humoribus sitis esset; hæc verò facilè gignitur in eo ventre, qui vsu vitæ intemperantissimæ in cibo, & potione hac ætate demum potuit infirmus euasisse, eo maximè, quod summis animi doloribus vexatus fuit, & rebus maximè aduersis demum post longum rerum secundarum vsum B exercitatus, vnde vigilijs, & animi mœroribus, & sollicitudinibus spiritus, tum consumpti, tum à ventriculo in cor reuocati sint, ipseque venter minus benè concoxerit, & cruditatibus fuimet refrigeratus alias identidem, & maiores faciat, ex quibus pars aliqua postquam à iecore suscepta est, per venas rursus in ventriculum remeans inrra tunicas, cum alimento infigatur, & dolorem faciat, præsertim aliquam malam vim à mora nacta; qua tandem etiam sitim factam postea audietis, nisi ventriculo perniciem suam sortito. Nam vereor ego à febre, & ipsa febris longè maxima me terret, & quamuis ego ne quidquam inexplicatum relinquerem duos suprapositos affectus sim persequutus, præsertim, quod video eos magnifactos, & ad curandum propositos, vt neque ve- C ritus sit vir doctissimus lac præcipere, tamen vna me febris ad se reuocat, quæ etiam ijs remedijs quæ duobus superioribus officerent curanda tamen esset. Nam renum malum ei familiare est, & nisi longas inducias daret saltem diu traheret, testes esse possunt vobis multi ægroti, & senes qui ab eo totos annos tẽtati sunt, & vitam tamen satis commode duxere, ventriculi quoque malum longius trahere, cum vita potest, nec tam vrget, quam febris, quæ meo quidem animo adeo pestifera est, vt parum spei vitæ superesse credam, igitur totis viribus ei vacandum credo præsertim, cum in delectu remediorum ipsius possumus quoque aliorum affectuum rationem habere, nedum ipsa potest sine illorum curatione remoueri, quin contra illi, sine ea numquam possent. Nam febris è putredine est ad putredinisque remotionem solam remoueri potest.

Putredo verò salsam potest reddere vrinam, & minctum sanguinis citare potest humores dissipatos ad ventrem dolore maximo propulsare, illa ergo extinguenda, reliqui affectus leniri possunt. Putredinis, necessario humor, & locus est cognoscendus. Locum pertinere ad renes est verisimile, nõ solum, quoniã videmus per illos materiam expurgari, sed quoniam semper imbecilli aliqua parte existente, cum febres, aut putredines superueniunt, malum maximè ad infirmas partes solet considere, quod etiam Hippocrates in aphorismis notauit. At iecur quoque affici suspicio est, cum sanguinem sic aquosum videamus, & semper summe soleat à renum sibi coniunctissimorum malis affici, vt contra etiam renes iecore male habente noxam sentiunt, & alterius noxis, cum mutuo vtraque ferè affligantur. Iecur quoque hic cum renibus affectum esse credibile est. Itaque locus putredinis in venis maioribus esse potest, quæ ad iecur, & renes communiter pertinent. Vnde dorsi dolor, & totius corporis grauitas omni venarum genere, cum potioribus ijs affecto; & ijsdem humoribus onusto, nõ onus eo, quod sanguis minus idoneus est spiritui gignendo vimque augendam, sed contra ipse viribus carens illi oneri est.

Præterea nullam accessionẽ febris obseruatis, quoniã istud genus humoris in medio corpore putrescit.

De

Dehumoris genere namque sic conseo esse quidem pituitam,& etiam limosum sanguinem, at quoniam sanguis malè perfectus est fere vniuersus corrumpitur, cum enim humor ad suam absolutionem non est perductus sui caloris vim non est consequutus,ita infirmior est, & facilè putrescit,quoniam minus firmus calor educitur facilè, quod facilius fit, quoniam partes quoque continentes infirmiores sunt ætate, victus genere, & febre, tū eo maximè quod excrementis hoc corpus suapte vi humidum ab ortu semper abundauit, nunc verò illis crudis abundans calorem infirmum, & excrementis occupatum habet. Vnde grauitas corporis magnopere augeatur,quoniam non solum in venis sed in arterijs, & solidorum spatijs eadem recrementa versentur. Indeque verendum ne succis tam ad putrescendum pronis à continētium partium calore minus moderatis fotisque aliqua pestifera corruptela fiat, & febris maligna euadat quæ febris hic satis leuis videtur, quoniam humor frigidior est, & ætas senior, potest tamen etiam in humoribus frigidis, imò etiam magis esse maligna, cum dictæ causæ putredinis conueniunt humore per se obstructionem sibi crassitudine sua moliente, & perspiratu impedito calorem acuente, inde in putredinem cōuerso aut exustionem propensionem humoris, & infirmitatem continentium partium minus ad conseruādum aptam maior,& maligna sequi potest. Quibus sic expositis cernere videor parum spei salutis esse, magnitudine morbi cum vitij seu mali moris metu potente, viribus autem cum ætate,& genere corporis infirmis. Præterea si quid agendum id omne vires spectare oportere, & ventriculi malum,atque putredinem, & illius causas. Vires alimento sustinentur,vinum tamen vererer ne citius iugularet, non per suum calorem cum febris lenta sit, sed per motum illum quo humores ad locum putredinis impellerentur,& magis hominem occuparent, putredinem augentes non solum materia noua adijcienda, sed onus partibus augendo,earumque vires opprimendo, & obstructiones cumulando.

Iura itaque potius ex pullis gallinaceis fœminis darem incoctis ijs etiam quæ putredini obsisterent nimirum exsiccando, causis autem eiusdem succurrerem; de obstruendo incissione, extenuatione, & apertione, cui verò sic moderarer me, ne profluuium sanguinis augeretur. Acetosa itaque, & nymphæa mihi idoneæ viderentur contra omnia quæ metum faciunt, tormentillæ radix, semen citri, pimpinella, atque etiam betonica, quæ quamuis vrinam moueat, vias tamen colligit, & cogendo solidas partes confirmat, vnde putredine, & profluuio sanguinis subuenit; & pimpinella, & etiam tormentilla, caltha similium virium mihi videtur. Medicamenta alia non placerent, nisi syrupus ex succo citri,& limonibus,& acetosa atque ex ipsa nymphæa cui aliquid ex eo quod scordium habet admiscerem. syrupum de cicorea Nicoli quoque laudarem, rhabarbarū vtile putarem partibus continentibus firmandis,& aperiendis meatibus, & materiæ quoque pituitosæ detrahendæ. Vires non sentiuntur longius in medicamentis aut alijs remedijs progredi, minus sanguinis missionem ferrent.

Exterius admouenda vestris consilijs permitto, nam in hoc plenissimo carnium corpore parum posse existimo ventriculo contra malos humores defendendo, fomenta leuiora admouerem ex œnanthe, absynthio,& similibus,nam iam vomunt; neque compactos iri ab absynthio humores inutiliter vererer. Renibus inunctiones non admouerem adstringentes, nam potius apertā viam debemus seruare. Sed in tam exiguæ spei malo tot dici non opus fuit.

Is quarto ab hoc sermone die extinctus es.



De N. Francisco Spoluerinio febre maligna oppresso.

CONSVLTATIO CLVIII.

Hic dolorem habemus in sinistro hypochondrio satis molestum præsertim post corporis commotionem,& post tussim, habemus cum eo febrem putridam. Est autem verisimile dolorem vna,& febrem eandem causam habere. Dolor ad lienis partes nō pertinet, quoniam lien ad lumbos magis vergit. Is verò dolor parum à medio imi pectoris seu à medio ventris recedit,& ibi sub costis spurijs molestat, vbi sinistra iecoris pars lobum quendam promittit; quare in membranis à peritonæo ad iecur pertinentibus, materiā huius doloris hærere crederem, præsertim quoniam acris est, & pungit, & corpori membraneo fieri consueuit, ita non nisi à motione, & post tussim, quoniam ex ea agitatione halitus è materia hærente commotus, membranas ferit. Ita genus humoris id esse intelligi potest, quod neque mole sua, neque ui acri molestus sit, alioquin eo semper hęrente, vt ad datam omnem motionis occasionem intelligitur, semper cruciaret, quoniam nunquam vi sua acri nisi difficillimè,& longo tempore priuatur. Si etiam mole sua infestaret neque illam facile amitteret minimè verò tam crassus, minus tam acris, vt vehemētem molestiam afferat, ex commotione tamen vehementer cruciat, quoniam exagitatus halitum effert, quare pituitam tenuiorem cum aquosa bile mixtam in eas membranas nimiū infusam conijcerem, & continuo infundi crederem à toto corpore, nam video indicia malę plenitudinis, & malæ febris, mitto quod paucis diebus ter in febres reciderit, neque expurgatus fuerit, mitto quod curas familię regendæ sibi nouas grauius ferat, quam quiuis alius, quoniam non solum non consueuit, sed quoniam naturę timidę,& sollicitæ est, mihi maximum indicium ipse pulsus est, qui in corpore calidiori si iecur spectes, & detectus ac sub cute molli tam paruus est, & creber secunda febris exigua die, vt non possit nō malorum humorum copiam vnde vis grauetur, denotare, eamque tum melancholici, tum pituitosi, tum etiam biliosi generis, sed genereournbilioso, propter anni tempus hybernum, & propter ventriculi imbecillitatem ob curas,& solicitudines partam non admodum, vt solet superante. At pituita cum melancholia potiores partes habentibus, quoniam febris parum acris & valdè tecta esse videtur. Vrinis etiam sine multo calore,& crassiusculis, vt secundo die, nam crassiores postea fieri conuenit putredine vlterius progrediente; Somno non impedito, & siti nulla eum molestante.

Metus subest maximus, qui tum naturam ægri sequi tum morbum consueuit, namque in omnibus negocijs facile metu exagitari, & materia morbi nonnihil ex humore melancholico habet, vnde plus longè quam ipse molestetur malum graue ferat, & metuat de exitu semperque vellet medicum adesse. Pulsus paruitas & celeritas cum crebritate aliquanta, mihi denotat vim vita oppressam, quæ duorum dierum spatio non potuit exigua febre dissolui, sed copia, & vitio humorum quidem premi, propterea vniuersum genus eiusmodi humoribus refertum crederē, ac per venosum genus pręcipuè arteriosum intelligo, nam Galenus libro de plenitudine corporum, tum modo grauari vult, tum ad arterias peruenit, quo sic constituto putredinis natura nobis minatur suo contagio, ne totus sanguis mala copia oppressus inficiatur, nam præter febris calorem, qui afficit, & in feruorem agit sanguinem, conturbatque, & cum malis succis confundit putredo etiam sæpè eius naturæ est, quæ inficiat; quare putredine intra venas versante, & atterias, præserim, vt coniectura a pulsibus monet, non possumus non metuere sanguinem iri affectum, & propter viam latissimam, & frequentē ad cor ipsum maximè nunc esse ipsum oppressum, & inuali-

inualidum fieri vaporibus à putredine ipsum frequentioribus appetentibus. Putrescere namque materiam ibi, vbi congesta in tanta copia est, quanta vires occupet est verisimile, in venis nimirum, confirmatur quoq; in venis putredinem esse, quoniam febris cõtinens est, neq; nisi initio, & secundo item die horrorem habuit, sed secũdo die valdè minorem, vt paulatim ad nihil redactum iri sit verisimile, quemadmodum in horrificis febribus vsu venit, ex quo fit, vt vrinę, quæ serum, & colamentum sanguineæ molis sunt, ita perturbatæ procedant, loco enim quo sanguis continetur vniuersus putredine compræhenso, non potest non etiam serum, & ichores sanguinis cõturbari, & partes minus probè percoctas feruentes colliquari, & cum sero confundi, quod si extra venas fieret putredo, id solum in venas reuerteretur, quod cõfecta putredine superesset, quod per se cõfectum propriam etiam consistentiam teneret, & exiẽs cum vrina vi caloris tota illa confusum calore exoluto ad cõsimiles partes conuersum iterum cogeretur, & sedimentum fieret, vt fiet ẽt si calor naturalis putredine vsus in ea valentior erit, & per illam inutiles humores partim discutiet, partim concoctis similes reddet, tunc enim consistentiam similem nacti, per quam vrinas effusi distincti a sero apparebunt, quod vtinam fiat, futurum verò indicabit ipsa quarta dies, quæ in valdè acutis id genus morbis hoc habet. Verum cur lingua, neq; sicca, neq; lutea, minus nigra, aut sordida est; & vix situm quendam album secundũ latera tenuibus lineis refert? quomodo non a tanta putredine afficeretur vasis eam cõtinentibus ita cognata? Vir sapientissimè ego obseruaui linguam a ventriculi malo ferè affici, non ita a venis, minimè verò omnium a pulmone, nã testes habeo Medicos multos Pisauri, & Veronę, multa cadauera eorum, qui peripneumonia, & pleuritide dicta erant sublati, & inuentos pulmones tumentes, & corruptos illorũ tamen plurimis, nihil linguam muratam fuisse, nisi cũ ad extremum partes omnes mutarentur, quod verò obseruabamus Pisauri cum Excellentissimo Ambiorigio, Samperolio, & Augustino Lucido Anno 1581. & 82. cum a consilijs valetudinis Serenissimi Vrbini Ducis, ibi degerem nimirum totis octo mensibus, quibus ciuitas illa crassantem hanc ferè pestem habebat, nam & 15. vnus non euadebat lingua, ergo ille à vasis illis maioribus magis, quã a ventriculo seiuncta est, ideo potius cum iecoris cauo a quo ventriculo afficitur, quam cum pulmonibus, aut corde affectũ subit, facies potius erubescit, in quam rami maiorum vasorum, proximè pertinent, vnde pulmonibus, & thorace caloris febrilis focũ tenentibus, malæ etiam erubescunt, quoniam illis vasis propinquiores partes sunt. Atque hæc de loco putredinis, & de materia putrescente, & omnibus quæ ad eam putredinem consequuntur. Causæ materię gignendæ in ijs quæ eius suspicionem faciebant sunt dictæ, causa putrescẽdi fuit agitatio corporis per itinera laboriosa, quibus calfacti humores fusi, atq; cõmoti in partes aliquas deducti sunt, vbi refrigescentes, & in crassiorem habitũ reuersi obstructionem fecere suaque natura non benè perfecta caloreq; proprio non bene acquisito firmatoue, facilè corruptionem inciderunt, a qua ẽt illi qui in amplioribus vasis existunt facilè compræhẽsi sunt. Huius morbi natura, magnitudo, moresque ex dictis possũt intelligi, motionis autem ratio nondum põt notari, iam secunda dies finitur, instar tertia, tempus hybernum, cõstitutio niuosa, rigida, nec sine boreali vento, ætas vigẽs est. Quid ergo agendum quid ve sperãdum est? Morbus sane magnus est, & longus esse non potest, cum principes partes, & medium corpus occupet. Metus vero est ne malum morem habeat, neve malè cedat negotium propter putredinis vim & malorum succorum plenitudinem. Quare illa mihi facienda videntur, malus succus subito subtrahẽdus, & putredini occurrendum ne vlterius serpat. Nam hic non permittitur re tam pręcipiti vt coctionem exspectemus, nimis .n. vita periclitaretur, ac minus mali erit si tenuibus humoribus, & ichorosis de-

A tractis, morbus fiat diuturnior, & minus putredini malæ idoneus, quam illis relictis si putredo pabulum nacta augeatur. Detrahendi verò nequaquam phlebotomia, quoniam iam a sanguine malum factum est, neq; præcauendum & nimium boni cum malo educeretur. vnde in febribus malignis iam factis phlebotomia vetẽda vulgò videtur. Si in prima die, aut initio secũdę essem᷑, putredine, nondum increscente, non solum tutum, sed necessarium ob metum a sanguine extantẽ, illud quoq; remedium existimarem, imò nihil opportunius prima die fieri censerem, sed corruptione iam molem humorum aggressa in tãto humorum vitio ego phlebotomiæ non fiderem, quin potius ab ea metuerem, citius medicamento vterer quale esset ex ℥.3. syr. rosat. solutiui, & ℥.2. mannæ. In iure verò quo dissoluerentur non solum

B communia cordialia dicta incoqui vellem, sed fæculã etiam haberi nimirum tartarum, neque ventriculi modestiam magnifacerem, quam minatur, & potiones putredini occurrentes propinarem, vt ex syrupo de succo citri ex acetoso, incoctis, melissa, acetosa, scordeo, pentaphilo, seminibus citri, & eiusmodi alijs. Non præterirem etiam pulueres ex scordeo, pentaphylo, semine citri, cornu cerui vsti, & corallijs, aut smaragdis, qui essẽt tenuissimi ad penetrandum facti. Si ad pulmones, & pectus res progrederetur, quod frigidioribus tempestatibus fit, vt calidioribus ad ventrem, vt in multis vidi, tunc flores nymphææ, scabiosaque, & melissa, & tandem etiam radix helenij iniungeretur, scordeo alioquin illis partibus percommodo. Recentiores putredini consumendæ exhibent guttas ternas in iure ex oleo calchã-

C thi, quod ego non penitus vitauero. Cucurbitulas etiam cute incisa artubus applicarem quo a medijs ad eminẽtes partes putredinem auocarem, at materiam ibi infarcient, minus malum semper est deligendum, dum enim principes, & mediæ partes leuentur putredine remotius acta ab eo exiguo incommodo nil est metuendum, imò sine ferro illas quoque apponerem identidem repetendo. Cibo non extreme tenui vterer, quoniam cõcoctio vitiosæ materiæ hic non valdè speratur, & ita vires non poterunt nutriri, nisi ex noua materia suggesta, vnde in febribus malignis dictis tenuissima quoque victus ratio suspecta est, eadem ratione qua phlebotomia, etenim non minus corpora cachectica, magis nutrita, magis læduntur, sed etiam minus nutrita magis læduntur, itaque mediocri ratione victus tractanda sunt.

D In cibis acetosam, acetumque imponerem, & item in potionibus in quibus etiam cinnamomum idoneũ videretur. Sed instat tempus medicamenti præcipiendi, si tibi potius videtur quam phlebotomia a te proposita, ego enim rationes tantum meæ suspicionis dixisse volui.

Vrinæ tertia die subiugales penitus fuere, quæ in secunda primò optime, deinde cum eneoremate crasso asperoque fuerunt. Quarta delirabat noctu, & item die pulsus semper minor, crebrior, & celerior, vsque ad septimum quo post vrinas clarefactas, & eneoremate nõ admodum aspero pulsus rarior maiorque fuit, qui quidem numquam infirmus visus est, nisi propter paruitatem, quotidie horis meridianis oculi, & facies coloratissima fiebat. Metus quinta die cessabat. Sitis num-

E quam multa, sed a septima nulla penitus. Alui feces luteæ, exustæ. Aluus tertia nocte a medicamentis saltem quamquam reiectum fuerat, liquidior fuit. Clysteribus etiam sæpè abundè soluta. Septima & octaua die vrinæ corpore quidem concoctionem significabant, at eneoremate, adhuc aspero erant; febre dimidia saltem ex parte imminuta, quod in ijs febribus consueuit fieri (sæpissimè enim vidi) in quibus materia, vt vt putrescit expurgatur, neque in summo coctionis incremento summus feruor fieri potest, quod fit cum materia locis apertis, & latis putrescit, quæ vijs expurgationis vicina sunt. Itaque conualuit.

De nobili Christato Cacectico, &c.

CONSVLTATIO CLIX.

VIri sapientissimi nobilis is iuuenis ætate ad summum incrementum iam perducta hoc quo videtis habitu malo occupatur, sub quo tamen hucusque solum facies tumere cernitur; venter plenior quidem est, tensus tamen non ita multum est, potius durum quendã tumorem intus habet, qui ad dextrum ilium vergit, non tamen lõgè ab vmbilico superiorique magis sede, cuius ventris cutis mihi extenuatissima, vna cum cute thoracis videtur, quanquam reliqui corporis cutis à naturali habitu non discedat, solius faciei tumidiore facta. Vrinam cernitis aquosam, alui feces non nisi post acceptas pilulas ex hiera, & rhabarbaro atque etiã agarico plumbei caloris, postea enim melioris coloris visæ sunt. Somnus longus, sitis nulla, aquæ copia ante pilulas multa per os, sanguinis tandẽ profluuium per nares, angustia spiritus, lingua alba, ad tactũ priori sui parte frigida, & mollis tota. Pulsus minimus, & fere rarus, vt febrem non videatur denotare, cibi fuit auersario, verum nunc accipit de eo. Morbus is antiquissimas habet origines, octo nãque ad minimum anni sunt, cum cœpit conqueri de vẽtriculi eodem malo, de quo superius cum cibum auersaretur. Toto vitæ suæ tempore semper aquæ potionibus totis horis vsus est, & tanta delectatione illius tenebatur, vt nesciret ab eius lotione demersu, & inspersione faciei ac potione discedere, vinis acerbis aqua multa dilutis etiam vsus est, à quibus nunc mali metu abstinet. Demum vix alter annus est cum vxorem primum duxit, cum qua tamen ait intemperantem se non fuisse.

Ex his quid intus subsit iam conficiendum, tactu ergo tumorem percipio, & in iecore esse suspicor, nam quamuis deorsum tendat, desuper tamen demittitur, idque tumoris magnitudine esse potest, ex cuius incremento pectus angustiam sentiat; materiam illius frigidiorem tempus indicat longum, & pulsus conditio, & color faciei dilutæ, ac de coloris, inde in omnes partes, quod vis genus humoris procedit, præterquam calidioris, vnde, & ventriculus cibi cupiditatem non sentiat, humore non per frigus sed per humiditatem os eius laxantem id efficiente vnde etiam aqua in ore, & destillatio à cerebro eiusdem generis humorem suscipiente descendat. Vires omnes prompiæ cernuntur, & sanguis è naribus mihi virium continentium infirmitatem significat, & sanguinis etiam vitium, cui verò malo tempus hybernum adiunctum est.

Quibus ita constitutis apparet, malum indicare primò materię infarctę detersionem, discussionem, & quasi abrasionem quæ ante extenuari incidique velit, & demum apertis vijs detrahi, discuti abradique possit; secũdo, intemperiei iam spatio contractæ emendationem. Veiustas mali Galeno videtur nihil indicare per se quid quam curationis, tamen fixionem firmiorem denotans, valentiora remedia ostendit; quæ si subito darentur, viribus, vt videtis infirmis, non solum cordis sed iecoris plus periculi viribus dissoluendis, quam auxilij humore detrahendo afferret. Itaque paulatim, & parandũ, & viribus confidendũ, tum detrahendum est. Preterea morbi qui paulatim nascuntur, & paulatim increscunt cõsistuntque paulatim quoque succidendi sunt, quemadmodũ hic noster, quæ num fieri possint, ego dubito; viribus tã oppressa, & dissolutis, tanta iecoris, & cordis, & corporis totius δυσκρασία, & tãta materia substante, & tam infarcta, vt mirer cur non toto corpore iã intumuerit, cuius rei fortè causa est, quoniã non est tantum frigoris, & humidi, vt aqua gignatur, minus verò sicci humoris tantũ, tantumve caloris vnde in flatum extenuetur, ita cacochymia potius quã aqua aut flatu abundat. In remedijs ego nunquã enumerarem phlebotomiam aut vllum mittẽdi sanguinis modum, quoniam vires non patiũtur magnum remedium, & corpus eget sãguine, & malum ab eo non timetur quod iam factum est.

A At cur sanguis profluit per nares? Iam dixi id non à natura superantem humorem excernente, sed permittente propter infirmitatem ipsum effluere; quem non potest continere, in quo quicquid mali succi est, id irritat, id laxat vasa, & sibi viam facit, cum eo verò etiam reliquum sanguinis genus excidit. In remedijs ergo quorum infinita sylua est, neque tota vniuersim potest adhiberi ego cicoracea, agrimonium, & absinthium, atque eupatorium, Mesues proponerem, tum ex interuallis rhabarbarum adijcerem. Hieram non recusarẽ, & quamquam etiam agaricum coniungerem.

Ex his namque omnibus pituitosi humoris molem imminuerem, nam rhabarbarum pituitam etiam educit, caput etiam iuuaretur, Ventriculo quoque tum hiera, tum rhabarbarum, quo verò rhabarbaro iecur summum auxilium habere poterit. Si vita tempus daret ad

B potiones valentiores ex radicibus valdè aperientibus, & vrinam moueutibus accedere possemus, ad terebinthum, & alia visceribus expurgandis, emoliendisque idonea tandem ad guaiacum, aut obstructionibus id concedentibus ad aquas Aquatianas, aut etiam Patauinas S. Petri. Sed de his nunc occasio dicendi non est. Ordo si tempus habebit a leuioribus duci debet, atque vt vt materia parabitur detrahi, & semper valentioribus in vsu haberi vellem, confectionem ex rhabarbaro pulueribus aromatici rosati, & aqua absinthij, cum saccharo in forma solida. De cibi ratione illa mihi mediocris conuenire videtur viribus infirmis, & morbo sua natura pertinaci proteruoque extennantium tamẽ virium, vt qui ex auiculis, & viribus, & hordeo consta-

C ret. Vinum non interdicerem propter vires, propterque nutriendorum spirituum necessitatem.

Huic tertio a cõsilio die spiritus difficultas increscebat, & sanguis è naribus paulatim fluebat; & per tussim etiam sordidus quidam & sanguineus succus in atrum vergens proijciebatur, & pulsus minor adhuc fiebat, & si cibum facilius acciperet, tum mente ferè exibat, summaque moriendi opinione, & metu tenebatur, extremamq. eam horam esse affirmabat. Ita duobus diebus extinctus est, quod materia a minimè recta ad cor, & inde in pulmones ruerit, & illum sustulerit.

De Lacisiensi memoriæ symptomate tentato.

D CONSVLTATO CLX.

VOs conspectu ipso melancholicum hominem potestis agnoscere, quod genere, & ætate, & vitæ ratione tale esse potuit, Speciẽ verò iam vobis ipsam melancholiæ præsefert. Si etiam hypochondria tetigistis in sinistro latere pleniora, & infarcta sentiuntur, si etiam vobis præsentibus symptomate fuit tentatus, ructus illi vehemẽtes cum nausea flatum hypochondriacum indicant, & subsequens illa obliuio qua rerum nominum non meminit, & proferre non potest, quod instituit, sed aliena potius, vel sciens, seu agnoscens loquitur, affectã memoriæ sedem vult; quæ quoniã cito ad se reuertitur seipsa continere causam læsionis non videtur, sed eam aliũde accipere. Frigus memoriam delere solet, id sim-

E plex induci tam cito discutive non põt, sed humore tantum infuso, qui humidus non est, cum vigiliæ nocturnę eum habeant, frigidus ergo necessario & siccus est. At ergo crassus? minimè verò, nam nõ tam citò discuteretur halitus, ergo potius per neruos ad os ventriculi pertinẽtes fuerint, per quos cõmunicare cum cerebro posse nouum nobis nõ est, minus a Gal. sententia remotũ, per quas. n. vias spiritus animales demittuntur, per easdem halitus aliquanto crassior põt penetrare, vnde fiũt conuulsiones illæ repentinæ. At qualitate sua & vlterius noxam potest promittere, quam ipse halitus peruenіat, vnde dicitur consensus non proportionatus ad materiã. Ipsi quidem halitus si in ventres cerebri irrumperet vertiginem, si in neruos mouentes, epilepsiam conuul-

ſionemve, ſi in corpus cerebri perfundantur poſterius infirmitatē memoriæ, in ea enim parte maximè ſiſtuntur imahines ab anteriori accepta, etiam vero qualitas ipſa in eam cerebri partem promiſſa memoriam deleat. Vna ergo cum eructatione, aut certè paulò poſt hæc memoriæ læſio ſit, ventriculo etiam interea quodam frigus percipiente, & auribus reſonantibus; ita vētriculus cerebrum afficit. Ipſe verò vnde? alioquin ſatis bene concoquere videtur, nec ſeipſe tam prauus eſſe poteſt, cum non continuò ægtè habeat. A liene autem vt tactu ipſo ſuſpicio certa eſt materiam lienis vitijs conſentaneam venire in ventriculum, eique frigus, & cruditatem afferre credam, & lienis morbū eſſe obſtructiones, quæ ob motos a cibo halitus ſupra conſuetudinem illatæ ſunt, vt iecori, quoque inferri poſſunt, imò dolores etiam parere, ſecundum Galenum.

Cerebrum ergo imbecillum habemus, & ita roborantibus egens, quoniam ſuſcipit affectum a ventriculo, & neruos etiam affectum deferentes; firmamentum poſtulare, non ita purgationem, quoniam nō videmus materiam in ſuis affectibus comprahendi, ſed halitum tantum, qui facilè diſſoluitur, materia namque diutius maneret, & ſymptomata protraheter, minus verò multam intemperiē ſubeſſe ſuſpicio eſt, quoniam vbi multa intemperies, ibi materiæ propagatio eſt, vnde morbi etiam perpetui fierent, & ſymptomata non ceſſarent. Imbecillitas quidem intēperiem habet ſui cauſam, ſed exiguam, vnde Galenus quos ſine morbo ponit imbecillitatem in aliqua parte, ita firmare cerebrum, & neruos illos debemus. Sequitur ventriculus qui idem poſtulat cum accipiat a liene, verum vult etiam detractionem materiæ, quam crudam multam congerit ex ea refrigeratione, cum præſtet publicum officiū toti corpori. Lien demum, & medij inteſtini venæ ſunt expediendæ a materia, & reſtauranda. Dettactio materiæ manu facienda: mihi opportunior videretur hirudinibus ſedi applicandis; quoniam quamquam numquam extiterint mariſcæ, neque ſit indicium, quod natura illuc materiam conuerterit, tamen locus idoneus eſt, & vitio proximus, ab eoque proximè mouere poteſt.

At Galenus libro quarto Aphoriſmorum, aphoriſmo 24. videtur ſuſpectam habere hæmorroidū apertionem, & dicitis vos niſi natura eo conuerſa ſit, & venulæ illæ non extent, nihil iuuaturas hirudines. Domini quoties nos detrahimus ſanguinem a parte in quam natura non mouet? imò quoties in contrarium trahimus? imò quando mitteremus ſanguinem ſi ſolum quo natura inclinar detrahi vtiliter poſſe ſtatutum eſſet?

Locus verò Galeni habet, *κάτω δὲ διαιμορροΐδων ἀγαθὸν ὅταν ἐκκενοῖ τὰ μέλανα, τουτέστιν ὅταν ἡ φύσις τοῦ ἀνου πολλὴν τὸν τοιοῦτον ἀθροίζει χειμὸν ἄλλως δ᾽ οὐκ ἐπιπλέον ἐθίζεσθαι τῇ δὲ αἱμορροΐδων κενώσει σφαλερὰν ἐχούσῃ τὴν ἀμετρίαν ἑκατέρᾳ ἔν τε τῷ περαιτέρω τοῦ προσήκοντος ἐκκρίνεσθαι κἂν τῷ παντάπασιν ἴσχεσθαι.*

Infernè autem per mariſcas bonum cū exhaurit nigra, nimirum cum natura hominis multum eius humoris congerit, alioquin verò nō eſt aſſueſaciendum emiſſioni ſanguinis per mariſcas, minimè tutam vtramque immoderatiorem habenti in nimio, quam conueniat excernendo, tum in ſupprimendo penitus. Quibus in in verbis Galenus ſanè periculum, aliquod ſentit eſſe in apertione illa mariſcarum cui aſſueſieri poſſunt, tamen cum niger ſanguis exuberat, in corpore eam ſanguinis miſſionem bonam eſſe vult, qua inquam apertioni aſſueſcant mariſcæ; non tamen quærendam niſi ſanguis niger inſederit propter dictam periclitationem.

Hic Doctores nos neceſſitatem habemus illam quæ ſat eſt Galeno, quo apertio venarum mariſcarum bona ſit exiſtimanda etiamſi apertio afferat conſuetudinis periculum, ergo longè magis erit deligenda, illa cui aſſueſcere nequeūt, nimirum quæ per hirudines ſit, numquam verò vidiſtis hirudines, ita aperire hæmorrhoidas, vt per ſe poſtea ipſæ reſerentur. Medicamentis enim illa apertio ſit cui cōſueſcere poſſunt, quæ ſi a Galeno hoc loco probarentur cur vos vultis Galenum hirudines reformidarurum? Iis ergo vterer poſtquam ventriculum, & loca priora crudo humore leuaſſem, hiera exhibita, & humorem atrum, etiam aliquantulum ad fluendum comparaſſem, per oxymel ſimplex, per mel roſaceum, & ſimilia.

Medicamenta verò poſt chyrurgicum opus, ſic ordinarem; primò pilulas de tribus ad ℈. 4. darem; repetitis potionibus parantibus, vt oxymelle compoſito, ſyrupo de fumoterræ, cū decoctis, cetrach, pœonia, cappare, borragine, & meliſſa, pilularum aggregatiuarum ℈.4. darem.

Tertio potionibus datis ex ſyrupo de fumoterræ cōpoſito de ſtœchade, cum decoctis, iiſdem ad pilulas Alexādri, de nitro, aut quæ habent trochiſcos de colocynthide, de elleboro, de abſinthio, & aloe paribus partibus ad pondus ʒ.1. Poſtea darem athanaſiam, darem theriacam, & confectiones ex diamuſcho; & ſimilibus, & traducerem ipſum ad oxymel ſquilliticum. Capiti exhauriendo nullum medicamentum, aut interius, aut exterius darem, quoniam quamquam infirmum ſit, materiam tamen aliunde accipit. Confirmantibus tantum vterer. DIXI.

Hic purgationem hāc non perfecit, & inde ad quintum menſem, æſtatis, nempè tempore imbecillus admodum mente factus, & vix loqui, aut expreſsè cogitare valens, crebrioribuſque illis ſymptomatibus obiectus.

De Coſſalia pleuritica cum Iuliario.

CONSVLTATIO CLXI.

VIdeo matronam optimi habitus, & ætate florente ſanguinei admodum generis, facię ptæter modum & ſupra ſuam omninǫ anſuetudinem rubere, pulſu crebro, inæquabili penitus, & paruo, reſpiratione anguſta, ac crebra, vrinis etiam flauis cum ſordibus natātibus tota vrina, quamuis raris quæ pituitoſæ videntur. Narrat ſe dolorem coſtarum ſentire ad humerū ſummum pertinentem a loco tamen ſub mamilla eiuſdem lateris ſiniſtri, nempe ortum. Narrat ante hunc dolorem primo horrorem concutientem habuiſſe, dolorem verò ſequutum & febrem. In primo die adhuc ſumus febris tamen vehemens eſt non ſine capitis dolore, ſed eo exiguo, pleuritidem hāc eſſe iudicaſti, & certè vt hodie nomen pleuritidis ſonat, pleuritis eſt, nimirum ea quæ non ſolum pleuram hoc eſt membranam ſuccingentem afficit, in quibus ſi rectè animaduertiſtis, ſæpè nō inuenitur ſerrinus pulſus, ſæpè enim mollis ſentitur, ſcilicet, quoniam partes vicinæ molliores, maximè pulmonis affectæ; & ille quidem amplioris corporis, quam membranæ ſit, pars cōtaminata eius vim durandi pulſus ſuperat laxando.

Enimuerò Vir doctiſſime, & experientiſſime, febris tanta ſubitò mulierem adorta, quæ poſtea minor fieri conſueuit, vt in multis obſeruaui, quomodo incipientē & adhuc exiguam tenuis membranæ inflammationē ſolam ſui cauſam habeat? quomodo vrinæ, tam craſſę, & flauæ ea ſola fient? quomodo duobus, aut tribus, aut ſex ad ſummum diebus febris, vt ſolet, necaret, membranulæ tam tenues inflammationem? Vna cum ea ſit etiam peripneumoniæ, quod verum eſt maximè cū necat, raro. n. in cadaueribus pleuriſi extinctorum nō pulmones plenos, & duros, & ſua membrana craſſiſſima facta, deterſos, ac ſi eryſipelate fuiſſent affecti, inuenias, raro ego humorem vitioſum in capſulam cordis non fuiſſe transfuſum vidi, qui etiam ſæpè albus ſit, & cor alba quaſi lanugine, aut calce cęperit, cauitatem ēt thoracis ſæpiſsimè aquoſi albi tn̄ humoris plenam conſpexi. Ex notis ergo præſertim ex febre tanta, & tam citæ magnitudinis neceſſario infertur putredinem loca maiora, & humoris copiam plurem comprædendiſſe, quam quanta in tenui membranulæ, & exiguo eius

inflam-

inflammationis orientis loco possit contineri, neque mirum esse si vrinæ flauę subito fiant, & paulo post etiam turbidæ certe crassæ, & à medio sursum liuidiores quoniam serò permiscentur varij liquores sanguinis à putredine suis crudioribus, nempe ichorosis partibus colliquati, tabefactique, quoniam putredo per omnes maiores venas peruagatur, alioquin enim sanguis omnino ita contabesceret, minus ichores illos crudiores ab eo calor exprimeret, minus mirum si flauæ admodum vrinæ, & crassæ fiant, aut etiam tenuioris solum sanguinis feruefacti pars quæque tenuior non tamen ita cruda in bilem conuertatur, facile etiam est videre cur in aliquibus sanguis missus teter, in aliquibus valdè flauus, in alijs spumam multam flauam habeat; quoniam pro sua conditione, & pro modo putredinis tam latè vagantis afficitur, quæ cum orditur propter suum impetum horrores illos toti corpori affert, cum calore ad incendium confluente, tum commoto partium continentium sensu subita illa incendij aggressione halitum acrem per corpus dimittente, tum verò etiam quoniam humor tenuis primum ad inflammandas partes confluit.

Ita sequitur dolor aut vna accedit quoniam ad membranam illam pertinent præter inflammationem non solum plurimi humores sed ichores, & biliosi succi, qui propter tenuitatem facilè è medio in circumpositas partes, & è venarum cauitate in membranas impetum habere, & emanare possunt, quod crassioribus succis euenire facile nequit, qui potius in venis manentes, & per latiores earum vias à tempestatis frigore compulsi cum putredo increuerit ad pulmones deriuantur vena caua fortè, & iecore valentioribus; cordeque infirmiori per putredinem, & per acrem calorem facto ad se seque humores nimium attrahente, deinde se se exonerante, & per venam arteriosam in pulmones noxiam materiam trudente; sæpènumero in alterum, vt in apertis cadaueribus, inspeximus dolorē à membrana, & spiritus illā difficultatem quæ per dolorem inferri potest; Angustia autem à pulmonum infarctu quo etiam asperæ arteriæ vrgentur, angustæque factæ parum spiritus accipiunt, qui exiguus etiam in corpus pulmonum ad vsum tenuitatis sanguinis recipitur; vnde non videmus laborem spirandi, sed crebritatem, & paruitatem labore incidente, cum aut musculi infirmi sunt, & omnes opus aggredi cum conatu coguntur, aut cum cauitate thoracis repleta quo pulmonibus locus fiat dilatandis, & iusto modo aeris recipiendo thorax amplius attoli debet, quorum neutrum hic esse necesse est, nisi humor è pulmonibus percolans in cauitatem labatur, quem etiam in eiusmodi cadaueribus vidimus sæpè liquidum, & album, aliquando etiam crassum omnino, & cōcretum, ita cum aut in pulmonibus coercetur, aut in capsulam cordis exprimitur, vt visum est; laborem spiritus non facit etsi ipsum angustum, & crebrum reddat, cum in pulmonibus est, in quos sub his malis sæpè in morbi tantum incrementū impellitur, & breui strangulat.

Vnde angustiam spiritus in his vidimus ad postremū vitæ diem fuisse dilatam, nihilque eius prioribus totis etiam sex diebus sic trahente morbo apparuisse, materia in vasis interim versata. Conspicitur ergo genus hoc febris materiam putrescentem primo in omni corpore medio habere naturaque oppressa vexataque sequi tanquam symptomata, & membranæ dolorem, & pulmonis tumorem, & vtriusque corruptionem, qua videmus mirabiliter pulmones cum succingente cohaluisse adeò vt cultro secari aut lacerari oporteret, si distrahere eos à succingente vellemus, membrana tam pulmonum quam succingente lutea, & lentore luteo affectis, propterea minus mirādum est, si quidem qui angina strangulatus visus est, loco laryngis nihil penitus præter naturam inuentum est; sed iecur ipsum putrefactum adeò vt quasi gleba dissolueretur, nimirum quod abundantia ab ea putredine exeuntium halituum, & ichorū per

A membranas diffusa larynga sic constringeret, tamen ex putredine iecur potissimum opprimente cum iam nihil angustiæ in faucibus esset, spacio 30. horarum extinctus est. Vnde etiam alter visus est qui à malo thoracis leuatus, postea diu iecore ægrè habuit cum febreque fuit. At illius euentus mirabilis causa dicenda est quo visi sunt multi qui leuati sunt penitus è febre, & dolore lateris toto ferè trium dierum spacio subitò tamen recidentes in febrem circiter duobus diebus interierunt, nam cum materia alba facta est, & in capsulam cordis sic concocta confluit, non videtur cordi aliquam molestiā afferre dum sic mitigata, & alimento similis conseruatur, imò quæ prius in vasis pulmonis inæquabilem penitus pulsum faceret, in pulmonibus verò spiritus angustiam, tunc nihil horum facerè idonea est, ibi verò parum diu esse sine nouo feruoris, & putredinis genere

B potest, quin & febrem, & mortem citam afferat. Tantæ ergo, copiæ puttedini subiectæ ratio imprimis habenda est, quæ propterea quod non solum venarum materiam sed arteriarum etiam occupat pulsus sæpè infirmos, & paruos subitò facit, maculas etiam in cute sine asperitate tenuissimo sanguine non tam in bilem verso quam propter celeritatem æstus, & motionis in vaporem sibi similem effuso; & ex osculis arteriarum emanante in cutem, qui ibi recepto frigore subsistat, quod cum crassiori sanguine qualis non in arterijs sed in venis est, etiam non in vaporem sed in malum humorem contingit, conuerso, tunc etiam cutem asperam reddit, & modo morbillorum exanthemata effert, vt in multis malignis febribus iecore potissimum affecto obseruaui. Thora-

C cis namque partes & pulmones cum arterijs, potius cōspirant, & maculas humor inde exudans sine asperitate potius facit, quoniam tenuior est, & spiritus magis habitum retinet. Ergo putredinis nos initium habemus, cui non solum propter humoris motum ad faciendam inflammationem erat, sed propter amplum initium horror præcesit discurrentium halituum incursione subita sensum commouente, & calore sub ea commotione intus reuocato, quod natura vbi imminet periculum refugiat semper, paulo post in id repellendum impetum factura; ichoribus autem ab arterijs & venis vi ad spiritus partes demissis, in solidoque torpore membranarū subsistentibus. Vnde timor est ne ad partes spiritus materia vapores sequatur, & confluens in pulmones tamquam in loca laxiora conuertatur, & materiam extin-

D guat.

Causa huius incendij, præter materiæ congeriem fuit motus laboriosus quo concitatiori, & supra consuetudinem facto, incaluit, deinde refriguit, ex quo & sanguis, fusus locum ampliorem requirens meatus repleuit, illisque a frigore constrictis occupatus incaluit, partibusque suis magis vitiosis putrescere cœpit, & cum loco vno contineri non posset huc, illuc compulsus est, ichoribus membranas penetrantibus. His in conspectum adductis cum euidentes causę iam absint, præsertim si curabimus ne frigus cutim attingat, ne vestimento leuiori contegatur, non minus verò calor vitabitur, & ne cubiculum nimis conclusum per flatu per

E os accipiendo careat, febris enim refrigerium maius postulat.

Ad auxilia morbo adhibenda veniendum, æstuationique sanguinis prouidendum, ne in putredinem illum trahat; quare antequam id faciat citò occurrendū eiusdem ratione quo minus se se obstruat, quod si differatur quousque ille putredine comprehensus alendis viribus fiat inutilis, tunc sanguinis detractio nihil poterit morbo, viribus verò extinguendis multum, igitur quamprimum sanguis incisa vena hauriendus, antequam secunda dies adueniat, & certe spumantem sanguinem videbitis, & pulsum maiorē postea fieri, qui pressus est, quoniam cor obruitur fusione nimia humorum ad partes spiritus confluentium.

Et quoniam interea a febre, & putredine multum sanguinis in bilem, & ichores conuersum esse est ne-

A cesse, quod ad affectas, iam membranas in quas impetus, iam orsus est conuerteretur; propterea ego confestim medicamento illud detraherem die sequenti, antequam secūda dies finiretur; & ratione morbi sic oculis subiecta, vique remediorum sic adhibita speratem me prohibiturum ne necem afferret. Num autem consilium meum sic præceptis magnorum medicorum obtemperet, vt natura rei conuenire videtur. Considerate illud Hippocratis initio si quid videtur mouendū, moue, aphoris. 29. lib. 2. & illud medicari, si materia turgat eadem die Aphoris. 10. lib. quarti; quod an cum præmeditatione sit futurum, vt ipse præcepit lib. 1. Aphorismor. 24. ex ratione à me exposita potest cognosci, nam turgere, hanc materiam videmus cum excrescentia nimia sit preruptura in pulmones, & cor, & in omnem aliam partem qua viam inuenire poterit; ad instar B illius Galeni sententiæ quam habet 8. de compositione medicamentorum per loca cap. 3. πεπόνα γὰρ φαρμακόνειν ἄξιοι ὁ ὑπποκράτης, μὴ ὠμὰ μὴ δὲ ἐν ἀχῆσιν ει μὴ ὀργᾷ, τουτέστιν μὴ πρὸς τὴν ἐκκρίσιν ἐπάγοιτο ἡ κίνησις καὶ μηδεμίαν ἔχουσα πρὸς ἓν μέρος ἑδραίαν ῥοπήν τε, καὶ στάσιν. Materia namque purgare arbitratur optimè Hippocrates, non cruda, neque in principijs si non turgeant, hoc est non ad excretionem inducat motus, & nondum vllam habens ad vnam partem firmam fluxionem & stationem. Vide etiam quarto de Victus ratione in acutis vbi Galenus exhauriri humorem vult a primo vsque ad quartum ob eandem causam.

Hic ergo fluxus ad certam partem non est, quoniam multis metuimus, & materia in motu est, quare purgāda etiam est. His peractis danda erunt, quæ sanguinem sedant ab incendio, & exsiccant a putredine ab eumpendoque in principes partes frenarent inhiberentque, vt syrupus ex nymphæa, cor & pectus spectante, ex rosis, ex acetosa etiam, non ita ex acetosa, ne exacueret neve pulmonibus, membranis, & trachææ officeret. Incoquerem verò aquæ qua diluerētur illa quæ cor seruarent, & pulmonibus consulerent, vt scabiosam, scordeum, acetosam nymphæamque, sequentibus diebus consilium pro euentu successuque caperem; victu interea tenuissimo seruato.

Illis habitis quamuis vrina subiugalis esset consequuta, vix spuit lutea pauca, & conualuit in 7. octaua certè sine febre fuit.

De nobili Nicolao Cartulario febre continua oppresso cum Iuliario.

CONSVLTATIO CLXII.

VT narrasti Excellentissime Vir, hic morbus partes thoracis, primum tētabat febre valdè magna, & dolore per costas percurrente, ibiq; subsistente, postquam ipse intemperantia in cibo, & Venere, vt suspicio est vsus fuisset, & itineribus, inde se commisisset. Iam post 23. diem morbi febris quæ superius extincta visa est, redijt, & vehemens cum ariditate, & nigrore linguæ, cum mentis infirmitate, & leui insania. Hypochondria satis plena sunt, & color in luteum vergit.

Propterea de loco affecto, vnde febris primam originem traxerit mihi determinandum videtur, quoniam quamquam febris est morbus vniuersi corporis, raro tamen non certæ sedis vitio originem sortitur etiamsi nō symptomatica sit, quam rem Galenus vidit, & monuit. Huiusmodi sedem è tactu ipso, & colore suspicarer iecur esse cum hypochondria, tam plena, & lingua nigra, ac squallida sit, color verò ad luteum inclinatus ex quo iecore humor sub febris æstu etiam ad thoracis partes redundarit, illiusque etiam membranas eiusmodi inflammatione affecerit, qualis in oculis ταραξις dici solita est, aut etiam minori, quare cucurbitulis, & alijs remedijs datis conualescere cæperit, redundantis humoris parte sublata, & a thorace reuocata. Manente tamen adhuc iecoris infarctu, & nouam materiam fuisse congestam, & euidentibus causis incidentibus accumulatam detentamque, & item ad incendium deductam. Quapropter ego iecoris curam aggrederer, & primum phlebotomia vterer qua materiam ex ipso minutisque eius meatibus, & venis in ampliora vasa retraherem vbi, nec obstructiones pareret, & concoqui facilius cum reliquo sanguine commixta posset, ac si aliqua in bonum conuerti, non esset idonea, illa continuo parata detraheretur, & vna si quæ in angustioribus meatibus restitisset, illa quoque adeo pararetur, vt extrudi posset, de cuius genere videndum est; quænam medicamenta postulet. Ex viuendi modo intemperante, & eius genere pisces ostracodermaque cōtinente, & exercitationibus a cibo habitis, ac venere crudi humoris B plurimum congestum esse sit verisimile, quod in genere pituitæ connumeratur; ex mœroribus idem factum intelligitur, ex spuma autem vrina alba multa, & bullis magnis idem indicatur, quoniam minimę bullę agitationem maiorem, magnæ autem leuiorē materiæ potius ostendunt, lentor autem in vnam pituitam est referendus, color vrinæ flauus, & satis bonus est, fuitque illa turbida, & perturbata, cum malum humores omnes tentaret suo calore, turbandoque succum eliceret crudiorē, nunc clariores sunt, quoniam concoctio melior, & cruditas humorum est superata, bilis verò etiam hac ætate iuuenili, & propter obstructiones increuit, quod tamen humor crudus crassus est, crassitudo autē terræ multum habet, illa calore siccata, quę si in puluerem, & cinerē sit conuersa, melancholici humoris vim C subit. Huic ergo triplici humorum generi est accommodandum medicamentum; vt primo incidatur extenuetur, detergatur, coquatur, & deradendo expellatur, veluti syrupo ex aceto, ex cicoreis omnibus ex lupulis iniecto etiam rhabarbaro. Locus secandæ venæ saluatellæ idoneus videtur, quoniam iudicium iam factū publice est, quod tractus a remotis vim maiorem habere consueuit.

A sanguine misso qui turpissimus fuit, & a rhabarbaro in syrupos iniecto ad ℈. 1. in quemque syrupum primo a quo cum nihil egereret, deinde ad ʒ. 1. maceratū est, a quo egerebat, proximis diebus cōualuisse visus est, tamen postea fuit diu cum febre perpetua, halitu cadauerofo, facie fatui, & nihil mali sentiens, sicque diutius perseuerabat. Inde altero quoque die horrores cum tremore seu concussione sensit, & tandem multo labore D conualuit, vt multis mirum videretur.

De febre maligna, & mortifera Marci Antonij a Pisce.

CONSVLTATIO CLXIII.

PHysice nobilissime, ex his quæ ex te cognoui, & quæ illius conspectu perspexi iudico febrem pessimi moris esse, & breui ipsum interfecturam. Horror primum accessit, deinde febris perpetua fuit, vt in internis erysipelatibus cum incipiunt, nedum in externis etiam eiusmodi febribus quotidie videmus euenire, vs- E que ad quartam timuistis, in quarta dedistis electuariū lenitiuū ad ℥. 1. cum eo, quod de succo rosarū ad ʒ. 1. s. & bene soluit. Quinta & sexta die tutus fuisse visus est. Sexto aluus soluta, & ipse peior factus. Octauo stillicidiū sanguinis è naribus, & ipse propè demēs est factus, fatuus saltē & cogitatione, tam debilitata, vt continuare cogitationem, & loquendo eundem orationis sensum tenere non posit, quod esse pessimum semper animaduerti, & longè peius, quam esse furor consueuerit è collapso vultu, lachrymis sine voluntate è dextro oculo emanantibus, somno eum tentante, linguà potius frigida, quamquam ficciori, & carnibus fermè cadauerosis. Vnde ego vitam ipsius iam nō diebus, sed horis credam esse metiendam, exiguo vero tē-

potis

poris spatio suppetente ad aliquid moliendum pauca in A deliberationem venire, & breui oratione opus esse. Vnum ego commemoro libenter in his febribus, vt memoria teneatur quod vniuersam sanguinis molem afficiunt, & vsque ad ipsa solida debilitant, maximè verò carnes, & propterea vires, tam citò succumbunt non solum propter spirituum egestatem extinctiónemque, sed propter bonorum humorum penuriam, & solidorũ intemperiem subito ex corruptione inductam, & ea omnia, ideò euenire quod putredo multos humores corripiens naturam sanguinis superat suo vitio, vnde recrementa biliosa, pituitosa, & melancholica, & aquosa cerni solent, natura ergo non potest in tantam vitiosorum humorum copiam, & varietatem, imò eorum corruptione opprimitur, nempè sanguis, spiritus, & solidorũ temperamenta, in ijs enim tribus natura, & vita, & vires, B quod idem est, continentur. Sanguis itaque spiritu non sustentatus, continentibus partibus alienatis, & ad eum conseruandum, & in alimentum conuertendum minus idoneis factis facile in peius mutatur quod est putrescere, & corrumpi in bilē. Certè primo obstructis locis conuertitur, vnde bilem imprimis excrementa præ se ferunt, putredinem deinde concipit, maximè si infirmitas propria humoris, & continentium partium, si spirituum penuria multa fuerit, & obstructio magna. Propria infirmitas est cum ex malis cibis malaque concoctione factus est.

Continentium partium infirmitas ex malo alimento & tempestatibus cœli, eiusque tēperie, & ex nimio otio, aut nimis subita ab otio ad laborem mutatione fit spirituum penuria ex venere nimia, ex mœroribus, vigilijs C solicitudinibus, & cibis malis. Obstructiones ex cruditatibus ex laboribus minus suo tempore habitis, & maximè a cibo, vel sub cruditate, cruditates ob crassiores cibos, & abundantiores ob motus, post eos ob vigilias, & solicitudines, quæ omnia in hoc homine fuisse certi sumus. Nam quadragesimali tempore præsenti crassissimis carnibus grandiorum piscium vsus est, & alijs mali succi cibis. Multæ occasiones laborum fuere totis diebus, & longè plures quam esse consueuerint. Plurimæ solicitudinum, & vigiliarum, cęli temperies hac hyeme tempestatibus intemperatissimis affecta fuit, nam modo nimis siccum totis 40. diebus fuit, modo nimis humidum, & multoties identidem nimis siccum euasit, & nimis humidum, ita enim, & solidæ partes humore nimio laxatæ humentesque a sicco subito, & frigido ni- D mis affliguntur, vt coctiones malas, tum proprias, tum communes toti corpori efficiant, a venere quoque non abstinuisse, vt ciborum peiorum vsus postulasset, sed frequentiori potius quam antea vsum fuisse intelligitur. Vnde cum res ad id cumuli peruenerit, quod amplius ferri non potuit, obstructione primum biliosi halitus congesti inflammatique sunt, & ita horrorem pepere-re, deinde obstructione minimè sublata, sanguis etiam incaluit, & reliqui humores, qui inutiliores corruptionē, & putredinem concepere, quæ etiam sanguinem comprehendit cum infirmior sua natura in infirmioribus continentibus esset, & non satis spirituum ad se tuendum haberet, humoribus verò sic in commotionē deductis cor halitum maximè accipit, & febrem mouet non admodum acrem, quoniam humores vnde halitus E tolluntur eam naturam non habent, sanguis enim mitiorem synochum facit, dicit Galenus, adest verò etiam cruditas, quæ putrescendo vapores mitiores effert. Cum vaporibus humores in cor etiam inducuntur quod viribus suis, eos quandoque si subtiliores sint per arterias pellit in ambitum corporis, per exanthemata, sæpius tamen in pulmones repellit sibi maximè obuios, & venæ cauæ maximè apertos a quibus crassi humores non ita facilè repelluntur, maximè quod pulmones dictis tempestatibus valdè imbecilles facti sunt, vnde creber spiritus, & angustus fit, & extinctio hominis citò sequuta est; nimirum cum è venis pulmonum humores iam in eorum corpus emanabunt, neque enim angustia spiritus fit nisi trachæa vrgeatur, vrgeri autem proximè nō nisi a corpore pulmonũ potest. Sæpè verò in vtramque partem pellit. Nos hic ad pulmones vergere ex crebro spiritu possumus intelligere. An per cutim etiam eiecti sint non obseruaui. Colligam, ergo hic occurrēdum esse putredini, & humorum confluxui ad pulmones, & cor, viribusque subueniendum. Putredini occurretur primum subito exsiccando, deinde si spatium daretur etiam obstructionibus tollendis, & viribus recteandis. Confluxui verò si ille retrahatur ad extimas partes, viribus autem alimento quidem, sed ijs etiam quę calorem naturæ consolētur sua quadam amicitia, obstructiones tolluntur humore detrahendo imminuendoque, sed prius in id quod possit subito incidendo extenuando, & detegendo.

Quæ missione aliqua sanguinis, purgatione, & alijs accommodatis facienda essent, sed possint ne fieri, tempus ne suppetat dubium est, nam ego video eum propè extinctum, pulsus quidem non admodum creber est; tamen infirmissimus est, & in sinistro præsertim brachio oppressus. Vrinæ conturbatæ sunt, mens uix potest exerceri quin subito langueat, sic omnis corporis motio, quare nescio quid effici possit. Ne tamen penitus deseratur a nobis ego cucurbitulas artubus, & etiam dorso sine incisione cutis affigerē, sanguinis enim detractionem vires non patientur; vt exterius confluxus in pulmones euocetur, deinde pulueres cordiales illos dictos confectionis cordialis, vel lapidis bezoar, cum exigua parte theriacæ ad ℈.s. darem quo cordi solatium afferrem, neque vim eius dissoluerem, si postea superérit vita alia confieri poterunt, quę supra iudicari fieri ostensum est, sed video quod potius rectoribus animarum est permittendus.

Is septima a consultatione hora extinctus est nempe octaua die, quamuis fortiter adhuc se se moueret, & longius sputamina eijceret, & omnes cognosceret.

De Dalaino Pithio hydropico ferè facto cum febre, & arquato morbo.

CONSVLTATIO CLXIV.

VIri sapientissimi, quæ nunc cernimus in hoc corpore hæc sunt, ventris distensio præsertim ad hypochondria, quæ etiam dolorem tensiuum, & pungitiuum infert, sub dextris cartilaginibus, cum hoc febris est, quamuis non admodum vehemens, color aliquantum luteus, vrinæ exiguæ, crassiusculæ, sæpè aliquando lucidæ, semper quidem coloratiores. Alui feces terram lemniam referentes, nisi cum sumpserit medicamentũ, ex quibus omnibus videor intelligere etiam animo, cernere iecur infima parte ad locum fellis esse obstructum & halitũ emittere eiusmodi è locis illis, vt cordi febrem hypochondrijs autem inflammationem afferat. Vnde necessario non solum bilis retenta vrinas sic coloratas faciat, & aluum sine colore relinquat, sed aliquid etiam sanguinis ibi cōtentum crassescat, putrescatque, & siccitate sua halitum etiam siccum efferat, nam si siccus non esset, tumorem alui decumbere in latera cum supinus est magis cerneremus, non solum enim non delabitur in latera, in iliave, sed elatus penitus anterius manet & hypochondria potius, quam alias abdominis partes attollit, ilibus valdè inanibus relictis.

Sic vero orsus morbus est: primum doloribus alui arreptus est, deinde vrinæ sanguineæ, imò sanguis potius minctu, & febre quibus occurrebatur non adstringentibus, sed sanguinis missione primum post clystere ad dolores leniendos idoneum, deinde potionibus ex rosis, & succo limonum ex betonicæ incoctis a splenio, cicorea, fumoterra, & similibus nonnullis. Postea adhibito rhabarbaro circiter 7. die, penè leuatus a morbo molestiori videbatur, vnquam obstructioni fellis esse

incum-

incumbendum, cum subito dolore carthilaginum dextrarum exagitari cępit, & ventre tendi, febreque etiam magis quam antea premi, quæ inde, modo maior, modo minor visa est. Vrina etiã minus procedere, & quæ iam flauę antea, & perlucidiores factę erant postea crassiores, & perturbationes esse cæpere.

Dolori vesica oleo anethino plena calida apposita vtilis visa est, & emplastrum de baccis lauri, ventriculo illitio vnguenti stomachalis, & fomenta per spongias ex vino, & lixiuio leuiori incoctis rosis, œnanthe, hoc est labruscæ floribus, absinthio, meliloto, anetho, & similibus. Datum etiam est medicamentum ex ℥. 1. electuarij de hiera. f. ʒ. 2. benedictæ, & hamech vnde leuatus est. Et quoniam a vino metus est ne febris mali habeat, ab aqua item ne flatus, & hydropis periculum existat, propterea vinum dabatur intra tamen vnius cęlicis etiam mediocris modum continebatur. Nunc horum rationes videndæ sunt, & in futurum etiam deliberandum. De humoris detrahendi genere primũ ego conijcio illum ad siccitatem vergere, nam halitus qui in ventre est adhuc aquam nõ facit, quam faceret, si ab humidiori, & pituitoso humore efferretur, aquam in vẽtre non esse forma ventris ostendit, qui sursum distenditur in orbem, & non ad latera, vt ilia in lectum minimè inclinent, sed antrorsum nempè supino ipsi sursum elata sustinentur, præterea conuertenti se sonitus aquæ non percipitur. Quamuis ergo obstructio iecoris, & felis a lento humore facta sit, vetus tamen cum sit semper siccior causa euasit, præterquam quod sanguis crassior, & terrestrior potuit obstructionem per se perficere in corpore eius generis humoris aperto propter genus, & ætatem, & mores, biliosus namque semper fuit, ætate verò nunc florente etiam multũ crassi sanguinis potuit congerere, qui dum libere non potest commeare nisi in alimentum conuertatur necessario crassescit, & ita etiam, atque etiam magis vias obstruit. Itaque multis ab hinc annis in arquatũ cæpit incidere, a quo multoties fuit tentatus, vbi autem huius humoris sedes sit ex loco in quem maximè dolor pertinet, ex colore alui, & totius corporis, ex linguæ etiam ariditate facile intelligitur, ea enim ostendunt sedem humoris in iecore esse ac si aluum spectemus, quæ decolor est ad fel ipsum in iecoris cauitate valde esse læsam; Vnde cogor sic decernere, quod læsio cauitatis, cum est a bile, & ichore bilioso, tunc necessario os ventriculi male habet, quoniam longius ille a dextra in sinistram partem potest effundi, & sua natura infesta ventriculum lædere, sed cum crassus sanguis est, neque tam longè promittitur, neque etiã suapte vi tam ori ventriculi infensus est, siccitate namque vna hucusque offendit, vt in lingua cernitur, quę tunicam cum ventriculo communicat, & a iecore maximè affici consueuit, non tantopere a pulmonibus, vt experimento videre est. Iecore ergo sic obstructo, affectoque non est mirum si febris aliqua succendatur, nec minus si halitu venter repleatur, non dixerim imbecillo calore facto a calore igneo aquã fieri, sed igneo se se exercente in materiam crassam halitum percitari, doloresque fieri ad locum, vnde iecur appensum est ligamento eo admodum sentiente, in quod per membranã iecoris facile halitus emanat. At Medici tympanitim a ventriculo ob defectũ primæ coctionis ponũt, quemadmodum Ascitim a iecore ob defectum secundæ. Anasarcam ab ambitu ob defectum tertiæ.

Vnde hæc ventris tumentia, vel non a flatu si in iecore causam habet, vel in ventriculo originem proximam trahit. Dico quod flatus ventriculi in eius cauitate versatur non sub abdomine, & ab ea facile per latas vias emittitur, in tympanite verò ad abdomen pertinet, & a iecoris vitio illuc redundat. De quo morbo quid futurum sit non est facile præuidere, nam neque quanta obstructio sit cognoscere, neque quanta febris hac, aut dolor futurus sit præscire possumus.

Difficultatem quidem maximam intelligimus, cum regium morbum febri coniungi videamus, qui si post

A accessionem febris ante septimum diem factus esset, malum cum Hippocrate iudicari opporteret, at cum is familiaris sit, & ante febrem fuerit ad eam sententiam iudicium referendum non est.

Tamen obstructionem mali generis esse, & humoribus colligendis, & putrescendis in causa esse videmus, & ita difficilem futurum intelligere possumus, longitudinem verò si ad salutem tendat, si ad mortem, a febre a doloreque etiam breuitatem posse nancisci. Ita victus ratio quæ ad salutem referenda est mediocris nõ tenuis omninò instituenda est, quanquam extenuantis generis deligenda, quę si quid medicati habere debeat id incidens detergensque sit nõ calidum valdè, minus etiam frigidum, quare ptisana cum pipere, & cum radicibus petroselini comparanda est, & in vsu habenda, neque

B far, neque oua nisi mollia facile concedenda, minus carnes crassiores. Ex herbis, lupuli, asparagi, cappares, & rusci concedendi. Spinacia etiam quandoque permittenda, quoniam flatum si habent ille ventriculum non transit, & mollientis, & abstergentis omnino naturæ sunt. Sic vinum, vt dixi moderarẽ. Quod verò ait Doctor potius tenendum esse ęgrum intra carnium contusum solum, & sine potione non credo tuto id fieri posse, nam & longus morbus contusum carnis non patitur, quoniam corpus firmiori alimento est ad longum tempus sustentandum, illud præterea sine potione ęgrũ tenere sub febri, & sub his obstructionibus esset humorem crassum magis crasse facere, qui potius est diluendus, & febris humidis frangenda; Vinum verò oligophorum, & aqua temperatum potest, & coctioni inser-

C uire, & distributioni, tum excretioni, & dimotioni etiã humorum obstruentium vtile esse.

Verum a diæta ad duo alia instrumenta medica me conuerto. Sanguis iam satis missus est, nisi verò hęmorrhoides venæ intumescerent ego non traherem, per illas, ne melior sanguis exhauriretur. Medicamentis potius agerem, & in rhabarbaro spem ponerẽ, eo quidem aliquibus alijs munito, vt hiera, vt electuario hamech, ad eum crassum sanguinem detrahendum, vt benedicta ad flatum discutiendum, succus iridis non quod aquam iam subesse existimem, sed quod expediendis visceribus, & intestinorum tunicis, ac venis ad modũ idoneus sit, a me probaretur, præsertim cum rhabarbaro datus. Iecur enim obstructum esse constat, etsi tangente manui nõ sit apertum, nam in caua parte obstru-

D ctio est, ac quamuis esset in conuexa, posset esse in superiori. Præparantia humores imprimis essent, quæ etiam nunc adhibentur, syrupus acetosus diarrhodon, qui parum a Bizantino differt. Bizantinus quoque probaretur, in quo est spica iecori amicissima præter reliqua multa.

Sed neque ille de cicorea Nicoli esset prætereundus propter idem iecur, & renes affectos, neque ille de eupatorio propter iecur potissimum, atque etiam renes, quos diluerem humore aliquo eius generis cui incocta essent eupatorium, agrimonia, cuscuta, cetrah, & similia. Aluus difficile cedit medicamentis, præterea valentiora danda viderentur, id tamen non temere est agẽdum, vijs sic impeditis, sed lente admodum ad illa accedendum, vt ad elaterium si aqua quod spacio fieri solet, post

E flatum subierit ad succum ireos venirẽ, qui obstructionibus, & aquæ est aptissimus. Soldanellæ puluerem, sæpè cum hiera, & melle rosaceo commode dedi, & pilulas de nitro cum elaterio, & rhabarbaro. Venitem ad pilulas de Mezereon quas cũ hiera, & rhabarbaro componere soleo, & valentissimas inueni. Parant ij mezereon ex aceto albo cui incocta sint cydonia primum, deinde postquam exsiccata fuerint folia rursus aceto albo, cui incocta sint mala dulcia, & acida, foliorum verò puluerem componũt cum hiera pari modo, & quandoque etiam rhabarbaro, vel ipsis myrobalanis. Inter horum medicamentorum vsum, non solum potiones suprascriptas interponerem, sed etiam theriacam, aut mytridaticam confectionem, dialaccam, cyphoides, dia-

diacurcuma, & eiusmodi alias. Extrinsecus, verò emplastra ventri admouerem de artanita, de baccis lauri, & similia. Ventriculo fomenta ex absinthio, anetho, œnanthe, chamæmelo, meliloto, ac mentha, quibus nimius eius humor è cruditatibus subiens consumeretur, & calore etiam concoctlo iuuaretur. Agrimoniū quoque, & eupatorium inderem propter iecur quod ex ventris fomento, omninò multum sentire solet. Inungerem præterea ventriculum eo vnguento, quod stomachale dicitur confortatiuum, & ita progrederer. Nam morbus diuturnus futurus est, & nobis spatium, & necessitatem adhibendi varia medicamenta præbebit.

Hic sponte deijciebat alba per aluum, fulua autem admodum per vrinas. Ex hiera Galeni vero, & hamech, & rhabarbaro subruffa, tandem ex hiera eadem rhabarbaro, & pilulis dictis nostris, quæ constant aloe, elleboro, colocynthide scammonio, & absinthij succo cum succo ireos nigra penitus, & crassa tanquam strigmentum crassum, indies tumebat flatu, febris imminuebatur quanquam lingua minus erat squallida. Tandem post aliquos menses flatui aqua quoque accessit, perforatumque abdomen est bis per longum interuallum indeque extinctus est.

De Bartholomæo Calliario febriente.

CONSVLTATIO XLCV.

Rem quam tu Vir Excellentissime cumulatè satisfaciens tuo muneri optimè explicasti, & de qua appositè admodum decreuisti, ego quoque rationē consilij tui imitatus exponam ne loco meo desim, & pariter consilij tui momenta expendam. In homine ætatis annorum 60. podagra iam debilitato, postquam ea roto autumni tempore exagitatus fuisset, & hyeme etiam tota male habuisset vere aduentante in febrem incidit, quam quoddam frigus, non rigor, vt consueuit in huiusmodi casubus præcessit, & crus erysipelate compræhensum est, seu inflammatione erysipelatosa, quo deinde trahente malo cœpit ventriculo etiam male habere, de quo nunc quoque cōqueritur maximè, quamuis tumor iam tertium diem apertus ferro sit, & multum puris effundat crassi admodum, & albi. Cibum penitus auersatur, non admodum quiescit, & animalis dicta facultas languet, vt ex eloquendi labore, & impedimento cognoscimus.

Pulsus sane est satis validus, neque est paruus, carnes tamen flaccescunt, & earum odor senium refert, ac quasi cadaueris est, vrina verò etiam quamuis colore, & corpore non valdè a naturali recedat, eneoremate tamen ualde aspero, & disiuncto est. Quare cruris malo non possum ego hanc febrem totam attribuere, cum hęc cruda sit, illud vero concoctum, & quanquam materia cruri infesta illuc fuerit demissa, ex hac quę in medio est quæque febrem continet, illuc tamen pars ad expellendum facilior delapsa est, quæ citius etiam potuit concoqui, pars verò quæ in visceribus concedit, & E hæret eiectioni durior fuit, quoniam crassior est, & ita sua crassitudine seipsam obstruit, & sibi putrescendi causa est, & recrementa crassa exustaque a se ad vrinas dimittit quæ asperum eneotema efficiunt. Concocto, ergo cruris apostemate vnde febris augebatur, restat tamen aliud febris firmius, & crudius initium, a quo primum febris incensa, & materia ad eum demissa, vnde febris reduplicaretur. Materia hæc pituitosa est si corporis naturam humidam, & iam senio refrigeratam, si anni tempora tempestatesque, si victus rationem, consideremus, si indicia, & pręsertim urinas spectemus, quę a pituita non sunt alienæ, etsi interdum flauiores propter admixtam non exiguam bilis portionem. Eneorema certe asperum non si omne genus pituitæ saltē cru-

A dum humorem denotat, quod & est pituitæ genus, & cum putrescit plurima sui parte non consumitur, sed exurit, quoniam plurima parte terrestris est, quæ per vrinas emittitur putrescit ergo is humor ex obstructione. Vbi vero sit, sic ego colligerem. In omnibus uenis si esset, vel maioribus ego credo vrinas turbulentiores faceret, nec tam exureretur quin maiorem febris calorem efferret.

Itaque materia in parte aliqua certa est, & quidem principe ea, & maxime ad iecur attinente, & ventriculum, quoniam tangentibus sentitur tensio hypochondrij dextri, & non premitur sine illius dolore, quo constituto videndum cuius generis putredo sit, & futura etiā sit. Nam credo quidem non esse omninò maturationem, quoniam asperiora contenta Vrinarum sunt. Pes-B simi tamen generis esse exustionis non crederem maius putredinis contagiosæ. Reuocari ne possit ad maturationem diligenter videndum. Cuius rei fundamentum est virium status, nam si vires etiam vegetales ex carnium modo, & odore, & ex ventriculi infirmitate, & vrinarū quadam tenuitate (etsi asperitatum perfusione crassiores fiant) certum sit indicium, vires vegetales esse infirmas, vnde rectrices iam ipsæ quoque debilitentur, vitalibus postea idem accepturis; quare verēdum est ne paulo superantiæ ad calorem vitiosum accedente materia præcipitanter in pessimam putredinem ruat. Vtri enim parti accedet paulum momenti in eam res collapsura est, vt si calor naturalis paulo fiat superior ab ipso omnis materia moderationem suscipiet. Nos omnia tentare debemus quo materia calori naturali fiat obsequen-
C tior, & ita illius crassitudinem extenuare incidereque, & calorem naturalem valentem reddere, ventriculi coctionem iuuare, quod etiam facit Galenus in febre tertiana notha, putredini, & illius causis resistere, materiā verò paulatim apparere, & detrahere. Ac si quid in ventriculo natet id eximere primum. Vnde ego vel ex hiera vel ex pilulis de tribus cum rhabarbaro ventriculum exonerarem, deinde melle rosaceo, & oxymelle identidem abstergerem atque materiam etiam febris pararē. Betonicam iniungerem quæ extenuantissima est, & caput spectat quod infirmari cernimus, cicoreum non dimitterem, syrupum rosaceum etiam propter caput, & propter abstersionem suam cum alijs præscriberem. Radices capparorum, & similia coniungerem. Fomenta
D ventriculo darem, & inter hæc purgationes ex suprapositis pilulis interponerem.

Hęc aluo semper adstricta fuit, & præter carniū flaccidarum modum, & caloris hebetudinem, & loquelæ nihil notæ mortalis habuit. Imo pulsus neque crebri neque parui neque infirmi fuere vsque ad 7. ante exitium horam, quę adhuc talis erat, & ipse in latut decentissimè cubabat, & apud se manebat, & melius etiam loquebatur. Dixit tamē Chyrurgus quod vlcus cruris turpe erat factum. Itaque post duabus horis loqui non potuit, & paulatim sex horis extinctus est.

Num theriacæ aut Mitridatium, aut cornu cerui in febre quadam exhibenda essent.

CONSVLTATIO CLXVI.

Vt alias constitutum est, nos sumus in ea difficultate morbi, febris est vetusta, ex putredine quidem pituitæ, sed eius iam per putredinem exustæ, & spatio diurioris factæ, timemusque ne calor vna, & siccitas cor iā occuparit; quare potius ea aperientia essent adhibenda quæ etiam humefacere possent, quod si calidis aut siccis vti cogamur, ijs ad incidendum, & aperiendum necessarijs vtimur, non quod calor, & siccitas per se deligenda sint, si putredini incipienti, & humori abundanti esset occurrendum, & qualis est febris maligna, quæ nimia

mia caliditate humorem occupante fit, tunc ficcantia sunt optima, sed cum putredo est illius generis quę à Galeno exustio vocatur, & squalorem humoribus, & partibus continentibus induxit, tunc exficcantia omninò vitanda sunt, & lōge magis calfacientia cum febrem iam fixam corpori cordis veremur, vt nunc facimus. Quare cornu cerui ob vnam ficcitatem, theriaca verò, & mithridatium propter illam, & calorem metuenda sunt potiusque humestantia danda &c.

De febre vetusta, & continua pro Paduanio.

CONSVLTATIO CLXVII.

VT rem optime quidem expositam a viro doctissimo ego quoque eā pariter tractando nostris oculis subijciam sic illius partes, ego dispono. In hoc ęgroto est febris, est hypochondriorum tensio, cernuntur alui fęces decolores, & asperiores quamuis figuratæ. Vrinæ quoque cum sedimento crasso fere crudum sanguinem referente. Corpus omne ex carne factum est è carnosissimo, & facies ferè hypocratica. Febris, vt refert Doctor tertium iam mensem habet, atque amplius. Hæc mala primo ipso aspectu nobis circumscribunt vitæ periculum nedum incommodam valetudinem, propterea videndum quo modo submoueri possint, quibusque tollendis reliqua omnia sint habitura. Quid malum ipsum sit ex corporis tenuitate, & quasi macie, ex vrinis, ex pulsu, & ex aluo indicatur ipsum pertinere ad altricem vim & illam admodum infirmare, qua verò intēperie, quave materia id faciat, & quot modis, & cui potissimum visceri videndum est. Febris subest, & ita calore ficcitateque id fieri videretur, dubium tamen mihi fit, num prior altricis infirmitas an febris ipsa fuerit, febris ne a vitio altricis facultatis an a febre ipsa facultas vitietur. Vbi, quoniam viscera, tam dextri, quam sinistri hypochondrij plena sentiuntur, quā ex vsu esse consueuerint, ego iudico illa infarcta esse, & quoniam inde vis altrix in omnes alias partes vim suam dimittit, puto infarctum illum priorem fuisse, & prius vim altricem fuisse debilitatam, postea febrem subsequutam, quæ ad imperfectum humorum apparatum facile sequi solet, quoniam illi infirmiores sunt, & faciliores ad putrescendum, ex cruditate verò crassiores facti sibi putredinis causa sunt se se enim obstruunt, & necessario perflatu prohibent, continenter verò consumptis noui humores succedunt, & longe etiam crudiores crassioresque, quoniam concalfacta malo calore viscera a putredine concepta celerius succos imperfectos è ventriculo attrahunt, & se se magis infarciunt, & ita febrem pariūt producentque longius nisi viscera ab eo infarctu liberentur.

Sic ventriculus vi concoctione minus sustenrata a iecore, quod tanquam rudior radix auis eius est facultatis, minus concoquit, & inde nos alunm albam, & asperam crudamque cernimus vomitus etiam non raros, cum ventriculus minus possit cibum deprimere complectique, cuius ventriculi pars inferna robustior, quo fortiori iecoris parti, vicinior firmiorque minus cibi delapsum permittit, superna verò quæ longius à iecore est, & minus particeps virium, permittit cibum ascendere, cum flatum conceperit, & diu in ore natarit ventriculi malamque etiam ex mora naturam acquisierit. Nostis enim quod vtrumque ventriculi ostium superna respicit, quod tamen infernum dicitur illud ad mediam iecoris cauitatem situm est, quod supernum supra lienem potius. Vrina ergo minus concocta eadem ratione est, & sedimentum multum, & cruditatē sanguinis colligit. Pulsus vero exilis est, quoniam ex imminuta nutritione cor parum alitur, atque ex febre multum conficitur, & extenuatur. Imo si non verear authoritatem vestram, qui cum Galeno etiam consueuistis, dicerem, viscera

A ineptiorem materiam cordi principio altricis virtutis subministrare, vnde ipsum penis alatur, & prius corporis totius eam fuisse egestatem, famemque quam cordis quod tamquam rex, & potentissimum omnium partium quod melius est ad se trahit, & suo calore melius conficit.

Vna verò febre debilitari cōsumique, & cum eo vim altricem infirmari, quæ verè initium in corde teneat. Consumpti ergo cordis habitum, & tenuitatem pulsus tenuitas sequitur, & faciei squallor, arbitror namque faciei habitum ad cordis mutationem, quam maximè immutari, cordaque maiora facies pleniores, & oculos maiores habere, quod in resecatis cadaueribus multis obseruaui. Ijs ita consideratis ego colligo morbū hunc primo habere infarcta viscera, & præcipuè iecur, nimi-
B rum intempetiem esse cum materia, & forma etiam vitiositate, ad quod febris sequatur, & ventriculi intemperies. Genera autem intemperiei, & materiæ primum frigida, atque humida fuisse, qualia ex humore pituitoso esse solent, deinde eo per febres, & diuturnitatem temporis exficcato frigidam vim quidem retinuisse, ficcam vero acquisiuisse, quamquàm ex putredine multum acris caloris, & acris humoris etiam aliquid inde geniti crederem, nam caloris vitium, vt est, vel acre, vel hebes cruditatem facit, vel fumosam, & salsam, serique erodentis, vel insipidam crassam, & pituitosam. In corde autem iam intemperiem infixam esse metuerē cum pulsum tantopere tenuem, & infirmum durum, & calidum persentiam. In ventriculo vero caloris vim nequaquam acrem esse factam, quoniam ipse a febre, aut
C a putredine in visceribus facta non facilè afficitur, in caloris speciem potius ab humoribus frigidis refrigeratā, vt a prohibitis etiam spiritibus. Morbi hæ partes sunt, originem, & causas iam videamus. Ventriculus primus coctionis minister in hoc homine plures habuit cruditatum causas, nam ipse intemperans admodum in vita fuit, & in cibo, potionibusque, & in venere, atque omni genere motionum subito a cibo habitarum, voracitas etiam facit ne molantur cibi in ore ne inde concoctio melior fiat quę cum mixtio fit, diuisionem in minora facilius sequitur, ex potentiorum vero uinorum usu non solum cruditas non vincitur, sed in iecur citius illa venit, rum a vino illuc deducta, rū calefacto. per vinum iecore attracta.

D In quo calidiori facto parte quadam in serum biliosiorem parte crassiore in limum sanguinis, alia magis glutinosa in gluten vertatur, & ita meatus obstipat, & carnem iecoris male afficit, quæ per intemperiem affecta cruditates acceptas longè peiores reddit, & uiscus semper magis vitiat. Vnde leui de causa motionum corporis, aut intemperanriæ viscus inflammetur, hoc est in tumorem calidiorem incidat, & febrem faciat, quę materia illa suggesta in longum trahatur, & duriorem tumorem spatio faciat, si vultis etiam solicitudines animi, & curas in causis numerare, illi multum momenti huic malo attulerunt, quoniam insolentiores fuere. Spatium vero longum febris, non solum duritiem iecori, & consumptionem, sed cordi quoque attulit. Vnde ventriculus, qui prior mali author fuit ipse vitium recipiat, & ita
E vomitionibus exagitetur, quoniam cordi coniunctissimus est, & in cauæ iecoris parti maximè affectæ. Hac morbi generatione proposita, & specie ac magnitudine motus, eius ratio perspicienda esset, & in quo mali tempore simus esset decernendum, verum quoniam in morbis tantum salubribus, tempora omnia morbus haber.

In his vero qui dubij sunt, & potius in perniciē tendunt, totus morbus, aut initium est, aut cum eo incrementum omnino habet, non tamen incrementum a coctione, vt in salubribus, sed ad incremento accidentium quorundam metiendum, olioquin totus morbus initium fuerit vsque ad exitum. Quo in genere cum simus, aut initium mali cruditate adhuc permanente est, aut in incremento est cum semper magis, ac magis actio-

actiones vegetales debilitentur etsi calor febris imminuatur, quoniam materia partes calidiores per dissolutionem amisit, & motus tarditatem acquirit. Cruda ergo materia est,& refrigerata etiam spatio,nedum exsiccata, quapropter initium adhuc morbi persistit. Cuius verò etiam generis putredinem habeat,seu cuius moris febris existat,illud ne quo confestim corpora necantur,eorumque calor dissoluitur, an quo paulatim tabescat est apertissimum, cum tamdiu habeat, & nondum exitium attulerit, præterquam quod signa exitialis,& malignæ illius putredinis absunt.

Quid ergo futurum sit possumus coniectari, nam vis corporis admodum infirma facta est, materia morbi cruda, & spatio multo duraturam illam superabit, & non subito, sed paulatim consumet, nisi fortè in partem aliquam vitæ necessariam defluit. Quid autem agendum ne sine officio caritatis illum deseramus,id certe est, quod & morbo occurrat,& viribus non officiat, nam morbi remedia semper viribus repugnant. Itaque hypochondria fouerem coctionis iuuandæ causa, potiones ad id idoneas præberet, vt ex syrupo de corticibus citri de cicco etiam composito, & cum rhabarbaro; atque oximel etiam adiungerem. Fumumterra non præterirem, qui humidam vim habet, & vna detergentem, atque etiam moderatè calfacientem, visceraque firmantem.

In viuendi modo autem potior cura ponenda est, vt crebro detur cibus,& leuis,atque optimi generis quemadmodum contusum ex carnibus ex ouis exiguo aceto permixtis, & iure dilutis luteo, seu vitello tantum delecto. De vino concedendo ego anceps sum, in tanta enim virium tenuitate ego eius infirmissimũ genus concederem benè maturum, & tenuissimum, neque febrem metuerem, quæ iam ferè solida premere videatur,& tam exsiccasse illa, vt citam admodum nutritionem efflagitent. De medicamentis purgantibus ego nullam esse deliberandi occasionem crederem, cũ sub hac cruditate, & virium exitio nimis certum malum sint allatura.

Is tertio a consultatione die extinctus est. Resecto corpore autem iecur tribus fuit schirrhis atris primum deinde totum etiam male affectum, & cor extenuatissimum.

De Vgolino Maranello febri continua detento.

CONSVLTATIO CLXVIII.

Recipiam ea quæ à vobis dicta sunt viri sapientissimi, quoniam nihil habeo amplius dicendũ cum omnia rectè sint a vobis proposita,& disputata. Aetas est 63. circiter annorum,naturaque biliosa sæpè ab iracundia exagitata,alioquin validissima, & salubertima. Ab hinc annum integrum cum ruri insolitis laboribus in agro vlus diu esset,valetudinarius factus est, & quod nunc cernitur, hypochondrijs nimis infarctis sine medico diu fuit, postremo vt referr excellẽtissimus vir fuit ter a febre tentatus, toriesque vindicatus, vel potius, vt credo leuatus, quoniam cum recidit non habuit initia febrium intermittentium, eiusdemque semper tenoris fuisse suspicor,etsi casus diuersos attulerit. Postrema attulit angustiam ventriculi, & æstuationem haber sub qua vomit quidem, at nihil humoris cibumque solum. Vrinæ crudæ sunt,& asperrimo sedimento refertæ. Pulsus,vt in ex carni corpore paruus,celerrimus, & satis crebet, inæquabilibus verò apertè ictibus. Animus alioquin integris uiribus vtitur,benè loquitur,lingua parum affecta,& vix nunc decumbit,nam proximis dieb. surgebat,cum etiam satis commode accepit,hucusque nisi,vt intelligere videor,iam fastidiosus esse incipiat, sitis verè nulla est, quamquàm cum bibere incipit libenter postea bibat. In quibus sunt illa, quæ febrem hanc ex

A putredine humorum esse ostendunt. Pulsus enim in eodem ictu apertè inæquabilis est. Vrinæ verò humorum exustionem significant,quamquàm pituitosorum, quare etiam eius generis putredinem esse, quæ non ad maturationem,neque tamen ad corruptionem illam sæuiorem malignę putredinis tendat, sed ad exustionem. Itaque morbi quoque tempus esse initium, si salubris morbus esse debeat, viribus enim infirmis fortè propè exitum morbi,& vitæ sumus. Quod materiæ genus sit putredini subiectum constat pituitam esse, cum quotidie post meridiem fere somniculosus, & grauis fiat,cum vrinæ remisso colore penitus sint,cum non sitiat, quanquam etiam pituita per putredinem sitim afferret, nisi è capite multum illius integrum,& sine putredine delapsum ori ventriculi sitim extinguat, aut certè deliniat, B aut tegat.

At id nauseam, & vomitum cieret. Potius pituita multa in ventriculo gignitur, quæ tamen pituita post quam in venas adducta est, diu putredine obsessa, iam exsiccata pulsum celeriorem esse permittit, & minus mollem. Quid ergo naturæ, quid magnitudinis tarditatis,& morum habeat hic morbus, videmus, quid autem futurum sit, ego solum perniciem præuideo, quando ne illa futura sit, nisi a symptomate aliquo quid grauius afferatur a morbo quidem,& a causa morbi longum spatium exspectarem, verum ab obstructis visceribus ventriculus solet, sæpè subito aliquid recipere, cum eo maiori molestia quo ore infirmiori, & acrioris sensus est, atque etiam cor, tum pulmones ita mortem cito afferre, quare certæ prædictionis locus nõ est, nisi quod in tanta virium infirmitate,& morbi vi mors exspectãda est. C Interea quid agẽdum ad coctionẽ iuuandam? certe ne æger, omninò deseratur, sed incidentibus etiam, & abstergentibus potius quam calorem valdè mouentibus, nè materia cruda in uisceribus quieta intempestiuè cõmota natura minus subiecta aliquid mali moliatur. Vnde fomenta etiam illa proposita a vobis ego libentius præterirem, ne æstuationem materiæ, & motum inferret, citioremque pernitiem adduceret. Sed illitionibus contentus essem ad ventriculum dandis, & præterea potionibus matutinis ex syrupis de cicorea Nicoli, de corticibus citri cum oximelite, syrupum bizantium, & acetosum diarrhodum dicta de suspitione suspectos haberem. Rationi victus potissimum vacarem, oua non darem cum satis cibi assumat, sed cum cibi fa D stidium accedet, tunc illa dissoluerem ex iure, & aceti momento quo incisionem humorum non impedirent, videnrur enim humoribus lenitatem non in lentorem afferre, vinum quoque ei interdicerem, ne suspecta crudorum humorum motionem inferat. Aquæ tamen aromata incoquerem potius, quam stillatitiam aquam cinamomi aquæ immiscerem, nam hæc nimis mouet.

De Comitissa Maphea Iusta, fluore muliebri albo agitata.

CONSVLTATIO CLXIX.

E Si vnquam in vllo colloquio mihi nihil reliquum factum est ad dicendum ab ijs, quos ante medicere contigit, in hoc certè id euenit, ita ut ego, cum optimè dicere optarem, meliora nunquam cogitatione mea potuissem assequi, quam quæ a doctissimo,& prudentissimo viro proposita sunt. Ergo illa mihi quoque percurrenda sunt, quæ porro ratione nulla noua expoliã, quoniam meliores rationes non habeo minus valdè polleo dicendi vi, solummodo ea quasi in conspectum collecta adducam, neque quod mihi defers Medice nobilissime de illis iudicium faciam, sed tanquam rectè iudicata recensebo. Excrementum hoc quod per fluorem album amittitur præter naturæ modum est, nedum molestum est,& languorem affert, eius natura pituitosa iudicatur,

dicatur, quoniam crassum, minime mordax, & lentum est, & quamquàm colore in luteum vergit id supra pituitæ consuetudinem non habet, quæ insipida sæpè in luteum inclinat, præsertim dum aliquo in loco diutius percocta est, & a continentibus partibus inficitur, maximè vero id coloris habet, cum in linteis accepta exsiccatur, imò etiam excreta diu manserit antequam siccescat. Hoc humoris genus originem, aut a uentriculo, aut a cerebro habeat necesse est, nã quamuis hic fluor a mala nutritione totius corporis veniat, vt rheumatica omnia secundum Galenum, quod alimentum solidiorum subterfugiens materia in vterum raptum habeat, hic tamen solidæ partes ipsæ seipsæ eius rei causa non sunt in corpore alioquin benè sano, neque sic infirmæ sunt, vt alimentum eousque vitij adducant, quin tale ipsum potius excipiant, & tanquam alimento suo ineptum reijciant, quod necessario sanguini immixtum ad illas accedit, inducatur verò sanguini, aut a cerebro, aut a ventriculo immissum. Equidem corpus hoc vniuersum nequaquam male habere video, minus pituitoso generi aptum, quod calidum, & siccum sit natura, neque dum ætate quæ fertur 35. annorum frigus susceperit, calor quidem naturalis dictus quo magis ad summum ætatis incrementum accedit, eo acrior fit, & vim naturalem magis amittit, igneam vero contra tantumdem acquirit, quantum de naturalis ratione imminuit, non tamen propterea naturalis vis ita infirmata, vt animantis est pituitam faciat, cum ab igneo infirmitas facta firmiorem ignis naturam seruet, qua natura cruditates tostionis, & exustionis soboles pariat, non pituitæ, aut humoris propriè crudi nominati, est enim debilis, vt animantis, non ut ignis vis est; quamobrem ad totum sic calidum, & siccum originem primam ego nunquam referrem quod illud seipsum causa esset, sed in ventriculum, & caput.

Etenim ventriculo non admodum bono esse affirmat, & eo sæpè grauiori esse, & cibum respuente, cum minimum etiam fitiat. Capite vero etiam minus calido eam esse video, cum tardatum motionum sit, non dico actionum animosæ partis, quoniam satis iracunda, & anxia est in motionesque si prompta est id impetus ab anxietudine, & rei solicitudine habet. Cerebro alioquin frigidiori, & tardiores actiones ostendente, quod ex capitis forma minus expressa, ex oculisque ad eundem modum fabrefactis, & exiguis eorum venis, & capillorum modo exili intelligitur. At capitis nullæ querelæ sunt, non dico ego euidentem morbum per se in capite esse, vt reliqua membra consensione cum eo afficiantur, sed causam huius morbi, & pituitæ generatione, quæ eius intemperiem, vel naturalem aliquanto magis auctam sequatur, quæ pituitæ generatio sæpè copiosissima est capite nihil mali sentiente, & si propriæ intemperiei notis non possit carerre, illæ tamen molestæ non sunt, quod multis destillatione affectis euenire videmus, facilius verò id fit ventriculo sic male suum munus obeunte, non solum enim cerebrum suapte natura alimentum vitiat, sed aliunde nutritioni ineptum accipiendo illius vitium auget. Ab vtroque ergo loco sanguini ingruere illud humoris genus existimo, a capite enim per venas cerebrum complexas ab eoque refrigeratas, & per ventriculum quoque in quem delapsus facilimus noctu præsertim est, a ventriculo verò per iecur. Quod si in toto, vel in vtero humor nasceretur fluoris magis continuarerur, maximè si ab vtero veniret, nam toto quotidie alescendo quotidie excrementum demitteret, neque vterus respueret, qui suscipiendis non attrahendis certa ratione recrementis facta est. Cum verò a ventriculis, & a capite proficiscatur multo spatio loci intercedente potest materia morari. Itaque accepta occasione a motu in rheda, aut alio modo facto, tunc illa materia deorsum raptum habet, & a partibus calidioribus nimia attracta, nimia etiam reliqua fit sub alimento, vnde in vias vteri demittatur. At sudore veniente, & tempestatibus calidioribus fluor cessat, præterea to-

A to corpore grauis est. Dico fluorem hunc languorem illum parere, nam non puto esse grauitatem, sed languorem, qui etiam a ventriculo cum grauatur solet moueri. Sudores vero excrementa non solum quæ, vt hoc loco carnibus supersunt, sed quę in sanguine quoque comprahensa sunt, hic autem in continentibus partibus distributa illisque superuacua, & efferant, & consumant causam, & materiam fluoris tollere dubitandum non est, quare firma nostra sententia est quæ hac parte diuertit a tua fluor materiæ habet non solum ipsam materiam, sed impetum per vias sæpè laxiores, impetus vero a parte ferè immittente, & recipiente est. Materia eiusque procreatio tollenda est, viæ firmiores reddendæ, pars suscipiens quoque confirmanda. Ventriculus, ergo imprimis exonerandus, quod si per vomitum fieri

B posset rapturi materiæ etiam occurreretur uerum vomere non posse asserit, a capite quoque matetia detrahenda, & a delapsu in ventriculum diuertenda, & tandem caput ventriculus, viæque, & vterus omnino exsiccando. Hiera non vterer facilè, ne copia aromatum materiam interea ad uterum deduceret, potius agarico, & rhabarbaro cum aloe; præmissis potionibus ex melle rosaceo, aut syrupo rosaceo cum oximelitis momento, postea syrupum subiungerem ex succo betonicæ, & rosaceum, vel de mentha potius incocto agalocho, sandalis, acetosa, & maxime omnium saluia, & nisi auersetur absinthio alternatimque pilulis interponerem. Tãdem aquarum thermalium potiones darem ad purgandum exsiccandamque materiam, non Patauio, quoniam nimis laxant, neque Chalderiæ, quoniam ventri-

C culo frigidiori inutiles sunt, quamuis humidiori valde prosint.

Sed Mutina, seu Regio inuehendas curarem, quæ Aquarianæ dicuntur ad pituitam extergendam, easque iecur, & vterum, & renes expediendos accommodatissimas, & exsiccandos, membraque confirmanda. Non cedente malo vellem haberet in vsu pilulas de rhabarbaro ipsius Mesues, quæ habent absinthium, cum myrobalanis, & trochiscos diarrhodon, sed in ijs quæ viscera, & medias partes corporis iuuarent, ego aquas potandas darem ad ambitum corporis, & vias uteri refrigerandas, vt ex fragis fragaria ve, & plantagine cicorea, & acetosa. De victus ratione non est, vt dicam, quoniam hæc non sine medici consilio præsenti facienda sunt.

D

De Vxore Ioannis Ferlegheri ventriculo laborante, cum alijs etiam malis.

CONSVLTATIO CLXX.

IN re hac doctissime vir ego maluissem priori loco dicere, vt dubitationes quæ mihi occurrunt quęque a me nunc sunt exponendæ a te soluerentur. Etenim video corpus optimè nutritum indies pinguius fieri, &

E bene coloratum esse.

Scio pinguedinem ex bona sanguinis concoctione fieri, vt etiam nutritionem, nam pars quæ vnctiosior ex bona concoctione fit, in solidas partes carnesve conuerti non potest, ita frigidioribus adhærens concrescit, & pinguedo fit.

Itaque bonam omnino sanguinis confectionem habere hoc corpus ostenditur, vnde etiam ipsa imminutio purgationum menstruarum facilè posset proficisci, quæ purgationes sanguinis crudioris esse consueuere, nunquam certè illius, qui penitus concoctus solidioribus partibus, iam potest adhærescere, vt qui in pinguedinem transit.

Parcitas ergo menstruorum bonæ sanguinis coctioni, & pleniori nutritioni posset adscribi, eo maximè verò quod

rò quod illud exiguum sanguinis, quod quoque mense effluit optimi generis est, & minimè vitiosum. Cōtra tamen ijs repugnant alia, & quod dolor ventriculi sub menstruum tempus eam tentat, & quod vrinæ sunt crudis excrementis refertæ crassæque, & menstruorum tempore edaces; quibus accedit sitis, & cibi exigua cupiditas; ex quibus, & bilem, & pituitam salsam, & crudos humores subesse significatur, & omninò sanguinem non ita bonum creari. Quapropter ego rem totam in vna vētriculi vitiositate ponerem, & si quid in sanguine crudi est, ventriculi culpa esse crederem, iecore nihilominus partem quam superat, & ita venis in bonum habitum adducentibus, & pinguedini materiam parantibus, neque reliquum fieri multum crupum ad menstrua promouenda producendaque, quod verò crudi à ventriculo est, id per calorem crassius fieri, & spatio moræ quā in venis propter earum angustiam in pingui corpore trahit, dum concoqui non potest mutari, tamē necesse est, salsum fieri, & exuri, tum vrinis morsum inferre. Quæ cum ita esse sit verisimile vnius ventriculi curam posse satisfacere existimarē vtero, & venis bene habentibus, quod ex corporis nutritione, & ex filiorum bona procreatione gestationeque intelligitur. Itaque ventriculus ciborum varietate, & copia, vt solet nō est onerandus, & bono genere ciborum alendus, & potationum intemperantia remouenda, vt in muliere germana fieri potest; quæ vino delectetur, & somnus largior præcipiendus. Deinde ad purgationem ventriculi accedendum, quæ melle rosaceo solutiuo potissimum fieret, & pilulis de tribus cum rhabarbaro; cum hiera, detersio verò, & incisio humoris procuranda, cum syrupis ex melle rosaceo oximelite, de succo betonicæ, cicoreæ, incoctis lupulis, betonica, cicorea, melissa, & tandem etiam absinthio ad syrupum de corticibus citri tandem ad theriacam, & ad mytridathum accedendum, vbi rosatam nouellam etiam oportunum crederem. Quæ nisi satisfaciant ego serum caprinum, cum aceto squillitico, aut oximelle eiusmodi darem, vt hodie consueuit ad modū Dioscoridis paratum; succumque ei betonicæ, & absinthij etiam imponerem, & spicam indicam macerarem. Tandem ad aquas D. Petri in agro Patauino deuenirem, quę vētriculo maximè vtiles mihi videntur. Atque has satis profuturas esse sperarem.

De Monacha Rocuia melancholica.

CONSVLTATIO CLXXI.

SI ego indefinitam syluam symptomatum à vobis propositorum sequi vellem, oratio in immensum serpat necesse est. Causas potius quas subesse est verisimile, accipiam, & illis per certa, & definita symptomata cōprobatis remedia inueniam. Hypochondriorum partes obstructas esse ostendunt flatus ibi multi ex conuolutionis sensu manifesti, ostendunt calores à cibo moueri soliti, & angustia cordis nominata, tum ructus acidi, etsi ab alijs etiā saporibus intercipiantur, vt eo qui oua tosta refert; ostendunt verò maximè mœrores qui consuetudinem, & laborantiū aliquo molestiori morbo superant, vnde sine causa manifesta eam superantiam habent, qua numquam quidquam cogitatione potest tractare quin in morbi sui metum non recidat. Obstructionem potius hypochondriorum sequi mœrorem hunc quam totius corporis, aut cerebri habitum coniectura est, non solum eo, quod absint notæ eorum propriç, sed propter reliquos proprios casus obstructionem eam sequentes, flatus verò præsertim sub hypochondrijs versantes, & acidos ructus, & malos oris sapores, & demum

A etiam febres, quæ quamquam à melancholiæ generibus remoueri solent, ab obstructione, tamen tum nō remouetur, quod ei familiaris est. Illa antiqua, & confirmata est, febris tamen recēs cumulum obstructionis insequuta. Obstructionis itaque princeps curatio esse debet, quæ vetusta cum sit, difficilis etiam est, præsertim, quoniam causæ adhuc præsentes calor nimirum iecoris, & ventriculi frigus, hoc fortè non tam à natura quam vitæ vsu, & animi perturbationibus. Iecoris autem calor à natura, & suorum genitorum similitudines vi factus, vnde, & pater, & fratres in hoc affectus genus melancholici inciderunt. Quapropter non solum obstructioni, sed causæ ipsius occurrendum est. Iecoris nempe refrigerio, & ventriculi calefactioni. Obstructio non solum materiam sibi con-

B iunctam, sed quæ inferri in meatus obstruendos potest, remouenda est; quod difficile etiam est, quoniam detrahi non nisi per eosdem meatus, quas in transitu magis obstrueret, nisi paulatim detrahatur, & admodum extenuata prius sit, vt in hypochondrijs curandis monemur. Itaque aluo prius delinita, & exonerata sanguinis, aliquid, & paulatim per phlebotomiā detraherem, & epicrasi vterer; potiones ex cicorea ex lupulis ex fumoterra darem in quo fumoterra humiditas multā siccitatem humoris molliens vna secum abstergendi vim habet purgataque prius leniter humoris parte ad fortiores potiones ascenderem ex fumoterra compositiori ex epithymo, & polypodio, & de pomis sabor Regis, est enim syrupus de polypodio

C propriè ad hypochondriacos descriptus; qui non modo humorem parat, sed eum etiam detrahit valētius, quam ille de epithymo facit, quibus ego adiungerem electuarium Indum, & confectionem Hamech, postremo loco tantum, nam diu leuioribus tractarem negotium, vt diacatholico, vt sena, polypodio, & epithymo adiectis, incoctisque ijs, quæ vires eorum firmarent, & vitia noxasque delinire possent, nempe passulas ad siccitatem polypodij, radicem dulcem, pruna, & sebesten, seu mixaria, ad flatus verò discutiendos, viresq; eorum, & ventriculi calorem corroborandum, cinnamomum, anisum, schœnuanthos, & id genus alia, quæ vobis notissima sunt, vt eorum etiam componendorum modus, quibus si quid adijciendum est setum caprinum mihi probaretur in quo illa pararentur. Imò post horum vsum darem etiam,

D atq; etiam serum ipsum maiori modo, vt ad quatuor librarum pondus, cum ijs, quæ ipsum valentius, & visceribus amicius redderent, vt spica, epithymo, & sena, aut syrupo de polypodio dicto totisque quindecim diebus ipsum exhiberem. Interim exterius aliqua ad robur ventriculi ad molliendumque viscera hypochondrijs admouerem; fomenta nimirum ex œnanthe, ex chamæmelo, absinthio, garyophillis, meliloto, eupatorio, & similibus. De ratione viuendi pauca dicenda sunt, morbus diuturnus, & longus est, victus mediocris esse debet, tamen extenuantium virium, à quo vinum non circumciderem. Acetum probarem, aut certè oximel ad cappares condiendos, lupulos, asparagos, quorum nunc tempus est, conce-

E derem; boraginem laudarem buglossum pariter, & quæ horum similia sunt. Ptisanam animaduerterem, ne in stomacho acesceret, quoniam vidi in multis hypochondriacis febrientibus, eam & acescere, & malum stomachum efficere. De reliquis plura dicenda non sunt. Vinum tenue, & imbecillum eligerem, & potius album, quam rubrum, & quamuis non integram valetudinem falsem leuamentum morbi sperarem, &c.

De muliere tabescente, & hypochondriaca.

CONSVLTATIO CLXXII.

CErnimus mulierem ætatis 47. annorum naturæ calidioris, omninò tabescentem cum pulsu crebro, duriori atque infirmo, vrinis tenuioribus eneoremate puluerofo, & indiuiduis nigris, lingua alba, seu decolore potius, nitida, molli, & læuorem in modum bractææ referentem σελαχῶδες, hypochondrijs plenioribus, ad finistrum verò versus vmbilicum tumore pulsante toto ad numerum motionum ipsarum arteriarum. Cuius valetudo iam anni spatium attigit, & mœrores habuit, quantos non solum morbus afferre, consueuit, sed multo etiam maiores. Ex quibus ego colligo, quod status morbi dupliciter considerari potest, tum vti grauior agnoscitur, tum vt factus est. Nam potius malum, vt nunc est, in cordis nutritione deficiente esse conijcio, cuius nutritionis vitium ex pulsu, & totius corporis habitu intelligitur. Cor enim à pulsu dignoscitur, quo infirmo, & duriori cor malè nutriri, aut nimia inflammatione, aut propria aut alterius opprimi certum est.

Hic non opprimi sed male nutriri significat morbi diuturnitas, quę per febrem ad consumendum potius fuit idonea, & non solum humores, sed etiam carnes confecit corporis prius totius, deinde etiam cordis, quod postremo solet egestatem sentire, cum sit tamquam tyrannus, vt corporis macies nō sit satis ad cordis maciem denotandam, nisi pulsus quoque tenuitas accedat, quæ huic mulieri maxima est. Siccitas ergo in corde maximum hic malum est, & calori coniuncta est, vt crebritas pulsus ostendit; vnde est febris tabida, quæ refrigeratione, & alimento indiget. Postea est, hypochondriorum malum, quæ infarcta sunt, & ideo dum natura nititur flatus, & recrementa expellere sæpè meatus obstructos inueniens, tunicas inflat, & dilatat, quod factum vidi in meatibus vrinarijs à renibus in vesicam venientibus in eo, cui vrina fuisset suppressa, & vena atque arteria, quæ ad lienem pertinet in eis, qui flatubus hypochondriasis vexati fuissent, præsertim in quodam qui marasmo fuerat, consumptus.

Illi enim meatus ad instar intestinorum erant dilatati, quod euenisse iam in hac matrona satis aperta coniectura est; cum arteriam tam dilatatam tactu ipso percipiamus. Ex quo si generationem mali non statum persequi velimus, prior fuit omninò hypochōdriorum obstructio, quæ ob nimias solicitudines, nimiosque labores alieno tempore susceptos, extitit, quam febris subsequuta sit, deinde spatio accedente febris cordi adhæserit. Quibus propositis non video quomodo vitam, tamdiu retinere cor valeat, quamdiu causa mali tolli possit. Tamen alimenta omnino facilia quærantur, quibus cor possit sustineri, & cum illis medicata aliqua coniungantur, quibus, & refrigerium cor, & hypochondria apertionem nanciscantur. Hoc lac non habebit, minus ptisana, quæ in ventriculis hypochondriacorum solet accessere, quare ego ad aquas stillatitias pullorum, qui hordeo carnibus ranarum, testudinum, cochlearumque in pastillos redactis nutriti essent me conuerterem, cum quibus ea, quæ ad refrigerandum, & obstructiones tollendas faciunt, componerem, vt melissam, cicoream, cicerbitam, endiuiam, acetosam, semina frigida, lactucam, violas, & præcedente tempore etiam magis abstergentia, quæ vobis ignota non sunt, neque plura ego dicam, quoniam video vires non superesse tantas

A quantas oporteret, coctiones quidem ventriculi iuuarem fomentis, sed non ita impensè calidis, ne quod in ægrotis alijs vidimus hærentes hypochondrijs infarctis, & stagnantes humores fundantur impensiusque ad cor, vel ad ventriculum moueantur, & χρονικὸν morbum acutum faciant, mortemque afferant; cuius rei signum in alijs fuit quòd subitò à fomentis hypochondria vetusto iam malo oppressa æstuarunt, & paulòpost ægri sunt suffocati. Vinum non denegarem in frigido morbo, & viribus, tam infirmis, & alimenti celeritatem postulantibus, cuius morbi naturæ frigidæ nota summa est carnium temperies tactu percepta, lingua decolor alba, & omninò leuis, quæ obstructionum à frigidis humoribus illatarum, & viscera iam refrigerantium nota est. Medici
B solent lac proponere, sed tam obstructis visceribus, & refrigerato ventriculo, illud ego pernitiosum iudicarem, quod in alijs expertus sum. Serum illius ego potius darem, quo naturæ familiari aluus moueretur, & ab alendo non esset alienum, cui incoqui ea etiam possent, quæ ad detergendum, & vna alendum essent idonea, quorum supra census habitus est; quæ vti alibilia fierent adiungerem amygdalas, melonum semina, & cucurbitarum, nec non etiam pistaciorum. Stillaticias ego aquas testudinum, aut cancrorum, aut cochlearum ego dare non auderem, quoniam, & obstructiones augere confirmareque possent, & tamen nutritionem facilem non habent. Iura potius eorum herbis incidentibus, & detergen-
C tibus modificata præberem, num vel cochlearum ius aperiendi vim tenet.

De subita visus amissione.

CONSVLTATIO CLXXIII.

DVbia illa mihi fiunt in hoc homine, ex ore vestro viri doctrina, & peritia præstantissimi, visus ne amissus sit per pupillæ dilatationem, an suffusione, an verò meatus optici obstructione.

Vueæ certè dilatatum foramen in oculo video, suf-
D fusionis etiam colorem illum sub glaucum suspicarer; ex subito tamen casu meatum fuisse obstructum cogor assentiri, nam fieri non potest, vt tantum spatium quantum inter vueam, & crystallinum intercedit sic repleatur, quo visum impediat vijs, tam angustis à cerebro à membranis ad eum locum, & humore frigido, & pituitoso crassosque facile quidem, & subito meatus opticorum neruorum, qui fermè inuisibiles sunt possunt impediri humore à cerebro demisso. Etenim ego sic de re iudico, neruorum obstructionem à materia veniente per solitam alimenti viam fieri, quam credo esse meatum à cerebro per neruos omnes ductum, sicuti alimentum, credo esse à cerebri corpore comparatum; & per eos meatus demissum; quemadmodum è iecoris corpore ali-
E mentum carnibus è corde ferè membranis, & fibrosis partibus omnibus, quoniam ex ipso initium fibræ profectò originem ducunt, vnde arteriæ, & venæ, inde oriuntur, vt ex vena arteriosa, & arteria venosa colligimus, vna venæ tantopere, quantopere arteriæ altera naturam tenente; corpore autem iecoris, à fibrosis venarum corporibus omnino alieno. Sed de ijs disceptandi hic locus non est, hoc mihi sat est, quod humor albugineus refici videtur ex meatibus piæ matris tunicam internam optico inducentis, quæ ad eam partem dilatatur sub vuea, & amphillitroidem facit meatusque tenuissimos, & inusibiles habet, per quos crassa materia, & multa subito labi

non

non poteſt, vnde caſus ſubitæ amiſſionis viſus ex meatus illius obſtructione eſſe credo, cum ſubito ſpeciem nigri coloris oblatam ſibi dixit, nimirum quod tenebræ, id repreſentarent, referrentuè, vel quod humor etiam antequam obſtrueret penitus nigrorem halitus ante cryſtallinum promiſiſſet, poſtea humore deſtruente ſenſim meatum emanante ſuffuſio, & dilatatio pupillæ ſequutæ ſunt, nigrorem verò eum non amplius videat, quoniam, aut tenebræ ſint tenuiores factæ obſtructioque extenuata, cum luminis ſpeciem nunc internoſcat, ab interpoſitis humoribus, aut humor ille ater, & concretus magis diffuſus ſit, & ad ſuffuſionem faciendam, & vueæ amplificandum foramen liquatus. Summum illud caput hic vobis ſtatuendum eſt, quod oculus humorem conſumendum continet, qui per meatum opticum ad albuginem fuit delapſus, & potuit in eo tranſitu ſubito viſum penitus abſtuliſſe, nunc autem fortè ſub vuea in albugineo totus conſiſtens, & fuſus non penitus viſionem impedit, vt impediret ſi in meatu illo conſtitiſſet. Cuius humoris natura pituitoſa eſt, quemadmodum ex glauco colore ſignificatur, & ex loco naturę, vnde venit, quæ cerebri eſt, confirmari poteſt.

Alterum deinde caput eſt, quod humor, cum intemperie in cerebro eſt, ſiue illum aliunde, ſiue à ſe habeat, non enim remitterer quod non haberet, fortè à ventriculo accepit, fortè ipſum gennit, quod poſtea in eius loci curatione erit dignoſcendum. Nunc quod inſtat determinandum eſt, nempe, & quod in oculo, & quod cerebro verſatur eſſe diſcutiendum, ac ſi qua cauſa eſt delabendi huic humori, ea quoque remouenda, poſſet autem ea eiuſmodi eſſe, quæ in omnibus defluxionibus conſueuit, nimirum capitis concaleſcentia à frigido ſubſequente, excepta qua funditur primo humor, & è toto corpore attollitur, poſtea frigore, vel caloris deceſſu humor rurſus concreſcit, & grauans depellitur delabiturque. Quare primo videndum ne humor à ventriculo per cruditates ſuggeratur, cibique craſſi remouendi, & ventriculi concoctio iuuanda.

Videndum poſtea, ne caput incaleſcat quo refrigeſcere ſubinde cogatur, & præſertim à cibo motiones, & capitis calefactiones ſub ſole ab igne, & ſimilibus prohibendæ; corpus totum expurgandum, deinde caput, poſtremo oculi, motiones verò etiam humorum in caput, & in oculum auertendæ; frictionibus, cucurbitulis, vlceribus inhærẽdis, & ſimilibus, quæ omnia ego ſic diſponerem. Aluo exonerata per leue aliquod medicamentum, corpus purgarem venæ inciſione prætermiſſa, quoniam præterquam quod à ſanguine non timemus ſanguinis etiam miſſionem aſpernatur nõ ſolum ętas, & humoris genus, ſed præterea cerebri conditio, quod ſi diceret quiſpiam, ſanguinis miſſio per ſectam venam ad dimouendam obſtructionem faceret.

Ego non video, quomodo id facere poſſit, partibus in oculo, quæ cum venis non communicant, aut in meatu optico, aut cerebro, quæ à venis diſiuncta loca ſunt. In viſceribus illud à ſecta vena maximè ſpectare ſolet, quoniam venis ſunt penitus referta, immo dicebat Ariſtoteles, quod ſunt ad venas ſuſtentandas facta, ſic etiam in cerebri membranis inflammatis ad miſſionem ſanguis confugimus, quoniam cum venis maximè continentur. Continuatio ergo meatuum poteſt afferre ex ſecta vena viſceribus, & cerebri membranis illud commodum, cum obſtructę venę ſunt, at cerebro, & poro optico minimè. Purgandum itaque medicamentis corpus, præſertim à pituita, & humoribus crudis non ſolum per aluum, ſed etiam per ſudores, & ad vtramque purgationem humores, & corpus parandum potionibus ex betonica euphragia, fœniculo, ſyrupo etiam acetoſo, vt humores pituitoſi detergantur, incidantur, & concoquantur; poſtea medicamentis detrahantur, in quibus primum diacatholicon cum hiera, poſtea etiam diaphœnicon, cum hamech. Poſtremò etiam poſt ſyrupum de ſtœchade, cum ruta, & ſimilibus detrahantur pilulis cochijs, & fœtidis, etiam cum elleboro. Sudores ſubinde ſic purgato corpore moueantur per ſalſam pariliam aquæ incoctam, cum betonica, ruta, chelidonia, & euphragia. Corpore demum etiam per hæc perpurgato, caput per gargariſmata ſaltem ipſum quoque purgetur, & ad extremum collyria ex fellibus, ex ſucco fœniculi, chelidonij, rutæque cum melle ſtillato indantur oculum per leuiora ſenſim aſſuefaciendum, initio facto à butyro, vino, & aqua fœniculi loto aloe etiam ſolo aquæ eadem macerato.

De Alafrangina bene grauida, & doloribus imi dorſi exagitata.

CONSVLTATIO CLXXIIII.

PHyſici præſtantiſſimi, duo ſunt quæ Medici curam poſtulant, alterum quod maximè vrget eſt dolor, vnde tanta exagitatio, & conflictatio, & vigiliæ ſunt, vt & fœtus, & ipſius matronæ vita periclitetur, alterum eſt inflammationis initium, quod ſubeſſe iudico. Vtrique fortaſſe ijſdem remedijs poteſt conſuli. Dolor ab inflammatione eſt, quæ ad oſſis ſacri partem mediam pertinet, ex inſolito labore, vſque ad ſudorem ſuſcepto, difficili itinere ambulando, deinde ſubita refrigeratione ſudorem excipiente, in ea verò parte, quę magis onus fœtus iam grandioris, & octimeſtris perfert. Itaque cum propter partes neruoſas ad ſpinam dolor intollerabilis fiat, & nimis exagitet poſſemus cum anodynis miſcere, quæ initium etiam inflammationis frangant, vt veſſica comprehendatur non oleum tantum ſeſaminum, liliorum alborum, anethinum chamomælinum, amygdalarum dulcium, ſed violaceum, roſaceum, & etiam myrtinum, idem in balneis adhibendis obſeruando, quibus tepentibus non ſolum olea dicta admiſceantur, ſed cum althæa, malua, violaria quoque, & roſæ incoquantur, in quibus remedijs paulatim ad anethum. ſ. lini, ad melilotum ad fœnugręcum, atque etiam ad valentiora conſcendamus, quod in clyſteribus quoque præſtari debet, quibus dolore non cedente etiam philonium romanum inijciendum eſt; neq; modus ʒ. ſ. verendus, immò ne opium quidem ipſum ad gr. 4. vrgente ipſo dolore, quoniam etiam influxum materiæ prohibebit; interea verò ille quoque auertendus.

Sectionem venæ ſic efflagitante inflammatione, quæ in grauida muliere partem habent, quæ magnum morbum faciunt. Miſſionem tamen ſanguinis parce faciendo, quoniam alioquin fœtus octauo menſe multo alimento eget. Cucurbitulis natibus poſtremò, prius autem humeris appoſitis, etiam inciſa cute frictionibus, medicamento per os dando leniori ne fœtui moleſtum ſit, quod tenues humores detrahat, quale eſſet ex manna, & ſyrupo roſaceo ſolutiuo. Demum ſi dolor his non ceſſerit, ego inungerem locum dolentem oleo ex ſcorpionibus à Mathiolo deſcripto; quoniam habet vim vehementem extrahendi ſeruato illo inungendi ordine qui præſcribitur in oleo magni ducis adhibendo. Nihil ego poſtea dicam cum in tanto dolore, & periculo inſtet agendi tempus: niſi quod vinum penitus circumciderem.

Hæc abortiuit sequenti die doloribus minimè quiescentibus, postridieque illius diei abortus inualescebant, tertia die exanthematibus exeuntibus meliuscula visa est fieri, tamen quarta ab abortu die extincta est.

De adolescente facilè in maniam erumpente.

CONSVLTATIO CLXXV.

Vir doctissimè duo sunt in hoc adolescente à nobis notata alterum est maniacum symptoma, quod perpetuum non est, reliquum est capitis dolor qui perpetuus iudicatur, & magis increscere, tunc cũ maniacum symptoma accedit. Iudicatur inquam, imò potius suspicionem habet, quoniam ipse nõ vult confiteri se quidquam mali habere, minus dolere curationem Medici subterfugiens ex notis, tamen quibusdam colligitur capite quoque dolere, & semper, tunc verò maximè cum maniæ motus concitatur, tũc enim caput, & frontem præcipuè manu, aut alterius corporis contactu contrectat; tempore motionis insaniæ maximè erubescit, quod vaporem ex infernis partibus efferri significat, numquam verò in illam incidit, nisi aliqua occasione offensionis animi illata, quam ex increpatione patris, aut matris accipere solet; quare à cordis cõmotione, oriri certum est, capite vnam sui infirmitatem conferente, qua facilè motionem, & vapores illatos suscipiat, quod quidem caput si perpetuo doleat habet in se quoque morbum eius doloris, non insaniæ quidem causam. De insanię specie, illud notandum quod visa quidem, & simulachra non præfert aliena, quoniam in rebus obiectis non fallitur, sed tamen censum, & æstimationem eorum peruertit, quod iudicet iniuriosum, quod amicum officium est.

Præterea insanię motu cessante, nihil eius recordatur, & hoc ostendit maximam in eo temporis spatio cerebri spirituum contaminationem, qua totum penitus occupetur, qua liberatum ad se rediẽs in diuersum maximè statum recipiat se, vt alterius alieni status memor non sit, simulachrorum enim mutatio illa in vaporibus posita, illis residentibus memoriam sui non habet, Vapores ij calidi sunt effectus enim caloris edunt, qualis furoris, & celeritatis sunt, ac impetus incitatioris, sicci quoque sunt, quoniam iram pariunt, & furorem, somnum tamen sua ariditate non impediunt, quoniam cerebrum per se exsiccatum nõ est, & suo alimento vrit, illisque vaporibus residentibus minimè afficitur, insomnia verò multa inferunt propter calorem.

Calor autem horum necessario causam habet, & in vaporum natura, & in humore, vnde ipsi attolluntur, & in corde ipso, cuius promotione ipsi commouentur. Humor bilis lutea esse posset, quoniam facilè illa incalescit, tamen suspiciosum hominem facit, sed tantum iracundum, præterea semper calida est, & hominem mobilem, non quietum, non solitarium, non obstinatum reddit; vt iuuenem hunc videmus, frigus namque ita obstinatos, & firmos, vt calor mobiles motus habet. Frigidus, itaque humor est, ille tamen qui incalescere facile potest, qualis atra bilis, quæ tamquam cinis retinet refrigeratas caloris reliquas, quẽ humorem atri generis esse docebat Aristoteles in problematibus. Quare si permoueatur cor ad calorem, & itam humor ille eo calore facilem feruorem accipit, & nimium, vt ipse natus est, & halitum ex se in caput effert qui squallidus sanguinis vapores absorbet, & secum fert, ita ruborem, & æstimationis vitium vna infert, ideo

A humor eiusmodi circa cor, & in neruorum amplitudine est.

Præterea cor quoque aliquanto aptius ad incalescendum est, siue à natura, siue à consuetudine tale euaserit, & fortasse in hypochondrijs aliquid illius humoris altius defixum est, vnde caput perpetuo dolore per neruorum ductum afficiatur; vel à ventriculo, qui eo humore refrigeratus malè concoquens nimios vapores suggerat, qui per illum calorem in caput imbecillum submoueantur. Humor ergo ille, cum suis causis submouendus, nimirum ipsa quoque intemperies cordis, & iecoris, atque ventriculi, deliniendæ; quod spero nos posse præstare, cum hæc ætas tenera adhuc sit, & eiusdem ætatis alios viderim penitus restitutos, quorum nũc quidam quadra-
B gesimum annum ætatis agit, & principi magno sapientissimè in rebus grauissimis administrat. Aluo ergo exonerata, & humore aliquantisper extenuato ego venam secarem, quoniam crassus eiusmodi humor non ita facilè medicamentis traducitur per venas angustiores, neque extremæ manus venam, sed cubiti aperirem, quoniam in extremis melior, & concoctus magis est; non ita lutosus, vt in ipsis magnis venis, nec semel ego illam secarem, sed iterum, & tertio, & vtriusque partis non alterius tantum, atque in sanguine mittendo multoties sanguinem retinerem paululum, & identidem effluere permitterem, sic enim crassior facilius exeat, paratis autem humoribus multoties medicamentum repeterem potioni-
C bus parantibus, identidem interiectis, & semper ad maiora ascenderem. In parantibus est oximel; syrupus de fumoterra, s. de lupulis de violis, est oximel compositum, syrupus de fumoterra, compositus de epithymo, de corticibus citri, de pomis regis sabor, qui ad extremum à me propinaretur. In purgantibus est electuarium lenitiuum, diacatholicon, diasena, hamech; sed magis hieræ illæ compositæ logodij, præsertim, quæ ab Aetio profertur in quibus est veratrum, tam necessarium huic humori purgando; quod incoquerem etiam cum sena, in sero caprino non sine ijs, quæ eorum vim moderantur, mitigantque, & post purgationem balneis vterer, & potionibus etiam seri longioribus, cum succo fumiterrę, & cicoreæ. Tandem aquam pararem ex malis
D dulcibus, & buglosso ad elumbicũ destillatis, ex qua ipsum bibere quotidie vellem, & quoniam in opinione maxima est Alchermes, ipsum ego libentius, cum hac aqua exhiberem, qua illius ariditas mitigaretur; quamquàm in eo quoque succus pomorum est. Sunt enim margaritæ, est lapis lazuli, est ambra, quæ omnia exsiccant, neque tantum est lapis lazuli, quod humorem queat expurgare, ita potest tantum suæ temperiei alijs generibus, in quibus ariditas non minimam partem habet. Vellem verò balneis aquæ potabilis vti, & donec insania penitus quiesceret, ego vinum prohiberem, cibisque idoneis ad refrigerandum alerem.

Sanguis detractus ex altero tantum brachio est, qui ater, & crassus fuit, præterea curatio, vt superius
E dictum est, adhibita. De exitu autem, vide alterum cõsilium de eodem initum anno sequenti Mense Aprilis.

De perturbatione oculi, & visus hebetudine Francisci Donati Quæstoris.

CONSVLTATIO CLXXVI.

Ego quoque viri Sapientissimi dicam sententiam, de natura huius mali, & de eiusdem curatione.

Et

Et quoniam ferè omnia dicta sunt, cogar aliquo delectu persequi ea, quæ ab alijs sapienter, & ad verum meo iudicio sunt explicata.

Duas partes mihi cernere videor in hoc malo, quibus Medico est, occurrendum. Vna in eo malo est, quod iam hæret in oculo, & factum quiescit, altera in eo, quod fieri in dies creditur, id autem in suis causis repositum est, nimirum à quibus pendet, neque factum est, sed fieri continenter timetur. Etenim mali huius natura, vt iudico cum fluxione est, quæ fluxio si tollatur sperarem, quicquid in oculo quiescit facilè iri sublatum, natura oculi, & cœli tempestate ad eius discussionem satis profuturis. Quam ob rem consilium nostrum potius, & prius ad causas fluxionis, submouendas conuerti debet. Fluxionis natura motio est, non tamen calida, quoniam oculo laborem, B doloremue non affert, oculum tantum rubore tenui obducit tota cõiunctiua seu adnata, corneam autem vapore quodam caliginoso infecit, quare hæc tenuitas ab humiditate non à calore est, cuius naturæ indicia etiam alia sunt, nimirum genus corporis molle albumque, & non ita plenum cuius mollities humiditatis, tenuitas verò fluidæ, & minus belle nutrientis nota est, tempestas etiam præterita hyemis, quæ humidiorem sanguinem, potuerit creare, idem confirmat. Est igitur sanguis aquosus, atque multum pituitæ naturalis habens, locus vnde proficiscitur credo sit totum corpus primum, proxime autem caput ipsum, oculi namque à capite accipiunt. Viæ sunt venæ capitis externæ, quoniam per coniunctiuam repit, & C pars in qua quiescit delapsus humor (vt iam de ea loquar) est, coniunctiua quidem, vt apertè cernitur, & per emanationem etiam cornea, quæ quamquam nõ sit eadem cum coniunctiua, sed cum illa quæ coniunctiuæ subest, à dura membrana cerebri orta, tamen extremis eius oris ei est coniunctissima, & propter sui densitatem non recipit sanguinem corpulentiorem. Sed illius humidioris emanantem vaporem, & inde per se totam effusum.

Vnde non intra corneam, minus intra vueam, seu rhagoidem tunicam, aut in humore albugineo est, more suffusionis, sed exterius in ipsa cornea est. Hæc mali ipsa natura est, & partis ipsius conditio, nimirum humor humidus, tenuisque, & pars densa, & frigida, quæ à crassiori humore dolorem, maximè sentiret, & D item à calidiori, quæque longiorem moram mali efficit.

Et tamen quoniam humor tenuis est, quoniam medicamentis apertus, spem certam suæ discussionis facit, & victus recuperationis. Recte ergo curatio instituta est. Corpus purgandum non solum per ventrem, sed etiam per sudores, per venæ sectionem non crederem esse necessarium morbo, nequaquam magno corpore tam molli, & solubili, cum sanguine tam tenui, oculo præsertim visione carente, parte frigida, & naturali calore spirituque indigente multo. Aluus ergo, cum iam lenita, & emollita sit, medicamentum etiam propinatum, iterum ego ipsum repurgarem, & etiam tertio, & postea potiones salsæ pariliæ darem. At dari cæptæ, nihil iuuarunt, potius nocuerunt. Dico datæ sunt corpore non benè purgato; & ita fluxionem in quauis morbi dispositione augere potuerunt quod purgato benè per aluum corpore non facient. E nam per sudores mouendo non habebunt amplius, quod in caput referant, præterea interim, tempus morbi accedet, ad quietem, seu statum, & sic poterit motio sudoris capiti, & oculo vtilis esse fluxione multas sui partes amittente.

Præterea sepè vidistis, initio potionum eiusmodi, doloress & casus morborum increuisse, post 10. autem & 14. diem mitescere cæpisse, ipse verò quattuor tantummodo diebus accepit, neque tamen ita apertè malum increuit, etsi non sit imminutum. Purgando corpori senam, & agaricum admodum vtilia crederem incocta potioni, & similibus ex cinamomo, gingibere, betonica; qua dissoluerem mannam, & syrupum rosatum solutiuum, quo medicamento dato, exsiccantes darem potiones ex euphragia, betonica, verbenata, pimpinella, & stœchade, postremo iterum, medicamentum purgans repeterem. Quibus potiones salsas subiungerem aquæ incoctæ, cum euphragia, saluia betonica, & verbenaca.

Demum corpore omnino curato ad caput accederem, quod non per errhina, sed per gargarismata, & palato illinita exhaurirem, & oculo id sat esse sperarem ad conualescendum, quod ni fuerit læuissima, omnino tentarem, vt aqua ex fragis, & verbenaca, ex betonica, ex fœniculo saccharo cando cum aloe; sief albo sine opio cum tutia quidem optimè parata, vel vnguentum ex eo, qood adipe suillo decocto in vino, & refrigerato supernatat, diluto ex aqua solatri, quæ ipsa quoque exsiccat, & composito, cum tutia, cum sief, sarcocolla, & eiusmodi alijs, vel lachryma illa, quæ ab incenso thure cadit, excepta in aqua consimili vel verbenacæ, seu fragariæ, seu etiam plantaginis. Mala etiam vna cum milio, incoqui aquæ possunt, & ex ea oculus dilui, quoniam exsiccant. Aquam calendulæ seu primulæ veris medici probant. Aqua anagallidis videtur valere plurimum ad detersionem corneæ, sed suo tempore ea erunt deligenda.

In ratione victus Vinum, omnino suspensum est, fluxione perseuerante, & materia minimè crassa; cum verò potiones salsæ pariliæ dabuntur, tenuissimus omnino victus mihi probaretur, alioquin motio sudorum oculis minus vtilis crederetur. Lumen est fugiendum, quo omnium mouetur oculus, cum sit excellens eius obiectum, & sentire pati, vt ventus, vt calor, vt frigus, vt puluis, vt fumus, præterea meridianus somnus, ira, lachrymationes, & omnes animi perturbationes, ne dicam lectiones, & contentiones omnes cogitationum, nedum oculorum, nam cogitationes cerebrum exercent, quæ verò in imaginibus cum labore versantur, etiam ad oculos videntur laborem pretendere, vt quilibet potest, experiri. Interea dum corpus curabitur, diuersiones seu auersiones erunt, apto tempore iniungendæ, præsertim frictionibus, cucurbitulisque in quibus sicca, quotidie repetita occipitio solet mirifice esse vtilis. Clysteriorum etiam, & pilularum leuiorum vsus erit, amplectendus.

Huic tertio à consultatione die rubor recedere, videbatur, turbida tamen adhuc cornea erat, vltima tamen die rubor sed dilutior reuertebatur.

De tussi vetusta cum febre exigua, & corporis extenuatione, cum animi summa solicitudine.

CONSVLTATIO CLXXVII.

Ex his quæ à vobis exposita sunt viri peritissimi, video ego in hos corpore, multa operam medicam postulare. Primum, cerebrum est, non dixerim totum caput, nam destillatio ab internis potius, quã externis capitis partibus exordia ducit, vnde cauteria vtrique brachio inusta nihil penitus profuerunt. Alterum pectus est, in quo multum pituitæ subesse suspicor, quoniam tussim mouet, cum aut decumbit, aut à somno expergiscitur, siquidem illa commota tantum irritat, quiescens autem nihil lacessit, tertio febris est, quæ ei nullum sui sensum facit, quartò corpus tenue est, & decolor, quintò ventriculi etiam imbecillis indicium est.

Sextò hypochondria,& obstructa,& quæ insolentiorem mœrorem inferre creduntur; nam certè nimis à metu, & mœrore diuexatur, & nihil Medici persuasionibus credit, tandem in pulmonibus esse aliquid vlceris suspitio est. Ac fortè prætereundum non est, quod à gallica lue hæc profecta esse ipse arbitratur. Nam, vt ab illa incipiam,quæ antiquitate reliqua anteiuit cariem in pene ab hinc 18. annos diu tulit, & deinde dolores artuum sensit, post curationem quidem postea commode habuit, sed conualuisse se non confidit, atque duorum annorum hanc valetudinem in illud initium refert; quod quidem mihi nimis suspitiosè factum videtur, quamobrem, vt rationem aliquam gallici habendam credam, vt in quocunque morbo, cum ei aduenit,qui gallico laborarit,etsi etiã cõualuerit, tamen huius morbi originem in illud genus luis referendam non censeo. Ventriculum potius ego causabo qui tardę admodum coctionis est; & per solicitudines rei familiaris ei inusitatiores in multas cruditates incidit, & per easdem sollicitudines capiti multum crudi humoris præbuit,dum caput cogitationibus,& suspitionibus agitatum, vna cum spiritibus suis multum alienorum,& crassiorum vaporum attraheret;& præterea venæ mesenterij, interea crudo humore onustæ etiam obstiparentur; vnde,& vẽtriculus magis refrigeraretur, & caput vaporib. exusti sanguinis in capite, & in ventriculo refrigescentibus,& vna cor etiam in mœrorem,& cerebrum in suspitionem adducentibus, vnde ipsa quoque destillatio orta sit,quam febris sequatur, hanc verò ipsa corporis extenuatio. Qua in re disceptandum esset,num febris vlcus aliquod per destillationem, inductum faciat, num verò ipsiusmet materiæ in pectus demissæ putrefactionem, dubia namque res est. Nam, cum sputum sit album spumosum,& in aquam dissoluatur solo lentore ab alia aqua distinctam, mirum videtur, quomodo putrida materia sit, & quomodo febrem possit incendere. Vlcus quoque subesse difficile credi potest, cum nũquam sanguinis vllam notam sputum efferat,nã pulmonibus continenter exagitatis, si vlcus ij habeant qui fieri possit, quin illud commotum aliquid sanguinis quandoque non emittat? Deinde cur tussim assiduam non faceret,sed solum,cum aut decumbit,aut expergefactus mouetur? Destillatio quidem potest, cum minus asperitatis habet, & quiescit etiam in thorace sine tussi subesse, vt in multis asthmaticis videmus, eam verò mouere tãtùm,cum homo mouetur,aut decumbit,quoniam ab imis thoracis partibus ad medias occupandas reuocatur spirituique magis obest, quæ, & in quiete per somnumque minus sui sensum facit, & erecto homine infimas costarum partes petit; quas occupans tussim non mouet, hoc in cadaueribus nonnullis me notasse recordor, etsi semel non nihil diuersi ab eo sputi genere visum est in vase, quod puris faceret suspitionem,id semel non fuisset visum,quoniam vlcus perpetuum malum est,dum est, & recrementum assidui colligit,aut crustam,quæ identidem resoluitur, & per sputum promittitur; cuius vlceris recrementum, vt necessarium est, in pulmonibus,adeò humida, & laxa parte; ita tussim crebriorem moueret, neque eum totas tres, aut quatuor horas quietum permitteret. Quicquid autem sit de vlcere,& febre,certissimum negotium nobis incumbit, materiam hanc, & obstructionem remouendi, vna cum intemperie ventriculi,& capitis,nam febris læuissima est,& nullam hecticæ notam prodit, & quamquam excarnis ipse est,extrema tamen optimè nutrita sunt,quæ corde hectica affecto non essent, tenuitas verò medij corporis, vt Galenus refert vẽtriculi potius male habentis signum est.

Purgando,itaque corpori opera danda,pituitaque præsertim respicienda initio à melle rosaceo soluto, & manna facto,deinde humoribus eximelite, & syrupo rosaceo,& deinde succo cicoreæ paratis, continuo ad diacatholicon cum diaphœnicon deueniendum, apparatu item per fortiora repetito, vt betonicam,hyssopum,eximel compositum,ad pilulas ascendendum,veluti cochias postea serum caprinum, cui agaricus incocta sit,cum ijs,quæ obstructiones aperire possint.

Postremò etiam ad salsam pariliam, deuenirem, cum qua hyssopum,& betonicam coquerem; & pimpinellam quoque. Postremo saccharo rosaceo, cum eo, quod floribus rosmarini conditur, & violaceo vterer; & non satisfaciente hac curatione. Autumni tempore consultationem nouam repeterem,& pro occasione remedia alia sufficerem.

De catarracta pro Illustri Gothardo Muratio.

CONSVLTATIO CLXXVIII.

Ego quoque confessus Illustris in eandem sententiam cum his Doctoribus venio nimirum suffusionem hanc esse demittendam. Quod enim eius generis sit,quæ deduci possit,iussu ipso percipitur, nam nihil habet eorum colorum, qui sunt iudicio contrario,eo quod aut nimis duram, & densam aut nimis rigidam, aut nimis magnam eam significent, minusque eam liquidiorem, quam quæ sequi ductum, aut tractum vsus possit,potius verò disrumpi, & dissolui. Nullum enim colorem habet eorum, qui inspectantis se visum nimis terminant, vt sunt viridis, luteus gypseusue dictus, aut verò albus aut alius eiusmodi, sed color est, tamquam perlucidi corporis densi tamen,& concreti,nitidus,& illustris, ac quasi perlucidum corpus denotans, non ita tamen perlucidum quin ex parte maxima visum inspectantis terminet, in summa, argentum admodum illustratum refert, præterea oculi confricatio non dissoluitur,vt satis cõcreuerit,quare neque tam liquida est,vt acui cessura, & dissolutionem passura sit,aut tam dura,vt ei omninò resistere queat,aut tam copiosa,& ampla corpore, vt in minorem locum cogi non possit, corporis enim amplitudo facit ad terminum densiorem visus inspectantium.

Ita ego credo posse omninò deprimi,& depressam manere, & in angusto posse consistere infra pupillã. Depressa verò ea sequi posse, vt visio recuperetur, etiam spes est,non dico, vt penitus recipiatur, sed tamen magna ex parte,nam oculus pertusus acu,& humor aqueus confossus, & acu tractatus, non possunt postea integritatem pristinam seruare, præsertim quod humoris illius alieni præsentia, maximè potuit humorem insitum vitiare. Alioquin videmus, nihil vitij in oculo,præterea esse aut obstructionis meatus, visorij aut corneæ crassitudinis, aut crystallini densitatis, quod solet visum etiam nulla, suffusione efficiente prohibere.Nam pupillæ dilatationem, & constrictionem videmus; spiritu in illam incitato, & totius oculi lumen maximamque perluciditatem.A quo oculo etiam facile negotium fit, cum amplius sit, & puras tunicas habeat, quo artifici acies non fallatur, & spatij satis ad operandum pateat.

Quomodo tuto id fieri possit,iam dixere Doctores, neque ego loquar de artificis dexteritate in sinistræ manus vsu,cum oculus dexter sit, neque de ijs, quæ oculo admouenda, ad influxum impediendum ex aqua rosæ, & albo oui, non dicam luteo,quoniam hodie id aspernantur, illud inculcauerim, caueatur à corpore ne quid influat per purgationem, & item à capite, & per victum instituendum incrassantem,

sed

ſed tenuem, eo tamen modo ne ſubita mutatio ætati 71. annorum aliquid turbationis afferat, præſertim cum ad conſuetudinem reuertetur, memini enim aliquos ea de cauſa periiſſe, & inde quoſdam Medicos opinatos numquam vitam diuturnam ijs eſſe, quibus depreſſæ ſuffuſiones fuerint, non obſeruantes, quod, & ſenibus ferè, quibus minus vitæ ſupereſt demittuntur, & multis ex mala ratione (vt dixi) viuendi mors eſt ſubſequuta.

Præterea tempus idoneum delectum eſt, nempe quod inſtat initium æſtatis, quo humores ſenibus familiares, & ab hyeme copioſi inducti, iam mitiores fiunt, & æſtatis calor ſenibus vtilis excepturus eſt hãc curationem. Lunæ etiam ſtatus inclinantis delectus eſt, & poſtquam arietem tranſierit, vt etiam Aſtrologorum minas caueamus. Ad tuendum verò poſtea oculum, ego cauſticum in brachio eiuſdem lateris admonerem.

Chriſtophorus Guarinonius Fontanus Clariſſimo Phyſico Domino Iulio Alexandrino. S.

CONSVLTATIO CLXXIX.

NVlla ſcribendi ad te occaſio, tam exigua apud me eſſe poteſt, quæ mihi non ſit pro grauiſſima captanda, qui ſilere tecum numquam velim, ſcribere etiam ſæpè debeam, ſine occaſione, tamen id facere nequaquam poſſim, minus verò dignum exiſtimem, propterea quamquam morbus de quo rogatus ad te ſcribo, non facile à me poſſit abſolutè explicari, qui longiſſima ſpatia habuerit, & numquam à me inſpectus ſit, & ſemel nouiſſimè de eo, & diminutè, quidẽ audierim, facillimè tamen hoc tibi ſcribendi negotium ſuſcepi. Puella epileptica eſt, cuius pater cum me conueniſſet, inter loquendum tui mentionem fecit, te nimirum cum plurimum obſeruare, tum de re hac antea conſuluiſſe mihique tunc referenti de te ſententiam rogando ſubitò annuit, & gratiſſimum fore ſibi affirmauit, ita ego cum primum potui calamum ſumpſi, rem, quam breuiſſimè complexurus. Adoleſcentula 17. annorum ætatis eſt, colore corporis candido, aureo capillo, faciei figura non ita multum articulate ſubtiliterve expreſſa, neq; admodum tamen partibus confuſis, quin fronte rotunda ſatis ampla, oculis tamen lucentibus, ſub nigris, ſeu fuluis ni fallor, qui charopi dici ferè conſueuere, quorum album apertum parum eſt, & palpebris impenſius occluſum obductumque integris ſenſibus, ſomno, vt in puella medіocri, hilaris moribus elegãs, nec nimium timida doloribus capitis ſuapte natura obnoxia præcipuè, ſecundum frontem, nihil præterea ei deeſſe animaduertitur, ſi rectè referunt etiam de menſtruis purgationibus. Anno circiter 12. ſuæ ætatis cœpit epileptito ſymptomate tentari, cuius ſpecies inde modo acrior, modo mitior extitit, ſemper quidem ſymptoma artuum dolores antecedunt, quinque ferè dierum ſpatio, quandoque tamen eodem cum ſymptomate die tantum ſentiuntur quales dolores fiunt ijs, quibus menſtruæ purgationes diminutæ fiunt, ventriculi, & ventris moleſtia aduentãte ſymptomate ſemper præſto eſt, tum halitus à ventre in caput ſe ſe attollentes ſentiuntur, vnde ipſa auxilium, tum ſolet implorare demum tenebræ, ante oculos fiunt, & continuo mens deficit, artuum diſtentio fit, & aliquanta etiam concuſſio maximè crurum, & præſertim ſiniſtri.

Caput quidem ſemper in ſiniſtram aurem ea diſtenſione conuertitur. Nulla in ore ſpuma, nulla ſaliuæ abundantia ſequitur, vt neque quietis tempore aliquis vix ſtupor ipſo die poſt acceſſionem eã habet, & articulorum, etiam languor per duos ſaltem dies, quod ſymptoma, vt ſemel acceſſit ſolet pluribus tentationibus intra paucos dies moleſtare, eo maximè, cum leuius eſt, poſtea interuallo ſatis longo quieſcit, eo vero magis quò vehementius exagitauit, quaſi opus naturæ ſit humores congeſtos exonerantis, laxiora etiam interualla habet poſt ipſas corporis purgationes, quorum medicamenta his literis compræhẽſa ſunt, prҫipuè vero ab accepta aqua thermarum Patauinarum quinque totos menſes quieuit, ſub febre quoque tertiana ſatis longa numquam acceſſit. Iam conſulitur, num purgatione corporis facta antimonium in eum modũ, quo refert Varignana poſſit exhiberi, & quomodo, & quanto pondere fieri id tutò poſſe iudicas, nam alteri puellҫ, ego illud dedi, poſtea ſui retulerunt, non amplius eo caſu tentatam, num etiam aquæ thermales repetendæ, aut guaiacum adhibendum, aut aliud ſimile, quod ventriculo conueniat, ſi vt ſpes eſt, cum alterius rei nulla querela ſit, ab eo noxam oriri credis, quod mihi longius diſputare, integrum iudicium tibi ex notis deſcriptis faciẽdum, permitto. Reliquum eſt, vt benè valeas, & me, vt ſoles diligas. Veronæ 9. Iunij. Anno 1583.

CONSVLTATIO CLXXX.

Vir Excellentiſſime.

QVoniam ex literis aliàs ad te datis potes in memoriam reuocare, quid ſenſerim de curatione doloris dentiũ Sereniſſimi Ducis noſtri, breuiter his me expediam. Et ſanè de purgatione iã perfecta, non ſolum quod ex iiſdem meum iudiciũ potes elicere, verum etiam quod de re prҫterita conſilio locus non eſt, ſcribere amplius non debeo. Tum verò de China, calido iecore huius mali cauſa prima conſtituto, poteſt ex Carolo Chiſio cognoſci id, vnde minus mireris, quod in Sereniſſimo expertum eſt, & propter Chinæ uim, & quoniam citra ſudorem potiones eius acceptæ ſunt. De ſero ergo iudico nõ fore inutile ad humorem diluendum, & temperandum, quod conuenienter quidem etiam dari, ſine aluum mouentibus illis valentioribus poſſet, quoniam non ad purgandum iam illius vſus quæritur. Id vnum diligenter vellem videres, ne caput per illius potationẽ, quoniam aluum non mouebit, repleat, nam ad ſomnum quidem diminutum redintegrandum idoneum eſt, ſi tamen craſſus fuerit, aut ſecum aliquid ſiccioris humoris ſuſtulerit, etiam ſomnum poterit turbare, & deſtillationẽ augere. Aquæ thermarum maximè corpus exagitant, & ſupra conſuetudinẽ mouent, quare non eſſent ſine valetudinis, & vitæ multa neceſſitate propinandæ, magis verò nobis ſuſpectæ habẽdҫ propter memoriam veteris rei. Balnea totius corporis ex aqua dulci tutò & vtiliter, credo, adhibebuntur. Capitis lotiones cautius tractandæ erunt, & ſi crebrius, quam conſueuerint, adhibebuntur, præſertim, quҫ incocta, habebunt, quæ ei noua ſunt, corpore modo expurgato minime ſunt metuendҫ. De reliquis ad victũ pertinẽtibus per literas, quas aliàs ſcripſi, ſatis habes, vnum in mentem reuocauerim de conſuetudine ipſius, quando caput tam à partibus infernis afficiatur, quod non eſſet penitus prætermittendus veſpertinus ſacchari roſacei vſus, qui tãdiu habitus eſt; iecoris prҫſertim notis his calidioribus extantibus, colore prҫcipuè pallido. Quod reliquum eſt, rogo vt me ames, & apud dominum mei memoriam ſerues, iſtiſq; proceribus mei nomine ſalutem dicas. Vale.

CONSVLTATIO CLXXXI.

De Matre equitis Guarienſis.

EGo quoque dictis de cauſis non poſſum munus meum deſerere, quamquam libentiùs certè priori loco, quam poſtremo dixiſſem, ſequor verò veſtigia à vobis impreſſa. Videmus pręter naturam in hac matrona multa, ad recrementa, ad actiones læſas, & ad corpus mutatum ſpectãtia, quorum potiora ſunt dolores articulorum, corporis tenuitas, vrinarum albedo vna cum craſſitudine, & ſedimento crudiori, aluus eſt fluida, crudaque, quamquam aliqua bile infecta, pulſuum magnitudo, & celeritas magna, cũ mediocri crebritate, calor carnium acrior, linguæ ſquallor, & aſperitas, & ſi ſitim nõ ſentiat, mentis etiam tarditas, qua non facilè, nec citò eloqui poſſit, non ſolum propter linguæ impedimentum, ſed propter ſenſuum internorum hæbetationem, vnde etiam eſt in ſomnum propẽſa, & demũ eſt in ipſa ſpiritus anguſtia, Ex quibus ego video duo morbi rationẽ habere, tum quod in articulis dolorem facit, tum quod pulſuum agitationem facit, quæ febris eſt. Dolor eam vexare conſueuit, nam iam vigeſimum annum ille habet, quamquam non continuus, ſed identidem reuerti ſolitus, & quoties vexauit ſingulos totos menſes id egit, nũc ergo, cum non ita acerſit, atque conſueuerit, non tam me mouet, quam febris, quæ mihi mætum mortis facit, illa enim magna eſt, & corpus imbecillũ ſaltem ſecundum altricem vim habet, vt ex excremẽtis colligimus, quibus & ventriculi, & iecoris, atque vna renum facultatem infirmam videmus. Febris igitur cura potior, quæ mihi non à doloribus, ſed à propria aliqua cauſa eſſe creditur, nã ſi à doloribus eſſet, neq; tam acris, & vehemens eſſet, neque dolore mitiori facto increuiſſet minus ſomnum pareret, aut inſaniæ eam ſpeciem, quam videor intelligere ex illius elocutione, quę ſaltem hæbetatam rationem mentis oſtendit. Dolor namque ſpiritum tantum incenderet, non etiam vapores in caput tantos vna cum ſpiritu attolleret, qui menti officerent, aut ſomnum inferrent. Propterea febrem proprium focum habere arbitrarer, qui quidem ex humoribus ſit, qui humores quales ſint, & quo loco putreſcant, videndum ſequitur. Humorem alter veſtrum ſtatuit bilioſum vna tamen cum pituitoſo, eò quod referatur febrem altero quoquie die maiorem reddi, quãquam vix ab hinc quintum diem cępit, & non Medicorum obſeruatione, ſed adminiſtrantium id notatum fuerit, quod rẽ mihi dubiam facit, nam ſępe Medicos falſos eſſe in memoriam habeo. Miror quidem viri ſapientiſſimi, nullum bilis indicium in vrinis eſſe, in aluo autem læuiſſimũ, cum vrinæ, vel minima bilis portione inficiantur, febre ſemper ſanguinem ſic afficiente, vt quod eius tenue eſt, ſub eius feruore neceſſariò in bilem vertatur, & lotium inficiat, ac pituita etiam putrefacta colorẽ acquirat. Quod ex Galeno lib. 10. Meth. Capite ... poſſumus fidenter aſſerere, præſertim quod rationi maximè conſentiat. At ait Doctor obſtructionibus bilis retinetur, ſerum, quod liquidius eſt percolatur. Certè poteſt ſerum ſua tenuitate, quam longè maiorem habet, quocumque vel tenuiſſimo humore, cum in humorum mixtorum genere non ſit, ad aqueamq; ſimplicitatem accedat, percolari, & bilem relinquere, ac præſertim cum craſſior illa eſt, verum cum hoc ſocium ſecum efferat craſſiores humores non in renibus tantum genitos, ſed illuc à vẽtriculo delatos, cur bilis eadem via exire non poſſit. Deferri autem craſſum illum humorem à ventriculo cenſerem, cum eius generis pituitæ ſit, quæ crudus humor vocata eſt, & in ventriculo creatur. Pituitoſum ergo humorem

A fere huius febris materiam ſtatuerem, neque mirarer etiamſi altero quoq; die malum maius efficeret, quod non facit, nã vix quantulacumq; parte bilis accedente, putredo in ipſius bilis circuitus ſeruandos conuertitur. Hoc humoris genus eſſe ſomnus confirmat, Idẽ facit caloris acrimonia, quæ mihi minus aperta, ſed obuoluta ſentitur. De defectu ſitis, ego non multum curarem iudicium, quoniam ille poteſt ex infirma ventriculi vi eſſe, qualem poſſimus ſuſpicari, cum lingua arida ſit, naturæ ipſius ſitim oſtendens. Salſa verò pituita ſit, cum calorem concipit, propterea facilè ſitis ſubeſſe poteſt. Eſſet quidem peſſimum iudicium, vt naturę ventriculi ratio, & auctoritas Galeni docet, ſi ſubſtantem ſitim ventriculus non percipiat, neque enim in mentem laborantem hoc poteſt referri, cum
B non adeò ex ſe exierit, quin ſitim animaduerterit à ventriculi ſenſu perceptam. Ac de humoris genere ſatis, nam quod reſtaret dubitandum, cur pulſus maiores ſint, ac pituitæ conueniat infra dicam. Iam locus putredinis, & putreſcendi etiam modus quantum coniectura aſſequi poſſum, ego vereor eſſe in venis pulmonum, ſiquidem humorem intra venas putreſcere continuitas febris oſtendit, intrà venas autem, quæ ad iecur ipſum, & cauam, ſeu magnam pertinẽt, tantam putredinis vim eſſe, quanta eius vehementiæ febrem faciat, & tum etiam vrinam decolorem permittere, mihi fieri nõ poſſe videtur. Quapropter ego anguſtia ſpiritus perſuaſus, in venis pulmonũ à vena magna ſeiunctis, parumq; cum ea communionis ha-
C bentibus putreſcere humorem crederem. At non valde anguſtus ſpiritus eſt, nihil refert, poſito, quod materia ad tracheæ ramos arctandos non pertingat, qui vel per ſe repleti, vel corpore pulmonum vrgẽte, aut non ſatis ob cauitatem thoracis dilatati pro neceſſario prohibentur intendi, in vaſis autem materia contenta parum offendũtur. Ita ego in vaſis pulmonum focum putredinis eſſe conijcio, eo facilius, quia ſopor adeſt, qui ex huiuſmodi materia in pulmonibus putreſcente facilius ſolet moueri, vt ex Galeno, & alijs Medicis accepimus, & vſu longo didicimus, Prætertquam quod pulmonibus ferè pituitoſa materia infeſta eſſe conſueuit, quod ex eodem vſu, & ijſdem auctoribus habemus; Neq; hoc ſanè ea cauſa fieri cenſerẽ, quod deſtillationibus pulmo obiectus ſit ijs, quæ
D per palatum, & fauces deuoluuntur, nam illa deſtillatio in venas non trahitur, minus tantum putredinis ſolet cõcipere, quod in Aſthmaticis videre eſt, potius eius generis humori obiectus eſt pulmo, quoniã cum venę tunicis cerebri diffuſæ à cerebro refrigeratę plurimum eius materiæ congeſſerint, quæ pituitoſa eſt, illuc à natura cerebri attrahitur, & communione arteriarum in cerebrum aſcendentium, quæ vna cum venis coeunt, & confuſionem ſpirituum cum ſanguine faciunt, pituitoſæ naturæ craſſitudo ſpirituũ confuſione fuſior facta, facilius in cerebrum aſcẽdit, Dico venæ copia eius humoris grauatæ, illumq; craſſiorem ſuo frigore à cerebro accepto factam deponere coactæ per venas iugulares depellunt, Vnde in ægris eiuſmodi ſæpe colli dolor fiat, & inde per cordis agi-
E tationem, & calorem in cor ille humor intruſus, ab eo neceſſariò in venas pulmonum arterioſas, proximè à cauæ venę origine naſcentes expellitur, è quibus propter tunicarum denſitatem non facilè reijcitur, ſed ibi putredinem concipit ſeipſum obſtruẽdo, qui cum putredinem comprehenderit, maximam vaporũ copiam edit, loco nimirum ſpiritui dicato, & ſpiritibus referto, ſic maximam febrem incendit, & pulſus magnos, nõ paruos edit, cum tenuior propter ſpirituum confuſionem fiat. Atque hæc cauſa eſt, cur pituitoſa ſæpe febris magnos pulſus edere poſſit, vt in Peripneumonicis obſeruamus, contra quam eius naturę, & craſſitudini permiſſa, qualis in alijs venis eſt, efficiat, Cur ſæpe morti proximos ſub febribus ijs pulſus etiã magnos,

magnos,ac ferè vehementes habere videmus,cũ alios animaduerterimus sine febre, pulsib.exiguis,inæqualibus maximè,& intermittẽtibus propter affectas forrè arterias venosas diu vitam traxisse, ibi enim materia in spiritum non effertur, non implet arterias, quæ certè etsi impleantur, eo quod dilatentur,non est tamen alienum à natura earum, si copia etiam multa vaporum in cor illata, dum ipsum cor illas per arterias diuidit, & sese purgat,arteriæ quoq; tumentiores fiant,& maiores pulsus videantur.Vnde qui à Galeno reprehenditur de pulsu pleno, si in hunc sensum loquutus esset,mihi defendi posse ex ea parte videretur. Hinc morbus apertus est,& febris pituitosa visa inuenis pulmonum crassari,in quas fortè à capite,fortè ab vniuerso corpore est compulsa, nã matrona hæc, antequam in hanc morbi accessionem reuolueretur, aliquo tempore meliore habitu corporis, & coloratior, quam consueuisset, visa est, Corpus verò aliter se habere, atq; consueuit malum indicium est, siue in melius,siue in peius mutatio fuerit.Refertum verò fuisse corpus multis,crudis,& malis humoribus ostẽdit prçter vrinarum genus, & alui profluuium præteritum, quo quiescente febris accessit, Dolores namq; materiam commouerunt, quæ ab habitu corporis nimium molesta reiecta est,aluum tentauit,deinde in pulmones nescio quo casu compulsa est, fortè quidem primum in caput propter vigiliarum nocturnarum agitationem, & inde facilè viam, quam dixi tenuerunt. Ex quo quoniam deliberatio futura spectat,ego futuram mortem metuo, neque ab ea facilè posse matronam vindicari existimo,nam cordi nimirum vicinum malum est, & magnum nimis est, vires verò infirmæ, quæ imbecilli altrice vi non poterunt sustineri,Dolores etiam viribus officiunt, maximè somnum impedientes, ac siquis somnus eam occupat, ille vi aliena à natura fit,neque alimentum affert, sed potius naturæ facultates opprimit, & cruciat, fit enim à vaporibus ex ea putredine sublatis, Quare nescio, quæ facienda à nobis, aut fieri queant, aut certè suos profectus sit habitura.

Dicam tamen ex his, quæ agenda essent quædam pauca,forte factu faciliora. Materia auertenda esset, non solum à pulmonibus,sed etiam à capite, vnde in pulmones demittitur, & in cor etiam repit, quod afflictum,& languefactum, nedum calidius redditum, ex agitatione sua materiam admittere,& attrahere, sibiq; interitum cõparare demum cogetur. Ergo clysteribus,& dum vires etiam permittũt pharmaco humorem deducerẽ, quod ex diacatholicon, & polipodio,pectori valde amico alicui liquori incocto,&rhabarbaro macerato atq; expresso cõficerẽ,cum quibus Helenium, & Thimum etiam coquerem,ne dicã passulas,& radicem dulcem ad polipodij noxã mitigandam, Cum ijs verò rem prosequerer,quæ pituitam in pectores stagnantem spectat, vt Hyssopo, Helenio, capillis veneris,& præsertim syrupo ex illis confecto, & melle rosaceo, atque betonica. Et quoniam frictiones articulis metuendæ videntur, præsertim dolore maiori tentatis, propterea earum loco cucurbitulas affigerem, sine ferro,cum iam sanguis secta vena fit emissus. Dolores, qui ad se trahendo auersione materię videntur inseruire,dũ magnitudinem suã retinuerint, qua viribus per se,& per somni impedimẽtũ officiunt, ego mitigare contenderem inducta mucilagine maluarum cum oleo amigdalarum dulcium, & fænugræci,& eadem mucilagine cum oleo rosaceo maturiori. A vino eam prohiberem, aquæ potiones conficerem saltem cum coriandro, cum inflationẽ ab aqua nimiam accipiat. Ne etiam materia malo suggeratur ventriculum fouerem, illinirem que ijs, quæ illius robori facere vidẽtur,ex mastiche, spica,absynthio,& similibus.Hæc sopore multoties tẽtata est,eadẽq; febre manẽte post 8.à cõsultatione diẽ extincta.

CONSVLTATIO CLXXXII.

De Nobili Camillo Turco, podagra detento.

POdagræ difficultatem summam esse publicũ est, & ita etiam à Poetis celebratum fuisse mirũ non est. Hoc verò consentaneum illius difficultati, quod simus conuocati multi Medici in consultationem, vbi quamuis vnius sapientissimi viri consilium posset satisfacere, nomen tamen difficultatis,& personæ dignitas numerũ etiam medicorum postulare videtur, præsertim, quia sapientiores, & peritiores artifices in hoc rerum genere solent consilia, & conuentum non recusare, vt tametsi nihil noui allatura sint,hortationem tamen nescio, quam maiorem habere plurium cõsensiones sentiuntur, Quocirca ego hoc institutum seruabo, & sententiam meã cũ vestris coniungã, quæ certè nihil aliud habitura est, quam quod vestris vos cõstituistis, imò vestigia vestra penitus est sequutura, quare ego capita à vobis disputata disceptataq; psequar, & ordine digesta in conspectum etiam atque etiam reuocabo, vt alacrius à quoque & promptius exequi possint. Pedes malè habẽt,incessu prohibetur, non tam debilitate,quam dolore,qui eis quiescẽtibus interdum nullus est, & cum quo inhumescunt eo tumoris genere, quod compressionis vestigiũ recipier, tactu verò etiã grauiori molestantur. Quod sanè malum iam quattuor annorum est,& toto hoc spatio variauit, modo dolore etiam quiescẽtibus pedibus molesto, modo per solũ concessum, modò magis,modò minus cruciante, & hoc in eo nomine, qui natura sua humidi generis est, vt notæ recitatæ omniũ principũ partium significant, in quod caput ipsum couspirare præcipuè iudico,& quamquã in reliquis calor potius, quam frigus valeat, in capite tamen minus id facere censerem, quãdo potius frigidum esse, quod tarditatem summam in homine semper, quæ iam pro illius prudẽtia grauitatis laudem mereatur, obseruauerim, & quod frigoris proprium est, firmioris semper sententię etiam ab infantia,Vnde ferè destillationi obiectus fuit,ad os saltem pertinenti. Ad humidiorem superantiam ventriculum quoq; spectare, aluus admodũ cita, ut ei consueuit, nobis demonstrat, Et quamquam biliosa eadem id habere iecoris culpa possit,tamen ego per biliosam, accipio colore luteã,quæ si rectè obseruare licuit,&sanorũ aluis conferatur,ex minori infectione esse solet, & minori humorum cõbustione, bilis.n.cum minimũ inficit semper luteas reddit aluos, quantulacumque sit,vt & crudę admodum alui flauescentes cernantur, quod in infantibus fere perpetuum est, quod non tam bilis causa, quam humidioris ventriculi naturæ id fieri est verisimile. Hac ergo natura corpus, cum ad ætatem quadraginta septem annorum peruenit, cum antea sæpe erisipelata subiret, sæpe in pedum dolores incidit,quibus recurrentibus quidem, & intermittentibus exercetur, nũquam tamen pedibus liberè permittentibus,quandoquidem insistere volenti doleant, & à motione prohibeantur, vt nobis non tam podagra,sed debilitas à vobis,ita nominata curanda videatur.

Ego quod ab ipso cognoscere potui, debilitatem neruorum hic esse non arbitror, sed quidem incedẽdi impedimentum à dolore sub motionibus facto natũ,quãquam scio alios podagricos, & chiragricos debilitate etiam per interualla teneri, quæ sine dolore subsit, & persæpè exiguo tẽpore tollatur. Huiusmodi morbus apertè à materia est, nec decernẽdũ est,num à δυσκρασία tantum existat. Materiæ genus mihi crassius, frigidibusque censetur, nam si calidius esset, etiam repositis, & cessantibus pedibus dolorẽ faceret,qualitateq; præsẽte semper afficeret,& speciem inflam-

inflammationis haberet,& quanquam tensione, etiã sola tendones infestat, periostia tamen acrem vim sentiunt in receptis humoribus. Nunc quoniam sub actione tantum est molestus, necessariò non qualitate sua sed corpore,& crassitudine premente, vrgenteque,& distendente infestat. Itaque quanquam,vt ex erisipelatibus coniectura est, iecur biliosum sanguinem subministret, bilioso tamen facili ad discutiendum iam consumpto,pituitosus, & limosus permansit, qui vt eguit ferè bilioso ad cursum proprium ciẽdum,ita à sua crassitudine sat habet ad inhærendum, cuius etiam humoris notæ extant in pedibus, cum molli,& laxo humore obducantur à frigidis,& pituitosis humoribus constante, quorum tenuior pars, & naturalis pituitæ modum retinens summas potius partes petit, facilius illuc expulsa,crassior autem latè magis permanet,qua quidem sua crassitudine, terrenam magis naturam referens, melancolicum potius humorem etiam sapit,nescio enim referre terrestrẽ humorem,& iam siccescentem aliud in initium, quam in humorem melancolicum, etsi ex pituita concretus sit.

Vrgendo ergo,& comprimendo is humor, partim dolorem membro sese agitanti affert, partim motionis etiam vim frangit,neruos,cordas, & ligamenta, non replendo,cordæ enim, & nerui repleti sine conuulsionis vitio non essent,sed vrgendo,& compressiõ ne impediendo facultatis distributionem, cum eo, quod frigore etiam suo corpus minus idoneum, tum ad motum,tum ad facultatis receptionem faciunt,ne dum onere suo grauius membrum,& ad motum ineptius reddunt. Horum humorum natura talis est,& quoniam ordo duplex est, vnus naturalium,alter eorum,qui præter naturam sunt; vtriusque ordinis esse videmus,nam pars pituitæ quæ oedema facit,naturalis est, quæ verò intus aridior est omnino est præter naturam. Melancolia si quæ ad ossa alenda,incurrit in sola nimietate peccans, illa quoque naturalis erit, nam præter naturam non credo subesse, nisi id quod ex pituita concretum arctatumque est,melancolicum humorem vocemus.

Humorum fontes proprij cuiusque sunt, nam pituitæ ventriculus,& cerebrum, quæ partes ambæ in hoc corpore sunt satis excrementosæ, vt de ventriculo aluus,de cerebro excrementa demonstrant. Quanquam verò iecur bilisum humorem generet, vt erisipelata indicio sunt,tamen illa bilis siue pituita nõ est, vt vrinæ pituitosæ præseferunt, quæ vicissim cum biliosis procedunt, & erisipelataquoque non ita pura, sed oedematosa,longiorisq; permanentiæ idem confirmant. Quare omnes principes partes in id recrementi genus videntur conspirare,iecore crassum, crudumq; chilum minus valente vincere, cuius tamen tẽuiores partes in bilem facilè conuertat. Hac verò conspiratione fit,vt cum pedes natura sint imbecilles, & similitudinem proauorum, & atauorum sequantur, quanquam iuniori ætate sese tuerentur,& humoribus dictis omninò aliæ viæ essent parandæ postquam peradultiorem ætatem minus ipsi potuerunt, & recrementa plura sunt congesta, aliqua occasione etiam interueniente sollicitudinum, & laborum sub exitu ipso erisipelatis materiam in articulis partibus nimirum laxioribus,& infirmioribus recepere, ex quibus post longam occupationem infirmiores, facti recrementis subinde nascentibus obiecti sunt, vijs interea semper magis ac magis patentibus,quæ quidẽ,vt norunt Vestræ Excellentiæ,excrementis quidem à cerebro demissis secundum neruorum tunicas sunt, eosdemq; cum neruis meatus habent,illis autem qui à vẽtriculo,iecore,atque ipso capite sunt, ipsæ venæ, quæ viæ dum consuetudinem horum excrementorum habent, necessariò ipsæ quoque contagione frigidiores factæ,recrementis illis accumulandis occasionem præ

A bent,nedum quod ipsæ quoque necessariò ex illis aliquid alimenti recipiunt, & cum alimento vitium quoque acquirunt.Huius ergo morbi ratio omnis si colligatur,erit non solum infirmitas à primo natali die insita,& per ętates aucta,sed à materia quoque pituitosa partim humida,partim aridiori facta,& in genus melaneolicum degenerante confirmata,dum eius frigoris consuetudine,& alimenta afficiuntur, quæ materia quanquam dum influit,seu calore, & spiritu, vt alimento enenit fusior est,quoniam cum alimento accedunt semper recrementa, seu bile etiam secũ mieta,qua cursum acquirit, & excretricem vim nõ solum corpore grauiori suo,sed morsu etiam creat, tamẽ cũ ad pedes imbecillis delabitur, ibi calore loci in alimẽtum non conuersa minus verò puirefacta, necessario

B partim euadit durior aridiorque, partim in halitum conuertitur,quod bili ipsi si qua subest solet euenite, crassior vero subsistens materia,tum frigore, tum grauitate,tum distentione, & forte malo sui generis alimento partes motui inseruientes malè habet, & ineptas ad motum reddit, interea verò nunquam cursus materiæ quiescit,quin vt dissoluitur, discutiturque in pedibus noua in locum discussæ suggeritur; quanquã meo quidem animo partes certum materiæ modum complexæ soleant accedentem postea materiam respuere,vt in tuberculis,scabie,variolis, & alijs tumorum generibus videmus, præsertim verò in quibus aliqua concoctio,seu putredo sit,feruore etiam coctionis,& putredinis plus materiæ attrahente,quod in frigidis euenire minus mirum videatur, in longis vero

C malis semper aliquid amplius accedere est verisimile nam qui in parte est, necessario nisi in callum, & tophum conuertatur, nisi in alimentum mutetur dissoluitur saltem aliqua ex parte, ita nisi nouus accederet humor,partes aliquo spatio humores discuterent. Est is ergo status huius vitij,vt cum nouo incursu humorum coniungatur, & partes etiamnum habeat emandantes,& in genere ῥευμάτων sit, quod apud Galenũ magni refert ad instituendam curationem, quoniam cum pars iam considens in pedibus quærat,sui discussionem,illa quæ influit retractionem repressionemq; postulat, & quæ ne influat metum facit, sui amotionem, demandantes autem partes sui restitutionem, ne vitium amplius nutriant per illius materiæ generationem.

D A materia verò, quæ metum facit initium faciendum,nam ipsa vitium alit, & sustentat vnde procreetur. Pituita verò imprimis spectanda,quæ sui præparationem maximam postulat, ac nisi perbelle parata sit non soleat ducentia medicamenta sequi, & ita qui suorum morborum eam habent in causa,difficillimè curari consueuere,quoniam hærer quam maximè, & à parietibus vasorum,canalium ve non potest diuelli. Quare acriora, & acutè incidentis facultatis, si nõ initio, saltem paulò post erunt adhibenda, dico paulò post,ne initio purgationis sua multitudine exagitata, & fusa magis cruciet. Vnde prius, & à vijs communibus dictis,& à ventriculo deturbanda, & postea ab stergentibus maceranda,demum cum validè inciden

E tibus,in quibus oximel ego non vererer eo pacto, & eo tempore exhibitum, quoniam acetum in eo admodũ temperatum ab aqua, & melle est.Detur ergo initio protinus Electuarium lenitiuum cum pulueribus hieræ simplicis,vt ventriculi pituita deradatur, quorum modus sit mediocris,cum aluo facili sit, nempe. ℥.9.elect.℥.1.ſ.puluerum. Deinde paranda materia syrupo Rof. simplici,& quia pituita maximè negotiũ facit cum sirupo acetoso,& altero de succo Betonicæ, Acetosus namque non est verendus,propter aceti decoctionem, & facchari, aliorumque mixtionem sirurorum,vel oximel cũ illis loco sirupi acetosi, vel mel rosaceum loco sirupi rosacei, ita vt acetosus sirupus, cum melle rosato, oximel autem cum sirupo rosacco coniun-

coniungatur. Dilutum fit ex aquis similibus, betonicæ, cicoreæ, melissæq; quas credo magis exiccare, quam decoctiones suarum herbarum. Post præparationem aliquam, vt vt humor paratus videbitur, paulatim erit detrahendus melle rosac. solut. Diaphenicon, dissolutis ex eo iure cui incocta sint polipodium, sena, passulæ, anisum, & reliqua cordialia dicta. Subinde fortiores recipiantur syrupi ex stęchade, ex betonica composito, cum oximelle, cum aquis, aut potius iuribus, quoniam plus mouent, quam aquæ, similium rerum. Postea pilulæ fętidæ, & de hermodactilis, cum cocchijs dentur, quamquam scio quosdam authores illas formidare in podagra. Rursus eandem purgationem per aluum, aut vomitum repeterem, vomitus quidem vehemētior cum sit, non mihi placet à principio, corporibus admodum repletis, alioquin in hoc vitio pedum apprimè vtilis esset, propterea quod occutrit cursui humoris, qui vt dixi metuēdus est. Ac quod magni vsus Medici, & magni nominis authotes probant, mihi placeret productio purgantis cum sero caprino admodū Dioscoridis parato, in coctis tamen ac permixtis ijs rebus, quas Mesue laudat, quasque solemus nos admiscere, vt maior sit purgationis profectus nimirum si paretur cum ligno ficulneo cum oximelite parum salis habente, incoquatur cum polipodio, sena turbit, quod volunt his malis multum proficere, & etiam hermodactilus, qui quamquam apud nos nomen tantum habere creditur, vsu tamen compertum est vires quoque pares tenere, mel quoque rosaceum ei potioni vires augebit, & moderabitur, Modusque eius quinque heminarum sit, & singula capiatur interposita inambulatione. Ac postquam, quod inuenis, & vijs consedit detractum fuerit, restant venæ minores, & meatus inuisibiles, qui sæpè à diuturnis malis hærentem habent humorem, & sunt eo liberandi, nam nunquā δυσκρασία tollitur illis sic hærentibus, & solidas continentesque partes vitiantibus, propterea ego opportuna ea crederem, quæ maximam detergendi, & mouendi sudores habent vim, nam cum corpus vniuersum, tum pedes ipsos quoque posset exonerare. In his antiqui habebant sales theriacales admodum discutientes, Nobis est in vsu China, est guaiacum, quæ in vsu hoc habentur. Ex his verò ego, aut Chinam ipsam per se, aut salsam pariliam vna cum pauco guaiaco darem. Chinam certè minus firma relinquere viscera crederem, ideo aliam compositam potionem mallem, vel Chinæ quoque guaiacum commiscerem. Sub hac potione danda eam victus rationem seruarem, quæ probatissima probationibus Medicis fuit, quæque locis natalibus seruatur, nam eius tenuis victus vires, ego sum in multis expertus ad opus earum potionum perficiendum. Corpore toto sic curato, & exhibendis etiam atque etiam antidotis confirmato, vt theriaca, quæ Galeno præcipuæ laudis in podagra est, de qua lib. ad Pisonem ait, quod non solum inhibet humorem, ne ad pedes fluat, seu faciunt alia eo periculo ne humorem in pulmonibus retineant, sed ipsam materiam consumit, Accederem ad ea, quæ propriè pedes, & articulos spectarent, & quoniam perforata à Dioscoride in Ischiadico datur, non minus illa in podagra valitura mihi videretur.

Verum quoniam nunquam in mortalibus, & ægris corporibus tanta puritas speranda est, quin spatio in eandem impuritatem recidere possint, propterea, & humoribus identidem purgandis, & diuertendis, & vijs communiendis opera danda erit. Purgatio ijsdem leuiori modo sæpius repetitis, vel in eundem modum bis in anno facienda. Vulnera in cruribus inurenda, quo labentem humorem in pedes intercipiant; & remanenti etiam sæpe in genibus exitum dent. Quietem quam habere saltem per mensem debent, ij, quibus crura, sic cruciantur, ne in gangrenam incidant, vt vidi multos, non præcipiam, quoniam à lecto sese dimouere non potest. Viæ firmabuntur, si in sudore mouendo, cum ijs, quæ id faciēt, postremis diebus mirobalanos incoquemus.

Sed quid de pedibus ipsis, vbi eos reliquisti, non reliqui, sed in postremum locum distuli, quo diligentia, quam postulant, posset eorum curatio pertractari. Vidimus eorum infirmitatem à seuitie, & à diuturnitate morbi ortam, maxima cum materia aliunde perpetuò allabente coniunctam, nedum, quæ illapsa consistat, ita vt vitium illorum in genere ῥευμάτων sit ponendum, & propterea, quæ de ῥευματικοῖς malis à Galeno admonentur sint seruanda, nimirum cauendum ne discutienda sine reprimentibus apponamus, neue partem grauioribus oneremus, calfaciamusve, quoniam extrema nimis cursui humorum sunt subiecta.

Ergò post corporis puri certa indicia cum spongijs fouebimus leuiter pedes ex lixiuio, cui incoctum sit triticum cum rosis, deinde etiam ex vino ijsdem incoctis, vel etiam triticum comansum solum imponemus, quod mirificum profectum habere vidi. Vindemiæ tempore vinaceis pedes continerem, tempore milij etiam cum milio concalfacto, Interea balnea dicta adhiberem, & alia in eorum locum ex aqua, vel lixiuio incoctis malua, althea, prassica, verbasco, fœnugræco, rosis, nucibus cupressi, baccis mirti, & iuniperi, Radice cannarum, helenij, & alijs eiusmodi, quæ ex alto attraherent, cum ijs tamen, quæ pedes possent confirmare, oleis præterea post lotiones inungendi pedes à leuioribus ordiendo, chamomelino, cum rosaceo, anethino, sesamino, laurino, rutaceo, & alijs compositis, oleum de cera afferunt alij, Idipsum quoque mirtino, & rosaceo mitigandū. Pinguedines sunt multorum animantium, & valētiores calidiorū sunt, illam quidam præferunt, quæ artenæ dicitur. Sūt emplastra, in quibus non solum fabę farinam, sed orobis etiam & lini, quæ sine calore maximè euocat humorem, esse vellem & prassicam, rapum, parietaria cocta cum fænugręco, althea, meliloto, & similibus cū sapa. Tandem gummata quoq; inūgerem cum opus foret. Sed cum dolores vrgerent, tunc vel oleo rosaceo cum vino contentus essem, vel vnguento ipso rosaceo, aut parietariæ succo cum eodem oleo, aut lacte cum eodem & momento croci, qui dolori & firmitati partiū confert. Tempore, quo dolores timentur, nisi purgationes illæ longiores possent institui, ego vterer electuarijs illis ad podagram, & arthriticos omnes proprijs, vt illud, cuius fermè exemplum ponit Galenus 2. ad Glauconem dictum à Raino Cariocastiuum, ex costo, cariophillisque Hermodactilis, biagridio, & illud Aetij ex Cniro. Sed nimius essem in ijs numerandis. Sunt quoq; pilulæ à me compositæ octauianæ dictæ. Pedibus ego quietis tempore sal tostum in aqua vitæ dicta, & oleo rosaceo quotidie ingererem.

CONSVLTATIO CLXXXIII.

De Sauiolio moribundo.

NOstis Viri præstantissimi, quod soleant materiæ ad articulos decurrētes etiam ad pulmones detrudi, quod monitū fuit à Galeno. Ergo, quod in hoc sene septuaginta duum annorū, materia quæ crudior ad renes demittebatur, sit in partes easdem conuersa spiritui inseruientes ego non miror, & maximè suspicor, nam cessauit diuturnum malum in renibus, & recepta cibi cupiditate cibi nimium accepit, sic à subita fame, abstinentiave ad subitam repletionem transijt, & sese cruditatibus repleuit, Frigori sese obiecit, & à calore in id subito transijt, Constrictus est corporis ambitus, materia, quę solebat ad renes deduci in pulmonem

monem partem laxam, & agitatam coniecta est, ibi computruit, partem inflammauit, & febrē cōtinuam fecit. Vnde pulsus adeò parui sunt, vt numquam minores liceat sentiri, ipso etiam num sensibus omnibus integro, & spiritus angustus est, & ipse vocem, nisi nixu magno efferre non potest, extra frigidus est, incalescit tamen, & æstuat interno calore, lingua sordida est, & flauescens eodem æstu vapores attollente, nam quamuis materia pituitosa, & vt vrinæ ostendūt crudi generis sit, tamē eius partes putrefactæ tenuioresque in linguam, & in sublime elatæ flauescere potuerunt. Iecur quoque infarctum esse iisdem crudis succis apparet ex crure ipso quamquam sinistro œdemate tumente. Quare ego viribus senis morbum imparem esse existimatem, & citò iri confectum. Interea si videatur, extergenda est e ventriculo pituita melle rosaceo, sic per clysteres ex intestinis educendam nō prohibeo, si vētriculus fouendus, si frictionibus etiam concoctio pituitæ iuuanda, vt in Epialis febribus, in quo genere hæc ferè est, fieri præcipitur, ego item permitto, sed prædicta morte, ne remedia infamiam incurrant. Vnde neque à vino penitus interdicetem, & cibum facilis alimenti dafem ex contusis nimirum carnibus, & ouo iure dissoluto cum aceti momento. Et hæc satis, quæ certè vereor profectum nullum sint habitura.

De Illustrissima, & Excellentissima Sfortia Parauicina.

CONSVLTATIO CLXXXIIII.

DOlor ventriculi est, qui fit maximè dum cibum continet, is vomitu pituitæ acidæ ferè, albæ, & puræ, quandoque aliquo colore infectæ etiam cū cibo permixtæ leuatur. Cui symptomati febris adiūcta mihi videtur, quoniam pulsus, & crebrior, & inæqualior, & velocior multò, quam pro natura in huiusce-modi corporibus cōsueuerit, existit. neque enim mihi fit verisimile, aliquam corporis naturā esse, quæ eiusmodi pulsum integro corpore habeat. Vrinæ præterea in eo corpore, quod tot cruditatibus est refertum, cum flauescant, non solum febrem, sed eam quidem valentioris exustionis demonstrant, quibus calor corporis etiam attestatur.

Hæc satis manifesta sunt, alia præterea animaduertuntur. Hypochondrium dextrum plenius est, quam ex natura esse deberet, sinistrum etiam quamuis liberum sentiatur, loco tamen inferiori ad medium paulò supra vmbilicum dolor mouetur, si valentius premas, aluus insuper adstricta est, neque sine clysteribus descendit.

His descripta valetudo Excellentissimæ matronæ est, illiusque inde partes, & initia intelligenda sunt. Pituita à δυσκρασία ventriculi frigidiori est, nam caput nullo vitio affectum esse certum est, imò firmissimum semper suapte natura fuisse. Ventriculi frigida δυσκρασία materiam hærentem habere credenda est, cum diuturnum malum extiterit, quæ vnde priorem originem habuerit viscerum obstructio monet, nam quamquam ventriculus ab externis euidentibus causis facilè in cruditatem incurrat, quæ occasionem hypochondrijs ad obstruendum præbeat, ea tamen nobis curationem parantibus in primis causis statuenda est, quoniam inde iam remotis erroribus primò vitium sustentatur. Facit illa, ne sanguis liberè cum spiritu commeet, facit ne recrementa deponantur, & retenta, refrigerata, crassioraque facta magis obstruant, & loca frigida reddant, nam licet putrescant illa, ad extremum tamen refrigescere conuenit. Putrescere verò humorem febris ipsa læuissi-

A ma notum facit, quę si perpetua non est, neque recrementa perpetuò putrescere est necesse, inde ergò plenius hypochondrium dextrum recrementis minimè expurgatis, & dolor sub altero dum infixa tunicam aliquam distendunt.

Quod verò vomitus sæpè variet coloribus, mirum non est, cum aliquid modo huius, modo illius recrementi efferant, natura siquidem vias omnes sese exonerandi tentat. Minus alienum est, dolores sub cibo incitari, cum interea comprehendendo cibos distentus sit ventriculos, & pręterea laboręt continendo, ne dixerim concoquendo, nam concoctio nullum laboris indicium præbet, cruditatem quidem profert, tertio e cōcoctionis illa molitione hálitus crudiores ipsi quoque & crassiores excitantur, qui dissoluti diffici-
B les distendendo membranas meatibus circumpositas excruciant.

Hæc morbi huius ratio est. Corpus autem, & vires morbum ferentes satis validæ videntur, si cordis, si cerebri actiones ęstimentur, at iecotis, & venarum, altricis nimirum nudę facultatis res aliter habet, nam concoctio nulla est, carnesq; minimè nutriri vidētur. Vnde cum curandi deliberatio futurum debeat prospicere, lōgius ferri hic morbus ab ijs viribus nō posse videatur, nisi illæ admodum sustententur, donec febris saltem mitescat, quiescatve, alioquin ni febris breui finem faciat, non credo corpus diutius eam laturum.

Imprimis ergo victus ratio, vt vires postulant, quæ
C agendorum primas partes occupant, erit instituenda, extenuans quidem, sed minimè tamen tenuis, facilis quidem coctionis, ne cruditates accumulentur. In cibis condiendis, si aceti parum, & quantum gustui gratum sit, misceatur proficere ad humores extenuādos, incidendosque mihi videretur, Ad idemque sacchārum foret idoneum. Cibi facilis coctionis, & boni succi, & tenuioris non sunt vobis obscuri, in quibus oua ego ponam, si cum sacchāro, & aceto conficiantur, nam quamquam crassitudinem non habeāt, lentore tamen non carent, qui crassis humoribus adiectus eorum vim potest augere.

Vnde oua etiam molliter cocta pituitosis ventriculis videmus grauitatem præbere, & à Galeno senibus ob id interdicebantur, nimirū ne in vsu frequen-
D ti haberentur. Carnes pullorum gallinaceorum, si grandis ætatis fuerint, ipsæ crassioris alimenti sunt, vt grauiorum omnium auium, quare iuniorum penitus deligendæ sunt. Vituli caro crassitudinem habet, & nisi tenera admodum iuris sit, & ante cocturam mitior spatio fiat non concedenda, quod spatium etiam grauioribus auibus mollioribus reddendis erit vtile, in iusculis borrago, buglossum, endiuiaque mihi non displiceret, & cum febris quieuerit etiam beta, cuius natura tenuioris succi est, & maximè abstergentis. Caphares quoque idonei erunt ex aceto, tempestate maximè temperatiori, quam nunc sit. Fœniculum eadem conditione laudarem, & similia, quæ indies occurrunt, & selectum sui à prudenti Medico postulabunt. Potio vini interea dum febris putredinem
E indicat, metuenda videretur, quoniam vinum ad locum putredinis non solum sese incitat, sed alios succos etiam inutiliores secum inuehit. Aquam tamen modificarem incoctis e genere eorum, quæ solent illam tenuiorem, & ventriculo minus frigidam reddere, ijs, quæ ei gratiora videbūntur, aut cinnamomo, aut cariophylis, aut coriandro, aut aniso, aut ex herbis, & radicibus etiam aliqua. De somno nihil est, quod moneam. De quiete non dubitarem etiam interdiu in lectulo quiescendum, aluumque esse, aut quotidie, aut altero quoque die ducendam, & animi perturbationes declinandas. Medicamenta autem illa eligenda, quæ coctionem non impediant, quæ non admodum cor saltem exiccent, minus vires soluant,

uant, abstergunt vero, incidant, tum uentriculum, tum cætera viscera expediant, & confirment; aluum etiam identidem soluant, materiam abstersam detrahendo. Quare ego pro tempore pararem modo hoc, modo illud medicamentum, ne consuetudo naturæ minus iuuaret, ægrotam autem nimio fastidio molestarer.

Exempli gratia acciperem aquam ex absynthio, & trissagine, & fumoterra, vna & capilli veneris, illis incoquerem pilosellam, acerosam, cicerbitam, melissam, betonicam, quibus percoctis expressisque adderem succum iridis, infusionem rosarum, & iniecto saccharo estate, hieme autem melle ad ignem componerem, & demum acetum inspergerem, cui per interualla rhabarbarum adiungerem, atque cum valentius agendum esset incoctum elleborum non formidarem. Enicum certè cum eo componerem, & illa quæ horum offensam possunt modificare.

Exempla alia possem adscribere, & alias formas medicamentorum, sed ad tempus illæ sunt accommodandæ. Exterius ventriculum iuuarem illitionibus ex oleis caryophillorum, cinamomi, anisorum, quæ per os non ita liberè concederem, quoniam longius deducuntur, quam calida iecoris saltem ob obstructiones, & renum vis postulent, & citius etiam id faciunt, quam calorem amiserint. De quibus illud præterea dictum uolo, quod cinamomi oleum fortè vehementius est, quam anisorum, quoniam crassioris, & grauioris corporis est, aquęquam subsidet, quod facit etiam oleum ex cariophillis; & ex ligno guaiaco, quoniam ex corpore magis terrestri eliquantur. Oleum autem anisorum, vt & fœniculi, & similium, quoniam illa semina herbacea sunt, minus grauitatis habet, & aquæ infusum non demergitur, sed eminet. Itaque exterius admota tutiora sunt. Si quæ postea erunt commemoranda, vt vt inciderit vsus necessitas in dies libenter cogitabo.

De Atrophia cum tumore ventris, & pedum cum fluore albo vtero. Pro Matrona.

CONSVLTATIO CLXXXV.

Viti præstantissimi habemus corpus exciccatum, si eius δύσκρασια spectemus, nimio etiam humore scatens si excrementa, nam prætereo quale esset sua natura, album cum fit, & venarum latiorum, moribus ad solicitudinem, ad iracundiam, ad sagacitatem omnem aacommodatis, nunc ætate inclinante, ex carne penitus cum fit corpus, siccitate vitiatum credã, excrementa autem cum pituitosa sint, & non solum vrinam repleant, turbidamque faciant, & album fluorem, sed pedes; & ventrem in tumorem attollant, pedes quidem œdemate afficiant, non possum non existimare humiditate recrementitia multa onustum esse, & ita frigus iam vitiosum acquisiuisse, neque enim ego possum animo formare mihi, debilitatem caloris aliquam posse pituitam creare, nisi frigus subeat.

Calor namque propter acriorem vim, & igneam imbecillior factus non pituitam, sed biliosos, & salsos humores creat, qui enim propter calorem auctus calor est, & sui similia effecta edere non potest, is uitam amplius continere non potest, & calor amplius non est, vnde accedente ætate iuuentutis calor acrior, & infirmior factus, quam esset, propter igneum genus sibi inductum, bilem potius generat, cum similis sibi sit, postea verò amissa ui illa ignea pituitam cum frigidiorem naturam sortitus est, quod non aliquo vitio per calorem, sed natura frigidiori acquisita facit, non priuatione simpliciter virium, sed accessione frigoris affectus.

Ita calidum hoc corpus, si notas propositas sequa-

A mur, & fortè humidum vitio frigoris, & ariditatis affectum videmus, vnde longius a sua natura deductum ad eam reuocari erit difficile. At inquit Doctor exiguum corpus est, ideo nõ potuit esse calidum, aut humidum. De hac re hic nolim litem instituere, quando id a Galeno est tractatum.

Cui testificari quandam historiam crederem, quæ mihi a fide dignis fuit hesterna die recitata. Quidam a pueritia vsque ad adolescentiam fluore alui fuit detentus, manebat exiguus, ut iam pilos in barba haberet, ac pumilio videretur, fluore autem alui quiescente, maximam staturam breui tempore acquisiuit, is cum cresceret postea nullam ariditatem amisit, nisi eam, quæ nutritione potuit resarciri, hæc vero non generis, sed corporis ipsius humidi defectione, non qualitate esse
B potuit.

Copia ergo materiæ, non qualitate longitudo staturæ efficitur, quod in catulis alendis mulieres experiuntur. Semen namque radicalem quandam materiam subministrat etiam secundum Aristotelem, quæ a sanguine matris primo alimento debet suffulciri, ac distendi. Sed ad rem nostram. Quã in parte maximè est hoc frigidum, & siccum vitium? In ventriculo potissimum, & vtero. Cur non in iecore? Credo ego iecur quoque pariter refriguisse, quanquam more medicorum nostræ memoriæ, vos, quod ferè soletis, iecur calidum, ventriculum semper frigidum facere statuistis, ita ægritudinis huius causam inde natam, quod iuniores Medici nobiliores persuaserunt, iecur calidum semper ventriculo frigus afferre, eo quod illum alimento proprio priuet, ea vero viscerum impuritate, quæ certè pessima est, factam esse crudiorum humorum, congestionem, quanquam
C inquam vos iecur calidum statuistis, (nam ego quoque concedam fuisse antea calidum, & impuritate naturæ hæc duo viscera tantum mali attulisse) non tamen possum nunc assentiri, sed iecur frigidum euasisse mihi persuadeo, recrementis frigidioribus in ipsum agentibus, & longam consuetudinem cum eo nactis.

Etenim non video cur aliam δυσκρασίαν habeant membra interna, quam eam, quæ ab humoribus infertur, & sustentatur, quales vero humores facit ventriculus, tales iecur accipit, ab eorumque consuetudine afficitur; nam δυσκρασίαν calidam esse in iecore admodum diuturnam, frigida existente ventriculo non posse crederem.

Effecta quidem caloris aliqua sub visceribus ijs duobus ita refrigeratis posse extare existimo propter ob-
D structionem, quã scimus humores exuri, in salsedinemque, & vitiosam naturam conuerti, quæ ferè in calorem iecoris vulgo referuntur. Quod sanè huic Matronæ contigisse arbitror, nam vos ei aquam thermarum primò chalderij dedistis, deinde vero annis quibusdam interiectis caloris obliti aquas Patauinas, a quibus ambabus malè habuit, nam Chalderij aqua non solum ventriculum, sed iecur iam refrigescere a ventriculo incipiens magis vitiauit, Patauina autem ariditatem vsque per Chalderianam inductam auxit, quæ fortè non calefecit, cum illam virginis dictam accepisset.

Quid ergo nobis deliberandum, qui fluorem vteri al-
E bum, vrinas albas turbidasque, & tumores pedum, & ventris præsertim a cibo maximam inflationem videmus, & item quendam cordis saltum, casus cum siti, & febricula quadam euidenti coniunctos? Hæc recrementorum crudiorum pituitosorumque copiam sequi patet, eam vero frigus, si non siccitatem etiam viscerum, quæ tamen mihi summam habet suspicionem cum corpus male nutritum, & a morbo diu pressum cõsidero. Propterea ego potionem aquæ Thermalis reformidarem, cum admodum exsiccet, cum nisi magnum in modum accipiatur, quo modo certè huic corpusculo tenuissimo grauior foret, nihil profectura sit, quæ si calidior esset eo magis squallidum corpus redderet, si frigidior vires eius, & maximè ventriculi prosterneret.

Potius, quo recrementa illa è corpore verrentur; post medicamentorum purgantium beneficium, ventribus exonerati eorum atque venarum & item meatuum itinerumque omnium parietes ego detergendos curarem, ne quod humoris in eis inhæret, iterum idem recrementorum genus propagaret. Id autē facerem per detergentia medicamenta, quale guaiacum esset & salsa parilia, quo verò vtero aliquid roboris inderem, Agallochū, vna cum eo coniungerem, aut aliud eiusmodi. Victumque mediocrem instituerem, ne solidę & continentes partes tabescerent. Fluxui verò propriè alboni cessaret, pilulas exhiberem de Rhabarbaro Mesues cum iure menthæ, fregariæ, saluiæ, plantaginis, absinthij & cicoreæ, quæ visceribus quoque maximè prodessent.

De febre continua diuturna.

CONSVLTATIO CLXXVI.

CVm postremus dicendi locus, qui disceptatotis est, mihi hodie contigerit, breui ego meum iudicium afferam de ijs quæ à vobis accepi. Fuerat hæc febris ab initio κακοντῆς, quod putredo tunc humores calidiores & fortè etiam sanguinem comprehendisset, procedente putredine partes tenuiores consumptæ sunt, aliæ verò forte concoctæ (quod putredo non penitus in corruptelam spectaret, sed ad maturationem vi partium continentium reuocata sit) & post maturationem paulatim excretæ sint, crassiores autem, quæ neque ita cito putrescere, neque maturationem admittere possunt, conceptam putredinem diutius terunt, Et quoniam partibus principibus inhærent, vt malus febris mos significauit, ideo illis sua natura quandam refrigerationem communicauit, quod eo corpore obstruente, excretionum, & commeatuum spiritus impedimentum, sua verò putredine calorem assiduum & febrem effecerit, ita ab ipsa humoris natura coctiones cruditatem pariunt, à feruore caloris etiam ex sanguine, quod ichorosum est & tenuius in bilem conuertitur, cruditates œdematosos tumores efficiunt, non quod crudus propriè dictus humor illuc accedat, sed quod pituitosus sanguis inde confectus eas partes alat, œdemata namque ex naturali pituita fiunt. Verum quanquam febris assidua sit, quotidie tamen concussiones illas, quæ à Medicis publicè rigores dicuntur, affert. Quod sanè dignum consideratione est. In malignis febribus horrores fiunt, sed non certis circuitibus reuertentes, potius identidem cum calore tentantes, & nimijs humorum halitibus naturam irritantibus fiunt, Qui tamen neque rigores dici, neque accessionum initia possunt, vt neque hi nostri. At ergò materia extra venas putrescit? Consultè admodum dixit Doctor, nimirum aliquam materiæ partem tenuiorem extrudi e uenis, & rigorem efficere. Ita ego malo in eius sententiam descendere, quam de rei mihi non visæ causa disputare. Et dicam, quod materia, quæ in visceribus putrescit assiduam febrem facit, neque emanare extra venas potest, quod intrusa in illis & hærens est propter sui crassitudinem, si qua autem rigores facit, illa bilis est per febrem ex ichore sanguinis facta, quę in amplioribus vasis versata & putredine comprehensa inde per vim extruditur à partibus ab illa irritatis.

Hic mihi videtur esse morbi status, euentus illius verò etiam metuendus, quoniam febris magna est, & illius potior causa in visceribus vires saltem attrices imbecillas habet, quod nō solum ex iecoris, & lienis obstructione tactu ipso deprehensa, sed ex vrinis crudis & malo corporis habitu intelligitur, quare magno malo diuturnitatem etiam sui firmitate & cruditate indicante, vitæ sanè metuendū videatur, in eis namque viribus radix vitæ posita est, neque illis imbecillis possūt vitę & cerebri facultates diu valere, quarum infirmitate præterea putredinē hanc non esse maturationē indicatur, ex quā aliquid solet alimenti, & virium partibus ipsis accedere, vt in vulneribus, & vomitis obseruamus. Quid ergo nobis deliberandum, ne materia amplius in putrefactum locum sufficiatur? vtque materia, quæ putrescit corrigatur, & ad maturationem reuocetur, si potest, quæ autem non potest detrahatur, ne calor febris sui feruorē visceribus infigat, & quod potissimum est, vt vires nutriantur. Cibo vires vno demum possunt sustentari, & cōctione. Cibus eius generis esse debet, vt cito possit transmutari, & tantus, quantus vires diu valere possint, & talis, qui humores tenues possit procreare, nempe naturæ extenuantis, & conditum incidendi vim præbentis, quæ si ex aceto fuerit, id ualebit. Quale autem sit genus cibi extenuans non est nobis obscurum. Imprimis ego hordeum, & auiculas montanas hoc loco censerē, oua non nisi ex aceto, vt far quoque concederem. Semina melonum, & amigdalas conditurę adhiberem, aut eorum similia olera, & borragine, buglossa, acetosa, & quoque ēt beta permitterem. De medicamētis ad humores detrahendos, & parandos eadem statuerem, quæ uos proposuistis, sed in tanta obstructione viscerum a valentioribus cauerem, & uiribus etiam consulens amiciora naturæ magis diligerem ad viscera ipsa recreanda, in quibus potissimum est rhabarbarum, quod non solum bilem flauam, sed exustam, & crassam, atque etiam pituitam educit, quod iuuari, & valentius fieri poterit, si dissoluatur, seu maceretur in liquore, cui incocta sint, medicamenta ad id idonea, vt polipodium, vt sena, cnicus, & similia interiectis illis potionibus, quæ humores possunt ad sui detractionem comparare, ex oxymelite, aut aceto so syrupo, & succo cichoreæ, betonicæ, deinde syrupo de cicorea Nicolai cū rhabarbaro, acetoso aliquo adiecto ad incisionem, cum ea quæ in eo est, nō admodum multa sit, alioquin omnia viscera spectar, nempe, iecur, lien, pulmonem, & renes atque ventriculum. Postremò cum identidem essent purgationes ex rhabarbaro repetitæ, ego ad syrupum acetosum diarrhodō accederem. Nec interea præterirem fomenta, inunctiones, & sacculos, quibus uentriculi coctio iuuaretur, quo minus crudę materiæ suggerat. Reliqua determinanda suo tempore omnia relinquam Medico, cui cura commissa est.

Conualuit cum dictis potionibus rhabarbaroque ad ℈.2. altero quoque repetito.

De Comitissa Ottilia Montanaria.

CONSVLTATIO CLXXXVII.

DOmini Sapientissimi, versamur in re, quæ propter assertinnem ægrotę est maximè perplexa. Iā quartus mensis prætetijt, cum menstrua huic Illustri Matronæ suppressa sunt, a quo tempore semper ægrè habuit, capite ventriculo, dorso, & totius corporis, & præcipuè hypochondriorum, & ilium grauitate, febricula, vrinis croceis, exiguis, pulsu paruo, & crebtiori. Caput graue, & cum dolore erat. Ventriculus cum dolore, & ructu acetoso: Hypochondria etiam vicissim cum capite suos dolores efferebant, febrisque potius cum capitis doloribus, quam cum hypochondriorū molestia aderat. Quęsiuit eius molestiæ curationem, ego grauiditatis suspicionem obijciebam, eam ipsa nullam esse sibi affirmabat, mutis rebus adductis, multis taciturnitate inuolutis, quibus se grauidam esse nullo modo posse diceret. Earum, quas protulit causarum illæ erunt, quod annis iam duobus præteritis menses parcius emanarent, quod superiori anno pariter constitissent, & has easdem molestias attulissent, a quibus postea menstruis procedentibus, in sequenti circuitu fuit liberata. Quod iam tredecim annis sterilis esset facta, postquam tres grauiditates tribus annis prospere transegisset, alia multa se reticere innuebat, quibus grauida esse non posset.

Ego contra asserebam, in alijs quoque grauiditatib. febre pariter affectam fuisse, vt retulerat, & nunc ea si-

gna grauidis valde familiaria esse, nam præcipuè corpus totum graue esse solere, illa grauia mammas etiam grauiores in ipsa fieri, vt maximè grauidis contingit, & quod præcipuum videtur colorem corporis teneri suppressis menstruis. Interea Illustris Pater aduenit, is hortari, & petere instantissimè, vt aliquid gereretur, ne in peius rueret, ne periclitaretur. Iam ventriculo consulere cœperamus leuioribus quibusdam, sed nihil proficiebant, pater interea rogabat, vt sanguis mitteretur. Veniebat in mentem, nonnullas hac in vrbe nostræ ætatis fæminas nûquam commodè vtero gestasse, quin etiam abortirent, nisi sanguis quoquo mense mitteretur, & nostri temporis rationem, longè aliam esse ab Hyppocratis temporibus, cû nullæ mulieres fætu sano menstruas purgationes habebant, nã nostro tempore multis menstruas purgationes habentibus, & dum bene vtero gerunt, & dum lactant.

Propterea, aliquid sanguinis mittere ausus sum, quod patum fuit, & reuertente menstruo tempore iterum etiam, nihilominus vsque in quartam mensem malè habebat, quo finito commodius viuere cæpit. At mêstruorum tempore accedente rursus malè habere, & febrire, diuque perseuerare, ita tunc maxime curatione egere, & sanguinis missione putabat. Et cum superioribus menstruorum circuitibus muliebris fluxus, & albus & teter, & sanguineus extitisset, quamuis parcè effiueret, tunc demum diutius ultra spatium solitum producebatur, vt quantum parcitate detraheretur, spatio fluendi restitui ipsa existimaret. Dum exitum eius effluuij expectamus, in dies illa peius habere, & tandem quotidie mane tantummodo sanguis exire, & semel etiam secû quiddam lotio simile valde flauum, ex quo interea lintea cû exiccata fuerant, tamquam vino atro infecta videbantur, reliquis horis intermittebat, tunc doloribus ventris semel, & iterum tentata est summa cum molestia, tum ventriculi, tum capitis, cum iterum cruciaretur, maximus ventris saltus afluit, cui imposita manus eum motum vnius certæ partis intus substantis, & formati corporis non persentiebat, quoniam erat motus totius abdominis confusa, & trepidantis inflationis potius, quæ totam ventris latitudinem occupabat. Abdomen verò omnino diffluebat, nihil eminentioris in medio habês, quanquam in quinto iam mense esset harum molestiarum ab hac molestia euasit per exitum sanguinis diuersorum generum subito erumpentis, ac ipsa non sentiente, in quo erat grumus quidam maximæ fibris refertus, & conglobatus nigro colore, & fætido odore præditus, & a doloribus totos dies vacauit, quarto vero ab eis die eius generis penitus doloribus arrepta est, qui parientes mulieres cruciant, & illis quidem maximis. Vbi obstetrices erant expectantes partum ipsum certissimè de illius abortu, cum interea dolores nimis lacerarêt, in balneum ex oleo eam demittunt, clysterem in aluum infundunt, in vuluam tandem aliud clistere ex oleo liliorum alborum, ex quo iam referunt omnes dolores quieuisse, et iam nihil amplius pariturum eam credunt, sed eos dolores ex flatu fuisse, cum illa iam bene habeat, nisi quod, vt sentire potuistis febre sua etiam tenetur, in qua pulsus parui crebrique sunt, vt fere in dictis suis consueuere, vrinæ vero valde croceæ, & exiguę toto hoc tempore visæ sunt.

Hac in re quid deliberandum sit consulitur, ita & cognoscenda res est, & quid requirat decernendum. Cognitu causa facilis non est sic mulieribus variantibus, propterea, vt apetiatur sic quæstio distribuenda est. Numquid in vtero amplius sit, quod metuendum videatur, & quid illud naturæ habeat, fætusne, an sanguinis vitiosi. Si nihil insit, num a corpore in ipsum vterum aliquid labi possit, quod similes labores sit iterum pariturum, cuius causæ cum eo erunt omnino auferendæ. Subsitne in vtero aliquid adhuc affirmare certo non possumus, mulieribus contra plaudentibus. Suspicio tamen est corpore, tam male habente, & eadem febre tenente, doloribus vero illis sine manifesta aliqua

A excretione cessantibus ne aliquid etiam ibi consideat, quod quiescens dolores non moueat. Sitne fætus difficile iudicatu est, nam etsi motiones illæ alui flatuum potius opus visæ sint, id tamen fætũ subesse non impedit. Quod purgationes menstruæ, & præter tempus quoque non faciunt, quoniam multas vidimus non solum quoque mense purgationes suas habuisse, sed largissimum profluuium habuisse, & tamen fætum vsque ad iustum pariendi tempus tulisse, & sanum partum fuisse. Sanum quidem hunc partum esse nunquam crederem propter prauos humores, qui excreti sunt, propter febres assiduas, & propter vrinarum malum iudicium. Subesse autem fætum maximè persuadere præter cætera supradicta tanti dolores, qui hesterna die vsque ad proximam horam permansere, quantos certè a flatu in

B vtero fieri nunquam credam, quales sanè parientium dolores omnino referant. At cessarunt, nihil obstetrices sentiunt, ante dolores abortum fuisse affirmât, cum sanguinis fibrosi grumum edidit.

Etiam parturientibus cessant interdum dolores, fætus vero immaturus adeo exiguus esse potest, vt sub ipsum pubis os delapsus, nullam sui speciem tangenti manui exhibeat, vidi ego vero illum sanguinis grumum, neque certè aliud habebat. Doloribus ergo partus positis post emissionem serosi illius humoris, qui lotium fætus omnino esse videtur, quod tractis membranis emitti solet, nullo partu cõsequuto futurum partum nos debemus expectare, nam nondum diu est, cum dolores quieuere, peperisse autem dolores credere amentia est. Dolores enim, qui eo fluore sunt leuati, multo le-

C uiores fuere, quam qui parturientium esse soleant. Præterea in eo sanguine nihil albi erat, nisi fibræ tenues, nihil folliculi speciem habebat. Partus ergo si sequetur, natura per se curabit purgationes emissura, quas in abortibus emittere consueuit. Ferè enim ex nimia sanguinis, & mala copia abortus fiunt, vnde largiores quoque in eis sanguinis effusiones sequi solent. Quod enim is partus non sequatur per abortum, sed ad iustum tẽpus feratur, & verus partus futurus sit credibile nõ est, quoniam dolores hi resolutum iam esse ab vtero partum ostenderunt. Alioquin vero ipsa grauida esset, & vt possunt vtero gerentes sustentanda, & quanquam finito iam diu quarto mense etiã purganda, & sanguine mittendo curanda, quod a quarto vsque ad septimum nobis permissum est, sed partus sanus nõ est, vt dicta con-

D iectura ostendit, & antea missus sanguis nimis pituitosus præsignificauit.

Sed esto partus nullus subsit, aliqua materia tamen sit reliqua dolores paritura, oleum amigdalarum amararum proficere ad id potest, quo fætus etiam resolutus facilius deuolueturi Ne vero identidem congesta materia hos labores referat, corpus purgandum est, & nisi nimium sanguinis effluxerit, omnino per sectam venã diminuendus, præsertim quod crassus per medicamenta non facile educitur. Vtero vero sic infirmo, brachij potius vena aperienda, & maximè si niger erit effluere permittendus, deinde purgatio instituenda, quę pituitã, & humorem melancholicum detrahat. Postremo quo ventri, & utero consulatur aqua balneorum Porrettæ exhibenda videretur, quoniam illis partibus maximè

E vtilis est, & eius sumendæ tempus non multo post aderit. Augusti enim mense valet.

Post consultationem quarta, aut quinta hora peperit tenuem admodum, & pallidum partum longitudinis sex vnciarum, ut quinque mensium esse solent. Viginti horis totis intus mansere secundinæ, quæ exhibito Castoreo maximo animi deliquio sunt excretæ duræ admodum, & crassæ, quarum carnosa illa pars erat specie lienis nitida, equabilis, crassa, angulata, dura, vt molam præ se ferret, & incredibilis sanguinis copia sequuta est, & maxime crassi, & nigri. Durities membranarum, & carnosæ illius adnatæ partis, omnino ex nimis crasso, & alieno a natura sanguine prouenerat, vnde ipsa quoque male habebat.

Tertia die a partu febris maxima fuit, quæ postea remissior euasit, & inde post hunc abortum quoquo anno parturiebat, quæ sterilis tredecim annis fuerat.

De Burlono hemoptoico.

CONSVLTATIO CLXXXVIII.

QVamquam res in se composita naturæ est, & multiplex, notitiæ tamen apertæ, & facilis est, curationem tantum difficilem sua perplexa natura reddens. Nam ego non dubitarem Domini, quod fecit Doctissimus vir a capite, ne an ab infernis partib.is sanguis prodeat. Et argumentum quod dubiam facit suam sententiam ne ab infernis promittatur, mihi omnino est certum iudicium non solum ab infernis, sed propriè ab ipso pulmone submitti, nempe quoniam spumosus est; & floridi coloris. At per nares aliquando effusus est, scilicet, id propter copiam largiorem, & in citationem euenit, dum sursum confertim spiritu impellitur, vt bibentibus quãdoque euenit, si casu aliquo spiritus excitetur. At sæpe videtur sine tussi emitti. Viri peritissimi tussi egent, hoc est spiritu contentius identidem expresso, repetitis contentionibus, quibus tussis constare videtur, & quæ efflatum spiritum sæpe fugiunt, & intersecant, aut hærent, ita vt non vno impetu elidi sæpe possint, spiritu illa prætereunte, dum ipsis intersecatur, quæ, scilicet, non omnem meatum complent, quin spiritui aliquid itineris, & egressus pateat. Verum qui complent meatũ, vno sæpè spiritus efflatu necessario expellũtur, cum illi exeunti alioquin via nõ concedatur, nisi propter sui expulsionem: Quare nunquam vidistis copiosum sanguinem tussi ipsa eiectum, semper efflatus quisque effert certam sanguinis molem, alioquin strangulantur. Per tussim exiguus sanguis, & cum pituita ferè commixtus eijcitur, quoniam, & viam spiritui exeunti permittit, & per pituitam hærens non potest vno impulsu resolui, aut conuelli, quare multi Medici quotidie decipiuntur, requirentes tussim, vt sanguis è trachea exeat, sed dicet aliquis, quod non solum hic sanguis, quem videmus spumosus floridusve est, sed subsit etiam crassus, & ater. Mihi sat est adesse partem aliquam nedum multam, quanta hic est spumosi & floridi, nam reliquus postea crassior aperto vase subsequitur, vt habemus ex Galeno in aphorismis. Omitto, quod si a thoracis partibus emanaret per anastomasim, nõ facile toties effluxus redijsset, & rupta ibi vena non sine dolore esset, pleura acrioris sensus parte existẽte. Pulmonum ergo vas est, vnde sanguis floridus facile emanat, crassus autem subsequitur, cum multus exire cogitur, qui etiam antequã in tracheæ ramos traijciatur, illis minimè commissis cum vasorum osculis, & non ita cito per tunicas permeans sub ea mora necessario crascescit, subitoque eiectus concretior est, quoniam antea cæperat refrigerari. Sed erosum ne an ruptum, an apertum vas est? Medicis erosionem semper destilationi dantibus, ego cum in pulmones nullam ex ægroto fuisse cognoscam, non possum illam causari. Præsertim quoniam paulatim ille effusus non est, & antequam totum vas erodatur, dum detergitur, dum extenuatur, necessario sanguinem paulatim emittit, donec aperto erosoque vase sanguis copiosus possit erumpere. Eruptio vero hic subito facta est, cum ipse enim screare consueuisset valentius, & cõtento spiritu ad id excitare, vt quæ destilatio glutinosa in faucibus hæreret, excerneretur, eo screatu, multis antea annis aliquid sanguinis emisit, quod e faucibus, tam irritatis effundi potuit, ipso interea nihil tussiente. Subito ergo, cum tot annos sine sanguinis vestigio sputa habuisset, dum decumberet, multam copiam sanguinis emisit, & postea illa identidem reuertitur. Aperta ergo vena per rupturam est, vbi procuratio nostra sic ordinanda est.

Vena conglutinanda est, sanguis extra illam effusus euocandus, qui ad illam potest prolabi auertendus, re- A tardandusque, hoc est, motione contraria reuocandus, & tenuitate omni priuandus, ne fluxilis fiat. Sanguis ergo modo e brachio, modo ex hæmorrhoidibus mouendus, interdum frictionibus, interdum uinculis reuocandus. Cibis crassius faciendus, vt hordeo, alica, seu farre, amilo, pedibus uitulinis, suillis, vel etiam suis cerebellis, vbi uidebitis, nunc auiculæ a Doctissimo physico propositæ e re nostra sint, ouis etiam cum parum cibi accipiet non admodum liquidis, & cum pane loto conditis, luerem enim panem. Orizam vero non tam libenter darem, quoniam non tam boni succi est, & succus minus bonus naturæ infestus illam ad excretionem excitat, quod de lenticula quoque suspicarer, & de milio, & de panico, illa vero etiam conglutinationi vasis essent apta. Constrictioni quoque aqua in potum danda, cui B calibs iniectus candens fuerit, cui ipsa myrthus sit incocta, quæ expuendo etiam sanguini est commoda, ei acetum quoque ad idem immiscerem, quo grumus, aut extenuaretur, aut impediretur, vas præterea constringeretur. Medicamenta sanguinem tenuem purgantia darem ex syrupo rosato solutiuo, & rhabarbato, quod etiã venę aptum est, & conglutinantia, eumque crassum reddentia, ut syrupus ex portulaca, ex myrtho excreationi etiam faciente. Plantaginem adijcerem, quæ nõ solum ulceri conglutinando, sed sanguini expuendo mihi videretur apta, quoniam habet nescio quid incidentis. Alchimelli aquam, & pimpinellæ probarem. Propriè uero authoritate maiorum nostri temporis medicorum aqua tragopogonis mirificè facit ad interna vulnera, & præcipuè sanguinis sputum, si quinque vnciarum modo C detur. Quidam sacharum ad penetrationem adiungũt. Prætereo curationem illam asperiorem, qua dant quidam porri succum, & vrticæ, & nasturtij, atque quod maius est dant stercora palumborum, & similium animalium, imo & fuliginem, quoniam ego non essem in re tam periculosa, in persona huius conditionis, tam audax. Exterius cæra, tum non adstringens apponerem, ueritus cum Galeno, ne sanguis magis ad apertã venam compellatur, sed exsiccans, & extrahens potius darem, ex pice, thure, mirrha, & eiusmodi alijs, quanquam cum quibusdam Arabibus nostrates nonnulli, astringentia quoque exterius apponunt.

De Matrona Vereratia phtisica.

D CONSVLTATIO CLXXXIX.

QVod spuit Matrona nobilissima omnino purulentum est, quod non ex fœdo colore ego soleo iudicare, qui in pituitosis etiam sputis, cum diu in bronchijs fuerint morata solet cerni sæpe sordidissimus, sed ex habitu ipsius sputaminis globoso, grauiori, & lentore dissolutu faciliori prædito, nedum ex odore, quem ego pati ullo modo nõ possum. Fuit Matrona ab ineunte ætate in destilationes procliuis, & quanquam hieme tussi multa cũ sputaminibus plenioribus arripiebatur. Demum animi angustijs, & doloribus acerbissimis vexata, mariti morte, & multis alijs aduersis reb. sic ferentibus, cępit carnem amittere, cum esset habitu plenissi- E mo, facta est corpore admodũ tenui. Ego inde suspicor ab eo vsque tempore aliquid intus vitij comprahendisse, vnde febriculæ latentes, & tacitæ excitarentur, & carnem illi consumerent. Ex quo etiam conijcio, hãc febriculam, qua continuè tenetur, iam in corpore ipsius cordis consedisse, & innatum eius calorem, in igneam uim conscendisse, vnde illa calorẽ illius non sentiat, nisi cum a cibo halitus excitantur. Fortè etiam ex destilatione aliquid putredinis cõmouetur, & quotidie febris euidentior fit, q̃ sensum sui per suos renouatos vapores carnib. afferat. Pus uidetur oĩno vlcus indicare, & quo copiosius pus est eo maius vlcus velle. Itaq; ex copioso pure vlcus amplius ego subesse existimo, nisi copiosius pus videatur eo quod pituita multa ei cõmixta est, & propter morã in bron-

bronchijs tractam putrefacta, eius speciem amplificet, A
sed omnino vlcus est,& diuturnitate,vetustateque non nisi magnum esse potest,& sordidum, & malum. Febris etiam potuit suo spatio corpus cordis cõsumere, & languefacere, num vero exsiccationem attulerit, dubium non est. Quantam attulerit,& quem gradum exsiccatio teneat, incertum est. Pulsus quidem est infirmus,at non mollis seruatur, propterea non ita multam ariditatem cordis significat. Mollior quidem pulsus sæpè uidetur, propter sui imbecillitatem. Mollior autem fit pulmonibus pus continẽtibus, vt quotidie possumus obseruare. Eapropter indiciorum vis omnino est compensanda,& siccitas aliqua, omnino statuenda a febre inducta secundarum certè illarum carnium,quæ recentem sui consistentiam habere in corporibus solent, nedum sanguinis mollioris,& leuiotis ad alendum,ut uereri debeamus,ne humores illi in alimentum sufficien- B
di deficiant. Solidarum partium succus consumatur. Duo ergo nobis proponi debent,alterum caloris refrigeratio,ariditatisque refectio,reliquum est ulceris exsiccatio,detersio, atque conglutinatio, quæ quantum inter se diuersa sint,intelligitis. Diaspermaton dabat Galenus ulceri sanando,quod exsiccat,& consumptioni febris officit. Dabat uero lac quod utrique proposito capiti satisfaceret,nam caseosa parte exsiccat, & conglutinat ex una parte,ex altera alit,& humectat, atque reficit succum carnibus,sero autem ipso detergit. Butiro sputum facile reddit, quare ego ab huiuscemodi remedio non discederem. Conficiuntur sirupi diuersas illas uites continentes, in quibus, qui de pimpinella dicitur mihi probatissimus est. Qui testudinem recipiunt, aut cocleas, aut cancros non adeo mihi probandi uidentur,quoniam succus eorum animantium prauum præ- C
bet alimentum,& quod calori resistit, nam maius detrimentũ haberet ex tarditate alendi, & prauitate succi,quam utilitatem ex diuitie alimenti. Galenus citò alendo necessitate adductus lac dabat, neque pluris alimenti materiam deligebat,ut carnes suillas,quoniam a caloris quidem acrioris uiribus poterant concoqui, sed ab infirmitate attractricis, & ab angustia meatuũ non iuxta necessitatem cito afferre nutritionem poterunt, probarem magis tanquam medicamenta conglutinantia, & destilationem etiam cohibentia, & quanquam uidi multos post potum aquæ cochlearum pleniorem habitum acquisiuisse,id tamen attribuerem sanitati,& refrigerationi,quam illa,ut medicamenta effecerint potius,quam alibilitati propriæ.

Eos ergo sirupos ego quoque concederem, neque ab D
Arabum consilijs abhorrerem,in quibus maximè probant recentiores stillatitiam testudinis aquam. Destilationis quoque aliquam partem curationis cõcederem, & agaricum,vel per Catapotia,vel per serum caprinum darem; Præterea caput siccarem medicamento ex synapi, atque etiam ferro pluribus locis dato, ita tamen ne vlcera manerent.

Præterea linamentum per cutem occipitij transuerem, acuque candenti transfigerem. Aestum vitarem a uino non abstinerem propter cito alendi necessitatẽ, illud quidem temperarem ex aqua, in qua illa ferè omnia decoquerentur, quæ in syrupo de pimpinella compræhenduntur. Hæc dixisse uolui potius ad confirman E
dum,quæ a Doctissimo uiro prolata sunt,quam vt noua me proponere posse putarim.

De Petro Francisco Miniscalcho vertigine lapso.

CONSVLTATIO CXC.

QVemadmodũ ex tuo sermone, & ex ipsomet ęgroto cognoui,hæc vertiginis species est, neque sine scotomia est. Tamen ego dignoscere melius vellẽ, num ex opinione,& metu aliquid adijciatur, nũ mætus opinionem etiam faciat nullo casu existente. Ego censeo aliquid quidẽ subesse,quod sensum faciat rei in caput irruentis,non tamen afferre tantum incõmodi,aut offensæ,quantum ipse metu,& opinione perferretur, & aspectum formidantis hominis effert. Nã cum potius accedat symptoma, dũ in dextrum latus decumbit, aliquid certè ex eo situ inferri in caput signũ est, quo præsertim lien in ventriculum vrget, quanquam metus maior excitatus,maiorẽ spirituum cõmotionem afferat. Eapropter duo mihi videntur curationem exigere,alterum est symptoma,quod omnino esset prohibendum,cũ somnum impediat,& animum,tam perterrefaciat, vaporibus reprimendis,retrahendisque,& ore ventriculi confirmando. Reliquum est causa symptomatis, in intẽperie,& copia humoris melancholici posita,qui humor ex bile flaua exusta factus videtur, cum genus corporis biliosissimum,mores ad excandescendum procliuissimi sint,& vrinæ flauæ etiam sine febre extent,cũ deiectiones flauæ pariter cernantur, cum sitis, amaritudo oris, cum sentiat calorem circa caput,& corpus totũ. Præterea nocturnas vigilias, quæ melãcholicum et humorem sequuntur,nam melancholicus certè est ex bile factus, cum maximus, & supra rationẽ metus sit,cum ipse sua pte more ad solitudinem,ad taciturnitatem,ad suspicionem,ad metum propensus sit,vt e facie etiam id possumus elicere. Humoris ergo melãcholici cum detractio longioris operæ sit,cui dum incũbimus,interea uigiliæ, & anxietudo possent aliquid maioris mali afferre. Ego cum primum possem, symptomati suam curationẽ attribuerem, ventriculique os confirmarem postquã vix aliquo medicamento leuiori ipsum exonerassem, habitaque ratione temporis anni,& tempestatis, hierã simplicẽ Galeni uim syrupo rosaceo solutiuo per potionem darem,eo liquore dilutã,cui stomachica, & refrigerantia essent incocta,decocto scilicet cordiali duplicato ipso tamarindorum modo. Postea acidum citri saccharo conditum,syrupum de pomis dictũ,de mentha,& consimiles propinarem. Interea symptomate, & metu remissiori facto humorem melancolicum pararem syrupo de buglossa, de fumoterra, de pomis,& rosaceum, commiscerem,quo capiti robur daretur,& impetus vaporum cohiberetur. Ante apparatum humorem ipsum per hæmorrhoidas retraherẽ,hiera ut dixi prius exhibita,postremo illum expurgarẽ macerata sena,& rhabarbaro, incocto polypodio, & diacatholicone dissoluto. Contra ventriculi os emplastrum diaphenicon,fomẽta ex œnanthe absynthio,mentha, rosis, & similibus darem,& lenimenta etiam ex id genus oleis. In longo autem vsu vellem haberi confectionem alchermes, quæ ventriculo faceret,& capiti,& humori. Rationẽ victus dum symptoma vrget minus extenuantem instituerem potius panem diluerem,antequam incoquerem in iure, & oua permiscerem,atque ab esu refrigerantiũ mediocriter prohiberem,vt prunorum,quæ uiridacia dicũtur. Vinum imbecille quidem,sed maturum darem,& quæ facillimæ essent motiones, ambulationes, & equitationes iustis temporibus laudarem,atque etiam balnea.

Is perturbabatur ex calore hieræ,vnde in collum, & caput calidos vapores sentiret. Ex apertis hæmorrhoidibus,quæ iam fortè extiterant leuatus est. Maximè vero, cum ei aluus per se mota est,& plurimum bilis excreuit. Deinde purgatione lenta admodum atrum humorem deiecit,optimeque habuit. Sed non multo post tempore in idem recidit.

De Cagullio febre maligna ferè consum pto.

CONSVLTATIO CXCI.

NVllũ uideo mihi esse dicendi locum viri Illustres, quando de ijs,quæ a doctissimo,& sapientissimo physico prolata sunt, iudicium ferre maioris physici, quam ego sim existimem, explicare vero illa ei, qui postremus dicturus est, & iudicium de illis est prolaturus; melius quam a sapientissimo viro factum sit, mearum sanè virium non est.

Locum tamen mihi assignatum non possum deserere, itaque breui dicendo contendam ea repetere, quæ satis exposita sunt, atque in mentem, & ob oculos iterum reuocare, vt promptius possint æstimari. Febrem hanc antea intermisisse, & alteruis tantum diebus, atq; etiam cũ horrore saltem suas accessiones vsque ad quartam habuisse, narratum fuit a præstantissimo phisico, quartam quidem leuissimas noras incipientis accessionis habuisse, neque eam finitam, quare hodie quoq; febris maneat, cum dies, quæ accessionem quartam insequitur, nimirum octaua, quietis esse in intermittenti febre tertiana deberet, in qua uidemus nos febrem malæ naturæ esse, & vires ægri iã ab ea superatas manifestè. Vnde ego facilè suspicor, febrem hanc minimè intermisisse, & quos ipse rigores vocabat, ego horrores fuisse existimo, & quos ordinatos ipse putauit, ego inordinatos iudico, quoniam qui fieri potest, vt vna die post cõtinuationem sui febris tantũ detrimenti attulerit? Pulsus exigui sunt, inæquales omninò sunt, sæpè etiam intermittunt, alioquin creberrimi sunt, oculi caui, & circũliuentes, lingua sordidior, lutosa, & nigrior. Sitis intolerabilis, cibi summum fastidium, vigilia perpetua, spiritus fętas, & quod ego iudico, delirium, nam quanquam non fallitur in rerum formis, minimè tamen alienis imaginib. mouetur. Præterquã quod in æstimandis rebus, & inde in ratiocinatione errat. Mores etiam ciuilis verecundię non retinet, nimiũ longè ęstimat, pluris facit supra modum vinum, quam vel intempetantissimus homo posset, & cum gustauit, imò large potauit, iterum continuo id efflagitat, & dum efflagitat, inuerecundè admodum eadem penitus verba sine intermissione identidem repetit, grauioribus viris, & sibi nouis adstantibus, quod non uoluntatem suam sic firmam esse affirmare, & imperare contentus sit, sed vinũ nominare assiduè, & perpetuo cogatur, eius specie, & memoria nimium exagitatus, & quasi in furias actus. Pollet sensibus, poller ingenio, & memoria, id non prohibet quin delirium subsit; Quod Cornelio occultam non fuit, aut nodum, qui artes, & versutiam insanientibus quibusdam attribuit. Sed quid intus mali subsit, vnde hæc existant, videndũ est, vnde curationis deliberatio determinari, & exitus genus patere possit. Putridã febrem hanc esse nemo nostrum dubitat, & talem ab initio fuisse, & peiorẽ, adeò iam inde esse factam, vt uitæ maximè minetur. Causa putredinis humorum in obstructionibus ponitur, qui si extra venas in meatus angustos expellãtur, in illis infarcti non satis perflatus habeant. Si in venis etiam maioribus putrescant sua se crassitudine perflatu priuent. Quod in hoc corpore fuisse consentaneũ est. Prius extra uenas fortasse corrumpi cępere, cute ab aura, cui in æstu incautè se obiecit adstricta, & dum carnes huc illuc eos acriores, tũ sua natura, tũ putredine propulsant, horrores illos sibi pariebant. Putredinis calor maiore perflatu egebat, quam qui naturaliter se haberet, ita humoribus, qui in uenis essent eo calore compræhensis, necessario in putredinẽ ipsi quoque acti sunt, præsertim verò, qui in uisceribus insistunt, & angustiores venas occupant. Quod longè facilius euenit, qm̃ humores etiã multi, & mali succi, maleq; confecti subsistunt, quemadmodũ ex prauo viuendi modo necesse fuit. Copia nanque vna cum uitio facit, vt humores facilè ad incendiũ trahantur, eos natura, tũ copiæ, tũ uitij irritatione incitata propellente, & ipso incẽdio suapte vi attrahente, interea vero vitium suũ humorib. inferentibus, cuique parti, in quam inducti fuerint, quib. vel principes partes nõ satis eos expellendo se se exonerant, cũ nimis lenti, & nimis crassi, & nimis multi sint, ipsis etiã uisceribus principib. a malo vitę modo, a maloq; succo non benè habentib. & infirmioribus factis, ita facilè incendiũ in illis succis quos expellere nõ possunt, excipiẽtib. Quoties vidimus pituitosum humorẽ per omne vas pulmonũ deductum arboris effigiẽ repręsentasse, cũ eius capite e sinu cordis appræhẽso extraheretur. Quod ergo febres ex intermittentib. continuæ fiãt, causa in copiã, & vitiũ humorum

A referri debet, & cũ intermittens febris oritur in corpore sic habente de continuatione verendum est. Sic verò se habent, quæ mala victus ratione in cibis, potionibus, & vsu aeris, atque motionum vsu fuerint. Continuandæ etiam febris culpa a me sępè solet in malitiã putredinis referri, quę contagio se se propagat, & in nouos ob id idoneos humores producit, quæ vero malitia non solum ex obstructionum multa vi, sed ex imbecilli, vitiataque natura succorum, & continentium partiũ venit, quoniam cum minus bellè concocti sunt, minusque suam naturam adepti, minus etiam uim suam cõsequuti, qua ipsi sese sustineant a putrefacientibus causis, quos verò neque partes continentes, cum imbecilles sunt nequeunt sustentare. Quæ omnia in hoc corpore euenisse ego existimo. Quantum possit cum alijs causis B ipsa, partium continentium imbecillitas, & vitium vix exprimi potest. Cum enim humores a continentibus, partibus non solum conficiantur, sed conseruentur, ipsis continentibus infirmis, vitiosisque minus confici, conseruari, sustinerique possunt, & ita facilè in malam putredinem delabuntur. Cernite hoc corpus, tangite, & videbitis malo carnium genere affectum, quod ita virium multarum esse non potest, quare corpus huiusmodi partibus continentibus, & succis malis, ac multis præditum, occasionibus motionum, & cœli iniuriarum obstructum, in tenuioribus succis prius putredinẽ concepit, illosque fortè vt vt putrescebant, & per putredinem molestabant, primis diebus eijciebat, deinde crassis succis communi febris feruore concalfactis, nec satis perflatus habentibus putredo firmior facta est, & C è venis minus eiecta. Quòd facilius facta fuit putredine mala ob humorum opportunitatem, & continentiũ partium imbecillitatem, ac vitium euadente, & sic cõiunctos humores paulatim arripiente, & contagio se se propagante. Vnde metus maximus sit, ne caloris vi acri vrgente vniuersum sanguinem in limum conuertat, spiritu eum priuando, & tenuiores illius partes in bilem & exustum humorem conuertendo. Vnde necessario *ipse* ægrotus extinguatur, non solum, quod solidæ partes δυσκρασία affectæ vitam sustinere amplius non possũt, sed quod sanguinis priuatæ præsidio, cum ipso, tum spiritu quoque inde minimè referto nequaquã animatæ consumptæ verò ad vitam minimè idoneę futuræ sint.

Non mirum autem est si halitus mali ex dicta putredine concitentur, si calor acris in hypochondrijs, si spi- D ritus confusi, si color et infectio lutosa in lingua, si sitis, si fastidium cibi, si insomnia fiant. Insaniæ huius causa non ita aperta est, nam illa si a vaporibus fieret, potius perturbaret, aut imaginationem, aut rationem cogitationem ve, præsertim quod cum calore illi sunt. Hic firmatam potius sententiã, & æstimationem videmus, quæ quidem cupiditate vna firma esse possunt, at non per eam tam assiduum, tam ve continenter vini, aut alterius rei cupitę nomen in ore haberet, nisi imago illiusque æstimatio fixior & valentior illum cogeret ad inceptam eam prolationem continenter repetendam. Quare ego crederem halitum ex bile exusta in cerebrum ibi quiescentem refrigescere, & in naturam melancholici humoris conuersum refrigerare, & firmiorem quamcunque imaginem facere, eam verò præcipuè suam fir- E mitatem exercere, quæ per cupiditatem fuit semel euigilata. Putredinis ergo præcipua cura esse debet, & humoris ad putredinem propensi. Tum putredinis causarum, sed virium summa ratio habenda. Vires vno cibo, potiones, & concoctione sustentantur. ita ille non omnino tenuius instituendus est, quod commune omnibus malignis, & tanta putredinis vi præditis est, quoniam viribus nimium infensæ sunt. Ita a pullis gallinaceis, a iuribus eorum, a pane incoquendo, & maximè loto petendus cibus est, quod si non sumat, quod satis est, ouis iure dissolutis, & exiguo aceto conditis alendus est, luteis tantum permissis. Ouum enim nisi vera & pura bilis superet suspicione non caret propter suum lẽtorem, quo aptissimè biliosos humores deliniunt.

Hic

Hic cum crassi quoque & lenti sint, lentis saltem augendis fauerent, nisi ex aceto lentor dissecaretur, in locum aceti succum limonum etiam sufficerem, longè magis etiam quam cum aceto putredini necandę frangẽdęque satisfactum crederem. Ex his ficcis etiam carnes & iecora pullorum condirem, si frigidiores quam ferat ventriculus sentiantur, saccharo, & momẽto cinnamomi frigus & asperitatem eorum modificarẽ. Cerasa austera acidaque pariter immiscerem, Ptisanam cum his censerem cibi loco dandam, quæ cum cibo opus est, & alimento, reprehendenda non est, ea namque prohibemus in corporibus non purgatis, in quibus cibus locum non habet, sed cum cibus locum habet, ea quoque dari potest. Potio vinum non habebit authore me, In aqua aut vinum malorum punicorum, aut acetum, aut cerasa acida incoquerem, cinnamomumque adijcerem ac saccharum. Toties verò cibus in die repetendus, quoties paucitati assumpti satisfaciat. Sed de viribus satis multa ratio habita est. Iam ad medicamẽta & manus opera hoc est ad morbum accedendũ est. Putredinem vna restinguet, & humores modificabit, & obstructiones nempe putredinis causam tollet syrupus acetosus, de succo acetosi, de succo limonis, & citri, cum aquis pentaphylonis, tormentillæ, acetosæ, scabiosæ, incoctis ij sdem, & hordeo, & seminibus citri. Et quæ ad eandem putredinem faciunt lenticulæ, prius in alia aqua feruefactæ. Humori etiam a putredine sustinendo & incidendo datur guttulæ olei chalibeati in syrupis, quo quidem ex parte parato possumus vti rhabarbaro in eundem modum, quo Galenus vtitur absinthio, multoties nempe dando per macerationem, nihil namque similius video, & potius etiam rhabarbarũ esse iudico, tum ad humorem huius generis expurgandum, tum ad viscera expedienda, confirmandaque, & coctiones iuuandas, ne materia putredini suggeratur.

Quod perfici poterit, si fomenta, & illitiones ventriculo adhibeantur. Atque hæc de medicamentis. Manu verò etiam aliquid pręstare possumus, nam hæmorrhoides ego aperirem, neque putarem agere me contra Galeni mentem ad aphorismum Vigesimum quintum libri quarti, quoniam ater sanguis in hoc corpore mihi fuisse videtur, qui per eum locum vtiliter, & commodè euocatur, & quamuis eius generis non esset, semel tamẽ euocare non habet suspicionem assuefactioni, quã Galenus vitandam existimat in ijs, in quibus eiusmodi sanguis non abundat, Præterquam quod hic reuocandi, & retrahendi causa à visceribus sanguinem (cuiuscunque generis is esset) non exinaniendi illum hoc facimus, & cuiuscunque generis sit sanguis libẽter illum auertimus. Quod si non placuerit, cucurbitulis idem præstare possumus fæmoribus & humeris affixis, aut etiam tandem dorso, sic enim materia ad remotas, & ignobiles exteriores partes euocabitur. At obstructiones augebit. Esto id faciant per attractionem cucurbitulæ, id certè mallem in parte exigua ambitus corporis maximè extremorum, quam in principibus visceribus, in quibus inhærere iam iudicamus. Ordo is erit, vt primum ab apertione hęmorrhoidum seu applicatione cucurbitularum ordiamur, & continuò id faciamus deinde reliqua, paulatim suis tẽporibus. Quibus vereor ne locus deficiat, quoniam vires vt dixi citò admodum languent, neque diu tantum morbi poterunt sustinere.

Is tertio à Consultatione die frigidioribus prius factis extremis, & humidioribus extinctus est, sensu semper acri, & summa vini cupiditate, cui etiam obsequebatur.

De Monacha sanguinem mingente.

CONSVLTATIO CXCII.

Accepi Viri peritissimi à vobis & ab ipsa ægrota, eam tertio iam anno sanguinem mingere, cũ prius limosam & albam vrinam redderet, vnde summa coniectura sit Renes vlcus habere, quod prius sordidum, deinde verò nimia vrinæ abstersione, & corrosione facta, factoque egressu sanguini, tum detersum nimis, tum sanguineum factum. Acrior namque vrina est, vt ardore eius manifestum est, & odore etiam intelligitur acerrimo, & calore atro, quanquã enim tota sanguine sit, atrior tamen & odore est, sanguine etiam in ea concrescente, vt suæ naturæ est, & multo. Vnde grumi, qui fibris pluribus abundãt sanguinis speciem non habent, sed sicuti carnes sunt, non caruncula, nam grandiores sunt, Ac si carnes renum essent, iam toti illi consumpti essent, vel si totum corpus nihil esset, nisi renes. Quare non possum esse vobiscum, illa nimirum esse carunculas. Certè quidem vlcus grande in renibus est, vasaque maiora, aut aperta, aut corrosa. Vnum consideratione dignum est, quod eundem sanguinẽ, & sæpius euomuit, menstruis purgationibus quoque largissimè procedentibus, quod facit ne in suppressionem eorum causam referre possimus, sanguis etiam ille fætens fuisse dicitur. Quo possimus dubitare vitium superius, quam in renibus esse, Vnde quod continenter ad Renes mittit, possit etiam ad ventriculum eijcere. At nihil adeò superius esse in ventriculũ peruium posset, quin iecur foret, id verò si in ventriculum mittit, cur in intestina quoque sanguinem non demitteret, aluusque quandoque nigra non foret? Potius assueuit natura iam tantę sanguinis effusioni, vt nisi largissima etiam copia mensium fuerit, eius partem etiam in ventriculum regerat, alioquin à Renibus in ventriculum reiectio credibilis non est, A iecore autem in renes illorum venis non apertis tanta & tam assidua esse posse non videtur. Aliam, quam sanguineam vrinam reddit. Vix per mensem à principio, dum balnea Chalderiana primum acciperet sine sanguine, minxit cum aquam ipsam etiam puram reddidisset. Cũ iterum postea acceperit, breuiori tempore id fecit, cum tertio etiam nihil de sanguinis mictu remissum est. Omnia tentata videntur, quæ ad renum vlcera, & sanguinis mictum facere posse videntur. Ad bolum armenum, ad trochiscos de carabe, & alia deuentum. Saccharum rosaceum diu, & sæpè exhibitum, aqua chalibeata diu, aqua Tragopogonis aliquantisper data, quæ internis reserationibus, & vulneribus, mirabilis videtur. Salsa parilia proponitur, quæ sanandis vlceribus sordidis valere depræhensa est. Ego Domini sordidum hoc vlcus non existimo, neque video aliud esse sordidũ vlcus ab eo, in quo pus crassum, & limosum abundat, cuius generis hic nihil video. Detersum nimis potius hoc vlcus intelligo, cum sanguinem non pus cerno, & acri humore assiduè detergi puto, neque aliam causam erosionis, quam detersionem video. Salsam pariliam emittentem esse obseruo, & tenuitate partium extenuationem, vnde sanguis & tenuior, & fluxilior fieret, atque etiam acrior, quæ res mihi maximum metum facit. Potius ad ea, quæ sanguini sistendo, quæ vlceribus, & meatibus firmandis, vlceribusque exsiccandis faciunt, deuenirem, & quo ad renes vsque suas deferrent facultates, ego non illas per coctionem elicerem, sed medicamenta stillata, plumbeo præcipuè elambico in potionem darem, non possunt enim sic alio quam ad renes deuenire, cum aquosa corpora sint & alimento inepta. Meo itaque iudicio opportunæ essent aquæ ex pimpinella, bètonica, & absinthio, & maximè plantagine, atque fragaria, quas sum his diebus expertus in quatuor ægrotis vetustum admodum sanguinis fluxum per aluum, & per renes finijsse.

His

His adijcere possemus illam Tragopogoni, atque etiam pilosellæ, longè etiam maximè alchimillæ, cum trochiscis de spodio, de terra sigillata, tam de carabe. Est aqua confecta ex perforata, pimpinella, & porris, quam vidi sanguinem in externis venis sectis nulli remedio cedentem suppressisse. Hanc certè tandem deligerem, prius tamen ventriculo, & locis vicinis purgatis.

De Comite Lazilio, qui de superiori loco lapsus sine pulsu esset, & frigidis extremis.

CONSVLTATIO CXCIII.

VT narrauit doctissimus Vir, iam ferè vigintiquatuor horæ sunt, cũ cecidit ex tabulatu sublimiori, nec contusionis vllum vestigium est. Dolet toto ventre, maximè sub præcordijs, si prematur. Pulsu priuatus videtur, & totis artubus frigidus est. Tangas vel ipsum pectus, cordis pulsum non sentis, nisi attentissimè ipsum obserues, ita exiguus est. Si dextrum brachiũ apprehendas, vix venam pulsare summa quidem attentione adhibita percipis, & creberrimè id facere, & cum in alijs imbecillibus pulsus potius suspensis, & leuiter omnino tangentibus digitis sentiatur, quam prementibus valentius in dextro tantum potest. Hesterna die in latus decumbere præ dolore non poterat, nunc sine dolore id facit. Erat tunc purpureo colore, & obscuro, nũc clariori est. Spiritus difficultas est non tamen multa. Suspirium nullum, quamuis ex pulsuum priuatione, defectuque cordi partes victnæ occupatæ censeri debeant. Maximum illud est, quod vrina non procedit. Meiẽdique cupiditas nulla est, quod certè ad renes spectare videatur. Sub ijs ita in vnum aspectum propositis, quid subsit quod officium Medici postulet, videndum esset. Ego breuiter sic rem mihi explico, ἀσφυξία hæc in brachijs, in collo, temporibus, & thorace ipso maximam cordis, aut imbecillitatem, aut refrigerationem significat, qua vsus ipsius pulsus tollatur. Respiratione superstite, non omnino sublata refrigerationis, seu perflationis necessitas indicatur, in corde saltẽ, cui respiratio, primum inseruire creditur, quæ in hystoricis mulieribus vix aliqua esse solet.

Præterea si cor adeo esset refrigeratum, uix fieri posset, quin ut in historicis mulieribus cerebrum quoque ab eadem frigoris causa afficeretur, quod hic omnino integras habet actiones, & facultates omnes. Corde ergo egente aliqua perflatione spiritus ducitur, eo quidem respirationis motu, sub quo apertè suprema, & ima thoracis pars cum uentre toto non uno & eodem tempore attolluntur, sed suprema primum deinde ima adducta effertur, quod infirmissimis hominibus, & moribundis solet contingere.

Vbi ego non conteram tempus in ea sententia comprobanda, quod respiratio ad spiritus materiam inferẽdam, non minus quam ad refrigerationem facit, adeo ut sæpè non habeat communem cum pulsu, aut continuationem, aut tarditatem, ut sæpisimè animaduerti, eundem usum cum eo non habens, ille enim tantummodo ad refrigerationem, & fuliginum expresionem, hæc etiam & præcipuè ad inferendum spiritus materiam agit.

Quomodocunque illa sint, cor certè spiritu, & refrigeratione aliqua eget, & maiori, quam in historics, nam si manum comprimas contra cordis mucronem, nescio quid motionis per summam attentionem percipis, & illius quidem crebra, & exigua. Tanta ergo tefrigeratio non est, quæ vsu pulsuum penitus non egeat, imo tanta, quæ crebrior eos excitet quoniam, partui sunt, quod infirmitatem arguit, infirmitas ergò adijcienda est, Dico adijciendum esse alicui refrigerationi, quoniam stã-

A te insigni pulsuum necessitate, & calore, iam vis penitus intermortua esset & à calore consumpta, infirmitatem tamen contra primam statuete non possum, quoniam illa suspensis tantum digitis pulsum sentire permitteret, prementibus enim omnino cedit. Ergo pariter cũ calore vires quoque sunt diminutæ. Causa videnda est, quæ aut in corde ipso est, aut ex alio viscere cor afficit, Viscera, sub hypochõdrijs quidem affecta sunt, non tamen video, quomodo per frigus adeò possint cor occupare, siue seipsa, siue medio ventriculi ore. Ventriculi verò ore caput etiam per neruos illos insignes necessario afficeretur, imo facilius, quam cor, quoniam à frigore insigni cerebrum, facilius, quam cor corriperetur. Quare ego libentius statuerem viscera quidem quassata esse, & spiritu destituta per quassationem vt cerebro per

B collisionem capitis sæpissimè contigit, qui duobus aut etiam tribus totis diebus ex ictu memoria priuatur.

Sed cor quoque pariter tanto casu quassatum in sua capsula fuisse, & illuc ichorum plurimum liquidiorum & frigidiorum confluxisse, quod spiritibus consumptis exhaustum sit, & sanguine replerum refrigescente quidem propter spirituum discessum, vix innatis, & inhærentibus ipsum interea seruantibus, Ea ergo tum decessione spirituum, tum confluxione sanguinis postea refrigerati, maximè si in capsulam extra venas forte sanguis elisus sit, cor refriguisse, & copia illa frigidi sanguinis occupatum esse, quæ tanquam frigidum venenũ est, & toti arterioso generi id mali necessario communicasse, Vnde non solum vitæ, sed altricis naturæ actiones sopitæ sunt, & periculum omninò vitietur, marcescatque

C interea, quod spiritus concoctionem moliri non possit, Dissolutione interea corporis à calore tempestatis facta facilè etiam fiet, vt sanguis alieno loco considens putrescat, febremque faciat. Quid verò dictæ morbi partes postulent satis apertum est, sanguis à medio retrahendus, & qui restitit in finibus, aut extra vasa elisus est, & tefrigiut incidendus, extenuandus, atque expellendus est. Refrigescere potuit, cõcrescereque etiam in corde sanguis, nedum qui extra venas elisus fuerit, cum homo propè fuerit, vt calore naturali careret, pulsumque amitteret, corque refrixerit, & inde materiei sanguineam concretionem permiserit. Neque enim possum mihi fingere animo pulsum quieuisse, vt in alijs vidi, eo quod sanguis è vena disrupta, aut aperta, in cauitatem abdominis effluxerit, ibique cõcreuerit, & arteriam oppresserit, adeò

D que refrigerauerit, vt cor ipsum quoque torpuerit, vt pulsare nõ posset, quoniam neque frigore, neque longè minus compressione tantum posset in arteriam, vt cor quoque suam motionem imminueret, nisi os vẽtriculi quoque ansietudinem acciperet cum multis alijs incommodis, nam vidi quidem apertis viuis corporibus arterias frigore externo accepto minime se mouere, at cor tamen aperto thorace se se agitabat. Quare posset quidem frigus sanguinis effluentis, concretique arteriam motu priuare, cor tamen non impedire, nisi maxima concreti sanguinis copia sit, quam multa alia sequerentur. Vidi aliquos elapso in omnem extimam oram mesentetij sanguine, & ibi concreto serijsse breui, vt dissectis corporibus depræhendi, quibus contra cor manum non apposui, crederem tamen illud non micasse, quibus

E certe nihil penitus pulsus sentiebatur in vlla parte, neque etiam in collo, cum sudor frigidus emanaret, & color carnis cadauerosus, & dolor ventris, & angustia spiritus maxima, desiderium summum quiescendi esset, mente tamen constante, & alij quattuor, alij etiam tredecim horis sunt extincti. At erit sanguinis copia in cordis capsulam confluxa, & ipsum comprimet, etiam illa si multa esset, iam esset suffocatus, quoniam cor nisi humorem alienum in capsulam corruentem mutet in pus & suo alimẽto similem fecerit, quod in multa sanguinis copia non posset, citò interit, Cum verò etiam simile suo alimento fecerit, si multum sit, non diu tamen uiuit, ut apertis cadaueribus uidemus. Album illud humoris genus, si multum est, diu integrum esse nõ

potest,

potest, & cor afficit, & crusta, quadam alba quasi calce inducit, & tandem interficit, sed sine febre illa concoctio, seu maturatio non fit. Hic febrem esse non posse tam magnam, qualis multam sanguinis copiam putrescentem sequeretur illud facit, quoniam pulsus non esset ferè sublatus, ut est. Si ergo erit sanguis in cordis capsula, cito putrescet, seu metu rationem accipiet, & febrem feruescendo faciet, & certè iam iam efficiet. Potius ergo aut exiguus sanguis in capsula cócretus est, aut cauitatem cordis dextram saltem aliquid sanguinis crassioris occupauit, quod ibi quoque calore, & spiritu corde defecto, ipsum calore ferè destitutum in suã hoc est terrestrem naturam reuersum est, & concreuit, sanguis enim frigidus, & terrestris sua natura est, vnde spiritu digesto subito cócrescit, quod hic facilè factũ fuit. Retrahi ergo deberet potissimum sanguinis missione, quam si formidaris, cucurbitulis facienda esset, valentius enim attrahent. Equidem metuo Domini, ni vires leuamen non consequantur, materiam opprimentem non sublatam in sanguinis detractione, sic languorem maiorem ab ea accepturę sint, potius secandus ipse grumus sanguinis, & extenuandus est, quo a natura egeratur exhibito aceto, oxymelle, vel etiam squillitico. Multi primum cassiam tanquam omnium viarum leniendarum facultatem habent, libenter exhibent, illamque ad obseruanda vasa aperta cum bolo armeno, cum mumia componunt. Hic ego potius cum rhabarbaro darem ijsdem faciendis apprimè vtile. Agaricum valentissimum his occasionibus existimant, quoniam repurgat locos, sed vasorum colligendorum vim non habet. Postea altheam incoquunt aquæ ad emolliendos, & educendos humores. Terebinrhinam quidam subito dant. Laridum alij, quod ego hoc loco non probarem, vti neque vnguentum illud rubrum. Potiones ex rosis factas aceto etiã adiecto crederem fore idoneas ad partes colligendas, & sanguinem extenuandum, ichoresque educendos, deinde vrinam mouentes potiones alias. Si febris apertè superuenerit curandi ratio ad eam erit accómodanda, & quo verget naturæ conatus ad noxium humorem expellendum, opera Medici erit conuertenda. Exterius fouerem viscera ijs, quæ confirmarent, & influxum humorum repellerent. Calore tamen etiam coctionem iuuarent vt emplastra ex rosis chamomelo, & similium virium, pariter illitiones, & fomenta, veluti ex œnanthi, absinthio, cicoreo, & eiusmodi alijs.

Huic vrina multa effluxit, febris successit quarta die, parotida peperit, pulsu aliquanto magis euidenti facto, tandem extinctus est decima quarta die.

Anno & amplius post Antonius quidam Mãtuanus cognométo dissectus est, & ei mesenterium dextra parte totum sanguine concreto contectum inuentum, qui dolore alui repente eo correptus est, ex quo subito sine pulsu, cum sudore frigido, cadaueroso colore, sabio superiori tumente, spiritu angusto esset, & vomeret multam pituitam, & tredecim horis moreretur, qui si erigeretur ab astantibus se mori diceret.

Eadem morte interijt Comes Antonius Turrianus. Cũ tertiana febre esquisita laborare cæpisset, cuius abdomen sanguine plenum inuentum est.

De Mag. Camillo Moscardo hydrope laborante.

CONSVLTATIO CXCIIII.

QVanta necessitate ordinis locus hic dicendi mihi contigit, tanta ego pariter moderatione sermonis sententiam meam proferam, ne aut iudicare de cõsilio Viri sapientissimi summæ authoritatis, & valdè senis, aut melius rẽ exponere profiteri videar. Profiteor itaque potius sequuturum me vestigia ipsius, & capita eadem repetiturum. Quædam antecessere, quædam instant in ipso ægroto. Antecessere hydrops ex ascite, & anasarca coniunctus, qui medicamẽtis sublatus est, præsertim pilulis ex ℈. 2. rhabarbari ℈. r. elaterij præmissis alijs de hiera simplici, & de hiera cum agarico. Præcessit hesterna die somnus totis vigintiquattuor horis, non sanè arctus, sed tamen assiduus, & eum reddens ferè sine sensu sui met, aut saltem suæ ægritudinis. Nunc meo quidem animo subsunt adhuc causæ & forsan peiores dictorum symptomatum, adest febris, vt ex corporis tactu, vrinis & pulsu, & lingua licet cognoscere. Iecur ex his omnibus esse affectum non dubitatur, Genus affectus non est explicatum, humidum & frigidum, tamen habetur, quod ego sępè admiratus sum in corporibus calidissimis, & siccissimis, & ætate florentibus, quale hoc est euenisse, ita per corporum dissectiones certior factus sum contra sæpè euenire, Vidi iecora pituita referta, sed ea quidem sæpe arefacta ob visceris calorem & ariditatem, maximè sub ascite, vt sub Tympanite etiam nigra & tanquam corium tostum arida, quæ sic obstructa, & humore illo, non iam humido, sed frigido, quidem affecta possunt flatum, possunt crudum sanguinem, hoc est loco sanguinis ichorem, nempe saniem creare, quæ in ea occasione alba non est, sed flaua, possunt obstructione sua febres mouere, possunt humidos vapores in caput submittere, possunt & siccos si non a crudo humore, sed ab eo ichore, qui flauus & torrefactus sit, & a corpore arefacti, & melancholici humoris halitus mittant. Vnde modo somnos, modo vigilias a natura alienas faciant. Quæ in hoc nobilissimo iuuene fuisse omnia dictum est, etenim si hydrops ab humida iecoris intempe rie fuisset, quo modo tam cito sola purgatione abijsset? A cruditate ergo etiam exusta hydrops factus est. Animi molestijs & solicitudinibus insolitis, & diuturnis, Venereque per occasionem sponsæ etiam multum pituitæ ventriculus creauit, & iecur calidum iam æstuauit, calidiusque factum attraxit, arefecit, non concoxit, potius torruit, humor verò ibi arefactus & tostus frigida sua natura cruditatum causa fuit. Inde hęc mala sequuta sunt. Vigiliæ siccum humorem sequutæ, cruditatem hydrops, illum & obstructiones, febris, cruditates sopor nimius & macies corporis, febrem autem linguæ ariditas. Obstruenti illi humori, & nutritioni bonæ ego omnem operam darem, & quoniam corpus suo genere persuadet congestionem humoris melancholici, propterea & si illa congestio non sit manifesta per extuberantiã hæmorrhoidum, manifesta tamen alijs notis cum sit, ego cum Galeno hæmorrhoidas mouerem, deinde omnem spem in rhabarbaro, in syr. de cicorea Nicoli, & acetoso. Diarrhodon ponerem.

Is non multò post interijt, & dissectus habuit aquam flauam in nigrum vergentem, & iecur atrum durissimum, & tanquam corium torrefactum, vt incidi cultro non posset.

Pro Illustri & Venerando Francisco Emilio Canonico. An nondum apertè inclinato febris morbo mouendus humor esset.

CONSVLTATIO CXCV.

RES difficultatem habet, aut potius dubitationem, quid nobis agendum sit, nam morbus per se fortè facilis erit, propter tamen ętatem sui longius pregressam, & coctionem iam incæptam difficilem nostram reddit deliberationem, Siquidem coctionis iam indicia sunt, & remissior accessio febris fuit, Propterea videndum num perfecta concoctio expectanda sit. Pro cuius rei dubitatione ego de natura morbi prius cõsiderabo. Duplicem tertianam esse certissima indicia sunt, non quod quotidie inuadat, quanquã id dictum esse à Galeno velit Doctor, quoniam id potius quotidianę esset, eoque magis suspicionem quotidianæ haberet, quoniam eandem spe-

speciem, eundemque modum quoque die tenet, pulsus paruus est, calor hebetior, lingua alba, tum vomitus pituitę multum habet, venter plurimum flatuum, hominus etiam seruatur, & sub accessione sensus interiores hebetantur, esus præterea piscium, ætas quoque senilis, & tempestas humida omnia quotidianam spectãtia. Sed tertianæ indicia illa potius sunt, quod aluus biliosa est, vrina tenuis & perlucida, atque flauescẽs, Lingua in albo aliquid ruffi continet, & aridior est, tempus ęstiuum pręcessit, & corporis labores in itineribus conficiendis, Corporis etiã genus calidius, & alia multa quæ cum suis illis oppositis tertianam non verã, sed spuriam testantur, pręsertim quod neque rigore inuadat, neque per sudorem finiatur, si modò intermittat, nam de hoc quoque dubios vos esse admodũ fatemini. De ea ergò ita dihererem, quod corpus boni generis est & optimè nutriti, & sua natura bene valentis, cum neque ventriculum frigidum neque iecur admodum calidũ habuerit, Cor potius aliquantò calidius, si animũ, si valentem iracundiam & fortitudinẽ spectemus, quod tamen admodum calidum non crederem, quoniam iecur quoque & sanguinem affecisset, & corpus non tã nutriri permisisset. Minus meo quidem animo tam fortẽ virum redderet, qui existimem ob nimium calorem cor fieri nõ modò citioris iræ, sed infirmius, nedum vt faciat audacem, aut temerarium hominem quoniam temperatũ cor fortem & grauem, aliquantò calidius audacem & temerariũ, multò calidius autem potius ὀξύθυμον hoc est citiori ira iracundũ, cum infirmitate & metu, qui infirmitatis, filius est, qui sub iracundia dicitur ἀνομίαν, hoc est cum mętu excandescere Galeno, Aristoteli verò timere cum calore, hominem reddere solet. Fuere æstiuis temporibus & æstu nimio itinera & labores ei insolentes, tempestatibus modò nimium siccitatis & squalloris, modò nimium frigoris humidique habentibus, & esus piscium & melonum nullus. Inde bilis quidem plurimum ingenitum, pituitæ verò etiam multũ identidem cõgestum, cui pituitæ bilis inuoluta minus digeri dissoluique in halitum potuerunt, maximè quoniã tempestates frigidiores & humidiores minus dissolui permiserũt & cutis itinera arctiora effecerunt, intusque humores cõpulerunt. Vtriusque ergo humoris facta cõgestio corpus ad febrẽ idoneũ reddidit. Scimus enim, quod tenues succi, quanquam corpus imbecille faciunt, & mali succi plenũ, non tamen item ipsum idoneum ad febres, sed boni succi potius & crudi propter sui crassitudinẽ & Lentorẽ corpus ad febres subeundas comparant. Itaque pituita tum bilẽ seruare, tum comprimendo & obstruendo ei putrescẽdi causam prębere potuit, & quanquam pituitę plus sit quã bilis, quia tamen nõ omnibus partibus suis pituita putredine corripi affatim facie potest, durioribus in obstructione à feruore & putredine se se sustinentibus, Proprerea putredo plures bilis, quam pituitæ partes cõfertim habet, & tertianæ naturam tenet etsi spuriæ, quod bilis à partibus pituitæ vna secum putrescentibus & à vaporibus etiam integrè hebetetur. Quæ quidem pituita naturæ moderationem vt bilis quoque superat & non solum copia, sed etiam genere, quoniam non est simpliciter frigida & humida, qualis necessario esset tenuis & fluida, sed crassa & admodũ lenta est, Propterea & obstruere & flatum non tantum vt illa vapores edere potest, cũ plurimum terrestris naturæ vna cum humido genere contineat. Natura ergo morbi hæc est nimirũ febris, hoc est igneus calor putredine concitatus humoris biliosi & pituitosi, cuius parte teneriores, molliores que tantum putrescunt propter nimiam horum humorum copiam & obstructionẽ perspirationi perflationique officientem. Locus, vbi humor quispiam fiat, aut vbi congestus putrescat vnus esse non potest, cum vna febris nõ sit, & quanquam forsan vnius speciei est, simplex tamen nõ est, sed duplex. Copia namque neque ad duas febres creandas diuersæ speciei, neque ad duplicẽ febrem, quæ duabus vnius speciei constet, satis esse potest, nam si eodem loco plus humoris sit, eandem febrẽ vehementio-

A ris, longiorisque accessionis faciet, cũ putredinẽ vna omnis in vno loco subire cogatur, sed cum duæ sedes eundem affectum habẽt, diuersis tẽporibus singulas febres mouere consueuerũt, ita ẽt tres vel quattuor & amplius, vnde plures sæpè febres fieri eadẽ die obseruare potuistis. Duæ itaq; saltem hic partes sunt, in quibus putredo hæc mouetur, quæ sanè mea sententia ad cauam iecoris pertinent, quoniam sub accessionis principio humor in ventriculum vrgetur, & vomitum excitat. Lien ẽt sentitur manu, quod non solet, cum pro naturæ modo se habet. Præterea præcordia flatu tensa sentiuntur. Duo ergo affecta loca illa sunt, & quodq; propriam putredinis coaceruationem continet, quæ qm̃ similes humores habet, propterea similes febres facit. Quod Galeno nõ ita crebrò fieri videtur, qui quotidianam esse iudicat, cum
B quotidie similes accessiones fiunt, Quamquã id non tãquam certum, sed tanq̃ suspicionẽ faciens profert. Arabes ergo vel qui ab Arabũ schola profecti sunt, hanc nõ duas tertianas, sed duplicem nuncuparent, qm̃ nõ duorum generum tertianæ est, sed eiusdem penitus speciei. Duas namq; volunt appellari, quæ dissimilis formæ sũt, quarum dictionem apertè apud Galen. non inuenimus.

At vtrum intra venas, an extra fiant hæ congeries, putredinesque. Certè congeries intra venas fieri põt, deinde cum cumulum intensum fecerit, extra venas pelli, & ibi putrescere. Ego difficillimum puto posse extra venas pelli congestiones has, qm̃ ijs in locis, vbi carnes laxiores nõ sunt, aliquam inflãmationem sui generis faciant, qđ etiam Gal. exponit. Membrana itaq; non sine tẽsione & dolore susciperent putredinem, humoremq; putrescẽ
C rem, nisi admodum tenuem & exiguum, carnes cũ sensu quidẽ, vnde horror est, at verò cũ dolore simili. Vnũ pancreas esse vr̃, quod sine inflammatione, & sensu id pateretur, & propterea ẽt sine vllo sensu, vnde nullã concussionem, aut frigus efficiat, quare vidimus sæpè intermittentes febres sine frigore sineq; horrore fieri, Cũ ergo exiguum frigus sit in laxa illa parte, putredo fiet, aut in venis non quidẽ maioribus, qm̃ continenter nõ fit, vt caudice venæ portæ, sed in ramis eius minoribus ad vẽtriculum, & lienem pertinentibus, aut propter crassitudinem materię tam lente eijcitur materia, vt eius motus non sentiatur. Lien quidem biliosum humorem præter naturam potest suscipere, & sui obstructione hominem luteum reddere, qđ experientia longa obseruamus. Creditis facile me non esse oblitum, quod in magnis venis
D intra iugulum & inguina putredo continuas penitus & συνόχους & febres facit, in minoribus aũt cõtinuas, quæ remissionum sunt participes. Hic remissiones apertæ sunt, propterea aut in locis sine sensu, aut lento motu, aut in venis iam dictis ego possum putredinem constituere.

His ego credam patefactam & apertam esse omnem huius morbi vim & naturam, atque causas, quæ nobis attendendæ in curatione sunt. Symptomata nãque nullius momenti sunt. De ætate, seu tempore morbi videndum, quæ ad eius motum pertinent. Vt dixi vrinæ concoctæ magna ex parte videntur. Accessio hodierna remissior, quam proxima huiusmet tertianæ fuerit, Quare Illustris Viri, & tu Doctor Excellentissime, si febris ipsa
E humorem simplicem, aut si humores hi, qui duorũ generum in vnam fortem mixtionem venerunt, suæ mixtionis æquabilem prorsus naturam haberent, si corpus in alijs partibus quoque malo & ad putredinem opportuno humore non scateret, ego certissimè affirmarẽ morbum hunc superius summam iam magnitudinem esse adeptum, summumque incrementũ fecisse, & iam esse apertè inclinaturũ, nihilque nobis agendũ, nisi cum naturę signiorẽ morbi discussionẽ sub eius finem animaduerterimus. Verum corpus humanũ celeste non est, minus vniforme, impurum ferè est & variè in diuersis partibus affectum præsertim in senio. Sæpe infinitis inflammationibus vt pleuritide, phreniti, aliquibus, febribus & multos dies quiescentibus alias subortas vidimus & peiores. Nuper ego puellum tenerum, & corpore mollissi-

mo

mo & candido variolas optimæ naturæ habuisse vidi, il-
lasque multaque, adeo vt omnem cutem occuparent,
quibus discussis omnino, post interuallum quindecim
dierum in peiorem morbum incidit, cum cutis tota in
modum elephantiasis aspera facta, non pustulis, sed co-
rio quodam sicco extra, & albescente intus, cum altera
quasi cutis humore emanãs & rubra penitus subtus con
sisteret, febremque malum id concitaret magnã, & diu
sic maneret facie deformi, naso & labijs penitus formã
amittentibus, quod fortè ea materia non eo tenuitatis,
aut putredinis peruenisset, vt posset expelli, aut febrem
excitare, Variolarum autem febre eam extenuãte, adu-
rẽteq; sic fuerit comparata, vt ad vigesimumquintũ diẽ
putredinem necessario comprehẽderit, puero iam libe-
rius viuente, & se sub Dio exponente, vnde cutis angu-
stiores meatus nacta caloris excitandi in causa fuerit,
& inde putredinem in humore ad eam parato monẽdi.
Manẽte ergo adhuc febre, humores nondum antea ad
corruptionẽ adducti paulatim per febris calorem ad cer
tam corruptionis præparationem adduci possunt, & in-
cendium postea excitare, & alterius sæpè ac peioris na-
turæ febrẽ faciat, ita non mirum si malignæ febres sæpe
tutissimis febribus iamdiu progressis efficiantur, si ex
tertianis frequenter continuæ. Nã præter hanc mate-
riæ & caloris febris occasionem est etiã alia a Gal. no-
bis indicata. Quod dum humor in intermittentibus ad
partem, in qua putrescit, conducitur, alias partes afficit
illam quidem præcipuè, in qua putrescit, & affectus par-
tium ad tantum vitiositatis potest perduci, vt ipsæ quoq;
humorem suo vitio similem creent, & inde causæ mali
multiplicentur, Vnde etiam febres, aut plures, aut ex in-
termittentibus putredinibus continuas illas nanciscan-
tur. Itaque ex vna parte certam coctionem habemus, ex
altera nouam crudæ materiæ suspitionem in corpore se-
nili, quod in victu non exiguam, & insolentem sibi intẽ-
perantiam habuerit, anni tempore autumnali, æstate
prægressa omnino inæquabili non solum eodem die, sed
eodem mense dies valde dissimiles sortita. Et cum dico
die inæquabilitatem eam intelligo, quæ nõ horetim va-
riat, hæc namq; corpora, non variè afficit sua varietate,
quin potius partibus suis varijs inuicem se temperantib.
nihil corporibus imprimit, inæqualitas partium die lon-
giorum illa est quæ insalubris est. Hic est morbi huius
status, hęc est suspicio, Ac certus quidem status spem sa-
lutis firmissimam habet, suspicio autẽ nihil est mali, aut
periculi, quod nõ minetur. Vtriq; vero a Medico est cer
tè prouidendum. Ac coctione iam constante humorem
purgare possumus, quod ad certum mali statũ pertinet.
Quod aũt ad suspicionem, antequam putredine corri-
piatur humor, antequam a sanguine segregatur, si non-
dum esse secretus appareat suæ procurationes attribuẽ-
dæ sunt Solemus.n. mouere a partibus nobilioribus hu-
morem & subtrahere initio cũ morbus adhuc infirmus
est. Solent Medici multi eundem imminuere, & inuale-
scente morbo per putredinem, quo possint inde putredi
nem illam ad modum maturationis moderantibus me
dicamentis retorquere, ne præceps in exustionem, aut
peioris naturæ putredinẽ labatur. Subtrahitur materia
per sanguinis missionem & purgatione etiam. At moue
re vllo pacto materiã, cum sub maturatione iam feruet,
non ne est maturationem retardare? Ego sic inter certi-
tudinem mali ferè maturi, & suspicionis alterius mætũ
megererem, vt suspicioni satisfacerem, neq; certo mor-
bo officerem. Nimirum venam non secarẽ, quæ nimis
per corpus vniuersum certè humores commouerentur,
sed hirudines venis ad sedem apponerem. Ita.n. de pro-
ximo locis egentibus subuenirem, nõ commouerem tñ,
neq; perfectum sanguinem imminuerem, cum sanguis
per hirudines detractus interdum quidem niger sit, fre-
quentius verò pituitosum calorem, & habitum glutino-
sum habeat, quoniam nõdum perfectus est, pituita qui-
dem non est, quia non cõcresceret, minus melancholia,
quoniam idem non contingeret, sed sanguis est ad sero-
sam & pituitosam naturam vergens & crassam, vnde

A crassus est. Neque quis mihi obijciat, quod pituitam na-
turæ modum seruantem dixerim, fluidam cũ humida
sit, nam cum in sanguinem conuertitur, necessariò ille
lentus & crassus est, vt melancholicus crassus sine len-
tore est, inde ergo eiusmodi sanguis facilè educetur, &
materia pituitosa, quæ adeò nobis obstruendo incom-
modat, & metum præterea maioris mali facit. Postea tũ
ipsius materiæ parandæ, tũ putredini modificandę ope-
ra danda est, nam parata materia non solum facile de-
duci poterit, sed a natura quoque in meliorem habitum
conuerti, vt putredinem in maturationem traducere so-
let, Ac quæ iam facta est putredo id postulat, nam quæ
iam fit omnino est prohibenda, quod apparitione quo-
que ipsius materiæ fiet. Nam bilis refrigeratione, pituita
verò exsiccatione modificatur. Vtraque autem putre-
B do sedari potest, vt contra quæ exsiccando, refrigeran-
doque putredini occurrunt, si tenuium partium deligã-
tur, vt conuenit ad penetrationem necessariam, vt inte-
rius remedia inferantur, ea extenuabunt, & incident lẽ-
torem & crassitudinem pituitæ, in quibus erunt aceto-
sa omnia syrupusque acetosus cum cicoraceis, & syru-
pis de succo cicoreæ, tum fortiora ad aperiendum po-
stea accommodata erunt, vt syrupus accetosus de radi-
cibus, acetosus compositus, syrupus Byzantinus, aut ace
tosus, Diarrhodon. Verum quoniam materia hæc eius-
modi non est, quæ a natura ad vnam excretionem, vt
in aliquibus continuis febribus, seruetur, sed vt in inter-
mittentibus, per accessiones excernatur, nos quoque na-
turæ imitatores, & ministri paulatim, & vt vt parata est
materia debemus educere, quod ex Galeno didicimus,
C qui lib. ad Glauconem post quosdam dies priores febris
tertianæ propinat, melicratum cũ absynthij coma ma-
cerata ad humorem biliosum detrahendum, & viscera
confirmanda. Itaque nos tum naturam, tum Galenum
imitantes cum absynthio fortasse illo careamus, rha-
barbaro, & multo meliori vti possumus, in quo eædem,
atque etiam prestantiores dotes sunt ad bilem subtrahẽ
dam, ad viscera expedienda, & confirmanda, & am-
plius, quam absynthium habet, quod in rem nostrã fa-
cit vires maximas ad pituitam glutinosam, & crassam
deturbandam, vt experimento quotidie cognoscimus.
Quapropter ego rhabarbaro eodem penitus modo, quo
Galenus absynthio vterer, & libentius propter pituitæ
detrahendæ necessitatem. Ipsum itaque in syrupis di-
ctis macerarem, & ita eius vires iuuarem. Syrupis ego
D aquas stillatitias non commiscerem, sed herbas oppor-
tunas incoquerem, quoniam stillatitiæ aquæ, vt compe-
ri experientia exiccandi vim habent primo occursu sal-
tem, easque libentius in aluu cita nimis adhibeo, & al-
ui fluxionibus valde vtiliter. Victus rationem huc om-
nem referrem humidam quidem sed omnino extenuã-
tem instituerem, ac quando iuscula ipse aspernatur, ac
respuat, ego in auicularum vsu, & perdicum eum conti-
nerem. Pullos etiam columbaceos darem, quoniam tã-
to temperatiores sunt columbis, quãto vitulina caro &
edina ipsis bouilla, & caprina, Acetum adiungerem, ace
taria præberem, ex acetosa, borragine, floribus & folijs
ipsius, atque etiam melissa, neque huius calorem metue-
rem, cum videam Galenum vel in turgente materia,
morbisque acutissimis, in quibus ea calidissima est,
E præbere pulegium, origanum, nedum hisopum. In po-
tione aquam simplicem non darem ob pituitæ propa-
gationem, & hypochondriorum obstructam conditio-
nem, propter quam illi ibi commoraretur & bilesceret,
Quare deligat ipse æger, quod lubet magis aut cinna-
momum, aut ipsum cum coriandro, quibus si velit etiã
saccharum, nisi mel placeat, adijciat, aut si mauult, ca-
riophyllum, anisum, fœniculum, aut quod velit aliud.

Cibi autem hora sit ante accessionem quaternis ho-
ris, si potest, syrupus ante cibum ternis saltem. Alius
clysteribus saltem alternis diebus ducatur, in quibus
mel rosaceum ad ℥. 3. saccharum rubrum ad ℥. 1. mihi
æquare vim omnium electuariorum videretur, quoniã
illa non reducuntur ad opus trahendi tam exiguo tem-

pore

pore in intestinis commorantia. Mel vero & saccharum abstergendi vim nulla naturæ ope presto habent, qui contactu solo subito potest se se exercere, quin & libenter ego impono succos betæ & parietariæ. Ducente autem longius morbo ego darem quotidie, aut alternis diebus pilulam de hiera cum agarico, rhabarbaro, & ℈. I.s. trocischorum, alandal, Vnde sperarem certissimam salutem.

CONSVLTATIO CXCVI.

De Serenissimo F. M. Vrbini Duce ad Ambiorigem Samperolium eius Medicum.

QVod potissimum requisitũ erat in literis tuis, meà sententia de viuendi ratione a te narrata Serenissimi Ducis hæc est, quam iam ego non possum non summopere laudare, quoniam nubi accedere videtur ad eam mediocritatẽ, vnde tuta, facilis, & vtilis mutatio ad plus, minusque si quæ inciderit eius necessitas reddi possit. Præterquam quod satis conuenit, imò necessaria est corpori naturæ valentioris, quale est ipsi Serenissimo Principi, ac quotiescunque in exercitatione tam iustus modus fuisset repertus, nulla dubitatio, aut difficultas mihi reliqua esset facta, siquidem vna ambulatio, quæ illi tam solita est, corpori quod tam consueuit valentioribus vti exercitationibus mihi leuis admodum videtur, & si sub ea ad sudorem perduceretur, & æstas esset, cum alia tempora plus omnino exercitationis postulent, plus verò etiam Borealibus tempestatibus ipsæ Australes, cum Australes magis impleant omnes membrorum partes, quæ motu solent nõ solum nutriri, sed exonerari. Quod ad balnea attinet per consuetudinẽ adhibita, illud videndum, quòd tam breui spatio in illis moratur, vt parum admodum discuriant, potius ad corpus replendum sic faciunt, quocirca necessitatem exercendi non tollunt suum illum exiguum sudorẽ mouendo. Serum illud lactis bis in mense acceptum ad vẽtriculum expurgandum (modo ne subsit pituita valde glutinosa) cum manna videtur satis accommodatum, Præterquam in frigidiori tempestate.

Viderem quidem vt interponerentur stomacho idonea. Vlceris in crure inusti dolor multos tentare solitus est, eo maximè, cum ab ambulando non abstinetur, nedum sub assidua ipsa ambulatione, qua ipse vtitur, quo est mirum, quod non inde vlcus aliquod difficilius euenerit. Itaque priusquam vlcus ipsum firmatum sit, necessariò est respiciendum, & ei exercitationi tantũmodo sese credendum, quæ aut in equo sit, aut non multũ crus fatiget, eique aliquod vnguentum imponendum, quod partem illam a fluxione defendat, eamq; refrigeret, veluti si confiat ex duabus partibus lythargirij, vna parte cerusæ, & succo plantaginis, solatri, & cimarum rubi, atque oleo rosaceo. Pilula quoque in ipso vlcere tenenda, antequã vlcus firmetur, facta sit ex materia, quæ non irritet, vt forte Cicer faciat & sambuci medulla. Vlceris illius conglutinatio non esset facienda sine maxima consideratione, ac quando coacti erimus, quo citius fiet, & antequam multum naturę consuescat tutius futurum est. Videretur quidem id agendum, vt quo plus poterit exitus detur & exhalatio huic corpori, quibus opus habere se semper maximopere demonstrauit, ex eà excrementorum egestione multa, quę perseuerat, & eo lassitudinis sensu, qui maximæ considerationis est. Ea propter cũ certum exercitationis genus dentium causâ metueretur, semper magis respicienda vtilitas est, quam huic grauitati lassitudinis præstat. Propterea quod quãuis dolor dentium molestũ malum est, hæc grauitas mã lum maioris detrimenti minatur. Verũ ad subtiliora & magis definita deuenire non possum, propterea vestræ prudentiæ definienda permittam, qui res præsentes inspectatis.

A *De Carolo Nichisolio febre cum symptomate laborante.*

CONSVLTATIO CXCVII.

FEbris putrida est, quod ex genere caloris, ex pulsus inæqualitate, & ex vrinis deprehenditur. Eius causa non est humoris propensio ad putrescendum tãtum, sed vehemens obstructio, quam ex vrina crocea cũ spuma lutea intelligere possumus. Spuma enim lutea semper obstructionem ad fel pertinentem mihi denotat, Quamquam hic non sint valde luteę partes albæ oculorum, aliquid tamen palloris habent, ita & causam & locum in quo concedit illa habemus.

B Vnde facilis est emanatio humoris obstructione impediti ad ventriculũ vsque in ipsius superius os, ex quo illa auersio a cibo & summum fastidium, quod quando fit, cum offertur illi & sumitur cibus, stomachi omnino malè affecti culpa est; cum autem absens etiam de ipso nomine cibus odio habetur, & nulla eius libido est, etiã ad iecur culpa referenda est. Itaque iecur obstructione affectum, & ventriculum afficiens potest dicti fastidij in causa esse. Os etiam ventriculi oppressum potest cor ita malè habere, vt inde pulsus tam exigui fiant.

Res ergo has habet partes a nobis respiciẽdas in deliberatione. Est humor biliosus tam integer, & nondum putrescens, ad putredinem tamen accessurus, tum est humor eiusmodi generis putrescens, est itidem tertius putredine consumptus & tanquam cinis factus.

C Sunt obstructiones, quæ cum illum colligunt, tum putrescendi in causa sunt. Sunt vires, quæ maximè respici debent a cibi parcitate & exiguitate valde consumptæ, & a vomitu cibi malè tractatæ. Quod meo quidem animo præstabimus, si id humoris, quod ori ventriculi circumsistit aliquo medicamẽto robur eidem parti afferenti detrahere tentemus, sic enim & bilis, quæ putredinem subitura est, & quæ iam putrescens febrem facit ex parte submouebitur, & viribus præsidium afferetur, quoniam ore ventriculi liberato cor sese recreabit, nã imbecillum per seipsum non est, sed ab oris ventriculi affectu id habet.

Præterea iusti cibi sumendi facultas fiet, vnde vires ali possint. Quo humore detracto fiet potestas ea adhibendi, quæ os illud, seu stomachum confirmẽt, alioquin

D humore ei insistente, quæ constringunt, vitanda sunt. Viribus recreatis, & cibi sumendi facultate recepta, postea si febris producatur, videndum erit num sanguinis detractione opus fuerit ad materiam febris imminuendam, & obstructiones dimouendas, & putredinem perflatione aliqua frangendam, Sed nunc quæ instant, & vrgent magis sic ordinanda. In decoctione cordiali tamarindorum modum ego augerem, cinnamomum adijcerem & etiam aliquid myrabalanorum. Huic expressæ decoctioni syrupum rosaceum ad ℥.3.s. & mannam ad ℥. I.s. immiscerem, & sic propinarem. Postea contra os ventriculi offam panis in vino mali punici, aceto & maluatico vino madefactam & calidam apponerem. Postea syrupum rosaceum, & acetosum cum

E acetosa, & cicorea darem ad humores extenuandos, refrigerandosque vna & putredinem frangendam, atque obstructiones eximendas. Vinum nequaquam cõcederem, nisi os ventris nimis malè habens vrgeret, & cibi sumendi necessitate teneretur. Tunc enim concederem offam panis in vino madefactã, cui vini punici mali aliquid esset inspersum ad bilem frangendam, & os ventris contra fluxiones colligendum.

De Thomasio Forestio scribarum Principe febre maligna affecto.

CONSVLTATIO CXCVIII.

VIr doctissime quanquam tertianam febrem mihi exponis, ego illam neque fuisse tertianam iudico, cum horrores tantum habuerit, & non in quacunque accessione, neque ordinatos. Neque aliam febrem existimo quam malignam nedum continuam. Malignam verò intelligo, quæ putredinem sequatur, vel mali generis, quæ propria corruptio mixti est, vel quæ etiam in locis fit ad cor sitis. Vnde quanquam humor admodum acris non sit, & vel sanguineus, vel pituitosus sit, neque acrem calorem efferat, malignã tamen febrem facit, quoniam humores penitus corrumpit, & cor opprimit. Vidimus sæpè in mortuis dissectum cor habuisse tãquam stipitem pituitosum, qui detractus ramos totidem haberet, quot vasa à corde in pulmones pertinent. Vidimus alios capsulam cordis habisse plenam humoris in pus cõuersi, qui ferè ad extremum vitæ per tres dies liberati à febre visi essent, alios, quibus membranæ succingentes costas essent luteæ, & erisipelatoso affectu corruptæ, etsi minimè in tumorem elatæ, quibus tamen vrinæ fuerant subiugales, quoniam corruptio ad venas quoque pertinebat, quanquam erisipelata ipsa viscerum per se etiam malignam febrem faciant, vnde non sit mirum si in malignis febribus sæpè vrinæ ad naturales accedant. Hic certo loco prope cor putredinem esse, neque ad venas peruenire credo, sed circumscriptam, & conclusam in aliqua parte esse, cum qua cor coniunctissimum afficiatur, ad eius tamen ventres putredinem non transire, nam ventres cum arterijs, & venis conspirant, ad corpus potius cordis emanare affectũ inflammationis, & per corpus aliquod arteriosum, membranosumque. Arterias quoque maximè affici in ipsis malignis febribus mihi nota summa est, quod efflorescunt sub eis in cute puncta rubra, quæ non ipsum sanguinem, minus eum, qui in venis est, sed spiritum sanguineum, qui in arterijs continetur, efferuescere, & in vaporem liquari indicant, tum per oscula ipsarum exprimi. Sanguis enim crassus nigresceret, subitò, imò spirituosus is sanguis debet solo feruore dissolui, non etiam putredine, alioquin suum colorem non seruaret, quod habere potest arterijs calefactis, & dum vasa crudo, & lento humore impedita sunt, eorum membranis aliquo inflammationis genere correptis propter obstructiones, & concalfactionẽ, membranis inquam affectis tumore siue erisipelatoso, siue phlegmonoso, & per ipsas longius effuso, vt de succingente dicebam cum membranis vasorum maximè cor, earum initium cùm sit maximè consentit, & ab illis maximè afficitur, vna cum sanguine, & pro modo affectus infirmum fit, & vna arterias imbecilliter mouet. Linguam animaduerti à ventriculo, cum quo tunicam communicat, & per ipsum à iecore maximè affici. A pulmonibus autem, cum quibus ventriculus nihil commune habet sæpè minimè affectam vidi, in hoc ægroto affecta cùm sit, cor credo maximè sui in corpore affectum, & cum eo ventriculum malè habere, non humoribus communicatis, vt à iecore fit, sed consensione caloris vitiati, vnde etiam malæ, & nares extremè rubentes videntur. Si materia etiam in capsula cordis collecta sit, cor ipsum, non sanguis aut vrina afficietur, & cum corde arteriæ potissimum. A corde autem ita malè se habente præter pulsum animus quoque anxius factus est. Nihil sine anxietudine agit, cuius causam ignoret, sub qua etiam sese consolari nititur, nimio studio loquitur, etiamsi

A ad gratiam loquatur, vt supra morem agens etiam se apud sese non esse indicat, nimis altè, nimis curiosè, nimis diligenter omnia exprimit, & tamquam trepidans grauitatem suam, aut decorum non tenet, vt semiebrij faciunt. Quæ sanè moris læsio ea non est, quod more suo penitus non loquatur, sed quod morem suum ineptè exerceat hoc est minus rebus accõmodet. Quod enim constante valetudine in aliqua recepta aptè seruaret, nunc ineptè in omnibus conatur exercere, nempe ingenium, subtilitatem, diligentiam, audaciam, & in tacito metu etiam vehementiã, quasi ille, qui in extremo periculo sibi animũ faciat, & fortitudinem quærat.

Et hęc moris læsio mihi species pessima insaniç est, B quæ non a capite vaporibus febrilibus pleno, sed à corde anxio, & oppresso venit, & ferè mortalem in omnibus animaduerti, & deliriũ semper contra omnium sententiam esse iudicaui, vt in Alexandro Cardinali Sfortia, in Cagullio, in Tomallio, in Antonio Barone Ereste, in Iacobo Curtio Barone libero, & alijs multis, quos contra familiarium suorum iudicia, & Medicorum etiam insanire existimaui. Qui si situm ingenium, & prudentiam, & moris speciem, non morem, morisue minus apti ad decorũ, & rei rationem expẽderent in hominibus grauioribus, & benè, & ad gratiosam vitam educaris. Habemus ergò putredinem in humore inhærente partibus, cum corde coniunctis, & obstructionem earum a lento, & crasso succo. Ex quibus ego moriturum citò hominem C crederem, neque auxilij locum vllum esse existimarẽ, parte, tam principe, tam oppressa, vt pulsus præcipuè indicat, & dictum insaniæ genus, eaq; a remedijs remota, & iam iam tabescente, vt pulsus durities, paruitas, & imbecillitas ostendit, cum summa frequẽtia. Itaque postquam aluus leuata toties est a corde, ego ad cutem, & extrema malum extrahere tentarem, cucurbitulisque primum cum ferro, deinde etiã sine eo, & frictionibus contenderem id præstare. Per os quoque ea propinarem, quæ cor ab inhærentibus illis crassis, & glutinosis succis expedirent, vt maximè incidentia, qualis est syrupus acetosus simplex, syrupus de acido citri, de succo acetosæ, quæ diluantur aqua, cui incocta sit scabiosa, hordeum, acetosa, & (quamquam videntur adstringere) etiam tormentil- D la, & Pentaphillon, quoniam putredinem maximè frangunt, & cordi amicę sunt. Maculis exeuntibus toto dorso, vt ferè fit in his febribus, quamuis excretionem non credam esse nocentissimæ materiei, sed sanguinis spirituosi expressionem vi morbi factam, & colliquationem quandam, tamẽ si cum eo noxius humor per sudorem eijci posset, tentarem illis potionibus, quæ ab Arabibus Medicis præceptæ sunt ex radicibus fęniculi, ex caricis cum lẽticula biscocta propter putredinis compescendæ necessitatem, & cum metosa, Germani proferunt rapum, eiusque semen.

Pulueris quoque ex bolo armeno, ex seminibus çitri, & scordeo propinarem, atque non negligerẽ Epithemata costis sinistris applicanda, exiguo tamen loco, ne materiam intus compingerent, ex aqua aceto- E sę, melissæ, non rosarum, ne intus vapores etiam exiguo loco comprimeret, cum aceto, & vino odorato, & pulueribus cordialibus dictis. Aluum solutam vellem saltem altero quoque die ducendo. Sed nimia hęc sunt morbo, qui iam nullo remedio leuari potest. Vndecima die demum vrinas eas habuit, quæ vix febrem colore aliquo indicarent sine eneoremate, quæ eousque naturales, & cum eneoremate omnino naturali fuerant, & sudauit, & duodecima die extinctus est.

De ratione victus in corpore melancholico.

CONSVLTATIO CXCIX.

Al Signor Miniscalco.

OLtre che V.S. deue osseruare bene le cose, che gli conferiscono,& quelle, che gli son contrarie,e tenirse à quelle,che per speranza sa non gli nuocere,io gli scriuerò anco alcun auuertimento intorno li cibi,perche me lo comanda. Il primo,e che se bene ogni cibo greue al stomacho, non nodrisce assai, con tutto ciò all'incontro ogni cibo, che nodrisce assai,e assai greue, però massime li boni cibi si deuono vsar parcamente non solo per la loro grauezza, per laquale possono generar crudità, ma ancho perche troppo riempiono il corpo.Il secondo, è che ogni cosa ben saporita sempre tiene tanto di cattiuo nodrimento,quãto hà di sapore, come il formaggio ilqual acquista ciò dalla vecchiezza,se ben in altro conto le parti saporose puosson esser vtili, come per assottigliare,e render,più eorrent'il nutrimento. Terzo che ogn'animale quant'è più vecchio,e di peggior succo,e più grieue. Quarto che per facilitar la concottione non solo deuon'esser tener' i cibi,ma ben cotti, e ben masticati,e presi più simplici, e di manco varietà, & dattoli spatio giusto per padirli,e quiete del corpo, e dell'animo mentre si fa la concottione. Al fine verò à proporli alcuni cibi particulari,e comenciarò dal l'erbe,le quali,se bene non sono di nodrimento che rileui ne d'alcuna bontà,con tutto ciò possono giouare con alcuna loro qualità,come l'Acetosa per rinfrescar'è tagliar' gl'humori,& estinguer la colera,nettar lo stomacho,& incitar l'appetito,il basilicò si puol vsare,perche suol rallegrare, ma in puochissima quantità per esser di mal succo. Il boragine è la bnglossa sono buon'herbe per purgar' il sangue,e temperarlo, & contro la malinchonia. La lattuca è buon' à generare sangue mediocre,ma frigido però non l'vsarà sola,ma con alcun'altr'herbe,come le sopradette, & la ranzata.Vsarà la endiuia sola,& lo radichio solo cotte,quando siano dure,& crude,quando siano tenere. Li fiori di rosmarino per assottigliar'gl'humori,ma io gli mangiarei con la lattuca per il loro calore li fiori di cedro in poca quantità.Li sparesi, li bruschanzi ouer lupuli in più copia. Le carote,& pestinache si deuono mangiar parcamente, & l'vtilità loro sarà per il petto,& per l'vrinare. Li carciofi possa nuocer alli reni,ma satan buoni per il stomacho,& per far orinare,& assottigliar gl'humori, com'ancho li cappari massim' acconzi con l'ossimele. Li rauanelli si posson' vsar scarsamente con il sale. La bieta si puol ammetter perche genera humor sottil' è puol mouer il corpo,come anco la spinacchia. Delli altri hortami il brodo solamente,doue son cotti,e sicuro, come anco delli legumi. Tra li grani l'orzo,e ottimo ben cotto è condito con alcuna cosa contro la ventosità, almen col zuccharo è Pepe.Il farro vuol hauer hauuto nella sua prima cottura vn puoco d'aceto. Il pane nõ vuol esser di fior di farina,ma burattata perfettamente,per che se bene nodrisce manco,e però più leggiero,e miglior per descendere,del resto ben leuato, e ben cotto. Le Mandole se non faranno molestia al capo ouerall i reni faran bonissim' al resto. Le castagne sono di buon nodrimento,ma grieue,però se ne deue mangiar puoche. Le cipolle sono vtil'al petto,& alli reni,& alla sete. L'oliue verdi sono stomachali, ma di cattiuo nodrimento.Li pistachi sono buoni per il stomacho,& per il fegato,& per la milza.Li cotogni per il stomacho.L'armillo massime lo Abricocco sarà più

A sano del persico. Il persico è buono, per estinguer la colera,ma si putrefà facilmente,però è bene auuertire,se si sente tal corruttione sul stomacho lasciarlo stare,e tenerlo mondato nel vino vn pezzo auanti che si mangi.Li pomi non voglion esser molto freschi, ma tenuti qualche tempo giù dell'arbore, e ben maturi perche cosi saranno men ventosi, & senza frigidità, con laquale alcuni di loro di dura sostanza fan molto danno alla concottione,però bisogna mangiarli cotti parimente anco li peri, liquali non sono tanto buoni per l'humor melancolico,come li pomi. Le brogne non sono tanto greui,ma non corroborano n'anch'il stomacho,però si deuon mangiar auanti pasto, come li fichi,l'vua,le cerase, li quali fichi vogliono essere ben maturi,& per mangiarli auuertirsi,che il fegato,

B non sia infiammato, e ripieno. Cosi anco nel mangiar l'vua,le cerase per tener il ventre lubrico. Le marasche per refrigerare lo stomacho, e leuar la sete, e per tagliar il flemma del ventricolo.Li meloni di buona sorte hanno molt'vtilità mangiati sobriamente, massime per le reni,eccetto che li vendono più humidi,& più aperti,ilche gioua alla più parte di loro. Li pignoli sono di nodrimento grosso,& quando nõ sono tenuri nell'acqua riscaldano anco, & sono apritiui,& purgariui delli Reni,& del petto. Li cedri sono grauissimi,il succo loro condito frange la colera, taglia la flemma,& leua la sete, & corrobora lo stomaco.Cosi quel del naranzo,ma molto meno, & questo si puol mangiare senza condire. Ne il dolce,e tanto

C dolce,che per mio parere porti li pericoli, che s'attribuiscon' alle cose dolce.Il limone non è a nostro proposito,come molte altre cose, che hò tralasciate per carestia di tempo di scriuere tanto à longo. Delli cibi di sostanza quelli che l'hanno maggiore, ricercano maggior' essercitio fatt' al suo tempo,cioè d'hauer padito.Il vitello,e tra li più greui, e se ben' il capon'è più duro di cottura al fuoco,non hà però il nodrimẽto tanto grosso,& è tra li mediocri, a chi fa mediocr' essercitio.L'animali più minuti, e più teneri hãno mãco nodrimẽto,e più sottile cosi tra li pesci, li quali tutti sono humidi,e di non molto buon nodrimento, se risguardiamo la bontà di quel delle carni sopradette, & sono da lassare quelli,che tengono della colla, come anguille,tenche,ostreghe, e maggiormente cap-

D pe.Quelli che tengono del duro anco, come il storione,& li molto grossi per detta cagione, & in particolar la trutta,& lo salmone,che è molto simile alla trutta,& più duro.L'oua deuon' esser fresche,cotte mediocremente ne dure,ne liquide,e prendersene se non il rosso.Il latte non è sicuro,e meno le cose fatte di latte,però non ne scriue.Delle parti de gl'animali dirò che il sangue,e le ceruella,e l'interiori si deono fuggire, eccetto il fegato di pollo, & li polmoni d'alcuni quadrupedi gioueni,come di Capretto, e d'Agnello. Ne parlarò delle conditure de cibi,come di cose, che si fanno è V.S. già haurà osseruato,quali le conferiscano,& li facin danno. Manco parlerò del bere.Eccetto se non li ricordasse à farsi far del vino con el boragine,& anco con li fiori di rosmarino, che l'vn è l'al-

E tro potrà all'occorrenze vsare. Potrebbe anco far fare della cotognata col zuccaro, e aggiongerui vn poco d'aceto,e di coriandoli da vsare la mattina à digiuno,& anco à fine del pasto, e perche fosse più accommodata potrebbesi comporre con parte vguale di cotogni,e di pomi gramagni,o Apioli due parti di zuccaro,e miele,mezza d'aceto con li coriandoli alla quantità d'vn'onza per libra. Questo è quanto m'è souuenuto hora cosi scorrendo V.S. potrà alla giornata ricordarmi,quanto desiderarà di più particolari,& io lo seruirò sempre volentieri. Le baccio le mani. Di Verona.

De febre Maligna. Pro Comite Ioanne Baptista Iusto.

CONSVLTATIO CC.

TAm abundè dictum est, quæ febris hæc sit, quidque ex ea timendum sit, & quibus remedijs profliganda, vt nihil mihi reliquum factum sit, quod amplius proferam; ita ne frustra hunc locum mihi attributum teneam, saltem eadem repetam, quę explicata sunt, & per capita sub vnum aspectum reuocare iterum conabor, vt sub oculis ordine suo collecta officiũ Medici promptius reddant, contendamque pro viribus, ne ineptè, & ruditer ea referam, quæ iam aptissimè, & ornatissimè sunt exposita. Febrem malignam hanc esse constitutum est, quoniam quamquam mitis est, vires tamen protinus deiecit, naturales quidem si aluum, si vrinas inspectemus, vitales autem si pulsum exiguum, & inualidum sentiamus. Iam quid naturę habeat hæc febris percurram. Malignas febres his diebus vidimus, in quibus vrinæ penitus naturalem speciem retinerent, & vix pridie antequam necarent, ad flauum inclinarent. Hæc verò ab initio vrinam turbulentam habuit, etsi sine colore, quem in de paulatim in dies accepit, præsertim hodierno, qui quartus est, cuius serum in summo valde plumbeum est, paulò infra summum colore variat, non tamen valde ad flauum vergit. In illis febribus pulsus erant molliores, hic quamquam parui duriores, & tensi sentiũtur. In illis nullus vehemens calor in hypocondrio, vt hic percipitur, in illis aliqua doloris tentatio in costis altero nempe latere, hic sub hypocõdrio dextro. Ibi nulla corporis conflictatio agitatione, qualis hic cernitur. In illis lingua torrida, quamquam non admodum atra, scabra, aut dura, hic mollis, & humida est. Quare cum in genere hæc cum illis conueniat, natura tamen propria longè dissimilis est. Propterea ne grauemini audire me de huius febris natura etiã disputantem, quando dissimilis dissimilem quoq; potest efflagitare curationem, & omninò commodius, tutius, certius, & facilius curatur malum cognitum, & quid requirat curationis notificans, quã quod Medicum omninò lateat ab eo nõ intelligitur, quid postulet. Circumscriptum indicijs propositis malum est, & præterea causis pręgressis valentissimis intemperantiæ, non solum in Veneris vsu insolito, & supra vires naturæ adhibito, sed in cibis, & potionibus, cum varijs, tũ multis, tum crebrò, & alienis horis sumptis. Ex his ergo natura mali potest patere. Nam calor sanguinem parans potuit infirmari spiritibus sic nimium consumptis, cruditatibus ventriculi subeuntibus, quas cruditates necessariò cor dum sese reficere contendit, potuit ex parte ad se adducere. Iecur certè à corde sub Venere valde exagitato, & nimium attrahente ad vim, & ad commentum semini tribuendum, & ad sui refectionem, fuit assiduè, & spiritu, & sanguine meliori priuatum, corde valentiori, & tamquam Tyranno meliora semper extorquente. Vnde iecur maximè citius à ventriculo malè concoquente attrahens crudis succis impleri neccesse fuit, sic intercidentibus etiam Veneris motionibus facilè obstructiones factæ sunt. Sic putredo crudorum humorum ibi subsistentium, quæ ad omnem sanguinis molem pertinet, cum sui cruditate, & imperfecta, minimèq; firma natura feruere, & putrescere more crudorum succorum, & fęcis multum habẽtium idonea fit. Succi namque puriores minus putrescere idonei sunt, ita & sanguis, si purus, & bene paratus esset, putredini resisteret, quod facere non potest, cum multum limi ex imperfecta sui coctione sortitus sit, & præterea multum ichoris hoc est saniei ex eadem cruditate conti-

A neat, quæ sanies illa est, vnde cum lotium in vase spectamus, pars summa lotij diuersum colore à reliquo sero habeat, cũ sanies leuior semper sit, & nescio quid oleosi teneat. Ex vrina, itaque confirmatur, quod ex causis antegressis, & euidentibus collegimus, nã crassitudo illa sine colore crudos humores penitus indicat, & eos quidem per feruorem cum sero confusos, alioquin sine feruore considerent, neq; per serum efferrentur. Ex quo feruore color demum aliquis accessit, ita summum vrinæ plumbei coloris est; Medium albi magis, imum fusci, non solum quoniam sanies summum petens ex cruditate fit, sed quoniam ex feruore, & ex crassioribus succis, & ex sanguine eliquatur. Crassiorum verò humorum partes, quę in saniem conuerti nõ possunt, infra locum medium, aut infimũ

B tenent, prout feruore magis, & minus leues, & aeris participes euaserunt. Itaque cum feruor dictus ad venas, cum Renibus coniunctas, & Renes etiam ipsos pertineat, facilè ꝑ ipsos eiusmodi materia expellitur, qđ in illis ęgrotis non euenit, q̃m materia intra arterias, & in partibus prope cor contineretur, vnde nec percolatio facilis, aut expulsio propter locorũ distantiam, & vasorũ densitatẽ, per quæ ẽt mala magis cor afficitur. Ex quo ego videor intelligere huius putredinis, quæ in venis est, quod continuitas febris denotat principium maximum quod est congeries obstructionum, in iecore, & renibus esse, non supra septum transuersum, quod multis alijs indicijs confirmatur, nam dolor, & calor ad dextrum hypochondriũ per-

C tinet, & vomitus ẽt fuit, & præterea aluus satis turbata. Intemperantia etiam in cibis facilius iecur, quam superioris partes afficit, vt venus quoque. Esto enim qđ venus cor primum commoueat, & valde exagitet, & quosdam viderimus eas febres malignas incidisse, quarũ initium putredinis iuxta cor esset, qđ fortè crudos humores, & crassos tunc casu inuenis repertos ad se sustentandum, & reficiendum adduxerit, fortè illi in cibis post Venerem nihil intemperantes fuerunt, vnde ventriculus postea tantum mali inferret. Præterea viscera nõ ęque in omnibus pariter se habent. Iecur hic fortè infirmius, aut calidius cruditates facilius e ventriculo traxit; & item Renes præsertim dexter cum iecore coniunctior. Sed hæc de loco affectus ipsius partem primam renente. Ad genus materiæ re-

D deamus, quã crudi generis, & pituitosi esse satis manifestum est, non solum ex eo, quod crudi humoris in vrinis est, cum crudus humor in genere pituitosi cõprehendatur, sed ex caloris genere, quem tactu non valde aerem pòtius durum percipimus. Vnde neque lingua nigra est, vt solet, cum iecur ex bile feruet, cuius fuligines spatio atriores factæ, cum in ventriculũ, tum in linguam continuato per tunicam cursu perueniunt. Fortè longius trahente febre hæc quoque materia plus ariditatis acquiret, & plus fuliginum atrarum, vnde lingua progressu temporis aridior, & atrior sit euasura. Neque verò est mirum acutas febres ex hoc quoque materiæ genere excitari, cum Hippocrates, & Galenus in libro Aphorismorum pręsertim concedant in acutis febribus posse sudores fri-

E gidos ex humore frigido moueri, & ita mortales esse, quoniam frigidi humores à calore non possunt superari non solum naturali, sed neque etiam febrili, febre quidem intra vasa putredinem, in toto autem corpore materiam frigidam sudore habente. Quid ergo prohibet crassos humores, & crudos abundare in eo, in quo acutus morbus est, præsertim cum ex obstructione fit putredo humoris, non sola ipsius opportunitate, aut aliqua cœli tempestate, aut grauitate, cum cœlum siccum, iam multis diebus habuerimus, siquidem obstructio ex crassis humoribus est, vnde si mali succi cibi corpus tenue reddunt, non ita febribus tamen obnoxium vti crassi faciunt, quod ex Galeno multis in locis habemus, & in suis

locis relatum ab oribasio, tenues enim illi sunt, & minimè ad obstruendum apti. Quare sine crassis succis caro febres putridæ mouentur, nisi singularis quędam ad putrescendum opportunitas, quæ rara est, inciderit. Quæ verò esto hic sit, ex crassis certè, & crudis succis est, vt vrinæ apertè, & modus caloris, & linguæ habitus testantur. Pulsus insequitur examinandus, qui paruus propter oppressionem à crassa, & multa materia est, durus verò propterea, quod infarcta sunt aliqua loca ad membranas pertinentia, vel in iecore, vel potius in dextro Rene, vbi faciat inflammationem. Mollis erat in illis, quorum febris initium in partibus ad cor spectantibus habebat, quoniam pulmonum vasa fere illa sunt, quæ laxum admodum, & mollem eorum habitum percurrentia minus, tendi possunt. Hic ad iecur, & Renem saltem alterum pertinere mali primum initium iam constitutum est, quibus infarctis, & tensis membranæ, & venæ tenduntur, & vna secum arterias quoque distendunt, quod quidem mihi etiam mætum facit, ne cum feruor maximus, & inflammato in rene sit, etiam iecur postea non tantum in suis venis, sed in corpore quoque inflammetur, intumescatque, facilè enim feruor, & inflammatio, quæ in humoribus est, corpus quoque afficiendo, in illudque humorem trudendo inflammare potest, qui humor in corpus penetrando primum inflammationem sine tumore, deinde etiam cum tumore afferet, quem progressum in oculis sæpissimè videmus. Nec mirum si vix appositos digitos hypochondrium dextrum ferat, nedum comprimentes, ne possimus interstinguere, an solus ren affectus sit, membranæ namque, & ligamenta iam tensa, & plena sunt, quæ tensio cum febre est, & ita ab humore febrem mouente fiat, certæque suspicionem inflammationis faciat. Neque verò velim hic in verbis capi, quod sæpè mihi à vestrũ nonnullis contigit non satis intelligentibus, nam dixi ego putredinem in venis maioribus esse initium tamen potissimum in iecore, seu rene poties, ita quod febris non penitus symptomatica est, minus ad vnum visceris morbum sequitur, quanquam ab eo potissimam originem putredinis ad omne genus venosum pertinentis sortitur. Simpliciter symptomatica esse posset, si minus materiæ in corpore fuisset. Quibus sic visis prospicimus quid periculi vitæ immineat, nã præterquam, quod ipsę vires sunt præteritis iam euidentibus causis diminutæ, à morbo etiam pręsente valde affliguntur non solum per calorem febrilem, sed per putredinem, per quam sanguis ineptus fit ad spirituum recreationem, & corporis alimentum. Febris solidas partes infirmat sua intemperie, spiritus & sanguinem consumit. Putredo solidas partes vitiat, alimento priuat, sanguinem alienando, & in putridum alimento alienum conuertendo, Spiritibusque etiam renouationem prohibet. Vnde nisi putredo hæc tollatur vita defectura sit, quod certè nisi putredo cito sistatur, eueniet, cum vires iam deficere videantur. Nostrum ergo munus, & officium est viribus omnibus artis niti contra putredinem, & omnia moliri pro viribus vitæ sustinendis. Putredo obstructionibus tollendis, quæ præsertim in parte inflammata firmæ sunt, & materia ad meliorem naturam reuocanda, & quæ iam putrefacta est euacuanda, & quæ putrescit a putredinæ sustinenda extinguetur. Obstructiones tolluntur materia diminuenda, auertenda, incidenda, detergenda, & extenuanda.

Detrahitur materia non solum digerendo, sed euocando, atque purgando, ad melius reuocatur concoquendo, a putredine sustinetur exiccando, refrigerandoque. Vires autem vno alimento sustineri possunt, quanquam recentiores à lapidibus, à terris à multis alijs petant virium confirmationem. Munus ergo nostrum præstare poterimus meo quidem animo, si cibos eiusmodi paremus, eoque modo partiamur, vt

A citò alant, non crassum, sed tenuem omnino succum pariant, materiamque parent, & modificent, nimirum aliquid contineant modica mentosi, iecore enim infarcto, & concalescente, imò feruente; ne dicam iam inflammato, vt ren esse coniectura certa est, videtis, quod cautè sit agendum in cibo administrando. Ergo cum vires ad vitam sustinendam, cuius conseruatio Medici officium est, exiguæ sint, ego cibum partirer, & quater in die hoc est, senis quibusque horis darem aliquam sorbitionem, vino penitus circumscripto, ne cruda materia ad locum putredinis nimis impellatur.

Cibus esset ex pane præsertim trito, & in iure cocto. Panis non multus, sed liquidiorem sorbitionem faciens, quoniam alioquin crassior cibus esset, & aliquid in eo iure prius incoquerem, quod extenuandi
B vim haberet, vt acetosa, vt aliquid succi limonis, vt arantij, non multum tamen. Præterea caro, vnde ius conficeretur, esset sine pinguedine, sine visceribus ex Capone bene nutrito. Pinguedo enim sub febre in bilem, & feruorem verti solet. Ouorum lutea in iure ex succo eodem probarem. Intritum eius carnis non nisi summa necessitate concederem, & moderandum præsentibus Medicis relinquerem, succus enim carnium facilè quidem nutrit, sed λοπάρονα, seu ποιὸν habet, & pinguem succum, vnde mætus eiusdem periculi esset, ex omnibus iecora gallinaceorum, & testes valdè aptos iudicerem. Stillatitium succum, qui ignis vi capitur ex ijsdem carnibus probant recentiores, & vsu videtur compertum esse non lædere, quanquam
C suspiciosas in eo semper fui, in eo quidem ego herbas componerem contra putredinem facientes, vt acetosum scordeum, quod amarorem nõ relinquet si prius non decoquatur.

Tormentillam, & Pentaphillin non tam libenter adijcerem, nam scordeum aperiendi, detergendique summam vim habet, qua hæ duæ herbæ carent, potius scabiosam earum loco sufficerem. Verum iam ad medicamenta deueniamus. De quibus dicam, quod quoniam cibus syrupum impediet, ego ante cibum pulueres darem ex eodem scordeo, & camphora, & citri seminibus, vt cuique ʒ. vni puluerum Camphoræ grana quinque inessent. Si possem quidem ter tantummodò cibum darem in die, & loco quarti
D cibi syrupum. Theriacam bis terue singulo quoque die propinarem, & recentiorem, quo refrigerantior esset, quo fluentes humores sisterem, & confidentes iam discuterem, cum detractus iam sanguis, & datum medicamentum sit, quo etiam somnum conciliaret, ex quo vires reficerentur.

Propositus est lapis Bezaar tanquam febribus malignis valde opportunus, de quo ego id dicam, nos magis notitiam, & vsum, experimentumque certum habere Theriacæ. Ego sanè multoties propinaui multis, & præcipuè ter Guidubaldo Vrbini Duci, Cardinali Sforciæ totidem, Equiti Delphino Veneto, Iacobo Curtio Baroni, & alijs etiam ægrotis, nihil vidi effectus alicuius momenti, imo nihil penitus, quanquam dicunt sudorem mouere, & multa alia agere,
E dedi tamen ad viginti grana pondo. Acceperam tamen olim à Iulio Alexandrino Medico summæ authoritatis, & probitatis notissimæ, nihil aliud ipsum potuisse obseruare eius virium in longo ipsius vsu, nisi quod palpitationi cordis in Maximiliano Imperatore conduceret.

Ego pariter accepi ad grana quindecim, nihil ex eo sensi penitus. Starem itaque in Theriaca, neque ad Mithridatum venirem tanquam magis calidum, & magis mouens sudores, minusque viperem non habens. Theriacam ego ex præscripto Andromachi manè quidem, & vesperi darem ante somnum, sed manè libentius, nisi somni conciliandi necessitas vrgeret, nam vererer ne cibum nimis crudum in ve-

in venas inferret. Recentiorem quoq; non vetere deligerem, quoniam minus valenter humores agitat, potius concoquit, & sistit, eos tãtum mouendo, qui robure naturæ iniuncto per illã sese exonerantem eijci cõmodè valebunt. Olea illa grandia, & magistralia contra venena ego non improbarem, quoniam scio illud, quod sub nomine Ducis Etrusci prolatum est, maximè febribus, & inflammationibus etiam esse vtile extremis artubus delinitum multa frictione sexta quæque hora desiccatoria extremis in vsu sũt, quę sanè nõ vitupero, imo etiam cucurbitulas sine incisione cutis sæpius repetitas laudarem. Hæc agerem donec in vrina, & viribus aliquid melioris viderem, & interea aluum alternis diebus ducerem clistere. Nihil de sectione venæ dixi, quoniam detractioni sanguinis videtur satisfactum. De qua re hæc satis esse futura existimo, modo morbus queat superari, nã certè nimiũ viriũ ille habet contra corpus admodũ imbecillæ factũ.

Hic decima septima die incipiẽte extinctus est, corpore penitus consumpto, prius quod ipso morbo tacito contabuerat, viribus animalibus, & mouẽtibus sese sustentantibus mirabiliter, sensibus tã externis, quã internis. Vrinæ fuerant variæ, dolor hypochondrij dextri redijt, & tumor inde ad inguem lõgus spectãs, neq; tamẽ durus. Dissecto corpore in dextro hypochõdrio erat vter magnus sua amplitudine ventriculum tumentem flatu superans, eundem ventriculum colore imitans pure, & flatu plenus, hunc renem esse contendebant, quod ego difficillimè probabam, nam neque pus minxerant, neque viuo homini ille locus tam tumens fuit, quanquam doluit, vt vix tangi pateretur, & lingua in tãta inflammatione nunquam sicca, quãq̃ renes non ita. Vẽtriculũ, & linguã afficiãt, vt iecur.

De Paralisi.

CONSVLTATIO CCI.

Ad Nicolaum Maroni.

INformatio huius morbi facilius præsentibus, inspicientibusque potest haberi, si quid nunc subest, quod ab absentibus iãdudũ describi quæratur. Quod verò antea substitit, mihi difficillimè potest in memoriam reuocari, cũ memoriam eorum non teneam, quę in hoc ægroto iam diu inter multorum ægrotorũ curationes mihi videre contigit. Videor nunc quidẽ animo cernere, quod in hoc homine symptoma ad lęsionem rectricis, & motricis facultatis pertinens quandã vẽtriculi pertutbationem sequebatur, quæ per eructationes, & alias exagitationes sentiretur; ac symptoma ipsum breues habebat accessiones, spacijs verò lõgioribus intermittebat. Sic autem veris tẽpore habebat post itineris labores pleno ventriculo incidentes. Instituta tunc purgatio non fuit ad finem perducta, vnde malum iam firmius in capite euasit, & symptoma crebrius factum, ac nulla etiam ventriculi commotione opprimens. Itaque capitis rationem habendam postea iudicatum est, quoniam, & ipsum, & nerui nimiũ crassi alimenti accepissent, vt sensus externi, & motiones præsertim linguæ debilitarentur. Crassitudo humorum non solum in pituitam, cuius generationẽ cerebrum habet, sed in melancolicum etiam humorem referenda videbatur, vt vigiliæ nocturnæ sæpe eũ tentantes indicarunt, eiusmodi humores suis medicamẽtis sunt detracti, & potionibus sudorificis ex salsapariglia, & guaico, & herbis capiti amicis discussi, theriaca verò etiam & oximelle squillitico adiectis. Atque quo interea materia sub his tractationibus exagitata, non nimis difflueret, & aliquod symptoma maius afferret, ci egressus paratus est in ceruice, per quem multa iam effluebat. Hæc iam diu perfecta sunt, tamen ipsum in

A dies delabi in peius audimus, quare maiora requiri à morbi natura, vt etiam ordo medẽdi est intelligimus. Ad quæ nos hortari eum non audemus, cum vires eius expendere absentes non possimus, si presentes Medici satis virium esse iudicauerint, ij pro viribus medicamenta poterunt adhibere.

De Febre.

CONSVLTATIO CCII.

Pro Iacobo Linarolio.

B FEbrem hanc, quę in sexagenario, & autũni tẽpore est, esse putridam constat. Putredinem in medijs venis esse persuadet illa inequalitas quasi per accessiones distincta, & vrinæ quædam puritas, in extremis tamen, & ambitu carnium esse febrem negãt signa alia quoniam neque frigus est magnum, minus horror cõcutiẽs adest, minus febris intermittit, itaque in venis esse inter has necesse est, quę à medijs declinant, & ad partes solidas, & membranas, & parenchimata accedunt, quas in hypochondrijs esse indicio est, q̃m sinistrum maximè infarctum persentitur, & quoniam vrinæ biliosæ sunt, febris autem aliud generis humoris ostẽdit, in alijs venis esse humorem febris causam ab ipsa vena caua disiunctis datur intelligi. Humoris genus crassum est, vt calor carnium durus, & tardus, vt C cibi cupiditas manens, vt linguæ color nõ alienus, cute minime lutoris aut ater, vt fatuitas quædam hebes sub accessionibus increscens, tamen perpetua, vt pulsus paruitas ostendit, crassitiem à melãcolico succo, & limoso sanguine potius, quam à pituita esse ostendit illa amentia, & fatuitas sine somno, nam præterquam quod vigilia siccitatem humoris significat, & halitus siccus magis idoneus est, ad impetum in caput faciendum, & imagines perturbandas præsertim donec calorem seruat, præterea cibi cupiditas, quę anhelitu frigido, & succo ventriculum appetente fit, vt sollicitudines, & curæ maximè, vt anni tempus comprobãt, & præterita febris acuta confirmat, quæ exurere humores potuit, & saltem sanguinem crassiorem reddere. D Quibus ita propositis sequitur mętus vitæ, quoniã viribus infirmis vt pulsus, vt habitus corporis satis immutatus significant, & morbo duriori ad concoquendum hac ætate, hoc anni tẽpore, vita forsan sustineri non poterit, itaq; enitẽdũ est, vt morbus breuior euadat. Nã quoad subtiliorẽ rerũ earũ cõsiderationẽ omniũ, quę nobis procurãdæ sunt, materia putrescẽs per putredinẽ cõsumitur, ac nisi noua accederet, per se febris suã sibi materiã consumẽdo finiretur. Materia igitur accessura nobis attẽdenda est, q̃ tũ in venis medijs reperitur, & partim à calore loci p putredinẽ feruẽtis attrahitur, tũ à nobilioribus partibus illuc ꝓpulsatur. Quæ ipsa quoq; paucis diebus cõsumeretur, nisi & affectus à se cõtinẽtibus partibus sibiq; similibus factis, & similẽ sibi sanguinẽ reddẽtibus sese ꝓpagaret, nisi ẽt loci parãtes materiã sanguini crassum succũ suppeE ditarent, vt ventriculus, qui id facere facilè potest, q̃m acceptis halitibus terreni humoris, & melãcolici refrigescit, q̃m illi alieno calore, quo sunt elati amisso, in suã naturã frigidã reuersi ventriculũ frigefaciũt. Iecur quoq; tũ sic affectũ, tũ materia cruda, & crassa à vẽtriculo accepta ad id plurimũ facit. Lienis quoq; materia modo cõsumẽda, q̃m obstructũ esse intelligitur, si tactui credẽdũ est. Itaque rebus sic subtiliter expositis apertum est, quod & ventriculi, & iecoris, & materiæ cura habenda est. Ventriculus repurgandus a materia, qua frigidus fit, & ab humore crudo exonerandus ne materiam amplius genetet, neue eam amplius subministret. Iecur quoque ab eodem humore expe-

expediendum, materiaque accessum ad putredinis locum de medio tollenda. Vires interea sustinendæ, vt, & nostræ administrationi faueant, & ferendo morbo, & vitæ sufficiant. Victus ratione horum procurationẽ habebimus, si boni succi, & maximè tenuioris naturę, & moderatus detur cibus. Qua non nisi ex iure dissoluta, cum aceti paullo, Iuscula ex intrito pane in pulmentum redacta non admodum densa crassaue. Hordeum potius quam far, si fat cum paullo aceti percoctum. Si panis maceratus in iure detur, is tenuissimis ofulis, & segmentis macerandus. Acetaria etiam concedenda, quoniam acetum extenuans est, & Borago, & endiuia, acetosa, & buglossa idem faciunt, atq; etiã Cichoreum. Vinum prohiberem, aquam, cui incoctũ sit cinamomum saccharum, & acetum darem. Somnus vero nocturnus præscribendus; die vero prohibẽdus, præsertim quoniam febris, increscit, & illa fatuitas, & amentia. Corpus bene contectum est habendũ, ne frigus humorem intus magis compellat, magis dẽset. Frictionibus etiam vtendum erit, præsertim cum corpus medium ex parte fuerit purgatum, quotidie etiam vel alternis diebus aluus clistere est ducenda, & animus leniendus, ne cogitationibus exagitetur. Atque hæc de victus ratione. De manuum opera valde anceps sum præter id quod de frictionibus dixi. Sectio venæ mihi suspecta est, longius progresso, & nihil peius iam à sanguine recepturo morbo, & hac ętate, ijsque viribus hac natura tam exili, & exangui, præterea materia in hypochondrijs constituta, & à vena caua longe diuersa, præterea etiamsi vires respiciendo nos ad venam manus aperiendam veniamus, cum ibi semper paratior, alimentoque propior, & melior sanguis sit, quam in medio corpore, vbi sanguis non ita diu traxit, non tam à continentibus partibus modificatus neque ab illis tanquam expetitus, vt bonus attractus est, peiore relicto hunc meliorem detraheremus. Si cucurbitulas applicemus idem eueniet, semper enim melioris coloris est, sanguis per cucurbitulas attractus, & per venas extremorum ductus, quam qui per venam cubiti. Itaque materia in venis à caua iecoris nascentibus, & minime cum vena magna, seu caua coniunctis posita, potius auxilium, & propius esset, si à venis hemorrhoidum sanguis per hirudines detraheretur, modo capitula illa venarum seligantur, quæ à vena portæ non à vena caua veniunt, proximè enim locum qui sub vitio est, curaret, leuaretque. Sed quoniam raro etiam per hæmorrhoidas ipsis hirudinibus malus sanguis euocatur, ego vt dixi illas, quæ à vena portæ veniunt deligendas curarem, & spongias etiam diu parti admotas ex aqua calida haberem, quo sanguis fusus facilius accederet, & euocari ad faciliorem delectum posset. Ante tamen (vt ad medicamenta accedam) quæ in ventriculo, & intestinis, & primis venulis subhęret, materiam medicamento leniori deducerem, vt melle rosat. solut. cum manna, vt electuario de hiera, quo libentius quam pulueribus vtor, quoniam non ita ventriculum perturbat, & similibus. Postea pararem humorẽ cum oximelite, & syrupo de lupulis, cum cicorea, deinde ex parte detraherem medicamento idoneo, postea iterum valentioribus præpararem cum syr. de fumoterræ simpl. & composito, & similibus atque iterum purgarem.

De Francisco Negrino occulta febre exagitato.

CONSVLTATIO CCIII.

CRedo sanè febrem à te curatam, sed non possum assentiri, eam penitus quieuisse. Nam esto pulsus satis rarus sit, & carnes frigidiores, & vrinæ sine co- A lore, quid sibi vult tanta corporis exagitatio, quid linguæ ariditas cum aliqua asperitate, & colore non admodum naturali? Quid illud cibi fastidium incredibilem, quid in somnia? Quare ego sic de hoc casu statuerem. Propositis ante oculos multis inditijs, vt vrinæ ferè sanguineæ à principio, deinde flauæ, demum decolores, & tenuissimæ ac copiosæ, vt mingendi etiã crebra necessitas, & incitatio, vt tensio, & tumor sinistri hypochondrij, & Ilei, vt dolor eiusdem loci, vnus quidem mobilis per se, sed premente aliquo, alius firmus, & vehemẽtior vna cum supradictis. Ego renem sinistrum affectum esse existimo. Nam vt à dolore incipiam, lien dolere non solet, etiamsi intumescat, & cum intumuit sui certam formam tangentibus subijcit, quæ longam lineam in formam costæ secundum B longitudinem aculam habet, & tacta discernitur valde sublimis. Hic altius premendum est, nec tactu aliquid distincti discernitur, sed plenũ latus, & tumens multa interiecta esse intelligantur, quod liene tumente esse non potest. Vrinæ sanguineæ præteritę demum ad hunc liquorem, ad hanc copiam, perductæ ad tantam mordacitatem, vt contineri non possint renem affectum affirmant, quarum tenuitas sit propter crassum humorem, per quem colant, mordacitas propter eiusdem humoris cinerem referentis salsedinem, copia propter renis calorem multum attrahentem, & eiusdem humoris colliquationem communiora sunt illa exagitatio corporis ex vaporibus fuliginosis musculorum membranas petentibus, ex eo crasso humore ibi concluso, & anhelitum emittente, vnde etiam in C fæmore eiusdem lateris palpitationes carnium sentiũtur, & artus etiam sæpe frigus sentiunt, & tremunt, vnde exagitatio, & febricula halitu illo cor petente, vnde linguæ ariditas, & sibi fastidium, ac demum in somnia aliena, & timores, quoniam genus humoris limosum est. Quod etiam ab equitatione incitatiori in equo validiori, & duriter nimis eunte in hoc malũ inciderit meam sententiam valde confirmat. Ex quo ego non sine metu essem, quid euenturum sit, nam infarctio renis difficilis res est. Nobis autem quid sit agendum inde ostenditur. Materia esset auertenda, nã raro fit, quin loco aliquo ab humore occupato in corpore semper noua materia accedat à ventriculo, à iecore, à medijs venis maioribus atque etiam à propinquis, & minoribus si materia in habitum penetrauerit. Fortè hic intra vias adhuc manet, tamen in ha- D bitum etiam tenuioribus, saltem partibus emanasse est credibile, quoniam alioquin dolorem, non efficeret. Reuocandus est, igitur humor, & omnino detrahendus, si vomitus fieri posset ille opportunissimus, mihi videretur, alioquin aut per hieram, aut per mel rosaceum solutiuum primo ventriculus esset, expurgandus, deinde sanguis mittendus, etiam per sectionem venæ brachij lateris eiusdem, postea paratiori facto humore per oximel, per sirupum de betonica, per sirupum de Capillis Veneris, ad medicamenta valentiora purgatio esset adducenda. Tum promotis hæmorrhoidibus ani à rene proximè materia deriuãda, demum loco affecto illa, quæ dissoluunt materiam aptanda. Interea victus ratio parcitatem habeat non E multam tenuitatem, seu extenuandi rationem, dum influere materiam veremur. Misso postea sanguine extenuentes cibos ego concederem, vt in dãnda ptisana cautos nos facit ille author, & hippocrates fortè, si non tantum eam differat, tanquã cibum pleniorem quanquam initio conueniat, sed tanquam in genere extenuantis. Ac errorem hunc in febribus nõ mediocrem esse existimo, quarum cum plereque certam aliquam partem habeant, vnde incendantur, ferè Medici ante copiæ detractionem sirupis acetosis, & victu extenuante vtuntur. Extinctis autem ægris si corpora referentur habẽt certis in locis pus, & apostemata. Quod ergo de pleuritide propriè hippocrates admonere

niere videtur, id ad plerasque febres traducendũ est, quoniam, etsi symptomaticæ non sint, neque alium morbum sequantur, suam tamen materiam certus locus excipit, vbi putrescit, quod Galenus innuebat aliquando. Itaque vinum quoque hac potius causa, quã mœtu caloris ego interdictum crederem, ne scilicet materiam ad locum putredinis inuehat. Pro ratione ergò sua etiam extenuantes, & mouentes materiam cibi sunt differendi, donec multum ipsius materię detractum sit, & pariter vinum circumcidendum.

Paucis diebus huic pulsus creberrimi, minimi, & imbecillimi facti sunt, idque paulatim. Lingua tota scatebat humore lento, flauo, & admodum hærente, oculi rubri, & lachrimosi, fauces inflammatæ, dolor nullus in ventre, vt prius. Carnes extremorum frigidæ, & cadauerosæ, Facies tempora caua habebat, & præter nasum simum decolor erat. Vrinæ semper coloratiores, & crassiores fiebant cum sedimento aspero in quo semel, & iterum singulæ carunculæ repertæ sunt. Ab extremo illo statu recepit pulsus paulatim vires, crebritatem tamen tenebat, lingua abstersa facta erat, sed rubicunda, & tumens. Cibum sine fastidio sumebat, igneum fumum in œsophago percipiebat, facie melius colorata euaserat, quietus ipse totus erat, somnumque capiebat. Febricula cum ardore oris, & vrinis sedimento exusto diu traxit, doloribus renum identidem reuertentibus, & sabulum efferentibus euasit. Contra quam alius fecit, qui eiusmodi febre occulta, & Renis sinistri dolore laborans a Medico veneficijs affectus iudicatus est. Hiera etiam exhibita, & calidioribus ad dolorem discutiendum quatuordecim diebus extinctus est.

Excellentissimo Ambrogio Samperolio Serenissimo Vrbini Ducis Physico.

CONSVLTATIO CCIIII.

Qvamquam isthæc destillatio, de qua scribis, mihi iamdiu, vt scis nota est, & quod in eum est studium erga Illustrissimum virum è memoria excidere non potuit, quam nam habeat naturam, & quam postulet curationem, fuit tamen gratissimum in literis tuis istum tuum animum, & diligentiam intueri, & ea omnia manu tua explicata agnoscere. Cuius sanè mali difficultas semper vobis potius in viuẽdi modo, quam in natura ipsius ponebatur, & certè in dies magis ab eo metuenda est. Illud enim esse tota die in cubiculo nobilium frequentia, & ignibus nimium calido, indeque exire subdio noctu cum ex aula Regis domum se confert. Manè iterum ante lucem domo in aulam se referre, cœlo sæpe acriter molesto. Scriptioni quaque hora, & à cibo protinus vacare, negotijsque grauioribus quacunque noctis, aut diei hora inciderint, versari, & illis in locis fere esse, vbi Regis dignitatem, non suam valetudinem debet respicere, illiusque commoditatem, non sui rationem habere, Hæc inquam faciunt, ne vni ipse queat curationi vacare, aut curationes satis perficere, quin contra periclitemur, ne corporis vis medicamentis exagitata sub negotijs quoque, & cœli mutationibus nimis labefactetur, vnde a curatione peius habeat. Quæ sanè ego sub aspectum hic posui, toties à nobis examinata, quo in curatione ex ipsis omninò nobis moderemur. Destillatio in fauces largè admodum, & celeriter confluit, hora præsertim à somno, sine sapore, sine colore, lenta admodum, & cruda. Ad hanc postea accessit ardor vrinæ, & corpus naturali infirmius factum est. Quæ ambo (maximè verò ardor) post exesa vretera eo medicamento, quod ad carunculas in eo meatu euenientes solet adhiberi, extiterunt. Ex quibus ostenditur purgari corpus debere ante omnem aliam partem curationis, aut aggressionem vllam. De qua purgatione, non est cur inter nos consultatio vlla renouetur, minus quod ad capitis deinde purgationem est veniẽdum, quæ si Errhinis fiat, à faucibus materiam auertet, quamquam haud scio; an ab inferiori cerebri parte nempe à colatorio ad superiorem hoc est nares effluxus materiæ sit reuocandus, præsertim cum pituita delabens ipsum Laringem non ingrediatur, nihilque pulmonibus periculi incũbat, in quo periculo quidem consulerem omninò, vt ad nares materia traheretur, quod fieri posset Cotone, seu linamentis delinitis oleo Amigdalarum dulcium, in quo parum Mannæ esset dissolutum, illisque sursum quam maximè potest submissis, quod cum parũ poterit aliquid pulueris sternutatorij poterit iniũgi, quod ego non solum manè, antequam ille confluxus in fauces moueatur, efficerem, sed etiam vesperi quarta à cibo hora, antequam cubitum iret, aut certè ante cœnam. Gargarismata quidem refrigerantia, & adstringentia eunti cubitum, quoque die darem. Stillicidia præsertim Lucensia, quæ essent accommodatissima, nũquam proponere auderem homini, qui tot negotijs destinetur, & tam alienis ab eo commodo, quod nisi adhibeatur, ea remedia essent omninò periculosa. Cauteria in brachijs non satis valent meo iudicio ad eas materias, quæ p interiores capitis partes delabuntur, nisi toto corpore purgando: Propterea, neque aspernarer, neque pluris facerem, quã alia, quæ corpus purgare possunt, quemadmodum, si aut pilulæ aliquæ ex Agarico, & rebus capiti amicis conficerentur, ceu Aloe rosaceo, succo Saluia Rosarum, atq; Betonicæ, & Rhabarbaro, in quibus aliquot grana pondo trocischorum Alandal imponerentur. Qui succi maximè possent, si rhabarbarum, & agaricus, atque Aloe in ipsis multoties haberẽtur, quo imbibita, & multoties expressa, & subacta multum ex illis viriũ acciperent, & tandem densarentur, quo pilulæ consistere possent, ex quibus vna, vsque ad quinque sumi possent, & vnius saltem vsus quotidianus toto hyberno tempore certi omnino esset profectus. Cum quo guaiaci vsum coniungerem, vel expresso liquore ex ipso macerato, & inde pilulis confectis, vel aquæ illi incocto, qua vinum in mẽsa dilueretur, quod quibus rationibus à me proponitur facilè intelligis. Ac ardor vrinæ si respiciendus est, cum ex vlcere potius luem antiquam redolente esse suspicio sit, ei quoque idem profuturum spes esset. Vsum præterea saluię, & Betonicæ pariter probarem, aut aquæ incoquendo, aut saccharo condiendo, & cum condito ex rosis mixtas dando etiam cubitum ituro. Therebintina etiam mihi probaretur post purgationem, & vesperi eam darem. Multa quidem sunt, & innumerabilia, quæ certis compositionibus parata possent vsui esse, verum describere non est necesse, nisi cum erunt medicamenta mutanda. Minus de ratione victus hic repetendã sunt, quæ alias inter nos fuere constituta pro salute Illustris viri nobis, tum communi, tum nostra, tum maximè autem Regis causa optatissima. Quod reliquum est præcor illi salutem, & tibi me plurimum commendo, quo me apud illum in gratia conserues. Vale.

Datum Veronæ. Idibus Decembris. Anno 1583.

De hydrope cum febre, & alui motione, cum virium infirmitate pro Illustrissimo Marchesio Ioanne Philippo Malaspina.

CONSVLTATIO CCV.

IN re tam difficili cuiusque sententiæ dictio audienda est, quoniam res, quo diutius tractatur, eò clarius constabit; propterea ego quoque libenter dicam, & eo libentius quod mihi via à sapientissimis viris facta est, quam non possum non sequi. Meritò ipsi de viribus primum sunt solliciti, quoniam ipsæ admodum imbecilles sentiuntur. Dixit vir doctissimus iam duos dies ex accepto semiscrupulo rhabarbari ob instantem hydropem aluum sic fluidam, & febrẽ hanc sic fuisse incensam, vt sperare liceat ore ipsius vires iri receptas, quoniam non solum profluuium, sed vigiliæ, & alui dolores sub eo fluore excitati deijcere vires potuerunt. Illis tamen certè consulendum est. Est postea morbus, qui tum seipso, tum symptomatibus viribus infestus est, ita vt quamquã alijs prouisionibus illæ refici possint, à morbo tamen semper sint male habituræ. Quod proximè vires conficit febris est, quoniam eas dissoluit, & intemperie cor afficit. Febris modo, tametsi aliquam sui moderationem postulet, ne sic dissoluat, ne ve tam cor afficiat, maiorem tamen prouisionem propria eius causa requirit, quoniam eæ sublata febris non ægrè abibit, & non sublata nõ maturabitur. Proxima causa putredo est, si inditia considerentur, quæ ipsa quoque suis tollendis causis tantum demetur, & nihil periculi repentini imminet, vt in illam curationis laborem conuertere cogamur, Nimirum quoniã neque tantæ exustionis est, vt vires colliquet, exuratve, neq; tantę putredinis, vt vitio sui contagij tonum viscerum, & naturæ eneruet, necetue, potius ad maturationem potest reuocari, ipsa ergò moderanda quidem, vt calorem suũ prętet vtilem ad cõcoctionem vitiosorum humorũ qui sæpè, sine putredine non maturescunt. Causæ tamen hoc est humores ipsi submouendi, illis enim amotis, & obstructiones, & omnis putredinis causa demetur, sed natura humoris videnda est, & eius vitij, vnde ipsa exorta illud ipsum quoq; cõseruat. Ea vt ex excrementis cognosci potest, duplex est omnino, nam lutei coloris exusti est, tamẽ lenta est, ita vrinas crassas obscuro luteo coloratas, & alui fęces glutinosas, luteas; item, & crassas facit, quorum vtrumq; crassam bilem, crassioremq;, & lentam pituitam indicat. Hæc frigidam intẽperiem, vnde fit, quę ventriculi esse debet, frigidum quoq; vitium, qđ suapte ui partibus quibus inhęsit, infert, & obstructionem, & spirituum occupationem, vnde partes minus possint, nutritionẽ suam exercere, & debilitentur, quæ tam aliena ab alimẽto est, vt nisi putredinem concipiat, nequaquam possint maturationem accipere, præsertim, cum crassior facta sit. Bilis verò vitium iecoris calidius ostendit, qđ, & naturam iecoris calidioris sequutum sit, & obstructiones, & febres, & bilis etiam iam factam cõgeriẽ, quæ sanè tanta est, vt non solum per vrinas, sed per aluum quoque plurima effluat quæ vna secum pituitam effert, cum qua permixta est ipsa irritans expultricem vim ad excernendum, & sua mordacitate etiã dolores mouet, quos ardentiores facit, qm̃, sua crassitudine halitum quoq; fumosam edit eiusdẽ mordacitatis, maximè qm̃ vna cũ pituitæ crassitudine coniunctus est flatus eiusmodi dolorem adaugens, quæ verò eò acrior, & mordacior est, qđ diu in corpore fuit sua crassitudine detenta, & putredinem exustionis sæpè vim habentẽ comprehẽdit. Vnde febris extitit, & vigiliæ halitibus fumũ redolentibus in caput submissis.

A Et quod horribilius est oculis, vna cum febre, & vitio pituitæ in iecur illato adeò vim infringit, vt sanguinem probum conficere non possit. vnde, & venter flatu, & aqua, & crurum carnes vapore lento repleantur. Vapor enim sanguinis, qui cum probus est, certa moderatione excitatur, & in partes infusus imbibitur ad alendum, is cum omnino crudus existit, nimio humore nimius vapor fit, a partibusque reiectus in ventrem recidit, & ibi in aquam sua parte aquæ naturam magis referente, in fumum verò parte squalidiori conuertitur. Vbi mirabile videatur sanguinem aquosum ab eo iecore fieri, a quo tanta bilis generatur. Neque vero hoc nouum, aut singulare est, quoniam potuistis sæpè videre in hydropicis, maximè qui coniunctam etiam habent Anasarcam erumpere erisipelata, quod certè admirabile iure quis dicat, imbecillitas namque illam cruditatem facit, quæ vitio sui causæ nimirum frigidæ respondeat. At non vererer etiam fateri in alia, & alia iecoris parte aliud, & aliud humoris genus confici, vbi enim obstructio est, ibi, & materia frigida est, vnde, & corpus ei coniunctum aquosum, & crudum sanguinem generet, at mediæ partes, quæ sunt quidem conclusæ, sed minimè ea materia tanguntur longe, maximè calidæ euadunt, & ferè inflammantur, quod in humoribus externis videmus, & ita bili gignendæ valentes sunt. Vererer quidem fateri infirmitatem factam ab intemperie calidiori, cruditatem frigidam facere, quod vt in ventriculo nõ fit, in quo calore facta imbecillitas nidorosam, a frigore verò accidam cruditatem facit. Verum de loco C vbi infarctus is materiæ est, forte non est abs re videre, cum ad rationem curandi faciat. Credo sinistrum hypochondrium durum esse, & duritiem in omnem ventrem iam pertinere, difficile tamen credam id lienis esse, nam neque febres identidem redeũtes in speciem tertianæ fuissent, neque tantum bilis esset ortũ, minus tãm repentè cacheticũm corpus, & hydropicũ euasisset, iecur ergo potius eo tumore vitiatum crederem in sinistra sui parte, & conuexa quidem, quoniã vrinæ non solæ infectæ sunt, sed aluus quoque quod minimè facilè fit, cum sima iecoris pars obtumuit, infarctaque est, hic enim ferè porus felleus impeditur, aut bilis certè expurgatio, quę per eam partem fit. Pręterea ventriculus neque siti angitur, neque labore vllo torquetur, quod quidem cauo iecoris affecto facilè D visum non est. Quibus sic expletis iam componendæ mali causæ, & partes sunt, & singulæ æstimandæ, & quid quæque minetur videndum, & quidque quam indicet curationem. Iecoris obstructio antiqua est, & quod in ea vetus est, non admodum vrget, facta deinde noua materiæ accessio est, obstructionesque identidem auctæ, & identidem humor putrefactus, & febris excitata, quæ vt vt consumpsit sua putredine materiam, & partem ad maturationem perducebat, ita cessabat, si modo vnquam cessarit, antiqua obstructio refrigerabat, interea partes, quibus inhæserat, & iecur vitiabat, vnde intumescere corpus cæpit, vt vt verò obstructionibus accessiones fiebant, sic, & febris, & calor iecoris partibus, & bilis generatio, tum demum is E casus euenit, sub quo vires nobis mætum de vita faciãt, etsi post alui profluuium id habeant, nam posset in longum spatium produci profluuium, cum criticũ non sit, quod neque facilè feratur, neque conferat, vnde à putredine quidem retẽtorum humorum ortum, sed ab infirmitate virium longius productum esse verisimile est, intemperie non cessante, & humorem semper nouum suggerente, putredine item omnia adiuuante, vnde vitæ iam metuendum nobis sit. Hoc ergo morbo, his viribus, hoc mætu quid moliendum? Viribus prima prouisio certè attribuenda, tollendis ijs, quæ eas consumunt, vt primum tolli possunt, & cibis adhibendis, & alijs, quæ ipsas consolentur, febris, & putredo tam cito tolli non possunt.

Vigi-

Vigiliæ forte possunt, quod per Theriacã ego tentarem à cibo exhibendam, neque philonium admiscerem, quanquam à prudentissimo viro est propositum summa moderatione, nempe cum ℈.2. Theriacæ ℈.s. philonij Romani commiscendo, quoniam vires infirmæ vix Theriacam ferant, nedum philonium ipsum, quare ego Theriacam trium annorum ad ʒ.s. exhiberem. quod si in eo consilio exhibendi philoniũ permaneatur, ego admoneo videatis ad quam nam præscriptionem factum sit, nam tum Nicolaus, tum Auicenna dispari certè modo opij, id parant. Viribus resumptis, medicamentaque iam pati posse pollicentibus ego propinarem, quæ materiam paulatim pararent, & educerẽt, nimirum bilem, & pituitam, quæque intemperiem, tam calidam, quam frigidam emẽdarent, & robur visceribus inferrent, coctionem, & nutritionem virium iuuarent, cuiusmodi etiam exterius admouerem, nã inunctionibus, & emplastris non solum discutientia, mollentiaque cum adstrictione illa à visceribus expetita inderem, sed ventriculo propriè concoctionem iuuantia, iecori autem etiam calorem mitigantia. Quare emplastrum diaphenicon, cum oleo absynthij, & mastichino, & spicato darem ventriculo. Toti ventri discutientia hæc essent, vt emplastrum de meliloto, diaciminumque iecori cũ oleo de spica, & absynthio, & lilijs albis ego vnguentum de sandalis darem, aut etiam cum emplastro diaphenicon, quod calorẽ auget, robur conciliat, per os verò absynthium, cicoracea omnia, eupatoriumque coniunctim propinarem aquæ incocta, immixtisque syrupis eiusdem naturæ, vt de cicorea Nicolai, cum eo, qui de eupatorio est, cum eo, qui de mezereon, cum eo, quem Mesues ad quartanas præcipit, nunquã certè à cicoraceo vllo recederem, in quo non solum cicoteæ omnes, sed fumus terræ etiam, hordeum elycirrhiza, adianthon, politricõ, epatica, lactuca, capillũ veneris, lupuli, alchachengi, & radices valentiores componuntur, rhabarbarum quoque inditur, à quo quidem rhabarbaro nunquam quodq; medicamentum abesse vellem, ea tamen moderatione, ne aluum nimis moueret, trocischos verò de rhabarbaro, ante syrupum quoq; darem, sed patientibus viribus mihique se præbentibus facilibus, ego syrupum de mezereo augerem, deinde elaterium darem, cum eodem rhabarbaro, in vsu etiam longo esse vellem succũ iridis, cuius semuncia, & sanè crudi cum aromatibus cõpositi mihi idonea videretur, & cum rhabarbaro, & cum eiusmodi syrupis. Si alui dolores infestent, tum ob ardores humorum ego clysteribus vterer ex iure, cum luteis ouorum saccharo, & ptisana, & quandoq; etiam oleo chamomelino. Si superessent tamdiu vires ego darem ius chinę, & cetrach cum cinnamomo. De cibo summa cura est habenda, vt partitò detur, quo & celerius nutrit, & secundus priorem crudum non inueniat, quare carnium caponis iunioris cõtusum cum mica panis ego manè benè darem, & vesperi ad multam noctem. Meridie verò oui luteum iure dissolutum. Potionem ex aqua omninò fugerem, vt nimis nocuam, ita vel ius sufficerem, vel vini aliquid concederem. Dixi.

De profluuio menstruorum nimio pro Illustri Marchesia Malaspina.

CONSVLTATIO CCVI.

IAm verè experior Viri doctissimi, quam graue sit hunc locum à me teneri, quo de summorum Medicorum sententijs disceptetur, itaq; omnibus viribus contendam, ne officium attributum prætermissum à me penitus videatur. Atq; ab initio quidem congressus ego videbar certissimus, quid esset in consultatione

A statuendum, imò rem à vobis iam animo constitutam credebam, minusq; ab ijs, qui priori loco dicerẽt posse dissentiri existimabam. Verum dum tertius disputat, negotium perturbari sentio, & quæ in animo habebam tanquam distincta, omnia permisceri. Conabor ergo quã breuissimè potero, & per capita delectum habere eorum, quæ mihi probatiora visa sunt. De natura quidem ipsius corporis ego calidam & humidam eam iudico, atq; cum in ætate primi senij simus nimirum quadraginta octo annorum, & corpus benè carnosum, seu *εὔσαρκον* semper fuerit, non video quomodo corde, iecore, & cerebro calidis superãtem admodum caloris vim habere potuerit, quoniã priori spatio vsq; ad vigẽtem ætatis florem siccius corpus factum fuisset, neq; sanguinem ita ad alendum idoneum creasset, minus menstruas purgationes tam lar-

B gas efficeret siccum factum, superantiam autem multam caloris procedente ætate sicciora corpora efficere, cum natura ipsa, tum Galeni doctrina nos monemur. Humidiora potius corpora sunt, quæ & carnosa, & candidiora sunt, & menstruo fluori magis obiecta, sicciora, & nigriora, & parciorum menstruorum sunt. Itaque calidum quidem, & humidum corpus est, non tamen multæ superantiæ caloris, cum humorẽ tamdiu retinuerit. Calor verò cordis potius, quam iecoris, cum animi magnitudo, & audentia, & fortitudo, quanta in matrona esse queat, in hac cernatur, & ad agendum prompta quædam hilaritas, & pectus elatum. Cui cordis calori, si iecoris multus accederet, certè corpus minus nutritum esset. Mitior ergo in iecore calor cõstituatur, quo humoris uis retineri potuerit. Ventriculus porrò non solum vitio exorto, sed & à natura frigidior, videtur nunc certè vitium frigiditalis habere. Sed vt, quæ præter naturam sunt, percurram. Vetus vitium est fluoris albi, Recens huius immodici menstrui, & doloris valde molesti, quibus etiã febriculæ suspicio subest, imò hodie febris aperta est. Fluor ille albus semper fuit exiguus, nullo odore, pituitam sine colore referens, vt oui album, quapropter cum esset toto corpore benè firmo, & specioso, & bene nutrito, ego profluuium hoc tam exiguum

D non possem in totius corporis vitium referre, vt ferè fit, potius in ipsum vterum, quod fuerit frigidior, & humidior etiam, vt bene notabat vir sapientissimus ea coniectura, quod rarò admodum conceperit, & fœminam tantummodo, cum virum tamen haberet, calidum omninò, & siccum etiam ætate ipsa tandem factum, Vnde si frigidius semen aliquantò sortita esset, forte nunquam ipsa concepisset. Infirmum ergo vterum, & humidiorem, & frigidiorem illud excrementum denotabat; Humidiore autem superantia affectum maximè, & laxum effectum vna cum suis cornibus sic dictis, in quibus sunt testes, & meatus semini, si semen est, attributis, quibus ita laxis humor ille crudior effluat, vt à venis illuc exprimitur, quarum dextera à vena caua sanguinem meliorem, &

E minimè serosum deferens, sinistra ab emulgente serosum, & aliquantulum mordacem ad Veneris sensum mouendum.

Ac cum minimè aquosum illud profluuium sit, minimeque mordax, ego eam materiam nunquam serosam vocarem, quoniam serum aqua sanguinis est, potius pituitam, vel saniem, dum saniei nomen sano modo accipiatur, & ichorem significet, ac cum ichor, & sanies secundum Aristotelem duplex sit, non erit hoc loco ille, qui ex colliquato, & corrupto sanguine exprimitur, sed qui incoctus potius sanguis est, & pituitæ genere continetur, qui dum in alimẽtum membranis, & glandulosis partibus cõueniens in partes ad vterũ pertinẽtes infunditur, & attrahitur, (pituitosam namq; sanguinis partem illæ partes attrahunt, vt sibi aptam) non omnis in alimentũ potest cõuerti, partibus illis frigidioribus, & alimento etiã abundantiore.

Forte

Forte aliquis reijciat totam culpam in corporis totius A malam nutritionem, vt ferè fit, nimirum, quod sanguis ob genus ventriculi, & corporis pituitosior existat, quod tamen, non ita esse crederem, quoniam corpus bene nutritum ea fluxione diu fuit, ita vt sanguis bonus sit, atque si vterus valentioris caloris esset, concoqueretur. Sed de profluuio hoc, neq; ipsa anxia est, quoniam exiguum admodum, & ab ineunte ætate est, & minimè molestum, nullo odore, nullo colore, aut sorditie. Ad alterum fluorem sermo referendus est, qui maximè molestus eam cruciat, præsertim ob dolorem illi coniunctum. Ille omnino vterum affectum indicat, vt Galenus proponit, nã per vterum fit. Qui verò si certa sua tempora seruet, hac ratione, neque corporis, neque vteri vitium indicat, quoniam ordo inditium est, quod à natura sanguis, tum excer- B nitur ad vitæ vtilitatem. Genus fluxionis ergo præter naturam non est, sed modus, nempe nimia eius copia & vitium etiam. Vterum ergò affectum modus fluxionis videtur indicare, quoniam ipse vterus proximè vitium illud ostendit, quoniam tamen vterus potius via eius fluxionis est, neque opus aliud exercet, quam egressum præstando, iecoris id potius, & venarum prauitatem indicarit, cum sanguis minimè bonus esse in eiusmodi fluxione queat. Vitium significare potest etiam ventriculi, à quo materia sanguini suggeritur. Si quid ergò confert vterus huic fluxioni, imbecillitas est, Vterum imbecillũ esse iam ex supradictis perspectum est, non mirum itaq; si ad occasionem facilem se præbuit ad demissum sanguinem excipien- C dum, non dixerim attrahendum, quoniam vim attrahendi menstrui sanguinis vterus non habet, illamque Galenus ei non dat, nisi ex parte, qua quotidie alimẽtum sibi assistit, ad recipiendum verò facilẽ se præbet ea imbecillitate, quæ ob humidi superantiã in eo iam perspectam effecta est. At ipso non attrahente, vnde impellitur illuc tam immodicus sanguis, & qua causa qua remouenda malũ tollatur? Certè hoc toti venoso generi attribuendum est, causa verò ea putãda, quod non quidem nimius sanguis illud oneret, sed molestia aliqua irritet ad se expellendum, illa autem acris omninò sit, cui verò expulsioni promptum exitum præbeat ipsa sanguinis tenuitas, & viarum laxitas humore nata, quare sanguis quoq; cum humidior, tum biliosior fuerit. At quomodo cõtrariam, & naturæ mo- D lestam vim habeat? habere certissimum est, si ipsum spectemus, qui non concrescat, ideo naturalis generis non sit, qui flauus, & aquosus sit, Galenus etiã bilem cum humiditate coniungit, quoties ait bilẽ aquosam inueniri, aut serosam, quod idem est. Modus eiusmodi humori nascendi est, quod e ventriculo crudior succus subministratur, qui in iecore satis calido vinci ex omni parte non potest; sed tenuioribus suis partibus partim in bilẽ, partim in serum conuertitur, quod enim tenuem pinguedinem habet, in bilem, quod habet liquorem aquosum in serum vertitur, ita & acrimonia stimulat, & tenuitate facile percurrit, cum expulsus est, Cuius porrò sanguinis generatione tollenda ego crederem fluorem hunc iri sublatum. Atque huc dirigendam esse procurationem omnem E persuadet etiam ille dolor, qui congestione etiã sanguinis excitatur, & illius excretione leuatur, & interim tollitur.

Vnde in fluore doloris remedium habemus necessarium, dum eiusmodi sanguinis propagatio perdurarit, Neq; fluor vllo modo aliter tollẽdus, præsertim cum per se intermittat, quoties materiã doloris causam exportarit, vnde neq; hac causa viribus quidẽ sit metuendum, Minus verò longè sanguinis huius effluuium supprimendum, cum febris suspicio subsit, quæ quanquam motione ea excitetur, tamen, si cohiberetur ea penitus, febrem sui obstructione, suiq; vitio naturæ calori non obtẽperante conciperet. Generationi igitur vitiosi sanguinis prohibendæ vacandum, ratio huius mali ostendit. Nam quid ego de causa doloris disputem, num erosio aliqua intus sit? intermittit ille, cum humor expulsus est, increscit, cum diu retentus maiorem congeriem assecutus est, si esset erosio non video, quod dolor quiesceret, quin maior ex detersione fieret, quæ post effluxum semper solet maior esse, vt in ijs, qui vrinæ ardorem habent, quotidie obseruamus, qui post mictum magis cruciantur, quãquam ei alia ratione ille cruciatus crescit, in ijs, quibus vesica exulcerata est, nam post mictum magis constricta sibi dolorem auget. Locus etiam huius doloris nõ videtur erosionẽ habere familiarem, nam est ad os sacrum, & iuxta ilia ad ossis sacri internas summasque appendices, vbi dorso vtrique vterus suspenditur, ibi enim cornua vteri sunt, quæ præter vasa seminis à varicoso processu, venas etiã à quodam ramo accipiunt, qui à vase illo recedit, quod in testem tendit, Vase ergo eo, & ramo tenso dolor potest ad ilia moueri, ad os sacrum autem, vasis illis, quę vtrinq; inferius supra collum tamen matrici insiti sunt. Quod ergo dolor fiat à materia tendente potius, quam erodente coniectura est, quoniam vasa sensu carent, quæ in illis locis doloris sunt, vtero ipso medium locum tenẽte. Quod autem fiat dolor à tensione, quod soluenda continuitate videtur, non est disputandi hic locus. Minus ergo disquiram, nũ rupta, num ve erosa vena sit amplius, minimè verò autem, num percolatio, hæc sanguinis fit, cum & subsistat sanguis, & cum fertur magna in copia feratur, & antea etiam crassus, & bonus, qui in grumos hic concresceret, Vnde cum apertione osculorum veniat, non est dubitandũ, quin maioribus venis, & osculis apertis id faciat, quæ irritatione non solum morsibus facta, sed onere etiã ipso grauatæ aperiuntur. Expressus enim à genere venoso sanguis illuc potius congeritur, quam effluat. Illuc quidem fortè altera tantum causa exprimitur, nimirum acriori sanguinis vitio ob bilem nimiam, & seri etiam copiam. Quare id, quod nobis maximè est attendendum, vitium ipsius sanguinis est, vt tollatur, & vna eius causa secum. Postea impulsio etiam est inhibenda sanguine in diuersum retrahendo, & vijs colligendis, ne tam latè pateant, nã diuturnitate mali, & defluxionis laxę admodum factæ sunt, ac quanquam sese colligãt post exonerationem, oneri tamen renouatæ facillimè cedunt.

Hæc itaque nobis ostendunt, quid procurandum in hac curatione sit, iecoris, & venarum vitium, quo sanguis biliosus propagatur, & salsus, nempe calor, ventriculi etiam frigus, quo materia sero nimio suppeditatur, sanguis ipse vitiosus, & viarum lubrica natura, quibus accedit etiam incitatio quædam naturæ partium ad vterum impellendi. Vitium iecoris, & venarum calidius omninò, cũ bilem faciat, & serum salsum reddat, refrigerandum. Ventriculi vis cũ crudiorem humorem suggerat calefacienda. Sanguis purgandus, viæ colligendæ, & incitatio naturæ ad diuersa reuocanda.

Quæ num præstari possint, & quanta difficultate, si possint, præuidendum videretur, quo curationis ratio rectè instituatur. Ego vidi in plerisque mulieribus cum tempus appropinquaret cessationis menstruæ purgationis profluuia menstruorum incertos circuitus habuisse, non tamen hac tanta copia, neq; his doloribus facta. Quibus verò, tam adulta ætate profluuia eiusmodi, tam larga accidissent, illas summa cum difficultate euasisse. Spatijs quidem aliquibus intermittentibus fluxionibus, nõ tamen ex toto cessantibus, quare neq; hoc cessationis inditium ducerem, neque facilè iri retentum fluxum sperarem, Non tamen ita magnum video, vt verear, ne in hydropem cadat, cum copia ipsa mala eiecta cesset, cum bonus color corporis seruetur, & cibi quoque cupiditas, quæ

non solent in immodicis eiusmodi profluuis seruari, immo neque corpus nutritione sua adeò priuatur. Quare totus in eo essem, vt sanguinem bonum procurarem maximè, deinde illa iam proposita quærerem sanguini purgando prius opera danda, quoniam viscera eo præsente resarciri nõ possunt, minus venæ, aut iecur. Itaque ex potione ea id facerem, cui incoctæ essent mirobalani citrinæ, tamarindi, & ea quæ cum his solent consociati ad eorum vites, & modificationem, immiscerem etiam syrupum rosaceum solutiuum, & Diacatholicon, quod quamuis habeat Cassiam fistularem, tamen ea modica est. Neque enim quod proposuetat Medicus doctissimus illam per sedarem, aut insigni copia, quoniam ut Renes petit, & suo humore lenit, laxatq; sic vteri etiam meatus adire, laxareque posset. Rhabarbarum quoque adijcerem, nec senę foliculos spernerem, quę serosos humores dettahit, & in foliculis vim etiam firmandarum continentium partium habet. Eos itaque potioni incoquerem; & purgationem similem sæpius molirer. Medijs temporibus potiones ex cicoreo, & rosis, & Absinthio etiam darem, quibus ventriculo, iecori, & vtero mihi videretut satis consultum. Pilulas quoque de rhabarbaro, quas Mesues facit cum his syrupis exhiberem. Profluente autem sanguine, quo in diuersum incitaretur, ego non vererer venam in manu aperire, exiguumque, & paulatim sanguinem mittete; quo non sanguinis detractio, sed incitatio naturæ ad diuersum locum fieret; Multum enim refert, quorsum expultrix conuertatur, natura enim non ad arbitrium cessat, quod in intestinis, & toto corpore videmus, Cute namque adstricta, & refrigerata incitatio expultricis ad medium corpus fit, sæpèque diarrheæ mouentur, contra interiore corpore ad externa vim vertente sudores. Inferna intestinorum parte constricta sursum, vel ipsę fęces alui submittuntur. Contra superiore constricta inferius descendunt. Sic reuocato sursum sanguine, adstringentibusque ad ventrem imum, & ad naturalia, ac dorsum appositis, facile delapsus sanguinis inhibetur. Quod non moliendum est, nisi postquam sanguis ad suum temperamentum, & mediocritatem erit reductus, alioquin dolores mouerentur. Ibi ergo tum sanguini moderando, tum cursui sistendo, vijsque colligendis, & iecinori, & ventriculo firmando opportuni syrupi videntur post purgationem, qui fiunt ex rosis siccis, ex myrto, ex nimphea, non syrupus compositus ex ipsa à Francisco Pedemontium, quoniam multa recipit, quæ humores potius fundunt, & mouent, sed Nimpheam simplicem acciperem, neque verò florem, sed radicem, & cum portulaca, aut eius syrupo componerem, & succum etiam mali punici adiungerem, aut syrupum de menthа, in quo alij succi sunt fluxionem humorum inhibentes. Nos syrupos cum aquis fragariæ, plantaginis, absynthij, & cicoreæ diluerẽ. Bolos etiam darem ex saccharo rosaceo antiquo, cum pulueribus corallorum, margaritarum, ebotis, cornũ cerui vsti, cum seminibus acetosæ portulacę, officulis, arollisue malorum punicorum, puluere ossium dactylorum cum Trociscis, non dixerim de terra lemnia, quoniam nimis adstringere videntur, sed de succino, deque spodio, & quod mitius esset, pulueribus Diambræ. Sericum quoque crudum aliquo modo ijs adiungerem. De floribus, & corticibus mali Punici non dico, quę menses etiam sua decoctione supprimunt. Imprimis plantaginem summopere probarem, & præcipuè aquam eius destillatitiam, vt ex fragis, & pimpinella, quas ratione multarum rerum, cum aqua absynthij coniungerem. Aquam etiam fragopogonis acciperem, aquam ex folijs quercus, & ex millefolio, cum his, tum, quæ vehementius adstringunt, aquã ex cetrach, ex paronichia, & capillis veneris componerem, atque etiam de betonica, quo vna viæ purga-

A rentut à vitio, vnde laxæ sint, & colligerentur; nec ve humor dolorem faciens ibi constringerentur.

Emplastra colligentia non tam adhiberem; quam in sessione, & fomenta, quoniam onere suo possunt calefacere, fomentis, in sessionibusque incoquerem Malicotium, Citinum, Balaustiũ, quercus folia, cortices castanearum, capicula glandium Nuces cupressus, alumen, rosam, hypocistim, & alia, quę vbiq; sunt obuiam, ex quibus aquæ incoctis non solum in sessiones, sed fomenta etiam futura valentiota, si aceti parum indatur. Suffitus etiam cum eodem liquore fieri poterunt aptissimi, si lapis ignitus, candensue inijciatur, & fumus inde per sedem perforatam suscipiatur. Essent etiam multa, quæ à proprietate vtilia sunt,
B vt lapilli Corneoli dicti, & Diaspri. De viuendi modo pauca restant dicenda, ea verò præcipuè proponenda, quæ bilem fragant, sanguinemque glutinosum moderatè creent, vt far, amilum, panis lotus, vt lac etiam si stomacho alienum nõ sit; præsertim candentibus lapillis cœtum. Carnes neruosæ, vt extrema, & petioli, & trunculi suum, ac cerebella eorundem. Oua quoque aliquanto percocta, præsertim si exiguo cibo vtatur, quæ in aqua ferrata incoqui possunt, præsertim, quando sanguis purus fuerit effectus. Potio ex eadem aqua incoctis coriandris mihi probaretur. Vinum certè parcissimum concederem. Aquas Calderianas, nunc non propono, quoniã hiems est, neque foris illas valentes subministrat, neque cœli temperies ea est, quæ illis conueniat accipiendis. Ac quæ si vehantur à nonnullis, vim etiam
C non retinent. Fertur quidem Antonium Fumanellum medicum celebrem eis vti solitum toto anno singulum quotidie c licem accipiendo, sed quis men certum faciat de fructu, quem inde haberet. Dixi.

De læsa imaginum facultate, seu phantasia, cum metu pro Andrea Vaninio.

CONSVLTATIO CCVII.

Res tam aperta per se est, & tam à viro Doctissimo explicata, vt nihil sit necesse de ea dicere nè
D ad confirmationem quidem, non possum tamen meo loco deesse, quin saltem meo modo repetendo, quæ dicta sunt, ea iterum aspicienda sub oculis ponam, vt bellè à sua Excellentia semel factum est. Omninò hic metus est, & præter rationem quidem, qui ita frigus indicat, vt audacia calorem. Metus in corde exercetur, at cum ille visum aliquod sequi soleat, cerebri causa fieri videtur. Itaque ego, qui mœrorem in cor refertem, quoties ægri certam vnam mœroris causam mihi afferre nesciunt, potius quæcumque offeruntur, metuenda ducunt, & abhorrent, vt cerebro in consensum adducto, cum is in opinionem certam metum suum referat, facilè ob affectum cerebri malum esse existimabo, quod quomodo eam opinionem exerceat contra omnem occasionem, & pe-
E nitus falsam vidẽdum est, quo morbi natura cognoscatur, nam vt metum non calor, sed frigus parit, opinionem falsam potius à calore, quam à frigore moueri oporteret. Frigus enim imminuit, & tollet actionem non deprauat, sed calor id facit.

Propterea ego existimo cerebrum ob cordis consensum potius sibi persuadere id, quod falsum est, vt iracũdis iniuria facilè creditur, quam propria aliqua affectione, præsertim quod opiniones falsæ sæpè tolluntur fide aliqua facta, & metus sæpè sine opinione permanet.

Præterea sanè modo ego non video, quo pacto obscuritas vaporum, aut humoris verendam possit reddere imaginem in loco opaco, nõ in medio per quod cernatur

cernatur, imago sed intra ipsum organum, quod intra se lumen non recipit.

Praeterea omnes imagines sub eo fumo essent, & equè verendæ quocumq; mouerentur, non solum verò illæ excitarentur, quæ metum facere idoneæ sunt, minus vna tantummodo, vt in eo homine, qui suos sibi venenum moliri opinatur, in reliquis rectè sentit, minus quod videmus sæpe eueniret, nimirum multos solis verbis ab aliqua eiusmodi opinione abductos, Cerebro enim affecto, & eadem sui parte quamcunq; imaginem exercente, vel opinionem, cur in sexcentis millibus vnam tantum deprauatam eant? Cur suasionibus solis queat intemperiem suam superare, humoresque discutere. Quare tantum abest, vt ego hanc rem sic distribuam, vt in hypochondriorum consensum referam illam mæstitiam, quæ communiter omnes imagines verendas habet, illam verò, quæ vnius tãtum rei opinione hominem exagitat in cerebrum, quod fecit Excellentissimus Fum, quin potius contra firmiter credam, si affectum esset cerebrum omnes cogitationes, & imagines merorem esse inducturas, hypocondrijs verò cerebrum afficientibus, facilius vnam tantum posse opinionem deprauari, reliquasq; illæsas relinqui. Tutissimam quidem eam arbitror sententiam esse, quod corde primum affecto, omnes falsæ opiniones, & cogitationes nascantur, imagines verò in quibus ita esse, vel non, homo assentitur, sed per se singulæ excitantur, vt visa nocturna, illas ex vaporibus in cerebrum sublatis moueri certissimum est, qui fere calidiores sunt, & imagines falsas mouẽt, & assensum sic fallendo cogunt, neque assensum per se aliter de rebus externis imagine nulla falsa incidente possunt afficere, nisi per cordis affectum, per quem, adeò ad merorem, sine causa compulsum est, vt cerebrum vna in eandem ægritudinem adducat, ad vnam, vel plures opiniones metuendas, exercendas, & si integrum cerebrum mille alias rectè tractet, ita omnem affectũ à corde etiam perpetuum in opinionem eandem semper suo iuditio refert, quoniam metum in ea iam posuerit, continuitateque metus in ea vna collocata, alias omnes verè, & sine errore possit exercere. Insaniam quidem, qua apertè facultates cerebri læsæ sunt, nihilque homines rectè cogitãt in cerebri morbum reuocato, atque in calidam quidem intemperiem referam, cum sine metu est, cum autem metum parit, sub ipsis necessariò preter amentiam etiam memoriæ læsionem habebunt, quæ per se cerebrum in postrema parte affectum sequitur, & tarditatem, quæ in reliquis partibus. At metum, & metuendarum imaginum, & opinionum assensum semper à corde proficisci sentiam.

Egritudo enim animi, quæ cum causam externam habet, & euidentem præter naturam non est, cum eam non habet, neque opinionem quidem se antegressam postulat, potius more iracundi, & metuentis imagines ipsas sibi parat, & consentaneas, & assensiones excitat.

Vnde in melancholicis complurimis metum, & terrorem aliquem antecessisse, opinionem postea sequutam esse obseruauimus, Sed cum Galeno manens rursus dico, quod affecto cerebro, & morbum continente in se potius, omnium opinionum, quam vnius certè meror dandus est, ab hypochondrijs autem affectum accipiente, potius vnius opinionis, quam omnium fallacia adscribi debet, non autem illa omnium opinionum hypochondrijs, vnius verò alicuius fallacia cerebri ipsius morbo.

Esto ergo cum Galeno nigredo, & obscuritas vaporum, & spirituum actionem imaginum, & opinionis lædat, quod in cerebro aliquid luminis spirituum sit, vt in oculis cernitur, tunc deprauatio non à frigore, aut calore, sed à calore, seu tenebris fit, si namque pelluciditas, & lumen ad quandam actionem neces-

A sarium est, cur his demptis, seu vitiatis actio vitiosa non fiat? quod in colore corneæ à Medicis agitatum est, at id neque intemperiem pro partis similaris morbo, neque obstructionem pro dissimilaris ducimus. Sed tamen id est, quod rem actioni necessariam vitiat, & intemperiem habet, quam sequitur, quãquam non per ipsam primò, sed per id, quod ab ipsa nascitur offendit, vt spiritus illustris actioni idoneus est temperie quidem talis factus, sed non per ipsam proximè inseruiens, lumine potius inde constante. Affectus ergo ipsos cerebri, maximè spiritus habemus, (dico ne à Galeno desciscam) vaporibus, seu halitibus eis commixtis, vel spiritibus ipsis malo sanguine genitis, & naturam illius, vnde geniti sunt referentibus. Verum est, ne id vitium à sanguine in cerebro

B confecto, an per venulas minimas cerebrũ permeantes infuso? An eo in toto corpore manente, aut in hypochondrijs, solumque spiritum submittente? Galenus à continuitate metus, & intermissione indicium huius morbi loci dignoscendi non proponit præcipuum, qui alioquin in affectibus proprijs, & aliunde pendentibus dignoscendis continuitatis intermissionisq; inditium maximè solet afferre, imò perpetuum, ait esse metum in hoc morbo communiter de eo loquendo, imaginum tamen & opinionum vnum genus non esse, ait enim lib. 3. de locis affectis ἀεὶ μὲν ἔν οἱ φόβοι συνέδρδυσι. Semper igitur metus consequuntur. Tamen id, ἀεὶ, hoc est etiam fortè ad significanda omnia genera eius morbi referri vult, intelligen-

C do semper hoc est in omni genere melancholici affectus, vt possumus nos communem rationem interstinctionis sequentes dicere, quod si continuus metus sit, & opinio, vnde ille nascitur, alia quidem distinguendi ratio quærenda, quoniam continuum in capite vitium posset ab alia quoq; parte sustentari. Itaq; omninò restat vbi primum malum constiterit videndum, num in ventriculo, num in capite, an verò in toto corpore, Sin intermittat, tunc certò tenendum in cerebro humorem illum, aut non esse, seu hærere, aut nõ generari, sed aliunde, aut vaporem, aut humorem transmitti, & humorem transmissum non adeò cerebri vim afficere, vt humorem inde ei similem sibi pariat. Difficultas modo est cognoscere, num intermittat, Nam familiares aiunt multis horis resipiscere, &

D omninò ad se redire. Ego hoc manè inueni obstinatè admodum resistentem hortantibus, vt domi se contineret. Nunc video eum obsequiosum, Tamẽ nõ mihi videntur mores satis conuenientes suæ persone, & facie vultuq; ipse obscuriori esse, & metuere, & tametsi egrotare se, & Medici opera egere sentiat, tamen non posse sese quodam metu liberari ait, minus ea suspicione, ne a suis male habeat, quam agnoscit inanem suspicionem esse, nec multum ei assentitur, qui interdum adeò ipsa eadem suspicione fallatur, vt de fenestra, & per tectum fugiens de eo se tentarit deijcere, noctu verò dicat malũ sibi augeri, & imagines etiam alienas videre, quo Reuerendus Monachus eum fascinatum, aut κακοδαίμονι oppressum opinetur.

At esto metus continuus sit, quanquam remittitur

E vna cũ suspicione, nos certi sumus illa cordis, seu potius ventriculi oris torsione, & angustia, quæ prima fuit, nobis ostẽdi cum Galeno hypochõdria primum affecta esse. Primã illam cordis molestiam, ait fuisse, suspicionem autem postea consequutã, & cũ maxima suspicio esset, & imagines aliene mouerentur, tũc pessimè ab illa vexatione cordis tortum fuisse, nũc suspicionem imminutã, cum torsio illa cordis minus infesta est, Mitto sputi perliquidi copiam, quæ tunc abundabat, nam aliquis dicat, quod potest ventriculus leuiter esse affectus, capite multum læso, ordo affectus mihi valde persuadet ab hypochondrijs rem profectam esse. Neq; verò tantum spatio interfuit, vt cerebro malum inhæsisse necesse sit, imò inditium illud,

quod

quod leuior affectus fiat, ostẽdit oppositum, potius enim maius malum factum fuisset, si materia infusa in cerebrum ibi inhæsisset, & intemperiem intulisset humoris mali refectricem, sicque a consensionis malo in propriũ transijsset, neq; verò a vigilijs nocturnis, quæ fortè imaginibus & visis illis fiebant, ad facultatem somni capiendi peruenisset, ait enim somnum iam se capere posse, humor namque a quo is metus & suspicio est, non solum frigidus, sed siccus est, & quam primum cerebro inhæsisset, somnum impediret.

Præterea non video, quo modo memoriam suo frigore etiam non læderet, quam firmissimam & magnã retinet etiam eorum, quæ sub primo delirio commisit paucis quibusdam exceptis, quæ in summo quodam terrore perpetrauit. Quare ego tametsi acetosi ructus non sint, cum tamen ructus abundent, & compressio cordis illa prægressa sit, & etiamnum maneat, quæ crescendo etiam suspicionem, & insaniam augeret, hypochõdriacum maximè hũc affectum existimarem, hoc est refertas illas venas sanguine crasso, & fæcoso, quo ventriculo inseruntur, a quibus summopere cor affici consueuit, cum in rabiosis canibus venas circum ventriculi os nigerrimas videmus, eo sanguine sic infarcto feruorem & anhelitum seu fumum acquirente, qui anhelitus naturam fæcis illius referens cor molestia vitæ apprimè cõtraria tentet, nimirum frigore, & siccitate, & quadam adstrictione, compressioneque, ita & cerebrum vna per neruos infestet. Dolorem quidem capiti non semper inferat, quoniam rarò ad membranas etiam semper ad corpus cerebri perferatur, Verum acidos ructus non facit semper, nam id proprium nõ est, sed tanquam domesticum sequitur, vt Diocles innuebat.

Foueri autem malum hoc a toto ambitu venarum timerem, non solum, quia cum molestijs iam dictis ipse, antequam sanguis mitteretur, grauitatem & compressionem totius corporis sentiret, sed quoniam sanguis missus ater admodum fuisse dictus est, & totius corporis species habitu & colore, tum verò ætas sanguinẽ melancholicum præsefert. Corpus enim calidius est, si colorem ex luteo in nigrum vergentem consideremus, Aetas vero vigintiquinque annorum in fine adolescentiæ est, quare id corporis genus citius ad exustionem vigentis ætatis peruenerit, & quod alia corpora trigintaquinque annis hoc vigintiquinque confecerit. Crassitudine ergo sanguinis subsistente, victus verò ratione, ratione laboribus, & equitationibus a cibo venas medij intestini, & ventriculi complentibus crasso humore, facillimum factũ fuit, vt ex indignatione, & rationabili suspicione cum amasia incidente in cordis dolorem comprimentem, & inde in suspicionem falsam incurrerit. Sanguine verò, quod venarum genus onustum est, inutili & crasso ad imbecillum locum infuso malũ subitò in modum maiorem auctum sit, Qui sanè sanguis non exustam melancholiam, sed fæcosam multam partem habeat, non enim exustio, quæ diuturnitate, & ætatum successione potius quam inflammatione, & febre fit, vera exustio est, quando refrigeratiorem sanguinem relinquat, & paulatim ipsa fiat. Ergo ab hypochõdrijs primo, deinde a toto etiam malum fouetur.

Neque vnquam in capite tantum, neque etiam in eo cum alijs partibus materia melancholica a me ponèretur, cũ caput nihil exustionis, nihil inflammationis habuerit, quod habuisse Galenus vult ad proprium affectum melancholicum concipiendum.

Prætereo vacuitatem aliorum signorum, quam supra narrabam. Toti ergo corpori si fieri posset ego prius occurrerem non validioribus medicamentis, ne ad obstructas vias adductus humor crassior eas magis impediret, morbumque augeret. Sed misso iterum sanguine, præcipuè a sinistris, cum iam a dextris missus sit, per hæmorrhoidas quoque commodam eius detractionem esse iudicarem, cum in concaua iecoris parte & venis inde pendentibus malum sit, sic enim proximè, vnde malum est, inde sanguis duceretur; Neque est quod

A nunc aliquis obijciat non consueuisse huic venas illas aperiri, nam sat est, si eiusmodi humor congeratur, si Galenum auscultemus, inde humor vna cum vijs parandus non solum incidendo, detergendoque, sed deliniendo quoque, asperitas namque illius ipsi vitæ, & spiritibus aduersatia, & molesta certè mitiganda est, Quare cum acetoso syrupo, in quo uis aceti satis modificata est, neque asperitatem & humorem potest afferre syrupum etiam de malis, seu de pomis dictum coniungerem, de buglosso, de radice dulci simplici, de lupulis, & de corticibus tandem citri.

Humorem verò leniter educerem primum cum diacatholicon, cum electuario lenitiuo exigua pottione tamen, & folijs senæ infusis, atque epythimo, quibus mãnam adiungerem, quæ mihi videtur omnium purgan-

B tium solutionem facilem reddere, & humores quasi eluere, efferreque, vias quoque laxare. Iterum humorem præpararem valentioribus syrupis, vt de fumoterra simplici, & composito, de epythimo, de pomis Sabor, qui mihi summopere in simili morbo profecisse visus est. Ad purgationem autem elleborum exhiberem incoctũ in potione, qua medicamenta supradicta comprehenderem. Pilulas de lapide lazuli probarem, modo lapis ille verus & bene paratus imponatur, qui apud quendam pharmacopeum est boni generis. Sunt etiam pilulæ apud quosdam alios factæ ex ellebori puluere, trociscis colocynthidis, succo absinthij, & aloe, quas quidem acceperas videbis ab eo, qui dysenterio profluuio cruciaretur, & sine molestia eum purgasse, qui febre iam vetusta teneretur, & singulas dragmas acceperat.

C Verum probarem vt in vsu haberet syrupum illum de polipodio mirachialem dictum, aut certè ius gallinæ ego pararem cum sena, polipodio, borragine, buglosso, & melissa, ac quibusdam diebus propinarem. Confectiones illas magnas præciperem ad humorem absumendum, vt theriacam maximè, vel Mithridatum, illam recentem ad somnum cum opus esset, conciliandum, Confectionem Alchermes, lætificantem plirisarcoticon, & tandem lapidum præciosorum pulueres cordiales dictos, in quibus smaragdus maximè probari consueuit.

Ratio victus nihil in cibis habeat crassi, duri, crudiue, Vnde neque carnes vitulinas laudarem, neque veruecinas, etiamsi ab Arabibus probentur, gallinarum iuuenum delectus mihi probaretur; & perdicum, quas

D vulgus Coturnas vocat, & longè magis quam externarum auium, quas starnas, aut perdices nũcupamus. Attagenes aues, si teneræ sint, optimi succi sunt, quas nos perdices monticolas appellamus, Francoliusque, Auicularum, quoque & turdotum, quæ propria quadam vi huic morbo accommodatæ censentur, vt pulli quoque noctuatum, iuscula omnia, virulentaque nisi frixa sint apta videntur, sed elixationis quidem modo parata anteponerem. Iuribus certè maximè vterer ex gallinis iuuenibus, seu pullastris cum buglosso, quam maximè & melissa. Neque hordeum abhorrerem aliquo aromate temperatum, minus passulas, pruna, radicem petroselini cum ijs componerem. Oua mollia apprimè vtilia iudicarem, & cappares, & borraginem in acetarijs. Vinum album, quod minus caput replere ait Ari-

E stoteles, hoc est modo caput adeat, lene non asperum, non tamen dulce. Balnea maximè pollere crederem, exercitationes lenes, & omnino loci mutationem, quæ non solum corpori, sed animo leuando a b impressa opinione maximè proficeret.

Dixi.

De Febre cum tussi, & maxima sputi copia pro Facino.

CONSVLTATIO CCVIII.

EGo quoque viri doctissimi sum huius iudicij, hunc adolescentem, qui vigesimum primum annum nõ excedit calidi & sicci generis corpore esse, quoniam specie sua maiorem certè ætatem præsefert, quod non nisi corpora sicciora, calidioraque faciunt, Capillo quoque & barbæ pilis valde maturè natis nigris est, corpore tenuiori, & albo quidem, sed non valde. Pulsus tamen mollissimi sunt, atque vt refertur magni antea valde fuere. Vrina crassa fere, & si biliosam quoque speciem referat. Sputa pituitosa tam multa sunt, vt duos lances toto die compleat. Sudor etiam multus, nulla sitis, nullus sputi sapor est, & somni satis capitur. Febris nihilominus tertianæ modum retinet, vt biliosæ vrinæ præferunt. Eapropter video ego cum viro doctissimo caput primum ob insolationem multum alimenti attraxisse, & plus quam posset conficere, alimentum autem raro aliud suapte ui & natura potest attrahere quam pituitosum, vnde quo pituita ascenderet facilius, natura venarum capitis eosdem meatus esse voluit cũ meatibus arteriarum, sic enim spiritus vna cum humore alimentali permixti illum crassum introducere in cerebri durum corpus possunt. Pituita ergo nimis multa in caput inuecta à calore spiritum primò, deinde etiam humores spiritibus coniunctos adducente, sicque capite facilius se replente per calorem, quoniam vasa nulla habet, quæ spiritu pariter ac sanguine conferta non sint, quinimo caput ipsum, tanquam cucurbitula, calefactum, continuo valentius attrahente, factum est, vt cum post solem nox frigidior sequeretur, neque caueret, sed sub diu maneret cute constricta & intus compellente, quod efferri, efflatique per cutis anhelitum vellet, caput, identidem magis repletum sit, Debilitataque & oppressa vi concoquente tum à frigore, tum etiam ab humoris congestione, caput crudo humore & recrementis maxime completum est, quo frigore adstrictis partibus externis, indeque excretrice vi exordiente, excretionem ad interna cruditas omnis compulsa est.

Hæc per palatum, per venas, perque neruos demissa est, quæ per palatum partim in tracheam arteriam (quã leuorem maximum habere oportet) partim in ventriculum præserrim noctu deuenit, quæ verò per venas in pulmones facilè attracta est, qui eius materiæ genere alentes se se illud facilè attrahunt, eoque facilius, quod laxo corpore sunt, & motum semper dilatationis exercent, præsertim verò cum calidiores sunt natura, & calidius cor sortiri sunt, quod sub febribus contingit, Alia etiam in iecore consedit, venasque eius minores obstruxit, Alia toto venarum genere diuisa est. Ex quibus mala hæc omnia deriuarunt, Nam pulmones interim & trachea intemperie ab ea materia affecta sunt, & omne genus venosum, Ac quæ suapte vi prius calida & sicca essent, iam humore affluat, & frigida facta sint, & excrementa humentia frigidaque pariant, & ita longius à statu naturæ suæ distrahantur, Ventriculus quoque crudiorem materiam parit, quæ quoniam citius ex eo attrahitur, in eo inditia non relinquit, & quam continenter noctu saltem excipit, rursus reddit accumulatiorem, & ita per orbem malum propagatur.

Faciunt hunc orbem quidam ponentes ventriculum quasi lebetem vapores in caput emittentem, quos vapores si per venas & arterias in caput ascendere velint, ego cum illis sum, sin per os ventriculi non assentior, nã vapores per os ventriculi & gulam ascendentes, cum primum attingunt palatum, in aquam concrescunt, & ore effunduntur, vt si quis eructet, statim per os eliduntur, neque verò ossa palati possunt peruadere, neque per co-

A latorium, nisi exigua. Prohibere os palati cordis refrigerationem Galenus voluit, cur vapores non intercipiet. Sed vlterius iecur ipsum obstructum, quanquam materia frigidiori, tamen per obstructionem incalescit, quo partibus materia illa imbutis frigidum, alijs verò circumquaque obstructis & medijs calidius fiat. Et eo magis, quod humorem biliosum retinere cogitur. His positis cernimus quomodo febris duplex tertiana fiat, nempe ex obstructione, & bilis congestione sua tempora postulante, quomodo sudores tam multi pituita toto ambitu venarum diffusa per febrem & bilem liquescente, quo modo vrinæ biliosæ & crassæ sint, quo modo pulsus molles, cum arterię liquescente pituita mollescant, & pulmonibus eadem pituita laxis factis, quod maximè arterias solet molles reddere. Quo modo tanta

B pituitæ copia expuatur, quando pulmones & nimium alimentum attrahant, & illud frigidis recrementis nimis infarctum congerant, corpore toto in ipsos materiam compellente, ipso quoque sic affecto nimis multum pituitosorum recrementorum congerente. Spiritus difficultatem non facit, nisi cum tussis est, quoniam materia tunc id Tracheam extruditur ex ipsis pulmonum vasis.

Et sanè quidem Viri doctissimi ego non possum mihi persuadere tantam pituitæ copiam visam aut capite, aut per caput à toto in tracheam demitti, cum caput neque tantum recrementi efficere possit, neque sine cerebri magnis casibus per caput transire, minus Trachea tantum excipere, quin statim reijciat, vel è laringe, vel è bronchijs occupatis. Hæc verò reijci statim non vi-

C detur, cum coctionem maiorem habeat, quam in capite & in faucibus esse soleat, eam certe refert; quę in pulmonibus & locis calidioribus conficitur. Quibus sic digestis mihi videor omnes huius mali partes cernere, & incidentium omnium causas perspicere.

Quibus certè occurrere longè difficillimum existimo corpore tam longe a propria natura abducto, tanta materia & tam crassa referto, pulmonibusque tam infirmis, tantoque vitio affectis, corde iam per febrem facto languidiori, vt per pulsus factos exiguos & crebros vnicuique intelligitur.

Quæ tamen agenda esse rei natura ostẽdit, hæc sunt. Parari, purgarique lẽta & crassa materia debet ab omnibus iam dictis partibus & a toto, a ventriculo quidẽ, per mel rosaceum, per mannam, per diaphenicon, &

D quoniam iecur quoque respiciendum subinde erit per pilulas de tribus Ruffi adiecto agarico trocischato, cũ verò pulmones etiam spectandi sunt, & myrrha, & croco erunt iuuandi, tum totum corpus exonerandum ijsdem medicamentis, & tandem per sudores positionibus salsæ parilliæ, aut chinæ (si vires fuerint infirmiores) mouendũ, cum qua sit coctum hordeum, betonica, adiantum, & forsan etiam tussilago, & dulcis radix. Corpore toto sic leuato copia, balneis quoque iuuarẽ, & tandem purgationi capitis & pulmonum, & iecoris vacarem. Ac iecori quidem & pulmonibus per potiones dictas salsæ parilliæ prouisum maximè fuerit, tamẽ si reliqua erit materia proprijs præsidijs erit consumenda, & partes illæ confirmandæ. A capite incipiam, vnde prima origo mali extitit, illud exonerandum erit

E errhinis, & sternutatorijs, in quibus ordo ille a leuioribus tam decantatus seruandus videtur, nempe ab oleo amygdalarum solo, deinde adiecta manna, & aqua betonicæ, aqua amaraci, succo betæ, & tandem si opus fuerit pulueres amaraci, ad fortiora vsque ad puluerem veratri.

Eggressum etiam aliquem pararem materiæ, vt ea a pulmonibus auerteretur, & potius in occipite inurerẽ, & vlcus seruarem, quoniam materia grauis & frigida est, neque ad sinciput facilè potest ascendere, idem vesicis excitandis procurarem in scapulis. Caput quoquẽ exiccarem nõ solum pulueribus capitalibus dictis, sed ex ijsdem, in quibus esset amaracus, betonica, saluia, nux miristica, gumi iuniperi, thus, mirrhaque.

Adde-

Adderem bdellium, oppopanacem, resinam, pini, therebinthynamque, picemque & cętam cũ oleo eiusdem generis vti esset de ruta, & conficerem ceratum, quod vidi his diebus profecisse multum in altero iuuene eiusdem ętatis, qui conualuit penitus, in quo verò destillatio calidior erat, & fauces etiam corroserat. Nisi hoc satis proficiat ego aquam vitæ pararem cum ijs, quæ capiti amica sunt, illis ei impositis, & sinciput delinitem, madefaceremve, Mel quoque destillarem, & ex eo inungerem.

Quibus non satis valentibus certè venirem ad exustionem ab Aetio propositam tribus, aut quartuor cutis capitis locis faciendam, vlceribus minimè relictis, tantum ab exustione exsiccationem, & firmamentum quærens. Pulmonibus verò propriè tum expurgandis, tum exsiccandis primum vacarem cum his, quæ destillationem in faucibus suo lentore interciperent, & conglutinando sisterent, vt bolo armeno, amilo gummatibus scilicet citoniorum, penidij, nucles, pini, diadragantho, sacharo violaceo. Laudo diacodion cum papauere, pilulis bechicis, quæ sanè in faucibus sistendo vsum suum præstant, ac ne in laringa labatur destillatio, faciunt. Vti etiam decubitus in dorsum, contra quam vulgò credatur a Medicis, qui potius existimant infestiorem laringi fieri destillationem, si in dorsum iaceamus, Melius ipsi metuerent illum decubitum, quoniam calfacto dorso, sub quo venæ amplissimæ ducuntur, materiæ multum ab illis in caput efferatur, sic spina, sic occipitio attrahente per concalescentia. Quisq; tamen potest in seipso experiri, nam cum destillatio in palatum pertinet, decubitus in dorsum illam potius in œsophagum, seu gulam deriuare facit. Decubitus verò in latus in laringa potius, & si in dorsum iacenti a naribus ad palatum destillatio possit inclinare. Venienti ergo destillationi in fauces sic occurrendum est. Confidenti autem in pulmonibus sic crassæ ac lentæ alia ratione subueniendum, incidentibusque & abstergentibus, & delinientibus pulmones vtendum. Delinientia pulmones sunt, quæ pectoralia vulgo dici consueuere, laryngam minimè siccantia, minimè exasperantia, sed cum mediocri calore humidam vim retinentia, vt oleũ amygdalarum dulcium, violæ, saccharum, mel, passulæ, dactili, ficus, nuclei, pini, iuiubæ, radix dulcis, sebesten, man na, butyrum, cassia, fistula, tussilago, & mille alia eius generis, quibus admiscenda sunt, quæ quamquam exiccant, tamen vtilem abstergendi, & incidendi vim præstant, vt oxymel, vt hyssopum, altheæ radix, marrubium, ficus item, mirrha, thus, iris, Capillus Veneris, semina lini, scilla, & similia, quibus etiam, quæ tueantur pulmones admisceri debent, vt crocus, vt pulmo vulpinus, quorum compositiones ad Mesues exemplum facilè ordinabuntur.

Sed cum pro viribus materia exturbata fuerit, vidi ego aquatum potum nempè Villensium valetudinem restituisse, quoniam & exsiccant, & confirmant viscera omnia, & vias colligunt. Vidi etiam aquam stillatitiam ex cochleis terrestribus non solum inhibuisse destillationem multis antea auxilijs iam diminutam, sed corpus benè plenum carne reddidisse, Aqua quoque testudinum æquè laudatur. De victus ratione ego non dicam, nam constat ipsam viribus esse metiendã, quæ iam debiles propter febrem, & sudorem sunt, ita quamuis exiccans esse deberet, tamen virium ratione minus talem esse conuenit, quare alimenti boni multique, sed non ita crassi sit cibus, a quo tamen nucleos pineos non reijcerem, neque amygdalas, neque passulas, neque pruna, Maximè verò præciperem hordeum & carnes auiculatum, & perdicum. Lac in tanta febre non probarem, atque etiamsi sine febre esset, vellem ventriculo consulere, nam vidi quibusdam esse valde incommodum. Oua abiecto albo concederem, Vinum, quod tam vobis probari videtur, ego manente tanto motu destillationis, & febre nunquam non timerem, Vesperi certè minus alimenti exhiberem, & quotidie ieiuno frictiones facerem, in calido, & odore cubiculo continerem, Aluum mollem seruarem clysteribus altero quoque die inijciendis, omnes animi molestias pto viribus lenirem. Dixi.

Non admodum diu vitam duxit, sed decimasexta a consultatione die, ijsdem febribus manentibus, sudoribusque cessantibus, aluo fluida, vt ter die descenderet, sputaminibus liuidis crassis post albam in speciẽ concoctis, & excretionem sanguinis multi, crudis sputis vnius diei sequutis extinctus est. Medicus eo die pilulam de cinoglossa exhibuerat.

De profluuio albo, pro Nobili Candida Parisiana Rutillona Sebastiani Rutilloni vxore.

CONSVLTATIO CCIX.

Vterum malè habere, quamquam nõ semper muliere profluuium indicet, ferè verò causa toti corpori attribuatur, vt in omnibus reumaticis affectibus, in hac tamen matrona propter dolores ad pubem, atque ischiadem pertinentes, non potest non ab vtero aliquam aliam proximam originem ducere, maximè cum vlceris notæ adesse iudicentur. Vteri malum laxitate multa, quam humiditas nimia excrementitia effecerit, potissimum continetur, cuius laxitatis occasione corpus totum excrementa sua in vterum demittat, quæ si nimis acria, nimisque abstergentia fuerint, facilè & morbum proprium nempè vlcus induxerint.

Ergo copia quidem materiæ a toto corpore, at infirmitas, laxitas & humiditas nimia, atq; si vis etiam erosio vteri, vnde non parum sanguinis excernitur, propriæ sunt. Quid est iam in ijs vitijs, quod non postulet exsiccationem? vt interea tamẽ corporis insitus humor sit renutriendus. Exsiccanda porrò medicamentis vlcus vteri, laxitas totius corporis, viriosa humiditas, qua & materia abundat, & viæ lubricæ fiunt.

Corporis verò insita humiditas alibilibus succis per cibum parandis est sustentanda. Ex exsiccantibus nimium calida; præsertim initio nequaquam admittenda, ne crudi humoris, atque etiam cibi attractionem moliantur, & profluuium augeant, moderatioris temperiei, aut frigidioris potius deligenda, vt tamen vtero quoque apta sint. In cibis & potionibus cum vino aqua ferrata. Ordeum, & fresæ lenticulæ medulla in pultem delicatiorem decocta, lac, in quo extincti lapilli candentes fuerint.

In auibus turtures, in quadrupedibus petioli, & trunculi, similiave. De panibus autem ordeacei rectè parati non essent alieni.

In medicamentis verbenaca, fragatia, nenuphar, plantago, acetosæ, & maximè semen portulacæ, item semen agni castique, & canapis. Politricum, cetrach, betonica, saluia, cornu cerui vstum, corallia, margaritæ, terra sigillata, bolus armeno, rosæ, sandala, spodium, ebur, sericum crudum, thus, thurisque cortex, coriandra macis, agallochum, mastiche, tragacantha, cortices ouorum, vnde pulli exclusi sint, scoria ferri, ossa mali punici, ossa dactylorum, cum quibus opportunissimè iungi videretur salsa parillia. Absynthium cum his esse semper vellem, nam respicit maximè uim partium coctricem, & retentricem.

Quæ omnia demum tutò & vtiliter adhiberi poterunt, cum materia detracta fuerit, vnde intemperies ea sustentatur. Modus ea componendi, vt minimè latet Medicum, ita pro eo statu, quo ægra se habebit, erit aptandus. Nam ex horum aut pluribus, aut paucioribus aptè coniugatis possunt fieri potiones, si aquę incoquantur.

Quæ meo quidem animo ex ipsis stillatitijs vtilior esset, siue ex plantagine, siue ex verbenaca, siue ex fragaria vna cum ea, quæ fit ex Betonica, nec minus absynthio, quo omnes partes continentes firmarentur, ne tantum recrementorum facerent. Possunt fieri electuaria possunt catapoſia, possunt aliæ confectiones, quæ pro voluntate ægræ erunt deligenda, iuuandæ totius corporis conccoctioni, ne tantum recrementorum fieret essent idoneæ frictiones, & aliquæ exercitationes, quibus vidi mulos homines gonorrhea liberatos, etiam per laboriosum illum paruæ pilæ lusum. Balneis aquæ potabilis non tam fiderem, potius sudationibus siccis dictis, & per vaporem herbarum aquæ incoctarum excitatis in lecto concluso, illis enim totius corporis ambitus exsiccaretur, & melius alimentum sibi conficeret.

Atque hæc de morbo ipso, seu eius causis tollendis. De dolore enim nihil videtur superesse dicendum, quoniã causis remouendis necessariò abiturus sit. Interea verò si vrgeat & postulet, quæ Medicis obscura, absconditaue non sunt, per balnea quidem & suffitus ea commodè dabuntur. Suffitus verò commodissimi, quia sapide ignito illisque insperso, quibus balnea anodina parantur.

Præterij ego aquarum thermalium potionem, quoniam hoc anni tempore hyberno nimis longa expectatio remedij excitaretur. De illis tamen deliberatio erit habenda suo tempore.

De febre continua cum tussi, & spiritus angustia pro nobili Alensi adolescentula.

CONSVLTATIO CCX.

VIr doctissimè ægrè admodum ego ad hoc consilium accedo, cum in hoc morbo nihil effici vllis remedijs posse dubitem. Vbi tamen cogito, quoniam humanum est nullum deserere consiliũ in re præsertim tam magna, vt vita est, & in humanis nunquam futuros exitus certos esse, Ego de morbo hoc, & de illius remedijs dicam quæ iudico & vera, & illi profutura, Hic in adolescentula iam nupta febris putrida est, quod vrinæ crassæ, coloratæ, quæ antea etiam crassiores fuere, pulsus inæquabiles, etiam breui spatio imbecilli facti, caloris modus, & multa alia ostendunt, Cuius putredinis causæ illæ communes necessario subsunt, vt obstructio, vt humorum propensio ad corruptionem, vt etiam partium continentium, & recipientium humorem infirma vis.

Propria autem sunt humor pituitosæ maximè naturæ, si caloris modum, si vrinas, si pulsum spectemus, nam subflaua vrina est, non admodum lucida & crassa, pulsus parui & molles, crebri, non ita multum celeres. Calor mitior, quibus longitudo etiam morbi, & tarditas accedendi, increscendique conguit, & febris quotidie increscens post meridiem. Locus putrescendi non videntur esse magnæ medij corporis venæ, cum pituita in illis locis contenta non ita facile sibi meatus obstruat, & minus vbi tantum spiritus & caloris est, facilè putrescat, quin potius tanquam naturæ thesaurus seruetur à putredine, & concoquatur, nisi tanta copia eius sit, quanta certè corpus vniuersum frigidius postularet, si principes locos teneret, neque enim ab vllis partibus nisi valde frigefactis fieret tanta, neque in vllis consideret, quin illas admodum refrigeraret. Minus principes partes essent factæ frigidiores, quin cum toto corpore malum fuisset communicatum. Intra venas quidem putrescere potest, sed non medias, verum alicuius partis à medio remotiores.

Hic thoracem affectum videmus, nam spiritus an-A gustus est, & creber, quo parum attrahitur. Tussis est & sputum vitiatum, genæ rubent, quare discernendũ modo est, nam in cauitatibus an in continentibus partibus putredo fit. Cauitates sunt venæ thoracis, cauum ipsius, vasa pulmonis & arteriæ asperæ,

Continentes partes sunt thoracis structura, & pulmonis corpus. Si humor putresceret in structura thoracis, quod facilè non solet fieri, quando humor pituitosus est, necessariò dolor moueretur, quoniam ea, quibus thorax coagmentatus est sensu prædita sunt, vnis ossibus internis, & cartilaginibus exceptis, quæ recipere eam materiam, aut putredinem non possent, internis dixi, quoniam externæ ossium partes affectæ esse sine sensu non possunt propter periostia sensus acerrimi, aliæ partes præter ossa, & cartilagines sentiunt omnino, sunt enim membranæ, fibræ & carnes.

B Dolor verò nullus est in cauitate ampla thoracis, minus materia putrefieri videtur, cum febrem tam insignem faciat, quo & obstructionem maiorem, & vias inferendorum vaporum in cor certiores requirunt, quã a cauitate thoracis in cor ipsum exiitant. Nunquam certè vidi tam insignem febrem ex materia in cauitate thoracis putrescente, etiamsi fuerit plurima.

Præterea quoddam indicium ego mihi obseruaui & ratione confeci, quo videor posse internoscere materiam, quæ est in cauitate thoracis ab ea, quæ est in pulmone, & aspera arteria, nam cum locus spiritus recipiendi sit ipsa arteria cum ramis suis, Quoties arteria cum ramis suis angusta non est, sed cauitas thoracis referta humore est, spiritus multus attrahi potest, si thorax latè admodum distendatur, vt fieri potest, nisi doleat, latitudo namque distensionis restituit locum, quẽ

C humor ibi considens detrahit, Vnde nisi dolor subsit, nos maximam dilatationem thoracis & laboriosam in ijs videmus, quibus thoracis cauitas tantummodo completa alieno humore est.

Contra eum aut pulmones consumpti, vt vidimus sæpè, aut arteriæ meatus conferti, aut vrgente pulmonis tumore arctiores facti sunt, tunc natura dilatationem thoracis tam multam non potest tentare, nam cum primum cauitates arteriarum repletæ sunt, animans dilatare thoracem amplius non potest, cum frustra id faceret, potius crebritate restituit, quod breuitate amittere coacta est, Ergo non cessante natura thoracem dilatarem, donec arteriæ repletæ ingressum spiritus respuant, si liberæ, si a pulmonibus non compressæ sint, plurimum spiritus possunt admittere, quia

D cauitate thoracis impedita dilatationem thoracis maiorem facit animans, si non liberæ sint, si a pulmonibus vrgeantur, cito replentur, cito dilatatio finienda est, quod in hac ægra conspicimus.

Cum itaque anhelatio magna hic non sit, materia in cauitate thoracis non est. In vasis pulmonum non esse quoque id oſtẽdit, quod pulsus non sunt tam inæquales, quam requireret materia pituitosa constituta in vasis illis infarcta.

Præterea non faceret hanc spiritus angustiam intra vasa pulmonum coercita, quod ego sæpe obseruaui, nam cadauera aperui, quibus pulmo durus factus inflãmatione esset, & dum acuta febre vexarentur, vix po-

E strema die spiritus angustiam sensere, qua tunc extincti sunt, quod postrema tantum die natura coacta sit a copia ingruentis sanguinis emittere in corpus pulmonum humorem, qui dum in vasis eorum putresceret, angustiam spiritus non faciebat. Ergo angustia hæc spiritus, qua parum spiritus excipitur, indicat asperas arterias, aut eo humore impeditas esse, aut a tumore pulmonum vrgeri, Ac cum ea materia febrem faciat satis validam, Metuo ego tumorem pulmonis efficere, nam neque facilè pituita in arterijs putrescit, neque ibi putrescens tantum feruoris cordi solet inferre. Facilè verò est pulmones inflammatos esse, cum putredinem caloris matrem contineant, cum imbecilles, & laxi suapte vi sint, & in meatibus suis facilè crassum humo-

humorem comprehendant vi excretrice semper debili affecti. Infarctum ergo pulmonis corpus est, & humor sic sibi meatus obstruit, & facilè loco tam calido perflatu priuatus feruet ac putrescit, Vnde suo corpore intrusus tumentes pulmones faciat, & per ipsos arterias comprimat, & exigui spiritus capaces reddat, quo vel si tussiat præ exiguitate spiritus accepti inanem quẽdam tussis motum in sublimi tantum parte non in alio pulmone faciat, qui pharinge tantum, seu laringa concutiat, Vnde futurum etiam sit ne vocem edere valeat, quod in multis peripneumonicis videre est.

Ex putredine verò anhelitus infectus, & spiritus cum corde communicandus feruefactus febrem, insignem mouet, quo feruore pulmonum malæ, seu genæ tãtopere rubræ existant, vapore sanguineo a vasis thoracis feruore pulmonum concalfactis facilè faciem petente, nã alioquin pulmonum vasa admodum distincta ab omnibus corporis vasis sunt, vt linguam quoque rarius infici in febribus ad pulmonem pertinentibus videas, quã fiat ab ijs, quæ ad iecur & ventriculum sequuntur.

Ex eadem putredine videmus sputa purulenta excerni, quamuis magno cum labore, & linguam aridiorem existere, quæ ad destillationem, quæ etiam febrem moueat, non solent valdè sequi, & debent Tuam Excellẽtiam de sententia remouere. Surda sub hoc morbo ad huius increscentiam paulatim facta est, quod non credo ego esse, sicuti in multis euenit, quibus destillatione in fauces labente, & quasi locum sub auribus comprimente surdastri interea fiunt, donec excreatu fauces eo lento humore liberatentur, nam illud breue vitium est, & destillationem manifestè sequitur, potius causam in hac ægrota ab halitu ob thoracis feruorem ascendente, & capùt replente, vnde concretior factus in organũ auditus demitteretur.

Morbo ergo in pulmonibus posito, non est mirum si dolor ad thoracem non pertinet, neque enim semper vna cum eo, eiusque membranis succingens quoque, & inter sepiens thoracem membrana inflammatur, ichoremque inflammationis recipit, quod sæpe factum vidimus, vbi conglutinatos quoque pulmones ipsi succingenti in apertis cadaueribus inspeximus, possunt enim pulmones ipsi rumere inflammatione, & tunica eorum erisypelate corrumpi, & ab illis separari, succingente tamen minimè attingente inflammationis vi. At quo progressa non generationis, sed genitæ ætatis suæ inflãmatio hæc est. Si putredo hæc in genere maturationis esset, hoc est calorem suum tanquam instrumentum naturæ accommodatum haberet, crederem ego morbum summum incrementum iam attigisse, & per excreatum iri solutum ipsum morbum.

At vereor, ne putredo in corruptionem a natura alienam declinata sit, vt non vigentem in summo putredinem, sed maius adhuc incrementum accepturam denotet. In his enim morbis, in quibus putredo coctionem non molitur, nõ video, quomodo tempora sint vlla præter ipsum incrementum. Metu ego hoc moueor, quoniam nõ video ex hac putredine vires sustineri, quæ vires ex ea maturatione ptopter alibilem vim, quam inducit, in humores solent alescere & refici, nam maturatio illa necessario est coniuncta meliori concoctioni humorum, qui in putredinem non sunt rapti, sed per eã maturationem calorem insitum recuperarunt, & ad cõcoctionem reuocati sunt, ita vigente putredinis maturatione, vires ali incipiunt, & valentiores fiunt, vt morbo vigente sæpè ægrum firmiorem inueniamus, quod in vlceribus, cum maturescunt meliori nutritione videmus. Pulsu ergo vt refers infirmo hodie magis, quam hesterna die esset. Ego maturatiouem hanc esse non facile existimo, potius vereor, ne sputamina, quumquã non mali coloris sint, sordida breui futura sint & fęda.

Præterea in vrinis coctio venarum proba non intelligitur, quæ, si in pulmonibus facta putredo maturaret humorem, in venis quoque esset non peior, notasque suas in vrinis haberet, Quare, quod in sputaminibus

A maturum videtur, id potius p putredinem est, quamuis nõ tam vitiosam puttredinẽdenotet maturationi vicina sui specie, quem metum mihi auget virium imbecillitas, quæ maturationem efficere non potest.

Sed quid agendum expositę hæ morbi partes, & causæ indicant. Materia, quæ in pulmonibus est, & illa, quę concalescentibus illis in ipsos attrahitur, sui detractionem monet. Putredo si quid inde præceps immineat, donec materiæ abolitio paratur, sui quoque emendationem, & conuersionem in melius genus. Cor eflagitat sui tuitionem, ne a propinquo malo contagione labefactetur. Vires etiam, quibus & durare, & materiam expellere possit, omnino sustinendæ, reficiendæque sunt. Nam, cum materia, quæ in pulmonibus est ferè per spatium eijcienda sit, viribus valentioribus indiget, vt in

B os promittatur. Cibus itaque mihi probaretur mediocris modi, & si tenuioris materiæ, quo crassitudinem humorum non augeret, eam potius extenuaret, & tamen vires reficeret, aut certè sustineret, Nam vt dixi iam initium mali præteritum est, & incrementi maxima pars transacta, vt si ad salutem malum tenderet, iam putredo summam vt dixi attingeret maturationem, & sputum esset promouendum, Neque etiam vinum ex Hyppocrate denegandum. De quo tamen vino nunquam auderem quidquam concedere, hoc statu morbi tam suspecto, in quo & putredinis vitiositatem & assiduam materiæ accessionem verear. Aquam quidem ex hordeo darem, qua sputum iuuaretur, nec tamen materia multum moueri posset.

A toto corpore interea humores superuacuos sub-

C mouerem, & in contrarias partes retraherem vel sanguinem ipsum, ac viribus timens per cucurbitulas primò artubus affixas id molirer. Longius etiam progresso morbo eas partibus propinquioribus affigerem non eminentibus seu fæmoribus, sed dorso, & costis ipsis, quo præcipuè a medio corpore malus anhelitus putredinis ad externas partes retraheretur. Postea cucurbitulas quoque sine ferro repeterem ad idem moliendũ, cum iam satis sanguinis ego detraxisse crederem. Idem molirer frictionibus ex oleo, & nitro, illitionibus discutientibus ex oleo anethino, de semine lini, liliaceo, & amygdalino pinguedinibus etiam admixtis. Ex vnguento pectorali dicto cum paullo vnguenti dialtheæ, cum cimini puluere, succum cæpe addere aliquando ego soleo, quæ non localia dicta, sed reuellentia & auer-

D rentia ego ducerem.

Medicamentis præterea intus acceptis idem contenderem, tametsi leuioribus vterer, vt diasebesten solutiuo, diacatholicon, manna, cassiaque nigra, quibus fortè commodè ad ℨ.3. succi iridis recentis quidam adiungunt, & in decoctione pectorali dicta dissoluunt, quæ medicamenra non semel, sed iterum, & tertiò darem, viribus non renuentibus, ac medijs spatijs materiam pararem, putredinemque reprimerem & cor confirmarem, ac tuerer, vt syrupo ex melissa, ex scordeo, ex nymphea, violis, & scabiosa, permixtis sputum quoque iuuãtibus, vt ex hysopo, radice dulci, & iuiubis, & eundem syrupis, in quem vsum Eclegmata similia præciperem, quibus oxymel immiscerem ad materiei incisionem, prædictosque syrupos tum penidia, &

E saccharum. Quod si morbus longius traheretur, fortiora etiam eclegmata pararem, de quibus suo loco erit determinandum.

Circiter octo dies traxit malum, ipsaque interijt.



De podagra cum febre pro illustri Gottardo Murario.

CONSVLTATIO CCXI.

Podagram in viro septuagenario, cui ipse assueuit, quaque non multi laboris est, ego non plurimi facerem, Præsertim, cum iam inclinata sit. Febris mihi multam affert suspicionem, aqua sitim eam eximiã esse crederem quæ non nisi superatur febre tolli poterit. Neque enim video tantum vrinæ profluuium, vt ei sitis culpa attribui debeat præsertim, quod iam multis annis is illi familiaris est. Febris ergo potissimum ratio habenda, cuius natura & causæ mihi videntur satis constare. Nam is hoc vere præterito demissioni suffusionis se se B subiecit, sub qua satis multum & diu laborauit, ac cum non satis expurgatus fuisset, mali humores deteriores facti per abstinentiam sunt, sicuti per intemperantiam quoque solēt augeri, incidit in oculorum inflammationes valde longas, à quibus longa purgatione & abstinētia, & potionibus salsæ patiliæ liberatus est. Quæ res effecit, vt huius ætatis corpus ea abstinentia, & purgationibus confectum, cum subitò ad suæ vitæ modum priorem redierit, non vt iuniora corpora potuissent, bona carne refertum sit (experiemur enim post abstinentiam & famem iuniora corpora crassiora & pleniora reddi) sed more seniorum crudis potius humoribus imbutum est, Vires namque senum non ita celeriter resumuntur. Huic verò malæ repletioni alia incommoda sunt subsequuta, Vnde maximum detrimentum cæpit, C nam animi insolitæ perturbationes propter accusationes in filios & eorundem inimicitias ipsum habuere, Interea tamen Veneris vsus occasiones crebriores ipsum exagitarunt, Vnde crudæ illæ materiæ ad cor & renes raptum cæpere, & in omnem corporis etiam habitum, sic vndique obstructionis & putredinis causæ sunt concitatæ, & quamuis podagra eum protinus molestare visa sit, sola tamen in eo malo, aut potissima non est, quoniam febris in toto corpore causam suam confusam & multam habens princeps & periculosa est. Cuius demū effectus causa ea valentissima fuit, quod nocte quadam sine solito vestimento in maiore conclaui apertis fenestris à parte fluminis moratus, dum diutius expectaret de fenestra quendam videre, qui ea nocta ad supplicium ducendus esset & de ponte in flumen deturbandus. D Sequenti namque die frigore arreptus est, & subinde vomitu, atque Podagra. Et meo quidem animo vna febris cum his affuit, quamuis Vir Excellentissime afferas ei pulsum à statu naturali minime commotum fuisse, nam nunc quoque febris insignis subest, in decimo nempe ab eo frigoris die, & somnus ille hesternus diei torpidus, mentisque hebetudo, quæ eam necessario febrē sequuta est, febris autem non podagræ dolorē consequitur, cum non ita magnus sit, quanquam maior esset, quam hodie sit, sed totius corporis vitium, vix enim rubet sinister pes, dexter verò minime, vixque dolet, si moueatur, Minus totum corpus & cor afficere valet. Præterea vrina crassissima est, & si non valde colorata & multa, multum humorem crudum efferr, non renum E culpa, cum ij minimè graues sint, aut caloris sensum, aut alterius molestiæ faciant partibus circumpositis, sed humoris à putredine confracti, & dissipati in venis etiam in maioribus, quæ sanè crudo humore confertæ esse indicantur, cum totum corpus, tametsi febris subsit, rarò tamen calorem sentiat, potius toto die frigere se ipse dicat, vesperi serò admodum incalescat, cum totius corporis tanta grauitas sit, vt sustinere se nequeat. Pulsus quidem nec admodum celer, nec admodum creber est, sed humore frigido & crudo in senc aliter habere non potest, sæpe etiam intermittit, quod cum senum complurium, tum naturæ suæ attribuitur, cum frater eius bene valens eundemmet pulsus defectum habeat. Verum ille non iacet, non abstinet, & negotiatur, hic quiescit & ab

A stinentia vtitur, quare pulsus rarior ita intermittens esse deberet, maximè quod calor febris solet pulsus de intermittentibus ad non intermittentes reuocare. Sit ergo febris ex putredine crudorum humorum, vt corporis calor mitior, vt vrinæ, vt pulsus vt neruorum certa debilitas, indicant, Vnde turbidæ vrinæ breui spatio demittant in fundum crassum quoddam lentum & album excrementum, & lingua etiam liueat cum albedine quadam & sordescat, etsi quotidie calore putredinis inualescente nigrior fiat, vt vrinæ quoque coloratiores, & pulsus concitatiores, & minus intermittentes, Vnde calor, qui primis diebus quinto quoque die erupit, iam tertio quoque die, & quotidie demum id facit. Semper verò sumendo cibo ruborem in faciem suffundat. Qua natura febris & ætate proposita, ego malè sentirem de hoc morbo, & omnibus viribus materiam paulatim pararem, & detraherem non valentioribus, vt ab initio factum est, Vnde in syncopem ipse ceciderit, crudorū humorum copia in Vētriculum ingruente, sed leuioribus. Pararem maximè Betonica, Oxymele, Neque podragram metuerem, imò mallem eam concitare, nam auertetetur materia ea cum salutis aliqua spe, Melle etiam Rosaceo. Materiam detraherem Diacatholicon, Diaphenicon illo ad ʒ.6. hoc ad ʒ.3. Coctionem frictionibus pariter procurarem, neque vt dixi podagram respicerem. Aluum mollem seruarem clysteribus, & eo genere pilularum, quod ipsi in vsu est, nempe masticinarum. Ratio victus extenuans esset, ex hordeo maximè, quo ipse plurimum delectatur, incocto paullo cinnamomi. Pultem ex pane non ita probarem, quoniam crassioris generis est, maximè quod etiam ouum imponunt. Vinū modicè darem, cum liberaliter eo vti consueuerit, aqua multa diluerem, cui incoctum esset aliquod faciens ad pituitam percoquendam. Si somnus molestet a capite omni remedio materias auerterem.

Circiter vigesimumtertium diem interijt sopore.

De pruritu.

CONSVLTATIO CCXII.

Pro Reuerendo D. N.

Potes vir admodum Reuerendæ, dummodo pruritus re vt cępit crucietur, quam soles, purgationem subire, & inter hanc in decoctione quam syrupi vicę propinas non modo borraginem, & cicoream, verùm & violas, endiuiam, hordeum, iuiubas, pruna, & liquiritiam infundere, & per tres saltem vices pharmacum sumere, eoque loci vbi vrget pruritus partem fouere balneo aquæ dulcis, in qua maluas, rumices, violas, hordeū, furfures, & factum milium ebulierint. Cæterum pharmacum quod aliàs tibi auxilio fuit illud est.

℞. foliorum senæ electæ ʒ.3. radicis polipodij ʒ.s. passularum ℥.s. liquiritiæ rasæ ʒ.1.s. cinnamomi ℈.2. cariophyllorum ℈.1. anisorum ʒ.1. fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ communis, quæ coletur, & exprimatur. ℞. rhabarbari infusi ℈.4. diacatholicon ʒ.6. syrupi rosati solutiui ℥.2. mannæ electæ ℥.1.s.m. & cum supradicta decoctione fiat potio.

De febre continua cum duritie præcordiorū, & virium infirmitate pro Comite Marco Antonio Seratico.

CONSVLTATIO CCXIII.

Si rectè accepi, quæ a vobis narrata & exposita sunt Viri peritissimi, si rectè considerani quæ in ægro nostro illustri sunt, ego video quædam vetusta esse, quædā noua. Vetustæ sunt viscerum obstructiones, ex illa diuturna

rutna febre relictæ, noua est hæc febris, erisipelas, & qd pessimum est virium imbecillitas. Vetera illa longissimum spatium postulant, quod ab ijs quæ noua sunt con cedi non videtur. Propterea de his, quæ vrgent, neque inducias dant hac consultatione determinandum est, vetera autem in censu tãtummodo causarum habẽda. Ergo noua expendenda sunt, erisipelas inquam febris, & virium imbecillitas. De erisipelate Domini ego nihil anxius sum, quoniam quãquam a vobis determinatum non sit, an febrem faciat, an sequatur, ego video quasi oculis ipsis febrem per se esse, neque ab erisipelate pendere, quomodo enim, tam perniciosa febris vires, tam opprimens, ex erisipelate, tam leui, imo ex colore quodã sine tumore vix cutem inficiente, & vix calorem haben te fiat? quo modo tam longæ pulsuum compressiones, & caloris ad medium concursus extremis relictis identidem fieret, si materia putrescens, febremque pariens in cute ipsa extima sine tumore versaretur? Quomodo vrinæ, tam turbidæ, tantæque putrefactionis indices emitterentur? Quo pacto fieri posset, vt crescente erisipelatis colore febris remitteretur, & febre crescente ille mitescetet, minueretur que.

Præterea rubor ille inconstantissimus est, modo vnã, modo aliam partem suffundit, & breui vbique manet, febris vero continua est, & semper grauis, iisdem semperque vrinis, & pulsibus vno compressionis tempore excepto, si cõpressio est illa, quæ identidem in certis horis eum diu tenet, sub qua tamen preter compressionem nihil habent pulsus a statu suo aliorum temporum diuersum.

Creberrimi siquidem ibi sunt, imo imbecilliores, sicut alijs temporibus imbecilles, atque sic crebritate sub vigente febre retenta, parum postea minorem crebritatem habent in remissione, quæ sanè obscura est. Mitto itaque erisipelas, neque ipsum quidquam æstimabo, nisi tanquam casus, qui febrem sequitur, vt maculæ in malignis febribus faciunt. Non possum ego laudare vos, qui ei, tum poscam, tum polentam ex posca adhibuistis, quæ reprimere ipsum intus potuerunt. De febre ergo, & de viribus sollicitudo mihi maxima est, quoniam vires infirmissimæ mihi videntur, quarum infirmitas a febre octodecim dierum non fuisset, nisi febris malæ, seu malignæ naturæ, omnino esset, quoties enim videmus febres has multo acriores, valentioresque ad se se menses traxisse, ad annosque peruenisse multas, & tamen vires non adeo infirmasse. Itaque cum a vehementia caloris id non sit, minus a cibi ægestate, necessario a putredine mala fuerit, quæ tum sui vitio, tum visceris præstantia, in quo fit, tantam viribus offensam afferat. Quare cum vrinæ quoque subiugales sint, & multam in eo humore perturbationem esse indicent, cuius colamentum vrina est, necessario suspicandum est, ne sanguis quoque perturbetur, neue ea putredo, aut in iecoris ipsius venis, aut in maioribus medio corpore contentis sit. In iecore esse ea suspicio est, quoniam tensa sunt hypochondria non solum ad lienis partem, sed aliquantulum etiam ad iecur pertinentem, imò dolor excitatur, si hypochondrium manu vrgeamus. Sunt aliæ coniecturæ non leues, quarũ illa non est prætereunda, quod cum laborasset antea totos viginti menses ex iecore vna, & liene accepit potiones, quibus incoctum esset lignum illud sassafras a Gallis dictum, ab Indis Pauane, sic consulentibus Medicis Patauini gymnasij, & eas quidem diu, postea etiam diu vinum diluit aqua, cui pariter idẽ lignum incoqueretur, ex quibus rebus summam visceris vtriusque, & maximè iecoris noxam subesse, & infirmitatem arbitror.

Nam ex morbo primo labefactatum, deinde vero ex remedio solutum nimis viscus fuit, cum lignum illud calidum, & discussorium admodum sit, nullam verò eiusmodi habeat adstrictionem, quemadmodum viscera postulare principes Medicinæ authores constituerunt, ex quo absynthium, agrimonium, cappares, asplenium que, tam apta visceribus affirmarunt, & in vsu habuerunt, & medicamenta, quæ cum vi discutiendi nihil adstrictionis coniunctum haberent, omnia suspecta esse admonuerunt.

Propterea, quod viscera lãguidiora inde, & infirmiora essent euasura. Sic non obscura coniectura est hæc, quam proposui, iecoris infirmitatis. Cum quo vniuersi corporis vis retentrix etiam aliquid detrimenti acceperit, ex quo factum sit, vt sanguine crasso admodum facto, si quæ partes vi febris in bilem vertantur, illæ effundantur in cutem, vt ut impetum acceperit, & speciem faciant erisipelatis, tumorem scilicet, vt dicitis vos calidum, rubrum sine multo dolore, neque admodum multum distendentem, cuius certè aspectus solo colore con stare, & obscuriori videtur. Ex quo non licet inferre, quod materia, cuius putredine febris fit, eiusdem cũ hac naturæ sit, & biliosa, quoniam non solum, vt dixi febris ab erisipelate non est, sed neque a bilioso humore, vt potiori parte, imo plurimum pituitæ sibi habet admixtũ, atque etiam melancholici humoris, vt diuturnitate incommodæ valetudinis potest coniectari, & ex remedijs per calorem extenuantibus nimis diu adhibitis, quibus ex Galeno venæ exsiccatæ, potuerint sanguinem quoq; exsiccare, & crassum, ac melancholicum reddere, ita obstructiones facilè effectæ sunt, & putredo in pituita, & melancholico humore, & bile concitata est, in partibus præsertim infirmioribus, quemadmodum est iecur. Ex quo sic malè affecto, & feruore, ac putredine vexato non alimentum, vt deberet, sed vitium alijs partib. aduenit, quare non solum febris admodum vitiosa, sed virium detrimentum maximum inde existit. Quæ vero putredo cum nondum ad maturationem inclinet, suspicio maxima est, ne viribus continentium partium infirmis, & minimè valentibus regere, ad corruptionem, & sorditiem vergat, vt vergere iam inditium est dictum, quare in morbi initio etiamnum sumus, dummodo per vires salubritas speranda sit, nec, & propter earum defectum irreritum vereremur.

Quibus sic constitutis sequitur, vt quid agendum sit, iam deliberemus. Vires potissimum sui rationem exposcunt, humor concoctionem, qua putredo sistatur, & humor ad eductionem pareteur, ac cum crassus sit incisionem, extenuationemque, cum lentus detersionem, cum frigidus leuem calorem, cum putridus leuem aliquam exsiccationem. Febris enim ratio hoc est caloris, & siccitatis non est multum habenda, quoniam febris admodum lenta est, quanquam magna dici potest, quoniam putredo, quæ suam naturam continet est magna. A ratione primum victus ordiar, vt quid, qualem, quantum, & quibus horis dandus sit determinetur. Minimè tamen ego cibum darem, benè sanè extenuantem, quoniã materia aliena ab alimento est, & cruda est, & longe distare summum febris incrementum significat, & sui extenuationem postulat. Ea quamuis pituitosa sit, non tamen eius generis est, vnde sanguis per abstinentiam fiat, quoniam crassa admodum, & minimè naturalis est, quare ego acetum in suis sorbitionibus iniungerem, exiguo quidem modo, ac quantum gustui placeat, maximè vero cum ouis, quoniam ea nostris temporib. etiam in morbis, quibus pituita quoque subest in vsu habentur, eorum namque lentori acetum idoneum est. In summa illud cibi genus prescriberem, quod Galenus in tertiana notha proponit, quod incidat sine multo calore, vnde ipse cum ptisana ponit piper, quo nos non egemus cum solis carnium contusis cum mica panis ipse vescatur. Acetaria quoque non præterirem. Cappares tamen tanquam calidiores fugerem, & vt nimium etiam in crudo morbo diureticos, cicorea vno contentus essem, & mala etiam apia in pituitosa morbo suspecta haberem, vt etiam limonis succum, quanquam incidit.

De potione difficillimè ego possum determinare, vires infirmæ vinum postulant, morbus sua cruditate id renuit. Ac quando vires non vino vno possint recreari, vinum vitare, tutius esse crederem, ac si solatiũ aliquod ex il-

ex illo illi concedendum esset, id tantum darem, ex quo panis offa esset madefacta, nc tantam vim mouendi haberet. De tempore cibi illud animaduerterem, quod vna die febris bis videtur increscere, altera vero semel tantum, & Hemitritei speciem seruare propter materiæ diuersæ confusionem, quanquam quæ tertianam facit, ex mixta quoque materia fiat, vt etiam, quæ quotidianam, vnde non seruat proptias, & expressas hemitritei notas.

Mitto, quod humoris melancholici permixtio obscurat eas casuum species, quas pituitosa, & biliosa febris efficeret. His animaduersis horæ cibi dandi erunt intercipiendæ, vt quam longissimè à principijs incrementorum detur manè hora decima tertia, vesperi hora vigesima secunda, cum noctu ad quartam horam febris altera incitetur, si modo dicta seruentur tempore. De reliquis Medicis instrumentis, ego manum non adhiberem, vt sanguinem mitterem, cum neque vires ferãt, neque morbi etiam natura a sanguine valde longinqua nisi auertendi gratia hæmorrhoidarum venæ, quæ illi solent aliquando intumescere, & hiscere sæpe, aperirentur, hirrudinibusque inde sanguis exprimeretur, quod in modo exiguo certè facerem, neque erisipelatis hinc inde emergentibus ego hirudines, tam multas darē, cum iam tot datæ sint, quoniam sanguinem tenuem eliciũt, vnde crassior relictus longè durior in natura fiat, quem enim ex hæmorrhoidibus educunt, ille minus præstans est, & minus tenuis, quare nisi cum in caput erisipelas reperet, ego ad auertendum impetum inhibendumque vix aliquam in infernis partibus applicarem. Medicamenta solummodo parantia humores præciperem, nam crudi penitus sunt, quia non solum coctionem incidendo abstergendoque facilem redderem, sed leui etiam aliquo calore iuuarent, putredinem quoque cohiberent, ex infinito autem numero, ego melissam, cichoreamq; componerem, quo vnius calor alterius temperamento mitigaretur, vtrumque vero abstergeret, & calore leui concoqueret, quibus agrimoniam etiam adiungerem ad incinonem, viscerumque vim tenendam, maximè, quod ἐπιφάνως, minimè calefaciat, hordeum ab his non remouerem, ac quando ita vobis placeat, semina quoque melonum, vt abstersiua, quanquam oleosa componerem, crudaque in iure hæc ponerem, illa verò incoquerem, & mane darem. Si putredo ad maturationem conuerteretur, tunc de humore paulatim, vt concoqueretur detrahendo, ego deliberarem, quod expectandum non est, ni vires diu, multumque humoribus præstent, quare etiam de vino aliquid indulgendum in summa virium necessitate consulerem, quod sanè augendis uiribus potius iuuaret, quam morbo concitando læsurum sit. Dixi.

Quidam Medicus audax, & gratia nobilium elatus, artis ignarus maximè resistebat, quod mihi pituitæ esset in eo malo, quoniam febris esset tertiana esquisita, quod probare se putabat firmiter eo argumento, quoniam accederet tertio quoque die sine rigore. Ego obstupui maxima cum nemesi, respondique quod cõtinua esset febris, & putredo, vt ex curenis ostendebatur in venis, & in materia crassa, cuius crassæ materiæ nota ea esset, & quoniam diu exteriora frigida erant; quotidie certis etiam, vt ipse dicebat horis, quoniam materia nõ poterat præ sua crassitudine cito inflammari, incendive, tantum vero abesse, vt febris, quæ sine rigore accedit, esse esquisita, quod contra omninò esset inferēdum est sine rigore, ergo non est esquisita, dato quod intermitteret, subiungentique mihi, quod non erant reprimentia apponenda erisipelati, annuit quidem, sed subdidit, imo acetum cum polenta impositum fuit ad extrahendum, dicenti mihi id extrahere non posse, refrigerare quidem exiccare, & reprimere posse, respondit Galenum erisipelata solis refrigerantibus curare, ibi ego iam festidiosus factus vix potui repetere, nos hic habere nothum erisipelas, non simplex, & exquisitum erisipelas, & quod in medio corpore esset, curare debere, cum Medicus vitã primò quærat, & quæ illi magis officiunt, tollere teneatur. Medici magni nominis, qui intererant consultationi, vultu saltem ei fauere videbantur.

Hic ęgrotus vigesimo septimo die finito penitus eadem hora, qua laborare incępit extinctus est, quãdo prima morbi accessio fuit, quæ fuit cum cibi quadam cupiditate, & animi deliquio, cuius causa cum cibũ sumpsisset exiguum fastidiuit statim, & febre arreptus cum horrore vita functus est. Mente semper ad extremum constitit, visu pridie, aut tertio antè mortem die hæbetioni facto, & mouendi vi debilitata. Pulsus crebtiores semper effecti sunt, vsque ad tertium ante mortem diem, inde potius minus crebri erant, quanquam exigui & infirmissimi. Spiritus cadaueroso odore fuit multis ante diebus, at eum odorem intermiserat, duobus verò postremis diebus perdurabat adhuc fędior. Vrinę postremo die aliquanto minus infectę, minusque crassæ, & minus perturbatæ tamen non multo. Aluus nũquam a naturali valdè diuersa fuit, liquidior quandoque tantummodo.

Illustris hic vir, quo curaret tumorem in hypochondrio sinistro, qui meo quidem animo ad iecur potius pertinebat potionibus ex sassafras, & subiecto igne sudores maxima vi mouebat, Medico sic suadente, ad pilulas ex mirrha, assaro, aristolochia, spica indica, schenantho, seminibus capparorum seminibus apij, & petroselini coactas ex aceto scillitico acceperat. Emplastra supra locum affectum ex stercore columbino ex nitro, sulphure, baccis lauri, & alijs eiusmodi tenuerat, dum vinum etiam biberet cum eodem sassafras.

De febre cum maculis pro Illustri Comite Francisco Turriano.

CONSVLTATIO CCXIV.

RES certè sic habet Illustre Medici, neq; aliter possum de ea iudicare, minus certè vellem delectum remediorum a vobis expositorum mihi fuisse delatum, quoniam hoc vobis potius esset attribuendum. Morem tamen retinebo, & dicam non inutiliter non quasi noua afferendo, sed eadem, quæ a vobis exposita sunt, iterum eo commodo repetendo, vt trita magis sub oculis clarius constent, suique prouisionem apertius, & distinctius ostendant. Euenit hoc picturis, quæ diuerso lumine identidem perspectæ melius cognoscuntur.

Rectè constitutum est corpus generis calidioris & siccioris esse, quantum ætas adolescentiæ patitur. Edax admodum fuit, & inde Ventriculi & capitis noxa, vt curatione pro suspicione epilepsiæ, indiguerit. Verũ quod consuetudinis est non solet hac ætate detrimenti esse, quanquam corpus humoribus crudis infarserit, quod plus fecit, idest, quod ipse superioribus diebus intemperantiam adeò auxit, vt vix credatur, quoties in die deuoraret, potaretque in medijs laboribus, quo præter cõsuetudinem suam obiret in ludo armorum & publicis pompis, & continenter totosque dies personatus incedendo. Ex quibus nõ potuit, non nimium impleri corpus, nam labores artuum, vt ipsis artubus alendis, replendisque & firmandis idonei sunt, sic ventribus ad concoquendum alieni sunt, & coctionis tempore adhibiti tum coctiones impedierunt, tum venas iecoris & ambitus corporis & etiam pulmonis, arterias omnes crudiori sanguine explerunt, eoque magis, quod post cæli tempestates humidiores, quanquam sine pluuijs omnino nebulosas tota hieme perdurantes sequutum est veris initium si Romanum antiquum morem sequamur hoc Februarij mense serenum & boreale, Vnde angustioribus factis meatibus, renuiorique frigore intus humores constringente, qui tempestate superiori facti sunt valde humidi, & corruptibiles, maximè cum corpus sit impedito humorum anhelitu repletius inde factum, & sic obstipatum vt iam multis

multis diebus in febrem incideret, sepe, demum in hanc deuenit, quæ ipsum cótinenter habet, sub qua calor multus non est, quoniam humores crudioris generis, tardique ad inflammationem diu patiuntur exteriora frigida esse, conflictari tamen corpus cogunt, quoniam ex putredine emittunt acriorem neruis & ventriculo molestam cum eo quod grauitate sua corpus onerant, & lassitudinem efficiunt, Quæ quidem lassitudo & pondus corporis ideò fit, quoniam ad carnem effusi humores eam minimè alentes lassitudinem solent afferre, quicquid enim non nutrit, onerat, quoniam animæ & vitæ compos non fit, neque enim putandum est sanguinem esse viuum, quoniam neque pinguedo viua est, quæ ab eo fit, per arterias verò diuisi locum spirituum occupãtes spiritusque efficientes hebetiores impurioresque suo corpore & halitu pondus corpori afferunt & pulsuum infirmitatem, feruentes verò in atterijs quoque sanguinem in eis contentum effundunt, & pro maiori & minori feruore, pro tenuitate effusi, eliquatique sanguinis maculas in cute excitant extruso sanguineo halitu per oscula arteriarum, Huius feruoris, & malæ repletionis indicium maximum vrinæ præbent, quæ etsi nondum perturbatæ sint, asperis tamen & multis contentis tempore aliquo post mictum in eneorema crassum se se cogentibus indicant se paulò post iri turbatas & crassas, quod fit cum serum sanguinis multo recremento refertum est, & feruet, multum enim excremẽtum vitiosam, & crudam multitudinem, confusum verò feruorem ac confusionem & spirituum infectionem denotat, qui cũ vincere materiam nequeant, minus possunt recrementa separare, cum infecti alieno spirituum genere tota illa confundantur, & ipsam cum sero permiscent, & sic fusam totoque sero explicatam & coniunctam cum ipso tenent, Atque de turbata & crassa vrina non preteribo, quod sicuti indicat putredinem non moderari ad maturationem, indicat & putredinem carere exustione, quæ calore exurente tam separat exusta recrementa, quam illa calore maturante concocta, Vnde tam in extremis exustionibus videas vrinæ excrementum residere, quam in perfectis coctionibus, tam in minoribus exustionibus magis suspendi eneorema, quam in minoribus concoctionibus, atque adeò in malis contentis vrinarum semper erit peius, quo magis fundum petunt, vt in bonis erit melius, At nondum turbata vrina est, sed vt dixi adest, quod solet perturbationem præcurrere. Iam materiæ crudæ copia & putredo, & loci, in quibus sint, cõprobata sunt, nam alioquin certa corporis sedes affecta non videtur, minus partem aliquam solidam & continentem affusam tumẽtem ve vllis indicijs agnoscimus, quale esset iecur, aut renes, aut pulmo. Restat vidẽdum, ad quod genus febrium hæc putredo referenda sit, vt morbus in capite aliquo certo collocetur, vbi præcepta curationis propria sortiatur, intra venas quidem, & arterias putredo cum sit continentem febrem facit, & quoniam nõ ipsius sanguinis est, aliquas leues accessiones habet, quoniam vero non bilis sola, sed crudus humor multus subest, propterea neque ardens febris est. At quo modo in maioribus venis putresceret humor ille, qui non potest sua copia tantus esse, vt sibi meatus, tam magnos occupet, vt calorem ibi copiosissimũ concoquentem vincat? Dico quod sui crassitudine potest semper deterior fieri, nisi putredo calori insito inseruiat materiam disrumpendo, frangendo, atque dissoluendo.

Præterea tanta est in hoc corpore, tanquam cum sanguine coniuncta, vt spiritus etiam, quemadmodum proposui, afficiat, & hebetet, & demum sibi meatus inuisibiles saltem vasorum obstruat, ponamus enim necesse est hoc corpus crudo penitus ipso sanguine esse refertũ, vnde putredo ferè ad sanguinem pertineat cum crudus humor sanguinis coniunctus putrescat, hinc malignam febrem esse fit, quoniam halitus putridi tanta copia est, tantaque humoris putrescentis cum corde coniunctio, & vicinitas, vt cor illis vaporibus obruatur.

A Præterea sanguine sic per coniunctam sibi putredinem vitiato vires infirmantur, quod spiritus refici nequeant, quod continentes partes minus alantur, vnde hac quoque causa maligna febris dicenda sit, quæ cum mitis videatur genere materiæ non multum acri incendium, minus multum afferrente, vires tamen infringat, ita & continua, & magna, & maligna febris est, multa etiam partes principes compræhendente putredine. At initio tertianæ formam seruasse visa est. Credo equidẽ, nam hoc sæpenumero fieri uidemus, siquidem initio incendij partes tenuiores incendium priores compræhendunt, crassioribus resistentibus, ut cum lingua in prunas inijciuntur, si flamma excitetur, priores festucæ, & arida foliola, & minutiora ligna, ac tenuiora inflammantur, citoque consumptis illis sua tenuitate flamma

B aboletur, incendiumque intermittit, at cum crassiora ligna ignem flammamque compræhendere, tunc incendium fortius, & diuturnius euadit.

Cum eo etiam euenit, quod cum in animantis corpore vires subsint humorem tractantes, expultrix initio firmior, valentiorque tenuiores uitiosi humoris partes circa initium putredinis compræhensas expellit, quæ sua percursione per carnes frigus, horrorem, aut etiam rigorem a Græcis dictum, & a nobis recepta appellatione etiam sic vocatum mouent, putrescentes uerò feruorem, ac febrem. Postea tanta sanguinis vitiositate vires infirmiores fiunt, & crassior materia intus relinquitur, & inde cum vires non possint materiam eijcere tum non continere, nec a putredine sustinere, illo spatio, vel per se vitiosa materia putrescit, neque loco mo-

C uetur, itaque quod loco non moueatur, febrem sine rigore, quod vero intra venas maiores sit, febrem continentem efficiat.

At quid futura hæc putredo, febrisque magna, & maligna fere, quorsum euasura? Res in ambiguo est, nam non videmus adhuc putredinem in meliorem modum hoc est in maturationem humoris tendere, imo contra mætus est, nam quanquam vrinæ vi substantiæ bonitate mediocres, sint, & solis contentis asperis multam crudítatem indicent, nec dum confusione vlla putredinẽ, tam vitiosam significent, tamen præsignificant, vt obseruaui, facile enim fit, vt super tanta multitudine crudorum, & putrescentium humorum, parietes continentium partium ea inficiantur, & ipsi quoque putredini quodam situ suo suffragentur, vnde perniciosa penitus

D fiat vincente humorum uitio partes continentes, non ipsis continentibus vitium humorum superantibus, non putredinis calore exhibente se se, vt instrumentum calori partium ad maturationem moliendam, sed contra vitio humorum partium vim uincente, & feruore putrido calorem partium potius ad interitum trahente. Vnde si quærat aliquis a me, quo morbi statu simus, in principione, an in incremento, an consistẽtia, cum uideam putredinem nondum conuerti ad vllum gradum maturationis, non possum dicere morbum vllo alio in statu esse, quam in principio, qui si ad maturationem contenderit, illamque ad finem perduxerit, neque casu aliquo virium impedita fuerit, tunc cõsequetur incrementum, quidem crescente maturatione, consistentiam verò ea in summo versante, tandem declinationem, ma-

E turatione iam facta, & humore dissolutionẽ insignem accipiente.

Sed nondum spes vlla offertur, potius multitudinem vitiosam spectantes nos, & vires non admodum validas metuere debemus, ne in deterius labatur. Sic ad prouisionem accedendum est, qua quidem ego materiam non mouerem, ne magis, & citius perturbaretur, quietem agere mallem, & putredinem compescere, humores leniter tractare, mitigareque, & meatus reserare, vt putredo in meliorem vitam conuerteretur. Initio certè de copia hac ego aliquid manu, & medicamento detraxissem, neque periculum obstructionum medij intestini, venarum, aut iecoris, tam timuissem, quin tanquam minus malum illud elegissem, incisionem quidem venę mini-

minime fecissem, nisi cruda e ventre submouissem, nūc verò illam non concederem, iam putredine latius humores occupante, quoniam in tanta humorum malitia satis virium subesse non existimarem, prima aut secunda die id fecissem certè, vbi uiribus constantibus a copia humorum timebatur, quod iam sequutum est.

Verum quoniam medio corpore, magnisque venis, & arterijs tanta materia consedit, cordique vicina illud anhelitu suo maximè opprimit, sic necessitate cogente ad extrema corporis materia auertenda est, & meatus cutis carniumque aperiendi, quo per eas, tum materia, tum maximè halitus dissipetur. Dixi extremis non dorso affligerem cucurbitulas, quoniam ea moderatione id faciendum statuerem, ne obstructiones magis augeantur, etenim si cucurbitulas dorso affigam nimis confetta materia ad cutem adduceretur, B locoque nimis periculoso obstructiones fierent, longius que potius a medio corpore retracta carnes, & cutem medij corporis liberiorem relinqueret. Cuti vero medij corporis liberiorem relinqueret. Cuti vero medij corporis ego frictiones longas quidem, sed lenes adhiberem, mollibusque linteis eas fieri vellem. Medicamentis autem valde extenuantibus incidentibus, & putredinem compescentibus vterer, non tamen calidis. Acetum imprimis probarem, quod vel in cibis ingererem, acetosam, trifolium, acetosum, quod isti dicunt aleluia, succum citri non vererer ob adstrictionem, sic illum aceto, aut acetoso syrupo permixtum darem, cum contra putredinem apprimè faciat, syrupum de nymphea opportunè cum ijs iungi putarem, cum quo etiam semina maiora, & minora cū acetosa, & febribus nym C pheæ vtriusque aceto, & vino mali punici videntur admodum facere in rem nostram posse, violas, & flores calthæ ego quoque componerem, betonicam nō aspernarer a Doctissimo viro propositam, cum maximè extenuet, non ita calfaciat. Radicem pentaphilli non omitterem, in qua sine multo calore expetitæ vires sunt. Pulueres ex Margaritis libenter in hæc admitterem, quoniam cordi robori sunt, & extenuare materias creduntur, quod neque corallia, neque cornu ceruum nisi vstum sit, faciunt, minus vero bolus Armena, cornu tamen ceruum vstum videtur sudores promouere, quibus non ita audacter vterer, quoniam hic copiam, & obstructiones habemus non cæli, aut succis solum vitium, aut putredinis puram culpam, vt in statu pestilenti euenit. D Scordeum laudatis, quod ego cum frigidioribus mitigatum certè probarem, tormentillam, quæ eptaphillon, non pentaphillon est, vt uos creditis, & ipsum pentaphillon ego exsiccarem, & sic putredini occurrere posse video.

Pentaphillon etiam sudores mouere, quanquā etiam parum adstringit, at maculis euocandis valere id non cogitarem. De quibus quidem maculis euocandis necesse habeo dicere, quod mihi parū, aut nihil auxilij exitus earum afferre videtur, quodq; nullo modo sunt cum exanthematibus, aut variolis conferendæ, cum non efferant materiam, minus eā, quæ vitiosa est, & lædit, sit vero potius sanguineus ille halitus, qui sub feruore funditur vi morbi, & sub cute concrescit in eum colorem. Sudores quidem, quod materiam efferant, leuamentum E naturæ portant, non tamen corpore, tam conferto tuto moueri possunt. Vrinæ motio potior videtur, quoniam modo ventriculus cruditate caret, nec periculum imminet inferendi a meseraicis venis materiam nondum coctam in venas minores ad obstruendum, vnde Galenus mouentibus vrinam ante aluum mouentia vtitur, ad Glauc. Cuius rei vsus illi præcipuus in putridis febribus est, sicut sputum est in pleuritide, nam quod ex putredine necessario superest tanquam cinis id vtiliter euocatur per vrinas, vt illic quod emanat e tumore, tumēteve membrana per sputa necessario emittendum est, igitur quod dixi de syrupo ex nymphea ad hunc vsum magis probari hoc initio morbi debet, ita & scordeum per catapotia, aut pulueres datum. Potio illa, quam vos componitis ex lenticulis secundo incoctis, & caricis in aqua, A cum pētaphillone, potest ipsa quoque esse vtilis, sed hoc non alijs est præferendum, quoniam sunt quæ moueant vrinas utilius, quam caricæ faciant, quæ materiam potius e medio ad ambitum mouent, & dulcedine etiam ipsa infarcire possunt, sunt etiam, quæ putredini delicatius, & lautius occurrant, quam lenticula. Fallitur namque qui vestrum existimauit eas sic paratas e medio ad ambitum materiæ promouere quod potius semel coctæ id faciunt. Sandala ego aptissima, tum cordi tuendo, tum feruori extinguendo putarem, vt uiolas, vt margaritas, vt succum citri cum aceto coniunctū, & scordeo, atque etiam betonica, potionem ego quotidianam componerem ex aqua, cui incocta sint sandala, acetosa, & acetum. Clysteribus quotidie materiæ aliquid a uisceribus retraherem, & sic corpus in hoc cursu gubernarem. Sed viribus maximè consulerem, quoniam si paululum cesserint, putredo in præceps ageretur, calore præter naturam dominatum acquirente non exurendo, hoc est humidum non absumendo, quoniam humores calidiores non sunt, sed verè putrefaciendo, hoc est euocando humidum vna cum calore proprio, quod facilius eueniet in humoribus, qui non perfectè naturam, & calorem suum adepti facilè in alienam naturam inclinant. Itaque cibo optimi succi, & facilis coctionis, & a putredine alieno vterer, nec carnibus expressis multū fiderem pane trito, & percocto libentius vterer, & hordeo. Si lutea ouorum fuerint necessaria, cum eis aliquid aceti permiscerem, aut limonum succi. Theriacæ ego non memini, quoniam hic ego multitudinem magis mali humoris, quam vitium, quanquam valdè prauum est, extimescerem, quæ commota forsan plus obstructionum, quia in angustiores venas obtruderetur, plusque perturbationis ad peius putrescendum acquireret, potius olei sulphuris ad ℈. s. in syrupis ponerem, quo putredo obsumeretur, & humores etiam inciderentur, abstergerentur que, aliqui dant oleum vitrioli, sed benignius illud mihi videtur.

Decimatertia die vrinæ nō admodum ruffæ, subtuffæ potius, & habitu mediocres, contentis asperis paulò post in crassam nubem concrescentibus, pulsus paruus erat, & satis creber, conflictatio corporis maxima.

Decimaquarta die vix circa frontem, & pectus sudarat, minus exagitabatur. Vrina subiugalis euaserat, non admodum flaua, potius fulua. Fæces alio per clystere eiectæ fermentatæ per noctem fuerant, sine figura, colore subruffo, pulsus non tam paruus est visus, & minus celer. Decimaquinta pulsus penitus imbecillis, & vrinę colore, & perturbatione sordidæ, & atræ, sub cuius finem perijt.

De morbo ischiadico pro Pischeriano.

CONSVLTATIO CCXV.

Qvamuis omnia sint satis dilucidè, & copiose tractata a viro Doctissimo, non possum tamen partes meas deserere, quarum certè onus fuit mihi subleuatum. Dicam ergo breuiter in confirmationem sententiæ ipsius, quod mihi omnino ita uidetur, morbū hunc ischiadicum esse, illiusque materiam, vnde dolor, & motionis impedimentum, esse pituitosam, non simplicem, neque naturalis pituitæ, quoniam simplex non affert acrem calorem, qui est in ischio dextro, naturalis non est duri tumoris causa, vt est in ischio sinistro, quod sine dolore est, motu tamē priuatum est ob maximum artuum connexum à materia factum, in dextero ergo malum bilis particeps est, & tensionem etiam facit, vnde dolor, in sinistro vero humor crudi generis est, quoniam consumptis aquosis partibus, ea quæ terrestris est consedit, & gipsi habitum acquisiuit, in neruis, & musculis, atque tendonibus non est, quoniam conuulsionem non facit, neque paralisian, ergo in ligamentis, & perio-

perioſtijs,in ſiniſtro verò,tam repleuit cauum iſchij, vt expulerit os,quod tamen duritie ſua,tam obfirmauit, vt ſiſtere melius in eo, quam in altero queat, hæc de morbo, & illius partibus, cuius morbis ætas antiqua eſt, & cum ægrotus agat quadrageſimum quintum annum a duodecimo hucuſque ſemper aliquid huius mali perſenſit, nihil eum iuuit, niſi cauterij vlcus ſeruatum in brachio ſiniſtro, quo a dolore ſiniſtrum iſchium ſeruatum fuit, vlcere vero etiam in dextro iuuabatur, quoniam eo ſaneſcente potius debuit.

Quæ indicio ſunt certiſſimo materiam a capite demitti, quod confirmatur doloribus capitis, quibus obnoxius eſt,a quibus cum per uomitum,etſi laboris,& anguſtiæ plenum liberetur, colligitur ventriculum maximam partem huic malo ſuggerere. Corpus laxum admodum eſt, & facile in febrem incidit, vrinæ tamen crudæ,& aquoſæ ſunt.

Quare quod ad remedia attinet, De venæ ſectione nihil dico, vacarem purgationi horum humorum,et bis, ter,ac quater illam repeterem, apparatibus interpoſitis ex melle roſaceo, betonicæ, ſyrupo primum, deinde ex ſyrupo de ſtechade cum decoctis ſtechadis, betonicæ, chamepithios,& ſimilibus. Purgationes prius ex melle roſato ſolutiuo, diaphenicone,alia ex pilulis cochijs, tertia ex pilulis fœtidis, aut de hermodactilis, quarta, ſi opus eſſet trociſcos alhandal quoque reciperet. Ex ambitu poſtea materia exprimeretur per potiones ſalſæ parilliæ cum chamepithio, cũ betonica, cum liquiritia,& paſſulis,aut hordeo, ſi tabes timeatur. Sudor primum leniter, deinde vi moueatur, & abſtinentia indicatur maxima, & cum tabes mereretur, ptiſana tantum detur.

De china nihil dicam, quanquam perhibeatur illam homines non extenuare,ſalſam parilliam valentiorem exiſtimo,ipſis locis affectis clyſteres ex ℥.1. colocintidis maximè facient, quibus demum imponantur diſcuſſoria,ſiniſtro quidem, ſi ſpes erit relicta, neque metus adfuerit dolorem augeri poſſe,dextro autem omnino,ſed ſiniſtro mollientibus compoſita ſint, vt pinguedinibus,& ibiſco,& malua, & ſimilibus. Diſcutientia mihi potius quæcunque probarentur, quam lutum Patauinum,quod pluribus detrimentum attulit,in illis enula, therebyntina, ammoniacus ex aceto, oxicroceum, fomenta,fumi ex pirite lapide extincto in aceto. præſeruationi vomitus ſummè faceret, & abſtinentia a vino. Sed de curatione hoc monerem ex antiquis, quod ſæpius ab initio repetenda eſt,eodemque ordine,quo propoſui perficienda, alioquin non plenè ſatisfacit, & ordine curationis anxios Medicos eſſe vellem, quoniam remediorum notitia vulgi eſſe poteſt, ſolius artis eſt ordinis notitia, & eadem remedia, quæ ordine adhibita proficiunt,ſine ordine ſunt nocentiſſima.

Partes amandantes ſuam quoque curationem poſtulant, vt caput per lotiones ſaltem, poſt expurgationes proprias,quæ ſi non ſatisfecerint, vlcera excitãda,& ſeruanda per funiculum in Occipitio.

De febre maligna cum profluuio alui pro ſponſa Coſſalia.

CONSVLTATIO CCXVI.

HIc collegæ optimi nos habemus in adoleſcentula febrem cum virium imbecillitate,cum alui fluore,& dolore,ac vigilijs non multo ante tempore ſcabie moleſtabatur, qua ſe ſe liberauit illitione neſcio qua, interea tempus quadrageſimale fuit, cuius ieiunium ſeruauit, poſtea cum deſponſata eſſet, & nuptiæ impeditæ ab eo tempore hucuſque, iam celebrato Paſchate fierent,& menſtrua ei profluerent, non ſolum nouo cibo-

A rum genere, ſed animi perturbationibus eius ſanguis potuit conturbari.

Et vna ventriculus male concoquere, atque ſi quid ab inunctione ſcabiei vitij contraxerit ſanguis, vt vere contraxit repreſſo intus vitioſo, & ſemi putrefacto humore id peius effici, noctis tandem illius, qua primum ſponſus illam propè iacuit maxima commotione in corde facta, neque exitum vllum ea, aut quietem habente, cum ea ſponſus cognoſcere noluerit menſtruis purgationibus prohibitus, cor ad ſe per ſuam æſtuationem, quæ maxima primo illo concurſu, & contactu corporum eſſe conſueuit, vitium omne humorum in ſe conuertit, & obſtructionem vndique ſibi contraxit,& putredinem ſibi, ac toti generi venoſo, vnde poſt ientaculum mane ſequenti male habere ſe ſentit, & hu-
B moribus vitiatis nimis moleſtis, ac per febrem liquoris facta quaſi ἀνασοίχειαντι aluus fluere, & venter vomere cæpit vbi per uomitum quidem viridia chylo in ventre vna cum bile corruptis eiecta ſunt, per ventrem autem crudiora bile tamen confuſa, & humores liquefactos.

Crudiora quidem,quoniam ventriculus ſpiritu priuatus cum eum omnem cor in ſe coegiſſet, & ſpiritus vitiatus ob cordis vitium eſſet,concoquere non potuit cibos præſertim,iam diu intermiſſos, & iam inſolitos, & plures,quæ accipere conſueuiſſet, imbecilliorque ventriculus etiam, atque etiam eo influxu factus magis eam materiam in ſe reuocet, qua dolor ventris mouetur, ex his vires labefactabunt, quoniam neque è vitioſo ſanguine & liquefacto deprauataque coctione ſuſtinemur,
C & ſpiritibus multis per profluuium amiſſis, neque a liquefacto,vitioſoque ſanguine refectis eneruatur, ægrotans,& languens, tum vero febre arreptis cæteris,& putredine cor occupante penitus exterminantur, quapropter pulſus magis crebri, paruique in horas fiunt; oculi circum circa liuent,& lingua etiam.

Quibus malis ſic occurrendum eſſet, vires primum eſſent ſuſtinendæ non ſolum cibo multæ, citæ, & facilis nutritionis,atque ſomno conciliando,ſed ipſis etiam humores corrigendo modificandoque, & coctione iuuando, nam per coctionem, & modificationem humorum natura alitur, vireſque recipiet profluuio etiam retardando vires melius habebunt.

Morbus quoque vna eſſet tollendus per quem vires euertuntur, quo non remoto recreari magnopere non
D poterunt. Morbi partes in primis ſunt materia, quę vitio,& copia nocua eſt, ſunt obſtructiones propter quas potiſſimum putreſcit, eſt ipſamet putredo,quæ vitio ſuo maximo colliquationis cauſa citum vitæ interitum minatur,hæc ſunt in morbo, quæ debellanda ſunt, externæ namque cauſam receſſere,quibus corpus iam opportunum per ea,quæ diximus, iam male tractatum eſt. Humores partim modificandi ad alendum, vt fieri poterit, partim ad expellendum ſunt, hique poſt apparatum educendi, detrahendique, illi omnino a putredine vindicandi.

Sed an hæc effici poterint, ſi quis roget, ego nullam video ſpem humores in melius redigi poſſe viribus, a quibus id fiet,tam deficientibus,& vitio eorum, tam ſupetante, videris in profluente humorem bilem quidem
E ſubruffam, & aquoſam, & ea cauſa a limitibus naturæ non valde remotam,tamẽ, quoniam e ſanguine in eam conuerſo,& colliquato venit,& eius confecti indicium eſt,ea peſſima eſt, videtis cum ea confuſum cibum, qui vix ventriculi vim ſenſerit, uidetis pulſum in horas duriorem, & minorem, & celeriorem euadere, & infirmiorem,qui propter imbecillitatem demum mollis videri poterit. Vt tamen,quo ad licet,agamus,optimum conſilium eſt viribus cibo, & potione ſubuenire, qui neque oneri ſit,& cito conficiatur,cum quo ſi mixta erunt, quæ profluuium non ſiſtere, ſed retardare valeant,quæque non tam adſtringere, quam putredinem cohibere, & humoribus moderandis id faciant, opti-

me

me conſultum videbitur, & præſertim ſi eadem cordi tuendo idonea ſint.

Non ſolum ergo ouorum luteis vterer non ſolum pane in trito in iure valentiori ex caponibus, ſed carnium contuſo, ſed ſtillatitio earundem humore impoſita acetoſa ſucco citri pentaphyllo, epraphillo, ſeu tormentillia cornu cerui corrallijs, ſ. citri, & ſimilibus, cibumque ſimpliciter exiguum, ſed viribus multum darem, & ſenis quibuſque horis repeterem, in potione etiam nonnihil vini concederem, ſomno conciliando tempora illinirem diapopuleone oleo violaceo, nenupharino, cum paullo opij theriacam recentiorem etiam exhiberem, qua non ſolum ſomnum, ſed humoris putreſcētis emendationem, ciborum meliorem coctionem, & profluuij alui retardationem, tum cordis confirmationem tuitionemque, & tandem doloris alui mitigationem ſperarem.

Ac non viribus tantum, ſed putredini, & vna febri ac fluxioni conſultum videtur quibus profuturum quoque oleum Magni Ducis, quod carpo, & talis, & contra cor ſolet adhiberi, crederem, & item emplaſtra ad retardandam alui fluxionem comparata, & fomenta ex abſynthio, œnanthe, ſeu floribus labruſcæ, & menthæ ac ſimilibus, & illitiones ex oleo abſynthino maſtichino, melinoque.

Lapidem Bezaar nihil vidi effeciſſe vnquam tamen, quoniam fuit propoſitum, ne poſtea aliquid prætermiſſum fuiſſe doleamus, ego dandum aſſentior. Sed detur ſaltem ad grana 10. ſi Orientalis, ſi Occidentalis, qui tutior eſt, ad gran. 20. minoris enim virtutis eſt, Vinum maluaticum minus vires infirmas poſſe alere credo, quando non cruditate ventriculi non frigiditate tales ſunt; quando valde infirmæ ſunt, quoniam potius diſſoluuntur, propterea illud interim, dum vires poſſunt ſcire eius vim, & calorem darem exiguo modo, poſtea nihil penitus. Neque ego plura percurram, vt alijs etiam dicendi tempus relinquam, & aliquid ad dicendum reliquum faciam.

Hæc ægrota diebus circiter ſex a prima inuaſione febris extincta eſt.

De catarrho, & gonorrhea pro Domino Ioan. Iacobo Tomalio.

CONSVLTATIO CCXVII.

DVuo ſymptomata a vobis proponuntur diſtillatio, quæ vetuſta eſt, & gonorrhea dicta, quæ recentior, illam enim ab ineunte ætate nunquam non habuit, hæc iam 14. menſes, poſtquam cum ſuſpectæ valitudinis muliere veneream ipſe rem habuiſſet, neque in deſtillatione, neque in gonorrhea vitium mordacitatis, aut odoris, aut alterius generis eſt; in ſputo quidem aliqtid coloris cernitur, quod ſemper cum tuſſi promittitur, atque illa mane præſertim, tam moleſta eſt vt dolorem capiti afferat, gonorrhea interdum totis octo diebus intermittit, & valde exigua eſt, quibus in conſpectu poſitis ætate hac 22. annorum, natura prius corporis dignoſcenda eſt, deinde vitium, in quod delapſa eſt perſpiciendum, & illius curatio inſtituenda. Natura corporis ea mihi videtur, quæ ex calido iecore, & capite humidiori reliquis moderationem habentibus conſtet.

Nam calidi iecoris notæ ſunt puſtularum veſtigia, quibus ſemper cutis aſpera præſertim in facie eſt, & calor e rubro in pallidum vergens, pijque nigri.

Humidioris capitis nota maximè multus ſomnus eſt, ac quoniam cerebrum officia ſua perfectè obit, nec ingento ſolum ſed memoria quoque pollet, ego ſomnum

A produci credam ex humidiori membranarum cerebrum amplectentium vi, vaſis humorem diu ſeruantibus eiuſmodi.

Vnde vt ad vitia pergam facile fuit deſtillationē exoriri humore ita nimis humido ſuggeſto ipſi cerebri corpori, ex quo coniiciendum ſit, pulmones quoque conſuetudine illa deſtillationis tam diuturna eius contagione immutatos fuiſſe, & omnino affectos, non dixerim Doctiſſimo Viro quia quod tāgitur à putrido fit putridum, quoniam putredo nulla ſubeſt ſed quia omnia ſe ſe cōtangentia neceſſario inuicem afficere ſe ſe conſueuere. Itaque pulmones quoque ipſi, quod attrahunt in ſui alimentum poſſunt in pituitoſum excrementum conuertere partibus ſuis membranoſis in eam naturam humorem adducentibus, & ideo plus recrementa exprimentibus B magis imbecilles; addito longo ipſo deſtillationis vſu refrigeratæ ſunt. Altiores deſtillationis & ſputi cauſæ vna cum ijs, quæ ad gonotrhęam pertinent explicabo, de gonorrhea ergo primum dicam, quæ non eſt ſeminis, minus veri hominis effluuium illud ab antiquis Medicis prolatum, diffinitumque, tametſi hoc quoque ſine voluntate, & nulla opera dedita fiat, hoc enim ſordidæ materiæ eſt, quæ corrumpi in meatibus, & putreſcere ſolet, ac quamuis non æquè ſemper id fiat & ſæpè vix putredinem ſuo odore præ ſe ferat, nunquam tamen non corrupta eſt, eſt itaque humor non in ſemen conuerſus, ſed qui ineptus ſit ad eam abſolutionem accipere, quare non poteſt non accipere vitioſam, cum manere in eodem ſtatu nequeat ſic copia, & morſu irritans expultricem demittitur aut etiam con- C tentricem ſuperans delabitur, in meatus autem ad ſemen gignendum factos truditur, quoniam illi ſiue natura, ſiue caſu quopiam infirmiores, facti ſunt & etiam natura quidem veluti ſi laxiores & humidiores nati ſint & ætatis ſpatio ad id infirmitatis deducti ſint, vt occaſionem abundantiæ eius recrementi ſub eo id mali pariant.

Caſu verò veluti ex occaſione vſus inſoliti vomitus quamquam illæ laborioſior non incidit, vt refert, aut quòd mulier ea eundem morbum habuerit, expertum ſiquidem eſt, illam contagionem accipi & ſi gallicus morbus, non ſit, maximè verò, ſi Gallicus fuerit, cuius Gallici virium poteſt gonorrhęam inferre etiam ſi gonorrheæ coniuncta non ſit in eo à quo traducitur. Gallicam tamē luem ſubeſſe nihil vrgemur, præcipue quòd D remiſſo hoc fluuio, & etiam intermittente nihil amplius in corpore extiterit, nos vero obſeruamus quòd cum gallica lue gonorrhęam mouerit initio.

Si poſtea remittatur gonorrhæa, ſæuiſſima mala toti corpori eueniunt, præterea ſordida manere & acris, & erodens quoque occaſio etiam potuit eſſe ab aliqua incommodiori equitatione, aut alio motu valentiori multos vidi id ſubijſſe incommodi propter dimiſſum veneris vſum, ſed ea cauſa hic locum non habet ipſius ęgri verbis, minus ea propoſita propter inſolitum motum.

Certe ipſa eſt meatuum eorū infirmitas vna cum recrementoſi totius corporis humoris abundantia cuius E cauſa altior iam quęrenda erat vna cum ea, quę priorem deſtillationi originem præſtabat.

Quæ ſane in duplici initio eſt poſita in ventriculi frigidiore & iecoris calidioris vi. Tertium adijcito in malo viuendi modo, de quo pauca dicenda ſunt, quando ipſe iam confeſſus eſt quamquam ſtudijs vacat, compotationibus tamen meridianis cōſuetudinis ſociorum cauſa indulgere, & omni ciborum genere veſci etiam male habentem.

Vt ventriculus frigidiorē certe vincere eam vitæ intemperantiam nequeat, ita frangatur ipſius vis, & cruditas fiat, quæ iecori calido materiam non ſolum pituitæ ſed bili quoque vitioſæ humorique melancholico gignendo præbeat, in crudo namque humore inæquabilis materia eſt, & cuique vitio ſuſcipiendo apta.

Ac certe quemadmodum intemperantia, cum à viribus naturæ vincitur, illas eo vsu reddit fortiores, sic cum vincit ipsa, illas semper reddit infirmiores, & maxime ventriculi, vnde maximorum malorum causa fit. hoc verò in ijs præcipuè fit, qui studijs literarum dant operam, cum nec Veneris, nec alterius intemperantiæ vsum vitant.

Iecore ergo tot genera humorũ vitiosorum creante necessario corpus totum vna repletur, & illorum vitijs afficitur, ita corporis quoque ambitus non bene sibi alimentum parat, quin plurimum recrementi procreat in ea coctione scilicet, quæ tertia dicitur, cuius recremẽta proprie ad sudorem ad pinguedinem, & ad semen conuertuntur, vt natura eorum fuerit.

Ad locum seminis in hoc corpore adducitur id genus materiæ, quod, cum ob meatuum infirmitatem, tum ob sui vitium, & copiam prius corrumpitur, postea demittitur in meatuum vreterem, quibus sic expositis videtur iam in cõspectu nostro positum, quidquid à nobis opem postulat, & his capitibus contineri in materia, quæ in ambitu, & in capite considet, in ventriculi frigiditate, iecoris calore acriori capitis humiditate nimia, meatuum seminis laxitate, quæ hunc ordinem curationis postulare videntur, vt primum copia e medio corpore, deinde e capite, & toto ambitu tollatur. tertio vt partes ipsæ emendentur restituanturque. Detrahendæ materiæ, quod primo loco faciendum est, quoniam ipsa vitium sibi simile in partibus, suamque procreationem sustinet, opportuna auxilia videntur mihi primo sanguinis missio, deinde purgatio, quoniam quamquam sanguis cernitur nunc non nocere, tamen, quoniam, cum corpus valentioribus medicamentis tractandum est, non aliter, ac in magno morbo sanguis metum, impedimentumque ac periculum facit, propterea cursum curationis perspicientibus nobis necessaria illa prouisio futura videatur, moles enim sanguinis, quæ corpori minime exagitato grauis est, cum medicamẽtis commouebitur, quasi domicilium dum verritur sub sua suppellectili necessaria maiorem perturbationem, & impedimentum est habitura.

Aluo ergo prius citata, & ventribus communibus expeditis ab onere, & impedimento crudiorum humorum, ego venam iecoris dictam in dextero brachio inciderem, vel etiam communem, deinde humores pararem melle rosaceo, syrupo de betonica, de capil. veneris, de nimphæa adiuncto, vt ratio calidioris humoris haberet, & præcipuè locorum generationis, & rhenum, qui cum illis locis maximam communitatem habent ad afficiendum propter colligationem. Purgarem postea, cum agarico, rhabarbaro, polypodio, sena, diacathol, hamech, diasebestẽ, pilulis cochijs, de agarico Mes. & similibus, perfecta medij corporis expurgatione accederem ad ambitũ expurgandum, & caput & vna viscera, & rhenes, & caput, ac pulmones præcipue confirmandos, quod facerem potionibus sudorificis ex salsa parilia, quæ maxime solet per ambitum humores discutere, sed, quoniam ad discutiendi vim facultatem illam adstringendi visceribus cõmune opus præstantibus, & communem administrationem habentibus à Galeno, & Medicis maioribus necessariam iudicatam nõ habet adiunctam, propterea alijs immiscendis illam ei com pararem, vt portione aliqua guaiaci, vt spodio, sandalis, cicorea, & similibus.

Sudores autem non multa vi mouerem, sed tamen aliquantis operam darem, vt non aere calido, vnde squallor potius cuti acquiritur, sed integumentis humidum corpus, & mollius seruantibus subiecto humore calido ut iam per vasa, aut laterem insperſos. Sub quibus sudoribus ratio victus illa exquisitissima teneretur, & ad 40. dies produceretur.

Ex quibus si integer euaserit, nihil amplius vrgerem, sin minus ad aquas thermales remitterem, & maxime lucenses, à quibus epotis, tum rhenes, & partes genitales, tum pectus, & corpus summum commodum habere consueuerunt, caput vero præcipue per styllicidia illa cõmodissima. nostrates Medici non faciunt inferiores in hac facultate aquas chalderianas, & destillationes grauissimas illis aiunt fuisse curatas, prætereo Domini communia illa ad caput expurgandum per nares, per lotiones ad rhenes confirmandos, per illitiones, & similia, cum Medici eius prudentia eorum commemoratione non egent.

De ratione victus etiã non dicam, cum illa in morbo longo nõ admodum legibus adstricta esse debeat. Sub curatione, anime qualis esse debent obscurum non est, & à me iam indicatum. Minus de Venere à cibo vitanda dicam, aut de studijs, tunc dimittendis, quod vos diligenter estis prosecuti. Illud non possum silentio inuoluere, quod non essem cum eo Doctore, qui vult suspitionem Gallicam fore nobis confirmandam, si per potiones salsæ pariliæ conualuerit. delendam vero omnino si minime perfuerint, nã neutrum argumentum premit, potest conualescere à destillatione, à Gonorthæa ipsa per eam potionem, quãquam Gallicæ non sint. Potest etiam, si Gallicæ fuerint non leuari, vt quotidie experimur. Dixi.

De insania pro adolescente Mitio.

CONSVLTATIO CCXVIII.

Certe Viri Doctissimi res mihi satis dubia videtur, nam rationes à vobis adductę, quod hęc insania ad morbum cerebri proprium sit referenda, validæ iudicantur, tamen sunt, quæ obstent, e contra etiamsi morbi causa in iecore, si in corde morbus putetur adhuc sunt, quæ resistant. Etenim ab intemperie sicca penitus eam esse omnes statuitis, cur ergo à somno non impeditur? at interrupti somni sunt, recipiuntur verò, & protrahuntur, interruptioque potest esse à calore, potest esse per affectionem illatam identidem ab inferioribus partibus. Ac quãdo omnis, hæc à vobis dicta insania per iracundiam exercetur, omnino à calore, & feruore est, neque mirum si à calore etiam infernorum viscerum somnus perturbetur. Dolet quandoq; capite sub sincipite, quãquam non fatetur hoc, nisi cum imprudenter loquitur, & aliud agit, per nares etiam aqua lutea delabitur, hæc à sanguine in venis etiam contento, & aliunde demisso proficisci possunt.

Si in corde statuatur malum huius iracundiæ cur cum omnibus alijs mitissimus est ipse, iracundus autem nisi cum parentibus, & suis? cur cor fremens per se tale semper non est? si à iecore calefacto, id est, vbi bilis est? vt etiamsi à ventriculo, cuius causa iracundi homines esse consueuere teste etiam Hippocrate, Corpore ipse est calidi, & sicci generis, nõ tamẽ multo excessu cum colore, non ita multum flauo pallidove, neque carnibus, tam exiguis. Suapte natura moribusq; mansuetissimus semper fuit, & verecundus, & omnino reuerens hominum conspectum, & eiusmodi vsq; ad ætatis annum 15. fuit, quo tempore dimissus à Patre Mediolanum, vt ibi in mercatura instrueretur, id ægre tulit, ita in Patria reuertit inuitis suis, & à Patre post acceptam alapam domo eiectus, tamquam minime obediens fuit, Matre vero intercedente receptus, exinde autẽ in Patrem semper nimis insolens verbis, & moribus iracundis fuit, iam vero tribus fere annis, sic habuit.

Priori quidem solitudinis amans, & mętens, postremo hoc æqualibus hilaris, & consuetudinis cupidus

dus in suos vero nimis audax; & imperiosus præsertim in Patrem. Quo ordine rerum ego video paulatim ortam quandam licentiam à matris patrocinio primum, & à patris obsequio nimio seueritatem nimiam excipiente, & pœnituisse patrem ostendente, à qua licentiam iracundior factus est, in morem verò vsu longo eam iracundiam deduxit, vt iam vel externis præsentibus vitiatum morem seruet, quod priori tempore non soleret, vsus namque tantum potest, vt homines sæpe, vel nō animaduertentes multa per ipsum agant, is itaque in suos mores iam comparato satis est, nulla etiam opinione, aut cogitatione eum fallente.

Falli namq; illum ego non video, nullam opinionem alienam intelligo, vel diligenter obseruans. solum infantium quorūdam more, nisi ad eius libitum res agantur, irasci, indignari in Patrem, & obstinatius, firmiusque persistere, nec velle obsequi, aut obtemperare.

Vnde quis ex ratione possit suspicari eum, sic iam male morigeratum fuisse, cum alioquin, vt dixi cum æqualibus versans bene moratus sit. Esto iracundius initium ab intemperie ducendum sit, non est necesse opinionem, aut imaginem antecedente vitiosam, nam non debemus nos falsas Chrisippi definitiones sequi, & in describendo more opinionem asciscere iracundia, namq; non est opinio, sed est cupiditas vlciscendi in feruore sanguinis posita.

Ego itaque feruorem vnum illum, & opportunitatem ad feruescendum causare in huius vitij malo, & ipsum ὀξύθυμον vocarem, quod ventribus calidior sit, carnibus vero frigidior, cum externis autem illud vitium non exercere statuam, quoniam θυμώδης nō est, potius timidior est, & existimationes veretur, vsum verò iracundiæ faciliorem, & promptiorem à consuetudine euasisse. Ventriculum autem potissimum causare, quoniam calidior ille semper fuit, Nam exiguo cibo explere suam famem est solitus, vel à puero. nisi faciat difficultatem, quod neque etiam crebro cibum appetiuit, quod calidiores ventres cito concoquentes deberent. at non ita multum calidum facerem, vt etiam iecur, nam hoc quoque calidum non multo excessu.

Cor vero contra naturā suā frigidius, quoniam nec magni animi, aut audacis, & propterea cum ad iram iam sæpe moueatur necessario, aut intemperiem calidiorem præter naturam accepit, sic iracundius factum, & si imbecillius remanserit, aut à ventriculo, cum sua, tū iecoris causa feruentiori afficitur, vt æger noster fere à ventriculo iracundus dici queat, consuetudine vero etiam accedente ab vsu, & more ipso. Esto ergo sanguis aliquanto opportunior sit ad feruescendum iecore calidiori, ventriculus vero calidus ab eo facile feruorem accipiat, & cor, ut quoque leui occasione excandescat promptiore motu per consuetudinem facto, omnis ratio huius mali mihi expleri videtur, non sitire autem ipsum crederem, quoniam cum bene bibat, tum non adeo calor excellat iecoris, & ventris, quin largiore potione in mensa, non satietur, forte eam à cerebro humidiore, vt liquet, si quantum resistat vaporibus calidis, ne somnum impediāt, consideremus, per tunicam faucium eandem cū œsophagi, & cerebri tunica aliquid humidi emanet in vētriculum; otio etiam adiecto, quo minus ventriculus exsiccetur, minusque suum calorem sentiat, aut opus caloris. Ad opportunitatem autem sanguinis ventriculi, & cordis accedat mos iam contractus ad irascendum. Hæc ostendunt modum ipsius curationis, nam & sanguis vna cum corde ex ventriculo, ac iecore refrigeranda humefaciendaque sunt, & mos ille submouendus.

Submouebitur mos si ablegetur æger longe à suis, & apud eos contineatur, quos vereri oporteat. aut si

A parentes in ipsum duriores, & minaciores se se gerāt, & verbera etiam castigationi, & obiurgationi adiungant, sic enim ad se reuertetur. Calori autem sanguinis, iecoris, cordis, ventriculi, & capitis quoque si ad illud calor ipse pertineat, occurremus refrigerando, & hoc mouendo prius calidum humorem, tum venæ sectione, tum hæmorrhoidibus apertis, tum autem purgatione humorum biliosorum. Deinde ipsis partibus ad suam temperationem reuocandis, quæ, nisi sat fuerint, exitus aliquis calido humori renascenti erit parandus in capite præsertim, ac nisi hoc sufficiat etiam in crure. Qui tamen exitus in adolescente non sunt necessarij existimandi, quin corpus potius curetur, illa enim omnia his ordinandis præstari posse videntur, puta si exhibeamus primū floris cass. v.t. ʒ.2.

B Tamaritidos ʒ. 2. cinnamomi ʒ. 1. Deinde sanguis è vena iecoraria dextri brachij, vel mediaeiusdem mittatur ad ℥.7. & acceptis aliquibus syrupis iterum missio repetatur, vel ab eodem, vel à contrario, & tertio tandem ab hæmorrhoidibus syrupi præparantes poterunt esse ex succo boraginis, buglossæ, lupulis, fumaria, violis, lactuca, cucurbita, nymphæa, & eiusmodi.

Medicamentum purgans ex decocto polypod. senę passulis, & alijs ad corrigendum admixtis, in quo maceratum rhabarbarum fuerit, & dissolutum diacatholicon ad ʒ. 3. Hamech ad ʒ. 1. s. Ell. rof. M. pari modo, & syrupo rosaceo solutiuo.

Ita expurgato corpore non semel, sed bis ad contemperationem veniendum, cum sero caprino, cui

C admixtus sit succus cicorei, syrupus rosaceus, & similia, vel tamarindi, si stomachus pati poterit sena quinto quoque die adiuncta, & macerata. Balnea deinde aquæ dulcis in vsu habeantur, & assiduo quidem, & conseruæ ex rosis, ac violis in quibus mihi maxima spes esset.

Si morbus protrahatur, & in capite considere humor videatur, illi fomento ex aqua dulci cui incocta sint omnia, quæ humefacere illud possint, vt malua, althea, violæ, lactucæ, & similia, vel vlcus inuratur in sincipitę per quod tenuis humor facile expirare poterit, sed id certe locum non habebit. Balnea naturalia certe per potiones darem refrigerantia, qualia essent chalderiana neque in adolescente nimiam ex-

D siccationem vererer. Sed in victus ratione maxima est vis posita, quæ & humida, & frigida esse debet, hic enim non, vt in melācholica frigus metuendum, nam est iracundia, & bilis. quare lactucas probarem maxime, & aquæ potiones, vinumque interdicerem. Hordeum præferrem alijs frumentaceis, & carnibus vitulinis vterer, & condirem omphacion, & cerasijs austeris.

Cęlum calidius, & soles omnes vitiarem, & ædificia, domiciliaque calidiora, potiusque hac æstate in ima domo, quam in superiori eum continerem; alioquin perflatum ædificium ei semper erit magis opportunum. Ipsum à suis certe remouerem exercitationes moderatas prę-

E ciperem, & viuendi modo, ac consuetudinis vitæ nouæ maxime siderem. Dixi.

Adolescens is receptus est in Monasterium, ibi inter Monachus humanissimis & optimis semper moribus vixit.

De

De sanguineo sputo, & iecoris malo pro Mariono Architecto.

CONSVLTATIO CCXIX.

Difficillima res hęc est, non solum curatu, sed cognitu penitus, nam sputum sanguineum quidē est, colore tamen non atriori, non flauiori, nō admodum rubro, sed quasi mutati aliquantisper sanguini, non pus adhuc, sed medium habitum inter sanguinē, & pus referentis, quod vel perfecta facit, cum pituita permixtio, vel ipsius sanguinis concoctio in albis partibus facta.

Per tussim omnino eijcitur, & quamquam sæpe solo screatu nūquam tamen non tussi inani antecedente. Sputa quidem, & ea non pauca, omnia sanguinea excreuit præsentibus nobis, cum tussi non admodum laboriosa.

Nunquā amplius tussis obnoxia fuit, nisi postquam sanguis is erupit, qui ab initio, (vt refert Excellentissimus Vir) asper fuit separatus, & densus, ac rubens, qui non continenter, sed per interualla excerneretur, ac nunquam noctu, nullo thoracis, pectorisve dolore, hæc species huius symptomatis est, cum eo quoque febris est, quam D. intermittentem protulit, continua tamen videtur, cum tetigerimus eam illo tempore, quo nondum febrem inuasisse diceret, febris tamen aderat, & quidem non mediocris, quæ, cuius humoris, & generis sit, non est difficile videre, nam mixtum humorem habere certum est, si vrinas crassas penitus, & subflauas spectemus, aliquas autem obscurioris etiam coloris, cum quibus pulsus quoq; crebri humores crassos ostendunt.

Nam quamquam crassi humores, ni exusti sint, frigidi sunt, & ob id raros pulsus efficiunt, præsertim si in stomacho sunt, & imbecilles, aut certe paruos, quoniam onerant facultatem, propter tamen putredinem, & calorem inde orientem necessitas perflandi maior fit, exinde crebriores pulsus esse coguntur, eo verò plus, quo minores ab onere continentur.

Sed cum crassis his non parum exustorum ob febrem coniunctum est, vnde facultas irritata eorumque calore, & molestia affecta langueat, inde pulsus creber paruus, & languidus existit, & propterea etiam crebrior, hæc de materia febris, forma, & species eius expressa valde, exquisitaque non est cum materia etiam humores, sic habeat admixtos, formæ admixtæ confusæque, non omnes notatæ nominibus sunt. immo vix aliquæ, vt quæ ex bile, & pituita febres duæ complexæ sunt, & hæ mitritæi vocantur, reliqua minime nominātur, quarum rationis differentiæ infinitæ sunt pro infinito mixtionis, & confusionis materiæ modo, quando determinare nominibus de formis his nonnunquam minime tutum est, materiæ ratio quidem expendenda ad quam consilium intendendum est.

Et propterea loci, vbi ea malum facit dignoscendi, quibus remedia sunt accommodanda num. 5. intra venas, an extra putrescat.

De materia sat vidimus, de locis mihi ea coniectura est in ipsis venis contineri, quoniam motiones materiæ extra venas tentatæ mihi nullum indicium videtur, cum febris continenter magnitudinem quandam seruet, & minime euidens compressio, seu notatio extet hac ipsa hora, qua fieri accessionem refertis. Immo excretionis sanguinis causam existimo, quod medio corporis, & venarum natura onusta eo mini-

A me bono excitatur ad ipsum non-concoquendum, modo per putredinem, sed expellendum etiam, atque ita forte facta per pulmones via, quod eos infirmiores esse inciderit, natura sese exonerat, occasione præsertim accepta ex æstu, dum niteretur sub plurimo vestimento sudores mouere acceptis guaiaci potionibus sanguinem fundentibus; sæpè enim vidimus corpora per venas pulmonum expurgari, & duriora, ac tumida iecora diu molesta tandem impetu in pulmones facto suum malum sanguinem illuc transtulisse etiam cum morte valde cita, multas certè febres per sanguinis sputum, nulla pulmonum, aut Thoracis inflammatione finitas vidimus. Hæc mihi vidētur huius mali vis, & natura esse. Cuius causæ iam priores essent exponendæ.

B Si menstruorum suppressionem adduxero tamquam colligendæ huius materiæ causam, potius suppressionem dicet Doctor esse in febrem diuturnam ipsam referendam, quæ humores consumpserint quam febrem in suppressionem, at id neutiquam perpetuum est, vt febres menstrua exsiccent, præsertim in corpore calido, & humido, & iuniore, vt constat, in quo potius ex ea suppressione potuit multæ materiæ fieri congestio, immò quòd illa facta sit, ipsa materiæ crassitudo ostendere videtur.

Longius etiā indagans video diu antea iecur male habuisse, & aluum diu sanguinē effudisse, dum ipsa grauida esset, quo factum est, vt obseruari nō potuerit an suppressio præter naturam menstruorum ante febrem fuerit; Adeo vt Medicus hepaticum eum fluxum iudicarit; in quo feces alui terreno colore sanguinem efferebāt, quem destitisse ait medicamentis, & præsertim cypheos illius vsu. Nunc verò etiam si imprimo manum in imas costas dexteras, illa dolet; & ego offendo in pleniorem illam partem, quæ omnia ostendunt mihi iecur male admodum habere, & tremore aliquantum, ex quo, & dolor ille ad humerū dextrum satis vehemens pertinet per membranarum filamenta, & febris, & mali sanguinis, & crudioris congestio, quæ vrinæ crassæ indicant, diebus vero etiam præteritis potiones guaiaci, cum sanguinem nimis valenter mouerint, & calefacto corpore sudoribus ciendis effusum in pulmonum venas extrudere potuerunt, vnde sic mutatus expellatur.

D Quod forte citius naturam exonerabit, & si viæ conuenientes non sint, fortè tamen, nisi citò exonerata natura ab hoc opere desistat, venæ diutius laxatæ ea emissione possent malum habitum, & laxitatem, aut etiam à mala sanguinis vi corrosionem accipere, vnde in verum sanguinis sputum incurratur.

Et quod sæpe vidimus, ab hoc statu, quo facile venæ sese colligunt in pristinum post effusionem, in deteriorem à quo vix aliquos conualuisse vidimus, delabatur.

E Ita apparet quibus occurrendum sit nostra opera, nam, & sustinendæ sunt venæ pulmonum, ne erodantur, rumpantur, aut nimis laxentur, quod auertēdo sanguinis impetum, & venas firmiores reddendo, & trachea delinienda, quo sputum facilius exeat moliendum est.

Et curandum iecur est, vnde febris extat, quod expediendo eius meatus, & detrahendo vitiosam materiam fiet.

Sic, & secta vena in brachio semel, & iterum sanguis mittendus est, & postea biliosi, & pituitosi, succi, seu pituitæ ichoris expurgandi. Misso ergo sanguine à vena iecoraria dicta exhiberem medicamentum ex macerato rhabarbaro, & mirobalanis cum ijs, quę ea emendant, & etiam adiuuant, vt diacatholicon saltem, postea vterer syrupis ex nymphæa, ex myrthis, ex iuiubis, & iterum expurgarem; quòd si sputum sangui-

ſanguinis perſeueraret ad ſyrupum de pimpinella accederem.

Sed ego putem hanc ſanguinis excreationem non fore diuturnam ſi iecur curatum vna cum venis fuerit nam ab illorum morbo certe pendet,vt alias vidi,natura ſeſe exonerante, & in vaſa pulmonum ſanguinem expellente:vitioſum itaque iecur, & venæ cum rhabarbaro ſæpius tractanda mihi viderentur,& materia febris ſubtrahenda proprijs medicamentis,interea pulmones tuendi, ne noxam acciperent, & ſic curatio ſuas partes habitura ſit.De ratione victus ego hoc animaduerterem,ne dum iecori expediendo extenuantia darem, ſanguinis effluxum hunc incitarem, potius in ijs,quæ neque tenuis,neque craſſi ſucci ſunt manere, vt farre liquidiore modo percocto, pane diluto, & in iure elixato, aliquando quidem ptiſſana,ſed ſine aceto potuit antiquorum modo cum punici mali ſucco; ſcio enim Galenum quandoque tam cum aceto parare,à vino abſtinendum cenſerem vt ab ira, a riſu, & nimio veſtimento,aluum verò facilem ſeruarem ſaltem clijſteribus. Dixi.

Hæc per ſputum cito ſeſe liberauit, neque ei fuit neceſſarium medicamentum ex ſerò lactis, & ſucco cicorium propoſitum à quodam principe Medico.

De profluuio muliebri, & ſuper purgatione vteri pro vxore Excellentiſſimi Vulpini.

CONSVLTATIO CCXX.

QVod mēſtruæ purgationes largiores ſint, quòd medijs,& temporibus circuituum inordinate vterus ſuperpurgetur,&, quod peius forte eſt, ſæpe muliebre profluuium nempe album moueatur, ego cauſam in vniuerſum corpus reperirem, a quo & ſanguis demittatur,& pituita, nam culpa veteri id fieri nunquam ſolet niſi aut per vlcera, aut per venarum ruptionem eroſionemue, quæ continuum non intermittens, exiguum non ita abundans profluuium faciunt. Quare in vtero, & partibus ad ipſum ſpectantibus vnam relaxationem ego collocarem diuturnitate effluuij inductam, hoc eſt infirmitatem, & quamquam ex coitu curſus iſte ſequi ſoleat, tamen, & diu poſtea durat, & cauſam aliam, præter hanc procatarcticam habet,illam inquam, quæ in vniuerſo eſt.

Cuius etiam illa nota certiſſima eſt, quòd ſanguis è naribus ſæpenumero effluit. Album profluuium nullum ardorem affert, rubrum verò pulcherrimi ſanguinis eſt, à principio maximi dolores ad dorſum excitati ſunt, quales in abortientibus poſtea nunquam,quoniam materia mitis humidaque eſt, & iam conſuetudine etiam moleſta.

Quæ quoniam, & viribus, vitæque incommoda ſunt, & procreationem filiorum impediunt, tollenda ſunt. Idque meo quidem animo per prouiſionem ad tantum corpus præcipue totum genus venoſum, & viſcera dirigendam, quo ipſum corpus nutriatur, excernatque per naturales, & per inuiſibiles meatus excrementa, vnde ſanguis, & alij humores non tam colligantur, quo venoſum genus,& iecur ſanguinem alibilem generent, vtque ventriculus materiam idoneam ſubminiſtrent.

Quæ fient, ſi intemperies humidior, & frigidior ventriculi tollatur, & materia illius mater, ſi eadem materia in iecur calidius attracta detrahatur, quæ iecoris actio vitietur,vt caloris per ſe ipſum,frigoris verò propter materiam effecta edat.

Hęc fient ſi detrahatur ſanguine à vena brachij interna, & materia abraſa primum, & inciſa poſtea medicamentis leuibus, quidem, ſed repetitis expurgetur, ſi decoctum guaiaci poſtea matutinis horis per 20. dies detur, non ea tenuitate victus, quæ in Gallico curando ſeruari ſolet. neque etiam potionibus in menſa datis ex eodem, ſed victu mediocri, qualis in purgationibus communiter inſtitui ſolet, Quibus ſic peractis meo quidem animo, aquæ chalderianæ opportunæ eſſent ad diluendam materiam, ad extenuandas partes, & confirmandas, & ad iecoris vterique calorem aſcititium, & ſordem omnem delendam, & vterum, ac vias ad illum pertinentes colligendas, quo ad procreationem validior efficiatur, quæ niſi ſatisfecerint, dummodo ſi aliquod impedimentum, non ſuberit ad porretanas aquas vteri propria ratione adduceretur. Neque vero deterrerer, niſi ſemel acceptæ, non profecerint, nam thermales aquæ eius conditionis ſunt, vt tempeſtates ſequantur, & aliquibus annis nihil, aliquibus maxime faciant, tunc verò præſertim, cum corpus bene paratum, & victus ratione recta bene vſum inuenerint, poſt quas ſæpe vellem in vſu haberet pilulas de rhabarbaro ex præſcriptione ipſius Meſues.

De Coriza per diuturna.

CONSVLTATIO CCXXI.

CAlidum, & humidum natura ſua caput hoc eſt, vt mihi videtur nimium verò attrahit nimirum plus, quam conficere poſſit præſertim aliqua occaſione caloris permotum, ita Coriza, ſi non perpetua per diuturna quidem, & breuiſſimis interuallts redeunte laborat toto corpore humido, & viſceribus minus belle agentibus. (vt ex amiſſa corporis obeſitate, & decoloratione, & exigua nutritione cernitur) & propterea materiæ plurimum ſubminiſtrantibus, non mirum, itaque, ſi materia modo tenuis, modo craſſior deſcendit ſemper aliquo ſapore, vt caloris capitis eſt fere, fauces mordens; & ſæpe guſtatus ſenſum auferens.

Corpus vna cum viſceribus exſiccandum eſſet, & item caput, hoc vero aliquantulum refrigerandum.

Itaque poſt purgationes deſcribendas corporis, capitiſque cum per aluum, tum per ſudores potionibus ſalſæ pariliæ,& guaiaci mouendos.

Aquæ balneotum de villa laudarentur, tum per os, tum in caput accipiendæ, ne dum lotiones, non ſolum lixiuijs, ſeu ſaponibus faciendæ: pulueres, præterea, linitiones, & cerata ſaturis adhibenda, quæ niſi ſatis ſint, cauteria in occipitio, & brachijs probarem.

In victus ratione præſertim ~~præciperem~~ caueret ſubitas aeris cælive mutationes caueret à cubiculis calidioribus,& ab aſpiratu aeris frigidiori?

De Lypothymia pro Illuſtri Campo.

CONSVLTATIO CCXXII.

DVo ſunt ſpectanda in Illuſtri hoc adoleſcente, defectio hæc animi, & quod ſentio in meſenterio dum rango, lypothymia illa eſt, non ſyncopes, quoniam, neque ſenſus deficit, neque pulſus

pulsus penitus abolentur minus sudor accedit, solum extremæ partes refrigerantur, compressionem cordis, vt vocat ipse, sentit, quæ per eructationem leuatur.

Quod affectio primum ad os ventriculi nomine cordis etiam à literatis antiquis vocatum, deinde ad spiritus cordis pertinere videtur, in ore ventriculi halitus, quidem malus partem neruosam molestat, compressionemque vi mala sua facit, inde in corde vicino coniunctim affecto spiritus mala ea vi diminuuntur, vnde cor ad se ex omni corpore spiritus retrahat, vt extrema frigidiora relinquantur. Halitus ille malus ex humore melancholico certe est, vt nocturnæ illius vigiliæ demonstrant, quod rationi consentaneum videtur, nihil enim magis spiritibus, & ori ventriculi inimicum est, quam quod frigidum, & siccum, atque acre est, vt humor melancholicus in corpore biliosso esse consueuit, siue ex bile factus sit, siue ex fęce sanguinis in biliosso corpore incalescat à te biliosum, quidem corpus hoc est, & pilis, & cute atrum eiusmodique generis humorem continere potest. præsertim cum in mesenterio obstructio subsit, quam dolor tangendo per motus ostendit, & etiam tumor non obscurus.

Ex ea obstructione humor melancholicus gigni, congerique potest, atque etiam incalescere. Dum enim manet humor crassus diu in angustis meatibus ibi siccescit incalescit, & expurgationem sanguinis impedit.

Hæc mala ex vsu insolito veneris, & aliqua cibi intempetantia corpori in id natura sua procliui suorumque maiorum simili quos eodem modo affectos habuerit exorta sunt, nam cruditates ventriculi crassam materiam iecori calidiori subministrantes facile humoris melancholici, & obstructionum causam præstitere, quæ obstructiones, si in fellio meatu existerent, bile corpus replerent. cum in mesaraicis subsistant ea parte, quæ ad lien pertinet melancholico potius succo, nam non ita repurgatur, vt faceret, si apertæ illæ venæ essent, quæ partim à liene in ventriculum, partim à liene in intestina pertinent.

Ex quibus malis non possumus, non expectare peiora, ne dum melancholiam hypochondriacam, nisi infarctus ille tollatur, nam præterea vereri possum, ne vitium maius ob moram humor nanciscatur, & e lypothymia in syncopim labatur.

Duo ergo illa, quæ à nobis tractanda, & curæ habenda sunt, sic debent tractari, vt ad λυποθυμίαν, cum adest maxime, cum non adest, ad obstructionem curam conuertamus, λυποθυμίαν, tam imminentem, quam præsentem omnino auertendum iudico spiritibus recreandis maxime odore, halitibus malignis auertendis frictione cucurbitulis, tum femoribus, tum infra vmbilicum affigendis. Theriaca etiam exhibenda cum viuo odore, qua halitus discutientur ventriculi cor firmabitur, & somnus conciliabitur. Exterius quoque apponi contra cor ea poterunt, quæ cordi faciunt, vt Theriaca ex aceto, vt pulueres cordiales dicti ex eodem, & aquis eius generis.

Obstructioni verò opera danda interea ijs, quæ leniter materiam detrahant à propinquo tantum, & eam vna parent. Iam bis purgante medicamento vsus est, & sanguis detractus à sinistro brachio, itaque syrupus idoneus esset de epithymo. M. de cicoria Nicoli, & bizantinus cum aquis cicoreæ fumiterræ lupullorum boraginis, inter quas potiones syrupum Augustini Niphi de polypodio, dictũ interponerem, qui descriptus est in libro ad pharmacopæos venetos scripto, aut illum de polypodio, vel de epithymo, vel de fumoterra compositum, atque etiam illum descriptum a Mesue de pomis Sabor adiecto rhabarbaro. Oximellis vsum postea per diuturnum esse vellem,

A cum syrupo de pomis simplici, ne aut malus virus humoris resurgeret, aut obstructiones renouarentur.

De victus ratione non ero anxius, sed vno verbo dicam extenuatum, non ita valde tenuem, esse debere, & cibum partiri oportere, vt ipse consueuit, neque pluries die capere, quam bis, ab ira immodica abstineat, quoniam & os ventriculi malis halitibus perfunditur, dico nimiam, moderatior siquidem ei profuisse visa est, præsertim dum sub affectu est. A venere, à tristitia, & à cogitationibus molestioribus ambulationibus assiduis caueat, præsertim ventriculo non onusto. Dixi.

B

De quodam genere lepræ pro Barthe Carterio.

CONSVLTATIO CCXXIII.

HÆc ætate 58. annorum, hoc corporis genere calidiori, ea artuum infirmitate, quam submersionem longam in aquæ torrentis in qua delapsus est accepit, illis medicamentis subinde calidioribus, & multo tempore adhibitis ad artuum dolores, inde natos submouendos mihi iudicium fit facile partes illas calidam, & siccam intemperiem recepisse.

C Atque si rationem victus adiungo in potationibus liberiorem dicam omnino, quod sanguis crassitudinem acceperit, cuius recrementa in artus identidem delapsa sint medijs corporis partibus ad eos onus depellentibus, qui infirmiores iam essent.

Horum infirmitas primum quidem frigore sub aqua accepto, deinde etiam siccitate ex fumis vrentibus balneorum, & limo eorundem, ex quorum vsu longo factum est, vt propria iam siccitate demissum abundanter nutrimentum, vel optimum vitient, & siccum penitus efficiant, eo verò magis illud, quod vitio iecoris calidioris siccius accipiunt, Quibus partibus primum sensus demptus est, non motus adhuc, quoniam extimas partes maxime occupat, id vitium, contractæ, quidem cordæ digitorum manuum sunt propter vitiosam nutritionem,

D & nimis crassam, & ita digiti distorti, & immoti permanent, manus tamen ipsa moueri potest. post sensum ademptum formam amittere cæpere, quibus dum Medici calidiorum medicamentorum vsu subuenire contenderent, effectum est, vt partes continentes ficciores factæ succos crassiores conficerent. atque adeo semper in peius ipse laberetur, vnde in faciem effusi humores eam deturparint cum ipsa delicatior, & viscerum præsertim cordis, & iecoris effusionibus subiecta sit, sic oculorum palpebre in tumorem rotundæ, nares tumidæ labia crassiora euasere, ac medio corpore, & thorace toto tabescente, & candida cute manente facies, tamen Elephantiasim præ se fert, quod etiam tibiæ, & pedes faciunt,

E tibiæ enim, vt Elephantiasis efficit extenuatæ sunt colore nigro totæ etiam cute Elephantis, & pedibus informibus confusisque digitis in quendam, quasi truncum, vt videar Elephantis pedes videre. qui cum eo pariter, atque manus ipsæ sensu tactus priuati sunt. qua forma, quibusque humoribus, & materia concurrentibus. & si thorax ijs careat, partes tamen illis subiectas Elephantias, teneri necesse est, natura enim morbi e materia est, & per materiam, & læsionem actionum determinatur, hic materia melancholica à prædominio est, & altricem vim membrorum, & maxime transmutatricem vitiat, ut male nutricantur, ergo cum Elephantiasis intra hosce fines contineantur Elephantiasis,

hic morbus erit,& ad speciem Leoninæ accedet, cum bilis habeat multum,neque cum eo Doctore sum,qui Leoninam speciem à forma faciei appellari vult, differentia, namque propria Leoninæ à natura eius, accepta est, quod bilis multum habeat,quamquam citò increscat. Faciem verò etiam hanc non esse similem Leoninæ affirmare alienum est, nam si nares spectemus,& labia rotundata, & sine delineationibus Leonis mihi speciem referunt.

At Elephantiasis dicta est in cute Elephantorum simili,Verum est maxime de prima specie, quæ à melancholia puriori nascitur, sed ad alias species nuncupatio secum rationem æquam penitus, non transfert. Si authores describentes horum morborum species percurramus, quare tutius est ad ea, quæ morbis intima sunt,spectare, & inde eorum genera discernere, in nostro verbo videre, quod dixi nimirum ipsam causam morbi continentem, & facultates ipsas læsas nihil aliud, quam Elephantiasis speciem ostendere à quibus quoque, & periculum futurum, & quid ad sui depulsionem agere conueniat aperitur,futurum periculum est,ne totum corpus comprehēdat, nā quamuis non simus in initio morbi, si quamque partem affectam spectemus,cum in ijs, quas occupauit,iam inueterauerit, tamen si vniuersum corpus respiciamus adhuc morbus potest increscere, & nouas pluresque sedes occupare, & demum hominem interficere, & forte alios etiam, cum quibus viuit, & familiares inuadet, quamquam forte nostris regionibus non ita contagione valeat, quemadmodum in calidioribus fuisse antiquitus fertur.

Quid ad sui depulsionem ostendat malum, facile ex propositis eius partibus cernere est. Nam deprauata maxime per ariditatem temperatio iecoris, venarumque omnium, & partium extremarum corrigi per humectationem debet. Cui ariditati refrigeratio quidem adiuncta est, verum quoniam exustiones, & absumptiones effectus, à calore primò venit, calefactio tuta non est, si δυσκρασίαν ipsam cum causa sua efficiente consideremus.

At humor subest tamquam materia, qui quāquam frigidus,& siccus maxima ex parte est, siccandum tamen indicat, hoc est absumendum. quod & corporis purgatione, & discussione per calorem molienda fieri debet. ita calidorum vsus necessarius ad eum vsque finem adhibendus, & moderandus est, quo humor absumatur, & δισκρασία. tollatur frigida, ita tamen ne causæ vestigia calidiora excitentur minus ariditas confirmetur.

Ergo quando purgationi,& detractioni humorum prius vacandum est. Cum nondum medias partes, hoc est truncum, seu thoracem comprehenderit, ego necessarium putarem venam in cubito aperiri, per quam si crassus, & ater sanguis, vt alias fuisse fertur exiret, effluere permitterem,missionem tamen partiter, quo naturæ spatium esset se se colligendi, & sanguinis melioris secernendi retinendique. Si hęmorrhoides extarent, viam illam quoq; ego tentarem per interualla, quod longinquitas morbi ostendit agendum, spatium namq; demolitio longi morbi eo longius postulat, quo ipse diuturnior fuit. Interea humores leniter, & diu pararem potionibus, & paulatim detraherem, nec nisi rarò valentioribus purgantibus vterer. In parantibus essent buglossum,borrago,fumusterræ,oximel, thymus,asplenion, cuscuta, adianthus pentaphilon, syrupus de pomis, violaceus de lupullis de fumoterra à simplicibus ad compositos ordine seruato,atque ad purgantes identidem reuersione facta. vt ad syrupum de pomis Sabor,de fumoterra composito de epithymo,de polypodio gentilis, de polypodio suellani, & similes alios,rarioribus autem interuallis elleborus esset adhibendus maxime incoctus in liquore, ex quo syrupi dissoluerentur, vt sena, epithymum, & polypodium. Quo in cursu curationis ego laudarem serum ipsum caprinum in quo supra dicta vtiliter admodum incoquerentur, & succi herbarum immiscerentur.

Caloris verò iecoris, si indicia viderentur,non abhorrerem succum cicorbitæ, & cicoreæ admixto ipsius fumiterræ, & non abhorrerē syrupum rosaceum solutiuum. De mensura seri determinandum ei relinquo, qui curam illius tractabit, neque magis modum Græcorum, quam Arabum deligam. Sic verò prouisione habita visceribus me ad extremas,& eminentes partes cōuerterem, balneis aquarum dulcium vterer,in quib. ebullerint herbis, quæ molliendi, humectandique uim haberent, vt violis, malua, blito, ordeo,lactucis athea,& similibus sub quibus balneis, ego vsum carnium viperarum ad quemcumque modum probarem, siue ex illa percocta cum tritico pulli in escam dandi alerentur, siue vinum potandum illam demersam contineret, siue percocta ipsamet ederetur, ea enim ab omnibus datur ad huiusmodi infectiones discutiendas, tamen à salibus Theriacalibus nimium ariditatis metuerem.

Calidioribus item exterius non valde vterer, quoniam refert vesiculas à quoque calore excitari, quæ latentem quendam calorem insistere denotant,quod in canceribus sæpè vidi. Ciborum ratio vobis occulta nō est, humidior esse debet, & frigore temperatiori. Boni quidem succi, sed non crassi, vt ordeum, vt pulli, à vitulina carne eum prohiberem, ædinam illi præferrem. Vinum pauciferum album darem, quæ mihi satis esse videntur, atque supra necessitatem dicta.

De Cæphalea pro Rhaphæa.

CONSVLTATIO CCXXIIII.

CÆphaleam hanc dici posse potius,quam cęphalalgiam verum est, quoniam iam fere 8. annos caput ita habet, vt facili quaq; occasione doleat,neq; enim perpetuitas,sed diuturnitas facit quo potius cęphalea,quam cęphalagia capitis dolor vocetur.Cuius quidem mali hæ partes sunt,prima est antiqua in dolorem propēsio ab ictu in sinciput accepto,cuius plagæ vestigium adhuc manet, & tactu dolet. & duriorem cicatricem habet.quæ sanè propensio ab infirmitate in δυσκρασία, seu intemperatione posita subest, qualis autem intemperatis ab ictu induci potuerit conijci potest ex ictus ipsius opere, & ijs, quæ ad ipsum consequuntur. Ictus comprimit, humidum insitum partibus exprimit. Sic putredinem parit humorum e vasis expressorum, & succi e meatibus, & habitu carnium eliquato, & ipsarum etiam carnium molliorum, ac sæpe firmiorum, atque ossis, qui e suis sedibus eiecti, spiritibusque suis priuati, & calore necessario putrescunt, & postea in regione illa, quæ post putredinem concaluit, tum aere, tum dissolutione insiri caloris refrigerantur,quæ non minus à frigore hoc,quam à calore priori,& putredine sicciora euadunt.

Ex quo sæpe videmus, quod partes post ictum curatum firmiores inueniuntur sicciori habitu facto, & duriori.

Verum firmitas illa casu quodam facere potest, vt adiunctæ partes infirmiores sint, quoniam ea non eo firma est,quod caloris innati plurimum habeat,quod per belle nutriatur, sed solum, quod externis iniurijs minus moueantur, magis dura, cum sit. ita interea dum minus alitur, minusque alimenti consumit. dum fusis recrementis, minus exitum præbet omnino subiectis partibus officit, nam & suum recre-

recrementum ad illas repellit copiosius, & illarum quoque superuacua ad illas remittit suamque refrigerationem per excrementa illis impartitur, & peiora etiam vitia, vt mali succi detenti peiores euadant, illi enim in alimentum conuerti non possunt a calore tamen continentium partium tractati, & suo potius putridū aliquod concipiunt, siccantur, & morsum acquirunt, quo & infirmiores vires, partium fiūt, & dolores sentiuntur, quacumque ergo incidente occasionem dolor excitatur, siue calefactum caput sit, quo attrahat plus à subiecto corpore, siue humefactum, siue cor excandescens plus humoris sursum effuderit, siue ventriculus cruditate, idem fecerit, siue alijs occasionibus id euenerit. Atque deinde opportunitatem in capite ad dolendum causarint. De dolore ipso, & causis, iam, vt dicam proximum est. Dolor eam speciem habet, quæ tota in sensus tactus perceptione rei molestæ, & corrumpentis continetur, quoniam hic dolorem propriè accipimus non communiter, vt ad omnes sensus funditur. Causa eius, & propter quid, est res ipsa molesta, atque corrūpens, quæ in definitionem a causa tradendam, vt in omnibus adiectis, seu accidentibus fieri debet, cooptatur, vt dolor definiri soleat, quòd est sensus tristis, & corruptus ipsius tactus, quoniam a re organum corrumpente fit. Explicantior, itaque definitio erit, si, quid sit res corrumpens, & molesta, explicare subijciatur, ea verò est omnino in magnis quidem doloribus cōtinuatis solutio, & quasi laceratio valētius, & cito facta quæ intima causa maximè molestię est, huius verò efficientes, & apertiores sunt partim superātia caloris frigoris, & squaloris, partim incidens, quodcumque illud sit, quæ tactui non solum per figuram percepribile est, sed per ipsam dissectionem, dum ea fit; eo modo, ne aut nimis subita citaque, aut nimis tarda fiat.

Medici cum minus curiosè, & non tantum ad sciētiæ subtilitatem, quam ad vsum medendi loqui volūt causam doloris non solum leuioris, qui ab insigni calore, aut frigore neruosis partibus præsertim, sed maioris statuant necesse est, non illa, quæ primo per se, atque vt ipsa est dolorem efficit, qualis solutio inuisibilis continuitatis est, sed eas potius, quæ tractari medicamentis possunt nempe caloris frigorisue, aut etiā squalloris superantia, & ea continuitatis solutio, quā sensu assequi possimus, aut per ipsam, aut per causam eius sibi coniunctam, qualis materia distendens esse consueuit, siue flatus, siue humor existat. Nam vt causas doloris capitis inspiciamus, solet quidem fere capiti dolorem afferre, vt Galen. refert lib.4. Aphor.80. Calor ipse solet humorum concursus, & maximè bilis, solet ipsa obstructio, & tādem flatus qui potest in loco ipso gigni, potest etiam ex omni corpore attolli, cum materia crassa vi caloris in halitum effunditur, Vnde vrinas perturbatas, quæ fiūt tales propter eiusmodi effusionem voluit necessario indicare capitis dolorem, vel adesse, vel afferre, quamquam nos sępissime has vrinas, sine capitis doloribus cernamus etiā in febribus malignis, quarū materia Thoracem, vnde capiti dolor solet exoriri, occupat, vt pleuræ dolores denotant. Ita videndum esset, quænam horū causa dolorum existat, flatus ab vniuerso corpore in causa esse nequaquam credibile est; quoniā quod flatus, & halitus natura fieri non potest, dolor diuturnus nimis est, atque vt nunc etiam perpetuus, vrinæ verò ēt eam in corpore perturbationem esse non ostendunt, quo a toto corpore venire credi possit, neque verò febris semper dolori huic coniuncta est, vt tantæ crassorum humorum effusioni calorem ingentem requirenti adiungi necesse est, quare neque in capite ortū, neque a toto elatum spiritum huius doloris causam esse verisimile est. Minus simplicem calorem, qui tam firmius non mansisset faciens dolorem solus, nisi cō-

A seruātem causam sui haberet, quę omninò cū euidēs & externa non sit, interna esse, nec alia quā humor reperiatur. Diuturnus calor, & omninò intemperatio esse potest, quoties affixa est, & æquabilis facta, neque ab insita temperie, & naturali depelli potest, cum illam totam in sui naturam, & in se ipsam conuerterit. At ipsi naturali sic conuersæ sensus doloris non fit, ergo hæc intemperies, & minimè naturalem temperiem deuicit, quoniam dolorem facit, & cum habeat naturalem sibi aduersantem non reluctata tā diu esset, nisi causam sui conseruandæ haberet, quæ interna cum sit, spiritus verò esse nō possit, vt dictum est, humor omnino est; Cuius sanè natura, & locus generationis quęrendus. Nam bilis quidem fere solet vehementiores capitis dolores parere, pituita autē
B non tam acriter grauitate sua, & obstructione, id facit, ac bilis non solum in capite congesta, sed in ventriculo quoque, vnde per proprium anhelitum in caput intentum, & per membranas pertinentem molestet, quod de pituita forte dici nequeat. Cuius halitus quidem caput hebetet, & graue faciat, non item dolorem ferat, nisi doloris nomine quæcunque sensū alienæ, & nouæ rei accipiamus. Hic stomachum bile affici non videmus, & febri potius, quam biliosę congestioni in eo factæ illam a cibo auersionē attribuere debemus, cum enim sine febre dolor est, nō multum cibi fastidium est. In capite ergo humor causa doloris non solum est ita, vt per ipsum permeet, sed consideat in eo, & hæreat; qui vtrum ibi quoque gignatur, aut aliunde veniat videndum est, prius tamē hu-
C moris genus est discernēdum, quod cum tamdiu dolorem sustētet, cum somno, lentam, & hebetem eam reddat, caputque oneret, necessario crassitudinē habebit, & pituitæ naturam, cum verò acris sit etiam bilem sibi adiunget, qua re, & bilis ipsa crassa erit, cum per se, tum melancholici humoris admixtione, & ipsa pituitę crassitudo eorum vitium durius effecerit, & ad somnolētia eos omnes humores superauerit. Humores verò etiam calidiores cum pituita commisceri febris ipsa indicio est, quæ in frigidioribus humoribus caput ipsum occupantibus (nisi nimia copia cuius nō ita certa indicia sunt sese obstruant) non facile excitatur. Febrem hanc enim ab humore dolorem inferente esse existimo, præsertim, quòd non valde vehe-
D mens sit, & ad maiorem dolorem tantummodo moueatur. Hic humor in capite quidem considet, hæretque vt ibi multum suæ procreationis partem habet cum infirmum factum caput ab illa collisione sit, & dolori vt diximus opportunum; dolorem verò etiam longo magis imbecillum, & ad faciendum sibi dolorem magis procliue, quod vel bonum alimentum suo vitio iam diu comparato in malum succum verrat, & recrementorum plurimum faciat; quæ diu detenta semper peiora euadant, cum meliora fieri nequeant, sed a ventriculo quoque, & a iecore, & corpore vniuerso, vel vsque ab vtero facile imbecillum, & dolens caput dolore concalescens osse suo, vndique munitū, vt cucurbitula feruefacta attrahit, vel si nihil mali humoris haberet, sanguinem enim, vel optimum vide-
E mus ad dolentes partes effluere in hoc verò corpore, tam diu ægro, & ob dolores minus belle concoquente in ventriculo, in iecore, in quo propter febres plurimum etiam bilis fiat, in vniuerso corpore propter impediras corporis solitas motiones in vtero, in corde propter longos mærores, necesse est, vt multi mali succi semper præsto sint capiti ipsi attrahenti, qui in eo permisceantur a diuersis partibus diuersi cōfluentes. In capite verò id facilime fit, in quo venę, & arterię in vnū genus vasorū coeant, & humores suos cōmunicent; qđ sanè factū à natura credidi semper, qđ pituita cerebrū nutricatur a spiritibus arteriarū pfundatur, & sic extenuata possit in cerebrum permanare, cui rei similem rationem de lienis nutritione Galenus

bus dicebat, etsi non ibi vasa sic in vnum genus confundantur. Humor ergo in vasa capitis attractus, ibique obstructione detentus dolorem parit, non vt dixit vir doctus, ad cerebrum, & ad ventriculos delapsus, vbi neque sensus fieri potest, neque non symptomata multa cerebro propria perpetuo excitarentur, quorum nullum perpetuum videmus, quis animi defectus incidat, si somnus neque ille creber est, neque is ita multus, vt perfusum cerebrum, & plenos ventriculos pituita sit iudicandum, at enim dolorem eo loco non faceret, facit autem acrioribus halitibus concitatis ex eo humore vitioso in vasis confidenre dum con calescit, & quoniam ibi humor ille assidue moratur, halitus modo plures, modo pauciores mouens, dolorem etiam varium facit, quem intra craneum esse non extra cognoscimus cum tangentibus nobis, & cutem capitis tractantibus dolor non irritetur nisi in parte illa exigua, quæ ictu accepto cicatricem retinuit. Iam natura huius doloris, & partes ipsius, ac causæ omnes expositæ sunt. De nominibus anxius non sum. Discat quis esse morbum capitis essentialem, substantialemue, dicat primarium, aut secundarium permittam modo, quid ipse morbus sit intelligat, nam non præter labente, sed hærente humore afficitur, neque solũ aliunde veniente. Sed ibi quoque intemperiem aliquam sese generantem habente, quibus sic in conspectu positis iam, & quid verendum, & vnde verendum sit, & quid agendum sit, quo mala submoueantur apparet. Verenda est mali diuturnitas, verendum à toto corpore, ne suggestis humoribus caput inflammetur, vitamque adimat. Vnde incipiendam quoque esse curationem videmus, ne dũ caput tractamus, morbus materiæ vitio existens allicita è subiectis partibus materia augeatur. Detrahenda itaque à toto corpore prius materia est, & exiguus sanguis, & purus omnino reddendus, motus enim ab eo non solum vitioso, sed integro quoque est, & puro nisi exiguus reddatur, neque enim à plenitudine tantummodo metuendum, sed a moderata etiam copia, quoniam magnus morbus est, maioremque futurum minantur. Metus ergo futuri damni, sic tollendus curatione, quę pręseruatio à Doctoribus nuncupata est. Fuit sanguis detractus è vena cubiti, fuit medicamentum purgans exhibitum, missio sanguinis repetatur ab altero brachio, repetatur medicamentum, adijciantur dorso cu curbitulæ, tandem vena frontis incidatur. Humores verò non solum medicamentis per aluum purgatibus sed sudorem mouendo corpus vniuersum haurientibus sunt euocandi, vt salsæ pariliæ, potionibus cum herbis capiti familiaribus, & postremo caput proprie vijs suis expurgandum, & lotionibus quoque exonerandum, siccandumque, sic verò particulatim præscriberem hanc curationem, quo non solum ordo in vniuersum, sed in singulis constituatur. Inter apparantes potiones non ponerem oximel, ne dolorem irritarem, mel rosaceum mallem cum syrupo de betonica, vel syrupum rosaceum cum eodem de betonica componerem, quoniam, & incisionem, & detersionem habent; cicoracea etiam admiscerem, & de capillis veneris. In purgante medicamento agaricum, & turbit incoquerem aut macerarem cum polypodio, & sæna. elect. de dactilis permiscerem cum Diacatholicon. Repetito verò apparatu, post missum ex altero brachio sanguinem cucurbitulas affigerem, pilulas subiũgerem ex Agarico m. & cochijs, cum quibus aureas etiam coniungerem. Venam frontis inciderem errhina subijcerem (nisi satis sit cortex mali aurantij compressus suis illis guttulis in nares iniectis) ex aqua amaraci cum manna. Ex succo Beri, ex ciclamino, ex puluere tandem piperis, & Ellebori albi masticatoria ex mastiche primum, deinde adiecto pyrethro staphidagria, & similibus cum cera salsæ pariliæ, potioni bus interea sudores mouerem, cum qua betonicam,

A saluiamque componerem tenuissimumque victum præciperem, & aridum quo plus ex ea potione acciperet cogeretur, plusquam sudoris moueretur, & minus copia cibi officeret ijs motionibus citandis, sub qua si sudor capitis cum eo, qui esset vniuersi corporis, citaretur, crederem multum commodi futurum, sin minus id fieret, & dolor perseueraret lotionibus vterer, & ceratis, & vnctionibus, in lotionibus betonica, Afsarum iris. Hedera, amaracus saluiaque cum chamęmelo, & siccis rosis mihi viderentur opportunæ, in illitionibus solent ij præferre oleum colocynthidis, ego laudarem oleum ex terebinthina cum camphora mixtum ex quibus oleum vnum fit pulcherrimum, & valentissimum, ex hoc enim, & discussio materiæ, & exficcatio, atque temperatio partis fieret, ceratum esset

B idoneum quòd, ℞. amaracum. Stęchadem. Saluiam betonicam, iuniperi gummam, gũmam hederę, aloes, iridem, oleum rutaceum, chamemelinum therebinthinam, & ceram. Quæ nisi satisfaciant, sinciput ego adducerem, & vlcus retinerem, præsertim quod locus ab ictu infirmatus est, ei vicinus. De victus ratione non sunt multa dicenda; illud pro constituto habendum, quòd sine vino viuendum est. Post salsæ pariliæ potiones male etiam habebat, vlceribus etiam in capite exustis à mense tamen post conualuit.

C

De vsu cauteriorum quæ syncipiti admouentur, ad Excellentem D. Paulum Iuliarium Physicum Veronensem, per quandam epistolam scriptam.

CONSVLTATIO CCXXV.

QVæris à me vir Excellentissime, vtrum in fluxionibus à capite, quas omnes hodie Medici vocant catarrhos, quæ pthisim, aut aliud eiusmodi graue minentur, censeam admittenda esse cauteria in sutura coronali nec ne. Dicerem itaque, huiusmodi instà vlcera, quæ valentissima remedia sunt, quoties nihil aderit, quod impediat, dicta necessitate morbi pro

D posita, nullo pacto esse improbanda. Hic enim morbus cum sit extremus, extrema etiam indigere remedij vi, quæ est in cauterio capiti humoribus affluenti in futura coronali adhibito, præcedente tameu vniuersi corporis curatione, & multis alijs habitis obseruationibus ad eam executionem accedendum, vbi opus est iudicio perspicaci, quo possit omnibus, quæ facilè incidunt, prouideri, præterea chirurgo diligentissimo, bene perito, & probo; ob partis enim præstantiam, quicunque errores fiunt, ibi grauiores sentiuntur, & cum eo caput semper obnoxium est, internarũ partium materiæ, & idoneum ad vapores à partibus subiectis suscipiendos, quod sanè multam parit artifici difficultatem. Vnde videatur sæpè potius esse prudentis ab huiusmodi abstinere remedijs, quàm grauia

E subire pericula. Propterea ego quoque, quoad fieri posset, hoc remedium euitarem, quamuis pro compet to habeam, quod quemadmodum ars in vniuersali certa est, ita, & in particularibus certa esse potest, si necessariæ conditiones perspectæ sint. Sic itaque me gererem, vt nunquam, nisi cæteris remedijs nihil proficientibus ad idipsum cauterium in coronali sutura deuenirem, veluti remedium vt huic morbo maximè opportunum, sic etiam grauissimum.

Eo verò consilio vterer; Cũ hic morbus proficiscatur à capitis repletione, necessaria est euacuatio, cum adsit eius replendi causa, quæ est intemperies multa excrementa producens, requiritur eius temperatio, quando frigida est, & humida, calefactio, exficcatio-

que, ac

que, ac præterea, quoniam caput debile reddens obnoxium facit suscipiendis excrementis, illi robur est procurandum, quod si ipsamet intemperies, quoniam sit calida, in caput attrahat maiorem humorum copiam, quàm par sit, quamuis hæc sola quorundã opinione, nõ gignat fluxionem, nisi frigida intemperies superueniat, quæ humores deorsum detrudat, potest tamen etiam sola calida id perpetrare, quoniã caput adeò materia repleat, vt ipsum illam grauioré factã, necessario demittat. Ideò, quæcunque sit hæc intemperies, cum eius contraria remedij intemperie est remouenda, & robur capiti conciliandum, quod cauterium quoque potest præstare capitis materiam absumendo, & per siccitatem impressam ipsum corroborando. In calida tamen, metum, ne calfaciat, ferè nõ sic de facili vtimur cauterio, vt in frigida, & humida B facimus, quæ corrigi debet calfaciendo, & siccando. At verò capitis repletio non semper habet primam causam in seipso, & quamuis ita esset, cum tamen subiectę capiti partes sæpènumero habent humoré aliquem ipsarum nutrimento ineptum, & eum à se expellunt ad alias partes imbecilliores, vel permittunt ab illis, aut ob calorem, aut ob dolorem, aut ob aliquam euacuationem trahi, vnde, si capitis tantũ euacuationi incũberetur, noua ad ipsum traheretur materia. Idcircò causa huius materiei ascensus prius tollenda est, & simul, quicquid in subiectis capiti partibus superflui reperitur. Remota igitur causa, vel à toto corpore, vel ab vna tantum parte, humoribus noxijs euacuatis caput purgare oportet; deinde remouere intemperiem, quod si vno, eodemque remedio C fieri potest, optimum id fuerit. Vnde, cum maiori ex parte vasa membranarum materiam in capite detineant, quæ purganda est (quæ in cerebri cauitate cõtinetur, quotidie à virtute detrusa per proprios meatus, & eò facilius quoniam à suo pondere iuuatur) cõmodissimè posset extrahi per suturas cranei, qđ cauterium quàm commodissimè efficeret, ipsum enim per suturas euacuat, & simul intemperiem remouet frigidam, & longè maximè humidam, caput, & eius calorem natiuum roborat, quæ est indicatio sumpta ab vsu partis.

Secundum igitur artis rationem cauteria adhibere coronali suturæ non vererer. Sed dicet quis; timetur mẽbranarũ exsiccatio, corrugatio, & simul cõuulsio. D

Respondeo primum, periculum conuulsionis nullum imminere, si tres ipsius causas rectè inspiciamus, hic enim membranæ, non replentur materia, non adest principium neruorũ, qui propter mordicationẽ excitetur ad motum conuulsiuum, nec potest siccitas induci, nisi ob errorem chirurgi in mensura, mẽbranæ enim abundant vasis plenis humiditatis. Sed dices, sunt aliæ viæ ad purgandũ caput idoneæ, ac magis naturales, vt palatus, nares, aures, oculi: Dico, per has vias euacuari excrementa, iam expressa, & ad ipsas missa, sed quæ continentur in vasis, ac cauitatibus remotis, quæ nos imprimis purgare vellemus, nõ nisi longo tempore duci possunt ad illas vias, & non nisi magna cerebri offensa, quotiescumque breui hoc facere vellemus, per quod cerebrum trãsitus fieri opus E esset: præterea in fluxione tendente ad pulmones rationabile non est hanc materiam deorsum trahere, neque etiam ad nares, nimia enim efficitur violentia, & cum capitis etiam repletione. Vnde soluitur etiam illa ratio, quæ dicit, excrementa, quæ reperiuntur in ventriculis capitis à cauterio duci per cerebrũ, ac membranas, neque enim actio ipsius cauterij extenditur, vsque ad ea excremẽta, quæ quotidie, & singulis horis per proprios meatus descẽdunt, & ã proprio ponderis nutu, & cerebri virtute pelluntur. Nec valet iila ratio, quod scilicet trahatur materia ad caput cauterij vi non tàm altè descendente, præsertim, quoniam supponitur vniuersalis euacuatio. Nec imbecille redditur caput, sed roboratur, nec dolor trahere potest, qui vix aliquis est, maximè cum nõ adsit materia quæ trahi potest. Quod verò diuertendum sit per vias fluxionis descensum interrumpentes. Dico hęc nõ tollere affectum, qui est causa, quod requirimus, qui quidem in repletione capitis est positus. Et si continuo vapores, & materię ascendunt à toto corpore, quæ magis per cauterium trahũtur: huic occurrimus cũ dictis diuersionibus, & reuulsionibus, paulatim euacuãdo semper per loca capiti viciniora, quoad nulla alia adsit materia, quam ea, quæ per verticẽ capitis extrahi potest. Ac si fortè eam etiam, quæ in capite est, per dictas diuersiones, ac deriuationes euacuatam esse cognosceremus, cauterium esset dimittẽdum. Sed materia in capite permanẽte extremo morbo supposito, necessarium erit cauterium, nec sufficit aperire partes quæ sunt post aures, & in suturis inferioribus capitis, vt certis casibus docet Hippocrates. Idcircò rectè dixit Rasis, rectè Auicenna non minus rectè ipse Mesües, qui rem, ita vti dictum est intelligunt. Quid in oppositum dicat Cardanus libenter, cũ erit ocium videbo. Quod verò hęc sententia conueniat cum doctrina Hippocratis, & Galeni ex hoc potest coniectari, quoniam ipsi audent ẽt cucurbitulas, cum scarificatione capiti applicare, quæ magis à lõgè trahunt, q̃ cauterium. Et ego vidi semel, & iterum cucurbitulam admotã suturæ coronali mirificè profuisse, cum nulla alia deriuatio hoc præstare potuisset. Actius ẽt sæpè consulit caput pluribus in locis vrendum. Tutius autem cauterium, & vtilius cãdenti ferro quam medicamentis dari pro certo duco, qđ si aliquam ob causam esset dimittendum, eius loco opportuna essent vesicatoria vertici ipsius capitis admota. Atque hæc à tua sententia vir Excellentissime nõ dissentire, mihi persuadeo; sed admonendi tñ sunt Medici, cognoscant, num materia à capite, nõ à toto, vt fieri tamquam facilius factu consueuit, in pulmones confluat, sicuti, cum fit peripneumonia cõfluente sanguine, vidi enim plerumque in physicorum cadaueribus, qui multos annos occupati fuerant, incredibilẽ puris mali copiam, totosque pulmones occupantem, quæ certè à capite esse non poterat.

Pro nobili iuuene Aniceto Pilonio, cum Salio inita. Anno Domini 1563. 15. Iulij.

CONSVLTATIO CCXXVI.

VIr Excellentissime; Eorum, quæ in curando hoc iuuene facta à me sunt, quæq; facienda proposuisse me iam dicam, rationẽ afferre non possum, nisi huius corporis vtrumque statum, nempe sani, & nũc ægri, atq; exteriora, quę antecesserint, vnde omnis ratio ducenda consilij est, prius accuratè exposuero. Itaque illa sic breuiter, & per capita percurram. Naturalis huiusce corporis status, ex parte actiuarum qualitatũ, cũ venæ aliquanto angustiores sint, vt arteriæ, & pulsus parui, cũ corpus sine colore, sine pilis multis, illiq; nõ nigri admodum sint, cũ mores lenes, remissiq; spectentur, potius ad frigidas partes inclinat, & cũ cor potior caloris fons sit, atq; vt ego existimo, cũ Aristotele, ẽt vasorũ, ipsum frigidius esse necesse est. In passiuis autẽ qualitatibus, cũ sit carne exigua, tactu asperiore colore non albo, vasis angustis, atq; cũ proposito frigido statu aliqua tñ pilorum copia insit, ad siccum potius vergere iudicarem, & consequenter iecur, in quod humidi ratio potius refertur, siccius esse oportebit, plus verò caloris in iecore ponerẽ ad bilẽ potius gignendã, quam ad corpus vniuersum calidius efficiendum, aut vasa amplianda idonei, vnde color etiam bilem imitetur, vnde pilos in exigui animi, &

exiguo-

exiguorum vasorũ hominibus sæpè multos videmus ab exusto sanguine iecoris causa exorientes, quo Medici Galeno ad stricti in statuendis temperamentis ex notis à Galeno propositis solent titubare. Hoc igitur corpus haberẽ frigidioris quidem generis, at ὀζύθυμον propter bilis vim, quæ è iecore profecta vẽtriculo noxia fit, & toti etiam corpori alimento inepta minus alescendi est causa, quæ ætatis progressione exustior facta, etiam aliquid acquirit. Vẽtriculi ratio tum sui natura potest, tum verò ob rationem tenuitatis carnium oportet, vt frigidior sit, ad quod iecur largius bibendi necessitatem, quam sua affert attractione, & calore plurimum potuit conferre, vnde pituitæ multum subesse etiam liceat, frigoris eius indicium est cibi cupiditas, abundantioris humiditatis, etiam oblectatio abundantioris, & largioris potionis. Caput inde, quod sua natura frigidius ex propria actionum tarditate, & sententiæ firmitate intelligitur, & quod etiam caluũ minimè sit, consuetudine etiam cum ventriculo frigidiori frigidius euaserit, quod humidum tamen esse non video, nec siccum valdè, cum ipse robustus admodum in motionibus non sit, quamuis vitæ ociosæ mos plurimum siccitati potuerit totius corporis, & neruorum obstare. Atque hanc tum natura, tum consuetudine in hoc corpore reperio temperiem, à qua iam videndum quantum exciderit, & quid occasionis excidendi ab ipsa acceperit ab ijs, quæ præter naturam dicuntur. Febris est conspicua, cuius narratio, & vna omnium coniunctorum præmittenda est. A die lunæ ego possum proprio sensu loqui, at dixit se antea die sabbathi toto decubuisse, cũ prius per multos dies, & veneris præcipuè diem laborasset, quo die sibi vim fecit, vt muneribus suis vacaret. Vbi quidam à die decubitus inciperet metiri actionem naturæ in morbum; A die verò veneris, vires morbi in naturam. Sed ego initiũ morbi fuisse eo die, quo actiones a morbo in quocunque homine vel delicato, vel rustico etiam impediri euidenter potuerint, statuo. Cum ergo ipse cupidè nimis tractare suas res vi multa se se sustinuisset, ne decumberet, cum euidenter à morbo impediretur die ipso veneris, propterea eum diem primum facerẽ, nisi enim febris affuisset, solo dolore capitis non tam grauatus fuisset. Febre verò incipiẽte incipit putredo (hic enim in humoribus est) in qua putredine necessario, aut natura cum morbo, aut solus morbus agit, vnde a principio putridinis criticorum dierum ratio ordienda, ipse nescio, quo autore, solutionem ventris per medicamentum sibi quæsiuit, quod euomuit, & ideò per clystere idem procurauit, & eo quotidie aluũ duxit. Multis autem ante diebus capite, & reliquò etiam corpore ægrè se habuerat. Quartò itaque die nempè die lunæ, cum aduenio, febris acris est, & vehemens, corpore inquieto, ipse vigilijs, ibique fastidio, id est, ἀσιτίᾳ, & abstinentia languidus in pulsu intelligebatur, lingua lutea, & sordida, vrinæ præter colorem nondum valde maturæ adhuc, mediocri corpore, & suspensione, qua etiam alba erat, & lenis, & æqualis, hoc est, in omnibus vrinis similis tum matutinis, tum vespertinis, vt quarta die coctionẽ factam putasses. Ego quartæ diei suspicione nihil egi præter syrupos ex cichorea succo citri, & acetoso. Vesperi æstus magnus in inferno abdomine, conflictatio summa, & iactatio corporis, anxietudo, & metus mortis aduenientis, qua vexatione nocte tota somno prohibitus est. Quinta die nẽpe Martis eadem manebant, aderat naturæ ad vomitum propensio, sed vomere non poterat, & timidè, ac grauatè eum tẽtabat, vnde etiam calorem sibi ab abdomine in totum thoracem effusum dixit. Ego nondum morbum increuisse ratus, materiamque ferè turgentem, cum corpus continua cõflictatione vexaret, medicamentum lene satis præscripsi duobus syrupis superiori die datis, clystereque iniecto ad molliendũ, ille vomuit biliosa tãtum, nihil cibi, nihil medicamẽ-

A ti, deinde ad modum varia deiecit bis tãtũmodo, sed incredibilem copiam, ab ea deiectione cibum fastidiebat, & sine cibo, & sine somno manens languescebat, præsertim, cum sub deiectionibus multum languoris animi habuisset; conflictatio tamen illa remisit. Sexta die noctu sine somno fuerat, mane vrinæ colorem intensiorem habebant, quod à medicamentis fieri consueuit, posteriores minus infectæ fuerũt, tertiæ magis, posteriores adhuc minus eadẽ febre manẽte. Septima iã eædẽ fuut vrinæ, prima tñ, quæ noctu prodijt, crassior fuit, & iã incrementum morbi prænunciat, nox sine somno pariter, & sine requie fuit, quibus omnibus diebus cõiter obseruo vrinas copiosas fuisse. A medicamento iuscula, borrago, betonica, & tormentilla immixto syrupo acetoso præcepi bis die sumenda, quod B credo seruauit, syrupos enim omnino respuebat. Ad somnum cõciliandum vix oleo violaceo vsus sum, ori etiam ventriculi in vnctione propria subueniebam. Quorum factorum rationem, vna, & eorũ, quæ modo agenda supersunt, adhuc inquietustine, ἀσιτίᾳ, siti, oris siccitate febrem vehementiorem insequẽtibus iam vidẽdum est. Putridam febrem esse video, & eius putredinem in medijs corporis partibus, cum penitus sine remissione continua sit, malignam autem esse putredinem non video, quãuis morbus malignus eo nomine dici potest, quòd, cum in metu vitæ nos habeat, non tamen spem omnino tollit, vel ad malum morem illum animi lãguorem inquietem, iactationem, & vigilias referamus, vt malignum nobis infectum denotet. Cuius verò humoris hæc putredo sit, iam ex natu-C ra corporis, & vitæ cõsuetudine, & notis præsentibus videndum. Vrina crassiores suspensiones, & copiosas crassior ipsa iam habet, quæ humorum crassitudinem significant, quos eiusmodi esse natura corporis per se, & propter ætatem ad melancholicum inclinata, & vẽtriculi frigidioris genui pituitã suggerens, & vitę mos cibi largioris, & otij eandem congerens cõfirmant, vt præterita cæli temperies humidior, quod tamẽ etiam subsit bilis vrinarum splendor indicat, qui melancholiæ quoque siccitatem sequi potest, linguæ color, vigiliæ, sitis, & alui excremẽta, in quibus etiam crassorum humorum notæ apertæ sunt, de quibus pituitam salsam effectam esse verisimile est, & inde liquidiorẽ factam, & vrinarum copiã suggerentem calore illã col-D liquante. Causæ putredinis obstructiones sunt, obstructionum crassitudo succorum supradicta motu repẽte facto, quo ad angustas venas digesta est, subito, calore cœli excepta, quod è frigido in calidum repentè mutatũ est. Sic itaque euenit, vt à corporis natura, & viuendi modo, & cœli repentino calore ad obstruendum deducti, & in putredinem conuersi sint, vnde vapores in viscera, in caput in musculos pertinent, febrem, dolorem capitis, vigilias, & inquietẽ in musculis facientes, quam augent sua infesta nimis acri natura, & non solum musculos, sed ventriculi os mordicãte, vnde, & sitis, & siccitas, & amaritudo oris, qua putredine materiam magis semper cõpræhendẽte, plus etiam excrementi facit, quod per vrinas deiectũ illas reddit crassiores, & incrementum tum putredinis, tũ E maturationis, tũ morbi ipsius id significant. Agẽda verò hæc ostenduntur; Calor, refrigerandũ, putredo exsiccandum, obstructiones, aperiendum, materia extenuandum, incidendum, & detrahendum. Vires, malignitatem subdolam defendendam, inquies à ventriculi ore, à corde materiam auertẽdam, vapores, à musculis discutiẽdos. Cum itaque ijs omnibus in magno morbo detractio sanguinis esset præmittẽda, illa adhiberi non potuit vigilijs, ἀσιτίᾳ, labore iactationis iam quarto die eũ habentibus, quæ neq; à sanguinis detractione tolli, neq; nõ summam virium imbecillitatem breui allatura ex sanguinis missione viderentur, præsertim corpore malis, & crassis succis referto, deliquiũ ẽt animi ex ore stomachi vexato minabãtur, atq; potius

tius ijs medicamentum facturum existimari licebat, maximè cum æstus inferioris abdominis eo inclinatã materiam significaret. Itaq; ante medicamentum subito potiones incidentes, parantesque humorem, & vias datæ sunt,& clystere ad idem iniectum. A medicamento verò eædem,vel similes suffectæ,quas supra dixi,atq; vt cor à vitio,contagione putredinis defenderem,cũ ijs pulueres ex cornu cerui,& corallis adiũgo,à quibus et os ventriculi,vt à potionibus dictis iuuari potest.Ad eandem cordis defensionem pulueres dictos cordiales frigidiores contra cor admoui,ex rosaceo vnguento: quoniam respuerat eos dilutos ex aquis,cum quibus ego libentius adhibebam, ne vnguẽtum pinguedine sua calore augẽdo faceret vt pinguia omnia solent.Aquæ verò essent ex acetosa,melissa,tormẽtilla adiecto aceto,& paulo etiam maluatici vim, B quæ omnia etiam persequerer ad agẽda in posterum me conuertens,nescio enim manãte eadem morbi ratione agendi modum mutare. Si vigilia fortiori remedio egeat, olfacienda,quæ ex papauere constant, darem:tempora ex diapopuleone illinirem,& demum si res exigat,opij paulum in eo adiungerem. Cum verò coctionis notæ apparuerint,frictiones adijcerem corporis partibus omnibus:eminentibus verò etiam nũc eas adhiberem,vt à medijs,& à capite materiã vaporesue reuocarem:molestiamq;musculorum discuterẽ, & materiam extenuarem,concoctamque dissoluerẽ, potionibus quoque tunc valentius aperientia, ac vrinam mouentia incoquerem,vt apij,rusci,asparagi petroseliniq; radices, ac nũc etiam radices graminis incoquerem.De cæteris vt vt occasio attulerit, erit consulendum.Num verò hæc fieri possint, & salutem datura sint ego timeo quidem,cum nõdum statum morbi videam,tamen etiam bene sperarem conualuit.

In hoc consilio ego non disceptaui,num febris hæc esset putrida, num vero ipsa esset morbus, an ad alium morbum sequeretur, vt inflammationem, aut erysipela uisceis alicuius, quoniam ex apertissimis notis ea constabant,minus symptomatibus validiora adhibebam, quoniam non videbantur multum vires infirmare, alioquin paratus vigilijs occursare cũ oleis de papauere,de Mandragora,deque hyosciamo,cum sacculis florum Nenupharis violarum s.papaueris,folijs Mandragoræ lactucæ madefactis in iure eorũdẽ. Cum syrupo de papauere ex aqua lactucæ, cum ℈. 1. philonij Romani,& hoc potius tamquam melius cor D recto,quã sit Requies Nicolai.Vel cum ʒ.1.Theriacæ recentioris nondum tertium annum attingentis.

Pro sene febricitante.

CONSVLTATIO CCXXVII.

MEum est ipsam narrare ægritudinem,atque ea, quæ hucusque fieri contigit, tuum verò, quæ agenda sunt,pro curatione præscribere,& huic consulere pro sapientia tua, quoniam hac causa ades vocatus.Senem esse,ac febricitare obscurã,atque vt ita dicam inuoluta febri constat, tempus anni prope ver esse humores in hac febre, cum ex malo viuendi modo E ortos,tum hyemis esse quasi fructus, quoniam nõ adhuc à calore superati sunt.De morbo ego hæc per tẽpora enarrabo.Principio minor longè erat febris nẽpe calor,quàm nunc,tussis molestior,dolor hypochõdrij sinistri grauior,vt iacere in illud latus non posset, famesceret etiam,vrinæ albiores,spumosiores,nulla sitis,multo quàm nunc rarior pulsus,vt pituitam,cum melancholia superiorem ostenderet,quam periodi et confirmarent.Deinde vero desijt illa fames:procedẽte etiam tempore propter calorem febris omnia effecta,putredinemque compræhensã magis ad calorem conuersa sunt,tum quod ad pulsum, tum quod ad vi- A gilias,& etiam vrinam,sitimq; attinet,nec miror, qm̃ hoc putredinis est.Febris quotidie vesperi inuadebat, & aduentum spatio aliquo semper retardabat, nũc erratica est facta: materia crassa ex putredine in varios habitus conuersa,& in varias partes detrusa,eosq; intrante.Sed quod imprimis est animaduertendum vigiliæ adsunt,& hoc non solum à febre sed etiam, qm̃ cogitationibus vexatur,vt sua natura ipse solet, est enim calidi capitis,atque etiam hepatis,vnde per æstatem exusta bile melãcholię causa semper cogitat.Causæ humorũ fuere,natura corporis,ætas, vitæ ratio,moris in quibus procatarcticæ causæ fuerũt frigus, & ita inter initia omnia pituitam semper ostendebant,deinde,melancholicũ humorem,tñ non sine bile,saltẽ propter naturalem iecoris temperiem, nunc verò pituita per abstinentiam,& febrim diminuta iam multũ posse bilem videtur,ac melancholiam, vt per sinistri hypochondrij dolorem,vigilias,& vrinas,& errantes accessiones intelligitur.Sepulta tamen etiam febris est, bile non omnino superiori, vt in senibus consueuit. Quod ad virtutẽ attinet,est robustus sua natura, hoc mane,animaduerti maximã in pulsu inæqualitatẽ, sine multo robore,nam sexto, vel septimo quoq; pulsu celerrimus,protinus procedebat pulsus minima mora interposita,quod in eandem humorum varietatẽ potius,quam infirmitatem virium referrem.Quid agendũ sit,syrupos abhorret,hactenus ego capil. veneris, ceterach propter sinistri hypochondrij dolorem præscripsi cum hordeo,liquiritia,& passulis propter feniũ C & pectus,tãdem & radices petroselini, possemus nũc adijcere heleniũ agrimoniam,& hyssopum,quod etiã fecissem si per morbi tempus licere credidissem.Fugiẽdæ forte erunt radices petroselini, propter vigilias si magis vexauerint.De sanguinis missione non cogitaui,neque nunc cogitandum puto,cum ætas,tẽpus anni,materiæ genus omnino prohibeant, sed vt concoctio sensim fit,ita & ego sensim expurgarem. Cucurbitulas etiam dorso applicarem,vt emissio iuuaretur, si illuc fieri expulsionem viderem, nam dolet iã dorsum.At si inspectus eo non fiat,vterer capillis veneris cum lupulis ad vrinam mouendam, nam videtur sua natura eo pronus esse. Conualuit.

Pro muliere asthmatica.

CONSVLTATIO CCXXVIII.

VT facilius memoria teneantur,ac vno conspectu in memoriã veniant quæ sunt obseruãda in curatione Reuerendæ matris sororis Teclæ,hic summatim per capita proponuntur.Caueat aerẽ præcipuè frigidum,& humidũ,veluti septentrionalẽ, & meridionalem,maneat potius in aere calido,& sicco,maximè verò vitet illius subitam mutationem.Pro cibo vtatur pane bene fermentato,carne potissimum auicularum vitetq; carnes grassiorũ animantiũ.Potus sit vinũ mediocre,tenue,album,nec bibat vinũ nisi in mẽsa. Pro sorbitione,vel polticula incoquatur panis in iure cicerum rubrorũ,cauliũue,vel hordeum,vel far ex aliquo iure,at dum coquitur far aliquid aceti ingeratur, vel liquidissimũ far detur.Vitet somnum diurnũ. Noctu dormiat spatio septem horarum,capite sublimiori, ac si forte noctu dormire minimè posset, interdiu dormiat ante cibum,sin minus post eum totius horæ spacio,neq; multo plus.Vtatur qua potest exercitatione, absq; molestia deambulando ieiuno ventriculo, vtatur et frictionibus ante prandiũ,in principio lenibus, deinde fortioribus.Idem canendo faciat, videlicet, in principio leniter,deinde altius.Quotidie aluũ exoneret,& nisi respondeat per se, arte vtatur, vt capiendo primo cibo passulas,vel caricas maturas,post quarum assumptionem bibat ius cũ sacchæro crassiori,vel cly-

steribus

steribus vtatur iam ante à me præscriptis, ante prandium. Quod reliquum est, mæstitiam vitet, & à cibo nihil agat, nihilq; cogitet. Capiat mane à me præscriptos syrupos inter quos hi sunt. ℞. syr. de Calamento, syr. de hyssopo. oximell. s. an. ℥. s. vel ℞. oximell. compositi ℥. s. syr. de hyssopo ℥. 1. aq. fœniculi, hyssopi, prassij an. ℥. 1. mes. pro vno syrupo. Aut, si magis placeat, capiat ius à me præscriptũ, in quo præter cætera memini, me iussisse decoquendum helenium, brassicas, iridem, porrum, & mannam miscendum. Pro purgatione hoc mendicamẽ sumi posset. ℞. elect. sebestẽ. s. ʒ. 6. electuarij diasebesten solutiui ʒ. 3. agarici trochiscati ʒ. 1. Dissoluantur in s. q. decoctionis pectoralis f. potio. vsum cassiæ, & mannæ in memoriam ei reuoco, quomodo iam dixeram, præterea ad lambendum, vt sputum facilè reddatur, electuarium de pulmone vulpis mixtum cum electuario de iride, & de pino cũ syrupo de Hyssopo. Non præterirem semina Vrticæ, quę quoties miscui cum his electuarijs, mihi visa sunt valde profuisse.

Pro Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Bernardo Naugerio suffusione affecto, quod inita est 18. Ianuarij 1565. cum Beroldo, Lando, Lacisio.

CONSVLTATIO CCXXIX.

EXcellentissimi viri, quando, & mihi inter vos dicendi locus est datus, sic de re proposita statuerẽ, vt non ipsius propositæ quæstionis difficultas vos hic accersitos velit, quę disceptatione certè non eget, sed potius maxima Illustrissimi viri dignitas, quæ quidẽ tanta est, vt nulla etiam proposita difficultate, cũ omnium, tum verò vestrum excellẽtissimorum Medicorum operam exigere videatur. Quæstio proposita nõ mihi simplex vr, cũ eius summa his capitibus cõsistat.

Primò. Num hæc suffusio, quæ in dextro oculo sita est, è regione pupillæ sit deducenda, tum autem, si deducenda, quando id commodius fiet. Tertiò quomodo. Postremò qua ratione oculus, ne in id rursus labatur, possit sustineri.

Primum caput, duobus veluti fundamentis innititur. Altero, an illa deduci possit, reliquo an debeat, hoc est, ex deductione fructus aliquis sit consecuturus, labor enim discrimini præsertim adiunctus, nisi alicuius fructus superfit spes, non est suscipiendus. Videndum igitur est, an optatam aciem simus consecuturi, ita vt recuperata conseruari possit. Vniuersus autem indiciorum numerus, quibus, an possit deduci decerni potest, in plures sedes est partiendus. Nam sumenda sunt indicia primum à natura huius suffusionis; deinde ab oculi formatione, atque natura, tum etiam a statu ipsius corporis vniuersi. Tertiò ab artificis oportunitate, qui opera manus est vsurus. Quod attinet ad oportunitatem artificis tantum in eo artis, & peritiæ esse est exploratum, vt posse id omnino cõmodè præstare existimemus, quamuis enim sinistræ manus opera dexter oculus indigeat, hic vir, ambidexter cum sit, atque vsu sinistram manum cõfirmarit, commodam curationẽ omnino pollicetur, ac tutam. Oculi autem conformatio talis est, vt nihil afferat impedimenti, quod ex paruitate, concauoque nimium oculi situ, tunicarumq; obscuritate solet, nam prominens oculus, clarisque tunicis prẹditus cum sit, tum manui, tum aciei artificis facilè sese præstabit. Quare neque de artefice, neq; de oculi natura, & cõformatione quidquam amplius dico. Reliqua duo diligentius expendam. Natura enim corporis vniuersi sola, in qua consuetudinem, & ætatem comple-

A ctor, in re hac difficultatem aliquam habere videtur, cui tamen, tum vestra prudentia, & studio, tum ægri obtemperantia facilè potest occurri. Hanc verò naturam in calorem, & humorem inclinare censerem, quod ex singulis ipsius corporis partibus videor colligere posse, idque eo diligentius percurram, quoniam non solum, an deduci possit suffusio, docebit, sed cæteris etiam capitibus omnibus expediendis auxiliabitur, nempe, an fructus aliquis futurus sit, & quomodo sustineri oculus possit, ne rursus in idem reuoluatur. Quod ergo attinet ad calorem, quamuis ex accidenti, tum caput, tum ventriculus sint refrigerata, natiua tamen temperie, cum membris cæteris ad calorem vergunt, vt prioribus eius ætatibus nullum membrũ oportuisset è genere calidiorum excipere, nisi quis de

B corde velit ambigere, vt suo loco dicam. Ventriculus quidem nunc, quod ex flatibus licet colligere, eum, quem copiosum, ac optimè cõcoquentem calorẽ antea gerebat, videtur non omnino retinere, ad quã firmandam coniecturã illud adiungo, qđ plus longè appetit, quã possit coctione superare, itaq; frigidior ventriculus est, causas inferendi huius consequentis vos nostis. De hepate facilè est iudiciũ, ipsum scilicet calidum esse natura, atq; longè elatiorem, ascititiumq; in præsentia calorem retinere. Natura quidem, qm̃ florente ætate omnibus naturæ operibus, omni, tum venarum conformatione, tum carnium, ac pilorũ colore, atq; corporis habitu calorem repręsentabat. Nũc etiam, si non ex pilis in sene, saltem ex venarũ amplitudine, & carnis colore, atq; habitu id habemus. Qđ

C enim amplæ venæ sint, id tum cernimus, tũ ea coniectura assequimur, quæ à facili ventris solutione, & liberali per vrinam purgatione suppetit. Vtraq; enim via, vt facilè educentibus cedat medicamẽtis, latiora vasa exposcit. Rubor verò pręsertim faciei, vbi humorum efflorescentiæ locus apertior est, sanguinẽ significant abundantẽ, hic verò hepatis calorẽ in sene 58. annorum, qm̃ ætatis refrigerationi nõ cessit, quin valdè adhuc possit; vnde in ijs ferè, qui in florente ętate sunt pallidiores, puta biliosi ruborẽ quidẽ ijsdem senescentibus videmus accedere calore per ętatem mitiore facto, benè ẽt valẽdo carnis habitus plenior fit, qui boni sanguinis abundantiã significat, & ideò in sene est boni caloris indicium. Affectus ẽt omnes cor-

D poris pręteriti hoc cõfirmant, qui & Medicis pręstãtissimis potissimũ calidiori hepati, bilisque, & sanguinis copię sunt adscripti, multę tñ etiam ob externas causas pituitę adiũctę. De corde, sicut ipsum frigidũ nunquam videmus, quin auarum, timidũ, ac subdolũ hominẽ reddat, sic liberalitas, magnanimitas, candorq; viri Illustrissimi nunq̃ cum frigore cordis possunt esse coniuncta, & pręterea neq; hi pulsus, qui parui nõ sunt, quod tamen calidum insigniter non possum statuere, quoniam, licet quædam in omnes affectus, & actiones animi insit celeritas, ipsius tamen mores, neque vehementiam, neq; acrimoniam quandam retinent. Ipsa quidem promptitudo frigus omninò renuit, facilitas, siccitatem, quę facilitas, & morum elegantia potius humiditatem quam calorem significat. At be-

E nignitas illa, quæ sibi naturalis est, atque vt ita dicã, comitas mollissima, vehementiam caloris non patitur. Confirmat hoc pectus non multum elatum, imò submissum potius, & capiti satis magno non respondens. Adde illam vocis tenuitatem, acutiem ve, quæ angustiæ laryngis, & pectoris, quanq̃ verò valde abũdanti spirituum copiæ, adscribenda est, quoniam non solum grauis non est, sed acuta, & clara. Caput verò potissimum calore præstat, quod ex ingenij magnitudine, & celeritate, ex acerrima solertia, ac promptitudine, & vigilantia, versatiliq; quodam in rebus agendis studio potest constare, cum enim alioquin huius cerebrum humidũ esse multis argumentis nobis cõprobetur, profectò hęc omnia à calore humidũ vincente,

cente, ficuti & caluitium ipsum nascuntur. Suo præterea tempore, capilli erant coloris a flauo in nigrum vergente, quod ego in depicta eius effigie obseruaui. Idem vero, vt ex pallidæ eius effigiei colore, sic nunc ex huius ætatis rubro in facie, & amplioribus oculorum venis demonstratur.

Et tandem, cum ita fluxionibus calidioribus fuerit obnoxius, semperque patuerit eius generis morbis omnino calorem cum humido coniunctum præ se fert, quamuis, vt dixi, externis causis labefactatum in frigus hac ætate inclinauerit, quod susceptos humores ferè augeat coctione diminuta, & digestione etiam impedita, præcipuè meatibus a senio angustioribus effectis.

Quod autem ad humidum spectat, omnia membra in multum humidum corpori toti suggerendum conspirare visu non est difficile, aluus lubrica, solutaque ferè humidum ventriculum ostendit, &, quod alicui posset imponere, siccumque ventriculum suadere, illa scilicet liberalioris potus appetentia, potius hanc sententiam pro humiditate confirmat, similia namque naturæ suæ conseruandæ cupit, quod si istud humidum illi cognatum non esset, tunc contra ab illo liberari appeteret, nec tantam potus copiam requireret; requirit autem, quoniam inde suæ naturæ est humidioris conseruatio. Neque enim exsiccatum esse præter sui naturam dici potest, cum omnia humorem præ se ferant, neque tantum a frigore eum humorem esse, quoniam tunc non ita sitiret. Non quærit vero huius humoris sublationem, ergo sibi cognatus est. Humido itaque oblectatur, non quia siccus sit præter naturam, quoniam humoris notas habet, longe minus ergo, eo quod secundum naturam sit siccus, quoniam natura exiguam potionem ferret, etsi crebriore ea vti cogeretur, quia, & citius in siccum præter naturam incideret, & citius etiam in suam reuocaretur. Eapropter id erit, quia humidus est non præter naturam, sed secundum naturam, quoniam sitis ex humidi inanite fit, eo vero maior in humido ventriculo, qui per inanitionem longius limites naturæ suę transgressus est. Ventriculus itaque is est humidior natura, & recrementorum consuetudine. Nepar humido dicto multum addere eo indicio consequimur, quod pituita cum sanguine, & serosa humiditas vndequaque abundant, quod habitus etiam corporis, cum floreret ætate, carne satis refertus erat, quod carnibus mollioribus est, quod latitudinem venarum haber, quæ non nisi cum humido genere esse potest, quod demum viarum lubricitas multa est.

Cor vero in eandem humiditatem conspirare apparet ex morum facilitate, placabilitate celeritati in iram coniuncta, & ipsa benignitate mollissima. Adest præterea facilitas quædam in ruborem ex leni quadam in genui, & verecundi animi commotione, quæ ex spirituum mobili, humida, ac molli natura prouenire solet, facillimè enim commouentur, fluunt, ac funduntur, atque faciem subito imbuentes ruborem subito inducunt.

Solet enim id effici facile propter facilem motum, quo intro spiritus rapitur, & deinde foras resultat maiori impetu, quod a spiritu sicco stabiliori effici facile non solet. Caput verò in humiditate eam subite rationem crediderim, quam in caliditate cordis obseruabam. Illud enim frigidum quidem non statuebam, neque tantum calidum, eoque minus, quod caloris affecta non edit propter humiditatis obtundentis copiam, ita mollior animus, neque durum quendam affectuum tonum retinens. Itaque de humiditate capitis eodem modo statuerem, nam tanta non est, quæ sua opera edat in capite elatiora, quoniam calor humido superior est, & illud vincit, quare ingenio, & reliquis superius dictis maximè præstat. Siccum enim nunquam constituerem, nam cum calidum esse comprobatum sit, si siccitas esset adiuncta, illa euidētissimè cerneretur, tum in caluitie, quæ in ætate hac esset maxima, tum verò, quoniam canities tanta non esset, quæ a frigiditate prouenire solet, vel siccitate frigiditati adiuncta sola siccitate, aut cum calore nunquam, quare cum calidum sit constitutum, calor vero canitiei non est causa, neque siccitas illi adiuncta, ergo ab alia qualitate, quæ calorem obtundat, & hæc est humiditatis, quamuis enim caput calidum sit humiditatemque vincat, in senio tamen non potest non ab humore, qui a recrementoso adiuuatur, deuinci.

Quare caluities quoque hæc exigua, non potest quicquam siccitatis significare, præter illam, quæ ab ætate iniungitur, ad quam caluitiem calor sufficiat ossa capitis indurans, cui si siccitas, imò nisi humidum adesset, caluitium maius effecisset. Videretur obstare ingenium prudentia, & rerum omnium perspicax intelligentia. At humiditatem admodum elatam non constituebamus. Firmitas etiam sententię aduersaretur nobis calidum caput, & humidum ponentibus, nisi illa in hoc viro partus potius prudentiæ, atque experimenti, quam temperamenti cerebri esset.

Vnde in senibus ob experimentum videmus ferè firmitatem sententiæ esse, ne dum propter cerebri frigus. Memoria etiam fortasse obstaret, si insignem humiditatem statuissem, cum qua esse non potest. Quod enim cum humido multò esse non possit, testatur nobis id, quod ad humidum quidem sępissimè facilitatem appræhensionis videmus adiungi, quæ facilitas appræhensionis siccitati certè dari non potest, imo humido semper ascribitur, quando vero memoriæ adiungitur appræhensionis celeritas, illa non potest ab excellenti humore prouenire, sed a tenuitate cerebri corporis. Quod si excellere humidum, & frigus excrementa multa ostendunt, illud totum ipsi ex accidenti aduenisse iudicandum est.

Toto enim corpore humoribus pleno, repletionibus accidentibus ex abundantioribus comestionibus calore illos etiam frigidos in vapores attollente, caput illis vaporibus assiduè refertum fuit, loco autem illo, qui mediæ aeris regioni solet conferri eorum calorem ascititium destruente, vapor omnis in suam redit frigidam temperiem, & frigefacit, atque humefacit locum, quod caput est, quod ad augendam copiam humorum adiungit suam operam, cum ab ascendentibus vaporibus humidissimum, ac frigidum factum iam sit. Atque hactenus de natura corporis.

Consuetudo, vitæque mos ei est subnectendus, nempe intemperantior in cibo, potione, & animi etiā perturbationibus. Vnde nos omnino ipsum videbamus, maximè repletioni obnoxium, præcipuè vero caput, propter viarum amplitudinem fluxionibus paratissimum, quod periculum non paruum proponit, tum, ne propter manus operam, fluxione oculus in illam etiam sua natura procliuis tentetur, tum vero, ne fructus, qui esset consequuturus, breui tantum tempore haberi possit. Quibus admonemur omnino diligentia nostra esse occurrendum, ægroque obtemperantiam præcipiendam. De natura autem suffusionis ego certe eam concedere sui deductionem existimo, cuius originem considero ex superioribus causis internis fuisse, externis etiam concutientibus, ordinemque eum huius corporis morbos habuisse, vt repletione assidua frigidorum præsertim in caput redundante ob partium inferiorum, tum cruditates rum calores, factum sit, vt caput primum viribus integrioribus materiam ad extrema expelleret, podagramque sæpè efficeret, sicuti, antequā repleretur omnino caput, vertiginem inter initia percipiebat, cum nondum tantum cruditatis, humorumque copiæ adesset, neque capitis frigiditas aliqua esset facta, sed calor sublatam etiam materiam digereret. At, postquam fuit imbecillius, non solum repleri omnino fuit necesse, sed neque etiam vniuersam materiam ad extrema propellere potuit, & tunc quantumcunque quidem potest ad extrema impellit.

At, quam non potest ad extrema, ad propinquiora trudit, ad pectus tussim, ad brachium chiragram exci-

tans, ad dorsum, & demum ad oculos, qui propter viarum laxitatem impulsis humoribus viam præbent commodissimam.

Primum vero oculus sinister affectus est, quoniā debilior, tum communi natura, tum sua fuit, & præterea casu quoniam imbecillus factus esse potuit. Sic enim natura euenerit, & præsertim in hoc homine, vt oculus sinister dextro longè esset imbecillior, quæ mẽbrorum disparitas in plurimis hominibus cernitur. Tandem tamen dexter etiam à communitate spirituum in sinistro refrigeratorum imbecillis est factus, cum eo quod per ætatem semper vnaquæque pars imbecillior fit. Itaque etiam dexter cæpit fluxum materiæ excipere, & ita præter humorem, qui assiduè per angulos oculorum, & per alias viat circumstantes solet emanare, per meatum etiam ad aciem pertinentem, & sub aragoidem tunicam portio materiæ in pupilla impulsa est, & facta est suffusio, quam cernimus inter aragoidem, vel vueam siue acinalem, & crystallinum humorem è regione pupillæ pendere. Quæ res habuit etiam causas adiuuantes, primum communes senio contractas, vt densitiem in osse caluariæ, conniuētiam meatuum ad nares, & aures per quos soleret antea caput expurgari, materiæ etiam crassitiem, quę semper ætate maior fit, deinde illas proprias, vt uiuendi modum, vt intemperiem oculorum ob itinera per loca frigidiora facta iniunctam, quicquid enim refrigerat caput, atque oculos calidos, & si refrigerando vtiliter potest attemperare, assiduè tamen adhibitum, etiam nimium destruit. Suffusio igitur cōflata in vtroque oculo est, in sinistro quidem talis, de qua consilium non sit ineūdum, in dextro verò, quæ posse curationem suscipere videatur, nempe manu deduci, equidem censeo ego quoque quantum ad naturam suffusionis pertinet illam deduci posse. Quæ me persuadent sunt hæc. Dimitto communem suffusionis naturam, cum θέσις, nunc indefinita mihi tractanda non sit, sed ὑπόθεσις, certæ personæ, illud siquidem ad doctorem, quo vos nō egetis, hoc ad consilium nunc capiendum pertinet, illud compositiua methodo, & definitione colligi potest, consilium verò, quamuis breuius compositiua, commodius tamē resolutiua perficitur, & quasi ἀναμνηστική, cum agnoscendum sit, cuius generis, ac differentię isthæc suffusio sit nobis, qui iam illa suffusionum genera intelligentia nostra teneamus. Oculis nostris cernimus esse suffusionem veram, non illam, quæ sit potius humoris crystallini condensatio, quæ glaucoma dicitur, neque illam, quæ est albuginei cum aliquo alio commixtio, ac confusio, vel ipsiusmet concretio, sed quæ collecta in seipsa in albugineo locata est, a quo sua cōcretione corporis est diuisa. Vidi ego multos, viri experientissimi, qui se suffusione tentari dicerent, quorum oculos cum inspicerem erat albugineus humor ipse pinguior factus, vel alteri crassiori permixtus, confususque, quorum morbus tolli non posset, nisi omninò albugineus tolleretur, albugineusque aliquo miraculo reficeretur. Hæc verò cum ab albugineo secreta suffusio sit, in quo tamen sedeat, potest omnino per ipsum inferius deduci, ac locū mutare, atque a loco è regione pupillæ dimoueri. Præterea non est ita vel magna, vel crassa, quin in angustiorem locum colligi possit, extra scilicet pupillæ fines, ne per pupillam aciei officiat, quam spem nos, tum ex finibus, circumscriptioneque suffusionis colligimus, tum ex colore, seu specie tenue illius corpus demonstrante; tum autem ex motu facili eiusdem, præterea quod rigida ita non est, quin in seipsam implicari, & reduci possit, quod etiam ex motu, & colore intelligitur. Quamuis enim tactus rigiditatem, & duritiem indicare debeat, tamen id visu etiam potest intelligi, si enim dura esset, non dispergeretur, tam facilè digito agitata, & densior esset, iccirco densitate uisum magis nostrum terminaret, non ita perlucida esset, & tūc, si alba esset lactea videretur, aut grandineu, si cęlestis coloris, vel marini, cęrulea, vbi notandum, quòd Græci cælestem colorem, & marinum glauci nomine sæpè intelligunt, sæpè etiam ei in corpore denso respondentem cęruleum, ad quē modum sanè sunt intelligendi, cum cæruleam deponi non posse dicunt, & etiam cum glaucam, nam glaucam faciunt corpus densum significantem non autem translucidum.

Vnde Auicenna priorem, scilicet pellucidam, appellabat ad glaucum inclinantem, posteriorem densam, glaucam, omnino, scilicet, quoniam terminatio, & densities corporis exquisitum reddit colorem, qui glaucus color densitiem significans, sæpè glaucedinem, quæ est morbus aliis a suffusione indicat, qui concretio cristallini est, neque potest per demissionem curari. Viridis vero color, niger, rubeus, gypseus, & qualis in grandine est, quoniam densitiem corporis suffusi indicant, ipsam se se non posse reduci ob crassitiem significant, vel eius corporis, quod antequam detrahatur, frangitur, nec acum sequitur, quorum colorum nullum habet præsens suffusio, cum argentei coloris sit, & marini; Vnde & pituitosam etiam esse non melancholicam significatur, non pertinacem, non malam. Quare, quod ad naturam ipsius suffusionis attinet, deduci posse omnino confido.

Cum vero locus eius ad idem iudicium etiam sit ęstimandus, de loco quoque id dicam, quod est intra vueā, vt Celsus ferè statuit esse omne, quem recentiores sequuntur. Nam scio, quod Paulus, & Auicenna illam intra corneam, & vueam constituunt, vnde ab illis etiam in modo deducendi dissentiunt. Nos hanc intra vueam esse cernimus, vt multas alias, quas demitti curauimus, & intra vueam esse cognouimus, extra vueam quoque fieri non inficiati, cum ibi quoque spatium sit albuginei humoris plenum, ne cornea vueam urgeret, locus itaq; solitus hanc curationem recipere non obstabit. An verò depositione facta acies optatum finem, vel fructum sit consequutura, propter quem omnino tantus labor suscipitur, discrimenque subeundū esse putatur, hæc ostendunt, quæ vnam suffusionem aciei amissa causam esse indicant. Nam nulla alia inspicitur causa, quin suffusione detracta, cernendi facultas sit speranda. Cerebri facultates integræ sunt, huiusce suffusionis ortum, incrementa, statumque aciei omittendæ ortus, incrementa statuisque pariter consecuta sunt, deinde cum nulla alia præter suffusionem, aut glauconē causa esse possit, quā optici pori aciei amissio, quæ obstruent multa sunt, quæ ipsa non subesse testantur. Illa pori optici obstructione euenit, repente fit, repenteque visum tollit, vt multi peritissimi confirmant, & ratio etiam est, quoniam ab exigua fieri potest materia, quæ repètè defluit, qua quidem poro optico impedito spiritus vltro, citroque non commeat, vt commeare in his oculis per alterius occlusionē reliqui pupilla amplificata indicat. Preterquam quod acies, vt ratione, & experimento constat, omnino sublata esset, & subito, non ex parte, & paulatim, si opticus esset infarctus. Crystallinum etiam integrum a glaucomate esse, tum visus non omnino sublatus, tum color, qui potest perspici introspicienti, declarat, lumē obtinet oculus abundans, quod non solum transmitti spiritus a cerebro integro, & per meatum apertum, sed etiam oculi partes sanas significat. Quid igitur impediat præter vnā ætatem, quin deducta suffusione acies restituatur? Sed Celsus dicit minimè commodè in senibus deduci, tamen tota sententia hæc non est, nam subiungit causam quoniam hebetem visum habet illa ætas, quasi dicat fructum esse exiguum, qui quidem fructus, vel ita exiguus, a nobis perinde ac si maximus esset, exoptatur. At vtrū recuperata acies ex deductione facta duratura sit? Vereor Excellentissimi viri, vereor certè si inspicio corporis appatatum in tot fluxionum vetustarum genera, atque adeo ipsius oculi ad suscipiendas fluxiones habitū, propter imbecillitatem, & consuetudinem, in quem habitum senilis ætas omnino conspirat, quæ si non annis, at ualetudinis genere postremum senium attingit.

Conspirat vero maximè oculi ipsius cum altero omnino insanabili cognatio, quæ tanti momenti, apud me ad

me ad renouendam suffusionem est., vt fere certum ti- A meam reditum.

Atque hæc me ratio terret, quoniam constat apud probatiores autores inter antiquos, & præcipuè Paulum, cui multum attribuo, quod suffusio ex frigiditate spirituum, tamquam bona causa conficitur, si quidem totius oculi natura frigida, nisi spiritus atherei calore humores liquidi sustentetur facilè crassa recrementa colligunt. Quamuis verò alter oculorum quandoque tantum afficiatur, propter collectum maius naturæ robur in reliquo, tamen alterius oculi non sublati, sed corrupti acie impedita à vitioso humore vijs apertis spiritus à corrupto oculo ab illius vitiosis humoribus affecti in sanum reuertuntur, & ita ipsum quoque paulatim vitiant. In Illustrissimo itaque viro, cum spiritus sinistrum vitiatum oculum tetenderint ab illius mulio, & corru- B pto humore in dextrum retrocedunt frigidiores fierique demortui, & ita non obsistente sibi aliqua dextri oculi robore, quoniam imbecillis omninò est, recremétum crassum efficient, quare videor necessario metuendum redituram esse dextri oculi suffusionem, vt ambo oculi, sicuti natura, ita etiam affectus cognatione sint futuri coniuncti. Huic quidem periculo ars diligentis medici potest occurrere, at, quod humanitus fieri solet, ægri non semper medicorum præcepta seruant, & in longis maximè valetudinibus limites præscriptos excedunt, cum in longo labore animus facile frangatur. Contra tamen opus alacriter aggrediendum suadeor ratione illa, quod acies, quæ, vt spero, recuperabitur, sui charitate, & Vsu iucundissimo ægrum in sui conseruationis studio facile continebit, & illum perpetuo in la- C bore consolabitur, præterquam quod vnius artis ratio mihi debet esse proposita, vt secundum artis vim de re agenda decernam. An verò æger, & astantes contrarij futuri sint, istud artis ferè non est, sed ad ipsorum officium spectat, de quorum fide semper à medico benè iudicandum est. Neque verò ab opera hac crederem medico esse desistendum, & si breui etiam interuallo aciem obtenturi essemus, natura enim bonum tam excellens etiam breui tempore possidere est optatu dignum, cum nullo fere discrimine obtinere illud possimus, & artis laus non esset prætermittenda in tam claro opere futura. De ratione tuendæ aciei restitutæ, in qua maximam partem habitura credo cauteria, ego suo loco dicam. Atque ita suffusionem deducendam esse omninò constituerem, tum, quia nihil prohibet, tum D verò quoniam vtile omnino est futurum. Quando verò deducenda sit, proximum est, vt decernatur. Tempus deligendum est, quod vim maturatio suffusionis, tum acris temperies, tum autem ipsius corporis status demonstrabunt. Status corporis erit idoneus, cum non amplius humorum motus timebitur, quos scilicet ab hyeme acceptos gerunt animalium corpora, & calor ipsius veris mouet, in senibus id rardius fieri solet, qui tardius ab ambientis calore mouentur, præterea, cum corpus commodius se habebit, quod in senibus aere calidiori esse solet, accuratius verò hoc est obseruandum in hoc corpore, quoniam doloribus articularibus ob- E noxium est, qui primo vere solent homines, tétare. Quo circa, si in tempus calidius seligatur, in multa incommoda ipsum inducimus, quare, quod ad hoc pertinet, opera purgationis corporis adiuncta credo, quod vltra medium ipsum Ver, si cœli tempestas respondebit, id factu cómodum futurũ sit, & totis viribus intendédum, vt suffusionis maturitas oportuna in id temporis incidat, nempe sic agendo, vt, si celetius illa procedat, nos tenuiori victu vtamur, vt eam minus alamus, & in id tempus retardemus. Si verò tardius fiat pleniori, vt ipsam crassam citius efficiamus, cæli verò tempestas omnino tranquilla sit, & serenitate pura, siccaque. Quantum verò pertinet ad cibum, si tardius maturescit, ego non pleniori omninò vterer, sed magis incrassante, ne totum corpus nimiũ explerem, quod inane esset turius, & præterea, ne postea inedia, quæ est necessario subcu-

ratione præcipienda, repentina nimis affligeret post satietatis consuetudinem. Tunc verò suffusio erit satis matura, cum mediocri consistentia fuerit, quod colore iudicari debebit mediocritatem in perspicuitate seruata, qua omnino visus inspicientis terminetur, non omnino tamen densa appareat, digito quoque fricabitur, & cum non nimium dissoluetur, neque nimium rigidam se se ostenderit, tunc erant maturitates opportunę. Vbi libenter ego conciliarem cum Auicenna, & recentioribus Celsum, & Paulum, qui uidentur contrarij omnino, cum dicunt, quod cum non mouetur, & non funditur, tunc matura est.

Nam cum addunt colorem, designant id, quod colori adiungitur, nempe, mediocrem consistentiam, quæ nihil vetat quin aliquantisper fundatur, imò, nisi aliquantisper funderetur, esset durior, & inepta deductioni, cum enim motus ille paruus, quem recentiores fere omnes requirunt, fit insensibilis, Paulus illum relinquit, & illi sufficit proponere eos colores, qui cum illo iunguntur primo plumbi, scilicet liquati, (quem alij dicunt argenti, alij margaritæ, & ferri, quod idem est, nam Celsus dicit ferri nitentis,) deinde aquæ marinæ omnium consensu.

Montagnana cum cęteris conciliari non potest, quin prius statuat aliquantisper moueri cum Auicenna, & recentioribus; dicit tamen postea, quod altero oculo clauso non debet pupilla affecti oculi dilatari, vel suffusio extendi, quanquam cogitabam solutionem à distincta loci ratione, vt iste extra vueam cum Auicenna statuens illam occupare pupillam vellet, nec quidem amplificationi videndæ, cum maturuisset locum dare. At vult etiam visum non omnino esse impeditum, luminis saltem, quod ipsimet aduersari videtur. De iudicio etiã a visu accepto discrepant, nam alij omnino sublatum volunt, vt Ioan. de Vigo, Paulus vero, & Montagnana saltem lumen videri volunt, alioquin grassiorem existimant, quam, quæ deponi possit. De tempore vero magis particulatim illud censeo proponendum ne luna ante plenilunium sit, vel in plenilunio ipso, vel nimis imbecillo lumine. Oculus enim inter partes lunę subiectas censendus est, cum de sententia Aristotelis, cui contra Platonem ratione valentissima a sensu accepta adductus subscribo, sit suo certe corporeà se se inseparabili aqueus. In plenilunio nimio abundat humore, in lumine verò lunæ imbecilliori calor eius ab humido vincitur, cum verò demere hic humorem superuacaneum velimus, & curare ne repullulescat suffusio, de crescente luna illa tollenda est, quare post plenilunium quarto, vel quinto die vigente oculi calore, humidoque siccescente, cum luna id agerem. Rursus vitarem de sententia Medicorum tempus, quo luna in ariete sita fuerit, quo in signo cum est, ab omnibus astronomis suspicatur caput non esse valentius agitandum, quæ est antiquitus tradita, ac silentio confirmata sententia, &, vt omnia consumem de tempore dicta, die circiter 18. 19. vel 20. Aprilis, ni potius videatur initium mensis Maij, deducendam suffusionem censerem, atque hactenus de tempore, quo deducenda est suffusio. Quomodo verò tuto (nedum cito, & iucundè) sit deducenda, proximum est vt dicatur, ea est huius curationis ratio, oculi, atque corporis natura, vt vel præ dolore attrahere, vel oculi laxitate repletionem corporis expellentis suscipiente inflammatio, aut etiam interius suffusio altera possit facile excitari, quod malum omnino est vitandum, tum dolore cauendo, tum laxitate, tum plenitudine præcipuè remouendis.

Repletio quidem sublata vna posset metum omniũ auferre, nam laxitas, quod reciperet, dolor, quod attraheret, materiã remotã non haberet. At neque corpus potest a recrementis penitus expurgari, neque si possit vnquam, certas præfert huius purgationis notas.

Præterea, semper noua gignuntur in corporibus excrementa, itaque tribus supradictis fluxionis causis est occurrendum, dolori exterius oleo rosaceo oui albumi-

ne agitato,& ſpuma detracta,vel integro ouo, oculi verò laxitari eodem oui albumine, & roſaceo oleo, vel myrtino in circumiacentibus partibus appoſito, boloque armeno immixto, intra oculum autem aqua roſacea cum oui albumine,a quo,& reliquis, qua innumera poſſent adduci ad constrictionem partis facientia oculus confirmabitur.

Repletioni ſummouendæ facient propria, & congruentia remedia,quæ ideo magna ſunt eligenda, quoniam periculum magnum, magna repletio ipſa minatur,vt diuturnitas reperendorum remediorum ſit adhibenda,cum vehementia eorum verenda ſit, ſpatio itaque ſaltem magna fiant,ſi enim vehementiam eius ętas recuſat,non quidem ſimpliciter, quoniam vires,& ętas, quæ ſolent impedire, nunc quidem non impediunt, ſed tantum aliquid detrahunt de copia,nos non genus medicamentorum, ſed copiam tollendo vehementiæ detrahemus; ſpatio,& repetendis operis reſtituendo,quod de uehementia detraxerimus. Qualia vero exigunt humorum genera, quæ in hoc corpore conſpiciuntur. Sanguinis multa adeſt copia,qui non ſolum inedia,quoniam tardius, & minus tutè id fieret, ſed etiam opera manus educendus eſt. Aſſueuit ſectioni venæ, idcircò non timerem aciei obfuturum ex Auicenna, qui dicit, quod obeſt ſanguinis miſſio in larga copia, & cum dicit non eſſe locum phlebotomiæ,loquitur ad illos,qui, quoniam medicamentis ſuffuſionem curaturi ſunt, id pręcipiunt propter morbi diuturnitatem,quare deſcripſit ipſe ſententiam alijs prolatam,non quam ipſe proferat,non ſubterfugerem igitur illam,ex venis vero, ſi timerem digeſtionem nimiam ſpirituum,illas, quæ iuxta digitos ſunt eligerem,vel iuxta brachiale,ibi enim venę ſunt, ex quibus ſanguis ſalubriter educi ſine ſpirituum multo diſpendio poteſt, ſi fuerit opportunitas loco phlebotomiæ,cum iam aſſueuerit, illum per hæmorrhoides euacuarem,quoniam maximè a capite reuellunt. Ad caput deinde aſcenderem cucurbitulis, vt vi quadam ſanguinem,qui in capite eſt,educerē, & ſanguiſugas etiam iuxta nares,& poſt aures admouerem, cum corpus totum fuiſſet prius vacuum,& purum factum,ne a toto in caput materia attraheretur. Abundat vero ſummopere ſeroſus humor glioſo,pituitoſoque,vel conflatus, vel illis adiunctus, ea propter poſtquam vſus eſſem clyſteriorum opera, quibus ſolui commodè aluus huic viro ſolet, humoribus ad eductionem comparatis, vt melle roſac. ad pituitam,& caput,atque ventriculum,vt ſyru. de ſucco cicoreæ ad bilem, & iecur,ſyrup. de ſucco betonicæ,ſyrup,roſ. vtriſque ventriculo capitique commodo, & etiam oximelle ad omnes craſſos humores incidendo, vterer deinde medicamentis purgantibus fortioribus non abſolutè, ſed ratione huiuſce corporis, vt primo a toto corpore,deinde a capite educerem, pillulis quidem lucis ad craſſiores humores, pillulis vero ſine quibus ad calidiores. Iniungerem verò rhabarbarum propter hepar, & fluxiles magis humores, quamquam, & craſſos educat,neque agaricum, & aloe negligerem. Imò pro capite confirmando aloe roſaceum demum propinarem, cum verò medicamenta conficienda, vel permiſcenda eſſent, ſemper cum ſyrup. de ſtęchade id faciendum iuberem.

Quod ſi iam dicta non ſuffecerint, aſcenderem ego ad portionem cochiarum,cum ſuperius allaris commiſcendam. Nunquam enim non benè mihi ſucceſſit illarum opera,vel ad ipſas aggregatiuas,quas cum ſyrupo de ſtœchade conficerem, neque ad valentiora deſcenderem,tum ætatis ratione habita,tum alui, naturæ mollioris. Hic quædam ſummatim obſeruari velim.

Primum,cum ſint tres Medici curantis ſcopi, tuto,cito,& iucūdè,ne cum alteri incumbimus, reliquum deſereremus,non ita citò fiat, quin tuto, & iucundè, non ita iucunde,quin tuto, & omnia mediocriter, vt etiam in abſtinentia præſcribenda. Secundum; quod, cum humorum, non tantum copiam, quantum motum timeamus, expurgatio illos præſertim humores debet reſpicere, qui ſua mordacitate, & liquore motum cæteris iniungunt, vt ſunt ſeroſi,& bilioſi.

Tertium, quod acetoſis ſyrupis non vterer,niſi alijs longè plurimis admiſcerentur,qui acumen frangerent, ne ventriculo ſenis hominis,& neruis officerem, ſi illis ſimplicioribus vterer. Oximel vero temperatiſſimū eſt, & idcirco ſolo vti poſſe crederem. Poſt ipſam vniuerſi corporis depletionem, poſtea corroborantibus interea vterer, dum illa, quæ proximè à capite humores exhauriunt,adhiberem,vt eſſet ſaccharum roſarum,cum ſpeciebus aromatici roſati,confectione ex floribus betonicæ cum ſpeciebus diatron ſantalon, myrobolanis conditis,atque aloe vna cum rhabarbaro, cum ſucco roſarum diutius macerato, nam quotidianam humorū detractionem cum firmamento capitis,atque hepatis coniuncta præſtarent. Quæ verò proximè a capite educerent,eo ordine adhiberem, vt errhina non niſi poſtremo tempore admitterem,uam propter impetum in oculos, materiam concuſſu tradúcunt, ſi tam exigua non ſit,& tam propinqua, quæ per nares eo impetu tota educi non poteſt. Cum igitur caput omnino fuerit expurgatum,ſupererit tamen materiæ portio iuxta oculos, illam per nares errhinis adhibitis educerem. Sanguiſugas adhiberem,vel naribus,vel temporibus, maſticatorijs vterer, non illis quæ materiam propter motum maxillarum educūt,vt eſt maſtiche,quoniam muſculi maxiteres tempora veſtiunt,ex motu calfiunt, quorum calorem ſequitur materiæ attractio,hanc oculorum inflāmatio excipit,quoniam nimium temporibus adiacent. Maſticatoria igitur alia ratione potius, quam maſticationis motu vehementiori trahant, vt calore,quod ſi verendum ſit,ne caput calefiat, pipere vterer, cuius calor minimè figitur, aut pertinax eſt, ſed facillimè exhauritur,atque exhalat.

Cum verò poſtremo loco errhinis vſus eſſem, tunc exterius etiam, quæ capiti robur conciliarent, adhiberem,vt pulueres ex roſis,myrtis, ſandalis, cupreſſu, ſandaraca. His credo,ſi etiam odores eiuſmodi ex roſis,& his,quę robur capiti conciliant,adiungantur,occurſum erit cauſis,quæ quidquam periculi intentare videantur, nempe,replentioni,dolori,& laxitati. Quæ vero in manu adhibenda magiſtri ſunt præſtanda, facilius dictu ſunt,quàm factu,quoniam, & dexteritate manus, & exercitatione,ac vſu nituntur,quibus certè non caret noſter præſtantiſſimus Cæſar,non poſſum tamen meo ſtudio in virum Illuſtriſſimum tantum reſiſtere quin hoc etiam quaſi in meſſem alienam falcem imponens addam,vt bono lumini,& cælo clato ad exquiſitam viſionem ægrotum opponat,citra tamen ſolem,ne viſus titubet,quod experimur omnes,præterea, vt omni diligentia caueat,ne venam aliquam,quæ inſignes in hoc oculo ſunt,feriat,ne perturbentur omnia. Neque etiam prætermittam,quod Paulus lib. 6. & Auicenna docent illam ſuam ſuffuſionem deducere, quæ inter vueam, & corneam ſita eſt,quare iubet ſtylum figendum eſſe tanta diſtantia a cornea,quanta non attingatur cornea,nēpe quanta eſt craſſities acus,quare de modo manus adhibendæ iſtos non ſequar, cum eius generis non ſit de quo ipſi loquuntur, neque artifex illam Pauli poſſit deponere. Noſtro uerò in caſu medio coniunctiuę ſpacio id agendum eſſe noſtis, penetrando vueam ſecundum Celſum, & omnes recētiores,in cauū illud inter vueam & cryſtallinum,qui enim tueri Auicennam,& Paulum volunt, & defendunt illorum modum facere ad deducendam etiam illam,quæ intra vueam eſt penetratione facta per pupillam, & educta ſuffuſione per foramen illud vueæ, & collocata ſuffuſione inter vueam, & corneam male ſentire experimento compertum eſt. Prætermitto,quæ de inſtrumento dicenda eſſent, quoniam mihi oſtendit apprimè opportunum,argenteum,manubrio in ſpiræ modum circum rimis effoſſo, cælatoque ad torquendum,& circumducēdum commodo. Quod verò una colligari debeant æger,& curator nouit ipſe.

Neque repetendum eſt, quod oculo ſunt ad mouenda ſta-

da statim, quæ dolorem leniant, fluxionemque alicuius materię repellant, vt ouim cum stillatitio rosarum liquore, quibus recentiores addunt tutiam. Quod in obscuro loco, deinde æger continendus sit, lumen enim ita oculos afficit, vt sonus aures, vt sapores gustatum, ut calor ipse tactum. Vnde, ne error in hoc fieret, & aer magis fluxioni suo frigore aduersaretur, Paulus post operationem iubebat, ut loco subterraneo æger contineretur, aer enim frigidior crassiorque ibidem est, atque omnino obscurus, quod non possum probare, cum id cuilibet obesset, qui ei non consueuisset.

Neque vnquam per septem dies soluatur oculi deligatio, nisi repellendæ influxionis gratia, vt dicit Paulus, Recentiores tamen a tertio die sæpius solui volunt, & bis in die, vt immutentur, quæ oculo sunt imponenda. Auicenna cum Paulo luteum oui ponit cum rosaceo, & placet magis quam albumen, quod exsiccatum postea detrahi sine dolore non potest. Hic de oleo rosaceo admonerem, quòd oleum, cum, si oculum tangat moueat dolorem, id ego extra oculum tantum apponerem, in oculo vero aquam rosaceam olei loco deligerem.

Alij addunt tutiam. Præterea, omnino a locutione, masticatione, & motu capitis partium, risu, & omni animi motu tantisper abstineat donec ab inflammatione tuti fuerimus. Tunc ratio victus tenuis omnino esse debet, non tamen extenuans, nam humorum tenuitati, & motui nimium adderent. A vino abstinendum, & etiam a cibo pridie eius diei, quo operam subiturus est, sit potius medicinalis cibus, vt condita, myrobalani, & ea, quæ tunc capiti, tum ventriculo robur conciliant, ne interea ventriculus aliquid recrementi attrahat, atque tum cordi, tum capiti, tum oculis ipsis officiat. Modus verò abstinentiæ iniungendæ sit, vt sensim omnino cibus subtrahatur, nam in sene maxime repentinam mutationem ego vehementer timerem præsertim in eo, in quo renes calculo sæpè vexatur, nam a subita abstinentia incalescunt, & aliquid crassioris materiæ trahunt ad solitam noxam. Itaque etiam in cibo postea restituendo, paulatim id moliendum, ne subito suggesta materia crudior maneat, ventriculo imbecilli facto, & a renibus calfactis trahatur. Postremum caput, in quod consummatio tota quæstionis finitur est de tutela, qua oculus, ne rursus labatur, sustineri possit, quod certè difficillimum iudico, ac ferè fieri non posse.

Nam esto, æger infra præscriptos vitæ limites teneat se se, natura tamen partium humorem amandantium, & recipientium non solum in sene materia excrementosa nunquam caret, sed iam habitu quodam, & amandat, & recipit, qui habitus in senili ætate auferri non potest. Si quid verò est, quo sperandum sit aliquid, existimo vnum esse cauterium ceruici inurendum, quo tanquam euaporatio tubulo materia quotidiano errore habitu partium naturali genita, educatur, ne supersit, quæ in oculum rursus irruat. Ratio autem victus ea sit, si potest, qua capiti robur, & calor quidam tepidus visorijs spiritibus addatur. Sit vsus frequens conseruæ betonicæ, myrobalanorum, & aloes ex rosarum succo confectæ, quæ in ventriculo humido, etiam in sene vtilis est, nam Galenus vitabat ipsam in astricta aluo, quæ ob siccitatem prouenit, propter quam aloes, certè tunc seni officeret. Cibi optimi succi eligantur, fœniculo vbique ingesto, potus ex vino potentiori concedendus est; dummodo etiam parcus ipse, & corpus crudis non scateat humoribus, cum scatebit, euacuetur, euacuatum corpus, tuto, & commodè vino potentiori, parcè tamen vti poterit, nam hac ratione oculis vinum potens saluberrimum est, in quo eufragia, fœniculum, coriādrum, betonica, vel quicquid ex his gratius fuerit, vt etiam salutia capiti amicissima.

Somnus nullo modo à cibo fit, quod si assueuerit, saltem non decumbat, vel cibus ille tenuior sit, quem somnus statim excipiet. Erectus certè si dormiat, non tantum caput replebitur, siquidem non solum humores in decliue faciliorem delapsum habent, sed vapores etiam in decliue facilius attrahuntur, immittunturque, vt aeris est proprium. Animi affectibus moderentur, præsertim a cibo, cuius coctionem perturbant, frigefacientes pręterea, cruditatum sunt causa, calfacientes verò præsertim ita, & ex candescentia a cibo, caput maximè replēt.

Aluus lubrica seruetur, in aere repentinæ omnes mutationes fugiantur, siue ratione ignis, siue cubiculi, siue solis causa aer sit varius; post calorem, frigus omninò repentinum vitandū; sensim enim ab hoc in illud transeundum est, fumus, ignisque, & ventus australis vitetur. De indumentis etiam capitis idem dicendum, ne subitæ, aut magnæ fiant mutationes, ne nimis calfaciāt, vel protinus refrigerascere permittant. Quoniam verò exerceri commodè sæpè non potest, idcirco tunc frictionibus, & lotionibus crurum vtatur, & cum potest, omnino ieiuno ventre exerceatur, deambulatione, vel etiam lectione, vel psalmorum clara recitatione, vox enim clara maximè ventriculi, & thoracis partes exercet, calfacit, & recrementa digerit. Atque hæc de propositis quæstionibus, an deducēda hæc suffusio sit, quando, & quòmodo, & qua ratione cauendum sit, ne reuertatur; quæ quidem dixi potius, ne locus frustra mihi obrigisse videretur, quam quod noui aliquid me posse vobis afferre perarim, ita tamen, vt, si quid emolumenti alicuius dictum iudicatur, gratum adeo fuerit, quod illis qui post me dicturi sunt occasionem præstiterim, vt plura, & longè utiliora sint allaturi, quibus pręcipuè huiusce consultationis pondus attribuendum est. Dixi. 22. die Aprilis felicissimè deducta suffusio est, ita, vt continuo præsentes omnes agnosceret. Abstinentia deinde longè maiori vsus est, quam nos præscripsissemus, a qua ad solitum cibum postea celeriorem fecit transitū, vnde & renes infarcti, & corpus totum fuere, ptimoque oculus caliginem densissimam accepit, deinde renes calculi laborem attulerunt, quo duos calculos spatio 9. dierum eiecit, postea podagra eum tentauit, quam febris acuta sequuta est incredibili vrinarum copia, cum delirio ad extremum.

Sub finem podagra suppurata est, & vltima etiam die conuulsio affuit, qua extinctus est, nēpe 25. die mensis Maij anni eiusdem.

Defensio consilij superioris Christophorus Guarinonius præclaro Medico, ac nobili genere Alexandro Lando. S. P. D.

CONSVLTATIO CCXXX.

Repetebam fortè mecum hodie vir Excellentissime, quæ hesterna die in consilio pro Cardin. Illustrissime inito a nobis vertebantur, & præcipuè me ipsum dicentem respectans, quis videri grauioribus potuerim; præsertim verò tibi viro in disciplinis præstantissimo, quam modestè me gesserim, atque mecum fermè erubui. Nam dum me ipsum agnoscerem, profecto suspicatus sum iuuenem Medicum, cum senioribus agentem audentius se gessisse fortè alicui visum iri, quasi audacter nimis, quæ sentirem, exposuerim, apud illos habens orationem, quos tædio potius afficere, quam noua aliqua re indicanda tenere potuerim. Ea verò potissimum memoria conturbor, atque angor, quod nescio, an facilè satis, vt debui, admonitiones tuas, cum dicentem me interpellabas, ferre sim visus.

Sperabam vtique imò etam certus, tuam humanitatem, atque prudentiam, nullum à me huiusmodi officiū postulare, quo me excusatum haberes, qui iuniorum mores agnoscens, atque quotidie experiens, id ætati potius, quam voluntati esset adscripturus.

Neque verò ignores suam cuilibet sententiam maximè placere, in eaque quam facillimè errare vnumquemque. Attamen non potui cum illo mei expurgandi officium prætermittere, cui plurimum me debere scio. Vnde in harum literarum scriptionem eo animo potissimum ingressus sum, vt intelligeres, quicquid pro tua benignitate mihi indulseris, illud mihi abs te prius, vt tua dignitas, & mea obseruantia postulat, esse expetitum. Deinde, ne, si causa aliqua expurgationi esset, in ea prætereunda mihi deessem, itaque illam, si qua est subijcio modo. Credidi ego satis satis firmam illam esse sententiam, quod, cum corporis natura est imbecillior, tunc & oneri maiori habet omnia excrementa, & ea plura etiam congerit, quàm cum esset validior. Cum vero onus deponendum ei necessario sit, illud tunc demum ad propinquiora cogitur impellere, quando ad B extrema, ad quæ prius potentior illud propulsabat, nō potest, neque fundamentis id egere, quæ vulgo, a Medicis ex Galeno plurimis in locis, præsertim libro de naturalibus facultibus, ac ex omnibus fere scriptoribus colliguntur. Quare & in Illustrissimo viro id euenisse citra omnium cōtrouersiam me statuere posse nō verebar, quamuis enim vna cum suffusione adhuc etiā podagra laboret, tamen, si potens esset, vt antea, in illo naturæ vis non solum materiam, quæ podagram infert, sed etiam quæ suffusionem facit ad extrema, & ignobiliora protruderet, cum verò vniuersam materiam non possit, vt antea poterat, longius amandare, inter alias causas hanc iure recensendam putaui, quod natura ingrauescentibus annis imbecillior est facta, & semper fit, vnde dolores a pedibus in manus, inde in brachia, inde in dorsum, & scapulas sensim ascendere videmus. Deinde autem illam alteram sententiam minimè no- C uam putaui, qua asserebam, altero oculo intemperatura cum materia affecto, reliquum naturæ, & officij cognatione etiam ipsum affectum iti. quod spiritus non impediti aliquo poti optici infarctu, quin ad refrigeratum, & corruptum oculum veniant, in illo, & optici refrigerantur, nisi cito admodum redeant, & nō possunt ibi manere, saltem quamdiu oculi ipsi feriantur, qua mora infecti inquam, & refrigetati, cum visioni postea incumbendum est, in sanum oculum remeantes, vt credebam, illnm afficere omninò possint, quod si aliqui reperti sint, quibus id non acciderit, qui per pauci certè sunt, nisi a natura orti ita sint, ipsum vel robori oculi sani adscribendum censebam, vel quoniam spiritus ad affectum oculum non veniant, vt fit in illis; in quibus opticus affecti oculi porus obstructus est, alioquin non D posse non refrigefieri, & vitiari spiritus in frigida, & corrupta parte moram trahentes putabam, eos denique oculum ipsum sanum male afficere posse omnino suadebar.

Testis itaque mihi author grauissimus erat Paulus libro 6. cap. 21. qui suffusionem ex refrigeratis spiritibus procreari statuit, idque de sententia Galeni profitetur, ex cuius etiam doctrina id multis locis elici potest. Posteriores prætereа, quos viderim doctiores, qui omnes Paulum sequuntur, in ea sententia me confirmabant, vt in qua assertione, ratio tam valida existere videretur, in ea temeritatis speciem nunquam crediderim locum esse habituram. Quid enim est, cur dubitem illud huic E sententiæ aduersari, quod in aliquibus alter oculus tantum affectus, spiritus verò, de quibus pariter aciei spiritus sint communes oculo vtrique.

Cum non dubitem etiam cur, cum via materiam cerebri ad oculos ducens vtrique oculo communis sit, vterque tamen oculus non necessario afficitur, sed qui imbecillior est, nam vtrumque oculum æquè affici non dico necessarium; Sed tamen valdè metuendum, ne principe parte alterius affecta, reliquus dicta ratione afficiatur. Et tu quæso, pro tua humanitate illam rationem attente perpende, quo, cum nullam exigas excusationi meæ causam, nullam subesse etiā existimes, quam si non contempseris, gratum summopere id fuerit, aliA quando intellexisse. De cerebri etiam Illustrissimi viri temperie cum dicerem, grauiorum medicorum, qui ante me tunc fortè dixissent sententiam sequi non dubitabam, quod breui quidem superantia humidi præstaret, at multo maiori caloris.

Nam sensuum perspicaciam, & in sene caluitium, neque id quidem multum ab vnius caloris humidum vincentis, & iam multis iudicijs cum proditi, tum ab omnibus eius congressus Medicis constituti superantia effici potuisse existimabam, qui quidem caloris gradus si siccitati, vel etiam paucæ adiungeretur hoc longo vitæ spatio, vt solet, citius, & multo amplius caluitium effecisset, neque illud tanta etiam esset canitiei adiunctū, quæ, & si a siccitate frigori annexa proueniat, non tamen a calore siccitati combinato, sed hoc ipso calore ab humiditate oppresso sæpè exoritur. Etenim Galen. lib. artis medicæ cap. 14. 18. 19. 21. 22. caluitium non nisi ab humidis citra caloris elationem capitibus, & eisdem frigore abundantibus reijcit, sicciora que capita cito facit caluescere, si calida etiam sint, & prætereа nigros crispos que capillos gestare, non quales in effigie Illustrissimi Viri obseruasse, atque ab aliorum sermone accepisse visus eram, coloris nempe medij temperamentum, aut medium, aut, si calidum, id cum humido coniunctum ostendentis. Itaque nec cito, nec multum caluitium subijt caput calidum, ergo non est siccum, cui rei faceret etiam ingenij celeritas, facies accederet, præsertim circa oculos carnosa, sanguine abundans, atque excrementis, quæ caloris soboles esse non possunt, longè minus si siccitati sit adiūctus. Memoriæ autem vim in studia, & diligentiam hominis referebam, imò in ipsam ætatem. Nam huiusmodi capitis hominibus, in quo calor humorem vincit, vterque tamen excellat, siccitas per ætatem naturaliter iniuncta memoriæ vires augere solet.

In siccis vero capitibus è cōtra memoria per ætatem amittitur, quare isthæc memoria potius meam sententiam videbatur confirmare, accedente præsertim tanta exercitatione quantam ipse adiunxit qua vigore plurimum memoria solet, in his etiam quibus illam natura denegauit. Mentis verò constantiam in sapientiam, & varium omnium rerum vsum referebam, qui enim periculis pluribus perfunctus est non facile cuilibet adhortanti fidem solet adhibere, nouit consilij humani infirmitatem hominum errores, & fraudes est expertus, & fortunę fallaciam, & hanc ob causam senes eiusmodi esse Aristoteles decernebat, ne dū ob siccitatem ætate contractam. Quid? spernerem vero Montani nostri iudicium tot rationibus adiunctum? idem ipse iudicauit de hoc eodem Illustrissimo capite cum adhuc ætate floreret, vt memoriæ proditum est in consilijs suis literarum monumentis commendatis, neque tunc recrementitia humiditas ob ętatem irrepens illi iudicio acerrimo imponere potuit, quæ vel cruditatibus, vel densitio cranei colligeretur, vt in senibus omnibus ferè fit. Hoc satis fortasse fuerit causæ, quæ a tuæ naturæ facilitate, quod expecto, me obtenturum confidam. Alias quanta obseruantia te prosequar, & honesta quadam tuæ præstantia æmulatione, re ipsa pro viribus declarabo. Vale, & hoc meum officium ita accipias, vt illa qua nutritur ipsum bona voluntas postulat, quod certè coram obire ego longè maluissem, nisi tui muneris occupationes denegassent. Dom. 14. Calen. Februarij, 1565.



Cum eiusdem 28. Martij 1565. De eodem casu.

CONSVLTATIO CCXXXI.

VIri peritissimi, atque Doctissimi, quoniam hoc onus vobis præsertim incumbit, ego, si quid est quod mea opera possim præstare, hoc vnum esse putabam, quod rem propositam oculis vestris saltem subijcerem; quorum iudicio decernenda esset, tamen ea sanè ratione sententiam dicturus accessi, vt ante alios dicendo potius cotis vice fungerer, quàm, vt sententiam meam vestris grauissimis interponerem.

Verum quoniam hi viri Doctissimi, qui ante me dixere, quæ est ipsorum doctrina, atque peritia nihil mihi reliquum fecere, in quo dicẽdo me exerceam, dum nolo ab officio abesse, hoc saltem agam, vt eorum quidẽ sententiæ subscribam, atque si occurrant aliqua, quæ tanquam tenuiora ab illis relicta videntur, illa in medium referam, illorum scilicet morem imitatus, qui spicas exiliores a messoribus relictas, post messores eundo colligunt. Summa ergo eorum quæ ab ipsis sunt dicta, his præsertim capitibus contineri videtur. Alterum, an hoc præcipuè tempore suffusio deducenda sit, reliquum quomodo, quoue corporis apparatu tuto deduci possit.

De temporis electione tractantes, duo præcipuè intuebamur, cœli temperiem primum, deinde ipsam suffusionis absolutionem, cum oculi ipsius statu. Cœli ratio illud nobis ostendebat tum ex parte syderum, tum cæterorum, solis quidem, vt Veris ipsius posteriorẽ partem expectaremus, tantisper scilicet, donec corpus, in cuius rationem omnia referenda sunt, ab humoribus hyeme congestis calore digerente leuaretur, id quidem Vere ipso in corporibus, vt plurimum fit. In senioribus verò serius caloris percipientibus beneficium, postremo ipso Vere conficitur, seu in principio æstatis, hora verò, qua Sol supra horizontẽ ascenderit, nisi corpus ægri impediat. quare, cum tres primæ horæ diei sanguinem moueant, postremæ melancholiam, mediæ verò bilem, si primis tribus oculi non rectè haberent, tribus postremis id agerem; medias omnino vitarem propter bilis dominium. Mensis demum ea parte, qua Luna decrescit, vt dicebamus. Nam vno excepto, vt videtur Cauliacensi, omnes in hoc conueniunt periti scriptores, imò etiam Cauliacensis iudicio idem voluit, sed litera corrupta est, nam sic legendum (fiat Luna decrescente) quasi quod certus esset nullum contradicere vnico verbo expressit, & nisi insanum hominem, aut ignauum penitus velimus existimare, authoribus omnibus sine appositione rationis contradicere, addemus illi verbo (crescente) syllabam, de, vt legatur decrescente, & ratio est, quoniam circa membrum aqueum cum Aristotile, versamur, & humoris extinctionem volumus.

Præterea cum non est in ariete, nam omnibus seculis est obseruatum, in illo signo Lunam capiti infestam. Tempestas autem, vt existimo, serena sit, non austrina, sed potius septentrionalis. At quoniam cataractæ absolutio, quæ rectè cataracta nomine dicta est, cum demittatur in modum valuarum aquæductuum, quæ cataractæ dicebantur, & cataractarum, quæ fauces, vel portas fluminum obstruunt, & demittuntur, cum fluminis cursus est impediendus, illius inquam, cataractæ absolutio iam propinqua, vniuersam ad se occasionis rationem conuertit, nec tempus anni aliud expectare cõcedit, quamuis præsens ineptum esset, reliqua saltem de Lunæ decremento seruabimus, de arietis signo, & de aeris constitutione, atque diei hora.

Quantum igitur ad tempus absolutionis ipsius pertinet, illa visu tum nostro, tum etiam ægri potest percipi, prætermitto illius temporis notam à recentioribus positam; nam non est alicuius momenti, ægri inquam qui lumen solum videat, & patum. Nam Paulus videri lumen

A à tenebris in omni cataracta statuit cum recentioribus vno Iohanne de Vigo excepto, qui Aetium secutus videtur, illum quidem perfunctoriè satis hac de re tractãtem, qui fortasse per ablatam visionem illam, quæ corporum, & colorum est, intellexit, non illam luminis.

Quare Iohannes de Vigo perperam illius verba accepit, cum dixit. (vbi perfecta fuerit, visum impediat) certum est enim visum impediri, quamuis non omninò lumen impediat, imò, si omninò impediret, vel crassior, quam deductio requirat, censeretur, vt obseruamus, vel esset glaucoma illud, quod curari non potest, vel obstructio opticorum. Quantum ad hoc, nostra cataracta matura est, nam cruditatis limites ideo excessisse comperimus, quoniam colores, vel figuras non cernit. An verò maturitatis limites excesserit, id ex indicijs alijs habere

B poterimus. Nostro etiam visu rursus id haberi pòt, & crudam non esse, vt pote, ex motu eius habitum crassitudinis indicante, nam non dissipatur altero oculo cõpresso, neque eodem confricato, scilicet neque à spiritibus subeuntibus ab altero oculo, neque à motu digiti ipsum comprimentis, ergo videtur iam consistere, & ad vnius eius partis tractum tota esse consecutura, quo acu deducetur. Imò dicit Paulus nullo modo debere amplitudinem, vel figuram ex compressione mutare. Paulo multum tribuo, & illi testatur experimentum. At omnes recentiores motum extensionis requirunt, negant solum motum dissipationis, & falluntur, forsan, cum amplificatur pupilla, videtur ambitus suffusionis amplificari, qui non cernitur totus, sed ex amplitudine pupillę latiorem aditum nostro visui facienre amplior cataracta

C apparet, quamuis quidam, ita illam amplificationẽ describant, vt non possint falsi hac ratione videri, nã omnino cum attenuatione suffusionis id fieri volunt, illos etiam relinquo, & experientiæ adhęreo antiquis attestãti. Quare Celsum ipsum, qui illam immutam esse vult, non cogor ita intelligere, vt non motu tantum locali, a motu, a loco in locum ipsam priuet, sed etiam motu in loco. Minus mihi illud suadent sequentia contextus Celsi verba de ea, quæ deducibilis non est, vbi non dicit illam moueri motu hoc extensionis, sed motu locali tantum, cum dicit, (si labat hac, atque illac mouetur) quare nec dixerim, quod omnes cum Celso consentiũt, præter vnum Paulum, sed Celsum cum Paulo esse, & recentiores fuisse deceptos, vt obseruamus.

D Quid verò dicam, quod Montagnensis Doctor, visum luminis in illa admittens, atque motum ex fricatione, motum tamen, quem ex altero compresso oculo cõcipit, ab illa abesse vult, quæ matura est, cum Galenus primum, deinde omnes reliqui motum hunc illum sanabilem esse per deductionem indicare velint. Certè in hoc ipsi Montagnensi non assentior, cum præsertim experimentum illi aduersetur, Posset quis existimare (nisi haberemus experimentũ aduersarium) quod Galenus de genere deducibilis cum fructu loqueretur, quæ cum obstructione optici pori coniuncta non est, non autem de ætate ipsius quæ matura est, quæ cum eo motu spirituum prius moueretur, tamen postea; cum maturuit, non amplius altero oculo clauso amplificetur.

Sed verba Galeni primo de symptomatum causis de deducibili omnino vniuersaliter pronuntiantur, nam

E alioquin nõ omnis cataracta deducibilis id haberet indicium, neque signum illud, omni semperque competeret, minus verò, cum ad deducendum oportuna est, & præterea non valet, si quis Montagnanensem defendat & dicat, statuere ipsum cum Auicenna, & Paulo cataractam inter κερατοειδῆ, & ῥαγοειδῆ, vnde visum Medici impediat, nec pupilla cerni possit, an dilatetur, an contrahatur, nam nunquam vidi ego cataractam eiusmodi, & præterea dicunt oculatij artifices illam deduci non posse, & cum Galeno illam inter vueam, & crystallinum ponunt. Videamus Gal. 10. de vsu partium; & in prognosticis commento primo de gesticulatione manuum. Dicit Galenus, quod suffusiones fiant in hoc humore subsimili candidæ, tenuiorique parte oui, qui

inter

inter pupillam, & cryſtalloidem eſt, pupilla vero eſt foramen vueæ. Quare relinquo Montagnanenſem alioquin ſummum virum viſu noſtro nos non ſolū per motum, quo mediocritas habitus cernitur, ſed etiam per colorem, qui in perſpicuis corporibus de corpulentia affert iudicium, id habemus.

Omnes enim colores, qui habitus mediocritatem denuntiant, illam maturam ſignificant, quicunque illi ſint. Nam vel cæruleus, ſi perſpicuitatem aliquam referat, mediocrem etiam maturitatem denotant, & eſt ille, qui appellatur tunc inclinans ad glaucum ab Auicenna, qua ſignificatione mare glaucum dici ſolet, quare, ſi marini coloris ſuffuſio eſt deducibilis, ergo glauca erit deducibilis, illa ſcilicet ſignificatione glauci, quam diximus, qui eſt in corpore diaphano, nam non genera, ſed modi colorum differenres varia indicant, niger enim in diaphano corpore, dicitur obſcurus, ſi nimium diaphanum ſit, quare tunc non eſt mediocris corpulentia, ſi denſū corpus ſit, & ea materia nigra, tunc deducibilis propter exiguam corpulentiam non eſt, quod niger omnino color denotat, ſaltem citra mediocritatem ſi cineritius, & plumbeus, tunc magis conſiſtentem corpulentiam produnt, quam, ſi obſcurus, aut niger, & hæc mediocris eſt denſitas. Citrinus, & ipſe alius in denſo, alius in perſpicuo corpore viſitur, ille clarus mediocrem corpulentiam ſignificat, iſte aureus nimium ſolidum habitum denotat, cæruleus in corpore denſiori remittitur, quamuis etiam vere cæruleus, & glaucus illius denſioris generis eſt; Alioquin in perſpicuo corpore, dicitur inclinare ad cæleſtem, & marinum, & ita glaucum, illum, mare glaucum ducitur; Albus, & ipſe alius eſt in corpore diaphano, alius in denſiori, ille margaritinus, ferri illuſtrati, plumbi liquefacti, argenti viui, & ſecundum græcos bonam cataractæ corpulenriam denotat qui vero in deſiori corpore eſt gypſeus, lacteus a recentioribus, grandineuſque dicitur, & malam naturam cataractæ oſtendit, is ſi illuſtris ſit, ſecundum Arabes argenti viui color eſt, ſed denſioris, vel liquidioris ſubſtātiæ, & malus eſt. At nobis propoſita cataracta mare ipſum refert turbidius, ſi ictum radiorū lucis fugiamus: Si in radios reflexos conuertamus, margaritam refert, vel cryſtallum, qui colores corporis perſpicui ſunt, & ferè mediocris corpulentiæ; dico ferè, quoniam poſſet quidem adhuc craſſior eſſe, vt mediocritatem penitus haberet, ac meo quidem iudicio figuram, amplitudinemque non mutat confricata, pupilla ipſa illa eſt, quæ amplior ex confrictu facta magis detegit ſubiectum ſpatium cataractæ, vnde illa amplior ceruatur, non tamē facta ex tactu amplior eſt, quare maturam eſſe ego ſtatuo, vereorque non craſſitiem futuram, ſed magnitudinem, ſi diutius immoremur, nam alterius oculi ſuffuſio magnitudine id prohibet potius, quam corpulentia, vt deduci non poſſe videatur, quam quidem ego deducere etiam tentarem. Nam ſi non ſuccedat, nihil amittimus, vel oculo ipſo in poſterum imbecilliori facto, nā materiam ad ſe deriuabit alterius oculi, ſi ſuccedat, bene erit: Hoc igitur tempore Luna decreſcente deduci poſſe dico, quo tempore in ariete eſſe non poteſt, nam in ariete hoc tempore fuit cum ſileret; & cum cæpit creſcere, decreſcere autem incipiet die dominico hora pomeridiana in Scorpione, erit autem die Mercurij in Sagittario optimo ad rem noſtram ſigno cum aſpectu Trino, cum Saturno, cum Ioue verò in Quadraro, cum Mercurio in Trino, quare ſi eo die aer opportunus fuerit, ſi corpus paratum, oculi minimè affecti, taraxi illa quæ ei moleſta eſſe conſueuit opus manus aggredimur hora, qua melius habuerit, veſpertinam non negligentem, cum illa ſit qua ſedatiores in hoc corpore humores conſpiciuntur, ſi fuerit conſtitutio non Meridionalis, ſed Septentrionalis potius, corpore omni quiete prædito, vt neque ſternutamenta, neque tuſſim, inquietudinem aliquam ſentiat; neque etiam aliquo animi affectu teneatur. Quo autem corporis apparatu, vt tutò deduci poſſit, vtemur? quove deductionis

A modo? De corporis apparatu, vtemur eo qui periculo, imminenti aduerſetur; quonam? naturali periculi, & cauſæ declarat. Illud eſt affluxus humoris ad oculum, quo vel inflammatio in coniunctiua, vel ſuffuſio deterior in interioribus oculi humoribus fiunt, affluxus cōtinet cauſas, cauſæ ſunt, partis ſuſcipientis imbecillitas, amandantiſque irritatum robur, vel qualitate humoris, vel copia.

His ille apparatus occurret, qui robur ſuſcipiēti particulæ addet, amandanti continentem vim robuſtam faciet. & ſubmouebit irritamētum copia humoris ſublata, maloque genere emendata. Imò neglecta ſuſcipientis particulæ imbecillitate, ſi copia, ac genus irritās ſubmouebitur, certè non erit quod amandans mittat, neque, quod ſuſcipiens excipere poſſit copia vel ipſa ſo-

B la ſublata; Itaque tollenda eſt. Magnum periculum, ſi affuerit, minatur, etgo magnis remedijs, quæ a viribus non reſpuunrur, ab ætate tamen imminuuntur, genus igitur magnorum remediorum adhibendum eſt, copia tamen propter ætatem imminuenda. Quod genus? Nam humor multiplex, multiplici remediorum genere indiget. Sanguis adeſſe conſpicitur, bilis, ſeroſus, ac pituitoſus humor. Sanguis ſui imminutionem vult, bilis autem, & ſeroſus, ac pituiroſus humor ſui expurgationem. Quomodo ſanguinis? eo quod minima quoad fieri poſſit ſpirituum copia euacuetur, vires ne fiant imbecilles, hoc erit, ſi non inædia quæ longum tēpus requirit, & æqualiter vniuerſum corpus euacuat, natura etiam carnes colliquat, & vires ſternit quæ in præſenti corpore non ſunt, ita negligendæ, & tandem aluū

C aſtringit, humores acres reddit, cardialgias inducit, & inquietudines, atque tandem omnia recrementa reddit maligniora, vt dicit Galen. lib. contra Eraſiſtratum de miſſione ſanguinis, quare, ſi per ipſam inædiam copiam tollere volemus, id, quod deſtruere volumus, adſtruemus, inquietudinem cardialgias, & vomitus excitantes ex ipſis acribus factis humoribus.

Præterea, ſi inſtituitur illa extrema inædia, quæ neceſſaria eſt ad euacuationem per accidens faciendam, tunc ex Gal. in librum de articulis fiūt tumores in corpore ex carnium colliquatione, qui viribus imbecillibus factis obſunt, & corpus humectant. Vnum præſtat inædia, quòd corpus exſiccat, & fluxum ineptum reddit. At hoc & diuturnum tempus requirit, & expurgationi futuræ corporis impedimento erit ex libro, quos,

D & quando purgare oportet, quare inēdia eſt prætermittenda illa extrema, qua etiam vires deijcit. Non deijciuntur etiam vires, ſi non larga ſanguinis copia educatur, (nam tunc dicit Auicenna, quod phlebotomia nocet) ſi a locis etiam per quæ ſpiritus multi exiliant, vt a manu extrema, a carpo ipſo, ibi enim ſunt venæ minimum ſpirituum deducentes, & ſatis commodè ſanguinem euacuantes, vel ipſæ hæmorrhoides, quarum euacuationi corpus hoc aſſueuit: Nam quamuis radiorem ſanguinem euacuent cum a natura latgius aperiuntur tamen a capite maximè reuellunt, & ſanguinem, ſi hirudinum tantum ſuccu aperiantur. Cum verò ab his reuulſionem adhibuiſſem, deriuationem etiam proximè a capite, & oculis adhiberem, hirudinibus ſcilicet poſt aures, temporibus, vel naribus adhibitis. Vſi igitur

E ſanguinis euacuatione, per hæmorrhoidas ſectionē venæ prætermittemus, ac ita Auicennæ obtēperabimus, qui dicit phlebotomiam nocere. Reliquos autem humores proprijs medicamentis expurgandos noſtis, vbi ſemper illos reſpicerē qui fluxioni paratiorem ſanguinem faciunt, nempe ſeroſos, & bilioſos, melancholicos relinquerem, ac ferè pituitoſos, qui in nutrimētum mutari poſſunt. Rhabarbaro præcipuè, aloeque vterer, ac ſyr. roſarum ſolutiuo. tandem, ſi opus eſſet, pilulis ſine quibus potius, quam illis lucis, quæ potius craſſos humores educunt, nos verò cum nolimus nunc tollere per medicamēta ſuffuſionem, ſed potius fluxum timemus, interim craſſiores humores nō debemus detrahere, ſed fluxiles, craſſi enim ſanguini conſiſtentiam potius iniungunt.

iungunt. Apparatus verò humorum cum his, quæ præter apparatum robur etiam partibus conciliarent, vti velim, nempe, ventriculo, hepati, capitique præsertim, quare syr. de succo betonicæ, cum syr. rosato, vel syrup. de cicorea, cum melle rosato, vel syr. de stœchade, cum syr. de endiuia, Aquis de betonica, cicorea, absinthioque, vterer autem saluia, vel lupulis ad reuulsionem, fœniculoque, nunc enim euphragiæ, vel alterius aquis ad visum attinentibus non vterer cum attenuandæ suffusioni propositũ non sit. Postea a capite proximè serosos humores educerem, non illis quidẽ masticatorijs, q̃ motu potius quam vi è capite humorem ducunt, nam ex motu maxillarum musculi ipsi maxillares calfiunt, calfacti sanguinem ad se, & oculos trahunt. Vi igitur potius, quam motu educant. Errhinis verò vterer non nisi postremo euacuato capite, ne materia ad oculos impetum faceret, sed exigua illa, quæ reliqua esset, tota ad nares tracta educeretur. Ad masticandum cera molliorimmixta puluere staphisagriæ, vel etiam albi ellebori. Ad attrahendum in nares decocta, & succi betæ, anagallidis, ciclaminis cum manna, & saccharo, & similibus.

Post omnes purgationes myrobal. conditis vterer ad ventriculum, caputque, & hepar roborandum, saccharo rosar. cum speciebus aromat. rosati, vel diamoschu dulcis, vel alterius vt diambræ, & e: vel floribus betonicæ saccharo confectis cum triansandalis, nam Patauij paratur. De ratione victus id cauerem, ne magis illa corpus euacuarem, quam purgatione, & sanguinis effusione, nam illa, vt dixi, nisi corpus expurgetur, acuit, & torrefacit humores, cardialgias adducit, inquietudines, capitisque dolores, nam amaros humores facit, & recrementa omnia maligniora. Vide Gal. in libro contra Erasistratum de sanguinis missione, vbi addit etiam, quod aluum sistunt, quæ omnia, quantum nocitura sint, vbi tranquillitas est necessaria, vos iudicate.

Præterea etiam, si mali humores in corpore non sperarentur ex ipsa, vt omninò sperantur, non euacuat pro ratione ex petita, sed primum, tarde admodũ euacuat, vires simul tollit, solida etiam colliquat, & omnes corporis solidas ipsas partes inanes reddit, nedum humores euacuat. Præterea, vt dixi, colliquans carnes inducit mucores, & humiditates quasdam, quæ fluxui paratæ sunt, viribus imbecillis factis. Quod mucosam humiditatem faciat, vide Galenum, & Hippocratem primo de articulis. Rursus ex libro; Quos, & quando purgare oportet, habemus quod inædia aduersatur purgationem molituris, illi enim fluida volunt corpora, quæ talia fiunt à copia cibi, inædia verò angusta illa reddit, & purgationi aduersatur, aluum etiam sistit. Mediocri igitur modo vterer victus ratione, quantum ad quantitatem attinet, nempè tenui, nõ extremè, quantum verò ad qualitatem, illo potius in crassante, quam extenuante, nam occurrẽdum est tenuitati humorum, quæ fluxiles fiunt, quare sit victus tenuis quidem, sed non extenuans, cum his semper, quæ caput, & os ventriculi respiciunt, nempe myrobal. conditis in postrema mensa, & præsertim pridie eius diei, qua suffusio deducenda est. Nunc enim, vt dixi, non est propositum humores suffusionem efficientes attenuare, sed potius fluxionis promptitudinem ad fluxũ auferre. De vino per tres dies ante deductionem, vel duos saltem abstinerem ratione eleuationis humorum ad caput, & postea per septem, non item prius, neque posterius. Nam prius ventriculus afficeretur, neque probe concoqueret, ita & posterius, si tamen lippitudinem non timebimus tunc, aut capitis repletionem, sed coctione tantum egeamus. Quantum verò pertinet ad deductionis modum, nouit omnia optimè ipse Cæsar, ne tamẽ videar à meo officio in re tanti momenti nulla coactus necessitate velle abesse, dixerim tantum quatuor hæc. Primum ad locum pertinens. Alterum ad instrumentum, Tertium ad operationem: Quartum ad agenda post deductam suffusionem. Locum Paulus,

A Auicennas, & sub illis auctoribus omnes volunt esse clarum quidem, sed non ad fenestram, vbi lumen angustũ accedit, & quasi radios mittit, neque ad Solis radios. Visus enim artificis titubat, & oculis ægrotantis officitur. Instrumentum vellem vltra manubrium esse breue, vt crassitiem pollicis longitudine non excederet, quoniam artificis oculus melius immissam portionem obseruat, ex breuiori extante parte, quam ex longiori, præterea, vt acies, vel cuspis acus non esset valdè acuta, quod Paulus, & Celsus significat, alter dicens rotundum alter non tenuem. Nam id, quod ita facilè membranas arripit, potest, cuique incidens fixione officere, exemplo vobis sit, quod mulieres, quæ reficiunt pannos sericeos vel velamenta illa tenuiora, & illæ quæ capitula botonos dictos conficiunt, acubus minus acutis, leuiterque pungentibus vtuntur, ita tamen acutis, quæ certa vi impulsæ ingrediantur. In operatione ipsa animaduertatur, ne plus ingeratur acus, quam sit minimi digiti crassitudo. Componat verò probè brachium, ne titubans nutans ve, anterius versus nasum impellat manum, acum necessario interius nimium ad crystallinum conuertat, vel posterius ad aurem manu depressa cuspis acus vueam contingat. Modus perforandi, qui acu circumagendo est, & pituitæ deprimendæ ille fuerit, qui & vsu, tractatiorisque longæ peritia ei notus est, quique à deprimenda pituita ostẽditur, alia. n. facilius, alia difficilius demittit, alia alia pluries resurgit, pluriesque deprimenda est, quare eius depressionis ratio hanc tractationem moderabitur. Post depressionem non ob voluantur oculi, vel caput grauioribus velaminibus, ne calfactum caput attrahat, attracti humores infarciant cute, & calescant, ac rursus maiorem sanguinis copiam adducant; de quo modo attractionis ab Hippocrate, & Galeno sæpè admonemur, silentium, temperatio ab ira, risu, cogitatione, ab omni motu indicetur, sternutatione etiam prohibeatur. Cibus vltra primum diem non sit admodum tenuis, ne venter inanitione sui humorem aliquem alienum excipiat, quia fieri nõ potest, vt sciamus, quando exactè corpus expurgatum sit. Medicamenta, quibus oculus perforatus fouendus, & à dolore, & defluxione humorum defendendus est antiqui habent oleum rosaceum, quod nostris temporibus oculis dolorẽ facit, vt omne oleum ferè, nescio, an antiquus oleum, ita, vt nostrum paratetur, scio nostrum dolores oculis afferre, quare rosacea aqua cum albumine oui reiecta spuma videtur opportuna, croci paululum addunt quidam, quoniam robur affert etiam cum eo, quod dolorem mitigat, & coctionem vulneris iuuat, & nutritionẽ, sed plus de his dixisse iam videbor. Parum vidit, & breui spatio, tum post trigesimum tertium circiter diem interijt acuta febre post podagricam, quæ podagra etiam propè mortem suppurata est cum ante podagram calculos quoque per vrinam eiecisset.

De febre maligna, cum dolore costarum pro Altarda Pompeia.

CONSVLTATIO CCXXXII.

E Miraris Vir Doctissime, quo modo febris, quę tertianæ similitudinem sequuta sit, iam mihi continua & maligna habeatur, & prædicam exanthematũ futuram eruptionem maximè quòd die quinta, quæ tertiæ accessionis esset non solum horror, sed concussio rigor dictus a Græcis affuerit & valde quidem magnus, adeo vt nullum eo maiorem fieri posse visum sit, cuius accessionis calor toto quinto & iam toto sexto die perdurarit, incipiente vero 7. pulsus quidem compressus sit, & carnes calorem non habeant, ipsa tamen frigus non sentiat, sed intus ardeat.

Ego verò quamuis ætate iunior te sim, habeo nihilominus in memoria hoc multis alijs accidisse, & ijs præsertim qui secundum partes spiritibus destinatas laborarent

rarent quemadmodum huic cōtingit, nam repleta corpora præsertim malis succis, & in extimis partibus constricta quale hoc est, quod & malis humoribus ferè tumens est, & animi perturbationibus, & ægritudinibus eiusdem maximis partes ad cor attinentes debilitauit, & nocturno frigore, & subito, & magno, & plures noctes incidente, quòd leuiori veste tegeretur cutem vndique constrinxit, huiusmodi inquam corpora id omnino periculi subeunt, nam vndecūque impetum humor cęperit, inde solet confluere in partem contrariam, vel id sit ab interius ad externas, vt in sudoribus, & dissolutionibus, vel ab externis ad internas, vt in alui fluoribus a cutis constrictione natis, vt in huiusmodi etiam malo, in quo materia intus compulsa inuenit, minus resistentes spiritus partes, quam iecur, & ventrem, ita in eas influit, primumque forte non in pulmones sed in succingentem dilapsa post frigus, & rigorem Græcis dictum, qui illius motione per partes sentientes, & carnosas mouetur, membranam illam dolore afficit pro modo suæ naturę magis vel minus crassæ & mordacis, dilutior nāque humor sæpè vix sui sensum facit. Ac postquam mēbrana illa suffusa est, si materia abundet, humor prorepat non solum eam, sed illam, quæ pulmones induit, quam sæpè sua acri vi modo Erisypelatis in vehiculas attollit, & separat, ac disrumpit. Quod nos sæpè numero vidimus, eamque adeo crassam reddit humore, cum separata est, vt intestini bubuli crassitiem exæquet, qđ vide factum de cuticula volæ, ipsius manus soporata post inflammationem, abundante vero etiam confluxu humor & pulmonem, & capsulam cordis replet in pulmone cōsidendo illa, quæ crassitudine sua tardior mouetur, in membranis verò, quæ sua tenuitate, & irritatione citius pellitur.

Et certè mirum est, quantum possit extimi ambitus corporis constrictio, nā non solum corporis ipsius meatus compingendò corpus eo humoris genere magis replet cuius vapores repellit & continet, sed facultatē expultricem incitando ad mouendum intus mala parit, vt vel si musca reptante per cutem horror moueatur possit expultrix inuitari, dum spiritus vna cum sanguine recurrit ad materiam intus mouendam, & sæpè febres faciendas. Partibus ergo thoracis onustis, atque imbibitis non est mirum si spiritus difficilis sit, pulmone etiam repleto, si exiguus & creber, dico pulmone, non vasis eius, quoniam vasorum repletio non comprimit Bronchia, vt pulmonis corpus facit, ad quam angustiā exiguus spiritus sequitur, vt ad thoracis capacitatem repletam angustioremque factam pulmone liberiori, & bronchijs parentibus modo dolor non prohibeat spiritus quidem multus attrahitur, sed labore magno, & difficultate multa dilatationis thoracis, qui thorax, si doleat, alterum genus difficultatis subit, qua parum attolli potest, quoniā sine doloris incitatione maiori musculos, & membranas distendere non potest, dum costæ ex obliquo ductu suorum orbium in rectum, & maiorem ambitum musculis inter costalibus agentibus adductæ membranas sese cingentes amplificari cogunt, falsum enim credo, & fieri non posse, vt septo transuerso agente respiratio fiat; nam thoracis in spiritu actio est dilatatio per ipsummet Galenum, actio verò septi non nisi constrictione fieret.

Cum angustia ergo difficultas quoque spiritus est ob dictam rationem angustia & constructio, vsque in fauces pertinet, & etiam dolor membranis illuc pertinentibus, lingua rubra admodum est inflammationis causa vehementioris. Vrinæ turbatæ, cum ad omnem humorem feruor pertinens crudos crassos, & densos succos effundat & colliquat, qui plurimi in hoc corpore sunt. Maculæ in cute possunt existere propter eundem feruorem, quo vel crassior pars sanguinis per vasa effusa illuc suo lentore considat & refrigescendo subsistat subtilioribus in bilem potius conuersio. Nullus dolor capitis nullum delirium thorace sic affecto quod in multis animaduerti, vt in plerisque etiam huiusmodi vidi linguam

A nullo rubore, aut peiori colore affici, nisi propè necem cum liuidior & languidior euaderet, quoniam vasa pulmonum minus peruia in caput sunt, thoracis autem venæ in membranis densioribus partitæ, minus apertam in caput, & minus rectam viam habent.

Frigoris & concussionum peioris temporis mali causæ iam patent in motione, scilicet & confluxu humorū fuisse, & quamquam certis horis & ordinatis fiebāt, minimè mirari debemus, quoniam humores, vt experimēto compertum est, facile motiones suas reuertētibus ijsdem horis amplificant. Hæc sunt quæ in morbo videre videor. A q̄bus is metus est quo nullus maior esse queat, nam præter mali magnitudinem ex copia, ex vitio humorum, ex locis occupatis, locus remedijs relictus non est, viribus maximè oppressis, & dissolutis. Vitium
B humorum emendationem non potest accipere propter factam iam putredinem, obsessio facta ab illo retrahi non potest, neque medicamentis, neque manu. Sanguinis.n. missio nō feretur, retractio per cucurbitulas nihil poterit infixa iam materia, si illa domus, quæ putredinē sistunt & humorum confluuium cohibent vt bolus armena, quæ propterea nihil videtur tot laudes habere in pestilentibus febribus, quoniam si a principio detur cōfluuium dictum sistit vtiliter, vt infixam iam materiam inutiliter sisteret. Coctio vnam spem haberet si ipsa sperari posset. Sed nimia copia, & vt dixi, nimium humorum vitium est. Qua copia certe breui suffocabitur. Ac si volumus expultricem vim adiuuare per medicamenta vt theriacam, vt syrupos valentiores irritato vitio, & copia permota, & calore excitato citius eam interficiemus. Præsertim quòd hæc valentiora medicamenta vires etiam dissipant, quæ sunt exiguæ. Quod si vultis eam
C culpam fugere ne quidquam præterijsse videamur, in illam incidetis, & exagitatione illa fuisse necatam. Quod etiam de vino concedendo ad sustinendas vires vbi tāta mala copia subest dicendum est, a quo non tam vereor infirmorum vitium dissolutionem, quoniam non ita exiguæ aut extenuatæ sunt, quam humorum perturbationem, & tumultum vnde citius obeat.

Videor ego multis sæpè parum placidus, & durior, sed duritas ea mihi maior videtur, vt dum volumus diligentiam & caritatem ostendere, crudeles vere esse cōpellamur. Dixi.

Cum Montesauro, Lando, Lacisioque pro ualde Venerando viro D. Philippo, &c. Stridonensi Episcopi Veronensis Vicario.

D

CONSVLTATIO CCXXIII.

Reuerendissime Antistes consessus honestissime ego Doctores Experientissimi, ac Doctissimi vestigijs contendam ad id, quod a me hoc loco exigitis, in eius oratione tria potissimum quidem ventriculi, deinde renum affectum, tertio autem corporis plenitudinem. At febrem prætermittis? non prætermitto, quoniā
E in his tollendis & ipsa necessario curabitur, quod nō dubitem ego illam non ab his pendere quæ nondum ex se cōsistāt, & minus fixa sint, sed ad supradicta, vt ipsorum vmbra consequatur: Ventriculi affectio qui multā ad se curam trahit, propter maximum vitæ vsum, ex nausea, & illa non solum ἀσιτεία, sed ἀποσιτεία deprǽhenditur, qua cernitur pessimo humorum genere esse refertus, ac, si inædia teneretur, timendum esset illi hoc senio 60. annorum, ne in syncopen laberetur, præcessere etiā in ratione victus causę, quæ eundem affectum nobis indicare possunt, vt ipsa itinera cibus, & potus plenior, & mali generis, atque ipsa statim a cibo vectio, & conciones habitæ, quæ corpus crudo, ventriculum verò corrupto succo replent.

Accessit

Accessit etiam ipsa corporis mala plenitudo, seu cacochymia tanquam vehementissima causa, vnde mali in ventrem humores mittantur, qui acres illum infestet, & spiritum animæ instrumentum non nutriunt, potius vero dissoluunt, dissipantque, & temperiē exterminant, pondereque grauant. Vnde proximis diebus præ imbecillitate, ac labore, & humorum à cibo ingesto permotorum irritatione, ac molestia nihil cibi cōtinere valebat, & ἀσιτεία illa, id est, cibi fastidio tenebatur. Cuius quidem eentriculi curatio, cum præter spirituum refectionem, tempetieique emēdationem, & humorum primo, & potissimum id omne malum efficientium sublatiōnem requirat, cumque hactenus à viro Excellentissimo spirituum tefectio, & temperiei, & præterea laxitatis cor rectio præstituta sit cibis ad id valentibus, ac potibus, vt vino luteis ouorum, omphacioque, tota cura ad humores tollendos, ac attemperandos reuocanda est. Ante tamen, quam de humoribus dico, de renum affectione, quæ aliqua etiam ex parte ab humoribus fouetur, proponam. Renum affectio viri doctissimi ex multis perspici potest. Vrinarum copia præter malum corporis statū renum propriecalorem nimis attrahentem, ac laxantem significat, eadē refert sedimen crassum, ac exustum ferè & redactum in cinerem, Et dorsi, ac lumborum dolor, eędem quoque causæ procatarcticæ confirmant, ambulatio laboriosa, & longa, insolita etiam vectio, & repente, æstiuisque temporibus adhibita. Scio ego tantum valere ad patiundos morbos repentinas mutationes, quantum omninò vulgo intelligi, nequeat, nimium enim ab imusitato, & repētino natura perfringitur quod vbique inculcare solebat Hippocrates. Ambulatio musculis fæmora mouentibus vtitur, hi verò in lumbis ad ipsos tenes pertinent, vtitur illis etiam, qui erectum dorsum sustinent. Quaptopter genus vtrumque, cū ambulamus, fatigatur, itaque partes illæ calfactæ sunt, laxioresque redditæ, vnde & calore, & laxitate succos malos attrahunt, & à locis, venisque amplioribus, in quibus gignuntur, in suos angustiores sinus, minimeque humori familiares includunt, vbi alieni non perflati æstuant, locique calore sibi minimè cognato, suumque calorem corrumpente, vel potius suo calore ab humido compressso inculcati sunt, putredine afficiuntur, febremque incendunt, illamque cum frigore, Nam cum incipit putrescere humor, tunc præsertim (nisi copia quandoque id faciat sola, quod in febribus minimè continentibus non solet euenire) incipit naturæ esse molestus, illa verò irritata tentat expulsionem, quo motu humor præ putredine acris, molestior percipitur, eam vero molestiam ipsi spiritus, cum fugiunt, interiora, & medium relictus extremis, & eminentibus petunt, extrema verò sensu prædita frigus percipiunt, vbi, si magis acris esset humor, magisque naturæ molestus, non solum frigus, sed concussio membrorum natura expressionem moliente, fieret, atque id in carnibus tantum, exterioribusque horror appellandus, si in totis membris, rigor, qui propter musculorum vniuersorum concussionem cum dētium etiam stridore fit.

Quod si ibi humor putresceret, vbi generatur, siue in venis, siue in ambitu carnium generetur, tunc citra frigus, vel horrorem, vel rigorem esset febris nisi initium putredinis adeò infensum naturæ fuerit, vt ad illius subitam molestiam, spiritum, & sanguinem mittere eius etiam putredinis calore attrahente cogatur, tunc enim quoque partes corporis eminentes spiritu, & calore exhauriuntur in locum putredinis confluente.

Quando igitur de humore dicere ex renum affectu, qui ab humore est, terum consecutione ducti sumus, sic statuendum ex dictis est. Primò locum mutare hos ipsos humores in corpore, cum putrefieri incipiunt.

Deinde eos nō valde acres esse, sed mitiores, & crassiores. Quos adesse febris testatur, testantur vrinæ, vitæ anteactæ, & inquietudo illa maxima, quam esse cre-
A do ab humore os ventris obsidente potius, quam principem aliam partem tenente, cum nullius principis partis affectæ indicium sit febre longius etiam progressa. Crassos verò esse, præter cætera vrinæ valdè crasso sedimine affirmant. Cuiusnam verò generis sint, significant cum vrinis deiectiones, vigiliæ, sitis, febris periodi, nempe bilem, ac pituitam mixtam esse, idem ratio victus, & vniuersalis corporis constitutio calidior, & ætas grandior, melancholiam verò cum somnijs eadē ætas, vigiliæ, corporis constitutio calida, & humida ante, modo potius sicca.

Sentiente etiam Hippocrate, quod corpora siue sanguinea, siue biliosa sint si solitis purgationibus sint destituta, facile melancholicum humorem congregant. Eosdem humores, nempe melancholiam, & bilem soli-
B citudines præcedentes, labores, excandescentiæ, quæ omnes exsiccant, quædam verò etiam calefaciunt, & pingues humores in bilem conuertunt, ostendere valent, quod motus corporis insusitatus comprobat, pituitæ verò ratio victus, ætas, imbecillitas ventriculi est testis locupletissimus. Qua multiplici humorum mole congesta aliquo inde humore tenuiori ad ventriculum redudante ἀσιτεία illa a principio facta est, ventriculique robur prostratum, deinde sitis immensa excitata, quæ a principio non fuit, quoniam ichores illi tenues, & calidi mitigabantur crudo humore prius in ventriculo a ciborum copia liberali, atque ventriculi imbecillitate procreato.

Postea factum est etiam, vt renes, qui præ calidiore intemperie plus attrahentes, laxique facti facile recipe-
C rent humorem in calidiorem, angustioremque locum, & minimè illi cognatum cogentes, qui proprium amittens calorem ab alieno vero comprehenso æstuans, efferuescensque acris fieret, naturamque partium lacesseret, vnde ab ea per loca circum renes eijceretur, ad qd molestia, & frigus, & ex putredine febris consequerentur, & subinde sitis, nausea, somnia, vigiliæ, inquietudinesque auctæ sint, humoresque magis calfacti. De febris etiam forma, & natura, quod dicam habeo, ex qua & notæ humorum, & si quid periculi subsit aperiatur, & inde curatio moderatur, Hæc, an continentium, an intermittentium in genere sit, dubitabile videretur, quod iure dignoscendum est, cum curationem non penitus similem requirant. Typus est, non tamen cum
D rigore vehementi, igitur non necessario humor omnis tenuis est, ex varijs, & illorum multis crassioribus humoribus esse permixtus potest, siquidem ex rigore si vehemens esset, intelligi posset, humorem esse tenuem, nam vbi rigor est, ibi motus incitatior est, qui in humore crassiori fieri non potest, neque frequēter varij, crassique humores sub vigore reperiuntur.

At vbi sunt indicia bilis, rigor tamen vehemens non est, possumus dubitare, an bilis tenuis quidem sit, crassiores tamen humores habeat permixtos.

An verò crassiores intra venas putrescant, minimeque extrudi possint, tenuiores verò vel per loca magis aperta dilati, extrusique typum illum efficiant, quæ primo ad Glauconem a Galeno nobis proponuntur. Ita ego de hac re statuerem, quod, cum nihil sit in tempo-
E re interualli, quod manifestè febrem indicet, hæc sit febris intermittens, & illam pulsus inæqualitatem, ac velocitatem, quæ in quietis tempore percipitur, eam esse, quæ in intermittentium interuallis solet reperiri ex Galeno censerem, illam verò inquietudinem, ac somnia ad ventriculi supradictas affectiones referrem. Sitim verò & ad illam, & ad renum calorem, ac præcedentem febris exacerbationem, quod eò libentius facio, quia Excellentissimum Virum idem sentire intelligo, cuius iudicio plurimum posse niti videar, Sit igitur intermittens in nullo simplicium genere collocanda cū varij sub sint fomites humorum, inter quos quidem humores bilis, si non molæ, saltem vi superior appareat, ut reliqui mole, non ui, quare a bile cæteri in tertiana-

rum

rium putredinis, & motus circuitum trahuntur, a bile ſcilicet viribus ſuperante. Notha igitur erit tertiana in corpore calidiori ſecundum temperaturam, ætate frigidiori plurimus humoribus referto. Quid futurum? Curabitur, ſi, quæ oſtenduntur agenda, non negligantur. Citone? Videre certe id poteſt medicus, qui curſum morbi præteritum obſeruauit.

Nam ex celeritatis præteritæ menſura, celeritas etiã, quãta futura ſit, conijcere poſſumus, & quamuis etiam ratio celeritatis in temporibus ſoleat mutari. Coniectura tamen alia communiori nos poſſumus aſſequi minimè longiorem morbum futurum, quoniam vrinæ vt plurimum coctæ ſunt; quod in ſene rarò euenire videmus, præſertim verò in hoc, in quo propter affectos renes minus etiam coctæ vrinæ non multum fidei cruditatis habere poſſunt, illi enim trahunt etiam crudiora propter calorem.

Quomodo curatio præſtanda? Plenitudo mala ſubmouenda eſt, deinde membra attemperanda. Sic verò plenitudini malæ euacuandæ humorum apparatus eſt neceſſarius, vt illi fluidi, & naturæ obedientes propter maturitatem ſint, nihil enim non maturum, ac domitum natura excernit, niſi vi impulſa, ac irritata. At dum parabuntur humores, ſimul etiam intemperies corrigetur, quod illorum ipſæ cauſæ ſimiles ſint, cum eo autem humorum apparatu etiam viæ ſunt aperiendæ. Hic igitur lentor pituitæ oxymel poſtulare videtur, bilis, & calida intemperies ſyrupum roſatum, humoris melancholici craſſities ſyrupi aliquid ex fumoterræ, quibus quidem etiam viæ aperientur, & vna membrorum intemperantiæ ſuccurretur. Capiti enim, atque hepati, ac renibus roſæ, hepati, ac ventriculo fumus terræ, pectori mel proficiet. Aquæ, vel potius decocta eſſent eiuſmodi.

At medicamentum purgans apprimè commodum diacatholicon videretur, vnde hepar, & ventriculus ex rhabarbaro, hepar, & renes ex tamarindis, ac frigidis ſeminibus adiumentum accipient. At ex violis & caſſia fiſtula pectus, ac item renes ipſi, pituitoſus humor a caſſia, polypodio, & etiam a rhabarbaro; melancholicus ab vtroque, & præterea a ſena, bilioſus a rhabarbaro, caſſia, & tamarindis euacuabitur.

Poſt euacuationes renibus exterius illud medicamẽtum adhiberem adeò ab experientiſſimo illo medico Rhaſi commendatum ex roſis, ſandalis, & aceto, quod quidem non multum aſtringit, nec vehementius refrigerat, vtrumque propter ſenium inutile, vtrumque tamen propter intemperiem mediocriter procurandum. Ventriculo interea toti corpori coctionem neceſſariam ſuſi miniſtranti oleis inungendis ſuccurrerem, vt quæ ſunt ex maſtiche, & abſinthio, nuce moſchatæ, & ſpica, quibus omnia opportuna, atque optata comparari nobis poſſe iudicarem, ad penetrandum in ſpica tenuitas partium, ad adſtringendum, & calefaciendũ in omnibus, uis apta.

Hæc ſunt quæ mihi viſa ſunt dicenda, non quod aliquid a viro, qui ante me dixit, ſit prætermiſſum, quod vel ad curationem eſſet neceſſarium, vel ad morbi expoſitionem ſcitu dignum, ſed ne mea opera ei potiſſimũ deficeret, cui potiſſimum eſt debita. Dixi.

Breui is reſtituto ventriculo, ſublato faſtidio, & renibus refrigeratis, euaſit.

Medicamenta fuerunt.

℞. mellis roſacei ſolut. mannæ electæ an. ℥. 2. s. floris caſſiæ fiſt. ʒ. 3. cum decoctione pectorali addita ʒ. 1. s. cinnamomi, & ʒ. 2. s. radicis iridis f. potio.

℞. ſyrup. de ſucco fumir. & lupullorum roſacei ſimplic. oxymellis ſ. an. ℥. s. decoctionis fumiterræ, cicoreæ lupullorum liquiritiæ, borraginis, bugloſſi, meliſſæ ℥. 4. s.

℞. decoctionis pectoralis addita ʒ. 1. s. cinnamomi,

A ʒ. s. zedoariæ ad infundendum & ſoluendum infraſcripta q. ſ. rhabarb. elect. ʒ. 1. s. agarici trochiſ. ʒ. 1. fol. ſenæ electi ʒ. 2. s. aquæ ſtillat. cinnamomi ℈. 7. fiat infuſio per 12. horas, & leuis expreſſio; colaturaque.

℞. ſupraſcriptæ colaturæ ℥. 3. diacatholicon ℥. 5. mellis roſ. ſolut. mannæ electæ an. ℥. 2. s. m. & fiat potio.

℞. florum roſarum m. 1. s. ſandalorum ʒ. 3. aceti, acquæ roſ. an. q. s.

Pro Nobiliſſimo Viro Octau. Perog. hypochondriaca affectione laborante.

B CONSVLTATIO CCXXXIIII.

Laeduntur in hoc nobiliſſimo Viro omnes tres principes facultates. Animalis quidem, quoniam imagines obſcuras, & triſtes, atq; cogitationes eiuſmodi ſemper habet, & noctu, & diu in ijſdem ſemper verſatur. Præcipuè percipit triſtem quendam ſenſum cum grauitate in capite circum frontem, & ſecũdum radices oculorum, ceruicem, & etiam ſcapulas, ad motum ægrè ſe habet, quoniam, cum ſurgit a ſomno, ipſe patitur quaſdam veluti laſſitudines. Vitalis verò læditur, quoniam triſtitia afficitur. Vegetalis autem, quia non probè nutritur, concoctiones tardæ ſunt, pariterque & excretiones.

Ab his ſymptomatibus ipſe precatur liberari. Sed C quoniam ſymptomata non niſi ſuis cauſis ſublatis tolluntur, qui ſunt affectus, qui curationem indicant, ideo affectus ipſi, qualeſque ſint, & quas partes afficiant, perquirendi ſunt. Læſio animalium facultatum non eſt ſemper eadem, quatenus pertinet ad vehementiam, & quod illius læſionis perpetuum eſt; hinc colligo, quod affectio, quę primò, & per ſe in capite eſt, leuis eſt, quodque ſui cauſam habet a qua augetur, quæ vehementiorem, & grauiorem ortum aliunde ducat.

Quod quidem in capite ſit leuis aliquis affectus, oſtẽdit nobis perpetuitas illa leuioris cuiuſdam læſionis actionum ipſarum, quæ in capite ſunt, & perpetua illius grauitas, præcipuè diuturnitas ipſius affectionis, nam, quod per conſenſum eſt, tandem ſit primarium. Idem etiam demonſtratur nobis, ſeu declaratur ipſis cauſis D externis, quæ caput primò, & per ſe afficere potuere, quas cauſas ipſe enarrat; nam capite ferrea galea recto. ſæpius noctu dormiuit, & diu, cum ex laboribus, & ſudoribus eſſet confectus; Quod verò originem maiorem aliunde ducat, ſignum eſt, quoniam augetur, nã augmentum eſt ſui natura in fieri, nihil autem ſeipſum augeri poteſt, quoniam nihil ſeipſum generat.

Ideo aliunde augmentum iſtud habere neceſſe eſt. Vnde autem ducat originem, poſſum colligere, tum, ſi obſeruo partes alias, tum quæ in corpore ſunt læſæ; tum verò ex conſortio ipſarum. Conſortium quidem, & conſenſus mihi indicat affectum maioris momenti adeſſe in partibus, quæ ſub præcordijs continentur, quoniam cum illis maximè conſentit caput, potiſſimum per ventriculi os, cuius rei rationem nouimus omnes.

E Partes verò, quæ læduntur, vt mox ex proprijs indicijs colligetur, ſunt ipſæ, quæ iacent ſub hypochondrijs, & præcordijs.

Læſio autem ipſius vitalis facultatis idem nobis oſtẽdit, cum neque ipſa perpetuo eodem modo, quatenus ad vehementiam pertinet, ſe oſtendat, & maximus illius conſenſus ſit cum partibus ijſdẽ, quas quidem iam oſtendam eſſe affectas.

Quod igitur partes ſub hypochondrijs afficiantur, habemus, quoniam læſa continenter eſt facultas naturalis, vt dixi. Quales autem ſint iſti affectus. Capitis quidem affectus mihi videtur intemperies frigida, & ſicca cum materia, quod poſſum oſtendere ex conſpectu

spectu capitis, nam cutis asperior est, immo iam sex A mensibus erat asperior. Præterea, nec multa habet excrementa, habet quidem aliqua, sed nō pro ratione imbecillitatis, qua plurimum recrementorum deberet emittere. Deinde, oculi ficciores sunt, præterea natura læsionis imaginum animi idem nobis ostendit, quoniam humorem siccum significat. Rursus si ad temperiem naturalē capitis respiciamus, quæ calida fuit, illa indicabit siccam esse hanc intemperiem, qđ verò sit frigida, ostendunt nobis somni longiores, à quibus cum surgit, torpent membra, grauitas etiam capitis humorem frigidum significat.

Præterea causæ externæ, nam exercitia siccant caput, & dormitio illa sub dio refrigerat. Qualis verò sit affectus, qui in partibus sub hypochondrijs est, iam colligo ex genere, & modo, quo læduntur operationes. B Quod igitur attinet ad id, quod maxima ex parte per consensum afficitur, cerebrum, scilicet, læsio actionum ipsius est huiusmodi. Perturbatæ quidem imagines sunt, & corruptæ, & ita actio corrupta, vt species quæ timorem concutiunt, facilè concipiat. Hoc autē fieri solet à vaporibus (ne hic à Galeno discedam) cerebrum petentibus, & illis quidem obscurioribus. Huiusmodi vapores non possunt attolli, nisi ex materia, quæ aduratur, & assetur, hæc autē in corpore assatio, scilicet, non potest, nisi incendatur calor igneus, hoc autem non nisi ex obstructionibus fieri solet. Adsunt ergo obstructiones in partibus sub hypochondrijs, non quidem in venis, aut arterijs maioribus, quoniam tantus incenderetur calor, vt febrē C concitaret, quoniam in minoribus hæ etiam sunt, quę circum pancreas, & per mesenterium diffunduntur, ex quibus elati fumi ad ventriculum, in ventrico illū calorem ex ebullitione, ac obstructione acquisitum, ascititiumque amittunt, ad pristinamque naturā frigidam redeunt, siccitateq; ex adustione acquisita naturam melancholici succi retinent, atq; ita ventriculum, & eius os mala frigiditate afficiunt, elatique ad cerebrum melancholicis imaginibus ipsum implent, cordi verò, nempe ori ventriculi hærentes mæsticia, cor ipsum afficiunt, & timore. Refrigerato aūt ventriculo fit tarda cōcoctio, fiunt flatus, eructuationes, & lassitudines, quæ per corpus sentiuntur propter cruditates, vnde etiam augetur, & fouetur ipsa causa obstructionis. Hæc est tota huius rei natura, & tot partes habet. D Quare, si velimus hunc affectum curare, oportet corpus ab illis recrementosis succis liberare, qui obstructiones generant, & augent, atq; prohibere, ne succi illi rursus aggregentur. Præterea obstructiones tollere, quæ fumos illos attollunt, illi verò sūt auertendi à capite, & corde ad exteriora, & præterea partes omnes corroborandæ, ne noxam recipiant, vt caput, cor, & os ventriculi, ne humores etiā admittāt noxios. Præterea, caput ipsum ab humore illo frigido, & sicco liberandum, & id ab illa intēperie. Quare primò corpus euacuandū, vbi ego sectionē venæ prętermitterem, q̄uis fortasse non esset damnāda, si post humorū, præsertim primas venas occupantiū præparatione, q̄m lenti sunt, admitteretur. Apponerem etiā hirudines hęmorrhoidibus, & exhiberē deinde medicamētū oportunū, sed lene, ne materia ad obstructiones E nes pręcipitans magis obstrueret, & potius peterem. Syrupi aūt nobis operā suam præstabunt, & ad exobstruendū, & ad cām materiæ tollendā, nempe trāsmutandū intēperies, ne partes rursum materiā gignāt q̄ obstructiones facit, & p̄terea corroborabūt cor, & vētriculū, atq; ēt caput. Auertemus aūt vapores frictionibus adhibitis partibus inferioribus, & balneis, q̄bus ēt intēperies humorū demulcebitur, & capitis vitiū.

Caput verò euacuabitur exhibitis syrupis prius per pharmaca purgantia, & præterea masticatorijs errhinis, gargarisinisque; transmutabitur autem eius intemperies lotionibus ex decoctis mollientibus potius meo iudicio, quàm siccantibus, cui etiam adhiberi possunt, quæ simul corroborant. An verò præstari possint hæc, poterunt, & fortasse etiam citò. Quod verò attinet ad particularia medicamenta, vt ēt meam proferam sententiam, ad lenitionē placeret cassia fistula cum hiera, vel cū eadem hiera, elect. lenitiuū. Post exhibitos aliquos syrupos apponerē sangui sugas hæmorrhoidibus, quæ, q̄uis tantum tenuem sanguinem fugant, tn̄ ex motione in eam partem fit apertio venarum q̄ sequitur commodum quod quęritans; syrupi priores essent mollientes potius, & concoquentes, & attemperantes, quā attenuantes vlla caliditate, ne materiam tenuiorem per vrinam emitterent, crassa relicta. Deinde crassa materia, & dura emollita, cōcocta, ac attemperata, exhiberē syrupos, qui eam inciderent valentius, calore extenuarent, & per vrinam educerēt. Priores essent, cicoraceus, de fumoterrę simplicior, & item simplex de pomis, de buglossa, oximel simplex cum aquis ijsdem, & absinthij, & ad summū mel rosaceū. Posteriores vero essent cōpositi de supra dictis, & ex agrimonia, tamarisco, acoro, epithymo, corticibus fraxini, ex scolopendrio, & capparibus, oximel, cōpos. syr. cicoraceus cōpositus cum rhabarbaro; Prior purgatio esset cum hiera, & cassia, altera esset cū elleboro, addito ēt rhabarbaro, aut ex hiera, cōfectione Hamech, cum decoctis epithymi, polipodij, fol. senæ, & suis, vt aiunt, correctiuis. Exempli gratia. ℞. species hieræ simpl. Gal. ℥.2.s. flor. cassiæ fistulæ ʒ.8. misc. & cum saccharo f. b. pro priori alui solut. ℞. cortic. præpar. ellebori nigri ℈.2.s. epithymi ʒ.2.s. polypod. q. ℥.s. passular. tātundē, liquiritiæ rasæ, fol. senæ electæ an. ʒ.2.s. prunorum num. 5. flor. violar. P. 1.s. flor. borrag. buglossæ an. P. 1. cinamomi ʒ.1.s. Zedoariæ. ʒ.s. f. decoctio in aq. cōmuni. s. a. quæ coletur cū multa expressione. ℞. præp. colaturę q. s. rhabarb. electi agarici trochischati ad ʒ.1. aq. stillatitię cinamomi ʒ.1.s. f. infusio per 12. horas q̄ coletur cū leni expressione. ℞. sup. colaturæ q. s. mannæ electæ. ℥.2.s. mellis rosacei solutiui ℥.1.s. elect. indi maior. ʒ.2.s. misce, & detur in potionē, quæ potio repeti pōt interiectis syrupis, in quibus demum misceri posset syrupus acetosus diarrhodon, cū syrupo de cicorea Nicoli cum rhabarbato.

Cum Lando Lacisioque pro Nobili Octauiano Peregrino, febre acuta correpto, pridie Cal. Aprilis habita Anno 1566.

CONSVLTATIO CCXXXV.

Causa nobis proposita triplex esse pōt, vt soleni ferè q̄ medicis p̄ponūtur, prima in disputatione, altera, in futuri p̄uisione; tertia in deliberatione cōsistit. Ita verò sese habent, vt ab illis primis duabus hæc oīs pēdere dēat. Quare illas antea aggredior, & primū illā, q̄ ad q̄onem pertinet, deinde, quid inde futurū sperem, tertiò de curatione quid deliberandum. Ad primū quod in dignotione, ac disputatione de omni corporis statu versatur, vnde cætera possunt persolui, deuenio, hoc tribus potissimū generibus cōtinetur, primū eorum est, quæ in corpore secundum naturā sunt, alterum eorum, quæ præter naturā acciderint, ter tiū, quæ circūposita corpus ipsum afficiunt, vt aer. Quæ secundum naturam insunt, primum videmus in hoc corpore vehementiam in actionibus, sensibus, vigilijsque caluitium capillorū, duritiem (exceremēta capitis prętermitto, nā aduentitiā tēperiē possunt ostēdere, hęc naturalis capiēda est,) illa, alia multa sunt, in oculis obscurioribus venę latiores, cutis circa faciē asperior, in corpore carnis copia, & iā inclināte ętate pinguitudo, vt venę nō sint admodū cōspicuæ, pili in trunco ferè nulli. Vrinas accepimus solitas esse colore, & oībus alijs biliosiores, & q̄nq; ēt pituitosas, ac melancholicas.

De corde percipimus pulsus satis celeres, eosque so litos scimus, scimusq; vehementem illum in iracundia, effusum in lætitiam, nunquam ferè timere, nisi fallatur melancholia imagines falsas suggerente. Ex his, quænam quatuor qualitatum in ipso superior sit, licet conijcere, capitis siccitatem ex durioribus capillis, caluitio, vigilijs, tristibus per quietem visis, obstinatione crebra, robore ad motum, & exiguitate excrementorum, oculorum nigrore quodam secūdū venas in coniunctiua, frontisq; siccitate intelligo; ex opinionum subita mutatione, & incōstantia calorem. Ex excrementis verò nuper ingenitis, & obstinatione frigus ascititium, quod sub hoc nouo, & acuto morbo tā quam capitis naturale, & morbi causam pono. At cuius temperiei hepar? Iam propter ætatem in frigus inclinatam frigidioris, alias temperatioris, humidioris verò semper quod caro ab ętate superiori copiosa indicat. Nunc varietas hæc vrinarum ex imbecillitate ventriculi vitio mesaraicarum anhelitum melancholicum in ipsam attollentium, ob illatam veri inde hepati intemperiem calidam, vrentem, siccitatemque hæc alui angustia. Cuius naturæ Cor? calidæ, nec valde siccæ, non tamen humidæ, quoniam ira vehemens multum perseuerat, aliquantisper facilis lætitia, & admodum gestiens non finit iudicare siccitatem. Hæc de primo genere, nempe naturali. Eorū quæ præter naturam sunt secundi scilicet generis, habemus acutam febrem noctu in crescentem, vigilias, spectra in somno vel breuissimo, destillationē albam à capite, fastidiū cibi ἀσιτείαν, typū illum cum dolore crurum maximo, atq; temporum, non est sitis, quæ in febribus esse solet, neq; hactenus aliquid aliud visitur accidens superueniens, vrinarum præterea color biliosus, eneorema pituitosum. Hinc quærendum est, an vnus tantum, an plures morbi, quive illi sint, an sola intemperies, an cum materia coniuncta, quæve materię natura, qui locus, quæ origo, quæ omnia expediam nō sigillatim sed vnicæ orationis cōplexione, si prius tertij generis res expediero, quæ extrinsecus corpus potuere afficere, recensuero; à quibus omnia deducā, fuere exercitia à cibo insolita, animi affectus vehemētes exercitationi corporis vehementiori coniuncti. Cibi, potus minimè moderati. Hæc ego si considero, inuenio cruditatem, ventriculi tum ob illius imbecillē naturam, tum peruersam victus rationem, inuenio intēstiuum chyli imperfecti transitum ad hepar ob metus importunos, ex cuius imperfecta coctione factum est, vt cum ex cruditate inæqualis esset (coctio enim æquat, atque in vnam naturam redigit, mixtionē perficiendo seu mixti generationem cruditas verò diuersas relinquit partes materiæ) accipit à calore hepatis obstructiones antiquas, ob exercitationem repentinā, & importunam acriori quandam coctionem prauam qua tenues, & pingues chyli partes in choleram, tenues, & aquosæ in ichorem, crassiores in melancholiā, si siccæ, si humidæ in pituitam crassam, earū liquidiores verò in pituitam liquidam, & naturalem conuertantur. Et præterea, superueniente illo animi affectu, atque corporis exercitatione attracti illi crassiores humores in angustas venas, effecere obstructiones, vel etiam venarum capitibus calefactis succi in angustas ambitus corporis vias, ac inuisibiles meatus adacti sūt & frigore præsertim post exercitationem superueniēte obstructiones sunt confirmatæ, vnde in humoribus mouetur putredo, à qua vis naturæ infestata humores putrentes ad remotiora expellere nititur, non expellit autem nisi serosiores, ac tenuiores, qui ibi finiuntur, ac consumnntur, dolorem verò pariunt quoniam in locis neruosis tensisq; continuitatem partium neruosarum sentientiumque extendendo soluunt, noctu verò minus euaporantes magis id faciunt, maximè quoniā noctu serosiores abundant, & pituitosiores, quos redundare in vrinis ex neoremate pleniori cernimus.

A Vnde, cum putredo fiat, quamuis caput siccius sit, tamen etiam infirmius, non est mirum, si imbecillitati eius putridi vapores vigilias afferat, qua facilè admittantur, dum etiam à temporum dolore attrahuntur, non est mirum autem si sitis n on adsit ventriculi cruditates, ob destillationem in ipsum factam. Colligamus hinc materiam variam esse, putrescereque vbi etiam continuitas febris in venis vult crassiorem putrescere, & typus tenuiorem extra venas efferri, de qua putredine, suspicio aliqua nobis est, ne maligna sit propter vigilias, malignitati maxime familiares, & propter nocturna spectra, at propter typum, & pulsum, ego leuor omnino suspicione, ne putredo maligna sit, cui accedit etiam vrinarum bonitas, in quibus aliqua coctio iam cernitur.

B Hæc est condltio, ac status corporis, de quo erat disputatio per tria genera rerum instituenda. Quod sit vnus morbus febris non ad alium morbum sequuta, & à multiplici materia perfecta, in qua quamuis bilis superior est propter calorem, & sit validior, tamen propter copiam pituita multum potest. Vnde, & si quotidie inuadit paroxismus, id non propter pituitā, sed propter diuersas partes sit, ad quas bilis putrescendo repit, vbi neque somnum potest facere pituita, sed vigiliæ fiunt, quoniam bilis vapores altius ascendunt, & capiti sicciori molesti sunt. Dolor crurum sit in typo propter bilem, & pituitæ portionem, quæ, cum incipit putrescere, à natura corporis partes serosiores ad crura depelluntur, quia quoniam tenues omnino non sunt, ad cutim non exeunt, sed in profundo

C resident, putrescuntque. Atque hæc de primo capite quod in dignatione nitebatur, & disputatione. Sequitur alrerum, quod in præuisione est positum. Quid igitur futurum est?

Cum morbus admodum magnus non sit, viresque consistant, & cæteris motionis videatur, cumque boni moris sit, ego mortem non vereor. Quanto verò tempore, si futura est salus, trahet malum? Iudico ego ex vrinis febrem in augmento, & ferè transacto esse; præsertim, si dies præteritos considero. Nam quarta die finitum esse principium iam coctionis indicia ostendunt; & ita septima futurum statum denunciat, quare cum vires constent salus est vndecimo vel quartodecimo speranda, & ita cum missus sanguis

D sit, & leniter aluus ducta à viro. Excellentissimo, in potionum matutinarum, & præparantium vsu manerem; quibus aliquid mouendæ vrinæ idoneum adijceretur, vt cum syr. rosato, oximel, & radicum petroselini decoctum componerem. Postea successu temporum morbi curationem temperarem, illam vel ad vrinas, vel sudores, vel ad aluum mouendam pro naturæ propensione conuertendo. Victu verò tenuissimo iam sub hoc tempore status vterer; & à vino abstinerem, donec non solum coctionis signa fuerint euidentia, & æqualia, sed etiam corpus, maiori ex parte expurgatum fuerit, nam, vbi varietas materiæ est, non æquè omnis exhauriri potest, non ęquè concoquitur, semper aliquid crudioris quiescit intus. Vnde recidere ægri sub humorum

E varietate consueuere, & sæpe à medicamento purgante, cum purgationem non perficit, mouet enim crassiorem aliquem humorem ad venarum angustiam, & putredinem.

De morbo hydropisis pro Nobili Matrona Martha Mandelia Borsia 7. Februarij. 1567. conuocata cum Beroldo præsertim.

CONSVLTATIO CCXXXVI.

QVid noui possit mea sententia necessario nunc mihi dicenda afferre præter ea, quæ ab excellẽtissimo viro sunt dicta, certe non sit reliquum, postquam ipse rem omnem oratione complexus locos omnes maxima, diligentique solertia occupauit, subscribam verò ijs, quæ dixit, vt veritas testimonijs magis illustretur, ac si quid dicere videbor, id non tanquam consultor, sed potius vt existimator proferam. Cum enim difficile sit sententiæ dictæ à sapientissimo viro, aliquid momenti, quod omnino nouum sit adiungere tum vero difficilius, dicturos cũ videam illos, qui sciẽtia, atque peritia possunt cuiuscunque sententiam, vel splendidissimam suo lumine obscurare. Dicam tamẽ, vt mos postulat, & tanquam dictæ quidem sententiæ testimonium, dicturis autem, si quid noui dixero, ad æstimandum proponam. Hydrops conspicuus est. Præcessere hunc morbum hæ causæ tanquam indicia ipsius, & eius naturam complectentes à vobis expendẽdæ. In corpore calido, atque longe humidiori, in quo sanguinis copia semper maxima fuit, angustia verò venarum non ita suæ naturæ conformatione, quam ipsa obsistentium carnium compressione, ætateque grandiori facile crassior, & frigidior ipse sanguis collectus est. Præterea, post nimium profluuium à Doctore Excellentissimo recitatum in puerperio refrigerata magis sunt viscera, retento etiam à medicamentis supprimẽtibus eo sanguine, crassiorique facto, & visceribus eorundem medicamentorum vsu constrictis, ac refrigeratis, factum est, vt obstructa etiam sint viscera ipsa, quæ res malæ auctæ sunt vitiatis coctionibus ex tẽperie viscerum refrigerata, crudis, & lẽtis humoribus congestis. Sequuta igitur est moles illa splenis, atque quidam icterus, qui ex sui luteo colore cum splene, quod tactu percipiebatur, etiam hepar fuisse maximè ad fel impeditum indicauit hinc minus bilis, inde minus sanguis crassus expurgabatur, ex quibus magis vitiatæ actiones, coctionesque ac nutritiones fuere, longe crassiores semper geniti humores, longe magis refrigerata membra, postea suppressa diu menstrua fuere, ex quorum prauitate mala omnia increbrescerent, & quamuis nunc iterum fluant, tamen cum alba quoque perpetuo fluant, apertas quidem vteri vias, sed debilitatas eorum partes esse, & infirmatas facultates & auctam longè frigidam intemperiem denotant. Quoniam verò, etiam, vbi infarctus ipsi ram multi sunt, perspiratu caloris impedito, & si partes solidioros influente spiritu prohibitæ crudis humoribus obsessæ refrigerentur, humorũ tñ calidæ influẽtes partes in obstructis illorũ meatibus magis æstuant, hinc fit, vt propter calorem copiosiores humores attrahãtur, & præterea illi qui infarctus efficiunt, crassiores, & lẽti eo calore exsiccati, ac tosti in solidiora corpora cõcrescunt, vt ẽt quandoq; in lapides conuertantur, qui verò noui attrahuntur, semper obstructionem omnẽ augent, quare non est mirum, si æstum percipimus in his, qui obstructionibus vel vetustissimis laborant, & præcipuè à cibo viniq; potione, rubeiq; visuntur, atq; sitientes ẽt, & inquieti sunt. Nec mirum si sæpè curari nõ possunt durities istæ vetustiores viscerum. At cum iecur, ac ẽt lien adiaceant transuerso septo, qđ est princeps instrumentũ respirationis, cũ prçterea flatus plurimi, atq; crassiores has iecoris, & lienis obstructiones

A comitentur, hinc fit, vt nõ solũ à tumoribus, molibusque magnis infarctorũ viscerum respiratio transuerso septo mandata impediatur, sed etiã ob flatus illos modo magis, modo minus angusta sit. Nã perpetuo, & digeruntur, consi dentq; & regenerantur, atq; insurgũt, vnde, cum aliqñ adeo angustia laboraret spiritus, vt moribunda sese existimaret, solo clysteri ex hiera, incoctisq; calidioribus leuata est. Hic non est prætermittẽda quædam cordis infirmitas illi familiaris ab adolescentia, qua solita est motum quendam eius inconstãtem sentire in speciem palpitationis. Itaq; non est mirum, si tot partibus principibus affectis aliquãtũ quidem corde, multum autem reliquis cordi valdè propinquis, à quibus cor materiam omnem alimenti accipit, ipsum corpus tam male habeat, & magis etiam B nunc cor affectum sit. Etenim splen corpus ab atro, crassoquè humore non purgat propter impedimenta, atque imbecillitatem, hepar crassum sanguinem, ac crudum subministrat, quòd & sui infirmitate, & propter crudam materiam à ventriculo acceptam, cui circum stant hæ partes affectæ, atq; efficiunt, non potest ipsum exactè concoquere. Cor ergo sua natura infirmius, non solum intemperiem finitimarum partium sentiat, sed ẽt materia mala repleatur aut certè crassioribus halitibus petatur, inconstantesque pulsus ita oppressum, & appulsum edat, necesse est. His demũ omnibus perseuerantibus facta est tanta membrorũ imbecillitas, vt sanguis etiam aquosus iam fiat, membraque non nutriantur, flatus verò multiplicentur, vnde in hydropem iam labatur, quam mox sequi cępit quæ-C dam somnolentia. Quod etiam in latus sinistrum non possit decumbere, possit verò in dextrum vtrinq; visceribus infarctis, causa est pondus infarcti hepatis, quod sub eo decubitu in sinistrum latus, in ventriculum, mediumque septum pondere suo impellitur, vrgetque magis septum, dum ad medium illud adducitur, si enim conformationem, & situm eius conspiciamus, aliter fieri nequeat, pondus namq; deorsum ad lineam trahit viscus ipsum, quod si in contrarium latus reclinetur corpus, in medium septum viscus protenditur. Si quis autem dicat, splen etiam eamdem subire conditionem, animaduertat is, quod hepar superiores ventriculi partes occupat, illiusque desuper contegit totum dextrum os, quod os, etsi inferius dicatur, situ D tamen superiori ferè æquale est, gibba autem sui, ac crassiori parte iecur aptum est ipsi septo trãsuerso, itaque in illud vrget. At lien partem longe inferiorem ad ventriculi latus tenet, & præterea minore lõgè est mole, in quo sinistro latere ventriculus etiam breuiorem sui partem habet, quamuis latiorem plenioremve, pertinet enim magis in latus dextrum, cuius lateris partem superiorem iecur crassa sui parte occupat, inferiorem verò ventriculus sua, lien verò etiam in sua sinistra non supra, sed infra, & sub latus stat ipsius ventriculi, magna ergo cauitas semper in parte lienis est, quare ẽt si affectũ lien fuerit, & crassius factũ hoïe in dextrũ cubãte pependerit, ad mediũ ventris, ob eã cauitatẽ, ob distantiã maiorẽ a septo non ita vrget in illud, vt hepar facit. Quare (vt opinor) est cã, cur in siniE strũ latus nõ possit decũbere, possit verò in dextrũ visceribus ẽt vtrinq; affectis. Is morbus igitur est in intẽperie cũ materia, & in cõpositione, nẽpe obstructione, vnde symptomata oïa deducũtur, dolor in hypochondrijs tanq̃ cingulus cõplexus totũ ventrẽ, tumor ob flatus, & aquã, impedita respiratio ob vrgentẽ mole viscerũ, & flatuũ, pulsus inæqualitas ob oppressum humorib. cor, atq; intẽperie imbecillũ factũ. Qđ attinet ad ꝑgnosticũ, morbus, si cor nõ tã afficeretur, esset lõgus ob rapices altius iã defixus, qđ nõ põt carere periculo, imo, nisi ętas, quæ, 36. annũ nõ excedit, atq; tempus anni aliquid spei afferrent, desperarẽ de salute ipsius, sed corde ita infirmo, vix credo superaturã. Agenda hæc sunt, præparãda est materia, atq; viæ ipsæ.

Secundò, illa est euacuanda. Tertiò, membra sunt corroboranda, quæ tria si acriter nimis, ac confertim fiunt, infirmis, grauatisque visceribus perniciem maximam possunt afferre; etenim vacuatio cõfertim facta infirmus iam vires potest exagitando, dissoluendoq́, delere, vt acrior apertio viarum, aut materię prę paratio, nam humores nimis mouendo eos magis ad obstruendum impellunt, & colliquando, viasque laxando nimis possent naturam extinguere, vt tandem corroboratio nimia, & indurando, & humores inimicos, ac nocentes retinendo, posset vitam omninò opprimere, ac suffocare. Quare sensim omnia præstanda sunt, atque vicibus alternatim commutatis ordinanda, apertionem, materiæque apparationem lenis euacuatio sequatur, hãc corroboratio aliqua excipiat, rursus repetatur idem circuitus, & sic subinde curatio producatur. Quibus verò hæc fiant, non est peritis medicis obscurum, remediorum enim materiam, non est difficilè scire, vt tamen remediorum rationẽ perfectè habeant, id maius longè opus est, artisq; est magis proprium, hoc est oportuno tempore, & ordine, & loco, debitaq; mensura ea adhibere: vt aliqua tamẽ dicam, præparantia eiusmodi sunto, potiones in coctis herbis, & radicibus, vt cicorea, eupatorio, primũ Dioscoridis, deinde Mesues, asplenio, pimpinella maiori, trissagme cum absinthio, rhabarbaro, inde, cappare gentiana, & similibus. Purgantia. Pillulæ de tribus, cum rhabarbaro vna cum his, quæ sunt de Hiera, cum Agarico addito iridis succo, Elaterio, brassicaq; marina. Corroborantia, theriacæ confectio, vel idem absinthium, quod etiam in vino exhiberem, eo verò ordine eligenda, vt prius leuiora dentur, deinde valentiora. Præparantia fortiora erunt, si viribus dictis oximel scilliticum præter acriora illa adiungantur. Fortiora euacuantia, si augeatis pondus elaterij in pillulis dictis, aut succus iridis, vel rhabarbarũ, vel simplex hiera imponantur, vel tandẽ, si aggregatiuæ pillulæ, cum eisdem exhibeantur; & theriacę antidotus repetatur. Quibus omnibus præstitis regimine victus accommodato adhibito forsan poterit leuari, ac tandem si tempus fuerit, aliquam potionem medicam conficere, in qua cum vi aperiendi, euacuandi etiam vis insit, vt esset ius galli antiqui, cum ijsdẽ, vel similibus medicatis rebus cõfectũ, ius ipsius saxatras adiũcto aliquo genere hepatico, ac si vires tulerint, etiam cum cortice radicum ellebori nigri, quæ aquas maximè educit etiam per vrinas. Hæc sunt, quæ, & ad dictorum ante me testimonium, & ad dicendorum iudicium facilius ferendum proferre volui.

Hæc matrona sub curatione doloribus, angustia maxima spiritus, & febre præterea exagitata interijt.

Ex quo fit verisimile, ꝙ materiæ non adeo frigidæ ad loca obstructa, & durata accesserit, illaq; in maiorẽ tumorem tetenderint, & tandem sua putredine inflammarint. Neq; hoc inauditũ, aut inusitatum naturæ, est, quoniam vidimus sępè tumores antiquos, & frigidos excipere inflammationes nouas, & pus cõcipere, dico in partibus corporis extimis, quorũ similia fieri ẽt in intimis certũ est, & sæpè videmus, à quibus neq; pulmonẽ neq; iecur, neq; alias partes tutas vidi.

cum Lando pro Illustriss. viro D. Iusto Iustio Comite febre acutissima laborante, cui profluuium alui superuenit post exanthemata.

CONSVLTATIO CCXXXVII.

QVo in statu nunc sit vir Illustris, quidue futurũ de ipso ex præsentibus, ac præteritis signis cogitare, & illorũ etiam causis adiunctis præsentiare possumus, vt quid sperandum, quidue agendũ sit determinetur, ipse ætate 40. annorũ corpore delicatiore, & generis humidioris post lassitudinem quandam corporis fere vlcerosam, quam præsertim noctu molestam habuit, fecit iter die lunæ proximo, sole ardentissimo, quo itinere equo ardentiori vsus omnino concussus, & exagitatus est, pręsertim caligis illis plenioribus onustus; ægrotus factus, quo in Vrbem rediret, idem iter subijt ante lucẽ penè cœlo frigidiori, quod eodem equo factum cum sit, adhuc corpus magis, quod sub eo frigore noctu non minus, ac sub calore interdiu fuisset, contriuit; Cœperat autem primo itinere febris, vt refert hora 21. Secunda die à decubitu postea in vrbe subitò febris dictam horam anteuertit, vt hora 17. accederet; dico sua exacerbatione, nam non fuerat ob id integer à febre eo mane, si rectè animaduerti, & coniectarim ẽt febrem antea cõtinuatam fuisse; & si exacerbationes cũ pedum frigore fuissent, nam materia inæqualitatẽ maximã ostendebat ex illa assurgentia caloris inæquali, qua repeteret frigus ipsum pluries interdiu, & etiã noctu. Tertia die ab hoc in vrbe decubitu accessit eadem horã 17. & molestior. Quarta verò adhuc parum quidem molestior cũ exanthematibus, & subinde profluuio ventris luteo, ac liquidiori. Quinta hodierna est, vigiliæ infensæ fuerunt; somnia, dum quiesceret, non illa turbata, caput doluit semper vehementius vsq; ad exanthematum expressionem, & alui profluuium, vertigo ferè illum habuit, & rubor faciei perpetuus, sitis inter initia nulla, post ex anthematum efflorescentiam, & deiectionem accessit nõ multa, lingua nunquã arida, nunq̃ infecta, aut male colorata, os nisi hodie tenaci humore delibatũ; pectus tussi fuit infestatũ, nares sternutatione, vt pluries dixerim similia hæc accidentia esse puerorum morbo; qui vulgò fersa appellatur, fastidium cibi maximum, vt in omnibus suis ægritudinibus consueuit; sensus veluti flammę ab infernis sępè caput inuadentis. Pulsus non valdè frequentes, q̃uis celeres, inæquales tñ, vt nunc post ipsum alui profluuium interdum intermittant, qui superiori die intercurrebant, antequam profluuium accederet, & nõ dum tanta copia extaret ex anthematum, Alui deiectio nulla superioribus diebus fuit sponranea, at cum clysteribus viscosa quædam emittebat. Post mannæ verò sumptionem, atque expurgationem sequutæ sũt deiectiones multæ, frequentesq;, luteæ, atq; inscidæ, multæ aqua lutea mixtæ. Vrinas iudico finito primo ipso die aliquam coctionem ostendisse, & continuo maiorem. His omnibus adiungo anni cõstitutionem siccã, quamuis his diebus aliquę pluuiæ fuerint. Adiũgo hominis naturã calidiorem, & humidiorẽ. Ex quibus iã videor posse conijcere de morbo hoc, qui quoue in statu sit, ac quid ex ipso sperandum.

Quis morbus sit, causę efficiẽtes ipsum, natura corporis calidior, & humidior, constitutio siccior anni, labores plurimi copiam humorum parũ à natura sanguinis recedentium ab humido hepate natã acriorem reddidere, vnde pridie antequã iter iniret, lassitudinẽ illam vlcerosam percepit. Itinere postea, & solis æstu factum est, vt calefactis exterioribus venis, & spiritibus indeque liquefactis humoribus, & effusis ad ambitum, & in eum à calore actis, parte illorum crassiori obstruente, tenuiori verò ob perspiratum impeditum putrescente, febris repentè inuaderet. Vbi putrescens quidem humor molestus primò naturam incitauit ad excretionem, sub qua facienda humores angustiora loca occupantes, & suo ipsorum corpore seipsos impedientes calefacta magis illorum corpulentia, & fusa, ac inde locum ampliorem exigente ad perspiratũ omnibus calidis, humidisque corporibus debitũ, putredine maiori comprehensi sunt, quorum putredo repens sensim in venis, vnde eijceretur, constiterit, etiãsi quotidie eius aliqua pars tenuior expelleretur.

Itaque continua febris fuit, ab humore aliquanto crassiori intra venas sub putredine permanente, qui à sanguine discedens est biliosus dominio, & propter admixtionem alicuius materiæ pituitosæ, minus tenuis, habet verò frigus cum exacerbatione propter illas renuiores portiones, quæ quotidie excernuntur, tri teo idem circuitum seruantes, propterea quod, cum in duabus partibus diuersis corporis reperiantur, vnaquæque suum seruat tempus putredinis, & excretionis, vt vna ambæ quotidianam repetitionem febris efficiant, inde etiam quoniam eo ardentius putrescit in dies materia, quo magis à natura concoquitur, coctio ne illa, inter naturalem, & morbosam media, magis aucta est febris, quæ maior coctio in vrinis conspicua fuit.

B Quoniam verò non multum à natura sanguinis distat, & nidorosus, ac biliosus est humor, facillimæque putredinis, & coctionis, statim prima die decubitus vrina coctionem ostendit, & augmentum morbi, vt inde statuerim quarta die à decubitu statum morbi fuisse, & excretionem, quæ facta est, bonam crisim, item, & exanthemata materiæ putridæ plena vniuersam materiam, quæ propius cutim esset, secum eduxisse, vt deiectiones alui illam, quæ in venis iuxta hepar esset.

Quare constituo ego crisim bonam iam sequutam, & quoniam vrinæ hodie aliquanto coloratiores factę sunt, & crassiores, crediderim, id alicuius etiam per ipsam factę excretionis indicium esse. Mannam verò motum huius excretionis per ventrem iudico tutiorem reddidisse, neque malè sub diem criticum exhibitum, cum loco clysteris præparare viam potuerit, nihil enim iis habet purgantis, aut ad venas penetrantis. Morbum ergo esse febrem continuam cum exacerbationibus duplicis tertianæ, & biliosis, statum eius iam in summo constitisse, & iam iudicationem attigisse, vt de magnitudine eius, & motu, ac more dicendum non sit. Minus de accidentibus ego curarim dicere, vt de vaporibus ad caput in faciem ascendentibus, de sternutatione, & de cussinam vapores à motu spirituum, & humorum attolluntur, irritantque atque postquam in capite in ichorem tenuem concreuerint, descendunt, ac tussim efficiunt, facillimus verò illis in caput aditus est, quoniã calfactũ habet vias apertas, & maiorem habet attrahendi vim. Quod autem pulsus aliqui intermittant nunc, qui superiori die intercurrerent, crediderim tunc naturam exagitatam, ad excretionemque irritatam dum cum humoribus conflictaretur id fecisse calidisque humoribus permotis repetitionem accelerasse pulsuum. Nunc verò quoniam propter profluuium imbecillior, & frigidior facta est, partibus materia crassioribus, & frigidioribus aliquando opprimi, pulsumque intermittere maximè, quoniam tanta non est refrigerandi necessitas? Deiectionis etiam causa, atque efflorescentiæ humorum diuersi fuere habitus materiæ, & loca diuersa, quæ enim ad ambitum corporis trusa fuerat, illa elisa est, ad cutim, potissimum postquam natura leuata est à medicamento, atque cucurbitulis, magis verò viam à cucurbitulis edocta. Materia etiam, quæ erat in uenis facta via à medicamento exijsse per sedẽ, tanto verò imperu, quãtum vidimus, ptopterea, quod naturæ illud opus fuerit, quæ parasset omne suum opus, antequam eijceret.

Hactenus quis morbus, quæue causæ considerauí. De huius statu dixi iam summum vigorem transijsse, & crisim factam esse propter ea, quæ præcessere indicia, quæque nunc adsunt. Nam quatenus ad vrinas, quas nunc videmus, etsi pleniores sint, illa tamen cruditatem non ostendunt, sed excretionem trificã potius etiam per vrinas factam. Quid futurum sit, ego non possum non nisi propinquam salutem prænunciate, quod naturam liberare sese videam à morbo à

A se domito, & superato. Iam verò quid agendum sit fere nihil nobis video à natura reliquum factum, ac si quid erit id operam nostram ad sudorem, & vrinas mouendas exiget, & corroborandas præcipuè vires ipsius ventriculi, ne etiam post febrem, solutio illa alui, & spirituum effusio aliquam induceret imbecillitatem. Vsus itaque sum illitione contra ventriculum ex oleo absinthij masticis, cum pulueribus diarrhodon Abbatis, vterer conditis ex acidiscum illis, quibus superius vsus sum, vt cerasijs acidis, &c. Omnia in summa in tuto esse censerem.

Is postera die ab hac consultatione sine febri fuit ventriculus tamẽ non ita citò cupiditatẽ cibi recepit.

Pro D. Bernardino Cauaneo suppressione vrinæ laborante habita, cum Saxo, Beroldo, Landoque.

CONSVLTATIO CCXXXVIII.

Aliquando vir hic nobilissimus sanguinis largã copiam minxit bis, aut ter spatio quinque annorum, ac semel, cum diu sustinuisset minctionem, propterea quod esset in equo, postea non potuit nisi aliquo spatio, atque conatu mingere, ad quod sequutus est sudor præ difficultate, mingendo verò exijt C prius larga sanguinis copia, deinde vrina, proximis diebus cępit frequentius cogi ad minctionem, nõ diu ferre lotium valens, ita tamen, vt quandoque cum nixu opus esset vrinam emitteret. Nunc factum est, vt rheda iter faciens aliquo spatio temporis vrinã continuerit, quam egressus currum, cùm vellet, emittere non posset, quod postea sequuta est crebra minctio, cum dolore, qui minctionibus ipsis singulis leuabatur, redibat autem, cum micturiebat, & ita paulatim mingendo dolor delebatur, quo fit verisimile dolorẽ ex plena fuisse vesica, quoniam, cum vacua propè esset, sine dolore mingebat post minctionem semper sequuta doloris vacuitate pręcedente verò semper ipsam dolore. Comitabatur isthæc, dolor quidam sub vmbilico versus pubem in regione media, quæ esse D solet vesice, cum turget, qui dolor quandoque cessabat, redibat tamen semper eodem in loco, & subitò satis magnus, & cum tumore. Factum deinde est, vt vrina simul abeũte dolore, vel eo paulò ante quiescente suppressa omninò sit. Adhibita autem fuerant sub vrinæ suppressione emplastra, primò mollientia ex malua, altæa, butyro, deinde verò ex parietaria, raphano, oleoq; scorpionum, à quibus cum satis magnam vrinæ copiam minxisset, & si nõ satis pleno colore, tamen sine arenulis. Ardori illi Vrinæ posta regioni renum est adhibita, & interius iura ex hordeo, endiuiaque. Itaque vrina penitus suppressa est, & ipse nullo amplius dolore affligitur, quo duplici, cum mingere posset, præmebatur. In hac suppressione, etsi regio vesicæ aliquantisper tensa tangatur secundum E figuram vesicæ conformata, nihilominus imposita candela, & syringa vrina non exijt; sequutum autem est aliquid sanguinis, qui à syringa, vt solet, educitur, quã syringam dicit chyrurgus ingredi non posse vesicam, hoc fortasse fit, quoniam cum caput eius non flectatur, vt candelæ caput, ideò non effingitur secundum obliqui aditus eius viam, & infigitur in pariete ipsius retorti meatus, cum quibus omnibus aliæ etiam rationes nos mouent, vt asseram, vrinã supra vesicam, immo supra renes residere, quæ sunt, quod nullam grauitatem, nullum dolorem; nullam tensionem percipit, nullum motum, cum tamen vesica, & vreteres meatus sensu sint prædití, quo circa suppressionem supra renes sitam esse censemus, quid ve-

rò causæ sit,quod supprimat,est dubium. Nam quoniam nullum pondus,nullus dolor, nil aliud quidquã sentitur,posset dicere aliquis hanc esse imbecillitatem renum.Ego cum videam corpus quadratum tota æstate sanum,probo sanguine præditum,quod ex eius habitudine,atque sanguinis missi cõditione intelligitur, cum sciam alias naturam per se per vrinam emisisse sanguinem sine febre,sine alia quauis molestia,quod Hippocrates dicit bonum esse, quia natura sese sanguine nimio exonerat,& demum, cum suppressio subito facta sit non possum credere imbecillitatem hãc renum esse. Raro id,& cum insigni,ac semel emissa, sanguinis copia tentauit natura, potius adfuere indicia caloris, vt etiam adsunt,cum sæpè acrem vrinam perceperit,& continenter inter initia huius mali, qui calor facit attractionem nimiam, ac nimiam vrinam emittit,non autem attractionem remittit. Siccitatis causa id esse non potest, quæ enim causa præfuit, aut quod signum,quomodo subito incidisset? humiditas verò potius relaxaret, & non ita acrem vrinam effecisset,neque pariter ita repentè, facta fuisset, passiuæ enim qualitates, vt dicunt Philosophi, non ita repente increscunt, quod etiam experientia comprobatur.

Repentinus tãdem euentus accedente vrinæ ardore,& sanguinis minctu cogit prius nos affirmare concursum materiæ huius noxæ causam fuisse, quæ à calore renum attracta sit,quæque ad renes considat,nõ autem in vesica,quamuis enim plena prius vesica, & nimium distenta comprimere se,& confertim lotium emittere nequiret, emisit tandem paulatim lotium omne,sensim verò id fecit, quoniam vesica tunc præ nimio retinendi conatu,& spatio longiori, materiam multam crassam in seipsa coegerit, quæ in eius orificio considens, illudque ambiens paulatim vrinam exire permitteret,& vicissim subinde obturaret, quousque tandem secum illam materiam, vrina totam eduxisset,quæ vrina recrementis ex renum infarctu, & calore salsa magis, ac acrior facta postea contineri non potuit quousque renes propter eundem suum calorem attrahentes materiam semper crassiorem omnino fuerint obstructi,vnde antequam omnino infarcirentur,vrinamque penitus supprimerent,vrina cum materia descendebat,& acris ab ea fiebat,dolor verò ille sub vmbilico molestabat, qui non erat perpetuus propterea quod flatus materiæ descendentis vltra renes identidem extrusus regionem vreterum vasorum permeabat,& dolore quod multoties vidi in alijs afficiebat, atque ipsam vesicam saltem tensione vrgeret. Cum verò renum obturatio, & infarctus perfectus est,non emanante amplius inde flatu, vel materia flatui commoda dolor cessauit.

Sed dices,cur nulla in dorso grauitas? dixerim,non tantam materiam requiri ad vias illas impediendas, vt grauis sentiatur, nam non adeo cauitates illas extendit,vt ambiente ipsa tunica pondus,vel tensio aliqua possit persentiri,quo enim viæ illæ impediantur, sat est,si vel parietes ipsi cauitatum renum obliuiscantur viscoso quodam humore, vel emulgentium postrema ora teneantur. Sed vidi ego lapides magnos in renibus eorum,qui nihil sentissent grauitatis in ea regione. Iam verò quænam materia illa esse possit, facile conijcere possumus,lapis non est, quoniam geminus vna simul concretus, & tam cito non potest, nam singulus in rene singulo concreuisset,præterea pondus lapidi gemino ferè est necessarium, quare viscidus humor sit atque etiam sanguineus, nam quod sit flatus obstat diuturnitas, quod calida medicamenta adhibita nihil effecere, sanguis grumosus detractus est,atque etiam viscidus è vesica,huic si mihi potest facilè in renibus residere,qui vias, per quas renes vrinam attrahunt,& illas etiam, per quas demittunt, infarctas habeat, vt conante vi renum attractionem,

A atque expulsionem nihil fieri vel attractionis,vel expulsionis possit, vnde priuati renes alimento etiam imbecilliores facti minus noxijs reluctari possint humoribus,vias illas obsepientibus.

Quid inde fiet? redundante seroso sanguine, tandẽ replebuntur pulmones,& cordis capsula, & spirituũ etiam via vnde spiritus oppressi humore aduersario, non solum,quod ventilari non poterunt,sed etiam, quod vi inimica afficientur,suffocabũtur, & post multos dies,quibus sese sanum existimauerit, non multo spatio post,graui effecta respiratione morietur. Quid agendum? materiam imminuendam,& retrahendam à renibus existimo tum venæ sectione. tum purgatione aquas cum crassis humoribus educente, postea diuretica exhibenda,inter quæ illud ego post præparationem,post mitiorum vsum exhiberem gran.2.cãtharidarum, & oleo amygdalarum amararum, præparatio aetea fiat cum iure incoctis ciceribus rubris, betonica,& ceterach, & herbis eiusmodi, ac radicibus,imposito oximelle scyllitico, & syrupo de stocchade.

Medicamenta purgantia crassos humores,& aquã, sunto ex agarico, & succo cucumeris asinini minimè recenti,adiecto rhabarbaro,& ijs, quod medicamentum ad renes deducunt, quod medicamẽtum necessario erit repetendum,vel aliud eius loco. Postquam corpus materiæ copia fuerit subleuatum balnea adhiberem bis quotidie in vnctionesque tum dorsi, tum supra pubem,quorum materia describenda erit, potus exiguus vini albi pauciferi,cibus extenuans,ac tenuis densior, non admodum salitus Medicamenta sint,vt post cassiam iam exhibitam, quæ cum siliqua ad ℥.3.fuit,nec aluum propterea soluit clystere adiuuetur. Deinde emissę cum fuerint ℥.8.sanguinis copia,& iure proprio accepto cum oximelite sumat pillulas illas,ac tertia die iterum sumat ʒ.1. pillularum fœtidarum cum gran.4.elaterij, postea vrinam promouentia incipiendo à betonica,& ceterach,& radicibus petroselini,rumbiæ,saxifragiæ,ciceribus, cum oximelite scyllitico,& syrupo de stocchade:post duos dies verò ad fortiora,quale esset illud gran.2.cantharidarum cum ℥.2.olei amygdal. amararum verum in leuioribus ponerem aquam illam ex floribus sambuci nucleis persicorum,& cerasorum, atque vino maluatico factam,cuius dosis esset ad ℥.4. præterea ius ex iunipero,puluis scorpionum dosi.gran.3.puluis rubię ad ℈.2.iura ex sabina,alcachengi,saxifragia, malua cum oximelite, succus limonum cum vino maluatico,cassia frequenter data,puluis etiam corticum illius probatur.

Aqua cetrach cum aqua virgæ aureæ. Aqua chelidonij; Sunt,quæ lapidi frangendo dantur,quæ etiam vrinam mouere creduntur, vt puluis ex corticibus ouorum, ex quibus pulli orti sint,puluis ex lapide Iudaico,è calculis cancrorum,e sanguine hircino, sanguis etiam ericinus, coangulumque leporis. Aliqui proponunt aquam chalderianam, quam timerem, quoniam, si non prouocet vrinam omnino,quod solet efficere,citius ijs se interimetur, potiones rerum dictarum,si puluerum erunt,ex vino albo esse poterũt; balnea autem fieri deberent, potissimum ex chamemelo,althea, meliloto (fœnugræcum vitarem propter maleolentiam) ex maluæ etiam caulibus, & butyro, & oleo,in quibus etiam stercus murium imponerem. Emplastra ex ijsdem facerem, & ex parietaria præsertim cum oleo scorpionum, apponerem ex asypoceratum cum emplastro ex meliloto, vel tãdem ceratum ex ammoniaco præparato,probarem vnctiones ex oleo scorpionum,cum oleo amygdalarum dulcium,sesamino,& cum pinguedinibus.

Quotidie aluum ducerem clystere ex benedicta ʒ ad ℥.1.atque decoctione parietarię chamomillæ,meliloti,maluæ s.lini, oleo chamelino, amygdalarũ dulcium

cium, sesamino, & ex sem. lini. vel glande, seu suppositorio ex sale gemmeo, &c.

Is duodecimo die graui effecta inspiratione mortuus est; cum postremò die aliquid vrinæ turbidioris emisisset.

Pro quodam dolore dorsi ex suspicione gallica laborante habita cum Beroldo.

CONSVLTATIO CCXXXIX.

DVo offerũtur in hoc corpore, dolor vehemẽs, & atrophia cum maxima deiectione viriũ ventriculi. De dolore primum dicamus, deinde de atrophia cum virium ventriculi imbecillitate coniuncta. Hic, cum decumbit, conuertere sese in statis non põt, & hoc prędoloris vehementia, non propter debilitatem aliquam facultatis motricis, cum tamen ingreditur, nõ ita impeditur, quare dolorem in spina potius, quam in ischijs situm putauerim, In spina verò doloris causam non ligamenta, non musculos, minus neruos in se continere censerem; quoniam, cum necessario causa illa materia sit, si in neruis esset, aut resoluerentur, aut conuellerentur. In musculis materia tumorem aliquem, & contractionem pareret. In ligamentis si esset, non doleret, nisi communicato inde affectu, & potius contractio aliqua fieret, & hæc illa quidem, quæ fieret in neruis, minor, hęc autem maior, quæ nunc visitur, nec ita moueri posset, vt facit cũ est erectus. Restat vt in periostijs hæc materia infarciatur, quæ vniuersam spinam contegunt. Cuiusmodi autem hac materia sit, & vnde proficiscatur, vt & ipsam, & causam eius possimus delere, non est admodum facilè iudicium. Modus tamen doloris, locus vnde fluit, temperies corporis, & victus ratio, atque vrinæ possunt hæc nobis ostendere, quæ omnia sunt expendenda. Corpus quidem alias calidum, & humidum fuit, ac potius humidum, quã calidum, quod etiam num tactu ex mollitie carnium, quæ intra cutẽ minus duræ, tensæue sunt, & ex cutis glabritie magna cognoscitur. Nunç tamen propter diuturnitatẽ morbi, siccum factum est, atque ex ratione vitæ etiam frigidum, si consideremus quomodo multoties sub dio in herba noctu, & in aqua diutius cõsederit, si iter illud niuosum, & illam nauigationem frigidam, quam subijt statim à curatione, & ab illa media maxima tã exsiccante, nempè sub guaiaci potionibus, quæ cum corpus extenuarat, tũ poros laxauerat, & debile corpus, ac iniurijs cœli omnino obnoxium reddiderat, tum etiam viscera languefecerat. Quare ei siccitati postea adiuncta est etiam frigiditas nõn solum ambitus totius corporis, sed etiam viscerum omniũ internorum, ad quæ ita languida per ambitum ita rarefactum frigus peruenit, quare humor non nisi crassus esse potest, non omnino quidẽ pituitosus propter siccitatem, ac neq; omnino melancholicus propter frigiditatem, quæ siccitatem humoribus omnino inducere non potest, ac multam pituitam generat. Vrinę idem ostendunt, quæ primum turbidæ, deinde verò cũ multo sedimine tenues relinquuntur, tenuitas illa siccitatem, sedimen illud copiam crassorum humorũ, & terræ multum habentiũ denotat, & cum albę sunt, albumque sedimen habent, frigidos humores ostendunt, siccos quidem, at non omninò melancholicos, siccior etenim in suo genere aliquatenus etiam pituita dici potest, cum crassiori habitu plus terræ continuerit. Modus doloris, idem confirmat, nam & longus, & cõtinuus est alicubi verò obtrisus, nullibi certè nisi moueatur, aeris, nam si moueatur, si calefit, tũc per interualla fiunt quidam insultus doloris acriores, cuius rei causam existimare possumus, quoniam motu caloreue partes aliquæ humoris tenuiores digeruntur, attenuantur, ac in flatum versæ veluti pungunt; cum enim humor non omninò humidus sit, non efficit ex se calefacto vaporem aqueum, & partes corporis mollientem, delinientemue, sed flatum sicciorem, talis verò etiam doloris modus fit necessario, cũ humor in membranosis partibus infigitur, vt nunc de periostijs indicaui. Frigidus prterea ille sensus totius corporis, vt sole delectetur, & igne, & cœlo etiam æstuante, vt his æstiuis mensibus est, humores corporis frigidos significat. Tandem partes amandantes, & quæ ipsum humorem generant, idem confirmant, nam humor iste non potest non generari in ipsamet parte illa vbi dolor est, quæ tãto tempore affecta est, atque alimẽtum sibi suggestum, iam non probè conficit, sed frigidior ab humoribus diu occupãtibus facta frigidius illud reddit, crudiusque relinquit, atque cum siccior ipsa sit, non ita multò humidius. Verum, cum imbecilla pars sit excrementisq; aliarum obnoxia, quicquid recrementi præstãtiores partes, ac principes habebunt, quod multum est propter eorum infirmitatem, in partem illam transmittetur, illæ verò sunt omnes frigidæ, sicceque factæ, quo circa materiã similem generabunt, nisi quod ob cruditatẽ erit humidior. Ventriculus sitibundus siccitatem eius, atque hepatis ostendit: ventriculi frigus cognoscitur ex eo, quod non potest concoquere, & quod flatus multos congregat, qui etiam cum dolore maximo mouẽtur, hepatis frigus ex vrinis, frigidius quoque caput factũ indicant quæ præcessere à cœlo iniuriæ, à flatu itaque membranas illas pungente, & materia frigida illas tendente, quæ tum in partibus illis refrigeratis ingenerata, tum in illas à visceribus est demissa, omnis is dolor est. Atque hæc de dolore, & causis eius sint satis. De atrophia illa iã pauca pręter ea possunt adiungi, quæ facilè euenit ex coctionibus imperfectis materiam non bene parantibus, & ex viribus debilitatis minus, quam sit necesse, attrahentibus, minusq; trãsmutantibus. Restat, vt dicamus, an præter dictas manifestas causas, aliqua sit occultior, hoc est, an fomes aliquis gallicus inhæreat. Quod infixa sit mala vis gallici morbi multa suadent, nam & iam 15. annos eã infectus est curatus quidem, tamen postea cum vxorem duxit, illam infecit, & præterea etiam deinceps accepit cariem, bulionesque, qui eum exitum habuere, vt non sint expurgati, sed retrocesserint in corpus, ac subinde curatus est, quidem, sed non, vt debebat, neque ex ratione, nũc superest etiam signum id eam sententiam confirmans, quod scilicet vesperi crescãt dolores, & quamuis cœli iniuria manifeste hunc hominem malè affecerit, tamen nunquam tantum effecisset, nisi à fomite gallico, qui partes potissimũ membranosas tentat, illæ obsessæ non essent, itaque neque illæ impressæ affectiones tolli poterunt, nisi prius omninò fomes ille dematur, quare inter causas tollẽdas est recensendus; immo vt caput ipsum, & summa rei habendus est. Hęc sunt omnia, quæ occurrũt in ęgro, quibus medela postulatur, ad quæ illa omnis comparãda est, ac dirigenda. Quid agendum iam est? quidue sperandum? De spe integræ valetudinis non multam ego haberem spem post tãm altam morbi fixionem, viribus imbecillibus, & quadam febricula ferè obsessis, curationem vehementiorem nõ patientibus. Nã contra, si valentiora patietur remedia, vt guaiaci, salus speranda est. Siquidem remedia morbo paria si sunt adhibenda, ut ad curationem decernẽdam accedamus, decoctum guaiaci est dandum, quod propriè huic morbo facit, salsaparilia enim non est eiusmodi, quæ occultæ illi noxæ propriè occurrat, quod, & mei pręceptores, & seniores multi Medici testãtur, faciliorem quidem guaiaci operam reddit, quoniam crassas materias dissoluit. Guaiacum ex illis locis vna cum morbo est remedium delatum certissimo experimenti, & longi vsus earum regionum testimonio.

Præter-

Prætermitto ego suffumigia, inunctionesq;, quoniam etiam firmissima corpora illis periclitentur. Exhibueram ergo lenitiuum, cum speciebus hyera simplicis, quod sine vlla perturbatione aluum duxit, & quoniam præteritis diebus, quibus subierat eiusdem mali curationem, missione sanguinis ex vena vsus fuerat, ego illa contentus, tamen loco affecto hoc amplius volui adiũgere, vt corpore sic leuato leni medicamento cucurbitulis sanguis à propinquis partibus extraheretur, quarũ scarificatio latior facta crassiorẽ sãguinẽ educeret, quę post sanguinẽ aquã eduxere, pręscripsi syrupos ex fumaria, quibus, & viscera purgarentur, & vna cũ ventriculo corroborarentur, in quem vsum adiunxi decoctum myrobolanorum, ex quo non tam adstrictio, & robur, quam purgatio soleat sperari, humorum præsertim crassorum, quos syrupos si sequuta fuerit tandem purgatio conueniens in homine, ita liquefacto, & fortiora minime passuro, tunc guaiacum darem, sin minus, purgaretur etiam aliquo alio leniori medicamento, vt diacathalicone, lenitiuo, vel pillulis leuioribus.

Guaiacum verò exhibendum putaui, non multa inedia, imò carnes quandoque, & vinum concedendum, præsertim in quo lignũ esset maceratum, quod si etiam vobis placeret, syrupum guaiaci ex vino exhiberem, quod mihi in vetustis, & frigidioribus morbis ob spirituum, penetrationem benè cessit, ita vt vinum crudum in lignum coctum inijceretur, & post 24. horarum macerationem percolaretur, & daretur, vt syrupi solent, eo vsque quo molestiæ omnes remouerentur.

Atque inter sumendum guaiacum aluus solis clysteribus mollis seruaretur. De vino libentius hęc decernebam, quoniam vires ægri illo maximè recreantur, & eo vno possunt sustineri, qua sustentatione maximè indigere videntur, & præterea, quoniam sudor huic morbo maximè necessarius aquæ decocto, huic ęgro elici non potuit, vino verò facillimè prouocatur. Hæc sunt, quæ vestris sententijs expendenda, atque perficienda subijcio.

Is paulo post à cucurbitulis, & medicamento leuior factus sumpto 30. diebus guaiaco ex vino ab omni dolore liberatus est, & bene validus factus.

Medicamentum fuit.

℞. liquiritiæ, rasæ, passularum. ℞. polypod. q. an. ℥. s. Hermodact. ʒ. 1. s. prunorum num. 5. foliorum betonicæ m. 1. Anisorum ʒ. 1. s. fiat decoctio s. a. in aqua communi, deinde coletur cum multa expressione. ℞. sp. colaturæ. q. s. Agaric. opt. ʒ. 1. fol. senæ electæ ʒ. 2. s. Rhab. elect. ʒ. 1. s. Aquæ stillatitiæ cinnam. ʒ. 2. fiat infusio per 12. horas, quæ coletur cum multa expressione. Mannæ electæ ℥. 2. s. Mellis rof. solut. ℥. 1. s. Diaphæn. ʒ. 3. m. & f.

℞. Syr. de stechade ℥. s. Decoctionis betonicæ, amaraci, stechadis, camepythis, radic. ʒ. 5, m. pro sir.

℞. Pill. de hermodact. cochiarum an. ʒ. 2. cum aqua niuæ. f. p. 5.

Pro Illustri Comitissa D. Flaminia Iusta, Illustri Iulio Iusto eius viro, habita cum Sale, Lando, & Beroldo.

CONSVLTATIO CCXL.

OMnibus diligentissime expensis, hoc tandẽ confirmatum nobis est iudicium, quod malũ huius leuis insaniæ, & difficultatis spiritus à ventriculo oritur halitus malos vteri suscipiente, qui melancholici frigidioresque, cum sint vicissim, & in flatuosam vim A vertuntur, & ad superiora impetum habent. Quare vẽtriculo, atque etiam, quam maximè possumus, vtero auxilia esse adhibenda deliberauimus, quę, & quomodo, ego ad vsum mulierum hic subijciam, & leuiora quidem, quoniam genus humoris leuiter, & longo tempore tractandum est, valentioraque in posterius tempus differenda.

Medicamentum hoc, quod ad te mittitur confectum est, ex maceratione ʒ. 4. rhabarbari in vino maluatico, & ℥. 3. Mannæ, & ℥. 7. passularum in infusione senæ adiecto cinnamomo. Accipiet, itaque de his passulis singulum cochleare mane quotidie, saltem tribus horis, ante cibum, aut in mensæ initio, poterũt etiam adhiberi clysteria, sed communia, cum paulo matricariæ, aut artemisiæ in eodem maluatum iure B coctarum. Si sentit leuamen à frictionibus, fiant, sed leniter non multa vi. Contra stomachum, seu potius ventriculum fiat inunctio iam præscripta ex oleo de spica, mastiche, & absynthio, vel lanæ infectæ purpura in eo oleo calido demersæ, deinde expressæ apponantur. Atque etiam, si inungatur, apponantur herbæ dictæ vino maluatico insperſæ calidæ, quæ sunt arthemisia, absynthium, mentus à Græca, & rosæ; Interdum, quando persentiscit aliquem acorem stomachi ei prodesset haustus boni vini maluatici austeri. Bis die cibum sumat horis octo interiectis, eius generis, quo iam multis diebus vtitur ex præscripto.

Hæc sunt, quę nunc occurrunt pro tempore, si quid noui acciderit, alias etiam obscurationes adhibebimus, horum vero grauiora, cum Salio communi- C cani.

Pro præstanti Viro D. Iosepho Bufalo Mirandulensi ictero vna, atq; dolore ventriculi per interualla repetentibus laboranti, habita cum Beroldo, Salio, Lacisioque. 24. Martij A. 1568.

CONSVLTATIO CCXLI.

D VIri præstantissimi, pauca mihi dicenda sunt de malo, nunc nobis proposito, cũ illud, & notum sit, & quomodo curandum non sit difficile intelligere, vobis præsertim viris experientissimis. De corpore hominis ipsius, vt à natura sit constitutum, non dicam multa, quoniam non multum à mediocri recedit. Si quid iam dicendum est, excedere dixerim parumper in calidum hepatis, quidem saltem pręter naturam ex eo, quod accidit, & ab obstructionibus. Cordis verò etiam secundum suam naturam; quod ipse animo ostendit suo, & voce alta, canora, graui, & vehementi sermone, licet enim à coniunctis, nisi vbi partes admodum, sunt dissimiles, iudicare. Thorax, itaque ad vsum cordis fabrefactus, cum spiritũ multum edit, quòd arteriæ etiam latæ sunt in eundem E vsum, cordis grandem calorem significat, vehementia verò in dicendo etiam cor ipsum calidum proximè sequitur. In cæteris membris, vel qualitatibus excessum nullum video, nisi quod ætas attulit, progressu cuius calor ille excedens corpus ipsum siccius reddidit, Vnde rubor in senibus in purpureum inclinat, quoniam ex Galeno, & Hippocrate color vbi est nigricans, est temperies siccior, vt est humida, si albicãs magis, quod in iunioribus animaduertimus, sicuti cũ est pallidus in luteum, calidã, & sicca, cum ruber, calida, & humida. At de temperie corporis vti dixi, non laboro. Ad illa, quę in ipso sunt præter naturam, deuenio. Nam, quæ dicuntur nobis non naturalia, ab ipso sunt enarrata; in quibus duo illa sunt maxima;

vsus vinorum dulcium, & præterea iter illud præter consuetudinem pedestre, cum maxima animi vexatione. Præter naturam, inquam se se nobis ostendũt, primum color ille totius corporis aureus, quo morbum icterum scimus denominatum apud Græcos ab animalculo illo auriginosum, verò, apud Latinos, vel règium. Deinde vrinæ illę tam infectę, vt ex croei colore in nigrum inclinent. Postea alui excreméta partim decolora, & canina, partim verò lutea omninò. Quartò, quod ipse refert dolor secundum ventriculum ad finem ossis pectoris, quem ait esse luceratiuũ. Quintò, vomitus pituitosus, ac sępè etiam biliosus per quem dolore subleuari solet, nõ tamen ita continuo. Sextò, aliquis flatus sub hypochondrijs, qui & tactu percipitur, & ab ipso, cum demittitur, leuationem aliquam doloris, quamquam exiguam valdè, sentiat. Postremò pondus, & moles quædam sub dextro hypochondrio, &, quod omnium dictorum commune est, intermissio horum vna omnium, atque reditus omnium simul, vt nobis indicent morbum, qui subest redire per interualla, atque recedere quibusdam circuitibus, qui tamen non sunt spatij definiti. Quæram ego primum de morbo, deinde de ratione, qua & dissoluitur per se, & renascitur, ita incertis temporum interuallis. Quæ iam dicta sunt, nostris sensibus subiecta, efficiunt, vt subesse affirmem impedimẽtum alicuius illatum viarum, quæ ad hepar pertinent, à natura ad excretionem bilis destinatæ, aut meatus fellei, qui à vesicula infra duodenũ deductus est, aut venæ illius minutissimis ab eadem vesicula ramusculis in hepar se se insinuantis. Vbi, quod facilius fieri potuit, id mihi etiam fit verisimilius, nempe tenues illos ramulos per iecur diuisos esse infarctos, atque impeditos, nam porus ille ad bilem in intestina deferendam, infra duodenum productus latior est, quam qui facilè posset impediri, & cum impeditus iusta materia est, non facilè potest liberari. Hanc obstructionem subesse color ille ostendit, qui à bile fit, qui & in toto corporis ambitu, & in vrinis cernitur, per quem colorem bilis abundantiam excerni constat, quã esse potius ex impedimento viarum illam è iecore exportantium, quam ex generatione eius copiosiori indicãt nobis fęces illæ caninæ, & decolores, alioquin bile plus abũdante omnes fęces bile infectæ essent, ni viæ essent impeditæ, naturalium quidem fęcum varij cõspiciuntur colores, & si bilis omnes inficiat, quoniam in illas à bile varius euenit color, pro ratione iã aliunde coloratæ materiæ bilem suscipientis, quæ enim infectæ quandoque de hoc corpore exeunt fęces, illæ à ventriculo bilem suscipere, quam etiam euomit sæpè ventriculus. Eandem obstructionis sententiam cõfirmant illa exteriora, quæ id efficere potuerunt. Vina dulcia, quid possunt ad infarcienda viscera? dulcedo ea flatuosa, & crassa est, & præterea trahi statim à natura cupidè omnes nimis dulces succos videmus, quorum tractum reliqui etiam sequantur, nec permittũt ventriculo tamdiu, vt possint modificationem à calore eius suscipere, & concoctionem, quare etiam propter cruditatem augetur dulcium flatus, & crassities, sic impediunt sibi, & omnibus alijs transitũ, retinẽtq; secum humores ingruentes, atq; cunctantes faciunt, qui cunctatione sua in loco, in quo commode mutari in alimentum non possunt, potius assantur, & dissoluuntur in diuersas partes, quarum molliores liquefiunt, densiores verò exsiccantur, ita vt, quemadmodum videmus in visceribus dissectorum corporum, etiam lapidescant, præsertim in locis viscerũ à venis latioribus, & à vi cordis magis dissitis, vt Aristoteles etiam testatur, in quibus spiritu cordis priuatis, languentibusque subinde ex infarctu illo calor quidam acrior incenditur, qui, nisi putrescant, marcescantque est ad obdurandas illas materias, quã cõmodissimus, Iter verò illud casu grauissimo pedestre susceptum,

A atq; à cibo statim tanta contentione, tum animi, tum corporis perfectũ? certe viscera iam paratis victu pręcedenti impedimentis potuit omnino opprimere. Impeditis itaq; bilis expurgandæ vijs ipsa in hepate retenta, simul cum sanguine per venam cauam defertur, vbi partim cum alimento per ambitum effertur, partim cum naturam offendit, & grauat, illã irritat ad sui excretionem, & ita excernitur per vias quascunq;, per renes cum lotio, per venam portæ in vẽtriculum, nempe per ramum illum statim à principio eius venæ in ventriculi fundum insertum, vbi donec venis per oscula excedit, & transit per membranas dolorem illum laceratiuum morsu, & corpore suo efficit, propterea fit, vt aut nõ statim vomitu leuetur, si lenetur, aut sola pituita non bilis ipsa vomatur, nam interea
B etiã dum biliosus humor penetrat ventriculi tunicas, vomitus incitatur, ita sine bile excernitur illa ipsa pituita, vel crudus humor, qui cum semper in vẽtriculo, tum præsertim minus concoquente reperitur, nã omnibus vomitibus corporum, etiam biliosorum pituita ipsa euomitur, cum verò ex parte bilis penetrauerit in cauitatem, fundumq; ipsius ventriculi, partim vero per tunicas percurrit, tunc & vomitur bilis, & ex parte leuatur dolor, non tamen omninò tollitur, aut continuo leuatur, sub eo dolore excitantur flatus ab obstructione, & pituita, qui dolorem cum augeant, si emittantur, leuant, & ipsi dolorem, ex quibus rugitus illi, quos sentimus, cum premimus. Itaq; ex his causas habemus vomituum dolorum, vrinarum quoq;, & totius coloris cutis immutati, & ponderis etiã in latere
C dextro identidem existentis, ibi enim hepar, ibi locus obstructionum, inde bilis in omne corpus effunditur. Restat, vt causas, cur identidem redeant hi affectus, inuestigem. Ad reditum effectuum redire causas necesse est. Doloris, & vomitus causa est certa bilis copia, tam grauans, tamq; lacescens, vt naturã impellat ad sui excretionem, hęc certa copia, aut fit breui tempore, aut toto illo quietis interuallo pedetentim colligitur, ego crediderim colligi illam copiã breui quodam ante dolorem tempore, quoniam tunc tantũ fęces, sine bile excernuntur, & bilem tunc solũ retineri indicio sunt, atq; si toto eo interuallo sensim bilis sem per colligeretur, nulla esset causa, cur fęces mutarentur solummodo doloris tempore, nã maneret eadem
D semper collectionis causa, quæ est obstructio, semper caninæ essent fęces, & sine colore, non tamen quod tota obstructio breui eo tẽpore repentè fiat, sed partim fit perpetua, non tanta, quanta bilis omninò excretionem impediat, partim finito eo interuallo intercedente causa aliqua accedat, vt compleatur earũ viarum obturatio, atque ita bilis breui colligitur, vt breui obturatio ad summum perducitur. Vasa igitur sint perpetuò infarcta, non tamen prorsus, quãdo detur satis viæ bili excernendæ, illudq; impedimentum viarum tantum efficiat, vt leui de causa à flatu viscidisve humoribus ex toto viæ identidem infarciantur, atq; obturentur, quo cum ceciderit, bilis breui colligitur in tanta copia, qua natura irritetur ad eã excretionem, tam, vt dixi, multiplicem dolore vehementi.
E Quibus expositis constitutum, sit subesse obstructionem quandam perpetuam, cũ angusto quodam viarum aditu, qui leui adueniente causa omninò concludatur, sequantur verò reliqua. Hic verò, quid agẽdum est? temporis diuersa ratio est, nam quandoq; morbo subueniendum erit, quandoq; doloris acerbitati, quæ sæpissimè tanta est, vt leniẽtia omninò postulet, quale oleum amygdalarum dulcium esset, aut amararũ, aut vtrumq;, quod ne laxet tunicas ventriculi, sed robur illis post delinitionem relinquat, ego iniũgerem puluerem ipsius masticis, cum vino maluatico, ex quibus & vis coquendi, & retinendi sub ea solutione recreabitur, quod si tantus dolor, non vrgeret, adhiberem hieram ipsam, quæ causam doloris educeret, tũ flatus dissol-

dissoluendo, tum verò biliosam materiam, vna cum pituitosa è ventriculi tunicis extrahendo. Verum ne exasperaret vētriculum, vt solet nostro tempore, cum cassia, aut terebynthina, aut leniente aliquo cōmiscerem. Cum autem dolor, non ita vrgebit, morbo tunc erit subueniendum, & ita ipsis obstructionibus opera danda. Estne aliud, in quod intendamus prius? nihil, nā, quod pertinet ad antecedentes obstructionis causas, illæ iam sunt ablatæ purgationibus, atq; venæ sectione. In amouendis igitur obstructionibus toti iam esse debemus, præterea verò ventriculo roborando, nec nimium facile dictum humorem excipere cōsuescat, cauēdo etiam interea, dum curatur, ne bilis plus fiat, quā ferat obstructionis ratio. Omnia igitur, quæ, si non per se primò, saltem secundario aperiunt, neq; calfaciunt, illa sunt omnibus alijs aperiētibus, vel per se primò anteponenda. Vt acetosa omnia, capilli veneris, radices graminis, semina a triplicis, endiuia, & cichoreum, rosaceaq; omnia, & oximel. Si minus vereamur calorem, etiam radices petroselini, asparagi, agrimonium, fumaria, & alia multa, quæ tā nota sunt omnibus, vel vulgaribus, quam modus vtendi illis, est necessarius, & à prudenti Medico petendus, & quoniam euacuanda est sensim bilis, simulq; ventriculus roborandus, rhabarbarum erit oportunum, siue cum passulis, siue in illorum decoctis, quæ dicta sunt, maceratum. Sunt verò multa composita, vt syrupi ex radicibus, bisantinus, & cæteri, qui in tales obseruationes solent conferri. Agaricus propter eius aperiendi vim, & euacuandi humorem illum, qui obstruit, erit commodus, si in eiusmodi syrupis, vel decoctis, cum rhabarbaro maceretur. Sunt alia euacuātia, quę, quoniam rarius locum habebunt, quam vt sint multa exponenda, prętermitto. Ventriculus robur sibi comparabit, tum ex syrupis illis, tum verò si præter rhabarbarum intus confectiones assumat illas oportunas, & præsertim diarrhodon Abbatis obstructionibus etiā commodum, extra verò inungatur ex oleis spicatis, absynthitis, ex mastiche cum melino, atq; ex myrtino, si opus fuerit. Sacculi etiam fieri possunt ex mentha, absynthio, rosis, & pulegio. Hepati etiam subueniri potest ne plus bilis ex obstructione generet, quā opus sit, vnctionibus ex vnguento sandalino, aut simili. Demollientibus ad obstructiones tollēdas, non curarem, quoniā obstructio in cauis iecoris nimis alta est. De ratione victus, quoniam à priori Medico est, satis oportunè instituta, non est, quod adiungam amplius, prohibitæ sunt in illa excrementorū retētiones, iniuncta sunt exercitia, frictiones oportunissima, interdicta studia, coitus à cibo, cibi viscidi, crudi, austeri. Vina crassa, dulcia, austera, ciborum varietas, peruersus sumendi ordo, & fructus duriores, grauioresq; acidis, & mollibus permissis. Multa alia dicerem, sed hæc vobis intelligentibus ferè nimis multa sunt.

Ergo obstructioni paulatim, vt debet, detrahendę, post alui lenitionem, & sanguinis missionem factam, vacādum erit. Siquidem quamquam venæ sectio quibusdam suspecta est, quoties in iecoris caui materia est, ne hāc in gibbam iecoris partem retrahat locum, scilicet nobiliorem, Nihilominus, & sanguis est à loco obstructo auertendus, ne medicamentis tractatus locus sanguinem in sui peius malum alliciat, & crassæ illę obstructionum materiæ à minimis, & capillaribus venis in maiores retractæ, ibi locum ampliorem nactæ, non eum obstruūt, & spiritu plurimo melius coqui possunt. Detrahere autem obstructione commode ea poterunt medicamenta, quæ dicta sunt, quorum exempla hic supponenda.

℞. Syrupi de cicorea Nicoli, cum rhabarbaro acetosi. s. an. ʒ.6. Decoct. Rad. graminis, asari, iridis, liquiritiæ, fol. Cicoreæ, acetosæ, boraginis, lupullorum, melissæ, cetrach. ℥.5. m. f. syr.

℞. spe. Hieræ. s. gl. ʒ.3. floris cass. 1. s. ʒ.5. oximelAlis. s. q. s. m. & fiat bolus.

℞. Terebynthinę nostratis ʒ.5. spe. Hieræ. s. gl. ʒ.2. rhabarb. elect. ʒ. s. Aquæ stillatitiæ cinnamomi. ʒ.1. m. & fiat bolus.

Pro Schiauonia iuuene, vlcere faucium laborante, atque etiam tumoribus iuncturarum, dextrorum artuum cum Beroldo habita die 30. Martij A. 1568.

CONSVLTATIO CCXLII.

B Vir sapientissime præsentis casus difficultatem in eo crediderim consistere, quod præter manifestas malorum vires, subesse fomitem gallicæ luis multa persuadeant, multa verò impedire iudicium, illud videantur. Nam vlceris locus in ea hic similiter solet opprimi, hoc resistit tot remedijs toto anno exhibitis. Guaiaci decoctum eius luis proprium remediū profuit, iudiciū simile fuit Medici prioris, & quod maius ego argumentum existimo, causam non inuenimus, quæ hunc morbum potuerit efficere, nam calidus ipse est, si vrentem humoris vim, atque exedentem spectemus, calida causa esse debuit. Vbi vero illa? febrisne aliqua? nulla affluit, nulla extrinsecus caliditas accessit, imò potius frigidiores fuere, vt habitatio illa cubiculi recēs ædificati, in qua cœmentum, licet, cum recenter calx macerata est, calefaciat, ita vt etiā exurat, tamen diutius manens refrigescit, ita vt refrigeret. Corpus etiam membra potius sua natura frigida habet. Quare cum nulla sit causa originis huiusce calidi morbi, quę calida esse debuerit, calor ille ab lue subiecta virus quoddam sua natura procreāte exoriri solum potest, neq; enim est in hoc corpore aliqua putredo humorum, qua ipsi exurantur. Nam, cum emanet à principibus partibus, febris esset illis assecla, vel putredinis signum in ipso vlcere esset, color eius non esset pulcher, non esset ita purum vlcus, vt est, atque D adeo hæc fidem maximam facere videntur, ac designare nobis eam luem subesse. Contra tamen repugnant multa, illud imprimis, quod, cum morbosa illa lues contagiosa sit, virum eius ἐν τῇ συνουσίᾳ assiduum perseuerantem (à quo viro etiam debuit malum extitisse) nullo malo, neq; huiusmodi, neque alio videmus oppressum.

At alij sunt pariter, vt nuper etiam mihi videre cōtigit, quorum coniuges, vel coniugati in matrimonio laborant lue ipsa, ipsi tamen robusti degunt. Certè, nō carent aliqua noxa, vel saltem euacuatione aliqua assidua, vel per sudores, vel per vomitum, vel per sanguinis è naribus fluxum, vel destillatiōne, ac tussim, quorum nihil in viro istius videmus, præterea guaiacum, quod præsentaneum est gallici morbi remediū, E & citò adhibitum ferè sanat, huic malo continuo fuit datum, & non sanauit, quasi gallicus non sit. Remedia verò etiam, quæ ipsi vlceri adhibenda fuere, non sunt adhibita, sic mirum non est, si perseueret.

Nam præter vnam euacuationem, quæ guaiaci etiam operam iuuare potest, nihil præterea factum est, oportuit fontem mali absumere, hoc est, ipsam intemperiem extinguere, atque contemperare, relicta illa, ac forsan à guaiaco aucta similes humores regenerauit, & morbum produxit. Quid? nonne legimus apud antiquos Medicos ad vsque Hippocratem ipsum, quo tempore ea lues nō extabat, vlcera difficilia cachoethe, corrodentiaq; fuisse? Quot sunt ab illis fortissima remedia ad oris vlcera descripta illic longè valentiora, quæ in hoc morbo sunt adhibita? vel auripigmentum proponunt, & calcem ipsi, & alia acriora.

Quare

Quare possunt huiusmodi vlcera in ore alijs ĕt causis peruenire, quamuis familiare hoc vlceris genus morbo gallico habeatur. De causis verò, q̄ procreare hunc potuerint, iā præteritæ sunt, non affuimus, obliuioni sæpè mandantur, quæ accidunt sine euidenti offensione, paulatim longo victus vsu transmutant illæ nostrum corpus, pręcipua nostra membra, nec animaduertimus. Res dubia est, in dubio via tutior capescēda est, & erit, vt fiant omnia, quę manifestas huiusce morbi vires extinguant, atq; cum pugnatū fuerit illis vehementioribus, si non cedat ad guaiacū cōfugiamus. Manifestæ morbi vires quæ sunt, cum quibus oppositis viribus pugnandum est? Sic ego cogito. In corpore hoc frigidiori, vt iudico, duo mala videmus, atq; si sudorem annumeremus, tertium adijciendum. Vlcus faucium, tumor supremi humeris, atque genu, & sudor mane ante lucē. Vlcus emittit maiorem excrementi copiam, quam vt possit fieri à propria loci δυσκρασία, neque verò color eius intemperiē tantam ostendit, cum naturalis sit. Accedente igitur aliunde humore fit, & illo certè excedente, si vlceris naturam consideremus, solutam scilicet, & corrosam corporis continuitatem, atque ideò calidiori. Igitur, vel ex putredine, vel bilis ipsius crassioris admixtione, vel serosi humoris dilutione fit talis, vel sola crassa bilis, solusue serosus humor fuerit: Non esse solam bilem salsedo eius expuendo percepta denotat, nam illa potius amara est. Igitur, vel serosus ipse, vel pituita bili admixta (cum Auicenna, ne quisquam prætereatur in argumenro ex ratione concludendo) vel pituita putredinem, aut certè calorem perpessa. Non video quomodo pituita sit putredine cōtaminata, aut calore affecta, cum caput non sit calidum, nō doleat, non etiam febrem aliquam persentiat, color vlceris putredinem non ostendat, putredo certè aliquid horum efficeret. Restat, vt serosus humor sit, aut pituita cum bile coniuncta, quorum conditio par mihi videtur, nam, nisi bilis fere in pituitam casu quopiam trāsmutata amarorem maximè remitteret, illū cū pituitæ insipidæ gustu communicans, in salsum non mutaret, sed amarorem retineret, & amarus semper, non salsus ille humor commixtus maneret. Est igitur quasi serum ille humor ex bile minus amara, & pituita cōflatus, quoniam illa bilis minus amara nulla alia esse potest, quam aquosa à Galeno dicta. Serosus igitur humor est, hic calore, & frigore fieri solet, frigus materiam aquosam per cruditatem suggerit, calor exurēs cruditatis crassiores partes salsedinem, & tenuitatem iniungit. Age verò, vbi calor, vbi istud frigus? à ventriculo materia seri solet maximè prouenire, ab hepate postea vis ipsa, verum adiungat caput suum operā, quod continens in se serum illud ei adiungit crassitiē, & viscidam quandam materiam ei commiscet, qua serum magis hæreat partibus, & moram trahens, magis marcescat, & exuratur calore partium internarū, & præterea hærendo possit valentius exedere, cuius seri, quod tenuius, & aquosius in vniuerso corpore est, ad cutim procedens in vaporem sua tenuitate fessum in sudorem effertur, quod non ita tenue est, & in capite translatum, inde refertur crassius, ad artus dimittitur, inquā articulis tumores illos laxos parit, qui quandoque etiam propter humoris aliquam salsedinem, aut certè eius nimiam copiam dolent, cum partes acriores, & crassæ in alto ob crassitudinem manētes periostia, & tunicas musculorū à calore fusæ permeent, quæ verò in crassum vaporē vertuntur tumores illos laxos faciunt, & eos vel foueam præmentis digiti retinentes, si vapor humentior sit, vel statim risurgentes, si aridior tandem tñ dissolutis eius humoris partibus tenuioribus, restant crassiores, quare minores fiunt illi tumores, atq; etiā duriores, at non ita, quin digitis prementibus altius cedant. Verū pars humoris illius serosi, quæ non tam pōt penetrare, descē-

A dit per palatū, & colatorium, & sputa salsa reddit, atque vlcus ĕt nimis abstergendo, conseruat. Quæ verò seri pars tenuissima per membranas emanat in molle fauciū corpus, & ibi residens, & collecta diu mora illa acriorē vim acquirit, & exiens per illas tunicas hęrēdo corrodit, vlcusq; facit, atq; cōseruat. Quid hinc habemus, qđ in hac cōsultatione potissimū obseruandum sit? humorem defluentē, partem ipsam recipiētem, partes verò ĕt amandantes, humor euacuandus, recipiens pars seruāda, atq; corroboranda, amādantes sunt in suam naturalē temperiē reuocandæ; Poterunt hæc pręstari? Credo posse dummodo, cū constiterit subesse luem illam, proprijs quoq; remedijs ipsi occurramus. Quare, si proposita non præstabūtur, per hæc rōnabilia ad guaiacū accedemus. Certè hoc tpe B melior est Medicorum cōditio, q̄ illa antiquorum, cū morbus est pertinax, & non vincitur; illius cām statim in gallicam luem referūt, antiqui hac excusātionis cā carebāt. Quibus agemus illa priora? Ita agerē, vt primo loco liniretur aluus electuar. lenitiuo ad ℥.1. Hamech ʒ.2. deinde, syrupi materiā præparantes membraq; pariter contēperantes darentur, vt rosacens, de fumoterrę, an.℥.1. aq. fumiterræ, cicoreæ, betonicę, lupulor. an ℥.1. Euacuarē deinde ex. Elect. lenitiui ʒ.3. cum totidem Hamech, & decoctione cōi florū, & fructuum cordialium addita ʒ.1. agarici, & infusa ʒ.1.s. rhabarbari, & ʒ.2. senæ cum suis correctiuis. Video, in Hamech esse facultatem euacuādi serosi humoris, & salsæ pituitæ, pp ea, quę bilem, & exustos humores, & quę pituitam educunt, idem facit sena, idem agari- C cum cum rhabarbaro coniunctū. Alterā postea subiungerē euacuationem cū fortioribus, & ad pillulas cochias, & Arabicas deuenirem. Inter vtramq; verò euacuationem tēperationi operā darē cum saccharis violato boraginato, rosaceoq; & ĕt post alteram purgationē eadem adhiberē, atque ĕt ad aquas thermarum accederē, aut chalderianas, aut aquarianas, quę si non proficerenr, tunc ad guaiacum accederem, aut salsampariliam; q̄ capiti admodū prodesse cognoui. Quibus non perficiētibus tandē experientia multorū edoctus ad vstionē coronalis suturę capitis deuenirē.

Aqua thermarum paulatim exhibita nihil profecit: salsæpariliæ potio ipsam curauit.

D *Pro Io. Michaele Orio Vicentino, scirroso splene laborante cum maximis in præcordijs doloribus, atque etiam in sede habitum cum Beroldo 1. Maij 1568.*

CONSVLTATIO CCXLVII.

Viri præstantes, eo consilio potissimū vos aduocandos iudicaui, vt nc, vel ego quicquā præterirem, vel ęgroti familiares aliquid intentatum relinquerēt; qđ ex cōsultatione aliqua huic auxiliū afferri posse videatur. Exponā verò de re quid mihi videatur verè statuendum; & quid rectè agendū, vt cōsul- E tatio suum ordinē obtineat, quāuis fructu auxilij sit caritura, propterea breuius ĕt id faciam, quo minus spei est subueniendi. Malum hoc duobus mihi præcipuis capitibus sese ostendit, ad quæ reliqua consequuntur, vt cognitu, tā facilè fuerit, quā curatu difficile. Alterum est tumor ad præcordia durus, reliquū est dolor ille acerbissimus modo in præcordijs, modo intra sedem, modo vtrobiq; ipsum malè habens, isq; ex interuallo, nec eo quidē definito cum tpa non habeat certa ad hęc sequūntur, ad dolorem quidē perpetua vigilia, ad vtrumq; atrophia. Ex quibus rebus ego conijcio substitisse iam diu hunc tumorem durū, & in ipso liene primum fuisse, deinde iecur quoq; affectum ex eo esse, quo malo fit, vt dolor ĕt concitetur

ille tam infestus. Nam cum incerto ex interuallo fiat dolor, non potest à certa, perpetuaque eandem vim seruante causa fieri, loci verò intemperies perpetuò eadem est, quare causam doloris illa non faciet, sed aliunde illa causa promanabit, & erit humor soluens continuitatem impetu suo, & vrgendi vehemẽtia, qui cum dissoluatur, non potest esse valdè densus, sed tenuior potius, & flatulentus. Atq; cum nullum viscus, aut membrum mali habeat in hoc corpore præter illa, quæ sub præcordijs sunt posita, non aliundè, quam ab his hunc humorem defluere est cẽsendum. In præcordijs, itaq; tensio dura tactu percipitur, potius in sinistro, quã in dextro latere. Igitur in liene esse coijciendum. Quod enim in visceribus sit, non autẽ in cute forma ipsa tumoris ostendit, & præterea, quoniam costas extrudit, & eminẽtes reddit, musculi enim potius exterius, quam interius inseruntur, neq; tumẽtes ipsi costas attollerent. Esse verò potissimum in liene locus tumidus in latere sinistro declarat, quòd cępit primum tumere, & inde in medium præcordiũ pertinendo non vltra medium protendebatur, quamuis nunc etiã in dextrum latus perueniat tubere quodam rotundo, quæ res non valdè extento liene esse potest; sed crediderim ad hepar diuturnitate morbi, cõmunitateq; viscerum, & contagione potuisse irrepere tumoris vitium, præsertim cum præter communitatem cognationis etiã causa sæpe communis sit infarciendi huius, & illius visceris, & illa iam diu perseueret, nempe viscerum, & ventriculi intemperies, ex qua illa vetus meliceris, tã magna in sinistro inguine. Lienem quoq; potius affectum dolor indicat ad rectum pertinens intestinum, nam venæ huius à liene descendunt. Quibus ita constitutis, iam dicam, quæ mouere possunt nos ad sui ablationem, vt morbus ipse, vt fieri id possit, tollatur. Est infarctio viscerum est dolor; Is nisi acerbitate sua, atq; vehementia potest nos mouere, & anteuertere, vt ipsum prius, quam causam, nempe infarctũ ipsum respiciamus, quod & relaxantibus, & moderate discutientibus, seu dissoluentibus medicamentis potest præstari, nisi ad ipsa stupefaciẽtia velimus ascendere, quod cũ necessitas fuerit, caute, modesteq; agendum erit. Ipsum infarctum viscus expurgandum est aperientibus, extenuantibusque, atq; secantibus rebus, & sensim infarctum illum educentibus. Ego igitur principio leniter corpus ipsum expurgabam, deinde potionibus ad lienem aperiendum facientibus vsus sum, & iterum ipsum expurgabam valentius. Nam, etsi violentia expurgandi vitanda est in viscere altero, scilicet hepate, quoniam per ipsum transitus est humoribus à toto corpore ducendis, ne hi, dum violenter trahuntur, magis compleãt, quod infarctum est, dum ibi in angusto propter infarctum cunctantur, tamen in liene fortioribus tuto vti possumus, & necessitati inseruire, quoniam in eo non est hoc periculum, siquidem proprie euacuando humori per ventrem vasa eius inseruiunt, neque à toto corpore, tam facilè in ipsum conferuntur, & per ipsius laxius corpus facilius penetrãt, quare fuit consilium etiam tertiare hanc euacuationem, multo, & valentiori vti medicamento, iam spatio interposito; In prima purgatione solum pillulas de tribus cum rhabarbaro dedi, & pauca admodum in copia, syrupis interpositis, illis vim cum aggregatiuis adieci, simulque medijs diebus vsus sum cum syrupis, etiam pulueribus maximè aperientibus cum rad. capparorum, & rhabarbaro. Externis autem emplastra, & illitiones adhibui, quæ ad emolliendum, & etiam dissoluẽdum vsui esse poterant. Illud de meliloto scabram cutem reddidit, & humorem plurimum per eã eduxit, quod aquositatis sanguinis nota fuit, & iecoris vitij, non tamen ipse tolerauit. Est igitur, animus ad tertiam expurgationem trãsire, & illam quidem validiorem, deinde ad aperientia valentiora, & emplastra, & vnctiones. Dolori verò nihil prorsus profuit, neque fomentorum, neque sacculorum, neque insessionum, minus clysteria ex oleis varijs, vel cum ipso phylonio, cum necessitas vrgeret. Opium simplex in clysterijs ponẽs ausus non sum, quoniam vidi in aliquibus torporẽ maximum per multos dies induxisse; præsertim semel, cum Medicus dragmam dixisset, & vnciam imposuissent, somnolentia enim multorum dierũ attulit. Materia medicamentorum oportuna, nunc mihi videtur oximel scilliticum, syrupus acetosus diarrhodõ, de fumo terræ compositus, de epithymo, & emplastrum ex fermẽtõ, sed prius dialtsea, cum ammoniaco, & oleo de capparibus. Ac purganti medicamenti vis ab agarico, rhabarbaro, & pillulis aggregatiuis, adiecto paulo ellebori nigri, vel succi illius. Sed, vt dicebam, vitam huic laboriosam paramus, cum nihil sit in eo, quod sanitatem aspiret.

Is paulatim per dolores consumptus est.

Prohœmium, cui consilium non est subsequutum.

Viri sapientes, quoniam cõsilium cogi solet, non nisi de illis rebus, quæ dubiæ sunt. Certæ enim, aut non veniũt in consultationem, aut, si veniãt, tanquam initia, & fundamenta cogitandi, deliberandiq; accersuntur, propterea, quæ & vobis, & omnibus doctis Medicis debent esse notissima, ac certa, in mea hac oratione præteribo, quæ incerta forte esse possent disquiram, nec ea quidem omnia, sed illa, quæ opus à nobis quæsitum debent moderari. Duum verò illa sunt generum. Alia sunt, quæ nihil actionis, seu artis in se habent, actionum tamen nostrarum initia continẽt, alia tota actionibus, & arte continentur, & sunt in nostris ipsis operis, & tractationibus. Prioris generis sunt corporis humani non in genere, sed proprie, & definite huius ægroti natura, & temperatura, item & ratio morbi istius: Subsequentis vero generis sunt omnia, quæ à nobis curaturis hunc morbum, pręstanda sunt.

Primò de priori, vnde subsequẽtia omnia sumẽda sunt, tractabo. Deinde, ab eo deducam quicquid ad posterioris generis res pertinebit, in nostraq; manu, atque arte esse videatur. Natura huiusce corporis ex eo mihi genere censenda videtur, quod non æquale, non vniforme dicitur, nam non ęquè omnia membra se habent, illud quidem ad calorem inclinat, hoc magis frigidum est, Aliud siccus, aliud verò humidius cognoscitur, vnde ex partibus, vel cognatis, non hic, & aliarum indicia assumere. Siquidem caput calidum omninò est.

Consilij prohœmium, cui consilium non est subsequutum.

Malum, quod nunc consilio nostro creditur, incertum non est, neq; nouũ, aut rarũ, propterea nullam omnino dubitationis causam videtur sub se continere, difficillimum tamen curatu est, ita nos ei in consilium sumus aduocati. Nullam igitur ob causam videtur mea oratio non esse superuacua, aut ad exponendum, inueniendumve quid subsit mali, aut ad indicãda aliqua auxilia Medico peritissimo, atq; in doctrinis consummato. Quia tamen rogatus sum, requisitum à me consilium non possum cuiquam denegare, quod si non adiumentum, ne impedimentum quidem afferat, & voluntati eius possit satisfacere.

Atque

Atque in hac mea oratione ante de initijs, & quasi fundamentis futuræ deliberationis dico, postea ex ipsis, quid, quove ordine, quibus obseruationibus agendum, decernam; Vt enim id aliqua rei obscuritas non petat, consultatio tamen hunc ordinem postulat. Initia illa sunt corporis huius natura ab vtero, qualis a me habeatur. Causæ necessariæ illius vitæ adiunctæ, sine quibus scilicet non viuitur. Tertio, quæ vitia, quæque corruptelæ subsistent, quæ aut ipsum malum generarint, aut mali ipsius partes contineant: notis omnibus citatis in iudicium, & censuram eorum. Deliberatio postea auxilijs inueniendis, atque ordinandis erit inde ducenda, ex quibus, quid præstari, aut repræsentatione consequi possit, subiungam.

Pro Nobili iuuene Phileno Bagolino, habita cum Puteo, & alijs Mense Aprilis 1570.

CONSVLTATIO CCXLV.

VEreor Physici doctissimi, ne, cum cogor dicere sententiam postremus, videar aut superuacuam, aut certè ineptam habere orationem, quasi enim mihi nunc iudicium de sententijs vestris permittitur, quorũ scientia medica, mihi potius imitanda, ni re præsertim a vobis diutius pertractata. Laudauero siquidem simpliciter vestras sententias, vt est officij, tunc superuacua erit oratio, nouas autem adiunxero rationes ad commẽdandum, vt res ipsa postulat, ineptè fortasse loquar. At quicquid agam, certe modicè agam, vt necessitati potius; ac ne ei loco in quem sim accersitus, desim, quã quo alicui gloriæ seruiam. Video itaque vos esse cõcordes, adeò, vt vocibus vestris ne musicum quidem quippiam erumpat. Discordium enim illud est quadam cõcordia, vt inter Medicos sæpè accidit, quorum diuersæ sententiæ in eandem curationem conspirant, Vos verò imo nos penitus consentimus. Nam ego quoq; eiusdem vobis cum sententiæ sum, quam iam expono. Ex longa valetudine a febre, & multi sanguinis, & repetita detractione, diuque malè habita viuendi ratione accepit hoc corpus duo præcipua mala, quorum alterum constat, ex quodam viscerũ squalore, vna & spirituum detrimento obstructionibus, & malis succis, ac cruditatibus. Alterum est, quod inde facilè succenditur febrilis ardor, visceribus facilè ipsum tum ob squalorem, tũ ob infarctũ accipientibus, facilè.n. squalidum, & quod diu caluit, recalfit, & viæ ex parte obstructæ, cito, & leui de causa penitus obstipantur, nempè ex cruditate quacunque. Vnde non solum illi ardores, febrilesque incalescẽtiæ, & sitis, sed flatus, & fluor ille renalis, quæ tamen ei nunquam eueniunt, nisi aliquo peccato in victu cõmisso, & propterea cum eodem vobiscũ animo physici doctissimi, vt, cum adolescens adhuc sit, tamen ex longo morbo, & male viuendi modo hęc habeat, restitui possit, si composita omnino, ac benè instituta vita per totũ hunc mensem se contineat, vitet ciborũ ea genera, q̃ difficilius coquuntur, quæ a natura aliena sunt, quæ tenacia sunt, pane vescatur benè cocto, beneque fermentato, carnibus nunc hædorum, pullorumque columbaceorum, (qui pulli, cum nõ dum nidum exierint, minus diua, se exercuerint, magis domestici mihi probarẽtur.) Ouis recentibus, minimeque veteribus, teneris, mollib. & minime duris. Oua.n. Celso primum, deinde Galeno authoribus simpliciter loquendo, crassos generant humores, vt cum hac adiectione, vt mollia sint, vt recẽtia, probo. Hic opus est extenuante potius, quam crassante viuendi rõne. Vnde primo cibo acetaria concederem ex capparibus, lupulis, asparagis, ni tñ renum ille fluor infestaret. Ex radicibus ẽt cicoreæ, petroselini, & huiusmodi, deinde iuscula ex trito pane benè cocto ad pultis modum, ex hordeoque, deinde carnes elixas, con-

A tra testas vitarem vel ẽt virulentas: torrent.n. hi leuiter carnes, deinde ad ignem collocant in testa contecta, atque benè operiunt vsque ad plenam mitigationẽ, hoc, q; & si squalore caret tosturæ genus, tamen boni succi nõ est, propterea elixas tantum admitterem, aut ex iusculo illo condito ex aceto, oui luteo liquidiori, & passulis. Cõdita cætera, si præsertim dulcia sint, reijciantur, nam & plus iusto ex illis assumitur, & obstruunt viscera. Potioni renum fluor infestet, ex albo imbecilloq; vino sit, sin minus, ex rubeo, tenuique, atq. leni, mensa secanda non placet, nam ea genera, neque vt medicamenta sunt necessaria, neque vt cibi, bona. Ciborum modus is sit, ne satietatem attingat, eorum verò, quæ primum sumũtur in cibo in acetarijs is modus sit, ne tanquam cibus accipiantur: malus.n. inde succus emanat, propterea ex illis B solam vim, atque opem aduersus morbi partes quærentibus pauca in copia sint, ne materiam in alimentũ, aut mali humoris generationem relinquant. Temporis tamen inter mẽsas inter sit spatium quanta coctio perfecta esse possit prius accepti cibi. Mane non nisi corpore prius exercitato, aut loco eius frictionibus tractato, cibũ accipiat quiete interposita horæ ferè totius spacio, vt humores conquiescãt. Somnus nullus diurnus sit, ni sit vigilijs nocturnis supplendis, ita tamen ne repetatur, quoniã caput replet. Quotidie sit alui deiectio, alioquin ducatur per clystere. Exercitatio pro viribus sit, quam languor, aut nimius sudor non sequatur. Venus nulla, nisi naturæ libidine valdè incitata, n. coitus non numero, sed natura metiendus est. Hac adhibita viuendi ratione per hoc tempus præscriptum cruditatibus sic sublatis, & viribus receptis, ni penitus conualuerit, tum medicinam fere opportunam iudicamus. Vsus bona vi- C uendi ratione conualuit.

Pro Reuerendissimo Paulo Mario Calij Episcopo de febri continua in speciem tertianæ nothæ cum rheumate.

CONSVLTATIO CCXLVI.

SVb hac ægritudine quidquid spei ætas, & natura morbi detrahit, id totũ consuetudo potest restituere. Consueuit siquidem Reuerendissimus D. male habere, & huiusmodi mala quoque superare, in quam spem D elati alacrius remedijs vti debetis. Morbus sequitur pituitam à capite continenter demissam, & bilem à iecore congestam, qui humores maxima sui parte putrescẽtes febrem cum rigore incæptam efficiunt, faucium vitiũ, & catharrus capitis affecti notæ sunt, rigor, vomitus cum animi perturbationibus antegresses bilem significant, vnde post demissam aluum, & phlebotomiam nihil vobis reliquum fecistis, præter id, quod in præparandis ad coctionem humoribus, & sensim è corpore, vt coquuntur, euacuandis est positum cum in corpore senili confertim facta purgatio tuta non sit corporis natura, humorum genere, Parãdis quidem humoribus. Melle rosato, oxymelle simplici, syrup. ex betonica, postea E oxymelle composito, syrupo bizantino cicoraceis semper adiectis, purgandis autẽ identidem aut pilulis de tribus cum rhab. aut de Hiera cum agarico, etiam rhabarbaro adiecto clysteribus etiã altero quoque die vel acrioribus dandis, vomitu iuuando, cibis extenuãtis rationis vtendis, vitandis verò incrassantibus, & glutinosis, qualia sunt extrema animalium, exceptis gallinaceis, qualia sunt oua quæ semper quidem lentorem afferunt, durius verò cocta etiam crassitiem, & eiusmodi alia, in quibus plus ex percocto pane est, quamuis tam vsitatus sit ægrotis cibus, illis idoneus, qui abstinentia vti volunt, quoniã diu coctionẽ sustinet, vino nullo modo, nisi post aliquã coctionẽ dando, pro viribus verò metiẽdo cibi modo, vt nec illę non ad extremum sufficiant, neque vna cum

viribus morbum cibus augeat. Aegro habendo loco lucido solemque habente, ac calidiori, quaratione putarē partibus medicorum sic fore satisfactum.

Pro Nob. Belga Io. Membo dolore artuum superiorum laborante.

CONSVLTATIO CCLXVII.

PVrgatio quoquo anno prima veris tempestate oportuniore est instituenda. Altera medio Autumni tēpore, in quibus caput maximè respiciendum, atque adeo vētriculus, & humores pituitoso pręcipuè mixti. Has aūt inter purgationes medijs temporibus habeat alicuius medicinæ leuioris vsum assiduum septimo quoque saltē die, & per catapotia. Interea viuendi modus sic instituatur, vt horas frigidiores diei vitet, ac solē, ventique vim, similiter verò, & ignem præsertim in angustiori cubiculo incensum maximè scribens legens, aut dormiēs vitet, quoque aduersum fenestres perflatum, & præcipuè desuper capiti imminentis munitū mediocriter veste caput habeat, nec à leuiori ad grauiorem subitò transeat. Conclauia hominum plena fugiat, & subitum transitū à calido cōclaui ad frigus. In cibis acetū nunquam accipiat, vinū verò imbecillimi generis habeat in vsu potens, fugiat, maximè cū album est, & nimium, præsertim in cæna. Ex leguminibus phaseolos & eruum vitet, lentes etiā non crebo accipiat. Prandium sit iustum, cæna verò leuissima. Quotidie aluū demittat, & in prima mensa ad hūc vsum semper aliquid accipiat, vel ex salitis, mellitisue rebus, vel ex mollibus, vt beta, malua, passulis, ficubus, prunis, cerasis, & rebus similibus, vel ante cænam terebinthinæ resinæ catapotium accipiat. A cæna per tres horas non decumbat, leniter interea ambulet, à cibo nullis se negocijs, aut studio credat, minus lectioni, aut scriptioni, sed alacriter per tres horas trāsigat, ieiuno stomacho se exerceat, nunquā à cibo; animi quoque perturbationes, præcipuè verò statim à cibo vitet, concubitum non nimis concupiscat, interdiu verò & insistendo cum penitus fugiat, & à cibo statim. Exempla tandem purgandi caput hæc sunt. Ad aluum primum demittendam. ℞. Mannæ electæ ℥. 2. s. cum iure rerum pectoralium addito cinamomo fiat potio. Postea potiones has capiat.

℞. syr. rosa. simpl.
De betonica
Oxymellis simpl. } an. ℥. s.
Aquar. chamæpytis
Saluiæ
Betonicæ
Cicoreæ } an. ℥. 1.
M. pro syrupo, & sic pro singulis.

Pro medicina tandem hoc, Vel simile propositum sit.

℞. decoct. betonicæ
Saluiæ
Chamæpytis
Cicoreæ
Passularum
Flor. cordial. } q. s.
Rhabarb. electi ʒ. 1. s.
Agarici opt. ℈. 4.
Gingiber ℈. s.
Cinnamomi
Aniforum } an. ʒ. 1.

Fiat infusio cum paulo vini albi aromatici qua expressa, & colata, adde dacatholicon, diaphænicon ad ʒ. 4. mellis rosat. solut. ʒ. 3. m. & f. potio. Post purgationem accipiat bolos infrascriptæ compositionis. ℞. sacchari rosacei conseruæ dianthos ad ℥. 2. Cum pulueribus coriandrorum, atque nucis moschatæ. per Catapotia verò huiusmodi medicamentum potest accipere ℞. Agarici electi trohiscati ʒ. 1. s. Rhabarbari electi ʒ. 1. Terebinthin. veræ ʒ. 1. Pillularum lucis ʒ. 3. f. 20. catapotia, ex quibus tria dictis temporibus accipiat. Parti verò dolenti aspergatur aqua vitæ in qua macerarę fuerint chamapytis, betonica, saluia, rosmarinum, & rosæ, vel inungatur oleo vulpino, vel oleo, in quo fuerint eædem herbę incoctæ semper rosis compræhensis, quoniam in rheumatibus semper reprimendi necessitas est, vt Galenus pulchre nos docet. Optime conualuit.

Pro Nobili M iriana de febre continua vna cum destillatione.

CONSVLTATIO CCLXVIII.

DEstillationi, febrique vna subueniēdum est ijs, quę pituitā à capite amoueāt, & obstructiones è venis, tum autē ijs, quę febri ipsi remittendæ faciant. Agaricus meo iudicio obstructionibus pituitæque faceret, at ventriculus affectus impedit, qui tentatus quotidiano confluxu bilis in fundum eius decurrentis citius demittit cibum, quam oporteat, ac inde satis imbecillus factus non facile agaricum pareret, vbi resistunt multi, quòd aquaricus ventriculo alienus non est. Ego profecto eius amarorem valde alienum ab ijs, qui ventriculo vtiles sunt, & tanti fastidij esse sentio vt non possim non alienum à stomacho intelligere. Tamen si cum rhabarbaro admixtum fuerit, videtur & pituitam, & bilem ventriculo inimicam educendo, & robur etiam afferendo nihil mali, plurimum verò adiumenti allaturum, quare in potionibus ad febrem eiusque causas remouendas ego illa duo macerarem, decocta verò in potionibus essent cicorea, buglossum, betonica, heleniū, hyssopum, quorū vsu quādoque intermitteretur, atque intercederet vsus ptisanæ, aut seri lactis medicati, hoc est, mixti cū liquore, in quo supra scripta essent decocta, vel veteris galli iure eodem modo parata, aliquando verò etiam vsus sacchari ex betonica roremarino, rosis, & violis, cum momento nucis moschatæ ad robur ventriculi conseruandū. In cibis ptisana ex iure radicū petroselini ex ciceribus, & similibus carnes leuiores, vt pullorū, hædorum, auiū, & similium nutritis pullis ex hordeo, vel lacte, quæ diutius seruandæ sunt, nam malum futurum est diuturnum.

Alterum pro Reuerendissimo Callij Episcopo.

CONSVLTATIO CCLXIIII.

POstquam parata est bilis, & ex parte quoque pituita, vtraque poterit educi, eoque magis, quod auocanda est materia omnis à femore in quod à natura nimio impetu eijcitur. Qui motus tutiorem morbum effecit, atque breuitatis spem attulit, habuit verò sui nuncium horroris illius vehementiā naturæ excutientis humorem noram, quod faciet erysipelas non syncerū, sed mixtum, si naturam humoris, & dolorem etiam partis obseruemus, crassior enim bilis est, & hoc habet a natura pituitæ, vel sanguinis pituitosi, vtrique educendo humorum generi incumbendū, vt febri, & erysipelati subtrahatur, illaque citius finiantur, ad hoc, vt me rogas, prærer pilulas illas prius propositas diacatholicon, & hamech mihi viderentur opportuna per bolos accepta, postquam ipse potiones aspernatur, in his enim rectè paratis ferè omnia vtrique humori educendo sunt. Si vires corporis imbecilles intelligantur, partire purgationem duobus aut tribus diebus interpositis, vel pluribus quoque, si videatur potionibus parantibus medio tempore non negligendis.

In victu, si motioni huic consulendum sit, acetum, quod ad cæteras mali partes esset opportunum, vitandum est, item & oxymel, potiones potius ex rosis adijciendæ, quæ abstergendæ pituitæ, frangdæ bili valde sunt idoneæ. Vale meoq; nomine Reuerendissimo viro manuum deosculare, ac reliquis nobilibus plurimam salutem dicito Forosempronij Nonis Aprilis 1574.

Amplissimo Vrbini Cardinali Iulio Feltrio de Ruere meo Domino Christophorus Guarinonius Medicus S.

CONSVLTATIO CCL.

MVltis antea diebus iusseras me sententiam dicere, tuto ne hoc tempore Rauennam te posses cōferre, quando ego multis rationibus ab isthac tua valetudine hoc anni tempore, hac denique tempestate tam infesta ductis cum id minimè iudicaui, tum a te contēdi, vt ne eius administrationis cupidus tuæ valetudini tam parum caueres; quoniam autem nunc quoque idē sæpè rogitas, ego statui his ad te meis literis rationem mei consilij mandare, vt eam in memoriam reuocare possis, quotiescunque administrationis illius desiderio te nimium sentis commoueri. Hæc sunt capita, quibus ego semper iudicaui tibi hoc tempore minimè tutum fore ad eum locum transire. Primum illud est, quod vel bene valentibus hominibus, neque a graui cœlo in salubre, neque a salubri in graue transitus vnquam satis tutus est; ac, si fuerit transferendi necessitas, a graui loco in salubrem ęstate, a salubri in graue hyeme transire melius est, cum verè in sanis hæc ita sint, & ita seruanda sint; sine dubio tibi sub isthac tua valetudine nondum firma, aliquid mali grauioris est timendum, si ex hoc tenui in illud densum cælum te conferas ęstate iam accedente, quo in metu alterum illud caput præcipuam habet rationem, quod post factam purgationē humores in meliorem habitum omnino essent reuocandi, & viuendi modo renouandi, qui profecto ex eo cælo crassiori peiores in locum priorum ab auidiori facta corporis natura sic sufficerentur, qui quidem & ob naturæ insolentiam infirmi, & ob infirmitatem in putredinem procliues certum vitæ periculum æstiuo feruore fuscepro minaretur. Quantum humida tempestas hoc loco saluberrimo tibi mali attulerit, expertus sæpè es, nos certè cognouimus nihil tibi nocentius ea tempestate exiftere potuisse, vt inde intelligere liceat quid euenturum fuerit, si in graui loco fuisses, ac, vt iam ea tuta sit sedes, quæ certe est nocentissima, nondum corpus curatione instituta est expeditum, siquidem, quæ facta est purgatio, fuit potius adhibita tanquam ad sustinendam valetudinem, ne in peius laberetur necessaria, quam, vt ad recuperandam penitus sanitatem idonea. Iam noua idoneo tempore, idoneaque tempestate sequitur facienda, quæ non est ab hoc cœlo conferente in id traducēda, quod ei nociturum esse videatur. Munus tuum sæpè obijcit ei ciuitati præstandū, quod cum tibi maximè cordi esse ex hoc cognoscimus, tū speramus quoque eiusdē muneris studiū te posse hortari, vt omnino mi curā habeas, quo ipsum diu queas sanus sustinere & tantum commodi per te diuturno quam maximè tēpore ei ciuitati possit existere, neque enim tā longe ab ea ciuitate, aut tādiu ab ea abes, quin, quod per te in ea est perfectū ex hoc vicino loco autoritate tua interea conserues, donec te ad reditum, & vires ad valentiorem administrationem paras, qui contra non tam posses illi nunc adesse, quin viribus amittendis absententiam necessariam in posterum, & diuturniorem longe parares. Sententiæ meæ hæc summa est, ne a salubri loco tibi tam necessario tota hac æstate discedas, neve in densum cælum nunc summo vitæ periculo infirmam conualescentiam tuam transferas.

A Iam consilium meum cognoscis, eiusque omnem rationem habes, te vero etiam, atq; ēt hortor ne ipsum cōtemnas, atque hactenus de re. Quod reliquum est tibi ego summa reuerentia manuum deosculatus plurimā salutem dico Forosempronij 6. Idus Aprilis 1574.

De natura, & genere, & affectibus corporis Serenissimi Principis Vrbini.

CONSVLTATIO CCLI.

AD dentium dolorem, & destillationem multa sunt proposita Serenissimo Domino meo, Vrbini Principi, quorum quædam facta sunt, quædam facere illi est in animo, si a vestra quoque consensione fuerint comprobata, at propterea ad vos his literis descriptam omnem ipsius tum corporis, tum affectus, vitę autem aliquam rationem mittimus. Corpore est staturæ mediocris, non gracili, ea tamen facie, quæ gracile corpus cuique denotaret, quoniā ex carnis illa ferè est, & decolor, totius corporis color ferè obscurior in quo citissima fuit cuiusque loci pilorum origo, vt maioris lōgè ætatis speciem præseferat, qui verò pili potius nigri sunt, & crispi. Actiones eius admodum celeres facultatum a cerebro, & corde orientium sunt, vita præter horas studiorum in motionibus, & in sermone ferè alto, atque hilari semper est, quibus tamen horis ob studia solus est, tunc, vt intimi referunt, contra nimis omnino se habet, nimius enim in applicando illis animo videtur, magnum porrò ingenium, & celerrimæ comprehēsionis mens, & cogitationis cum tamen memoria sit benè firma, & somni quoque non ita breues, non tamē etiā vel nimis producti, vel interrupti, ipsa canities maturius se accessuram minatur, cū 24. anno aliquid præmiserit sui iudicium corpore quoque, ita vt est propositum, se habente, venę tamen non multum amplæ sunt, ac sub pilis nigris obscuroque cutis colore benè nutritū corpus est. Vrinæ modo tenues, biliosæque præcipuè matutinæ, modo crassæ, & decolores, quæ sub vesperā pendunt. Aluus ipsa colorem sæpè dilutæ bilis, sæpè liuorem quendam atrum habet. Animi perturbationes generatim ferè superius compræhensæ sunt, celeres illæ sunt; nescio an diu hæreant, calorem certè cordis aliquod earum genus vehementiorem non denotat, vt pulsuum quoque paruotum, ratio confirmat, qui in febribus sunt nisi crebritate potius, quam magnitudine necessitati suę inseruire, & leuissima de causa sæpè creberrimi facti. Cum his ventriculus facilè ex medicamentis, ex inædiaque, si subito ad pleniorem cibum trāseat infirmitatis aliquam notam præsefert, vt flatum, & leuem dolorem, cuius tamen generis sit, non est facilè notare, cum non pro natura sua, & naturæ cupiditate vitat, sed ita comparauit se se, vt numero & mensuræ cibis potionibusque cum reliqua vitæ ratione vtatur. Viuendi siquidem modus certus perpetuò seruatur, mane vehementi exercitatione cum pila. post meridiē in rheda diutius, sæpè balneo, æstiuis verò diebus natationib. frigidis post meridiano tempore vtitur, in quibus fortè nimium versatur, loco flatui nimis obiecto, itē vmbra nimis densa fornicum pontis cuiusdā occupatione frigidissima, ex qua causa affectus principio proposito fortè nati sunt, præsertim cum ab vtero ipse caput affectū habuerit, a quo cum primum excessit, habuit tumorem quendam mollem in sincipite; qui consequutis sudoribus capitis digestus est, postea tamen sudores fuerūt diuturni, præcipuè sub somno, qui tota illa prima ætate processere, ætate verò iā firmiori destillatio in fauces eū cæpit malè habere q̄ crassa, & glutinosa semper fuit, & eo lentore, ita fauces per excreatū difficilē exercet vt eo labore ipsæ fauces irritentur, & q̄nq; leuiter rubeāt, & gutture quoq; malū inde excipiēte vox fusca, atq. aspera fiat. Dentium dolor paulò post accessit, qui vt ex eo humo-

re est, qui eos contaminet cum nigritie, tum multa dentium, & aliqua gingiuarum erosione, & sine tumore, sic frigore per aliquas res adhibito admodum mitescit, qui tamen subinde resurgit, is interdiu fere rarus, & mitis est, noctu creber, & vehementior, item destillatio solum per noctem molestat, sub curationibus, quæ purgando corpore fiunt, bene habet, iuxta quas tamen dolor subinde sentitur, post eas ergo purgationes prouisio quoque capitis proposita est, sed quoniam metuenda eius partis tractatio plerisque visa est, hactenus toti corpori tum per aluum, tum per sudores purgando, tum autem per balnea, item & iecori, & ventriculo temperandis, ac firmandique opera danda est. Igitur de prouisionibus, & curatione capiti habenda sententiæ vestræ requiri ntur quarum authoritatem sequi, vt tutius, sic facilius negocium futurum speramus.

De Ischiadico dolore Illustris Guidi Vbaldi de Marchesijs de Monte ad Peritissimum Medicum Hierony. Gradarium.

CONSVLTATIO CCLII.

VT dolor is ischiadicus mihi esse videtur, sic cum febricula, & ea proprerea, & sequi eiusmodi dolorem non posset, nisi ille esset cum multitudine humorum totius corporis, in quibus calidiorum vis superat: ex his ergo existimo oportunũ, vt hoc genere corporis, his viribus & ætate, tũ vero hoc tempore non ita multũ ex veris natura excedente; sanguis per venã in brachio eiusdẽ lateris mittatur, postea per aluum corpus expurgetur. Tertio vena poplitis, aut tali potius eiusdem pedis aperiatur. Vbi postea clysteribus ijs vtendũ, quę multa vi ex eo loco noxã hęrentem abstrahãt, vt quę habeant decoctã colocinthim ad singulam. ℥. cum merculiali, & alijs rebus vehementius digerentibus, quale esset pulegium, calamenthũ, & huiusmodi, nisi enim valẽtius attraxerint, non poterũt conuellere ex eo loco eã materiam, vt quandoque sit futurũ oportunum coquere supradicta ex vino, & vrina pari modo mixtis, nã ita multi eo dolore demũ liberati sunt. Postremò, vbi hæc diu fuerint adhibita, ceratum oxicroceũ in aluta ex pelle carnis extensum admouendum erit, quod solet mirabiliter prodesse, vel terebinthina toti cruri illinenda, vel illius oleum stillatitium. Cataplasma etiam ex radice helenij decocta imposi tum vsque ad ruborem quod certe mirabiliter fecisse expertus sum, & quod non videatur ita posse vidi emplastrum ex semine lini & melle homine liberasse. Quod si hæc nõ satis fecerint relegato eum ad lutum S. Bartholomęi ad Patauium. Vale meque vt soles, ama. Forosempronij 4. Idus Iunij 1574.

Ad Catharractam incipientem.

CONSVLTATIO CCLIII.

SVffumigatio ad catharractam, incipientẽ, post purgationem, & sudores ductos per potiones salsæ pariliæ cum verbena, eufragia, fęniculo, & betonica. ℞. fol. verbenæ, artemissiæ, chelidoniæ, lauri. Herba eufragiæ, rutæ ad m. gariophyllorum, sem. fœniculi, s. cardamomi, an. ℥. sulphuris viui ℈. 2. croci ℈. 1. vini albi aromar. lib. 8. aquæ fœniculi lib. 1. s. vini granat. libr. s. contundantur contundenda, & excepto sulfure f. decoctio s. a. & post factam colaturam expresionemque addatur sulfur. mc.

Item Recip. verbenæ, fęniculi, euphragiæ an. m. 1. aquarum fœniculi euphragiæ an. q. s. f. decoctio.

Item ℞. euphragiæ m. 1. fol. lauri chelidoniæ m. s. gariophyll. ℈. 1. fœniculi ℥. 1. aq. chelidoniæ eufragiæ fœniculi an. q. s. m. & f. decoctio cui postremo addatur vini pars.

De morbo gallico cum papulis ruberrimis, & pruritus, & oculi inflammatione, & artuum superiorum dolore pro Illust. I. F.

CONSVLTATIO CCLIIII.

GAllicus morbus cum sui remedio ad nos peruenit & quamuis postea aliæ curandi ipsius rationes repertæ sunt, tamen illa prima magis idonea deprehenditur, & magis certa, tum quod certissimo semper curare visa est, tũ quod temporis spatium longius ei certius testimonium potuit afferre, quam posterioribus remedijs quorum alia ob id non ita certè, alia minimè tuto possunt adhiberi, illa salsæ parilię, & chinæ potio, hæc suffumigia, & inunctiones ex hidrargyro sunt, primum remedium fuit guaiacum, aut sanctus palus, quod præter sudorificam vim quam habet cum salsa, & china communem, & fortè illis minorem, habet præterea abstersionem maximam, & quod magni momenti est, firmãdorum viscerum multum robur, & expiandorum humorum omnium, ac spirituum, nam aromatis vim redolet, ac cum aperiendi virtute, etiam adstringendi aliquid habet, quorum ferè multis illa carent. Vnde corpore optimè purgato longe alijs commodius datur, & certius sanar, vt illa minimè adstringentia, minimèque odorem præstantia purgando tantũ corporis potius cõuenire videntur, & minimè cõfirmando corpori valẽt, minimè recreãdis viribus insipida sua natura ad id nihil valente. Quare ad liberandũ corpus superuacuis humoribus potius idonea sunt, quã ad sanitatẽ suo statui & robori restituendam, valetudinemq; firmandã, vnde locum habere possunt eundem, quem purgantia medicamenta, & propterea, si danda sunt, ego statim a purgante satis medicamento darem, vt purgatio non solũ per aluum, sed per sudores quoq; & vrinas compleretur, subinde verò guaiacum exhiberem, quod postremã curationis partẽ afferre potest. Videbitur verò corpus satis purgatum per aluum, & per alias vias, cum vis multa humorum descenderit, & corpus leue euaserit, & præterea non erunt indicia in ambitu corporis ostẽdẽtia humores per ambitũ fusos ibi consedisse, quæ iudicia sunt papulæ, pustulæq; multæ cum doloribus, & tumoribus artuum vel aliarum externarum partium coniunctæ. Nã de remedijs ex hydrargiro periculum vitæ afferentibus nulla oratio nunc mihi habenda est, & intra hęc tutiora manerẽ, maximè quoniam caput video casubus huius morbi valdè obnoxium. Quæ verò huius morbi natura sit, quæve vires, nolo nunc laborare, cum rei difficultas nimis longam disputationem requirat, in humore quidem malo, & glutinoso, ac admodum tunicis hærente ea vis sita esse videtur, quoniam membranæ maximè afficientur, & glutinosa habent recrementa; & nihil eorum quæ ei opitulantur non magnã vim purgandi. & detergendi hẽt, ut hidrargyrum, vt potiones propositæ, quibus humorib. sublatis penitus, si qua intẽperies subsistt sine humore non põt manare, & sic dissoluitur quoq. ipsa, præsertim si robur visceribus ablatum sit, vt afferre guaiacum põt, forteq; affert hidrargyrum sua frigiditate si calidiora inueniat. At contagium procreat morbũ nullo humore transfuso veni tamen nõ sine humore morbũ affert, nam halitus putridi traducti in corpore humorẽ aliquem idoneum comprehendũt, qui humor morbum facit, ac sustinet, donec eductus sit ipse, & omnis halitus extinctus qui per sudores maximè digeri põt, Qui quidem humor, & halitus alijs esse non põt, quam qui cum venere habent conspirationẽ, nẽpę humor qui recrementum est vltimi vtilis alimenti insolidis superans, & spiritus, qui ad naturalia propensus est. quare

quare purgatio per aluum nõ videtur ſemper bene poſſe ſanare, quoniam humores quidem educit, at recrementum illud non facile eijcit, aut diſſoluit, qui morbũ poteſt propagare. per ſudores vero digeritur. Vnde hydrargyrum tum ſudoribus, qui in eo dando excitantur, & ſua frigiditate halitus illos extinguere conſumere, & expellete poſſe videtur, ſed quoniam tutum id in hoc corpore non eſt, prætereundum cenſeo.

Verum, ſi guaiacum ſolum ſit cęterorum potionibus anteponendum, non prius tamen dandum, quam benè inanitum corpus fuerit, nam ad perficiendam purgationem cæterorũ potiones poſſent ipſi præferri, ac quoniam humores craſſi expurgandi ſunt, paulatim pluribus, & crebris purgationibus vtendum, & his quę craſſos humores poſſunt educere vt elleboro, ſena, epithymo, & ſimilibus. Sic potio guaiaci reliquum poterit per ſudores expurgare, & per halitum illa recrementa maladiſſipare, & robur viſceribus ad reſiſtendum medicamentorum diſcuſſioni afferre. Nam quod vna vnctuoſa vis guaiaci ſanet, quoniam malum ſiccitati nitatur, mihi non videtur veriſimile. Quomodo enim ſiccitas induci poteſt nulla ſpecie ſiccitatis antecedente earum quatuor, quæ a Galeno proponuntur? Donec enim alibiles humores in venis, in ſpacijs ſub forma pinguedinum, & carnium ſunt, quæ ſiccitas induci poteſt? Ad expurgandos verò paulatim craſſos humores, inſtitutæ ſunt potiones illæ Montano tamquam authori attributæ, a Raſi adumbratæ, quæ myrobal. ſenam polypodiũ epithymum, elleborum, ſemina citri, & glycirrhizam excipiunt, in quibus conficiendis ego macerarem ea per tres dies, vt antiquitus fieri ſolebat, & ellebori modum augerem, vt ſingula potio habeat ℈.2. ellebori, quod eſſet ex eo, qui habet flores purpureos, & ex agro Vicentino potius, quam aliunde, quamuis & hic noſter aliquid efficiat, ad cuius tutam ſumptionem neceſſe eſt, vt tēpeſtate calida, & ſicca ſit maturatum, & humore ſuo venenoſo leuatum, quare Autumni tantum tempore collectum. In exhibendo autem guaiaco velim victum tenuiſſimum ex pane bis cocto, atque paſſulis potius, quam amygdalis ad aluum mollem ſeruandam.

Non ſolum guaiacum bono modo, & purgationes illæ non adhibeantur, ſed cętera omnia leniſſimæ præſtita poſtulæque repreſſæ vnctionibus repellētibus, quo factum eſt, vt intolerabilis capitis dolor eum inuaderet vſque ad inſaniam.

De Vxore Val. Diplouatat.

CONSVLTATIO CCLV.

EXcellens Vir crederem huiuſce nobiliſſimę mulieris malum obſtructionibus valentiſſimis ſuſtentari, & quod nunc redijt, eiuſdem eſſe naturæ cum ſuperiori, ac propterea minimè mutandam eſſe curationē præter illud, quod, cũ obſtructio extenuantibus, & aperientibus curari debeat, quoniam hæc calida, & ſicca ſunt quæ exſiccando vaſorum parietes diu adhibita humores craſſos reddunt, febris verò tam lōge ab illis vim maiorem ſit habitura, ipſa omnino ſunt mitiganda, ſæpius verò intermittenda. Cibi quidem ratio eo magis humida ſemper ſeruāda. Ergo aperientia habeant oxymel, agrimonium, abſynthium, hyſſopum, origanum, pulegium, quæ temperentur bugloſſo, borragine, endiuia, & maximè violis, ac quoniam maxima ratio vētriculi habenda eſt, ego vel ipſum ſuccũ abſinthij darem cum ſaccharo, fomenta admouerē, & inunctiones poſt leuem aliquam ex rhabar. & diacathol. factam purgationem. Ad humorum continuam concoctionē balnea adiungerem ex aqua tepida, quæ inanitionem quoq; ac diuerſionem præſtarēt, cum quibus frictiones ſimiliter laudarem, & repetitam purgationem, cibum autem humidum pararem ex ptiſana cum pipere, & pane lcto, & viribus, præſertim pullorum gallinaceorum eorumque iecoribus, ac teſtibus.

A

Ad fiſtulam lachrymalem incipientem.

CONSVLTATIO CCLVI.

LAchymalem quod fiſtulam incipiētem alias exſiccauit, id propono. ℞. aq. plantaginis roſarum, an. ℥.7. f. lauri, gariophyll. an. ʒ.1. vini maluatici ℥.4. aloes optimæ ʒ.2. s. f. decoctio ſ. a. ad conſumptionem tertiæ partis. Deinde adduntur tutiæ præparatæ lithargyri argentei an. ʒ.1. s. coletur, & exprimatur. Cui decoctioni ego ſoleo addere etiam myrobalanos, & nigellam.

℞. aquæ roſar. fœniculi, an. ℥.8. ſem. fęnigræci ʒ.3. ordei m. s. maluarum, violarum an. m. 1. f. decoctio diligēter. ſ. a. que expreſſa, & colata. ℞. ſief albi, ſine opio ʒ. 2. ſacchari fini ʒ. 1. m. & f. collyrium. ℞. aq. fœniculi, roſarum an. ℥.6. vini granator. ℥.4. eufragiæ mundæ. m. 1. f.

B decoctio ad conſumptionem tertiæ partis, cui colatæ, & expreſſæ adde. Aloes, tutiæ præparatæ an. ʒ. s. vini albi ℥.1. m. pro collyrio.

Ad inflammationem oculorum.

CONSVLTATIO CCLVII.

REc. butyri recentis nouies loti ex aq. roſar. ʒ.3.

Tutię præparatæ	℈.2.
Lachrymæ ſalicis	ʒ.1. s.
Sarcocollæ lacte nutritæ	ʒ. s.
Camporæ	℈.1.
Sacchari candi	ʒ.1

M. ad balneum mariæ f. vnguentum.

Inflammationi inclinanti.

C ℞. thuris maſculi q. ſ. incendatur, & lachryma emanans ex incenſione colligatur in ſubiectam aquam roſaceam ex qua lachryma oculi illiniantur.

Item ℞. aſſungiæ porcinæ q. ſ. dequatur in vino, & quod ſupernatat refrigeratũ colligatur, & adhibeatur.

De ſcabie.

CONSVLTATIO CCLVIII.

SCabiei antiquiſſimæ auxilium id eſto me authore, quod in purgatione corporis diligenti, & poſitionibus aquarum ad vallem S. Marini ſcaturiētium conſiſtit, purgatio duas habeat partes, prior vt fieri ſolet ex medicamento leniente aluum, & venæ ſectione potionibus parantibus, & medicamento, quod præcipuè

D amech, & incoctam ſenam cũ ſolitis præſidijs habeat: inſequens purgationis pars potiones ſeri caprini habeat cum ſyr. roſat. ſimplici quotidie. ſ. ternos, aut quaternos calices ſeri cũ duabus, aut tribus ℥. ſyrupi adiecto quarto quoque die ſyrupo roſat. ſolutiuo ad ℥.3. & folijs ſenæ ad ʒ.3. vt per 15. dies hoc ſeruandum ſit, & poſtremò ad aquas illas accedendum eo modo his omnibus adhibito, qui a pręſenti Medico decerneretur. Si cutis demum ipſa quoq; curanda, poterit leniter in tractari ex vnguēto de lythargirio cum luteo oui, reſina, ſale ex modico ſulfuris, atq; ſucco limonis adiecta moſchi portiuncula ob odorem, quod niſi ſatis efficiat ea aqua, diu lauare partes quaſdam magis affectas poterit, in qua pul

E uis ſulfuris conſederit in imum, & clarā reliquerit. Poterit ēt vti vnguēto ex ſucco iridis, ſtyrace liquida, butyro, ſucco limonis, & ſale adiecto, quoq. puluere ellebori.

Ad Excellentiſs. Ambiorigem de antiquo genuum dolore.

CONSVLTATIO CCLIX.

QVod rogas de antiquo genuum dolore, ſic mihi explicandum videtur, is neq; acris admodũ eſt, neq; vllus inquiete, ſed ex vehementiori motu incitatur, & maximè equitationis, non ita ingreſſu, quoniam dum agunt ingreſſum muſculi, & tendones, ſpiritu proptio, & calore repleti aliquid materiæ nocentis digerunt,

& a loco doloris ad se auertuntur, neque tam vehementem, aut violentum motum faciunt, quo plus nocentis materiæ attrahant, quam vt pars maxima possit dissolui, item neque eum, qui easdem semper partes, & chordas concutiat, sed in quo vicissim chordæ modo quietem modo motum habeant, atque ita vt attrahunt, sic digerere materiam possunt, quare neque acris est, neque etiam multa, præterea, cum sensum laxationis faciat, vaporem habet partes remittentem, laxantemque suo humido genere. His ita propositis statuendum est primum, nunquid tota morbi causa, quæ omninò auferenda est in genibus subsit, vt possit ex eo loco ipsa sublata corpus penitus integrum reddi, an verò, quod per vtriusque genu malum denotat alibi quoque altior origo mali existat, veluti in capite, aut quopiam viscere, qua relicta corpus subinde in idē malum reuolueretur. Caput affectum quoque fuisse grauitas eius, & aurium tinnitus indicant, vt auctum quoque malum à febribus longis, & inde crura intumuisse id visceruin vitio fuisse factum significat, quare, etsi continenter eo dolore teneretur, vt inde, causam in ipsis genibus subesse colligendum sit, tamen supradictis notis alibi quoque existere longiorem originem necessarium est. Ergo hic primum totius corporis purgatio, & earum partium, quæ ad hoc malum conferunt suum vitium, & illarum vitij ablatio proponenda est, antequam, quod in genibus est materiæ, aut infirmitatis auferre tentemus, vt tibi, Medico imprimis sapienti notum est; quare à totius corporis purgatione ad viscera omnia restituenda, & inde ad caput purgandum confirmandumque transeundum est, ab his verò demum ad genu procedēdum, quæ, quibus, quantis, quomodo, & quando præstanda sint, breui dicendum est. Totum corpus, & viscera, missione sanguinis, & medicamentis, quæ præcipuè pituitam euocant, curandum est. Sudoriferis etiam potionibus, ac diureticis tum purgatio, perficienda, tum confirmatio visceribus inducenda, vt quæ ex guaiaco aut quæ ex roremarino coronario aut genus abietinis efficiuntur, aut quæ ex thermis aliquibus accipiuntur, quāuis tutior ex guaiaco, & efficacior & potior mihi videretur præsertim si salsa parilia ad penetrationem, & hermodactili ad loci appetendi motum addijcerentur. Caput purgijs deinde caput, & lotionibus confirmantibus curandum. Genibus postea vel vinacea, vel vaporem, & lutum dandum, ita tamen in subinde vinaceis confirmentur, quæ quidem & digerendi, & confirmādi vim habere, omnino videantur. Quibus non ad manus existentibus ceratum diapalma mihi summoperè oportunum videretur quod sufficit posset. Verum viuendi ratio summa constituatur, qua penitus acetum, vinū valentius, & serosa omnia, oleraceaque circumcidantur. Vale. Forosempronij. 5. Calend. Iunij 74.

Pro Francisco Marino de casu pilorum.

CONSVLTATIO CCLX.

AD remouendam causam casus ipsorum pilorum alternis vicibus ego ad diluendum vterer decocto ex radicibus cannarum, capill. Veneris, absynthio, rosis, modo decocto ex myrtho tantum oleo ve Myrthino diu ducto in mortario plumbeo cum pistillo plūbeo, & portione ladani.

Pro Illustri Marchesia Tyranna.

CONSVLTATIO CCLXI.

HEcticam minime fuisse febrem, minus verò lacte eguisse crediderim cum alternis diebus febris accessiones haberet, & tum frigore præsertim & capitis dolore tum sensu multo caloris, ipse vero etiam lactis vsus non est necessarius, nisi vbi necessitas alendi, nutriendique maior est quam facultas concoquendi possit sufficere, nam alioquin vel porcinas carnes cum Galeno in ea necessitate optima cum ratione daremus quæ magis nutritioni satisfacerent quam lac. Hæc illustris mulier corpus satis nutritum, & ventriculum semper satis valentem habuit, & omnia genera ciborum benè concoquere semper potuit, quare lac non fuit necessarium, minus verò dandum ob periculum, quod afferre potuit visceribus obstructis, renibus calidioribus, & capiti satis infirmo, & febri putrida, quam fuisse hāc propriæ notæ maximè denotabant, vbi neque quidem extanti hecticę febri per lac succurri posse monemur; cum putridā subesse certi sumus ait Galenus, sed, quod nunc restat curandum, id constituamus, febris nullius generis restat, mensium autem ratio imminuta est, & ea quoque. Satis vitiata cū albi sæpè post primos dies effluant, capiti aliqua noxa est, & cum fatigatur spiritus difficilis quod partes spiritui inseruientes vrgeri ostendit noctu ad lumbos plurimus calor, qui inde toti corpori distribuitur, obstructionem calor, & spiritus difficultas, mēsium species vna, & obstructionem, & materiam obstruentem denotant, nimirum pituitosam glutinosamque, vnde capitis dolor existit, quare omnem operam hisce ego attribuerem per aperientia, extergentia, & extenuantia, quæ si calidiora essent adhibenda cibis contrarijs temperatem præcipuè ptisana; maximè verò in medicamentis haberem saluiam & mentham atque absinthium, quoniam ventriculum vna cum vtero affectum, & humentiorem, crederem afferre bonam huius mali partem, nam pituitosiorem chylum facit, coctrice vi aliquantum imbecilliori facta, qui chylus ob humidum genus tenuiores quidem partes habet, ac propter cruditatem etiam alias crassiores, quæ a calidiori iecore exceptæ, superari tamen non possunt, & in crassiorē pituitam conuertuntur, & sic ad sequentia mala perducāt. Rhabarbarum quoque cum his commiscerem, & omnino assiduo in vsu habere vellem, quod ventriculo, & obstructionibus subueniret, quo mensibus autem auxiliaretur, quatenus diebus mensium tempus bis in anno phlebotomiam ad internum talum darem, & potionibus mouentibus menses vterer. Clysteribus acrioribus quoque aliquando, tunc scilicet, cum dolor ad coxendicem sentitur, & tandem nisi liberari corpus his malis intelligerem, ad diuturnas potiones alicuius generis sudoriferi accederem.

Hæc tandem recidit in magnam febrem, sub qua a destillatione viridis quasi coloris, & copiosissima pulmone & fluxionibus appleto suffocata est.

De antiquo capitis dolore.

CONSVLTATIO CCLXII.

HAec mulier ob ætatem generi eiusmodi corporis adiunctam melancholia abundat, propterea de hæmorrhoidibus mouendis cogitarem, syrupos ex myrobalanis & elleboro darem, atque decoctum guaiaci cum betonica, & buglossa, per aliquot dies, si hæc non satisfaciunt, cauterium sub genu admouerem, balneis quoque præcipuè inferiorum partium vterer.

De morbo gallico.

CONSVLTATIO CCLXIII.

POst luem morbi gallici nondum extinctam sæpè numero extant huic viro diuersorum generum mala modo ad angulum oculi quasi ægylops, modo capitis grauitas, interdum artuum dolor nocturnus, interdum vlcus in glande, modo molles tumores in fronte citò, & spontè abeuntes, vt in hac lue solet, propterea iudicarē vsum alicuius potionis purgantis esse necessarium, interea donec tempus idoneū proprij alexipharmaci sit, vt ℞. myrobal. omnium ℥. 2. infundātur triti, & fricati,

cum

cum ol. amygdalarum dulcium per 24. horas, vel potius more antiquo per tres dies in hac aqua.

℞. Aquarum fumiterræ, chamapytis, betonicæ an. lib. 2. s. facta infusione decoquantur ad tertias, deinde addantur. f. a. sequentia. fol. senæ electæ. ℥. 3. rad. polypodij quercini ℥. 4. fol. betonicæ m. 3. Agarici optimi ʒ. 6. gingibetis ʒ. 1. s. feniculi ʒ. 2. s. ghycirrizæ ℥. 2. s. trochischorum alhandal. ʒ. 1. s. facta coctione colētur, & exprimantur, deinde addito sacharo sirupizentur, & cum aqua stillatitia cinamomi aromatizentur.

Natura morbi gallici semper fuit in controuersia, & a Medicis diu disputata. Ac meliores fere Medici ad id adducti sunt, vt statuerint occultam nobis eius vim esse, quæ certa moderatione ποιοτήτων cōsistat nobis non mensurabili.

Propterea incertæ huic naturæ certa ratione remedium nos meditari non posse, certis tamen experimentis factum esse, vt securè singulare auxilium afferamus, B quod est potio guaiaci, quod remedium inde, vnde malum profectum est eodem tempore fuit ad nos delatum multo deinde post tempore inde quoque alia sunt allata remedia, quæ prioris in locum suffecta sunt non tam ob certam spem salutis, quam ob diminutionem laborum, minorem enim abstinentiam, & breuius sumendi spatium requirit, vt referunt, qui illis in locis medicinam fecerunt propterea nos primum remedium, vt longiori experientia comprobatū, & valentius, certiusque a plurimis iudicatum, semper iure deligendum putamus. Potiones vero eius semper ingruente malo laudamus, vel si hyems instaret, vel saltem præterita media hyeme, cum natura iam motum non amplius contrarium C penitus sudori habeat, præcipuè vero in hoc nos quoque ægroto id fecissemus, quod morbus infinita pericula præcipitantet admodum minabatur partibus corporis principibus, vt pudendo, per vlcera exedentia maxima seminarijs partibus per gonorrheam, oculis per ophtalmiam, capiti intus per dolorem, & extra per vlcera, tumores duros, maculas, & casum pilorum, pectori per angustias, artubus quoque per dolorem. Rectè ergo datum est guaiacum post hyemis medium, vnde etiam sublata sunt omnia illa mala, quorum ne minimum quidem vestigium superioribus diebus relinquebatur, nisi in maculis aliquid, & in gonorrhæa admodum exiguum. Verum vix a curatione illa 15. dies intercessere, cum grauitas capitis redijt, & destillatio quædam eam sequuta, & subinde surditas maxima post quandam corporis e- D xercitationem, ac postea oculi sinistri tanta iactura, vt sine dolore torus suffusus rubore aciem omnino amisisset, pupillaque adeo constricta est, vt vix cominus inspectantibus cerneretur, & quæ minimè internosci poterat suffusa erat, præterea dolores artuum, tumores ædematosi in fronte magni, & circum oculos, duri verò paruuli circum frontem, maculæ, & papulæ latiores sine vlcere non solum totam faciem fœdantes, sed dorsum ipsum, & brachia, quarum species esset quasi carnis rubeæ cute detectæ, quarum quædam æquabiles è cute minimè extabant, quædam cutem asperam reddebant, & faciem ipsam. In tempore dextro vna cutis colorem tantum mutauit, & sub oculo altera. Capilli quoque E tunc cæperunt denuo delabi. Quæ res non possent prohiberi, vel accipiendis secundo quoque die pillulis abunde aluum mouentibus;

Quare primo quoque oportuno tempore rectè sanguis missus est, a parte oculo ægro coniuncta. Corpus rursus purgatum, hirudines fronti, & post aures admotæ, quorum nihil ferè profuit. Guaiacum tandem repetitum ab his malis ægrum liberauit, per paucos tamen dies integer fuit, nam, vt postea dicam, post aliquot dies sæpè aliquam molestiam adhuc redire sentit earum, quę præcessere, nisi quod oculus, & auditus conseruatur, & pili quoque, neque facies, tam fæda est, quin naturalis videatur, quæque tamen restent, quoniam maius malum facilè minantur, ideo de origine submouenda cogitandum esse monent, vt dicam, si prius de præteritis hæc A prædixero, quod natura morbi sic postulante, corporis quoque, & temporis rationi cura rectè est accommodata, nam, cum frigus sudori obstare posse visum est, tunc salsa parilia adiūcta est, quæ creditur tenuitate partium plurimum momenti ad euocandum sudorem, & vrinam afferre, cum vero fluor ille gonorrhæa dictus infestus esset, portio iuleb rosacei commixta est. Altera verò tentatione mali summouenda, quoniam calor esset, sudor facillimus, & humoris signa multa correx guaiaco, iuleb autem aliquid quoque commixtum est. Quid verò oculis, quid doloribus, vlceribus, tumoribus, & maculis sit factum longum esset, ac forte inutile ad comprobandum repetere; Mirum id mihi visum est cur guaiacum, tam diligenter, & tanto sudore acceptum non sanarit, quanquam illa symptomata sæuissima paucis diebus semper abstulerit præsertim, quoniam ratio victus fuit qualis ab omnibus melioribus Medicis proponitur & quotidie in vsu est.

Sed quod remedium, tam cito casus acerbissimos remoueret, idem diutius habitum certè etiam causam sublaturum credam. De faciendis ergo dicendo, ego sine vlla dubitatione statuam guaiacum esse adhibendū, quod, si ex aqua non perfecerit, ego crederem esse cum vino commiscendum, & dandum, materia tamen humida in capite extante tanquam obfirmata, quod ego memini alios sanasse quibus, & in capite, & in neruis omnibus esset, & interea ei cauterium brachio sinistro admouerem, & syrupum suprascriptum sæpè repeterē, cæteris diebus multo corporis labore vterer, nam is suppleri potest ad malum penitus exprimendum, alioquin enim cauterium, & parum proficiet, nisi viscera, & caput purgata seruentur, & curato malo erit superuacaneum.

De morbo gallico pertinaci cum multis symptomatibus pro. I. F.

CONSVLTATIO CCLXIIII.

Hyeme præterita vlcus malignum glandem penè vehementer exedebat, præcipuè circa oras foraminis ἐρητῆρος, quod corruptione sua varios subinde colores præferebat, modo album, modo liuentem, interdum luteum, interdum atrum, modo vnum, modo plurès, interdum cum squallore, sed frequentius cum humore coniunctos. Ac, si quando remedia bonum carnis colorem detegebant, subinde tamen substans maligna vis cum sorde occupabat, & si non intermittebatur interea totius corporis purgatio, quæ inter cætera habebat sanguinis detractionem non admodum quidem largam ratione temporis frigidioris. Vlceri huic hæc erant coniuncta, glandis tumor, sæpè dolor colis, & glandis, tum vror dum mingebat, sæpè totius glandis liuidus color, & præterea gonorrhæa illa fæda, non fædo tamen admodum odore, neque crassa, neque multum pallida, cui vero culpa vlceris attribuebatur, hæc postea, tum purgatione, tum alijs remedijs adstringentibus submora est, ne vlceris curationem prohiberet, in quod studium medicorum totum erat conuersum, remanebat tamen vlcus, quod iam bona glandis parte exæsa, quamuis curatione meliusculum fieri videretur, vix tamen purum seruari poterat, neque sanescebat, interea autem caput cæpit grauari, vna & pustulas emittere ad octo gradiores, quæ protinus in vlcera cum crustis valdè crassis, ac duris colore russis non admodum vdis deuenerunt. Cæpit quoque tunc dolor ad pectus, ad humores, cæpit oculus sinister aliquando incertis spacijs, & temporibus per interualla esse ruber, ac lachrymosus cum tumore exiguo anguli interni, quod malum tamen per se destinebat. Ad hæc destillatione sępè tentabatur, præterea in fronte duriusculi quidam, & exigui tumores vrinę, sine cutis coloris mutatione substabant, tangentibus tantum noti.

Vnde

Vnde purgationibus illis leuioribus cum victu mediocri nihil corpus ab hoc casu sustinentibus purgatio validior necessaria iudicata est, ab ea ipse (nō multum etiam mouentibus medicinis, vel per catapotia datis) nihil penitus molestiæ sensit, nihil tamen etiā leuamenti (contra quam nunc experiatur, nam quacunque alui motione leuius habet) tunc ergo ad proprium remedium ex guaiaco deuentum est, quamuis uix esset mensis Februarij initium, cum alioquin sustineri præceps in peius lapsus non posset, & multa sic mala quasi turgendo minaretur.

Ergo custodia multa habita est, cubiculumque valdè idoneum, benè stipatum, & benè calidum seruatum est, & præter purgationem, quæ non ita multum fecisset, inter initia potionum guaiaci aluus soluta est per senam, quæ sine molestia valdè multum eduxit. Inde sumendis potionibus sudores protinus sequuti sunt, & faciles, & abundantes, cum guaiaco pars quoque salsæ parriliæ coniuncta fuit, nam cum ipsa sudoribus mouendis vtilior videatur, sic putabamus, id momentum quod sudori ciendo temporis ratio detraheret, per salsam nos posse restituere. Vix vero 7. dies acceperat has potiones, cum dolor capitis penitus sublatus est, cætera nō ita ci to, nam oculus nihilominus interdum, vt dixi afficiebatur, nec nisi ad extremum potionum se se integrum factum seruabat, frontis etiam illi tumores quamuis exiles vix post finem potionum amoti sunt, cum tamē frōs quoque cum cætero corpore, etsi non tegeretur, abundè admodum sudasset. Vlcus prætetea, & ipsum ferè vltra medium potionum guaiaci spatiū traxerat, quo curato, ora foraminis ἐρητηρος postea loborem non exiguum dederant, quoniam contrahebantur, meatumque occludebant, quare vi per plumbum distentæ sunt, & sic seruatæ, quo tempore paulum puris albi ac boni in modum grani milij emittebant, aliquot vero diebus post per acceptas potiones confirmatæ sunt vlceris oræ. Vlcera capitis ipsa quoque multo antea exsiccata fuerant, foueas tamen, seu cauas cicatrices reliquerant admodū rubentes suis sedibus alioquin integris, & puris. Finitis potionibus bis ex interuallo aliquorum dierum balneo vsus est, postea quoniam partes intra lumbos diu per vrinas, & per gonorrhæam aliquam infirmitatem ostenderant, ipsis quoq: post illas omnes totius corporis tot vijs factas purgationes robur quibusdam illitionibus procuratum est.

Atque sic eo iam benè valente prima curatio terminata est, quæ habuit abstinentiam exquisitam, a qua tamen ipse vix extenuari cognoscebatur, & id diebus tantum extremis ipsius abstinentiæ, quo tempore etiam nitorem tantum facies, & oculi acquirebant, vt mirabile videretur, parumque abfuerit, quin tempus potionum citius terminaremus, tutioris tamen certè curationis causa ad 40. diem illæ productæ sunt, quo tempore toto, aluus (exceptis tribus primis diebus antequam senam acciperet) semper bis die descendebat, vrina (vt ferè fit in abstinentia) aliquando crassior, & coloratior visa est, vt erat fere prius, quàm potionibus illis, & abstinentia vteretur, sæpius vero præcipuè, cum copiosa erat, bona penitus videbatur. Hæc tandem inquam curatio ei facillima, & facillissima fuit, & per sudores mirabiliter expurgauit, multum per sputum, & per nares, plurimū per aluum excreuit, ita vt quiescentibus quoque symptomatibus omnibus securi iam salutis esse possemus, 3. Idus Martij hæc conclusa sunt. At dum cibo leniter quidem augendo incumbimus, sub finem eiusdem mensis Martij ipse affectu quodam in grauedinis speciem tentari incæpit cum aliqua capitis grauitate quod fuit 3. Calēd. Aprilis. Sequentibus diebus eodem sub affectu etiamnum manente surdaster fit, his manentibus dum ferè surdus penitus est, ei oculus sinister, qui alias idem malum sæpè erat expertus, rubore leni turbabatur, hoc vero ad Idus, Aprilis, deinde paulatim fit rubeus valdè, & humore manans sine tamen dolore, tandem eodem rubore, vel ipsam pupillam occupante visum amittit, nul-

A lis alui motionibus alijsve remedijs eum retinere valentibus.

Maculę rubeæ interim, vna magna tempus dextrum, multæ frontem, & corpus occupatūt, præcipuè dorsum, & brachia, quæ primò nihil eius æquabilitatem, læuitatemque contaminarent, aliquo tantum potest tempore exasperabant. Ad hæc tensiua lassitudo artubus omnibus præcipuè sub noctem accedebat, & cum hoc alia quotidie deteriora fiebant, quamuis interim malos humores octauo saltem quoque die per catapotia detrahe-remus. Mense ergo Maij altera curatio bona spe ob melius animi tempus instituta est, itaque oculi iactura, & reliquis sanguinis vitium & copiam denotantibus sanguis abunde detractus est, & corpus purgatum, qua purgatione procedente ipse paulatim corpore toto leuaba-
B tur, oculus tamen nihilominus malè habebat, & fortè magis quotidie occupabatur semper sine dolore; hirudines ergo post aliquam, purgationem admotæ sunt post aures, ad venam frontis, & tempori, à quibus vix vllum auxilium tunc habuit. Purgationis partem postremam habuere syrupi à Rasi propositi in capitis affectibus, & à montana in gallicis quoque à quibus ipse facilimè summa cum tolerantia, & abunde purgabatur, & crassos multos humores tenuibus admixtos deijciebat, Sex verò dati sunt, tamen nondum manifestum in oculo adhuc rubente leuamentum se ipse sentire dicebat, quasi id omne esset potionibus guaiaci reseruatum, quas vix 15. dies accepit, cum mirabiliter oculus sanescebat, potiones guaiaci tunc quoque dare coacti sumus eius cortice admixto ad siccitatem iuuandam. Oculus ergo, qui
C primis diebus potionū guaiaci per sudores humore manaret, ruboreque solito esset refertus, post dictum 15. dierum spatium ruborem abegit, quando lachryma quoque, & si interdum redibat, citò tamen cessabat, at pupilla oculi aliquid humoris albi retinuit, quod visum occupabat, non tamen tanto impedimento quanto prius, cum oculus rubore scatebat, postea paulatim eo vsque acies recuperata est, vt minutas literas commodè, & iusto spacio posset legere, Quo qui idem in processu sic habuit, primo cum cepit visum recuperare literæ multò, quam essent, maiores videbantur, postea contra minores, & non ita nigræ, postremò sic eas cernebat, vt ipsæ essent, ac pupilla, quæ superioribus diebus angustissima esset, paulatim suam naturalem magnitudinem com-
D plebat, ferè tamen oculus humore, & lachryma abundabat, quam lachrymam id nobis magis tolerabilem faciebat, quod per ipsam oculus vtiliter ad aciem perfectè consequendam expurgaretur. Oculo ea data sunt, quæ, cum reprimendi tempus esset, non tam reprimerēt, quin innatum partis calorem conseruarent, ac ne humorem crassiorem redderrent, tum ne vitiosum humoris genus intus repelleretur, quare nunquam rosa sola vsi sumus, aut simili, quin aliquid aut fœnigræci, aut id genus adhibuerimus. Cum verò digerendi tuta occassio est oblata, ne tum quidem firmantia particulum prætermisimus. Sed hæc de oculo. Sub potionibus accipiendis, inquam, lassitudo corporis prima fuit, quæ discederet, scilicet, antequam oculus rubore liberaretur, maculæ faciei, ac totius syncipitis, vbi erant eminentiores fa-
E ctæ, non ita primò extinctæ sunt, sed leuiores à primo potionum tempore factæ, extremum earum tempus non attigerunt, intra hoc spatium ad extremum tantum per aliquos dies vna ei molestia relinquebatur quod somnos (quamuis diu eos posset repetere, & redormiret) multum haberet interruptos, quod tamen quoque cessauit. Cum igitur ad 40. diem potiones peruenissent, ipse optime habebat, & aspectu ipso integerrimus videbatur, instabantque assistentes frustra iam laborem me protrahere, tamen in 50. diem eum produxi 44. die victus cæptus est paulatim augeri, & vinum paulatim potionibus intermisceri. At duabus postremis noctibus post pluuias quasdam, cum optimè haberet toto corpore, lassitudinē crurum sensit, quæ tamen postea finiebatur. Hæc posterior itidem curatio & fuit facillima, & quamuis ali-

quanto gracilior esset factus, quam à priori, id tamen immodicum non fuit, viribus quidem certè valentibus semper,& bono colore fuit.

Vnum prætermisi, quod interea, dum sub hac posteriori curatione esset medio ferè potionum guaiaci tempore, vlcuscula pauca circa glandem fœdo odore orta sunt,quæ solis penicillis, seu lineis filamentis multo ante sunt exsiccata,quam potiones finirentur,in fronte quoque postremis potionum diebus exigui tumores vtrinq; extitere,alter mollis,durus reliquus,qui finitis potionib; aboliti sunt.Maculæ autem non solum e fronte,& syncipite,sed è reliquo etiam corpore decessere. Atque ex notis omnibus, & præcipuè ex specie nitente faciei nil aliud colligi poterat,quam ipsum sanitatis compotem esse,præsertim,cum abundantissimè sudasset. Hæc 3.Nonas Iulij sic habebant. At pridie Cal. Augusti mane, cum crurum quædam lassitudines præcessissent, duo mala extitere, alterum fuit subitum ædema totum syncipur extollens, quod per spongiam vino fotum etiam subito euanuit,alterum malum fuit propè oculum,nam oculus idem, qui alias affici rubore solebat, ipse integer manens eo mane angulum internum (per noctem autem malum cæperat) habebat rubore perfusum,qui rubor per cutem proximam infra oculum profundebatur, quo loco cutis quoque sine dolore tumebat, idem verò 10.dies ante ex sole perpessus fuerat, eo autem die nulla manifesta causa id habebat, prior illa huius mali rentatio tres dies spatij habuerat, quo finito integer penitus oculi angulus relictus est, in posteriori vero hac non ita expressa fuit mali decessio, quamuis eodē die ita remitteretur, vt vix mali vestigium appareret,sæpè quidem in certis spatijs tedijt,& nunc demum iam per aliquos dies hæret, & postremò pustula vnius diei spatio fuit, quæ continuo maturata,rupta etiam est, ijsdem diebus vlcusculum in glande ortum est summam cuticulam tātum violans,quod loco priori relicto in latus sese recepit nihil carnis absumens, hoc vero ferè iam sanescente multæ pustulæ paruæ circum glandem exortæ sunt,quæ primum expresso albo quodam humore desinere videbantur,postea tamen in vlcera sordida degenerarunt; sub his malis cum esset, crurum quoque dolor, & brachiorum præsertim noctu quandoque accessit, rarissimè in articulis,ferè in medijs artubus, & hucusque eum vexat cum suprapositis malis,quorum molestia, tum per se, tū ob incredibilem animi dolorem eum valdè male habet ita,vt si non per illa, saltem per animi cruciatum ipse totis noctibus conflectetur,alioquin dolor quādo quidem lassitudinis speciem habet,acris non est, interdiu præsertim (nam demum cæpit eum interdiu quoque molestare) grauati quoque interdum caput solet, ac tumores in eo subito oriri, quorum aliqui molles,maioresque, qui eadē ferè hora sui ortus, certè totis tribus horis ad summum,ac per se cessant, aliqui duriores, & parui diutius manent, qui tamen ipsi quoque per se cessant, vt locus infra angulum internum oculi iam ferè perpetuo rubet, & demum etiam tumet, quamuis postremo per pustulæ purgationem remissius habeat,antea sæpissimè sine rubore videbatur, ex quo tamen angulo lachryma ferè semper manabat sæpè purulenta ex tumente angulo exprimebantur,ex quo casu metus futuræ fistulæ esse solet qua in re tamen certè internis potissimum causis amouendis incumbendum duximus,cum alioquin oculo sic infirmo illa proluuies tuto supprimi non posset, vt reliqua quoque ratio vlcerum in glande,& cæterorum,quæ in hoc corpore sua molestia amotionem sui indicant, penitus requirere videntur,quibus postremo etiam illud videtur accessisse, ergo cum a curationibus superioribus aeris admodum sensus auditus esset factus, nunc hebes euasit,quod etsi βαρυηκόοι νότοι flant, in eandem tamen internam causam referendum est. Ac quoniam ratio eorum,quæ facta sunt,etsi cuique prudēti,atque æqui animi Medico satis ex superioribus aperta est, tamē fortè prætereunda non est,præcipuè vero quoniam vna ferè factorum,& faciendorum ratio est,iccirco vtrorum-

A que causam hic permixtim tractabo. Atque primum de re sic statuam. Potissimum huius mali remedium, & infinitis iam seculis apud rationes, quæ huic morbo essent obiectæ quotidiano experimento probatum guaiacum fuisse (cum quo palus sanctus coniungatur) dein de eius antiquissimam probationem nostrates homines iam diu,& multo ante,quam vlla alia proferentur auxilia,non solum accepisse ab ijs, a quibus malum est traductum,sed longo experimento confirmasse ipsum tanquam remedium singulare, & eius mali proprium quod nunc quoque antiquam authoritatem iure experimenti retinendo cæteris omnibus postea repertis,& nouis remedijs anteponitur, & quibusdam certè præcipuè, quoniam eis tutius est, vt hydrargyro, alia enim omnia vix ab hinc paucos annos ætas nostra experta est, quæ adhuc multas apud nationes ferè ignoratur, aut certè a

B Medicis nō ita probata, quorum multi memoria digni etiam sententias suas cum optimis rationibus scriptis mandarunt, siquidem illa cum primo admissa sunt, & in locum guaiaci suffecta sunt, aut ob precium, vt hydrargyrum,aut,vt salsa,& china,quod minori cum abstinentia darentur, & breuiori labore, ratione scilicet ab arte remota, & aliena, arte semper primam rationē auxiliorum ab efficacia,deinde a facultate sumente. Atque hæc apud nostros,sed longe melius apud eos conspicua existunt,qui Indicis regionibus medicinam fecerunt.

Quod vero iudicium,vt dixi experimēto factum est, nam quod a ratione naturæ morbi facere Medici tentarunt,id quamuis aliquam habeat expositionem,ea ta-

C men adeo obscura est, vt adhuc apud meliores Medicos sit controuersa,quorum quidam ne refellere firmissimas authorum varia contendentium rationes cogerentur,huius mali,& item remedij naturam finibus occultis definire maluerunt, se seque hoc vulgari perfugio tueri,quam infinitum laborem suscipere. Hoc ergo remedio omnes (cum cætera quidem pauci ament) citra laudis, & probationis controuersiam vtuntur in omnibus corporum generibus vix mutato pro corporis, & temporis ratione temperandi eius cū aqua modo, id enim, quod ita nostratibus,& Indicis omnibus corporibus est accommodatum,cur aliquibus nostratium quidem cōueniat aliquibus verò minimè? fortè vero maiorem inter se nostrates homines dissimilitudinem habēt, quam illa sit, quæ inter ipsos nostros, & Indos intercedit, in

D quo præterea nihil fortè sociat ratio locorum,& tempestatum.

Temporum autem ratione sic vsi sunt, & nunc multo liberius,quam antea vtuntur, vt, cum necesse nō est, tunc ad æstiua tempora,vel æstati propinqua remedium differunt, quoniam sudori mouendo sunt magis secunda,per sudorem enim ferè malum digeritur,at, cum malum vrget,& membris necessarijs pericula minatur,tūc domicilio ad vsum parato quocunque tempore id remedium adhibent in eo ab antiquissimis,& maximis Medicis minimè dissidentes. Hippocrates enim,& Galenus solum sanorum corporum præseruationibus certa anni tempora præscripserunt, ægrotorum vero curationis tempora a morbis accipiunt, & nullum tempus penitus subtrahunt,tantum mouent,quod ei parti, quæ va-

E lentioribus pharmacis vtitur, vnum ferè est tempus molestum,& laboriosum,non quod necessariam purgationem vetet,sed quod ne laborem afferat moderationem aliquam requirat,verbi gratia,vt labores vomituum per elleborum maximè eo tempore vitemus,neque vero ipsi morbum, qui per sudores curari desideret vllo anni tempore non curassent. Nostri ergo, & hyeme curant, cum est necesse, & quod aliquando morbi pertinacia hyeme non possunt,id repetentes proxima æstate perficiunt,interea corpore a periculis maioribus per primam curationem conseruato, & ad sanitatem recipiendam postea facto magis idoneo,qđ quotidie nos videmus,& meliores Medici se se experiri affirmant. Vbi quidem corpus prima curatione non conualuisse morbi quidem

vim

vim, at non medicatmenti damnum ostendit, & curatio præcedentis temporis frustrata (si sic eueniat) ipsam morbi validam esse vim, sequentique remedio valdè repugnaturam, vt nota, at non vt causa denunciat, nam alioquin futuræ curationi præscripta medicina auxiliatur, quare posthac etiam ego in potionibus guaiaci omne auxilium reponerē, & tempus hoc non prætermitterem, in quo nisi curatio succederet, & meliori tēpore esset repetenda, tamen ex hac quoque vtilem conseruationem futurā, & corpus postea minus occupatum facilius posse sanescere sperarem. De hydrargyri remedio quidē certè contraria mihi experientia est, quod.s. in prima curatione liberet, durius malū reddit, sed id singulari modo suo purgandi singularem quoq; conditionē potuit sortiri, atque hæc de remedio, & eius adhibēdi tempore. Modus verò similiter ab omnibus constitutus est, vt purgato prius corpore potiones dentur, ne incidentes in morbi materiā copiosiorem, quā quæ per sudores facile eijci possit, in causa sint, vt illa ad membra impulsa in eis, & sub cute subsistat, ac cum manere integra no possit, mille tædia efficiat, quod tamen si facturæ sint potiones id ferè primo earū tempore apparet, alioquin enim maiori parte materię per sudores expulsa, non possunt id postea moliti ex reliqua materia, quæ si id nō fecit, cum esset in multa copia, longè minus faciat postea, cum exigua est, & tenuior facta facilius per sudores potest eijci, vt experimur, &, vt aliquando contra eueniat, nūquam tamen eueniet postquam potiones finitæ sunt, mouente siquidem remoto ipsum mobile non mouetur, & multo maximè ibi motus metuendus non est, vbi sine mouente pars quoque maximè mobilis per sudorem, & purgationē sublata est, & a potionibus ea siccitas corpori impressa, & per abstinentiam ea nutritionis necessitas relicta, quæ ad crassas reliquias humoris potius consumendas, ac retinendas, quā eas per loca minimè conuenientia repellendas idonea sit; ac, vt iam expellat quidem a visceribus, id per conuenientia potius faciat, nam corpus robustum præcipuè visceribus factum transmittet longè a visceribus, & a medio materiam ad partes eminentiores, & vitæ minus necessarias, guaiacū enim summoperè partes omnes internas confirmat, quod a salsa parilia, aut china sperari non potest. At ne incommoda illa eueniant, vtile iudicatur, si in parte purgationis perficiendæ adhibeantur syrupi illi Montano adscripti, nō quod similes apud alios non reperiantur, sed quod ipse eos in hunc vsum præcipuè reuocarit, quos quidem innumerabiles Medici quotidie admittunt, & vtiles experiuntur, vt nos quoque meliores Medicos sequuti semper fecimus. Dant præterea has potiones guaiaci cum ea abstinentia, quæ & digestionē sua noua materia non impediat, & corpus non humectet. Quanto autem spatio, & quam magno modo potiones singulæ dādæ sint, vulgaris iam notitia est, nec pluribus tractandum, ego quidem largiores alijs ad vsum facilem sudoris soleo exhibere. Ex his ergo ita propositis rationem factorum, faciendorumque iam possumus colligere, nam inde curationes suprapositæ nihil prætermisisse videntur, quod sit ex præceptis illis, huic morbo discutiendo necessariū, vbi quatuor illa capita penitus seruata sunt, quæ in quocunque morbo curando proponuntur. At nō penitus sublatum malum esse superius dicta symptomata, in quæ ijs diebus recidit, attestantur. Et hoc quidem certè mirabile cuique videatur, præcipuè cum humoribus existentibus, & eorum corruptionibus dictæ curationes penitus repugnarint, vt & pituitæ tenui, quæque talis esse constitit per tumores molles cira solutione residentes, qui non solum, vt dicebam, syncipiti, sed aliquando pedibus acciderunt. Vt dilutę bili, quam etiam bilem vna cum sanguine fuisse ostendit hæc postrema pustula ad angulum oculi citissimè suppurata, alijs vero etiam humidis generibus accedentibus, hi dolores ad medios artus cita accessione, & decessione, & lassitudinis plerūque spetie molesti, dictaque id genus vlcera, quæ eorundem quoque humorum corruptionem indicant, vt pituitæ, & dilutæ bilis, alioquin enim pustulas non faceret, quibus omnibus non solum corporis purgatio per aluum, & sudores facta, sed exsiccatio, & confirmatio viscerum penitus oppugnant, fortè, ne ob cruditates sub sequutas hæc renouata sint, cum semper ventriculus benè concoxerit. Vbi non solum quatuor diebus ex præceptione Hippocr. ab abstinentia ad cibi solitum modum reuersum est, non solum post obseruatam perfectam coctionem prioris incrementi sequens cibus auctus est, vt Galenus hortatur, sed per 20. atque amplius dies semper bona coctione perfecta paulatim ad mediocrem viuendi rationem redimus. Subest itaque etiam num vitium illud gallicum, & ei tota cura attribuenda est. Vbi quidem eo magis benè sperarem, quo facilius per alias curationes symptomata tollebantur, & magis præter rationem hæc euenire videntur, cum certè non multam mali vim reliquam factam credam, cum hæc symptomata multo, quam antea leuiora non ita potiores partes occupent, & inconstantia admodum, & leniter hærentia sint, vt reperenda leui curatione possit iam penitus submoueri, de qua, quoniam coram sermo est futurus, nunc dicere prætermitto, & hactenus hæc proposita, & scriptis mādata sunt, vt in memoriam possint identidem reuocari.

De gallico morbo.

CONSVLTATIO CCLXV.

Plurima sunt in hoc corpore mala, quorū omnium vnum est initium gallicę lues, qua quidem tollenda speramus cæteras omnes affectiones iri ablatas, vt propterea ei omnis curationis ostensio, indicatiove deferenda videatur. Nam febricula, destillationes, oculē malum, dolores, vlcera, & reliqua ab vna lue illa profecta, & sustentata sunt, de ipsa ergo maximè est cogitandū. Magna certè eius vis, & valde mala natura est, quæ neque tot validis curationibus cessit, neque nunc purgationibus valde remittitur, sed & iam omnes principes partes occupauit, & illas valde male habet. Natura huius morbi omnium cōsensione in iecore sedem primam obtinet siue eius totam naturæ vim contaminet calore innato, atque humore insito vitiatis, siue ei tantum inducat situm quendam, qua omne eius officium vitietur & infirmiter, vnde omnium generum humores pro corporis, & visceris genere possint procreari, ego, qui non soleo meam opinionem aliorum consensionem præferre, semper iudicaui esse cōtagio acceptam putrilaginem in eo humore, qui confertur ad venenis vsum, & ad partes naturalium habet propensionē, is vero est recrementum vltimi, & vtilis alimenti ex Aristotile. Illa certè vis quoniam pertinax est membranis hærere aliquo glutine intelligitur, & quoniam contagiosa est tum halitum quendam glutinosum emittit, & olei more adhærētem, tenuitateque penetrantem, tum putredinis corruptelam habet, ita profectò situs ipse, & corruptela putredinis glutinosæ vim tenebunt, quæ eo magis hærent visceribus, ac præcipuè iecori, quo magis glutinosum, & obstruentem humorem inuenerint, a quo humorę, & retinentur, & modum vitij sui eius similitudine nanciscuntur, quo eandem puttilaginem multiplicent, qua verò occasione in his delicatis hominibus, in quibus est frequentissima, cum crudos multos humores habeant, difficillimam solet habere curationem. Ex ea ergo putida, & situosa corruptela fuligines attolluntur, quę recremēta sibi similia generis vltimi, & vtilis alimenti cordis, capitis, & præsertim testium afficiunt, vti pro vi, & natura harum partium hæc, vel illa magis læditur. Vnde in hoc corpore a capite defluxiones, & fortè febricula, dū vias venarum, & inuisibilium meatuum occupāt, quod horror circum spatulas vespertinus denotat, aurium hebetudo, varia oculorum mala, & fortè artuum dolores a corde febricula, siue ex occupatis meatibus a destillatione,

tione, siue a pedore infecti iecoris fuliginum vis cor ipsum attingat, a restibus gonorrhæa, ab humoribus vero proximè a iecoris vitio proficiscentibus acriorib. malum alimétum, imo atrophia natura recusantem ipsum sanguinem illa sua acrimonia se irritantem, ab eisdem humoribus quoque vlcera exedentia, & similis cutis infectiones. Huius ergo luis gallicæ vis sic occulta, manifestè indicare nobis remedium non potest, vnde quod per experimentum innotuit, & pluribus seculis est comprobatum, vnum remedium nobis est adhibendum, id verò maxime est guaiacum, nam cætera neque omnib. locis, neque multis seculis claruere, paucis enim iam annis proferri cæperunt, eo verò minus a me illa probatur, quod carent multis viribus, quibus guaiacum præditum esse video, non solum enim commendatione temporũ, & nationum omnium intelligitur, quod occulta vi occultæ mali naturæ aduersatur, sed sensu ipso percipiuntur vires in eo manifestæ, quæ supradictis eius mali partibus contrariæ sunt, etenim situi, & glutini detergendo abluendoque suus amaror, atque acrimonia facit recremento illi vltimi, & vtilis alimenti infecto expellendo sudorifica vis, & acrimonia, viscerum viribus firmandis austeritas, quoniam acrimonia illa in terrena quadam natura demersa est, cuius exustas partes amaror ostendit. Quibus viribus carere chinam, & sallam est per sapores manifestum, vna siquidem partium tenuitate prædita hæc sudoribus mouendis, & humori extenuando faciunt, non autem robur visceribus præstant, præterquam quod occultæ vi mali summouendæ, adeò vt guaiacum facere certi non sumus, cum neque omnibus gentibus, neque multo tempore in vsu habeantur, hoc ergo cæteris est præferendum. Quo in dando quidem ea seruanda sunt, quæ certam motionem sudorum efficiant, corpusque præcipuè expurgandum, antequam guaiaco sudorem promoueamus, illa vero adhibenda, quæ cauam quoque iecoris partem, ita per aluum leuent vt per sudores illæ, sic enim totum viscus benè poterit sanescere, sæpè vero repetendis medicamentis id faciendum, siquidem ita commodius hæc humorum genera educuntur, quare maiores nostri inter parantia potiones purgantes quoque interponendas esse consuluere. Conficiunt autem illas ex sena, polypodio, epythymo, & elleboro quibusdam alijs horum vim iuuantibus, & mitigantibus adiectis, myrobalanos quoque addunt omniũ generum, quoniam melancholicis humoribus educendis creduntur valdè opportunæ, & cæterorum medicamentorum vi nocenti reprimendæ, visceribusque tuendis faciunt propter adstringendi vim, quæ ramen tanta non est quin possint humores sibi conuenientes educere, neque tantam relinquunt corpori adstrictionem (præcipuè si, & sine corpore dentur per potiones, & cum alijs mixtæ acrioribus) quæ reliquam purgationem impediat, vt experimento quotidiano innumerabiles Medici cognoscunt, ferè enim in diuturnis morbis harum ope maximè se iuuari confidunt, si toto etiam corpore suo per catapotia exhibeantur, & in gallico præcipuè curando vbique per potiones iam multis annis dant, & earum vim opportunam euentu ipso experiuntur. Post aliquas purgationes inter parandum factas postremo valentior medicina exhibenda est, potiusque per catapotia, qualia essent cochia ex elleboro, vt si cuique eorum ℈. ℈. s. ellebori adijciatur admixtis arabicis dictis, in quibus eędem myrobalani potiores habent partes. Ante verò omnes medicinas sanguis, omnino detrahendus est, per sectam quidem venam, si vires superent, per hirudines autem hæmorrhoidibus dandas, aut cucurbitulas artubus, aut scopulis admouendas, si imbecillior fuerit ægrotus. Corpore sic purgato ad potiones guaiaci accedendum, potio sic paranda, vt cum aliquid guaiaco miscendum fuerit ad vires abstergentes, aut alias augendas, aut ad eius vim in aliquam partem veluti in caput deferendam. Illud sua vi, aut occulta, aut manifesta guaiaci vi non repugnet, quare, cum experimento, ac fere ratione nos cognoscamus cicorea iecori amica esse, atque propterea guaiaco non posse esse aduersaria, quod est iecori, tam vtile (quæ enim vni tertio sunt amica, inter se etiam sunt) abstersionem verò iuuare illius plurimum possunt. Betonicam quoque, cum sciamus nulla vi elatiori præditam, cumque caput auxilium ab ea sperare possit, vi guaiaci ad ipsum ducenda nos cicoracea, & betonicam poterimus guaiaco admiscere, ac fortè, quoniam obstructio etiam tactu è iecore percipitur. Agrimonium quidem, & ipsum non habet multum calorem.

In quibus decoquendis ordo ille publicus seruandus est, qui hic non est nunc multa oratione explicandus, modus autem ligni tantus esse debet, quantus malo submouendo facere possit, atque cum cortice etiam coniungendus, neque verendum, ne corporis tenuitas periclitetur, nam illa a vitio humorum, a vitio iecoris nascente proficiscitur, non ab aliquo iecoris, aut solidarũ squalore, quare quibuslibet duodenis libris aquæ 12. vnciæ ligni 6. corticis, quaternæ quoque sallæ committi possunt, salsa siquidem, & ipsa extenuandis, promouendisque in sudorem humoribus facit. Ex hoc humore expresso adiectis manipulis singulis herbarum paulo ante quam exprimatur, accipiat mane quidem ad ℥.8. aut 10. vesperi autem ad 7. plus minusve pro iudicio Medicorum præsentium.

Atque vt vis huius potionis intendatur poterunt dari per carapotia ex cortice ligni pulueres cum salsę, & betonicæ, & agrimonij pulueribus. Vt ℞. Corticis ligni ℥. 2. salsæ ℥. 1. betonicæ, agrimoniæ ℥. s. cum oleo, aut melle ex guaiaco confecto fiant pillulæ 16. ex quibus sumat tres ante syrupum matutinum, duas ante vespertinum primis 10. diebus, sequentibus autem sumat ante cibum vtrumque binas itidem. Panes quoque ex decoctione fieri poterunt, ex eadem poterit fieri oleum per destillationem, nam per descensorium factum ori ingratum est, poterit fieri mel decocto ligno, atque expresso, & pinguedine relicta post aquæ stillationem exceptam per alembycum, ex hoc melle posset confici electuarium ex chalybe singulis libris mellis senis vncijs chalybis adijciendis, qui si aceto maceretur sub se se, minus valens est, hic totus deijcitur, mel tantum pertransijt ad iecur cum abstersoria vi ipsius chalibis, ac sic iecur à glutine illo, quo lues pertinaciter retinetur, liberari potest, & vis guaiaci multum iuuari, oleum in iure, in cibis, in porionibus guaiaci misceri potest, & eorum viribus multum adijciet. Sales quoque ex fecibus per destillationem relictis, vel ex ligno exusto fiunt, quib. vnis cineribus plurimi curantur, saliunt enim cibos, & per potiones etiam exhibent, ℥.1. autem soler dari. Suffumigia quoque parari ex ligno solent, balnea, & vasa e-riam nitidea, quibus potiones contineantur, atque coronæ etiam præcatiæ, inungi quoque iecur potest oleo eodem adiectis contemperantibus eius calorem, inde siquidem tumor, vel obstructio eius facilius rolletur ex eodem: articuli, & artus medij dolentes valde iuuabuntur. Cibus interea, nisi quid obstet, sit panis nautius ad ℥.2. s. vel 3. passulæ, pistacia, &, cum somnus non respondeat, etiam amygdalæ, & plus vesperi quam mane accipiat. Potio in mensa sit ex ea decoctione, quæ secunda dicitur, iuleb adiecto, vel passulis decoctis, in fuso etiam aliquantisper cinamomo in postremo feruore. Si necessitas fuerit, & consuetudo abstinẽijs repugnet valde, quæ sæpè fecit, vt quidam caponibus usi in cibis conualuerint, tunc auiculę, & pulli concedi poterunt, & ouatum etiam vinum.

Quo sudet, fortè nulla vis erit necessaria, tamen, si fuerit, sedeat in lacu circumseptus tentorio capite tamen exerto, vel lacus ita occlusus ad summum vsque sit, vt vix caput extet, sit vero inter crura vas plenum aquæ in qua fæx ligni ex secunda decoctione accepta incoctæ sit, & lapilli igniti inijciantur, vel contra in lapides ignitos decoctum inspergatur, vel cucurbitæ ad liquores paratæ eodem decocto calido repletæ sub alis teneantur, neque vis hæc intra primos sex dies adhibeatur, caput nunquam

nunquam obtegatur, & linteamina ne quidquam prætereatur, nunquam eadem admittantur, quibus semel sit vsus, nec nisi post horam totam ab accepta potione sudor prouocetur, sub finem potionũ, quæ per 50. dies capiatur, balneo ex decocto ligni vtatur, ne vllum prorsus vestigium maneat sordis huiusce, post tamen hæc alijs balneis vtatur. Octauo autem, & decimo quoque die inter vtendum potionibus aluus purgetur, aut conf. Hamach, aut pilulis similium virium, aut potionibus, quod si quotidie aluus non respondeat, clysteribus vtendum nõ ex guaiaco factis in hoc corpore graciliori, quoniam nimium exsiccaret, supprimeretque. Sic ergo non solum superior, sed inferior quoque iecoris pars expurgabitur, & certe sanescet.

Quidam postremis diebus vesicatoria extremis partibus adiungunt, ad virus illud exprimendum ex corpore, quidam cauteria singulis brachijs, & cruribus dant. Sed hæc laboriosiora sunt, & superuacanea. Ab hac curatione totis 40. aut 60. diebus cautè iuuat, & electuario aliqua vim guaiaci continente vtatur, aliquo etiam aluum soluente, vino ex eodem confecto, & sale, & similibus. De victus ratione, dum curatur, pauca restant dicenda, nam motus non est laboriosus habendus, vbi fames est, ergo neque vbi est abstinentia, nisi genus corporis, & ætas id patiatur per hæc enim vidi multa sanescere, somnus moderatus esse debet, nam quamuis, si multus esset in abstinentia, nõ posset multum humoris congregare, tamen non esset opportunus, & languorem corpori afferret, de motione alui, & repletione iam dictum est. De venere nihil dicendum, nam neque locum ratio personæ habet, neque certum est non lædere, quidam certè putant ægrum non posse sanescere, si sub curatione Medici venere vtatur, excitari enim malum existimant, aliqui tamen, dum quis malè habet ab hoc morbo, putant leuari multum, si venere cum integra muliere vtantur, atque experimento hoc confirmatũ volunt. Prognosticum in hunc vsque locum retulimus, quo dicamus sperari oportere eum ijs remedijs conualiturum, cum superiorib. curationibus semper symptomata omnia, & quidem sæuiora auferentur, quorum rediere quidem ferè multa, non tamen vires easdem retulere. Tunc enim præcipitanter admodum increscebant, & nullis purgationibus corporis impediebãtur, solo guaiaco lapsum præcipitem in eos casus sustinente. Nunc illa symptomata vlterius nõ procedunt, nullo etiam auxilio adhibito, præterea longè maiora erãt, nam ulcera caput exedebant auditus penitus erat ablatus, oculi alterius aciei penitus humore rubro, & albo occupabatur, glans penis vlcere ferè tota absumebatur, artus languebant, & dolore, & debilitate tenebantur, vt rhedæ vectionem vix paterentur. Nunc auditus non penitus impeditur, acies integra, & oculi ipsi, solummodo locus sub angulo lachrymæ alterius oculi infestatur. Glans non exceditur, etsi vlcusculis sæpè tentetur, quæ sponte etiam sanescunt, maculæ vix conspicuæ in cute sunt, vlcus faucium extitit, quod facile iam sublatum est, dolores artuum vectione potius iuuantur, & leues adeo sunt, vt, nisi noctu aliquando increscerent, nõ sentirentur, ambulationem non impediunt, artus debiles nõ sunt, neque vero caput vllo malo iam tentatur, quare si valentius malum leuioribus remedijs ita cessit, vt penitus sublatũ crederetur, valentiorum remediorum vsui cessurum penitus est sperandum, cum leuius cognoscatur.

Repetita nouis auditoribus.

CONSVLTATIO CCLXVI.

IN malo præcipiti bis potiones guaiaci nos dare alieno tempore coacti sumus, quoniam visum, auditumque auferret, & defædationem totius corporis, ac præcipuè faciei, & item totius capitis induceret, nec capillis capitis parceret, quibus dandis illa omnia tollebantur, cum diligenter admodum ipse se gereret, atque omni parietia vteretur. Vt, etsi nunc ferè eadem συμπτώματα reuersa sint, tamen easdem vires non retulerint, vt in visu, & in auribus, in facie, & cæteris videmus, vel enim id quod vlceris in glande est, vix quidquam maligni ostendit, nec vlterius progreditur, dolor crurũ intermittit plurimum, dolor capitis similiter multis spatijs abest, oculus non ipse, sed locus genæ inferiori proximus ad angulum situs pustulam iam bis habuit, quæ cito aperta, & expurgata est. Ergo aliquid quidem restat, sed longè minorum virium est, quam prius esset.

Quod morbi genus, quantum ad internam, atque principem eius vim pertinet, multa consideratione tunc egeret, cum à me posset tanta autoritate definiri, vt postea in tanta controuersia non versaretur, sed quoniam viris grauissimis, & nobilioribus medicis dubium est, & ita, vt aliqui potius in occultam aliquam rationem eius vires retulerint, ideò nihil loci mihi dari puto, cur hanc rem nunc discutere nitar. Remedium eius credo minus posse aliqua ratione probari, cum naturæ ratio nulla id possit manifestè indicare. Tantum dicam tam esse præferendum cæteris remedijs guaiacum, quam est certissimum omnium seculorum remedium, non paucorum, vt cætera post ipsum prolata, quorum alia minus tuta sunt, vt ὑδράργυρον, alia non ita efficacia à plurimis, & summè authoritatis medicis habentur, quorum multi quoque sententias suas literis consignarunt, & monumentis commendarunt. Cuius remedij probationi tam certo omnium seculorum testimonio confirmatæ forte illa ratio addi posset, quod sapore, odoreque suo ostendit se habere vires aduersus malignã & putridam eius morbi vim, & valere admodũ ad viscera firmanda, cum eo, quod sudoribus promouendis corpus expurgat, alia verò præter vim ciendorum sudorum vix quidquam habent, quod repugnent malitiæ, & corruptioni humorum, aut viscera firment, potius enim aut carent omni sapore eius virtutis nota, aut, si quid habet, stomachum, & fastidiũ mouere potius est idoneum, nam china nihil, salsa autem parilia vix quidquam, & id penitus fastidiosi saporis habet, ac quamuis salsa aliquibus videatur pellendis artuum doloribus, credam tamen id posse cum dolorum causę νεύματα soluenda sunt, aut certè causa dolorum in artubus inhibit. Nam alioquin, vbi artus per spatia quieta, & interualla cessantia in se causam dolorũ, & vitium non habere cognoscuntur, vnaque sua infirmitate doloribus occasionem præstare, tunc grauiacum potius illis facturum credam, quoniã firmandi roboris vim manifestam obtinet, qua dum per sudores emanat artubus quoque potest suum robur conciliare, quare ego in causa nostra guaiacum potius darem, & quamuis malũ vires plurimum amisisse certum habeam, tamẽ quoniam eius pertinacia superioribus curationibus cognita est, ego eo modo darem, vt esset valentissimum. Hoc vero fieri duobus modis quidem solet, sed alter vulgatis est, quo multos quidem inde sanatos, sed à medicis nobilibus nõ vidi probatum, qui modus est, cum ex vino uires eius magis excitantur. Alter modus, cũ minuendo aquæ modo fit, quo ratio ligni aucta vires plures colligat pauca aqua temperatas, cortice quoque maiorem in modũ ingesto. Spatio insuper exhibendi producto, vt, si per 50. dies non abũdè fecerit, ad 60. detur. Quod plus quoque virium habiturum est, cum corpus diligenter fuerit expurgatum, & præcipuè subiectis ad extremum indicati sunt, prius in alijs morborum generibus eiusdem tamẽ materiæ, & humorum à nobilissimis Medicis propositi, possunt enim moderati, & componi vt materiæ purgãdæ ratio postulat. De qua, si quid mihi dicendum est, ego de ea sic statuerem. Maculæ rubræ fecem quandam sanguinis minimè calidam denotant, quamuis, dũ exit ille sanguis in vaporem à calore per vim fusus sit, subsistit verò colore discusso sua natura crassior, & etiam frigidior, quare melancholicum potius sanguinem maculæ nobis significant (qui animi longo dolore admodũ nutritus est) non illum hactenus atrum, sed magis frigidum,

dum, lachryma aquum humorem; pustulæ citò suppurantes bilem quidem, at illam aqueo humore, aut pituitoso, sed eo sanguineo aliquantum dilutam, alioquin enim aut crassa bilis cutim internam cum externa ex ederet, nec pustulã faceret, aut tenuis, extimam certè ponticulam aperiret, nec pustulam eiusmodi retineret. Ergo tenuis est quidẽ, sed cũ sanguine, & pituita coniuncta ēt illa quidem tenui, & aquosa, quam tumores illi capitis molles cita solutione residentes significant, excrementaq; vlcusculorum in glande existantium, quæ alba sunt, & cum erosione, quæ, & pituitam, & bilem, & putredinem significant. Vrina tandẽ ipsa cum doloris specie his consentit, illa alba ferè est, illi ferè hebetes, vnde si citò quiescant, quod tenuitatis est, id aliunde, quam à calore esse necesse est. Quibus propositis cuique Medico medicamentorum dandorum ratio aperta est, scilicet ad melancholicum, pituitosum, & biliosum humorem purgandum accommodanda. Corpore purgato, & vi maligna morbi per eas potiones extincta eius parti oculi demum (quę vna fortasse poterit superesse curanda, quamuis superioribus corporis curationibus tollebatur, quoniam nunc spacio iam aliquid noxæ impressit) erit subueniẽdam vehementius exsiccantibus, prius enim ad id non accederem, ne repressa lachryma oculo imbecillo aciem occuparet. Ac si fortè curatio non satisfaceret, vt prius incidit, cauterium brachio ad mouerem, quotidianam aliquam purgationem instituerem, vinum in mensa dandum ex ligno conficerem, & victu mediæ materiæ ipsum ordinarem. De vlcusculis illis nihil dico, quoniam citò ipsæ sanescent.

At Medici cuiusdam culpa lenissimis corpus tractatum est medicamentis, nutritumque impensius, & humidis repletum, vt portulaca, malua, violis, lactuca modis omnibus data iure cochlearum, vel aqua earũ stillatitia. Adstringentibusque infarctum, vt vino cerasorum austerorum, & oxiacanthæ. Pustulis verò redeuntibus; (oculo sano facto) his tota opera data est reprimentibus adhibitis fronti, vt ex quercu petitis, quæ occultarentur, & inde capitis dolor intollerabilis excitatus est, pustulis etiam reuertentibus, etsi nõ ita multis, quo dolore cessante epileptica symptomata sæuissima crebrioraq; semper, & longiora affluere post multa itẽ adstringẽtia, & reprimẽtia remedia, à q̃bus symptomatibus ad lethargũ, à lethargo ad mortẽ deductus est. De quibus malis inferius disputatur.

Habitum cũ Capiuaccio Bello, & Brassauolo.

CONSVLTATIO CCLXVII.

Excellentissimi Viri, Serenissimus Dominus noster febri quartana iam duplici tenetur, quarum altera, quæ prior accessit, horrorem habuit, modo magis, modo minus acrem, ac quinta sua accessione vix frigus, quamuis enim illæ omnes accessiones ferè idẽ spatium frigoris habuerint ad trium horarum, id tamen non eandem speciem præ se tulit, à quo frigore, corpus tardè admodum, & non ita æquabiliter relinquebatur, sed extremæ partes modo calidæ, modo frigidæ sentiebantur, præcipuè verò pedes, qui vix tandem incalescebant, & ascensus, febris sic valdè inæqualis extitit, æstus tamen interea viscerum, & calor circum thoracem, & collum valdè acris, ac tactum vincens, ac si ferrum, aut lapis calefactus esset, à quo feruore in caput etiam calor attollebatur, quamuis etiam somnum efficeret. Pulsus creber non tardus, non tamen magnus, quamuis abundè valens cum febrili inæqualitate insigni, febre abeunte non ita valdè rarus, aut paruus. Vrina ferè tenuis est, sedimento asperrimo, fuluoq; ipsa subflaua ac lumine quodam igneo prædita, qui quidẽ color vrinæ nouus, & à morbo est, sedimenta autem sunt solita, minus tamen colorata, quam erant etiam integro corpore, quæ verò vrina

A non ita multum varia est, siue sub frigore, siue sub calore emittatur, vt consueuimus in febribus intermittentibus videre, sitis assidua est, os aliquando amarum, sub frigore semel fuit vomitus exiguæ materiæ partim pituitosæ, partim bilis virentis, & crassioris isatodis speciem referentis cum leui signo bilis pallidæ ac dilutæ sub finẽ accessionis primæ, & itẽ alterius sudor fuit ad ceruicẽ, & in thorace, & capite, reliquo corpore vdo quidẽ, sed sudorẽ nõ ostendẽte, post quẽ sudorẽ tũc febris quieuit, integrũq; corpus iudicatũ est, reliquę accessiones sudore penitus caruerũt, quarũ omniũ ferè spatiũ fuit 14. horarũ prima excepta, q̃ 12. attigit, aduenere aũt semp singulæ quasi per horã anticipãdo. Post quintã ergo eius febris accessionẽ altera
B febris protinus sequẽti die p̃sto fuit, leuior quidẽ, at in reliquis priori simillima, nisi quod ascensum inæqualẽ nõ habuit, neq; somnũ peperit, rationẽ horæ inuasionis seruauit eandẽ, somnũ potius abstulit, & vomitũ hora decessionis fecit materiæ cuiusdam, q̃ uis crassius videbatur, colore nec apertè pallido, nec apertè virẽti, nã aliquid eorũ cũ hẽret, tã parũ habebat, vt decolor videretur, succedit his malis, q̃d cibũ per difficile accipit, potionem vehemẽter cupit. Sub quibus malis cũ simus, eò difficilior causa nostra fit, q̃d & ætas 61. annorũ est, & corpus, si nõ ætate penitus, omninò tñ genere melancholicũ est; Cuius humoris vim, & curationis difficultatẽ auget anni tp̃s autũni, p̃teritę animi molestiæ, itinera ea longe insolẽtissima sub æstu canis habita, & itẽ illud, quod, cũ vinis valdè acerbis cõsue-
C uerit, nũc ab illis reuocari vix eius vẽtriculi sensus põt nã ab omnibus alijs vini lenioribus generibus, q̃ huic febri idonea sunt, offensę plurimũ sentit. Ac, cum corpus sit dicta coniectura succo melãcholico refertũ, ob ætatẽ tñ missio sanguinis videtur p̃tereunda, nam, q̃ p incisionẽ venæ fit, huic ętati, morboq; tã lõgo obiectæ nõ v̄r tuta, ob spirituũ inanitionẽ, q̃ verò p hirudines, aut cucurbitulas minus vtilis est, ob id, q̃d tenuẽ sanguinẽ solũ p hæc attrahere possumus; cũ omnino crassum tm̃ mittere debeamus, p̃cipue enim hirudines vel inuisibile foramen faciunt, p quod nõ põt crassus sanguis emanare, vnde vel venis hæmorrhoidũ applicatæ nõ crassum, qui llene venit, sed tenuẽ, qui ab iecore ad alenda intestina proficiscitur, educũt, nõ modo verò de hac difficultate, sed de ea, q̃ generi huius fe-
D bris curãdæ contingit, nos consulimus. V.V.E. nã in siti vehemẽti aliquod potionis genus idoneũ requirimus, dũ febris æstuat, in lumborũ ardore aliquid solatij, à quo humor intus non reprimatur, in oris siccitate aliquod item solatiũ, à quo ventriculo noxa nõ eueniet, & quod maioris momenti est, q̃rimus, numquid initio hoc morbi humoribus ita crassis aliquod possit dari pleno tñ corpori minoratiuũ, à quo ventriculi leuamen nõ aũt noxa aut vẽtriculo, aut febri ipsi afferatur, nã veremur tenuiores humores medicamẽti vim sequuturos, & inde crassiores rebelles magis futuros, nã q̃d vtile sit ad materiã, q̃ in vẽtriculo reperiatur educendã, illã credimus quotidie accedere, quotidie tñ medicamentũ nõ cõuenire, sed clysteribus illã potius educi cũ aluo posse speramus. Quibus difficultatibus,
E vt dixi, à g̃ne febris profectis accedunt illæ iam dictæ de quibus præcipuè vos ēt consulamus, scilicet de vinį g̃ne illo austero tã febri huic inimico dimittẽdo, cum aliud non patiatur, & de hirudinibus admouendis, & si quid p̃terea vobis ad salutẽ Excellentiss. D. pertinere videatur. Ego quidẽ summum auxiliũ in sanguinis missione collocaui, & Galenum in curatione quartanę mihi autorem vellem, crassum tantum educerem, & deinde ad medicamenta accederem, quorũ delectus in quotidianis consultationibus erit determinandus. Viribus à missione sanguinis nihil timerẽ, q̃m corpus robustũ est, neq; longiorem hãc febrem futurã duco, vt modus accessionum ostendit acrior, potius vererer ne in continuam deueniat, & ipsum citò opprimat,

vnde ad sanguinē mittēdū impellere, qđ citò pficere.

Ex duabus in tres quartanas deuenit inde in cōtinuā, & extinctus est vix mēse trāsacto. Sāguinis missio per hirudines fuit facta, & tenuis, & clarus colore sāguis eductus, ex melle etiā rosaceo multū conturbata aluus est, & fluida facta, quæ tamen proluuies post diem restitit malo in peius ruente.

De gallico morbo.

CONSVLTATIO CCLXVIII.

AT quoniam iā bis tā diu datum guaiacū morbū nō sustulit, erit necesse, eius vires aliqua ratione cumulare, vt, si quibusque ℥. 12. tum guaiaci, tum corticis 12. tantum lib. aquæ imponantur. Et syrupo semper aliquid eius ligni, & corticis, & item salsę scobis prænotatur per catapotia s. inditis herbis ad eandem rōnem facientibus, vt ad caput betonica, & stœchade, ad artus Niua, ad iecur aperiendū (ne viæ illę impedito cursu aliquid sic malignè detineant, quod in posterū postea sit renouationis fons, & principiū) radice capparorum, & alijs eiusmodi, q̃ catapotia potionibus pmissa, plurimū facere credūtur; Guaiacū ergo calidū accipiendū est, per horā non laborandū, vllo ingenioue sudor prouocandus; post horam sudor mouendus corpore vsq; sub aures, qđ si nō moueatur sudor, cucurbita, quib. vtimur ad liquores deportādos geminę erūt apponēdę aqua ex eodē decocto plenæ, apponendæ inq̃ inter crura, & ad brachiū dextrū sub ala, sic enim facilimè sudabit. Sudore deterso nō amplius ijsdē linteaminibus vtatur, ac sic per 50. dies procedat. Diebus sequentib. aliquo vtatur electuario, in quo ēt lignū ipsum minutim incisum ingestū sit, pterea post curationē vino ex eodem quoq; ligno p hyemē totā bibat, siue albū, siue rubrū id sit, quibus pfectis speramus oīno esse conualiturū, purgari aūt nūc ante sumptionē guaiaci dēt misso aliquanto sanguine p hęmorrhoides, nisi ad illas alias pronus nō fuisset, aut cucurbitulis, si capitis rō postulabit. Deinde potiones mō parātes, mō detrahētes humorē, parantes, vt ex cicorea, buglosso, fumoterræ, rosis, melle, &c. educentes ex ferolactis, epythymo, agarico, sena, rhubarbaro, polypodio, & similibus, q̃ purgatio ad 10. diem perueniet. Rō victus, dum purgabitur corpus, mediocris materię esse dēt, dum verò potiones guaiaci accipiet, sit illa tenuissima ex pane biscoto, passulisq́; , eo ad 3.℥. illis, ad 2. neq; vllo mō vino interea vtatur. Habendus verò est interea ędificio per flatū nullū habēte, concluso, calidoq́;, atq; quantū fieri pōt, angusto, à quo sumendarū potionum diebus nunquam exeat.

De gallico morbo.

CONSVLTATIO CCLXIX.

QVoniā ab experimentis multa, & valdè faciētia ad cogitationē arti nostrę necessariam accipere nobis est necesse, qđ ipsa prębeāt in aspectū indicia multa, ad q̃rendas, inuestigandasq; nostras rōnes vtilia, propterea in morbo gallico, de quo tā contrarię sint opiniones, vt fere eius naturā incōprehēsibilē esse psuadeāt, cōfugiendū ad ea, q̃ vsus ipse ostendit, ego existimaui. Dātur hęc in cōspectū hoīum multos sanescere, qui ab empiricis nihil, nisi purgationes valētissimas accepere, qui ijdē alexipharmaca, sudorificaq; illa proprie ei morbo digerēdo idonea cōprobata ante frustra accepisśēt, q̃uis medicamētis purgātibus eadē admixta fuisśēt alexipharmaca, vt cū guaiacū, aut salsampariliā cū sena Medici cōponunt. Plurimos quoq; scimus inunctione sola hydrargyri cōualescere, q̃ nihil aliud, q̃ vomitū, sudorem, & aluū mouendo, purgationem valentissimā efficit, purgantibus quidē fere eius generis, vtūtur, vt potissimum senam accipiant, alijs medicis addentibus polypodium, alijs A hermodactylos alijs cū bis ēt trochiscos colocinthidis, alijs verò alia pro rōne casuum adijcientibus, vt dolentibus artubus, & affecto liene, aut obstructo iecore chamæpytim, renibus, & iecor, atq; vtero carduū benedictū, capite betonicā, & similia, in quibus purgantibus dādis, quidā sudores quoque mouent, quidā nihil de sudore curant, quē neq; existimant necessarium, neq; esse tutum ob contrarias motiones naturā nimiū infestantes. Quid, qđ multi solis laboribus assiduis, & venationibus se ab ea lue liberarunt? ij certè nullū alexipharmacū sumpsere, & soli inanitioni humorū vacarunt. Cum ergo hoc sępius viderimus, potius hoc tanq̃ constante ad rōnem quærendā vti, quā obstinatè repugnare experimento debemus, vnde si quętēda sit rō, ex hoc est necesse ponere vitiū potius in humore valdè hærente, quā in corpore visceris vllius per se vitiato, & humore quidē cōspirante potius cum iecore, quā alterius generis parte. Nā nullū corporis ipsiusmet vitium sola purgatione humoris tolli pōt; & longè minus, cum est inueteratum, nulla verò pars est in humano corpore, quæ cū toto corpore vitium alijs citius cōicet, quanq̃ facilius purgationibus corrigi possit, q̃ iecur, nutricis verò facultatis etiā hoc vitium esse constat, & sanguinis recremēti, cuius materia in iecore conficitur, præter cętera iecoris affecti signa, vt bubones in inguinibus, & similia. Quamuis ego iam tres viderim, & de plurimis alijs acceperim habuisse bubones in μαχάλεσι, idest, sub alis, qđ quidem rarēter fit. Ergo cū in humoribus malum sit aliqua ex parte, est illis quoq; assentiendū, qui vnis illis C per aluū purgationibus fidunt, q̃ medicinis vna cum alexipharmacis datis moliuntur, cum multos qui frustra curati purgationibus, & subinde alexipharmacis sudorē promouentibus essent, viderimus ab empiricis eo genere purgationis sanatos, sub malis ēt valdè inueteratis nō (vt quidā cōminiscūtur) iā inclinatis, imminutisue, sed oīnò consistentibus, Nam pretermitto ego tot medicamētorū mixtionem, q̃ vidi exhibitam cū guaiaco, salsa, senā, polypodio, trochisco, colocynthid. hermodactyl, capill. ven. card. benedicto fumoterræ, & similib. Hanc simplicē mixtionem vidi dari cū certissima salute guaiacum lib. 1. corticis lib. 5. aq. lib. 18. quæ decoquātur ad tertianas deinde adijcıētur vini valētis ℥. 4. ex hac potione quotidie sumeret D ad ℥. 18. in qua prius cōsorbuisset senæ ad ʒ. 4, ex quibus quotidie deijciebant fœdissimas materias, & seruata abstinentia intra vsum panis nautici, atq; passularū sanitati restituti sūt; partim ad 30. partim ad 40. dies, citissimè verò profectū medicinæ percipiebant, prætermitto modū illum iā vulgaris admodū profectus ex puluere salsę, senę, & chamępytis ex vino in articulorū doloribus, qđ soluit aluum pcipuè, deinde sudores, quare venire possumus in eā sn iam, & statuere alexipharmaca quoq; cum purgātibus data posse iuuare tum muniēdo purgātium vim in eum humorē, quē propriè digerere posśūt, tū verò ēt expurgādo ipsum vi purgātiū adiuta, q̃ possunt aliqua ēt ex parte p vrinas humores mouere, videmus rhabarbarū, cassia, & ferè oīa purgantia post alui resolutionē etiā vrinas E admodū mutatas promouere, quid ergo fuerit mitū, qđ ab eodē medicamento, & necessario, & salubriter fieri videmus, si ab à diuersis cōmodè, & vtiliter fiat? si qđ sudorem mouētia remedia alicui infarcto, atque hęrenti humori afferre nō possunt, id cū purgantibus adiuncta efficiant? Standū ergo est peritis, & ex eorū cōpertis postea rōnes accōmodandę, nō contra ea, q̃ vsus ostendit alterādum, vt inania cōmētemur. Quot vidistis ex vsu pscripto à Physicis guaiaci nihil cōmittētes erroris bis, tertioq; id agētes, vel 50. dies pseuerantes, nō tñ fuisse sanatos? quos postea, aut cum vitæ periculo hydrargyrū, aut hæc proposita empiricorū remedia restituerunt: itaque & in humore malum est positum, & eo, quidem qui ad rem veneream comparatus

fatus est,qui propterea cum partibus naturalibus cõspirat, id vero sanguinis recrementum est, nempe vltimi,& vtilis alimenti ab Aristotele appellati.

Ac, quamuis in infantibus, in quibus Gallicum interdum repetitur, vel per os acceptum, & in sede extans,tum per os cum lactantibus communicatũ,illud recrementum ad venerem non veniat,alias tamẽ vias habet, per quas tamquam per anhelitum exeat.

Ad quartanas iam inclinatas.

CONSVLTATIO CCLXX.

Diatrionpipereon per duas horas ante paroxismũ cum vomitus esset pituitosus, & manè quotidie idem cum hac miscella sympotum, syrupi de fumoterræ. Ad frigus submouendum theriaca cum aqua vitæ, vel ea sola aqua. Quo verò vomitus sunt pituitosiores, eo calidioribus, & audentius vti debet, vt pipere, synapi, galanga (Quidam gentianam experti sunt aliquot diebus acceptam mirabiliter iuuasse, quidam carduum benedictum) Alexandrina dicta, cappate,capis,raphanis, origano,& similibus, vt citri cortice condito melle, vel saccharo.

Pro Illustri Comite Fabio Landriano de quartana.

CONSVLTATIO CCLXXI.

Qvartanæ huic iam præstita sunt, quæ ad corpus leuandum ab immodica humorum copia facerent, missus est sanguis,sunt datæ potiones longo post tpe, ac vrinis minimè crudis aluus soluta est. Sic postea me gererem. Die ante accessionem à cæna vomitũ mouerem ex oximelite, vt hactenus initio fecit accessionũ, die accessionis verò proximè ante ipsam, aut nihil darem,aut multis ante accessionẽ horis aliquid liquidius, duabus verò ante accessionẽ horis, darem theriacam.Alterna autem accessione proximè ante ipsam exhiberem aliquid potionis ex ipsa sena, & ea victus ratione vterer,quę hactenus adhibita est. Hic paucis diebus euasit.Cum rigores vehementes,& longi ad duas horas primum, secundo ad vnam peruenissent, & subitò fere quieuissent, nisi quod multo post tpe horis accessionũ nescio,q̃d molestię sẽtiebat.

De morbo Gallico.

CONSVLTATIO CCLXXII.

Συμπτώματα,quę denotant nobis corpus hoc à morbo illo nõ esse expeditum, cum varij generis sunt, tum ferè totidẽ generũ,iam bis reuersa sunt,quot primo huius mali tpe essent,vires tamen nunc easdẽ non retulere,quas duobus superioribus temporibus habebãt,nam tunc præcipitanter admodũ corpus in peius depellebatur, vt non nisi guaiaco eius lapsus vnquam potuerit sustineri,nunc verò vlterius non prolabitur, etsi fere nullum auxiliũ ei suppeditetur. Etenim,tunc cutem capitis per vulnera exedebat, capite interea semper graui, deinde abstulerat penitus auditum, & aciem alterius oculi,multumq; glandis partẽ,item & robur brachiorum,atq; crurũ,rubentibus verò admodũ maculis corpus,faciemq; fœdabat,&doloribus ita corpus occupabat, vt vectionẽ rhedæ vix pateretur. Nũc auditus leuiter hebes est, oculus integer ẽ,ac tm̃ sub angulo p lachrymas subiectũ locũ habet infestatũ, glans non exeditur, etsi vlcusculis tẽtetur aliq̃bus etiam spõtè sanescentibus, maculæ autem vix perspiciuntur,dolores à vectione potius mitescunt,neq; ingressum,aut ambulationẽ impediũt, quinimò ambulatione artus sæpè doloribus expediũtur. Demũ,neq; caput valde tentatur. Vt propterea in eam spem eri-

A gamur si non finitus morbus sit, saltem non oẽm suã vim tenere,ac facilè posse iam,quod est reliquum, remoueri. Ratio autẽ subueniendi princeps ea esse dẽt, quæ ab essentia morbi sumitur, hac enim submouenda res oẽs,quæ superueniunt, tolluntur. Verum, q̃m essentia in controuersia est,neq; nunc de ea disputandum est,ad remedium experimento comprobatũ cõfugiendum. Multis antea annis id vnũ semper fuerat guaiacum,quod ad fugandum morbũ faciebat,& certò quidem id præstabat,nũc multa alia habentur,quę non tot seculorũ experimẽto,sed nouo,& vix aliquorum annorum in vsu habentur, neque oĩbus medicis accepta,quãuis enim illa quoq; per sudores expurgãdo corpus ab eo humore liberẽt, in quo initium insistit,propriam tñ quandam eius morbi vim, quæ eorũ

B humorum mater est, auferre posse, non ita oĩbus pro comperto est; quorũ multi abditam quandam vim in viscere hærere volũt,sed esto,vis illa ineffabilis à multis habita,atq; indocilis nulla subsit, & abundè sit, si corpus ab humoribus vitiatis liberetur, vt integrum fiat,quod posset confirmari eo argumento, quod hydrargyrũ quoq; homines ab hoc morbo solet per sputum facta purgatione liberare. Tamen expertũ à potioribus medicis,& comprobatum est hoc vnũ remedium cæteris longè præstare pp multas præstantissimas vires,ad viscera recreanda,nedum propterea, q̃d vim quandam occultam habeat, quæ viribus morbi incognitis occurrat.Atq; ego cum melioribus,& pluribus periclitari malo duce omniũ seculorum experimento,quã cum paucioribus, & minoris auctoritatis

C hominibus vix vnicus sæculi experimento confisis. Certum ergo mihi semper erit,hoc remediũ, non curasse verò antea id potius valẽtiori modo postea dãdum, q̃ minus idoneum ipsum esse denotabit, & q̃d morbi partem sustulerit,idem reliquũ posse digerere. Ac si præter id,quod experimento iã confirmatũ est, aliqua ratio subiũgi põt ex parte eorũ, quæ cernimus in ipso morbo (quod tñ explicare pluribus mihi non est necesse,cum vos alloquor Medicos sapiẽtissimos) multa certè faciũt,vt cæteris guaiacum anteponatur. In hoc enim morbo humorũ putredo quãtulacũque sit,per contagiũ,& malignitatem agnoscitur, cui apprimè siccitas,& odora quædã vis solet aduersari,ijdẽ humores viscerum vitiũ, & infirmitatẽ præcipuè na-

D turalium,& iecoris ostendunt, quibus firmandis idonea est vis iam dicta, & maximè si habuerit aliquid acerbitatis adiunctum,vt de absinthio,capparibus,& alijs multis. Galenus loquutus est,has oẽs verò cũ in guaiaco esse,tum in salsa, chinaq; adeò non esse sentimus,vt mihi mirũ videatur, cur vnquam in guaiaci locum illa sufficere aliqui ausi sint immemores eorũ, quæ curandis visceribus principibus debẽtur.Ac possunt quidẽ tenuitate partiũ inuisibili fluidum humorẽ reddere, & ad cutem propellere,sed, cũ aut ἄποια sint,aut certè vix quidquam latentis saporis cõtineãt, q̃d potius nauseã,& fastidium stomacho,& laxationẽ pariat,inde viscera posse firmare, aut putredinẽ extinguere nullo modo possumus existimare,si Galeno, & antiquis melioribus medicis credimus,& naturę rõnẽ

E sequamur. Præcipuè aũt in hoc corpore viscera sunt potissimum curanda,in quo nulla alia pars est,in qua vitium conspicuũ hęreat,quin,quidquid mali incidat paulò post spontè naturæ digeratur, incidit verò, vt aliũde demittitur,demittitur aũt à visceribus.Ac si firmamentũ aliq̃d quoq; membris ipsis eminentibus est cõparandũ,proculdubio vi iam proposita guaiaci potius,dum in sudorem profunditur,illud eis afferatur, q̃ illorum facultate,quæ nullã hmõi firmandi roboris vim habere depræhenduntur,quæ quidem, quandoque præferri solent, cum in artubus gumata illa sunt digerenda, videntur enim quibusdam facilius in cutem,& partes eminentes deferri. Sed hic locus huius opera non est, cum nihil eminentibus hæreat.

Quare eò magis ego intra vsum guaiaci me continerem, in quo nec paruum momenti illud esse debet, quod hoc iam vtiliter in egro experti sumus, neq; est, quod in alijs iam voluntarij periclitemur. Eius tamen remedij vires sunt, tam cumulandæ, quam mali pertinaciam postulare iam compertum est. Cumulandi via vna omnibus accepta est, & tuta, qua minuitur modus aquæ, in qua lignum incoquimus, vt ligni ratio aucta vires maiores aquæ præstet. Cortex quoque maiorem in modum coniungitur ad valentiorem exsiccationem quamquam vetustate facile exolescit. Alia via est, non ita communiter probata, qua tamen vidi ego plures sanitati restitutos, scilicet accepto eo ligno ex vino, hac ἐμπειρικοὶ vtuntur, nec mirum, qđ empirici hunc morbum possint curare, nam nos quoque nō tam ratione vlla, quam traditione ab alijs accepta dirigimur, vt autem illi exhibeant cū vino habent eam rationem, quod crassi, frigidique succi facilius discutiantur, ac caput, si opus est, si in eo fontem habēt humores facilius per vinum vis remedij attingit. Quæcunque verò via placuerit, siue illa, quæ vires magis cumulet, ac colligit, siue hæc, quæ illas magis excitat, vtraque anni tempus habebunt, secundū, id enim est, in quo corpus similia remedia patiatur. De modo exhibendi hæc fortasse dicta satis sint; Illud tamen nolim à me præteritum, quod in purgādo corpore animaduerterem genera humorum ex his, quæ exterius apparent esse non validè calida, nā ædematosa multa post ortum subitò residentia, & euanescētia circum caput, & oculos, & pedes, lachryma similiter, & maculæ asperam quidem cutem facientes, non autem exedentes, omnia frigidos potius, quam calidos humores vincere significant, vt dolorum species, noctu præcipuè tentantiū, non acrium calore mitescentium subitoq; sponte quiescentium, pustulæ quoque non possunt à bile fieri, nisi cum pituita coniūcta sit, bilis ergo certè, quæcunq; sit, diluta est, quæ quidē in eius excrementis alui non solet existere, sunt enim potius terrei coloris alui excrementa, at si soluatur aluus medicamento, in aliqua quidem parte deiectionū bilis diluta cernitur. Vbi ego sic statuerem, aqueæ illius bilis plurimum, pituitæ multum, & succi melancholici subesse, vt vrinæ quoque sæpè albæ, ac tenues contentis asperis, crassisque confirmanr. Illud quoq; animaduerterem, vt, cum medicamēta dictos humores purgantia sint necessaria, illa neq; indulgentia vlla prætereamus, neq;, quod videamus, aluum solui facilius dulcibus, osq; allectari nos obsequio aliquo in eorum meliorum locum dulcia quædam infirmiora sufficiamus, nam dulcia deducent quidem fortè aluo admodum solutæ, quidquid in ipsa cōtinetur, at corpus ipsum vitioso certò humore, vt opus est, non expurgabunt, humores autē purgātia corpus magis expedient, etsi non ita materiam ciborum per aluū deducant quandoque, siquidem aluus retinet cibum, vt amicum, & tamen medicamento collectos humores, vt noxios excernit, & sic cernentibus quibusdam minus tunc deiecisse aluus videatur; quod minus alui excrementi demiserit, & inde ignari medici ad dulciora aluum laxantia sese conuertunt. Sunt infinitis medicis in vsu potiones quædam pro necessitate moderatæ, quæ, etsi Montano adscribantur, vt qui illas in hunc vsum conuerterit, tamen earum exemplum fere vidi apud Medicos antiquiores, habent elleborū quod nisi sit ex bono, & idoneo solo collectū, nō multum virium habet nostrate enim imbecillū est, si antequam calore maturuerit, legatur, suo humore virosso est admodum noxium, habent senam, polypodiū, myrobalanos, & hæc imprimis deligenda, his adijci potest, quicquid dictis humoribus videbitur necessarium, vel si colochyntis eiusmodi existimetur, aut agaricus.

At in his multus ego esse non debeo, neq; in cętero dandæ huius potionis modo, sudores facillimi sunt, facilis ei est abstinentia, aluus quotidie respondet, vt certè hęc nullo auxilio egere videātur. Quidam post curationem aliquo spacio vinū in mensa dant, in quo lignum fuerit maceratū. Quidam melle rosaceo guaiaci scobem minutam componunt, atque per bolum exhibent, hæc sint proposita à vobis definienda. Quibus præstandi spes est nullam amplius cuiusque auxilij necessitatem super futuram, nā morbum ijs amotū iri ferè videtur necesse, Eo verò amouēdo συμπτώματα tolli naturale est, At si accidat, vt non tollantur defluxio illa in oculum cauterio in humero admoto posset auerti, similiter, & crurum dolor, lachryma pariter tūc corpore penitus expurgato poterit exsiccātibus supprimi. Vlcuscula itidem rcū maligni quid habuerint eo vitio tacto aliquibus valentissimis medicamentis, vt Galenus proponit, & subinde exsiccātibus superpositis, quæ etiā refrigerent, vt quod fit ex tutia, plumbo vsto, plantagine, vino mali punici, & cæteris eiusmodi, quale iā adhibetur, curari poterunt. Dolentibus quoq; partibus post purgatū corpus, cum dolor non est reprimentia, firmantiaque admouerē, is verò cū esset digerentia adiungerē. Aciei tandē tunc demū digerentia, qualia alias data sunt, ego admouerem, saltem saccharū vaporibus ouorū ad ignem induratorum per calorē liquefactū dum inter lanceæ cōcluduntur, vbi aliquid seminis fęniculi, & foliorum chelidonia, & Eufragiæ esset, aut & Verbenæ, & Fragarię interiectum, De cumulanda guaiaci vi quod asserui, id fuit in corpore generis valde humidi, alioquin in calidiori, & minus humido corpore aliud consilium mihi fuit potius, Etenim in hoc mutata ratione in imbecilliorem facili fuit conualescentia additis etiā cicoreæ radicibus in fine decoctionis, & propter dolores artuū, & interdum propter tumores duros in frōte, aut reliquo corpore additis Hermodactilis. v.g. ℞. salsæparilliæ præparatæ ℥. 3. guaiaci nigri interioris ℥.5. Hermodactib. ℥.2. aquæ communis lib. 10. Fiat maceratio per 24. horas, deinde decoctio vsq. ad consumptionem tertiæ partis, & in fine decoctionis addantur ℥.3. radicum cicoreæ.

De rheumaticis affectibu:. Excellenti Lucio Ripa à S. Constantio.

CONSVLTATIO CCLXXI.

VIr Doctissime, cognoueram quidem prius ex ipso Comite, quæ ipsum malè haberent, & de illis curandis cogitaram, nihilominus, ne temerè hoc factum videretur, volui prius accipere sententiam illius Medici, qui ipsum hactenus curasset, & obseruasset, vt Medicus in eo, quæ ipse, qui Medicus non est, in seipso non potuisset facilè internoscere, propterea gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, & eò gratiores, quod & doctè, & prudenter videntur mihi explicare ea, quæ expactaram, ac insuper commoda remedia proponere contra eos morbos, quos ipsæ literę mihi in memoriā reuocant, nec ferè audeo quidquam adijcere, cū illa satis esse possint, monere tamē esset in animo, vt modo certo, & summa occasione, seu suo tempore adhibeantur, & eo ordine, quo omnis actio ab arte profecta vim omnem videtur obtinere, vt enim ordo in rerum natura, sic in opere artis totum videtur vim complere. Hic caput affectum est, & ex eo multa proficiscuntur ex his malis, quę sunt proposita, caput tamē solum adhæc molienda non satis valet, nam materia ab ipso demissa ad alias partes, nō potest in solo capite tota generari, ab eo quidem calido attrahitur, in eodem concupiscit, aliunde tn̄ suæ multæ copiæ accipit facultatem, & identidem transmittitur, calore ca-

pitis

pitis trahente, & iecoris æstu attollente, locus autem generationis primę potissimum est ventriculus, quem malè habere significant ructus, & inflationes multæ, quibus ipse sollicitatur, vt caloris iecoris notæ multæ sunt, atque ipsius capitis. Ventriculus ergo primus locus erit, cui primo loco est subueniẽdum, ex quo materia crassior, & lenta nimis à iecore torretur, potius quam concoquatur, ac transmissa ad renes sedimentum illud asperum facit, & arenosum, præsertim renibus calidioribus, & temperamentum iecoris imitantibus. Lapides quidem fiunt etiam à ventriculo nimis calido, & nimium terræ ex cibis elixandis suo acri calore extrahente, vnde etiã aluus sicca fiat, quo Hippocrates lubricam aluum expetebat, ne lapides fiant. Sed hic suspiciosa non est.

A capite verò calidiori phlegma demissum, & capiti sic, vt dixi à iecore subministratum non potest non salsum esse. Tibi ergò in curationem cogitationes intendenti cura princeps ventriculi habenda est, postea iecoris, tertio capitis, & renum, & hoc ordine, & operis partitione progrediendũ, & cum totũ corpus purgas, ne p̃sens humor temperationẽ mẽbrorũ impediat, & cũ humorẽ ad purgationem paras calidũ non ita spectandum est, quin ventriculi frigus in animo habeas, nec viæ ita sunt aperiẽdæ quin caueas, ne motiones humorum nimis cieantur, propterea aluus quidem mouenda est aliquo mitiori medicamento non tamen, vel ita calefaciente, vt iecur irritetur calidius, aut refrigerante, vt ventriculus frigidior infirmetur, propterea placeret manna, aut cassia simplex cum pauca parte ipsius hieræ, aluo lenita, placerent potiones, quę potissimum ex rosis conficiuntur retentioribus, rosa enim ventriculo inimica raro est, iecori amicissima semper, capiti verò, & renibus nihilominus, quam humoribus salsis est valdè idonea, bilem enim coercet, pituitam abstergit, ex quibus salsus humor videtur consurgere, & hæc in animo habeas ẽt, atq; etiam moneo. Quod dixi de rosis, quibus nihil video tutius, nihil accõmodatius, q̃ si ventriculo satisfacere nõ videantur, possũt vim accipere à melle, à saccharo, possunt idẽ habere à succo cicoreæ amarioris, aut agrimonię, aut q̃d fortè erit accõmodatius, a betonica, hæc enim multę vtilitatis, vt multũ variæ meritò iudicatur, nã facit ad ventriculũ, facit ad caput, ad renes, & viscera reliqua, neq; tãti est caloris, vt iecori possit officere, horum vsus diuturnus adhibẽdus est, nec fidendũ, vt paucis diebus humores, viscera, & viæ vetusto malo obsessæ parari possint, aut tẽperari, atq; vt hęc facilius imprimãtur, vt impedimẽta remoueantur necessarium foret id auxiliũ, quod à detractione sanguinis sperari potest, corpore firmo, & genere, & ætate, maximè iecore calidiore id postulante, ac cum humores vię satis accepisse à potionibus videbuntur; tunc demum corpus erit expurgandum eo genere medicamenti, quod neque calorem afferat corpori, neque ventriculo detrimentum, & prętera robur partibus imprimat, motioni verò humorum quietem, quale esset meo iudicio, quod tum ex rosis, tum ex myrobalanis constaret, sena adiecta ad exustos humores educendos, rhabarbaro ad biliosos, agarico ad pituitosos, atque si eo medicamento corpus satis purgatum videatur, tunc ad maiorem temperationẽ partiũ dictarum accedendũ, & ventriculi diligentiorẽ curationem, vbi tñ difficillimum iudicium est, & summa attentione subeundũ; an corpus sit benè expurgatũ, requirit attemperatio illa validior summã corporis expurgationẽ, an verò hæc facta sit, indicia certa nõ sunt, propterea in corpore cuius morbo vetustas accessit repetita expurgatio mihi vr̃ idonea, validioribus in postremũ reseruatis, tũ pręparantibus, tum ẽt detrahentibus in eandem rõnem, & finem spectantibus, quę aũt ad hanc contẽperationẽ, & viscerũ restitutionem sint idonea præter cõseruas, pręter rotulas, & antidota nõ sunt prętereunda in vetusto morbo maiora illa remedia nostris temporibus vsitatissima, & experientia plurimũ comprobata, quę & ex guaiaco, & balneis naturalibus sumuntur, nam guaiacum robur multum affert visceribus, & multam expurgationem, atq; exsiccationem, q̃d cum calidius in hac re videri possit, põt quoque mitescere aliorum adiectione, vt endiuiæ, hordei, rosarum, & huiusmodi rerum.

Aquæ autem naturales facilem exhibent delectum cum omnis generis reperiantur, in quibus illæ abs te propositæ Viterbienses possunt adnumerari plurimũ ad exsiccationẽ ventriculi, ad robur viscerum, ad renum salutem, & ad sistẽdum motum humorũ facientes, quibus rectè adhibitis crediderim vix quidquam reliquum futurum ad hanc sanitatem reuocandam, nam, quod de capitis lotionibus proponitur, & minimarũ virium, & multi periculi, ni summa occasione, & delectu adhibeatur; iudicarem, si tamẽ aliquid est sperandum ex lotionibus id sperarem, si illæ reseruarentur ad extremum post omnẽ reliquam totius corporis curationem, si firmantibus, & reprimẽtibus potius, quam digerentibus constarent, vt essent rosa, cupressus, chamęmelum, amaracus, betonica, saluia, & hęras, & similia, in quibus pręstandis nosti tu optimè quam sit fidendum magis Medici iudicio, & prudentiæ medicinam facientis, quam ingenio excogitantis, propterea iure ego permitto prudentiæ tuæ partem principem huius curationis, cui reliqua etiam certè fuerant permittenda; nisi voluntati ipsius Comitis, & tuæ quoq; mihi fuisset obsequendum, quod libentissimè feci tum ipsius Comitis, tum tua causa. Vale.

De subito per interualla incidente anhelatione, ac quasi orthopnæa referente rem Io. Ripa Saludecij Medico.

CONSVLTATIO CCLXXV.

Spritus difficultas est non continua, sed per interualla quotidie adueniens, hęc solebat noctu tantum per horam, aut amplius à cibo subitò incidere, nunc interdiu quoque occupat, nulla tussi, nullo spiritus strepitu, aut thoracis pondere, medijs temporibus nihil penitus spiritus impeditur, aut grauis, aut angustus est, nullo corporis motu, nec ascendendo quidẽ sollicitatur. At sub tentatione mali quasi strangulentur referandis fenestris, afferendisque luminibus perspiratum requirit, & inde subleuatur, nulla siti, nullo fastidio cibi premitur, sed, quod Medicus rogãti mihi postremò affirmauit, ei pedes, & crura leuiter tumẽt, corporis genus decolor est, carnosumque ætas 50. annorum, mores quieti ad taciturnitatem, & mærorem potius inclinantes, vrinæ crudiores, alui fęces præteritis diebus duræ, ac nigræ, nunc verò molliores, ac, nisi fallit memoria, dicebat Medicus acidum ructũ, & materiam sentire. Accessio verò mali in cor ei videtur irruere, & metum mortis, & suffocationis subitum afferre. Longè à visione ægri difficile potest iudicari, quid mali, quidue habeat causæ, tamen nos, quantum assequi coniectura poterimus, non tacebimus sic rogati. Subita accessio est, medijs temporibus integrum corpus est, igitur à corporea re confluente fit ea noxa, & eius generis, quæ subitò id possit afficere, quaque corpus integrum relinquere accepta sui totius consumptione, ergo flatuosam hanc esse materiam est verisimile, quod præcipuè, cum noctu tantum erat molesta, indicabat, quoniam confugiente tunc calore insito ad alimentum, inde crescunt vapores, & fumi, qui sua multitudine, & in toto corpore circum viscera subsistere, & nocturna tempestate inui-

ſibiles meatus cogente contineri poſſunt,& magis replere,neq; niſi die accedente,& cibo digeſto,& materiæ alimenti conſumpta diſſoluerentur,cũ tamen nũc interdiu quoq; fiat,etſi nocturnam cęli,& ſomni vim cauſari non poſſumus, cibi tamẽ eoſdem vapores per caloris concoquentis vim elatos accuſare poſſumus, nam differen do cibo acceſſio quoque differtur ait Medicus.Iã verò de loco affecto,ſpiritusq; loca afficiente videndum, ſpiritus ab incumbente præcipuè corpore in arterias aſperas ſolet difficilis fieri, nã in ipſis quod eſt, ſi vaporoſum eſſet,quanquam,& craſſiſſimum, nihil faceret, cum aſpirante homine per latam viã propulſaretur;in pulmonibus autem ſpiritum hunc concitari Auicennæ poſſe viſum eſt, qui, quo arterias vrgẽdo reddat anguſtiores, oportet magna vi admodũ diſtendat,nam Galenus libro de difficultate reſpirationis p̃cipuè primo cap. 2. his verbis ait ἓν γὰρ δὴ πάντιον ἐστι τοῦτο τὸ συνεκτικὸν αἴτιον τοῦ μικρὰν γίνεσθαι τὴν εἰσπνοὴν ἡ στενοχωρία τῶν τραχειῶν ἀρτηρίων, quod repetit clarius capite 13.liberis ergo arterijs ſemper ſpiritus libere adduci poteſt,& tantus quantus neceſſe eſt; quare, niſi pulmonum ipſorum malum fuerit humor crudus,aut tumor durus,aut is,qui arteriarum meatus comprimat,ſpiritui obeſſe non poteſt, inflatio autem pulmonum corporum difficilè poteſt tantum oppreſſionis habere, vt aſperas arterias dura corpora intus pellat,& vrgeat, etſi enim circuli earum cartilaginũ partẽ hẽant mẽbranoſam, tñ à ſolo flatu niſi impenſe craſſo,& multo nõ cõprimuntur,præſertim quod corpus pulmonum adeò rarum eſt,vt non ſolum flatui retinendo non ſit idoneũ,niſi mẽbranis eſſet obductũ, à quibus ille cõtineretur ſed neque quidem humori tenuiori vt bilioſo,quare ne dum vt compreſſus ſpiritus,& flatus arterias cõprimere poſſit,ſed neque contineri quidem in pulmonibus poteſt,quin per aſperas exeat arterias,niſi vt dixi craſſiſſimus,& copioſiſſimus ſit,vt forſan ipſe Auicenna intellexit,multæ copiæ ergo ſit illa flatuoſa materia in pulmonibus,& admodũ craſſa,cum ſit huius mali cauſa ſtatuenda, quod citò acceſſus, ac receſſus exſtat, ſed facilius eo loco erit, quo & contineri;quin effluat,& vrgere poſſit,ita vt,ſi non impedire ſpiritui ingreſſum non poſſit, tamen dilatationem thoracis prohibendo ſpiritus attractionẽ impediat,ſi ipſum autem flatum poſuero in thorace, quamuis dilatandis pulmonibus retentus,impedimẽto eſſet,neceſſario tamen exire thorace compreſſo debet,vt exeunt pleuritidis humores, detentus verò nõ tam diu duraret,quin vna,aut altera, aut tertia aſpiratione non efflaretur, nã verè pulmones è corporibus exemptos videmus in flari ſpiritu immiſſo,non tamen diu flatum continere, quãuis mẽbrana danſior neceſſariò euaſerit,calore innato ſpoliata,quare in viuo, & calẽte thorace pulmones integri longè minus flatum retinebunt flatu quidem inſiſtente pulmones in anguſtius adducti minus inflari, & minus ſpiritus adducere poſſent,ſed tunc crebrior quidem fieret ſpiritus,nõ vim ſibi ſentiret inferre,veluti ſtrangulato, vt hoc caſu fit,quod violentiæ maiori attribuendum eſt, ergo flatum hunc colligi infra denſiſſimi corporis ſeptum tranſuerſum circum ventriculum, ſurſumque magis, quam deorſum ferri, & eo impetu ſeptum ſurſum vrgere mihi magis fit veriſimile,ac propterea diutius durare,& compreſſo loco pulmonum difficultatẽ, & moleſtiam facere. Vis videre?tument crura,ergo viſcera crudam materiam colligunt, ergo flatum facilè poſſunt efficere ipſiſmet viſceribus vitiatis, citius tument crura,quam thorax compleatur.Vidi quidem ego anguſtiam ſpiritus ex aqua in thorace ſtagnante,ſed cõtinenter aderat,vitium itaque thoracis inſigne admodum,& perpetuum eſſet, maximè verò ſi viſcera iã ipſe vitio ſuo affeciſſet,& humorem copia,& vi adeò validum contineret, vt viſcera contaminare potuiſſet. Difficultas ſpiritus hic perpetua non eſt,nec læſio tho-

A racis tam magna eſt,qua viſcera affici poſſint. Cũ itaque in thorace læſio continenter non habeatur, in eo cauſa non eſt,neque flatus,neque humor, vnde flatus identidem excitetur,ex tumore autem crurum viſcera vehementer affecta eſſe,& ex manente reditu quotidiano huius mali,& perpetuo crurum tumore hærẽtem cauſam atq; infixam colligimus,quæ cum in thorace non ſit,in eis erit partibus,quæ,& thoraci coniũctæ ſunt,& cruribus inflandis idoneæ,hæ verò ſunt viſcera ipſa præcipua,vt iecur,& lien eſt, vtrum autem horum ſit locus mihi narratus oſtẽdit,quod in ſiniſtro latere ſub coſtis ſpurijs aliquid aliquãdo doloris perſentit,vnde lien certè eſt,eoque magis, quod eius vitio facilius humor is creſcit,qui flatui creando eſt fortè verò meſenterij etiam pars aliqua quoque læſa eſt.

B Vbi alicui difficile ſit aſſentiri dicentibus orthopnæã à coniũctis partibus proficiſci, cum Galenus in lib. de difficultate reſpirationis habeat illa verba ἐν δὲ ταῖς καλουμέναις ὀρθοπνοίαις γλιχρῶν, καὶ παχέων ὑγρῶν ἐν ταῖς κατὰ τὸν πνεύμονα τραχείαις ἀρτηρίαις ἀθροιζομένων,ſed neque hæc verè dicenda orthopnæa, ſi vna cum ſuis cauſis caſum definiamus,vt definitio caſuum ſeu accidentium poſtular,quæ ſpecie ſola caſus contenta non eſt,neque verò orthopnæa medijs inter acceſſiones tẽporibus,etſi remittatur, penitus hominem dimittat, quoniam cauſam ſuam,& materiam in arterijs habet, neque ſic cum ſua cauſa compræhenſa ab vno euentu dicitur orthopnæa,quod quis erectus interdum ſpirare cogatur,neque hæc igitur nomine orthopnææ appellanda,quæ à coniunctis partibus ſit, & interualla habet,quibus integrum hominem dimittat, ſed ſat ſit

C vidiſſe,quid rei ſit,de nomine ne ſimus ſolliciti, quod verò futurum eſt,quid temporis ſpatij curandi habemus?Vt curandi ratio poſſit inſtitui, ſi cum hoc lienis affectu iam iecur quoque afficiente febris eſt, quæ in ſuccis craſſioribus ætate inclinante poſſet latere,nulla mihi vitæ eius ſpes ſupereſt, quoniam hominem ante finitam curationem conſumet, aut certè ita languidũ reddet,vt curationi ferendæ non ſit, at copioſa caro eſt,dubito ego ne mala corpulentia ſit, neque earum ſit virium,vt poſſimus dicere ſubeſſe, quod morbum ferat,neque verò etiam quod morbus demat, poſſet ſiquidem per huiuſmodi morbum plenius corpus fieri,& tamen perire,ſi autem febris nõ eſt,curari tutius poterit,& longius ad hoc faciendum tempus ſuppedi

D tabit.At curatio iam eſſet inſtituenda, quæ, quoniam per febrem valde mutaretur propterea ad perfectam, & accommodatam curationis rationem proponendã, huius rei certa habenda eſſenr indicia, ne tamen interea eum penitus ſine conſilio dimittamus, quædã cõmunia decernam. Cauſæ,quæ malum ſpiritus continet,interea incumbendum, quæ poſſet febrem quoq; generare, ea verò ſui partibus explicandis eſt enodãda. Dicas morbum eſſe in compoſitione,qui indicet, formationem eſſe corrigendam tamen,quoniam cõpoſitio praua ſeipſa, & nomine ſuo opera medici non eger,cum cauſa ipſa tollenda emendetur,propterea illa indicatio tibi ad ſcientiam, & diſtinctionem partium morbi,non ad curationis partes multiplicandas

E faciet.Flatus quoque quem in cauſa eſſe conſtituimus cognoſcendus eſt,non tamen ad partem aliquã iniungendam curationi ſit propoſitus,cum ipſe quoq; cauſa ablata non conſiſtat, niſi ſi in ipſa mali acceſſione periculi cauſa ſit,ſub qua ipſe diſcutiendum ſeſe indicans locum quoque in curatione exhibebit. Quare cum locum dabit,tunc ſemina ad flatum diſcutienda adhiberem,& in cibo ſumendo,& à cibo quoq; exhiberem,vt aniſum,piper,feniculum,ciminum,cinamomum, gingiber, & ſimilia. Materia flatui gignendo ſubſtans illa ferè eadem manens, & ſui abſumptionem poſtulat,& quacunq; hora dat poteſtatẽ, & ſpatium ſui amouendæ, & vim maximã curationi requirit,quæ,qm̃, & genus vitij, & diſcraſias in viſceribus,

&in

& in partibus ad viscera pertinentibus sibi simile habet, à quo generetur, & quod vicissim genita ipsa sustinet, & obstructiones præterea, à quibus ipsa congeritur, quas ipsamet sibi fontes sustentat, ideo vitia quoque illa debent auferri.

Num verò prius illa vitia, an materiam ab illis exorientem submouere debeamus, ego, quamuis causa prius amouenda sit, tamen, quoniam materia à vitijs exorta illis se ipsa in causam sustentantem præbet; neque sine amotione eius vitia possunt amoueri, materiæ submouendæ prius vacarem præcipuè, quod ea detrahenda, aut emendanda ad exitumve patanda illa quoque vitia dissolui poterunt, nam dum temperatur materia, dyscrasia viscerum, & earum partium conuertitur, dum inciditur, & extenuatur obstructiones soluuntur.

Atque adeò ferè soli materiæ cura relinquitur, qua adhibenda morbus vinci possit. Materia auferenda apparatum postulat, præcipuè cum iam lædit, antequam enim alicui parti adhæserit, hærendoque officiat, fortè apparatu non eget, vt auocetur ab ea parte in quam nondum peruenit, sed tantum posset incurrere.

At, cum facit iam malum, partemque occupat hærendo, leniter tractanda est primum aliqua præparatione, mitigationeque, nam nunquam aliter agentem naturam obseruamus nos Medici, quibus ipsam imitari necesse est.

Quæ tamen materia nondum malum agit, & sine præparatione sui educi posse videtur, ipso quoque ni viæ etiam interim patefiant, nisi ipsa, cum crassa, & pertinax suo glutinæ est, & crassitiæ, vt periculum sit, ne angustis iecoris vijs subsistendo medicamentis, non obediat, & ibi magis intrusa, postea maius negocium facescat, eo quoque præparanda est. Cum ergo hęc materia suo multo flatu melancholicam se ostendat, & crassam, & cũ melancholica necessario ob eius frigus multa pituita semper habeatur, quæ glutinosa est, propterea, non solum ea pars, quæ hærendo afficit, sed ea quoque, quæ ad eam partem accessura est mitigationem, & apparatum penitus requirit. Ergo ipsa, vt melancholica mitiganda humidioribus, & calidioribus est, vt crassa extenuanda, vt glutinosa incidenda, In his, ergo præstandis ego versarer aliquantulum, deinde ex parte materiam aluo soluta educerem, ijsdem rursus parantibus repetitis ad purgationem redirem, & identidem sic agerem, atq; per vices, quo leniter ipse aget sic ætate, sic viscerum infirmitate hortante, cogenteque tractaretur, & firmantibus viscera nunquam prętermissis, ergo buglossum, glizyrriza, vel epythymũ, agrimonium, cetrach, rad. capparorum, petroselini, eorumq; semina adhiberẽ, acetum non negligerem, neque fumum terræ, quibus alteram operam pręberem, reliquã verò ijsdẽ seruatis rationibus viscerum rhabarbaro, agarico, epythymo, sena, aloeque præstarem, ac quotidie alia pro necessitate iniungerem. Epythymi certè princeps mihi vsus haberetur, & rhabarbari, tum ad purgandũ, tum ad humorum vias, visceraque pro vsu comparanda, atque, cũ vltra de re certior fiam intra hæc consilium maneret. De exhibendis exterius id notarem, vt coctionem primum crudorum humorum iuuaret, quẽadmodum fomenta, ex chamæmelo, meliloto, fœnu græco, absinthioque. Post aliquas purgationes etiam discussionem, vt ex capparibus, anetho, aniso, cymino fœniculo petroselino, baccis lauri, & similibus.

Trochiscos de rhabarbaro Mesue, vellem in vsu haberet, quos ad ʒ. I. sumeret ter in Hebdomad. & medijs diebus Theriacam 10. annorum ad ℈. I. saltem cum vino.

A

Pro Excellentissimo Fabio, Abbatio, cum Excellentissimo Abiorige, Gradario, & Donzello de febricula longa.

CONSVLTATIO CCLXXVI.

Melancholicum humorem esse huius mali causam ego quoq; vobiscum sentire cogor eis notis, quas in eo obseruauimus. Vrina satis tenuis est, & quamuis febricula sit, tamen non multum coloris habet, febris solet suo calore sãguinis pinguiores partes in bilem perducendo, & fuligines mouendo, & B materiam propriam assando coloris multum vrinis præbere, nisi ipsæ per aliquas densas obstructiones percolentur, quod cum inciderit, tunc crassamentis prius priuatur, quam colore, siquidem illa facilius angustijs viarum retinentur, hæc vrina autem crassamentis subsidentibus prædita est, quare non obstructione fit tenuis, aut decolor, sed ab humoris genere, Atque cum leuissima febris sit, à frigido humore esse necesse est.

Itaque si à pituita esset, vrinas pituitosis excrementis habens refertas, crassiores quoque efficeret, quoniam pituita humidus humor est, & facile cum vrina confunditur, & eam crassam reddit, quod si tenues faciat, excrementis quoque crassioribus priuat, quoniam id propter obstructiones ei euenit, ac quidquid C est in hac vrina ruffi, id ratione caloris febrilis euenit, quo ferè aliquid bilis serosæ saltem, cum vrina exprimitur, etenim, vt febris omne venosum genus occupat, quoniam à corde in omnes corporis partes venit, cum sit cordis calor naturalis in igneum conuersus, ita vrina vniuersi generis venosi excremẽtum proprios febris effectus secum trahit, in quibus ille præcipuus est, quod humores incendit, & agitat, vnde nõ ita certæ coniunctarum causarum notæ in vrina sunt, vt ipsius febris certissimæ expectandæ, nam sæpè extra venas coniuncta causa est, quæ putredo sæpè est, sępè etiam in aliqua vna corporis parte continetur, vnde reliquo corpore ea causa libero vrina mixtim efferendo partis illius, & vna totius corporis, & venarum excrementa non potest illius vnius partis D notas, ita expressas habere, quin illæ totius generis venarum plurimo recremento obruantur, cum quo mixtim exportantur. Antecedentis quidem causæ notæ ferè in vtinis spectandæ se se ostendunt, cum excrementa coctionis in venoso genere factæ penitus proferat, sed vna cum eis, quæ à febrili calore, & à causa febris coniuncta in venis existente fiunt.

Nam cum febris materiam habet intra venas, & in pluribus, & potioribus venarum locis, tunc vrina mixtim offert eas omnes notas, scilicet febrilis caloris, putredinis, & naturalis venarũ virtutis excoquentis, & ita difficile sæpè vrinarum iudicium est, Medicusque sæpè coctionis notas quærens ex vrinis decipitur. Coctio siquidem non vna est diuersarum ma- E terierum, & sæpè antecedentis causæ satis bona est, coniuncta verò non ita putredine plus alieni, quam natiui caloris habente, vt fit in ea, quæ puris est, sæpe enim materia penitus corrũpitur intra venas febrem faciẽs interea sanguine reliquo inuiolato, & hæc materia habet sua in vrinis excrementa, cum ijs, quę sanguini sunt cõmixta, hæc verò sunt cinis humoris per febrem consumpti, præterquam, quod caloris febris effectus necessarius per vrinas demissus notas coctionis dictas contaminat, & perturbat Medici iudicium. Ad rem redeo, color ille subruffus mihi non necessario materiæ genus magis, quam effectum febriculæ pinguedinem sanguinis torrentis ostendit, aspera illa, & puluerulenta in vrinis sæpè tenuibus cineres à febre

febre superantes, nubes autem illa generis optimi excrementum venosi generis nutritionis, atque inde sententiam melancholici humoris confirmarem, siquidem illa aspera, & puluerulenta terrena sunt. At non ita multa videntur, quātus ad febrim pariundam humor est necessarius; Videndum hic, quod non adeò ipse potest exuberare, vt, etsi possit hominem occupare, possit quoq; in vrinis solus, tam abundantes notas proprias proferre, cæterarum rerum notis semper vincentibus; ipse enim potest moderationem excedere, & facultates partium multarum vitiare, non tamen excremento suo venosi generis excrementa superare, præsertim, cum propter sui siccitatem facilè putrescendo consumatur, cinere quidem illo sui tanquam parte, & excremento per febrem expresso se se per vrinas declarat, qui, si à pituita esset, crassiores cerneres vrinas, nec ita lucentes, sed pinguiores, & præterea pluri excremento refertas, quoniam pituita, non ita absumitur putredine; si à bile esset altera, vrinas flauas, magisque pellucentes videremus, præterquam, quod vehementem febrem, & alterius generis pulsum, & alia omnia haberet.

Nam ad pulsum venio, paruus est, & sic à pituita quoque esse posset, at cætera caloris, ariditatis, puræ linguæ, nocturnarum vigiliarum, generis corporis, & alia singula multa repugnant, ergo paruus pulsus ab obstructione, multaque humoris crassi occupatione est; vnde neque tam rarus est, quam à melancholico esset humore febrile necessitate eum ad densitatem cogente, vt quod magnitudine non potest, id celeritate, & crebritate obtineat, velocitate quoque melancholicum potius, quam pituitosum humorem ostendendo, sicuti crebritate non ita multa, vt pituitæ esset, hæc enim pulsus paruitas maiorem crebritatem postularet sub febri pituitosa; quoniam velocitatis præsidio destitueretur, somni quoque essent, lingua non tam arida esset, potius sordidior, etiam sorditie albicante, caloris quoque species madēs esset, & inæquabilis, quæ est quasi arida, & æqua, tactui firma, & similiter se se sustentans, vt calor humoris melancholici solet; Confirmat hoc exitus venarum mariscarum, cui iam consueuit, & omnes venæ admodum nigræ, tum causæ humoris eius satis valentes, vt corporis genus hyrsutum, asperum, nigrum, ætas consistens, qua ex bilioso genere in melancholicum traducitur.

Anni conditio, temporum minimè æqualium, veris, æstatis, & duorum reliquorum, sed autumni præcipuè, quæ anni conditio melancholicum humorem non solum ratione naturæ suæ, sed opere, & euentu ipso asserit, hic siquidem annus tot quartanas attulit, quot cuiusque memoriæ nullus annus vnquam attulerit. Subijciamus his omnibus genus ciborum, & viuendi modum præter cōsuetudinem, aut certè longe magis, quam consueuerit idoneum ad eum humorem faciendum, nam brassicę assiduè vsus est, quæ ex oleribus vna melancholicum succum parit, carnibus item vetustis, ac salitis, & cibo semper pleniori, quam consueuit, & eius generis, qui cum crassæ, ac valentis materiæ sit, nisi exercitium valentius adhibeatur, nimium hebes corpus facit, humoribusque crassioribus replet, quod multo facilius in eo corpore factum est, quod magis otio vsum est, quam antea vteretur, imò loco laborum corporis nimium otium, & animi perturbationes suffecir.

Vnde corpus eo genere humoris repletum, sic habere anxium hominem, sic somnijs tumultuosis exercet, sic ventriculi angustia vexat, sic premit, vt & pulsus paruos habeat, & sæpius refrigeretur, proinde, neque ventriculus bene concoquit, potius crudum, & acidum eructat; rariores quidē ructus sunt, quam in melancholicis esse consueuerint, quod euenire po-A test ore ventriculi per humorem adstringentem confirmato, atque ad constringendum se valentiori facto.

Itaque inde linguæ squalor, sine colore ob humoris squalorem non multo calori coniunctum per pulmones, & per gulam etiam repentem, neque mirum est, si vrinæ aliquando naturalem speciem habeant, quoniam nunquam in tanta copia esse potest is fæcosus humor, vt, etsi partibus principibus obsit multum, tam multum tamē inficere lotia suo excremento possit, quin ab alijs humoribus superetur, tenuitatem quidem solet præstare, nisi per febrem à se incensam fusis ichoribus aliorum humorum, suoque etiam incenso, eas biliosas, aut pituitosas faciat, vt sæpe in quartanis etiam exquisitis cernimus. Hactenus sic B ego de morbi causa statuerem, quę, vbi nam sit in hoc corpore, videndum, nam, etsi in venis plurimum eius esset, tamen ea, quæ edit symptomata, non ederet, nisi in aliqua propria parte insistens, actioni eius obsisteret. Cordis actionem læsam sentimus, & ventriculi, ac potius iudicamus à ventriculo cor affici, quàm ventriculum à corde, cum ventriculum magis conflictari cernamus, circum quem calores, angustias, æstum, oppressionem, acorem, languoremque audimus ipsum percipere.

Præterea ad hypochondrium sinistrum pars tumentior est, quam ad dextrum, quod, vt certum est tactui, sic & ei vitiositati consentaneum, vbi plurimus is humor est, lien sanus non est, nam si benè valeret, humorem benè conficeret, atque consumeret.

C Non esse etiam sanum lienem constat ex eius magnitudine, quam semper infirmitatis eius indicem Hippocrates voluit, vt paruitatem contra bonæ valetudinis, & sic ab omnibus acceptum est, ergo & locum eo humore oppressum, & causam eius abundantiæ habemus, lienem infirmum, ac nimis impeditum venis circum stipatis, & in os etiam ventriculi halitus eius, & ichores regerentibus, atque etiam in cor, vnde ventriculus, sic male habeat, non tamen famescat; quoniam humor aliquid mali generis, & putredinis continenter acquirat, ex quo sitis etiam existat; hæmorrhoides quoque locum eundem eo humore occupatum ostendunt.

Longa affectio est, &, nisi curetur, malum febris D genus paritura est; submouenda autem est humore tollendo, vijsque expediendis, ac quoniam totum corpus posuimus eo crasso humore refertum, difficilè; & longum nimis esset, eum per medicinas extrahere, atque vt difficultati periculum subesset, sic etiam spatio, quare longior via tentanda, quam sectio venæ subministrat, tutius verò tentari potest, quam vllum aliud remedium, si, vt ostendit Galenus, fiat, vbi, si quis infirmiores metuat vires, velim sibi habeat persuasum pulsus huius infirmitatem, non infirmitate uirium fieri, sed onere.

Galenus siquidem uocat infirmitatem, id est ἀρρωστίαν eam quoque, quæ valentibus viribus onere aliquo oppressis existit, quam eius generis esse, cum multæ res, tum verò pulsus inæqualitas osten-E dit. Ex quo fit, vt sæpe Medici decipiantur, cum post inæquales pulsus, æquales inueniunt, & dicunt meliores esse. Cum tamen contra sit, & ægroti ad mortem tendant.

Ac, vt iam aliquanta infirmitas sit metuenda, periculum tamen id euitabimus, si missionem sanguinis partiemur, quod præter hoc securitatis, illud etiam præstabit vtilitatis ad curationem, quod sanguinis illas partes, quę ab obstruendis visceribus, & venis angustioribus in ampliores prima missione retractæ fuerint, illæ iam vitiatæ ob moram eis in locis impeditis habitā per secūdam extractionem euocabuntur natura eas inutiles partes medio tēpore ad longinqua, & exitus locum propellente, ego enim sanguinis

sanguinis vim intra maiores venas mari ipsi soleo cōparare, quod omnes alienas res ad littora regerit, vis enim spirituum tanta est in maioribus venis ob copiā, vt longe validior sit in propulsandis iniurijs, quam vbi angustius sanguis est distributus, vnde videmus etiam, quod semper sanguis qui primus vena secta expellitur, nigrior est, quam qui postea exilit, ergo, & tutiorem, & valentiorem sic habituri sumus hanc sanguinis missionem, neq; verò ad venas extrema manus faciendam eam vnquam consulerem, quoniam sanguini crassiori euocando idonea vena angustior non sit tantum, quantum latior, & vnusquisque potest experiri, quæ in eodem corpore, & tempore sanguis missus ab extrema manu est longe purior, quam missus à cubito. Neque verò imbecillitati virium vna distantia tam consuleretur, quam de vi auxilij, atque opportunitate venæ angustia detraheret. Ea ergo tentatione, si sanguis crassus fuerit, primū ad 5.℥. mittatur, deinde tantundem eadem sectione reclusa; si tenuis, statim sectio excludatur, & ad reliqua auxilia confugiatur. Illa verò sunt, & reseratio mariscarum, si extiterint, & humoris extractio per pharmacum. Ad quam tamen misso etiam sanguine erit accedendum. At mariscæ nisi ptotumuerint aperiendæ nō sunt, vix enim quidquam sanguinis crassi emittunt, cum præter naturæ, & sanguinis impetum per hirudines aperiuntur, nam singulam vix ℥. crassi, nigrique ad septenas vncias puri, & rubentis sequi videas. Itaque, & non extantium mariscarum apertionem posse in locum sectionis venę illam ob causam sufficí putare amentia est, & expectando occasionem earum, vt prodeant, velle periclitari imprudentia, non solum enim trahentis morbi labor, sed periculum est metuendum. Vena ergo cubiti sinistri aperienda, & postea mariscis quoque extantibus inde sanguis eliciendus, interea verò, dum occasio dicta occurrat purgationibus lenioribus particulatim est humor educendus, medijsque temporibus parandus ipse vna cum vijs, per quas educi debet. Parantia erunt extenuantia non solum in medicinis, sed in potionibus, & cibis erunt mitigantia humoris vim, eique contraria, & similiter aperiētia, vt esset buglossum vtrumque lupulus, melissa, fumustertæ, ceterach, epythymus, quod parando, euocandoque humori, & visceribus expediendis maximè facit, vijsque aperiēdis, oximel quoque, & similia, vino albo tenui, & minimè austero, hic enim non ventriculi, non capitis, non iecoris, aut renum vim, sed humoris spectamus crassitiē & viarum apertionem; Purgando verò ei humori, quę idonea sint satis constare cuilibet potest, vt epithymū sena polypodium, & alia, vt quotidie prout necessitas occasionem præstabit poterimus deligere. Ventriculo verò ad iuuandam coctionem.. Lieni similiter sua quoque suis temporibus erunt admouenda, quæ suis locis dicemus. Secta verò vena ater admodum, & cōcretus sanguis erupit, & paulò post mirabiliter ipse conualuit.

Cum Excellentiss. Amerigo de febre cum destillatione pro Diplouatacio.

CONSVLTATIO CCLXXVII.

QVatuor mala sunt in hoc corpore, quę hoc ordine hisq; nominibus sic exponam. Obstructio iecoris, mensiū cōpressio, febris nunquā corpus integrū dimittens, destillatio ferè cum sapore salso il pulmones incūbens, ac tussim faciens, matutino præcipuè tēpore infestantem. Hæc præter naturā sunt conspicua, sunt verò in corpore tenuissimo, atq; penitus ex carni nisi in medio corpore, saltem in eminētibus partibus, eius verò, & generis, & cognationis, in qua plures ex tabido malo interiere, vt mater nuper, ac paulò ante soror fecit. Quibus de rebus ita ego videor sollicitari,

A vt verear ne tantum spatij suppetere possit, quod faciat ad eius curationem. Cum enim singula mala per se sunt pestifera, tum peiora minantur, iecur ipsum ob structum omninò vitæ insidiatur alimēta corpori detrahendo, febris continua potest corpus consumere destillatio ipsa quoque potest hominem strangulare, febris item tabē, destillatio vlcus, & moliti facilè possunt, & iuxta esse vtramq; rem ferè ostendunt, febris spatio, destillatio vitiositate corpori tan idoneo ea certo allatura sunt. Ergo, & valentissima, & citissima remedia sunt quærenda, diligenter verò prius hęc mala exponenda, vt, quid opus sit singulis ex ipsis colligere, & remedia singulis opportuna accommodare possimus. Eum autem cursum in eis explicandis tenebo, quem ipsa nascentia credo sequuta fuisse. Corpus na-
B tura siccius, venas angustiores, & sanguinem crassiorem pro ætatum ratione sortitum est, ac quoniā non admodum frigidum fuit, natura, & ætate etiam num adolescente, fortè magis bilis, quam pituita in eo abūdabat, quamuis, vt vsu venit, pituita interdū ipsa quoque ventriculo casu aliquo infirmo bilem superaret, inde fiebat, vt, cum virgo esset, aliquando menses cōprimerentur, aliquando nimium profluerēt, vt aut pituita venis ad obstruendum sua angustia, & crasso sanguine idoneis, aut bilis abundabat, venis bili promouenti cedentibus largosq; nimis menses permittentibus ob sanguinem naturæ non ita amicum, si non ob crassitiem, saltem ob vitium ex spatio nimio in corpore conceptum. Suppressis itaque sæpè mensibus, cras-
C sumque sanguinem continentibus visceris vtriusque obstructiones, ex quibus iecoris adhuc permanet, sequutæ sunt, ob angustiam vasorum, & sanguinis semper quidem crassitiem, quandoque verò etiam lentorem, quæ obstructiones non ita à principio in molli ætate, & sanguine ob humorem ætatis magis liquidū virginem habuerunt, nam pituita ætatis eius familiaris, genere corporis sicciore non admodum abundabat, at firmiore ætate postea obstructiones prehenderunt ventriculo iniurijs tunc magis obiecto, & pituitę ex incidentibus iniurijs generandę magis, quam prius idoneo, cum ob ætatem corpus siccioris generis caloris valentioris esset. Ergo postea viscera ea fuerūt maiora, corpus verò præcipuè non in medio, sed in eminentibus partibus extenuatum non solum ob sangui-
D nis naturale genus ob siccitatem carnibus alendis minus opportunum, sed ob nouum vitium ex obstructis carnibus acceptum ab altero quidem coctione sui minimè bona, à reliquo etiam sui purgatione cessante. Hinc rursus maiora mala exorta, nam sanguis nō purgatus fecibus crassior longè euasit, incoctus verò etiā crassior, & malus, vnde, & corpus magis contabuit, & excrementis nimis multis, & malo sanguine abundauit, illis vi viscerum huc, illuc à maioribus venis ad minores regestis. Quæ ibi à calore malo cōprehensa sua mole impedita, & natura mala bono calori repugnātia putruerunt, & febres excitarunt diuturniores, quæ tamen aliquando dimiserunt, in quibus crudiores vrinæ sæpè, interdum crassæ, interdum nimis tenues erāt pro materia, & obstructionibus, per quas emanabant.
E Pulsus creberrimi existebant vel sine febre, cum parui essent, sic obstructionibus viscerum, & genere graui humorum, & siccitate cogente, nam siccior sanguis sicciorem etiam arteriam facit, præcipuè cum bilis abundat, & ideò ictericorum quoq; pulsus parui, crebri, durioresque statuuntur. Sunt verò iam ferè 15. mēses, si rectè recordor, cum ex quadam febre ipsa conualuit, à qua postea semper mensibus caruit. Nam sub febribus crassior sanguis fit, & inde occupandis vijs idoneus. Ea verò purgatione corpus priuatū, etsi per medicamenta aliquando leuaretur, vt nunc facit, tamen mensibus carens corpus maiore potuit onere grauari, quam vt illa satisfaceret, cū ea, quæ à natura per lienem fit, fortè minus idonea, sit eius generis humori de-

ri detrahendo, ergo factum inde est, vt minime potuerit sanum corpus sustineri, quamuis id antea per medicamenta fuerat effectum. Nuper ergo etiam in febriculam incidit, quæ incresceret, cum frigore quotidie, quandoque bis, quandoq; semel, cuius febris initio, cum nollet se domi, aut lecto continere, & curru gestari placeret, præcipuè secundum littora ventorũ malorum impetui obiecta, in destillationem incidit, quam videmus, sub qua post aliquot dies febris quieuit, postea tamen reuersa est, & ęgrotam cum destillatione nunc habet. Cuius destillationis causa quadam ex parte noua est, quadam verò vetus, nam vapores à febri in caput ferri nouum non est, caput verò vapores non discutere in hac ægrota vetus non est, & recẽtem causam habet quandam refrigerationem à vento inductam, illam quidem non tantum, quanta dolori mouendo sit, aut meatibus inuisibilibus cogẽdis, aut obstructionibus faciendis, sine dolore enim neq; hæc subessent: tanta certè refrigeratio fuit, quanta infirmare vim coctricem, & digerentem potuerit, vnde plurimum excrementum pituitosum vicinum alimento cerebri ex quo deciditur, abundat, & vi ex pultrice ad inferna depulsum facit destillationem, quod excrementum, vapores elati in caput per eas infirmas vires minimè digesti augent, præcipuè à somno, quo caput magis frigefactum causam iam dictam, eiusque effectus facit maiores, & inde à somno vehementius molestat, quæ destillatio, cum in pulmones demittatur, salsumque iam habeat aliquando saporem, metus est, ne pulmones exedat præcipuè, cum aliquando difficile sursum regeratur. Salsedinis causa satis vulgo disputata est, haud scio an nota, certè in hoc corpore mihi satis patet, nam dum permanet humor pituitosus cum sero suo, quod secum semper aliquam partem habet terream, quæ exuri potest, ac cum exuritur, saporem retrosum refert, sic pituita calore aliquo comprehensa cum eo sero fatiscit, atq; sui partibus magis terrenis ex sero, & aquosa parte dilatis, & tostis salsedinem acquirit, quod non nisi spatio aliquo, & copia multa feri diu in eodem loco calidiori subsistente, efficitur. Vbi, cum ad arteriam asperam deuenit, metus est, ne eius tunicas exedat, quoniam abradit, quod salsum est, & nimis excoctum acrius fit, atq; exedens spatio verò illo, quo in arterijs continetur, multo calore febris circumsistente, non potest non eam vim acquirere sic feruendo. Metus verò, qui esset à febre, ne in hecticam euaderet, mediocris non est, non solum per vlcus, quod exspectari in pulmonibus potest, sed proxime per febriculæ ipsius spatium, nam vapores, qui continenter cordis spiritus petunt, & cum eis per omnes corporis arterias dimittuntur, tandem non solum cor calefacient sua præsentia, sed calorem imprimét atq; in eo inhærentem relinquent, quo calore primũ liquidiores eius carnium partes in meatibus inuisibilibus subsistentes calidæ effectæ maceant, deinde carnes ipsæ firmiores, postremo fibræ cor contexentes, eã febrem nunc quidem non dubitarem subesse carnibus non semper calidis, minus arteria aut calida, aut dura, & aliquando tardè sese attollente, quamuis crebros motus faciat, nam vt crebritas aliquãdo febrem sequitur, sic celeritas semper hecticam, crebritas enim aliquando impeditum dilatationis motum ostendit, quod hic propter obstructiones facili esse potest, paruum pulsum facientes, vbi quidem paruum admodũ esse ego æstimarem, cum detecta arteria fit, & tamen tactu parcius sentiatur, cuius, paruitatis causa si in squallorem membranarum esset referenda profecto tactui dura apertè sentiretur, quare certè hæctica adhuc hæc febris non est, præcipuè verò, quod, cum suos habeat impetus, & per circuitus reuertatur, idq; frigore efficiat, à cibo tñ nõ incalescit, sed potius calor remittitur ventriculo aut vapores per corpus dimittẽte, aut calorẽ natiuũ ad se alliciente, nec post reuocatio-

A nem illã caloris incalescere solet, nisi sub noctem iam cibo penitus excocto, digestoq; frigore itẽ insigni antegresso, etenim, si vel humidũ cordi insitũ æstuaret, vel carnes, præterquam quod calida admodũ, & celer esset, ac imbecillis arteria, attracto etiam alimento vi eius caloris in cor cibi partibus primo concoctio per ventriculi venas statim viscera petentibus, sequeretur quòd proximè à cibo assumpto post duas certè horas cordis calor augeretur, humore enutritus, vt enim corpora calida abundanti, & diluente humore hebetantur, sic præ calore nimis squalida à pauco humore in calorem excitantur, & magis feruent. Ergo hac nota absente conficitur, necessariò febrem hanc in habitu non esse, quæ nota fortè si adesset, id non omnino cõficeret, nisi certum modum sortita, cum sæpè ego viderim ob phlogosim illam iam inueteratam in mesen-
B terio calorem à cibo excitari eius vapore locum illum squalido humore refertum petente, quamuis enim ille locus à fonte caloris distet, tñ per suum calorem fumos eos facit, qui cor subeuntes toti corpori per cor calorem faciunt, ille tñ calor tam vehemens non est, quam nostræ notæ ratio requirit, febris enim ea accessionem imitatur, sed vt dixi, absente hac nota fit omnino, vt febris hæc hectica non sit, quã præsente tamẽ (nisi febris accessionem imitata) hecticam esse conficeretur. Verum tñ, qm̃ instat periculum ne corpus ipsum cordis febris præhendat, ei periculo pariter attendendũ, vt illi quoq; quod à destillatione timetur, vtrũque enim non solum certum, sed ẽt citum est futurũ; quare, si fieri potest, inuestiganda remedia sunt, qui-
C bus & morbi curentur, & pericula illa febris hecticæ, & vlceris à destillatione caueantur. Morbi quidem primo auferendi causis eorũ prius auferendis vt mali humoris detenta copia, quæ obstructiones, & destillationem, & febres sustentat, vt mensium suppressionẽ copiæ eius priorem causam. Remedium ergo quod copiam, & obstructiones auferat, menses moueat, febrẽ refrigeret, destillationis vim ex edentem hebetet, & decursum inhibeat, aptius nullum esse mihi videtur ipsa sanguinis missione à tale facienda, imò nullum inuenias, quod cum potenter admodum, tũ verò tot partibus mali, & periculis occurrat, & demum quod tam citò fieri possit. Ergo viribus etiam respondentibus, ętate idonea sanguis mittatur, ac si quid à tempore, &
D viribus dubij habeas ex eo modum sanguinis minuas aut certè partire, & crassum tantum effluere permitte & qm̃ cruditas non est, aluusque quotidie descendit, cras protinus id possumus moliri, vel tutius clystere prius iniecto, si hoc repetito remedio, vt est verisimile destillatio, & febris remittatur, tunc securè obstructionibus perfecte remouendis opera dari poterit, qua tñ, & febri, & destillationi mitigandis ratio habeatur, tũ medicinis, tum cibo moderando in eam partem, vt refrigerent, syrupis cicoraceis, ptisana, & similibus. At si à destillatione nihilominus permaneat metus, tũc eã rationem febris, atq; obstructionum non dimittendo synapismis & bullam inducentibus ad spatulos admouendis omninò agendum, vt materia destillationis auertatur, idq; opera sæpius repetita, si opportuerit: er-
E go non dimittendis reliquis hoc quoque moliendum cum tandem ex parte aliqua humores parati fuerint, leuioribus medicinis erunt exhauriendi, & præcipuè ipsis rhabarbaro adiecto, quod ad obstructiones remouendas, & visceribus firmandis valdè est idoneũ, vt post leuem aliquam corporis purgationem potionibus matutinis adijci vtiliter poterit, & diutius quidem repetendum, quoniam ab eo certum auxiliũ partibus omnibus huius mali est sperandum, sensim siquidem detrahet, acrem destillationis vim ipsam auertet humorem ex febre quotidie nascentem euocabit, & è visceribus obstructiones eliciet, & putrescentem etiã febri humorem subtrahet toti generi venarum robur afferendo, mẽsibusq; mouendis vias expediet, vt certè

nunquam

nunquam secundas curationis partes ei dandas censeam; Agari eo multum tribuo modo cum hiera coniungatur, cum qua vidi mirabiles effectus edidisse. Interea post purgationem aliquam capiti suas partes darem, vt recrearetur, meliusq; succum attractũ concoqueret, atq; digereret calorem ei reddẽdo, sed quidem moderatè, ne plus læderemus attrahendo, quam vi coctrice excitanda iuuaremus, ergo cum rosarum folijs lignum cupressi adiungerem, & caput diluerem, betonicam etiam adijcerem, & chamæmelum, agaricum demum etiam, & senam, si valentiori re esset eliciendum, & auertendum aliquid ex ea materia, quæ destillat. Victus tenuis quidem esse non debet, at certè extenuans, & humidus, quãtum fieri potest, in quo primum locum ptisanæ do, & cum ex ea ventriculus benè semper habuerit, nihil in huius locum sufficerẽ, ex auiculis reliquum cibũ peterem, ex iure tamen concoquerẽ. Potio esset his primis diebus ex aqua, in qua aliqua ventriculo amica incoquerentur, vinum enim vna ob destillationem vererer, lieni autem ex aqua nihil timeri poterit, si sic cocta paretur, vt vel ferro cãdẽti in ea extincto possit vtiliter exhiberi, etsi enim ex eo non adstringat, robur tamen visceribus affert; Videretur verò & ob hunc apparatum destillationi facere, & etiam si nux myristica in ea incoquatur, quæ capiti est amicissima. Morbus diu traxit, & tandem consumpsit: Medici neglexerunt vsum iuris cochlearum, in quo per cocturam cõtacuissent, & vna etiam hyssopus incoctus esset, quo iure vidi phthisicos nonnullos conualuisse etiam senes, & in optimam valetudinem, ac firmissimam reuocatos. Præterierunt quoque vsum aquarum Lucensium della villa dictarum, à quibus pariter destillationem, & pulmones exsiccari vidi, Et semel in eo homine, qui iudicabatur à Medicis pulmones expuere, eratque macie extrema confectus, Vsus quidem fuerat post aquas illas aqua cochlearum, & postea carnosus factus est.

De gallico morbo.

CONSVLTATIO CCLXXVIII.

GAllicus morbus, qui recrementa vltimi alimenti, de quibus semen fit, inficit sæpe pertinax est, & quidem ob id quod ea recrementa in inuisibilibus meatibus partium solidarum versentur, in iecore vero maxime, à quo proximè concupiscentia est. Vbi nulla propria iecoris naturæ culpa, nulloque insito vitio faciat tamen ea infectio, ne iecur possit humores ad purum ornatum redigere, lues enim hærens iecori eius naturæ inimicę vitiat, si nõ naturam, certe naturę eius actionem, ita vt cum lues hęc amota fuerit, iecur opus suum statim nullo auxilio adhibito potest perficere, lues ergo una proponitur submouenda, ea enim tollenda, reliqua omnia, quæ videmus, tolli necesse est. Cuius extinguendæ, seu euellendæ ἀλεξιτήριον guaiacum exploratum est, superioribus siquidem temporibus solum abundè faciebat, & hodie quoque cæteris remedijs præfertur, nam si quæ alia inuenta sunt, illa nec vbique, nec ab omnibus, aut probantur, aut cognoscuntur, longius ergo, atque amplius experimentum facit, vt guaiacum cæteris sit præferendum, nam à ratione virium eius, & naturæ explicatæ non est, quod summamus certam probationem, quoniam occulto quodam, & proprio naturæ habitu certa elementorum ratione consistente habet facultatẽ agendi in ea alte consita, & infecta recrementa, ac vice versa recrementa ipsa ob certam rationem suæ, nam sunt idonea ad excipiendam guiaci vim, ob quam oportunitatem lues gallica potest naturæ iecoris ope ra potius, quam alterius impedire. Possunt tamen conferri mutuo vires ligni huius euidentes, & vitia à Alue nascentia. Vitia patefaciunt vim αἱματοποιοῦσαν, si non infirmam, certe prauam à qua sanguis nutriens quidem, quod in multis gallico affectis bene nutritis videmus, sed impurus creetur, quod sanguinis genus cognoscitur ex maculis, quæ fiunt in hoc corpore rubræ, nam dum effertur sanguis ille liquidus factus calore humoreque, & bile ijs facile exolutis ipse subsistit in cute coacta sua crassitie. Aquosus verò intelligitur ex humoribus ædematosis, atque lachryma, atque dolorum hebetudine, & breuitate, biliosus item ex pustulis citò apertis, & fanescentibus.

Hæc mala omnia posse submoueri à guaiaci vi ad confirmanda viscera, & ad humorem exsiccandum, & bilem per sudores discutiendam valde idonea facilè intelligitur, & ipsum vi quoque manifesta nostrę B necessitati subuenire posse, quoniam gustui guaiacum, tam acutum est, tam dissecans, & incidens linguam, vt nihil aptius excindendo ei vitiato recremento ex solidis videri possit, quare, quamuis iam bis datum morbum non sustulit, quoniam tamen maximè leuauit, & casus omnes eius extinxit erit resumendum, & necessario eius vires aliqua ratione colligendæ, atque intendendæ, vt quibusque 21. cum guaiaci, tum corticis vncijs 12. tantum lib. aquæ imponantur, & syrupo semper aliquid eius ligni, & corticis, & item salsæ scobis mele rosato comprehensa per catapotia deuorando præmittantur, scilicet inditis herbis ad eandem rationem facientibus, vt ad caput betonica, stechade, ad artus chamæpytis, ad iecur aperiendum (ne viæ illæ impedito humorum cursu aliquid malignum detineant, quod in posterum postea fit renouationis malorum principium) radice capparorum, & amygdalis amaris.

Guaiacum ergo calidum accipiendum est, & per horam non laborandum, nec vllo ingenio sudor prouocandus, deinde sudor mouendus obtecto corpore vsque sub aures, quibus si non moueatur sudor, cucurbitæ, quibus vtimur ad liquores deportandos, geminæ erunt subijciendæ aqua calida ex eodem decocto plenæ, & inter crura, & ad brachium dextrum sub ala constituendæ, sic enim facillimè sudabit, sudore deterso non amplius ijsdem linteaminibus, nisi D purgatis, vtatur, ac si per 50. dies procedat. Diebus sequentibus aliquo vtatur electuario, in quo lignum ipsum minutim incisum ingestum sit: præterea vino quoque ex eodem ligno per hyemem totam bibat, siue album, siue rubrum id sit, quibus perfectis, speramus omninò esse conualiturum. Purgari tamen prius corpus debet misso primum aliquanto sanguine per hæmorrhoidas, nisi ad illas alias pronus non fuisset, aut cucurbitulis dorso applicatis, si capitis ratio postulabit, sumat deinde poriones modo parantes, modo detrahentes humorem, parantes, vt cicorea, buglosso, fumoterræ, oximelite, &c. educentes ex sero lactis epythymo agarico, sena, rhabarbaro, polypodio cum suis modificantibus, quę purgatio ad 20. dies E perueniat.

Ratio victus, dum purgabitur corpus, mediocris materiæ esse debet, dum verò potiones guaiaci accipiet, sit illa tenuissima ex pane biscoro, passulisque, eo ad 3. ℥. illis ad 2. neque vllo modo vino interea vtatur. Habendus verò est interea ædificio concluso, calido, & perflatum nullum habente, atque quantum fieri potest, angusto, à quo sumendarum potionum diebus nunquam exeat minus procedat.

Longum, & assiduum extenuantium vsum Galenus non laudabat in corporibus extenuatione egentibus, quoniam exsiccando, tandem incrassant, sed nos hic non verebimur demum incrassare, modo lues euulsa sit.

De

De Comite Carolo Scoto suspicione gallica vexato.

CONSVLTATIO CCLXXIX.

VErtiginis species, quæ iã inueterauit, qualis hæc est, caput iam in seipsum aliquid continere vitij suspicionem præbet, quãuis ventriculi infirmitas aperte nota sit, præcipuè ab elleboro accepto, humeri dolor, atque ille, qui ad ischiũ est à capite proxime proficiscitur, & si à ventriculo materiæ multum suggeratur. Materiæ natura calorem multum non præfert, fędus tamen sputi sapor, putredinem in locis reconditis capitis, præsertim iuxta esse, vt sæpe cõtingit, fieri denotat. Capitis natura, cum citò canuerit, & toti corpori gracili respondeat circumstantibus suis partibus gracilibus, cum siccior, tũ frigidior censenda est, quoniam certe siccitati, nisi frigus adiungeretur, canities tam cita non fuisset, quæ anno 45. totum penitus caput occupauit, hoc Galenus similis naturæ capitibus attribuebat. Corpus totum calidum, & siccum fuit, at hac ætate melancholicum censendum, vnde nõ est mirum, si per ventriculum, viscera, vt iecur, & lien mittant vapores, qui fumi materiam redoleant, qui in finibus cerebri flatum concitent, infirment verò quoque ventriculum assiduo transitu, qui tamen nondum tantum vitij imprimere potuerunt in ore eius, vt melancholicos affectus faciat, nam retinent illi naturalis sanguinis aliquantam vim non omninò frigidam, siccamque humoris melancholici naturam, cum humoris vim sequantur, vnde excitati sunt, videmus verò, cum aliquantam naturalem vim retinet, non efficere melancholicos effectus, vt in his, qui vomunt atrum succum, sæpe obseruare licet, præterquam quod ad excitandos melancholicos affectus multa alia requiruntur, commixti ergo illi halitus ei pituitæ, quæ ob cruditatem fit, & in cerebro, & in ventriculo, fortè etiam citra eius putredinem fœdum odorem ipsi afferunt, in ore etiam ventriculi cibi eo elati (loco scilicet putrefaciendi potius, quam concoquendi cibi) corrupti facere possunt, vt in os ille malus sapor attollatur.

Gallica lues, quæ non huius magis, quam illius humoris procreandi, sed corrumpendorum fere alibilium iam dictorum recrementorum, & humorũ sordidandorum, ac naturæ inde infirmandæ vim habere deprehenditur, potest per sui corruptelam etiam infirmitate adducta, & mali saporis causam habere, & hęc omnia sustentare, ne remedijs quotidianis tollantur, ergo proprium illa remedium vult, cæteri postea affectus quique sua, illa guaiacum, hi borraginẽ, cicoreum, lupulos, chamepitim, cetrach, capillũ veneris, & betonicam, & propter squallentes humores, syrupum de pomis, ac quoniam metuendum, ne capiti quoque hæreat, olea quoq; ex guaiaco ei collatura esse est iudicandum, ventriculo etiam, & iecori post acceptum guaiacum subueniendum, ergo purgando (vt ratio postulat) corpori primo electuarium lenitiuum, sanguinis missio per sectam venam mediã brachij sinistri, ita vt, cum niger fuerit, permittatur, cum flauus supprimatur, syrupi ex fumoterra, oximelle, cicoreo de pomis, capillis veneris, betonica, cum decoctis supra propositarum rerum. Medicamentũ ex maceratione senæ in iure polypodij, cum floribus, & fructibus vsitatis, atq; aromatibus, Addita manna ad facilè purgationem, confectione hamech primum, deinde interpositis alijs syrupis, pillulæ aggregatiuis, & cochijs. Guaiacum non solum cum betonica, & cicorea, sed cũ ceterach coquatur, sumatur 40. diebus ad minimum, inunctio post guaiacum ex oleo guaiaci, sed potius per rosaceum, quam masthichinum temperato fieri debet. Ad iecur, caputque firmandum intus quoque. ℞. pulueris cort. guaiaci, salsæ parilliæ an. ℥. 2. specierum diarrhodon, trium sandalorum an. ℥. 1. conseru. betonicæ, rosar. an. ℥. 2. syrupi de cort. citri q. s. misce.

Ventriculo verò exterius priuatim. ℞. Mastichis ℥. 1. s. laudani ℥. 1. macis, garyophillorum, gingiberis, rosarum rubearum, absynthij, menthæ, sandalorum rubeorum an. ʒ. s. resinæ, ceræ an. q. s. misce, & fiat ceratum.

De D. Baldo, Antonij Mariæ Artij fil. lingua sæpe, & membris debilitato.

CONSVLTATIO CCLXXX.

HÆc vitiositas mihi permixta videtur ex debilitate, & perturbatione actionis, nam debiliter, ita mouet linguam sæpè, vt impediri videatur, tamen id non est, sine quadam perturbatione eius motus, qđ in brachiorum, & crurum motione est manifestius; in labijs quoq; quasi cinicus risus videtur, qui si spasmus esset, nõ ita titubanter fieret, vt ait Galenus, ergo non in neruis, aut corpore musculorum, sed in spacijs flatu excitato fit. Ex debilitate frigus omnino, aut materiæ occupatio intelligitur, ex peruersione, seu perturbatione habemus materiam, aut mouentem, aut irritantem naturæ vim ad motionem, non irritantem, quoniam esset conuulsio, quæ titubantis speciem non habet, ergo saltus est, & à flatu. Ergo materia illa erit frigida. Non esse humidam, sed siccam definiri potest ex eo, quod non ita dormit, vt adolescenti conueniret, & quod à puerulo ex terrore in cordis saltus, & similia mala incidit. At oris humor, & labiorum mollities pituitam indicant, posset quoque pituita ob impeditam ex frigore humoris sicci coctionem generari, & vapore palatum contingente conflati humor, qui linguam, & os totum humectat, præterea, ex natura pulmonum, & os sic humore abundare, & etiam ex ventriculo posset.

Vnde guaiacum illi summè profuit, ventriculumq; recreauit, & confirmauit, mollities labiorum, proprium, & insitum humorem patefacit, non etiam totius corporis, quamuis verò etiam naturalem corporis statum denotaret, non tamen hunc, qui præter naturam est, necessario sequatur. Hic frigidum, & siccum succum pituitatemq; extirpare ex cerebro, ventriculo, & ex spatijs, ne dixerim neruis, neruosque, & cerebrum, & ventriculum recreare certè debemus. Hæc præstare facilè poterimus, si totum corpus purgabimus, si guaiacum repetamus, coniunctum cum betonica, chamæpyti, chamadri, & cicoreo, si post guaiacum hac tota hyeme terebinthinã demus cum castoreo, quæ, si non profuerint balneis postea medicatis vtendum esse crederem.

Pro equite Passero febri longa oppresso ferè hæcticam præ se ferente eum Capiuaccio.

CONSVLTATIO CCLXXXI.

PRoposita sunt balnea à V.V.E.E. de quibus, cum dicenda mihi sententia sit, nõ possum magis audaciter loqui, quam me doceat Galenus, qui de balneis, quibus assiduè tunc homines vtebantur, contra Philippum nimis ea metuentem dicebat, quod cum nullum aliud remedium reperiatur, & malum marasmi sit irremediabile non minus, quam sit senectus, pro-

propterea instante marasmo cum Thucidide melius esse aliquid agere, & periclitari, quam in necem certam labi ægrum permittere, periculum quidem metuebat; ne vis natiua per balnei frigus adeò frangeret, vt subinde seniū illud ex morbo incurreret, in quo squallori frigus coniunctum est; sed Galenus potius senium, quam mortem esse subeundam sentiens balneum penitus in eo periculo admittebat, modo scilicet eo, quo ipse exponit in febribus simpliciter hæcticis, vel cum marasmo iam coniunctis, quemadmodum, cum de potu frigidæ in eodem metu sub ardentibus febribus vel ex inflammatione obortis disputat.

Ergo si febris proposita sit hæctica, aut ea ardens, sub qua metus hæcticæ sit, & marasmi, si balnea illa præcipiantur, ego in sententiam illam lubens descendo; Sed in hac febre curando nobis multæ res me ab hac sententia deducunt, nam febris ardens non est, putredinis tamen est, & quamuis corpus squalidum, & pronum in hæcticam sub veiusta febre habeamus, tamen pulsus, qui superius durus ferè esset, nunc mollior, & minus celer est, neque tam frequens, vt alias, febris minor facta est: Sub febribus longius video antiquos Medicos tubercula in iuuenibus, in senibus quartanas, non hæcticam metuere, macies corporis non progreditur, potius (vt ipse, vt astantes omnes aiunt) melius nutritur nunc, quam antea, cum etiam cupiditas cibi benè magna, & concoctio iusta sit, vires corporis, quę ante nullę essent, quæ ne quidem ad manus mouendas satis essent, nūc corpus omne mouere possunt. Vnum vero ego obseruaui, quòd oculi, nunquam caui fuerant, nunquam caua tēpora, sed bene nutrita facie, & bono vultu fuit.

Vnde hæcticæ suspicio valdè remissa est, vt, si antea mihi visum est putredini occurrendum, nunc in eo maximè confirmer, putemque omninò balnea insueto homini præsertim vitanda, præcipuè, quoniam metus periculi ab aere creuerit, putrida enim apparatu substante, obstructionibusque constituto, ventriculo diuturnitate mali debilitato, humoribus crassis factis si æger per balneum exhorresceret, quàm increscceret, quam renouaretur febris, cutis constiparetur, fuligines acres cacochymiam augerent, & putredinem, & in vitæ discrimen adducerent, neq; enim hic vereor senium ex mortifero morbo, sed mortiferum morbum ex salubri, si.n. hæcticæ esset iusta suspicio, illa certe aut ex vehementia caloris febrilis, aut ex diuturnitate excitaretur, si ex vehementia suspicaris, hæc febris antea fuit vehementior, & tamen hecticum malum non attulit, quod verè dici potest, quoniam impulsu, neq; celeritas, neque duities, neque calor percipitur, & longè minus imbecillitas, quę omnia, quo hęctica sit, necessaria sunt, vt illa, quæ a vobis afferuntur, sunt ipsa quoque necessaria, at non tanta, vt necessario nostram elicere debeant assensionem, quemadmodum quod a cibo extrema incalescāt, quoniam ipse id percipit, neque tamen caput, aut reliquæ partes incalescunt, minus adeò, vt increscere febrem noua accessione videatur, vt quod ipse febrem non percipiat, quæ iam ferè ab initio eiusmodi fuit, ac si hæctica fuisset, pulsus iam durissimus, imbecillis, & calidus euasisset, quæ, vt ea sint, quæ hæcticæ sunt familiaria, & necessaria, nisi tamen certum modum nacta fuerint, non necessario conficiunt hæcticam esse, ijs fortasse negandis tantum necessaria sit argumentatio hæcticam non esse, non autem vtcunque affirmandis hæctica est statuenda.

Verum, si tantum vobis videtur hæctica metuenda, putrida quoque ei coniuncta est, & ideò balneum ex Galeno tutum non est. Hac enim occasione Philippum laudat, & nos quoque laudandi, qui Philippum sequimur in eo, in quo ipse a reprehensore laudatur, cū nulla terior, nullaque firmior laus habenda sit, quam ea quæ à reprēsore proficiscitur. Præterea neque vobis, qui hæcticam existimatis, neque nobis, qui putredinem veremur, & obstructiones, ventriculumque imbecillum, balnea nostra satisfacient, vobis quidem minimè, quoniam balneum, quod hæcticæ subuenit ex Galeno esse frigidum debet, vos vero tepidum, aut egelidum proponitis, cuius frigus non ulterius, quam per primas carnes proficiscatur, & imbecillia membra omnia faciet præcipuę ventriculum, & neruos, quibus eo magis me, tūm dum est, quod superius vix mēbra mouere poterat, certe quidem non magis poterit ab alneo repente refrigerari, quam ab aere nunc hyberno, à quo etiam metuendū est, ne ex balneo eo tepido meatibus relaxatis acrius interna feriat uiscera, homini cui balneum penitus insolens est.

Vbi ego non possum prætetire illud incommodum incredibile, quod à balneo tepido meo iudicio eueniet: nutritio quatuor facultates requirit, in quibus attractio, quæ in hecticis ob angustiam meatuum debilitata est, summæ cum alijs necessitatis est, hæc à balneo calidiori quidem robur accipit, a frigido verò retentrix ob temperationem longè maius, nam cum attractum est alimentum, per calorem subita temperatione retinetur, & partes non vltra, quam requirit, obstipantur quamuis refrigerentur. At isto vestro balneo tepido nō admodum alimentum attrahi potest, attractum certè non retinetur, tantum laxantur meatus inuisibiles, & tales relinquuntur, & totus ambitus imbecillis fit. At tēperatur calor, & squallor remittitur, neque tamen nutritio vsquam iuuatur, qua vna siccitas aufertur, potius laxatione nimia magis debilitatur manente præcipuè internarum partium calore, ad quem remittendum huius balnei tepor nihil potest, ergo id remedium vt esset necessarium, non tamen satisfacit, imò nihil ferè adiuuat, cum calor in hæctica ita primus in corde sit, vt siccitas vltima est, nisi aliquod maius eueniet. Siccitati verò exteriorum aliquid, & leue faciaris, quæ certe vix quidquam habebit, si nutritio non iuuetur calore imprimis remittendo, quòd est magis cordi necessarium, & febri hæcticæ propriè expetitum, nam, vt dixi, calor cordis, in quo primum est, esset tēperandus, siccitas verò nutritione vna auferenda non requirit vestram hāc humectationem. Ergo, cum curatio habita in melius iam corpus reuocauerit, desieritque ea suspicio ego nutritionem, & calori moderationem per cibos, vt per ptisanam, quod fecimus, procurarem, & obstructionibus sumouendis, & coctioni viscerum iuuandæ incumberem, siquidem cruditas, & obstructiones totam mali vim tenent, vnde vidistis quam ex rhabarbaro melius habuerit, & quam deiectiones lenes, & resolutiones alui illi profuerint, hinc ascēderem ad trochiscos de capparibus, de rhabarbaro, quos vel cum iure cicerum rubeorū, vel si timeatis squallorē, cū ptisana exhiberem.

Refrigerium ab aere per os ingrediente summum dat nobis anni tempus hybernum, & longè maius, ac tutius, quam balneum faceret, quòd in cordis spiritus si nō subito peruenit, cordis tamen corpus magis afficit, quam aqua possit, vt Gal. 3. de prognost. ex pulsu creterio, & secundo, quo nullum aliud auxilium cordi refrigerando iam vel necessarium, vel huius viribus sit comparandum, stomachi interea sustinendis viribus operā summopere darē, nedum vt balneo tepido demolirer, frictionibus etiam vterer, quæ magis nutritionem iuuādo corporis squallorem amouere poterunt, & calorem excitando concoquendi vim augebunt, inunctionibus quoque si videatur subiungendis idem molirer. &c.

Hic ex vsu rhabarbari incidit in accessiones vehementiores & paucis diebus febris est facta intermissa, ac post longam curationem euasit, cum vix ossa cutis tenetet, postea multis mensibus cachexia occupatus fuit, æstate tamen prima bonum habitum acquisiuit, & benè inualuit. In hac consultatione præterij rem admodū apud me dubiam, quæ est in genere cibi deligendo in febre marasmode. Nam Medicorum schola, quæ deligit cibos alimenti difficilis dissolutionis, ut cancros, cochleas, testudines, & id genus. Gal. verò contra pp angustiam meatuum, & difficilem concoctionē substante necessitate alendi citissimè deligit cibos facillimæ citissi-

citissimæque concoctionis, & distributionis,& ita lac præfert carnibus suillis,quæ ad multum alendum essent opportunissimæ.

De puella Pianosia ex febre ardenti tota nigra facta & in facie præsertim tumefacta.

CONSVLTATIO CCLXXXII.

MAligni nomen aliquando latentem malam vim denotat, aliquando, cum ferè consumit interdum cum remedijs non cedit, propria tamen quadam significatione accipitur malignum,quod putredine vehementi,& admodum fæda consistit,huius generis ego hanc febrem existimarem, nisi quòd cum perniciosus morbus sit, nō satis exprimitur ex Galeno nomine maligni, sed perniciosi. Malæ putredinis esse certum est, quod vlcus palati nigrum,& exedēs,quod corporis ater color non per maculas, sed continuata nigredine ferè corpus vniuersum occupans confirmat. At cur nullum delirium, cur magnus pulsus vsque ad extremū iam eius spiritus diem? cur nullum cibi fastidium? hæc certè sunt mirabilia,nam, quæ materia ad pestem, vel ipsam gignendam hac aptior potest excogitari, quæ tam nigra, tam erodens, tam præceps, tamque copiosa est, quæ demum sexta die,hoc est, hodie sit ei vitam sublaturas hac in re, postquam nulla est salutis spes saltem ad artis nostræ vsum hæc mihi dicenda videntur. Materiæ quidem genus mortiferum esse potest,at nunquā adeò,vt,cum nobiles partes occupat. Vis enim naturalis visceribus principibus sustentata firmioribus genus infestum malorum humorū extra nobiliores sedes eijcit,& adeò,vt aliquando, quod nunc fecit, in cutem ipsam perueniant, vbi, si fumi putredinis, & calor putridus interea cordis corpus calefaciens ipsum non contaminet,neque humores in eius finibus corrumpat, tunc vis naturalis tandem morbum est superatura, vnde mirum nō est, si aliquos turpissimis admodum malis euasisse vidimus,in quibus, etsi caput læderetur, atque etiā iecur,cor tamen se se defendere potuerit, defendit se se etiam hunc vsque in diem cor huius puellæ, vt ex pulsu magno,& creberrimo,celerrimoq; vidimus, vt tandē etiam vibraret,virtute adhuc integra,& ficciori eo immenso calore arteria affecta, quæ fortè inflammatione aliqua etiam extenderetur. At hodie subito res mutata est,neq; vibrat pulsus,neque vis sentitur, nisi imbecilla, atq; in pulsu crebritas vna relicta est, caput tamen se se defendit adhuc. Principes ergo partes si capiantur affectu, & præcipuè cor,tunc mortifera lues euadit, quæ si humores tantum depascatur cordis finibus comprehensos nō ipsum cordis corpus,tunc multi possunt euadere, si cordis corpus occupet, tunc nulli penitus restituuntur. Quod verò magis corpus cordis ab vna,quam ab alia corripiatur causa multiplex esse potest, nam solet imbecillitas esse facilis ad vitium, & corruptiones comprahendendas, solet putredinis certa species huic parti magis,quam illi apta similitudine, & contrarietate huic citius, quam illi labem infigere, præterquam qđ genus putredinis tam malum est, vt contagio concipiatur,& vel siue contactu per ipsum etiam aerem a se infestum traducatur, tunc enim cor aere vix in pulmonibus modificato vtens facilè secundum proprium corpus inficitur,ne dum secundum humida a se contenta, ita fit,vt aliquando contentis vix contaminatis corpus tamen cordis infectum homines male habeat, & morti tradat, in quibus narrabat Galenus se eos pulsus obseruasse qui a naturalibus parum different, intellexisse tamen eos peste morituros ex acri caloris specie,& ex æqua pulsuum,& febrium perseuerantia, quodque ipsi non sentirent febrire se, quod indicio erat cordis corpus calore febrili occupatum.

A Malignitas ergo quæ putredine peiori nititur, tunc lōgè peior, ac verius malignitas est,cum ad partes principes, & cor præcipuè peruenit, quæ verò id facit eō facilius, quò fœdiori putredine constat, & sanguinem etiam occupat humorem omnibus æquè communem, ita etiam facilius contagio potest inficere, vt demum, si certa contrarietatis impetu cordis attingat corpus, pestis verè appellari possit, cum ab euētu quod nulli euadant, tum a causa, quoniam tunc per aerem cordi familiarem,& humoris communis halitu corda aliorum attingit, quod si non ita fæda sit, vt neque tam sanguinem habeat, neque aer infici possit, neque per ipsum corda attingi, sed contagio tantum ad humores cordis peruenire tunc neque ab euentu pestis, quoniam plurimi sanescunt,neque a causa, quoniam non ita latè potest contagioni vagari, dicenda est,malignitatis tamen

B nomen, & pestilentialis meretur, quod illius putredinis naturam referat,scilicet malæ,& vehementis, huius vero etiam partem habet,quod sinus corpus occupat, vnde plures quoque necat. Quandoque pulmonem, aut iecur hæc putredo maligna tenet, aut ob inflammationem sui causam,aut ob speciem similem inflammationi,& tunc tum genere putredinis, tum loci occupatione maligna dicetur, & a iecore colliquationem habebit, vt illa, quæ humores cordis occupat, potius amentiam, non dixerim insaniam semper. Colliquationem ferè sequitur alui resolutio, sæpè sudor aut vrinarum copia aliquando tumor abdominis, & carnium. Sæpè verò res ab hoc in illud genus pertransit, vt in hac puella in ambitu corporis putredo mala orta est, vt sæ-

C pè in alijs vidi ob nimium malorum humorum concursum quacunque causa factus sit, inde ob copiā putredinis ad venas maiores, & tandem per contagiū ad cordis corpus maximæ hodie, cum moritura est peruenit, Magni itaque pulsus, & vibrantis erant antea, cum cor sese defendebat, nam succumbit, & illos infirmos habet, in alijs ego vidi ab humoribus cordis per summam insaniam ad cordis corpus peruenisse, insaniam verò cum putredine humorum,& caloris vi cessasse,& in amentiam quietam transisse, quietemque habuisse, sub qua duobus diebus perierint, quosdam verò pluribus, vt in 10. diebus, qui marasmo confecti sunt, Nonnulli etiam visi sunt a febre liberati vrinis malis,& aluo peiore palato,& lingua arida, pulsibus duris quamquā valdè raris, qui reuersa magna febre duorum dierū ex-

D tincti sunt; Neque verò vllus medicus est, cui non contigerit curasse febres, quæ primò tertianæ essent, post aliquot dies, vt quartum, vel quintum in continentes mutatas, a septimò subito, vt ex pulsu imbecilli potuit intelligi, cordis corpus putredinosum febris calorem comprehendisse,& pestilentes non solum malignas esse factas vel saltē cordis humida occupasse, malignasque euasisse.

Hæc de malignitatis, & pestilentiæ nomine & natura mihi nunc breui dicenda visa sunt, quæ alias subtilius & latius sum explicaturus, prognostico enim vestro satisfaciunt. De remedijs cum prognostico tantum locus sit, non agam.

Eadem die tota nigra facta est, & tumida facie, & nitenti sublata est.

E Febres in toto habitu corporis vidi multas, sub quibus vrinæ, & pulsus a Medicis summopere laudabantur, tandem subito post 11. diem ęgrotos, & debilitasse, & necasse, & carnes confestim eo nitore atro computruisse.

De Mutio Tingoli syncope correpto, & per casum ex ea capite afflicto, postea de apoplexiæ suspicioso.

CONSVLTATIO CCLXXXIII.

SYncopen primum eius malum fuisse, deinde casu in caput sequuto memoriæ, & locutioni noxam allatã, non autem epilepsię speciem, aut apoplexiæ fuisse coniectamus ex audito ordine, & actionibus læsis. Ordine, quoniam cæpit eum dolor primum ventriculi a cacochymia ex prægressis febribus; deinde inædia eius diei malum humorem in ventriculi os adduxit, vomitus, & alui perturbatio sequuta est, post quæ paulatim se se deficere ex eo insidente dolore sentiebat, & cum se ad lectulum recipere ab egressione tentasset, cecidit cum sudore, & frigore extremorũ, casum verò quoque sequuta est sensuum, & motuum amissio commune signum cũ syncope capitis ictu quassati, vidi ego multos ex ictu capitis integris reliquis totos tres dies sine vlla memoria fuisse, neque nominibus rectè vsos. Is noster paulo post facultate motrice restituta sponte incedebat ad aluum identidem deponendam clystere impulsus, pulsuque ex imbecillo ad valẽtem mutato, memoria tamen interea penitus amissa, & loquela, quoniam ictus supra autem in os petrosum in vna parte factus totum cerebrũ multa cõcussione ossium affecerat. Quod si apoplexia fuisset tanta, quanta vel accidere subitò solet, non tamen id frigoris in extremis nisi moriente iam homine fuisset, etsi authore Galeno cum magna futura est, syncopen primo habet, non respiratio remissa, nisi intereunti, nam alioquin & spuma, & strepitus, & violenta admodum respiratio fieri, vel in pereuntibus ex apoplexia solet respirationis vsu vel aucto vel manente, facultate verò motrice defecta, quod si reuicturi sint, & non labesit cor, neque ex ita magna apoplexia tam subito resurgũt, neque tam citò valenter incedunt, nam ita magna apoplexia, quæ memoriam tollat, quæ cordis vires auferat, pulsumque faciat tam imbecillum, semper, vt Hippocrates etiam proposuit, paralysim relinquit, cuius ipse nihil sentit, neque ita facilè soluitur, leuis verò non fuisset hæc, quoniam apoplexia leuis non tollit memoriam, grauis verò non tollit, quin secum motum interea labefactatum relinquant, nam non est ita propriè partis illius malum, sed ad mediam cerebri partẽ, & totum ipsum spectat, Vnius ergo cerebri partis leue malum non attulisset, syncopem ergo casus, & ictus fuit, cuius concussione tanta accessit læsio, vt in loquendo nominibus rerum careret, & ita hæc mala partis contusæ, & cerebri quassati nota existunt, vt linguæ quoque impedimentum, & auditus, quoniam ossa auditus inuicem concussa auditum afflixere, si cerebrum medium potuere conturbare motrice vi valida, cum spiritus per quietem resumpti sint; quos concussu dissoluerat, vbi lingua visa est debilitata, quoniam memoria etiam loquutionem non suggeret, quamuis non amissa esset linguæ vis mouendi, ita confusam loquutionem memoriæ ipsa labefactatio facere poterat, Quare de apoplexiæ rediturae metu nihil habeo, quod dicam, quin securitas mihi maxima est a natura corporis, & capitis sicca, & calida totius corporis præter caput, & minimè excrementitia ab ætate vigente, a modo exercitarissimo, &cæt.

Exeellentissimo Renato Brasauolo, Serenissimo Ducis Ferrar. Physico. S.

CONSVLTATIO CCLXXXIIII.

CVm cogitatur de mittendo sanguine Serenissimę Ducissæ nostræ, ne quid prætereatur, quin consultissimè fiat, te quoque rogatum in sententiã volui, Res, vnde iudicium id colligas, sic habet. Post Nonas Ianuarij instantibus ei mensibus rubor tenuis ad angulos maiores oculorum incubuit magis in dextro quam in sinistro, & hoc, postquam tempestatum ratione se se diu domi continuisset, subitoque se postea aperto cœlo commisisset, & ex ambulatione incaluisset. Mensium modus inde solito parcior fuit, malum verò oculorum adhuc trahit, & quamuis leuius videatur, tamen, vt ferè fuit varium, nunc etiam est modo magis modo minus molestum, is quidem nunquam in expressam inflammationem euasit, dolore ferè caruit, nisi quod, cum sub noctem quotidie ingrauesceret, pungentis rei sensum in angulis afferebat, quod nunc quoque aliquando facit, nunquam rubor coniunctiuæ ad eam partem peruenit, quæ aperta spectanti est, nisi admodum liquidus, vt ferè non animaduerteretur, internas potius palpebrarum oras rubore inficit, & cum grauissimè habet, exterius etiã effertur, sed citò externas partes relinquit. Lachryma primo tempore per noctem in puris crassitudinem cogebatur, alioquin liquidior, nunquam mordax, acrisve, rarò calida, frigida sæpius, ac quod refert ipsa Domina Serenissima, aliquando oculi in aqua versari videntur, tunc præcipuè, cum aliquando supra palpebras sine dolore leuiter, & ferè inuisibiliter tument, noctu ait lachrymam largiorem esse, interdiu vix agnoscitur, cum neque rubor valdè conspicuus sit, neque quidquã aliud noscatur a naturali habitu dissimile. Superioribus diebus, cum peius habebat, tum non solum oculi, sed caput, & dorsum, & crura ingrauescebant, vt interdum per noctem perhorruerit, & subinde succedente calore sine quiete fuerit, nunc caput ferè calorem sentit, & facies coloratior est, vt dixi verò menses parcius processerunt, quare quamuis non valdè male habeat, & sanguini tenuiori plurimũ pituitæ, aut certè bilis aquosæ immixtum sit, tamen mensium iuuandorum ratione, & quoniam res ei vel eo nomine molesta est, quod a lectionis solatio impeditur, quodque vereatur, ne circũ oculos aliquod fœdum vestigium spatio mali relinquatur, ideò hortante etiam consuetudine, qua ferè quotannis id factum est, mitti vtiliter posse ex talo sanguinem sub mensium ex spectatione creditur, atque a te, quod sentias expectatur.

Interea hæc facta sunt: post finitum mensium omnem impetum, oculorum causa aluus per mannam resoluta est, & inde multum virentis primum, deinde serosioris bilis eductum, præterea, cum omnis occasio respiciendorum mensium præterijsset, & oculi auxilium desiderarent, per cucurbitulas dorso scarificato sanguis est detractus, qua in re ipsa summam spem posuisset, pilulas quibus vti consueuit, tutissimum medicamentum proponebam, & valdè ei generi humoris eliciendo opportunum, sed ipsa anni tempus alienum verita est, potius missionem sanguinis passura, & dum tempus iuuandis idoneum sit, toleratura. Rem & cõsilium nostrum habes, nos dum quod sentias rescribas exspectabimus. Valeque mutuo ama. Pisauri 6. Calend. Februar. 75.

Pro Comite medulæ epileptico existimata. CONSVLTATIO CCLXXXV.

PRæterquam quod, quæ narras mihi, dubium faciũt hoc tempore, quod nobis hactenus est persuasum, sit ne morbus is epilepsia, faciunt etiam, vt verear quidquam proferre, quod conijciam huic morbo, cuiusq; sit generis, factutũ. Nam virium infirmitatem obijcis, q̃; quanta sit, ægro non viso non possum internoscere, plurimum.n. referret, an ea viriũ, an oneris causa sit, onus enim non solum vim medicinarum non patitur, sed vt apprimè vtilem eius valetudini exposceret, tertiò quod non constater asseris, & magni referret, ego suspicor febrem subesse. Itaq; mihi videor iter cogitationis penitus obstructum, neque posse progredi ad aliquod inquirendum. Etenim non posse esse epilepsiam illud facit, quod in ægro cerebrũ ipsum sub hoc malo non agitatur, quo aliquid iniuriarũ propulset, quod verè est huius morbi ꝓprium, dicitis.n. vnum oculorũ sensum eo tempore impediri, & ægrum asserere sub ea oppresione non cernere, ex quo tum vestro, tum ægri testimonio quadã alia facultate sentientis se lumine oculorum priuari, dũ sub ea occupatione mali iacet, colligo ego, quod ipse nõ oĩbus cerebri facultatib. ab illa occupatione priuatur, neque minus memoria, ergo cerebrum non concutitur, ergo epilepsia non est. Epilepsia id habuit noĩs, quod denotat cõpræhensionem desuper venientem, siue a cerebro, siue cælitus, ut vulgus, vnde vocabula habẽtur, opinatur, quæ hominem ipsum occupet, modo quodã singulari, nam morbi oẽs occupant, at is ipsum penitus hominem corripit, ut non possit ad se redire, nisi malo decedente. Sed nomen dimittamus, definitio per extimã formã, & spẽm ipsam data, eius causis neglectis est hęc, quod est conuulsio oĩum corporis partium non vna cõsistens, sed ex multis continuata cum mentis, & sensuũ internorum oblæsione, quã oblæsionem interprætatur Gal. amisionẽ sensuum internorum simul cum externis, quã amisionem alibi uocat ἐπίσχεσιν, ut lib. de diff. symptomat. c. 3. omnino cõcors definitioni superius datæ, atque explicatæ lib. 3. de locis aff. c. 7. at, vti dixi, hæc species est, & aspectabilis mali forma, quæ symptomatũ cẽsu a Medicis ducitur. Vim internam mali, & quid intus hẽt, quod possit tot malorum visibilium in causa esse, uideamus; certè nulla alia causa esse põt, quam, quæ excitet cerebrum ad sui concussionem contractionemque, vt sibi noxium propellat, sub qua ipsum interea cõturbatum cæteris suis functionibus priuatur, præcipuè, quoniam oportet, vt ea causa cerebrum molestans sit in loco potissimo, vnde cogat ipsum sic agitari, siue ea corpore præsens sit, siue specie inimica. Si corpore sit præsens locus, omnino erit principio neruorum proximus, & cerebro potissimus, quare uel medius, uel postremus uentriculus, anteriores.n. motui concitãdo idonei non sunt, somno potius inducendo, & uertigini mouendæ sunt, unde, & si princeps causa sensuum impediendorũ sit cerebri concussio, id est uehemens agitatio, & spiritũ eius extinctio, ita, ut obstructione uel posteriores uẽtres tantum occupante oculi ẽt extinctis spiritibus lumine priuantur anterioribus, &, sibi uicinis uentriculis liberis, ubi, cum malum suo corpore in postremis uentriculis reperiatur, maximè poterit ẽt ad impediendã memoriam, & mentem, & omnem cogitationem, ne dum motui ei perturbato faciendo, quasi corpore ibi præsens non sit, sed specie sola inimica irritet, ut in pũcturis neruorum, in stomachi per bilem morsibus, tunc cerebrũ amittit, in ea re tamen actiones suas omnes, quoniã cõmouetur totum, spiritibusque extinguendis concussio idonea facit, ne possit per suas functiones aliquas se se exercere. Itaque cum totum corpus uidemus concuti hoĩem uerò non exire ex se spinalem potius medullam rectè causabimur, ut in hoc corpore possemus facere, si certi simus hanc esse conuulsionẽ, non saltum, ut odorare visus sum ex verbis vestris, quibus dicitis eam esse

A leuiorem conuulsionem, & quasi saltum, quam leuitatẽ in imbecillitatem virium vos refertis, quam rectè verò non inspecto ægroto iudicare non possum, spinalem verò medullam posse vitiatæ motionis esse in causa, comprobatur ex eo, quod sæpè vidimus motionem hancã neruis partium fieri, vt sæpè brachium, sæpè totam sinistram partem tantum conuelli, & neruis sæpè consensione cum altero non malo proprio agitatis quo perpetua etiam esset distensio, ne dum illa quoque per impetus subitos fieret, sæpè etiam totum corpus agitatum vidimus integro cõmuni sensu, quod sit præcipuè in mulieribus consensione vteri inde malo spiritu elato non obstruente, sed irritante tantum, quod fortè in puncturis neruorum fieri possit medullæ suprema parte cõmota, quod si cerebrũ quoq: afficiatur per societatem ex
B eius concussione spiritibus extinctis, necessario sensus amittantur, nisi valdè leuis ea concussio sit, a stomacho quidem vix fieri potest, quin sensus lædantur, cum bilis id factura vel oculis caliginem obducat, a quo vẽtriculo si vapores tã crassi attollantur, ut uentres cerebri obstrui possint, his in pituitam crassam conuersis, necessario tunc obstructio, hoc est morbus, est in cerebro, & non est per consensum, minus symptoma, nam in consensu pars cõsentiens a parte morbo oppressa afficitur, nec ipsa hẽt morbi formã in se, etsi habeat symptoma, imo sæpè tantũ sensum habet mali quem sensum symptoma sequatur, sæpius causam trãseuntem, vt in oculis suffusio a uentriculo, quare perpetua non est, neq; ibi hæret, at cum colligitur causa, & demum facit morbũ in parte illa, adeò ut deficiente etiam causa aliena suam
C in se tenere posrit, tunc per se pars affecta est, & si non primario affectu, sed secundario, morbum hẽt quidem aliunde, neq; tamen per consensum tantum, quoniam omnem uim, firmamq; morbi habet, & causa remotis ẽt alijs in ea parte detinetur, vt hic si lentus humor in cerebro sit, [& se ipse mouere natura possit, alio non ueniẽte, & si aliunde missus sit, neque litem faciam, si suffusionem ẽt a uentriculo, manentem tamen, & firmam eo pacto sic censeas, sat mihi est, quod morbus in parte est, ita ut nullo alio auxilio manere queat, quamuis initio aliunde causam habuerit, sed uidetur quoq; differẽtia epilepsiæ in eo esse posita, quod transeuntem humorem habeat, quamuis.n. humor faciẽs epilepsiam, interdũ in cerebro sit, tamen manere ibi non uidetur magis quam uapores a uentriculo suffusionem facientes ma-
D neant in oculo. Itaque, quamquam non simplici consensu fiat, sed materia, & causa communicata, tamen, cum causa non possit manere, nisi aliunde sustẽtetur, consensione etiam fieri uideatur. Nam & suffusio, cum obstructio sit, & facta sit, in oculo dici potest uerè esse, quã obstructionem esse in manente re est positum, quoniã tamen non maneret, nisi a uentriculo missis uaporibus sustentaretur, propterea per consensum adhuc esse intelligitur. Epilepsia ergo, q̃uis totũ suũ esse habeat in cerebro, cũ in eo causam sui hẽat proximã, qua potens est seipsa motionẽ illam efficere, eã tñ causa, cũ humor ẽt est, non põt manere, nisi aliunde restauretur, ut suffusio a stomacho facta in oculo suam naturã hẽt, tamen q̃m quod eius in oculo est, simulatq; summota uẽtriculi noxa est, subito nihil est, neq; læsionem perceptibilẽ hẽt,
E ꝓpea neq; morbus est, qui in facta re consistit, sed consensione fieri dicitur. Suffusio ergo a stomacho sustẽtata nõ sat hẽt causæ, & naturæ suæ in oculo. Epilepsia pariter uidetur in cerebro causam firmã non habere, quæ aliunde renouanda est, ẽt si lentã & crassam materiã in eo habere credatur, qđ si a bile stomachũ mouẽte fiat, uel a nerui punctura, tũc longè magis illarum est, quod in cerebro noxa non est, neq; seipsum affectum cerebrũ eo modo dicendũ sit, sed potius aliũdè affici. Verũ aĩad uertere oportet, magnã esse differentiã inter suffusionẽ, & epilepsiam, quæ si contigerit, ab humore crasso fiat.

Nam humoris crassus manere potest seipse, & obstructionem tenere, & id facere, nisi in multa depelleretur, halitus verò suffusionis non possent se se retinere nisi

aliunde sustinerentur. Itaque quamuis epileptici cerebrum in medijs inter accessiones spatijs tantum imbecillum est, sub accessione tamen per se afficitur, & se ipsum non aliunde, cũ lentam & crassam materiã habet, & si illam aliunde acceperit, eã tamen cum habet, morbum habet, neque alterius ope interea eget, vt habent, quemadmodũ & articulus in podagra, qui in medijs interuallis sola imbecillitate tenetur, in accessione tamen morbũ habet, & mali præsentis aliunde causã non expectat, sed habet, expectat tantum, vt rursus habeat in posterum, ac cum acceperit ita habiturus est, vt sine alia queat manere. Sed ad rem propius. Dubitatis vos, & disputatis id malũ non esse in capite, sed à ventriculo proficisci, dicitis eo vos moueri, quoniam sensibus manentibus sub eo malo agitatur, vnde non cerebro, sed ventriculo male habente id esse necesse sit. Credo quidem non laborare cerebrum, imò nõ solum esse à pituita illa liberũ, sed etiam ab omni cõsensione, qua solet symptoma illud accipere, nã si acciperet, certè sensus ob sui cõcussionem amitteret. Sed esto, vt hoc fieri queat. Quærã ego etiam tunc, quid causæ efficere conijciatis hoc symptoma per ventriculi consensum, bilẽ ne? Vos nullo modo eam subesse in eo corpore ob eius naturam frigidissimam, & crudissimos humores. vultis concedere, si dicam quomodo id fiat, dicitis a vaporibus tã crassis, à pituita ventriculi elatis, vt ventribus cerebri in lentam, & crassam pituitã, reuertantur, ego tunc miror quomodo nõ fit in cerebro morbus, seu symptomatis causa, & quidẽ tanta, quanta sat sit nullo expectato auxilio se ipsa integrũ symptoma facere, & simul omnes cerebri facultates impedire, nam certè is consensus nõ est, quemadmodum dixi, cũ causam habeat, quæ seipsa manere potest, vt secundaria etiam affectio sit, nam longe aliud est cõsensu, aliud secundario laborare, quę quidem differentia facit plurimum ad curationis rationem moderandam, nam nisi locus primo affectus curatus fuerit, frustra cerebro referetur opera. At verò nescio, quomodo simplices elati à vẽtriculo vapores in tam crassum humorẽ, ac ita copiosum concrescant, cũ procliuis situs ventriculorum cerebri ad colatorium ad deportandam, demittendãque aquam, in quam vertuntur vapores, sit maximè idoneus. Itaque crassus humor per venas potius, & arterias in caput suggeritur vehementiori iecoris, & venarum calore leuis, & tenuis facta, quod à ventriculi calore non posset, quantuscunque ille esset, effertur que in sinus membranarum, inde in ventres cerebri percolatur, ibique calore nimis remisso cerebri in suum pristinum habitum redit, scilicet in glutinosum, & crassum, & ita sensim, copia, crassitie, & lẽtore aucta pituita eos ventres complere potest, donec (si vnquam integris suis functionibus tantum apparatum possit expectare cerebrum) omninò obstruẽs vim cerebri suo impedimento concitet ad se expellendam. Cuius quidem materiæ pars tunc vt casus proponitur semper in venis capitis quamquam non dum molesta reperitur, & portio aliqua etiam in vẽtribus cerebri, vnde caput quoque si non per symptoma, certè per eius causam antegredientem dici affectum posset, ne dũ debile, & indigeret expurgari eo malo humore, qui semper partim in sinibus est, partim in capitis venis, partim in via ad ipsas, & ita epilepsia ibi suas habet rationes ex quibus auxiliorum ratio colligatur. Verum, vt ad dubiũ me referam, dico, quod à ventriculo, & partibus inferioribus per vapores frigidos nunquam fiet epilepsia, nisi caput quoque afficiatur, quod si fiat per vapores acres, & venenosos, ita solummodo sine affectu proprio epilepsiã caput potest accipere, & tunc consensu propre fit, id est nõ accedente causa idonea ad ipsum, cerebrũ quę se ipsa, constans & sponte sua quoque alio membro ẽt ab afficiendo quiescente, id faciat, nihilominus cerebrũ symptoma recipit, & sensus amittit. In hoc itaque ęgroto materia frigida superãte necessario caput afficeretur, & ita hæc epilepsia mentem, & sensus omnes penitus occupatos haberet, & enim per frigidum humorem cerebrum ad epilepsiam per consensum simplicẽ ventriculi addu-

A ci non potest, nam frigoris sensu, ac vi nulla perturbatio motus fieret, cuius est potius motiones sopire, atque occupare, simulque abolere, & ideo caput nõ frigus sed humor adeat, oportet, qui põdere occupationeque viarum irritet ad expulsionem. Si confugiatis ad malignũ vaporem, tunc nihilominus cerebrũ sensu priuaretur, preterquã, quod non est consentaneũ ijs, quæ statuistis de natura corporis frigidissima, & fatuitate hominis frigidissimũ caput ostendente, & ventriculo tã imbecillo. Assertis tamen indiciũ, quod ipse sentit frigidã auram per spinam sursum ab osse sacro cõmeare, si benè intellexi, frigus illud per spinam, & dorsum non solum sursum, sed deorsum etiam fertur, & in his cerebri malis quę febrẽ efferunt fere, hoc est familiare, sed esto, sit etiã ossi sacri subueniendũ, quod etiam paucos ab hinc dies dolet vehementius, cęperat tamen malum capiti, & epilepsia dicta, antequam hoc in dorso animaduerteretur: preterea, si ab ea parte fieret, nõ ita frequens esset accessio, vt bis, ter, quaterque in die caderet, imo amplius quod facit etiã vt non sit vllo modo per consensũ, si est epilepsia, neque ventriculi, quoniam æque omnibus horis fit, in ieiunio autem tantum id fieri consentaneum est, minus consensione totius corporis simpliciter, nam non ita citò tantum materiæ colligeretur, nisi cum toto corpore caput quoq; malè haberet, vt neq; in sacro osse tanta maligni uaporis copia colligi posset, vt tam frequentia symptomata afferret, vel si putridum totum illud os esset, ne dũ integrũ, & si doleat potius ad se dolẽs materiã attrahe ret. Demum cũ videtis vos reuolui eò, quo minimè voluer atis, vt voluntarij videamini eo adduci, concessione ea utimini, nimirum, omnium trium generum causas hoc symptoma habere, vt & per essentiam, & consensum ventriculi, & elatos vapores malignos fiat, vbi mirabile videretur, si, quod initio erat per essentiã, postea per consensum auctum esset. Econtra enim, augeri solent mala, vt, cum prius cõsensũ fiant postea spatio inualescentia parti infigantur, & partem prius consensione afficientia ipsam postea in mali vitium transmutent, ut iam per se ipsa morbum habeat. Hoc quidẽ consentaneum est, & dici certè sine stomacho potest. At partem se ipsam morbosam spatio quo malum augetur per consensum magis affici non suo malo augendo, sed ab alijs, quæ prius ei non essent infestæ, postea noxiæ sint, cum partes omnes ualentiores se se integras sustineant, & in affectam exonerare soleant. Hoc uidetur nouũ, & studio potius uestro, quam rei ipsius occasione allatum, sed ut iam hæc omnia sint, est tamen uerisimile, ne dicam necessarium subesse cõmunem certã causam, & admodũ ualentem, quæ tot afficiendis partibus in hoc malũ conuenientibus fuerit idonea, ut primum febres, deinde epilepsiam attulerit, & tantam uirium infirmitatẽ, & corporis maciem, & sacri ossis dolorem, &, ut uerisimile est, lentam aliquam febrem. Ex hac ego, quæcunq; illa sit, existimo conuelli corpus totum, & oculos obscurari, & malum omne afferri, quæ si in capite penitus esset, ut dixi, ueræ epilepsiæ effectis, & notis nõ careret, neq; febres, nisi cum lethargo cerebro per putredinem infecto, obscuratisq; eius facultatibus, & sopitis efficeret, ergo ab uniuerso corpore, & a uiscere aliquo potiori malum omne exortum, & sustentatũ est. Huic primum esset subueniendum, qđ per proprias notas esset explorandum, genere, & modis oĩbus affectus, & propriæ naturæ definitis, ut remedia ei possent accõmodari. Dicitis corpus esse maximè expurgatum (ferè.n. antegrediens causa per malorum humorũ eductionem submouetur, quæ semper primò tollenda est.) Accedatis ad uiscera restituenda, frigidos conijcitis humores primo per sacri ossis dolorem, qui a solutione cõtinui hoc loco, & hoc casu accidit, cum membranosas partes magis habeat, deinde eosdem frigidos humores colligitis ex spatio morbi, facereq; obstructiones. Porestis una & obstructionibus subtrahendis, & uisceribus, & partibus, aut locis restituendis uacare, & capiti quoque confirmando.

Vnde vtí potestis syrupo ex stœchade, betonica, saluia, pœonia, hæc enim amara est, & capiti conueniens, vnde & viscera liberare potest, & caput, carduo benedicto, trifolio, & similibus, rhabarbaro quoq; vti potestis cum turbith, cnico, si agaricum timetis, parce eo cum aloe, & rhabarbaro vtamini, et modo exiguo, crebro potius dando quam multum, nam visceribus, & capiti vtilia erunt, & materiam paulatim educent, & vẽtriculum confirmabunt, post aliquantum horum vsum, ad theriacam accederis, ad oleum nucis moschatæ, & similia, quę erunt describenda, interea clysteribus acrioribus vtamini, quibus præcipuè dolor ossis sacri iuuari videatur. Atque si certiores facti fueritis, inde vaporem in caput malignum efferri, sinapismus loco amandanti necessarius est, & vesicam inducẽtia, ac fortè vlcus profundius mouentia, alioquin dolori leuando vtamini oleo antiquissimo incoctis millepedibus, lumbricis, pinguedinib. castoreo præsertim cũ vino, oleo hypericonis, de succino, de humano craneo, de naphtha, ac similib. balneis, & insessionibus; oleo quidem tota spina inungi posset vsq; in occiput. Prætereo frictiones, & victus omnem rationem, cum definitè nihil loqui possim, in cibis tamen saluia, & ruta si potest, saltem nux myristica, vel eius oleũ componatur, & ex ea aliquid ore contineatur. Castoreum cum medicamentis commiscendũ, et vnguis non dixerim onagri, sed quę magna bestia dicta est, & secundum obseruationes Aristot. genus cerui est, cuius vngues tanti fiunt ad epilepsiam, os cranij alij, alij pilos canis, alij alia proferunt, sed incerto malo certiora remedia afferre non possum. Valete.

De pleuritide pituitosa admodum.

CONSVLTATIO CCLXXXVI.

V. D. Excellens a me accipere non potest nunc, q̃d debeo, & quod maximè vellem, cum ęgrotũ inspicere nequeam. Fortasse vires, & eius status venæ sectionem non patientur, quã morbus exposcit. Fortasse eam in brachio, fortasse pedibus requirat, fortasse loco huius cucurbitulæ incisa cute opus essent, quæ difficultas erit quoque in delectu medicinarum, & in deliberatione sinapismorum, & vesicam mouentium, quæ in casibus, tã præcipitibus solent requiri. Quæ omnia capita Medicis præsentibus proponenda sunt, eisque iudiciũ permittendum illud quoque, quod ad auertendam materiam pertinet, per frictiones, & res alias eiusmodi, & caput illud electuariorum, & syruporum ad sputum facientiũ, quorum plenæ sunt apothecæ. Possum proprie in memoriã reuocare, quod alimenta tanta esse debent, quanta vires sustenrent ad expuendum, non amplius, quib. admixta sint amygdala, pinei nuclei, & helenij radices, ficus, oximel, & res eiusmodi, sicut norunt benè Medici præscribere, & crebro ptisana. Videndum etiam erit diligenter si destillatio a capite solummodo descendit toto corpore expurgato, quoniam iam tantummodo vinum concedetur, quod non acerbum sit, & sit mixtum cum paulo sacchari. Neque bibat, aut illud, aut aliquid aliud valdè frigidum. Hæc hactenus manum deosculando Foro sempronij 3. Cal. Feb. Anno 1574.

Pro Serenissima Vrbini Ducissa.

CONSVLTATIO CCLXXXVII.

GRatias ago plurimas tuæ erga mè beneuolentiæ, & longè magis laudo studium, & diligentiã tuam ergam nostram Dominam. Atque quo ego ostẽderem meam volũtatem erga illam, non veritus sum videri nimis audax in eius seruitio, & petitione tua. Vere bilis flaua non superat, sed potius nigra cum pituita multa, quod in longis morbis. & in hac ætate consueuit, & vsu cibo-
A rum crassiorum, quemadmodum fuit, quibus de causis ventriculus quoque, & potissimum affectus est, & ad eũ attinentes venæ necessario obstructæ. Inde caput sua natura debile, & fumis accipiendis assuetum partẽ habet suam, & articuli quoque ac nerui, qui exceperunt, & recipiunt ob lassitudinem, qua tenentur, dum genuflexa in orãdo assidua est magis, quam vires eius pati possint. Hinc non possum non probare illas admonitiones factas à te de lenitiuo, de prætereunda sanguinis missione, & de reliquis. Adiungas, quod materia paulatim est educenda, vt diu, & paulatim est paranda, adeò, vt non semel, sed pluries purgatio facienda sit, neque vllo modo ad vllum sudorificum veniendum sine diligenti corporis purgatione, quoniam copia tanta, & tam crassa in venas paruas expressa nimium periculi haberet. Demum
B si salsaparilię aliquid adijcies guaiaco cum betonica, & chamæpiti bono consilio facere mihi videberis. Vale Serenissimæq; Ducissæ salutẽ plurimã reuerenter dicas.

Pro Excellentiss. Bisiniani Principe.

CONSVLTATIO CCLXXXVIII.

COmmodum accepi literas tuas de re Principissę Illustrissimæ, & Excellentissimæ. Noui ipsam certam esse, quã ego se obseruem, & quã cupiã ipsius gratiã quemadmodũ significat ipsa in hac occasione, quãquã minima, præterquã quod præbuit notam cõfidentię suę in me, & debito meo officio locum exhibuit. Ego laudo
C sententiã tuam in ijs omnibus, quæ mihi exposuisti. Ac, quod attinet ad alui leniens medicamẽtum cum cassia siliqua mihi non placeat, cumq; hieta capienda sit tanquam ferè suo stomacho necessaria, cum ea ego libentius cõponerem electuarium lenitiuum, quam diacatholicon in purgationis initio. Quod ad syrupos attinet nõ commiscerem eos, qui ex melle fiunt, quoniam cũ vno, qui ex melle esset stomacho vtili, alios vellem rationem iecoris habere, & iccircò potius ex saccharo essent, adeo vt cum melle rosaceo probarem syrupum acetosum cũ eo, qui est cicoreo, & parte eius, qui est, de absynthio, qui dissolueretur iure eicorei, boraginis, menthæ, betonicæ, & matr cariæ. Vellem quoque lupulos, quo facerem rẽ, quæ per omnes vias naturę necessarias ferret. Missio sanguinis esto post aliquos syrupos, & ab inferiorum articu
D lorum aliquo fiat, quantum sanguinis mittẽdum sit, quæ circumsistent res ostendent, quæ credo permittent etiã octo, aut nouem vncias. Inter hoc, & purgationem interijciantur tantum quatuor dies, aut quinque seruata recta victus ratione non admodum tenui, sed valdè extenuante, concesso ei cicoreo lupulis, asparagis, cinnara, radicibus raphani, germinibus brassicę, & ijs similibus cũ cibis boni succi, prætetitis ijs, quæ adstringunt, quæ referenda sunt ad tempus, quod erit post purgationem Medicina sit sicuti proponis ex rhabarbaro, & agarico, & hoc valde modificato ex diacatholicon, & manna. Post hanc medicinam duobus diebus solnmmodo attenuantia concedantur, quo perficiatur inanitio etiam per vrinam, & alias vias. Postea ex toto interdicantur, ne corpus malis succis compleant, & peioribus, quam priores
E fuissent, visceraque calefaciant maiori cũ periculo. Subinde in vsu habeanrur in cibis res virium viscera firmãtium, veluti condite, saccharum rosaceum cum eo, quod est florum saluiæ, betonicæ, corticum citri, primis octo diebus ad minus, obseruando, quod cõcoxerit, antequã cibum sumat. Virides, & acerbæ amygdalæ omne hoc, quod effecisti euerrent. Cæterum opinor superuacaneã esse hanc, & omnem orationem, cum tu assistas, quem ego noui diligentissimum. Eapropter omnibus omissis me tibi commendo, & oro osculetur manus meo nomine istis Excellentijs Illustrissimis. Foro sempronij 15. die Aprilis Anno 1574.

De febre continua leui cum lienis tumore.

CONSVLTATIO CCLXXXIX.

MOrbus descriptus, cum de illis sit, qui incidere cõsueuere, rationemque curandi vulgarem habeat, quamquam lõgam, & difficilem ad obtinendum opus suum, non eget multis obseruationibus Medico iam instructo. Medicinæ debent esse leuissimæ, & sæpè repetitæ, & rhabarbaro præditæ omnes cum capparibus, & tamarisco, eupatorio, radicibus communibus, & eiusdem generis alijs.

Porrò crediderim hæc satis fore, si in vsu longo habeantur, siue per catapotia, siue per bolos, siue potiones. Syrupi appositi erunt de cicoreo, etiam composito maximè cum rhabarbaro, vt est ille Nicolai, cum Bisantino vocato, aut eò qui dicitur acetosus diarrhodon. Perdifficile erit statuere, vinumne ei conueniat, an non febris causa. Interea ergo vti poterit iure anisorum, cinnamomi, rorismarini, aut similis rei aperientis cum saccharo. Acetum satis vtile ei erit, quando humores exhausti, commodum erit emplastrum contra splen primum emolliens ex oleis, pinguedinibus, medullis folijs, ac seminibus, tum radicibus emolliẽtibus. Deinde emplastrum discussiuum cum gumatibus tamen his imponendis alternatim. Fit cataplasma ex folijs capparorũ, radicibus filicis, oleo de capparibus, fit emplastrum ex gummi ammoniaci, & aceto valẽtissimum. Atque hæc ego credo sat fore, cum quibus tibi iri satisfactum exopto, & manum deosculor vna, & istis omnibus nobilibus Forosempronij 12. Calend. Maij Anno 1574.

De dolore leni genuum cum maximo impedimento.

CONSVLTATIO CCXC.

QVo ambitus corporis vniuersus, & halitus expurgaretur, ego facta per ventrem purgatione longo spacio ei prẽberem potiones ad sudorem, & vrinam mouendam, sicuti aut ex guaiaco, aut rore marino, pro vt commodius fuerit, & tibi potius placebit, ex quibus firmarẽtur omnia viscera quæ indicium aliquod vitiositatis, si bene in memoria habes præterita signa præstiterunt. Aliquid etiam capiti facerem eadẽ causa, sicuti lotiones, & capitpurgia. Post quas res ad genuũ curationẽ venirem, quibus crederem vinacea satis posse proficere, tam ad discutiendum, quam ad confirmandum. Et quando arbitraberis vtendum esse lutum, illa tamen tandem non præterirem, præsertim, si lutum satis virium non haberet confirmandi. Quando demum commoda illa non essent, ego inducerem circum genua emplastrum diacalcitis, quod ego in alijs expertus sum. At non negligatur viuendi ratio, maximè, quod ad vinum, olera, legumina, & concubitum pertinent. Tibi manum deosculor. Forosempronij 4. Cal. Iunij 1574.

CONSVLTATIO CCXCI.

Excellentissime D. Obseruandissime.

POsito quod renes exulcerati sint, quemadmodum V. E. scribit, & quod corpus valdè calidum, & destillatione tentetur salsa, ac febre. Ego vterer aliquoties flore cassiæ cum sero caprino, aut cum aqua hordei, deinde interdum adijcerem rhabarbarum, vterer interdum terebynthina ex aqua plantaginis lota; Postea serum caprini lactis darem, chalibe candenti affectum. Et tandem post horum vsum modo tam magno, quam vires tolerarent, ego lac asinæ exhiberem cum sacchato, quas res valdè apposita esse existimarẽ,

A quoniam non possum statuere admodum de aqua thermali, cum scribatur quod est tam imbecillis. Atque cũ hoc manum deosculor Tuæ Excellentiæ. Forosempronij 4. Nonas Iunij Anno 1574.

CONSVLTATIO CCXCII.

Serenissime Domine obseruandissime.

DE sententia mea V. Celsitudo habebit omnem ratiocinationem, à D. Ambiorige eum de his rebus sępè cum ipso egerim, summa quarum hęc est, quod de multis remedijs stillicidium mihi per se videbatur posse habere ambas partes expetitas, scilicet periculi va-
B cuitatem, & spem rationi consentaneam vtilitatis, etiã si alia omnia deficerent, partim vt tuta essent, partim vt vtilia forent. Rationes, & experimenta longius exposui D. Ambiorigi posito semper ad tutelã à stillicidio, quod corpus optime sit expurgatum, & viscera confirmata, quo maximè modo fieri posset, & etiam V. Celsitudini placeret, posito semper, quod supersit ei spatium post aliquod tempus, quo possit vitare aeris iniurias. Quæ duæ res, cum eas aut nollet, aut non possit, præstare, persuaderent me, vt potius demitterentur. Non persequar dicendo alia sigillatim V. Celsitudini, cum ad ipsam veniat Excellentissimus D. Ambriorix, qui horum omnium certior factus est, & de statu Illustrissimi D. optimè cognouit, itaque hic ego finiam demississime ei manum deosculatus. Forosempronij 6. Nonas Maij An-
C no 1574.

Ad declarationem propositæ opinionis in suprascriptis literis hæc scribuntur.

CONSVLTATIO CCXCIII.

PRopositam destillationem capitis vitio protrahi illæ res ostendunt, quod ab infantia caput semper humorem superuacuum habuerit, vt nunquam postea penitus eius noxa vacarit, vt ex dentibus dolore vexatis, corruptisque, & destillatione identidem redeunte tota eius ætate intelligitur, quod primum ab vtero caput fuerat cum œdemate, postea sudoribus diuturnis a-
D bundabat, tum autem postea destillatione crebra, & dentium malis affectum est, quæ subinde ex incidentibus rebus aucta sunt, & præsertim proximo tempore, cũ ex sudore, & graui galea in subitum perflatum iret, & diu sine integumento maneret, cum in aqua fluminis in vmbra frigida sub fornice pontis densissima vento secundum flumen aspiranti opposita versaretur, quæ vix vllus alius posset sine maxima noxa perferre, nam interea comites ex vmbra in solem identidem natando ire, & redire cogebantur, dum ipse semper ibidem aduerso uẽto manebat: præterea accepta aqua, in qua guaiacum decoctum esset cum myrobalanis, nihilominus destillatio eum habet, propterea, etsi aliqua pars originis uisceribus tribui possit, tamen caput potissimam haberi causam iudicandum est, præcipuè quod destillatio crassa
E est, pituitamque ostendit, quæ fere in capite oriri solet, Ventriculus enim in iuuene non ita accussandus est, cũ nullam ipse in eo noxam sẽtiat, maximè uerò quoniam ab accepto supradicto remedio, iam omnino potest esse restitutus, quare caput præcipuè affectum esse uero iudicio uideor statuisse. Capiti ergo propriè subueniendum est, vbi de communibus purgationibus, & viscerum cõfirmationibus iam institutis per se sermo supernacuus est, & de proprijs capitis remedijs totus habendus est. Temperandum, & confirmandum caput est destillationisque radix intercidenda, propterea cauterium ad humerum opportunum videtur, quoniam illud ascendentem per venas pituitæ materiam intercipere, quãquam a cerebro ipso pituitam delatam, minimè auertere

A tere a faucibus potest, in quas prius decurrere, quam ad humerum necesse est, quod cerebro hæc via facilior promptiorque est; Quod verò remedium proximè morbo non repugnat; sed materiam intercipit, quamquam per incommodum speratur posse auferri, vt propterea etiam ægri patientia in hoc sit consulenda, respiciendaque. Morbo verò capitis si pugnandum sit, contrarijs naturæ humidum genus præseferendo indicat exsiccantibus vtendum, quæ, cum agunt, non nisi contactu id faciūt, propterea propius quo fieri possit sunt admouenda, propinquissima verò est pars, quæ sutura cranei describitur, & faciliorem aditum habet ad internas capitis partes, membranas, venas, arteriasque item & cerebri corpus, & ipsius sinus. Etenim, quamuis os cranei inuisibilia habeat foramina, vt apparet ex sanguine manante, cum deraditur os ipsum, vt confirmat B Hipp. tamen quo connexus partium, & meatus euidētiores sunt, eo facilior via præstatur.

Ex his verò, quæ huic loco adhiberi solent, est stillicidium, est & cauterium, hoc minus tutum est, & magis laboriosum, quod non solum vi, sed spatio molestū est; illud verò & tutum esse, & vtile sine longa molestia potest. Tutum quidem, si purgato quam diligentissimè corpore, & firmatis visceribus fiat, quæ purgatio, quæque viscerum confirmatio, itemque quod stillicidium hisce modis facienda sunt. Purgatio non solum communes vias dictas expurgare debet medicinis per aluū educentibus, sed, quo completa sit, etiam per vrinas, & sudores id debet præstare. Confirmatio viscerum vel postea proprijs remedijs, vel, si fieri possit vna cum his, C quæ sudores, & vrinam mouent, præstari debet, vt si per potiones ex guaiaco vim sudorificam, & roborantem habente fiat, quæ duo à salsæ pariliæ, vel chinæ vel sassafrax potionibus effici non possunt, si gustu facultatē illorum rectè potui intelligere, quamuis salsa parilia capiti deplendo, exhauriendoque videatur magis idonea. His ergo diligenter factis purgationibus ad stillicidium accedere possumus ex aqua, in qua exsiccantia minimè calfacientia incocta sint, & non admodum adstringētia, vt ex salicis folijs, betonicæ, ligno cupressi, absinthio, iride, capillis Veneris, verbenaca, herba pilosella dicta, quæ sine calore, & frigore, & sine adstrictione desiccat, adstrictionem enim maiorem vitandam censemus, ne meatus capitis inuisibiles adstringantur, & vaporum anhelitus impediatur. Si ad valentius exsiccandum aliqua calefacientia erunt adiuncta, quæ etiam pe- D netrationem adiuuant, & Galenus ob eam causam necessario addebat, per rosas, & similia frangi eorum calor poterit. Eo modo verò stillicidium dandum, quo maximè in principio, minimam habeat violentiam, paulatimque augendo ordinandum.

CONSVLTATIO CCXCIIII.

Reuerende mi Domine.

AD prouocandum somnum (quo ad proxima de- E ueniam, & ad præstandum, quod debeo, vt ab amore meo erga te persuadeor) V.R. vti posset balneis vesperi cruribus totis, cum itura est cubitum ex aqua, in qua cocta essent capita papauerū, lactuca, salicis folia, maluarum, & violarum. Lauare etiam mane corpus totum aqua dulci tecto stomacho aliquo emplastro stomachali. Veluti si esset confectum è pulueribus aromatici rosacei, myrrha, aloe, mastiche, óleo absinthino, anisorum, aut cinnamomi, & cera tantæ latitudinis, quantæ est fouea illa, quæ contra ventriculum est, formæ verò vnius clypei fastigiati, cuius ventriculi subueniendi causa oportet parum cibi sumere, & multi alimenti, quemadmodum carnes caponum benè percoctas, iura bona, & oua recentia; Aluo deinceps perdifficile est, vt subueniatur per ea, quæ ore sumuntur sine ventriculi noxa, ea propter opus est sc sustinere clysterijs, vti consueuit, & elixis semper vesci, & liquidis non prætermittendo ptisanam hordei cum pipere attemperata. Cum quibus finem facio manum deosculatus, V.D. Reuerendæ, & me illi commendo. Ex Abbatia. Pridie Idus Augusti Anno 1574.

De casu capillorum, & alijs symptomatibus.

CONSVLTATIO CCXCV.

PErfacilè est, vt faucium ardor acciderit ex aere, qui multam in caput habet vim, dum sudat, cū in eadem temperie semper non sit ad fluxiones, seu rheumata faciēda, præsertim, cum isthic videamus omnes materiam ad eam partem conuerti quemadmodum vrinæ indicant, cui rei etiam momentum aliquod præbet exercitatio vehementior. Quo, cum necessarium sit remedium continenter sumere quousque symptomata quiescant, è re valdè esset sudorem illum mouere in cubili, quoniam iam caput non offendatur, maximè non contectum id habendo, nisi vsque ad os cum stragulis aliquanto grauioribus, quam quotidiana sint, adiectis ei alui solutionibus saltem octauo quoque die, quemadmodum dictum fuit per syrupum, cum quo commodū esset commisceri vsque ad ℥.2. s. syrupi rosacei solutiui quo auersioni etiam conciliatio roboris adiungeretur, frictiones quoque post sudorem plurimum proficiunt, lotiones præterea iam plus roborantiū, quam digerentium continere debent augendo modo rosarū, & myrtorum, obseruato ne nimis calida sint, ne plus attrahant, quam digerant, aut corroborent, cum aqua quidem stillatitia mellis conueniens erit, vt adiungatur parum myrti macerati, aut alio modo. Ratio victus mutanda non est, donec casus superatus esse non videatur, qui, cum demum iam aliquod indicium ostendat se deuinci, propterea, quod restat hilariter persequendū est. Manum deosculot. Ex Abbat. S. Crucis 8. Calend. Septemb. Anno 1574.

De labore sub abstinentia sub qua guaiacum sumitur.

CONSVLTATIO CCXCVI.

ὅπου λιμὸς οὐ δεῖ πονεῖν.

VIde ergo, præter quam quod aer, & motus vehementior non solent esse amici capitis, quam melius esset in cubili sudare, & ita neque occasio præberetur lassitudini, in qua re tamen animum accipere possumus a uiribus, quoniam vsque ad 35. dies, ad minimum, oportet ducere hanc victus rationem. Inde antē eam largiorem paulatim facere cum vino, & pullis perdicum. In lotionibus betæ, furfures, hordeum cum rebus alijs abstergent capitis furfures, interim ne prætermittatis, quin sæpè in syrupis sena; & syrupus rosaceus solutiuus cōmisceatur, vti deliberatum est ob eas causas, quæ nunc vos commemoratis. Nescio, quid ego amplius dicam, nisi, quod incredibili desiderio expecto nuncium de sanitate recuperata. Manum deosculor. Ex S. Laurentio 12. Calend. Augusti Anno 1574.

CONSVLTATIO CCXCVII.

Excellentissime Domine Doctor.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ in quibus cognoui vel ipsis oculis signum animi istius, quem certo scio mihi esse admodum beneuolum. Maximæ quidem

quidem voluptati mihi fuisset audire de nostro Domino, si bene haberet, quoniam ego vna secum mirum in modum afficior cũ cognouerim, quã ipse maximè exagitetur, præsertim, quod cognosco ex literis tuis, proximã curationem hactenus longè difficiliorem, quam antea, & huius rei nequeo causam adscribere, nisi febri, quam video viscera calefecisse, Etenim antea vrinæ erant penitus, vt dici solet, paleares, scilicet inter albũ, & flauũ, sub ruffæ Galeno dictæ, & hoc potius in altera purgatione, quam in prima, in qua prima quidem sæpè crassę, & rubræ procederent, cito verò ad fines naturales reuertebantur. Eaptopter credo sine dubitatione, quod V.E. fecerit mixtionem aquarũ iam in consultationibus propositarum magna cum prudentia, tum, quoniam intelligitur necessitas, tum etiam quoniam, vt dixi tunc eius generis & ordinis sunt, quæ non superant remedij vim B aptissimi. Quod elleborus toto sui corpore exhibitus ei molestiam attulerit, non mirarer, quamuis ego eum semper exhibuerim, vt nouit V.E. in decoctione sine vlla noxa penitus, præcipuè cum munimento myrobalanorum, masticbes, & aliorum, nihilominus tamen cogimur interdum audire consilia illustrium virorum, alioquin euentus, qui, cum boni sunt, eorum consilijs attribuuntur, si mali fuerint, nobis adscribuntur, Ita semel. V.E. potest id patienter præterire, nam malam impressionem certe non induxerit. Quod ad pilulas attemperantes attinet, non existimo quod lignum illud pertranseat ventriculum, & ita ventriculo potius, quam reliquo corpori, quamquam alij pulueres subtiliores, & transeunt, & possunt occurrere morbis totius corporis. Ergo V.E. faciat, quod sibi videtur; certè quidem necessaria contegere corpus, quod sudet, ego infra caput non timerem, quoniam ille est calor potius naturalis generis, quam alieni vti calor balnei, ac potius dissoluit, quam calefaciat. Et profectò ego eo magis vacarem sudori, quo magis corpus istud (quoniam extenuatio nequaquam tantum potuit, vt minus eum sudori facilè fecerit) sudori admodũ facile est, & sudor necessarius est exhauriendo ei humori, qui in partibus, & venis iecore superioribus versatur, & ei, qui in capite esse potest, & toto corporis ambitu, qui in morbi principio, & recenti malo forsan non erat ita fusus in omne corpus V.E. prudens est, certus sum hoc, quod ipsa requirit cõsilij, à me, superuacaneum esse, attamen nolui eam priuare debito meo testimonio, & hac occassione vt seruaret me in Domini beneuolentia, & aulæ totius à togis vsque ad arma omnia.

Ad dentium dolorem de quo alias superius.

CONSVLTATIO CCXCVIII.

Quoniam humor hoc loco duplex habet genus tũ proprium, tum membri ipsum demittentis, Nos auersione per medicamenta adhibenda & bilem, pituitam spectare debemus, iecur, tum verò caput, & præterea, præter medicamenta humoré auertentia deriuationem quoque oportet procurare, primum ea E dem via, quæ iam per cauterium aperta est, acri aliquare humoris effluuium ciendo, vt cum puluere cantharidũ, quo alias vsi sumus, deinde alijs etiam tentandis, vt cucurbitulis admouendis, vel cute incisa vel etiam sine ferro. Dentibus interea, ac præcipuè post ea admouenda illa sunt, quæ è dentibus humorem euocent, & eos sic afficiant, vt suscipiendo nouo humori non pateant. Humor verò non solum est biliosus sed potius pituitę quoque aliquid tenuioris, serosioris scilicet, & salsioris habet, vnde dentes putridi, & nigri fiunt, quare elicientibus humorem vtendum est, ac sine calida siue alterius generis remedia sint, non crediderim quidquam obesse, dummodo euocent, atque exsiccent, præsertim si illis

A adiungamus, quæ viam circumquaque comprimant. Ergò pyrethro, staphisagria, iride que virenti vterer, quoniam succum malum possunt elicere. Hæc aceto incoquerem præter iridem, quæ cocturam non fert, vt haberem, quo suis viribus ad altiorem locum perducantur. Si corrosi sunt, & non poterunt sustinere, loco aceti vinum deligerem quamuis nihil oportunius, ac magis dẽtibus idoneum aceto ipso sit. Atque cum his, vt comprimentia essent, ego adijcerem cortices granatorum nuces cupressi, rosas, sandaracham à nostris dictam, alumen, & camphoram, cum quibus vtramque vim augendo maximè facerent etiam lignum, aut baccæ hæderæ, mastix, bistortæ, lapatij, & pentaphylli radix, thus, & similia. Vel cum aqua stillaticia mastiches, & rosarum, vel commiscerem paulum olei calchanti, vel sulphurei, quibus vehementius exsiccantibus dentes suo malo humore expurgarentur, possunt verò etiam commisceri cum melle rosaceo, & vtiliter, cum humor verò putredinem præseferat, humiditatem quoque habet, vt dixi excrementitiam, qua dentes per putredinem contaminantur. Similia ergo essent, & his exemplis præscribẽda remedia. ℞. Pyrethri. Staphisagriæ an. ʒ. 1.s. Aceti, seu vini ℥.7. Decoquantur ad tertias. ℞. Aquæ vitis lib. 1. Mastiches. Pulu. Iridis an. ℥. 1. Cort. malorum granat. Aluminis rocchæ an. ℥. s. m. & destillato.

℞. Gallarum cupressi ʒ. 2. rad. bistortæ ʒ. 1. s. thuris, sandarachæ an. ʒ. 1. loq. in vini lib. 1. s.

℞. Ol. ex camphora ʒ. 2. pul. pyrethri, gall. cupressi, mastiches an. ℈. 1. m. [Vt vnguentũ denti admouedum.

Theriaca etiam cum pyrethro, & alumine, Aquę vitæ, seu elixir, quæ cum mastiche, & gallis darem.

C Vitarem ego frigida omnis generis vbi non calor doloris causa est, sed corpus humoris, quod exhauriendũ est, a frigidis autem potius compingeretur, præcipuè verò a Philonio Romano experimur maiorem calorem excitari, quamuis fortasse id calidarum rerum causa, quas cõprehendit, efficiatur. Quod si aqua frigida vna videtur prodessę, tamen non tollit dolorem, sensum potius dolentem hebetat, & ea decedente dolor resurgit, imò corrosis dẽtibus, & cauis, ac perforatis frigida inimicissima existimarẽ, ut ossibus alijs sunt, & longè magis dentibus, cũ in parte sui superiore tanquam vngues, & pili sint, & spiritu, ac calore omni careant in densitatem lapideam degenerantes. Proposita autem multa a D Medicis sunt ad dentium dolorem, in quibus mixtim se se habent facultates tum degerendi, tum etiam reprimendi, & confirmandi, quorum hic plurimorum nomina sunt describenda. Plantaginis radix tum ad purgandos, tum etiam ad subleuandos a dolore dentes facit. Piceæ, & pini folia contrita, & ex aceto, uel uino leui cocta si gingiuæ affectæ sint, magis digerunt, utramque quoque facultatem habent: tamaricis folia eodem modo adhibita, ut mori cortex, foliaque, quod si dentes caui sint, eos purgat, & dolore subleuat, lac ficulneum, aut tithymalorum in eorum cauis inditum. Decoctum ranarum ex aqua cum paulò aceti, uel uini, si gingiuæ male habeant, dolori ualde facere credendum est. Rumicis decoctum, & asparagi radicum, capparis seminis, & radicum, betonicæ, atq; ononidis digerere, & firmitatem afferre potest, ut uerbasci, nigellæ, quinque folij absinthij (quod cum amarius sit suffitu adhiberi pôt,) & hyssopi. Magis uerò digerunt allium, tæda; ac thus una decocta, ut rosmarinum, iuniperi baccæ, uel decoctæ, uel alio modo datę. Iuniperinum etiam oleum longe magis efficax est: Siccantissima sunt, & ideo utilia quædam calidissima, vt quinta essentia dicta, & pyrethrum, & staphisagria a lationis vua taminia dicta, cũ quibus illa, quæ reprimendo firmitatem adiungant, cõmiscenda sunt, vt cupressi baccæ, & myrti folia, uti cum alijs, quæ non ita calida sunt, ad penetrationem aquæ vitæ illa dicta. Solet etiam per se imponi dracunculi radix, colocynthis, & cucumeris syluestris decoctum, quæ ad eliciendum humorem maximè faciunt,

Firmant verò admodum folia millefolij baccæ cupressi,

ptessi, macis, rosæ, alumen. Quidam cannarum quoque radices adhibent ad humorem educendum, cum quibus ad firmitatem myrtus coniungi posset. Dolori tamen inflammationem partibus circumpositis adferēti non esset ab re lac cum rosa, hoc est oleo rosaceo mixtum adhibere, vel chamæmeli, & rosarum decoctum, vel sapa, aut loco sæpe cremor caricarum coctus cum aqua rosarum, vel ptisanæ succus.

Magis adhuc valenter inflammationem extinguit oleum, quod ex caphura per aquam vitis exprimitur, caphuræ enim præstat ea aqua eandem vim, quā ignis cæteris rebus, ipsa enim ab igne statim inflāmatur, hoc oleum vt caphuræ primo ipso contactu calidum sentitur, at paulò post mirabiliter frigus relinquit, vt inflammationibus ruborem in albū colorem mutet, citius verò, quam ipsa camphura hoc præstat, quod si intolerabilius alicui sit, vt quidem certè esse non debet, commisceri potest cum aliquo alio liquore mitiore, vt cum aqua rosacea, & ferrata, in qua aut lentiscus, aut ei simile incoctum sit, præmonitis prius nobis, quod oleum caphuræ liquoribus alijs præter aquam vitæ commixtū redit rursus in caphuræ densitatem, saltem, quæ lactis corpus, vel farinæ liquori admixtæ præsefert, quomodo concrescit quoque, si sub dio, & non conclusum illius oleum in vrceo contineatur, fortè verò etiam dentibus corruptis hoc plurimum faciet, nam vehementer exsiccat, neque dentibus officiet, cum calorem habeat frigori commixtum, vt nec multum refrigerare, nec multum calefacere possit. Sed sublata inflammatione vis efficiendi frigoris finiatur. Inter ea etiam, quæ refrigeratione pauca firmitudinem multam possunt afferre, id est, quod grana, vel granæ semen appellant, amaranthi scilicet purpurei. Ex his verò, quæ ossa illa à sphacelo, & corruptione sustinent, multa sunt apud Aetium. Sed vide hæc diligentissime, absoluteque tractata ab Alexandro de Benedictis Veronensi.

De memoria arte alia, quam per medicamenta paranda.

CONSVLTATIO CCXLV.

CVm memoriæ infirmitas à natura mihi fuerit maxima, & si non multum dederim operæ vnquam vt arte eam iuuarem aliquando, tamen illa vsus admirationem auditoribus peperi. Incideram dudum in sermonem memoriæ artificiosæ cum patre Panigarolio, eximio oratore copia quadam singulari, & ornatu prædito. Quem ego cum admiratus sæpius fuissem, dum innumeros locos ferè vno spiritu recitasset, rogabam, quo modo id posset arte vlla efficere, quæ locorum designatione, & figurarum dispositione sita esse solet, ex quibus tamen non ita subtiliter & minutim res, vel verba possent suppetere & tanta celeritate proferri. Imo verò, inquit ipse, vel minima verba ergo possum ex locis designatis expromere vsque ad dictionem (che) italicam, quæ mihi suis notis suppetat ex figuræ collocatione anserum sine capitibus, nam italicè oche dictæ excepto capite, quod prima litera est, O, in ea dictione relinquitur che, Vbi ego subridens feruentius, & auidius rogaui, vt locos & collocandarum figurarum iam subtiliorem rationem exponeret, sed ipse id in aliud tempus differebat. Ciceroni figuræ rerum dicendarum vel nominum proferendorum ordine collocantur, & collocatio fit locis ordine distributis.

Loci possunt ijdem semper in animo esse, & nobiscum, quocunque proficiscamur accedere, quod, vt facilius eueniat potius habendi animo sunt, quam in præsenti aliquo ædificio conspiciendi, nam, cum animus non in seipso ædificium habet, sed aspectum eius quærit, quod dum spectat, in locos distribuat, periculum est, ne perplexus, sensuque occupato animus titubet, ne memoriam rerum amittat.

A Ergo edificium vnum, vel plura sunt animo habenda, & illa in locos distinguenda, & sedes certas insignes, quibus sedibus institutis, ordinatim, & ad numerum certum quasi nominatim designatis, tanquam tabulis describendis figuræ, vt notæ rerum dicendarum subinde, vt vt dicendæ quòd ponuntur; collocentur, quibus dictis rebus & disputatis figuræ earum notæ non amplius necessariæ aboleantur, vt eorum, quæ postea dicenda occurrent, figuræ in locos earum iam vacuos, & iam per cogitationem sæpius vacuos inspectos suffici possint, quando numerus locorum non superfuerit quæ opera, vt memoriam faciat certam, multas habere debet conditiones. Nam loci hærere in animo firmiter debent singuli ordine suo in numero certo nominati primi, secundi, tertij, & quarti, & ita familiariter noti, vt B nulla opera reliqua sit, quam figurarum collocandarum, atque ne numeri multitudo confusionem pariat, ideo non ab vno sed à pluribus ædificijs loci petendi sunt. Insignes ij esse debent, ad quod facit, vt figuris, & aspectibus suis inter se differāt, & notiores sint, vt, cum percurritur primus statim sua specie insignis existat, item & secundus, & tertius, sint verò tanquam cellulæ, & fenestræ variæ inter se, vel nota aliqua insignitæ coniunctioneve ordinis necessarij affectæ, quæ, vt suis spectris claris animo extent, in bono quidem limine ponantur, neque tamen tam luminosæ esse volunt, vt animus earum lumine feriatur, & retūdetur, decursumque per alias interrumpat, neque tam obscuræ, vt prætereantur, sed euidentes quidem, eminentesque, at non ita, vt cursus lumine inhibeatur. Deinde neque tam amplæ, vt figuris non impleantur, neque tam paruæ, vt penitus à figuris occupentur, aut excedātur. Tertiò non tam lon- C gis interuallis, vt peruenire ad singulas tardius animus cogatur, neque tam densæ, vt ingenium acrius, & velocius earum aliquam ob velocitatem, quæ transit singulas prætereat. Quartò verò, vt dixi oportet esse dissimiles, & hoc ipso insignes. Quintò ad facilem animi progressionem oportet vt sint magnitudine æquales. Sextò seriem habentes nō flexam sursum, & deorsum, sed eodem quasi pauimento positæ. Septimò vt in enumerandis ipsis ab ea parte proficiscamur, à qua scriptio ducitur. Sic enim iam mens solita est progredi, vt contra si ducatur, facilè perturbetur, aut labore deficiat, interrumpatque cursum. Quibus sic constitutis figuræ inseri rerum dicendarum possunt, vtcunque dicendæ sunt. Quæ figuræ suas quoque habent conditiones, vt animo præsto esse possint, cum est dicendum (mitto, quod rerum, vt maximè potest mirabilium esse debent) si res D figuram habent, non sunt quærendæ aliunde, secus vel à similibus, vel comparatione rationis, vel alio modo coniunctis perendæ, vt pro Medico aliquem notum sibi ponendo, pro castitate aliquam notam eiusdem virtutis, mulierem, pro nomine proprio alicuius hominem eiusdem nominis insignem cum aliqua nota tibi conditionem eius in memoriam reuocante. Mitto hæc, quæ ingenio expromi possunt, arte illud proponitur, vt neq; sint solitis formis, ne nimia familiaritas nihil moueat, sed admirabilius, siue valde turpibus, siue indecentibus, vt si loco crucifixi in altare meretricem in cruce statuas, neque nimis magnæ, neque nimis paruę, ne E lateant, sed pro ratione sedum, & locorum, neque nimis fulgentes, neque obscuræ.

Quæ ijs adijci possunt, quæ a Cicerone proposita sunt.

De lapide in Vesica, pro equite Galiorum Nob. Vrbinatensium.

CONSVLTATIO CCC.

NVm lapis in vesica sit, qui faciat negotium huic nobilissimo viro mihi non est facta potestas disceptandi, cum vt definitum & constitutum iam à Medicis scribatur, propterea per eos tantum mihi liceat sententiam dicere, num vlcere quoque ei lapidi adiuncto lactis, vsus idoneus sit futurus, num remedia ad frangendum calculum danda, an potius manu medendum, quæ ex natura mali, genere corporis ætate, & tempore anni definienda sunt. Mali natura est obstructio à re toto genere naturæ aliena duraque corpore facto ex materia terrena per insitum glutem calore ipso quomodo cunque durata, quæ corpore asperiori loca neruosa attriuit, exesitque, & non solum abstersionem, & excoriationem, sed vlcera induxit, vnde ardorem vrina transeundo affert, ac difficultatem. Hinc colligitur remouendum corpus obstruens, nempe lapidem vlcusque sanandum, prius verò lapidem tollendum, quoniam & causa est, & præsente ipso vlcus nunquam sanescetet, neque eo quidquam posterius est, quod tam vrgeat, vt aut ipsius prioris curationem præuertat, aut, si præuerti videretur, possit tamen curari priori non dempto, vt enim summa sit doloris mingendo acerbitas, quæ & conuulsionem minetur, & ni citissime tollatur hominem tollat, illam ne quidem curando possemus prius mitigare, quam lapis esset summotus quo lapide vlcus sustentetur, Vnis leuamen erit sensum potius doloris causæ leniendo, quam causa auferendo aut per superiora intus acceptis, aut per collum vesicæ inijciendis, & quidem ego mallem ea, quæ inijcienda sunt, quam, quæ per os sumũtur, quoniam, si citum auxilium exposcit, illud, quod per os demittitur, neque citò locum attingit, neque valens aut integrum eo peruenit, neque semel acceptum abunde facit, quod verò inijcitur, subitò & contingit locum, & contactu vel primo quod potest, omnino præstat, ergo si opus fuerit dolore sic cogente anodyna erunt inijcienda, vt lac, quod præcipuè etiam curationi vlcerum est vtile; quoniam ob serum detergit, vnde sordido vlceri maximè serosum esset legendum, ob caseosam autem partem vti vlcus poscit, exsiccat, & quamuis dolor butyrosam, & pinguem potius desideret, tamen cum his coniuncta communius, & solidius auxiliũ allatura est, olea minus tuta videntur, quamuis dolori leuando certissimi sint auxilij, qui dolor quanquam tantus non est, quantus dimittere aliorum curationem cogat, interea tamen illa possunt adhiberi, dum alia curantur. Itaque sunt pro ponenda. Est oleum violaceum quod cum lacte iniectũ aut sero vlceri non officiet. Non officient quoque oleũ ex luteis ouorum expressum quod, cum triplici modo exprimatur in hunc vsum, quod sine igne exprimitur præferendum est. Deinde, quod ad ignem quidem, sed luteis minimè torrefactis, nam, quod torrefactis, & ferè exustis luteis frixione quadam exiliendo emanat, id cicatricibus potius inducendis, quam dolori leuando est, oleum præterea amygdalarum dulcium, chrisomelorum lento igne factum, sesaminum, butyrum, vnguentum diapopuleon liquore aliquo liquidum factum, quibus tandem & opium immisceri possit, si necessitas postulet. Sunt herbarum succi in plumbeo mortario ducti, sed hæc ferè superuacua habenda sunt. Verum cum curandum vlcus fuerit, his alia commiscenda, vel similia erunt.

Ego cum mitigantibus dolorem miscere solitus sum lythargyrium, cerusam emulsionem s. Melonum, pineorum, & eiusmodi alia. Vlcus tamen manente eius causa sanari non potest, ita lapis prius dimouendus.

At manu ne, an medicamẽtis? Medicamẽtis vix visũ est lapidem solidum fuisse disruptum, propterea prouidendum est cuius generis is lapis sit, vt hoc disceptetur. Si enim fragilis fuerit, per medicamenta potius comminuentia est tentandus, non solum, quod comminui posse speretur, sed etiam, quoniam tuto id agatur.

A Si solidus penitus sit lapis, tunc nulla in medicamentis spes est, quare neque frustra tentanda, quæ, etsi tuta sunt, frustra tamen laborem suscipere, & ægrum cruciare amentia est, nam, qui vna nunc morbi causa malè habet, tunc altero quoque labore peius haberet, quare aut nihil agendum, aut manu curandum fuerit, quod eo animosius, audentiusque ei fuerit subeundum, quod nostris temporibus dextere admodum, & tutò id fieri videmus, non solum enim instrumenta idonea admodum, & aptæ polituræ inuenta sunt, sed locum etiam in cisuræ quam commodius repertus, scilicet, vt non iam B ad perinæum aperiatur, sed ad latus colli vesicæ, quo pro prius lapis attingi potest, hoc ego in mortuis vidi, & in viuis iam ab alijs expertum accepi, quare prius per peritum chyrurgum videndum est filo cærato duriori, quodnam genus lapidis, & cuius formæ sit, hodie enim sunt chirurgi, qui id se posse intelligere profiteantur, ac præstent. Deprænhenso verò lapide, qui non nisi manu auferri possit, experto tunc chirurgo credenda ea curatio est, sin medicamentis possit comminui, tunc physico homine opus est.

Verum antequam vtrumlibet agatur, totius corporis ratio habenda est, vt recte purgetur, atque onere humorum leuetur, tum sanguine misso, tum per aluum humoribus detractis, physicum opus ad lapidem frangendum tunc demum erit adhibendum, si fragilis lapis sit, C manus vero opera si nimium solidus, præstandum autem quod est per medicamenta, id est, vt lapis in ea frustra dissoluatur, quæ per meatum vrinæ procedere possint, & cum vrina à vi expultrice emitti, quæ verò id efficere possint ex natura concretionis, & conglobationis colligitur, quę vel materia terrena lentoris non experte vniuersim à calore relicta consistit, vel re lenta, & glutinosa arenas coniunctas habet, & ita incidendum id glutinis ostendit, & reliquum remouendorum frustorum opus magna parte naturæ relinqui. Quæ verò incidunt, vt, quæ à re ipsa præcipuè desiderantur, cum ijs coniuncta esse debent, quæ coniunctis etiam cum re aduersentur, causis scilicet, & naturis, vt quando lapis à calore materiam primum terrestrem ciborum liquare, deinde relinquente concretus est, & frigidis agere non possemus, D ne & incidendi vim obtundant, & lapidem à calore relictum magis durent, moderatioribus oppugnemus, ac cum vlcus adiunctum sit, vim quoque extergendi, exsiccandique habeant, & aliqua ex parte constringendi, cũ qua, si tenuitatem partium habeant, magis incidere possunt, quoniam magis interna possunt peruadere, possunt etiam vim expellendi ea adstrictione iuuare, vt quotidie experimur. Dicunt hi lac quam opportunissimum, quoniam humore quidem squalori lapidis aduersatur, tepore autem tum eius frigori, tum calori lapidem procreanti, quibus nominibus lac omnibus sit anteferendum.

Ego vero nulli lac præferendum censeo cum nihil earum virium habeat, quæ ad frangendum lapidem possunt esse idoneæ, nempe eum, qui ex arenulis conflatum E est, quod incidentium vi tantum dissolui potest, cæteris verò omnibus etiam lac post habendum, cum non sit tutum, ferè fit vt quæ viribus præstent, ea solum cum periculo agere videantur, quæ verò parum viribus pollent, etiam minimum periculi præseferant.

In lacte tamen contra euenit, vt cum nihil efficaciæ habeat, summum tamen periculum contineat. Nam, sicuti viribus efficacibus caret, sic materiam lapidi augendo maximè idoneam subministrat, quod ratione, authoritate, & experimento nobis certissimum est. Ratione, quoniam cum lac ex sanguine natum terrenæ, & glutinosæ multum naturæ optimè commixtæ habeat, vnde facile concrescat si a corporis calidioris ventriculo torrefiat, quoniam partibus suis leuioribus, tenuioribusque in nidorosum fumũ euadit, sero autem in salsum

sum liquorem (sic enim aquæ ferè torrefactæ, & pituitæ euenit, & eò facilius sero,) caseosis autem, & terrenis glutinosisque suis partibus assis in crassamentum quoddam degenerat lapidi perquam idoneū credo non esse ignotum vobis, quam firmiter iungant tabulas opificis materiaris ipso caseo calce adiecta hæ itaque lactis partes quæ in seipsis tandem, dum calor euanescit, concretæ facilius lapidis formam subire possunt. Authoritate, Galeni ratio hæc confirmatur, vbi de lacte loquitur, præcipuè lib. de boni, & mali succi cibis. Experimentum autem idem ostendit, nam visa sunt eorum corpora, qui dum ex lapide ægri essent, & ardori vrinæ auxiliaturi lac quotannis sumpsissent, alios ab vno in plures lapides incidisse, alios è paruis in maximos pluribus corticibus conflatos, vt in Pio V. Pontifice Maximo. Quare non possum non reprehendere nouum hūc lactis vsum, nescio sub quo autore quibusdam Medicis acceptum, vt nulla meditatione in eum incurrant, nisi quodam libro Medicina Plinij dicto, & alio quodam nullius autoritatis scriptore, Lac ego nutriendis tantum renibus, postquam curati, & refrigerati sunt, squalorique eorum remouendo darem.

Ergo lac censeo omninò prætereundum, & penitus vitandum. Illa verò capessenda, quæ incidendi vi prædita, aliquid factura videantur. Ponas enim lapidem in lacte nihil accipiet mutationis. Ponas in aceto eum lapidem, non quidem omnis generis, (nam quidam indurescunt) sed eius certè, quod ex arenulis cōglobatum est, ponas os, ponas conchilia, omnia mollescunt, quoniam vim habet incidendi.

Ac quoniam acetum simplex, quamquam per os sumptum vlceri maxime, acerbeque officeret, iniectum verò magis. Ego si arenidum lapidem subesse intelligerem, omninò acetum scilliticum sumendum consulerem. Incisioni maximè idoneus est succus limonū iam experimento comprobatus, præcipuè, si inter vtendum eo alternis diebus vsum interponamus ipsius pulueris milij solis, & mirum certè est, quod succus liquidus ei stomacho non obsit, cui limones ipsi maximè infesti sunt.

Quod si durior res tibi videatur, accederem ad ea, quæ minus acria sunt, partibus tamen tenuibus. Maximè incidunt fragrariæ aqua, & radicum raphanorum, præsertim syluestrium vt saxifragiæ multorum generū, vt puluis lapilli Iudaici, & lapilli spongiæ, & millegrana illa dicta, vt ossa mespilorum, decoctum cæpæ, & maximè eius corticis succus chelidoniæ, cetrach, vitrum tritum, pili leporis combusti, lucij maxillæ combustæ, puluis rubiæ tinctorum, cinis scorpionum, auiculæ quędam combustę, aqua ex ononide hoc est ex cortice radicis illius quotidiano vsu comprobata, quæ etiam ex vino destillatur, ex quibus quædam adstringunt etiam, & cum valdè exsiccent, vlceri quoque maximè facient, vt essent spongiæ illæ quæ in rubo nascuntur, Et Anseræ dictæ nempe rosarum agrestium calices cum suis seminibus, quibus si terebinthina quoque resina componatur vim earum eo perducet, & vlceri apprime medebitur, & præterea, quod sæpè opus est, vias vrinæ laxando, & vim expultricem firmando, viam, & expulsionem lapidi parabit, laxatio viæ necessaria est: cū lapis magnus est, & vidi in muliere lapide ægra, difficillimè, & maximo cruciatu mingente oleum græcarum nucum, seu amygdalarum dulcium loco laudatum ita profuisse, vt laxato ore vesicæ lapis æquans magnitudine ossis persicis mali processerit, adeo, vt manu arreptus exciderit. Sic datum etiam per os sæpè profuisse maximè obseruaui, præterquam quod terebynthina, vt ad illam redeam vlceri quoque sanando facit.

Laxantium vsus, vt commodus est, ita in curatione primo loco adhibendus, alioquin incidentia incommodè darentur, & non solum per potiones laxantia danda, sed etiam per clysteria.

In intestina, & vesicam inijcienda sunt, quæ supra in anodinis recensuimus. Lapide sublato vlceri cura

A sua erit attribuenda, quod præcipuè per iniecta curatem ex abstergentibus valentibus primo, nam vidi alte admodum insedisse vlcera huiusmodi, & sordida, vnde non vererer vel oleum fæcis vim temperatum inijcere, vel præcipitatum benè mitigatum per aquæ vitæ combustionem, quod vidi malam carnem amouere, bonam ne quidem attingere, nullumque afferre dolorem, vel si in oculum detur, quod temperari etiam vnguento rosaceo, aut lacte poterit, sublimati dilutum quidem adhibent, sed ego vererer, sunt metalla, quæ ex aquis inijci possunt, sunt thus, cerusa lytharhyrium, tutia, plumbum, iridis puluis, antimonij, aloe, quibus demum subsequantur oportet ea, quæ valde exsiccant, vt sarcocolla, myrrha, terra lemnia, & bolus armena.

B Ad vehementer quoque exsiccandum facit camphora, præsertim si inflammationis læsio fuerit, aquis in hoc facientibus liquefacta, vel oleo eius, quod fit liquefacta camphora per aquam vini, quæ si lacte posset mitescere, vti tutissima est, sic etiam lenissima euaderet, at alios liquores non patitur, nam subito concrescit, similibus ergo vterer, donec vlcus ad cicatricem perducatur.

Interea ordinato ægro in ratione victus, ne acria, salsaue, aut nimis calefacientia sumat. Quiete vtatur, & securus sit, iram præcipuè vitet, & venerem, venereasque præcipuè cogitationes, ne cupiditas excitetur. Sub eis enim plurimum illæ partes afficerentur.

C *Pro D. Io. Maria Vito presbyt. de febri continua cum comate.*

CONSVLTATIO CCCI.

NVm is somnus cum febre inceperit, an ante ipsam mihi fit difficilimum iudicatu, nam iam decem dies sunt cum ipse cæpit decumbere & somno teneri, sine febre tamen interea aiunt fuisse semper, vt nunc quoque febre carere aiunt. Contra ego video tum ex pulsu, & calore, tum ex vrina, tum autem ex lingua, ipsum febre premi, pulsus enim singulis motibus inæquabilis est, & aliquanto crebrior est, quam corpori senili conueniat, & celeritatem habet, vna magnitudine carens ob humorum crassorum maximam copiam; calor quoque carnium eiusmodi est, qui primo contactu non ita citò percipitur, qui noctu maior, interdiu obscurior adest, quem cum Galeno similem faciam ei, qui per cribrum exilit. Vrina verò quamuis tenuis, & aquosa, & ita neque fidem vllam febris faciat, neque verò fidem demat, cum pituitosæ febri eiusmodi vrina sæpè conueniat, habet tamen indicium febris id sedimentum atrum exustum, & vrinæ color ille ex russo in liuidum.

Et urina quoque ipsa non semper tenuis est, sed aliquando corpus crassum habet, & turbidum, quamuis id rarò euenerit, linguæ præterea sordes ex alba, & atra uaria, in medio quidem atra, & squalore aspera, ad latera alba, & humentior febrem mihi denotat, cum feruentium in magnis uenis humorum illa sit soboles. Cū feruent autem in eis locis humores, necessario cor eorū E calore afficitur.

His adijcere possem proprium quoddam pituitosæ febris indiciū, quod est quod certis horis inuadit somnus interdiu, ad uesperam uerò, & sub noctem soluitur, & noctu inquietum se habet, & iactat se per lectulum, cum interdiu sub somno quietus sit. Diebus quidem his postremis incepit iam bene mane somno premi, cum antea ad meridiem tantum inciperet, imò somnus etiā arctior est, nam cum primo die accessi mane hora somni huius, mecum tamen facilè loquutus est, & causam suam narrauit, & quidē facilius, quam faciat horis matutinis, pulsus quoque certis horis contractior est, nempe cum sub somno est, quare etsi sitis non est, febris tamen pituitosa esse potest.

Ergo

Ergo non possum statuere num febris hæc somnũ sequuta, an antegressa sit, vt inde num lethargi hæc species sit, an comatis, seu cari, inde colligi possit: quare ex primo ortu nulla ratione suppetente reliquum est, vt ad ea, quæ præsentia sunt confugiamus. Pituitosum morbum, ac melancholicum, quæ dicta sunt inditia demonstrant vrinæ, pulsus, linguæ, & caloris, & accessionum species, quæ cum somno etiam frigus aliquando extremis partibus induxere, ergo febrem ex pituita, &, vt dixi, cum melancholia habemus, cuius melancholiæ inditium præstat mæror ille, quem ab initio habuit. At hæc putrescens pituita vbi nam collecta sit, & vbi putrescat dubium esse posset, nam somnus is in capite etiam putrescere eam posset alicui persuadere, tamen hactenus neque in eo collectam esse, neque ibi putrescere ex eo crediderim, quoniam hactenus somnus nec perpetuus, nec valde arctus fuit aliquando enim liberè loquebatur iisdem horis, quibus magis somnus premebat, atque cum certis horis occuparet, indicium est, potius ab infernis partibus ac cedente febris impetu nouo exoriri, quam in capite sitam eius causam esse, imò licet putare ex solo vapore id adhuc factum esse, cùm satis valentibus viribus corporis ad motum esset, & spontè regeretur, & omnia valentet ageret, & nihil memoria læderetur, quæ capite sic affecto esse non possent.

Ergo febris ab infernis est partibus, & ipsa somnũ hactenus fecit, quod verò iam in capite ex illis vaporibus pituitę aliquid sit collectum accessu indiciorum nouorum declaratur, nam iam ipse non ita caput potest sustinere, iam non nisi irritatus assurgit, breuia tãtum verba edit, non potest loquutionem diu festinere, orationem producere, quin in somnum cadat, & si apud se sit, neque è mente exierit, adhuc, & ad rem loquatur, & morigeratè. Cum itaque perpetuò iam grauari somno videatur, & quodam sensuum, & mentis torpore iam inhæsisse pituitam in cerebro ostendit, non tamen verisimile est putredinem locum suum reliquisse, sed ex eo in caput continuò materiam nouã per vapores suggerere. At quo nomine somnum hunc tu appellares, vt rei distributioni nomen, quoque adiiciamus? Somni, vel somni similium, & cognatorum nomina hæc proferuntur. Caros, Catalepsis, Coma, Cataphora, lethargus facultatis sensitricis ferè, & motricis affectibus hæc nomina attribuuntur. Differentiæ affectuum sunt, quoniam aut hebetatur facultas, aut perturbatur, aut penitus occupata impeditur, eiusque actio tollitur. Galenus Carum, & Catalepsim occupatis penitus facultatibus dabat libr. 3. de diff. symptomat. Coma verò cum cataphora, & lethargum, & fatuitatem hebetatis illis, vt phrenitidem & deliria perturbatis.

Cum ergo hic debilitatam tantum sentiendi vim, & sopitam non tamen penitus occupatam videamus, Carum hunc, aut catalepsim esse dicere non possumus ergo vel coma, vel cataphoram, vel lethargum. Quis verò horum sit definire est facilè ex eorum affectuum natura, & huius ipsius notis. Natura lethargi est, vt pituita putrida sit, quæ cerebri copus occupet, à cuius putredine tantum vaporum exeat, vt cor attingentes febrem efficiant, vnde manifestè appareat, quod pituitę vis prius cerebrum occupat, quam febrem faciat. Præterea constat, quod, cum febris continua fuerit, inde promissa in cor continuò etiam aderunt ea omnia, quæ pituitam in cerebro sitam comitantur, & febrem quoque vna cum pituita antecedent, notæ autem in hoc malo non ita habent, nam, etsi non habeã ab aliis quod non præcesserit febris, tamen certissimũ est quod non sunt perpetua illa, quæ pituitã sequuntur cerebrum afficientem, interualla siquidem habuit sub febre somnus, & illa hebetudo omnis, illam ergo nequaquam hærentem in cerebro denotant, quare restat, vt coma sit, sub quo non necessario in cerebro

A pituita hæret, & ita neque continuitatem habere eã necesse est, quæ ad pituitam cerebro grauem solent sequi, ac, quamuis cum febre is somnus sit, vel continua, non ob idipsum continuum esse oporter, cum febris ipse somnus causa non sit, sed potius effectum, quod non ipsam met febrem, sed summum sæpè febris impetum sequatur, non item tempora eius mitiora, vt in hoc nostro ægro cernimus apertissime. Quare comatis huius causam submouendam quærentes, necessario in febris ipsius causam incidemus, & ita in ea totum negocium verti oportebit. Quam causam dicunt omnia extantia esse pituitam, cuius locum vrinæ demonstrant esse in venis præcipuis, & iecore, cũ interim thorax nulla spirandi difficultate teneatur, vt tamen interea capiti illati vapores, & sub specie

B vaporum plurimi vi cohæreant à glutinosa pituita illati, & in speciem pituitæ eiusdem conuersi etiam figantur, præcipuè quatuor iam diebus posterioribus.

Vnde si vires suppetent, & corporis, & ætatis ratio concedet remediis valentissimis vtendum apparet; nam pituita, & etiam, quæ aliqua pars melancholiæ subest, non possunt leuioribus auxiliis dimoueri, præcipuè quod maxima copia cernitur in notis suis id genus humoris. At, vt dixi, crediderim vires non passuras, quæ morbi vi iam succumbere videntur, & ætatem minus toleraturam. Interea tamen æger non est destituendus, dum vita superest, & humor paulatim parandus, paulatimque educendus, quantum fieri potest, & per vires concessum fuerit, neque verò caput

C sine auxilio relinquendum, quin somnus ei leuetur, ne diuturnitate somni magis frigescat, magis impleatur, & humor ei per somnum magis figatur. Infernis ergo partibus hærentem pituitam parandam credo oximelle composito, melancholicum, humorem syrupo de fumoterræ composito, eosdem verò humores paulatim, & leniter mouendos per interualla agarico, & sena non sine rhabarbaro, ad viscera tuenda, expediendaque, frictionibus quoq; paulatim digerentibus, & fomentis adhibendis insistẽdum ipsi concoctioni.

A capite reuellendum tum his, tum pilulis opportune datis, tum cucurbitulis etiam cum ferro affixis, tum autem synapismis scapulis admotis, & occipiti palato quoque appositis sinapi, staphide agria, elleboro

D albo ex melle confectis, caput pituita leuabitur, & succo ciclamini naribus ingesto. Cum materia in capite confederit, capiti columbus per dorsum apertus inferatur, victu verò quoque ipso hæc molienda sunt, nam saluia, & amaracus incoqui potest tum in cibis, tum etiam in potionibus, quoniã loco vini ego aqua cum his incoctis vterer, vinumque non sine periculo dari crediderim, tenuem etiam cibum conuenire existimarem, qui, cum, quod satis sit, capiatur, non pluries, quam vt ex consuetudine est exhiberem, sed hæc minimè salutem afferre posse ob ætatem, & mali vim eiusque virium imbecillitatem existimo.

Is citius etiam quam posset conijci per somnum extinctus est, materiã in caput irruente.

E *Pro Domina Eleonora Bonauentura Landriana Federici Bonauenturæ matre cum Bartholino.*

CONSVLTATIO CCCII.

ÆTas ad quinquagesimum annũ accedit, corpus mulieris calorem aliquanto elatiorẽ, & siccitatẽ præsefert, quod iecoris potius quam cordis causa ei accidisse est certissimum, nam quod ad cordis indicia pertinet, animo leniori est, & venæ angustiores sunt, quæ ex Aristotele, & naturæ ratione à corde nascun-

nascuntur, vnde color non pallidus, non rubeus, sed argenteo potius est, ætate, & cordis frigore sanguinis materiam crassam iecoris calore, & siccitate paratam iam refrigerante, quare iecori calor potius attribuendus est, à quo rubor non solet existere, quoniam iecur calidum nisi admodum sit humidum, non multũ sanguinis subministrat, rubeus enim sanguis, & robur propter humiditatem ex Galeno est, ita & adiram facilis, & ἰζυθυμη propter venarum angustiam, & sanguinis biliosi naturam existit, & demum ét melãcholica facta est ætate huic generi corporis id semper afferente. Capiti quoque ob celeritatem actionum calor adscribatur, necesse est, cui nullum indicium repugnat. Quibus rebus sic constantibus inuenimus febrẽ continuam nulla siti, nulla vi acriori affligentem, nullo ardore vehementius molestam, quæ, cum iam decẽ dies, atq; amplius corpus occupet, nihil tamen ipsum consumpserit, vt vix ægrotantis faciem gerat, ac vultus, loquutio, & cætera omnia, omni penitus ægritudinis nota vacare videantur, ex quibus vna cũ vrinis constat pituitam huiusce febris vim continere, quamuis enim vrina arenularum copiã educat, illę nõ multum flauæ sunt, sed potius albiores, vti vrina quoque est, quoniam ex terrestri pituitæ parte fiunt in corpore crassi sanguinis, & refrigerati: Quare pituitæ, & melancholico humori curatio vniuersa attribuenda est.

Verum est aliud quoddam considerandum, quod caput, & nerui læsionem sentiunt, nam iam 22. annis quodam quasi tremore, & aliquando cõuulsionis nescio quam speciem habente semper ipsa tentatur, & capitis etiam quodam graui torpore, neq; verò tantũ in artubus is tremor, & conuulsio, visitur, sed etiam in oculis ipsis. Quæ mala sæpè ita grauia extitere, vt conuulsio collum totum concusserit, & peruerterit, nec nisi validissimis remedijs cessarit, & tumor totum corpus comprehenderit. Quæ acriora sæpè redire ait, postquam mensium tempora præterierunt. Occasio antiqua, & prima fuit ob indumenta, & vestimenta dum personata, & cum larna circum iuisset, sic enim calefactum caput potuit tantum pituitæ attraxisse ad venas suas, & meatus mẽbranarum, vt spatio aliquo refrigerata loca illa, ac imbecilla facta non solum à vi iecoris impulsum recrementum suscipere, sed etiam spontè multum generare, atque ad neruos demittere cogantur, vnde conuulsio illa idẽtidem per interualla impetu facta, & illa altera permanens aliquo tempore, & tremor ille diuersi ab ea generis fiant, tremor enim non ex vi valida expellente, aut ex materia replẽte, sed spirituum exiguitate, vel frigidiore, vel obscuriore eorum vi euenire potest. Exiguitas ob impedimentum viarum etiam contingit, humectis verò nimium locis obscuratur, hebetatur, frigore verò humoris etiam obtundi potest, & torpidior fieri. Quæ omnia à pituita possunt euenire, & multo facilius, qđ ob ætatis rationẽ, ob febrium assiduos insultus crassius quoddam sedimentum collectum est, quod melancholicam sapit naturam, ac nõ solum à pituita putrefacta, vt cinis relictus est, sed etiam ab aliqua bile crassiore, quæ non ita facile, vt tenuis, dissolui per putredinem potuerit, quod ex arenulis quibusdam non ita albis in vrina percipitur. Cui generi humoris quoque vt supra proposueram, aliquid attribuẽdum. Itaque cum pituitam incidemus, hanc quoque bilem diluemus humectis rebus. Dilui enim vult quodammodo is humor, & per dilutionem abstergi, nam experimento id habetur, siquidem morbi longi cum aquis thermarum, aut ijs, in quibus decocta sunt, quę sudores, vel vrinas mouent, iam ferè omnibus curantur, neque iam quidquam aliud auditur, quam salsa parilia, quam guaiacum, quam china, quam thermæ, quã serum lactis, cum iam vsa sit potionibus salsæ pariliæ possemus chinam adhibere, vel febre potius summo-

A ta per solitam pituitosæ febris curationem, vel etiam num manente. Quibus non satisfacientibus cauterijs vti necesse mihi videtur. Aquis thermarum Patauinarũ vsa est, quæ scilicet S. Petri dicuntur, ac fortè tunc minus oportunæ erant, quam nunc essent, cũ materia frigidior iam sit. Viterbienses sat oportunę à me creduntur, post quas Lucenses ego laudarem, vt siccantiores, capitiq; firmando magis idoneas, quod si tot balneis vti animus non esset, aqua, in qua china incocta esset, vterer, & deinde Lucensibus thermis per os, & per stillicidium sumendis eam committerem.

B

Pro Monacha acido ructu, vomitu acidæ pituitæ, & tumente, dolenteque abdomine agra cum Gratiosio.

CONSVLTATIO CCCIII.

HÆc doloris species mihi facit memoriam eorũ, quæ ait Hippocr. in Aphorismis, cum prædicit ex dolore hydropicum affectum, ad quem tamen in nostra ægra accedit febris non mediocris, & timor perpetuus cum lachrymis, & ructus acidi, ex quibus rebus, non sola mali species, sed causa etiam constare videtur, quam esse obstructionem in præcordijs ea omnia ostendunt, si signa rectè æstimentur præcor-

C diorum obstructione affectorum, vt Galenus ex Diocle. refert: Ad eam obstructionem sequitur æstus, & febris, inde fuligo sanguinis os ventriculi petit, inde mętor, & acidi ructus, inde cruditates, & flatus, & dolores, & abdominis tensio. Febris autem obstructionem maiorem declarat, cum non necessario quantacunque præcordiorum obstructio febrem inducat, pręcipuè vero febris hęc maioris obstructionis est indicium. Ergo obstructioni primum opera danda est, & extenuantibus, incidentibusque vtendum, deinde etiam aperientibus, in ijsque etiam vtrisque longo tempore manendum, in quibus ego præcipuum haberem epithymum, oximel, rhabarbarum, agrimonium primo Dioscoridis, deinde Mesuęi, trissaginem, polium, absynthium, & his similia. Agaricum verò

D cum rhabarbaro coniungerem, & cum pituitę exhauriendæ, & visceribus vehementius aperiendis vellem consulere, acetum scylliticum non præterirem, neque oximel compositum, quę mihi valdè idonea viderentur. Ac interea, cum dolor est, clysteribus vterer ex anetho, chamamelo, rutha, verbasco, quod intestinis creditur valdè idoneũ, ex oleis verò similibus, vt chamæmeli, anethi, rosarum rutæ: ex semine lini, sesami, & eiusmodi, etiam hieralogodium cum benedicta quam admodum oportunam, & valẽtem experimur. Quibus adijcerem etiã mel ros. & vterer tertio quoq; die, quamuis dolores non adessent, sub eo verò dolore cum esset, fomenta, & emplastra adhiberem ex eisdem, quorum supra meminimus. In cibis tenuiora

E darem, & post imminutionem obstructionum calidiora nõ timerem, vel si ex synapi essent confecta, & si febris sit, nam non est febris eius naturæ, quæ imprimat sui qualitatem, vt vires labefactet, quo cogamur eius naturæ occurrere, vt facimus in malignis, & ardentioribus febribus. Hic enim respiratio, & pulsus satisfaciunt ad temperationem cordis, & arteriarum, ne in sui corpore alienus calor imprimatur, at in illis non sat habent à pulsu, neque à respiratione, propterea vires cadunt aliena temperatura qualitatum inducta, quæ citius inducitur eò, quò malignior est, tunc enim ex putredine habet contagij maiorem vim, & citius inhærere potest. His ergo causæ tuto incumbens, sic enim vna, & febrem auferemus.

feremus. Vbi si quis dubitet vsum eximellitis ab vtero alieni male fuisse propositū, sciat is, ꝙ nostro tempore tantopere coquitur, vt vim acrem multū amittat. Deinde cum alijs fere mixtum datur.

De inflatione ventriculi, & dolore pro matre Prætoris Vrbini.

CONSVLTATIO CCCIIII.

IS flatus humorem partim crudum, & pituitosum, partim ex diuturnitate, & obstructionibus melācholicum habet sui initium, & quoniam siti coniungitur, aliquam salsedinem, hæc aliquam etiā putredinem denotat, q̄m dolorem habet, ideo etiam aliquā malam qualitatem flatus continere videtur, nam tensione sola non facilè crediderim hunc dolorem fieri, tensio enim sæpè non tantum soluere continuū potest, vt vehementem dolorē faciat, nisi aliena, & acri ui fiat, quę mala qualitas ipsa quoq; putredinem eandem ostendit. Atque, vt putredinis omnia sunt, sic febrem sequi est suspicio, quæ in sene ferè obscura esse solet, quod tn̄ à Medico, vt audiuimus peritissimo, atque doctissimo iure dijudicatum iri non dubitamus. Ergo nobis vr̄ mali causa abstersione, incisione, extenuatione, coctione, apertione, & digestione flatuum egere. Eorum tamen prius humorum qui in intestinis, & ventriculo versantur, deducēdorum curam suscipiendam putamus, quod melle rosaceo solutiuo, & hiera fieri posset, abstersione prius aliqua facta, & incisione cum oximelle simplici, deinde composito, & scillitico, ea moderatione adhibita, quæ prudentiæ Medici videatur oportuna. Clysteribus in eundem deducendum idoneis non prætermissis, vt si primo cum melle rosaceo, deinde agarico adiecto, postea hiera, & tandem colocynthidis hiera, vel colocinthide ipsa fieret. At per interualla scylliticum mel repetendum vtile futurum credimus, & demum humore imminuto iuuandam esse ventriculi coctionem, cum fomentis, & vnctionibus, vt in morbis pituitosis necesse est. Capiti tamen suam quoq; curam tribuendam, à quo cathatrus solebat demitti, & inde magna uis huius mali venire creditur, vt ipsum sit proprijs auxilijs per nares, & palatum expurgandum, & materia eius exsiccantibus exterius adhibitis digerenda.

℞. mellis ros. sol. Manna elect. an ℥.2. rhabarbar. el. ʒ. 1. Infuso rhabarbaro in vino aromatico s.a. misceatur cum manna f. infusio, & dissoluatur in iure liquido in qua cinnamomum sit incoctum.

℞. Oximellis simpl. syr. de cicorea compos. an. ʒ.1. Decoct. epithymi, pulegij, origani, cicoreæ, cetrach, acetosæ, cicerbitæ ℥.4. Misce pro syrupo, & sic pro 7. vel amplius.

His finitis die sequenti.

℞. Agrimonij, melissæ an. m. s. Florum fumiterræ, chor. an. p. 1. Cinnamomi. ʒ. 1. sem. anis. ʒ. 1. glycirrizæ ʒ.2. epithymi ʒ. 1. polypodij ℥. s. senæ electæ ʒ. ij. Fiat decoctio in lib. 1. aq. ad consumptionē duarum tertiarum in qua colata, & expressa infundātur. Agarici trochiscat. ʒ. 1. rhabar. electi ʒ. 1. s. spicæ gr. 7. Vini parum. Facta infusione per 12. horas, & colata, & expressa adde infrascripta. ℞. Mannæ elect. ℥. 1. Diacatholicon ʒ.6. Confect. Hamech. ʒ. 2. misce, & f. potio.

Facta purgatione vtatur quoq; mane ℥. 1. infrascripti electuarij.

℞. Confer. cicoreæ, ℥. 1. rhabarb. elect. ℈. 1. Misce.

Vtatur vino albo imbecillo, aquam vitet, victu extenuanti contenta sit, etsi non tenui, exercitationem minimè violentam adhibeat, vitet diurnum somnum totis noctibus conquiescat; lacte omnia confecta, &

A lac ipsum circumcidat è cibis, stomachum foueat, frigus subitum vitet. Ad cœlum tenuius se transferat, hilariter iuuat; & timeat prognosticum Hippocratis de huiusmodi ventris doloribus.

Audiui hydropicam factam perijsse.

De puerpera febre occupata Fani, cum Andrea Flauio.

CONSVLTATIO CCCV.

HAnc febrē mali moris esse, & perniciosam persuadeor saltem septem indicijs præcipuis, solu- B tione hac alui nihil leuante, & iam pluriū dierum fætida, & glutinosa, ac lutea quo genere vix vllū peius est. Vrinarum turbatarum colore, & turpitudine, totius corporis pondere, & dolore, tumore ventris, colore, tum liuido linguæ, tum totius corporis, difficultate spiritus, & pulsus crebritate summa, quod vitium etiam imbecillitatem significat, quæ etiam tactu pulsus languidioris sentitur. Cur enim in febre vehementi rubeus color in facie non extat, sed potius liuidus? calor peruadit sanguinem, & spiritus, & necessario rubeam reddit cutem faciei, cur id hic non fit? nimirum, quoniam malum exhorrescens natura, vel potius ex eo imbecilla facta ad viscera spiritus retrahit, tū autem quoniam ob copiam caloris etiā alieni C ibi conclusi fit attractio ad interiora, vnde liuor præcipuè circū oculos existit his partibus corpore laxiori à spiritu inanibus relictis, maius verò est is mos in febre, cum in viscera cogitur, & ibi malam vim caloris acquirit ob vehementem putredinem occasione loci, nimia aceruatione, & cursu humorum obsessi conceptam. Ex qua mala caloris vi nouo quodā modo solidæ partes afficiuntur, & malum in se accipiunt, vnde fiunt intemperatæ, & imbecilles, alioquin enim simplex caloris genus non solet vim suā ita facile imprimere, & videmus, vel sex mensium, & amplius febrē cum corporis robore manere, quoniā ex pulsu, & respiratione partes tantum refrigerij accipiunt, & tantundem temperamenti à cibis, quantò calore agitantur febrili natura modum pulsus celeriorem, & cre- D briorem necessitati frangendi caloris accommodante. At cum vis mala est, tunc contagio plus potest ob vitium, quam ob diuturnitatem possit simplex caloris vis, & ita afficiuntur solida eo genere, & debilitātur, vnde subita hæc imbecillitas à me iudicata, quæ neque tanta à copia humorum, neque à resolutione sub febre mitiori fieri posset, non est iudicanda non subesse, vt dicebat Medicus prior, cum illam apertè videamus, sed adscribenda potius malæ vi caloris nō solum spiritus, sed solidas partes afficientis, in solidorum siquidem intemperie imbecillitas maxima euenit, à corruptione autem caloris naturalis eorum, ea quæ est potissima, neq; vt illa, quæ est à dissolutis spiritibus, aut humoribus bonis fit, facilè reparatur, & ita hæc imbecillitas, quam manifeste videmus, malę E naturæ febris indicium est, cum subita sit, & nulla manifesta inanitio id efficere potuerit, liuor etiam linguæ est putredinis illius pessimę nota, quæ exustio nō est, sed vera simplexque putredo, ad quam hebetudo caloris febris sequi necesse est, sequuntur verò etiam vrinę dictæ ad conturbationē illam sanguinis ex mala putredine factā, nam is calor non est ille, qui exurat, sed qui perturbat omnes humores, eorum naturali calore euocato, non enim qualitate calida, sed mala, & vitæ, ac mixtioni propriè contraria officit. Feces alui liquamenta sunt eorundem humorum, quæ, quoniam non ob calorem, sed ob malam eius vim, & sui naturalis caloris dissolutionem fiunt, ideò non sunt exusta, qualia flauam bilem ef-

ferentia, sed putrida potius, & fœdo admodum odore prædita, colliquationem hanc nominant Medici. Gal. ἀναστοιχείασιν, & melius, nã ẽt calor simplex colliquat, & in vaporem, & fumum fundit, nõ tamen in elementa quasi corpus dissoluit, ἀναστοιχείασις humorem liquidum efficit, & etiam flatum, cum humorem fecerit, aluum, quoq; conturbat, vel vrinas multas facit, qui humor cum vaporosus est, & vna cum sanguine alendum ambitum petit, etiam carnes tumentes, & ædematosas reddit. Vnde in hac etiam muliere venter tumet, nedum aluus egerit. Ex eo enim malo opere humores, & carnes dissoluuntur, & inde flatum, & humores liquidos exprimunt. Difficultas quoque spiritus pessimum est ad hæc, quæ dixi inditium, quoniam, aut infra septum, aut supra malũ esse vult, infra quidem in iecore, supra, in pulmonibus, & arterijs, quæ à partibus ad cor pertinentibus afficiuntur, & angustæ fiunt: quodcunq; fit pessimum est. Frigus autem, quod aliquando incertis temporibus superuenit ipsum quoq; malitię humorum indicium est, neq; possum credere, quin somni etiã perturbati, & tumultuosi sint, nec miror, si nausea, si abominatio cibi adsit, & sitis immẽsa, & vigiliæ assiduæ, & mille alia tædia. Ex suppressis mensibus superuenit malum, nã tribus tantum diebus à partu extitere. Sectio venæ ad talum fuit idonea, sed vel plus sanguinis mittendum, vel repetenda fuit, nam ad vncias tres tantum missus est. Modo deliberarunt vobiscum etiam alij Medici venam cubiti basilicam dictam secare. At ego illã video, & peius facturam viribus, & purgationibus expetitis aduersatur, quę si vires superessent, forent procurandæ, quo causæ morbi occurreretur, quare ob vires certè est prætereunda sectio venæ, nam illis deficientibus certam extinctionẽ afferret; si illæ superessent, ipsa quidem sectio esset tentanda, ita tamen, vt si malus sanguis exiret, permittendus esset effluere, sin minus, non. Vena verò aperienda ad talum interiorẽ, vt consuleretur, tum viribus, tum menstruę purgationi, tum causæ mali auferendæ. Certè si sanguis impurus non exiret, supprimendum esse iudico. At non ita à propinquo loco putredinis sãguis educeretur, Credo quidem, tamẽ, quoniam putredo est in visceribus præcipuis, & tantumdem educitur, sic lõgè magis retrahitur à remotis locis, quam à propinquis, nã reuera educi putredo ipsa non potest, retrahi tamen sanguis ab ea potest, & melius si à longinquis fiat. At venæ paruæ non educunt sanguinem crassum: minimè verum est, nam crassitudo sanguinis tanta nunquam est, quin etiam capillares venas adire possit, quas ob id solet obstruere, nec tamen semper, quare vena tali, quæ in minoribus nõ est, satis longum exitum potest præstare. Hoc facto, quod vtinam fieri posset, certè quidem tardius fieret, quam oportuerit, cum videam certiorem mortem, & remedia cum prædictione facienda, deinde acetosis vterer, non aceto, multũ enim interest, vt vterus inde malè non habeat, compẽsandum verò remedij malum, si quod est; cum vitæ necessitate, putredo enim hæc pestifera est, & nisi auferatur, vitam tollet, vita verò præferenda est cuiq; vteri affectui, quare succum acetosæ cum in edulijs, tum in syrupis ego darẽ, sic citri, & limonis. Lapis bezoar ad putredinem hanc facere videretur, & ad humorẽ exturbandum margaritæ mihi ex laudibus quas illis dant Arabes, viderentur oportunę, nam dicunt etiam aperire. Dictamnum quoq;, & pentaphyllon, & scordium exhiberẽ. Cordi sua auxilia darem, & ventriculo, parua tamen ab omnibus spe suscepta, nã quoties extimę corporis partes in acutis febribus tument pręsertim in malignis, ego vsu edoctus mortẽ certam soleo expectare, maximè si etiam aluus mollior est, cũ enim partes continentes calorem naturalem amittũt, humores in malam putredinem delabuntur.

Tribus diebus extincta est.

Pro equite Marsilio cum Ambiorige Samperolio Serenifs. D. Vrbini Physico.

CONSVLTATIO CCCVI.

Corpus hoc abhinc 12. annos præter tenuitatem, quam habuit à natura, accepit ẽt quosdam cruciatus ad stomachum, & caput attinentes, cũ quibus illa fuere coniuncta sæpè febris, quæ identidem soluebantur, sæpè scabiosæ affectiones, ferè vrinæ flauę, adeò vt febrem esse suspicionem facerent, alui tamẽ excrementa nõ ita colorata videbantur, sed fusca, ac potius terreno colore, quam flauo. Diuersi Medici diuersa iudicarunt, ac fecerunt, tamen ipse hucusque eisdem malis tenetur, sub quibus metu quodam semper occupatur, ne hectica aliqua febre, & marasmo cõficiatur, cuius quidem speciem iam præsefert, sæpè etiam mœrore multo, & quandoque sine causa maiori suprà modum occupatur, flatus in sinistra parte etiã murmure crebro infestus est, & præcipuè cum inanis venter est. Potissimum tamen tædium sunt fumi capiti, & circum præcordia molesti, quibus corde affici sibi videatur. Ventriculus bene concoquit, nullum acorem in ructibus sentit, nisi per quam rarissime. Circũ vmbilicum tangenti, sentitur nescio quid plenioris, sed, quod non est durum, neque multæ molis, hoc in macilentioribus aluis solet sentiri substante in ea parte mesenterij illo globo, quo per neruos, & membranas glandium plenas spinæ appenditur, dicunt ij Medici scirrhum esse, & non in mesentherio, sed in omẽto quidem esse, vnde tot mala proficiscuntur. At causam tãti mali schirrum faciens, faciat schirrum aut in omẽto magnum quidem admodum, aut in visceribus saltem principibus necesse est, in omento enim si exiguus esset, quid mali ageret, si magnus, cur non tactu cute tam macra intercedente sua duritie magnus perciperetur, nam omentum vel abscindi potest, valetudine postea integra manente, ita cum ab eius schirro sic vitæ male esset, necessario valdè magnus esset. At neque schirrum facilè admittit omentum, in quod pinguior potius pars sanguinis demittitur. Quod si ponãt in principe viscere, tunc aut in liene, aut in iecore. In liene esse non potest, cum tactu ipsum in ea parte nõ assequamur, qua valdè tactui obiectus esset, & nihil in ea sede plenioris fit, præterea iecur quoque vna secum affecisset, & hydropis aliquam notam iam attulisset.

Quod si in iecore ponas, inde hydropem iam effecisset, si dicas in extremis eius partibus situm esse, non in medijs, tunc dico, tanto tempore tantundem mali attulisset, & præterea digitis perciperetur ea iecoris parte infra costas descendente, & in hoc corpore adeo manui aperta. Ego potius eam sedem affectam obstructionibus dixerim, quæ bilis à iecore in intestina procedit, vt inde repulsa in venas per vrinas exiens plenum eis colorem afferat, ac feces ita sine colore relinquat, & inde in venas inferiores quoque ad ventriculi fundum pertinentes obstructionem tẽporis spatio detulisse, ex ijsque fumos in caput, & ventriculi os efferri non quidem perpetuo, sed ea occasione cum plenitudo idonei ad id humoris accessit, quã feruor aliquis fiat, & fumus.

At acetosi ructus non sunt, id euenit, quoniam non subest phlogosis, ex qua tam adusti existant fumi, vt ventriculum ingressi refrigescant, vna secum quoque ventriculum refrigerantes, sed obstructio leuis est, quæ rarò, & per longa interualla concursum aliquem humorum excipiens æstu quodam concepto fumos interim emittat, qui citò cessantes non possunt in ventriculum aliquam qualitatem imprimere, obstructio enim hæc non copia humorum, quæ in victu par-

ctu parciſſimo eſſe non poteſt, ſed craſſitie ſanguinis naturali ob ſiccitatem corporis naturalem eſt, neque verò eget multa craſſitie cum anguſtia venarum faciat tãtum, vt vel mediocris craſſitudo idonea ſit obſtructioni faciendæ. Quare, quod ad Medicum ſpectat, non vaſorum anguſtiæ, ſed obſtructioni, & craſſitudini humorum occurrẽdum eſt, ac cum longa ſit hæc vitioſitas, & iam facta, ac impreſſa, id nõ ſubitò, ſed ſpacio longiori procurandum eſt, & victus modo, & genere tenuitas humoribus paranda, tum obſtructiones aperiendæ, ita tamen ne extenuantibus quæ atefaciunt, venarum tunicæ exſiccentur, qua exſiccatione craſſior ſanguis efficeretur, cauẽdum verò maximè ne purgantia valentiora adhibeantur, quoniam ijs concurſum humorum in loca obſtructa excitaremus, periclitaremurque, ne quod cauere volumus, augeremus obſtructionem, extenuantibus ergo cibis, & ne ſiccando etiam incraſſent, humectantibus quoque vtendum, incidentibus, & aperientibus rebus incoctis non ſolum ad exobſtruendum, ſed etiam ad alimenta in partes corporis diſtribuenda: ſi medicinarum vſus adhibendus, eæ leuiores ſint, & vim confirmandi viſcera habeant, cum eo, vt ſenſim detrahant craſſiores ſuccos, qui in ventriculo congeruntur, & materiã craſſitudini, & obſtructioni ſubminiſtrãt, ſic ergo cauſæ quoque antegredienti occurretur, omnia verò conuenire in certam medicamenti compoſitionem poterunt, ſi v. g. eiuſmodi fiat, vt faciamus oximel ex decoctis herbis, & alijs idoneis, vt eſſet agrimonium, ceterach, pimpinella, capillus veneris, lupuli, abſynthium, endiuia comæ maluarũ, borrago, glycitriza; ex quo oximelle ſumat quotidie, & quinto quoque die ad ſummum ei adijciat ℈. i. rhabarbari. Agaricum vitarem, qm̃ viſceribus quidem expediendis vtile, at nihil roboris affert, & obeſt præcipuè ventriculo, quanquam non clara auctoritate antiquorũ, His ergo ſubijcerem abſinthij vſum per aliquot dies, & eius ſuccum acciperem. Poſt vſum huius ſucci idoneum exiſtimarem lactis aſinæ potionẽ, detracta aliquanta cibi copia, inde enim tenue alimentum, & frigidiuſculum haberet, & aliquam ex ſeroſa illius lactis parte abſterſionem, exuſtarumque ſanguinis partium ablutionem. Attentus tamen eſſem ne iecur ob anguſtiam inde aliquid grauitatis acciperet, nam tunc malum augeretur, itaque cum ſaccharo miſcerem, & grauitatis aliquo percepto indicio ſtatim abſtinerẽ, alioquin vſus ptiſanæ tota æſtate eſſet idoneus paratę ex radicibus extenuantibus, & aperientibus, & ſaccharo. Lac emungatur ſubitò, ſi fieri poteſt, cum deuorandum eſt; & calidum ſeruetur in calida aqua. Aſina neque modo, neque multo ante parturierit, & maſculum quidem, hordeo, verò, palea, & ſalicibus alatur. Balneorum quoque aquæ dulcis vſum laudarem, quod, quamuis non humectet partes ſolidiores, tamen humores fluidiores facit, & humentiores, per æſtatem quoque commodus videtur vſus ſacchari ex roſis, & floribus borraginis violarum, & maluarum. Ad genus victus, quod diximus, referri poſſent acetaria ex pimpinella, acetoſa, comis maluarum, lupulorum, aſparagorum, caulium, draconis: ex herbis quoque ijſdem, & beta coniũctis ex aceto, ſeminibus melonum, cucurbitarum cum aliquanto cinnamomo intinctus facerem: amygdalarum quoq; vſum laudarẽ, & phyſticorum, & conditorum ex ſaccharo, radicum eryngij, bugloſſi, cicorei, flores quoque cicorei, vna cum ſaccharo conditi eſſent oportuni. Flores etiam ſaluiæ, & roriſmarini, cum ſupradictis. Vitanda omnia cruda, dura, & glutinoſa: Acria, ſalſa non penitus fugienda, neque amara. Dulcia omnia, melle, & ſaccharo exceptis, vitanda, acerbaque nimis vna metuenda. Quod ſi ſub ijs non conualuerit, ad obſtructiones detrahendas darem aquam thermarum Teuciæ dictarũ, quæ primas, & cõmunes viſcerum vias purgat. Deinde ſuprapoſitis etiam vterer ad robur inducendum, & pillulas de tribus toto anno ſæpè darem, nam, & robur, & purgationem inde haberem.

Ex his melius habuit, & ex ijſdem pillulis ſe multũ iuuari ſentiebat.

Pro matre Domini Petri de Benedictis laborante ventriculo, & alijs.

CONSVLTATIO CCCVII.

MVltoties ſentit calorem in veſtigio pedis dextri & toto eo crure, qui calor ambulatione ceſſat, ſępè aliquem dolorem vſque in caput, quod modo ea modo altera parte magis dolet. Hæc cum accedunt, quod veſperi quidem faciunt, aliud ſecum afferunt, quod ſenſum veluti arenæ in oculis mouet; ſuperioribus verò temporibus non eiuſmodi ſenſum, ſed grauitatis potius, & ponderis ſuper oculis. De ventriculo etiam conqueritur, quod præcipuè quando tardius cibum accipit, non ita bene à cibo habeat, & quamuis parum cibi accipiat, nihilominus affligatur, imò magis, quam cum pluri cibo vſa fuerit, qua moleſtia flatu emiſſo liberatur, ſic flatuoſam offenſionem eſſe ſolutio eius denotat, malæ verò qualitatis eſſe flatum ex nimia vexatione depræhenditur. Caput vt dixi, ſæpè dolet, atque adeò, vt febrem afferat, inde quaſi coriza perpetuò tenetur, quamuis ferè leuius habeat nunc. Cum ſputum procedit, ſalſum eſt, alioquin ferè nullum ſputum habet, ſalſedo verò modo maior modo minor eſt, aliquando vix perceptibilis, ſemper quidem aliqua eſt, ſitis tamen nulla eſt, nullum cibi faſtidium, nec ſomni etiam impediuntur. Quare, vt inde inueſtigationem exordiar, ſalſa illa pituita ad ventriculum non accedit, ita vt ei malum ventriculi attribuamus, cum ſitis nulla ſit, & cibi cupiditas, non impediatur, vt ſalſæ pituitæ eſſet. Salſedo, quæ ſemper à calore eſt, cum à capite venit, tunc eo aliqua cauſa calefacto fit, pituita vel in eo genita vel aliunde miſſa. At hæc non videtur offenſio potior, ſed illa, quæ ad crus oculos, & ventriculum pertinent.

Verum calor ille cruris poſſetne à capite ſalſum humorem demittente accedere? poſſet ſi ſalſedo non potius vlcera, quam calorem efficere idonea eſſet, non enim tam tenuis eſt, quæ in extimas partes accedat ſine vlcere: ergo neque ipſa eſt, neque à capite eſt, ſed bilis eſt, quæ à iecore demittitur. At vrinæ ſunt ſine colore: hoc verò ſignum eſt, bilem in vniuerſum quidem alio eſſe conuerſam, fęces enim ſat ſunt coloratę, & iecur habet aliquas partes obſtructas, à quibus contentabilis portio, ardentior fit, deinde in fumum conuerſa eminentes partes petere cogatur, cuius pars magis exuſta, & melancholica aut per lienem attracta, deinde reiecta in ventriculum eum lædit, aut in hypochondrijs ſubſiſtendo ſiccior facta, & æſtuans, fumũ mala qualitate præditum in ventriculi os mittat, & ſic vexet, vnde excreto flatu læſio digeratur. Ab ea obſcuriores quoque fęces fiunt, & aridiores humore ad ſiſtendum potius idoneo, & calefacto iecore quoque attrahente nimis humorem ex alimentis. Iecur ergo bilem facilè demittit, cum congeſſerit, & ſua obſtructione calefecerit, non per vrinas illis fortè etiam partibus obſtructis, vt vtero non ita bellè habente de quo alias conqueri ſolita eſſet. At exuſtior facta circũ hypochondriæ vitioſam aliquã vim acquirit, & ita aliquando. Cor videtur affligere, & ſtomachum malè habendo totam vitam miſeriorem reddit, & in caput offenſam proferendo dolorem etiam parit, & ſalſedinem pituitæ inducit. Igitur hic habetur pituita ſalſa ad caput pertinens, habetur bilis flaua, & ſuccus ater ex ea combuſta natus.

Habentur obstructiones bilem congerentes, & exurentes, præterea omnem actionem corporis impedientes, & non solum excrementorum commeatum, sed etiam spirituum intercipientes, Curationis caput esset eam obstructionem auferre, nã reliqua mala corpus per seipsum potest delere, At nequaquã tutò tentatur obstructio, nisi humorũ superuacuorũ vis prius amoueatur, non est autem ob obstructionem tutum violentius corpus purgare, quare tutius est ipsam curationem sic instituere, vt paulatim paretur, & paulatim humor exhauriatur, & vna obstructiones amoueantur, vna etiam viscera firmentur. Hæc ego omnia crediderim præstari posse ea confectione, quam proponebam, in qua manna, rhubarbarũ, & senę pulueres congerebam, cum fœcula, nuce moschata, seu myristica, cum garyophillis, & id genus rerum mitigantium, & adiuuantium medicamenta. Cuius compositionis vsum distinguendum crediderim interiecto vsu oximelitis cõfecti ex aqua, in qua incocta essent, ea quæ vim aperiendi, & confirmandi viscera habent, vt artemisia, betonica, melissa, cicoreum parthenium, cetrach, capillus veneris, eupatorium. Semina apij feniculi, anisorũ, nux myristica, & eiusmodi, nunquam verò præterirem epithymũ, vt in his rebus præcipuum.

Excellenti Medico Hieronymo Gradario de moderanda guaiaci vi, pro Excellentiss. Zoroastro Regio Doctore.

CONSVLTATIO CCCVIII.

QVod significauit hodie mihi ex tuis literis Excellenti Ambrosi de Zoroastri Excellentissimi curatione, fecit, vt quæ de eius valetudine alias cogitaram in mẽtem reuocarim, & tecum communicare statuerim. Quoniam corporis genus calidius, atq. humidius est vno capite excepto, quod cum natura ipsum quoque calore non ita moderato esset ex affectu accepit aliquam frigoris vitiositatem, propterea ratione corporis, & ætatis etiam inclinantis, quę crassiorem sanguinem, & melancholicum habet, mitigandam esse guaiaci vim calidiusculam, & nimis exsiccando sanguini crasso, & melancholico infestã, ego in aqua cicorei, & endiuiæ illud incoquendum iudicarem, vel si placet, etiam demendam aliquã partem guaiaci, & in eius locum salsam pariliam minus calidam sufficiẽdam, vt si essent salsæ ℥.1. guaiaci ℥.5. incoquendæ in aqua cicorei, quibus si caloris tamen incommoda sentiantur, plus etiam, atque etiã detrahendum sit de guaiaco. Non prætereundã verò per interualla alui solutionem ex pilulis agarici cum succo chamapithi, cõpositis, vel syrupo de stœchade, vt vis agarici in caput adducatur, & medijs illis potionibus vias habeat magis expeditas. At si cum his quoq; potionibus sic paratis effecta caloris perseuerent, nõ ab re puto futurum, si Lucenses aquæ de villa, scilicet cõparentur, & per potionem adhibeãtur, nã iecur temperant, & exsiccando leniter vapores absumũt, & pituitam capiti sic minuunt, vt postea eædẽ possint tuto adhiberi exterius ipsi capiti more stillicidij, vel stillicidium quoq; ex aqua ferrata fabrorum, in quã cõmodum esset, si hæc quoq; decoquerentur, lignũ cupressi, & hæderæ, folia salicis, myrthi, betonicæ, rosarumque flores, item & acetum adijceretur. Scapulis cucurbitulæ incisa primo cute darentur. Deinde etiã sine ferro applicarẽtur vnctionibus adhibitis ex oleo costino, castorei, vlpis, succini, & eiusmodi. Credo cauterium à me alias fuisse persuasum, quod non solum humero sinistro, sed etiam sub genu dextrum inurendum fore multo commodo crediderim; sic enim, & iecori, & capiti consuleretur. Atque hic cum multa salute tibi, & Excellentissimo Loroastro ego finem facio. Castridur. 7. Idus Maij. Anno M. D. LXXV.

De ardore Vrinæ pro Alliensi Sene cum Lando Veronæ.

CONSVLTATIO CCCIX.

SEnex est 70. annorũ mala victus ratione vsus præcipuè in rebus venereis, corporis habitu valdè firmo, & non ita transpirabili, quare nõ est mirum, si vi nutrice totius ambitus corporis, & ventriculo, ac renibus imbecillis factis, ad renes tanta pituitæ, nempe crudi humoris copia demittatur, qui etiã, dum in corpore versatur, nactus malam qualitatem irritet, collũ vesicæ, & crebram mictionem moueat. Ergo crebra hæc minctio mihi non videtur referenda in contẽtricis imbecillitatem, nisi quatenus irritata vitiosè agit expultrice insurgente. Exiens verò mutatum, tum causa est vitiosæ huius actionis, tum autem effectus est, qui à renibus proximè ꝑficiscitur. A quibus tamẽ non crediderim omnem suam vim habere, sed eorũ quidem calore, & imbecillitate admitti, & attrahi, à toto verò corpore senili, & labefactato vi nutrice parum coquente, & se onerante illuc compelli, maximè, quoniam corpus non ita perspirabile est, vt satis per inuisibiles meatus possit releuari, satis verò robustam habeat vim expultricem, quoniã minus est expellendi, quam concoquendi opus, quare in renes omne crudum excrementum demittit. Qui crudus humor cum seroso sanguine diu manens aliquid putredinis concipit, cum concoqui nequeat, neq; idem manere possit ob calorem, atque ita cum sero exit commixtus crudus, ac semiputres humor, lentus quidem, vt ferè crudus humor in vrinis esse consueuit, ille tamen, qui ex affectu renum tantummodo effluit, minus glutinosus est, & ferè huiusmodi est, vt pituita illa, quæ in locis ad caput attinentibus per noctem mansit, & aliqua putrilagine suum lentorem amisit, crassitiem retinuit, & malitiam acquisiuit. Neque in tanta copia ille est renibus tantam materiam ex se conficere non valentibus. A toto itaque corpore minus bellè conficiente alimentum ea venit materia. Ad renes autem, atque ad vesicam, quoniam hæ partes laborant, vidi ego sæpè ad intestina, vt proponit Oribasius, detrudi, vidi ad vasa seminalia ad pectus, & ad fauces etiam calidissimis vlceribus laborantes, & inflammationibus trahi, vt ad vesicam, quando vlcere, & calculo laborat. Ergo causis prædictis amouendis studendum, quarum communis est materia pituitosa, propria est renum, vesicæ, & totius corporis coctricis virtutis imbecillitas. Renes calore ferè infirmantur, nimirum, vis nutrix eorum ætate, & consumptis venere spiritibus. Vesica potest calculo premi, atque etiam vlcere: pituita porrò, tum ab ijs, tum à corporis habitu minimè ad digestionẽ idoneo, & eodem malo viuẽdi modo compẽrata est, quo renibus calor quoque vt naturalis, exterminatus, sic alienus inductus est. Imbecillitas hęc renum à calore præter naturã profecta recrementi abundantioris est causa, non solum propter attractionem, & depulsionẽ illius à robustioribus partibus, sed propter coctionem suam infirmiorem factam; Vnde post aliquã communis causæ amotionem, ad totius corporis confirmationem, & renum refrigerationem, & cõfirmationem, tum aũt vesicæ procurationem accedendum est; qđ cõmode facient aquę Caldarianę, q̃ exsiccãdo dũ recrementis totũ corpus leuabũt, eius calorẽ innatũ onere liberabũt, & recremẽta illa à renibus, & vesica abmouebũt, & corpus eorũ firmabunt, frigidita-

te

te verò sua mediocri calorem quoque renibus temperando robur illis restituent, & vesicæ vlcus, si sit, exsiccabunt. Interea verò, dum tempus idoneas aquas efficiat, corporis purgationi incumbendum, leuioribus quidem medicinis non solum ob æstum, sed ne imbecillitas toti, & renibus augeatur. Ac si morabitur aquarum opportunitas, feraq; nimium fuerit, saccharum rosaceum cum eo, quod fit ex betonica commiscendũ atque exhibẽdum, inde enim, & corpus omne robur, & mediocre refrigerium, atque exsiccationem recrementorum renes habebunt. Quod si aquarum occasio prætereat, etiam his saccharis ego puluerem chalybis diligenter præparatum immiscerem, & ad ℈.2. exhiberem ad certius robur inducendum, & crudum recrementum detergendum, simul, & absumendum quod, cum vellem magis detergere, crudum sine apparatu darem. Propono etiam vobis ad crudum humorem in toto corpore consumendum vsum salsæ parilliæ guaiaco coniuncto, quo vsu, ego ijs laboribus alios liberaui. De ratione victus præsente te huic curationi supetuacuum est mihi dicere, sunt enim nota, quæ & materiam pituitæ, & motum eius ad renes possunt exhibere, illam ob crassum, glutinosum, & crudũ ac durum genus, hæc propter salsum, acre, & nimis amarum.

Pro Mattheo à S. Marcho dolore ilij laborante.

CONSVLTATIO CCCX.

VRinæ albiores ac tenuiores sunt, quam aut ætas, aut genus corporis postulet, in quibus quod residet, arenosum est, ac luteum, id tamen non multum, dolores verò, qui ad dextrum ilium pertinent eum situm suo decursu habent, quo in renibus, & vasis vrinarijs videantur, at in dolore ipso testis nihil reducitur, nihilque afficitur, solet enim affici testis per dolorẽ, q̃ vreterẽ sui lateris occupat, q̃uis ad eũ nõ ptineat, prterea id est à renibus alieni indicij, qđ tota hora post cibum quiescit, post horã verò ferè tentat, quasi quod à ventriculo, & per cibi coctionem nascatur, & ita in intestinis potius quam in vasis vreteribus, aut rene vllo contineatur: etenim si statim repleto ventriculo cresceret id renum culpa esse posse videretur, qui eo pondere quoque ipsi præmuntur; vti neque esset mirum, si contra eueniret vt uacuo ventriculo. Ren doleret, vel magis tunc enim ventriculo sursum retracto tunica communis cum renibus distenditur, cuius est dolorem sentire. At isthæc coctionis quasi expectatio, & caloris ad renes pertinere non videtur, verum eo quoque calore renes apertè affecti, vt per vrinas videmus, suum humorem magis moueant, & feruere faciant, vnde ipse dolor magis concitetur, qui dolor accipiendo cibo leuatur calorem illum frangente, obstructio certè, quæ tenuitate vrinæ supra renes esse intelligitur, fuberit, de qua etiam paulatim exsiccara arenulæ exprimuntur, eius ergo frigidus humor, & crassus à calore coctionis, & humore cibi nouo pertranseunte commotus dolorem ea hora cõcitabit, quæ obstructio non tanta est, vt vrinæ transitum impediat, sed ea tamen quæ tenuiorem percolando permittat, hæc verò omnia ad renes, & vreteres pertinent. Renibus ergo, & vreteribus certò affectis est subueniendũ. Ventriculus verò, & intestina non prætereunda, quoniam inde prorsus magnum mali initium nempe materia ducitur. A renibus sensim, vt fit, arena est abijcienda, ipsi ab incursu materiæ defendendi, & ab obstructione liberandi, calore leuandi, roboreque firmãdi. Interea humor ventriculi abscindendus, detergendusque. Hæc oximelle, syrupo rosaceo, nenupharino, betonica, saxifragia, capill. veneris, cetrach, cicorea, radicibus graminis, & asparagorum efficientur. Propriè tamen materia à renibus auertetur, si per aluum ipsa purgetur, aut magis per vomitum, quo & materia vtilius ab ipsis auertitur, & medicamenti partes remorentur, quæ ad renes solent perfluere, & hæc etiam proprijs medicinis, quæ poterunt subscribi, si fuerit necesse, auertendæ, quoque materiæ à toto confluentis ad renes balnea aquæ communio, ac frictiones erunt post aliquam purgationem adhibẽda, proprie autem renibus facere expertum est aquas ferreas vnde, quidam eas naturales exhibent, quidam ferum ferro ignito parant, & dant, quidam etiam chalibem præparatum, & in puluerem ferè inuisibilis secretionis præbent, nam sic potest sua vi ad locum remotissimum persuadere, quæ quidem ego quoque tentarem facta prius corporis purgatione, quæ cum his calidissimis diebus commodè fieri non possit, interea ego sustinerem valetudinem oximelle mixto cum syr. rosaceo, & pillulis ex terebinthina, rhabarbaro, & agarico, nam auertent materiam, & firmabunt viscera, & renum quoque vim, & purgationem respicient, &c.

De Christophoro Morando epilepsia, & suffusione affecto cum Valdanio.

CONSVLTATIO CCCXI.

GRatissima mihi occasio hodie oblata est tecum colloquendi Vir Excellentissime, & iucundissima hæc mihi huius diei est memoria futura, qua primum te audiui disserentem. Nam alioquin superuacuum certe est, vt meam sententiam dicam de eo negotio, quod tibi commissum sit neque ab vllo certius, & tutius tractari possit, dicam vero sic, vt quasi repetam, quæ à te dicta sunt rationesque eorum exponam in eum vsum, vt melius præ oculis habeantur, & æstimentur, atque ita & mihi, & voluntati eius, qui me rogauit, satisfaciam. Si bene rem memoria teneo tria sunt huic molesta mala, symptoma illud, quod narratum est epilepticum, & ophtalmiæ identidem reuertentis metus, quæ modo non videmus. Visus autem impedimentũ, quod nos cernere possumus in pupilla, Quibus malis metipsis colligimus, caput huic infirmissimum rheumatis in oculum causam esse potuisse, præterquam, quod ipsum sua natura calidum cognoscitur, si perpetuum eius cogitandi morem, dum domo progreditur, dum ad mensam est, & dum cũ dormiturus est, & cubar, consideremus, si promptitudinem in negotia, & in locutione vehementiam, & in voce sonum cernimus, si caluitium citò aduenisse consideremus, vnde nescio quo malo euentu collegit plura excrementa, & inde intemperie minime ęquali affectum crudos humores in oculos etiam amandat, & per principium neruorum suo magno malo conuulsiones excitat. At quoniam iecur calidum est natura, vt proprijs notis animaduertimus, nunc verò præcipuè vrinis, non est mirum, si etiam ophtalmia moueatur, humorem à iecore susceptum capite reijciente in oculum iam factum imbecilliorem. Dum ætas mollior fuit, & corpus magis perflabile, & humoribus mitioribus præditum, bene valuit, nunc detentis humoribus in tot mala coniectum est. His veluti causis propositis, videndum quænam forma, & vis horum malorum sit. De epileptico malo dicerem quidem libenter, si spes vlla esset, vt ab eo eripi posset, at quoniã iam vetus est, & homo iam senio subest; nollem laborem frustra suscipere, fuerit tamen mihi in signum, quod caput refertissimum crudis excrementis est, vt præterea videmus ex crebra eius, spuitione, & sputis multis glutinosis, & crassis.

Vnde materia ea nimis abundaus in oculum etiam

Vnde

defluxit, & suffusionem effecit, quæ satis densa est, & visionem, ita intercipit, vt vix lumen clarissimum discernat, idque non specie luminis, sed quasi panni albi. At dicat quis (vt Doctor Excellentissime asserebas) suffusio non est, potius obstructio opticorum meatuum est, aut spirituum defectus est. Dico ego primum, quod anceps illa sententia, & dubia, fortè spiritus deficiat, forte obstructi pori sint, cum notitiam harum rerum non redoleat, cumque consilium non determinet, mihi non potest placere. Deinde mihi etiam videtur ab eo, quod cernitur valde aliena, nam meis oculis fides aliqua mihi habenda est, vt natura edoctus quilibet est, mihi verò videor in pupilla statim videre electrum, quod ambrum nostri appellant orbiculare, ac perlucens, & puto hoc cuiq; posse patere, & rogo, vt ocularius adhibeatur, cui certo scio id indicium futurum, ijs præterea, quæ consequuntur ad impeditam actionem in eadem sententia confirmor, obscurata visio est, non ablata, non infirmata. Vidi infirmitatem ob pupillæ dilatationem, sub quo malo spirituum iactura iudicio Medicorum est causa, quod non videant, & obseruaui quod lumine clariori magis impediatur visio, moderato illo, & minime aduerso, aut auerso, vt flecti in oculos non possit, minus ei officitur, aliquando positu quodam commodo satis cernitur. At infirmatæ visioni ob spirituum defectum quis non videt necessario adiungi cæterorum sensuũ infirmitatem, & recreatis aliquo modo spiritibus aliquanto melius cernere? Eos verò, qui obstructos meatus haberent, subitò aciẽ visus amisisse obseruaui paucis certis diebus, & circumquaque conuerso aspectu æquè aciem impeditam experiri. Is autem reliquis sensibus valet, plurimum nunquam melius cernit, tantum si aduerso oculo, minus, si ad latera conuerso aspiciat aliquando magis videt, quod corporis in pupilla positi signum est, nam varietas ea est, ob positum humoris suffusi, non subitò nõ paucorum dierum spatio visum amisit, sed mensium, & annorum, ac paulatim, nec mutato lumine vim videndi immutat, quare ratio sensui nostro concors facit, vt nullo modo tecum esse possim præcipuè tam ancipite. Imò mihi videtur, quod suffusio est, & facta, atque absoluta, quæ manus tantum curationem postulet, ocularioq; medico permittenda, nobis vna ea cura relicta, vt corpus tam diligenter purgetur, ne manu adhibenda oculus offensus aliquid à corpore toto trahat, qua de causa etiam ophtalmia auferenda est, quæ diuturna est, & contumax, atque reuertens propterea maximis remedijs est summouenda, in quibus ego post corporis purgationẽ per medicinas adhiberem illas, quæ etiam per sudorẽ id faciunt, vt toto sic corpore vacuo tutius oculo manus adhiberetur, reumata enim, quæ vt plurimum ob inbecillem corporis totius vegetalem naturam eueniunt, toto sic torpore expurgato absciuduntur, potio verò illa mihi esset ex sarsaparilia. Interea, si oculus dolebit, præter illa quæ in vsu communi sunt, ego pro pono vsu probatissimum mihi malum coctum ex saccharo, & rosacea aqua, vel panem ex rosacea coctum, prius tamen dilutum adiecto lacte muliebri, & aliquãdo saccharo, præterea, albumen oui concussum cum lacte. Omnibus verò his præstitis ocular io medico ego ipsum permitterem, & manui eius, & iudicio subijcerem.

Is catarrhactam confirmatam habere in oculo ab ocular io peritissimo est iudicatus. Et salsa pariliæ potionibus aliquandiu vsus in alui fluorem, & febrem incurrit, quibus diu torquebatur. Conualescens autem oculi curam præterijt, & cæcus diu vixit admodum senex.

Pro Illustri Domina Aemelia Comitissa cum Lando, & Giuliario de febre continua cum ventris dolore.

CONSVLTATIO CCCXII.

A MVltiplex huius negotij ratio est, atque ideo inre de sententia multi rogantur, nam neque malum non sæuum est, & personæ conditio, & dignitas multorum consilia videtur postulare, quare ego quoque conabar sententiam meam exponere, vt saltem res sic ante oculos posita curationem sui facilius, B & certius ostendat. Est febris continua calore mitis adeò, vt corpus fere frigidũ sentiatur, nulla siti, nulla corporis iactatione, nullo linguæ squallore, quæ febris frigora incertis temporibus affert, nec tamẽ post illa magis incenditur.

Est præterea dolor mobilis quidem, atque intermittens, tamen in easdem semper partes rediens ad dorsum, ilia obliquè in inguina decurrẽs, modo dextris, modo sinistris partibus affligens, non ita sæuus adhuc, vt viribus iacturam afferre posse videatur, vnde febris magis possit curationẽ sibi retinere, & causa doloris possit, vt ordo postulat, prius auferri, non neglecto tamen ipso interea dolore, præcipuè si vigilias immodicas adduxerit.

C Itaque hęc duo adsunt toto iam mense, & amplius, inque his duobus versandum est, & ab eo, quod magis vrget, quodque causa est, sine quo reliqua amoueri non possunt, ordiendum. Febris ex notis propositis pituitosa est, nam tactui calor æqualis non est, sed corpus frigidum videtur, per quod tamen frigus, calor, vt ita dicam, durus emanare percipitur. Frigidiores aliquando sunt carnes, vt humoris glutinosi indicium habeamus, neque enim crassus simpliciter humor, vt melãcholicus, eam speciem seruat, quin cum ardet, acriorem flammã præ se fert, & puriorẽ ignem propter sui siccitatem, humidus ergo, & lentus, & frigidus est, pulsus ipsi quoque fere molliores idem con firmant, nam sic nullo modo siccos nimium biliosos, aut melancholicos humores denotant, sed pituitosos. D Vnum tãtum videbitur repugnare, quod magni pulsus, & validi sunt, quales pituita non solet pati. Verũ, si cordis huius Illustris mulieris vim insitam consideremus sua natura vehementem, nulla dubitatione impediemur, quæ, cum inditia iecoris frigidioris, aut saltem non ita calidi habeat, tamen ipsa animum virilem pectus elatum, corpus erectum, & coloratã faciem, & nitidam semper habuerit, vsque ad hãc ætatem, tum vocem virilem, & aspectum, ac quamuis in animalibus motionibus grauitate summa tardior videatur, tamen in animosis fortis, & cõstantissima animo cernitur, vt grauitas illa firmitatem potius animi, & vim, quam tarditatem, & frigus significet. Ex his conficitur necessariò, quod calidum habet cor, vnde pulsus mediocribus maiores sua natura, & si per oc- E cupationem pituitæ, non sint mediocribus minores, sua hac mediocritate non faciunt, quin pituita dominetur, quantum enim pituitæ oppressio magnitudinis detrahit, tantundem ius vitalis restituit ad mediocritatem, præterea detecti etiam admodum sunt pulsus, quare comparatione alterius mulieris pares eos habentis, si illa tectos magis habeat, hi maiores videantur, & tamen aquè pares illis fuerint, quare pituitæ subesse principatum hoc nihil obstabit.

Confirmant præterea pituitam subesse illa omnia, & quod senectus adest 71. annorum, & quod longas febres ob id genus frigidioris iecoris est solita habere, nam tertianas nothas ad septem menses tulit, perpetuisque sudoribus vix conualuit, quæ febrium longitudo

gitudo non nisi à pituita producitur, quare Galenus consulebat, ventriculo subueniendum in his febribus esse, quoniam ab eo materia longitudinis nempe pituita suppeteret.

Verum quidem, quod sudores difficilè ex pituita crassa fiunt, nisi aliquid bilis immixtum sit, ita vt bilis aquosa speciem humor referat, alioquin enim pituita crassa per se non admodum est idonea sudoribus mouendis, quare longitudo pituitæ, sudor verò bilis indicium præstabit, ac neq; nunc sudores faciles sunt, nisi aliquantulum circum ceruicem, quod in ea est perpetuũ, ceruix enim aliquid semper habet sudoris, quod indicium pituitam ostendit. Demum lingua mollis, humida, & sine siti fere est, quamuis cupiat os sæpè diluere, quod corde, ac pulmonibus æstiuo tempore, ac tanto æstu vigente febribus vrgentibus, non potuit, non fieri. Pituitosa ergo hæc febris est, & quoniam nullas habet intermissiones, intra venas putredinem habet, non enim frigora, quæ sæpè sentit, sunt accessionum initia, nam nullo ordine accedũt, incertisq; temporibus, & leuia admodum sunt, ac ferè occasione præstita, quamuis leuissima quoq; accedunt, non enim sat efficax sit quæq; leuis occasio, nunc ad frigus inducendũ sub his æstibus, tam magnis, Verum corpus ob id genus humoris adeò idoneum est, vt leuissima quæque occasio ad mouendũ frigus ei faciat, idoneũ verò corpus est, quoniam humores habet pituitosos, qui ob lentorem, & crassitiem, non ita æquè omnibus suis partibus putrescunt, sed alijs putrescentibus, alijs ad putrescendum ob crassitiem, & frigus minimè idoneis, tantummodo verò à calore putrescentium partium fusis, & resolutis suum frigus explicare possunt, præcipuè calore nimio externo interdũ mitigato non impediente, & alijs aeris lenioris occasionibus oblatis, qui humores fortè, nisi tam magnus æstus esset frigus perpetuò facerent, & veram epyalæ febris formam exprimerent. Vrinæ sunt coloratiores, sed sunt etiam tales, quales mouet pituita, cum putrescit, nam bilis lucidas, & coloratas facit, hæ crassæ, & minimè lucidæ sunt, putrescens siquidem pituita fuligines contrahit, quæ minimè dissoluuntur, ex quibus calorem, & acrimoniam humor acquirit, nam si aqua in hypochondrijs manens bilescit, quid faciet feruens pituita? quid serum eius? colorem ergo non perlucidum, aut liquidum, aliquem tamen acquirit, & acrimoniam, certè quidem salsedinem, vnde hæc Illustris Domina vrentem vrinam sentit, & si difficultatem mingendi non habeat; quod præcipuè ab eo humore prouenit renibus natura, & ob febrem calidioribus, atque nimis diu vrinam propter obstructiones continentibus, quam continendo crassiorem efficiunt dissolutis suo calore partibus liquidioribus, &, propterea non tam multum, vt conueniret, excernũt, itaque sero multo detracto nõ est mirum, si vrina coloratior exeat, si acrior sentiatur, si paucior, quam pro potione conueniret; Sub his malis mihi videtur latere causa dolorum, neque enim prudens illa quæstio visa est, num dolores à febre, aut febris à doloribus eueniat, nam illa continua est, ij intermittunt illa putrida est, hi seipsi putridam febrem efficere non possunt, aliquam verò faciant, non nisi media inflammatione faciunt, quæ stabilis morbus est, nec aliquibus horis intermittere posset, quare dolor coniunctũ potius sit quoddam ipsi febri ad eius materiam consequens renibus calidioribus à calore febrili æstuãtibus materiamque illam agitantibus, & attrahẽtibus, nam reuera dolor in intestinis non est, in quibus, & si rugitus sentiantur, interea tamẽ cum rugitibus dolor non est, & parte longe diuersa sentitur, positum verò eum seruat, & eum cursum tenet, vt à renibus per vasa vrinaria vsque in vesicam peruenire certò videatur, sic natura se se exonerante, qui dolores obstructionibus à materia circum renes factis augentur flatu ipsos efA ficiente. Hi sanè cum non tam vrgeant, vt virium metum faciant, cum causa eorum eandem postulet, cum causa febris curationem, propterea, permittunt, vt curationem febris instituamus.

Iam ergò incidendum, abstergẽdum, & extenuandum, esse humor ostendit, & subinde sensim expurgandum, ac postquam id factum est ex parte mediocribus, vlterius validioribus idem præstãdum, & opera danda, vt partibus affectis vis medicamentorum inferatur, vnde oximelliti, & melli rosaceo iam compositiora adiungerem, vt essent bysantinus syrupus, cum aceto, quo propriè lentori materiæ occurrerem, vt syrupus de eupatorio, vt etiam acetosus diarrhodon, sic viribus ordinem postulantibus, vt valentiora posterius adhibeãtur, neque enim, vt dixit Excellentissimus Medicus valde calidior est bizantinus si B descriptiones syruporum inspectetis, neque verò non conuenit byzantinus huic febri eo, quòd calidior videri cuiquam possit, qui etiam tertianis idoneus sit. Huic autem humoris apparatui purgationes subiũngerem, præcipuè vomitu, qui ei facilis est, & à renibus valenter auertit, vel clysteribus valẽtioribus, vt etiam hieralogodion sit adhibendum.

Nam de exhauriẽdo humore per sectionem venæ, ego nõ agerem, cum humor, qui abundat, tam distet ab alimenti natura, vt firmiter credam, vires diuturnitatem morbi non esse toleraturas: quoties quidem morbus per venæ sectionem amoueri potest, etsi vires infirmentur, tamen morbo ablato reficiuntur, ac C cum infirmæ fiunt permansuro etiam morbo periculum vitæ fit.

Neque vero credo, quod secta vena ad manum aliquid tutioris allatura sit, cum spiritum tãtum, & sanguinem exhauriat. Præcipuè verò fit illud remedium inutile in sanguine pituitoso, quoniam non ita facile in ambitu venarum inuenitur distributus, vbi paratior sanguis est ad nutriendum, quod etiam maximo naturæ consilio euenit. Etenim dum crassus, crudusq; humor intus in latioribus locis manet, non putrescit, tam facilè, imò fere, non putrescit, & facilè concoquitur.

Vnde Galenus crudis humoribus scatente, ac referto corpore consulebat quietem, vt manentibus in locis coctionum humoribus, & in ipso iecore, & locis D ei vicinis concoqui possent, non autem putrescere cogerentur in loca angusta, & publicæ coctioni, non ita idonea demissi: quare, in hoc casu ego penitus etiam in manu sectionem vitarem, quę nisi proprijs quibusdam occasionibus, vt à proprio, & certo viscere obstruentem humorem abstrahamus, fieri solet, velimq; mihi hãc rationem semper ob oculos obuersari, cum cucurbitulæ proponuntur, nam ipsæ magis tenuibus humoribus educendis sunt vtiles, & cum à visceribus est abstrahendum, cum maius speratur auxilium à visceribus liberandis, quã metus sit putredinis in membris eminentibus ciendæ, quæ in sano penitus uitãda est, in ægro verò aliquando ob maius vitandum malum non metuenda, dico artubus ipsis illas applicando, sed ad rem nostram. In rebus propositis ego per-E manerem, verum cum iam ad 40. diem malum accedat, frictiones ego necessario esse adhibendas iudicarem, quæ digerendo, concoquendo, & auertendo à locis dolentibus humorem vtiles sunt, & vna febri, ac dolori subueniunt, coctionem autem maximè vẽtriculi iuuarem fomentis, & vnctionibus, sic dolori occurrendo.

Quę verò vomitui mouendo oportuna sint, Vestris Excellentissimis satis superque notum est. Oximelle primum, ex aliquo liquore abstergente, vt betarũ saltem iure, deinde radicibus raphani incoctis, postea, cum agarico, & asaro. Clysterum quoque ratio satis aperta est, & sic curatio satis exposita, nam de ratione victus non est, quod dicam, cum ægra satis in ea ordinata

nata à vobis sit, mediocrē esse profectò sine dubio oportet, etsi incidentibus, atque extenuantibus cōditū, vnde vel cappares ego non abijcerem, etsi tam magni sint æstus, neque phisticos aspernarer, acetū quoque adhiberem quæ vobis satis nota sunt. Dixi.

Aliquando aluus ei postea resoluebatur, vrinæ paucæ crassiusculæque erant, angustia quadam animi, etiam deliquio tentabatur, qua demum syncope crescente extincta subito est.

De dolore Renum pro Reuer. Mapheo Albertino Vicario Veronæ.

CONSVLTATIO CCCXIII.

VT recensendis, & æstimandis ijs, quæ ab Excellentissimo Viro dicta sunt, curationis partes fiāt promptiores, & magis tractata, ego libenter loquar; lapidem huius doloris esse causam conijcitur rum ob arenulas, tum verò ob id, quod alias in hoc eodē corpore contigit. Ego tamen in vrinis his non video veras arenulas, sed eas tantum asperiores sedimenti partes, quæ non statim vrina mincta resideant, vt arena debet, sed paulò post vrinæ refrigerationem, pręterea pluries vidi arenularum minctum tueri homines à calculo. Materia certè in meatibus vrinæ est, & multum facit metum, quod corporis genus idoneum sit, & alias in lapidis labores inciderit, & omnes eas habuerit, quæ nunc adsunt notas, tum doloris, tum febris, tum pulsus valdè inæqualis, & lypothymiæ. Quare ego quoque de materia lapidis remouenda, inferiusque promouenda cogitarem, sed super hæc adijcerem quod verendum putarem, ne inflammatio moueatur. Reni tamdiu tanto dolore affecto in corpore tam pleno, pręcipuè febre sic sequutæ, quæ non mediocris sit. Ad locum enim dolentem confluunt humores, quoniam, vt inquit Galenus libro Methodi, natura connitens dolorem expellere in locum dolentem conuersa illuc humores cum spiritu, & sanguine compellit, atque ita ferè ad dolores ipsi tumores sequuntur, qui tumor hoc loco non solum vitæ incommodum per se allaturus sit, sed etiam propter lapidis, vel alterius corporis retentionem, tumescentes enim partes distenduntur, & secum alias omnes annexas partes distendunt. Distenti verò renes vasa quoque secum vrinaria distendere necesse est, & ex distensione vel lapidem, vel corpus quoduis aliud comprimere, & nō posse extrudi: quare inflammatio vel præsens, vel futura attendenda est, & causæ eius submouendæ, quod corporis purgatione, sed sanguine præsertim imminuendo fieri cum Hippocrate debet, & omninò ea curatione, quæ magnis morbis debetur, nam in magnis morbis natura incumbens in morbum eijciendum, dicit Galenus, etsi corpus mediocriter habeat, tamen impellit in eum morbum semper spiritum, & cum eo sanguinem, & alios humores vel alijs partibus minimè graues, vel morbo viribus occupatis etiam grauiores factos. Sed de mittendo sanguine sermo in sene videtur periclitari, tamen in senio tam viridi, corpore tam referto sanguine, & boni habitus, viribus tā valentibus ego crederem ætatem imminuere quidem modum exhauriendi sanguinis, at non impedire venę sectionem morbo tam vrgente. Mihi verò etiam est in animo venam secare in talo eiusdem lateris, quo citior esset vtilitas, sed oleo anodyno prius aluum ducerem, & vesicam butyro plenam calente lumbis adhiberem, post autem sectam venam soluerem aluum, per electuarium lenitiuum, in quo omnia sunt, quæ ad laxandas vias, & leniendum dolorem renum idonea sunt, neque periculum vllum afferr, vt cassia afferre senibus, & imbecillis ventriculis solet; fortasse etiam A aliquis eam metuat initio curationis, quoniam diuretica admodum. Vias postea laxarem assumendis per os, & exterius adhibendis oleis, & alijs, & postremo lapidi promouendo, & frangendo incumberem exterius adhibendis. Oleum amygdalarum amararum, & dulcium intus, extra butyrum antiquum cum folijs apij, cum radice raphani cum oleo scorpionum. Tum per os demum saxifragiæ omnia genera, & quæ cum calore, tum tenuitate partium, & adstrictione aliqua id faciunt, vt succus limonum, tubi, spongiaque ipsius & semina mespillorum, lanugo ceterach, aqua parietariæ alsines, anagallidis raphani syluestris, & therebynthino, cum hierę pulueribus, ex qua vidi opus mirabile non raro quibus ad extremum ea, quæ proprietate ad id valent subiungerem, & composita illa stillatitia B valentissima nostro tempore vsitata.

Misso sanguine leuius habuit, & inde conualuit. Medici dictitabant aliàs etiam sine sanguinis missione ab eodem morbo releuatum.

De morbo Veterani militum præfecti habitum Romæ cum Ludouico Bondiniando, & Medicis Romanis, qui sub auctore Alexandro Petronio pleuritidem in inflammato pulmone volebant consistere.

C

CONSVLTATIO CCCXIV.

VErsor in ea difficultate nunc Doctissimi Viri, qua verear, nè aut dicendo aures vestras offendam, aut tacendo priuem opera mea eum virum, cuius salus mihi tum sua, tum fratris causa cara esse debet. Ea tamen spe ad dicendum potius accedo, quod vos æquis animis audiendo rationes mei sermonis expendetis, & in meliorem partem accipietis, quod saluti futurū huic viro non dubito: Dictum est à Viro Doctissimo huius nostri ægroti febrem, qua continenter laborat ex putredine illa nasci, quæ intra thoracem sit, nimirum, aut in cauo ipsius, aut in pulmonibus constituta. Doloris lateris verò causam esse, quod pulmones tumentes vrgeant pleuram, & dolorem sic incutiant, D quem morbum pleuritidem esse statuit, & asserit, pleuritidem nunquam inflammata pleura fieri, sed semper sic affectis pulmonibus, & eum dolorem pleuræ adferentibus; pulsus verò ipsius sub eo dolore duritiē Galeni somnium existere, nec necessario ad id mali genus sequi. Hanc suam sententiam de pleuritide ad mentem Hippocratis, & ad naturæ rationem esse accommodatam, quod ratione naturæ partium, & morbi non possit aliter hic morbus accidere. Quibus auditis, ego sic sum permotus, vt qui repentè præter opinionem in admirabile aliquid incidat, neque possit de eo sic subitò secum statuere, sed multo post tantum in se ipsum receptus collatione rerum, & rationū facta rem demum potest distinctè iudicare. Hic ego E de re mihi noua, & inaudita primum sic statuo, duas habere partes, & vtramq; à vero plurimum alienam. Etenim neq; pleuritis non pōt nasci, vt Galenus proponit, neq; malum huius ægri aut pleuritis est, aut malum eiusmodi, vt est à Doctissimo Physico propositū. Quod falsum sit, quod pleuritis eo modo fieri nō possit; videte, vna tantum ratio adducitur, quæ alicui videatur probabilis, minimè tamen vrget, nimirum, quod membrana inflammata non potest ex se in pulmones excrementum exsudans ab inflammatione transmittere, altera, siquidem ratio, quod ea mēbrana non possit inflammationem accipere, nimis apertè falsa est, cum quotidie membranas densiores, & frigidiores inflammari videamus, quarum coniunctiua est aper-

est apertissima, in qua maximas videmus inflammationes, & illas sæpe, quæ multum crassi humoris habeant, illa verò ratio, quod sæpè à capite lateris dolor habeat occasionem, non tuetur membranam ab inflammatione.

Ergo prima ratio vna relinquitur, quæ aliquid verisimilis fortè haberet, & longiorem certe requireret sui diluendæ orationem, nisi ab ipsomet Doctore, qui eam adduxit, infirmata nō fuisset, cum dixit, Catharrum quoque in cauitate thoracis putrescentem, posse huiusce febris causam esse, & per tussim emitti. Sic enim permittat necesse est, humorem ex membrana in cauitatem thoracis delapsum per pulmones posse excerni, cui facilius est, dum in inflammatione feruet, & in sudoris modum funditur, e membrana emanare, quàm cùm postea ab eo feruore relictus cōcreuit, B imò longè facilius e membrana in pulmones adhuc feruens transit, quod non in imam thoracis partem delabitur, sed spiritu pulmonū attractus, dum adhuc adhæret membranæ affectæ in pulmones allicitur, facilius, & penetrat, cum quibus, mirū est, quàm membrana sub eo malo cohærescat, vt in cadaueribus videre est; Atque sic Galeni sententiam stare videmus, quam confirmare hic iam necesse non est, cum Galenus minimè patrono indigere videatur. Pulsum durum, & serrinū in lateris dolore non reperiri sensu ipso falsum cognoscitur, nam etiam in inflammatione membranæ per vulnus facta serrinū penitus pulsum inuenimus. Quod verò fieri possit lateris dolor ab inflammatione pulmonum inflammatione in mēbranam non traducta, id quidem sæpè perceptum est in C cadaueribus. Verum ille dolor, neque loco eodē permanet, neque tempore continenter vexat, quia fumis acrioribus in membranam impetentibus inconstantissima recietur. Sed quod pulmones suo tantum tumore in membranam vrgendo illam cōtundant, absurdum est, tantum verò ipsi renixus, & duritiei habeant, vt quasi mouentes se se contusionē in pleuram faciant, quasi vero non potius pleuræ, & costarū motum sequantur, eatenusque inflentur, quatenus à laterum dilatatione spiritus in eos attrahitur, itaque non contra nitentes motu suo, quo carent, collidunt, sed alienum nempe thoracis costis adhærescētes sequuntur, contusio enim duorum corporum est cōtra infligentium, non altero alterum secum adducēte, & minus cōtundet illud, quod & attrahitur, & mollius est. D Miror & doctos nesciuisse, & practicos dictos nō animaduertisse, quod pulsus in peripneumonia valde rari, magni, & molles sunt vsque ad proximam suffocationem, dolor nullus molestior est. In pleuritide verò & dolor aeris, & pulsus crebri, parui, duriq; sunt: mitto obscuriores eius differentias. Atque hactenus de dogmate in genere adducto. Iam ad nostrum infirmum accedo. Dixit Doctor Romæ celebris, pulsus durus non est, neque serrinus, ergo in pleuritide durus esse non debet. Ego potius à re certa, & manifesta dubium colligerem, vt doceor à Galeno, quam à dubia, quod certum est, in dubium reuocarem, nimirum, pulsus serrinus non est, ergo pleuritis non est. at E dolor lateris est, est in genere dolor lateris, sed nō ille propriè dictus pleuritis, nam neque continuus est, ergo à re firmata non est, ergo neque ab inflammatione, neque verò pleuræ est, sed neque carnosæ alicuius partis, vt musculorum intercostalium. Fit dolor à cibo, tensum est hypochondrium eius partis sinistrum, scilicet, ergo ab infarctu alicuius materiæ in hypochondrio circum lienem, qua vapores alimenti emanare, & dissolui impediuntur, & ibi contentis vaporibus crassioribus dolores fiunt. At est dolor continuus in humero, is suam causam habet rheuma ipsum cui ægrotus antea assueuit, quod in eam partē erupit tractum à labore brachij, quem equo effreni longo itinere continendo subiuit, quod alijs quoque cōtigisse

A recordor, & exitus ipse ostendet, nam cessabit facilè febris, & dolor humeri permanebit, cum causam eandem, & communem non habeant. Tussis est; destillationi iam dictę id tribuendum est, nam spuit sputa secundum naturam nullo colore affecta, & nulla aliena materia mixta, quare ex absentia notarum propriarū, & relatis signis cęteris huius mali in alias causas pleuritis censenda nō est, signa enim quinque per se communia sunt singula, cum non omnia conueniunt, cum conueniunt omnia, tunc concursu suo fiunt vnū proprium, abest, vt dixi pulsus durities, abest acumen febris, & angustia spiritus, quæ inter potiora sunt. Prætereo verò signa superuenientia, vt delirium &c.

At in pulmonibus poni posset causa, & tunc mitior febris, tunc mollior pulsus. Dico ego quid vos adducit ad hoc? dolor inquitis, qui vrgētibus pulmonibus inflammatis in pleuram fit. Nam intelligitis quomodo fiat respiratio, & quomodo, vt dicebam superius, pulmones nō sua vi neque seipsi implentur spiritu dilatatis, sed thorace extento anima adducitur, neq; vltra ire potest, quoniam vsque quo adducitur, & quando in cauitatem thoracis recta ingredi nō potest, cauitasque vacua esse nequit, pulmones ea necessitate qua vacuū cauetur suo ambitu hęrent parietibus thoracis, & thoracem potius sequuntur, quam impellant, quod verò sequitur aliud ab eo adductum, illud non impellit, vt vel si vlcere membrana laboraret, etiam mollitie pulmonum per scyrrhum aliquem semota, nōdum tamen dolore membrana afficeretur eā consequentibus, non autem impellentibus pulmonibus ipsis. Verum vbi hic sunt signa inflammatorum pulmonum? vbi difficultas anhelitus, qua absente non solum pulmones non possunt esse inflāmati, sed neq; etiam membrana ipsa thoracis, non dicam de delirio, de somno, aut mixta illa natura somni, & vigiliarum, sed illud maximum est, difficultas nulla spiritus est. Dictis affuisse vna cum delirio. Dico non necessario denotasse hoc malum, quoniam non est penitus propria nota, nam coniuncta ei partes id efficiunt, longè verò minus etiam exitus docuerit, nam si nō amplius adesset inflammatio pulmonum, cur febris, quæ eam sequebatur non est summota? nunc ergo id mali certè non est. Vultis verò videre? per sectionem venæ delirium, & difficultas spiritus sublata sunt.

Ergo facilè malū ab humore extra venas non erat, cum is per sectam venam educi non semper possit. Sed quid inconstantius, quam modo in thoracis cauitate, modo in corpore pulmonum malum statuere? quid dissimilius, inflammationemne, an materiam in cauitate putrescentem ponas? quorum malorum notæ statuuntur longè diuersæ, & tàm apertè à Galeno positæ, vt breuitatis gratia iure possim eas præterire. Ergo laudabo quidem ego venæ sectionem factam, vt euentus comprobat, laudabo, quæ ex hyssopo subministrantur, neque non ero, vt Galenus, tam litigiosus, qui absynthium etiam in articulis deridet. Scio hyssopum non solum thoraci, sed visceribus etiam inferioribus expediendis esse vtilem, vnde obstructionibus ipsum quoque occurrit: sed ad illa etiam, quæ lienem respiciunt, & ad acetum accederem melle mitigatum, scolopendriam, phyllitim, fumumterrę, & similia, rhabarbarum etiam cum notæ coctionis aderūt adijcerem, vt suo tempore dicere melius, & oportunius poterimus. Sectione venæ facta potestis inunctiones parti dolenti admouere, & leuiora fomenta, quæ coctionem iuuent tempore suo, & leuiter discutiant, nam iam aliquantum corpus leuatum est mala plenitudine, & non absumus à coctione aliqua materiæ, vt vrinæ demonstrant.

Galenus in pituitosa febre fomentis hypochondriorum ad iuuandam maturationem materiæ vtitur, quare hoc loco minus ab illis vobis metuendum est.

Is se-

Is febre euasit, & tota vitá reliqua spleneticus fuit, ex quo triennio post in febrem incidit, qua est sublatus.

De quodam laborante morbo gallico vetusto.

CONSVLTATIO CCCXV.

QVod hunc gallico laborantem viderim guaiaco vsum non conualuisse, in eam sententiam facile venio, vt, quoniam credam guaiacũ lignum pro ratione humoris malum fouẽtis aliquo auxilio indigere alio, cum bile sustentatur, alio, cum pituita, & illo cum melancholica, neq; semper solis purgationibus id auxilij præstati, & quandoq; opus esse eis rebus, quę, cum ligni virtute suas vires possit colligare; propterea capite in hoc affecto, & neruis, vinum guaiaco adijcerem, nam ego obseruaui, & aliquos vidi nunquam conualescere potuisse, nisi ex aqua cicoreæ lignum acciperẽt, aliquos verò, qui antiquo morbo, & secundum neruos detinerentur, nunquã leuatos, nisi ex vino ipsum decoquerent, vt nunc Neapoli quoq; experiri vulgo Medicos ex Marcello Pesentara cognoui, & multis in Vrbibus Italiæ præsertim Veronæ vidi, & forte hac experientia colligunt omne genus gallici sic necessario curari oportere, quod tamen ego non facile mea experientia, & ratione fisus, cõcedam. Illi dicunt hoc malum vim habere in viscida pituita positum, ego id non esse perpetuum, & naturale gallici, video, cuius vis in situ quodam, & putrilagine consistit, qui tamen cum rebellis admodum est morbus, pituitæ id genus habere, in quo inuolutus sustentetur, rectè potest conijci. At non vtique omnẽ gallicum rebellem videmus, præcipuè verò in iuuenibus eum facilè tolli experimur simplici aqua, in qua lignum decoctum sit, in quibus bilis potius, & serosa pituita versatur.

Verum in adultioribus, in quibus viscidum genus pituitæ abundat, & in ijs, quos diu eo malo opprimi contingit, pituitę id genus subesse malo retinẽdo idoneum intelligere debemus, quare vt in illis vino vti cum superuacuum, tum aliquando periculosum videtur, sic in ijs valentioribus abstergentibus, & ipso vino vti videatur omnino oportunũ, præcipuè, vbi neruos impeditos, & caput affectum crudis, & infectis eo mali genere humoribus videmus, vnde mirũ non est, si ex vino accipientes ab empiricis eius generis medicamenta quotidie conualescere cernimus, ex quibus ferè sunt, qui desperantes se posse salutem obtinere manibus empiricorum, imò potius insciorum penitus hominum suum vitam committunt, vnde oportune fit, vt hi soli eo remedio vtantur, qui maximè eo egẽt, quoniam desperationem illi tantũ subeunt eo rebelli genere diutius vexati, vt se rudibus hominibus sibi salutem pollicentibus credant, & morbo sic per vinum leuatis gallicus id genus remedij apprimè postulare videatur, qua in re tantam vini affert vinum, vt guaiacum alexipharmacum gallici alio modo, quã cum vino eis datum nihil efficiat, cum vino verò certo malum tollat. Recordor ego, multos veteri gallico laborantes accepisse salsæ parilię, & foliorum senę, & chamæpytios puluerem ex vino, & conualuisse, qui verò eidẽ malo eiusdem penitus generis subessent, salsam pariliam cum sena, & chamæpythi ex aqua decoctam acciperent, nihil penitus releuatos fuisse. Imò in recenti etiam morbo, & corpore iuuenili ex vino guaiacum datum profuit, quamuis corpus nimis incaluerit, & pustulæ, quæ ex potione ea ablatæ erãt toto corpore rediere, quarum simplici curatione deinde conualuit. Vidi iuuenem aliũ cum à recenti hoc morbo conualescere per potionem guaiaci ex aqua non potuisset, ab antiquo liberatum per potionem eiusdẽ ex vino. Is autem dolore summo tibiæ afficiebatur, quare bono animo ad huiusmodi ligni apparatum hunc ægrotum consulerem.

Soleo vero ego recipere ligni guaiaci lib. 1. Aquæ communis lib. 7. & facta maceratione totos tres dies decoquere vsq; ad aquę consumptionem fere, deinde conijcere vini lib. 3. s. & colaturam facere per torculare expressam. Vinum enim decoctum mutat omnino vires; quamuis empyrici vinum decoquant cum guaiaco, & multis alijs, præsertim vero Carduo benedicto.

De morbo Strenui militum Ducis Annibalis Aemiliani Pisauri.

CONSVLTATIO CCCXVI.

DE hoc morbo ferè curatio non quæritur, cũ insanabile omnibus Medicis sit iudicatum, quodam tamen officio pietatis, & beneuolentiæ consultatio inter nos est instituta eius amicissimos Medicos, quę quidem illi vnam speciem honoris, nobis verò id solatij sit allatura, vt nihil officij pręteritum fuerit, qđ ad pietatem pertinere videatur. Quintus hic mensis est, cum cępit ipse tussi agitari, & sub ea quotidie post meridiem, & ferè sub noctem exhorrescere, indeque febrire pulsu crebro, incitato, & non admodum magno, calore penitus miti, nullum sudorem afferente, nullo modo finiente, & si admodũ remitteretur, multis diebus sic habebat, nũquam tamen voluit decumbere, imò interea iter habuit, post quod decumbere demum coactus est, tum malo ipso, tum amicorum hortatu compulsus. Ijsdem omnibus per aliquot dies mitescentibus, iter aliud longius subijt, vt Pisaurum reuerteretur commodioris curationis causã, quod iter tanto incommodo fecit, vt mori sibi propè ex labore videretur, nam rheda, qua veheretur, non poterat cõmodè ire locis mõtuosis, & ipse subinde cogebatur pedibus ire vsque ad extremos labores, quare postea deterius valde habuit, & eadẽ omnia deteriora perpessus est corpore interim tabescẽte, vt nunc nõ quidem ad extremam tabem adductum, sed valde certè extenuatum videatur, ventre cauo, & hypochondrijs sursum elatis, cute aspera, costis detectis, facie vna vix melius habente, quę aut cordis valentioris, aut pectoris æstuantis indicium esse solet. In hypochõdrijs potuit nunquam quidquam persentiri, nunquam capitis vlla nota affecti, nunquam alterius visceris, somno, vigilia moderatis, sensibus expeditis, lingua humida, pectore libero, & spiritu leni, & facili, vel sub febribus insignibus semper manẽte, in quo etiam sitis nulla immodica, nullum cibi fastidium, aut cupiditas nimia fuit, nullus dolor, nullum põdus partis cuiusquã. Vnus pulsus qualis dixi, vna tussis more eius generis corporis humida, & sputo albo crassiusculo facili tamen. Vrinæ aliquando tenuiores in initio, & coloratiores, aliquando ferè naturales, nũc modo nimis coloratæ, modo nimis tenues, & albæ, quo tẽpore etiam pulsus imbecillior, mollior, tardior, & tamẽ frequentior factus est, teuera enim tardus, & mollis est, quod in hoc corpore mirabile cuiquã videri possit hac ætate hoc genere, & morbo affecto. Genus enim corporis calidius est, non tantundẽ humidius: nam, etsi cor, vt ex facilioribus motionibus animi haberi potest, humidius sit, iecur tamẽ, vnde ea qualitas potius toti corpori venit, non est humidius, & si calidius, caput non admodũ calidum, humidum potius non sine calore, ex quo de dentium infirmitate, & mobilitate sępissimè conquestus est, ac aliquando dolore. Renibus calidioribus vsus est, vnde aliquando ferè diabeticus

fuit

fuit nimirum siti multa torquebatur, & continuè plurimum mingebat, a quo malo euasit vsu frigidiorum, & sacchari rosacei.

Hoc est genus corporis in quo eiusmodi morbus est qualem audiuistis. Aetas vltra quinquagesimum annum prouecta est. Horroribus adhuc reuertentibus quotidie ferè, horas non amplius seruantibus vllas, & aliquibus diebus ita intermittentibus, vt non possis circuitus rationem æstimare. Fixam febrem subesse metus est, tamen, cùm calor igneus inhærere non possit in corpore, nisi illud explicetur mollis autem pulsus sit, non possumus nos iudicare igneum calorem infixum adhuc fuisse, quod iudicium imbecillitas pulsuum quidem permitteret, quę omnino intemperiem calidiorem cordis nimium excessisse indicat, adeò, vt ipsum ad imbecillitatem perduxerit; & sicciorem in proximo esse B pollicetur, nisi fortè subsit, & lateat, quoniam imbecillitate inducta per calorem cor iam alimentum non cõuertens in suam naturam more iecoris illud primo occursu aquosum faciat; postea etiam exsiccaturum, vnde interea pulsus mollities vt corpus cordis per se quidem exsiccatum, excremento tamen vdum dici possit. Inde forsan sæpè vidimus macie maxima peremptos homines thoracem aqua plenum habere, vt ea ad 7. libras accederet; quid enim hoc vetat? forte caloris natiui vis in corde, qualis iecoris, & maior? vt, cum iecur œdema pati non possit ex sententia Galeni ob caloris vim, sic neque cor hoc recrementorum genus? sed tamen iecur recremento illo, quamuis non œdema sibi faciat, ascitem parit, cur ergo & cor id aliquatenus pati non possit, sua præcipuè natura in hoc homine humidius; Quare fortè aliquantum per siccitatem suum humidum genus excessit, & ei recremento amissæ naturæ suæ simili facilius subsistit.

Notæ quidem præsertim in pulsibus aliquid denotant humiditatis saltem in recremento, & si mali spatium siccitatem necessario corpori adduxerit, quod recrementum fotum fuit catharro; pituitaque multa a ventriculo omnino missa, qua tam benè liberatur pectus in horas, vt nihil eius in thorace relictum hactenus videatur.

Quibus sic se habentibus si quid consilij capiendum, id difficillimum, nam humidum quidem recrementitium in humoribus, squallor verò præter naturam est in solidis, causæ pituitæ adhuc supersunt, quæ non possunt amoueri, nisi calidis ipsis, & siccantibus ferè, malumque augentibus medicamentis, ideò ratione victus alente vnà, & extenuante vtemur, vbi lac cum melle esset dandum, quod facilè nutriet, tenuem humorem gignet, & cum melle aperiet, & aliquantum etiã humoris educet, & diu dari poterit non intermissis his incidentibus, & pectus purgantibus, quæ hactenus sunt adhibita.

De vino posset aliquid dubij esse, cum Galenus marasmis torridis ipsum non det. At, si rectè memini, acutiotibus febribus Galenus illum subsequentem facit, & præterea nos ætatem habemus non tam annis, quam habitu corporis inclinatam, fortè ex vita nimis laboriosa ærumnosaque fortè alia ratione euenit, sat est ipsum cito consenuisse, & vel 40. anno Veneris vsum dimittere coactum, canitiemque celerrimè habuisse, capite scilicet potius frigido, quare neque vinum prętetitem. Aluus vt hactenus factum est mollis seruetur clystetibus. Hic paulatim consumptus est, cuius morbus Autumno ortus fuerat, initio autem Veris eum sustulit.

Pro Illustrissima & Excellentissima Bisiniani Principe de febre longa tertianæ specie, cum Alexandro Petronio de Ciuita, et Lelio Hispanico Montalcino, & Ludouico Bondimando, Romæ.

CONSVLTATIO CCCXXVII.

Dictum est tria genera humorem corpus hoc male habere, bilem vtramque & etiam pituitã, quod ego penitus approbo, ac sic ratione confirmo. Alias cum tentabatur quibusdam affectionibus eius generis erant, quæ in hos humores à Medicis referrentur, &, cum menses qui sæpè supprimerentur, tamen subinde identidem fluerent, illi varij horum humorum speciem præ se ferebant, nunc autem eorundem succorum notæ existunt, nam productæ accessiones caloris mitis extremis diutius frigescentibus, sine siti, sine vllo cibi fastidio, sine vigilijs pituitam significant, vomitus ipsi bilem flauam præcipuè ostendunt, & cum ea atri aliquid, & glutinosi continent, vt trium generum humoris notam præbeant.

Multam verò, aut solam non subesse bilem caput etiam indicat, quod infirmum dolore careat, à multa C siquidem bile, cum infirmum sit vix posset esse quin doloret.

Vrinæ quoque idem confirmant cum suspensa habeant non ita alba, sed atriora ferè, & asperiora, quę exustum humorem referunt, cum colorem flauum in rubeum inclinantem, cum etiam tenuiores, quam oporteat, videantur; pulsus & ipsi neque tam magni, vt bilem solam, neque tam parui, vt pituitam, neque tam rari, vt melancholiam referant. Caloris modus idem quoque testatur, qui sero admodum ad extrema perueniat, & mitis est, quo pituitæ admixtionem denotet, quamuis eum tanquam per cribrum ferire sentire non possim, cum nunquam hora, qua extrema incalescunt, eam tetigerim.

Vnus febris circuitus ostendit biliosum humorem D dominatum obtinere, quamuis non mole id possit, potest tamen vi idonea potius ad regendam materiam ad sui putrediné, & eam mouendam in putredinis loca, quã vt halitum putredinis in sui speciem conuertat, à mole aliarũ plurimum elatum, quod fieri obseruamus sæpissimè in febribus tertianis nothis, atque ita, de generibus humorum maximè id sit constitutum. Locus putredinis, & pars affecta, quæ nam est? Nam scimus, quod vel in continuis febribus potest aliqua pars omne mali momentum continere, vt Galenus dicat, vel in ardentibus febribus materiam, quæ putrescendo febris ardentis causa est, posse inuenis ventriculi, vel hepatis, vel etiam pulmonum contineri, & pro ratione partis, quam occupat etiam varias læsiones afferre, vt si pulmonum occupet venas, difficilem spiritum, deliriaque, si ventriculi, fastidium ciborum, anxietudinis, cordis, morsus, E sitim immensam, linguæ atrum calorem, & squalorem, & pro ratione materiæ locum in ventriculo occupantis, si iecoris, alui profluuia, arquatum morbum &c.

Quare, cum in nostra hac febre necessariò certa aliqua sedes affecta sit, febre præsertim non penitus continua, & cum quæque fuerit affecta pars propriam aliquam habet curationis (non dicam curationem, quoniam febris hæc symptoma alterius morbi non est, sed illam causam habet) ideo, ut sciamus quid curationis sit adhibendum, non solum morbi materia, sed pars quoque causam continens exploranda est, qua nobis hæc curatio omnibus suis partibus pateat.

Ego cum videam eam ventriculi anxietudinem sub accessionis initio, non possum non suspicari loca propè ventriculum affecta, nam pars materiæ vitiosa non ita facile in os ventriculi extruderetur, nisi loco propinquo esset congesta; præterea ventriculum scimus esse maximè imbecillum in hac. Excellentissima Domina; quæ facilè ad ipsum reliqua viscera, quidquid molestum sibi est, depellunt, ergo vel in caua iecoris parte congestio hęc est materiæ vel in uenis, quæ corpus ventriculi complectuntur, & quamuis non multa sitis, non multa febris sit, tamen hanc partem primum sub accessione affectam videmus, à qua, vt ratione sui angustia, & compressio illa sit, sic ratione humoris pituitosi nec sitis, nec febris multa, quoniam humor eius naturæ est, vt nec multam inflammationē nec multam inde siccitatem concipiat alijsue partibus tribuat.

Nolim equidem alienum a sententia Hippocratis, & Galeni proferre, tamen quod assiduè obseruaui, & quotidie video, non possum præterire, quod bilem per aluū sexcenties vidi descendere copiosissimā, & maxime exustam in eis, in quibus vomitus interea essent multæ) & crassissimæ, & albæ penitus pituitę.

Quare hic qnoque sitis non aderit facile quoniā portio bilis non attingit os ventris, vt pituita facit, qaod verò bilis sua leuitate potuis sursum non ascendat, hic nolo disceptare, sat est me experiri rem ita habere, & idem magnis Medicis fuisse obseruatum.

Ac quoniam sententia Hippocratis, & Galeni firmissima ratione nititur. Ego sic distinguam, quod ipsi de purgatione corporis ad his humoribus per medicamenta etiam valentissima loquebantur, a quibus medicamētis humores in ventriculum attrahuntur. Vbi ratione leuitatis, & grauitatis sursum, aut deorsum mouendi sunt. Casus autem à me inducti ferè sunt, cum sima pars iecoris per meatum fellis, aut alios meatus deponit bilem ad intestina, per quæ egerantur, quam per ventriculum. Pituita vero in ventriculo largius genita breuiori uia, & facili per vomitum eiicitur.

Ventriculi ergo locus affectus est. Vnde, si quærat qs, cur à cibo semper sit crebrior pulsus, non tamen maior, ut esse a cibo solet, cogitet is quid sicuti ex cibo magnus pulsus fieri solet ob eam, quam affert nutritionem, sic paruus fieri potest, ac propterea creber ob eam caloris cōpressionem, quæ oritur ob obstructiones, & ob ventriculi offensam, obstructio siquidem a cibo suscipit humorē nouum, & ita post cibum refrigescunt etiam extrema, non tam concursione caloris ad interiora, quam occupatione humoris cibalis, maximè cum non ita a calore superetur, nisi velis putare, quod os uentriculi tunc suscipiat malum humorem, cum ille effertur ab imo ad summum à cibo ipso eum extollente, à quo humore os ventriculi irritatum indurat frigus.

Dicebat enim Hippocrates ad superiora frigus, ad inferiora febrem delatum humorem efficere, sed hoc nō ita euidens est, cum cibus potius hebetet vim humoris, quam exacerbet. At consideratu dignum est hic, quod nō idem exacerbatricis, genus sequitur omnes accessiones, nam ad 14. acerbior fuit febris, & ad 30. per sudores multos mitior est facta; Verum 25. 25. acerbior rursus, cui postea mensium purgatio successit. 28. etiam deiectio sequuta est.

Preterea, quę diebus paribus febris accedebat, acrior erat, & molestior, ut 14. & 20. postea, quæ imparibus, ita tamen, ut ferè in dies criticos ea exacerbationum repetitio incideret. Ex quibus ego rebus conijcio primum varium materiæ genus esse, quod excrementorum quoque uarietas alui uero præcipue demōstrat, a uarietate enim materiæ, & loci affecti etiā uarij naturæ ad excernendū conatus, uariique exacerbationū circuitus, in dies uero criticos potius accessiones cadunt, quoniā febre febris salubris coctionē humoris, idest putredinem affinē coctioni sequitur, criticis enim diebus illæ humoris partes magis coctionem subeunt, vt in lethalibus febribus humores subeunt meram putredinem, & coctioni penitus contrariam, quæ putredo criticis quoque diebus, non tamen sic ordinatè, vt putrida coctio feruet, neque enim natura ordinatè tam agit, quando ui agit, & morbum vincentem sequitur, quam cum seipsa agit, & superat. Atque huic habeo cum materiæ genus, tū obstructionem, tum autem locum præcipuè affectum, & variarum motionum causas. Vbi videmus, quod caput illud adductū ab Excellentissimo Petronio Medico præstantissimo, ætateq; & vsu rerum consumatissimo θερμοκοίλιοι, ψυχρόσαρκοι, ὀξυθυμότεροι, hic non habet locum, cum ventrem frigidum sua natura habeamus, & frigus carnium aduentitium non manens, sed identidem accedens, non per nutritionis priuationem insistens, vt dicebat Galenus, & ob praui sanguinis culpam cum alioquin hoc corpus bene nutritum esse consueuerit, & vix nunc perspicitur tenuius factum prætereaquod illud caput naturā, & genus corporis potius, quam morbi denotat. Hic nobis non corrigendæ naturæ corporis, sed morbo, sed obstructionibus tollendis, & varietati humorum præcipuè pituitosorum opera danda, dixi præcipue pituitosorum, quoniam ij ipsi longitudini morborum semper præsto sunt, quod & idonei morbis diutius ducendis sint, & facilem in longis febribus sui durationem nanciscantur, hoc opus commodè fieri oximelite, melle rosaceo, & cicoraceis, vt bilis quoque modificando, ratio habeatur, rhabarbaro etiam, vt & bilis, & crassa, infixaque pituita tollatur, & generationis pituitæ occasio submoueri possit; Eadem ego puto dici posse de rhabarbaro in febribus longis, & generis tertianæ nothæ, quæ de absinthio Galenus prædicabat, atque etiam potius, quoniam adstringendi maiorem, & aperiendi valentiorem habet vim.

Cum verò ventriculus labore, & onere aliquo fuerit aut sua illa inflatione affectus, cum his ego libenter hieram commiscerem. Vinum iam non vitarem, cum natura humorem paulatim concoquat, & excernat, vt docent excrementa. Atque cum die 34. tantum perfectæ coctionis notæ visæ sint, tardè admodum procedente morbo finitum iri non sperarem (nisi motionum celeritas mutetur, vt in diebus criticis per vehementiam accessionum obseruari poterit) citra diem. 60. atque interea vini opera erit necessaria, vt natura sustentetur, vt coctiones cæptæ citius per vinum perficiantur, vel sequuturis ad illas, vt dixi, maioribus exacerbationibus sub maiori concoctione, tum autem, vt excretiones iuuentur, & inde humidior morbus fiat à vino enim Galenus quoq; id exspectat libro de ratione victus acut. Sed hæc satis à me dicta sint.

Longus morbus fuit, & in eundem alias etiam recidit stomacho assiduè affecto. Tandem conualuit.

De Hydrope D. Lauræ Abbatis cum Americo Samperolo, & Constantio Felicio.

CONSVLTATIO CCLXXXVIII.

Excellentissimi Viri, vt videtis tympanitis hæc est, & certè nunquam descriptam à Medico vllo tympanitem ego vidi tam solam, vt solam hic videmus, vno loco excepto in aphorismorum lib. 4. Aphorism. 11. vbi mihi hæc penitus narrari videtur tum ratione originis, tum speciei ipsius, Alioquin enim 5. de locis affec. cap. 7. à Galeno tympanitis non excluditur ab aquoso humore, vbi post opinionem quorundam ponit, quod in corporibus tympania oppressis in ventre aqua reperitur, quod fortè, antequam interficiat tympanitis aquosus hydrops succedat, neque vllibi eo capite sicci hydropis habet propriam considerationem, quæ solius flatus meminerit vnquam, ptopterea ad duas reliquas species præcipuè attendens, tanquam quibus tympanitis iungatur iecur sub omni genere hydropum

affici statuit ob eandem rationem coniunctionis flatus cum aquoso humore, præsertim, postquam ad ischirum sequi ea mala dixisset, qua ratione & 2. libro prognosticor. comment. 2. dicit, intumescere pedes commune esse omnis hydropis, cum tamen 4. Aphoris. 11. in sermone de tympaniti nihil penitus rationes iecoris factum appareat.

Hæc eò libentius commemoro Viri Doctissimi, vt animaduertamus, quam sit simplex hoc loco tympanitis, ac quam nullam aliam habeat causam præter ventriculi, & intestinorum vitium illud, quod ab Hippocrate, & Galeno eo loco priuatim statuitur si illos sequamur. Accedamus ad signa. Aluus rotundissima est, nihil ad latera prolabens ea decumbente nihil in latus, in quod decumbit, prominens, incumbensve, nihil moto ventre fluxionis murmuris, aut motus aquæ sentitur, pulsa aluus sonitum pellis acra continentis edit, compressa statim in orbem iterum reuertitur, color in facie, & toto corpore non est malus, quamuis corpus non ita nutritum cernatur, certè ob primam coctionē vitiatam, qua alimento priuari necesse est. Vrinę vel sano corpore uix meliores esse possent, nam, si coloratiores priores a somno sint, illæ renum vitio tales fiunt, vnde etiam arenulis, vt consueuere meliori valetudine scatent.

Secundæ vrinæ, nihil penitus speciem naturalem excedunt, menstrua eadem penitus, quæ beneualenti essent, carnes omni carent tumentia solo ventre distento, & in orbem eundem elato, siue stet ipsa, siue iaceat, locumque suum, & formam eandem seruante, pondus nullum afferente, solàm tensionem cutis a thorace ad pubem maximam habente vt erigi facile nō possit, neque in dextro, neque in sinistro latere pondus vllum visceris sentit tactus enim præcordiorum propter tensam tumentiam, vt ratio vult, vt Galenus testatur, indicium non potest præstare.

Præterea causa illa maximum & præcipuum tympanitis solius affert testimonium, quod multis mensibus, ac ferè annis doloribus intestinorum tētata est, & quidem illis, qui nullis medicamentis tollerentur, aut leuiores fierent. Nam solis seipsi se se finiebant suis circuitibus superatis quando a nobis quoque prædictum est ipsam in hoc mali genus casuram esse, neque verò multo post prædictionem venter maior esse cæpit, quam consuescit, vt grauida videretur, præcipuè, cum non admodum colorem facies mutasset.

Paulatim verò venter maior euasit, ac multo temporis spatio, & anni ferè totius ad hanc tumentiam peruenit, & sensim caro, quamquam non multum, extenuata est, ut nunc videtur, colore quidem non admodum malo.

Quibus profectò iecur non insigniter affici certum uidetur, quamuis fieri non possit, quin ipsum quoque ex parte afficiatur non solum ob officij communicationem, qua materiam a uentre affecto malè paratam excipit, sed ob uasorum maximorum connexum quæ, quando ipsa afficiuntur, afficere iecur penitus possunt.

Acuitium uentris hoc præcipuum sequitur illa nota propria, quod uomit pituitam lentam, & crudos humores ratò bile infectos, & ructus, flatusque per alvum multi: præterea quod aluus nisi raro figurata descendat, ferè enim liquida redditur, & citior est, ac, cum figurata est, tunc medicamentorum occasione semper talis facta creditur, quo enim die eorum ualentior usus fuerit præcipuè per clysteria, tunc talis solet apparere.

Ergo intestina, & uenæ eorum hactenus affecta sentiuntur, neque ulterius iam notæ progressæ sunt, tympanitisque tam simplex est, quam usquam a quoquam describi potuerit. Et facile cuique Medico esset accedere ad capita, & loca, ubi de tympanitis remedijs tractatur, & certa utilitate ea adhibere, quorum sylua multa ubique haberi posset.

A Verum quoniam curatio à nobis rationalibus instituitur, nostrum est eam certis suis initijs ordiri, & nihil prætermittere: quod ad eorum considerationem, & certam definitionem pertineat. Constituto ergo iam à vobis genere ipsius corporis sua natura calido, atque humido, quod ætatem iam 40. annorum attigerit, quod doloribus iam dictis multo iam tempore sæpè fuerit, tentatum, nunc verò tympanite occupetur, quod cum muliebre sit, & antea consuetudinem viri haberet, eo defuncto viduam vitam degit, menstruis suis vtatur pro ratione, ac si sanum esset, colore, corpore, & copia conuenientibus, vtero tamen nō penitus benè habente, sed laxo, & decumbente ad naturalia.

Cui verò vomitus facilis, & ad dolores intestinorum summa propensio est. Nos iam in ima hyeme vocati, &
B iam tympanite laboranti subuenire volentes, habemus primò causam primam huius seu morbi, seu symptomatis, dicas, non curo, in ventriculo, & intestinis iam impressam, quæ est & morbus, & auferenda. Est verò ad frigus excedens intemperies, ergo contrario rēperanda, neque verò cum eo sum, qui obstructis lactibus credit tympanitim semper fieri, nam, vt docet optima ratione Galenus, liquida admodū esset aluus, & à principio fuisset, non est autem valdè liquida, etsi, vt dixi, imbecillibus venis demum factis, & intestinis affectis liquidior, quam, vt figuram possit retinere, descendat, Chylus tamen, aut imperfecta sanguinis species non cernitur. Nolo hic locos Galeni recitare ijs, qui præcepta ex eius lectione iudicio suo tam comprobarunt, experientiaque confirmarunt. Ponit quidem Galenus genus hydropis
C ex inflammatione mesenterij iecur per cognationem afficiente, sub ea tamen & aluum admodum fluidam facit ob id, quod viæ illæ obstruantur, & aliam longe speciem symptomatum ponit, quam tympanitis, quare nequaquam hic obstructio mesenterij est tamquam causa statuenda; etsi nihil prohibeat eam quoque aliquantam ad crudos hoc loco humores mali huius occasione natos sequi, propterea præcipuum institutum nostrū erit; vt frigus ipsum ab his partibus amoueamus calorem inducendo, frigorisque causas vt pituitam, vt crudos humores, vt flatus multum ad generationem crudorum humorum, ac pituitæ proprię materiæ conferentes digeramus.

Iecori suam quoque rationem habendo etsi non valdè affectum credam, neque ob id me Galeno contra-
D rium existimem, cum ipse de eo, quod vt plurimum est, quoniam spatio tandem sequi necesse est, loquatur, rarioris enim euentus, quem exponit 4. Aphor. 2. quemque nunc habemus, tunc rationem non habere sibi visum fuit illis locis, vbi ad ascitem maximè, & anasarcam spectabat quæ certè complexæ inter se se solent inueniri.

Verum antequam ad ordinanda remedia aggredior, mali ipsius generationem volo suo ordine narrare, & partes, vt sunt dispositæ sub eo, proponere, modus enim, & ordo medendi ex ordine, & modo, mali existentis elucescet.

Diximus de doloribus, qui antecessere, subiungamus febrem diuturnam, qua interdum oppressa fuit, ex qua etiam melius habuisse, quod ad ventriculum spectat, vi-
E sa est, quoniam facilè flatum febris sustulerit, postea tamen paulatim peior est facta, nam febris cum flatibus calorem quoque natiuum consumpsit saltem exsiccando, & frigore ex accidente inducendo, sic febris per siccationem tympanitis iam cæptæ causam in intestinis, confirmauit, quæ frigus intestinorum, & uentriculi esset, cum quo si humiditas esset non flatus, sed liquidiores, & humentiores humores gignerentur, è quibus ua pores emanarent, qui inquam reuerterentur.

At siccioribus ijs partibus crassiores fiunt humores, magisque terrestres, ex quibus flatus potius, quam uapor existat, siquidem uapor in aquam refrigeratus redit, quod non facit is flatus terrenæ naturæ proles .....

Vbi calor imbecillior, quam materia postulet, adeo, ut si etiam uehementior sit, agatque in nimis copiosam, & crassam materiam, non potest illam digerere tam subtiliter, quin flatum efficiat, crassioremque spiritum; eiusdem verò naturæ quæ est, humoris, vnde ipse exprimitur, ex humidiore quidem vaporosus, & in aquam decedente calore reuertens, ex ficciori verò, & melancholico, fumosus, & minimè in humorem concrescens. Sic ex varia materia diuersæ hydropum species, atque ex melancholica necessaria tympanitis existit; Dixi etiam, si vehementior esset calor, quoniam sępè contingit, quod in iecore calidiori suggesta materiæ copia multa, & crassa, flatus similiter fiant, vbi, sit verisimile a ficciori potius, quam ab humidiori id euenire, quamuis aquam etiam vult Galenus fieri nulla ventriculi culpa, cum iecur inflammatur, vel inflammato mesenterio per cognationem afficitur, commen. 1. 2. & 3. secundi libri prognost. quomodo tamen fiat a calore non ita apertè, aut fusè scribit, etsi notas doctrinarum diligenter expendit earum, quæ ab Hippocrate ponuntur, ibidem tamen sub eo morbo ipse fatetur iecoris calorem torrefacere cibi reliquias, etsi earum pars alia ad internum peritonæum mittatur, quo dicto ostendit quandam colliquationem non solum humorum, sed etiam reliquiarum cibi, quæ alioquin, vt fex deijcerentur; quare aut ex ficcis illis tympanites fiet, aut ex ijsdem humidioribus colliquatis ascites.

Vbi ego dixerim eam, quæ per colliquationem fit, ad morbos acutos sequi, quibus cessantibus acutis morbis vita superante, tunc ea hydrops non duraret, nisi frigus visceribus, quibus calor natiuus febre esset cōsumptus, succederet, calore enim aliquo insigni manente materia consumeretur, quod videmus in magno mundo fieri, nam calor, qui breui tempore, nempe verè pluuias facit, & aquas auget colliquatu gelu, procedentibus mensibus parit squalores.

Verum hoc ad rem nostram, nostrique morbi genus non facit, quod frigus pęnitus sequi ostensum est, cui accedit, quod nulla est febris, pulsus paruus est, nec densus, neque celer est. Sitis quidem aliqua, sed, quæ ex abstinentia potionis, qua ipsa vtitur, cuique fieret vel sanissimo, & humēti corpori, præcipuè, cum vomitus adsint, qui tum seipsi humorem exhauriendo, tum quoniam aliquando aliquid bilis educunt. Flatus ergo sunt spiritus aerve crassior ex materia crassa, minus liquida, nec in aquam verti idonea, puta crassa admodum pituita, vel melancholico humore ægro huic generati a calore semper quidem comparatione materiæ, hic verò omnino imbecillo, qui flatus partim in ventriculo manentes per ructus exprimuntur, partim per intestina in quibus etiam multi fieri possunt materia in illis quoque residēte multa, a quibus pars per aluum demittitur, pars per corpus intestinorum tenuior facta a calore natiuo penetrat, &, vt dixit Galenus de reliquijs alimenti in inflamm ato iecore ad interiorem peritonæum expellitur.

At cur non peritonæum etiam penetrat, & ad carnes, cum ipsorum intestinorum, & ventriculi corpus penetrarit peritonæi ipso conuestitum? Semel corpus peritonæi transmittere possunt, vna cum toto intestinorum, & ventriculi corpore, solum verò ipsum peritonæum abdominis laxioribus carnibus adiunctum iterum permeare non poterint? quod de vrina dicebat Galenus contra illum antiquiorem Medicum statuentem vrinā sub specie vaporum in vesicam ingredi, nimirū, vt quæ semel egressa esset per intestina, illam posse peritonæum permeare ea ratione, qua intestina, & vesicam.

At nos sententiam Galeni retinentes quod tympanitis flatus fiat etiam in ventriculo, non ponimus flatus post intestinorum trāsitum quidquam corporis amplius penetrare, sed postquam exiere per corpus peritonæi intestina indurentis, crassiores fieri, partim ob cessantem concoquentis caloris illam vim, qua vsa erat intestinorum, & ventriculi natura, vt ederet illos extenuando, partim ob id quod aliquæ tenniores flatuum partes, sic per peritonæum abdominis eijciuntur, vt ipsi toti flatus ex intestinis, & ventriculo a crassioribus materiebus separati eiecti sunt, & ita crassiore flatuum parte intra abdomen relicta viam exitus non habet, quæ per meatus quidem visibiles posset exire, vt, quando in ventriculo est, per ructus, & alias expulsiones.

Flatus enim nondum tam crassus est dum intestina permeat, quam cum intra abdomen subsistit, imò tunc nondum flatus speciem habet, sic enim acerbissimos dolores membranas penetrādo excitaret, verum, quidquid hoc corpus flatuosum habet, spiritus crassioris ante viscerum, & intestinorum penetrationem, id omne intra viscera, intra intestinorum, ventriculique cauitatem per laxiores vias emittendum continetur, nec nisi tenuiori specie spiritus a calore assequutus inuisibilia foramina sine dolore transit, in cauitatem ergo abdominis tenuior quam cum flatus est peruenit, vbi ab origine, & calidioribus partibus longius dissitus parentem caloris vim sensim amittit, sicque crassior factus ibi retinetur, præcipuè quod; si quæ partes vim caloris retineant, aut aliqua putredine, vt interdum accidit, concepta, aliquanto calefiant, extenuenturque, hæ per peritonæum discussæ reliquias intus crassiores relinquunt, quæ relictæ sic inueterascunt, ac vetustate, atque loco ab origine, & valentiori calore dissito tum crassiores fiunt, tum verò nisi ob siccitatem venti penitus, & fumi formam habeant, in aquam vertuntur.

Quapropter id iudicij etiam facere possumus, cum nihil aquæ hic subsit; quod humiditas nulla cum frigiditate materiæ hic coniungitur, flatus enim suam speciem conseruat, neque in humorem euadit.

Vnus vteri prolapsus humoris vim ostendit, quoniā, vt non tam est temperati humoris partis firmare, quam siccitatis, sic abundantis penitus humoris est illas laxare. Sed quid prohibet pituitæ tenuioris vim multam eo peruenisse ligamenta illa madefacientem, cum ventriculus eius plurimum suggerat, & vijs certis vterus illam facilè admittat? quid prohibet etiam aliquid flatuum in aquam conuerti, & id tam parum, vt decumbens ad ligamenta matricis in illa se se insinuans laxa efficiat? At uterus affectus quomodo tam benè se habet ad menstruas purgationes?

Dummodo non impediantur viæ eius ad purgationes, tam benè habet ipse, quam si esset firmissimus, quoniam menstruum sanguinem ipse non attrahit, sed tantum admittit, nec menses ui uteri ulla indigent, sed vijs tantum.

Verum si humor frigori esset coniunctus, dico humiditatem, certè sitis non esset, quæ, etsi non multa sit, tanta tamen non esset nulla putredine substante, nulla bilis copia, nullove humore corrupto, aut salso, ut inascite esse solet.

Ergo præter frigus uentriculi, & intestinorum uix quidquam aliud est, cui attendamus præter materiam crassam, & frigidam, quæ ipsum conseruat: Humiditas non est, neque obstructionum magna uis cognoscitur in aliqua parte nutritioni necessariæ, vt iam superius ex proprijs notis est constitutum. His igitur propositis quid futurum, quod sperandum censes? Difficillimam curationem pro certo dico, & morbi longitudinem, vt, nisi per æstatem conualituram credam, si modo opera medica tantum valitura sit.

Nam sustinebitur fortè ne in ascitem, & anasarcam labatur, quod credo difficillimum futurum consequentibus ad frigus cruditatibus, & pituita facilè ex vaporibus aquam efficientibus, certè non spero curatam omnino iri, fortè fiet meliuscula, sed præterita subinde æstate, & hyemis tempore recidere facillimè poterit. Vtinam verò sustinemus, ne in humidas hydropas cadat, nam affectas iam mesaraicas metuo, cum sæpè aluus sit mollior, & cita. At sæpissimè ascitas, longè maximè verò anasarcas curatos uidimus, cur uerò tympanitem adeò vereare? forte uerò times, ne in ascitem, aut

peiorem

peiorem labatur? sed tympanitim cum ascite mixtam non ita metuendam cognouimus, cur ergo unam tympanatim, quæ facilior curatu à Galeno profertur, vt à minori frigore nascentem tam metuis? Vidistis sæpissimè curatas ascites, at quoties vidistis à tympanite solà quemquam curatum? certè ego ferè tympanitim nullam, ascites multas, anasarcas plures vidi curatas. Galenus 4. Aphorismor. 11. multa quidem ratione ait quod verissimum esse videtur, quod à maiori frigiditate generetur aquosus hydrops, qui ascitis dicitur, à minori verò tympanitis, neque enim (ait) humida substantia in aerem flatuosum sine calore aliquo potest transmutari, vnde sequatur quod etiam difficilius ascites, quam tympanitis curari queat; quare ergo tympanitim metuis magis quam ascitim? Vt verbum Galeni in meam rationem conuertam, neque ab eius sententia de hydropis huius generatione discedam, dicam opportunè ipsum dixisse, videtur, nam in communi ratione, & magno mundò omninò id constat, tamen in animantis corpore potest variare.

Esto verò intelligat, videtur, vt sæpè facit cum Aristotele, prout est consentaneū veritati, ita tamen adhuc verum est hoc vt si rectè explicetur vno modo sit necessarium, altero etiam modo tam non est alienum à consentaneo, vt sic quoque necessitatis satis superque habeat.

Vno ergo modo vera sententia Galeni est, & constātissima, quod posito eodem fonte ijsdem affectibus, in ijsdem membris, eodem morbi spatio, & viribus similibus, si vtrumque genus horum hydropum humidi scilicet, & sicci ab eadem causa oriantur efficiente, in eandemque materiam agente, si ijsdem omnibus constitutis à minori malo flatus fiet, quā aqua, & prius quoque, ac facilius tolletur, atque ratio Galeni est sic vbique constantissima, & à naturæ visceribus sumpta; Sed quoties tu vidisti sic ascitim genitam à solo ventriculo cum intestinis affecto, vti nunc, & alias sæpè vidimus tympanitim? Quorsum hoc dico? vt in mente habeamus & nullum esse posse tantum frigus ventriculi, quod ascitim possit sine affectu iecoris procreare (quo verò frigore potius lienteria, quam ascitis, aut tympanitis modo Galeni efficeretur) & quantocunque minori ventriculi frigore tympanitis eueniat, illud non quidem leue, aut valdè mediocre esse posse.

Sed mea sententia hoc est difficile cogitatu cruditatem a tanto frigore subesse, & lienteriam non esse, flatum vero potius illum, qui citius tunicam vētriculi transeat, quam per viam latam gulæ, quæ duo sunt valdè absurda, & cogunt me tympanitis etiam causam ponere in iecore, hoc est in venis, sed, quo videatis, nolle me nūc dissentire à Galeno, dum ad finem consultationis est contendendum, ego quoque valentius frigus ad humidos hydropas requiram quam ad siccum, & in ventriculo tympanitis causam collocabo, alias meam sententiam dicturus. Verumtamen experientia doctus nunquam concessurus sum faciliorem tympanitim curationi sese præstare, quam alij hydropes. Manentes ergo cum Galeno dicamus si in iecore esset origo vtriusque mali, certè tympanitis à minori frigore, ascitis à maiori existet, & facilior tympanitis quam ascitis erit curatio.

At aliter euenit nam, quamuis coniunctim ij morbi sæpè fiant, & ita in tympaniti propter connexionem cū ascite iecur quoque malè habeat, tamen fere sub tympaniti ventriculus, sub ascite iecur potissimum afficitur, ac tympanites cum solus fit longè maiorem impressionem mali in ventriculo requirit, quam sit illa iecoris quā ascites consequitur. Leuissima mali, & frigoris impressio in iecore faciet ascitim, nedum tympanitim, & anasarcam, at, cū sola oritur tympanitis, neque iecoris causa, sed ventriculi tantum, tunc non leuem, non recentem in uentriculo habere causam vult, sed vetustam & valentem. Sola enim nūquam fit cum iecoris affectum sequitur, quoniam vix frigus iecur pati potest, quin san-

A guinem generando deficiat, cuius sanguinis materia potius ad aquam, quam flatum generandum idonea est, quamuis aliquid flatus efficiat, tamen id ferè aut cum aqua multa commixtum, aut non nisi ex humida materia nascens vapor potius quam flatus est, siquidem prior quoque halitus illeà iecore emissus à re humidiori elatus, etsi aliqua parte flatum faciat, plurimus tamen in aquam reuertitur, cum calore se se remittente ipse in suam redit naturam, vnde iecore solo affecto nunquam solum tympanitim, rarò autem ascite ipso maiorem videmus, vt contra solo ventriculo ascitim fieri non existimamus, cuius ventriculi humiditas suas haberet uias latissimas exeundi, neque ad peritonæum vi eijceretur tam imbecilli, quanta per intemperiem, quæ ad generandum aquam requireretur, si modo etiam ido-
B nea esset vnquam materia ciborum potius in aquam quam inflatum conuerti, nam certè vt chylus liquidiori suo corpore facilè in aquam, sic in flatum facilimè cibi corpore suo terreno magis conuertuntur, quod maximè faciunt, cum in calorem squalidiorem, & terreno corpori soluendo magis idoneum inciderint, nam corpus terrenum in halitum solutum sua natura sicca flatus euadit; chylus ergo in aquæ speciem, aut vaporem in aquam rediturum facilius potest mutari, quam in flatum, cum terrenis multis partibus cibi sit expurgatum. Vertatur verò cibus in aquam, vt interdum fit, ea citissimè per aluum descendit.

His ita positis nunquam tantus frigoris excessus, aut tam inhærens in iecore ascitis postulat, quin maiorem, magisque multò hærentem in ventriculo tympanitis
C non requirat, vt comparatio à Galeno facta vera disparibus his rationibus applicata, verbo eo (videtur) fortè id permittente omninò sit dubia. Iecur vel mediocre frigore ascitim subit, frigore crescente, in hepaticum sanguinis fluxum incidet. Ventriculus mediocri frigore nondum tympaniam faciat, eo verò crescente aut tympaniam, aut potius proprium alui profluuium, quam ascitim pariat.

Certè vt leue in iecore frigus ad ascitim, contra in ventriculo grauius requiritur, & firmius ad tympanitim. Ex quo patet, cur ratio Galeni sit vera, & communi ratione tutissima, in homine tamen, & si cui videatur, vt ipse innuit, seruari posse, tamen ferè variat ob ventriculi, & iecoris disparitatem. Videtur ergo ait Galenus, tympanitis à leuiore frigore generari, quoniam
D communiter, vt in exterioribus naturæ rebus vsu venit, naturaque postulat, flatus minori frigore quam aqua generatur, at si quis diligenter rem propriè non communiter consideret, & rationem disparitatis expendat ipsorum præcipuè viscerum, & occasionum vtriusque morbi longè diuersum statuat, necesse est.

Et, quod longè maximum est, non solum non est idem viscus, diuersumque est frigoris genus, sed diuersa etiam materia a qua flatus, & aqua fit: In ascite uapor ex aquoso humore elatus intra peritonæum in aquā reuertitur, in tympanite halitus è terreno magis humore, & duriori, ac ficciori non solum è materia ciborum, sed meo quidem animo ex melancholico humore in mesaraicis hærente, unde in corporibus melancholicis ferè incidit, quare non est mirum, si experientia ipsa tā
E difficilem tympanitis curationem inueniamus, contra quàm ratio communis ferre uideatur.

Videtur inquam ijs, qui communiter res æstimandas putāt proprijs relictis. Proprium siquidem sicci hydropis est, quemadmodum ait Gal. 4. Aphor. 11. ut solū uentris, intestinorumq; affectum sequatur, uenis præsertim mesaraicis ea materia refertis, quod ferè facit cum solus est, quod cum ita sit, considera, an tam facilè curari possit, quam ascitis, quæ uel uno die ex aquæ frigidæ potione nascitur, & citò pariter aufertur, iecore præcipuè magis ad se se restituendū idoneo ob corporis crassi sui uim, & parenchymatis naturam, ob caloris innati copiam, & proximam cordi colligantiam, & maximorū uasorum communionem, non ita uentriculus, uel inte-

stina, ille excarnis quidem penitus non est, sed eius caro membranam potius, quàm carnem refert, debili calore præditus vasis suis iecoris vasis non conferendis. Intestina autem ex carnia ferè, & longe frigidiora, vbi frigus cum tympanistim facit firmum admodum constituitur. Materia verò etiam, vnde tympanistis fit, est siccior, quę sublatu etiam semper difficilior est, præsertim quod in mesaraicis impacta hęret. Iam nimium, & plus quam vellem confirmaui morbum hunc curatu fore difficillimum. Quod verò ad vitæ periculum attinet, id ex ascite, & anasarca, si tam firmæ essent, magis esset metuendum, nam magis principes partes occupāt, & prope cor accedunt, & aqua natura grauior, & suffocantior, quā halitus est, unde neque quemquam vidistis tympanisti exstinctum, nisi spatio ascitis intercesserit, qua ferè subito vel loquentes intereunt, quoniam aqua in cor motionis alicuius causa tūc irrumpit, vnde exspuentes aliquos aquam prius, quam pereant animaduertere potuistis? Præterea ascites pulmones sæpenumero exsiccat, vt in cadaueribus vidimus, sic suffocat, in eo enim pulmones alimento destituūtur, siquidem vbi est aqua, ibi sanguis minus idoneus est pulmonibus alendis, quam vbi est habitus, qui sanguine tenui, & calido aluntur, quare sustinenda est quantum fieri potest, ne in ascitim cadat, si tympanitis penitus amoueri non possit, vt metuere me audistis. Frigus ergo, & fouentes ipsum causę tum a pituita tum à crudo humore, tum maximè ab eo, qui siccior est, & flatum facit, amouendæ sunt, flatus vero etiam consumendus. Frigus cōtrario caloris excessū, causa, illis humoribus hauriendis, Quæ omnia fere ijsdem medicamentis præstari poterunt, nam ex humoribus pituitam, crudumque humorem si per hyeram educere sit concilium, per eandem vos flatum discutietis, calorem frigori etiam opponetis, similiter, si abstergatis, atque educatis humores crassos, & squalentes per iridis succū, per terebinthinam, & sololanellam. Hieta quidem altero quoque die erit commoda, vt aluus etiam si forte calidioribus his exsiccetur mollis seruetur, medijs diebus verò, cum non erit necessaria, syrupis fortioribus agetis, si nō verebimini potiones liquidiores, incoquetis in aquā absynthij, aut etiam rutæ trissaginem, absinthium, eriganum, pulegium, sileris montani semina, galangam vsque ad lauri baccas, si oportuerit, moderatione quadam adhibita accedetis, ex qua aqua his incoctis syrupum acetosum diarrhodon, syrupum de absinthio menthaq; dissoluetis, si liquidas potiones vereamini, densiora dabitis, nam liquidæ quidem certè potiones meo iudicio in vnius ventriculi, & intestinorum malo nō sunt necessariæ, in quo distributio ad longinquas partes experi non debet, minus etiam sunt idoneæ, quoniam ante distribuuntur, quam ad intestina perueniant, cum eo, quod crassioris corporis medicina diutius in ventriculo, & intestinis morādo, altius suam vim potest inserere, & ideo firmiora medicamenta erunt oportuniora. Hacquidem ratione pulueribus dictorum medicamentorum vtilius poteritis vti, syrupis non liquefactis illos compræhendendo, si iecur affici videatur, proprium eius auxilium non erit prætereundum, & quamuis absinthium singulariter commendetur, quod maceratum partibus suis tenuioribus magis exobstruit, & magis calefacit, suo succo verò etiam datum adhuc vim aperiendi maiorem habet, quoniam corporatius medicamentum existit, itaq; vtroque modo eo vti debeamus, tamen rhabarbarum mihi valentius videtur, quamuis forte aliquanto minus calidum, neque enim tam acre neque tam amarum est, ac maiorem adstringendi vim, quam in vulgari absinthio sentimus, vnde visceri exobstruendo apprime idoneum censendum, nam illa adstrictio, qua partibus externis abhibita ob meatuū inuisibilium angustiam de obstruendi, expediendique vim impediret illa internis locis detergenti, & incidenti vi adiuncta ei longè maiores vires præstat, nam aut comprimendo intrudit, aut confirmandis latioribus meatibus habet naturam vali dius agentem, præterquam quod viscera eiusmodi vim

A adstringentem summopere desiderant, quæ enim detergunt, & altius penetrando meatus expediunt, calore etiam suo laxant, afferuntque languorem, qui principibus visceribus eo nocentior est, quo ipsa munus publicum sustinentia labore eo nimis affliguntur, quare omnibus nominibus rhabarbarum erit præferendum, clysteria quoque similibus conficienda, præcipue vero ex vino et pulueribus illis, quæ comparatæ sunt ad emplastrum de baccis lauri dictum conficiendum, qui flatu nimis infesto per os quoque poterunt exhiberi, externis abdomen to tum iustimento multo, & calido contegendū, fasciandumque, ut collecta coniunctaque abdomine viscera calorem suum magis conseruent. Fricandam aluum etiam crediderim, vt meatus laxiores reddantur, flatusq; digerantur, & vias sibi factas inueniant. Linitiones adhi-
B beantur ex calidioribus oleis, & pulueribus, oleū est costinum, rutaceum laurinum, in quibus ualentiora etiam decoqui possunt, olea etiam parata per destillationem ex anisis, caryophillis, & aliis similibus, quæ etiam artificiosa balsama dici consuere. Post ergo frictiones inungenda aluus est semper fricando, vt vis interius immittatur, acetum illis addatur, ne oleis vię infarciantur, vt vis introducatur, ut incidat, ut discutiat calidioribus cō iunctum. Ventriculo suā auxilia dentur ex absinthio, mastiche garyophillis, mace, mentha, oleis eiusmodi maceratis, & incoctis. Aquam uitæ dictam non prætereūte, quoniam vbicunque locum commodum haberet, adijcerem, uel per os dandis, uel exterius admouendis vel clysteribus inijciendis, uentriculo enim exterius ijsdem in ea maceratis, quæ supra sunt proposita. Sunt ualidissi-
C ma olea ui ignis, & maceratione longa ex lignosis rebus expressa, vt cinamomi, anisi, garyophillorum ceræ, iuniperi, & similia. Artemisia emplastri loco à quibusdam summè commendatur, ladanum proprie laudatur. Sūt multa siccantia, & extrahentia, ut limaces, ut ebuli, ut sambucus, & cyclaminus. Sunt siccantia vehementer, licet non penetrent, vt liquor ille salis ferro ignito expressus, ut arena calefacta, furfures exusti, torrefactiue, miliū similiter fædum illud emplastrum ex bouis stercore, q̄d exsiccat, & extrahit, alij ouium stercus, stercora quoque calidiora sunt, at non solis vterer, ut galli, magis verò calida sunt palumbi domestici, magis adhuc campestris, stercus muris, suffumigia in uentrem danda non essent spernenda, ut decumbendo super mensam, perforatam, qua uenter illa acciperet. Quorum materia multa est.
D Faceret etiam guaiacum incoctum in bona copia, maximè, si ex aqua absinthij exhiberetur, sed potione parca, magis tamen valida, post hæc cum tempus fuerit, pro ratione corporis, & reliquorum de aquis sua natura calidis deliberabitur, pro nunc hæc mihi satis uidentur. In ratione victus, vtinam intra solum auium vsum posset se continere, alioquin panis cum sale omninoque cōficiatur, beneque concoctus sit, & bene fermentatus, nō ex simila, sed potius sordidiori semidali.

Vinum potens sit, tenueque, & paucum, condita ex cinamomo, ex aniso, ex similibus mensæ adhibeat, intinctis ex sinapi, cinamomoque, ac pipere. Piper certe mihi summopere placeret, cum subitum calorem afferat, nec tam videatur durare calor, ut exsiccet, gingiber etiam conditum adhuc uitetis esset oportunum, allia nō
E timerem, neque cæpas, liquida certe, & iura penitus uitanda, quod si admittenda vis erui, cicerisque commendarem cum satureia, origanoque. Sunt boli, qui ex pane marciato, pistaceis, aromatibusque fiunt, ij erunt commodissimi. Bellariorum loco sint, pistachia, sint trochisci ex aromatibus facti, & sacharo. Aer calidus pro uiribus, & quantum valebit industria seruetur odoribus calidiorum, igne ex lignis similibus, vt præcipuè iunipere.

Exercitatio quanta poterit adhibenda, vel cum solo risu, & clara voce, vti posset, valde iuuaret, vel eius loco frictiones sufficiendæ. Animi perturbationes penitus ablegandæ, vna lætitia excepta. Somnus diuturnior statuendus, vetriculo præcipuè male affecto. De inanitione

ratione dictum est. Modum cibi parcum, & boni succi statuerem, potius crebriorem darem, vt ter in die illum, sed parcus. At mutatio aeris erit præstantissima, vbi & æstate ipsa per se mutabitur, & cęli mutatione, quam ipsa statuit, quam maximè. Vrbini enim æstate cœlum tenue, siccum, & huic malo opportunum est.

Modus medicamentorum nobis non est ignotus, sol danellæ quidem ad ℨ.1. succi verò iridis ad ℥.s. cum ℨ.1. rhabarbari, aut puluerem hieræ ℨ.2.s. vel ex melle rosaceo solum succum, vel alio aliquo syrupo in potione dando.

De malo Nobil. Nicolai Pilestri Anconæ nobilis ad Iulium Veteranum, virum præstantissimum, & a Secretis Excellentissimi Vrbini Ducis.

CONSVLTATIO CCCXXIX.

ROganti tibi hanc cõsulendi operam dum præsto, velim sic statuas Iuli præstantissime, te quidẽ officij humanitatis plurimum, fructus vero amico tuo id postulãti parum admodum allaturum non solum mea, sed ipsius quidem certe mali causa, nam malum id, quãuis remedijs posset sanescere, tamen sic difficile potest intelligi a Medico vel præsenti, & omnia in conspectu posita cognoscenti, vt absentibus nobis vix certi quidquam de eo ex alterius scriptis possit iudicari.

Quare non videor ab re facturus, si primum descripsero quædam capita, de quibus certiorem fieri me iudico esse necesse, postea verò quicquid consilij potero, subijciam, ne aut ego quæsita causa laborem subterfugisse, aut officium tuum nimis parum valuisse videatur. Sed ad Excellentissimum Medicum me conuertam ad quem hæc mittenda sunt. Vir doctissime de Nob. D. Nicolao ex te scire opus est, quodnam doloris genus id sit, quo in mingendo vexatur, quamve ille speciem sensus præstet, grauisne, an tantum acris sentiatur, num cõtinuus, num sub solo minctu, num medijs etiam temporibus sit, quis locus ei exterius respondeat, num ad glandem colis, ac sub præputij interiorem partem pertineat, num sub equitatione molestior aliqua grauitate, ac pondere sit, item & sub scalarum descensu saltuve aliquo grauior insistat; crebro ne hominem ad mingẽdum incitet, ac quam crebro id faciat. Nam præter cum dolorem vlla alia difficultas subsit mingendi, an libere vrina exeat, conatumne quẽquam requirat, quæ cum ea efferuntur, qualia sint, an verum pus secum habeant, glutinosam, an erenida, an farinam referentia cõspiciantur, fœdine odoris sint, ac quanta copia, an cum illis aliqua furfuracea, squamosaue exeant, an carnis speciem aliquando efferant aliquam; an hordei granorum fractorum similia corpora, cum quibus, si quæ alia in conspectu Medici ueniunt, illa omnia uelim ex te cognoscere, id, quod nolim præteriri, num quoties ad mingendum incitatur, una etiam aluum demittere coactus sit, & alui irriti conatus, & urgentes sint.

Præterea, quid ante hoc malum inciderit, quod causari possimus, num aliquod profluuij genus fuerit eorũ, quæ nomine gonorheæ appellantur, num lumborũ aliquod pondus, aut alius affectus præcesserit, num, quando accepta primum aqua S. Marini leuius habebat ipse penitus integer uideretur, ac, si qua re minus integer, quid eo spatio sentiret.

At interea donec hæc significabuntur, si cætera agãtur, Dolor sub minctu præcipuè est, & lotium cum crassis excrementis, ac putridis procedit. Vbi satis causæ doloris extare in ipso lotio videri posset, si dolor esset mediocris, quæ enim lotium secum effert putrida, ea acria quoque ob putredinem esse est verisimile, vnde tenuitate ea, qua acria fiunt, intus in corpus membranæ penetrantia per quandam incisionem, aut nimiam abstersionem, & continuitatis solutionem partium inuisibilem tactui molestiam afferre illam possunt, quæ ardoris nomine nuncupetur, maximè verò quoniam ad derergendi vim, quæ semper ad acrimoniam illam consequitur, nuditatem loci affert nucis naturalibus absterſis, qua acres partes facilius corporis meatus inueniãt, citiusque ingressa, & penitius maiorem dolorem moliantur, detersionis verò præcipuè hoc loco facienda mentio fuit quoniam mucosus quidem humor his partibus per glandulas, & ille quidem copiosus ad defendẽdas huiusmodi res incidentes à natura tributus est. Verum, si dolor nimis mediocritatem excedat, vni humori ille totus attribuendus non videtur, tantus enim ferè non mouetur dolor, integro ipso particulæ corpore quod externa sui parte sic comparatum est, vt illa densiori duriorique ipsum se seà nimia, nimisque cita penetratione acrium partium humoris præter fluentis tueatur, vel mucore eo omni absterso quare aliquid exesum esse tum ex doloris acerbitate, tum ipso longo mali spatio colligitur. Ex pure quoque tunc demum confirmaretur vlcus subesse, cum pus aliunde non procedere esset pro certo constitutum.

Vlcere ergo proposito non solum vrinæ acrimoniæ sed vlceri quoque, atque potissimum cura adhibenda, Symptoma doloris tanquam occasio attrahendæ materiæ, & vlceris curationem impediendi ab eam attractionem, & partis eam, quam facit imbecillitatem ipsum quoque interea mitigandum, quod in vrinę actimonia delinienda præcipuè procurandum videatur. At neque vlcus sanescere, neque vrina hebescere vnquam poterunt, nisi causæ eorum vitiorum sublatæ antea sint. Quarum vis, non solum in acri humore sita est, sed in ijs rebus, quæ tum parare acrimoniam, tum materiam generare, tum illam ad vesicam attrahere possunt, quare non solum acris materia submouenda, sed causæ, quæ eam faciunt, quæ acrem reddunt, quæ ad vesicam trahunt, auferendæ. Materiam lentam cum ventriculus, & caput, tum in senibus sæpissimè totum corpus in hoc genere mali subministrat, in quo toto corpore ob moram è partibus iam senescentibus imbecilli quidem, sed squalido calore agentibus salsam quandam vim contrahit, & sic, quoniam per cutim expelli in senili, ac duriori corpore facilè nõ potest, in ipsos renes ea ætate ferè, & opere suo laborioso onerosoque imbecilles procumbit, ad id tum expultrice partium omnium vi, tum renum attractrice faciente, siquidem membra, quæ communem vsum corpori præstant, vt renes, maiorem ex continuo opere habent debilitatis occasionem. Renes verò præcipuè, qui ex tam recrementoso, serosoque sanguine alũtur, vt plus ipsis expellẽdum sit recrementi serosi, quam alimenti accipiant, vnde vrina, etiam si in venis non fieret, tamen propter nimiam sui copiam non renum, sed iecoris, & totius corporis recrementum dicenda videretur. Cum qua verò etiam multa terrena recrementa expelluntur, itaque facilimè eo labore debilitantur, quo continuo plus sæpe iniuriæ, quam vsus ipsis existit. Cæteras multas Renum infirmandorum occasiones prætereo, quæ ex motione corporis, & alijs quamplurimis solent incidere, vnde sæpè calidiores facti non solum recrementa ab vniuerso corpore nimis attrahunt, faciliusque cum suo alimento seroso liquefacta, delataque recipiunt, sed ea quoque acri suo calore, & per siccitatẽ à naturali facilè ob corporis suam duritiem degenerante torrendo alia, acria, alia dura reddunt, & ita ex crassa, magisque terrestri pituita calculos, ex tenuiori putrẽ, salsumque humorem eliciunt; quare ventriculus attendendus, caput non prætereundum, totum corpus apertum suis inuisibilibus meatibus reddendum, ne tantum materiæ contineat, ne tamdiu, ut moræ spatio putredinis eam speciem contrahat. Renes quoque confirmandi, ac temperandi sunt, concursus præterea materiæ ab illis ad cutem assidua opera auertendus, acrimoniam urinæ interea, & dolorem non negligendo, ulceratamque

que partem sustinendo, ne in peius labetur, donec ulcus ex toto causis sublatis curari poterit. Vbi ordo curationis non penitus ordinē ipsarum rerum consequitur, ob doloris, & vlceris periculum, & damnum. Cætera tamen naturæ ordinem sequentur, nam materia primū annuenda, quoniam δυσκρασίαν causam sui conseruat, eique sui ortus beneficium acceptum ea conseruatione rependit, alioquin causa si posset manente materia subtrahi, primum locum in curatione obtineret, interim tamē, neq; prima causa, idest, δυσκρασίαν præteribit, quoniam similis cum sit genitræ a se materiei, dum ad purgationē humores per cōtraria parabuntur, similis quoque eorum causa ijsdem contrarijs interim emendabitur. Secundo loco autem materia iam subtracta visceribus ipsis erit consulendum, tam ijs, quæ sua δυσκρασία humorem gignunt, quam ijs quæ illum acrem efficiūt sua (veluti, si iecur calidius cognoscatur,) quam ijs demum, qui illum attrahunt, item sua, ventriculo ergo, capitique, si constiterit ad malum conferre, item & iecori, certe quidem renibus materiam attrahentibus, ac postremo ad vlcus vnum cura conuertenda. In materia medicamentorum ad parandos humores deligenda id omnino obseruandum, ne incidentia, quibus vt necessarijs vtemur, tantarum sint virium, vt acrimoniam humoribus in perniciem vlceris, & renum inducāt, quod in purgandis quoque faciēdum, cauendumq; ne acrioribus purgantibus idem mali afferamus, siquidem purgantia omnia multam sui partem per vrinam demittunt, potius in vtroque genere eę vires quærantur, quibus tum humorum acrimonia, tum vlceris sordes, quātum fieri potest, minuantur, sua verò instrumenta cuique parti curationis tribuendo, vbi multis agere mihi non est necesse cum eo homine, cui doctissimo materia medicamentorum est notissima, breui igitur sic res cōpræhendatur præterita venæ sectionis mentione, de qua ægroto non perspecto agere tuto, aut certo definire non possem, ex omni medico instrumēto ea deligenda sunt quæ in se vires adhæc vel omnia, vel plurima facientes habent, veluti glycirriza, in qua tantum caloris est, atque detersionis, quantum pituitæ concoquendæ, ac præparandæ faciat, & viscerum δυσκρασίαν moderetur, ac demum vlcus abstergat.

Tantum verò lenitatis, quantum vrinam deliniat. Huic non valdè dissimile oleum amygdalarum dulciū vna abstergendi vi fortius; Farfara etiam, & althæa, maluatum caules, sebestenque. Hæc duo delinire tantum possunt, vt etiam iuiubæ, & cassia. Betonica excepta vi deliniendi cæteras vires habet, præcipuè incidendi, & extenuandi, præterquam quod renibus confirmādis est satis valens, vlceribus verò adprimè idonea cui pillosellam dictam iungerem, atque etiam lichenem. Sic capillus Veneris, & asplenium, acidus limonis succus saccharo ad ignem mitigatus, si eius acrimonia timenda videatur, plurimas curationis partes potest præstare incidendæ materiæ, extenuandæq;, & adustis eius partibus extinguendis, renibus, iecorique refrigerandis, Vrinæ leniendæ, & demum vlceri curando. Mala aurantia magis vrinam mouere videntur, quod illam augeant, tenui tamen suo liquore etiam fundunt, renesq; repurgant. Borago ipsa, quamuis non multum valentes partes habeat, tamen ad renes peruenit, & humores parat, & torridæ pituitæ acrioribusque eius ob salsedinem partibus hebetandis plurimum est necessaria, & ad alia acriora commoderanda, cui rei violæ quoque, & nymphæa maximè inseruiunt.

Ad horum exemplum cætera omnia, quæ in quotidiano sunt vsu, crederem esse æstimāda, in quibus multa tum fructuum, tum seminum maiorum, & minorū genera ponuntur. De purgantibus, similis quoque ratio ineunda, pituita agaricum, exustio rhabarbarum postulat, illud capiti, hoc ventriculo, iecori, renibus, ac vlceri erit suo corpore vtile, & si ob humoris vim, quem educit interea potius vrinæ ardorem moueat. Flos cassiæ vtrorumque generi humorum, ardorique urinę accommodatissimus, & ideò crebrò repetendus ijs immixtis, per quæ tonum aliquem cassia ad id seipsa minimè idonea possit relinquere, ut myrobalani imprimis, & tamarindi, si vētriculus hos patiatur, vt idem rhabarbarum, glycirriza non ita opus esse uidetur, uires huius cum ipsa per se cassia habeat, per senam superioribus adijciendam id præcipuè consequemur, quod exustam illam salsedinem expurgabimus, ac nonnihil etiam pituitæ purgationem iuuabimus, quibus iterum, & tertio, ac sæpè tributis, cassia verò sæpissimè repetita, sudoribus, & balneis aquæ potabilis reliquiæ materiei, quæ sic tota quidem educi non poterit, sunt a renibus auertendæ, sicq; corpus penitus mundum reddēdum. Qui si ijs potionibus satis moueantur, quibus & uisceribus robur, & δυσκρασίας ipsius contemperatio, & ulceri & urinæ sua emendatio afferatur, integram curationem ijs solis cōsequemur. Si guaiaci uis ita temperari posse uideatur, ut ne renibus calorem, aut, quod magis uerēdum est, squallorem afferat, quoniam calorem rarissimè afferre uidetur, cætetis suis uiribus, uel ipsis renibus firmandis, item, & iecori adstringendi aliqua ui faciet, nedum uentriculo quasi renouando, & materiæ toti per ambitum auertendæ, uenoso generi omni ab eo situ materiæ expurgādo, confirmandoque, quam apprimè idoneum est, ulceri uerò, etsi ob eductos secum per urinas humores aliquantulum obfuturum uideatur, tamen eidem purgando, & curando ualdè est opportunum, quod si cum eo salsa parilia componatur tanta, quanta eius asperior uis obscuretur, commodo multo dabitur. Incoquatur in aliqua aqua, quæ eorum uires ad dictos usus commoderetur, ut esset aquæ cicoreæ cum aqua betonicæ commixta. Cassia uerò etiam sæpè interim sub his potionibus repetatur, passularum usu adiecto, item & aliarum rerum similium, nam si nulla alia causa præter hoc humoris genus subsit, alios uidi per calidiorum usum curatos. Frigida uerò symptomati quidem multum, causæ autem nihil inseruiunt; quare rarissimi sunt, quos curatos sciamus hoc tempore, quo causis prętæritis tam intenti sunt Medici ipsis symptomatibus mitigādis, quod tamen tam accipi, ut molestè dictum confido, quā sum certus me loqui cum uiro scietissimo, uiolis, itaq; nymphæa, & similibus non nisi cum alijs, uel si solis, tantum summè urgente dolore uterer. Terebinthynæ usus corpore diligentissimè expurgato mihi probatur, ac præcipuè, si in tanta copia detur, quanta etiam aluum possit mouere, atq; si cum succo limonum modis omnibus cōiugatur, sic enim & materia auertetur, & uiscera robur accipient, & ulcus proprium, & ualentissimum habebit auxilium, quantū haberi possit a re, quæ per os exhibeatur, Auertendæ materiæ dixi sudores profuturos balneo aquæ dulcis præcipuè excitatos, nam ipsi quoque pręter auersionem materiæ corpus totum fluuidum uerumque reddentes maximè cōtemperandæ corporis siccitati, & humorum acrimoniæ faciunt, nedum id genus humorum exhauriendo, quod uerò maximè faciunt, quando balneo mouentur. Vomitus saltem materiæ auertendæ tam est idoneus, tam ualens, ut, nisi natura corporis ei repugnet, in eo maxima salutis spes ponēda sit. Vidi ego senē, qui quiescente uomitu, cui consueuerat, subitò incidit in urinæ ardorē tantum, ut ne dimidio quidē horæ spatio noctu posset quiescere, crassa uero illa urina admodū exibat, contra alios plurimos, qui usu uomitus sūt liberati, uentriculo.s. ad id mali materiam plurimā conferente. Alios uidi, qui usu rerum frigidarum dum crederent se se ab hoc genere mali liberare, tandem lapides confecerunt, uentriculo.s. ab illis incrementū causæ accipiente, quo magis ego in sentētia prædicta confirmatus sum. Serum lactis solum datum non uitupero, uires tamen non tam multiplicis usus habet, quotuplex iam dicta necessitas mali est, cum alijs quidem dari utilitas potest, quibus se præbet tanquam opportunissimam materiam ad uires eorum deferendas, humoresque diluendos. Thermales aquæ magis erūt idoneæ, præcipuè uero S. Marini, quoniam iam fuit expertus, sub quorum usu tamen

tamen uidendũ,ne minus uentriculum iuuemus,quam instituimus, ideo ille unctionibus, & aliis præsidiis tutandus, atque, si per eas ardor, vt alias factum est ablatus fuerit,rursus aliquo alio auxilio ipse,ventriculus restituendus,ne nouam causam denuo regeneret,vt superius fecit,materiam enim in ventriculo congestam diuretica illa,quæ postea ad lapilli metum accepit,ad renes cõduxerunt,& sic ipse nouos labores subruit.

Ergo,aut alia subinde thyermalis aqua tepidior subijcienda,aut aliud medicamenti genus, vt vt res hæc vel illa vrgebit primum quidem ventriculo consulendum, deinde renibus,vt si guaiaci primum, deinde S.Marini aqua detur. Ego præterij singularum materierum genera, quæ conseruis, quæ electuarijs quæ sub alijs formis seruantur tamquam notissima. Vnctionum etiam ratio tam nota est,& fomentorum,& emplastrorum ad ventriculum faciens, vt superuacua eorum narratio futura videatur.

Corpore tandem restituto,si vlceris malum adhuc super erit,illud per inijcienda,idest proximo loco adhibenda erit curandum:nam absterfionem suam fere eo usq; non seruant, quæ per os sumuntur,potius aliam à bile, quam ipsa mouent, & secum lotium educit,acquirunt, adstrictione verò minus, quare nisi lotium se ipso satis fecerit ad vlcus expurgandum,exsiccandum (quod vtrũque certe potest) proximo loco per proprium instrumentum medicamenta exsiccantia,abstergentiaque danda, quæ si locum sæpè attigerint,tunc demum poterunt prodesse,proptetea si vlcus in meatu esset, facile per ceratũ funiculum ibi seruari possent, & facile vlcus sanesceret, de quorum medicamentorum ratione,si opus fuerit,vt certè non est,libenter,si requiratur,sermonem habebo, quæ verò vino,sero,lacteue (si dolor vrgeat) poterunt liquari,atque inijci,quum cæreo illo funiculo vlcus attingi non poterit.

Atque hæc satis sint,nam forte etiam nimius fui, cũ præcipuè verear, ne alia valentior subsit causa à lapide, quæ longe aliam remediorum rationem postulet, quod tamen non audeo asserere, nisi ea capita initio proposita mihi certiora rescribantur.

Postea inauditum est virum hunc à morbo hoc euasisse.

Reuerendissimo Patri Mario Capuccinorum Generalis de renum & aliarum partium affectu.

CONSVLTATIO CCCXXX.

PEr literas Medici,vt vt potui,certior sum factus de tua valetudine,libentissime que,quod licuit, consilium capere, confestim tibi his literis significaui, idem quoque postea facturus pro tempore, vt rẽ ipsam postulare in dies ex literis, aut nuncijs tuis cognoscam, iampridem enim opera,atque animo cum tui ordinis patribus,tum vero tibi quam maximè addictus sum.Intestinis ergo cum uentriculo,& renibus cum iecore male habentibus fit,vt modo intestinorum doloribus,modo renum laboribus,& febribus etiam vexere.Intestinorum malum frigore potius,renum verò calore existit, hi iecur secum,illa ventriculum afficiunt. Mutuis verò etiã harum diuersarum partium operis subinde incrementa fiunt.Nam crudus humor vitio ventriculi existens in renum vitium materiam illis per iecur subministrat,à quibus calidioribus tractus, atque extenuatus non potest per aluum à natura demitti, sed eo calore in venas intrusus iecore eum à se propellente renum vim trahentem sequatur,& in ipsis firmatur eorum corpore non facilem transitum ob densitatem præbente, quare ibi si lentus est torrefactus eodem calore ob spacium longius, quo ibi detinetur,non solum arenularum,lapillorumque est causa,sed lotii quoque acrioris,quum eo illa diluitur, & exustas acresque partes ei permittit, atque si terrenus est humor à calore extenuatus,tunc in membranis internis renum in arenulas, & lapillos concrescit.Renes aut suo acri calore cum copiam caloris naturalis cõiunctarum partium exhaurire,tum acriorem eius vim efficere vt in ventriculo,& intestinis possunt,quo enim squallidior calor fit, eo magis præter naturam existit,iecore iam præcipuè per ipsos affecto,& in id conspirante, vt iam non, quod esset necesse,copiosus,& humidus calor,aut moderatus,sed paucus, & acris in ventriculo,& intestinis inhæreat, quorum ipse calor alimento idoneo assidue priuetur nimis citum discessum habentibus ijs,quæ in ventriculo concoquenda vim,& alimentum ventri debent exhibere,cruda siquidem etiam abducuntur, neque laboris ipsa continendi fructum ventriculo relinquunt, scilicet nutritionem,sed sub eo labore continendi ventriculus,sub quo vires solet concoquendo reficere, iam potius illas sub crudo humore amittit, sicque cruditatis ventriculi causa à renibus exaggeretur, quo à cruditatibus renum vitium adolescit,sicque his causis reciprocãtibus,& malis per circuitum commeantibus semper maiores existunt labores,febres etiam crebro ad cætera cõsequuntur,quod impediti humorum commeatus, & ad congestionem humorum, & ad putredinem ex obstructionibus identidem concipiendam faciunt. Corpore verò toto ijsdem causis malo humorum genere referto euenit,vt cum oneris,aut acrimoniæ nimis forte acquisierit partibus singulis in ipsum eijciendum insurgentibus, & exprimentibus, is in ea parte demum firmetur quæ alijs impellentibus præ infirmitate non potest resistere,quæ in corpore hoc sunt tum intestina, tum renes ipsi,atque ideo modo hæc,modo illi humoribus impulsis laborant,vt vt vel hæc,vel illos peius habere contigerit. His ergo ita propositis iam extant omnia,in quæ intendenda est acies,& opera omnis.submouenda est materia, & quæ intus est, & quæ exterius per cibum accedit,vitia deinde viscerum emendanda obstructionibus eximendis, & habitu eorum resarciendo, quod ad genus intemperiei pertineat. Quid verò id possit hac ætate,hac ordinis tui viuendi ratione multam prohibentibus,malo etiam iam obfirmato,difficile certe est constituere,tamen spero assecutuos nos,ut quantũ virium remedijs iam dicta detrahunt,tantundem spatio,& diligẽtia restituatur, quoniam, cum valentioribus locus non sit,remedijs imbecillioribus nullum tempus denegabitur,quin assiduus horum vsus suo spatio possit ualentioribus exequari,in quibus,quod demendæ materię,quod obstructionibus eruendis,quod visceribus omni moderatione restituendis,firmandisque faciat,forte est unum ipsum rhabarbarum,præcipue, si ei coniungantur, quæ eius uim moderari pro uiscerum necessitate idonea sũt, ueluti,si saccharo rosaceo,si terebinthinæ si myrobalanis,si aceto scillitico,si agarico copuletur, quod prudenti Medico pro oportunitate statuẽdum permitti debet, Nam exemplis qñidẽ agere possumus, rem tñ absentes aggredi nullo mõ valemus,sit verò exemplum,ut primũ, ℞.elect.lenitiui ℥.1.hieræ puluerum simplicis Galen.ʒ.3. & cũ saccaro f.bolus qui sumatur hora ante cibum. Postera die ℞.Syr.rosacei ℥.s.mellis rosacei ℥.1. aceti scillitici ʒ.3, Decoctionis infrascriptæ ℥.4.℞. betonica,rosarũ,hordij,agrimonij, Capillos ueneris,chamedrys an. m.1.Decoquantur in aqua absinthij, & quod percolatur ex eis expressis ad usum seruetur. Aliquibus verò potionibus huius generis acceptis sumendum est rhabarbarum cum agarico,& aloe,quæ omnia cum terebinthina comprahendantur, ut si ℞.rhabarbar. ℈.2. agarici tantundem,aloes ℈.1.terebinthinæ.ʒ.2.& inde boli formentur. Postea tertio, aut quarto quoque die componi potest rhabarbarum cum saccharo rosaceo, aut doloribus præsentibus terebinthina cum puluere ipsius hieræ, & sic accipere mollientibus dolorem semper præceptis, ut oleo amygdalarum dulcium,& similibus. Mediis uerò diebus oximel scilliticum cum syrupo rosaceo. Rhabarbarum eodẽ modo repetẽdo cum saccaro rosaceo,

aut

aut terebinthina cum eodem, hæc enim inteſtinis pariter, & renibus vtilis eſt, quod expurget, quod infarctus expediat, & demum quod confirmet. Huic verò ætati præſertim eſt oportuna, quæ deſtillationibus, & articulorum, neruorũque malis obnoxia eſt, cui aliquãdo myrobalanorum puluis corpore benè expurgato addi poterit. Atque, cũ ſub horum vſu corpus non conualuerit, & pro tempore aquæ thermales valebant tunc aquã Tetucij afferendam curarem à qua præcipuè ventriculus, & inteſtina bene habebunt, & infarctu omni glutinoſorũ humorum liberabuntur, roburque ſibi acquirent; quod renibus quoque commodum futurum, & quum eorum malum ab inteſtinis tantũ ex aggereretur, interea tamen in rhabarbaro, & terebinthina, & ſaccaro roſaceo, & oxymelle ſcillitico eſſe ſpem ponendam iudicarẽ, ratione victus non præterita, nam multa ſunt, à quibus & neceſſe eſt, & tu poteris abſtinere, vt paſta ex farina triticea, vt legumina, præcipuè duriora, quorum loco oriza, hordeũ panis coctus ex aqua, in qua lac amygdalatum ſit, aut oleum earundem. Bugloſſum, & borrago adiecta etiam beta, & fœniculi herba viridior parcè tamen ex eodem oleo, & aqua ſuffici poterunt. Cæpe, & porri etſi inteſtinis commoda, renibus tamen raro non contraria ſunt, quare aut ſolum vt condimenta admittẽda, aut vitanda ſunt. Piſces ſaliti non erunt inutiles, niſi nimis dutiue, aut antequam apponantur ſale non fuerint penitus exempti, quod longa maceratione in aqua calida facile aſſequuntur. Caro probabilior eſt, neque me iudice ab ea debes abſtinere, aut potes ſine magno tuæ valetudinis incommodo, vt neque ieiuno ventre diu potes tuto manere, quoniam ſub ea abſtinentia nõ ſolum à toto corpore in ventrem malus omnis generis humor confluit, ſed ventriculus fame ipſa conficitur, & cibum ſubinde nec ferre, nec concoquere poteſt. Tum autem renes ipſi cum humoribus acriorem ſub fame calorem concipiunt, cum humorem abſtinentia acriorem factum attrahentes incendantur, atque eo irritati etiam laxiores fiant, ac ſic infirmi facti, & calidiores nullũ genus mali humoris recipiunt, nullum à ſe poſſunt propellere, imo nullum non vi ad ſe trahunt. Acetaria ſuo modo, & tempore non ſunt ita aliena, vt penitus fugienda ſint, in quibus malum ſi quid eſt, id potiſſimum eſt, quod cruda difficilem ventriculo faciunt coctionẽ, alioquin ex herbis iis eſſe poſſunt, quæ etiam vtiliter capiãtur. Betonica oportuniſſima hoc tempore, quo recens pilulat, fortè ſibi non diſplicebit veluti fœniculum lactucis, & endiuiæ ſemper admiſcendum, aut eruca, aut etiã ruta, & ſaluia, vt tum in his, tum in ſimilibus frigidioribus vim modereris per calida, & econtra per frigida calidioribus, qua opera borrago bugloſſuſque non egent, & poſſunt eſſe commoda. Nollem verò audires illos, qui fortè imprimis lupulos aſparagos, & huiuſmodi res commendabunt, quæ vrinæ mouendæ plurimũ valentes ſunt, à quibus meo iudicio, præcipuè verò ab aſparagis cauebis tutius, ne crudum ſuccum à ventre artipiãt, & in renes maiori periculo intrudant. Renes verò ſic laxent, vt nihil demum aut retinere, aut expellere, vt oportet ſuis tẽporibus valeant, plurima certè eſſent recenſenda hic à Medico, quæ credo tibi nõ ſunt neceſſaria, qui in hac re neque nunc nouus, neque vnquã tam rudis, vt diligentiori egeas admonitione. Quare de potione tantum eo admonito finiam, quod aqua penitus vitanda, eſt, vinum item craſſum, tenue autem deligendum, rubri potius quã albi coloris, niſi hoc aliquid habeat auſteritatis, vt.n. auſteritas in rubeo contraria huic valetudini & albedo ẽt per ſe, aut in acriori vino inimica eſt, ſic albedo auſteritate, & auſteritas albedine miteſcere poteſt, & ad tuam valetudinem conferre, ac ſi vinũ mediocriter potens fuerit cũ ventriculo, tum inteſtinis, & ætati, tum iecori, tum renibus cobſulet. Atque hic mihi finis ſit ſcribendi, cogitãdi verò de tua valetudine minimè, donec reſcribas te eã integrè eſſe aſſequutum. Vale, atque de me memoriã habero, præſertim cũ ad DEVM orabis. Piſauri. 7. Idus Martij Anno 1576.

Is cachecticus factus eſt, & identidem in febres incidebat, ſic extinctus.

Pro Veterano militum præfecto de iecoris obſtructione alijs multis.

CONSVLTATIO CCCXXXI.

NArrant inflammationem iecoris multorum annorũ eſſe multos verò iam dies prope ventriculi regionem deſcendiſſe atque (vt dicũt) ad os eius tumere, quaſi os ventriculi infra imã iecur ſe habeat. Conſilium verò eſſe, vt, ad catharum etiam cũ his moleſtum capitis & ventriculi culpa exiſtentẽ, corporeque multa incõmoda in maritimis itineribus perpeſſe, accipiat ſalſa parilia decoctum cũ guaiaci paulò ad ſtomachi ſcilicet infirmitatẽ, rogare autem quid ego de conſilio hoc ſentiam, num verò ẽt ſerum caprinum in rem ſuam futurũ credam. Potionibus quoque ſumendis, num in cubili ſit continendus, num veſte multa ſudor eliciendus, & intra aridi panis vſum cum paſſulis manendum. Ego verò, ſi inflammationis nomine calidam intemperiẽ accipiant, cuius noĩe interdum in hypochondrio ſolẽt extare per tenſionem, quoniam quod poteſt quis ex tumẽte ea parte comentari) ad circumpoſitas ſibi partes iecur à ſe abijciat per halitum materiam crudiorem, benè loqui credo, nam iecur ſuo calore obſtructionibus ſuſtẽtato, materiã à ventriculo crudiorem attrahendo, deinde à ſe vt inutilem, & grauem abijciendo tumorem illũ ſeu tẽſionem vicinis in partibus poteſt efficere, atque ita iecori apertio, & expurgatio, ventriculo verò confirmatio virium eſt neceſſaria, quæ quamuis guaiaco præſtari poſſint, tamen, niſi aliquid propriè guaiacum poſtulet, vt ſi ſuſpicaretur luem gallicam ſubeſſe, ego multa alia magis idonea illi anteponerem, ne ſine neceſſitate in laborioſam curationem ipſum impellerem. Guaiacum enim, & ſalſa non ſunt vtilia niſi fames illa, & inædia ſeruetur, niſi verò gallicus ſubſit, non ſunt neceſſaria, quare ſi certi ſimus nullam eiuſmodi gallicam vitioſitatẽ, ego certiora, & faciliora remedia loco guaiaci adhiberem. Deſtillatio eſt, obſtructioque iecoris, & tumor vicinus ventriculo, his ego faciliorẽ purgationem, accommodarem; ne viſceribus oppreſſis laborẽ nocuum afferrẽ, aut violenta nimis purgatione magis infarcirem, ex Rhabarbaro vel millies repetito cicoraceis interpoſitis cũ abſynthio, cũ cetrach, cũ capillis veneris, & oxymeli te neque vererer uel menſis ſpatio, ſub horũ uſu corpus continere aceto ſcillitico adiuncto ad inciſionem, abſterſionem, & expurgationem uiſcerum ſine calefactione tutiſſimo, maſtiche reſina, mirrha, uel potius bdellio, & huiuſmodi interius ad uiſcetis emollitionem, una cũ his uterer, & tandem uel chalybe ipſo ad hunc uſum parato, quibus non ſatisfacientibus, ſi ſupererit malum adhuc, ſuſpicioque inualuerit, ad guaiacum cum parte ſalſæ pariliæ accederem, & omni ratione exquiſita darem non ſine cicoraceis, non ſine ſtœchade, ac betonica, ut capitis quoque ratio haberetur. Quæ non ita certa ratione ego explicaui, incerta rei hiſtoria mihi, vt apparet, propoſita. De ſero caprino pariter niſi aliqua diſtinctior ratio mali mihi proponatur, hactenus non cogito, ſi certius diſtinctiuſque reſcribatur, de eo quoque cogitaturus.

De hydropica cum Marco Antonio Capelleto & Conſtantio Felicio.

CONSVLTATIO CCCXXXII.

SVperuacuus certe ſermo meus eſt futurus, cum res tã diligenter, & perfecte ſit explicata & curationis genus tam bene inſtitutum, & omnibus partibus complectum, uos tamen huc veniſtis, ut ex me quoq; ſententiam acciperetis, quare ſaltem ſummatim colligã, & ſubinde confir-

confirmabo; quæ a uobis disputata & deliberata sunt. Morbi huius origo, & ordo progressionũ mihi sui genus declarat, sunt iã peracti anni, cũ mulier nobilissima doloribus aliquibus crebro tentabatur, & eiusmodi, vt nullis remedijs soluerentur, tempore tantummodo ad eorũ sublationem vtili: crebro repetebant, diu durabant, vt nobis venerit interea in mentem, quod ait Hippocrates libro 4. aphorismo 11. & prædiximus hoc quod postea successit, nam paruis post mensibus tumere aluus cæpit, neque huc vsque penitus vnquam resedit, nisi sub eo malo, à quo causa tamen tumoris subinde est aucta, nempe febre tertiana notha, quæ eam plurimo tempore occupauit, ergo à febre tumor quidem resolutus est, causa tamen per dyscrasiam, & obstructionem, & humorũ squalorem relictum in visceribus est aucta, & subinde venter postea magis intumuit, & quotidie etiã atque etiam magis, vt, quod auulsio nunc mirabilis sit visu uentris amplitudo, tum etia hæc primo certissime solum habuit flatum, cum neque rugitus aquæ vllus ex conuersione audiretur, neque tumor ad ilia supino corpore decũberet, sed eleuatus in orbem penitus venter existeret vel rectis musculis distentis, & tumorem comprimentibus, nam eo tempore, cum recta etiam staret, & tensione maxima pondus vteri grauius sentiretur, deorsumque venter traheretur, tamen orbis forma in superiori ventris parte æque extabat. At pulsatus venter tympani more non resonabat, lumen appositum vni parti non penetrabat in contrariam, credo uerò id fieri potuisset in carnoso & pingui abdomine, vt hoc est, non ita sonant nisi abdomen in modum aridi corij tenue sit, neque alioquin perlucent, nunc autem vos referris aquæ signa iam subesse ex sono, & etiam ex figura, quæ aqua fieri potuit malo iam visceribus communicato. Sic enim meo iudicio statuendum quod δυσκρασία illa intestinorum, & partium ad illa pertinentium, & venarum flatus primum fuerit causa, quæ postea aucta etiam ventriculum affecerit, & per venas quoque iecur, & vicinitate, colligantiaque peritonæi ipsum uterum, vnde cum principio vterus bene haberet, cæpit postea grauis esse, deinde menses aliquo post tempore, imo vix duobus proximis mensibus non reddere, cũ antea pulcherrimos, & bona copia promitteret, neque est mirũ, si aquosus hydrops quomodoque factus est menstruis etiam suppressis, & ferè ab initio paucis vrinis, etsi crebro procedentibus. Malum verò confirmatum est, & viscera multa occupauit, in illisque insedit, vt difficillimam sit habiturum curationem, præcipue cum tot remediis non cesserit ualentissimis, & assiduè adhibitis.

Dubitabile tamen videatur quod viscera affecta notas proprias non ostendant. Nam color satis bonus est, & caro satis nitida, alui fæces, quamuis figuratæ nõ sint, tamen æquales, & læues, & colore potius obscuro sunt, valdeque mutato, quam cruda videantur. Vrina semper bona, nisi cum, vt consueuit renibus incales cẽtibus arenulas habet, &, quod hodie dicitis euenisse, nigriores, neque ventriculi uis videatur labefactara, quæ res facit dubitationem. Vbi illud præcipue obseruandum est, quod neque siti, neque cibi fastidio ostenditur, quæ dubitatio augeri videtur cum Galenus tertio, de symptomat. causis capite primo dicat ad extremum vitium ventriculi, collapsamque concoctricem facultatem sequi aut lienteriam, aut tympanitem. Cui dubio ego crediderim posse satisfieri si statutum sit aquæ generationem, & flatus non tanto egere frigore, quin & aluus æqualis, & cõuincta euadat, (lienteriam quidem sequi cum cruditas maior est) & sanguis serum suum mediocrem habeat affectum, præcipuè cũ bona seri pars, dũ in iecore cõficitur sanguis, in ventris cauitatem destillet, ego quidem possũ testari me in plerisque hydropicis ex ascite tum paucas & coloratiores, tum aluos vidisse satis concoctas, sanguinem verò melius se habere posse, cum tympanitis est quoniam hæc à materia aliqua crassiori, & sicciori pòtius in mesaraicis commorante, & spatio aridiori facta,

A quam ab intemperie frigida ventriculi fit, dico id mea quidem opinione. Quare his præteritis ego ad curationẽ transibo, quoniam incredibiliter venter tumet flatu, atque etiam humore iam iecore affecto.

Hæc superiori curationi sufficienda sunt, valentiora videlicet cum iam mediocria adhibita sint, & ita constituto, quod dyscrasia remoueri non potest nisi aqua, & flatus ab ea nati tollantur, quoniam, etsi priora non sint in malo, tamẽ sibi initium conseruant. Δυσκρασίαν dico quod exhaurire oportet aquam, & flatum discutere, & valentioribus, quam hactenus tentatum sit, quod si medicamentis id obtineri satis non possit, manu quæratur, non secto abdomine, quoniam id non auderem, vt in alijs ausus sum nunc carens ministri experientia, sed vlceribus cruribus, etiam vel ipsi ventri inustis, uidi B enim aliquos longo tempore sic restitutos, non dimissis interea, quæ intus sumenda sunt, natura enim onere illo, & mali generis humore sensim deposito firmior tandem fit, & validior, & sese colligit, ac medicamentis iuuantibus recreatur, exhaurientia verò aquam medicamenta vobis notissima sunt ab iridis quidem succo inciperem, & à brassica marina succorum vtriusque an. ℥. i. cum rhabarbaro, & melle rosaceo solutiuo ad elateriũ ascenderem, & etiam ad gratiolam dictam herbam ob seruatione illa, vt herbæ essent recentiores, elaterium uero minimè, quoniam recens opus turbulentius facit, cõflarem potiones ex his cum eupatorio, cetrach, ebulo, rhabarbaro, cinamomo, & simili alio compositis, ne visceribus infirmus solatium sub eorũ agitatione deesset. Vidi ego aliquẽ ex vsu veratri nigri assiduò, quod aquæ C potandæ quotidie incoqueretur ab hydrope ad tempus liberatum, vidi alium per stibium paratum, vt vulgo solet. Sed audistis iam quid noui afferat is nuncius de nobili muliere.

Suppressam ei vrinã esse, & cupientem maximè mingere vrinam emittere non posse, sub eoque agitari dolore non mediocri. Vidi ego id factum ab humorum frigido maximè genere, forte id ex vteri procidentia prouenit, forte vterus ex prouidentia inflammari potuit, ac tumens collum vẽsicæ occludere, forte ex nimia vrina, & tensione membranarum cum omni aluo facto emitti non potest, quare mulieris aut alterius manu egemus, ut digito muncto molliter tractet uterum, sursumque propellat, quo faciẽdo tum vrinæ viam faciat, tum, quid sub sit mali dignoscat, vel vesicam comprimat.

D Vrinam in vesica esse non dubitarem cum meiendi cupiditas eam uexet, propterea, in hac opera vrina exeat ego dicta siringa vterer ad eam educendam, quod tuto in muliere fiat. Ea uia aperta ad aquam ex abdomine hauriendam quoque esset vtilis adhibito vsu earum rerum, quæ vrinam citant, in quibus mihi supremum locum cantharides haberent eo modo datæ, quo Hippocrates solebat in minore tamen modo, vt duorum granorum pondo non excederent, & cum aliquo eiusmodi coniungerem, quod uim earum moderetur, iuuaretque, vt esset terebinthina resina & his similia.

Terebinthinam quidem mouere vrinam retentã expertus sum. Vidi etiam apertam urinam à succo recenti iridis. Et quã maximè exhausta aqua à rhabarbaro non non discederem, ut uisceribus amicissimo, & solatiũ plu E rimũ afferente, quo nihil facilius uiscera põt restituere.

Vsu supradictorum minxit, & spatio subinde trium mensium ita detumuit venter, & benè habuit ex eorum vso, ut sanam se putarit. Vinumque accepit quarto tamen inde anno in idem recidit, & interijt.

Ad Serenissimum Ferrariæ Ducem de sorore eius ægrotante.

CONSVLTATIO CCCXXXIII.

Serenissimæ Ducissæ nostræ ualetudo, de qua credo antea T. C. fuisse scriptum, nunc in eo est statu. Cathar-

tharrus decubuit ad sinistras costas occupās eas omnes à clauicula vsque ad ipsas mendosa dolore acri, atque vehementi, qui vel tempus ipsum eiusdē lateris in capite afficit, aliquando mitescit, nunquam penitus quiescit, ex quo calor quidam intus toti thoraci diffunditur. Febris, quæ ante dolorem cæpit, leuis est, & quandoque adeo mitescit, vt vix vlla ex pulsu percipiatur, sub eo dolore etiam interea vehementissimo, & spiritu admodū crebro, & angusto. Quę febris bis die videtur accedere mane scilicet, & vesperi, cum ijs horis leuē frigus percipiat, quod tamen frigus alijs etiam horis ex doloris vehemētia efficitur, nam sæpe ei extremæ partes refrigerantur. Somnus demum valdè impeditur, præter hæc vix aliud quidpiam molestum. Vrinæ multæ sunt, ac crebræ, earum plurimæ aquosæ, aliquæ vix citrinæ cernuntur, omnes pituitæ multū continentes, aliquæ cum ea aliquid coctionis, nonnullæ non parum etiam arenularum. Pulsus minimè crebri, & sæpe rariores, si eiut naturales pulsus benè memoria tenemus, moderatè magni vix inęqualitatem febrilem referentes; sub febri quidem certe veloces. Hactenus pleuritidem, aut inflammationē omninò subesse non possumus iudicare, ex dolore tamen, cuius vis attrahendi est, facilè futuram timemus, vix adduci potuit, vt aliquid sumeret, quod aluum moueret, hodie tandem mannæ ℥.3. accepit. Mittendi sanguinis esset consilium, at priusquam accesserit Feraria chyrurgus incisionē venæ admissura certè non est. Ego hesterno vesperi acersitus primum sum, & tunc febrire euidēter reperi, hoc mane leuissima erat febricula, dolor tamen vehementior. Ipsa Excellentissimum Brassauolum vehementer cupit, cui verò Serenissimæ Dominæ salutem præcatus T. C. manum humillimè deosculor. Pisauri 8. Calend. Maij 1576.

Pro Illustri Domina Lucretia de Marchesijs Montis cum Renato Brassauolo de febre continua longa cum sputi maxima copia.

CONSVLTATIO CCCXXXIIII.

Vere immensum pelagus mihi videor ingredi cum considero ea multa, quæ in diuturno hoc malo tibi narranda essent, vt non solum ea explicandi, sed vel ordinandi difficultas mihi non mediocris proposita videatur, vbi scio me neque omnia facile posse memoriter recensere, neque recto ordine exponere. Vtrumque tamen credo sine curationis detrimento tuæ prudentiæ euenturum. Hoc corpus calidius sua natura, non item humidius est, corde calido, & humido, iecore non ita humido, iam (quod accipere potuimus ex alijs) tres menses Illustris mulier febre laborat, quę diebus primis mensibus totis accessiones cum horrore, aut frigore certè haberet, quotidie verò facto leuiori frigore nunc tandem ferè nullo, ac sola compressione interdum lenissimo frigoris sensu accedit.

Post primum mali mensem catharrus accessis, cum tussi, & sputo, & illo valdè crasso, globoso, atque in viridem colorem liuescente, quod tamen duorum generum est, nam spumosum quoque aliquod est, interdiu verò etiam pars subruffum colorem haber, etsi lentum sit, sputum enim lentum & spumosum postea euasit, parum crassi liuescentis, aut ruffescentis habens. Superiori tempore vrinæ fuere admodum intenso colore, vt fuluum referrent & aliquantum etiam crassæ, interdum flauæ, ac tenuiores, semper quidem spumosæ, sæpè turbidæ, rarissimè tenues.

Nunc demum, vt videmus, flauæ ferè, aliquæ ruffæ contentis mediocribus, & concoctis. Alui feces ab hinc mensem liquidiores, molliores saltem erant, luteæ verò, A & lentoris plenæ quales in colliquationibus bis die descendentes, & admodum fœtida. Nunc magis mediocres omnibus suis partibus, & aliquando figuratę, semel die tantum respondentes.

Calor tactui semper acris, non tamen postea tactui cedens, sed durus, acrimoniamque semper seruans, & valdè multus, nullis horis cessans, nunquam per sudorem interruptus, aut remittens, vix tempore frigoris minor euadens, nunquam certè penitus mordacitatem dimittens, duobus tamen his diebus, etsi sub vi summa accessionis magnus, vehemensque esset calor, tamen iam tactu vinci sentitur, & minus duriter subsistere, & minus esse acris. Pulsus frigoris tempore valdè tensus, ac durus; vix tamen vnquam penitus mollis, vesperi tantum sæpè, & longè a frigoris tempore minimè durus, B nunquam valdè magnus, semper creberrimus, frigoris tempore, cum id accedebat, nunc verò sub compressione paruus, post verò summè in eodem ictu inæqualis, & subinde quiete externa breuissima, vt tactui sese subtrahere videatur, systole etiam celeriori, quamuis vtroque motu semper celeri existat. Calor arteriæ nunquam carnis calore maior. Infirmitas, aut debilitas nūquam multa, aliquando tamen aliqua est visa, sitis continua non tamen intollerabilis.

Vbi mirum videtur, quod thorace, sic a catharro affecto non sit difficilior respiratio, quam videatur, & quod ea aliquando breuior, & minor sit, quam deceat sub febre, resonet tamen interdum catharrus in trachæa, quam verò spuat lentum quidem maximè, mirū itaque difficilem spiritum non esse, nam vel, dum in si- C nistrum latus decumbens, tussi magis molestatur, ac si pulmo ibi plenior fit, spiritus tamen interea etiam facilis est: præterea mirum quoque est, quod sub febre tam longa affecto sic pectore faciemque sæpissimè tempore vigentis febris maximo rubore afficiente, tamen corpore tenuiori nondum sit, ac videatur, & non deteriori carnium colore, non maiori cutis squallore mollis enim penitus ea est: Quorum omnium postquam ita certo constituta sunt causæ essent nobis discutiendæ; vt morbo aperto, & eius causis certa illis, & propriè aduersantia remedia possint inueniri.

Ante tamen omnia ea, quæ præterea circumsistunt huic malo, tum a natura corporis, tum a reliquis, essent proponenda, vt, quod corpus calidius est tum iecore, & corde, tum verò etiam capite, vt quod ætate est D viginti annorum, quod rheumatibus corpus fuit obnoxium, vt ad ischium etiam procubuerint, quod albis fluoribus a tenerrima ætate, qui etiam paulo ante aderant acriores, quod suppresis ferè mensibus sit, & cum ij procedunt malo colore sunt, quod febribus propterea crebro exerceretur, & quidem longis, & continenter affligentibus eodem, quo nunc modo affligunt, & multa alia, quæ, vt occurrent animo in sermone ego referam; ne nimius in his sermo esse videatur. Febrem ergo scimus esse, eique destillationem adiunctam.

Ex tribus verò generibus febrium duo nobis relinquuntur, quæ possint in hoc corpore subesse, nam ephemeram excludit diuturnitas quidem, & longè magis qualitas caloris, & pulsuum, & excrementorum, & mille aliæ res.

E Videndum ergo reliquorum generum febris, vtraque ne an altera tantum eam exerceat, & quæ. Vehementia caloris seu multitudo, quæ ob copiam effluxus est, a solidis esse non potest, & preterea subitus eius acutiei sensus non potest esse cum solida tantum exuruntur, ita ea indicāt omnino putredinem humorum subesse, a qua tum copia, tum acuties illa citissimi sensus existit, febrem eandem demonstrant pulsuum nisi celeritas quæ est solidis quoque incensis communis, at certè cum multorum inter se, tum cuiusque pulsus partium inæqualitas, ac præcipuè ipsius systolis maior celeritas, & externæ quietis breuissimum tempus, præterea accessionis modus cum compressione, excrementorum mutationes variæ, molestus tandem caloris

ris sensus ipsi ægrotanti, vna hæc omnia inquam putredinis hanc esse febrem declarant. Quæ vtrum cum febre ἐν τῇ ἕξει, id est in habitu coniuncta sit, omninò esset videndum, atque num tabis quoque aliquid subsit. Hic ego velim mihi occurreret, quotquot ægrotos vnquam curarim, qui & diuturnis febribus detenti, & corpore valdè extenuati fuerint. Memini mulierem quandam me curasse simili penitus genere corporis, & forma, atque ætate præditam, quæ continuis reumatibus tenebatur in oculos, sub alas, in mamillas quæ post sex mensium continuum laborem sub febri acriori, & extremam corporis tenuitatem ex potionibus guaiaci conualuit tum à rheumatibus tum etiam à febre. Alterius memini eiusdem certè ætatis, quæ meo quidem animo ex vehementi obstructione in præcordijs sita ferè quinque mensibus febre afflicta fuit, quæ etiam à cibo subito frigus afferebat, nunquam tamen corpus integrum relinquebat, extenuabat verò vehementer, quod generis calidi, & sicci erat. Præterea sudoribus incerta hora abundabat febrem non soluentibus, & cum curatione obstructioni vni adhibita conualuit. Hatum memini tātum Veronæ. At Pisauri memoria, quia recentiot, mihi maior esse potest, & quidem superiori anno equitis Liuij Passeris ægritudo multis nota fuit, febre continente, vrinis ferè biliosis, nunquam concoctionem præseferentibus, corpore penitus squallido toto, præter faciem, & præcipuè præter oculos, alioquin enim toto corpore reliquo cutis vna sine carne squallida, aspera, tensa ossibus obuoluebatur, qui post sex mensium febrem rhabarbari vnius vsu conualuit, quamuis conualescentia fuerit difficilis, & admodum longas superioribus diebus quoque socera Orlādi æconomi nostri Ducis conualuit, quæ vix ossa cum cute cōtinebat, & anno toto febri subiecta fuerat, quę ipsa quoque ex vsu rhabarbari seruata est. Hæc memoria cum ratione coniuncta facit, vt de tabe ego hic nihil verear. Nam prætereo, quod resolutio alterius cruris ex humore sit abundanti, alioquin ab ariditate febris potius conuulsio fuisset, vt in acutis febribus videmus, illud dicam tantum, quod, cum cutis mollissima sit, & bono colore tum manuum, tū faciei totius, cumque oculi bono habitu appareant, tabes hæc esse posse non videtur. Scio ego ex Galeno tabem habere sedem præcipuam in corde, cor verò vltimo semper squallere ob multam sui vim ad attrahendum, sic cutis & maximè oculi primum solent tabescere, qui facillimè non solum corporis, sed animi malis afficiuntur ob spirituum nimirum copiam, & pinguedinis mollioris rationem, vnde vel integro corpore, si quis in somniā sustinuerit, statim illi caui fiunt, & minus nitent, maloque colore cinguntur, quid tabis modo in eo corpore esse potest, in quo pinguedo in parte illa cumulatissime sit? in cauitate inquam oculorum, quæ nisi pinguedine sit referta, oculi penitus caui fiunt; & tanto facilius reliquis pinguedinibus ea consumitur, quāto mollior est omni alia, tam verò squallorem cordis sentit, quam oculi cum corde semper afficiuntur, vnde si illa vt cernitur, superstes est, quomodo velimus alias esse consumptas? si extrema mollia, & bene nutrita beneque nitent, quomodo Cor contabuit? at ex carne corpus vides, certè id necessario fieri videmus etiam corporibus minimè tabidis, minimè sub morbo periclitātibus, nam carnes multæ sunt vitæ minimè necessarię, quæ abundantiam nutrimenti sequuntur, & item pinguedines multę vbertates alimenti sunt, qua deficiente deficiunt, non ita pinguedines, & carnes corpori sustinendo necessariæ, quæ etiam solent esse solidiores, vnde Hippocrates cauitatis oculorum pręcipuè meminit, cum notis tabem cordis significantibus, pinguedine verò oculorum superstite est signum carnes quoq; tantas superesse, quantæ faciunt ad corporis vsum, & si etiam corpus sæpè excarne videatur, nam corpora mortuorum vidimus, quæ consumptissima viderentur

A tamen neque iusta carne, neque etiam pinguedine carebant: præterea verò huius ægrotæ pulsus non semper durus est, sæpeque si non mollis, saltem durus nō est; neque tam imbecillis, quam ad tabem sequi esset necesse. Ergo non vererer aliquid à tabe nobis negotij imminere, atque ita restare, vt videremus, an aliquid febris ἐν ἕξει existentis, hoc est illud tantum subsit caloris febrilis in cordis corpore, quod sine tabe esse posset, genus, vt facillimū curatu, ita cognitu difficillimum, præcipuè, cum putridæ febri coniunctum sit. Qua in re inuestiganda si minus quam vellemus comperti fuerimus id æquiori animo ferre debemus; quod eius curationis facilitas parum operæ medicæ requirit, dummodo putrida febris iam notissima curetur, tantundem enim esse opottet necessitatis cogni-

B tionis, quantum requiritur operæ ad curationem, sed parum admodum operæ, ergo parum rei necessariæ erit præteritum, si eius cognitio nos effugiat. Ac fortè non tantum hic laboris esset suscipiendum, nisi ea inuestigatione notum futurum esset, quantum securitatis, aut timoris ex ea coniectura in posterum habere possimus, & quantū periculi, ne in tabem corpus labatur. Ergo aliquanto signa febris huius expendamus, & an ea communia sint cum febre, quæ in ἕξει est posita, an verò contraria, discernamus. Celeritas pulsus hecticæ febri cum putrida communis est, at firmitas, & vis eius hecticæ non congruit, nam, si cordis corpus ipsam in se ipso sit ita mensum, non potest tanto excessu qualitatis vires suas retinere, si meminimus eorū

C quæ ex Galeno plerisque in locis habemus, præsertim tertio de causis symptomat. cap. primo, calorem hunc ergo febrilem esse in cordis corpore conceptum, qui igneus cum sit, sine siccitate esse non potest, ita verò in sedisse in habitu cordis, vt ablata putredine possit sustineri, & vires cordis sub eo tantas, quantas videmus retineri, ego non possum animo percipere, quin ob hunc calorem cor affligi tam à putredinis altero calore necesse sit, vt vita iam extincta fuisset, nam mutuum esset duorum calorum augmentum ob duplex malum quod mutuo maleficio increfceret, neque sic debilitatum cor à suo potuisset tamdiu fetre putredinis calorē sine syncope, & etiam morte, imò suo calore tam attraheret, tantumque putredinis alliceret, & humorem vt penitus iam suffocatū fuisset, verum, vbi fuit febris

D ardens, qua cordis corpus sit incensum, à qua non potuerit per respirationem sese defendere? nonne posset esse crebrior respiratio quam est? si nō satisfecisset cur crebrior non est facta? etenim Galenus semper ardentis febris diuturnitatem adducit, cum ex febre putrida hecticam facit. Præterea, neq; duritiē pulsus seruat vllam, quam igneus calor ipso cordis corpore depascendo, tum cordi, tum arterijs facilius inducit. At illud à cibo refrigerari, & post horam, aut duas calefieri proprium est hecticarum febrium indiciū. Dico ego calefieri, tūc quidē, at nō refrigescere illarū esse proprium, calefieri ita, vt accessio noua sine vlla quidem cōpressione nedū sine frigore aliquibus videri possit, hoc à cibo vna, aut altera hora euenire hecticarū febriū est proprium, hoc ita dico cum Galeno primo de diff. feb. ca-

E pit. 9. & 10. vt rectè illud distinguatur, nam vel sani, & bene valentes homines à cibo pulsus mutationem in maiorem celeriorem, & crebriorem suscipiunt, & lōgè magis in ægris, & maxime obstructione, & febre laborantibus, atque hactenus proprium harum febriū id non esset, proprium tamē erit, & peculiare, si certis suis finibus id circūscribatur, quod post duas circiter horas à cibo fit tantum augmentum in pulsu, & calore, vt accessio noua videatur. At hic ita habet. Minimè verò, nam scio ego accessionem interdum tantum à cibo accidisse, quoniam accidit ea hora cibum dari, alioquin etiam ante cibum accessisse, neque post quemque cibum euenire solere, nam à cæna cum plus etiam cibi accipit, quam in prandio, id illi non eue-

nit, etsi videatur aliquando, id non ratione cibi, sed ratione temporis accessionis fuit, quæ cum cõpressione, & aliquo etiam frigore fit, quod hecticarum non est. Sed cur accessio semper cibũ proximè sequitur, nisi .n. cibus multo post differatur, sed p tres horas ante accessionẽ detur, accessio statim præsto est ante horã solitã, quæ si cibus non sumatur, hora solita venit, ergo cibus accelerat accessionẽ, cur verò id fieri putemus dicere fortè non est differendum; Nimirũ qđ id nõ cordis, sed venarum mesenterij causa fit. A cibo enim ea hora sumpto, dum materia iam in hypochõdrijs parata incipit putrescere, dũ copiosior est, & magis lenta, & crassa, viasq; magis occupat, tunc cibi vapor vias illas occupatas subiens æstũ in illis angustijs concipit, aliquas verò ẽt materias torrefactas ob moram in eo calore habitam irrorando in maiorẽ æstum effert, & ita vel prima occupatione cibi fracto earum calore, ac fere oppresso, occupatoq;, vel maiori incitato calore sãguis illuc vndequaq; accurrit, & corpus relinquit, & sic fit refrigeratio, deinde, superato eo humore calor feruẽtior in totũ corpus effunditur, & sic febris tũc maior euadit, nõ fit verò hoc à cœna, sed à prandio tantũ vno, vel ab altero aliqñ etiam cibo, quẽ meridie accipit, qm̃ illis horis, cibus iam materiã congestam nõdum putredine digestã extenuatamve inuenit. At hora cœnæ, viæ non sunt tam occupatę digesta iam illa extenuata, & penitus calore cõprehenso, quid verò cibus id possit efficere vijs sic occupatis, apparet ex eo, qđ idem videmus in hypochondriacis obstructione, scilicet hypochõdriorum oppressis, vnde in alijs quoq; ægrotis, & febrientibus, quòd minimè hectici essent, hoc obseruare potuimus, hecticæ igitur hoc nõ est, tum quia non ad oẽm cibum sequitur, tum quia cũ compressione est. At diuturnitas mali tam calidi febris tam acris, si non ardentis, cur non necessario cordis corpus incenderit? Iam dixi, quod alias diuturniores febres vidimus, quæ tñ hecticæ factæ non sunt, neq; ardens febris hæc fuit, quæ necessario id fecerit natura interea instrumento oĩ ytenti ad cordis corpus ab incendio defendendũ, qđ instrumentum nisi satisfecisset, densiorẽ respirationem, & contentiorem vidissent, non est admodum densa, aut contensa, ergo hæc, quantacunq; sit, satisfacit, & pulsus ẽt densior certè esse posset, imò, vt dicebam, tam acris calor iam cor extinxisset, si ipsum quoq; incendium contraxisset, per quod præterea attraheret ad se oẽm mali occupationẽ, quare contento satis, & valẽti ictu pulsus, neq; duro nõ possumus hecticã existimare: non cogimur verò causa nulla valenti precedẽte, nullo signo necessario, atq; ita, quoniã, quę assertionẽ facerent eius febris nõ adsunt, subesse illam affirmare non cogimur, & qm̃ quæ ei repugnant, adsunt, cogimur penitus negare. Quare restabit vnum tantum febris genus, scilicet putredinis ipsius, considerandũ, & catharrus ipse. Primò diuturnitas crassitiem humoris denotat, deinde tangentibus, tanta acrimonia caloris, tam subita, & perseuerans bilem crassam, nõ pituitam per se putrescere ostendit, celeritas etiam pulsuum eandem humoris qualitatem, densitas verò, & inæqualitas in eodẽ ictu crassitiem. Vrinæ antea crassiores, flauæq;, & aliquando fuluæ, nunc post concoctionem quandã meliores quidem, sed tamen biliosæ sunt non sine crassis sedimentis sæpè, fęces ẽt biliosæ, tamẽ lentæ propter bilem crassam ob pituitæ admixtionem: Sudor nullus crassitiem quoque demonstrat, longitudo accessionum pariter. Sitis etiam bilis est, & salsioris pituitæ, caput non dolet, quoniam firmius est nunc, & susceptam sub specie alimenti materiam, excerpto sibi per coctionem alimẽto excernit, & per catarrhum, vel luteum demittit, vel etiam virentiorem, non tñ amarum, quoniam color ille, si a bile etiã sit, non à pituitæ concoctione, etiã in pleuritide eiusmodi sputamina Medici biliosa solent appellare, quasi

A amarorem bilis deponat ob maturitatẽ illam, & permixtionem cũ pituita sub putredine, seu maturatione acceptam, tertia quadam concoctione in qua potius salsa, quàm amara excrementa fiunt. Forsan color ille potius pituitę eueniat à pinguedinis aliqua portione colliquata ob caloris febrilis vim, siue qđ pituita propter diuturnitatem, cãdorem, vt solet in naribus, etiam in pulmonibus amittat. Somnus etiam satis conueniens, quoniam, vt dixi, caput sese tuetur, & alitur, & pituita subest. Putrescẽs materia hæc est, nempe bilis cum pituita, quamuis enim quotidie accessiones fiant, possunt admixta cum bile fieri, pares verò illæ fiunt, quũ pituita vincit, & locus putredinis vnus est. Materia modo, & putredinis causa vbi est? vbi illa generatur? vbi illa putrescit? Bilis in iecore fit, plus
B verò quam deceat est, aut qm̃ viæ sunt impeditæ, & detinetur, aut quia plus generetur. Pituita in cerebro, & in ventriculo ipsa quoq; abundabit, iisdem causis, putredo ob obstructiones, aut minimarum venarum, aut meatuum inuisibilium. Quare obstructiones necessario suberunt, tum ob lentorem, tum ob crassitiem humoris factæ, & hæc non solum contentæ materiæ putredinem inducunt trãspiratione impedita, sed calore aucto etiam generationem bilis adiuuant, & occupationem copia continenda cumulant. Ventriculus interea sui natura imbecillior, & caput pituitam subministrant, nam ventriculus capiti per venas, caput per easdem corpori toto eandem pituitam reddit putredini magis idoneã, quo enim plus humor versatur in loco calido fit, aut melior, aut deterior, eodem
C enim in statu manere non potest. Mittit verò etiam (vt communiter sentitur) per trachæam ad pulmones, qui humor, nisi admodum exiguus lenis, & ἄποιος sit, ac lubricus à trachea non admitteretur; & quoniã tempore semper eodem, ijsdem cibis, intemperie verò potissimum, & reliquis omnibus manentibus idem modus humoris cõgeritur, propterea ijsdem fere etiã horis accessio renouatur, quotidie fit, aut quoniam pituita sua copia bilem in sui putredinem conuertit, aut quia duo sunt putredinis humorum loci bile vincẽte, quod nescio an sit verisimilius, species autem febris tunc esset ponenda in numero τριταιοφυῶν earũ, quas ponit Galenus præcipuè libro de morbi temporibus, ibi enim narrat, quod quandoque cum frigore fiunt,
D quandoque sine frigore accessiones aliquę etiam cum leui horrore, aliquæ non, & omnes in numero τριταιοφυῶν reponit.

Restat verò, vt de loco putredinis, præcipueq; affecto dicamus, quæ quidem res summam habet difficultatem, nam neque hypochondria videntur admodum tensa, minimè verò dura, pectus autem, etsi spiritum angustiorem habeat, tamen non adeo id apparet, vt tantæ febris humori conueniret, maximè quod materia crassior est, & eam, quam expuit crassissimam, lentissimamque videmus, vnde si locus tantæ putredinis esset in pulmone, superiores partes magis exercerentur dolore, insania, delirio, & spiritu feruenti, angustia verò spiritus insignis admodum esset & tussis hora frigoris, & accessionis incitaretur, qđ nõ
E videmus. Spiritus quidẽ angustior est sub frigore, at vel quibusq; locis patiẽtibus sub hypochõdrijs id solet euenire, & obseruauimus in his, quibus febres locum habent in pulmonibus, hora accessionis venientis tussim valdè moueri, & exasperari, neque verò materia hic tam est subtilis, vt circumlita parietibus, & tunicis asperæ arteriæ non respirationem impediat, non tussim commoueat, crassa est, medias capacitates occuparet, difficillimum spiritum, & tussim cieret.

Si verò illam non in arterijs asperis ponas, sed in cauo ipsius thoracis, tum difficultas respirationis adesset maior, quam sit, & per sputa non tam facilè promitteretur, antequam enim pulmones

esset

esset ingressa,& inde in trachæas perducta, longo labore tussiendi egeret. At in vasis pulmonis lenibus erit, quomodo? si enim in vena arteriosa, aut arteria venosa esset quam non videremus pulsus inæqualitatē? non solum in eodem pulsu sed etiam in συςεματικᾶ, & necessario quidem cum pulsuum intermissione, hic verò nulla intermissione, hic verò nulla intermissio est imo neq; in συςεματικᾶ inæqualitate multus excessus sentitur. Præterea pulsus minores essent sic corde oppresso ob viciniā, & cōpressionē eorū vasorū, & quāuis aliqui essent minus parui, tñ ferè parui, essent notæ multi æstus in respiratione, tum suspiria, spiritus verò feruens materia in locis calidis putrescente, & magnus non exiguus, vt videmus tanta putredine, quanta est. Adhæc ego vix credere possem non adesse aliquā capitis molestiam, vt dixi, non adesse insomnia, non adesse somnia tumultuosa, vel etiam deliria; Lingua quoque notam euidentiorem afferret, & feruidus spiritus per os. At tu pones in minoribus illis vasis, finibusque eorum, sed, vt iam dicebam, angustia pulmonis tunc ex illis efficeretur aliqua, quæ non fit, si materia esset in minoribus, minora enim vasa quasi corpus pulmonum contexunt, capere verò eam materiam non possunt, nisi multa, & eadem extenta sint, multa verò, & extenta vasa quibus contextus carnis pulmonum existit non possunt, quin pulmonem in sui affectum attrahant, & inde vrgendo eius corpus asperas quoque aliquanto arterias angustiores reddant, iam vt scimus, circuli vel annuli quibus asperæ omnes arteriæ constructæ sunt, integri non sunt, & dilatari, atque contrahi non solum in vsum respirationis, sed in similes necessitates possunt, & molliori suo latere facilè arctantur. Præterea esto, quod materia per vasa à capite, aut aliquo viscere per venas illuc perueniat, necesse est, vt per cordis sinus transeat, quæ, si exigua in copia, & semel esset traiectura, id facilè crederemus, si intermissionem pulsuum videremus, quam è pleuritide conualescentibus, & peripneumonia sæpè obseruauimus vna cum omni inæqualitate, nam cor vix quidq; alienum sentit, quin se se omni contentione tueatur. Nihil verò eiusmodi conatus contra materiam accedere potest, quin pulsum, aut pulsandi necessitatem mutet, aut impediat. At in tam longa febre, quæ à pauca materia fieri non potest, ponere traiectionem hanc quotidie per Cor, vel partes illud cōtangentes certè cum vitæ maximo dispendio id iam esset factum, consuescere enim non potest tanta materia, & tam aliena ab eo humore, qui cordi familiaris est, quin Cor summam labefactationem sentiat. At sit materia in venis thoracis, vapores saltem eius angustiorem spiritum redderent, aliquem sensum sui præstarent membranosis locis, quem nullum penitus habet: si verò non est in membranosis, vnde pulsus durities accessione ineunte? ergo non in pulmone ergo in visceribus inferioribus. At in sinistrum latus recumbens citatur magis tussis, hoc fit descensu viscerū in sinistrum latus vrgentium, nam iecur magis vrget septum transuersum, cū in sinistrum latus iacet, & ob id, quod ligamentis tunc maiorem laborem affert ab illis magis in oppositum pendet, quam, cum in dextrum, tunc enim suo loco residet grauitate sua adductum, nec septum tam vrget, in sinistrū ferè sua egressurum sede in insolitum latus vrgendo septum premit & tussim citatiorem, reddit, vnde minus etiam mutatum excrementum pituitosum spuitur, quam cum in dextrum recumbit, tunc enim diutius in thorace manet, & speciem mutat, & viridem colorem eo spacio acquirit. Ergo angustia spiritus per coniuncta viscera septum vrgentia fiat, in quibus visceribus, vel circum quæ, sunt duo putredinis loci obstructionibus humorum obsessi, quæ excretionem impediant, & ad congeriem eorum, & putredinem faciant, qui locus per duritiem pulsus initio accessio-

A num, & per excretiones biliosas, & fœtidas valdè indicatus est, nā neq; à spiritus partibus, prętereą à pleuritide durus fieret pulsus, ac si à spiritus partibus viscera affecta eas deiectiones effecissent, mortem iam id attulisset, aut salutem. Ergo suo affectu viscera, non alieno affecta id fecere, locus verò spiritus consensio potius viscerū æger est, & effusam per vapores ob calorem materiā suscipit, calore quoq; affectis pulmonibus attrahētibus, vt variæ materiæ colores sputa referunt, vt vt colliquata varia materia attrahitur, & illuc amandatur. Quibus sic positis, & tactu ipso dextri hypochondrij si non durioris, saltem plenioris cōfirmatis, non obstat, qđ color corporis luteus nō sit, cum obstructio nō eas vias impediat, qua bilem expurgāt, & in intestina demittant, sed circū fibras extremas iecoris bilem tantā, & pituitā concludant, quanta febrē

B hanc efficiāt. Febris ergò, & putredo, & cā est hęc, cuius vehemēs certè natura est, mos non malignus, motus non admodū velox. De viribus nō differam, qm̄ tactu illę sunt cognoscendæ, illæ quidē morbū posse superare vidētur, nisi casus aliquis suffocationis cōcur su humorū intercidat, nos eorū excremētorū iam coctiones videmus, vnde iecur, & vētriculus melius habēt, neq; verò pulsus sunt imbecilles, sed satis cōtentioris habēt. Capitis vis, quę tñ vix quidq̄ prętat huic sanescēdi officio pręter motū vnū respirationis, tñ ipsa quoq; firma satis est. Vnū crus est imbecillū, at hoc non à febre, sed propria eius rōne euenit, & rheumatis susceptione. De morbi motu, & tpe id restat, quod

C abhinc octo dies coctionem in oībus excrementis, & vrinę copiam videmus, hodie verò ēt aluus est citata. Ad remedia ergo, & nostrā operam indicandam. Hic febris, illic putredo, inde putredinis causæ, obstructiones præcipuè sunt vna conferendæ, & cum oībus ijs ægri vires. Videntur verò obstructiones, & materia obstruens in febre putrida principem locū tenere pręcipuè, qđ materia obstruens eadem est fere putredini subiecta, vel saltem sui intēperie materiæ generandę, aut suo impedimento cōgerendæ est causa. Igitur, vt, qđ factum est tollatur authore Galeno, qđ futurū est, vt faciat, aut augeat, auferēdū. Primò bene fecit Medicus, qui initio sanguinem misit, qui deinde detergētia, & materiā mitigantia, atq; præparātia exhibuit, postea fortè aliquibus coctionis signis euidētibus illā

D imminuit: quo fortioribus detergentibus, & aperiētibus esset locus, q̄ si corpus vitiosis, & multis humorib. refertum reperiant, solent potius trudendo materiam ad ambitum, & minores venas obstructiones augere, quas alioquin tollere nata sunt: Nos verò, cum iam duos menses laborātem acceperimus, & aluo satis citata, & fetente ex consilio Galeni ventriculo, & visceribus voluimus cōsulere, ac, quod Gal. facit per absinthium vnū bilem educendo, & ventriculum cōfirmando iecurque aperiendo, nos per rhabarbarū fecimus minus siccum, ac minus calidum quā absinthium sit, non vnā bilem, sed pituitam, quoque educēs, & visceribus oībus idoneum, tum confirmādis, tum verò ēt expediendis, vnde bis eius opera vsi sumus quaternorum dierū spacio interposito, à quo quidem leuius

E malum factum est, vt nunc videmus, nā febris leuior visa est, & ventriculus confirmatus, vt fœcum ostēdit insignis mutatio, quæ admodum correctæ exeunt, ac quandoque quales sani esse solent. Iecur quoque, vt vrinę significant (quæ iam cōcoctæ apparet, & in tāta copia, vt post coctionem iam excretionem naturæ cernamus) iuuatum quidem à rhabarbaro, & ad obstructiones expediendas, & coctiones etiam moliendas, valentius est: à potionibus verò etiam primum ex cicoreo, betonica, buglossa, fumoterræ, acetosa cū radicibus capparorum, & belenij, vt etiam sputi cum prouisione viscerum ratio coniūgeretur, syrupis violaceo, & de cicoreis cōposito, & oximelle obstructionum expeditio procurata est. Postremò ab his vrina-

rum emissio, quæ ex hordeo, & radicibus apij fiunt, non minus ab illis, quæ medio tempore, & cum rhabarbaro secundo sunt datæ ex glicirriza, cicoreo, gramine, & apij radice: Quæ cum bene fecerint meo quidem animo iã esse videndũ crederem finẽ huius excretionis, anteq̃ aliud quidquã moliamur, Nã deinde pro rõne virium, & successus morbi varia erũt administranda. Longis febribus vtilissimam esse obseruant Medici sanguinis missionem ex vena saluatella dicta, ex qua, & maximè à visceribus, obstructionibusq́; retrahatur materia, & minimè viribus officiatur, id nos poterimus tentare, bipartita missione, nisi aluus citatior fuerit, à qua sanguinis missione validioribus abstergentibus, & aperientibus vtilius vti poterimus. Nam cum semper ẽt, atque ẽt materia accedat ad obstructiones, illa per hanc detractionẽ auertitur: proponuntur hirudines hæmorrhoidibus affigendæ, quæ cũ melancholicus humor infestat, & à capite reuocanda materia est, & vires sunt retinendæ, benefaciunt, sed per hirundines hæmorrhoidibus datas ego cũ minimo sanguine crasso plurimũ sanguinis tenuis exire semper obseruaui, nos verò contra egemus tenuiori sanguine, crassum verò potius volumus expellere, cui non solum feramen hirudinis nõ possit satisfacere, sed vel incisio latior facienda sit. Catarrho ẽt erit prouidendum vna, & humoribus, qui crassiores relinquentur, pręcipuè verò hoc fiet, si cũ rhabarbaro agaricus coniũgatur, vnde febre, vt speramus remissa pilulis de tribus vtemur, aut saltem rhabarbarum, & agaricum in aliquo ad id parato liquore, macerabimus, & dabimus liquorẽ in potione. At interea, vt dixi dum natura in vrinas propensa est, eam potione iã instituta iuuabimus ex iure pullæ incoctis hordeo, & radicibus petroselini, & melonis seminibus in eodem liquatis; per cibum ẽt similia ingerẽdo, vt asparagos, vt cinarram, & longè libentius ea, quæ refrigerandi vim habent, vt melonum semina omnibus modis cõfecta; febris enim est iam sui vetustate non negligenda, sed idoneo ciborũ genere refrigeranda, vt ptisana quoq́;, vt lactucis mollioribus, vt cucurbitis, vt borraginis floribus. Qua febre refrigerata credo pulmones non esse amplius materiã catarrhi ad se attracturos. Viribus verò consulendum est, cũ & longus morbus sit, & potius declinet, quã increscat, contuso, vel stillaticio carniũ pullarum gallinacearũ liquore, quæ pullę hordeo nutritæ sint. Sputũ iam facilè est, & lõgè melius, quam antea, tñ lambendum detur, quod spuitionem expediat, vt, quod iam paratum est, ex radice tussilaginis, pineis nucibus, succo vuarum passarũ glicirriza, oximelle, & oleo amygdalarũ dulcium cum croco. Non prætereantur iuunctiones iecori idoneas ex vnguento sandalino, & obstructionum causa etiã addito quopiam digerente, vt pinguedine aliqua, & chammemelo. Ventriculo ex masthichino oleo vna cũ rosaceo, & spicato ad altiorem penetrationẽ, pectori ex oleo violaceo, amygdalarum dulcium, & medulla vituli, & ẽt fortiori, anatis. Dorso oleum violaceum ẽt inungerem. Mensibus ciendis quoq́; suæ potiones suo tpe, & quidam proponunt ex farfara, atque ex pastinaca. Sed sunt multa alia quorum vsus notior est. Frictiones ad digestionem necessariæ producantur, donec in meliorẽ statũ sit restituta. Vnctiones sub his adijciantur præcipuè verò adiecto chammæmelo secũdum Gal. ad iecur molliendum cum sandalino cõposito ad robur eius sustentandum: Catarrho deriuãdo apophlegmatismata palato adhibeãtur ex puluere staphisagriæ, veratri albi, & sinapis cũ melle rof. & similib. pectori quoq. fortiora linimẽta adhiberi poterunt. De cauterio brachijs admouẽdo nondum ego cogitarẽ, cum sperarem febre tollenda catarrhum iri sublatum, qđ longis febribus excitatum multoties vidi. De ratione victus id sat sit, quod ptisana, qđ vinũ aquosum ad expulsiones oẽs promouendas, quod la-

A ctucæ ẽt crudæ si tenerrimæ sint, erunt vtiles, nã magis refrigerant, etsi minus nutriant, coctio siquidẽ frigidiora reddit tẽperatiora, & austera mitiora, pira .n. minus adstringentia facit, vt quędã temperata reddit calidiora, mel enim amarum tandem reddit, lactucas aquoso quodã humore priuat, excremẽtitioq́;, reliquũ cum terrena parte melius commiscet, & ad alendum oportunius facit. At frigidiorẽ reddit lactucã coctio, qm̃ digerit spiritibus, & tenues quasdam partes caliditatem habentes, certè verò si aliquę illæ sint, nõ tantæ sunt quantæ aquosæ, & frigidæ, quas coctio dissoluit. Stillata etiam caro cũ eiusmodi rebus putatur magis, & citius penetrare, quare sub timore tabis vtilis futura est ducenda, contusum etiam lutei ouorum cibo necessarium est, quoniam parum comedit.

B Hæc mulier multo spatio post suffocatione extincta est, cum bis summos labores ei spiritus angustia, artulisset fortè pulmonibus ad se materiã à toto corpore sua laxitate, sua agitatione, & intẽperie calida attrahẽtibus, qui pro genere materiæ, vel duri inflãmatione fiunt crisim peruersam recipientes. Vel vena arteriosa glutine solido cõpleta alimento priuãtur, quę in multis cadaueribus sola febre consumptis vidi.

De Petri Philippi Baldasini morbo ad Herculem Brancucium Senogaliæ Medicum.

C

CONSVLTATIO CCCXXXV.

VT potui ex tuis literis cognoscere, huius adolescẽtis caput valde humidũ effectũ est, & multo humore refertum, nã somni actiores, lõgioresq́; memoriæ infirmitas, in vertiginemq́; ex aspectu rotatũ procliuitas, lachrymę, põdus capitis, catarrhus mõ insipidus, mõ salsus, oculi dextri grauitas, dolor, & aciei eiusdẽ hebetudo, difficultas eloquẽdi sunt huius mali notæ certissimæ. Notã verò ẽt præbent eiusdem mali causę, vt aer romanus, tũ loci, tũ tempestatũ præteriti anni rõne grauissimus, & humidior potio aquæ, cui

D non cõsueuisset, & demũ studia vehemẽtiora, qui capitis affectus, si cũ cerebri intẽperie humida calorem haberet adiunctũ, sanè non per infirmitatem actionũ cerebri se se ostenderet, sed potius per aliquod vitiũ deprauatius, & valentius. Vnde quicquid ruboris in fronte est, id non sine mixtura pituitæ esse est credendum sub sole, aut aliqua alia causa extenuatæ illucque cum sanguine euocatæ. Caput siquidem sic imbecillum factum ex sanguine, quem in suum alimentũ attrahit plurimũ recrementi ꝓcreat, qđ ei facilius factũ est, quoniam idem sanguis etiam non omninò bonus à iecore permittitur, nã ventriculo per studia, & vsum aquæ refrigerato chylus non facilis mutatu subministratur, & ideò crudior ex eo sanguis exprimitur, ex quo caput facilius copiam excrementi congerat; cum

E suapte natura pituitosam materiam attrahat, quod per catarrhum quidem demittit, ac in oculum etiam aliqua causa imbecillum. Vbi prima causa in generatione huius mali est ventriculi refrigeratio, deinde materia inde per venas in caput progressa, tertio capitis humidior, & frigidior facta natura; quarto recrementorum congeries, quinto catarrhus, & in oculum rheuma, ordinem hunc curatio sequi deberet. Ac ne molientes calefactionem vẽtriculo, aut frustra conemur materia frigida præsente, aut periculũ maius afferamus materiam calidioribus extenuãtes, fundentes, & mouẽtes, vnde in caput maiori impetu trudatur, propterea antequam ventriculo, atque capiti consulamus, prius materiam cogimur haurire.

Vnde

Vnde consultissimè factum est, à Medicis quod de missione sanguinis,& purgatione scribis. Restat, vt consideremus,an satis corpus,& caput purgatum sit. Alioquin enim saltem pilulis ex hiera, & cochijs corpus,& caput erit exonerandum,deinde etiã apophlegmatismis propriè caput exhauriẽdum, vt si puluis aut staphisagriæ,aut ellebori,aut alterius similis,si sinapis cũ melle rosaceo accipiatur, & palato oris ieiuno vẽtriculo admoueatur, quæ si nõ satisfacere videantur, fortioribus vti oportebit,& vesicas ẽt scapulis excitare vrenti aliquo medicamento, demum ẽt occipitio. Quibus sic pfectis capiti cura attribuenda lotionibus ex lixiuio,in quo incocta sit saluia,hedera, lignũ cupressi,asarium,agarici cortex,& id genus. Verum,qm̃ hoc tpe experimur quasdam potiones toti corpori expurgando per sudores,vna, & ventriculo cõfirmãdo, admodum valentes,vt essent ex aqua, in qua incocta esset saluia,betonica,cicorea,& lignum indicum cum salsaparilia,propterea per 30. dies post omnem aliam curationem ego tanquam efficacissimam hanc potionem exhiberem, modo, quo tuæ Excellentiæ notum esse non dubito, à qua potione finita lotiones capitis rursus repeti possent,præcipuè lixiuio illo ex alto in caput demisso. Quibus ea victus ratione adhibita,quæ idonea sit,sperarem suam salutem recepturum,in quá victus ratione ego vinum penitus circumciderem, & aquam ex saluia,aut rore marino,& cinamomo,& saccharo exhiberem,ne scilicet vinum in caput humores commotos nimium efferret.Sub finem tamen curationis vinũ quoq; putarem fore vtile corpore iam puro, & capite exonerato.Ciborum rationem ego prętereo quoniam non credo mihi necesse esse tecum agenti eã describere.Nosti calidiora capiti inutilia esse corpore non purgato,nosti lactis omnia nocua, cibos crassos purgando corpori contrarios; & carnes omnes veteres.Pisces verò humidiori generi affectionis vitãdos. Quare hic cum plurima salute finiam. Pisauri 4. Nonas Maij 1576.

Pro Illustri Guido Vbaldo Marchesio Montis de dolore ischiadico.

CONSVLTATIO CCCXXXVI.

Ætatis 31. annorum est, eo verò corporis genere vt calidius sit,quam humidum secũdum totius corporis compositionem,secundum verò quodque viscus meo quidem animo,(vt à iecore incipiã vnde humoris principium est,) iecur potius calidũ q̃ humidũ est, non tñ siccum dici potest,atq; adeò,vt mihi videtur,descriptũ à Galeno,si vllum aliud, eo capite, quo excellens calore potius,quã humore iecur circumscribit,carnes siquidem, quæ à iecore solent suã materiæ conditionem accipere in hoc firmæ sunt,& mediocriter abũdãtes,cutis nõ admodũ mollis,aut alba, firma potius,& mediocriter hirsuta,venæ amplæ, color aliquãdo obscuro rubore, vnde sanguinẽ potius crassũ, quã tenuem,aut aquosum conijciamus, cuius tenuior pars,& humidior item,& liquidior à calore consumitur,pinguis in pilos per fuligines conuertitur. Cordis verò genus in actiuis moderatũ,ac potius frigidũ mihi videtur,nã,etsi non adeo tardas videã mutationes, aut actiones,tñ tardissimum iræ motum,imò nullum, nunquã enim irascitur,quod si tantam viderem in animi motionibus tarditatem,aut par otij studiũ,frigidũ certè ipsum iadicarem,non timidus est,non nimis audax,composito animo ferè est,& moderatę celeritatis quod non solum caloris moderationem, sed siccitatis etiã aliquam vim.In passiuis ergo naturis, & in siccitatem quidem, & in eam minimum video excessum, nam vt dixi,neque in iram est facilis,ac,vt humidum dicas,non dicere tamen potes habere multam siccitatem cum facillimos mores, cum ingenuũ obsequium videam in omnes,cum quibus versatur,gratissimum. Caput,si cerebrũ considero,corporis est habitu tenuissimo,ac subtilis materiæ,qm̃ ingenio est singulari,intelligentia rerum,atq; artium omnium maxima,& facillima,in complexione verò qualitatum credo cerebrũ esse humidiori aliquanto,non ita tñ calidiori temperie,ac,si quid calidi excessus subsit, totum id à venarum multitudine quæ cerebrum calidæ à calido iecore profectæ ipsum amplectuntur,euenire, qui tamen adeo esse multus non potest,cum arteriæ à corde non valde calidæ sint, quin temperamentum potius retineant,calidior tñ sanguis,& venarum genus in capite sunt,quorũ calor,si arteriæ conspirarent,suas notas apertius ostenderet,nã obsequium illud in sermone,& ἀρεχία nõ tantum caloris effectus est,propter opinionis mutationem,quam cordis moderationis,& facilitatis in moribus.De ventriculo non multa habeo,quę dicam,qm̃ si excessum aliquem haberet, aliquid proprij sentiret,hoc vnum habet singulare,quod difficillimè à medicamentis soluitur, quod cum non ratione angustiæ venarũ eueniat,calori ẽt,& siccitati potius, ac ẽt ex texturæ densitati ipsius.Calore enim nimium medicamẽta superãtur,& robore ventriculi densitatẽ maximè,& textura resistente motioni,q̃ dẽsitas ex cõpactione à calore exsiccãte facta euenit,cũ humidi excessus nõ sit.His ita propositis quæ causa, quoue excessus crederes euenisse hoc in ἰσχίῳ malum, vbi initiam constitueres?est dolor minimè acris annos durans,accessiones nunquã magnas habens, nunquã valdè subitus,quamuis à calidis irritetur, & sanguine vel protinus ab initio curationis ab eodem crure misso leuatus est, tamẽ etiam cerato oxicroceo plurimum leuamenti sensit, & longè magis quam à quacunque alia re.Crus iam ferè quinq; annos affectum est,quoq; anno per curationes melius habuit, & inde nullã habitus mutationẽ,nullam atrophiam accepit, quandã verò palpitationem secundũ crus totũ exterius sensit; is qui manũ ei adhibet,q̃ ipse,alioquin ait se interius nõ sentire sed torporem quidem facile eo crure toto subire.Ex quibus colligo ego humorem,qui subest potius pituitam quam aliud genus humoris referre.At pituita,vt fluida fiat,tenuitate eget, ergo humore calido, nunquam verò calido eget humore, quamuis aliquãdo ille in magnis doloribus per accessiones crescentibus accedat, nam omnis humor ad solidas partes sub forma vaporis accedit,& sub specie alimenti,quod roris habitu influit,sæpè defluit,belle verò hoc superioribus respondet.Habetote rationem meã.Diuturnitas mali carens acri dolore non potest calidũ humorẽ habere, qui,si subesset,spatio cõsumptus iã esset,& calorẽ infarctu illo maiorẽ cõcepisset,& putredinẽ, & febres concitasset.Verum calidus humor,vt bilis,erit pituitæ saltẽ adiunctus,vt ad locum illam perducat, atque accessiones doloris maiores faciat, cum inductus humor acris partẽ attingit.Præterea pars non videtur frigida,imò,& calida,& belle nutrita est, vt viæ omnes apertæ esse,& calor minimè fractus videatur, sed adhæc satis est,si arteriæ, venæ, & itinera inuisibilia carnium seruentur libera, & malus humor sub specie vaporis,& alimenti eo attractus,aut impulsus in cauitatibus frigidioribus articulationis insistere,& crassescere ponatur, quod si aliquid inde euaporet ad cutim, id sub ea subsistit in speciem crassioris flatus, & palpitationem illam infert, & sæpè torporem, cum ex labore motioneue affecti nerui illum vaporem attrahunt, quare pituitæ sententia mihi satis tuta videtur. At superius constitutis de natura huius corporis hoc repugnat,& quidem repugnare debet, cum constituta illa superius sint secundum naturam, quibus si hæc consentirent penitus laborem corpori non afferrent,afferunt, quoniam præter naturam sunt, & diutius durant, quoniam affectio à statu naturali incli-

inclinata non nisi longa opera, non nisi magna ope potest in eum statum, à quo longè distat, reuocari. Distat certè aliquid in hoc corpore longè à sua iam constituta natura, cuius ope fit his humor, quæ verò sit pars illa, quæ degenerarit, ex modo motu ipsius mali, ex materia eius conficitur esse caput, quod, quoniam proprias functiones perfectè edit, ideo illius aliqua tantum pars erit affecta, nam aliquãdo humerus eiusdem partis leuiter dolet, aliquando, vt nunc maximè fit, dorsum imum, & inde totum crus, qui modus denotat vias, quæ capiti subsunt demittendis rheumatibus idoneas, annectitur enim capiti spina, & commodè secundum ipsam rheumata descendunt, præterea materiæ genus iam ostensum tanquam pituitosum, non nisi in capite, aut ventriculo fieri potest, sed in ventriculo non est verisimile tam forti, vt videmus; ergo in capite. Iam modum videamus. Cerebrum tenuiori corporis habitu est, & tenuiori alimento opus habet, in ipsum crassior aliquanto sanguis attrahitur, venis capitis satis calidis non paruam eius copiam attrahentibus, atque cum humidius paulo sit, & tenuiori habitu ex sanguine illo plurimum recrementi in eo sit fit reliquum, quod excrementũ nõ potest non esse pituitosum, cũ à cerebro sit tractatũ, & transmutatũ; hoc verò excrementum, dum per vias ad id à natura destinatas demissum descẽdebat, nihil corpus affecit, at postea, vt accidit, retentus cerebrũ frigida qualitate affecit, aliqua saltem eius parte, & sibi incrementi recrementum causa fuit, auctum verò non potuit non aliquid mali afferre, & ita demissum secundum neruorum vias, & casu quopiam in minus robustam semel cauitatem coxendicis ibi subsistens sibi similem affectum induxit, & affectu eo debilis magis facta pars deinde ei semper recipiẽdo humori obiecta fuit. At cur non ante id effectum est? ætatis calor discutiebat, per ventrem fortè descendebat materia, & per alias vias, At spatio fortè ventriculus exsiccatior non tantum recepit, recepit verò Ischium. A quibus rebus iam facilè indicatas curationis partes accipere est. Discrasia est in ischio, & est à materia pituitosa cõseruata, discrasia est in cerebro, à quo humor suppetit demittendus per dorsum ad eam partem, hic morbus, & morbi causæ sunt. Cerebri ergo tum materia, tum discrasia amouenda, & ad vias naturales excretio reuocanda. Ischium pariter exhauriendum, & confirmandum. Materia ergo quamuis esset à discrasia, tñ ipsa prima, tanquam sine qua discrasia amoueri non põt, auferenda est; Sic ergo rectè instituta purgatio est à missione sanguinis ob corporis naturã sic constitutam vires enim sanguinem denotant tantum, quantus morbũ augere magnum possit, aut corpori curãdo, & diutius tractando medicamentis, & infirmiori efficiendo grauitati esse posset, ergo sine illius detractione corpus medicamentis purgantibus commodè non posset tractari. Inde pituita esset tum à toto, tum à capite deducenda ijs medicamentis, quæ vobis ignota nõ sunt. At quoniam neq; à loco affecto, neq; à capite purgantia eam facilè attrahent, ob id, vt caput exactè purgetur, apophlegmatismi, & errhina ex elaterio, & lacte sunt adhibenda, non tantum quoniam repletum sit admodum caput, cum sese continenter exoneret, quotum, quoniam naturalis via excernendi nunc est in vsum reuocanda, sumenda verò illa, quæ caput à discrasia in eucrasiam reuocent, vt essent instillationes aquarum incoctis medicamentis ad id facientibus, aut thermalium aquarum admodum exsiccantium, prius verò totum corpus exactè purgandum, imò ijs potionibus subiectis ipsorum pharmacorum purgantium vsui, quæ per sudores euocent omnem reliquum humorem. Quibus etiam quod in ischio residet extenuabitur, vnde per cerata, & vnguenta digeri facilius poterit, quare guaiaci lignum cum salsaparilla, vel horum loco lignum iuniperi, quod suo vapore in caput

A vtiliter ascenderet, vel chamæpitis vel hypericum, vel lignum pinus, vel elegma ex floribus perforatæ, aut rorismarini digestioni, extenuationique, & robori ẽt ventriculi faceret, ex quibus aliquod à nobis deligi poterit, à quo balnea adeunda proposita sunt, Villensia ad remouendam discrasiam vtilia, quæ à ligno induci poterit, & vias fluxioni impediendæ colligenda; aliquo robore inducendo, vt materia potius naturales vias recipiat, quam has insolitas, quod illis confirmatis partibus facilè eueniet, sic enim, & humor dissoluetur guaiaco post purgationes accepto, & partes confirmabuntur, ne amplius suscipiant per eas aquas epotas.

B Caput verò, & per purgationem corporis, & per aquas guaiaci satis purgationis habiturum est, & per stillã aquę tandẽ confirmabitur, qđ si aliquid in ischio reliquum fuerit, id tunc cataplasma ex helenio, & per cerata tutò euocari poterit, Hęc sunt quæ mihi suppetunt, reliqua à vobis expecto, vbi ego præferrem quæ magis in vsu sunt, & eo ordine darem quo proposui, vt thermales aquæ postremo loco dareutur, cum robur adijciendum non sit, nisi ab ipsa corporis purgatione perfecta, loco affecto postremò tantum potẽtiora applicarẽ, primũ verò oleum mastichinum, & terebinthinæ, stillatitiæ, deinde emplastra, & cerata. Nam vidi vel terebinthinam rudem maximè huic malo profuisse inductam, totam verò spinã inungerem, & crus, qua parte palpitationem illam sentit: Oxictoceũ tandem in aluta ex carro quidam vtiliter adhibuerũt. Lo

C tiones autem ex antiquissimo lixiuio, cui incocta esset radix cucumeris asinini vel cucumer ipse, radix helenij, vicissim, & altheæ, & reliqua emollientia, si subinde identidem imponantur cũ emplastris idoneis multum perfoderunt. Vidi cataplasma ex radicibus helenij totum diem in loco habitum ruborem, & vesicas, & febrẽ mouisse, & homines liberasse. Vidi alios per clysteres ex colocynthida curatos, quorum cuidam ẽt sanguis deiectus est, cum ad 30. semina colocyntidis incoxisset in aqua simplici, & eam per clystere accepisset, diu enim illam continuerat. Vidi curatos cataplasmate ex seminibus lini, & melle, post vniuersi corporis prouisionem.

Vix quidquam egit, & ita malum perseuerabat.

D
De tussi cum alijs affectibus pro adolescentula.

CONSVLTATIO CCLXXXVII.

HVic adolescentulæ continenter caput graue est, præcipuè in sincipite, cõtinua quoq; est spiritus difficultas, ac tussis. Spiritus difficultas accipit temporibus incertis incrementa, accessionesue, quibus febris adiũgitur, sub quibus verò accessionibus tussis reliquo tempore semper sicca fit humida, & liquidis primò, deinde crassioribus sputis, atq; his ẽt cum crassitudine colorẽ subuiridẽ acquirẽtibus, raro salitis, ferè sine vllo sapore existentibus. Sub ipsa aũt tussi præcordia ẽt

E dolore afficiũtur. Ab ipsa infantia huic caput semper fuit imbecillũ. Corpus ipsum prius scatebat vlceribus, & tũc leuius ipsa hẽbat, nũc sine vlceribus est, & grauius hẽt supradictis malis. Prius quoq; capillis abũdabat, nunc non ita. Menstruæ purgationes illi anno. 14. cæpere, parciores tamen processere semper, & nunquã non nigræ, quæ nil vnquam profuere. Antea etiam cutis corporis alba fuit, vt parentibus, & fratribus nunc ea ochrã refert. Gracile aũt corpus est, & ad tactũ calidius. Modo ipsa sub incremẽto maiori difficultatis spiritus est, & cũ febre pulsu non admodũ magno, veloci verò crebro: vrinis mediocri colore, & densitate, nullis tamen contentis. Quomodo ijs occurrendum sit ma-

sit malis, ostendent nobis causæ, & morbus ipse vna cum corporis genere, & cæli temperie. Ea itaq; perspiciamus. Tussis indicat malum esse in partibus spiritui seruiētibus, quod spiritus angustiam confirmat; atque si partes hæ non proprio, sed alieno casu læderentur, vt vicinitate, & connexione, tunc ea spuendi necessitas foret, minus sputi copia incideret, quæ cum in ijs partibus malum propriè esse, tum materiam habere significat: Num autem materia in ipsis nascatur intemperiem ibi nacta, an aliunde orta in has partes compellatur, id maximè decernit, quod incrementa, sub quibus sputa cernuntur subito fiant, nam si materia intemperiem sui originem ibi haberet, continēter gigneretur ibi intemperie accessum, & recessum non habente, & sputa, atq; tussis eadem semper essent, aduenient ergo aliunde necesse est, atq; cum caput semper graue sit, eandem sententiam confirmat, & locū, vnde venit ea materia designat, nihil impedit tamē, quin in vasis venosis, & arteriosis pulmonum, aut pectoris materia paulatim cōgeratur, & post cumulum certum intollerabilis suo onere facta intra pectus, & pulmones coniecta tunc molestet, & tussim maiorē, ac spiritus difficultatem moueat, & per sputa excernatur, dum enim in vasis humor est, quātumuis alienus, minimè molestus est. Sed eam materiam vasa generare non possunt, aliunde quidem massam cōgererē, nam sine intemperie sua insigni id non facerent, quæ etiam cum partibus, quarum ea vasa sunt, necessario communicaretur, sic pectus, & pulmones continenter materiam sibi grauem gignerent, & eodē modo tussis, & sputa fere haberent; Suspicio ergo, quod à capite materia mittatur, firmior est; grauitas verò eam materiam esse crassam testatur, quæ rursus in capite ne sit capitis causa, an aliena, difficilior dignotio est. Verisimile quidem fuerit tanto spatio caput eius materiæ consuetudine intemperiem excepisse, & iam eius gignendæ vim habere, & quamuis sua natura calidius fuisset, materiæque ad se adducendæ per calorem valentius, frigidum tamen genus iam contraxisse, quod inæqualis dictæ intemperiei sit, & à materia sustentatum; sic propria ratione affectum caput habendum; aliena verò etiam maximè, quoniam corpus totum nos videmus malis succis scatere, vt maximè è colore intelligitur, & diuturnitate scabiosi generis prægressi, & ex menstruis purgationibus mali generis, quæ cū parcè fiant, etiam corpus possunt magis implere malis succis, vt caput etiamsi bona temperie esset, malam tamen materiam in alimentum à toto corpore accipiens mala recremēta inde, & multa colligeret; Totum verò corpus non nisi venoso genere malè habente ita se habebit exustique humores à venis, & iecore calidiori venient, & crassi facti minus bellè per vterum expurgabuntur, vt nulla vteri causa menstruæ purgationes non rectè fiant; de vtero igitur nil dicendum est, sed de iecore, totoq; venoso genere, de capite, deq; pectore, & pulmonibus, quę totius ætatis labore non possunt quin propriam etiā intemperiem contraxerint, & in partem generandæ materiæ veniant. Sic partes affectæ innotuerint, geneta affectuum quoque plana fient. Nam febris, quę identidem abit, reditque ad constipationes, congestionesque humorum sequitur per flatu eorum impedito, & putredinis calor erit.

Capitis verò intemperies à graui, crassaq; materia frigidi generis fuerit, humidi autem non multum, cū somni neque arcti, neq; longi sint, materia enim habet admixtum etiam aliquid humoris melancholici, quæ verò intemperies, cum capiti natura calidiori acciderit, à materiaque conseruetur, si materia remoueatur, facilè ipsa quoq; corrigetur sine medico auxilio. Pulmonum, & pectoris intemperies, cum hæc res firmior sit, à tussi continenter facta iudicanda est. Ea verò cum sicca sit, à sicco aliquo habitu fiet arteriam irritante, eamq; exsiccante, adeò vt sicca potius intēperies aduentitia mihi videatur, frigida verò perinde, cum tempore sputi matura pituita, & lutea, ac viridis excernatur. At initio tamen harum accessionum maiorum semper tenuis, & insipida pituita eijcitur, quæ frigida, & humida videretur iam pulmones ad suum genus intemperiei deduxisse. Certè id fecisset, nisi maturatio sequeretur, nisi spatia longa interuallorū intercederent, quibus tussis sicca est, ijs enim fit, vt partes in suam calidiorem naturam reuertantur, cuius etiam calidioris generis causa laxiores fiūt, & accipiendæ materiæ faciliores. Iecoris intemperies calidior deprehensa est, si sanguinis genus, & virium illius respiciamus ex notis iam supra comprehēsis; Ventriculi tandem intemperies frigida humidaque intelligitur, qua crudi humores fiant, & materiæ suæ varietate, tum tenuem, tum crassam pituitam, rum melancholicam, & humorem generent varietate partium variam ab intenso iecoris calore formam recipiente. Sic à ventriculo iecur venas, & præsertim capitis pituita replet, medium verò corporis humore melancholico, sic à capite recidens in venā cauam pituita crassior à calore, & spatio semper effecta per easdem vias in pulmones, & trachæam arteriam defertur, per quas alimentum, cumque eo etiam facilius importatur, & dum manet sub calore partiū, semper magis mutatur, & crassescit, & exuritur, vt quandoque etiam salsa fiat parte sua serosiori halitus torrefactos excipiente, & fuligines è parietibus meatuū eluente. Expectant verò confluxus spatia non semper eadem ad sui motionem, quoniam congestiones non habent pares semper causas à cibis, & reliquis incidētibus rebus in victus ratione. Mirum autem est, quod color ille pallidus, qui declinare in viridem consueuit non præferat amarum saporem quem in spuentibus in dies luteam materiam cernimus non sentiri. Galenus vult id esse, quoniam materia pituita est, & colorē illum à partibus continentibus, & concoquentibus, atque ab ipsa concoctione nanciscitur, Cur etiam caput sua natura calidius nōn discutiat ipsam pituitam suo calore, quo illam etiam facilè ad se allicit, non est difficile scire, quoniam copia, & crassitudo pituitæ nimia est adeò, vt caput grauius reddat, præsertim, quod caput quoque imbecillum est, & meatus habet hac eadem materia obstipatos. Hic ergo ventriculo prima cura attribuenda, altera iecori, & toti venoso generi, tertia capiti, quarta pulmonibus, & pectori, ita tamen, nedum vni datur opera ea reliquis vnquā desit. Ventriculus initio leniter exoneratus, egebit postea assiduis abstergentibus, & coctionem iuuantibus, tam intus quam extra dandis.

Primum ergo propinetur mellis rosac. solut. mannæ an. ℥. 2. s. elect. indi maior. ʒ. 1. cum decoctione cinnamomi, & rerum pectoralium fiat potio; cui ego addidi exiguum illud electuarium, vt & flatus discutiat, & è venis circumuentriculum etiam aliquid educat; Videtur enim fuisse ab Arabibus compositum in eum vsum, & parum dissimilem ab eo, in quē hiera à Græcis fuit excogitata. Quod si in bolos accipere voluerit hieram ipsam nostris gustibus hoc tempore repudiatam, ego eam darem cum portione. Indi etiam maioris, & electuario lenitiuo, postea communē operam darem in ventriculo cum venis, & huius quidem abstersionem, & confirmationem vna procurarem, cum apparatu humorum, & viarum ad venas expurgandas; Sic ipsum oximel cum syrupis de fumoterræ, cicorea, & rosaceo coniungerem, quo omni generi humorum apta optio esset, & ne vtero oximelle officeretur. Sic enim lentori, crassitieique pituitę, & melancholicis exustis, ac calidis humoribus occurrerem; interea quidem sanguinem quoq; imminuerē, & venam ad talum secarem præsertim cum tempus purgationis instaret, quo in eā propriè partē materia reuocare-

reuocaretur, vnde malè corpus compleuit, talique interioris venam deligerem, quæ proximè ab vtero veniat, inde humoribus, & vijs paratis purgationem instituerem sena, agarico, rhabarbaro maceratis cũ spica gingibere, & cinnamomo in iure prunorum, radicis dulcis, passularũ, cinnamomi, epithymi, thymi, polipodij, & aromatum, Quam purgationem repetito apparatu maiori repeterem valentiorem, & cũ supradictis ellebori nigri radicum cortices præparatos adderem ad ℈. 1. vel ʒ. s. cuius vsum inueni semper satis tutum, & facilem, vt albi quoque ellebori efficaciam aliquanto minori modo dati. Et mirari satis non possum nostrates falsos Empiricos, qui ellebora exhorrescunt, & ad stybium confugiunt horrendum illud remediũ, quodq; forsan maioris efficaciæ certioris quidem non sit. Purgato corpore per aluum, & per vomitum, si veniat, nam per horam vnam, aut alteram à sumpta medicina probare soleo vomitũ, quò & multæ crassitudinis pituita eximitur, & corpus à vitio medicinæ liberatur, iam eius opera præstita. Corpore inquam sic purgato, si possem etiã ambitum eius per sudorem purum reddere, si in eos illa esset facilis, nisi cœlum hybernum prohiberet, id libenter facerem; Capiti postea curationem attribuerem, interea vẽtriculum non deserens, sed medicamento ex piperibus crasso modo tritis iuuarem. Purgarem autem caput per nares potius, quàm per palatum, ne secundũ cursum destillationis materiam mouerem, naribusque succum betæ, vel anagallidis, vel melicratum, vel dilutum sacchari infunderem; Aut pulueres inflarem ex amaraco, ex pipere, aut etiam elleboro. Ad succos verò etiam ciclaminis, & iridis accederem, nisi superiora sat fuissent. Alioquin vno aurãtij mali cortice, postea contentus essem. Purgatum diligenter caput exinde confirmarem oxirhodino idoneo, cum amaraci aqua, aut saluię, aut stœchadis iure, ne rosacei frigus nimiũ esset; aceti non dixerim. Si succus quidem limonis acciperetur, vt apud quosdam in vsu est verentes acriores aceti partes, non videntes, quod limonum succus altius non penetrat, tunc frigus quoq; succi eius têmperãdum iudicarem. Pectori, & pulmonibus interim non prætermitis, sed continenter iuuatis per potiones, & eclegmata ex farfara, capill. veneris, amygdalis, radice dulci, pineis nucleis saccharo melle, & melicrati potione. Tum malua, althæa, oximelle, cum materia glutinosa inciderit, semine vrticę, iride, helenio; Ficubus, & eius generis alijs: præ oculis semper habẽdo ne validius arefacientia dentur, nisi humidioribus mitigatę. Tum etiam, ne nimis liquantia, vt valentiora discretica, sed eatenus temperetur, quatenus necessitas extenuandi crassioris succi postulabit. Alioquin ea pectori infesta sũnt: Itaque ad promouẽdos sudores ego salsam pariliam, cum radice dulci componerem, vel chinam solam darem, quo pectori etiam prodessem. Placet vobis cõsilium exhibendarum aquarum thermalium. Ego certe tantum illas deligerem, quæ neq; tantum sulphuris haberent, vt iecori, capitique nocerent, neq; tantum ferri, aut calcis, aut calcitis, similisve rei, quo pectori officerent. Dixi.

Pro Gabrielli Martinenghio, cum Iuliario.

CONSVLTATIO CCCXXXVIII.

VIr arte hac nostra nobilissime, non erat opus, vt iudicium, aut consilium ex me requirerent hi boni viri, te habentes peritia, & doctrina eximium, & tamen mihi necesse est loqui, ne rogantibus optimis viris velle deesse videar, itaque vt superuacua illorum opera fuit me aduocantium, sic meum hoc officium iam erit mihi potius, quam ipsis necessarium, facile A autem erit subscribere his, quæ tu exposuisti, & confirmare, quæ à te dicta sunt, & propterea citò me expediam.

Sic est sanè febrem hanc incensam esse ob putredinem non extra, sed intra venas sitam in corpore pleno admodum, tum ob eius humidiorem naturam, & ætatem ferè inclinatam, tum etiam viuendi eius rationem largiorem, præsertim in potionibus meracioribus, & valentioris materiæ cibis, cui addere possumus omnium huius anni temporum tempestates humorem omnes præ se ferentes, vnde plurima sanguinis copia in calidioribus facta sit, pituitæ verò in frigidioribus, & in humidis minimè frigidis plenitudo summam magnitudinem attigerit. Quare, cum sit propositum, an aperienda sit vena, non aliud verendum est mihi, nisi quod morbus iam lõgius progressus est. B Nam quod attinet ad genus morbi, non vererer, quin eius magnitudo venæ sectionem postularet, neque enim propterea magnus non est, quoniam febris deliriũ non afferat, nam vidimus multos à magnis febribus sublatos sine delirio, vt etiam sine linguæ malo colore. Sæpè enim materia in corpore viscerum est, vel pulmonis, & propè cor, tamen non ipsa, sed tenuis eius vapor communicatur capiti, & linguæ. Potius verò cum lingua communicat iecur, per vẽtriculi tunicam, quam pulmo, vt multoties ego obseruaui, vti cum capite cor maximè, & pulmones ob communicationem maximam spirituum: neq; prohibere venæ sectionem ætas videtur, quãquam aliquid affert ad considerãdum in hac deliberatione propter C virium coniecturam; aliquãto enim vlterius progressus est, quam vires ferant facile hanc sanguinis missionem: propterea, cum necessariam ipsam existimem corporis plenitudine maiorem febrem, minante eam facerem ad manum postremam. Sic enim, & obfirmata ægritudo valentius extrahetur ab obstructis locis, & vires magis seruabuntur, & plenitudine natura exonerabitur, neque hoc differrem in diem sequentem, sed nunc prorsus perficerem.

A secta vena tertio die cępit conualescere.

Pro D. Ludouico Asulano cum Lando 1. Februarij 1571.

D CONSVLTATIO CCCXXXIX.

VIr arte nostra eximie, ratio corporis ætatis studijq; huius ægroti, & quæ extant in ipso, genus ipsius morbi, & causas demõstrabunt: vnde ratio omnis prædicendi, curandiq; ducẽda est. Corporis huius genus id est, quod ad humidum, calidumque vergit, nam molle est, & album non multa carne refertum, quo calorem potius vincẽtem, quam humorem indicat, propensum verò in scabiem, quæ ex multo retẽto pituitoso humore per caloremque salso facto, & sanguinem mordacem, & bilem crassam reddente proficiscitur. Cuius quidem scabies sanguineum semper colorem secum habuit, hæc humorum genera ab ętate ex adolescentia in iuuentutem trãseunte potest augeri: E Studij verò, seu vitæ ratio, cum negotij causa Venetias profectus sit, multa in itinere ex frigore incommoda, plura ex victu, laboreq; habuit, nam cibo largiori, & potentioribus vinis vsus est, quo contra frigus se se armaret, cruditates à pleniori cibo, à labore confestim post eum factæ sunt, & in venas eodem labore, & vini calore deductæ: ex quo, cum tandem veste grauiori se se liberasset, leuiori vrbana vsus, aucto etiam cęli frigore, eoq; summo facto, cutis adstricta est, recessereq; humores extimarum carnium introrsum, & obstipati vna cum alijs putrefacti sunt, febremq; incenderunt, maior siquidem cutis adstrictio est, quam, quæ in sanguineo corpore solet facere

pleni-

plenitudinem, aut in bilioſo ephemerã febrem, quare A parit, aut putredinem, & eorum humorum, quos vna cum ſanguinis ichore ſuperantes poſuimus.

Cum autem initio multa vis putredinis partes calidiores, tenuioreſque comprehenderit, tunc illæ valida naturæ vi ad carnes ipſas pellebantur, intermittebatque febris ſaltem primo die, ſequentibus verò, cum iam craſſiores humorum partes, quę tardius mouentur ad locum putredinis, & ad putreſcendum iam contagio afficerentur, difficiliuſque à natura poſſent loco diuelli, aut expelli, tunc minus rigoris, frigoriſque fecere, minuſque integrum corpus eſſe potuit, & tandem continua febris facta eſt, quamuis circuitus tertiani ſpeciem reſeruarit, &alternis diebus grauior, alternis leuior fit febris, quoniam bilis ferè alijs humoribus vi ſua, & ſi non copia, ſemper dominetur, ita B vrinæ bilioſæ, atque deiectiones viſæ ſunt, & pũctiones, circa cutim acri humore ſibi exitum quærente, qui ſi incitatius moueretur, ſi carnibus, ita occurreret rigorem afferret. Viſus etiam eſt vomitus bilioſus natura eodem tentante ſe ſe exonerare. Dolor aliquis capitis, non ita continuus, quoniam ſoluuntur facile tenuiores vapores; qui acres ſunt, tumentiores verò, craſſioreſque minus afficiunt, lingua etiam aridior eſt ob bilis putreſcentis anhelitum. Quibus expoſitis morbi genus poſtremæq; etiam eius differentiæ conſtare poſſunt, nam à mixto humore potius, cũ bilioſo putreſcente fit, & eo partim extra, partim intra venas, vt partim intermittens, partim continens eſt, quę poſtremo tamen eo, qui extra venas putreſceret, conſumpto futura continens omnino fit febris; cuius qui- C dem ſpatium ad quartum diem iam peruenit, ſi à primo febris inſultu incipiamus, & in augmento iam ſit, ſi vrinæ inceptam coctionem attendamus. Cuius verò exitus quiſnam futurus ſit, non facile definite prædicerem, cum vix vrinam viderim vnam, aut alteram. Sperarem quidem benè finituram, quamquam poteſt ſemper materia ad principem partem accedere, & putredo fieri vehementior, ac benignum morem in malignum mutare.

De tempore autem, niſi dicam ex præteritæ noctis, quæ fuit quarta, vrinæ, ſudore, deiectione, & vomitu, mihi indicari ſeptimam tanquam finem allaturam, ſi futura viſis ſit nil amplius haberem, quod dicerem de ſucceſſu. Curatio incepit ſero admodũ, & ab alui ſo- D lutione ex electuario lenitiuo dicto, cum diaphæniconis particula, vt calcari, & meo quidem animo hodie haberet alteram partem, quæ eſt chirurgiæ, quæ humorem per viam huic familiarem, & vſitatã educeret, ſcilicet cutim, ſcarificatione.ſ. & cucurbitulis, quas placeret, vt cruribus primo, deinde dorſo adnecteremus. Cuius rei cauſa ea mihi eſſe videtur, vt à principibus partibus ad exteriores lõgius humor primo extrahatur, deinde propinquius deriuetur, neque vt faciunt noſtrates Medici materia prius ad principum partium loca trahatur; quare quaternas femoribus, deinde quatuor dorſo affigerem: quod verò eſt reliquum, ſyrupis agerem ijs, quibus vehementiorem putredinem cauerem, &illam à principibus partibus, quibus timendum eſt, in quas ſi humor repat, malum E morem febris acquirit, tertia autem curationis pars eſt ipſius victus, quo ego, ſi longius ſummus morbi ſtatus abeſſet mediocri vterer, ne nimis tenuis vſus poſtea me cogeret adijcere cibũ tempore minus opportuno: ſed ſeptima, qua ſtatus ſperatur trium dierum ſpatio abeſt, propterea vereor, ne mulieres nimis ipſum alant. De reliquis ſuo tempore deliberandum poſtea cenſerem.

Quinta die exanthemata, ſeptima die delirium affluit, & vehementiſſima febris, quam non ſenſit, inde paulatim remiſſa eſt, & 14. die penitus ſoluta, cum per clyſteres pituitæ multum deieciſſet.

Pro nobili Verdolinia cum Laciſio.

CONSVLTATIO CCCXL.

CORporis, ætatis, & temporis ratio pituitæ pluri-mum in hoc corpore ſubeſſe teſtantur, idẽ confirmant ipſius ventriculi infirmitas, nauſea, & per vomitus multos eiecta recremẽta, idem vrinæ craſſities, & febris calor, atq; acceſſionum modus, bilem etiam admixtam, tum oris amaror, tum color infectæ pituitæ, & ſapor, quoniam illa euomitur, tum autem vrinarum color, & item ille ipſe acceſſionũ modus, nam aliquando in eo rigoris aliquid cum frigore coniungitur; Neque enim puto neceſſarium multa dicere de corporis huius genere humidiori, non valde calido ſi pinguedinem conſideremus, actionumq; tarditatem, quod ætate præterea 67. annorum plurimum refrigeratum eſſe exiſtimandum eſt, plurimumq; etiam frigore anni, & humore nimio imbrium affectum: neq; verò habeo neceſſe dicere, quantum ſemper imbecillo fuerit ventriculo, cum tibi per alias ægritudines notiſſimum fuerit.

Ex quibus materia huius febris deprehendi poteſt, & quod humor eſt, & quod pituitoſus nonnihil, parum tamen vitij à bile adiunctum habeat, ſi melãcholici humoris ſubeſſe aliquid dixero, ſuperuacuũ quiddam me dicturum exiſtimo, neque enim in tanta copia eſſe ipſe, aut vim tantam habere poteſt, vt rationem aliquam eius habeamus. Humores hi febrem ſuccendere non poſſunt, niſi putreſcant, putredo ferè obſtructionem ſui habet cauſam; dixi, ferè, quoniam interdum oportunitas, & procliuitas humorũ ad putreſcẽdum ſola cauſa putredinis eſt. Interdum etiam ſola continentium partium imbecillitas. Humoris certè natura obſtructionem potius denotat, quia lentus, quia tenax eſt, facilè inhæret meatibus, retinetur in vijs, atque, quoniam craſſus eſt, impedit ipſas vna ex ſe ſe, quæ quidem obſtructio per ſpirationem, refrigeriumque humorum impediendo facit, vt ipſi nũc ſuomet calore aucto inque alienam naturam mutato, tum humido nimio detento corrumpantur, omni cognato calore vim propriam humoris continente ab humido ſuperato, & à calore alieno exoluto.

Verum non erit ab re videre quibusnam in partibus ſedes huius putredinis ſit, vt mali grauitas poſſit, & ipſa iudicari, & nobis conuenientia ſibi remedia demonſtrari. Multum intereſt, an extra venas, an intra putreſcat humor, an in maioribus venis ad vitam animãtis, magis intereſt, an propè cor, an in alijs regionibus, vt & de vitæ ſalute, & de remedijs iudicemus. Ad rem; frigus, & rigoris illa ſpecies plura, & diuerſa ſolet ſequi, quandoque motum materiæ exeuntis per carnes è venis, ſeu à vi partis alicuius principis certè potentioris eiectæ, ſeu à calore partis alicuius ad locum putredinis attractæ, poſtquam alicubi tempore certo motibus naturæ collecta eſt, vel à natura eiuſdem partis genita: quandoque itaq; extra venas progreditur per partes ſentientes ipſa, aut eius acriores, vapores, ſaltem donec ipſa aliquorſum mouetur per eas partes feruntur, quandoque etiam ipſa non mota è ſua ſede, quoties renouata per generationem ibi incipit putreſcere noua, & infeſta ea mutatione, vel quod eius vapores plures confertim exeuntes ad ſentientes partes eas appulſu acri concitant, ad locum incenſum ſpiritus, & ſanguinem contrahunt, & ita frigus toti corpori mouent, ſub quibus motibus omninò neceſſe eſt putredinem, aut eius ſenſum renouari, & tunc non eſt in maioribus vaſis, nam ſi in maioribus vaſis maneret materia, cum illa non ſentiunt, tum quando ibi ſemel incipit putreſcere, ſubinde ſemper æquabilis eſſet vaporum in omnes corporis partes

ris partes ascensus, atque impetus, neque interuallis certis modo maior modo minor, qua mutatione, aut renouatione subita sensus afficiatur, spirituq; concurrente corpus exhorrescat, itaque cum non continua quidem, & æquabilis, sed circuitibus coniunctis continuata sit hæc febris, fieri non potest, vt sit extra ipsa vasa. In vasis ergo, quia coniunctis circuitibus est, non in maioribus, quoniam æquabilis non est, sed remissiones, & incitationes habet, Verendum quidem, ne ad maiora vasa malum reducatur, tum sua contagione sensim irrepente, tum viribus non semper validis futuris, quod suspicari possumus cum frigus, horrorve ferè ad nihilum sensim deducatur, minusque quotidie fiat.

Ex quibus credo mali momentum omne, nempe materiæ genus, putredinem, & locum habemus, & omnia, quę ei adnectuntur, tum vt causæ, tum vt propagines, & vmbræ, quomodo ei conueniant facilè intelligimus. Causa maxima videtur stomachi imbecillitas pituitosis humoribus suggerendis idonea, annexę proles sunt, propensio illa in somnum perturbata pituitæ calfactæ filia, pituitosus vomitus, destillatio, nausea, ventris inflatio, vrinæ crassities, pulsus etiā mutatio illa, qua, cum primum esset satis magnus rarior, atque tardior, iam crassiori putrescente materia, atque vasis maioribus putredine propinquiori, & imbecilliori facta virtute frequētior, minor, & ferè, cum febris in summo calore est, velocior ipse pulsus percipitur. Atque hæc est natura morbi, eiusque annexa omnia.

Cuius quidem tempus, atque ætas mihi augumenti esse videtur, cum die 14. tantum signa aliqua coctionis in vrina apparuerint, perdurarintque vsq; in 18. inde verò humorum dissimilitudine crassioribus iam putredinem comprehensis illa turbatior, & sordidior processerit naturæ viribus coctionem perducere ad absolutionem, non valentibus, & propterea materiæ vitio reualescente.

Vnde quid ego futurum putem? Certè difficilem curationem, difficilem salutem existimo, & vereor, ne cum omnino longa futura per se esset ægritudo, sic recrudescente malo, ægra ante intereat, quam ad statum summum febris perueniat. Tempus anni, ætas, & humoris natura longinquitatem morbi denunciāt, à 16. die vsque ad 21. vrina, nihil melioris coctionis ostendit, magnus est morbus, infirmum etiam est iam corpus, propterea mors eius facilè labores nostros terminatura est, Quid actum, quid faciēdum sit paucis expedio. Acceperat, cum sum accersitus confectionem quandam solutiuam fortè diaturbith, cum rhabarbaro temerario quodam pharmacopeo exhibitam, molestè deiecerat plurimum, quo sum liberatus eo onere ventriculi exonerandi, qui nimis exoneratus erat, quin contra potius nouis attractis nimium lentis, & crassis humoribus, nec facilè eductis cum ipse ventriculus oneratus est, cum obstructiones ad febrem firmandam valentiores factæ; propterea ego syropis detersiuis, incisiuis, extenuantibusq; sum progressus, ventriculique vim confirmandam omninò attendebam, & cœli statu pestiferas febres afferente quotidie etiam siccātia admiscebam: præscripsi enim syrupum ex acetosa, de succo acetosæ, melle rosaceo ex aquis acetosæ, betonicæque. Deinde, cum ea fastidiret, oximel ex iuribus dedi, & tandem cum necessitas augeretur superiores illos syropos, cum altero ex lupulis, & illorū aqua exhibui, neque hinc aliud agendum puto quousque coctionis signa, non conspiciantur, pulueres quidem contra malam putredinem syrupis adijcerem, & ex omnibus deligerem. s. citri, radicem pentaphylli, margaritas, & lapidem Bezaar. Ventriculo demum sustinendo vnctio ex absynthio data est, victus plenior cōcessus longiori futuro morbo, vinum ostensum ipsa nimis cupiente, aquamque

A verente, tum stomacho nimis lāguido, materia morbi, natura corporis, & ætate id postulāte, quod etiam in futurum à nobis seruandum esse iudicarem.

De destillatione vix quidquam deliberarem, cum facilè expuat vixque illam tussis molestet. Atque hæc tali manente ęgritudine agenda censerē, aliter etiam iudicaturus, si rationem aliquam mihi tu probabiliorem ostenderis. Dixi.

Pro Excell. Medico Palermo Palermio Chirurgiæ Doctore celebri, cum Campanea, Fumanello, & Bonalino.

B CONSVLTATIO CCCXLI.

SÆpè animaduerti, viri arte nostra eximij, officium consultoris Medici esse, primum, quæ in corpore apparent prosequi diligenter, tum res, quæ in eo secundum naturam sunt, tum si quæ nouæ superuenerint, describere, nata omnia, atque nascentia, & item crescentia; & omnia illis annexa explicare. Deinde, quid lateat de natura corporiscum narratis rebus copulare, annique tempus annectere, & illis omnibus, quid mali contingere potuit, circumscribere, ac definire, postea rem definitam ex circumscribentibus illam enodare, eiusque partes, & causas aperire, in notitiamque adducere, & confirmare. Sic totam cognitionem iudiciumque mali construere, omnibus mali C partibus, differentijs, atque causis ordinatis, & iobolesomnes inde natas, ante propositas à suis initijs deducere: magnitudinem, morem, metum, & quasi ætatem mali determinare.

Quid sit futurum coniectari salutis, longinquitatisque, & quid agendum sit deliberare; Vidimus igitur in ægroto nostro has notas, capitis dolorem cū pondere statim ab initio, & corporis frigus, quod calore exceptum est, nec vnquam amplius redijt calore manente, animi deliquium, vertiginem, flatus multos circum ventrem, ac stomachum; Vrinas in ipso initio prima quidem die, quales in tertianis vehementioribus, & breuioribus visuntur, secunda die crudiores, inde vsque ad quintam ferè sanorum hominum, aliquanto coloratiores.

D A quinta vsque in septimam quales in nothis tertianis luteas, cum contentis asperioribus, inde hucusque perturbatas, atque contentis atrioribus. Pulsus ab initio nunquam magni pro febris magnitudine, cuius etiam calor tactui nunquam acris, aut vehemēs fuit, neque ex lingua conijci potuit vehemens esse, velocitas tamen pulsus summa semper extitit, præcipuè post tertiam diem alternis maximè diebus, vel etiam ferè quotidie à meridie. Aluus exustioribus humoribus semper infecta, figurata tamen, nunquam colliquationem ostendit. Ipse rarò sitibundus fuit, artuum dolorem lassitudinemve præcipuè inter initia maximā habuit, postea stomachi labores, qui cessasse iam videntur. Creuit præterea in ipso vetus quidam E aurium tinnitus, & tandem surdaster factus tertia die vti lingua non potuit, nocte quidem nihil penitus, quod impedimentum cucurbitulæ sustulere.

Hę sunt notę, quę in ipso potuere obseruari. In quo verò corpore sint: videtis esse in eius generis corpore, cuius cutis ex albo in pallidum vergit, sine pilis, carnes exiguę, molles, ac laxæ, quoniam nutritæ nō sunt, neque humidi generis cutem complent, Venæ tum detectæ, tum magnæ, quibus non à iecore, sed à corde orientibus, si sensui, & naturæ rationi credamus, ego à carnium defectu iecoris siccitatem, & frigus colligerem, quoniam in hoc paratur rudior, & crassior ille sanguis, quo carnes aluntur. Ambitus quidem totius corporis à prima generatione est, cum corde humidius,

humidius, cum corde inquam, vt faciles illius mores ad erubescentiam, amicitiam, & reconciliationem indicant, quod cor quidem, vt animi fortitudo, vt amplitudo thoracis, & arteriarum demonstrant, calidius est; cuius calidi, & humidi generis venæ latæ mihi indicium præbent. Vnde hepar materiam sanguinis frigidiorem, atque adeò hac ætate florente tenuiorem parit, humidum vtile non multum subministrans, in quo corporum genere cor suo calore, & humido spiritus non valde idoneos perspicaciæ efficere potest, Vbi si frigidum cerebrum sit, tardi admodum homines sunt, si calidius, temeritatis plenum ingenium habent, siccitatem quidem cerebri, vel cordis cum hoc iecoris genere vtilius coniugari obseruaui. Frigidiorem ventriculum, si quæ narrat ipse, considero, iudicandum censeo. Caput verò, si capillos, B caluitiem, si notas ex morbis obseruemus, siccius etiã videtur, non tamen multò calidius, quam temperatũ, quod spectat ad neruos, & corpus ipsius linguæ, siccitatem nimiam habere videtur ex loquela, quę durior, & minimè volubilis est, & facile impeditur, ita, vt non quidem blæsus sit, aut balbus, literas siquidem, & syllabas omnes exprimit absoluta satis appellatione, at ἰσχροφωνίᾳ afficiatur, hoc est syllabam syllabæ annectere non possit, quod generi melancholico Aristoteles attribuebat. Vnde non est mirum in morbi initio nępe tertia die ipsum proloqui non potuisse. Corpore igitur sic posito cũ frigido ventriculo, sicciori hepate, & corde calidiori aere cœlove post hyemem corpora repleta mouere multum valente, cum modo Sole, C modo Vẽto, modo calore, modo frigore moueat, corpore nouis, & inusitatis alijs rebus affecto præsertim ex animi maximis, insolitisque molestijs, ex armorum graui indumento sibi omnino insolenti, quibus onustus pedibus obire ciuitatem totos dies visendis ægris magno labore cogeretur, vnde & cibi plus, & potionum acciperet, facile facti crudi, crassiq; humores, & in angustiores venas, atque in viscera potiora, vt est cor, & hepar, sed inclusi pręsertim in cor ab animi doloribus, & iracũdia, & concalfacti, atq; exusti, vt contra à laboribus in ambitum fusi, ex quibus perspiratio ipsa impedita putredinem fecerit, quæ malignũ morbum faciat propter loca, quæ obsidet ad vitam nimis necessaria, ac potissima, & propter copiam, atq; nimis D humectam putrescentium naturam, qua propriã putredinem, & meram corruptionem ineant. Hinc tot illa euenere, si euentus iam spectandi sint, incensi sunt prima die humores acriores, ac tenuiores ad inflammandum propensiores, illi imprimis, qui in ambitu venarum magis propè carnes pressione armorum infarctas, laboreq; cursitãdi calfactas instititissent. Vnde primum frigus sensit, & vrina sequuta est coloratior, deinde, cum incendium ex contagio ad interiora penetralia iam affecta peruenit, crassiores etiam humores illud comprehẽdere, ac spiritu in partes principes concurrente, secumque humores contrahente, minus versatur putredo in partibus à medio remotioribus, vt sunt venæ ad renes pertinentes, vnde vrinæ subsequutæ sunt sanis ferè similes. Stomachus interea, tum E à redundantia humorum, tum à corde oppresso afficiebatur, & quamuis molestior sensus non sit in corde in stomacho tamen multus fit. Vnde ex corde, & stomacho vexato tot sequuta sunt animi deliquia, & vertigines, atq; æstus ventriculi. Vbi si cordis affecti, minimeq; sentientis notas quærimus, illa sat est, quæ in pulsu obseruabatur, quando nondum multa febre facta tamen imbecillus semper fuit: cum verò putrescẽte humore contagiũ à visceribus rursus ad vniuersum corpus reuerteretur, & ichor sanguinis etiam in putredinem veniret, tunc vrinæ perturbationem ostendere, Quò mihi satis confirmari videntur, quæ dixi de huius febris genere, quod scilicet locum haberet propè cor, & multam, atque illam malã putredinem: A omitto, quod inde necessario febris continua est, & habet accessiones, & alterius diebus similes, sic enim naturis rerum omnibus vsui venit, vt definita habeãt tempora quæque sua durationis, atque vehementiæ, generationis, atque interitus. Vnde & humores suæ generationis, & putredinis propria habent hæc tempora, hi itaque duos habent dies spatij, quoniam bilis est superior, vincitque humores reliquos calore, motuque. Hæc est natura, & vis huius corporis, & morbi, cuius in curatione versamur, illud imbecillũ, hic malignus est, nondum coctionis initium attigit, quare in principio adhuc consistit, si tempora morbi quæsitæ salubritatis ratione metiamur, cęlum ex anni tempore, & tempestate calore quidem temperatius est, siccitatem verò habens minimè graue existit.

Nostrum iam est, vt febrem hanc discutiamus, vires in integrum restituamus. Poterit ne fieri hoc? Difficilimum hoc iudico ob inhærentem mali vim loco propè cor, viriumque imbecillitatem. Quid verò faciendum est, vt officium nostrum præstemus? Quod oportuit inter initia copia sanguinis imminuta est, nam sententia Galeni omnibus rationibus confirmata est, quod in magnis morbis, vbi satis viriũ est, quoniam fieri non potest, quin morbi magni cum corporis viribus conuincti causam aliquam habeant antecedentis saltem generis cum sanguine coniunctam, vnde morbus ali possit, necessario sanguinis copia imminuenda est, sic enim ego Galenum accipio, cum de phlebotomia loquitur, vt de ea tãquam de potiori instrumento imminuendæ copiæ loquens de cætero, etiam subinde instrumento imminuendę copię intelligat inferiori, & secundo ab eo, vt sunt scarificationes phlebotomiæ vicariæ; Vsi nos sumus scarificationibus propter vires iam ostendenres se in fururum, non ita robustas fore, non tamen adeò imbecillas, vt imminutionem sanguinis non paterentur, præsertim, quod his temporibus in huiusmodi febribus acceptæ valde sunt scarificationes, phlebotomiaque valde formidata, præcipuè verò huic ægro nostro. Copia imminuta ne viribus onerosior esset, neve morbum aleret, neve obstructiones foueret mali huius effectrices. Restabant & putredo, & illius proximæ, & intimæ causæ tollendæ, propterea nos aperientibus, siccantibus, & extenuantibus vsi sumus. At febris humidioribus indiget. Nos non plurimi facimus nunc febrem, vt igneus calor est, sed eius causas, in ipsius naturam, & definitionem ingredientes, quibus tollẽdis ipsa aboletur. Illud igitur à nobis quærendum est, ad quod res, quã expetimus, per se sequutura est. Verum tu saltem humori bilioso non occurres humefaciẽdo, cum ipse alios humores superet? non multũ lædit siccitate, vtinam non ita suo corpore, & calore, nam siccitate vna non esset, vt est humore, & corpore se se obstruendo in putredinem procliuis, præsertim verò minus naturam siccam humoris attendimus, cum putredo hic nimium infesta sit, magisque vrgeat, quam biliosi humoris modus, hæc enim contagio omnes omninò putrefacit succos, & ad interitum compellit, illa ne febrim quidem parit citra putredinis vim. Egimus igitur syrupis ex acetoso citreo, & oximelite dilutis ex aqua, in qua decoctæ essent herbæ eiusmodi cum citri seminibus, vt cordi subueniremus potissimum affecto.

Vnde, & pulueres cordi confirmando idoneos adiecimus, cibum pleniorem etiam concedentes, vt vires possent vsq; in statum sufficere in morbo, non ita breui futuro, si ad salutem forte vnquam posset perduci, quæ pro digerendo penitus hoc morbo postea etiam agenda obseruandaq; iudico, nam nec per vrinas, neque per aluum putridi humores vtiliter educi possunt, crudioribus etiamnum humoribus: præcipuè verò ea selegimus medicamenta, quæ vulgo peritis Medicis probata sunt.

Innume-

Innumerabilis siquidē est medicamentorum multitudo, quæ cum non omnia possint, aut sit necesse adhiberi ex ipsis ea, quę nullis damnantur potiora iudicanda sunt, vt acetum, vt succus citri, oximel, citri semina, acetosæ herba, melissa, endiuia, hordeū, pentaphyllum, & scordeum, lentes verò, quæ non ita cōmuniter probantur, sunt à nobis præteritæ. Hoc ego dico, quoniam audio quendam eius ingenij Medicū, qui vulgaribus, populoque placere studeat, potius detrahendo, maledicendoque, quam cum alijs congrediendo, ac disputando, de hoc malo, sic protulisse, nos male fecisse, qui nec lentium aquam exhibemus, nec hirudines secūdum aurem applicuimus. In cuius gratiam ego hoc profero tanquam ratum, & firmum. Hirundines quidem non posse vtiliter post aures applicari, vt dicit, quoniam nec malum in capite est, vt ex rara admodum insania, & illa omnino adhuc breui omnino colligitur, eaque à somno solum incidente, neque etiam si in capite esset malum, & illa perpetua esset, illas esse dandas, nisi toto corpore prius euacuato, quod omninò volo admonitū, traheretur enim malum à visceribus affectis à toto corpore in caput. De lentibus verò id dixerim, quod à multis improbantur, & illæ certum non habent auxilium, quod ab his rebus habemus quos adhibuimus, adstringūt lentes, & in hunc vsum in gargarizationibus reprimentibus adhibentur etiam à Cornelio Celso, neque in materia crassa sunt idoneæ, minus verò vtendæ, cum omnibus probatæ nō sint. Nos igitur pergemus, cum his, donec motus naturę ostendatur quem iuuare nostris auxilijs possimus, nempe his, quæ aperiunt vias, in quas propensa natura fuerit.

Is perseuerante febre vndecima die primum stolidus euasit, & sine vlla penitus memoria, deinde insaniuit infinita loquacitate, 13. die finita est loquacitas, exceptisq; conuulsionibus manus dextræ ex interuallo agitantibus, sinistræ verò vna conuulsione perpetua, ad se redijsse visus est, lingua etiam impedita ex cucurbitula ceruici affixa soluta est, & quieuit, pulsus in brachio dextro agitato sentiri melius cæpit, benè loquebatur, & non amplius aliena, odoribus delectabatur, 14. mollitie maxima animi fuit, & pueriliter flexa voce cum solatio loquebatur, deinde à mīctū copioso ad se omnino redijt, & ferè sine febre fuit, pulsu satis firmo, iactatione brachij etiam cessante, vrinarum copia procedente, sensim tamen inde stupidus factus est; & 21. post febrem ex maximo irę impetu incensam obijt, cum cibum diu renuisset.

Pro Io. Dominico Montano Lazari filio, qui caruncula in vrinario meatu laborabat cum Beroldo.

CONSVLTATIO CCCXLII.

NVlla mihi videtur difficultas, quin statim primo aspectu iudicem carunculæ hoc malum esse. Vrina optima est, & respondens potionibus, copia quamuis paulatim procedit, ac si diureticis vtatur, longior statim colligitur, quæ nullo modo per se, vel lentorem ostendit, vel renum aliquem affectum, solū, dum mingitur, semper paulatim, ferè guttatim, atque cum dolore procedit, multoq; cum labore exprimētis virtutis, vlcuscula exterius oriuntur ad perinæum facile sanescentia, nulla præterea alia res incidit. Antecessit fluor ille ex materia seminis putrescēte, cum ardore virgę, vt cum per multum temporis spatium durauerit, vlcus efficere valuerit, Vnde caruncula, deinde sensim angustior est factus vrinæ exitus, vt primo

A tenuis, deinde guttatim etiam vrina procedat. Quare toto corpore sano, huic tantum loco subuenirem, quo in loco carunculam ortam esse coniectura certa est, dolorosam quidem, quoniam non est sine vlcere, aut certe sine sanioso humore, quem colligit caro illa infirma, & maximè per prauam suam intemperantiam. Vnde vlcuscula etiam illa in perinęo contra carunculam existunt: aliquando verò magis, aliquando minus impeditur vrina, vt magis, & minus tumens carūcula est, magisve, aut minus ab vrina sic cessit, aut vt pars affecta turget inflammatave est. Vbi parum videt, qui diureticorum vsu illum curare putant; necessitatem mingendi, non facilitatem procurantes. Subuenirem ego immissa prius candela oleo amygdalarum dulcium delinita, vt faciliorem aditum, ac sine dolote sibi efficeret; atq; deinde exsiccans aliquod medicamē-
B tum adijcerem, primum ex tutia, & aqua rosacea, quo caro illa comprimeretur, deprimereturve, deinde vlterius, vtvt vrgeret magis malum, ascenderem, & artifici huius curationis proprio committerem, corpore prius vniuerso bene expurgato, nam fortioribus vti solent, vt puluere iridis oleo feculæ, antimonio, præcipitato, & similibus vsque etiam ad sublimati dilutum. Ex diapalma, præcipitato, iride, & terebynthina confici potest durius, quod inseritur in candela, ita firmiter, vt non possit detergi, dum introducitur candela, æquabile vero cum candela expolitur, & accepta distantia vlceris ad hanc distantiā locus emplastri in candela deligitur, ita, vt candelæ portio
C vltra vlcus procedat, & pars emplastro inducta vlceri inhæreat.

Postquam vero caruncula satis sublata est, tutia, & lithargyrium potissimum adhibentur, atque etiam calx lota ex aqua rosacea. Sed hæc ipsis peritioribus permittenda sunt.

Pro Tirundula Vicentina ad portam Episcopi cum Medico Vicentino.

CONSVLTATIO CCCXLIII.

EX vrinis, pulsu, & calore certi sumus putridā hāc febrim esse, & quamuis quandoq; frigus, & quādoq; rigor aliquis accesserit, tamen illis sine ordine
D certo antecedentibus, ego continuam eā, & horrifici generis statuerem, quoniam intra venas plurima humoris pars putrescat, aliqua vero ob materiā malitia sua nimis lacescentem extrudi extra. An vero sit à bile, vel aliquo aliorum humorū, non facilè definirem, mixtim quidē humores putrescere, abundare vero biliosum dixerim, vrinæ enim pituitæ etiā multum subesse ostendunt, quod pulsus etiā confirmat, nec nō calor corporis non ita mordax, aut vehemens, & lingua non valde arida, sexus fęmineus, ætas vltra summum progressa, quæ pituitæ affinia sunt, sitis, ac vigiliæ, hæ quidē bilis fuligines caput impetentes, illa vero propter bilem ipsam stomachum inuadentem, vomitus biliosi, & viridia alui excrementa bilem demonstrāt,
E vt mixtio pituitæ in excrementis ijsdem pituitam testatur, continentem ergo febrem statuerem, & ex miscela hac humorum, quos victus ratio præteritorum dierū etiam efficere potuit. Nam in corpore calidiori, vbi ventriculus est frigidior, vbi est modo cibi abstinentia, modo intēperantia, & mali cibi vsus, vbi vigiliæ, & mœrores diuturni, vbi labores, tum animi, tum corporis insoliti, ibi multum, & bilis, & pituitæ generari potuit; crudum enim, quod à ventriculo sua natura, & vigilijs, ac mœroribus subministratur hepati, quamuis tenuioribus partibus bilem, crassioribus potissimum pituitam, deinde etiam melancholicum succum facit, cum crudum semper minimè æquabile sit; Verum vlterius ego considerandū puto putredinem

nem hãc humorum iam demonstratorũ, sunt.n.plures putredinis progressiones ad corrumpendũ mixtum, ad quod alia magis, alia minus acriter contendit. Oĩs putredo cum facta est.i. finita, cineri exustorum responder, quod in humoribus animantiũ est humidũ sordidissimum, & terrestre, cum verò adhuc in motu est.i.fit (est .n.putredo generis successiuorum . i.eorũ, quæ in motu sunt) tendit ad separandum terrenum ab aqueo, mixtũque corrumpendum, hoc autem duobus modis fit, uel .n.fere exustionis quadam similitudine fit, & exustio a Galeno fere appellatur, nam vehementior calor externus seu alienatus, quasi assando vi corrumpit, & ita facta puttedine, non tantum humidi cernitur in ea, quoniam materia exsiccatur. Altero modo putredo fit minori quidem vi, magis tamen sese in intimã humorem insinuante.l.leui calore externo blandè internũ educente, vna & humidum internum leniter vtrumque alienãdo, & in contrariam oĩno uim, ut conuersiones solent suo genere non excedentes faciunt, traducendo, & hoc peior est, quoniam mixti propria corruptio est, & dissoluit in elementa humorem, partem tamen in suo genere retinet mixti, & in contrariam speciem mutat, imo vermes sæpe gignit, itaque lentore quodam ex actione illa leui caloris totum corpus penetrantis genus, quidem retinentis, sed mutantis tamen, vnde & in contrarium necessario cedit humoris mutatio, & glutinosus etiam uapor ex eo humore effunditur, qui hæret quocunque peruenerit, atque contagione afficit genere consimilia, in aere diu fertur, ac viget lentore suo conseruatus, & per ipsum in corpora aeri aperta se se insinuat, ut in corpora contigua, propterea igitur peior est hac causa modus is secundus puttedinis, & præterea, quoniam humore illo lento sepultus est, calor naturalis citius interit. Vbi nõ est illa acritudo externi caloris neque iuuat, humidumque illud non exsiccat, non dissoluit, minus humores extenuat, non facit perspirabiles, quod facit in priori modo vbi naturalis calor ab externo iuuatur, ita vt possit humores postea superare unde externo tandẽ mitigato coctio putredini coniungitur, hic vero nunquã, imo hęc putredo semper seipsa peior fit. Non est igitur mirum, si ex continentibus febribus peiores, magisque mortiferæ sint sæpe, quæ blandiores videntur, omitto, qđ obstruendis etiam meatibus opprimit magis internas partes, & externæ magis refrigerantur attracto ad internarũ auxilium contra aduersariam nimiũ putredinẽ externarum partium omnium spiritu. Quod si incendium magnum reperiatur, sæpe in pestiferis febribus id fit, quoniã duo genera putredinis tunc coniunguntur. Quibus sic positis illud adijciatur, quod natura cordis, & corpus ipsum facillimè debilitatur, infirmumque fit secundo hoc putredinis genere, quia facillime alimento priuat ipsũ consumendo sua contrarietate inimicũ, sic & exsiccantissimũ est absumẽs innatũ humorũ, & corporũ humidum trãsferens in alienũ & eo alieno humore opprimit, quicquid spiritus, & caloris est cordi necessarium; sic vires cito deiicit. Causa huiusmodi putredinis esse solet nimia humiditas humorũ, quę vel obstructione collecta est vel generis ipsius humoris est, qua ipse ad putrediñẽ fit admodũ procliuis. Hanc febrem continuã huius generis peioris putredinis esse certo affirmare audeo, quoniam pulsus minor mihi esse uidetur, quã pro calore febris deberet, et facultas cerebri ualde est infirmata, quæ indicio est spirituũ copiã nec idoneã, nec, quanta sit necessaria, subministrari a corde. At dicas tu pulsus paruus potius copiã humorũ ostẽdũt qua natura opprimatur, q̃ virtutis infirmitatẽ, caput uero infirmũ ob vẽtriculũ. Credo vẽtriculũ augere hoc malũ ob stomachũ affectũ, at tñ a uomitu caput nõ leuatur, nõ firmius fit; minus a cibo leuatur malũ, sed ppetuũ est, uñ potius ea corde perpetuo febriẽte esse affectũ perpetuũ capitis existimarẽ, q̃ ex uẽtriculi malo intermittẽte, præsertim, cũ vigiliæ assiduæ sint, tũ insõnia tumultuosa semp, tũ iactatio illa summa qua nõ tã ob musculos affectos, q̃ ob partem principem fiũt cũ Galeno, & mea quidẽ snĩa ẽt cerebrũ cuius vim

A credo inconstantẽ fieri ob id, qđ ab inferioribus submittitur malorũ, & acriorũ uaporũ, & spirituũ. Vt igitur ex libro de differentijs febriũ habemus putridã esse hãc febrẽ, sic ex his aliis notis malæ valde putredinis esse eã dicimus, neque.n.linguæ nitor negat hoc, qđ dicimus, nã eius squalor asperior nõ est necessarius huic generi putredinis, imo lingua nitorẽ quẽdã læuẽ, & siccũ sẽper malũ viscerũ statũ sequũ animaduerti. Nã sæpe multos perire uidimus acutissimis morbis lingua ẽt nitẽte, quãuis sicca, plures ea aspera, aliqñ ẽt humida, tũ ãt squalida, minime tñ insanos, alios neq; insanos neq; squalida lingua, pulsu tñ interea malo uiriũque animaliũ imbecillitate sũma nobis mortẽ præsignificante, multos sine colliquationibus per aluũ, aut vrinas eiectis febræ ẽt citissime interfectos, quare ego ex pulsu, & animali ui infirma, & alijs malignã hãc febrẽ esse statuerẽ, nõ quidẽ sũmæ malignitatis, at magnæ tñ. Quo verò in statu sit, nũc ego nõ-

B dũ certus sũ accessisse augmẽtũ, cũ nebulæ urinarũ crassæ admodũ sint vrinæq; liuidiores, & quarta agatur dies si tñ hoc vesper, cũ finietur quarta, vrinæ alicuius coctionis signa habebũt clara, augmẽtũ iã accessisse determinãdũ fuerit, qđ coctionis initiũ nil prohibet esse, etiam in mortiferis febribus, & denotare nobis morbi incremẽtum. Atque hactenus vt consulere posses, quid agẽdũ sit ĩ hac febre, hæc explicaui. Vt aũt iudicare posis de mea snĩa, & curationis mõ, tũ, quæ acta sunt, tũ quæ agenda statuerã, cõmemorabo. Indicãt tria, & obstructio, & putredo, & febris, vt per se calor est, alioqn a putredine febris non distinguenda est (postremũ nẽpe calor non est magni momẽti, quoniã mitior est, & quoniam frigidis omnino agemus, in communi re non carebit curatione propria. Putredo summopere actionem nostrã ad se con

C uertit, sic nos non solum efficiemus, ut tollenda obstructione putredo tollatur, sed propriis ẽt cõtra illa agemus quoniã, ut dixi, malæ naturæ est, & valde pestiferæ, quare nõ ob febrem, a qua nullum est periculũ, metuemus exsiccantia, dum mortiferæ putredini occurrãt, qua tollenda quidem putredine tolletur etiam febris, quæ ἐνία sua in, putredine cõtinetur. Illud igitur quærẽdũ est, hoc per se ad illud secuturum est. Obstructionum uerò oĩnò ratio maxima habenda erit, ex quibus primis caussis reliqua mala proficiscuntur, inde enim & putredo, & febris existũt, itaque vt commodi una & putredini, & obstructioni occurramus ipsis exsiccantibus attenuandi vim, & aperiẽdi adiungemus. Quibus iã hæc præstãda? Nostris.s.instrumentis, chirurgia, pharmacia, atq; diæta. De omni chirurgico instrumento quid potiùs deligẽ-

D dum, vt obstructio, putredoque aut eorũ nutrimenta, & causæ antegrediẽtes tollantur? Sectio uenæ magno morbo sẽper datur a Galeno, ni vires recusẽt, hoc est satis futuræ nõ sint. Hic magnus morbus est, at ipsæ cõstantes ne satis sunt, ut id fiat? Cõstabãt ne inter initia, qñ si qđ uidetur, mouẽdũ est? Certe anceps fui, an cõstarẽt, ita ut maligno morbo ferendo satis futuræ essent, tum ob pulsũ angustiã, depressionẽque, tũ ob naturã febris ita malã, ut magni usus Medici fere mortiferam esse in his lenticularibus malis uenæsectionẽ credant, atque ad cucurbitulas esse confugiendum, quas ego & delegi, & prius femoribus applicui, ut ne relinqueretur copia ibi, quę sursum rediret tracta ab aliis, quę postea superius adhibẽdę

E essent, nẽpe brachiis, &, si opus foret, ẽt dorso, atque sic octo cucurbitulas adhibui hyrudines hæmorrhoidibus nõ debi, quoniã esset potius a uena caua, & aorta continuo ad exteriora trahendum, quam per interiora ad uiscera. Venæ quoque sectionẽ in cucurbitulas vt commutarem, ratio victus præterita, de qua supra dixi, plurimũ ad cætera suadebat, virium enim minus subesse demõstrabar, si cibi genera, si uiglias, abstinentias, & animi perturbationes, & ægritudines assiduas obseruabam. De pharmacia usus sum lenitiuo dicto cũm diaphęnicone, hic enim etiam initio materiam magnis cauitatibus considentem, retrahendam reuellendãque leniter a caua iecoris parte putaui in morbo, in quo malum principes præcipue partes infectans uidetur furere, illudque

ante cucurbitulas,quò commune s via nihil retinerent; quod ad tractum cucurbitularum,in viscera,concurreret,postea syrupis extenuantibus contra, obstructiones, atque refrigerantibus,siccantibusque contra putrediné, calorem tamen naturalem aliquo temperamento fouētibus vsus sum, nam syrupo acetoso,℥,& de succo limonum,oxymellique adieci ℈.1.theriacæ ad maiorem exsiccandi vim,& robur cordi, ac visceribus retinēdum, malignos vapores fugandos, calorisque aliquid tēperamentū inserendum,sic.n. exhibitam,vbi ardētior calor non est,vidi sommopere vtilē.Neque vero cum his sum, qui veneno putant pugnandum esse febribus his, vnde theriacæ viribus confidant,vt ad ʒ.1.dem,potius.n.vererer nimiam crudorum humorum exagitationē,& calorē,vnde putredinis facinus augeretur, & vitæ finis nō per siccitatem, sed per oppressionem commotorum humorum accelerаretur. At putredini tantum repugnādū existimo cum vi siccandi,sed moderata,& cum confirmantibus robur cordis,& malignos halitus discutientibus, Vnde theriaca modice vtor, possemus etiam pulueribus primo cibo vti illis solitis ex bolo armeno,terra sigillata,& lapillis pretiosis,vel margaritis sed vererer, ne fastidium afferremus,bezoar potius probarem: exterius ēt cordi apposuissem aliquid ex aquis firmātibus cor, & aceto,pulueribusque dictis cordialibus cauēdo a nimis adstringentibus ne repressionē humorū faciant;& præterea aceto potissimū vterer,scorstium laudatur, & tormentilla,ac citri semina. De re cibaria vires bono cibi genere fouendas duco,miscenda uerò etiam exsiccātia, & deobstruentia,& præter cætera succum limonum,citrorum,acetosam, tormentillam pentaphyllumque potius acetum,& hordeum,& tandem petro selini radices In potione uero aquam ex modico aceto,uel oxisaccharo,vel vino granatorum acido. Aer muniatur odoribus, similibus,vt ex aqua rosacea,rosisque aceto,ac sandalis Aluus sæpe ducatur etiam ualentioribus,quorum natura sua adstrictior est, somnus inducatur oxirhodino ex olco nymphææ,exiguo admodum aceto,& aqua violarum,& nymphææ, quæ pro tempora erant admouēda. Prædictio a me præterita est,quoniam in eiusmodi morbis malignis spem facientibus etiā sæpe decipimur, certe si vir esset,vt mulier est,vix de salute sperarem,nam viros agrius ab ijs morbis euadere obseruari.

Aegre conualuit,& iterum interuallo septimum dierum recipit,conualuit tamen.

Pro Illustrissimo comite Castelbarchi Baroni ac Ceresta Domino Moribundo,cum Excellenti Bertelle Salodiensi,Pompeo Monteclarensi,Vechio Roboretano.

CONSVLTATIO CCCXL.

A Ccepi optime,quæ à vobis,nobiles Physici, dicta sunt,quæ cū diligenter,prudenterque acta sint, nihilque reliquum factum,quod adiiciam, profecto mihi silendum esset,nisi id muneris impositū fuissent, præsertim cū peritissimorum virorum, maiorūque orationes non uideantur iunioris hominis sermonem desiderare. Sum autem a longinquis regionibus accersitus, hac causa iter laboriosum suscepi:quare locus vacuus relinquendus non est. Audiui vero etiam Comitem Illustrissimū. Vinciguerram Imperatoris legionum præfectū rogasse, vt continuo de mea sententia certior fieret,iam in equo expectans iter ingressurus.Viri peritissimi quoniā maximum huius morbi tēpus præterit, & parum spatium relinquitur curationi,ac vitæ, breuis ēt oratio esse dēt,nā, cū rei gerendæ gratia loquamur, ipsi rei gerendæ oratio dēt respondere. Febris hæc putrida est,;& habet locum putredinis venas ipsas maiores, qm̄ nullā accessionis notā videmus,quare nō solū semina putredinis cōcipit humor in magnis venis ob copiā, quæ a natura sustentari

A non pōt,& ob obstructiones meatuū a copia,a crassitie, lentore humorum insistentes,sed ēt in iisdem locis concepta putredo ad extremum manet, nec inde dimouetur,quin penitus ibi humor incensus corrumpatur, qm̄ accepta noxa ab humoribus sitū illū olentibus natura infirmatur, vt expellere putridos humores è locis maioribus non possit in angustiores, qui sunt aut uenæ minores,aut carnes, unde non solū horrores non fiunt insignes,quod carnes non excipiat transitū humoris,sed neque aliqua nota copressionis,quod ne per venas quidem longius humor moueri possit,Locus igitur putredinis est in visceribus,& maioribus venis. Materia putrescēs nō est quidē bilis, quoniā uis caloris tanta non percipitur, ac cum petant putredinis fumi caput,non tñ agunt hominē in furorē,sed potius in terrorē quendam,si diligen

B ter animaduertatis,rara excandescentia interceptū,& qñque ēt somno. Dico.n.si diligenter animaduertatis, nā quod uos non assentimini, ego credo ipsum apud se non esse,& quodā insanię genere fatuo detineri, cui tñ Hipp.nomen phrenitidis dabat. quare miscelā uariorū humorū putrescere credendum est,vt vrinæ turbatę,& crassę ostendunt:unde neque causon est,qui ex vna bile,neque ille qui ex vna pituita salsa est,sed tamen potius ex pituita, q̄ bile est,tum ēt non sine corruptione alterius humoris,quē timores frigidiorē sanguinē, & nigrū esse ostendunt,ut excandescentia bilē,uel salsam pituitā, Somnus partes aliquas dulcis pituitæ,quæ multa humorū genera ab ætate,& corporis natura nasci fuit facile,cū sit calidi siccique generis corpus,& ætas inclinata, ex quibus,neque sanguinis copiā esse huius febris mate-

C riam credi pōt,sed supradictos humores, quorum pituita crassa,& melancholicus sanguis non sine coniugatio ne aliorū continent hoc malum, quoniam ipsi per se in tanta copia non sunt,neque si tanti essent, ita sunt proni in adeo vehementē,& celerē putredinem excipiēdā, ob crassitiem,& frigiditatem suam,ut continentē eiusmodi febrem efficere possint. At neque uel ipsi, vel vlli alii humores dicti sine aliqua prorsus nota accessionis febrem efficerent,quare,ēt si multæ sanguinis copię locus non sit,sequitur iam,vt vel bilis,vel salsa pituita sanguinē ēt secum putrescere cogant, qui ipse quoque quoties viribus idoneis caloris naturalis partium continētium non sustentatur,putrescit ut in inflammationibus videmus,& gangrænis,& salsam tamen pituitam potissimū esse cum eo,atque etiam bilem vel ipso pruritu, & sudo

D ribus declaratur. At quoniam sunt veluti gradus putredinis, credisne supremum illum gradum cōtigisse hanc nostrā? Nisi pessimū illum teneat,certe prope illū accessit,quoniā uires,ut ex actionibus naturalibus, uitalibus, & animalibus cognoscitur,nimis cito superat,quæ certe durāte malo ad 17.diē,hoc est in perēdiē nō sustentabūtur, præterq̄ qđ maculæ efflorescentes,sanguinis putrescētis notæ,& affectiones capitis,linguæ, neruorum hepatis,ut in aluo,in vrinis, in sudoribus cernimus, pessimā uim putredinis ostendunt. Concelluntur nerui,sudores assidui sunt,tremuit caput,imaginū facultas meo iudicio,& mēs læsa est,saltē debilitata, & mores hominis mutati,etsi.n. ipsum non amplius uiderim tñ illius mo-

E res quos uideo nō decēt eū virū, qualis ab oībus notus est.Ideo crudis urinis,aluoq; liquidiori ac fętente ego ipsum,etsi pulsus adhuc firmus sit, seruari diutius nō posse credo. Quare institutā curationē ego tan[illegible] confirmabo pro nunc,si quid spei, quæ certe omnino est fracta, superuenerit,illa adijciam quæ pro tempore esui futura credam. Vnū non laudo,& remouebo a curatione radices petroselini, cum.n.in principio suo morbus adhuc sit,nulla coctionis nota perspecta,caput ipsum noxā accipiat,illę nimium perturbant coctionem,quam quærimus;& in caput vitiosam materiam efferunt. Cætera quæ obstructiones,putredinemque respiciūt, ego laudo atque cōfirmo, quæ etiam a uobis doctissimis sunt narrata.

Is 17.die quousque semper libenter cibum sumpserat sublatus est.

Ybi

Vbi ego Aphorismum Hippo. lib. 33. defendebam, nam, cum ipse dicturus esset bene se habere ad oblata, prædixit prius mente constare. Et profecto, male habētes admodum, cibum tamen prompte accipientes constare mente nunquam vidi, certè mente alienata nisi sunt.

Excellentissimo Mathiolo, febre quartana laboranti.

CONSVLTATIO CCCXLV.

Ex verbis nostri Calceolatij hominis ad conciliādas, & conseruandas amicitias nati varie, vehemēterq; affectus sum, quòd. s. te quartana arripuerit, mirū in modum dolebam, quod ea de causa consiliū a nobis velles, meque hac tua petitione abs te tāti fieri declarares, voluptatem percipiebam, quæ quidem fuisset maxima, ni prior ille de tua ægritudine dolor iam animū tenuisset, qua in re vero potius tuam in me beneuolentiā agnoui, quam vllam cōsilij necessitatem, Video homo omnium benignissime, vt me huiusmodi etiam officijs apud amicos hosce nostros existimationem cōsequi volueris egregia hac testimonij, & authoritatis tuæ commendatione, facis tu quidem his rebus Mathiolij, vt, cū mortales omnes tibi debeant plurimū, ego cæteris multo maximè, & præcipua quadā ratione debeam, debeo vero, vt libenter cuiq; quod ingenui animi est, sic tibi libentissime, homo mi obseruantissime, qui ad merita, quibus semper omnibus, nūc mihi prodesse studes, hoc præterea animo, ijs virtutibus, ea dignitate præditus es, quæ cum omnium animos ad se conuertant, atque alliciunt, tum me solent vel nullis intercedentibus officijs mirabiliter sibi alligare, atq; obstringere. Respondebo igitur, quod ad argumentum tuæ petitionis attinet his literis, quod vero spectat ad illud, quod tibi potius in ea re fuit egregiæ tuæ in me voluntatis officium, certe omni animi studio, vt verba verbis, studia studijs respondeant.

Vt primū ergo allatum est te quartana occupatū, mihi venit in mentem quibus itineribus, quibus, & quam insolitis caloribus statim a quiete eius febris, quam quietem non multo ante longa illa præcesserat, alijsq; subsecutis causis exsiccantibus longo tempore occupatus fueris, quæ deinde tempestates, & quanto frigidiores continuo exceperint priores illas calidissimas, quam malè ēt num iter habentem ventis, & pluuijs infestarunt, ad Benacumque detinuerunt, quibus rebus postea adieci corporis tui genus, tum studij, ætatis, ac temporis rationē, atque hæc omnia conspicatus conieci a bile exusta, & sanguine crassiori, ac squalente hoc tibi malum existere, itaque ortum malum trahere, quoniam illis humoribus primum cum viscera infarcta, tum febres excitatæ sunt, ac subinde viscera sicciori, hoc est, illis humoribus simili intemperie affecta, vndè humorem prioribus similem plus iusto colligant quotidianis alimentorū concoctionibus, præsertimq; eo infarcta meatibus impeditis non est exitus ad loca sibi a natura destinata, humor igitur quarto quoq; die ad id pōderis, molisq; peruenit, id vitij, ac situs eo spatio concipit, vt sua molestia possit naturā ad sui expulsionem insolentius irritare, qua eiectus in aliena, angustaq; loca pertrusus, iam corruptioni proximus, & minime integer cōcepto iam situ, putredinisq; seminibus facillimè putrescit, incēditur, febremq; accendit, sustentat aūt illam quousq; cōsumptus fuerit ipsa corruptione, vnumq; sui cinerem reliquum fecerit, qui postea cinis futurum quarto die succedētis humoris aduentum promptiorem facit, loco. s. affecto, atq; illius tractus viribus, & ita febris hac humorū generatione, & collectione, & putrescēdi tarditate trahit, & quartanis circuitibus accedit, Cuius ideo curationem eam ēt optimam hinc colligi pōt, qua generationē humoris su- A peruacui tollamus, & vias illas, quibus eijci possit è corpore ad hoc destinatas a periamus, quod perficitur & venæ sectione, si vniuersum corpus ita humoris genere abundet, vt inde motus magnus timeatur, vel potissimū purgatione corporis ab eo humore, qui & intēperie afficit viscera, & suo habitu crasso, lento, & abundātia vias obstructas tenet, & cum his humoris ēt mitigatione secundum eius illas partes, quæ corrigi possunt, & moderati, ad quod sequetur facilè ēt viscerum ad integritatē suam reuocatio, quæ ad restitutionem integram sanitatis est necessaria, Videtur igitur potissima purgationis necessitas, quæ tamē obseruationem postulat eo maiorem, quo humor est pertinacior, & naturæ magis aduersarius, hic, de quo agitur præter pertinaciam ob sui crassitiem habet etiam vim naturæ contrariam magis, quā B cæteri humores habeant, imò vitæ omnino aduersam, naturalis calor, in quo vita est tota posita, & munus omnis naturę perficitur, est humidus, & calidus, humor hic sua frigiditate, & squalore horridæ morti similis, & ideo naturæ horribilis est, si quid enim caloris acrioris hēt, illud breui digeritur, cineremque relinquit. Propterea citius nos naturam lædimus ipsum mouentes, antequam sit mitigatus propter eius frigidam naturam, quam viscera leuemus ab eius onere propter eius crassitiem, lædit enim humor infestus non, cum quiescit, sed cū mouetur, Atque cum mitigandus ante sit humor, quā moueatur, is longa admodum eget opera immutationis, tū, vt eius siccitas humectetur, tū, vt crassities extenuetur, illa ve in naturam inferat inimicam vim, hæc ne purgationi reluctetur, tumultum ve ex lucta excitet maiorē in C corpore, vbi turbatio fit, nō solum renitentium humorum crassorum, sed etiam tenuiorum, cum vijs impeditis cohibentur, ex qua quidem turbatione impeditur cōctio, vt postea cōcoqui nequeant, humores crudiores facit sæuiores, noctēque magis infestos adeo, vt postea difficilius sedentur, ad quod malum accedit, quòd purgationi tenuioribus quibusdam, calidioribusque, & humidioribus humorum partibus per vim expressis medicamento illas extorquente ipsi postea relicti crassitudinem suam, squalorem, ac frigus obtinent valētiora, vnde duriores, magis rebelles, & nocentiores existant, vt nec amplius ipsi extenuari, nec mitescere possint, longe minus è corpore effundi, interea intus lædentes visceribus infarcti, & viscera ipsa, & quidquid alimenti accesserit in suam vim conuertunt, propagantur, & res in deD terius labitur, Quæ obseruatio maior in huiusmodi humorū genere necessaria est, apparatusq; longior, vt ipsi aliquam tēperationē, vix vero apertionem recipiāt, vnde ad purgationē non est deueniendum, nisi longo post tēpore, & notis oībus coctionis obseruatis, interea tota opera apparatui attribuēda est, vt humectis, calentibusque rebus humoris frigus, squalorque refrāgatur, simul remittatur ea viscerū illum generantium affectio, & vitiositas humoribus malis similis, quibus perfectis demū extenuetur iam mitigatus humor, & via, qua ducendus est, parefiat, interea habenda viscerū, & ætatis ratio est propter concoctionem, quoniam ipse venter plurima pituita in hac febre omnino solet abundare, in tuo vero corpore ratione tum ætatis, tum morbi abundabit, simul igitur & calor natiuus tuendus, & ventriculus leE niter expurgandus his, quæ commode id faciunt, medicamentis, credo vero nescis tu vires, quæ nos docuisti terra nascentium plurimas, ex quibus delectus tibi, quam cuiquam alij facilior, ex ijs vero, quæ ad immutandum, alendum ve sumuntur censendus est, cum vero, si quæ humida sint, non ob id statim admittenda, ni etiam a frigore, & a lentore aliena fuerint, concoctuque facilia, de uentriculo vero quoniam ipse, vt dixi, & propter ætatem frigidiorem, & quoniam, qua se circūsistunt viscera, quorumque fotu semper vtitur ad suam concoctionem hac sub febre scatent hoc humore frigidiori, coctionique aduersario, ipse præcipua cura indiget, ut continenter ab illis defendatur, sic tum intus, tum extra calidioribus fouendus est. Vnde piper

a Gal. propositus hac de causa commendandus etiam est, nec calor eius metuendus, cum melancholicus humor tunc tandem sit, cum refrigescit, pituita uero, quæ impedita coctione sit, impeditque coctionem, & materiam suggerit malo humori, quæ continenter in ventriculo ob contagium viscerum affectorum generatur, ipsa quoque vel per Clysteris ducenda est, uel per os, accepta litera ventriculo modis omnibus pro futura deiicieda, vel, si facilis sit, vomitu effundenda pridie eius diei, qua accessio expectatur. Vnde oximel, & piper, & literam, si non solam, certe cum cassia mitigandam in primis comendarem, vt assidue adhiberentur, cæteris ad mitigandos humores, ad firmandum calorem viscerum opportunis non præteritis purgationem sero admodum, & lenem, paulatimque faciendam proponerem post, dictas obseruationes, si fuerit necessaria, nam vidi multos solis leuioribus vomitibus curatos, præsertim si vsus Theriacæ iusto tempore danda, uomitibus supponatur, hæc sit sententia descripta tibi potius, quia potuisti, quam quia egere te his nostris obseruationibus existime, maluis enī hominibus in scribendo audax, quam tibi negligens in recusando roganti hoc officium videri. Quæ uero ego te eram percunctatus, hæc sunt γδούαν arborem nemini me legisse quodam libro sic apud Aegyptios nominatam, ac satis vulgarem, nescio enim quid ipsa sit, legi aliquando apud Vitruuium esse quoddam pigmenti genus pictoribus ualde expetitum, quod sic Atticum appellat, de quo ipse pluribus dicit, nec scire possum, an apud nostrates inueniatur, obseruaui præterea multa apud Scribonium, quæ mihi ignota sunt, hæc in memoria habeo. Meminit Alyrrhe, Aminee, Nasturtij animanti, nec certus sum quomodo nostratibus appellentur. Celsus etiam Aprunàm habet, quam esse tamen Aprorum scio, sed quidā medicus id nouū, atque inauditū nomen esse persuadere nititur vide, hæc obsecro doctissime atq; humanis vt vir tu mihi explica, aut saltem indica, quomodo nostratibus appellentur, & immortales tibi habebo gratias. Valetudinē tuā cura Verona. 8. idus Octob. 1571.

Pro nobili Montana Peregrina habitum cum Monte sauro, Lando, Paterno, & Iuliario.

CONSVLTATIO CCCXLVI.

QVi ante me dixit, Viri cum in omni genere tum in hac arte nobilissimi, adeo perplexe rem est prosequutus, adeo omnia permiscuit, vt ego in tanta malorū varietate nunc primum vix audita tam subito non possim modum inuenire, quo explicem negotiū, & ponam certa initia & capita nostræ deliberationis. Vt uero in tanta perturbatione aliquo adita rē possim aggredi, ex oī eo malorū numero tria tantū accipiā tāquē illa, quorum potissimum vi reliqua mihi omnia cōtineri videātur, Est primum destillatio, secundo, febris, tertio artuū dolor. Prima est pituita quæ in pulmones perpetuo fertur, quandam leuem spiritus angustiam faciens, tussimque excitans, qua spumosa, crassa, quādoque filis rubeis infecta expelluntur. Febris autem est assidua quam ego euidentē uideo, &, vt vere dicam, mihi in pulsibus nunc tanta depressio est obseruata, vt notam aliquam increscentis alicuius obscuræ accessionis, subesse hac hora iudicarim, quæ febris assiduam ēt sitim affert, videtur quidem qñque leuior esse, vt qñque sudorem promouet, a sudore tñ non relinquitur integrum corpus, non desinit calor, nec sitis, vt ipsa refert, quam febrem meo quidem animo sequitur corporis illa tenuitas, & macies, atque ni fallor, illa mensium exiguitas, nam menses quidem non sunt erepti, aut impediti, sed tamen imminuti, quānuis alias etiam causas habere possint suæ exiguitatis.

Tertio ex grauioribus malis sunt dolores artuum, nō dixerim articulorum, quoniam, etsi quidam nomine articuli accipiant minores artus ipsos, qui iunguntur, tamen Hippocrates & nostrates omnes per articulos iuncturas, copulas, nexusque artuum intelligunt. at hi dolēt quidem non soli, sed medij etiam ipsi artus, vt medij cubiti, qui dolores in genu sinistro rumorem habēt, & musculorum distentionem, neruos quidem non videtur attingere, quoniam torporem non habent adiūctum, aut conuulsionem, ingressum impediunt, corpusque continenter affligūt. Horum ego affectuum causas conabor inuestigare, quoniam cum eis reliquorum omnium origines patefient, ut fluoris albi vterini, macularum in eminentibus partibus, scilicet cute, ut rubedines oculorū vt nodi in articulis, &c. Viri doctissimi ordo vim rerum tum naturæ, tum artium continet, ita ordo, quo hi affectus orti sunt, mihi illorum inter se eam cognationē docet, vt inde ego alterum alteri causam præstitisse intelligam. Audiistis, quod nobis hic loquentibus modo per nuncium significauit, quod, antequam ipsa nuberetur, ea destillatione, atque eo fluore albo adeo male secū agebatur, vt ad omne miserum remedium tolerandum descēderet, per aquas balnearum, per potiones illas diuturnas fame necantes guaiaci, per destillationem guttæ cadentis, itaque miserius malum erat quare a prima ætate magnum fuisse horum affectuum incommodum ex remediis quæsitis, maius verò malorum fundamentū ex illis frustra datis apparet.

Quid igitur tam vehementes affectus, vitia corporis tam ualida a tenera ætate, tanto temporum spatio trahētia magnorum, & variorum incommodorum non procrearint? assidua a capite in reliquum corpus defluxione humorum, cui satis fuerant quidem primum viæ ad pectus pertinentes, postea tamen prauitate amplificata, & inde humoris etiam generatione multiplicata (qui vim mali, & causam sibi contagione sui semper magis adauxit) ad tantam copiam deuenit, vt viæ illę priores eum non caperent.

Sic alias vias quæsiuit per neruorum ductus ad artus, per venas ad interiores meatus corporis, ubi putrescendi occasione ab infarctu accepta, quoniam sui lentore impedit, sibi perspiratum, & in causa est, quo minus materiæ è finibus viscerum, & arteriarum eijciantur, febrē excitat non mediocrem, neque etiam intermittentem. Ad vterum quoque accedens crudus humor profluuia alba parit, & contagio illum afficit, vt ibi etiam similis humor possit amplius generari, & alba profluuia cieri ampliora.

Infarctis præterea suo lentore uenis uteri menses, si non impediantur, saltem imminuantur. Vnde ego a capite initium omnium horum malorum ducerem, neque exiguum coniecturæ firmamentum ab illius pertinacia caperem. At putasne viscera nil ad hæc mala ei attulisse? plurimum certe siue ipsa prima fuerint, siue prius accepta a capite noxa eam postea illi responderint.

Nam vt de genere earum naturali dicam, hepar calidius est, vt color corporis ex alimenti genere, & sanguine efflorescens indicat, cor etiam calidius, vt ex venis in signibus, eodēque colore mulieris cognoscitur, vt enim vasa a corde, sic sanguis a iecore, & corde proficiscitur.

Cordis verò præcipue calor ex pulsu, & magnitudine animi, & iracundiæ colligitur, pulsus a febre mutati certum indicium non habent, animi tamen, & iracundiæ magnitudo manent certissimæ notę caloris. Vtrumque igitur calidius viscus potuit attollere humorem de ventriculo, quoties non ita bene coquebat, in caput, quod caput credo sua natura fuisse imbecillum, cum tot vitiis affectum a pueritia fuerit, cuius caliditas, & humiditas inferius signis suis patefient, quæ imbecillitatis matres sunt.

Altera enim trahit tanquam cucurbitula a uentribus inferioribus, altera attractam materiam facile recipit, nec facile a se reijcere potest aut dissoluere, qui humor, cum onerarit caput, eius facultatem ciet ad expulsionem, demittitur vero ab ea tum in ventriculum, tum in alias partes, unde ventriculum redditur imbecillioris diu humoris qualitate affectus, qua simile, generat

omnino

omnino postea humorem remittitur uero ille humor in A dea a calore uiscerum extenuatus, calefactusque, & uaporosus in caput, ubi rursus concrescit, descenditque tũ pondere suo tum a facultate de pulsus. Ventriculi debilitas intelligitur tenuitate carniũ circũsistentiũ, quæ vẽtriculum fouere solent, extenuantur autẽ facile caliditate hepatis, quæ fugit humorem, & innatum eius calorẽ, cognoscitur ẽt ex ructibus, & inflationibus. Hepatis calor naturalis, ut dixi, & calore iam ascititio, ex cutis infectione, & maculis ęgritudinem diuturnã, & iecoris calorem uitiosum sequentibus. Capitis tandem calor ex prõpritudine loquendi, cogitandi, agendi ipsius mulieris, ex oculorũ rubore, facieique humiditas ẽt capitis ex longitudine somni colligitur, qui cum sana esset, cum etiam ægrotat, & sub febre est, semper est diuturnior. Conspirãt igitur viscera cũ capite in hoc malũ, in quo est malo B rũ cõgestio tota iãdiu vndiq; a totis corporis uisceribus, & uentriculo concurrente, a qua congestione caput frigus potius, q̃ alias qualitates accepit crassiori habitu humoris, & frigidioribus ibi firmius manentibus, frigore igitur caput fuit affectũ, eiusque qualitatẽ tantã cõcepit, tamq̃ a sua natura calidiori alienã, & distantẽ, ut, & ipsũ vna cũ uisceribus curationẽ postulet cũ vẽtriculo caput calefactionem, cũ corde iecur refrigerationẽ petit, quare quatuor illa imprimis mẽbra nẽpe caput, cor, iecur & ventriculũ male affecta habemus, a quibus afficitur pulmo afficiuntur, artus, uterus, & ẽt cutis, illa prius, hæc posterius, si noxa aliqua relinquetur, curanda sunt. At pulmonis malũ præsertim cũ ulceratus est, ruinari nimium certã mortẽ, & malũ ineuitabile uidetur. Ego uero dico pulmonẽ nondũ ulcus concepisse, & quod tam cõcepit intemperiei a destillatione, id non ita certã mortem, nõ ita ineuitabile periculũ minitari, destillationis.n.genus frigidũ, ac crassum est cerebri, & ventriculi causa, neq; C est putridum quod expuit, sic.n.etiam frigida destillatio putrescendo posset pulmones exulcerare ex primo Epidemior. Nullo igitur malo magis urgente ordinem procreationis in curanda hac muliere obseruabimus, a primis.s.causis ab humore intemperiẽ fouente, efficienteve, deinde ad cætera. Verũ posse restitui hanc mulierem sane non crediderim, imo uereor, ut ẽt diu seruari non possit. Caput affectũ est, quod difficillime curationẽ accipit, imo cũ ipsum per se affectũ est, forte nunquã curatur, quæso Doctores quot capita per se affecta curata vidistis? Difficillime expurgamus capita, lõge difficillimè contẽperamus, calore.n.inducendo replentur magis frigore humor in eo nimiũ desigitur. At purgatum corpus prius esse debet, Facile hoc dictu est, sed nescio, an p̃stari D possit, q̃n natura ita exacte expurgari, curariue uiscera possunt, ut nihil ex quotidiana coctione in caput rapiatur? Vt fiat hæc expurgatio oĩno exacta, contẽperatioq; membrorũ, nescio tñ notã aliq̃, qua certi esse possimus, q̃n caput nihil affici possit a uisceribus alimenta administrantibus, vt tuto ipsum tractemus, quare veteris capitis mali ego non spero curationẽ mitigabitur quidẽ forsan, & sustinebitur aliquantũ eius vita malum tñ trahet ipsam usq; quo intereat, quod si rõnes non possunt, experientia mihi a uobis hoc impetrabit. Nã tot facta sũt remedia, & illa quidẽ ualentissima, vt diuturnę guaiaci potiones, vt destillationes aquarum thermaliũ, ut cauteria quatuor, quæ, tñ oĩa nihil fecerunt, quare ego aliquid ꝑ- E futurũ ad sanitatẽ integrã crediderim? aliquid tñ ad mitigationẽ mali posse propositã curationẽ sperarim. Quõ aut mitigabitur? facile dictu est, nescio an ita facile factu. Nã humorũ copia adest, copiæ intemperies subest ĩ oĩbus dictis uisceribus, & postea in aliis mẽbris. Primũ copia uiscerib. submouenda est, deinde intemperies moderanda priuatim postea singulis mẽbris curationes adhibendæ. Copia tribus illis nostris tñ instrumentis tolli põt chirurgico, pharmaceutico, diętetico. De chirurgico quid putas? detrahendus ne est sanguis per sectã uenam, an non? Spectatissimi uiri, cũ me conuerto ad opiniones multitudinis hic sectionem uenæ fugio, tanta.n.est corporis tenuitas, ut uetenda sanguinis detractio uideatur, quod ẽt præceptũ sit a Gal. & Hippocrate in extremis maciebus vitandam esse sanguinis detractionẽ. Cũ tñ nostrę artis, uel potius naturæ præcepta legesque considero, toto animo ad secandam uenã descẽdo, morbus .n.magnus est, quod unum hoc sufficit Galeno nostro doctori ad uenam aperiendam, nisi quod suberit a uiribus impedimenti. At detractio sanguinis proprium superantiæ sanguinis remedium est, cum contraria contrarijs curanda sint, hic vero nulla sanguinis abundantia. Imo contra ipse Galenus nullis ẽt plenitudinis notis extantibus, morbo magno instante secandã esse uenam iubet, saltẽ inquies notæ illius plenitudinis, quæ pro uiribus nimia est, sunt necessarię, credo quidẽ.s.imo uel si cacochimiæ notæ affluerunt, venæ sectio non impeditur, ut inquit Galenus lib. de rõne curandi per uenę sectionẽ dicẽs, q̃d præsẽtibus ẽt cacochymiæ notis ĩ magno morbo vena secanda est; si uires steterint. At cruditate, & cacochimia nonne impeditur uenæ sectio? minime impeditur eorũ causa, sed uiriũ tantũ, nempe si tanta fuerint, quibus uires fiant imbecilles, & tunc ait Galenus pręter netas cacochimiæ ad sunt pulsus inæquales, ita, ut minores, & imbecilliores maioribus sint plures, inæqualitas .n.indicat cacochimiã, & cũ minores, imbecillioresq; fuerint plures magnis, & uehementib. tũc tanta erit imbecillitas, quæ sectionẽ venæ impediat tenuitas ergo huius corporis, cũ pulsus non solũ non sint imbecilles pluresquã uehementiores, sed neque quidẽ inæquales sint, nedũ imbecilles, propterea nõ est iudicãda tãta, quæ sectionẽ uenæ impediat. Videmus uero ẽt turgẽtes uenas, ut erant in ea muliere. Galeni in Epid. huic sane similima, quæ plenitudinẽ, q̃uis uitiosam significant, illa uero uasa ẽt extendit, etsi quoad uires illa sit iudicãda, nã carnes ẽt nutrijsset, si boni succi esset cacochimia ergo est, & significat læsam uim cõncoctricẽ, cũ tñ ad uitalem uim nõ perueniat tanta noxa (aliqua.n. ad eã certe etiã pertinet) quanta uenę sectionẽ impediat, secandã uenã statuerẽ. At quantæ uires sint, & quantæ requirantur, ad secandã uenã, quis exacte põt iudicare? maior quidẽ uis requiritur, ut secare uenam liceat, q̃ vt corpus purgare, cũ in utraque re uires uigere oporteat, nã purgatio alimẽtũ corpori non subtrahit, ut uenæ secia facit. Quãtæ tñ adesse debeãt, & q̃uo cognoscantur hoc opus, hic labor & indocilis iudicij res est. Sequemur Galenũ, & cũ plures fuerint imbecilles pulsus fortibus uenæ sectionẽ prætermittemus. Quid? quod partiri possumus hanc sanguinis detractionẽ, & epicerastica uti curatione? renutritione interiecta inter multas venæ sectiones, sic.n. & copia imminuitur, & uires sustentantur. Sed qua parte uenã incideres? acciperẽ uenã hepaticam sic medicis dictã internam in cubiti vinctura, nec minores hic uenas aperirem, ut incisio amplior fieri, & crassior sanguis effluere possit, quo plenum esse hoc corpus ex nigredine uenarũ cernimus, & ex febre assidua possumus coniectare.

In minoribus enim uenis fieri non potest neque ampla incisio, neque etiam obliqua, ut docent artifices, quo sanguis liberius effundatur. At cur pedis, uel tali uenam non deligeres mensibus imminutis, & forte materiam inde malis tantis subministrantibus? Certe, si crederem hanc mensium imminutionem fuisse tantorum malorum causam ad talum inciderem, ut inde, unde mali origo, eius curationem ordirer, at quomodo mihi integrum fit, ac liberum posse causari menses, si in ueteribus malis recens est illa diminutio? Sequuta est illa reliqua mala, non autem præcessit, potius ex febre consumente sanguinis humidum & crassiorem efficiente ea euenit, quam ut ex ipsa reliqua incæperint.

Pręterea dummodo ego tollam antecedentem uocatam causam, quæ omnino est sanguis crassior, qui eo loco per quem crassiori sanguini lata uia fieri potest detrahendus est, mẽsibus postea uia poterit suo tempore aperiri, propterea quod incisa primũ inferius uena traheretur facile copię crassę ad uterũ, & magis locũ infarciret retrahenda igitur potius ab uteri obstructione, quam ad uterum deducatur, ut postea facilius per uterum exigua

elicita effundatur. In articulo igitur brachij, cubiti uenam censeo aperiendam, & ita visceribus primo exonerandis, & multæ copiæ diminuendæ vacandum, sanguinis detractionem partiendam, & postea cum suis temporibus non effluent mẽses, illorũ temporibus propinquis ego ad talum venam apertirem, purgationibus humorũ, & extenuationibus prius absolutis. Pharmaciam ab incisa cubiti vena eo ordine adhiberem, qui in medicina facienda præcipitur, ut prius detergentia, concoquentiaque humorem, deinde extenuantia, & postremo aperiẽtia, purgantiaque exhiberentur. Ac frigida cum calidis confusa cum sint, ego mediocribus vel temperate frigidis cum calidioribus commiscerem, rosas, cicoracea, & borraginem agrimoniæ, betonicę stoechadique, & similibus, quibus etiam capiti consulerem, & ventriculo, nedum cordi, & hepati. Interea enim dum humores mitigantur, membra etiam ad suam naturam æquè referuntur, vt in suam temperiem recepta contra malam vim humorum agant, vbi rosæ, & stœchas, ac betonica capiti, cicorea & agrimonia hepati omnia vero ventriculo consulent, quod rosa abstergendo, firmandoque faciat, quæ hepati quoque refrigerando profutura est. Cũ incidendum extenuandumque erit, oximelle potissimũ vterer, cum abstergendum magis melle rosaceo cum ipsis cicotaceis, vt syrupo de cicorea Nicoli sine rhabarbaro, cum aperiendum tandem radicibus, & adiantho & lupulis, & cæteris eiusmodi, atque etiam calidioribus. Cum semel purgato corpore vehementius erit agendũ, ad syrupos compositiores de betonica compositum, de stœchade, de fumoterra compositum, de pomis compositum, expurgarem postea ex sena, agarico, & rhabarbaro, cum diacatholicone, cum pillulis etiam cochijs, pro ratione eorum quæ tunc in corpore versabuntur.

Visceribus mediis sic expurgatis ascenderem ad partes eminentes, vt cutim, vt artus, vt caput, quæ etiam ijs, quæ intus sumuntur curari solent, vt per ea, quæ sudores euocant quæ per totas venas citò cutim petẽt, & caput, & artus ipsos, sic venas omnes, sic carnes, & cutim expurgando. Natura quidem potest quandoque per aluũ vel extimas corporis partes deplere, vt contingit refrigerationibus cutis alui fluorem mouentibus natura à cute in ventrem tota conuersa. At in hoc ars naturam nõ potest ita tutò imitari, cum vi moueat, quare potius extima per sudores expurgat. Itaque nostris temporibus in more positum est, vt vtamur aquæ potionibus per plures dies, cui incoctum sit vel guaiacum, vel salsa parilia, quibus potionibus sudor facile euocatur, & corporis eminẽtiores partes expurgantur, habet etiam guaiacum eam vim, quam considerabat, disputabatque longius Galenus esse principibus visceribus oportunam, ac necessariam, quæ acris est, aperiens, atque subacerba cuius hic ego vim nolo explicare, quam vos minime omniũ ignoratis, solum dicã quod acerbitas eius, præterquam quod firmandis visceribus facit, ẽt vi aperiendi altius defigendo, deducendoque calorem etiam moderat, ne visceribus infensus sit.

Vnde cum calor ille in ventriculo sui tenuitate facile absumatur, & restet austeris partibus vt crassioribus dominium, interiora viscera utilius afficiuntur. Itaque si potissima mihi cura esset ipsius hepatis, ego sane guaiacum adhiberem. At, quoniam fertur, & ratione, ac experimento est cognitum, salsam patiliam citius penetrare, faciliusq; sudores prolicere, & capiti certa suapte vi prodesse, ego hac potius vterer, cum artus, & caput maxime putem post expurgatum corpus esse spectanda. Si quis dicat acerbitas acumini adiuncta citam magis facit penetrationem, ego dicerem nõ citam quidem magis, sed ad altiora, imo tardiorem, & non ad longinquiora, cum tarditate sua acumen amittat, austeritatemque retineat, quare longius salsam pariliam posse pertinete, quoniam salsa parilia citius a calore mutatur minus terræ habens & tenuis naturæ, & aquæ particeps ad cutim peruenit in vaporem mutata, & ita etiam capiti propriè facit, vt & periti aiunt, & nos experti sæpe sumus.

A His factis ad Lucenses aquas, & per potiones, & destillationem, & balneationem dandas deuenirem, quibus si malum non cederet, sufficerem cauteria, nam in miserrimo malo miserum remedium tolerabile putarẽ: gerit vero gemina in cruribus cauteria, nihil adhuc proficiunt, duo in humeris diu gessit nihil tamen melius habuit: ego ab hoc genere remediorum minus sperarem leuamenti quam sperem ab aliis, vna cum omnia conuenerint, nam leue omninò auxilium ab omnibus his singulis exspecto, & fere nullum, ut dixi, coniunctim verò adhibitis omnibus cauteria erunt utiliora. Capitine dares cauterium? darem, cum præceps morbus, & destillatio periculum minabitur, alioquin non, nempe si omniũ prius viscerum integritatem possem obtinere, alioquin omne malum caput à reliquis ad se reuocaret, quare cer-

B tæ notæ sunt expetendæ, quibus appareat totum corpus expurgatum omni superuacuo, humore, quæ, an certe haberi possint, uestri sit iudicii.

Victus ratio est tertium instrumentum, cuius opera vtitur medicus ad valetudinem. In ea sic temperarem mihi, vt nec tenui ualde nec extenuanti vterer, nam nec tenuem ualde longinquitas morbi, nec extenuãtem fluxiones postulant. Mediocris igitur materiæ cibos probarem, & leniter refrigeratis. In potione a uino arcerem, nam caput infirmum uino nimis læditur. At uentriculus? Incoquerem in aqua aliquid, quod ventriculum tueretur, & plus facerer ei tuendo, quam exigua uini portio cum aqua mixta, aut ipsum oligophoron uinum, nec capiti ita officeret, neque fluxiones cieret. Sic me gererẽ. Viri celebres.

C Præteritum, & consilium Iacob Schiopium.

Sermo de morbo Philippi Stridonij cum Curtono medico habitus Limaci.

CONSVLTATIO CCCXLVII.

Catum fuit Vir præstantissime audijsse ex te huius ce mali historiam, ut possim ipsius curam suscipere, si forte viuum hoc corpus Veronam transferatur, & profectò ex his, quæ egeris tu egò facilius agenda colligam. Dicturus uero nũc de eodem malo ita statuo, nos potius officium, quam beneficium ipsi posse præstare, o-

D peram potius, quam auxilium nostri desiderij notam, non huius mali medelam esse ostensuros, & nostra voluntate suorum gratiam, opera tamen sanitatem ipsius minimè consequuturos.

Malum enim adeo graue est, vires tam sunt infirmę, vt de salute huius corporis omnino sit desperandũ, quare longior est futura oratio ad ægritudinem exponendã, quam curandam, Iam ipsam rem aggredior. Vir is venerandus ætate 64. annorum corporis robur a natura nactus non mediocre, calore atque humore abundans, nũquam non neglexit ualetudinis tuitionem, cibis crassioribus nullo ordine sumendis delectatus, præcipue verò, cum sæpe nimium abstineret a cibo, in potionibus nihi

E lominus interea intemperatus esse consueuit, vt fere solent qui articulorum doloribus obnoxij sunt, quæ res visceribus omnibus, & partibus neruosis ualde aduersatur, eorumque uim consumit, crudiorem autem, & nimis ichorosum sanguinem cito uini transitum facit, ut non sit mirum, si idem fluxilis, & crudus, inædiaque calefactus articulos petit.

Præterea statim a cibo laboriosis ambulationibus sæpe uti consueuit, non ad ualetudinem, sed utcunque in animum incideret, negociorum fugiendorum, & animi laxandi causa pedibus urbe excedere, & excurrere ad primum saltem lapidem calidissimis etiam temporibus quandoque otio studijsque nimis sedare, hoc est, modo plus iusto, modo nõ satis se se exercere, præterea, quoties aluus adstricta esset, continuo passulas conditas cum ualentioribus medicis sumebat, & suis temporibus etiam

rosas recetes primo cibo ex aceto comedebat, eius præsertim generis, quas musc hiete nos appellamus, quarum vi infesta aluus nimis sæpè flueret, viresque ventris consumerentur, quibus corpus insalubre factum modo febres, modo dolores articulorum arripiebant, cum quibus renum etiam infirmitas erat sæpè coniuncta, atque cum eiusmodi malis premeretur, neque satis iacebat, neque etiam interdum domi se continebat, neque medici consilio vtebatur, sed sponte modo nimium abstinebat, vt per duos etiam dies nihil acciperet, modo solam aquam, & illam multam bibebat, interdum medicamentis sponte vtebatur, interdum a Medico etiam improbata, & prohibita volebat assumere.

Quibus ita propositis subijcienda est tua huius ægritudinis historiæ; Febris cæpit sub finem Maij, illa tertianis circuitibus diu traxit, in qua ipse modo Medici consilio; modo sponte multa egit; præterijt plura, quæ ad valetudinem erant necessaria, & cum leuius habere sibi videbatur, domi se non continebat, cum fortè continenter febriret, ab acceptis rosis aluus liquida, citaque nimis diu fuit, semper inde varia deiecit liquida, lutea, viridia, lentaque, sub quibus cum dolore etiam aluus ferebatur, fœdumque odorem habebat. Subinde febris incertos habere circuitus cæpit, ipse verò languere, inde circuitus quartanos succedere vnus, & item alter, ac tertius, quibus adeò infirmis viribus factus est, vt iam vix aliam aliquam accessionem ferre meo iudicio possit, cui rei augendæ multum fecit vomitus ille assiduus, ex quo postea vix quidquam cibi acciperet, & acceptũ reijceret, volens ipse, & sponte sua tanquam nimis infestum, vnde sola ouorum lutea singula, aut bina singulis diebus, potest iam adduci, vt assumat, & sæpè, vt referunt ea, quæ assumpta sunt, vix immutata vomitu reijcit. Lingua arida est, quod perpetua febri laborare indicat, extrema sæpè frigida, vngues sæpè nigri, quod accessionum nota est, tum de virtute suspicionem auget, vrinæ etiam cum sedimentis nigris fuscæ, & malitiã febris, & vitium infirmitatem significant. Itaque vrinæ quidem, & aluus facultatis nutricis, pulsus etiam vitalis infirmitatem denotant, hi enim sæpè intermittũt, quod in senibus quidem minus terribile est, at semper sunt infirmi, & parui, frequentiaque, & crebritate supplent euentandi necessitati. Quid causæ subsit his malis difficile hinc dictu non est. Nam primum corpora plurimo sanguine referta, plurima etiam fece sanguinis prędita sunt, præsertim ætate iam inclinata, nec ita multũ natura consumere, aut excernere valente, maximè verò, cum propter calorem ex euentibus quibusdam sæpè hæc corpora bilem generent, illaque diutius insistens exuratur, quod in hoc corpore fuit facilè ex ciborum genere, fame, labore, & calore febris longo.

Itaque hoc corpus atro humore plurimo refertum esse necesse est, scilicet cum fęcoso sanguine, tum exusto ipso, vt bile exusta, pituitæ etiam, & bili mixtos esse humores hosce planum fit, quoniam ventriculi infirmitas non potest non pituitæ mater esse. Vnde tertiana nostra primum ex bile nondum exusta facile alijs humoribus occupata, deinde erraticę febres tenuiori bile dissoluta, crassaque relicta, & varietate humorum, tãdem quartam circuitus iam exustus pariter ad extremũ humoribus, hanc materiam putrescere est notum ex accessionibus, intra venas etiam id apparet, quoniam febris perpetua inuenitur, & vrinæ ita malæ sunt, & lingua semper arida, & vires infirmę etiam. Sed quid morior? mortem minantur omnia, & nos tempus conterimus disputationibus. Vires non possunt ferre morbi magnitudinem, longè minus humoris concoquendi lõgum spatium, mitigare ipsum nec longo, nec breui spatio poterunt, longo, quoniam imbecillimæ sunt, nec sufficient eousque breui, quoniam humor sua natura durior est, nec breui potest mitigari. Quid agendum igitur? Solatium afferemus, vitam trahemus cibis facilibus concoctu, vt luteis ouorum cum vino contusis, carnium excolatis potius quam destillatis. At in Vrbẽ ne est remittendus? Hic ita me explico, malum est, si moueamus ipsum; malum etiam si desiderio eius tam vehementi repugnemus: quod nam peius? quando illi hoc malo est pereundum satisfacerem ei potius morte etiam citius futura, quam repugnarem tam perdite cupienti, quando ea cupiditate pariter citius consumetur, ita perturbari animo ipsum, cum suspicatus sibi non fore satisfactum, videtis vt mortem miscere appetat, & ea certè cruciatu hoc animi citius etiã, quam ex itineris metu euentura sit. Motus corporis mortem accelerabit leniorem, motus animi molestiorem citius efficiet.

Interea inungerem cordis locum ex vnguento mitridatica antico, gariophyllis, aceto rosaceo. Nam liquidum epithema in corpore iam extimis partibus refrigescente, nimis refrigescit. Ventriculum verò oleo masticino, absinthij, spicato, cum pulueribus aromat. rosati. nuce moschatæ, macere, gariophylis, & ad cibum expressas potius quam destillandas corporis carnes darem. Extrema calidis fouerem, & etiam pectus, linguã detergerem cum aqua, & aceto melle terciarem cum expresso succo s. cucurbitæ temporibus, & locis pulsuũ ex rosa maluatico inspergerem, vt sustineatur spiritus, donec in Vrbem relatus sit.

Secũda aut tertia die postquam Leniaco relatus fuit in vrbem itinere 25. millibus passuum duobus diebus perfecto, interijt, sudore quodam lento, & frigidiore per duos postremos dies perfusus.

Pro meipso cum Salio, Lando, & Iuliaria.

CONSVLTATIO CCCXLVIII.

Requisiui vestras sententias Viri prudentissimi, ne in meipso ob animi affectum decipiar, dum sanitatem remedijs exquiro, propterea exponam vobis & quid contigerit in me mali, & quibus remedijs aduersus illud vti cogitarim. Altius verò initium accipiam, vt coniectura facilior habeatur. Ad Idus Iulij, aut saltem postera die, cum vellem mutassem frigus me male habuit, præcipuè circum stomachum, atq; inde quotidie ad horam sextam a cibo sumpto incessabat quædam molestia, quæ me miserę admodum afflictabat, misere inquam potius tristitia quadam, ac animi languore, quando dolore vllo vehementi, ex dolore tamen quodam occulto, iniquo, ac maligno illa tristitia proficiscebatur, opprimebatur os ventris, dilaniabaturque, tacita quadam vi, vnde exhorrescerem, languerem, æstuaremque, qui dolor quinquaginta dierum spacio me quotidie quinis horis a cibo interdiu per duas horas infestauit, ac sæpè etiam noctu certa hora a cœna, post verò huius molestiæ decessionem non multo spatio sequutus est quidam cutis pruritus, primum crura, deinde etiam reliquum corpus tentans, qui triginta dierum spatio in scabiem peruenit eiusmodi, quæ prius totum corpus, deinde manus extremas fœdarit, neq; manus ita pruriebant, sed pustulis duris, minutis, albis, humore aqueo scatentibus, & pauco, turpiores manus indies fiebant, minuta interea scabie truncum, & artus exercente, vt fęmora a cęna prurituinsigni, reliquis horis nullo, cum quibus vigiliæ affuerunt, sine causa manifesta. Cum autem mihi contigerit iter Venetias coryza initio sum correptus quæ creuit celeriter excremẽtis abundantissimis. Venetijs modo calorem, modo frigus sentiebam, vt vias vel in meridiem, vel in orientem ambulabam, frigus verò tam molestum erat, vt quandoque ossa ipsa frigore figi, vel secari viderentur, quandoque vero calore caput graue, æstuosumque fieret, tertio itaque die a prima corizæ inuasione sub noctem graui primum molestia, deinde horrore, ac rigore concutiente membra omnia perculsus sum, decubuique,

buique,& post tres horas decedēte horrore omni quieui somno grauiori,a quo os limosum fuit,& admirabili quodam fastidiosoque sapore plenum.

Interea scabies illa cutem relinquebat, subsequutus inde dolor est ad costas sinistras interiores, qui ex tussi non incitabatur quidem, at ex dilatatione vehementiori thoracis totum ilium dolore complebat, vnde angustus erat spiritus eius doloris metu, nec libenter tussiebam altius,ne plenior spiritus distenderet nimis thoracem, iliumque dolore eo irritaret. Dolor primo ab auroræ,per duas,aut tres horas magnus fuit, nunquam acutus, tundebat quidem, sed ictu hebeti, vt inflando distendendoque solet,inclinatus est postea, vt spirarem liberius vsque in noctem,qua rursus molestior factus ad lumbos etiam pertinuit, vnde cum antea nō potuissem in latus ipsum iacere ob dolorem, qui a viscerum decubitu in eam partem, & renixu subiectæ culcitræ in ipsum exacerbaretur, ea nocte neque in dorsum etiam iacere ob lumbos dolentes licuit, in alterum quidem latus iacere facilè poteram, ita tamen, si conuerterer, vt ilium non extenderetur, potius ita flecterer, ut reductis sursum femoribus venter laxus seruaretur. Sic enim remisso abdomine, laxaque dolor remittebatur, ex accepto medicamento per bolos ex cassia ad ℥.1.& hiera ad ℈.4. dolor multum remissus est, & inde semper leuior paulatim factus, vt etiam postea aliquid eius sentiretur ad 30.diem,& amplius; Medici pleuritidem meruebāt, & ego nihil minus. Inclinante tamen dolore sequutū est sputum luteum primo, deinde rubeum dilutiori autem colore, vt cutis humanæ coloratæ, facieique color ruber esse solet, quod neque difficile excreabatur, neque multa tussi, singulo enim spiritu eijciebatur,& præsertim tunc, cum in dorsum decumbebam mihi vero videbatur a capite a febre, calfacto in fauces ferri, vnde descendebat multa catharri copia, certe quidem a loco dolente non ascendere eram certus, nulla exacerbatione doloris per tussim percepta, color quidem permixtionem longam, ac perfectam sanguinis exigui cū pituita designabat, & quodam loco misceri diu simul, vnde postea eijceretur, at neque a faucibus distare locum vnde excernebatur vi spiritus, neque a loco doloris educi credebam, in latus dolens non posse decumbere affecto thorace affectum exterius esse indicat.

Qui igitur posset ab externo abscesu tam facilè in pulmones materia redire? Non erat igitur in thorace dolor, neque exterius erat affectus, nam costę lecto incumbentes non augebant dolorem, sed viscera, sed renixus culcitræ in inflatum ilium, quæ omnia imprimebant, subtus in septum transuersum in partes ad splen dolētes totam vim ponderis,& inflationis, transcolari fortè poterat ex pulmonibus flos ille, seu ichor sanguinis à calore febris per vaporem effusus, pituitæque miscebantur in vijs latioribus arteriæ qui non efficeret spiritus angustiam, quoniā materia tenuissima non erat multa, quod facilius fieret impetu ad interna externis frigoribus facto nam scabies breui interuallo penitus ex toto cutem reliquerat, ego candidam, puramque illam cernebam sub eo pleuritidis metu, cum missionem sanguinis medici necessariam putarent, ego verò secandam venam minimè oportere contenderem, illi ex hæmorrhoidum venis ad ℥. 8. sanguinis extraxere, & iura ex liquiritia, hordeoque dabant, sex dierum spatio ita leuatus sum, vt itineri me concredere ausus sim, in quo semper firmior euasi sex diebus exiguo itinere confecto, robustus quidem videbar, at quietis cupidus eram, eo consilio verò me continebam etiam in lectulo, ne rogantibus,& aduocantibus ad ægrotos me meam operam denegare graue esset, verum hoc, quod erat consilij paulo post necessitatis fuit, sudoribus enim superuenientibus partim ex malo non ita belle discusso, partim ex largiori victu (cibi enim cupidior eram) vellem nollem mihi fuit iacēdum & pluri vestimento tegi humore frigido onustus delectabar, cum sudore scabies, quæ totis primis tribus diebus delituerat, & subinde paulatim emergere cæperat, acerbior repentè sub sudoribus facta est,& statim in manum sinistram tanta affluxit, vt me miscerè perderet, tumuit illa, tumuit, totum brachium, doloreque tanto est affecta, vt toto corpore dolerem, & ventre acerbè, dicebam mecum, aut malignus est hic humor, aut singulæ pustulæ singulum neruum attingunt, videbantur enim nerui sub eo dolore dilaniari, quod fieri non potuisset, nisi secundum neruos defluxisset materia, neque secundum neruos descendere poterat, nisi à capite mitteretur, malignior illa mihi non est iudicata, quoniā neque cutim erodebat, neque infectam malo colore relinquebat, tumorem rubeum efficiebat, citò suppurabatur bono puris colore, citò vlcera sanescebant. Itaque caput fontem totius mali statuere audebam, quamuis à corpore toto multum materiei suppeteret, remisso malo in manu, & sudoribus inclinatis, dolor cum scabie ad os sacrum descenderant, vigiliæ superuenere, quæ quidem etiam superioribus diebus cum iter mihi Venetias contigit me infestabant. Venetijs, totoque itinere, & multo etiam post me reliquerant, nunc verò tam molestæ sunt reuersæ, vt quandoque vsque in aurorā trahant, aut saltem, quod vt plurimum fit, tota vix hora à cœna conquiescam, deinde totis sex, vigilem, cum verò propè est aurora, tam graui somno tenear, vt miserum sit vel dormiam, vel vrgenti somno resistam, vtrumque enim me habet pessimè. Vestigio interim vetusti aliquo remanente, vel saltem tunc refricante, cum frigus locum attigerit.

His ita expositis impellor ego, vt quęram remedium vigilijs, scabiei, atque etiam dolori, quorum fortè vna, eademque causa est, vt à primò symptomate exorsus dicam, si non piget vos audire. Dolor ille ventriculi proxima æstate non erat à bile, quoniam nec sitis erat, neque cibi cupiditas penitus aberat, imò ex modo illo tristi, miseroque insidiosi doloris potius inimicus viuenti naturæ humor, hoc est generis melancholici iudicari poterat, veris enim tempore corpus purgaram à pituita, atque bile, tenuem viuendi rationem seruaueram,& aquæ potu vsus eram, cum æstas autem superuenit metuens ventriculo vino valdè temperato vsus sum, institutam tamen accidit mihi interrumpere illam tenuem viuendi rationem conuiuijs continuatis per multos dies, in quibus multo cibo, varioque vtebar, cum hoc accidisset aliena regione vbi cibi potionesque duriores erant, dolor ille ventriculi sequutus est, in patria verò conuiuijs alijs incidentibus longis non ita multum videbatur exacerbari, intendebatur quidem, at non pro intemperantia, à qua tenuem viuendi rationem interpellante si ille dolor ortum duxit, qua vinis crudioribus vsus eram, & in regione aliena, fortè in patria ex intemperantia nō ita languescente ventriculo, vinis mitioribus non ita exacerbabatur. Decessit verò dolor ille quadam nocte cū in cænatus cubitum iuissem, quāuis interea sæpè in conuiuijs essem, inde scabie suborta purgaui iterum corpus bile,& pituita respiciens caput, cum capitis natura ferè infirmioris quendam vetustum affectum timerem potius, quam eam scabiem. Quid quæris? non possum statuere illum melancholicum humorem ventriculi in scabiem degenerasse, quoniam in ea pituita primum cum bile aperte infestabat, deinde etiam non sine ea, crassitudo enim tanta non fuit, nec tam squalida, neque tanta cutis fœditas, tantaque pustularum profunditas, extimam enim vix cutem asperam reddebat, exterius suppurabant, nihil infectum colore malo, aut cicatrice relinquebant in corpore igitur insistens potuit exiguus ille humor melancholicus cum bile, recepto repentè vsu vini à ventriculo ad superiores venas reuocari, & ibi permixtus pituitæ salsæ, & bili simul cum illis permisceri qui cum non posset ita citò exire ob crassitiem vigilias illas effecerit, deinde cum esset à natura paratus, & vna cum pituita permixtus, ad expellēdumque promptus ex eo frigore,& calore vicissim mouentibus, exagitatus demum à frigore ad propria loca compulsus est circū ipsum lienem, ibique dolorem concitauit vna cum pitui-

ta

ta coniunctus, & postremò sudores, & vigilias, & facit A circum lienem perpetuò flatum aliquem, cum sudoribus non penitus possit exhauriri cum frigore temporis retineatur. Quare causam doloris ventriculi, doloris hypochondrij, ne dicam lateris, & scabiei non dissimilem facerem, nisi quod scabies adiecit bilem, ut etiam sudor & bilem, & magis solutam pituitam. Adijci autem potuit facile bilis, quoniam cum purgabam corpus identidem superioribus temporibus quærens capitis exsiccationem, utebar aloe, masti chinis, utebar nucibus myristicis, condiebam cibos fœniculo, euphragia, coriandris nucibus mytisticis, cinnamomo, garyophillis. Vere aût proximo, & autumno usus eram theriaca confectione satis diu, unde calidius natura hepar, & illis medicamẽtis etiam factum, potuit plus bilis procreare, pituitam uero exasflare, in serum liquare, salsamque efficere, uidi in B alijs usum theriacæ, & mithridatis scabiem peperisse sudorum causa eadem pituita, & bilis esse possunt cum melancholico humore coniuncta. At non ita facilè id efficerent, nisi corpus valdè esset in sudorem procliue. Memini me ante 15. annos habuisse per 20. dies sudorem valdè aquosum, imò qui aqua pura verè videretur, & maxima in copia anno ætatis meæ 20. iam cõpleto, quo tamen à rebus meis, necessitatibusque studiorum non impediebar. Iterum hoc sudore cum aliquo febris momento tentatus sum 26. ætatis anno, cũ item subitum frigus ante me male habuisset, & subinde lassitudo tam grandis, vt neque in sistere neque crura mouere possem. Nunc 36. transacto ætatis meæ anno, sic vt audiuistis, affectus eisdem sudoribus tentor, quorũ causam melancholicum illum humorem bilioso, pituitosoque multo, & liquido admixtum, tum corporis in illud promptitudinem iudico, qui sudores euacuandis his humoribus in corpore per se admodum idoneo commodi sunt, tamen non nisi longo tempore id perficerent, vel si cœli temperies aliquo calore iuuaret. Hieme verò satis frigida certè nimium trahet, quare ea deliberatio, vt mihi videtur, necessaria est. An phamarco etiam si humores iputgandi sint, an permittenda sudoribus tota eorum discussio. Vbi veni in eam sententiam, vt medicinæ potius opera quam sudorum lõgo tædio vti velim, hi enim naturæ vires affligunt, caput replent, corpus omnes dissoluunt, coctiones perturbant, vnde coctionis vitia, & multa alia mala exoriuntur, citius præsertim hoc anni tempore per medicinam, & longè commodius educentur, si prius parati, & mitigati fuerint à natura, & potionibus. Verum iam mitigatos credo, paratosque quoniam iam per nouem dies post medicinam quandam leuem accepi per potionem endiuiam, boraginem, betonicam, & tandem petroselini radices, illa ad mitigandum, hæc ad parandas vias commoda, genus verò medicinæ id putabam oportunum, quod exustos humores educeret, præsertim bilem, & pituitam salsam, è vigilijs enim, vt dixi, exustos subesse coniectabam, in quibus ex timam quidem cutim tantum liquidiores obtinere, magis verò crassos atque exustos venas non exire, ex quorũ halitu vigiliæ enascerentur: pilulas ergo aggregatiuas oportunas, post dictam humorum apparationem iudicabam, atque meo animo rectè paulum etiam ellebori adijciebam, vt pilularum aggregatiuarum ℥. i. radicum ellebori .n. præparati grani 6. de illinitione hac tempestate, annique tempore non poteram persuaderi, ne corpus aliquo modo à frigore intus humores includente commoueretur, quæ quidem vobis propono iudicanda. Viri optimi atque sapientissimi.

Post purgationem factam, cum tamen illam Medici non probassent, dolor primum sinistri hypochondrii antiquis discussus est. Deinde scabies diminuta, & sponte tandem 6. post menses sub æstiuis caloribus euanuit.

Pro Illustri Cornelia Comitissa Landriana Pisauri.

CONSVLTATIO CCCXLXIX.

VT dicere non est necesse de re, quæ tam copiosè est tractata, ac exquisite explicata, sic mihi dicendum est, ne rogatus horum nobilissimorum hominum & ipsius Ducis Serenissimi operam meam denegare videar. Duplicem tertianam febrem in Illustri matrona nos videmus, huic verò etiam adiunctam esse quandã ventriculi noxam, qua vix aliquantulum cibi potest sine dolore assumere, non tam exiguum inquam sumit, quia ab eo dolorem accipiat, qui si in copia mediocri caperetur, nimium cruciatum esset allaturus. Sitis perpetua est, dolor capitis creber, tumores etiam duo sunt, alter ad costas spurias lateris dextri, alter contra ventriculum regione hypochondriorum. Excellentissimi Viri, ego puto obstructionibus multis circum iecur, & vẽtriculum hærentibus febrem excitari, & ventriculum opprimi, & latus dextrum dolore affici, & tumores illos inde ipsis partibus iecori adiunctis nasci, præsertim, qui in dextro est latere, nam, qui videtur in præcordijs contra ventriculum extimus est, intra cutem quidem, at in musculis, cutem siquidem possumus digitis comprehendere, non musculos, & tumor longus est ad rectorum musculorum ductum, quod autem tumoris in C dextra parte intus est, in carne iecoris non est, sed viarum, & vasorum obstructio est, vnde partes circumpositæ flatu tendantur, & ita accepto cibo tenditur etiam ventriculus, & maximè laborat, tum externo incumbentium musculorum tumore compressus, tum interno obstructionum malo flatibus, & ichoribus, & angustia obsessus, de tumore in dextro latere quid dicam, nihil certi habeo, quoniam tactu ego non percipio nisi costas, & cum comprimo costas intus dolet, quare dolor ille substantibus partibus fit, non quidem a iecoris tumore, quoniam esset species inflammationis, cuius nullam notam habemus, vt dicam, a tensione ergo facta potius ab obstructionibus fit, ex quibus febris existit, quæ quidem in humoribus posita est putrescẽtibus ob illas obstructiones, hoc pulsus & motionibus, & in- D teruallis impares, hoc compressio hoc frigus quotidie accedens indicant, & vrinæ, quæ non solum suum colorem mutarunt, sed tam turbidæ, tamque obscuro colore sunt, vt malitiam multam humorum, & copiã, & obstructionem gibbæ iecoris partis significent.

Qui verò humor is sit, qui putrescat, longitudo accessionum, modus caloris, frigoris, incrementi, pulsusque docent, & reuera docent esse humores crassos, pituitosos scilicet, & melancholicos non sine flauis putrescere.

Confirmant idem præcedentes causæ, vt itinera laboriosa in equo facta, animi angustiæ multę subito post vitam superiorem omnino quietam, a laboribus enim ab otio subitis, & intempestiuis crudi liquantur, funduntur que per corpus vniuersum humores, & ad angustas venas, quas obstruunt, cum morãtur, & ob motum E concrescunt, & obstructa loca vel flatu, vel etiam infarctu ipso tensa tument, perspiratione verò impedita putredo fit, non enim credo tumorem propriè, aut inflãmationem hanc esse hepatis, cum accessiones frigus habeant, more eorum quæ extra viscera, & venas viscerũ fiunt, nec sitis multa, nec arida lingua, nec febris acuta subsit. At Paulus, & alij dicunt, etiam fieri sine his inflammationem huius visceris, id quidem aiunt, sed hoc modo aiunt non statim adesse febrem euidentem, cũ scilicet incipit inflammatio, neque dum facta ea insigni aliqua sui parte est, at cum progressa longius est, nõ potest non adesse putredo, ac febris quæ necessario cõtinua erit, & sine frigore omnino ob locũ. At iam 11. dies præteriti sunt cum cæpit, laborat febre duplici tertiana

tiana intermittente primum cum frigore redeunte, deinde assidua facta iam quinque dies, cum frigore tamē increscente. Esto verò fit sine frigore febris incrementum, tumor iecinoris, si vllus est, iam quinque dies saltem affuit, vnde, quoniam febrem facit, species aliqua inflammationis esset, & ea, quæ ad œdematis genus nō accederet, quoniam id in iecore rarissimè locum habet & cum contigerit semper hydrops apparet, inflammatio itaque omninò continuam febrem excitasset sine frigore, quoniam frigus nota est expelli per partes sentientes materiam putrescentem, quæ inflammatio si esset, non fieret huiusmodi expulsio, sed esset febris vehementior cum linguæ nigredine, & alijs sæuioribus malis, saltem linguæ, quam experimur magis cum iecore, quam cum pulmonibus affici, ariditatem quandā perpetuam haberet, nitorem, quendam sicci corij præseferentem, quæ non videmus, imò ferè febris intermittit, si symptomatibus fides danda est, quare certè inflammatio illa non est, sed, si tumet iecoris regio tensione tumet, obstructionibus, & flatu. Quare domini laudo, quę à vobis facta sunt. Vinum tamen non laudo, quoniam materia cruda est, minus laudarem, si vobiscum sentirem hanc esse inflammationem, materia postea cocta laudarem, atque ad cætera à vobis proposita, adhibitaque remedia oxymel adijcerem, cicoraceaque ob extersionem, apertionem, & incisionem, atque eam, quam habent cum visceribus amicitiam: primo verò his simplicibus, deinde compositis vterer, & interij cetem lèues expurgationes, in quibus rhabarbarum primas partes habetet, quod & humorem valdè crassum, ac pituitosum expurgare possumus experimēto intelligere, vnica satis non erit, quoniam longus erit morbus. Fotus etiam purgationibus eruntinterponendi, & illitiones, atque is morbus, Fotus etiam purgationibus erunt inter ponendi, & illinitiones, qui morbus si ita vt dixi, curētur, auferetur certè, quamquam lente, & postea relinquet viscera labefactata.

Morbus cito quidem declinauit, at tarde discussus est, ipsa vero egre diu sic habuit.

Pro D. Marietta Buratelæ cum Chairo.

CONSVLTATIO CCCL.

AFfectum ventriculum omnes videmus, vomit D quotidie incredibilem pituitæ copiam, quæ, si attollatur, grauissima, ac crassissima materia est, febre verò continua etiam opprimitur, & multis, ac circiter 12. iam annis ita affecta est, vt quibusque annis singulis, aut binos totos menses, aut trinos etiam vexetur, præsertim vere, & autumno, quę mala cum dolore, caloreque summo capitis, ac perpetuis vigilijs perfert.

Cuius affectus curatio iam 12. annos continua fuit; & medicamentis non solum non cessit, sed neque purgari vnquam corpus, aut aluus moueri illis vel valentissimis potuit, solum sitim sibi inferentibus, quam sitim nunquam, nisi aut à medicina, aut à clystere sentire cōsueuit. Ego temperaturam huius corporis credo fuisse aliquanto humidiorem, minimè verò calidam, vnde pleno carnium admodum corpore est, colore nunc plumbeo, vel albo, saltem cum sana esset, humidiorem qui- E dem ob iecur, frigidiorem verò ob cor, capiti autem capillos multos datos, & nigros, ob siccitatem aliquam illius, & mediocrem calorem, sic enim halitus lōgius progressi exusti, & fumosi, magis fiunt, & quod in propinquis locis non possent, in remotis efficiunt.

Ac fortè corde sicco, cum qua omne corpus ab initio figuratur, cutis meatus densiores sunt, capet verò villosum, est vaporibus exitum illuc petentibus, spatio infumum conuersis, & non facile cadentibus pilis cute satis densa eos retinente, sic enim longior coma fit, & videbitis mulieribus semper raram, & breuem comam, quibus caput rarioris, & calidioris generis est, siccuis A itaque materiam suggestam à iecore humidiorem ad villos reddit idoneam, sic cutim etiam firmiorē ad eos retinendos reddit, neque ille humor iecoris permittit tantam siccitatem cuti capitis, vt nimis densa fiat, aut exitum pilorum impediat, quemadmodū impedire cognoscimus in cauis multis, in quibus per vim, & rari exeuntes pili crispi sunt, quod foramina propter duritiē cutis inæqualia habeant, nedum, quod sicciores sunt. Quare non est mirum, si capite, natura sicciore affecto à febre non dormiat, præsertim dolore à febris halitu accedente. Ventriculi genus à natura frigidius fuit, & fetè infirmum etiam ab adolescentia, nunc vero ob obstructiones ab eius cruditatibus natas, & vetustate valdè inculcatas non recipiens spiritus, à quibus coctio excitetur, frigidius sustinetur, ac tantam pituitæ copiam B generat, tam crassam, & tam viscidam, non acidū eructat, non eam cruditatem habet, quæ deijciat sæpè, & cruda, quoniam adeo frigidus non est, Itaque potius cibos mutat in eam pituitam, hoc est, in succum sibi frigido similem, præsertim ob impeditum transitum spirituum, ex qua etiam aluus non deijcit, cum detentæ ab illo glutine feces spatio obdurescant, non potest purgari à medicinis non solum ob vias impeditas, quibus impediuntur humorum transitus, id enim non omnem medicamenti actionem prohiberet, sed ob id, quod medicamēta in glutinosa illa pituita inuoluuntur, & nō possunt calefieri, vt agant, quæ pituita tanta, & tam frigida est, vt ex tanta febre non fiat sitis, quæ ex ore ventriculi deducta vel clysteribus reuellentibus, vel medicamento detergente, & exsiccante ipsam, vna & ventriculum C fit sitis, & præsertim illo detento in ventriculo neque deiecto.

In qua cura, qua salus sperari nisi spatio longo potest, ego pituitam quotidie auferrem, & viam ipsis spiritibus facerem detergentibus, incidentibus, & aperientibus, vtrumque cum hiera expurgatrice ventriculi, & aperiente viscera omnia facerem, & cum oxymelle dia spoliticō ex nitro, vel fecula facto, & diattion pipereon, & similibus, neque ab his vnquam discedetem, quibus certo, si nō curabitur, saltem leuabitur malum, validius esset guaiacum, & darem, nisi gallicæ suspicionis vulgo afferret iudicium, quod ni veremur nos, illius causa darem quidem, nam abstergit vehementer, & incidit etiā, & ventriculum confirmat maximè.

Vsu dictorum medicamentorum, & etiam guaiacani conualuit, atque eo anno diutius se ab co malo sustinuit, & firmior fuit, cum recidisset, iterum eā accepit, aluum solutiorem habuit ita vt cum tertio anno quasi fluxione alui sub co malo post acceptum guaiacū laborasset, tunc omninò liberata est, & sana satis multis annis vixit.

Pro Illustri Comite Fabio Landrino.

CONSVLTATIO CCCLI.

CVratio mihi commissa ideo est magnificienda, quoniam non solum morbus summi est periculi, sed persona maximè cōditionis, ac propterea volui vos etiam mihi adesse in consilio, quos & doctrina, & peritia existimo alijs maximè præstare, neque hoc mihi satis esse uideretur, nisi de hac re vobiscum agerem per disputationem.

Ergo prima dies huius ægritudinis fuit dies Dominica, qua post meridiem riguit ferè a prandio tota die, sub noctem verò incaluit, & febrijt, die Lunæ iuit venatum in equo, nam, cum consueuerit pedibus ire ea tamen die nō potuit, cum malè se haberet, quapropter ego incipio numerum dierum huius mali ab hoc ipso tempore, in quo impedita est eius consuetudo exercitationis, finiatur igitur prima dies hoc tempore post meridiano huius diei Lunæ, quo diu rursus eadem hora riguit, neque ferè ad noctem incaluit, inde postea vehementius

mentius incaluit maximo cum dolore capitis, qua febre, quo capitis dolore tota die martis premebatur, cũ verò expectaretur, tertia die altera accessio, quoniã duæ tertianæ sunt iudicatæ, non tamen visa est, ac potius optimè habuit, vt quidam auderent dicere non fuisse duas tertianas; sed potius ephemeram, & gaudebant nõ amplius redituram febrim.

Ego verò quarta die eam expectabam, quæ accessit nullo rigore præcurrente, & non solum noctem, sed diẽ sequentem totam, quæ Iouis fuit, ipsum afflixit, capite vehementius dolente, desijt tandem ad horam primã noctis sequentis: die Veneris post meridiem statim cæpit ægrè habere, tædio affici, maximo capitis dolore, & tandem tota corporis cute horrere, nam retulit ipse cutem sibi factam similem cuti anseris depilati, nec tamẽ incaluit, nisi ad quartam noctis horam, & inde perpetuo mihi febrire visus est, altera quoque die quidem vehementius, interea cum vrinæ primis diebus flauę fuissent, primo lucidæ, deinde minus, & crassæ, quarta die factæ sunt variæ, crassæ quidem semper, verum modo turbatæ scilicet horis matutinis, modo clariores, vt ferè a prandio, demum septima die, vt videmus, omnino pariter turbatæ sunt, a qua die incæpit etiam tacito quodam delirio opprimi, hoc est mẽte hebescere, nihil alienum loquitur, tamen non videtur apud se esse, mẽteve vigere, & hac re incipiente, vt ferẽ fit, desijt capitis dolor, non percipit sitim siti omnino substante, cum a septima die lingua arida, aspera, & sordida fuerit, quod est indicium penitus ipsum mente non cõstare, quibus notis significatur hanc febrem non solum continuam esse, sed malignam; pulsus quidem hactenus imbecilles non sunt, tamen timendum est imbecilles breui futuros, cum breue fuerit spatium ex quo maligna facta est hæc febris, nec dum vna die potuerit imbecillitatis notam euidentem demonstrare, de qua febre nobis agendum est, & explicandum quomodo tolli possit. Vt igitur modus curandi idoneus inueniatur, natura febris, & eius causæ sunt explicandæ ex ijs, quæ, nobis oculis certa subiecta sunt. Non est dubitandum febrem hãc putridã esse ex caloris genere, ex pulsibus, ac præsertim cum humores affuerint, & cum vrinę tam sint mutatę, minus dubitandum, an putredo sit intra venas maiores, cum continuam iam febrem efficiat, fuit quidem initio extra venas, & in locis carnosis sensu præditis, deinde locis eis vicinis, vt venis minoribus, cum rigebat, cũ horrebat, quod potuit effici, facilius enim, & citius humores tenues inflammantur, facilius eijciuntur ex venis, & propterea in principio ij putrefacti sunt, eiecti sunt, & rigorem pepererũt, deinde minus tenues incẽsi, lentè magis expulsi horrorem fecerunt, postea crassiores, & magis multi intra venas putrescere cæperunt, qui sua crassitie detenti sunt, & nullo horrore nunc febrẽ faciant, propterea habemus materiam intra venas putrescere, & eam non solum esse bilem crassam, sed pituitæ quoque admixtam, vt vrinæ, & lõgæ accessiones, longa accessionum initia, quæ præcessere, vt vomitus pituitosi, vt tandem modus caloris nobis tangentibus ostendit, crassam ergo materiam putrescere intra venas satis apertum est, ac si locus est definiendus, crediderim eum potius esse ad ventrem inferiorem propè iecur, & ventriculũ quam ad ventrem superiorem, & ipsos pulmones, quoniam video facilè spiritum, video vomitum crebrum, materia viciniora loca attingente, neq; enim in ambitu corporis putrescit cũ nulla sit lassitudo, nullus artuum dolor, aut grauitas, nullique horrores copia materiæ mihi multa non existimatur, cum Vir Illustris minimo semper vtatur cibo, perpetuis vtatur laborib. venando, ludendo parua pila, & sæpissimè folle, quapropter, si crassities materiæ vult longum morbum futurum, exiguitas eiusdem breuem ipsum facit. Modus putredinis ille quidem vehementior est, nam, et si vehementem calorem non effecit, tamen vehemens est; modus putredinis, vt in externis rebus videmus qñque qđ quis putrescentes res minimũ producant fœtorẽ, pessimum tamen illum, quandoque validum odorem efficiunt, eum tamen; quem nõ ita abhorreamus, si intra corpus fit; sæpè enim putredo, quæ paucam effert exhalationem, & ita paruum calorem facit, adeò tamen mala est, & naturæ inimica, vt spiritus animi, cordisq; sanguinem corrumpat, & humores oẽs perturbet, eiusmodi febrem præsentem existimo ex perturbatione humorum, vrinæ perturbatio ex corruptela spirituum fit, mẽtis illa imbecillitas, ac sẽsus interim hebetudo, qua nec capitis dolor, neque sitis percipitur: hæc est huius mali natura putredini innitens, quæ putredo suam hẽt causam obstructionem, vel quod reuera obstructæ sint vię, vel quod humorum copia in putredinem propensa, & nimium calida maiorem perspirationem requirat, quã vię naturales possint subministrare. In re nostra, in qua paucam humorum copiam, neque illam ita in putredinem procliuem, statuimus, necessario obstructas esse vias putamus, id fieri facilè potuit laboribus sub cruditate susceptis, cruditatem illam fundentibus, quę sic fusa, minores venas ingressa, in earum angustijs retenta rursus incrassatur ob partium calorem, & moram concreta, vel relicta a calore per labores accepto, per quietem in propriam naturam rediens sponte sua crassefacta. Hæc est mali natura, hæ illius sunt causæ, hanc quæ sequuntur, fere nullæ sunt, quæ alicuius momenti sint, propterea putredini, humoribus, obstructionibus tollẽdis si operam dederimus, febrilis calor, & reliqua omnia amouebuntur. Iam enim putredo tantas habet vires, vt interea, dum obstructiones submouere tẽtamus illa mali plurimum posset efficere, quare putredo ad se vocat partem plurimã curationis, quod inter initia huius mali non faciebat, igitur tũc quidem potuimus incumbere tantum causis detrahẽda sanguinis copia remotis prius per mannam cruditatibus, aperiendis obstructionibus, pręparandis ad exitum humoribus, quod fecimus, nũc incumbit etiam necessitas putredinis extinguendæ, quare, quod non esset spatium ad concoquendum ventriculi cruditates, illas per mannam detraximus, postea cum sanguinis copia, quæ quamquam vt proximum alimẽtum eidem beneualenti nihil oneris præstabat, iam naturæ infirmæ maius mali periculum minabatur, sanguinis copiam hanc detraximus secta vena, qui cum pulcher exiret, suasit non multum esse detrahendum, postea dedimus potiones pro apparatu humorum, quibus scilicet nõ quidem putrefacti humores, qui iam cõsumpti sunt, & in cinerem redacti, sed qui putrescunt, & qui proni sunt in putredinem, vt biliosi, & tenues cicoraceis mitigarẽtur, crassi autem extenuarentur, & inciderentur, lenti quoque & inciderẽtur, & extergerentur, interim etiam obstructiones haberent eam, quam monent apertionem non solum cicoraceis, sed acidis, vt acetosæ, & amaris, vt rosa adiuncto melle, & saccharo, rosam verò eo libentius adiecimus, quoniam dolenti capiti valdè est commoda, acetosa uerò eo consilio, quoniam metus erat non solũ ne febris, quæ intermittebat, continua fieret, sed ne nimis insidiosa, & maligna, quod factum videmus nũc, quid postea faciendum sit, facile est videre, non possunt esse humores præparati ut docet perturbatio vrinarũ, propterea non sunt mouendi, sed eorum apparatui incumbendum ijsdem dãdis potionibus, putredini uerò multo magis obsistendum, propterea theriacam non prætermitterem, quæ sua multa exsiccatione potest id præstare, etenim quamuis putredo desinat in cineres, & squalorem, interea tamen dum fit, sustinetur nimio humore opprimente naturalis caloris uim, calor enim in putredine sensim exhalat, & humorem non continet, qui humor si mederetur uel imbecilli facto calore potest teneri, propterea theriacam darem, mitridatum etiam dari posset, quoniam calor huius febris valdè mitis est, terra etiam lemnia multum placeret omni calore uacua, neque carente ui abstergendi, & si adstringat, dummodo uera lemnia sit: adstrictionem scimus cum Galeno adiuuare apertionem, scimus etiam theriacam multã aperiendi

aperiendi uim habere, multam discutiendi, plurimam digerendi in halitum, atque ad urinas mouendas, quæ hoc ipso erunt utiliora, quoniam non multa subest humorum copia, iam vt dixi imminuta.

At verò, cũ metus sit, ne materia repat ad caput, esset consiliũ vtile illam retrahere, & quidẽ per hæmorrhoidas, sanguine scilicet inde hirudinibus elicito, quod etiã summoperè faceret ad huius mali causas, cum illas ad ventrem inferiorem pertinere, putem, frictiones etiam cruribus darem ob eandem causam, quæ faceret etiam obstructionibus tollendis. Ordo remediorum is esset, vt primum hirudines darentur, deinde antidota, sic enim tutius agent, medicinam non darem, nisi occasio ex co- ctione, viribusque ostendatur, quod consilium pro tempore erit capiendum. Restat victus ratio. Aer vt fecimus afficiendus est aceto, aqua rosacea, suffitu simili, vt ex rosis, aqua rosacea, sandalis, & huiusmodi alijs, fenestræ referentur ter, aut quater quoque die breui spatio recludendæ, vt aeris fiat mutatio, vestimenta minimè leuentur.

Si sudet, exsiccetur è lecto non exeat, cibus quoque, vt fecimus, condiatur rebus acidis, præsertim quoniam vermes euomuit, quam notam præterij maximam ad intelligendam putredinis vim, qui quidem vermes, si fuissent mortui, maiorem malitiam ostendissent, non sit autem tenuis valdè cibus, quoniam malitia putredinis posset subito vires deijcere, potiones sint ex aqua, in qua decoctum sit cinamomum, & acetosa, vt fuerunt hactenus, somnus nocturnus, & matutinis permittatur, diurnus minimè, est enim valde propensus in somnum, aluus altera quoque die ducatur clystere acriori, sic enim paulatim cocta, paulatim detrahitur materia, vomitus si accedat viuetur, vt fecimus ex aqua egelida, ex aceto mellito, vt fecimus. Hæc satis sint nunc, singulis diebus pro ratione occasionum, prout nouæ res accidunt cogitabimus. Dixi.

Ex hirudinibus leuatus est, ex mitridato vires quę subito fuerant collapsæ, subitò sunt restitutæ, vrinę clariores factæ, & statim innotescente coctione per aluum clystere ductam admodum multa deiecit, primũ lutea, deinde fusca omnia satis corporata, & temperata mediocriter vndecima scilicet tota die. Vnde vrinæ fere minus tenues, & lucidę: ad decimum tertium verò diem sine febre fuit, & conualuit.

Defensio sententiæ superioris.

QVanquam dixerat quidam Medicus in hac febre putredinem non in loco propè ventriculum esse, vt ego asserueram ex ventriculi affectu, quo sæpè vomebat, sed esse in ambitu corporis in venis minoribus, ego nihil cõtradixi, nulli solitus præponere me, præsertim cum hoc nihil interesset ægri, maximeque res absurda illa omnibus perspicua esse poterat. Verum quoniam hic bonus vir iactabundus prædicabat quotidie apud suos amicos & patronos nobiliores, me tamen nihil ei respondisse, vt ex eo intelligeret, me non habuisse, quod responderem, fastidium quasi mouit, qui enim à me nihil nisi modestum, & verecundum erga errores suos non semel, sed sæpè commissos accepisset, tanta me cum impudentia vteretur.

Quare cogitabam, quomodo eius audaciam honestè reprimerem, cum eo congredi nolebam, tanquam homine, & medico ignobiliori: iuniotibus potius medicis, & tyronibus ad veritatem, & laudem veram propensis id permittendum, à quibus huic rei satis fieri posse credebam, nullus enim ex omni numero tam hebes erat, qui rem hanc non perspiceret. Significato igitur eis animo meo confestim incensi sunt omnes ad hanc laudem, & quærebant occasionem colloquendi, quibus ra-A tiones summatim sic exposueram. Illum sibi primum contradixisse ipsum, qui de ea febre sic iudicasset cum alijs vt malignitatem iam haberet & continens esset, ab alijs tamen dissentire voluit, vt aliquid amplius animaduertisse videretur ponendo putredinem eius febris in ambitu corporis, in quo omni si fuisset, febris esse potuisset, & sine accessionibus materia vniuersa putredinem comprehendente, at neque sine magna admodum lassitudine fuisset, neq; sine sudore finita esset, sin à parte aliqua habitus putredo comprænhensa fuisset, putredo identidem consumpta esset, & accessiones materiæ aliunde & putredinis confluxisent & id in locis à corde remotißimis, in quibus planè si sit putredo, nunquam maligna fuerit febris, nunquam prorsus sine accesſionibus ratione dicta, maxime cum vltra quartum, B & quintum diem protrahitur, protrahebatur autem à via illius congreſsionis etiam vltra septimum. Hæc verò febris maligna cum vrinis turbatißimis rubeisque sanguinis feruorem, & turbationem significabat, & virium subita infirmitas etiam prope cor putredinem esse. Id certè ego notaram diligentius putredinem quidẽ esse in loco non longè à corde, vt inter hepar, & ventriculum, quod vomitus subiti, & frequentes significabant, non in superiori ventre scilicet thorace, quoniam non aderat difficultas spiritus, vel crebritas multa illius, quibus in locis si putredo fuisset, spiritum certè incitatiorem ferè minorem, & crebriorẽ reddidisset, & pestilens fuisset itaque, quoniam mala illa putredo, vt visum est, non ita hærebat cordi, facile leuatus est, quoniam erat in locis communibus, id est, in venis magnis ven- C tris inferioris, ideò per deiectionem liberatus est, febris enim ardens, quæ tum ex bile, si exquisita est, tum ex bile admixta alijs humoribus potest existere, si est non exquisita secundum Galenum lib. Epidem: fit non solum cum putredo est in in maximis venis sed etiam, cum in magnis est, vel vteri vel alterius visceris, vt lib. Epidem. cum verò in paruis est ambitus corporis ipsius, tunc non potest ob longinquitarem, & angustiam, nisi totum corporis ambitum occupet, efficere ardentem febrem, & minus quæ perduret vltra quinque dies, quin faciat exacerbationes, nam cum materia generetur in hepate, indeque ad focum promoueatur, sensum & varietatẽ sua motione patit: præterea ait Hippocrates. Semper cum in toto corporis ambitu est malum, per totum corporis ambitum fieri euacuationem, quæ non est in toto am- D bitu corporis facta in Illustri viro, sed per aluum tantũ, quare non in ambitu corporis, sed in locis inter iecur, atque ventriculum, quod fuisse illud maximo est indicio, quod nihil grauitatis ponderisue in ambitu corporis sentiebat, nedum vllam aliam molestiam.

Vitiligatorum medicorum quorundam sententiæ.

Statuebat quidam omne caput quaque ętate caluum siccum esse, cum Galeno, contra sentẽtiam Galeni lib. artis medicæ.

Idem ex sententia Galeni asserebat clysteres fortiores non transire sua vi vsque ad ieiunum contra Gale- E num cap. de dolore capitis.

Idem, quod lenis siccitas ventriculi illa fuit, quæ totum corpus traxit in siccitatem. Idem negabat reperiri medicamenta, quæ cum aliqua corporis parte affinitatem haberet, vt, si cum purgantibus misceantur illorum vim ad illam partem purgandam magis, quam alias possint definire.

Cum

Cum Excellẽtiss. Annibale Iunco, Io. Baptista Theophylo, Papirio Beccolo, & Luciano Belo, &c. habita.

CONSVLTATIO CCCLII.

DVabus de causis Excellentissimi Viri oratio mea esset superuacua, nisi eodem iure, quo omnes sumus aduocati, nimirum, vt quisque suam sententiam dicat, videretur necessaria. Etenim cum à vobis tam exactè res tractata sit, tam cumulate remedijs satisfactum, vt nihil aut noui, aut valentioris iam possit afferri, tum res ipsa eo est in statu, vt nihil præsidij a nostris auxilijs accepiura videatur, quare ijs saltem, qui me rogarunt satisfaciendo disputationem prius habebo de morbo, deinde remedia ad ipsum facientia percurram.

Hæc mala narrantur memoriæ, cogitationis, facultatis eius, quæ in imaginibus versatur, loquelæ, ingressus, & neruorum, qui ad sedem, atque ad vrinam pertinent, maxima est imbecillitas, & cordis, vt aiunt ipsi, quidam dolor. Quod quidem ad illud pertinet quod cor videtur, ego id propriè esse dictum non crediderim, nam cor non sentit, cor est sub capite in medio thorace, hoc ad sinistrum latus, & est doloris aliquis sensus, quare, vt antiqui vulgo, cordis hic ego nomen acciperẽ os scilicet ipsius ventriculi. Iam verò sub ijs malis quam putas tu partem affectam esse? Certè cerebrum, cũ propriæ eius actiones sint imbecilles factæ, memoria, cogitatio, & imaginum vis, & motionũ, Num autem omnibus suis partibus affectum sit, quoniam externi sensus non ita, vt interim, neque vt motus imbecilles sunt, ego cum Viro Doctissimo possem statuere anteriorem cerebri partem minus affectam esse, a qua vno ferè tactu excepto, sensus exteriores proficiscũtur, nam & nerui gustus a tertio pari oriuntur, motus verò linguæ nerui a septimo. At neque tactus, neque auditus, quorum neruorum origo ad mediam, & posteriorem cerebri partẽ pertinet. Verius dicerem omne quidem cerebrum affectum esse, in illis verò eius muneribus læsio extare magis, ad quæ munera plus spirituum plusquam facultatis requiritur. Nam hoc idem dicebat Galenus, cum motum amissum alicuius partis non autem sensum videt; ait enim plus requiri spirituum, ac virium facultatis ad motum, quam ad sensum, addamus nos plus spirituum, & temperiem exquisitiorem ac subtiliorem esse necessariam ad internos mentis sensus, quã ad externos exercendos, hic non ablatum motum videmus, sed quidem imbecillum, ac debilitatum, quid igitur mirum, si sic affecto toto cerebro motus debilitatus sit, non autẽ amissus omnino? si mente infirma, & hebescente sensus tamen externus reseruetur tum tactus, tum etiam quilibet alius? Confirmor ego in ea sententia, quoniam his adiungitur illa in somnum propensio, quæ quidem somni naturalis non est, cum alienis horis accedat, sed præter naturam, vt videbimus.

Ergo pars quoque anterior cerebri affecta est, siue posterior prima male habuerit, & priorem postea sibi cõtiguam affecerit, siue vna vniuersum cerebrum noxam acceperit. Estne aliquis affectus proprius in neruis, quorum munera debilitata videmus? vt ani, vesicæ, crurum, in spinalive medulla? Certe non habeo necesse assentiri, nam, cum definitum iam sit male habere cerebrum, a quo hæ partes facultatem accipiunt, hoc consensu illius simplici, ac nudo ipsas omnes affectas esse necesse est, imo Galenus exemplum consensionis nudæ nullum potius nouit afferre, quam hoc, quo partes aliquæ ipsæ quidem nullo alio malo per se affectæ munus suum obire non pñt alterius partis culpa, non sua, nerui igitur potuere simplicissimo cerebri affectu debilitari, neq; tñ necessarium est statuere nullam

A protsus in neruis propriã læsionem esse, præsertim quod tanto temporis spatio ferè priuati spiritu eo sunt, quo quodammodo viget eorum corpus, qui spiritus non solum, vt verisimile est, ad munus eorum idoneus est, sed ad naturam eorum, quæ muneri, destinata est, conseruandam, alioquin natura res non coniungit, nisi aptas inter se se naturæ ipsarum vtilitate, & mutua conseruatione, etsi vsum præterea aliquem inde speret ipsa, quæ partes consuetudine sua priuatæ carent fotu quodam, à quo conseruentur, & sensim imbecilliores fiunr detrimento naturæ accepto, præterea ad ipsos neruos à cerebro dyscrasia aliqua, & mala nutritio è malo alimento à cerebro veniente etiam potuit spatio tanto prouenire, non dixerim materiam crassam sed malam nutritionẽ nam cum materia crassa, repit, & occupat longitudines

B neruorum, non potest non neruos pleniores reddere, & inde necessario breuiores efficere, distendereque, vt vidi sæpè in perpetuis, non repetitis conuulsionibus, cum materia crassa neruum resoluit, illa necessario occupat, ipsius tantum nerui initium, atque, si omnes neruos debilitet, ea in communi omnium initio consistit, vel in basi cerebri, vel in spina, vel origine illius, quare hic, vbi nulla distentio neruorum est, vel spina ipsa vna cum cerebro tantum, vel nulla alia pars per crassam materiam erit affecta, possunt quidem nerui ex mala nutritione malum habitum contraxisse, spinam porro, vt dixi affectam per se esse necessarium non est, vt cerebrum certè læsum statuendum est vnde malum alimentum neruis diuiditur. At cerebrum consensione ne aliqua, an per se est affectum, & in seipso malum primo habet? per se af-

C fectum demonstrat, perpetua noxa, quæ nunquam intermittit, posset tamen suspicari, cum signa admodum valentia, expressaque non habeat, quibus malum ipsius demonstretur, sed contra vrget illud, quoniam ad aluum affectum noxa hæc cerebri non est consecuta. Videtur itaque in cerebro omnino malum ipsum sua origine esse, signa verò magis expressa non habere, vel magis euidentia, quoniam intemperatura nõ sit tanta, quanta auferre omnino actiones possit, satis tamen euidẽtia sunt. Nam, vt iam ad genera læsionum accedamus, ex quibus mali, vel intemperiei genus dignoscamus, tria genera, seu species omnino læsionum sunt, prauitas, vel peruersio primum, imbecillitas secundum, extinctio tertiũ. Vt autem peruersio in actionibus præsertim animalibus

D denotat calorem immoderatum, sic debilitas omnis, frigus. si læsio in potissima naturæ agentis parte est, aut denotat impedientem materiã, si in adiuuante, quare frigus primum hic erit immoderatius, cumque hoc possit impedire aliquam auxiliantem partem, non solum hanc cerebri principem, magis minutim rem examinemus.

Memoria, quę potissimum lęsa est, amittitur frigore, ergo, si ut maximũ ad maximũ, minimũ ad minimũ, ita medium ad mediũ se habet, necessario, certa memoria imbecillitas a certo frigoris excessu proficiscetur, ita, cum ferè penitus ablata sit, excessus erit admodum magnus, a quo frigore non solum memoria hic torpet, vt ita dicam, sed nerui omnes etiam pigri fiunt ad motum cum oriantur a posteriori cerebri parte, &

E inde alantur quæ potissimum male habet, neque enim resoluti sunt nerui, sed pigri, & inepti sunt ad motum, nec certè illum regunt, sed dissolutum, & diffluentem faciunt, quod spirituum refrigeratione ad motum tardante fieri potest, & etiam eorum corpore male nutrito, & a cerebri frigore quasi rigenre, & obdurato, quare lingua ferè ligata est, ferè crura impedita, anus ad retinendum impotens, ita meatus vrinarius, ab eodem cerebri frigore cogitationis, & ius imaginum effectricis tarditas, & tanta, vt ferè nihil agant, & orientur, a quo frigore obstinatio illa, & etiam sopor insolens potest existere, quoniam is somnus a naturali longè dissimilis est, quod arctius obdormit, quam naturaliter fiat, & quod horis alienis, malitia.n. somni intelligi debet, cum noctu ægri non quie-

scont, interdiu dormiunt, alienum somni tempus indicium est nō natura vel naturę propensione fieri sed violenta, incertaque aliqua causa morbifera, is per noctem non dormit, sed interdiu alienis omninò horis, vt vel inter edendum, & ita malo modo, & iam stupidè, & tam arctè, vt speciem habeat omnino somni præter naturam. Somnus dicebat Galenus naturalis potius ab humido, somnus; præter naturam à frigore proficiscitur, quare cum posteriore cerebri parte anterior etiam vbi somnus concluditur frigore affecta dici potest.; Verum quomodo eadem symptomata contrarias causas sequūtur? Ebrij enim & somno præter naturam tentantur, & neruis debilitantur, & blæsi lingua fiunt, vinum tamen id faciat humore, & calore nimio, vt natura vini, & tactus sensus ostendit. Dico inusitatum id non esse, vt species symptomatis eadem contrarias habeat causas: nam non minus crassefacto animali spiritu nerui debilitantur, si à frigore torpeant, ac si ab humore, & calore humido onerentur, aut laxentur, hic certè à frigore torpet. At verò solum ne simplexque frigus hic est, an aliā qualitatē secum habet adiunctam? hoc mihi certè facile non est, nam neque humoris, neque squaloris euidētia signa obseruantur. Si quis dixerit somnū authore Galeno de sympt. & locis affectis humoris esse, credo quidē, sed hic vigiliæ nocturnæ sunt, quæ squaloris indicium sunt, itaque hic somnus potius sit frigoris, minimè autem humoris, cū preter naturam frigus magnum sit, ac esto aliquod signum sit humoris, vt si extarent excremēta pituitosa, tamen humoris illa per se malum facientis notæ non essent, quamuis per se humoris sint, Dicebat siquidē Galenus 2. de temperamentis, tantū abesse, vt pituitosa excrementa intemperiem humidam denotent, vt etiam sæpè sequantur siccam, quoniā vel ratione frigoris coniuncti cum squalore abundant cruditates, quæ in cerebro præcipuè sunt pituitosæ, vel ratione ēt siccitatis mēbri, quæ si sit imbecilla vis coctrix parit redundantiā excremētorum, à qua, si vis etiam arctius somni teneantur, & anterior cerebri pars pituitæ semina, & noxam pituitosam suscipiat frigidam, & humidam, nihil tamen impedit, quin cerebrum siccius sit, & careat de naturali sui alimenti humido, quo somnus naturalis fit, præsertim ipsa posteriori parte, nam memoria non solum ex frigore, sed ex siccitate etiam imbecillior fit, vt in senibus videmus, sed ex abundantia etiam melancholiæ, quæ ab ariditate semper nunquam ab humido generē fit, necessario argumento, non verisimili, vt eo, quod à pituita infertur humidum genus, quæ etiam siccum sequi possit; ego arguā subesse siccitatem, humoris autem melancholici signa sunt, nam semper mœret, metuitque, nisi ptæ insania interrumpat risu metum, qui in corpore sanguineo non est mirabilis, in quo humor melancholicus sanguinis ēt naturam sapit, quare somnus non potius humoris, quam frigoris erit soboles. Sed mixtam pone pituitam cum humore melancholico, & apta dices omninò naturæ, & notis relatis, nam à frigore vaporum melancholicorum memoria infirma cum omnibus animalibus viribus facta est, à frigore coctio remissa, & pituita collecta, inde noctu quidem frigore vapores pituitæ deprimente siccitas, melancholia valet ad vigilias, interdiu autē liquescentibus humoribus vapores pituitæ caput implent, & somnum faciunt. Vt iam extet paulatim ex nostra oratione intemperiem hanc materiam habere adiunctam, & ferè genus materiæ quale sit, nam melancholiā subesse tum eius notis proprijs, tum cordis eo dolore certum est, qui cordis dolor fit flatibus naturam melancholici humoris referentibus, vitæ contrariam, fit etiam eiusdem humoris partibus quibusdā ad vicinas ori ventriculi partes accedentibus, & illud non solum suo corpore austero arcte comprimentibus, sed etiam natura quadam aduersaria, acerbaque infestantibus, vnde pessima solent existere mala, quæ nomine doloris cordis appellantur, & humorem melancholicum sæpè sequuntur, & incredibiliter animum afficiunt. Hippocrates etiam referebat sæpe hosce cerebri affectus in melan-

A cholicum humorem, quem humorem hæc natura corporis, & ætas vna cum pituita abundare confirmant. Corpora sanguinea, cum ætas inclinata est, nisi expurgentur, plurima fæce frigidiori, & sicciori sanguinis scatent, hoc corpus sanguineum est, & ætatis, iam inclinatæ, nullaque expurgatione præditum, propterea melancholico humore abundare est necesse, cum verò capite sit, vt ex cita canitie licet conijcere, frigido, & sicco (senium enim capitis citum fuit, quod Galenus solet referre in intemperiem frigidam, & siccam) vigente ætate firmius esse potuit, quam multa alia capitis genera, at ad senium perducto homine frigoris vitiū sensit, Vidi ego admodum salubria ea capita, quæ citò canescerent, nec calua essent, externas iniurias cœli minime percipientia, tamen, cum propter ætatem, aut propter aliam causam frigoris superantiam nimiam subeunt, in salubria

B omninò fiunt, Infirmitas enim fit à quacunque intemperie, & paratam, ac facilem reddit, partem ad excipienda excrementa reliqui corporis.

Multa verò mouentum attulerunt ad humorem illum tum exaggerrandum, tum in caput mouendum, animi affectus, curæ, solicitudines, & metus longi, tum assidua, & larga potio vini valentioris. Quare vt colligam, intemperiei frigidę signa sunt certissima, siccæ verò etiam non sunt valdè dubia, quod quidem iudicium facile continet omnes rationes eorum quæ apparent in hoc homine. Melancholicus humor suo frigore affert cruditates, cum quibus conuinctus ipse illa omnia facit, ex ipso frigore memoria tollitur, cogitatio retardatur, interiores sensus hebetantur, ac fit illud genus quod fatuitas seu stoliditas dici solet, motus verò omnes debili-

C tantur tum frigore, tum squalore & malo alimento, nec uis ferè durioribus, vel hebetioribus, prætерea spiritus, qui ex frigore torpent, paucique præparati parum possunt, per neruorum malum habitum commeatum liberum non ita habent. Debilitas hæc ad omnes partes mouendas pertinet, ad linguam proximè, vnde in loquela non dixerim fieri aliquam earum speciem, vel τραυλότητα, qua aliqua litera expresse appellari non possit, vel ψελλότητα, qua certæ literæ vel syllabæ etiam prætereantur, vel ἰσχνοφωνία, qua non musculorum laryngis vitio vox tenuis est, sed syllaba syllabæ annecti non potest, quæ proprie ad linguam pertinentes sunt infirmitates, vel sano etiam homine.

At infirmitatem maiorem statuerem, & omninò

D morbosam supra omnes illas species, sic vero crura non possunt aut insistere, aut certo ingressu vti, musculique ani, & vesicæ non possunt continere.

Motū verò, & mœrorē ex eadem causa humoris melācholici accedere scimus, & dolorē tristem circa & vētriculi tum ob rigidam, asperamque humoris naturam, tum ob flatum eam referentem. Quibus sic expositis iā videndum esset, quibus rebus malum hoc tollendum sit, & an tantū sint valituræ vt sanari possit. Scopi quos spectare oportet, vt remedia opportuna inueniamus, recteque adhibeamus, sunt quatuor, primum quid remedij esse debeat, deinde quantum, tertio quomodo, quarto quo tempore adhibendum.

Quantum adhiberi debeat, vestro iudicio relinquēdum est, quoniam curam eius suscepistis, & propriam

E eius naturam, maliq; vehementiam metiri potestis, reliqua ego quo potero distinctius pertractabo. Quid remedij sit dandum, a natura morbi accipitur, & remediorum auxilia a tribus tanquam locis artis nostræ communibus habentur, chyrurgia, diæta, pharmacia. Natura morbi, cum humores habeat, & magnitudinē, & vires vigeant, a chyrurgia operam remouendæ copiæ humorum postulat, & etiam a pharmacia, & diæta, humor namque morbo alimentum præstant.

A chyrurgia certè vellem sanguinis missionem per sectam venam, si cōsueuerit ea vti, nam, quamuis vires quidem permittant, ætas tamen aliqua repugnat, nisi consueuerit, qui, si consueuerit, non solum permittat ipsa, sed etiam suadeat ob consuetudinem hoc vobis definiendum

finiendum est, certe corpus sanguine refertũ est, & robustum, debilitas enim illa ingressus, & facultatis omnis motricis, & sensuum non est debilitas proprie facultatum sed morbi maleficiũ, quare potius, quod propter ætatem metuerem, id minori modo compensarem. At si metuatis omninò ętatem, cucurbitulis id agerem cum ferro datis, quas non dorso ob detrahendam copiam applicatem, sed artubus ipsis, vel apertis etiam hæmorrhoidibus per hirudines sanguinem cucurbitula extraherem, ab eadem chirurgia postulabit hoc malum, vt post deriuationem copiæ totius corporis, deriuetur etiã materia ad propinqua per cucurbitulas easdem dorso ac hypochondrijs datas, vt Aetius ex Posidonio præscribit, & tandem vt materia exhauriatur, è capite per sinapismata, perque caustica ipsa. A pharmacia purgationem humorum totius postulat, & capitis propriè B per apophlegmatismata, & alia id genus, præterea mutationem naturæ mali hærentis per syrupos non solum ad apparatum humorum, & viarum apertionem faciẽtes, vt commodè expurgetur corpus, sed etiam per potiones salsæ pariliæ cum guaiaco ad exsiccandũ caput, firmandumque, Exiccandum inquam humido, & crudo succo, & præterea melancholico corpus occupante discuriendo, nam effert secum per sudores eiusmodi potio etiam humores melancholicos, quod fiet aptius capiti, si cum betonica, & saluia detur, præterea pet antidota robur afferentia visceribus omnibus, & neruis, ac capiti.

Hæc priuatim dicenda sunt, & modus etiam adhibendi explicandus. Post igitur alui deiectionem ex electuario lenitiuo, & hiera procuratam, secetur vena ad ℥.7. sanguinis detractionem, deinde mel rosatum, syr. de fumoterra, de betonica, ac pomis exhibeatur. Expurgetur corpus ex agarico, sena, rhabarbaro, & hamech, cũ diacatholicon. Cucurbitulæ deinde affigantur dorso, postea conseruæ aliquæ viscera confirmantes, dẽtur, vt ex betonica, borragine, cum aliqua parte theriacæ. Postea rursus corporis expurgatio repetatur maioribus syrupis, vt de stœchade, de epithymo, fumoterra cõposito, de polypodio aliquo, & similibus, & medicinam cum aliquantulo ellebori, adiectis ijs electuarijs, quę superius data sunt. His guaiaci, & salsæ pariliæ, & saluiæ, ac betonicæ potiones annectantur more solito factæ, sub cuius potionibus certis interuallis detur aliqua pilula ex cochijs, & elleboro, post hanc expurgationẽ cucurbitula ceruici detur, & deinde apophlegmatismata, vt pulueres ellebori albi, aut staphisagriæ cum melle rosaceo palato ingesti. Interea vero ore succum nucis myristicę contineat, tandem coronali commissuræ etiam cucurbita affigatur apophlegmatismatis nõ præteritis, antidotisque maioribus, vt alexandrina, vt phrisarcoticon, vt mytridatũ, theriaca: nisi hæc satisfecerint, cauteria brachijs primum, deinde syncipiti dentur, & tandem balnea sulphurea exhibeantur, guttatimque in caput mittantur, hinc credo &, quid remedij, & quo modo satis pateat; Quando hæc sint agenda, sub cane, & ante canem molestas ait Hippoc. esse purgationes, non dixit mortiferas, dè valentioribus loquens, Quare cum malũ mortem subitam minetur, ego non morarer, cum minus malũ sit deligendum, cũ nostris temporibus mitia satis sint medicamenta, prẹsertim verò, quoniam le- E niora illa his diebus dati possunt, deinde valentiora postea, q̃. calor se se fregerit, ac magis hoc velim suaderemini, quoniam salsæ parilię, & guaiaci exhibitio vult cęlum calidius, nam, si cubiculo calido cõfidatis, illum certè fatuum hoiem, & obstinatum in cubiculo, aut cõ claui alio non poteritis tamdiu continere, error cõmittetur, periclitabitur, & culpa erit medicorum, nihilq; ꝓderunt, facientve ad sudores illæ potiones. Cõpẽsetis igitur diligẽter, quid molestiæ canis sit allaturus, quidve necessitatis habeant remedia, & ita oĩa tuto agentur. Quid verò spei sit ex his ẽt adhibitis, Certè si adhiberi possent tã ad lineam, q̃. possunt sermone percurri, sperarem ex illis multum, at incidentia, & res nouę, quæ quo- A tidie contingunt, semper aliquid impedimenti afferũt, neq; omnia ita tẽpore suo dari possunt, neq; modo idoneo, propterea, si his adijcio ægroti morem, nihil penitus spero ex vestris curationibus. De viuendi modo seu diæta, sobria ratio mihi placeret, & boni succi eiusque extenuãtis, quam vos nostis. De vino monerem, ne exhiberetis, potius aquam aliqua re incoctã modificatã, vt betonica, vel saluia cum melle, &c. Hæc dixi vt sententiam rogantibus meam non denegarem.

Cum Excellẽtissimis Viris Hieronymo Palma, Papyrio Beccolo, Io. Baptista Theophylo, & Hannibale Iunco habita pro nobilissima matrona Romana.

CONSVLTATIO CCCLIII.

Viri celebres, hesterna die iam prętuli vobis meam sententiam, nimirum, me in hoc morbo, spe prorsus destitutum. Rogatui verò cum deesse non possimus nobilissimorum hoĩum, hic finis substituatur orationi nostræ, vt doctrinam, & scientiam rei medicæ exerceamus, & cogitationem rerum grauissimarũ excitemus, vt in memoria magis imprimantur. Febris maxima est in hoc corpore, ac, quod mirum videatur, diuturna, & cum tenuitate corporis maxima, ad illam sequitur alui solutio quædam non crebra, sed tamen mollis, biliosa, putridæq; vrinæ flauæ in rubrũ inclinantes. Deinde est C tussis, & malum in thorace graue, cum leui dolore, cum sputo specie puris affecto. Febri subesse putredinem nõ dubito, si vrinas, si pulsus cõsidero, & alui excrementa, omnia. n. humorum vitium denotant, qui sanè febrem non nisi per putrediñe accenduntːsit quantuscunq; calor in natura humoris, ille nunquam febrẽ afferat, nisi putrescẽdo calore incendatur; febris. n. est calor aĩamãtis conuersus in igneum, non humoris inanimis, quare necesse est, vt calor naturæ humoris per putredinẽ edat fumos, & halitus, per quos in corde aĩalis calorem in igneum conuertat. Hic verò non solum ex aluo humores peccare intelligo, non solum ex vrinis, aut ex his, quę præcessere typis febrium cum inæquali ascensu caloris, sed ex acri calore ex vehementia febris, atq; pulsuũ modo, quod etiam cõficitur ex eo, quod neque ephemera, D neq; hectica nuda sit. Ephemeram non esse nullus non videt, hectica quoq; vna per se non habet tãtum feruorem, longè minus, quando ratione vlceris, pulmonum, & thoracis euenit, solida. n. corpora non efficiunt calorem tam vehementem, vnde neque fit tanta pulsuũ celeritas, & maior fit durities, quam nos videamus, quibus id adijciatis, si aluus ita esset profusa ob hecticũ calorẽ, corpus magis tabesceret, &, vt vidimus sæpè, breui fuisset extinctum, non tantas vires retineret, neq; fęces biliosæ visę fuissent, sed huiusmodi essent, cuiusmodi visuntur in febribus malignis colliquantibus, hecticam tñ putridæ, superuenisse iam non dubitarem, nam diuturnitas vna tam acris febris cõtinenter infestantis põt esse argumẽto iam habitum febrem compræhendisse, cũ corpus vniuersum tantopere extenuetur, qđ si calorẽ sentiat, & feruor sit maior, q̃. hecticę cõueniat, id fit rõne gradus caloris a putredine profecti, a cibo non incaluit, qm̃ in habitum nondũ penitus defixa est, & quot nos consumptos uidimus longa febre, qui a cibo nõ incalescerent, è contra multos a cibo incalescentes cõualuisse purgatione? squalore siquidẽ illi peribant calore nondũ altius defixo, hi verò a cibo propter obstructiones incalescebant: præcipuè verò hecticam successisse iudico, quoniã materiã putrescentem ad partes thoracis pertinere video, cũ circum thoracẽ affecta ferè fuerit modo dolore, modo põdere, modo spiritu impedito, locus. n. putredinis in continentibus febribus, vel est in venis maioribus, vel in apostemate principum viscerũ, vel in venis propè cor.

Si fuisset hæc putredo in venis maioribus, iam tota materia simul esset consumpta, non igitur in maioribus venis esse potuit, in apostemate tam vehementem febrem faciente esse non potuit, quoniam inflammatio fuisset, & iam salus, aut mors successisset in minoribus verò longè a corde continentem non effecisset, ergo in minoribus erit cordi vicinis, in partibus.s.ad thoracem pertinentibus, quibus verò materia primum a ventriculo, deinde ꝓximè a capite, & toto corpore subministratur. At cur accessiones, & decessiones non hēt; saltem quibus, & si corpus integrum non relinquatur, quoniā prope cur est putrilago, saltē remittatur febris augeaturque? D.D. quis asseueret hic non esse aliquam remissionem? at, vt non sit euidens, vnius certè tenoris omnino nullus afferat esse hāc febrim, quamuis quotidie vt duplex tertiana magna sentiatur. Etenim & Medicus eius refert ab initio duplicis tertianæ speciem habuisse. Vētriculum frigidum acidus ructus denotat, vnde toto corpore febrili calore diu affecto pituita absorbetur, & colliquatur, & vna cum ea humores omnes, atque in caput attolluntur, inde salsi vel destillant ad pulmones, vel etiam per venas redeunt ad thoracem, qui ob suum calorem attrahit, ob imbecillitatē iam facile admittit ab omnibus partibus excrementa, quam rem fieri vidi sub multis febribus diuturnis, Qua profecto in re ego potiorem causam semper iudicaui illam esse, quòd cor sub febribus agitatum attrahit nimium crudorum a vena caua in dextrum suum sinum, præsertim, cū dilatatur, quos vero facile exprimit sui contractione, in venam arterialem ex eo sinu emissam, illique expressioni se se aperientem, ex qua tenuiores saltem partes illorum in omnem pulmonem alliciantur. Quod in cadaueribus sæpè vidimus pituita crassa se se seruante, & in tota illa vena vsq; ad extremos ramusculos dum crassior venæ tunicā penetrare non potest. Adeo vt capite pituitæ in corde manibus apprehenso sequatur tota pituita tracta in figurā arbusculi pulcherrimi. Tenuior autem pituitæ pars pulmonem subiens tandem concrescit, quam tamē Medici destillationem appellant, neque accessionem febris euidentem facit, cum continenter, vniformiterque sensim, ac sensim trahendo statim suo calore putredinem in humore iam parato excitet, atque, vt quælibet pars attrahitur, sic putrescat, & vicinitate cor semper calefaciat, & accessiones non diuidit, vti neque cum humor putrescit in loco, in quo generatur, si, vt vt generatur, sic putrescat, quod tamen rarum est, cum enim consumitur materiæ cumulus, non putrescit vniuersim, nisi modum certum prius generatione attingat, At, cū materia pituitam hēt, non ita facilè consumitur, & sic febris cum putredine perpetua fit, Thorax is ob imbecillitatem malos humores ēt in seipso generat, nedum attrahit, nedum ob illam imbecillitatem malos humores admittit, materia multum hēt sanguinis pituitosi, & salsi, quare febris multis de causis perpetua, & ferè æqualis fit, tussis est ob destillationem excitata supradictas causas sequutam, neque mirum est, si puris speciem sputum habeat, cum in locum calidiorem decumbat, cui focus putredinis circumsistit, pus quidem esse non video, nā neque male olet, cum copiosum sit, & lētore suo supernarat aquæ, quod non facit pus, imò neq; ea pituita, quę admodū maturuit, præterea non dissoluitur, copiosum verò thoracis pus solet intolerabili fœtore olere, quare longè minus ego possum conijcere vlcus factum esse in pulmonibus ex quo sputa hæc veniant, quoniam tanta materiæ copia nō nisi ex maximo vlcere veniret, & insignem illam magnum vlcus necessario emitteret, præterea, neque febris modus id potest suadere, cum lenta non sit, sed magna. Verum, vti humorum putredo iungi potest cum hectico calore, sic cum materia multa in bronchijs maturata nihil vetat, iungi posse vlcus exiguū aliquod, præsertim, quod Galen. dixit, non nisi post multos dies, & menses apparuisse sanguinem vlcere a destillatione facto.

Dico non habere pro constituto ibi Galenum ulcus

A fuisse in partibus ad spiritum pertinentibus, sed eas quidem affici tussi, & destillatione, quę diu affectæ ad tabem perduci possunt, & tandem vlcere concepto, si nō continuo, aliquando tamen sanguinem excreuisse. Vt igitur vlcus paruum multæ destillationi adiunctum sit, fieri non potest, quin aliquando aliquid sanguinis emittat, neque.n.fieri posse credo, quin aliquando sanguis cum pure exspuatur, quod sanguis statim in pus nō vertatur, cum per vlcus excidit: quin sæpè tussi agitatus puris speciem fugiat, cum tussis assidua sit, cum facilè materia spuatur, neque moram tantam trahat in pectore, vt necessario totus in pus cōuertatur, quin aut totus, aut aliqua eius pars sanguinea eijciatur, vix quidā fieri potest vlcus in corpore pulmonum, quin sanguis exeat laxo eo corpore, ac sanguinis spumosi, & tenuis pleno, nā

B si exit per cutim vlceratam, si ea tractetur, quę densa est, vbi sanguis crassior est, quid impedit, quin exeat a pulmonibus vlceratis vbi spumosus, tenuisque est sanguis? vbi est commeatus perpetuus spirituum, vbi agitatio, & cōpressio vasorum assidua facilè spiritum impellat per vlcus, & cum eo etiam sanguinem. At dixeris, nō necessario semper vlcus est in corpore pulmonum, sed esse potest in locis, quibus primo occurrit destillatio.s.in tunica bronchiorū interna, per quæ loca non ita facilè percolet sanguis, tunc dico, Si sanguis non exeat propter exiguitatem vlceris, neque pus fieri ibi pōt, nisi admodū exiguum, quod vix febrem incenderet, non tamen fieri potest, quin cito vlcus exaggeretur, & aliquādo sub specie sanguinis pus exeat motus assiduè illis partibus, neq; dici potest illud sanguinis sputum, sed puris, at cum aliquo signo cruento: Verum, quomodo defendes tu vlcus

C paruum esse factum a tanta materia, tāto temporis spatio, si illa materia vlceri faciēdo idonea est, aut tantam materiam ab exiguo vlcere? Quare non crediderim ego in tāta tussi, spuitioneq; copiosa, ac facili, sine sanguine, aut sanguinis specie vlla posse subesse vlcus, neque pus, sed pituitam maturam eam esse, ac sine pure, sine vlcere tamē credam posse hecticam fieri febrem putredine spirituales partes occupante, vt tandem in marasmum deuenire possit, nisi a copia putridorū vaporum, & materiæ natiuus calor prius strāguletur. At potuitne febris hectica ab initio fieri, vt putridam secum cōcitarit, quæ vna secum perduret? posse ego hæc fieri, & alia multa, non negarem, at hoc difficillimum, & rarissimum iudico. Acciderit, quod rarissimè fit, hecticam fuisse initio

D ipso, quo putrida deinde fieret, oportuit adesse opportunitatem ad putridam excitandam, quæ opportunitas si fuit, cum primum hectica accessit, cur ijsdē causis, quibus hectica, putrida prius non est concitata? nam si solida potuerunt inflammari, cur humores ad putrescendum parati non sunt incensi? cur obstructiones alieno calore incidente non putredinem ab initio mouerunt? At fortè non erant idonei tunc humores, sed posterius idonei sunt facti, credo verò non erant idonei, cum ratio victus libera erat, corpusq. repletum, postea verò sūt facti, cum corpus est expurgatum, exhaustumque, & victus ratio cautè instituta interea calore febrili potius crassos humores absumente, & coquente, quā generāte. Quare non video quomodo putrida post hecticā facta

E sit. Neque ēt video tantam in hoc corpore vel hoc tpe ferè marcescente ad hecticam propēsionem. Altissimū corpus est, & molle, neque in eo intelligitur tātus calor, qui ex limitibus naturæ exaggerari potuerit, & hecticus fieri, tā calida corpora sunt potius nigra, & dura, atque aspera. Cor ēt fuisset calidissimum, quod tn̄ non video tanti caloris, cū arterias non ita magnas habeat. De siccitate non dicā. Nam, vt febris hectica, & cuiusq. febris calor necessario primo fit ī corde, sic oīs squalor, & siccitas fit primo in toto corpore, anteq̄ in cor recipiatur ob eius nempe validam attrahendi ad se alimenti vim. Quare nō video quomodo statim ab initio fuerit hectica. At dices, potuit esse ephemera, & inde hectica, nō video, qūo corpore ad calorem hecticū minimè apto non prius putrida, quam hectica fuerit inducta, neque quomodo

modo ephemeta habeat inæqualitatem ascensus, mutationem vrinarum, & alia multa, quæ in hac febre ab initio visa sunt, quod etiã dicam de hectica, Sed ad exitum iam nostræ disputationis, putrida subest euidentissima, & cum macies corporis iam in limine sit, quamuis pulsus non ita duri sint, tamen hecticam ex putrida cor ipsum iam corripuisse suspicandum est, præsenti etiam putrida, ad quas duas febres, sequitur etiam prope macies, & præterea est destillatio tam grauis in thoracem, vt angustiam spiritus afferat, qua & in venis, & in cauitatibus putrescente magna fit febris, Ex quibus diuersis adeò repugnãtia indicãtur ex vna parte macie, & febri, ex altera destillatione, & obstructionibus, vt alterũ alteri maximum afferat incommodum, & impedimẽtum ad curandũ. Vbi, si medijs auxilijs vtamur, neutri malo prodetimus, quoniam valentia, & celerrimè agentia in magno malo, & præcipitis periculi requirũtur. Quid dicã igitur Domini, cum ẽt vires succumbant? Destillatio non solùm per se malũm affert ferè mulierẽ suffocatura, sed ẽt vrget per putredinem, cum per venas, perque arterias ad loca putredinis descendat, eãque sustentet, vnde calor tantus vitæ tã contrarius. Itaque illi, vt maius periculum minanti primò occurendũ esset. Quibus, cauterione, an vesicatorijs in syncipitène, an alijs in locis? Cauteriũ, vt quicquam à nobis præteritũ non videatur, possemus date, at cui parti? Sincipiti tardũ, & exiguum auxilium feret, qm̃ tanta materia à capite vno nõ venit, & præterea cũ periculo fiet, paucis enim exceptis Veronæ omnes petijsse vidi ex cauterio in sincipite accepto, & vos hic Vrbini idem asseritis vidisse, in occipitio aũt longè magis exiguum, & tatdũ nimis auxilium haberet, auertenda tamen est à pulmonibus materia ad exteriora, vt in malis pectoris est necesse, & citò, ita vesicatorijs agerem dorso applicandis, & extremis partibus, & clysterijs, & ijs, quę sputum facile, & leue reddunt. Viribus verò sustinendis admodum vacarem, vbi lac vires quidem, sed morbum etiam augetet, nam febri adijcit causam, & destillationi etiam, potiùs ego ptisanam darem. Doctor potius vult lac, vt ex facili alimento diutius, quamuis cũ malo, ipsa viuat, qua ratione lac muliebre ẽt esset potius. Sed nos vnam nutritionẽ non spectamus, sacchari rosaceum cum bolo quid laudẽ? vos id refertis in vestris remedijs, vt vapores in caput euntes retardet, materiã verò multam, quæ est in thorace, magis cõpinget, & ita febri ẽt causam augebit, ego illud potius dimitterem, darẽ quidem illum syrupum ex pulmonaria, perseueratem in eo viuendi instituto vestro ex pullis gallinaceis qui hordeo, & lacte nutriti, essent, & sputũ expedientia cum illis coniungerem, quoniam vereor ne breui suffocetur.

Nocte quadam nõ multo post consultationẽ suffocata multo catharro est. Quidam asserebat vinum mali punici non admodum dulcis si cum aquę pauca portio ne misceretur oculis dolorem illaturum esse.

Pro nobili Stephano Vigerio ferè hydropico cum Theophilo, & Belo habitum.

CONSVLTATIO CCCLIV.

EGo consuetudinem retinebo, & dicam, quamuis certè sermo meus quacunque alia ratione superuacuus futurus sit. Etenim vt ostenditis morbi natura, ac vis omnino vobis cognita est, nulla remedia à vobis prę terita, quæ necessaria videantur, resque omnino optime tractata, est. Itaque capita à vobis proposita ego colligam, & rationibus expendam. Quinque ego animaduerto in hoc corpore præcipua, quibus vita ipsius periclitetur, febrem, tumentiam corporis cum malo colore, aluum citam, ac, quod horum omnium radicẽ ego existimo præcipuam tumentiam quandam sub præcordijs ad dextram partem, & demum ætatem vnius, & octogints annorum: exterius verò ẽst anni tempus ad frigidiorem tempestatem inclinatum, quod verò non attinet, ad vitam sed incommodat principem animi actionem, est surditas, de qua, quoniam, vel si reliqua spem permitterent, sperari nullo modo posse putamus ego nihil dicam. De cæteris verò malis, non, quod quicquã spe rem, sed quoniam vitæ etiam insidiantur non silebo. Ex aluo nimis cita, quoniam neque admodum concocta videtur, & humoribus etiam permixta est, egò non possum non existimare venrriculum imbecillum factum, & iecur vitiatum, ex tumentia mẽbrorum pręcipue extremorum, iecoris quoque facultatem esse suo vitio debilitatã, ex febre verò cor quoque male tractari. Vtra potius pars male affecta sit, non possũm definire, qm̃ nunc primũ illum inspexi, mihi tñ fit verisimile iecoris malũ anteceßisse, cũ mala hæc omnia febres acutiores sint consequuta. Cor enim valentius se se defendit ab omnibus noxijs, præterquã à venenosis, vt colligere possumus ex Galeno lib. de marasmo. Ventriculus verò in febribus acutis minus, quam iecur, afficitur, nisi cum per vomitum bilis expurgatur, propterea ipsum ex illis acutis febribus minimè peius habuisse ipso iecore existimarẽ, quod si ventriculus tam male habuisset, vt iecur, nunc eius vitio tam afficeretur, certe peius nunc haberet vẽtriculus, quã videamus, non enim ita infirmus est, quin infirmior esset, si iecur culpa eius tam male tractaretur. De iecore igitur consideratio ea fuerit, vt ptimum ipsum incommodè habuerit, & deinde secum ventriculũ affecerit, primum affectum iecur fuit; quoniam in acutis febribus calefiunt, & exsiccantur viscera, cor seipsum perflat maiori, crebriori, & celeri pulsũ, ac respiratione, se ipsum nutrit, & tuetur valenti sua vi contra reliqua viscera, quomodo enim reliqua haberent, vnde sustineantur, si ipsum maxima omnium se se nõ conseruasset, a quo illa sustinentur? illa quidem eius facultati trahenti non possũnt resistere, quare totum prius corpus exsiccatur, quam viscera, quam ipsum cor: iecur ergo post acutas febres calefactum remansit, & forte etiam exsiccatum corde in suam naturam reuerso, imbecilliusque est factum, nam exsiccatio demum frigus inducit dissoluto alimento, & tanquam corpore naturalis caloris, ætas sicciratem induxerat, eam morbus auxit, à qua frigiditas visceris, vnde hæc imbecillitas, nam vna qualitatum intemperante debilis quidem facultas euadit, at duabus tunc pro modo excessus vis exrerminatur, & extinguitur ex Galeno 7. methodi cap. 6. imbecillis ergo potest non mediocriter esse ex intemperante gemina qualitate facultas, & loco sanguinis aquosum humorem creare, præcipuè succo similis materiei à ventriculo suggesto.

Vnde loco boni sanguinis fit crudus, & aquosus sanguis, & ichor ab Aristotele dictus, loco bilis aquosa bilis, loco pituitę crudus succus, aquosaque valde pituita, vnde in coctione tertia non potest tam mutari illa materia, quin fiat caro quædam cruda, vt ita dicam, atque aquosa, eiusdem mali iecoris notam euidentem vrinæ habent in sua crassitie, & cruditate, vbi de difficultate vrinæ, cum nunc nulla sit, & antea fuerir nihil dicere necesse est: arenulas quidem uideo, sed de illis minus molestis oratiò à molestioribus absorpta spatium non habet, præsertim quoniam spes nulla consilio proponitur, minus eius uitij auferendi, non negligam tamen hoc uitium in deliberatione medelæ. Ventriculi male habentis, una & iecoris cita aluus est mihi signum neque enim id totũ à iecore est. Ab iecore quidem potest proficisci aliquid humoris, aut remitti, sed qm̃ cita magis solet esse aluus, cum ratione potissimum iecoris ea fluit, siue illud humorem malum eijciat, siue chylum minimè absorbeat, & in restinis permittat, siue sanguinem non immutet, unde crudus ille leuiter putrefcat, ac expellatur, sub quibus causis semper plus humoris, & magis corrupti, & crebrius solet descendere, quam hic fiat, ubi uidemus ter tantũ in die aluũ moueri, noctu solum, ac mane, nunquam aut rarò interdiu, & fœtidas quidẽ, maleque olentes fęces dimitti, & liquidas

das, quoque, minimè tamen aut chylosas, aut biliosas, aut sanguineas. Vnde sequutus Galenũ lib. de locis affectis, fœtor (dicam) prouenit a putredine, hæc autẽ citius facta a ventriculo in intestina demissione chyli crudioris, quoniam vis ventriculi contentrix non æquat tẽpus concoctionis, quæ, cõcoctio tardior longius tempus postulet, crudior verè materia in intestinis detẽta non ita infirmis ęstuat recepto quidem sed non absolute concepto calore concoctionis, eoque minimè sibi proprio facto, amisso tamen priori suo, vt ita facilius putrescat nullo proprio calore munita, & multis alienis oppugnata materia, & sic fœtens & naturam intestinorum ad eijciendam se se stimulans demittitur, a qua vero crudi succi generatione tum a ventriculo, tũ a iecore diuturna sunt factæ obstructiones in iecore, vnde ipsum tumeat, aut tendatur, & ea collectione humorum crudorum, qui crassi, & lenti sunt, fit putredo non perflatis illis, & inde febris, quæ obscura est, vt in senibus consueuit, vt in humoribus crudis, ac frigidis, nam, etsi corpus sit colore pallido, cutis nostra eum colorem per se habet, cum nitore spirituum caret, vel frigidis etiam abũdantibus humoribus. Vnde Galenus dicebat in arte medica frigidos, & siccos esse πυῤῥοὺς, id est, rufos carne, & pilis, ex obstructionibus verò, & crudis, & crassis humoribus intermittunt pulsus crebrioresque sunt, & sine ordine, qui si in minore natu tales viserentur, certe magis metuendi forent, at in seniori homine non tantum perterrefaciunt.

Quid verò faciendum hæc mala postulant? Siccandum nimij illi humores indicant, humectandum illa siccitas, iecoris intemperantia, quod etiam ætas efflagitas, incidendum vero, aperiendum, & calefaciendum obstructiones, crassitudo humorum, & intemperantia viscerum frigidior postulant, vitiosa autem materia quæ moderari non potest purgationem petit. Vbi moderãdum admodum est in eo quod pertinet ad exsiccationem, & humectationem, reliqua audentius præstare conabimur, temperatum calorem habent borrago, buglossum, liquiritia, quæ etsi dicatur frigidior in frigidiori corpore, cui alendo daretur (sic enim fortè debilis caloris res a debili immutata in frigidioris materiæ sanguinem conuerteretur) ad immutandum tamen decocta in liquore aliquo, in quo vis eius non corpus viget, sua ui potest tantisper, cum superest, inferiorem calorẽ iuuare, & sibi similem facere, est verò glycirrizæ calor simillimus calori naturæ nostræ, igitur erit opportuna maximè si renes spectemus, his verò aperientia iungemus, quæ tamen habeant aliquid firmitatis adstringẽdo: Viscera enim potiora semper hoc requirunt, quare omnia, quæ vim adstringendi coniunctam cum vi aperiendi habent, sunt opportuna, potissimum absinthiũ, & rhabarbarum, & eupatorium maximè Mesues, atque chamædris, deinde cicotea omnis, radix capparis, & citrach, & illorum similia, quorum siccandi vis temperabitur supradictis.

Verum humores erunt purgandi postea, nam, quod pertinet ad eorum apparatum, & contemperationem viscerum, iam dicta satis præstare poterunt. Extrahendis verò humoribus non sufficiet rhabarbarum, quoniam bilem potissimum detrahit, & tenuiores humores, de crassis & pituitosis solum quosdam valdè calore concretos, & bili coniunctissimos lentore suo maximo, quare agaricum non præterirem, quod capiti sit, & surditati quoque profuturum, neque aloe propter ventriculum, quare pilulis de tribus cum rhabarbaro dictis ego vterer, nam suspicio de aloe in senibus spectat ad ventriculi ariditatem quæ huic non adeo timenda est. Placet remedium propositum radicis Chinæ, atque guaiaci, sed quoniam requirunt penitus factam inanitionem malorum humorum, alioquin eos trudunt ad partes, malaque multa patrantur, propterea vos consilium capietis in re, non credo enim violentiores purgationes facile ipsum toleraturum, neque sine periculo vitæ posse illas adhiberi, quare potius vitarem ea valentia remedia, quam darem cum incommodo, & vitæ periculo vos considerabitis.

Exterius hypochondrijs darem aliqua viscerum coctionem iuuantia, nõ resoluentia, ne corpore pleno aliquid attraheretur peioris notę. De victu vinum non dimitterem, cibos institutos darem, non crebrius, nisi si sit copia iusta partienda, nam ille languor, quem ait se sentire, potius ab onere, quam ab inanitione prouenit. Nescio, an aliquid quod necessarium sit prætererim.

Hæc certè sunt, quæ mihi venerunt in mentem dicenda, vt non salutem procuremus, sed vt vitam protrahamus, nam certe duobus mensibus crediderim posse vitam finire, citius verò, si aut aluus citior euadat, aut somni imminuantur, aut cibi cupiditas rollatur. Dixi.

Hoc consilium initum est mense Septembris, morbus vero traxit vsque in finem Nouembris.

De rheumate cum febre pro Serenissima Lucretia Estensi Vrbini Ducissa, cum Renato Brasauolo, & alijs.

CONSVLTATIO CCCLV.

Viam ego à vobis mihi demonstratam insistam, & quę per vos plurima, & singula cumulatissime patefacta sunt, ego ad pauciora capita referam, & suis rationibus simpliciter confirmabo, atque inde quid medicæ operæ indicetur, breui oratione colligam. Placet verò externas primum causas deinde internas recensere. Certæ enim hic, & euidentissimæ externæ sunt, atque admodum valentes, quibus nõ remotis ipsa identidem, vt sæpè fecit, in eadem incommoda recidet, & vestra opera, & curatio frustra erit sæpè adhibenda. Vitæ genus intra parietes in summa quiete est, subitæ tamen excursiones in cœlum plerumque vehementius sunt. Cibus ferè largior, & crebro mali generis. Animi perturbationes multæ, & variæ continenter, quæ eiusmodi solitarię vitę multo grauiores esse consueuere, æstate densius cœlum petit, hyeme rarius, & tenuius magisque flatuosum, æstate nimirũ Ferrarię, hyeme Pisauri, & quod humoris caput æstate concepit, id hyems ad destillationem facilè exprimit, hæc ego initio prædico, nam, nisi ad meliorem rationem vita traducatur, frustra consilia ineantur, ipsaque tandem periclitabitur.

Sic non solum nostrorum auctoritas, sed potentiorũ principum, & cognatorum erit adhibenda, vt nostra consilia obseruentur. His itaque, quæ in manu ipsius ægræ posita sunt, propositis, iam, quæ in natura sui corporis, & quæ præter naturam in ipso iam subsistunt, pertractabo. Corporis genus suapte natura calidum, & humidum conspicitur, ac, vt mollissimum, candidissimumque, sic humidum potius, quam calidum censendum, quod, si minus carnium habeat, quam dictæ naturæ conuenire videatur, id in aliquam viscerum causam præter naturam incidentem referrem, nã tota eius vita præsertim ab hinc quinquennium crebro tentata sunt aliquo malo, vt quoque anno bis terue secare sibi venam consueuerit: Huius naturæ causa in visceribus distributa est, humidum genus à iecore præcipuè, vt calidum ab eo, & ex parte à corde.

Iecoris humidum genus carnium mollities, & candor, tum venæ satis latæ. Cordis mediocrem calorem ipsæ item venæ, Pulsus non admodum magni, crebriores verò, & animi leniores mores, magnitudinem tamẽ eius retinentes, sic calore non ita humidum genus superante, articulorum lenis admodum figura est, neque admodum expressa. Multi ex longitudine staturæ calorem vincentem colligunt, possumus tamen ex ea etiam materiæ abundantiam, hoc est humidi generis colligere potius, quam caloris. Capitis difficilior ratio est, nam rubor faciei, & venæ oculorum latæ calorem significant, quod acumen ingenij etiam confirmare potest,

actiones tamen tardæ sunt, & frigoris indicium præbent. Dicitis vos, quod ille mos cognationis est generis sui proprius, ergo pariter dicam, quod, sicuti mos, ita tẽperies, quę moris causa est ea communis generi eius erit. Et quod tardę actiones sint, non in partem earum referam, quæ à cerebro est, sed quæ à corde, cerebrum namque cognitionem tantum præbet, quæ est hic perfacilis, cor autem dat animi celeritatem, & acrimoniam, cum calidum est, cum frigidum, contra fere remoratur.

Sed ingenij acrimonia solet in cerebri tenuitatẽ potius, quam in calorem referri, & oculorum venæ potius plenæ, quam latæ sunt, nam ipsi quoque potius carne obsiti, quam magni conspiciuntur, & carne magis quã figura sua eminentes.

Vbi considero etiam, quod insignis cerebri calor cogitationum varietati efficiendæ idoneus est, quam cogitationum varietatem hic non videmus, imò certiores sumus facti, quod ipsa vnius rei studio, & cogitationi intenta diu teneri solet, nec alteri applicat animum, nisi priori paulatim dimissa, & multa tum rerum cogitationes omnino respuit. Ingenij ergo magnitudo in tenuitatem cerebri referendæ, etsi a frigore insigni ex parte prohiberetur, calorem tamen insignem non requirit, præterea calor inconstantiam, & varietatem in opinionibus facit, hæc verò firma admodum opinionis est, qđ frigoris esse solet, paulum ergo a temperato recedere caput vna cum corde ad moderatiorem calorem statuerem, & colorem faciei in iecoris calorem, aut in aliquã aliam causam referrem, vt ruborem etiam oculorum. Atque humidi, vel sicci generis cerebrum esse non facilis determinatio est, eius quidem nutritio humidum, somni breuitas siccum indicat, hæc enim non somniorum perturbatione fit, sed sine ea penitus, firmitas sententiæ quoque, & studiorum hærens ratio sicci generis, nunquam humidi signa sunt, quibus addo capillorum colorem in femina, ille enim in corpore alioquin humido, neque impẽsius calido, esset potius rufus, quam fuluus, nisi ariditas aliqua loci accederet, quæ, si cum calore esset insigni, nigros capillos omnino effecisset, tales verò mihi esse videntur, quales a calore iecoris dicto, & ariditate capitis mediocri fiant; Quam cerebri temperiem sequitur in muliere prudentia singularis, accuratũ in familiam studium, & domesticis rebus admodũ addictum, reique non mediocre, sequitur etiam, quod non delectatur varijs rebus, aut personis diuersarum nationum, sed ferè vnius generis, & præcipuè suæ ditionis gẽtium consuetudinem velit, neque facilè fastidiatur, quin spatio etiam magis consuetudinibus illigatur. Etenim, vt calidorum est facilè fastidiri, sic frigidorum contrarium. At vnde tot capitis, tot, & tam crebræ destillationes in prima ætate, & hac etiam grandiori? Hæ verò a capite frigidiori tam non sunt alienæ, vt illi etiam sint familiares, humido præcipuè iecore, & valde robusto. Verum siccius etiam caput statuebam, quod verò ætate ineunte, & molliori siccitatis vires nondũ poterat ostendere, postea verò ex materia humidiori illuc elata, & locum diu occupante, necessario genus humidum præter sui naturam compræhendit. Hæc de corporis genere. Aetas inclinata iam est, & 42. annum iam superauit. Quibus autem sic coniectatis ad effectum ipsum præter naturam veniam. Destillatio est, quæ alias in pectus, postea in oculos, proximè rursus in pectus recidit, & costas sinistras vexauit, nunc demum pectus vehementer replet, & febrem mouet, cum sinistrarum costarum dolore, & item colli ac capitis, cuius destillationis copia multa, & varietas est, nam modo amara, modo salsa, ferè insipida est, interdum lutea interdum alba, semper quidem glutinosa, modo cum spuma, modo sine ea, nũquam non pectus occupat, sæpè etiam ventriculum, pectus quidem crebro angustia, ventriculum autem nausea, & vomitibus vexat, quod quidem genus vt viarum est, sic intemperies, vnde illud fiat, obscura. Copia certè ostendit, non vnum caput in causa sui esse, quod materiam ad proprium tantum alimentum conficiendum

A recipiens, & præterea vaporibus tantum obiectum, cũ ea non benè conficit, aut consumit, destillationes parit. Sic ab eo tanta copia suppetere non posset, sic varietas materiæ facile varietatem partium illam capiti suggerentium, aut etiam recta in pulmones per venam cauã, & arterialem amandantium significat, vt biliosam iecur, pituitosam ventriculus, & caput subministrẽt. Copia ergo tanta a parte aliqua erit quæ materiam totius corporis nutritioni paret, communemque coctionem moliatur, quæ, qua parte pituita est, glutine suo manifesta a ventriculo venit, vnde & pulmones, & caput eam accipiant, qua afficiantur, caput quidem intemperie frigida cum minus caloris habeat, minusque eam queat modificare, ac assiduę magis ei obiectum sit, quoniam suapte vi genus id humoris trahit, a quo alatur, sic ipsum
B raro acres facere rheumaticas affectiones dicitur, vt habet Gal. 13. methodi c. 12. vbi de inflammatione oculorum pertractat, qui in 3. aphorism. 12. salsam quidem destillationem fere a calefacto capite, raro acrem facit. Potior ergo pars materiæ huius, cum pituitosa sit, eaque a capite parte multa sui veniat, capitis intemperiem frigidam, & humidam præter naturam denunciat, vt sentire videtur Galenus, qui 6. de tuenda valetudine c. 10. in rheumate frigidorum humorum in vẽtriculum pertinentium curando capitis intemperiem frigidam spectat; Ac quoniam constitutum est, tantum pituitæ non posse ab vno capite venire in thoracem, sed, antequam ad caput ducatur, conferri in eum a ventriculo, per iecur certè, & venas id fieri debet, per quas non solum in thoracem, sed in pulmones deuenit. Vidimus nos sex-
C centies in cadaueribus è dextro cordis sinu in totam venam arteriosam, omnesque eius ramos diuisam pituitam glutinosissimam, ac, tam tenacem, vt detracta è venis illis adhuc illarum figuram, & diuisionis formam omnem distributam in ramusculos tanquam solida arbor retineret. Pulmo enim, tum motu suo assiduo, tũ laxitate corporis non solum admittit, quidquid a corde se se exonerante expellitur, sed etiam attrahit, maximè verò sub febribus id euenit, sub quibus exagitatum cor ad se omnium venarum recrementa atttahit, ex seque robustissimum omnium corporis partium facilè in laxos pulmones, & attrahentes sua dilatatione reijcit, vnde author de theriaca ad Pisonem ait, quod materia podagræ cohibita, ne ad pedes fluat, facilè in pulmones conuerti solet; quin imò, cum tanta sit facilitas confiu-
D xus a toto corpore in pulmones, necesse non esset, vt capitis frigidam intemperiem esse statueremus, cui partẽ causæ huius pituitæ attribuamus, nam vel si calida esset capitis intemperies, nimium pituitæ a toto corpore attrahendo, & multo superuacuo ab alimento remanente posset a capite partem rheumatis thorax recipere sine illius frigida, imò calida intemperie. Sub longis autem affectib. rheumaticis dicebat Galenus, quod vis rectrix totius corporis necessario male habet, vt pulmonibus quoque rheuma excipientibus id commune statuerer, itaque a toto corpore venire tantam copiam cum est necesse, tum rectricem vim ipsius male habere. Neque aliter fieri credendum est, quin, cum pituita per primã aliquam occasionem a ventriculo cruditatibus affecto in venas peruenit, iecore non ualẽte eas superare vena-
E rum ipsarum omnem ambitum suo genere afficiat, & rectricem vim infirmet, ob quam causam corpora, quę partes impari temperie præditas habẽt, valdè sunt morbis obnoxia, vt hoc si ventriculum frigidum casu quodam habeat, iecur autem sua natura calidum, quod neque valet cruditatem susceptam superare, maximè cum per intemperiẽ illam obstructionibus sæpè auctam imbecillius euasit, & tamen multam etiam suo calore gignit bilem, sicq; humor rheumatis varietatem hanc suã obtinet. Verum, cur iecur longa consuetudine cruditatũ non refrigescit? cur infirmum ẽt per cãlidam intemperiem factum ea sua infirmitate non superans materiã pituitam potius, quam bilem non facit? Hæc sunt communiora, neq; locum in consultatione idoneum habẽt.

Tamen

Tamen breuiter dicam ad primum, quod obstructio ne potius pituita intemperiem calidam malum calorem conseruat in viscere valido, & tam pleni corporis, & angustis meatibus exiguis partibus diuisam pituitam recipientibus, atque ad suam intemperiem inducendam ob id inualidis. Intemperiem quidem suam in alias venas facile afferat pituita, præsertim quæ latiores minusque ullo valentiori parenchymate suffultæ sustentatæue multum pituitæ possunt amplecti.

Ad alterum, quod a quibusdam magni nominis Medicis prolatum, & tanquam verum receptum est, dico, quod imbecillitas per calidam intemperiem facta in vẽtriculo nidorosam, & puttidam materiam reddit, in iecore, & venis biliosam omnis generis, sic æstate ventribus etiam frigidioribus; non intemperiei genere, sed viribus caloris naturalis, bilis tamen plus fit, quoniam infirmitas caloris tunc per calidam intemperiem est, & per eam agit. Hyeme vero, etsi ventres sint copia caloris firmiores, tamen genere ad frigus vergente pituitæ plus generant posito, quod hyemi non obstent munitiones, ut quod æstati eadem non resistant. Imbecillis calor agit per eam intemperiem, qua imbecillis factus est, quæ cũ calida est, necessario sibi similes effectus facit, calida quidem præcipuè, quoniam materia, cum suum naturalem calorem, dum afficitur ab alieno, amisit, seipsam non potest sustentare in natura sua, sic imbecillis facta paulo momento in putredinem eam labitur, in quam intẽperies agentis promouet, sic calida intemperies facile putredinem multis nominibus molitur, & bilem, vt vt partes materiæ idoneæ sunt. In iecore itaque calido, cũ materia cruda conficitur, partibus crudæ materiæ semper valde dissimilibus euenit, quod, quæ penitus coctioni sua crassitudine, & lentore resistunt, pituitæ speciem recipiant, quæ uero tenuitate sua facile transmutantur, illæ in bilem euacant, reliquæ, vt fert natura sua, actionẽ eius caloris excipiunt.

Quibus sic propositis, casus omnes iam sunt in expositas partes huius morbi referendi. Dolores capitis acriores, oculorum tubores, & calidæ lachrymæ non sine bile fiunt, per quam etiam pituitæ fusior facilius in caput feratur: est o enim, quod bilis sua tenuitate facile digeratur, & per vias etiam uisibilium meatuum alui scilicet, & vrinæ, & vomituum efferatur, crassioribus tamẽ partibus retenta iis malis faciendis præsto est, quæ dilutior humore pituitæ facta suis fluxionibus minus caloris præ se fert, etiamsi illæ in carnes fiant. Vomitus, & aluus sæpe vitidem materiam efferunt, quoniam bilis in ventriculum delapsa cibos corrumpit, qui alioquin ventriculi frigore in pituitam illam, quæ crudus humor proprie di citur, conuerteretur, quæ tamen excretiones, nunquam sine multa eius pituitæ copia visuntur, pituita ventriculi causa, bile non uentriculi, sed alterius causa nascentibus. Ac cum morbo incipit tentari, statim cibi cupiditas tollitur, & eiusmodi alui deiectiones exhibita medicina cernuntur. Vrinæ primum aquosæ, tenuesq; crassis uero sedimentis, quæ pituitam referant, bile aliã interea viam petente, aut supernis partibus conclusa, a qua calores præcordiorum fieri soleant, concluditur uero sæpe a dicta pituita.

Cum destillationibus tentaretur strenutationes aliquando fiebant pituita per bilem extenuata. Non semper autem eadem incidunt ob dictam materiæ, & locorum varietatem, fuit interdum sine vomitu multa ventriculi cruditate substante, quoniam hæc in imo ventriculo consideret, interdum nulla siti affecta est, cibi cupiditate satis multa, hoc tempore vomitus, cibi fastidium, ac sitis est bile pituitam in superiorem ventriculum efferente, tum materia rheumatico modo aliquando petiit musculos intercostales eo per venas missa, & in flatum soluta loci calore membranas vrgendo, acrem, & acutum, & breuem dolorem mouit, hebetem quendam dolorem sempet, & per multos menses faciendo, quẽ nunc etiam facit, Breues, acrioresque illas doloris accessiones aliquis posset bilioso humori attribuere; ego tamen non

A possum eum humorem tam tenuem putare, vt tam cito queat dissolui quantum est spatium dimidiæ horæ. Et profecto, si humor sit, non halitus, & si tanquam ros ille ad partes accedat, raro tamen tam tenuis est, quin motu suo partes tandem non erodat, quin saltem detentus in membranis herpetas faciat, quin saltem putrescens, & partem in tumorem attollens erysipelas non ex sanguine bilioso, sed syncera bile faceret, quod in herpeta facile transiret.

Certe dimidiæ horæ spatium non sat est membranis ad dissoluendum eiusmodi humorem, qui in carnosis partibus putrescens septem horas spatii requirat ad sui consumptionem. Non sit etiam in membranis, sed illis tantum adhærescat, admordendo infestet, tunc si putrescat, quod extra venas fit, diutius tamen duraret, & B molesta esset, quam hora dimidia, si non putrescetet, longe diutius etiam traheret. Flatus ergo potius fuerit earum breuium accessionũ causa, & in membranis, quoniam acris dolor est, flatus quoque e materia crassa quidem, quoniam ex aquosa vapor esset, & retentus in rorem, & aquam rursus reuerteretur, potiusque leniret, quam incitaret dolores. Crassa vero materia potest esse pituita, cuius flatus uel inflando tantum, vel etiam frigore mordendo infestet; potest esse etiam humor magis terrestris, vt melancholicus, & exusta bilis, cuius fumi præter tensionem malo quodam genere morsus membranas afficiunt, qui si in os ventriculo permeent, pessimos animi, & dolorum casus afferre consueuerunt.

Tussis etiam magna, & vehemens est cum sonitu sæpe in aspera arteria, quæ res in pituitam crassam, & tenacem referri debent, illuc per diuersas partes ut dixi C commeantem, vbi sonitus indicat eam, quæ in maiori arteria est, conatus autem illi ex alto facti, tussis illam, quæ in extremis bronchiis hæresc it, in id crebritas quoque anhelitus refertur, vel quod dolorem exhorrens thorax minus dilatetur, ita breues, & crebriores tanto motiones illæ, quanto breuiores fieri cogantur.

Vocis id fuscum genus, & quasi raucum inde etiam fiet, quoniam descendendo humor fauces, & caput arteriæ occupat, oblinitæ fauces maxime tonum vocis obscurant, vt deterſæ, & nitide claram reddunt, arteriæ autem caput maxime. Augustiam spiritus maiorem fieri vos opinamini, quo magis in extremis brõchijs materia est, ego sic rem diducerem, quod maior angustia a magis multa, crassa, & tenaci materia fiat, maiores autem D tussiendi conatus ab ea, quæ in magis extremis bronchiis hæresc it. Vti, cùm exigua, & crebra est respirationis motio, ea sequitur aut dolorem, aut uacuitates bronchiorum, & pulmonis angustas factas, cum autem magna, & crebra cum conatu est, potius occupatam thoracis cauitatem denotat, uidi quidem maximam, creberrimamque anhelationem sub magna febre, quæ eiusmodi esset ob pulmonum tabefactorum exiguitatem, quod eorum distensionem natura procuraret, cum itaque tussis est longioris, & profundioris contentionis, ostendit materiam in imis bronchis hæreutem, ut cum irritatiore est, materiam molestiam, aut acrimoniam humoris. Dixistis uero etiam Domini quod materia in E imis bronchijs hærens facit eam grauitatem spiritus, cum vehementer addncendo spiritu thoracem extendit. Hic si per grauitatem pondus intelligitis, nescio, cur non eadem fit, etiam si materia in magnis arteriis, fit, modo ne penitus occupet, vt spiritus tamen adduci queat. Si per grauitatem intelligitis difficultatem, & angustiam, ea breuem spiritum, seu motionem anhelitus potius faceret, quæ grauitas dicenda non est, neque verò pulmones etiam sentiunt.

Potius itaque ad costas thoracemve id referendum est, sentit enim ipse pondus dum maiorem distensionẽ molitur, pondus siquidem a mouente sentiri debet, cũ est in eo, quod per ipsum mouetur non ex accidente, pulmones ex accidente mouentur ad metum thoracis ita eorum pondus mouenti thoraci sentiri non debet, sed quod in ipsis thoracis partibus est, partes ergo inter

costa-

costales humore affectæ, siue ob tussiendi laborem attraxerint illam, & lassitudinem, siue ob destillationem illuc repere solitam, dum extenduntur magis suum malum irritant, atque exagitant, forsan etiam viscera pleniora, humoribusque crassis referta, flatibusque tensiora respirationis motionibus resistunt, & partibus eam exercentibus tensionem largiuntur. Febris huic destillationi coniũgitur, vos eam ephemeram vocatis, eo quod spiritibus tantum incensis, non autem humoribus fiat. Quæ res mihi affirmanda non videtur, nam materiæ destillationis plurima pars pituita est, hęc sine putredine non potest incalescere, minus cordi calorem communicare tam vicina nisi putridos vapores in ipsum mittat. Dicat quis, quod in bubonibus putredo fit humorum, febris tamen ephemera fit, quoniam solus calor per spiritus in cor pertingit, non autem putridi vapores. Dicam ego, remotiorem esse eam partem à corde, & præterea suam putredinem conclusam habere, hic, destillatio cordi propior est, neque adeo conclusa coercitaue eius materia continetur; At feruet tantum pituita, non autem putrescit, vt sanguini sæpè contingit. Dico, quod sanguini feruor per spiritus, quos compræhendit ignis naturam habentes excitatur, sic febrem, quæ calor siccus est, mouet, at pituita calorẽ siccum suo feruore non parit, vapores tantum humidos ex se attollendo, qui aquæ naturam referant, cum verò putrescit, tũc tantummodo siccum calorem posset mouere. Fiat obstructio, seu meatuũ modica in corpore sanguineo, tunc vapores sanguinis detenti sanguinem augent in ipsius naturam reuersi.

Ea modica obstructio, seu angustia, fiat in corpore biliosо, non ita facile bile obstructiones faciente, tunc ephemera febris fit fumis siccis bilis primò horrorem cum concussione toti corpori inferentibus, deinde siccum igneumque calorem efficientibus, augeatur obstructio in bilioso, putridæ bilis febris fit, augeatur in sanguineo, fit incensis eius spiritibus ephemera. Obstructio in pituitoso nunquam dicta est vllam febrem parere; nisi putrescat, & inducat aliquem feruorem pituitę, & illa in vapores dissoluat, tunc illi ad eminentes corporis partes elati potius in pituitam vertetur, frigidam rem, & frigidos morbos efficient, nisi per obstructionem nimiam putrescant, hoc est corruptione afficiantur, quæ vi caloris alieni fit non humidum absumentis, sed euocantis potius vna cum calore proprio, forsan etiam in calidis humoribus putredo exustionis speciem inducit, & alienus calor non euocat proprium vna cum humido, vt propria mixti corruptio fiat, quæ vera putredo est, sed calorem dissoluendo proprium absumit humidum, ac combustionis modo mixtum in cinerem vertit, quæ res in genere humorum frigidorum, & humidorũ fieri nequit; neque solet concedi à Medicis è pituita putrefacta, vel exusta humorem melancholicum generari, vt ex bile, pituita ergo putrescente tantum huiusmodi febris fiat.

At nonne recenset Galenus, & consentiunt scholæ Medicorum, quod ex destillatione fiat febris ephemera? nunquam destillationem simplicem eo loco statuẽt, sed à refrigeratione illa à qua destillatio facta est, obstructionem, & angustiam meatuum capitis facient, & materiam biliosam ei coniunctam, vt non pituitæ causa, sed sanguinis, & bilis, & ob spirituum incendium cutis angustia factum, febrem eam sequi existimabunt, itaque manente ipsa destillatione ad multos dies, febrem tamen finiri putant, quoniam eius causæ non diu consistunt, nisi in febrim putridam transeat humoribus putredinem compræhendentibus. Fac enim corpus constate sanguine integerrimo, cum obstruitur, aut angustia meatuum afficitur, calorem concipit maiorem, quo febris genere ephemera fiat, eam autem intemperiem diu integer pati non potest, quin in bilem, & melancholia vertatur, quin nec vix vis ea intemperie imbecillior facta ipsum tegere minus valeat, sic & plenitudo quo ad vires, & vitiosi deinde generis fiat, & necessario putredinem ob angustias comptæhendat. In hoc autem corpore hæc esse nõ possunt, quoniã febris longè acrior, vehementiorque esset, nec tamdiu trahi potuisset, minus vires se sustinuissent, destillatione tamen diutius cũ febre durante putredinem materiæ destillationis demum factam esse penitus necesse est, hancque esse huius febris naturam.

Fuit dictis de causis febris hæc initio maior, illis verò consumptis iam tanta non est, putredo ergo materiæ subest quidem tanta, quantę putredinis anhelitus in cor attracti, introductiue postea respiratione, & arteriarum opera eijci facile nequeant, ita cordis calorem incendant, & quoniam eorum effluuia non tam multa sunt, quanta prius essent, minorem etiã febrem faciunt. Res sic habet, ex qua curatio iri ostensa debet, est capitis, vẽtriculique intemperies ex accidenti frigidior ac humidior, est materia magna ex parte pituitosa, portione quidem pituitæ, sed ea nos minus anxios habente, quod & exigua sit, & quoniam sua tenuitate facilis discussu est, neque aliquod nunc periculum minatur.

Illa verò est in totis venis, in ventriculo capite, & pulmonibus. Intemperies est corrigenda, materia autem partim corrigi, partim submoueri debet, per vias, quæ cuique parti erunt cõuenientes, ordine verò illo, vt quoniam quamquã materia fit, ab intemperie, tamen quoniam etiam ipsa facit, & conseruat intemperiem, materia prius submouenda est, & antequam moueatur ẽt paranda, per quem apparatum intemperies quoque aliquam sui corrigendæ partem habitura fit.

Cuius verò partis primum materia tractanda, totiusne corporis, an vẽtriculi, an pulmonum, capitisve? Nisi vrgeat ea, quæ in pulmonibus est partis ipsius officium adeò vitæ necessarium impediens, certè ab eo primum loco materia est amouẽda, vnde primum proficiscitur, nempe a ventriculo, interea nõ neglecta ea, quæ in pulmones permeat, nam oretim, vt, vt concoquitur, per tussim eijci debet, ita tamen, ne interea referto corpore agitati pulmones nimium illius attrahant: sic ipsi interim leniter tractandi sunt, dum reliquæ partes, & corpus ipsum expurgetur. Non dimissis ergo pulmonibusr primum ventriculum, deinde totum corpus purgarem, postea caput, tandem pulmones uehementioribus tractarem, & tunc capitis, & reliquarum partium intemperies emendarem. At fieri ne hæc poterunt? periclitabitur ne interea ægra? Credo ego illa fieri posse, neque ægram periclitaturam, longo tamen spatio curationem opus habere. Ventriculi quidem purgatio cito fieri posset, & ea cum melle rosaceo, & manna, adiecta ʒ. 1. s. electuarij Indi, quod uentriculum, & uenas ei cicumsistentes respicit, & flatus maximè dissoluit. Totum corpus autem exonerarem non sanguine mittendo, quoniam id hoc anno pluries iam factum est, neque possũ probare eius promptitudinem ad exhauriendum sanguinem, putoque usum eius ualdè inutilem fuisse, præsertim mulieri prolem expetenti, & delicatioris generis, nam & inde refriguisse uenas, & nimiæ pituitæ in causa fuisse existimo. Misione ergo sanguinis dimissa ego medicamentis uterer, quibus primo pituitam pararem crassam, & glutinosam, nam quamquam naturalis pituita propter humidum genus tenuis fit, tamen, eũ ad statum præter naturam, uel in generatione sui, uel etiam postquam genita est, in diuersam speciem uergit, nam crassa, glutinosa, salsa, acida, & aliorum generum fit, quoniam uel propter cruditatẽ ipsam crassa cõstat, uel crudior prius a calore glutinosa, & crassa fit, ut Galenus proponit in libris de usu partium, & alibi, cum a calore potius humore priuetur, quam in speciem sanguinis uerti posit, quod in hoc corpore facile facta fuit, cũ pituita a uentriculo facta manet sub iecoris calidioris coctione, cuius calorem cum deberet minuere suo genere, auget obstructione. Incidentibus ergo, & extenuantibus opus habet. Vehementioris uerò generis subito inter initia adhiberi non debent, ne corpus nimiũ refertum inueniant, & materiam nimis multam ad angustiores

gustiores uenas commoueant maiori cum periculo cũ longius à loco secundæ coctionis sint, & angustia sua facilè obstruantur, itaque prius corpus leuius tractandũ, & pituita leniter paranda, & educenda primo tempore est, superius corpus per missionem sanguinis, & per leuiora medicamenta exoneratum fuit, nõ solũ per aluũ, sed per uomitũ quoque, quare non esset verendũ a valẽtiorum iam vsu, quin continuo oxymel, syrupus de capill. Veneris, de radice dulci de hyssopo audenter adhibeantur, quorum postremi ita habent, vt qui de hyssopo dicitur, non solum habeat hyssopum, vt habet quoque ille, qui de radice dulci dicitur, sed & cumulatius illum habeat, & præterea multa alia pectus respicientia, & validiora, itaque purgantia interponerem, antequã ad hæc posteriora accederem, ratione quæ supra posita est, interea vero in cibis etiam eiusmodi res permiscerem, vt ius brassicæ cum butyro, ptisana cum eodem, & fœniculo cum amygdalarum emulsione, cum ea, quæ è nucleis pineis fit, cum radice helenii, cum ficubus, dactylis, sebesten, cæpis, quæ præter vim extenuantem, incidentemque habent etiam humorem aqueum tenuem, vias valde mollientem; humoresque liquantem. Darem succum vuæ dulcis præsertim ex saccharo paratum, radices eryngii ex saccharo conditas, & in visculis etiam decoctas.

De nucleis pineis notando, quod illos non purgarem per aquam a sua resinosa vi, qua valentius possunt pulmonibus prodesse. Si non abhorreat, incoquerem etiã in iuiubis origanum, hyssopum, & satureiam, tum marrubium saltem illud mollius, quod appellatur melissa, cui Galenus easdem facultates cum altero tribuit, nisi quod remissiores habet, cui Arabes dant facultatem etiam vtilem cerebri obstructionibus, & fumis melancholicis abigendis, ori vero gratum est, quorum, quæ in cibis tollerari non poterunt in syrupis saltem incoquenda, immiscendaque sunt, in quibus ego althæam quoque numerarem, & farfaram, radicem dulcem, & multa alia.

Vinum porro in cibis habendum, quod caput minimè petat, vt esset dulce, Hippocratis testimonio, quod etiam pectori demulcendo, deliniendisque pulmonum arterijs maximè idoneum est, Acetum, nisi valde mitigatum passulis vuis, melle, & saccharo, non concederẽ, a sale tamen moderatè adhibito non timerem, donec destillatio lenem hunc suum saporem retinet. In purgãtibus medicamentis haberem primo loco pillulas de tribus cum rhabarbaro, aut mel rosaceum solutiuum, cũ flore cassiæ, & manna dissolutum ex iure cinnamomi gingiberis, & pectoralium dictarum rerum, & polypodij, agarico prius in eis macerato, deinde pillulas de agarico Mesue adiectis postremo cochijs cerebri causa. Per id tempus medijs diebus inter purgantia, non solũ, quæ diximus parandis humoribus, pulmonique expediendo danda per potiones matutinas sunt, sed lambendo etiã similia, quæ non solum è ventriculo in pulmones vaporibus missis prosunt, sed dum per gulam paulatim descendunt, arteriam afficiunt, dum in faucibus versantur etiam caput illius leniunt, suo verò etiam glutine fauces illinendo, descendentem è cerebro humorem inhibent, irretiuntque, ne posit caput arteriæ ad tussim irritare, aut in pulmones latenter delabi. Lubricam viam certè arteriam reddunt, humores incidunt, & abradũt, calore vero etiam miti concoquunt, ac liquant maiori. In his est illud looch de farfara, factum simplicius ex illius mucillagine, & saccharo, est de farfara illud aliud compositus, conficitur aliquod ex radicibus helenij, caricis, passulisque, ac farfara in pultem redactis, quibus, iris, myrrha, crocum thus, styraxque adijciuntur. Nisi etiam ingratum sit looch illud ex allio, non videretur alienum. Est aliud diabutyron dictum præter illa, quæ vulgo in vsu sunt. Confici etiam posset eiusmodi looch, vt origani, iridis, dulcisque radicis, atque eiusmodi rerũ ius in duplici vase tam diu ferueret, quo mellis temperamentum acquireret, neque dubitaretur, quod facit Do- A ctor noster, ne in duplici vase hoc fieri queat, nam quilibet hoc potest experiri, neque vero, quæ pectori demulcendo danda sunt, aliter confici deberent, ne ignis sine aquæ interuentu acrius illa torreret. Saccharum, quod in vasis syruporum tussi oportunorum concrescit, illud quoque esset admodum commodum, vt quodque saccharum Candum dictum. Exterius quoque pectus poterit illiniri pinguedinibus, butyro, oleis amygdal. vnguentisque dictis pectoralibus. Inter pinguedines videtur anserina præcipuè laudari, eo, quod admodum penetret, vt illa, quæ struthio cameli est. Post purgationem totius corporis, & pulmonis, etiam si iecur amplius refrigerationem requisierit illa molienda erit.

Verum quoniam pedes identidem intumescunt contra q̃ expetere videatur. At inquit Doctor, œdematosus ille tumor est communis ferè morbis lõgis, quæram ego B ab eo causam propriam illius generis tumoris, nam longitudo morborum primo per se, & se ipsa id non facit, neque indicat aliquid, dicebat Galenus, si tumentes pedes faciat. Certe introducta prius refrigeratione aliqua id facit, quæ vel in pedibus, vel in venoso genere, & iecore est, nisi ob cibi copiam sumptam id fiat, quæ a calore superari non possit, vt Galenus iudicat, quam vero hic accusare non possumus, cum ægra temperãtia summa vtatur, imo parum cibi capiat. Frigori igitur iecoris, & venarum ascititio resistendum fuerit, & iecur ipsum firmandum, vt coctioni, & retentioni humoris coquendi valeat, tum etiam expurgationi alicuius materiæ ei adhærescentis, quæ intemperiem eam conseruet, tonum que infirmet. Sic mediocriter calida, adstringentia, & abstergentia etiam ei attribuenda, quibus adstrictio augebit penetrationem, vt 2. lib. de simplicibus medicamentis Galenus exponebat. Ex his sunt cicoracea, est C maxime lychen, est lunaria illa racemosa, quæ, quod iecoris malis efficax cognita sit, ob id fegatellæ nomen inuenit.

Est Vmbilicus ille Veneris Cimbalaria, sunt comæ rubi, quibus calor adiici potest per betonicam, agrimoniam, absinthium, & vis exsiccandi, & expurgandi augeri. Est capillus Veneris, Cetrach, lonchitis, atque stœchas, quæ frigori expellendo vna cum humore id cõseruare, & capiti restituendo maxime faceret, in quod tãdem caput cura erit referenda, & siccetur saltem, & firmetur per pulueres, lotiones, stillicidia, & tandem etiã ignem nisi priora satis profecerint, pulueres ex gummi iuniperi, cupressu, aloe, amaraco, garyophillis, betonica, ex fumo thuris, iuniperi, & aliarum eiusmodi rerum in D cannabis filamento excepto, pulueribus ego adijcerem ea, quæ vim eorum altius possent introducere, vt vinũ, acetum, aquam vitis, quæ si habuisset eorum in se macerationem, maximè efficax videretur. Sunt balsama artificialia dicta, quæ ab istis chymicis per vim ignis parantur, quæ maximarum virium sunt. Lotiones ex ijs poterunt parari, & insuper ex sena, agarico, asaro, adiectis quoque salicis folijs. Agaricum solet etiam loco saponis adhiberi. Sapo tamen ipse quoque præsertim ualentior ille, aut paratus ex odoribus valde poterit exsiccare, stillicidia maximè ex aquis medicatis naturalibus sunt oportuna, si illæ habuerint vires fossilium similium, non dixerim fossilia ipsa, nam antequam vapor in aquam et E halitus in fossilia sub terra conuertetur, credo halitum, & vaporem permixtim efferri, & deinde halitum, & vaporem in aquam vna communi re, percurrens. n. aqua iam facta per eas res concretas, non posset vires excipere, secumq; diu ferre. Fossilium genera essent aluminis salis gemmei cum portione sulfuris. Si incommode eiusmodi aquæ naturales adhiberi posse videantur, arte ipsa possunt comparari ex ijs, quæ suprapposita sunt, & alijs eiusdem generis.

Ignis vero tandem, ni illa satis profuerint, erit admouendus craneo, potiusque candenti ferramento, quam medicamẽtis, ita, ne apertum diu ulcus relinquatur, cũ exsiccationem nos, non diuturnam expurgationẽ cum imbecillitatis periculo quærere debeamus. Quod si in poste-

posterum in idem malum ipsa recideret, ego ad illa eadem ipsa refugerem. Interea verò, quo ab eiusmodi recidendi periculo tutior fiat, ego in humeris vlcera excitarem, quæ aperta ad diuertendam destillationis materiam seruarentur.

Quæsitum est, num ipsa in patrium cœlum conferre se vtiliter posset, mea sententia hæc est, quod quãquam patrium cœlum ei vtile futurum videatur, ad ipsum tamen alieno tempore se se referre non debet, nimirum hoc æstiuo calore, nam Ferrariæ cœlum densius longè est, quam Pisauri, Aestate verò è tenui in densum cœlũ mutatio oportuna non est, cum hyems aduẽtabit, tunc tutò, & vtiliter id faciet. Dixi.

De imbecillitate ventriculi & sterilitate mouenda pro Illustrissima, & Excellentissima Bisiniani Principissa Neapolim ad Medicos ipsius.

B

CONSVLTATIO CCCLVI.

CONsilium adeundi balnea puteolana semper mihi pro batissimum fuit, modo non solum exterius hæc, sed interius aliquod aquæ genus adhiberetur per potiones, quo non solum intemperies, sed humor etiam lentus, & crassus qui sub illa in ventriculo crassari consueuit, detergi, & auferri posset, nec non ille, qui, vt fere sit ad angustas iecoris vias introductus suo lentore, & crassitudine illas infarcit, & bilis purgationẽ per fel impediens eam in ventriculum retrudit, euocaretur, sic enim & intemperiei occurreretur, & causæ illius, nam ab humore eiusmodi illa etiam sustentatur, & renouatur facilè, tum verò incommodis, obuiam iretur, quæ à bile oriuntur.

C

Quæ alioquin aquis tantũ exterius datis, præstari non possent, imo aliquid maioris incommodi afferretur, neque enim illæ suo calore frigus ab humore conseruatum auferrent, neque sine maximo incommodo materiam liquarent, & in venas circumsistentes funderent, quarum angustijs illigata concresceret, & mille pericula pararet. Ergo vel medicamentis alijs proprijs non solum purgantibus per aluum, sed per alias etiam vias, vt esset guaiacum cum salsæ pariliæ portione, vel cum his etiam aquis eiusmodi naturalibus intus, vt essent, aquę Tetucij dictæ prius viscera, & ventriculus ab eiusmodi materia liberari debent, postea ad vsum exteriorem balnei, est accedendum, præsertim uero id agendum, quoniam etiam vterus est respiciendus, atque ad generationem parandus, quod eiusmodi rebus fiet facile, cum ipse eiusmodi materia pituitosa laboret. Deligerem autẽ aquas potandas in hos vsus morbi, & loci, ac temporis ratione æstimata, quæ aliquid omnino sulfuris haberent, & salis communis, vel gemmæ non parum, nitri similiter atque æris, & omnino qualis esset, aqua Tetucij primo per aliquem diem danda, deinde Viterbiensis aqua.

D

Ratione dixi morbi, loci, & temporis æstimata, nam verbigratia, iam per literas secundas ad Idus Iulij datas, significatis ipsam Dominam febri teneri, quæ omne consilium potuit perturbare, nam ea indicio est tantum obstructionem in dictis locis subesse, quantũ ijs aquas quidem valenter moueri, tutò tamen nequaquam posse uideatur. Febri itaque nunc primò submouendæ opera nauanda est, nimirum, cum putrida sit, eius caussis hoc est humoribus submouendis, illi in genere pituitæ esse alias depræhensi sunt, atque tum in ventriculo, tum in capite versari, sic idonea medicamenta deligenda, quæ & humorem, & partes ipsas respiciant, quæ alias à nobis sunt non semel exposita, atque administrata, neque nũc sunt iterum tractanda, satis est, si scopi ante oculos sunt reuocati, ad quos vestra consilia dirigantur. Submota autem febre, si corpus satis purgatum sub ea curatione

E

A fuerit, tunc ad potiones guaiaci, & salsæ pariliæ, & deinde ad balneorum vsum erit deueniẽdum, primo per os, deinde exterius habendum non solum ad ventriculum sed ad vterum quoque firmandum, cui vtero suffumigia illa puteolana adprimè profutura videantur. Atque hæc satis sint in re alias diligentius explicata. Valete, & me Illustrissimis, & Excellentissimis. DD. plurimum commendate Vrbini 8. Idus Augusti 1576.

Hæc Excellentissima Princeps post vsum superiorũ omnium, & etiam suffumigiorum filium concepit masculum, neque vnquam amplius, cum diu ante, & post cum marito fuisset.

De Empyemate pro quodam legum studioso Vrbini.

CONSVLTATIO CCCLVII.

NOn video cur dubitemus, cur non constantissime asseramus iuuenem hunc esse empyematicũ, qualis antea fuerit non vidi, pleuriticum fuisse credo. Nunc pus copiosissimum expuit per tussim admodum vehementem, difficilem habet spiritum, atque admodũ fætentem quodam fumi fœdi odore, præcipuè cum tussit, pus ipsum quoque fœdo odore est, & colore obscuro, quod nisi etiam male oleret, eo tamen indicio pus esse intelligeretur, quod neque sine lentore est, vt crudus interdum humor esse dicitur, neque tanto, vt pituitæ soler propriè dicta, nam facile dissipatur, & crassum est tum verò in aqua imum petit. Copia autem tanta est, vt non nisi in cauitatem thoracis collectum esse posit nullo interea signo vomicæ in pulmone tam magnæ apparente, quanta ad comprætendendum puris hanc copiã conueniret, præsertim, quod nulla est in pulsu inæqualitas, quę sequi ad materiam solet, cum partes premit, quę cordi vicinæ sunt, viasque apertas in eius ventriculos habent, quod non sit febris tanta, quam esse opus foret, si tanta putredo in pulmonibus confieret, quod non sit etiam tanta spiritus difficultas, quanta ad tantã pulmonum infarcturam, aut oppresionem, occupationemq; sequi deberet.

Dolor autem lateris antecessit, quamuis nõ magnus, & adhuc manet, forsan quod materia non adeo acris fuit forsan etiam carnosas partes occupauit, vnde plus materiæ comprehendi, & plus puris effici potuit. Neque dubitandum est, quod materia hæc a capite in pulmones per asperam arteriam, vel per ipsam, & pulmones intra thoracis cauitatem perueniat, semperque noua inde demittatur (quæ res peior esset, quam si caput semel se exonerasset, neque amplius haberet quo malum hoc sustentaret, difficilia cum sint semper ad curandum capitis vitia) Tanta enim materia per asperam arteriã, perque pulmones præterire posse non videtur, quin hominem suffocaret, minus a capite tanta, aut eius generis, quæ in pus posset cito conuerti cum frigidus sit humor a capite oriens, nec cito putredinem acquirat, minus tã mali generis. Neque impedit quin pleuritis fuerit, ut dixi, dolor minus acris, quemadmodum neque, si febris admodum ardens non extiterit, nisi primis diebus, aut pulsus ualde serinus, nam indicia a genere materiæ, & à natura loci modum accipiunt, neque semper syncerã, & puram speciem tenent. Pleuritis eiusmodi suppurata sit, & vomicam fecerit, in quam ex omni corpore humor per vias alimento deferendo destinatas confluat, ibique computrescat, nedum proprio partis affectæ vitio congeratur, vt copia humoris ostendit. Hæc mihi natura mali videtur, quod verò morbo magno genere continetur, si vitium ipsum putredinis, & copiam materiæ, & partem affectam spectemus, atque etiam facultatis periculum, longitudinem quoque portendit, quoniã via sputi non est ita expedita tantæ copiæ. Celeritatem quidem habiturum, si casum respiciamus, qui facile posset

set hominem suffocare. Morem tandem non ita malignum præ se fert, cum matura sputamina cernamus, etsi ob moram in thorace habitam ita fœteant. Atque hæc præsentia sunt, quid futuri autem exspectandum sit, res omnis in excretione facili, vel difficili posita est, nam facili seruata nil reliquum erit, nisi vt confluentis humoris causas, & origines auferamus, & purgatū thoracem restituamus. Quibus sic positis curationis partes facile eliciuntur. Materiam à thorace aliam auertendā, partim educendam, aliam absumendam, illud ei, quæ confluit, hæc ei, quæ in thorace iam versatur.

Quæ verò num a nobis præstari queant, certe dubiū est, certè ex parte eius, quæ iam vsum affluendi in thoracem habet, seu potius, quam partes se se exonerantes illuc propellere consueuere, quod si forte vomica in pulmonibus esset, quod non credo, ea certe causa malum insanabile foret, quoniam pulmones à putredine difficile sua humida temperie vindicantur, ab vlcere lōge magis ob humidum, & laxum genus, maximè verò ob motionem, quæ continenter illis gerenda est. In thorace vero cum credam esse, ex eo tanta difficultas timeri non debet. Ordo modo in curatione is tenendus est, quem vrgens admodum, & metuendus casus efflagitat, nam strangulatio facile nobis vitam surriperet, quæ vna cum viribus eadem esse videtur, & à nobis prius attendēda, quam sanitas est, quod & potior est, & sine ea sanitas haberi nequit.

Cum ergo metus sit ne excetnendi nis tum similariū partium, tum etiam instrumentalium tarda fiat, & materia collecta copiosior pulmonum necessarium officiū intercipiat, & vires omninò procurandæ, & materia facilis reddenda ad obsequendum. Interea tamen materiam quoque confluentem retrahendo, aut auersione, aut deriuatione tentata. Ea ergo materia, quæ pulmonū officio infesta est, quæque sua putredine pulmones calidos, & humidos tum laxo corpore facile vitiare posset, & vlcere afficere, quæ quantum modificari posset, ne tā putresceret, enitendum est, certe excretio eius moliēda, quæ per vnam tussim fieri posse certum est, cum excesserit è venis, & tam crassa sit, vt in eas rursus nequeat reuocari, ad quam excretionem vis similarium, & instrumentalium necessaria est. Similarium vis coneoctionē postulat, per quam recrementa excernenda segregantur instrumentalium ius præter illa modum corporis mediocrem requirit, qui ipse quoque a concoctione petendus est, coctio autem, seu maturatio præparanda materia procuratur, nimirum glutine illius, & tentore incidendo crassitudine, extenuanda, intemperie moderanda, quæ, etiam si coctionem non assequatur excretioni tamen illam faciliorem reddent, maxime uero abstergendo, per pulmones ad meatus arteriæ queat permeare, & a parietibus omnibus detergi ne adhærescens resistat, excretioni tamen parietes arteriæ debent deliniri, ne sua asperitate eam retineant, quæ asperitas ariditate solet excitari. Læuor ergo humidis erit procurandus, itaque cum incidere, & extenuare, atque abstergere debeamus, id nobis per ea tentandum est, quæ non exsiccent aperte, ita neque etiam vehementer calefaciant. Patiter verò, quoniam robur pulmonum est sustinendum, quo tum excernere, tum a putredine se tueri queat, id potius fiat ijs, quæ naturæ quadam proprietate moliuntur, quā adstringendo procurare debemus, ne excretionē dum iuuare velimus, eam etiam impediamus.

Reliqua quidem viscera, quæ commune, & publicū opus exercent, semper in ijs, quæ eorum recrementa dissoluere debent, etiam adstrictionem requirunt, maxime iecur, & ventriculus, non vesica, non colon, Pulmones autem, & renes mediam quandam conditionem inter illa nacti sunt, sic mediocri quoq; adstructione opus habebunt, nunquam quidem per ea, qua pectori exteius apponuntur, ne humor ex ambitu in ipsos pulmones compellatur, & cor. At pulmonibus egentibus ex pulsione multæ materiæ adstringentia mediocriter dāda sunt, vt habet Galenus, 11. Methodi capit. 16. & 17.

A certe quidem illa concedenda, quæ propria sua natura pulmonem confirmant, vt pulmo vulpis creditur tam à nostratibus Medicis, & ab Arabibus celebratus, à Galeno verò etiam lib. 2. de simplicium medicam. facultatibus propositus, qui extenuandis etiam crassioribus humoribus facit. Vbi, cum morbus humidus sit, oxymelis vsus tutissimus, vt commodissimus videtur matutinis potionibus admiscendum, quæ idoneæ erunt, si iam ex marrubio, origano, vrticæ semine iride, helenio cum tussilagine, ficubus, radice dulci, & hordeo fiant. Totis autem diebus ad lambendum ea oportuna fuerint, vt, quod ex pulmone vulpis cum radicibus tussilaginis conficitur, & amygdalis, atque oxymelle, vt, quod dicitur de pino, de butyro, sanum & expertum, & similia vbique descripta.

B Pararem ego ex pulpa ficuum, ex mucilagine altheæ & helenij portione, ex radice dulci, passulis, & amygdalis suaue aliquod electuarium cum saccharo, Cum matutinis quoque potionibus darem theriacam Andromachi, cui interdum, nisi illa satis prosit, diasulfur Mesue adiungerem, a quo curatam proxime vidi emphyematicam grauidam, quod certe respicit materiam proprie, quæ in pulmonibus est, alioquin ei, quæ influit in eos aliunde, parum profuisse animaduerti, Vellem autem, haberet os semper humectū, & nihil frigidi potaret. Thoracem quoque inungerem oleo amygdalarū dulciū pinguedine anseris maximè ad penetrationem, aut similibus. In victus ratione videndum iam, vt vires validas ad tussiendum faciamus, viasque lubricas, cum materiam promptam, cum incidendo, fundendoque, & abstergēdo, vt in medicamentis est propositum. Ptisana ergo inter omnia cibi genera id habet singulare, quod sine glutine lubrica est, & lubricos meatus reddit, lētore nimis quodam non crasso neque tenaci, cuius generis ouorū

C etiam lutea sunt, quibus etiam abstersio quædam adiuncta est, quasi saccharo condiantur, magis abstergunt; & fere etiam incidunt.

Si magis nutrire velimus, in iure carnium pulli gallinacei dissoluemus, si magis fundere extenuareve, atque aperire, fœniculum, quod viride erit pulmonibus oportunius, Emulsio etiam amygdalarum cum saccharo ea maxime poterit, vt etiam, quæ seminum melonum est Caticarum quoque pulpa omnibus modis accepta eadem valenter præstabit. Adhæc in secunda mensa radices buglossi ex saccharo conditi, & Borraginis, atque etiam lactucarum tursiones ex melle etiam, Olera vtilia,

D ut borrago, buglossum, asparagi, cucurbitarum teneri, cappares, & eiusmodi generis poterunt condiri oxymelle parum acetoso, passulæque adijci dulciores, quæ per se sumptæ etiam erunt idoneæ. Nuclei pinei sacchato oblinit, & multa alia, quo omnia non sunt recensenda. Potionum loco melicratum quidem certe esset aptissimum, sed vinum non est iam vitandum, quoniam vires ad tussiendum validiores, sunt modis omnibus sustinendæ, sit vero parum potens, bene maturum, & lene, non asperum, non austerum. Alioquin aqua, cui res dictæ pectorales incoctæ sint, erit putanda, vt ordeum, radix dulcis, passulæ, fœniculum, ficus, & sebesten, ac iuiu-

E bas. Verum dum thoracis, purgationi tam necessariæ nauamus operam, non est prætermittendum, quia materiam, quæ toto corpore vagatur ad malum sustentandum delapsura, subtrahamus repetita sanguinis missione non per sectam venam vbi uiribus tantopere egemus, sed cucurbitulis incisa cute valentius etiam retrahentibus, in quem vsum ego illas fœmoribus, & brachijs affigerem, quibus locis affigit semper Galenus seu Oribasius ex eo describens, cum loco secandæ uenę illas adhibet.

Obijcere solent Medici, quod nō sint tutæ, nisi prius totum corpus purgatum sit auctoritate Galeni, & Celsi etiam, nec vident quod loquuntur in illis locis de vsu cucurbitularum, quo locum affectum præsertim inflammatione exonerant illi applicatæ, vt locale remedium Nos autem nunc non affecto loco, sed remotis penitus

eas damus, & loco sectionis venæ, quod remedium est præseruatiuum non curatiuum affigimus. Purgandum postea erit corpus, nam materia parabitur his, quæ iam supra erunt communia, & non solum pituitam, sed etiã bilem, quæ motum acuit pituitæ, detrahant; quorum delectus non est a me hic habendus, cum publici sint vsus, vt illæ aliæ res, quæ ad deriuandum, & retrahendum multæ solent adhiberi, pedibus præsertim in hoc casu, & per clysteria. Cauterium capitis suturæ coronali apponendum ego non recuso, neque nego aliquam pituitæ partem a capite per venas in thoracem descendere, esse tamen id, quod materiam omnem sit auersurum, cum videam illam a toto corpore etiam venire, nõ eredo, sum enim certus pleuritidis opus hoc malũ esse, quibusdam siquidem diebus inter initia fuit dolor pungẽs, febris ardens etiam bis excitata, & spiritus eadem difficultate cum tussi, pulsus, nescio quis fuerit, quoniam nõ potui tangere absens. At antea quoque identidem in difficultatem spiritus recedat, quid tum? prohibet ne, quin ad pleuram tandem materia se se receperit firmioribus partibus compulsa? pure postea facto febris leuior, pulsus mollior necessario fuerit maxime nunc, cum disrupta membrana pus in cauitatẽ dimiserit, neq; amplius eo tendatur, linguam aridam non esse ego vidi etiam in peripneumonicis cum materia crassa, & pituitosa, quãquam etiam aliqua portione bilis infecta esset, sic neq; multam sitim excitatam, Fuerunt verò somnia tumultuosa potius, quam vigiliæ, quoniam vapores pituitę putridæ id possunt, qui neque arefacere cerebrum, vt neq; ventriculum, aut linguam, turbare tamen imagines queant. Tollamus ergo pus è thorace, & satis præstiterimus, nam vlcus pleuræ inde sanescet, nec vllum aliud symptoma est, quod sit in curatione respiciendum, febris enim leuis est adeo, vt interdum nulla videatur, pręcipue matutino tempore, quo per noctem, & ad vesperam materia noua incidens putredinemque subiens iã putrefacta est. Inter initia bis fuit ardens, quod calida materia bis raptum in pleuram habuerit bisque putredinem sui exceperit.

Dolor etiam aut nullus, aut certe per exiguus est qđ minime tendatur, noxam tamen aliquam vlceri suo a pure accipiat, vel ab humore per eam assidue permeante, cui tamen etiam per ea, quæ supradiximus exterius adhibenda satisfiet, quoniam subtus contentam materiam discutiunt.

Is optime conualuit, & dein bona valetudine vsus est cauterium quidem capiti fuit impositum. Memini verò diu vixisse equitem Capellinum, qui tribus annis, & amplius maximam puris copiam è pectore effundens fœtẽtissimi, & colore e fulua in atrum vergentis. Vixisset verò sanus diu Iacobus Tonialius q̃ pus expuisset multos annos, & Iacobus Racanellius, qui etiã carthilaginoso corpore, & carnoso excreto è pectore inter multam puris copiam conualuit vsu lactis caprini, & cœli mutatione.

De sputo sanguinis cum multa materia pituitosa.

CONSVLTATIO CCCLVIII.

CVm tantam sputi copiam videam, non ab refuturum credo post tam magnam corporis purgationẽ si etiam capiti consulatur, & ab eo per cauterium materia auertatur in sutura coronali adhibendum, candẽti verò etiam ferramento, quod non solum vehementius, & citius ita exsiccabit, sed minus etiam molestũ sit futurum, non amissis interim auersionibus alijs per clysteria acriora, per frictiones, lotiones, & medicamenta vesicas excitantia ad scoptulas apponenda adhibitis ijs, quæ facile sputum reddunt per lambenda, sed non sine ijs, quæ sanguinem sistunt, & venas confirmant, vt mirtus, bolus armena, & pinpinella, su per illinenda pectori cauendo capiti, ne præter ignem illum per alia calefiat, aquæ vitæ etiam illis adiecta sæpe, quo penetrationem virium iuuet. Lac capiti certe inutile erit, tamen erosæ venæ iam erit necessarium, ptisana hordei sputo idonea est ob sanguinis tamen sputum potius in far, vel eius ptisanam erit mutanda.

Vinum tamen viribus ad sputum edendum sustinendis necessarium videtur, imbecillum tamen esse oportet propter alia multa. Vale Vrbini tertio Idus Iunij Anno 1576.

De tumore testis pro Reuerendissimo Tyrannio.

CONSVLTATIO CCCLIX.

CVm videam testem tantummodo tumentem, qui suam figuram tumens consinuet, cutem autẽ, seu scrotum naturæ suæ habitum retinere, cum vero etiam tumorem testis potius esse tensionem, quam duritiẽ cognoscam, non possum aliud de hoc malo iudicare, quã flatu constare intra tunicam testis comprenso, cum rursus tumor dolore careat, ego iudico flatum naturæ vaporis potius esse, quam sicci halitus, quoniam vt his suo genere ferire potest, sic uapor potius oblinire, & hebetare, qui intra duriorem illam tunicam internam concludatur, alioquin in tunica demissa tanquam vagina a peritoneo vapor huius tunicæ longam figuram reciperet, præterea hæ aliæ tunicæ minus densæ illi egressum præberent, & ita in scrotum noxa pertineret, in quo si pituitosa materia esset, aut impressionem retineret, aut durus tumor esset, si flatus tenderet, & scrotum ipsum, hic verò solum testem sentimus tumentem.

Huius flatus causa necessario substans aliqua crassa pituitæ fuerit intra glandulosum illud corpus vel genita, vel aliunde accepta, quæ ideo aut ibi intemperiem frigidam in sui originem nacta sit, vel postea etiam peperit, At illud potius confluxisse indicium est, quod subito testis intumuerit, facile uero id factu fuit, ob situm decliuem, & vias seminis latas, per quas sæpe loco seminis pituita potest delabi.

Doluit testis inter initia, qm̃ aliqd bilis pituitæ admixtum fuit, qđ ad fluendũ pituitæ momẽtum dederit, & faciliorem penetrationem, ita sensum quasi perforantis membranam faciebat, qui tenuis humor calore naturali, & remedijs adhibitis discussus crassam materiã relinquit, & factam iam viam ei ad fluendum cessit. Eam igitur curationem nobis mali natura ostendit, vt incidamus, & discutiamus flatum hunc, & materiam, vnde generatur, temperemusque, ita, ne calidioribus subito appositis materiam confertim commoueamus, & in flatum extenuemus incommodo maiori, potius paulatim concoquamus illam, & flatum dissoluamus, nam calidiora interdum etiam possent pituitam crassam potius crassiorem, & magis lentam reddere, sic morbum producere, quam extenuare, & morbum citius finire.

Prætermitterem itaque nunc emplastrum de meliloto, vt calidius, & Galenum imitarer, lixiuio vterer, ei adderem incoquendo chamæactem, ficusque, & beronicam, postea lauri folia, helenium, & cyminum, vel cum lixiuio farinam primo fabarum, deinde cicerum, & erui componerem, atque oxymel adijcerem, tandem cymini puluerem adderem, terque die hæc repeterem, fomento illo priori per spongiam semper ante cataplasmatis impositionem repetito.

Exempli gratia. ℞. foliorum, & radicum ebuli m. 2. betonicæ m. 1. fol. lauri. m. s. Seminum Cymini ʒ. 2. F. decoctio in lixiuio, aut vino maluatico quæ expressa seruetur. ℞. Suprascriptæ decoctionis lib. 2. Aceti ℥. 5. Salis exusti, aut nitri ʒ. 1. Misce, & f. fomentum per spõgiam ex eo bene expressam & calidam. Deinde ℞. suprascriptas res expressas, ficus aridas n. 5. farinæ fabarum, cicerum rubeorum, erui ordei ad ℥. 4. Pingued. anseris. ℥. 4.

oxymellis simpl. q.s. misc. pro emplastro. Quod si calidiora illa incocta fomento, nolis in cataplasma recipere, incoque in linteo, & deinde abijcias. Ammoniacũ quoque ex aceto, & cymino, vel aliquo alio simili esset vtile, quod si duri aliquid relinqueretur etiam cum butyro & assungia posset applicari. Brassica quoque quãto humidi generis res testiterit, cum ficubus, & rebus siccantioribus esset commoda, vt cataplasma ex oriza, croco, cymino, & adipibus valentioribus. Sub quibus nisi melius habeat, ego alia valẽtiora tentarem vsque ad cęnum aliquod thermale, & fimi genera, & alia id genus, nunquam ferro testem aperitem, vt proponitur, nam id sine vitæ periculo fieri non posse existimo, scrotum quidem nullo metu sæpè aperiendum consului, quod factum est, cum ipsum intus plenum erat, non ita, si œdematosum, nam gangrænam tunc contraxisse vidi. At testem sæpè incisum mortem attulisse vidi. Potius ego cum Vir Reuerendissimus vellet se se ea molestia liberare, testem penitus abscinderem, quod tuto vidi factum semper, nisi aliquid erroris committatur.

Is Romam profectus cum ea molestia liberari omnino postularet, & a chyrurgo quodam magnæ authoritatis incisus nõ excisus testis fuisset ex eo cito interijt.

Tumori testis iam vetusto.

CONSVLTATIO CCCLX.

LAter ignitus irroretur aceto acerrimo, & in testem fumus accipiatur per tubulum accommodatum, deinde superponatur cataplasma emolliens. Verbi gratia. ℞. cæpas liliotum alborum decoctas, ammoniacũ ex aceto paratum, mucillaginis altheæ, pinguedinem anseris, & oleum amygdalarum dulcium. Quod cataplasma contineatur totis duobus diebus, postea fomentum adhibeatur exsiccans, & subinde captalsma idem faciens, quemadmodum, si factum esset ex Ebuli folijs, chamomillæ floribus, semine fœniculi, anethi, radice cyclaminis, & iridis, aceti paulo adiecto. Vel cataplasma ex fimo bubulo, aceto, & nitro. Vel ex furfuribus, ruta, sale exusto, vel nitro, farina fabarum, orobique, cymino, & oxymellite, quo itidem duobus totis diebus permisso, postea ordo superiorum repetitus recipiatur, & multoties hæ vices adhibeantur.

Modus tamen idem fortè semper tenendus non est, ferè quidem a leuioribus ille habendus, fortioraq; parti iam consuescenti danda humoris habitu etiam sic postulante, sic valentiora simplicia minorem modum habere debent. Verum pro ratione successus mali ordo etiam variandus est, & ei res distribuendæ. Posset enim tumor etiam rationem ita mutare, vt parti tractatæ ichores calidiores influant a corpore toto, quod vel sexcenties valdè purgatam vidi etiam humores amandare sæpè. Sic postea contingit partem rursus æstuare, quod in abscessum, & pus desinat. Tunc verò consiliũ ineundum de manu, seu ferro ipso adhibendo. Nunc quoniam facilitas, & promptitudo materiæ posset facere, vt bubulum stercus alicui solum adhibendum videatur, animaduertere oportet; quod illud, nisi aliqua pingui re afficiatur, ac mollescat, adeò partem comprehendit, & adstringit, vt dolorem insignem afferat.

Equiti de Marsilijs tenuis admodum corporis, & sanguinis melancholici, frigidique ventriculi.

IN antiquas obstructiones relato malo hac prescripta sunt. ℞. flores cassiæ r.e. ℥. i. specierum hieræ. s.

A Galeni ʒ. 2. s. misce, & cum sacchara f. bolus. Deinde. ℞. syr. de fumoterræ. s. de absinthio, oxymellitis an. ℥. 3. misce ex quo accipiat quotidie cochleare, Deinde. ℞. foliorum senæ electæ ℥. 1. gingiberis ℈. 2. s. macis ℈. 2. garyophillorum ʒ. 1. f. decoctio in l. 9. aq. communis s. aquæ coletur cum expressione. Deinde ℞. rhabarbari electi ʒ. 2. spicæ ℈. 1. vini maluatici quantum ad macerandum sit satis, & f. infusio per 12. horas, deinde coletur cum expressione, & cum suprascripta colatura altera misceantur. Deinde ℞. passularum benè pinguiũ ℥. 6. demergantur in suprascripto liquore tantisper, donec totum absorbeant. Deinde aromatizentur cinnamomo, sic seruentur. Ex quibus sumat quinto quoque die ℥. 1. medijs verò diebus de syrupo illo. Etiã ℞. amygdalarum amararum ℥. 1. absinthij viridis ʒ. 2. rhabar-

B bari electi ʒ. 3. anisorum ʒ. 1. s. Contundantur omnia separatim. Deinde commisceantur, & cum oxymelle fiat massa de quo tota hyeme sumat diebus alternis ad ʒ. s.

Ad tingendos capillos & barbam.

℞. gallarum oleo torrefactarum in sartagine, cariophyllorum, ferreti Hispani, vitrioli Romani ʒ. 2. terantur omnia, & vino nigro diluantur. Hoc adhibetur per penicillum factum ex cotone in linteo collecto, & manubrio illigato.

C

Ad Vermes cuidam infanti.

℞. olei nucleorum, persicorum, vel aquæ earum stillatitiæ ℥. 1. s. aquæ rosatum ℥. 3. misce, & detur in potũ. Præterea ℞. ol. sulphuris gut. 3. aquæ rosac. ℥. 5. misce & detur in potum.

Alias sumptum est oleum calchanti in eundem modum, si illud oleum paratum fuerit modo, quo in potũ sumi possit, neque iniecto ligno aliquo albo ei viridem colorem inducat.

Ad dentes firmandos pro Serenissimo V. D. F. M.

D ℞. aquæ rosaceæ lib. s. olei sulfuris ℈. s. vel gr. 15. vt vt oleum fuerit validum, & dentes diluantur. Valentissimum autem est oleum sulfuris factum per incendiũ sulfuris excitatum ferro ignito, cãdentique, Inde enim fit fumus, quo concrescente in lamina fit, id oleum acerrimum. Imbecillius autem est, quod fit sulfure in vase ad ignem posito, sed hoc quoque impares vires habet, nam aut per elambicum primo calce per aquam cõcalescente liquatum excipitur, & imbecillimum est, aut integrum inijcitur in elambicum, & hoc mediocrium virium est, coniectum quoque est hoc oleum in alia genera lotionum dentium contra dolores paratarum, vt ei, quæ fit ex vino, cui incoctæ sint modo radices pyrethri, zedoariæ, nucis cupressi, camphoraque. Modo baccæ hæderæ, piper, cardamomum, ac cornu

E cerui, interdum & cui incoctæ essent, radices capparorum, mastix, radices cannarum, aquileiæ, alchimillæq; Etiam per elambicum liquore ex eo vino excepto. His enim oleum sulfuris, vel etiam calchanti adstrictionẽ, & validam exsiccationem adijcit, & propter dilutionem non exurit, aut exedit. Aliquando etiam sal in olla obdurata cemento conclusum in fornace torrefit, & ex eo vinum austerum salitur, quo dentes vtiliter diluuntur, maximè enim digerit.

Ad linguam balbutientem vel blæsam.

℞. sal exustum, vel vino, vel aceto excipiatur, & ore assiduè detineatur, notando, quod ob nimium humidi genetis

ggnetis facto vitio hoc prodest alioquin minime. Cum enim litera aliqua non exprimitur perfectè quod dicitur τραυλίζεν vel literæ, aut syllabæ aliquæ penitus prætereuntur, quod dicitur ψελλίζεσθαι ab eo vitio fit, cum autẽ syllabæ difficile copulátur, quod dicitut ἰχνοφωνία, tũc potius ab ariditate, & melancholico genere fieri creditur præsertim ab Aristotele.

Ad catunculam in meatu vrinario

Adhibita sunt ea cerata, quæ in alio quodam consilio scripta sunt, præterea hoc etiam remedij genus. ℞. Aquæ plantaginis, rosatum an. ℥. 3. præcipitati bene parati ʒ. 1. Ex quo breui conualuit, & ardot vrinæ penitus quieuit, cui ardori etiam vnguentum rosaceum cũ tutia fuerit vtiliter adhibitum. Fuit etiam adhibitum cũ præcipitato multo cum commodo.

De suffusione oculi Vtriusque pro D. C. H. G.

CONSVLTATIO CCCLXII.

VTrumque oculum suffusione affectum habemus, eaque vetusta, sed exigua, nam iam 7. annis uisa est subito extitisse principio insigni, à quo exiguum postea incrementum accepetit, neque adhuc visui offecerit, Hoc anuo tamen metum maiorem facit, quoniam maius, quam aliis annis, incrementum acquisiuit. Forma suffusionis vtriusque ea est, quæ ataneæ filamenta referat modo conuoluta, conglobataque modo diducta, ac sparsa, hoc autem, vt conuetsione, coniectuque oculorum aguntur, nam scimus eiusmodi res in humore albugineo considere, natareque, qui ad motum oculi fluctuer.

Filaméta præsettim alterius oculi a punctis quibusdã nigris, vt ipsa sunt necti videntur, ab illisque pondere in eaque, se se reducere suis commotionibus, quibus pũctis tanquam nodis committuntur, atque hæc in oculis perpetua sunt, illud verò sæpe incidit, & facile recedit, Sæpè punctum aliquod subito excitatur intuitu, eudemque in tenturi euanescit, nigerrimumque semper est, idque filamentis minime implicatur. De genere matetiæ, & loco, atque otigine horum videndum est, vt quid faciendum nobis sit, & quo modo occurtẽdum, intelligamus, Color, & puncta ipsa melancholicum genus referunt, filamentorum illa continuatio, & loci naturæ, potius pituitam esse persuadent, & nigrum colorem in crassitudinem esse referendum, pituitam quidem, sed non naturalem, quæ aquosa est, & id crassitudinis non habet. Crassitudo verò tanta humori crudo, qui in genere pituitæ numeratur, sed naturalis non est, datur, & maxime, cum a calore affectus fuerit, ab eo enim crassitudinem maiorem, & lentorem accipit.

Sed tanta ingredo certe non cernetetur, minus tam dissipata ea corpuscula essent, longe minus tam exigua accepissent increméta, siue a ventriculo, siue a cerebro veniant, vtrinque enim pituita cum venit, eorum locorum vitio non potest tam exigua esse, quin tot annis corpus integræ suffusionis compleuisset, si modo a ventriculo per vapores corpora tam constantia queant in oculis consistere.

Certe esse ab humote melancholicò potior ratio est, & ab infernis locis magis, quam a cerebro esto, quod non solum a ventriculo venire credatur suffusio, cum in vtroque oculo est, non oculi culpa, sed etiam a cerebro vtrique oculo communi; tamen eiusmodi nigram materiam ab infernis potius, quam a cerebro creari cõsentaneum. At cum ab infernis venit suffusio, tunc ventriculum vnum causantur, neque verentur dicere è ventriculi cauo per gulam vaporis specie materiam ef-

A ferri, cum tamen id omne, quod per gulam effertur, & sæpe crepitum faciat, & per os erumpat, natura semper faciliorem viam tenente, & via à gula in cerebrum vix aditum habente ossibus multis, & membranis intercepta, quibus cordis refrigerationem a cerebro Aristotele auctore Gallenus voluit omnino impediri, & meo quidem animo a ventriculo in caput facilior via per venas, & multo magis per arterias est, si de materia loquamur, vti si de condolentia loquamur, per neruos, p quos cette ventriculus affectus cerebrum facilime afficiat. Per arterias potro humoribus in caput facilior via ipsa est. Vasa, quæ in ventriculum veniunt, sunt illa, quæ possunt materias in alias partes deferre. Venæ quidem in iecur primum, a quo in caput venire materiæ non possunt, nisi ab eo primum valde tractatæ, quoniam venæ dictæ in ipso desinuut tandem in capillamenta, &
B finiuntur, neque ipsæ possunt eas materias vltra perferre. Arteriæ verò in capur recta præsertim suo spiritu, & calote facillime in caput important, nam cordi apposita sunt ostiola, quibus matetiæ ingrestus impediatur, & spiritu, ac sanguine è corde per suam contractionẽ expressis repellatur.

Vt contra, materiæ quæ a iecore, vel capite per venas mittuntur facile in cor allici possunt, & a corde exceptæ, cum retineantur ostiolis, quin in venam rursus reijciantur, cordis compressu per venam arteriosam necessario in pulmones intruduntur. Sic borealibus tempestatibus caput, & ambitum corporis cogentibus, facile pulmonum inflammationes, erysipelata, tusses, asthmataque mouentur, vt contra in australibus, & calidis tempestatibus iecoris mala, ventticuli, & a lui
C profluuia præsertim fiunt humoribus ex corde tanquã medio, & fonte ad exteriora per calorem euocatis, nam venæ a corde in alias partes tamquam extremas in ramuscnlos diuisæ desinunt.

Neque possum pati ego æquo animo, cum dicunt Medici per trachæam descendere humores, qui pulmonibus complendis a capite mittuntur, quasi fauces non sint priores, quæ destillationes excipiant, quasi sensu careant, quin illas sentiant, & excretu queant eiicere, quasi meatus oris non sit apertissima, & facilis via. Sed, quod rei nostræ est, arteriæ non solum a ventriculo pituitosos, sed a medio intestino seu mesenterio, & aliene recta in caput halatus atros, & melancholicos perferũt, qui vna cum spiritibus facile in oculos delati ibi consistere refrigerati possunt, vt etiam dissolui antequam refrigerentur.

D Oculis ergo vt a cerebro cum alimenro per vasa potest pituitæ multum mitti, & per vasa alimentum deferentia etiam morborum materiæ uenire diuersæ, sic cum spiritu halitus, & fumi, ac quemadmodum oculi inde inflammationes, si per exteriora vasa, & suffusiones catarractæ dictæ si per interiora vna cum spiritu fumosas huiusmodi suffusiones incipiunt, neque uero facile in catarrhactas deuenerunt, quoniam sua ariditate fumosa cogi facile in unum corpus non possunt. Hanc autem suffusionem inde pendere etiam argumentum euidens est, quod ait ipse, cum in cœlum intuitum intẽdit diuitius, quod tanquam minutissimum puluerem cernere sibi videtur, qui discutiarur, ac si in ipsum afflaret, nimirum spiritu in albugineũ pertinente, & fumos
E illos disipante, unde etiam puncta illa recentia nõdum refrigerata discutiantur.

Hæc est harum suffusionum natura, cum se se continentibus causis explicata, cuius modo causæ remotiores, & altiores origines repetendæ uideantur, nam de metu exitus iam credo sat fuisse, quod dixi hoc materiæ genus difficile in unum corpus cogi, & suffusiones perfectas facere, & uidebitis homines, qui ad 40. annos ijs tenentur, & perperuo metu amittendi visus teneantur, nunquam uero hac sola causa amittere.

Originem in infernis partibus, & hypochondrijs esse, sonirus antiquus aurium, & longe prior, quam affectus expositus indicat nam adhinc. 7. tãtum annos suffu-

suffusio incœpit, adhinc autem. 24. tinnitus aurium, quo tamen auditus nunquam fuit, diminuitur. Ab eodéque halitum genere proficisci uidetur, quod minime glutinosum sit, & obstructionibus ineptum, maximè quod in meningibus propè aurium situm versetur, ad quas per arteriarum viam facile ab hypochondrijs perueniant. Ascendentibus ergo huiusmodi fumis hæc mala existere potuere, in oculis verò præcipuè, quibus & a cœlo, & ab alijs occasiones incidere, a cœlo quidem, quoniam iter fecit tempestate valde turbata, non solum imbre, sed vento vehementissimo in oculos impetum faciente, & frigido.

Cum etiam palpebræ erubescerent, vsus est aqua stillaticia ex omphacio, qua & humor ille intus repressus est, & oculi refrigerati. Hæc autem refrigeratione a tempestate illa, & aquæ illius vsu inducta facile fuit, halitus illos in albugineo humore sisti, & refrigeratos considere, ita post hæc in oculo primum sinistro, deinde etiam dextro tria semper æquis spatijs inter se distantia pũcta animaduertit, etsi coniecta oculorum fluctuarent, cum nescio quo casu in cœlum intueretur, in sinistro duo pariter, & illa tenuissimis filamentis pendentia, inde vero semper increuere filamenta, & fumi etiam aliquid sibi adiunxere modo dicto, quæ omnia frigore loci conseruantur. Aurium quidem malum pro statu capitis, & ventriculi in dies variat, oculorum non ita, præterquã quod puncta illa altera momentanea, seu breuioris spatij cernit, cum aut somni breuiores, aut aliqua alia causa ventriculum male affecerit. Inter illa autem, quæ initium huius mali præstitere, hypochondrijsque occasionem malorum attulere, fuit quoddam insolens admodũ studium literarum, & insolentissima cum eo viuendi ratio, quamquam enim ijs studijs semper fuit addictus, certa tamen quadam occasione disputationum in conuentu literatorum habendarum, in quibus ipse Aristotelis tueretur contra eos qui partes Platonis suscepissent, insolentius multo, & laboriosius literis vacabat, atque prandio prætermisso vix offam panis sumebat, & potẽtissimum cum ea vinum, idque inter libros & scriptionem, quam non intermittebat interea. Ita cum ventriculo, & venis, ac iecore male actum est, nam humores crudi fiebant, ventriculo a calore naturali, & spiritibus neglecto, tum ipsi humores crassiores ab inædia, & vino potentiori redditi in venas a iecore egente attracti obstructiones fecere, & sanguis crassior ibi retentus cõsedit, atque fumos sui generis peperit, ita continuo sub id tempus suffusionis initia apparuere.

Quæ hoc anno maiores progressiones habuere, quoniam tempestas, & studia item ad idem maximam vim intulere. Atque hactenus cum morbo causæ præter naturam, & illæ, quæ non naturales dicuntur, comprensæ sunt; essent modo illæ, quæ in natura corporis, & membrorum generibus possunt reperiri ei malo fauentes. Sic de genere temperiei oculorum, & viscerum, ac partium tum vero totius huius corporis videndum est. Oculi albi sunt seu glauci.

Diceret Galenus, ergo sunt siccioris generis. Ita me Iesu amet, vt coactus reipsa huic sententiæ ego non assentior, rem ipsam consideremus humoris alburginei copia si nigrum colorem oculis efficeret ob sui albedinem, cum ea intra vueam sit, solum pupillam eo colore afficeret, quæ res facit vt in senibus pupilla glauco colore fere cernatur. At oculorum color communiter varius non fit pupillæ causa, sed iridis seu coronæ dictæ, quę est ea vueæ portio, quæ sub perlucido corneæ corpore coniunctiuam excedit, & profecto vueæ ea portio in eum vsum facta dicitur, vt fulciat corneam, ne intus decidat ad crystallinum, ita debet vuea ipsa corneam vrgere, neque potest inter eas humor intercedere, qui si aliquis etiam influat inter eas, ille & exiguus, & pari portione in omnibus oculis erit, non ita, qui inter vueam, & crystallo idem, qui est & multus, & ea multitudine potest multum variare.

Colorem tamen corneæ, seu iridi nequaquam afferre. Plures ita differentias in coloribus oculorum cernimus, quam quæ ab vna copia humoris varia esse queãt, quam in mari copia varia aquæ faciat. Quoniam membranarum color potest maiorem varietatem accipere, & orbes earum extremi circum vueam etiam maiorẽ in eiusdem iridis partibus parere.

Videmus porrò oculorum colores pilorum colorem sequi, & maxime in mutis animantibus, quod in equis clarissimum est, rarissime enim, cum cutis circum oculum alba est, reliquo etiam corpore nigro oculus non glaucus est, quoniam membranæ fere cutis modum sequuntur. Vidi ego eos, qui cute molli, & candida sunt, si secentur, vt cum testes adimi necesse est, facilem admodum incisu membranam habere, qui duriore cute contra durissimam, secentur oculi, certe videatis eumdem colorem in vuea cum oculi colore, seu iridis semper, & vueam admodum variam, vt colores eius varij sunt. Membranis igitur albis, quæ temperies in oculo est se credendã est? profecto albus color in corporis humani partibus frigidum, & humidum genus indicat, vt ruber in humoribus flauus in corporis partibus sicciori-bus calidum, & humidum, flauus in humoribus, fuluus in siccioribus partibus calidum, & siccum, vt obscutior frigidum, & siccum, neque est, quod hæc longa exemplorum, variatione comprobem, quapropter horum oculorum ego temperamentum frigidum, & humidum statuerem.

Quod si in ætate tenera ophtalmiæ obnoxij fuerint, id non alia sui culpa, quam quoniam fuerint tunc alijs corporis partibus nimis firmi, inflammatio namque accidit sæpè nulla alia causa propria partis inflammandę, & nullo vitio, vt dicit Galenus, humidum verò genus non est robori partium idoneum, sed senibus admodũ oculi videntur glauci fieri, sic nuper natis semper glauci sunt. Senibus ego existimo fieri glaucos pupillæ quidem causa, quoniam albugineus humor, & vna etiam cornea densior fiat iridis etiam seu coronæ causa ob corneam tunicam densatam, qua de causa etiam oculi egeat, maiori opera medij aeris ad cernendum, maiorique lumine intercedente, vel potius quia albugineus minus nutritus senio diminuitur, & ita crystallini lumen minus obscurat. Vnde senes maiori ea opera spatij aeris, & vitiis in casum albuginei sufficiendis egeanr, de vsu autẽ albuginei non est vt hic sermonem faciam. Partus autem ipsi glaucos oculos habent ob valde humidum genus calore nondum affectum, quod videre est in ipsis, antequam a sanguine alimentũ acceperit conceptubus, quotum partes candidissimæ sunt. Cum nascuntur plurimo quidem calore in partibus sanguine præditis abundant, & admodum rubro colore sunt, ac illis quæ non sunt affectæ sanguine candidiores sunt, quia postea, in senibus pili albi fiunt potius materia eis colorem præbẽte priuati, quam genere ipso temperiei, tum verò, quod & eorum quoque membranæ, & oculi pituitoso humore aluntur, si de pilis ali dicendum est.

Oculorum iam temperamento constituto pergamus ad reliqua Capitis humidum esse multa indicia sunt, in quibus primum oculorum ipsum temperamentum minimum non est, maximum uero illud, quod a somno semper longo sumi potest, a memoriæ etiam infirmitate, & intelligentiæ facilitate, quibus si celeritas etiam cogitationum adiiciatur, non solum humido generi, sed etiam calidiori attestari uideatur, ut pilorum multitudo, crassitudo, & crescendi celeritas, & color eorum fuluus fere faciunt, quorum forma nec recta, nec crispa cum sit, neque frigus, neque ariditatem denotat, sed humorem cum mediocri calore coniunctum.

Excrementa quoque humidiora sunt cum oris, tum oculorũ, atque auriũ, quæ humido generi conueniunt. Sed facies extenuatior est, id iecori calidiori, & sicciori attribui potest. Indicium calidioris generis capitis, atq; humidioris insomnia, & imagines semper obseruantes per quietẽ, ab eo usq; momento, quo in somnũ propẽsus est, uidentur præbere, ut nũquam nõ incidentes cogitationes

-tiones quadam interrupta perpetuitate repetitionibus de una in aliam rem factis confirmant. Venæ in oculis non tam paruæ sunt, vt dato eis frigori forsan conuenitet, quoniam a iecore satis calido, & capite calidiori in eos profectæ sunt.

Sensus omnes semper acres fuere, oculi acies acutissimæ, sic aures, sic nares adeo, vt oculorum, & variñ certè, si non aurium sensus alios omnes vsque superauit, nō ita gustus, quod lingua genus humidum magis cerebri retineat, quod non tam gustui, qui tactus quidā est, aprū sit, cum tactus in solidiori, & temperatiori habitu perficiatur, vt visus organo humido eget. Olfactus autem ab externa sui organi parte aridiori acuitur. Lingua certe in vocibus formandis mollior aliquanto sentitur; & minus celer, minusque acris, ote etiam semper humido cum ventriculi, tum cerebri causa, vbi notatum velim, quod ab humidiori quidem lingua balbuties venit, quæ tanta hic non est, sed obseruaui ego & ab ariditate fieri cuspidis linguæ, qua in extremo linguæ etiam asperrima fiat, vt literam. S. in Z. Vertat, & profecto S. litera, humorem requirit ad sui expressionem. Itaque etiā cogitationes, & deliberationes humidum cerebri, calidumque genus sequentes, non ita firmiter, & certo protinuus statuunt, vagantur aliquantum primo, quamuis acutum ingenium, & intelligentiam ostendant, ex quo fit, vt in actionibus tardior videatur, quarum tarditatē etiam facit quædam suæ existimationis reuerentia.

Est enim, vt ad reliquarum partium temperamenta accedam, cordis humidioris, neque admodum calidi, pulsus molles sunt, non admodum magni, facilis ira, citò quiescens, morum omnium facilitas, nisi quod veri defendendi causa placidus admodum esse non potest, placidus tamen semper ante alios, vbi illud non obstiterit. Iecur calidius videtur, quod non ita nutrito corpore fuerit tenuissimo, maxime trunci totius partibus minus brachijs, longe minus cruribus, quæ vna cum pedibus; & extremis manibus admodum carnosa fuere.

Sed intemperiem nullam insignem fuisse, & iecoris calorem renuitatis potius sanguinis, quam crassitudinis causa fuisse, hoc est, non ita intenso calore vsum esse, indicium est salubritas corporis, qua nunquam ægrotare febri soleat, nullamque maiorem ægritudinem habuerit, si semel febris eum habuit ea vix totos duos dies eum occupauit occasione maxima frigoris, quo angustia corpori inducta sit, & ita recalfacto post duos dies corpore maxime per febrem malum sudoribus valde longis consumptum est, sanguine nimirum tenui, & ob ventriculi frigidius genus etiam pituitoso, sed naturalis pituitæ causa, non crassioris, quod etiam ventriculus non ita frigidus sit, etiam sub studiorum maximis laboribus.

De quo ventriculo superest illud, quod etiam humidus suapte natura est, vt frigidus, tardæ namque coctionis est, tarde sitit, sed nunquam non largiori potione sitim extinguere cupit præterea, uinum multa ætate odio habuit adeo, ut per ignem potius pedibus iuisset, quam per terram vino madidam, uentriculo similem potionē amante, contrariam exhorrescente.

Itaque sæpe cum vteretur aqua in acidos ructus incidebat, non tam sępè nunc vtens uino, quamquam acidum genus peius incidat sub vini potione, & eo peius, quo vinosius illud est. In summa corporis genus insignem nullam habet superantiam, atque si vita suæ spōtis fuisset, saluberrima extitisset. Morbi eius in puerili ętate ad oculos pertinuere, & præsertim dextrum, qui nō tanta iecoris calidioris culpa, qua etiam in facie pars dextra minus nutrita est, quam sinistra.

Quanta domicilij, & studiorum. Domicilium enim habuit Boreæ admodum obnoxium, vt calidius, cum intus esset exiguis conclauibus, si fenestræ se obiecisset, statim borea afficeretur, unde rheuma illud in oculos identidem reuerteretur, sub quibus rheumatibus identidem reuerentibus dexter oculus in cornea densitatem quandam accepit calore inflammationum crebro, & medicamentorum etiam non multa arte adhibitorum par-

A tem illam infestante. Anno suæ ætatis 19. oculis firmioribus multo antea factis sinistra auris cæpit tinnitum sentire, cuius rei causa cum anno 23. guaiaci potionibus vteretur, & siccando capiti, & auri lapides calidi admouerentur, interdumq; etiam Soli se se eadem causa exponeret, tinnitus etiam cum dextra aure communicatus est, materia sic colliquata, & in capite in suam naturam reuersa, atque refrigerante loca, vbi consederit, vt intemperiem etiam capiti frigidam attulisse credendum sit.

Ad oculos nobis curandos commissos ueniamus, in eis suffusio descripta reperitur. In dextro etiam densitas corneæ, sed hæc tolli nequaquam poterit, propterea de suffusione sermo habendus. De aurium etiam tinnitu non prætereundum, de quo prius me expediam.

B Flatus, & vapores, a quibus is fit in organo ipso non excitantur, quoniam & materia eis excitandis necessaria, & intemperies iam auditum sustulisset ex multa parte saltem, sunt uero in uasis per meningas prope os petrosum subductis, & ab hypochondrijs veniunt ubi habent materiam suæ generationis, & efficientem causam, eandem uero quam suffusionis esse comperimus, potius uerò ipsi sicci sunt, quam humidi, nam alioquin loco frigidiori versantes calorem amittendo, vt faciunt concrescerent in humorem, & sic auditui admodum officerent.

Ergo in auribus nil esse uidetur, quod sui curationem efflagitaret, in meningibus vix est, quod ostendat nobis vias illas minus laxas esse reddendas. Reliquum in hypochondrijs est, & uentriculo, in quod etiam suf-

C fusionis curatio referenda est. Suffusio modo in oculis inhæsit, adeo ut submota etiam ab hypochondrijs causa consisteret, & tanquam fuligo è fumo ibi in albugineo illius frigore concreuit, præsertim quod oculi tempestate illa, & uento frigidiori potuere aliquid intemperiei frigidæ accipere, quæ fumorum eorum dissolutionem prohibuerit, & nunc etiam prohibens sit in causa, vt suffusio accipiat incrementa, quæ certe intemperies tanta non est, quanta aciei oculorum officiat. Hæc in oculis sunt, neque uero dicendum hic est, in utroq; oculo suffusio est, ergo a ventriculo est.

Nam semper eodem modo habent, cum ventriculus varie se habeat, præsertim ieiunus, & plenus, neque etiam fumi genera illa a uentriculo submitti possent, cuius, ut dictum est, vitijs uapores potius, quam fumi exci-

D tantur, qui quidem si bilem accipiat, non solum fumos sed tantam læsionem oculis parit, ut etiam visum auferat, & animi deliquia faciat, uerum ea breui decedunt, & indicia habent, præsertim oris amarorem, neque pleno uentriculo incidere facile consueuere. Hic habemus perpetuam, & firmam suffusionem non solum eam, cuius species semper eadem est, sed eam quoque, cuius fumi continenter fiunt, & discutiuntur, qui intento intuitu omnibus dici horis obseruari videntur.

Sic aliam partem requirunt, in qua oriatur, quam uētriculum, quæ ab illius quidem cruditatibus, & corruptionibus ciborum peius faciat, oculis tamen etiam sine illis semper fumos edat, hanc esse communem vtrique oculo, & esse locum, in quo sanguis exuratur, neque tamen facile toti corpori læsionem afferat, afferrent ve-

E ro toti corpori, si iecur ea pars esset, afferret oculis identidem inflammationes misso calido sanguine per venas exterius caput petentes, & coniunctiuam, proprie ergo ea pars caput respiciet, & maxime internis vasis vtetur, & potius arteriis, quam venis, quoniam fumos calidos illuc vsque seruant, sic erunt arteriæ ad mesenterium, seu medium intestinum, & lienem pertinentes, quarum, quæ ad meninges prope os petrosum veniunt, tinnitum ea vicinate pariunt, quæ ad ventriculos cerebri, si multam fumi copiam ferrent, vertiginem facerēt ut quæ in cor, palpitationem quibus ipse fuit obnoxius a prima ætate, cum ergo exiguam afferant, ea una cum spiritibus in oculos uenientibus per eas arterias effusa eam suffusionem efficit.

Si præter suffusionem debemus in curatione etiam vasa inferentia fumos respicere, debemus etiam locum in mesenterio, quoniam ibi arteriæ, vel venę eius admodum coniuncta sanguine crasso oppletæ præter naturã, eoque exusto sunt, ex quo caloris vi illi fumi efferuntur.

Neque dubito ego, quod Doctor affirmabat, a cerebri membranis, & vasis id genus fumi posse generari, nam illi caloris partus sunt. Calida verò rheumata capitis causa fieri difficile, & raro posse natura eius docet, & Galenus affirmat 13. metho. vbi de oculorum doloribus agebat, cap. nimirum 12. Posset potius aliquis cõtradicere, quod a mesenterio illi fumi si venirent, etiam os ventriculi ferirent, & melancholicos affectus parerent, atque refrigerantes ventriculum, ructus sæpè acidos efficerent. Cui ergo occurrerem dicendo, quod id nõ est necesse, quoniam potest tam exigua esse exustio, B quæ exiguis suffusionum fumis satisfaciat, non autem ventris malis iam dictis, cum eo quod os ventris possit esse robustius, quam caput, imò ita esse argumento illa sunt, quòd is difficillimè venit, & facillimè capite afficitur, possunt etiam fumi vias habere, cum latiores, tum magis rectas, per arteriarum vasa in caput, quam in vẽtriculum.

Atque videor iam morbi huius naturam, & causas ante oculos posuisse, & palam fecisse, quod in oculorũ albugineo humore fuligines è fumis constiterint, & qđ fumi ad veniunt, è quibus fuligineo queant increscere, quod via arteriarum vasa sunt, & materia cum efficiẽte horum fumorum in venis, imò arterijs medij intestini est, quę locum aliquem obstruat, in oculis verò etiam aliquid frigoris impressum sit, quamquam exiguum, & C ferè sine noxa. Frigus itaq; oculorum, quamquã exiguũ, esset tollendũ, quo fuligines illæ facilius soluerentur, fuligines verò ẽt calidis, & inci-lẽtib. soluẽdæ, incidẽdæq; tũ fumi ab oculis repellendi, retrahendiq;, & randẽ humor obstruens vasa in mesenterio submouendus, viæque fumum deferentes è laxitate in meliorem tonum reuocandæ: Quæ an præstari possint, ptimum videndum est, antequam in vsum adhibeantur. Oculi calefactio iam proposita, vt necessaria fuliginibus illis dissoluendis mihi videtur periculosa, rheumatibusque, & fumis obnoxium oculum factura, neque satis idonea, aut valens ad fuligines consumendas, quoniam sub vuea alto loco sunt, quo vis remedij peruentura non sit, nisi totus oculus è sua tẽperie exterminatus ante fuerit, Iam ipse omnia genera quæ oculorum suffusionibus solent dari ex- D pertus est, ex fellibus, ex gummatibus ipsis valẽtioribus, ex fumis, & tandem ex aqua vitæ, & alijs quæ nihil penitus profuere, quin semper fumi, & fuligines, quamquã paulatim, increuerint. Itaque cum iam factæ fuligines aciei non officiant, potius ego illas permitterem, quam conatu auferendi periculum maius tentarem sine spe illas auferendi, & curam eo conuerterem, vnde fuligines increscunt, ne ad eam multitudinem perueniant, qua visus intercipiatur. Sic mesenterij venis, atque ad lienem pertinentibus expediendis operã darem. Vbi quoniam in præceptis habemus partem nullã affectam esse medicamentis tractandam, antequam corpus totũ expurgetur, ego considero periculum hypochondrijs obstructis imminens si a toto corpore materia illhuc trahatur, quod Hipp. rectè admonebat. Eapropter leui- E bus admodum purgantibus medicamentis vterer, eam tantum materiam mouentibus, quę propius est; quæque in loco affecto inhæret, & præcipuum rhabarbari vsum haberem, quod neque a longinquis trahit, maximè tamen hærentem materiam euellit, & maximè glutinosam, ac crassam, vt in eius purgationibus quisque potest animaduertere; & longè magis cum eius puluis propinatur. Epithymum leuissima res est, parumque purgãdo potest, plurimum tamen rhabarbaro euellendæ materiæ proderit; ita thymum, quibus aliquid foliorum senæ adijci poterit commodissimè, spica ijs erit quoque opportunissima, ad viarum penetrationem expeditionemque. Nucem myristicam Mesues summopere lau-

A dat in oculorum suffusionibus, sic eam cõfisus eius authoritate poterit adhibere, maximè cum post multas repetitis medicamentis his purgationes iam medium corpus erit materia noxa leuatum, quarum purgationũ postremis faciendis ego electuarium indum vna cum hiera simplici, & rhabarbaro cõiunctim adhiberem, quod medicamentum mihi videtur Græcorum, & Arabum consilia comprehendere, & mihi maximè in vsu suam vim ostendere solet.

Verum medijs diebus inter purgationes parantia humores ad egressum erunt idonea dãda, maximè per potiones, quæ non solum mesenterium, sed etiam caput, & oculos respiciant, vt betonicam, fęniculum, eufragiam, stœchadem, amaracum, saluiam, rutam, rosmarinũ coronarium, verbenacam, hieracium, seu accipitrinã, qua accipitres suis oculis auxiliantur, nucis myristicæ iam authoritate Mesues mentio facta est, qui ea vna oculos se curasse profitetur. Acorum etiam multi proponunt, vt a se vsu probatum, quem è sacchato conditum dant, vt etiam flores eufragiæ, rorismarini, dant etiam ipsam eufragiæ puluerem authoritate Arnoldi Chymici illius, qui primus creditur huius herbæ nomen & laudes protulisse. Itaque ego eam puluerem diutius in vsu haberi vellem, & cum terebinthyna comprehenderem, quæ visceribus expediendis, & firmandis vtilis videtur, maximè cum amaris, vt eufragia est, coniuncta, eis quoque nucem myristicam adiungerem. Sed guaiaci quoque vsum non damnarem, si cum salsa parilia componeretur, quoniam viscerum obstructiones consumerent, & crassum eum fœcosumque sanguinem demerent, quibus in postremo coctionis tempore cicoreũ, & buglossum imponerem. Cum verò ad 20. diem earum potionum deueníssem, fœniculum, quo in oculorum vias opera medicamenti referretur.

De capitis curatione sic sentirem, vt purgatio prætermiretur, cum in eo materia esse non agnoscatur, quia cõcnssu eius, & agitatione potius fumi magis in ipsum adducerentur, potius stillicidia aquarum thermalium Lucensium laudarem, quibus vidi multa capita firmiora facta, & interea dum tempus opportunum earum vsui expectatur, quamquam in tardo, & longo affectu potest expectari. Ego interponerem stillicidia arte facta, si rẽ vrgere visum sit. Sed alioquin præterirem, nam nisi caput quoque expurgatum sit, non libẽter ea darem. Proponam verò quibus ipsum quoque purgarem, si stillicidij eiusmodi necessitas inciderit. Nam temporibus quidem agitatis per masticatoria humorem nimis trahi ad coniunctiuam oculi, & per neruos tertij patis etiam ad eam cerebri partem multi verentur, ideò ea dimitterem ad ea vero apophlegmatismata accederem, quæ palato applicantur ijs, quæ naribus induntur, vitatis, cum propius etiam oculis ipsis humorem per vim extrahant.

Palato ergo valentissimum id esset, quod ego quandoque composui ex succo staphidis agriæ, ellebori, & cyclamini melli & aquæ vitæ commixtis. Exempla leuiorum non deerunt. Post capitis purgationem stillicidia ex arte parari possent, vt si afficiantur sulfure, nitro, alumine, betonica, saluia, ruta, asaro, stœchade, agarico, senaque, de qua ego hoc loco potius folliculo deligerem, Aquam vitæ dictam saltem in ungendo syncipiti adhiberem maceratis prius in ea herbis, & rebus alijs supradictis.

Est etiam ignis adhibendus cum a capite metus est, candenti potius ferramento, quam medicamento, & pluribus quidem locis, modo vlcera postea nutriantur, & sanentur, ne capiti per ea infirmitas maior succedat. Ad deriuandam etiam materiam a capite ad diuersas partes eadem ulcera inuri possunt humeris, & ibi retineri aperta, iniecta pillula ex ligno hæderæ, neque purgato vlcere, quo per putredinem plus humoris educat, vbi lignum quoque sambuci esset idoneum. Compressa pila semper lamina leuissima, sed dura ne locum det, aut sinum admittat a pilula, vnde minus intus maneat.

Pro-

Profunditas enim vlceris materiam plurem affert. Intemperiei tandem capitis corrigendæ non solũ ignes dicti facient, sed odores per nares accepti, & ore assidue detenti, & quæ palato applicantur ad pituitam ducendum; & potiones illę diu dandæ ex guaiaco, quæ ipsæ quoque exficcãdo capiti plurimum poterunt, ore etiam continenda aqua vita herbis, & aromatibus affecta, maximè verò ruta, & nuce myristica, euphragia etiam, vt oculis apta, acoro, stœchade, fœniculo, & garyophillis, ac similibus. Oculis iam diximus applicanda medicamenta non esse, cum materia tam altè sita sit, vt mediã habeat tunicam densissimam, corneam, quæ à medicamentis non posset non valdè affici, si tam valida fient, quam ad attingendam eam materiam valerent. Ne tamen quidquam prætereatur, quod incidenti alicui necessitati opus esse possit, etiam ea, quæ oculis applicari debent certis euentubus subiungam. Cum corneæ malum inhæserit, tunc linguam humanam suo calore, & saliua, fœniculi masticatione affecta plurimum fecisse ego vidi abstergendo, præsertim in recenti malo, & in tenerioribus ætatibus.

In adultioribus, & senescentibus aquam ex melle per elambicum elicitam, tum illam albam, & leuiorẽ, tum verò etiam alteram illam fuluam, & acriorem, exficcationi etiam, atque materiæ incisioni, postquam fomento aliquo liquidior facta, seu mollior sit, facit fumus aceti e latere ignito in oculum acceptus, emollientia fomẽta, non est, quod recenseam, nil enim refert, communia ne sint, an oculis propria. Exficcantia certe propria esse debent vt ex eufragia, ruta, fœniculo, chelidonia hieracioque, fragariam, & verbenacam cum his componerem, vbi metus fuerit inflammatio alliciatur. Abstergentia etiam accommodata sunt, cum malè nutriri cornea cernitur, & malo humore imbui, vt anagallis, saccharum præcipuè candum, & fella cum aqua mellis supradicta.

Sed maximè apti ad exficcandum, & materiam illam absumendam, sunt fumi à thermis, è solo thermarum ascendentes, vt Puteolis habentur, quos nos imitari etiam arte possumus, per decoctionem herbarũ propositarum, adiecto sulfure, camphora, & aceto, in ignitos lapides, vel lateres, decoctum inijciatur.

De ordine fellis adhibendi primum ex suibus, deinde piscibus, tertio auibus, non est quod vos moneã, minus quo pacto ex melle conficiantur, neque vt longior sim, qui nimius iam fuisse videor.

Is qui anno suæ ætatis 34. in eam suffusionem inciderat, anno fere 60. adhuc sine specillis ocularibus legebat & omninò commodo visu vtebatur, fuliginibus semper in annos parum crescentibus, & parum visionem perturbantibus adeo, vt satis bene semper cerneret & incõmodum nõ sentiret, sic aurium sonitus eodem modo illuc vsque traxere, auditu nihil penitus impedito. Imo ipse ætate 66. annorum longe minus hic suspicionibus tentabatur, & nihil infesti aut in auribus aut in oculis obseruabat.

De specie cholerici affectus post læsionem à fungis acceptam, manente pro Duce F. Lanoro.

CONSVLTATIO CCCLXIII.

EX esu fungorum multo, & eorum, qui vix ferbuissent in simplici iure is in suffocarionem inciderat, qua liuidum totum corpus, & ferè nigrum esset. Ex illis fungis eadem mensa multi nobiles viri, & lautissimi comederant, sed parum, nihilque affecti sunt, is verò strenuus vir non solum in fungis, sed in alijs edulijs, & potionibus intemperanter admodum se gessit, nam largissimè vina dulcia potauit, cibos dulces item abundãter sumpsit, dulciaria multa, brassicas item, & legumina A oleo multo perfusa, tum potionibus glacie refrigeratis vsus est, & aqua frigidissima, & cruda dilutis, sic ei, fungorum noxa facilis fuit, calore naturali alijs iam oppresso, atque impedito. Eo casu leuatus est ijs, quæ solent adhiberi noxæ fungorum, pipere tandem multo ex vino meraco.

Nunc cibum non retinet, ipsumque vná cum corruptis humoribus euomit, diarrhęaque pariter multa exercetur, quibus motionibus, vt necesse est, febricula insequitur, ephemeræ generis fortè, quoniam ad motiones illas consequi consueuit. Possumus nos affectum hunc, cholericam passionem nominare, & facilem fuisse hãc humorum, ciborumque corruptionẽ arbitrari ob iam dictam viuendi malam rationem cui corruptioni in causam se seaduinxit equitatio, subita quotidie, & mul- B tis diebus habita post mensæ intemperantiã. Vbi enim motus est, oppressus à varietate & copia malorum ciborum ventriculus facillimè suam cruditatem cum corruptione coniungit, nam cibi partes tenuiores, calidioresque, & quæ facilis concoctionis sunt, sub ea cruditate non concoquuntur, sed suam facilem mutationem acceptam in corruptionem conuertunt, cum perfectè concoqui nequeant alieno scilicet calore intercedente, dum naturalis imbecillis opera est. Quid modo affectui subsit, quod à nobis remoueri debeat, videndum est. Corrupti humores sunt, & qui in via ad corruptionem tendunt. Ventriculi refrigeratio, & caloris naturalis quasi extinctio, consumptioque ob fungorum inimicum frigus; Crudi quoque humores sunt, qui coctionem nequeunt accipere. Corrupti humores, & qui cru- C di concoqui nequeunt subtrahendos se ostendunt; qui in via ad corruptionem sunt, se esse sustinendos, & concoquendos; ventriculus verò se calefaciendum, ita, nẽ consumptus calor naturalis vi caloris remediorum dissoluatur, sed copiam suam queat cum genere calido etiã recipere. Sed nimium fluere aluus videtur, propterea vna cum subtractione alienorum humorum, prouidẽdum etiam est, quo ventriculus cibum amplectatur, & teneat vsque ad sui concoctionem.

Ego itaque, quod alijs quam maximo commodo feci, Species hieræ cum rhabarbaro exhiberem. Deinde macim viribus incoquerem vna cum cydonijs, & pyris in quibus cibos boni succi, & facilis coctionis incoquerem, præsertim verò turtures, aues externas dictas, perdices, pauonemque. Vna autem exterius ventriculi D fundum fouerem, dico fundum, nam loco illo, cui ventriculi auxilia exterius damus, certè fundum, nõ os suũ ventriculus habet; fouerem etiam absynthio, menthaque potissimum adiecto maci, nuce myristica, & cariophyllo; Vinoque austero insperso valdè petenti. Est illud emplastrum de crusta panis ad id factum, quod non esset prætereundum. Sunt olea ex cydonijs, mastiche, mentaque admodum præstantia.

De potione ego nõ dubitarem vinum huic febri aliquid incommodi allaturum cum credam ipsam ad has motiones sequi, propterea vinum aliquantulum austerum darem, quo calor ventriculi non solum vi generis restitueretur, sed copia, & spiritu reficeretur.

Cuidam hydropicę, cui vrina esset suppressa.

E

℞. succi iridis recens expressi ℥.s.
Rhabarbari ʒ.1. misce.

Hinc vrina processit largiter, tum per aluum aqua multa secessit sine perturbatione, & ad multum temporis spacium sana peruenit cum iam 40. annorum ætatis esset, & vitium paulatim eam incessisset.

Eidem datum fuerat prius ad mouẽdam vrinã hoc.
℞. terebinthyna ℥. 1.
Cantharidarum præparat. gran. 2. misce.

Quod minus longè, quam suprapositum, vrinam ciebat, aluum verò potius soluebat, & nihil vesicæ infestũ fuit. Interea non prætermittebantur, quæ visceribus robur conciliarent.

Cuidam

Cuidam lautiori fœminæ medicamenta fastidienti.

℞. iridis recentis ℥.3.
Rhabarbari ʒ.4.
Gentianæ ℥.1.
Thymi m.2.
Chamædrys m.3.
Cinnamomi ʒ.1.
Spicæ ℈.2.
Vini albi
Aq. absinthij an. lib.1.s.

Fiat destillatio contusis prius contundendis, omnibusque vna maceratis. Ex quo humore excepto accipiat ʒ.3. quotidie mane. Ex hoc nihil commodi, aut alui solutionis habuit, nec mirum, nam mutantur ab igne vires, & cum vario modo mutentur, scio ego partes tenues exolui, crassioresque sæpè igneam vim retinere. Ita rhabarbari vim expurgantem euanescere, & etiam iridis, quæ res mihi experimento compertissima est, quoniam non solum in his, sed in sena, & alijs medicamentis expertus sum.

De dolore crurum, & sinistri lateris, & alui cum alijs casubus pro Nob. G. Vrbinate.

CONSVLTATIO CCCLXIII I.

Nobilis adolescens calidioris corporis est, vt color eius, & pilorum genus, ac copia indicat, & ab ineunte ætate etiam copia sanguinis confirmat, pallidus quidem color nunc est, cum corpus ætate magis siccescit, superioribus annis coloratissimum erat, origine sua ex parente artubus debili, eandem debilitatem ipse nactus est, sic leui occasione iam sex annis a frigore ingenuum dolorem incidit, qui semper postea magis auctus est, modo etiam ad sinistras costas, & imam aluum molestia peruenit, ille enim, qui in sinistro genu est, per femur etiam petit superiora, & iam tam acris, vt a gemitu se se nequeat continere, quod noctu fieri consueuit, interdiu propriè, si post sessionẽ assurgat, id non nisi maximo labore facit, quod imus venter videatur ossi sacro adstrictus, grauis verò, & tensus adeò, vt doleat eo sensu, quo adstringi inuicem illas partes maxima vi dixeris, vt ipse loquitur, ita dolor minimè acris, sed distendens est, à pueritia multum sanguinis ei è naribus fluere solebat, quod hoc toto anno cessauit, exindeque caput graue est factum, solebat etiam sæpè vlcera in cruribus habere familiaria admodum, valdèque profunda, & magna, reliquo corpore scabioso squalida quadam cutis asperitate, nunc vlceribus caret, siue curatione, siue natura id euenerit, genus tamen scabiei illud manet, magis quidem aridum, & exiguum. Studijs literarum maximè fuit semper occupatus, quo honesto otio corpus minimè exercuit, modo eodem ciborum, & potionum interea vsus quo ante vteretur, cũ illud exerceret, somni ob studia diutius breues fuere cum insomnijs etiam tumultuosis, qui etiam natura sua minimè longi, imò breuiores esse consueuissent, quam ætas ferret. Incidit igitur primo in sialismon, nimirùm in aquulæ sputionem concoctionibus primò imperfectis, deinde ventriculo facto infirmiori. Nunc, postquam caput graue est, somni quietiores sunt, nisi dum doloribus prohibentur, ructus tamen acetosi sæpè, sputo aquoso se se adiungunt.

Harum molestiarum quid morbi genus in causa sit, quasque ipse origines habeat, ac quid ad sui curationem requirat, videndum est. Syndromen signorum hic non habemus, qua morbus aliquis certus patefiat, ita artificiosa coniectura adhibenda est. Calidiora corpora, humidioraque rheumaticis affectibus obnoxia faciebat A Galenus 5. de tuend. Valetud. cap. 12. Dicebat etiam secundo ad Glauconem 2. & alibi quoque, quod vbi naturalis vis regens corpora malè habet, ibi rheumatici affectus fiunt.

Alibi quoque habet, quod vbi impariter se habent membra præcipuè caput, iecur, & ventriculus, ibi corpora infirmiora sunt, & morbis sæpè tentantur. In hæc verò capita, ferè corpus hoc videtur referendum. Nam calidum certè est, humidum verò etiam nunc appareret, nisi culpa morborum iam inhærentium malè nutriretur, sic cernimus esse vi rectrice nõ satis firma, & hoc, quoniam partibus minimè pariter habentibus constat. Ventriculus siquidem ex notatis signis frigidus est multo antea factus, iecur suaptè vi calidum semper fuit, nã copia sanguinis calorem indicat, genus etiam quod quo irritentur venarum ora, & aperiẽtur, biliosius esse oportet. B Caput eadem causa, qua ventriculus ipsum quoque humidius redditum fuit; Hinc non solum rheumatum prima origo, sed genus quoque materiæ innotescit, nam ventriculus frigidus cruditatis causa est, crudus humor dissimilibus sui partibus a iecore dissimilem operã accipit, & crassioribus partibus partim melãcholicus, partim pituitosus fit, crassiorisque pituitæ, & glutinosæ speciem recipit, maximè cum iecur calore maiori agit, & squallidiori, tenuibus autem partibus partim in bilem, partim in salsam, serosamque pituitam vertitur. Sic corpus mala materia completur, & vis nutriens, seu regens corpus infirma illis intemperiebus facta nutrire non potest commodè, & recrementis onerata rheumatum casus facit diuersos, vt variæ partes alijs infirmiores repe- C riuntur, vt artus sua natura, vt ventriculus, & caput ob studia laboriosa. Copiæ humorum colligendæ omniũ generum, otium, & quies corporis multũ præstitit, quoniam quamquam non gignit, vt dictæ superius causæ, minus tamẽn corpus expurgat fuliginibus, quæ exercẽdo discuti solent, minusque leuat recremẽtis; ea propter otium replet corpus maximè, & quamuis corpora calidiora minus celeri, & minus longo exercitio opus habeant, tamen nisi exerceantur, malis magis succis replentur, quam frigida, longè autem maximè hæc, quæ non solum biliosis, sed pituitosis, & crassis abundant, exercitium enim tenues discutit, & crassos extenuat ad facilem tum coctionem, tum discussionem. Hactenus causas malorum humorum a genere corporis, & partiũ eius, & a vitæ modo complexus sum, iam notas horum D dictorum humorum vt materiam morborum constituram habeamus deueniam, & loca etiam, vbi versatur mala materia, inuestigabo. Caput graue est, somnosque iam longiores contra quam soleret recepit, ventriculus aquosa, & acida effert, dolores dicti, quamquam interdum noctu acriores fiunt bile nimirum tenui externo frigore, & naturæ collectione retenta, illi tamen, qui continenter eum habent, potius tensionem, & grauitatem præseferunt, qui profectò, si a bilioso humore fierent, potius interdiu acerbiores essent, quoniam hic ram tenuem bilem nõ habemus, quæ meatus facilè permeet, quin intra eos interdiu quoque detenta motu suo magis infestaret, cuius exustæ bilis nota amplissima est id scabiei genus. Cum ergo dolor noctu acerbior sit, calidis humoribus detrahitur suspicio, & frigidioribus, E quamquam etiam exustis permittitur.

Dum ergo a calore afficitur, flatus edit, qui maximè noctu detenti dolores augent intra fęmorum musculos & intestina, præsertim quod malo genere humorum nati malam mordacemque vim referunt; qui fumi interdiu vna cum spiritu foras efferuntur & dissipantur minusque molesti sunt, noctu autem cum spiritibus intro reuocari congesti in multa copia maximè feriunt, & dilaniantes illos dolores fęmoribus, & intestinis faciũt, pituita ergo crassa erit, & glutinosa, alioquin potius vapores lenem rem & dolori faciendo ineptam gigneret. Humor autem exustus ad melancholicum inclinabit, qui flatibus edendis maximè idoneus est, terrenum etenim genus requiritur ad flatus efficiendos. Ita vel crassa

pituita

pituita vel melancholicus humor quorum notę iam supra alis sunt propositæ, & causæ explicatæ, crassitiei verò & lentoris pituitæ cruditas ventriculi in calorem iecoris incidens & capitis quoque insignem satis si officij illius modum consideremus quo somni etiam non tam longi aut arcti fiunt, vt dicta pituita postularet ob dictū calorem, & quod pituita etiam humorem melancholicum sibi habet adiunctum. Melancholici humoris seu exusti notæ a scabie sunt, tum autem a copia sanguinis quæ effluxus suos & egressus amisit sic enim ex Hippocrate. Corpora melancholico succo solent repleri, cum sanguinis egressus inhibetur, ætasque progressa est, quā ætatis progressionem, multa corpora calida non expectant, quin prius melancholico succo repleantur, vt hoc fecisse verisimile est accedentibus studijs & sollicitudinibus multis, quæ mirum est quam intus spiritum retrahant, & retractum exagitent, & exagitatum incendant & vna cū sanguine, certe exsiccent. Vnde sapientes seu potius sapientiæ studiosos fuisse melancholicos Aristoteles asserebat. Repletum ergo maximè per otium id literarium corpus fuliginibus retentis in genus idem humoris vnde natæ sunt reuertentibus, scabiosum illud malum & vlcera accēdit, tum venæ eius generis humoris expurgando datæ, cum illud facere non possent ad propinqua loca ipsum effudere ad hypochondria, quæ tensa sunt, ad crassiora quoque intestina, & costas sinistras, vbi dolor est, & per venam cauam ad artus ipsos, sic loci quoque affecti deprehensi sunt, & viæ, per quas noxam accipiunt, a capite quoque pituita per fauces descendentes subitam illam quasi surditatem affert, quæ post exceram pituitam tollitur, atque cum altius loquitur, id maximè accidit, quoniam fauces ictæ spiritu, calefactæque humorem magis attrahunt, quo meatus auditus comprimatur. Sed a genere materiæ, & affectis locis, atque vijs iam ad alia traducendus sermo esset, nisi eius refellēdæ opinionis necessitas intercideret, quæ viam facit materiæ a capite descendentis ad articulos non venas, sed neruos, sed periostia, nam certè cum materia extra venas est, semper molestiam affert partibus sensu præditis, vt nerui, vt periostia maximè sunt, nisi materia lenisimi, & vdi admodum vaporis speciē habeat, cuiusmodi materia cum ad artus perueniret, certè dolores non afferret insignes etiam loci frigore valdè cōcreta, nam nullam speciem duriorem susciperet præter eam, quæ aquæ est.

Per venas autem potest vel acerrimi generis materia moueri sine vllo sui sensu vt libro de plenitudine, seu multitudine fuse disputat Galenus. A capite ergo quod ipsum sua natura maximè pituitosam materiam allicit spiritu arteriarum adiuuante, eamque in sui alimentum prouitibus conuertit, & quod ex ea superest per easdem venas, per quas adduxit, deprimit, neque enim facile natura alijs vijs vti solet, quam quarum vsum habet alimento distribuendo facilem, Quæ viro materia per venas reiecta quandoque in colli musculos intruditur, & dolorem colli affert, quandoque per venas laryngem, & musculos eius alentes in eam infunditur, & primum tussim siccam, & raucedinem, deinde etiam sputum crassum, cum dilapsa paulatim cōcreuerit; quandoque in tonsillas, sed etiam robore dictarum partium reiecta ad inferna descendit sæpè renes, sæpius articulos petens. Verum iam tempus est, vt ad naturā morbi constituendam accedam, nam materia intemperiem solet afferre, & ab ea etiam solet oriri, sic morbos habere sibi coniunctos, vt causas, & effectus suos, quos proprij casus consequantur.

In capite originem aliquam habet materia, quæ frigida quidem est, intemperiem tamen ibi frigidam nullam videmus, imo calidæ notas habemus, proptetea à venis plus materiæ eiusmodi attrahi per calorem conijcio, quam nutriendo capiti opus sit, alioquin enim calidum caput, parum solet habere recremētorum, hoc itaque capite à materia ipsum onerante, grauanteque expurgato, nil intemperiei superfuturum crederem materiæ

A riæ expurgatæ simile, nisi caloris vis maior morbi loco habenda sit, quæ tamē naturalis videtur, neque sub morborum curatione tentanda est vlla emendatione ex primo artis medicæ. Intemperies ergo ventriculi restabit tamquam morbus, & materiæ causa submouenda, & aliquis etiam calor iecoris. Reliquæ partes sui robur sibi restituendum, aut augendum postulabunt, vt lien, intestina, atque articuli præcipuè genua.

Quæ præstari ne possint, an non, dubitandum in adolescente mihi non videtur, cum ipse alioquin sit natura satis robusta. In materia ergò remouenda, quo necessitatis adhibendorum remediorum, & originis malorum ratio habeatur, is ordo habendus, vt de ventriculi illa primum detrahatur, quod commode futurum crederē ex flore cassiæ, & pulueribus simplicis hieræ. Deinde è

B venis illam euocarem primum venæ sectione, qua crassiores succi commodius, quam medicamentis educuntur, & alioquin è copia reliquis remedijs officeretur, difficiliorque eius tractatio esset sub apparatu, quin cōmota facilè in affectas partes incitationem acciperet. Incisionem ergo maiorem facerem venæ iecorariæ brachij dextri, & sanguinem ad 11. venciarum modum emitterem. Materiam subinde pararem, & vias ad purgationem oxymelite, fumoterræ, & cicoreæ syrupo, atque etiam rosaceo quæ inciderent, detergerentque, & cum similium iure diluerem fumiterræ, cicoreæ, lupulorum, atque betonicæ. Purgarem postea expressione senæ foliorum, agarici, rhabarbari ex iure epythimi, polypodij, cinamomi, & leniētium fructuum, florumque, ac radicum, qua expressione diacatholicon diluerē. Po-

C stea valentioribus iterum pararem, oxymelite composito, syrupo de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro, & de fumoterra composito, iure ad diluendum, facto valentiore. Capitis etiam causa syrupum de stœchade adijcerem, quo humores in eo contentos respicerem, postea iterum purgarem eadem quidem expressione, & iure, sed confectionem Hamech adderem. Purgato corpore, capiti quoque idem præstarem, sed interea ventriculum calefacerem, confirmaremque, iecur verò aliquantum refrigerarem, pipere itaque potius, & cinamomo crassius contusis vterer, quoniam eorum calor tenui ad modum materia nititur. Absinthium quoque Galeni auctoritate suum calorem in ventriculo relinquit, in eoque percoctionem tenues ipsius partes dissoluuntur, crassioribus, & temperatioribus iecori permissis, quod fa-

D cere videntur omnia quæ acrimoniæ austeritatem habent coniunctam, in quibus cappares numerantur, non recusarem resinas, mastichen certè darem.

Sed quo vires exsiccādi ad articulos peruenirent, iura darem, in quibus incocta essent rosmarinum coronarium, folia, & oculi pinus, chamæpytis, iuniperus, cuius facultas valde abstersiua est, vt capparis, fructusque minus calidi sunt; habebunt verò hæc omnia vim etiam viscerum confirmandorum, quæ, si calidiora videantur cum cicoraceis erunt commiscenda, quod calor iuniperi maximè postulabit. Terebinthina altero quoque die cum eiusmodi potionibus data aluum etiam mouebit, & artuum neruosas partes purgabit, & firmiores reddet, vt ipsum ventriculum. Capiti interea purganda sta-

E phisagria & ad masticatoria, & ad palatum illinedūm, atque ad errhina parari poterit, tum in gargarismatibus incoqui. Masticatorijs enim cum mastiche, pyrethro, pipere, & cera, palato cum melle rosaceo, erhinis cum cyclamino, & propè nisi cortex mali aurantij satis esse visus fuerit, quin & cum elleboro quoque, iride, & amaraco, & similibus. Errhinis verò saccharum, mannam, & aquam hordei addere poterunt, cum per pulueres nō placebunt, succo etiam betæ solo vterer, vel iure corticum aurantiorum; Quod caput purgatum dixi nō opus etiam habiturum intemperiei frigidæ emendatione, nam quamquam ipsum per se iam affectum est, & omni alia causa remota sui purgationem postulat, remota tamen materia contentā, nihil retenturum est intemperiei, materiam namque non sua, sed aliena causa colligit,

ligit, & partibus suis recte etiam agentibus illa copio- A
sior accedens superest, vt ventriculo nimijs cibis vtenti euenit; quam verò facilè suo calore rotundæ figuræ adiuncto, & cauæ attrahit, potius ergo ipsum refrigerarem, & per exsiccationem robustius reddere vellem.

Sed hæc alias erunt determinanda. Intestinis quoque purgandis proprie, & confirmandis clysteres inijcerem nedum mollientes dum dolore vexantur, sed cõfirmantes, quorum omnium ratio ea, mollientium quidem vt habeant ius è malua, althæa, acantho, brassica, furfuribus, chamæmelo, deinde olea ex amygdalis dulcibus, aut amaris, è semine lini, sesamique, è lilijs, & chamæmelo, butyrum, passum, seu sapam, qua deficiente sumatur cremor è caricis percoctis melle etiam adiecto aut saccharo rubro. Confirmãtium verò clysterium ratio multiplex esse poterit, nam habeant quoque calorẽ, B & abstersionem necesse erit. Intestina namque non multam postulant adstrictionem, sed vel exiguam, vel nullam cum sint in extremo altero contra ilia, viscera, quæ adstrictionem requirunt, vt lien in medio est. Fiant itaque iura è chamemælo, anetho, fænugræco, melliloto, brassica benè cocta, betaque, tum, si opus etiam erit, abrotanum adijciatur, ijs olea chamæmeli rutæ, lauri, cheiri cum terebinthina, melle rosaceo, & id genus, nã hæc, & similia magis nota sunt, quamquam à me narrentur. Exterius etiam ventri, & ventriculo eiusmodi res ingeri debebunt. Ventriculo verò maximè adiecta mentha, & absinthio, ac rosis, cui vnguenta è balsamo noui orbis, ex oleo nucis moschatæ, mastichino, absinthinoque, tum etiam de mentha cum pulueribus aromatici rosacei, ladano, & cera. Genibus verò, atque C articulis vinum rosacea aqua dilutum, & oleo rosaceo, sub dolore autem è luteis ouorum cũ rosaceo, & amygdalino dandum, chamæmelino etiã adiuncto, aut puls delinienda ex medulla panis cocta in lacte cum butyro, & oleo amygdalarum dulcium. Lateri tandem fomenta minimè reprimentia, vt è furfuribus, saleque primum, deinde ex iuribus anethi, meliloti, lini, lauri, vnctionesque ex oleo laurino, anethino, liliorũ alborum, amygdalarum amararum, vel vulpino etiam, aut vnguento dialthæa insperso cymino. Sed nimius fortasse fui. Ad rationem victus venio, in ea vitandum est omne genus crassum, lentum, & crudum, omne calidius, & vaporosius, vt sunt vina crassiora, & valentiora, & nimis austera. A cibo neque studijs, neque serioribus negotijs vacandum, nunquam cibus priore incocto su- D mendus, nunquam crudo ventre laborandum, aut venere vtendum, quæ rara omnino pro ratione corporis esse debet. Somni mediocres, coctionique satisfacientes, & nocturni tantum. Aer, si frigidus fuerit, vitandus est, per fenestram præcipuè aspirans, aut per quamcunque aliam angustiam, sic enim acrius caput ferit, nimiumque incitanter mouet, atque vel cutis meatus adstringit, vel in cerebrum sua offensione penetrat, matutinus verò, & vespertinus cauendus.

Neque sub Sole manendum, aut etiam deambulandum; Exerceatur quotidie ante cibum, nunquam post eum. Si balneis non assueuerit ab illis hyeme caueat, æstate fidentius vti poterit. Aluus mollis seruanda est, E & animi temperatione, atque æquabilitate vtendum, certè proximè a cibo fugienda, nec non reliquæ animi perturbationes, eo verò maximè tempore, quo suspicio fuerit cutis meatus angustiam aliqua occasione accepisse. Sed hæc nimis multa sunt.

Dixi.

Is sumpto iure oculorum abietis diu post reliquam curationem conualuit.

De morbo gallico pro . . . .

CONSVLTATIO CCCLXV.

Historia temporum, & curationum huius morbi, si esset particulatim comprehendenda, annum protecto duraret. Tres iam anni sunt, & amplius, cum vexatur vir Illustrissimus hoc morbo multa casuum varietate, neque dies ferè a Medicis sine aliquo auxilio prætenta est, ad quam propterea narrandi difficultatẽ maior curationis difficultas accedere videatur. Ego vero ad difficultates curationis respiciens, in eam que omne meum cõsilium intendens neque difficultatem declinabo, & ea saltem recensebo quæ ex omni histotia, & temporum morbi varietate ad genus morbi, & naturam corporis aperiendam nobis profutura videbuntur. Communiter quidem morbus gallicus esse conspicitur, at certum tamen illius genus est deprahendẽdum, quo appositè curatio definiatur, nimirum a genere humorum, & affectuum, & a natura partium affectarum, ac totius omnino corporis. A corporis natura ordiamur, & illam ad genus in humana specie mediũ, & temperatum examinemus ex Galeni præcepto primo de temperamentis, & alijs etiam in locis. Medium genus corporis ipse ab actionibus integerrimis definire consueuit; adeò vt, quoniam corpus hoc tota sua vita iam summum trãsgressa integerrimis actionibus vsum est, ipsum medij generis temperamentum sit existimãdum, nisi quod ex plenioribus aliquanto carnibus paulo ad humidum inclinare videtur, ex quo etiam facilius fuerit ei per contagium affici, & peius vexari, id indicium confirmat color ille floridus ad ætatem hanc 20. 22. annorum retentus, nam si calor humidum genus vicisset, ad hanc æstatem eo deuenisset temperamentum, vt a rubro colore, qui calidi, & humidi generis est, ad pallidum, qui sicci, & calidi, traductum fuisset, neque verò candorem hunc seruasset cum colore rubro coniũctum, qui ruber color inclinante ætate, & senescente homine ob frigus, & ariditatem in purpureum colorem degenerat, qui frigidioris, & sicci generis est, floridus ergo color bene humidum corpus, & hac ætate etiam humidius, & temperatioris caloris significat. Temperatiorem esse calorem confirmant venę non ita abundè latę, vt in corpore aperte humido esse deberet, si calidius quoque esset, idem persuadet ipsa cutis modicè admodum hirsuta. Sed hoc in iecur, & cor iam referẽdum est, a iecore namque materia, a corde vis eius formandæ proficiscitur, inde genus humidum potius, a corde verò calidum.

Cuius verò cordis moderatum calorem maxime indicant mores lenissimi, & facillimi, & ab omni duritate, & austeritate alieni, ad clementiam penitus & dilectionem pronissimi. Cuius iracundia breuis quædã excandescentia est, quæ statim ad suauitatem reuertatur. Itaque si facilis ad iram est, in id tenuitatem sanguinis referendum est potius, quam in calorem, hoc est in humidum genus potius, quam calidum, aridum namque genus sanguinis, & cordis durius est, & ab amando alienum, tardius verò etiam ad irascendum, sed firmius ad iram retinendam, acriusque ad eam exercendam.

Cum his conspirat etiam indicium ab arterijs, & pulsibus sumendum. Pulsus enim, & arteriæ non multę magnitudinis sunt, vbi nolim mihi negotium fieri eo, quod corpus hoc breuis staturæ sit, quasi id frigidioris, & siccioris generis existat, res enim neque huius loci, neque huius temporis videtur, Aristoteles quidem lib. 3. de partibus animalum cap. 6. magnitudinem dat calori, calorisque signum esse sanguinem ait, sed de diuersis animãtium generibus sermonem habebat, nos de eadem specie. Galenum attribuere differentiam magnitudinis, & paruitatis formatrici facultati fertur, quod forsan potius materiæ sit. Similes quidem sæpè statura filij sunt patri, a quo

à quo differant temperamento, à quo materiam tamen habere non videantur, neque temperamentum, quo illi diſſimiles ſint. Res itaque tam dubia non faciat nobis certam obiectionem, Vbi etiam de Galeno quis admiretur, qui aliam eſſe temperamenti vim à formatrice facultate interdum faciat, interdum facultatem hanc eſſe nihil aliud, quam temperamentum velit. Sed ſtaturæ ratio mihi in eo poſita videatur, primò, quod plus materiæ ſeminalis cóceptus ſortitus ſit, quę vtilis alimenti abundantia, non caloris, ſed humoris copiam ſequatur ſæpè ex accidente incidentem, deinde quod corpus in alimẽto, & recremento ſuo id habeat, vt non tam ſuo calore conſumat, quam concoquat, & in ſe conuertat, &, cum hoc ſit omnibus increſcentibus commune, maiora futura corpora in hoc alijs antecedunt, vt longe minus ſuo calore diſſoluant, quam ſibi adiungant. Sic etiam copiæ alimenti, & materiæ, quæ humidi generis eſt, pars cauſæ permiſcetur.

Et profectò caloris maioris erit citius incrementum, non tamen maius, ſi rem diligenter expendamus cæteris pariter habentibus, nam alioquin etiam fœminæ extra vterum tardius creſcerent vt in vtero faciunt, quam mares, id, quod non videmus, quin contra longè citius adoleſcent. Certè humidiore genere abundante pleniora corpora potius, quam longioris ſtaturę cernimus, ni caloris etiam certa portio adiungatur. Ita multis corporibus longa ſtatura cum tenuitate, multis plenitudo carnium cum breuitate ſtaturæ accidit. Multa gracilia, & ſqualida corpora admodum procea ſunt, alia humidiſſima, & breuia. Sed non pauca videmus, quæ frigidiſſima ſunt, & venis anguſtiſſimis, quæ tamen proceritate antecellunt, Corpus ergo materiam nactum, nempe genus humidum ſatis abundè, & calorem non tam conſumentem, quam concoquentem, ſi id attractrice vi etiam valuerit magis, & meatus etiam, per quos alimentũ trahi debet, apertiores, vt celeritas nutritionis tempus anteuertat, quo oſſa per ætatis ariditatem firmamentum, & terminum incrementi attingant, id corpus longius alijs euadet. Vbi videmus, quod ad genus humidum oſſium, quo diutius ariditati reſiſtant, & calori illam perpetranti, niſi accedat etiam alimenti copia, & celeritas, illud ſpacium, quo arefactioni reſiſtunt, eſſet ad incrementum inutile, vt contra multis minus humidi generis nactis celeritas nutritionis arefactionem magis anteuertens plus longitudinis patiet, ſic non erit mirum, ſi multa humidioris generis corpora breuiora, multa item aridioris longiora inueniantur. Sic Galenus libro de optima corporis conſtitutione longitudinis duas cauſas attingit, vnam copia materiæ, alteram generis humidioris oſſium, quorum firmitati dat terminum incrementi, videtur tamen plus ſpatij increſcendi dare longioribus ſemper, quod forſan ex dictis non ſit neceſſarium. Celeritas enim, & tarditas, quarum cauſæ multę eſſe poſſunt, increſcendi in eodem temporis ſpatio varium facient incrementum.

Vbi caloris vis non tantum genere, quantum copia præſtet, quam copiam à ſpirituum abundantia teneat, ſic temperatioris generis corpora poſſunt eſſe longiora, quam calidioris eadem etiam materia vtrique generi ſuffecta.

Verum, vt de breuitate huius corporis propriè loquar, E illam ego attribuam ipſi primæ formationi partium, vbi membranæ, fibræ, & oſſa à ſemine ipſo genus minus humidum nactæ citius firmitatem, & incrementi terminum cótigerint, tum verò meatus anguſtiores ſuo genere humido habentia tardam etiam magis nutritionem ſint aſſecuta, vt firmitatis terminus nutritioné iuſtam anteuerterit.

Sic arteriæ minores ſint vt genus omne membranoſum, fibroſumque, cuius generis illæ ſunt. Carnium tamen genere humidiori, & nutritorio exiſtente, vt contra alijs euenit, qui longiſſimæ ſtaturæ, & cutis molliſſimæ ſunt genus membranarum ſequentis, carnium tamen exiguarum, & viſcerum paruorum, & tenuiſſi-

A mi corporis ſunt, longitudine artubus permiſſa, Oſſa itaque in hoc corpore non ſolum breuia, ſed admodum tenuia carnibus abundantibus ſubiecta ſunt, & arteriæ minores, quam temperato corporis generi conueniret, & item venæ, quorum omnium anguſti meatus eſſe neceſſario exiſtimandi ſunt, & fuiſſet ſua anguſtia in cauſa, cur morbo correptus tanta difficultate queat curari. Partium ergo huius corporis temperamenta cordis quidem minus calidum fuerit, & potius humidum, quod in prima generatione ſibi humidi generis plus retinuerit, & minus alijs partibus permiſerit. Iecoris autem humidior ratio ſit, & materiam humidiorem alendis carnibus præbeat, Calidior quoque vt ſanguinis notæ oſtendunt, nam venarum paruitas partim latentiæ dáda eſt, quoniam à copia carnium contegatur, partim cordis ge-

B neri, cum quo oriuntur, & fibris ſuis cognatę ſunt, vt cor pars prima venarum dicendum ſit, cum iecore namque fibras ipſas & corpus proprium non communicant venæ, vt cum corde; à quo propterea vt à priori origine corpus ſuum habere dicendæ ſint, & ita etiam vires ſanguinis rudioris conficiendi. Renes quoque iecoris temperamento ſimiles ſunt, à quo proximè ſanguinem accipiũt, ſeu ab eius venis. Naturalia ipſa humidioribus carnibus ſunt, vt totius corporis carnes, quaſi verò cum corde tanquam generationis ab eo venientis inſtrumenta cognata etiam humidis membranis conſtant, & meatibus viſibilibus ſatis laxis, de quibus etiam mihi dicendũ fuit quoniam hæc ſolent ſub hoc morbo maximam partem laborum habere, & habuere in hoc viro illuſtriſſimo. Vbi verò capitis maxima ratio habenda eſt cum ipſum

C propriè, & maxime afficiatur. Ei in prima generatione materia abundauit, ideò ſatis magnum eſt, & vis formãs valida fuit, ideo decenti admodum figura eſt, quę vis efficiens cum natura ſit non ars, neceſſario interna eſt & formati corporis temperamento & viribus continetur; vt forma ipſa perfecta præſtantiam temperaméti, & naturæ propriæ capitis indicet, Forſan globi formam nimis imitatur, & orbis, præſertim in fronte, quod calidioris naturæ agentis opus eſt, itaque à temperatiſſimo, & perfectiſſimo genere ad calidius aliquanto deflectet, & materiam habuit obſequentiſſimam.

Idem confirmat magnum ingenium, & cogitationis celeritas ſine ea inconſtantia, quæ valdè calidioris generis foret, vt cerebri tenuitas maxima ſit, & calor vigens à mediocri parum egreſſus, coniunctus verò ei humido,

D cui maximè dominetur, ſic illi omnium diſciplinarum, omniumque artium ſtudium ſemper fuit & acris intelligentia, non vni tantum generi applicatio, vt frigidioribus, & ſiccioribus ſolet euenire.

Hinc iudicium perfectum fuiſſe mihi videtur, quod vſu, & notitia multarum rerum ſit, & facilè ex vnis aliarum rerum modos, exceſſus, & rationes intelligit, illationes facit, conuenientias diſſonantias, diſcernit, temporum, locorum, perſonarũ decus agnoſcit, moreſque, qui quoſque deceant definit. Sæpè ingenium aſſequuntur multi frigidioris naturæ ob attentionem, & laborioſum ſtudium alicui generi adhibitum, id tamen facile, aut acre non eſt, neque corpus cerebri valde tenue habent, tenuitas certè ingenium facit, quæ cum frigore id minoris celeritatis habebit ad inueniendum, cum multo calore minus firmum, quamquam acertimum, & ſæpe inconſtans, nec multi iudicij.

Cum calore autem paulo ſuperante perfectiſſimum, & iudicio præſtanti coniunctum. Multum enim intereſt inter ingenium, & iudicium, illud ad inueniẽdum, & iudicandum res adhibetur, hoc ad expendendum, illud ſæpè in minutis quibuſdam rebus cernitur, non in magnis, at iudicium videtur omne genus rerum amplecti, quarum vſu penitus homo non caruerit, & conſtantiæ nititur, ingenium autem ſine ea ferè inuenitur. Et profecto ingenium quoque, ſi in pluribus rebus verſetur, magis valebit, nam qui vni rei, aut paucis attentius dant operam, in illis certè præſtabunt, at in alijs videntur fatui, quod ſæpius videre poſſumus, quoniam illa paucarum

paucarum rerum studia non delectant, nisi eos, qui frigidioris cerebri sunt, sic facile in alijs rebus stupidiores cernuntur, non enim tantum durarent, & tanta patientia vterentur.

Sit ergo cerebrum hoc calidius aliquanto, neque cõmoueamur, quod homo iam in inclinata ætate minus sit corporis exercitationibus promptus, & quandoque etiam in actionibus vitæ remoretur, quoniam non solum hæc in cordis genus maxima ex parte sunt referenda, sed ætatis etiam huius sunt, in qua corpus suapte vi sanguineum solet melancholicum ferè facere, nisi ei aliqua effluxio sanguinis accedat ex 6. Epidemiorum 6. in fine. Sit ergo aliquanto calidius, & remora illa inter agendum in cordis mitiorem calorem, & ætatis conditionem referatur.

Sit etiam humidius aliquanto, sed paulo admodum, nam neque somno solet longo esse, neque obliuiosus, sed memoria semper valens fuit, & caluitium subijt satis maturè quantulumcunque id sit, quod ita exiguum etiam humidiori capiti conuenire potest. Canities quoque ijsdem attestatur, quæ ipsa quoque satis mature accessit, vt humidiori capiti conuenit. Sicca namque capita, nisi frigida quoque fuerint, vt senectutem referant, sero admodum canescunt, & perinde atque calor intra fines certos non permittit sub hac canitie esse siccitatem, sic canities humidũ genus, & caloris aliquam moderationem denunciat. Oculi grandiores, & venis insignes eandem de capitis genere sententiam confirmãt, huius enim partis calorem, & humidum indicant, vt, quoniam ferè nigri, non fului seu charopi sunt, ea temperatiora ostendunt.

Qui porro oculi ob morbum nitorem quendã amisere, qui spiritum multum cum humido genere permixtum demonstrat. Quemadmodum etiam color ille faciei roseus ad hanc ætatem seruatus, morbo tamen ipso defloruit, & omnis nitor cutis in quendam situm, & sorditiem conuersus est. Hactenus totius corporis, & partium natura constituta ante oculos est, morbi iam rationem aggrediamur. Contagione is acceptus, & gallicus est, infertis vos, ergo ignotæ naturæ est, ita modis empiricis curandus, tantum casus varij videndi, qui ad variarum corporum, quæ eo vexantur, naturam sequi cõsueuere, vt partibus infirmioribus diuersis, & humoribus varijs incidit. Sed tamen sunt quæ certo de huius morbi natura percipi, & ad curationis moderationem referri vtiliter possunt, nec prætereunda hoc loco videãtur. Morbus is contagione accipitur, ergo putridi generis est, cuius scabies habetur, non illius putredinis æstuãtis, quoniam ad longinqua non fundit suos halitus, neque solidas partes corripit putredine, quas tantum per humores a se erodentes factos potest exedere, neque verò tanta putredo est, vt humores colliquet, quemadmodum febrium malignatum putredo facit, quæ etiã carnes potest colliquare, quod ostendunt, & vrinarum copia, & hydrops subitus, & alui profluuia sub illis febribus nascentia. Intra ergo certos fines suam prauitatem tenet, vt scabiei putredo suam, vitiosior tamen gallici putredo est, quam scabiei sit, & internas partes, ac viscera, tum verò etiam caput petit, insidentesque ibi humores in suum genus conuertit, nullique eorum generi parcet, quin situ suo inficiat, & situm eundem ex illis eliciat se se propagãdo. Quadam tamen similitudine naturæ illos primum inficit, qui vltimi, & vtilis alimenti recrementa sunt, & ad semen conficiendum conferendi. Corripit ergo humore, quod sane, non efficeret, nisi aliquos humidiores, & tenuiores humorum dictorum partes per putredinem dissolueret, quarum pingue quoddam genus insitum humoribus animantium cum familiare, tum illis continendis, eorumque calori alendo necessarium post putredinem remanet, tãquam insuperabile, & oleaginosum, quod partibus, in quas impulsum a calore fuerit, pertinaciter adhærescit, & facile quadam similitudine putredinem inducit, & non nisi longo spatio consumitur, sic & sua natura, & propa-

A gatione maximè se sustentat. De quo oleaginoso corpore nõ præteribo, ne alicui dubitationem faciat, quod in putredinibus mali generis, & ad extremum res persequentibus facilè è putrefactis rebus exprimitur, vt in chymicis operibus per postremam illam ignis operam. Gallici verò putredo quamquam feruida admodũ non est, quicquid tamen arripuerit intus penitus peruadit, & tenaciter habet, & ad extremam dissolutionem perducit, humidum eius insitum, & pingue tenens, ac quasi in sui alimentum absorbens, inde enim alitur, vnde ortum quodque est, & simili facilè adhærescit, sic humidum hoc oleaginosum, cuique humido humoribus insito aptatur, illudque sibi arripit, vnde ortũ habuit, in sui pro pagationem, & quasi alimentum.

Locus autem vbi maximè crassatur vasa sanguinis
B sunt omnia, facillimè tamen per ea defertur suo malo halitu vliginoso, quę naturalium maris & fœminę sunt, maximè cum incaluerint, in vasis enim sanguinis recrementum vtilis, & vltimi alimenti versatur, quod facilè comprehendit suo vitio vt sibi simile. Naturalia autem spiritu seminali feruida facilè per spiritum consimilis rei infectionem admittunt, Itaque vel prius eorũ correpta cute, vel etiam illa prætérita intus in vasa per opulam ab vno in aliud introducitur, & tunicis suo mucore oleaginoso, & situ adhærescit, paulaimque sibi similem corruptionem molitur, prius verò in tenuioribus, deinde in crassioribus humoribus, vt natura ferè omnium fert; sic sua causa non magis vnam, quam aliã corporis partem petit, nisi multo post, cum aliquã magis multo imbecillam inuenerit, alioquin initio com-
C mune viscus iecur occupat, vt venarum sanguinis primam & inchoatæ originis mineram per sanguinis dictum recrementum progressa. Cor etiam quandoque sed hoc melius se se a sorditie hac defendit, & vliginem suo calore consumit: itaque rarenter admodum videas sub axillis bubones dictos, quos tamen interdum recordor incidisse.

Primis ergo doloribus modo hanc modo illam partem tentat, caput tamen præsertim, vt quod inter eminentes partes sit, ad quas cordis uis, vt maximè extremas alienam materiam deijcit, plurimisque etiam vasis abundans ad ipsum plurimum eius materiæ peruenit.

Ac quæ vitiositas in scabie vix venas, quæ per carnes extremas percurrunt, occupat, in hoc morbo per
D omnes cum venas, tum arterias peruagatur, sic sæpè curata corpora multis mensibus, & interdum annis integra videntur, postea tamen in eis morbus renouatur, quoniam exigua parte eius vliginis in minimo venulæ vase conseruata lentoque aliquo humore, & recremento eo vltimi alimenti vtilis quod altius in meatibus insistit, sopita paulatim sibi similem situm potest gignere, & spatio longo se se in eam magnitudinem extollere, qua corpus iterum ijsdem casibus afficiat. Sic, quamquam sæpè solis purgationibus medij corporis curatur, & potissimum per senæ folia, tamen facile resurgit, nisi per sudorifica, & ea maximè incidentia, extenuantia, & abstergentia corporis omnis ambitus bene repurgetur, quod si etiam exercitationibus laboriosis ea purgatio
E fieri queat, illis etiam morbus tolli consueuit, quod etiã factum vidi sudoribus per suffumigia aromatũ dui excitatis. Sic etiam hydrargyrum, cuius vis per omnes insensibilis meatus mirabili quodam modo peruadit, potest ex ipsis situm illum vna cum crassis humoribus euellere, atque sui frigoris, & ariditatis vi extinguere, quod etiam leuiter adhibitum scabiosis morbis pręstare maximè videmus, & potissimum sublimatum, vt dicunt, cum fuerit, quoniam sic maximè arefacit, atque consumit, sed vitiositas scabiei tam altè non penetrat, ita ratò pectus, rarissimè faciem contaminat, vbi carnes spiritu magis abundant a corde misso, & se se ea infectione leuant, qua vasorum genus intus non admodum altè, & in medio corpore affectum est vt in gallico deprehenditur.

Cuius

Cuius propterea curatio postulat, vt non solum externæ, & eminentes partes, sed medij etiam corporis omnes, & viscera repurgentur, atque aliqua vi consumente, abstergente saltem, & eijciente eam vliginem curentur. Itaque in hoc morbi genere de intemperie tanquam illius natura anxij esse non debemus, sed de ea tantum, quæ ei casu aliquo accesserit, quæ non nisi prius morbi natura consumpta respici debet, nisi vliginis huius vim, & vnctuosam in humidum intemperiei genus referamus, sed Medici non penitus teneri debēt, aut illigari illis perquirendis, quæ curationi nullam afferunt conditionem. Certus Medicus est genus hoc fomitis esse è corpore abigendum, & radicitus eruendū, consumendumque non minus, ac in scabie fit, cui vnguenta exsiccantia, atque absumētia dantur, in intemperie etiam sicca, & exustis humoribus substantibus, scabiemque alentibus; Sed ad propria huius corporis incōmoda ab hoc morbo allata, & sustentata veniamus.

Primum vlcus fuit in glande, quod breui satis magnum, & profundum euasit, & pertinax admodū perseuerauit, sordidum illud profluuium gonorrhæa dictū crassioris materiæ paulo post ortum vlceris affuit. Vlceris profunda exesio, & vna crassitudo profluentis humoris crassiores succos fuisse comprehensos ea corruptione indicabant, quam si extimæ tantum partes exesæ fuissent simplici carie, vt consueuit, & profluuium minus crassum fuisset, cum vero etiam post contagium diu, multumque latuerit malum, crassitudinis suspicionem confirmat. Chirurgi, quo opera eorum vtilis appareret, & fluxio illa vlceris curationem non impediret, ipsam suppressere. Materia suppressa quid faceret, cum maximè esset copiosissima, & corrupta? Halitus, & corruptiones amplificauit, dolores inde primum pudendi, quibus vigiliæ effectæ sunt, halitibus illis malis in cerebrum ingruentibus etiam, atque etiam auctæ, deinde oculus alter ruborem accepit, pericranij venis iam completis, pustulæ etiam in capite vna ortæ sunt. Medicina è senæ iure data est quibusdam florem cassiæ præferentibus senæ, quam multoties exhibuissent. Imò satis purgatum esse per cassiam corpus asserentes vix semel senam dari permisere, Atque vix pilulis quibusdam concessis, quæ parcè admodum purgarunt, ad sudores mouendos progressum est, quibus cæptis tunc Medici recedere, & ægrum tanquam, qui amplius consilijs suis non egeret, deserere, & victoriam canere. Qui solus relictus est, post eorum digressum, senæ medicinam repetit, quæ abundè valdè purgauit, sudoribus autem inde largissimis sequentibus per aluum purgare amplius non audebat, ne natura nimis in diuersum distraheretur, victus verò rationem tenuissimam seruabat.

Inde omnes mali notæ repressæ sunt, hyberna cœli inclementia maxima: finitis ergo sudoribus ad 35. diem productis vix cicatricum color rubertrimus in capite relictus est, vix etiam è pene humor quidem exiguum tanquam lactis coagulati minima gutta candidissima, & crassior excernebatur, quæ post finem sudandi factum octauo die ipsa quoque cessabat, vt fecit quidam nausea motus, benè itaque habuit ad 20. dies sub quorum finem cępit caput grauari, ac dolore hebeti laborare, aures etiam auditu impediri, ita tamen vt subito auditum reciperent, & identidem amitterent, maculæ rubræ sine vlla cutis asperitate extare, alter oculus erubescere sine dolore, qui inde tandē visū amisit, totum etiam corpus, & maximè artus grauari, repetita igitur purgatione, perque guaiacum sudoribus permotis, qui multi, & facillimè sequentes fuere, & ad 30. diem producti, rursus casus omnes deleti sunt, oculi tamen acies hebetior relicta; sub sudoribus medio tempore eorum tam benè habebat, vt cum eis vlterius progredi nollent, sub finem tamen eorum, cum plenior iam cibus permitteretur, quinque postremis diebus noctu interdum cruribus dolebat, totum mensem inde bene habuit, quo præterito oculus recepit ruborē, syncipit tumorem laxum, qui cito delitesceret, vel vna spongia vino calido imbuta apposita, ita etiam circum oculum. Vlcus in pene renatum est, nequaquam tamen exedens, in faucibus etiam pariter, cum in Sole exercendi causa deambulasset, hoc quidem facile deletum est, interdum etiam ad vespera febricula præsto erat nō quotidie, bis in mense per senam, elleborum, & trochiscos Alandal purgabatur, adhuc autem æstas erat: Autumno accedente curatio valentissima per guaiacum instituta fuit, sed Medicus familiaris singulari nescio qua opinione eam moderatus est, imo nutrire corpus voluit, & refrigerare, vt lactucis etiam vario modo paratis in eadem mensa eum semper modis omnibus vti cogeret, Mala etiam, & aquam maluarum administratet, & cū plenius corpus esset effectum, euasisse à morbo asseuerabat, pustulæ è fronte identidem erumpebant, maxima in copia, magnitudine, ac colore insignes, quibus per remedia repressis dolor capitis eum maximè infestare cæpit, ac dolore medicamentis reprimentibus compresso casus morbi comitiales.

In hac historia satis mihi videor comprehendisse ea, quæ mihi humorū & mali genus, & partes affectas aperiant, nam grauitas capitis, maculæ eius, & totius corporis sine exulceratione, robur oculi sine dolore, tumor frontis œdematosus, surditas cum aliis plerisque humorem pituitosum indicant, & sanguinem ab integro suo statu ad pituiram inclinantem, tenuitatem etiam aliquā ex breuitate dolorum, qui in cruribus versantur, quod forsan sunt etiam vapores ab ea materia elati. Malam autem putredinem indicant, tum dolores ij, tum halitus quo vigiliæ sub hac pituitæ copia efficiuntur, absentia etiam cupiditatis cibi ad pituitam potest referri. Putredinem dictam declarant pustulæ, & casus etiam comitiales, qui retentis illis halitibus malis, & in principium neruorum appellentibus, eueniunt, neque enim conuulsio, per momenta facta, potest aut à repletione, aut ab inanitione cieri, cum neque repletio, neque inanitio queat tam breuibus momentis fieri, & quamuis copia pituitæ post casus per os exeat, illa potius per motum cerebri in ipsum incitata decurrit, quam ipsa sit eorum casuum causa. Affectæ partes etiam ostenduntur, nimirum caput, oculos, aures, iecur, ventriculus, & omne venosum genus, ac naturalia ipsa. Natura corporis semper robusta fuit, & valentia medicamenta perferre potest. At principes viri lautiori corpore sunt, quā alij sint, credo verò, sed, si externis iniurijs semper restitit ad modum, vt generibus omnibus ciborum, & potionē copiæ, & varietati eorū. Si cuique cęli motioni, cuique motui valentissimo in venationibus cumulatius corpus dicemus, & lenibus medicamentis tractandum, cum præsertim hactenus valentiora pertulerit? quæ cum non satis profecerint, certe ad valentiora erit transeundū, præsertim quod medicamentis iam consueuerit, vires etiam apertè validæ cernantur. Aer quoque non habet vllam insignem intemperiē, quod si frigidior euaserit, arte potest temperari. Ergo cum purgatio ante fieri debeat, illa quidem valentioribus, sed gradatim à mitioribus initio facto, atque, cum humores iam diuturnitate altius in venis defixi sunt, illi paulatim, & longa opera eruendi sunt, & apparatu multo semper interiecto incidentium, abstergentium, & extenuantium, ac detracta ea materia, quæ in meatibus latioribus vagatur, illa postea, quæ altius hæret in meatibus inuisibilibus multis potionibus sudorem mouentibus deradenda, & diluenda est, vt essent, quæ è China, salsa parilia, & guaiaco cōficiuntur. In quibus deligendis, & ordinandis ego eam rōnem sequi vellem, vt primi sudores ad 20. vsque diem per chinam cierentur, quoniam ea pleniorem victus rōnem toleret, sub qua æger robustiorem se seruaret, quo abstinentiam summam postea posset perferre, quā nimitum guaiacum postulat, quod credo esse huic morbo curando tandem necessarium, & apprimè idoneum, nā magis incidit, & magis robur visceribus conciliat, quā china, vt vel ipso gustatu nos possumus intelligere.

Mouebit illa magnos sudores, & diluet leniter, abstergēdo meatus etiam inuisibiles, ita guaiacum postea postremam manum adijciet in euellendis renacius inhærentibus, & partibus omnibus internis confirmandis. Sic ergo purgationem, & curationem hanc omnem describerem ℞. floris cassiæ. r. e. ℥. 10. puluer. hieræ simpl. Galeni ℥. t. s. misce, & cum saccharo, & cinnamomo f. b. Deinde ℞. syr. de succo betonicæ de succo fumiterræ, Oxymellis simpl. an. ℥. s. Iuris betonicæ, stœchados, saluię lupulorum, florum fumiterræ, rosmarini, foliorum sonchi, cardui benedicti facti in aqua fumiterræ ℥. 5. misce pro syr. & sic pro alijs. Medicinæ ratio hæc sit ℞. Rerum pectoralium m. 1. cinnamomi ℨ. 1. spicæ, gingiber. an. ℈. s. stœchadis, betonicæ an. m. s. quæ decoquātur in sero caprillo, & colentur cum expressione. Deinde ℞. Rhabarbar. electi ℨ. 1. s. foliorum. senæ elector. ℨ. 3. Agarici ℈. 1. macerentur in eo iure totis. 12. horis in quo colato, & expresso misceantur; syr. rosacei solutiui ℥. 2. s. mannæ electæ ℥. 1. s. & f. potio. Postera die eius diei, qua facta ea purgatio fuerit, aluus diluatur iure aliquo, cum per os accepto tum etiam infra infuso, ne malitia commotorum humorum, qui in intestinis substiterint, halitum in iecur, & caput remitteret, postea potionibus alijs valentioribus humores pararē, vt syr. de stœchade, & oxymelle composito de fumoterræ composito, vel de pomis composito cum iure suprascripto syruporum. Sub ijs potionibus darem pilularum cochiarum ex iure ellebori præparatarum, de hermodactylis. an. ℈. v. Nisi verò habeantur illę paratę ex elleboro, adijciantur rad. ellebori nigri præparati grani 7. postera die huius purgationis dentur ℈. 4. theriacæ, & item altera, & tertia, quam theriacam etiam vna cum syrupis supra scriptis datam vellem ad ℨ. s. & dari cum ijs, si tertio essent repetendi. Purgarem ad extremum cum potionibus ijs, quas Rasis veteri capitis dolori instituit. Montanus Veronensis his morbis idoneas iudicauit, quæ fiunt ex elleboro, & myrobalanis, quorum descriptiones habentur apud apothecarios: neque suspectos haberem myrobalanos, quamquā sunt gustui molestæ, nam probatæ sunt experimentis tanquam valentes visceribus expediendis, & quod sua adstrictio, pręterquam quod robur visceribus affert, eorum etiam iuuat penetrationem, & malitiam ellebori reprimit, purgant verò humores inueteratos, eorum autem compositioni adijcerem agaricum, & rhabarbarum, quas potiones alternis diebus darem, medijs autem theriacam, vel mithridatum, sed hunc potius, cum sudores mouendi essent, illam, cū consumendi humores.

Ex his ego sperarem viscera iri expurgata. Interea capiti suam purgationem adhiberem, & palato ingererē pulueres ex sinapi, & staphideagria, melle rosaceo compræhensos, quibus si vlcera in palatum elicerentur, illa ego diluerem vino, cui incocti essent citrini, rosa, oliuarum folia, admixto diacatidio, vel diamoron, & alumine, vel diluerem ex aqua rosarum, plantaginisque immixto oleo sulfuris, vel calcanthi. Purgato itaque corpore per aluum ad sudores deuenirem mouendos primum per chinam, deinde per guaiacum. Curarem verò, vt corpus bene calidum esset, cū potiones sumit, illasque item calidas darem, sudores autem, si facilè fierent, & primis maximè diebus, nullam vim adderem, nisi cubile cum solito vestimento, vel paulò grauiori. Sin minus facilè fiant, præcipue posterioribus diebus vestimentorum plus adderem, deinde etiā ignem in capsula subijcerē, inspersis pulueribus aromatum, vt myrrhæ, thuris, stiracis, ac similium, vestimento circum collum composito, ne fumus, aut calor caput infestaret. Cucurbitas aquæ calidæ plenas non libenter subijcerem, humidum enim vererer. Minus calefactos lateres, cum nimio suo sicco halitu possint angustiam meatuum inducere, sic in posterū sudori officere. Potius lacum pararem, seu labrum tam latis lateribus vt sedentis hominis caput vix extaret, quod vel tabulis occlusum foramine tantum vllo pateret, vel vestimentis in circulos ligneos coniectis, & collū

A amplectentibus, in quo solio aqua, cui incoctæ herbę essent, in vsum eiusmodi accommodatæ, in vase poneretur, eique lapilli igniti identidem conijcerentur defenso corpore, ne guttas excussas à lapillorum iniectu exciperet, nam vrere facilè possent. Herbæ incoquēdę possent esse lauendula, calamenthum anethum, chamæmelum, carduus benedictus, possent etiam esse ligna aliqua odorata, atque etiam guaiacum.

Sed hæc arbitrio Medici dimittenda sunt. Sudores sub guaiaco longius sunt trahendi, quoniam morbus admodum rebellis est, neque medicamentis cedet, nisi illis spatio vires adiungantur, qui sudores decimo, aut nono quoque die essent intermittendi, & medicina aliqua danda, quæ crassiores humores sudori rebelles deduceret per aluum, nam potionibus dictis extenuati, & abB stersi facilem exitum haberent. Dies verò inter chinę potiones, & guaiaci valde commoda medicinæ foret.

Quæ verò ex sena, & epithymo illis humoribus detrahendis mihi aptissima videretur, quæ in potionibus ijsdem macerata essent, aliquo secum aromate coniuncto. Epithymum enim propriè mihi videtur maximè abstergere, sicuti thymus ei adiecta vires ipsius augere. Interea, si videatur caput non satis auxilij recepisse, ad eius lotiones accederem, quæ fierent ex lixiuio, cui incocta essent exsiccantia, & confirmantia caput, vt guaiacum, sena, agaricum asarum, vt chamæmelum, rosæ, rosmarinum, saluia, lignum cupressi, & si quæ alia videbuntur. Sub sudoribus semper linteamina seu recentia, seu purgata recipienda sunt, nam & exsiccantiora sunt, & quod nonulli veretur, si minus pura adhibeantur, & quæ C sudorem retinuerint, vitiositatem corpore referant. Victus ratio sub guaiaco præbendo tenuissima seruanda est, alioquin parum solet prodesse, & post curationem ea etiam temperatissima retinenda, & aluus identidem diebus certis repurganda præsertim pilulis, de quibus in vsu habeo eas, quæ dicuntur de nitro Alexandri. Scrupulus siquidem earum benè aluū mouet, & serosos, atque exustos humores, ac crassos omnis generis educit. Exercendum pręterea quotidie corpus est, nam, si quid potest recrementa, & vliginem huius morbi consumere exercitatio est, vt experimenta docuere.

De auxilijs oculo ferendis non dixi, quoniam quotidie experimur, quod ante finem curationis per sudores semper casus oculorum longè prius finiuntur. Si tamen placuerit aliquid ei afferre, poterit sumi celliriū, seu diluD tio ex aqua plantaginis cum parte aliqua aquæ eufragię, & fœniculi, cum materia sit humidior, nec ita calica, eāque adhiberi per pilulam ex aloe, tutia, & dicto collyrio albo sine opio in panno serico purpureo compræhensis. Aqua et fragariæ loco aquæ plantaginis posset sufficii, aquæ item verbenacæ, purpura namque propter materiam, quæ ex cocco infectorio, aut radice pimpinelię fit, vim habet extenuandi, desiccandi, ac confirmandi.

Comprehendi etiam in eo cerussa posset per aquam rosaceam lota. In aquis illis, si opus coctione erit incoqui poterit semen fęnugræci res tam oculis accommodata. Fortioribus non vterer, neque verò etiam fœnugræco, si quod obseruaui sæpè, ruborem attulerit, vt facit succus fęniculi ex melle, aut saccharo, similiter aqua stillatitia mellis, maximè fulua illa, & posterius defluēs, E non tam prima alba, puluis quoque sacchari candi mitissimus deprehenditur. Acres sunt vrinarum sales, itē & chelidonij concretus succus sed actiora per suffitus adhiberi possunt facta per stillaticium acetum, vel aquam vitæ illis incoctis, adiecto etiam sulfure, rutaque, & ocularijs dictis, quo suffitu per horam facto lauetur semper oculus.

De morbo gallico pro N. . . . .

CONSVLTATIO CCCLXVI.

HVc conuenimus viri medica professione nobilissimi,& huc sumus aduocati, vt auxilium inueniamus valetudini illius, qui non solũ sibi subiectis populis, sed etiam vniuersæ Reipublicæ Christianæ est optatissimus. Nobis verò imprimis esse debet, qui & sub illius ditione,& sub patrocinio magno nostro solatio viuimus. Quare ego non possum me continere, quin vos etiam, atque etiam rogem, vt pro prudentia vestra,& quantum vestra valent ingenia huc penitus contendatis, vt rebus omnibus alijs postpositis, vel ipsa existimationis ratione consilia vestra in vnam eius salutem dirigatis. Ipsum Illustrissimum Virum multis modis male habere videmus,& omnino multum a naturali habitu mutatum, nam nitor, & color pulcherrimus faciei in fœdum colorem transijt, pustulis varijs modo pluribus, modo paucioribus distinctum, & sic habet iam tres annos & amplius, ac quod molestius est caput sæpè frigore, interdum calore, ferè dolore afficitur,dextro præcipuè tempore, somno sæpè totis diebus, & totis noctibus opprimitur, & eo molestissimo, a quo cum expergiscitur multum offensæ sentiat, quandoque nimijs vigilijs vrgetur, ferè mœrore, & mæstitia tenetur,solitudinem amat, desperat, nihil iucundi cogitat, animo ferè perturbato, & qui facillimè exacerbetur semper esse cognoscitur, ventriculo etiam laborat ob cruditatem omnis generis,modo nimia pituita suæ frigiditatis sensu,& nimio humore molesta, modo halitu quodam calorem referente,interdum sine siti est,interdum quadam oris salsedine mediocriter sitit,modo caret cibi cupiditate, modo ea mediocriter vtitur, quod superiora quoque symptomata faciunt, nam illa sæpè intermittunt,sæpius spatijs quibusdam sunt læuiora, vt totius corporis grauitas,& languor,ad quæ mala accessit postremum quoddam valdè metuendum,quod sensum amissione,conuulsione,spuma oris,& reliquis omnibus epilepsiam est imitatum, a quo caput quidem leuius relictum est,dolore,& somno leuatum, corpus tamen totum hebes factum est,& languidum. In vtroq; brachio vlcera cauterijs facta gerit, quæ cum multum materiæ iamdiu emittant, nunquam tamen corpus ab his malis liberarunt. Vnde mali vehementia intus manētis potest intelligi, multo autem maximè ex eo quod purgationes non solum binæ quotannis factæ, sed mēsibus singulis etiam repetitæ, nunquam ipsum tutum a morbi reditu fecerunt, rarò aliquam sanitatis speciem attulerunt,& illam quidem breuem. Quare causæ ipsi tam valenti sua certa remedia quærenda sunt, & eo valenti sua certa remedia quærenda sunt, & eo valētiora, quo valentior prauitas ex suprapositis explorata est, neque contenti esse debemus ea valetudine, qua crebro medicamentum vsu tantum sustinetur. Nam etsi sustineat corpus, ne in euidentem offensam labatur, latentem tamen causam non aufert, cum non præstet sanitatem integram,& seipsa manētem. Ad quod sequitur illud damnum, quod corpus medicamētis molestatur, & dissoluitur. Ergo prima,& intima morbi vis,& ipsius latens causa præcipuè demolienda est, qua intercidente reliqua omnia aboleri necesse est. Primum verò horũ notitia quærenda, quæ sola remedij scientiam nobis pōt subijcere, cognoscenda quoq; est corporis natura, qua hæc morbi notitia fit exquisitior, & æstimatio certior,non solum quia modum ipsi morbo præbet,sed quia ob aliquam propensionē, aut morbo,aut eius viribus,& symptomatibus occasionē præstiterit. Vnde ꝓpensione ea intellecta,facilius morbi genus potest in nostram notitiam adduci. Quæ verò corporis natura, vt modum prauitati morbi præbet, sic eius remedijs rationem dēt præscribere. Vnde medicus & cōmunia ꝓprijs coniungat,& accommodata auxilia præbeat. Na-

A tura corporis ex cōfirmatione, & ex simplicium partiũ temperie constituta ex ijsdem est æstimanda. Conformatio externarum partium oculis subiecta est, nec difficile perspicitur, internarum aũt partium in conspectũ nostrum venire non pōt, nisi subtili admodum coniectura,vt proponebat Gal.de quodam corpore, cuius venæ iecoris erant admodum angustæ, & de altero cuius ventriculus quendam meatum bilis in se recipiebat, & de tertio quodam cuius ventriculus paruus admodum erat,quæ ipse his coniecturis quas vos non ignoratis est intelligētia assecutus, Angustia venarum huius corporis,partim in cōspectu est, partim ex difficultate ab hoc morbo euadendi intelligitur. Temperies autem quæ ferè ad medicum magis pertinet,sic cōsideranda est. Cũ medio, & temperatissimo corpore in humano genere
B est conferenda,eo prius constituto,an notæ,quæ ferè in externis partibus existunt, possint esse nunciæ internarum. Gal. hoc sic definiebat. Si partes externæ conformatione,habitu,& tēperie sibi essent similes, vt si brachia cum cruribus,& hæc omnia cum reliquo corpore conuenirent, inde quoque colligi posse internas partes externis esse similes, nisi corpus eo vitæ genere vsum fuerit, quo aut per solem, & labores, aut per nimium otium externæ ab internis dissimiles factæ sint. Cũ ergo in hoc corpore externarum partium similitudo cernatur,& conuenientia, cum non nimio otio, aut vmbra, neque nimiis exercitiis vsus fuerit, cum esset integer,quis enim est, qui nimio in otio esse possit Romæ viuendo? qui vrbe discedens, venationibus,& alijs exercitijs sit delectatus? cum inquam partes huius corporis
C conspicuæ inter se valdè sint similes, confidere possumus has internarum naturæ certas posse esse nuntias. Ergo medium corpus in humano genere statuatur nostro sub cœlo, & propè hoc statuatur hinc quidem siccissimum,& calidissimũ corpus visu nigrum, tactu durum,& asperum habitu gracile,& hirsutum. Inde vero corpus extreme humidum,& frigidũ, visu album,tactu molle, habitu omnino obæsum, atq; hebes, & penitus glabrũ, medium porro erit non minus molle, aut durũ album, aut nigrũ, hirsutum, aut glabrũ,habitu formę concinno,non obęso,non gracili,venis,& arterijs mediocribus, naturalibus actionibus pręstantissimis, valetudine integerrima. Profectò si ad hunc hoīem Illustr. Dñi nostri corpus æstimemus,aut illi penitus est simile, aut si ab eo recedit, non ad partes nigri,aut duri,sed al-
D bi,& mollis accedit,præcipuè cum esset integrum,q̃uis ætate valde prouecta,qua corpora notas siccitatis maximè solent ostendere,si calore abundauerint, hoc hirsutũ, aut mediocriter est,aut minus q̃ medium,venis certe minoribus,vt benè norunt,qui illi venam secuere,arterijs quidem non minoribus si pulsum rectè assequimur,mediocriter potius se habentibus, animo quidem benigniori, q̃ homo medij generis,atq; ad beneuolentiam penitus propenso,ad iracũdiam quidem facili,sed non pertinacem,non ad vindictam durantem, neq; ēt vehementem. Nam illius vehementia intra parietes, & cum familiaribus soluitur,a qua iracundia ad mansuetudinē facillimè reuertatur,lenitas morum summa est, summum studium,amicitiarum, & beneficientiæ, nec quisquam pōt inueniri,qui ab odio,ab inimicitijs exer-
E cendis magis abhorreat, ex quibus rebus hoc corpus, qđ ad temperatum accedere intelligimus,in frigidis,& humidis potius, quam calidis, & siccis temperato assistere necesse est, quod vt minutim,& particulatim magis assequamur,obseruãda sunt ea viscera,a quibus vniuersi corporis temperies constituitur, a corde calorem potissimum corpora nanciscuntur,a iecore autē humorem,hic cor,vt ex pręscriptis moribus deducitur,calorē aut temperatũ, aut mitiorem habet,quoniã caloris vehementia non pōt non superbum hominē reddere, calor acris necessario acerbitatē affert aīo, & feritatē tribuit, mitis autem mores affert iam propositos. Iecur non calore,nō etiam humore abundare, venarum angustia est nota certissima, qua Galenus nunquam non

confidit se posse cognoscere, nũ corpus, quod obæsum cernitur, tale sit a natura, an a viuendi modo factum. Cum enim amplæ venæ sunt in corpore obæso, corpus tale ob nimium otium esse, & amplum viuendi modũ Galenus iudicat. Cũ venæ angustæ sunt, tunc tale corpus a natura esse, & a frigore Galenus existimat, tantũ potest venarum indicium in hoc iudicio. Cui quoque fauet Hippocratis authoritas, qui corpora alba, & mollia semper in frigidioribus reponit, vbi certum est habitum tam naturalem, quam a vitæ genere acquisitum, causam sibi subiectam habere certam temperiem, ita vt acquisitus acquisitam, naturalis naturalem illam obtineat, atque omnino, & semper obæsus frigidiorem, gracilis calidiorem significet, siue consuetudine siue natura calida, aut frigida illa fuerit.

Ergo cum habeamus corpus, quod, cũ esset integrũ, ætate penitus floreret, & vim caloris sui iam summam esset assecutum, sub qua tamen nullam siccitatem, nullum vehementioris caloris indicium ostenderet, cogimur omnino illud ob mollitiem, & candorem, & modicam pilorum copiam in frigidioribus potius, quam calidioribus reponere, atque in his proximè temperamento collocare, si enim calidum fuisset, iam siccitatis indicia ostendisset, quæ prorsus abfuere, si bene obseruemus, quale corpus fuerit a trigesimoquinto ad quadragesimumsecundum annum. Venarum angustia Galeno, & pilorum cõditio quacunque ætate nota est certissima (quamuis illas a iecore non a corde oriri existimaret) qua de toto corpore iudicium proferret. Nos alias corporis notas ad iudicium de toto corpore contulimus, quibus ipsum minimè calidum iudicaremus; & cordis conditionem a moribus eam accepimus, qua nõ posset corpus valdè calidum reddere homine nulla crudelitate, nulla superbia, nulla audacia prædito, benignitate, lenitate, & beneuolentia, & mansuetudine omni penitus ornato, vt cum a corde caloris vis emanet, genere cordis sic constituto corpus in frigidis potius, quã calidis ad temperamentum accedat.

De humiditate sic est statuendum, Iecur, a quo illius vis præcipuè proficiscitur, vt vis caloris a corde, cum ex angustia venarum humidum esse non possit, non permittit, vt corpus humidum statuamus. Cordis siquide humor, qui ex facilitate proposita intelligitur, tantus esse nõ potest, quantuscunque maximus fuerit, vt humidius corpus efficiat, propterea hæc corporis plenitudo, mollities, & glabrities, quæ ab humore iecoris esse non potest, quæ nulla in eo est, a corde minus queat exoriri.

Ergo corpus obæsum calore mitiore potius, quam humiditate est constituendum, & potius pinguedini quam carnis copiæ est adscribendum. Vnde neque putridis malis corpus fuit opportunum, in qua certè incidisset libero vitæ genere vsum, quo amplè nutriretur, nulla obseruatione viueret, nullum cibi genus fugeret, ex longo otio ad subitos labores transiret, modo in vrbe, modo ruri esset, à nullo conuiuio se retraheret, interdum nimium quiesceret, sæpius venaretur, quæ res putredines maximè mouent in corporibus plenioribus, & præcipuè quæ humiditate putredini sunt opportuna. Vnde aliqua iecoris siccitate, necessario fuit sustentatum, ne in putredines inciderent, quæ certissimis notis est constituta, quæ corpus ad mæstitiam sic paratum reddere potuit, vel a pueritia nõ expectata ætate firmiori, & per eam maiori caloris efficacia, humore sic a natura sicciori, & non multo calore feruente, a quo in animum afficiendum spiritus ad mœrorem essent valdè idonei.

Hinc ipse a pueritia mœrori, & mæstitiæ fuit obnoxius, quare iam locus non est dicendi illis, qui quandoque putarunt ob nutritionem amplè factam sic corpus plenum extitisse, venarum modus, varium vitæ genus eis repugnat, quibus etiam nihil repugnantibus, omnino esset statuendum hũc habitum temperiem frigidiorem habere sibi causam; habitus enim etiam ascititius propriam sibi temperiem sequitur, & tamen notas contrarias a natura profectas non omnes occultat, pilorum enim, & venarum conditio a vitæ genere non solet immutari. Illustrissimi Viri frater quietissimum, vitę genus secutus habitum pallido colore, duritie & gracilitate affectum in optimum colorem, & carnis multitudinem mutauit, venis magnis, colore obscuro, & corpore hirsuto remanente. At caloris vehementioris nota ea esse videtur, quod iracundus a familiaribus cognoscatur. Iam dixi illam extra parietes non pertinere, subito quiescere, & nunquam in odium transire, sed dimittamus odium, quod potius siccitatis esset signum, de vehemẽtia dicamus, illa non excedit familiares, atque, vt excedat, non magis calorem sequi est necesse, quam corporis breuem staturam, nullus enim vestrum est, qui breuis staturæ homines, non vehementioris iræ cognouerit, tenax autem ira non est, neque in odiũ transit, quoniam cor humiditate abundat, & non ita retinet impressionem, fundi enim facilè potest, & impressionem amittere per solutionem. De cerebro, quoniam caput præcipuè afficitur, necessario vidẽdum est, calidum ab omnibus iudicatur, & abundantia destillationis sibi familiaris in humiditatem illius refertur. Calorem mutabilitas sententiarum sequi solet, quæ tanta in hoc viro non est, vt calor capitis possit esse vehementior, destillationes copiosæ in calorem referri non possunt, nisi is humori abundantissimo coniunctus sit, qui in hoc capite humor tam multus esse non potest, cum imagines ad memoriam satis retineat, atque adeo, vt a multis eius memoria celebretur, ingenio quidem pollet maximo, & acerrimo, cogitatione citissima vtitur. Vnde corpus cerebri, tenue penitus intelligitur, ceruicosus nõ est, sed vt oportet, sententiam immutat, quare destillationis abũdantia naturalis a frigore esse non potest, præcipuè cum non sit ita cruda, non ita longa, cum incidit.

Humorem ergo sequatur illa necesse est, nam siccitas recrementis semper est vacua, nisi frigori iuncta sit, vt etiam ipsa caliditas, nisi humiditati, cui humiditati saltem illud præstat, vt excrementa sint magis concocta. Excedat igitur aliquantum in hoc capite, vt ex conformatione vim caloris efficientis significante, vt ex nutritione vim eiusdem concoquentis monstrante, intelligitur, non tamen multum ratione, qua diximus: humiditatis notas certissimas habemus, non solum a destillatione semper, cum incidit, copiosissima, sed a somno longiori, a sensuum externorum aliqua hebetudine, in oculis quidem exiguâ, at in auribus maiori, & in altera præcipuè valde euidenti, quæ aurium hebetudo identidem solet increscere, nunquam tamen penitus discedit, & si plurimum imminuatur.

Humorem tamen hunc capitis copiosiorem non esse indicat memoria, & mediocre caluitium, neque sero adueniens, capillorum nigredo, demum ingenium. Calorem quoque non valdè excedere facit hominis grauitas summa, quæ non sine quadam tarditate existit, qua nunquam præceps, nunquam temerarius visitur, quod etiam calorem cordis postulat mitiorem. Oculi capitis dictam conditionem sequuntur, qui magni, & mobiles sunt, ob nutritionem, & spirituum copiam, & formantem caloris vim. Quomodo destillationes caput sic constitutum sint consecutæ, facile est videre. Siquidem calor humori coniunctus internus facilius ab externo calore feruet, capite cucurbitulam referente, quã si siccitati consociaret, & inde cum plus attrahat, quã sibi sit necesse, minusque ob humiditatem consumat, relinquitur, vt, quicquid caput non potest sibi applicate frigore præcipuè exterius succedente in firmius factum, nec valens copiam sustinere, quam prius patiebatur, illam tanquam sarcinam deponat, quam cum non possit ad exteriora iam constricta emittere, ad interna propellere cogitur, at nullo frigore sola caloris remissione recreatum comprimit eam abundantem materiam intus potius, quam ad cutem caloris remissione confirmatam, & inde destillationes existunt, quæ ob calorem magis concoctæ sunt, & magis breues.

Dicat

Dicat aliquis fœditatem à bile proficiſci. Hippoc. autoritate, at illa non opportunitatem corporis ſequitur, ſed febrium vim ab infernis partibus aſcendentē, vt Galenus illis in locis oſtendit, nec prohibet, quin à pituita vndecunque fluente poſſit exiſtere. At vnde vigiliæ, quæ longiſſimę ſæpius incidere, ſaltem ter aut quater, cum tamen integra videretur valetudine ſpatio cum maxime viginti dierum, etſi alias ſua natura ſomnos longiores habeat, non eſt obſcurum, quā facilè à ſanguine ſicciori melancholico vigilię producantur, qui ſanguis iecore ſic conſtituto vel à pueritia in hoc corpore abundauit, vigiliæ igitur illæ præter capitis naturam. ob iecoris vim, & ſanguinem ab eo in caput ſubmoſum extitere. Temperiei capitis ſic conſtitutæ, propoſitus faciei color ad ętatem inclinantem conſeruatus reſpondit valetudine integra, quod nunc vitiata non facit. Ventriculi ea ratio eſt, quæ cuique nota eſſe poteſt, ex oris humore, nō multa ſiti, non crebra, potione tamen, cum ſitierit, larga, ſic enim apertum eſt, quod tardius exſiccatur, atque ideo humidus eſt, quod pluri eget humore exſiccatus, vt in ſuam naturam reuertatur, vnde neceſſario humidior illa ſit, ſicciores enim ventriculi facilius ſqualorem ſubeunt, & crebtius, breuiori tamen potione in ſuum ſtatum ſe ſe recipiunt, cui ventriculi humiditati reſpondet, quod aluus illi ſolutior eſſe conſueuit, bilioſo quidem corpori aliquando commune inditium, hic tamen humidiori ventriculo tantum attribuendum, cum excrementa alui integro corpore non ita bilioſiora viderentur, calorem tamen fortem habuiſſe, non acrem, ſed tēperatum neceſſe eſt, quoniam aluo citò deſcendenti ſatis poterat reſpondere coctionis celeritate, alioquin aluus crudior ſemper fuiſſet, præterea cum ad vtrumque cibi genus æquè ſe haberet, tum craſſum, & mutatu difficile, tum tenue, & calidum, atque corruptibile neceſſariam moderationem caloris in eo fuiſſe eſt exiſtimandum.

Vnde in tam vario vitæ genere tam ſecunda vſus eſt valetudine, quod non feciſſet capite non ita firmo, ſi vētriculus calore, aut frigore fuiſſet infirmior. Oua quidem quandoque illi infeſta fuere, ſed hoc propria quadam ratione eueniebat, valetudo tuta eſſe non poteſt in eo corpore, cuius viſcera valdè ſunt diſſimilia, minus in hoc fuiſſet, cum à nullo cibi genere vnquā abhorruerit; vitaque non in laboribus conſtiterit, non in otio ſolo, ſed ſubito ab his ad otium, ab otio ſubito ad labores traduci conſueuerit, vnde fit etiam, vt, cum corpus tamdiu omnibus generibus contrariorum reſtiterit, neceſſario ad mediam temperiem accedat, in qua robur, & æqualis in omne contrarium contentio eſt poſita.

De partibus generationi deſtinatis, non ab re hic eſt conſiderandum, cum per eas præcipuè id mali eueniat, hæ humidiores, & calidiores in hoc corpore videntur, ſi rectè obſeruaui eas notas, quæ id demonſtrare conſueuere, in quibus eſt, ſi rectè memini, meatuū latitudo, & humoris abundantia poſita, quæ hic à nobis ſunt obſeruatæ, cui indicio reſpōdet ſumma ea facilitas, qua in putredinem earum partium, & ſeminis profluuium incidit. Naturam iam corporis propoſita videamus, quid vitijs illa ſubierit, quantumque à naturali ſtatu receſſerit, quid cauſæ ſubſit, & cuius remedijs ſcientiam ſubijciet.

Longitudo morbi, ſomnus, puſtulæ faciei duriores, conuulſio, ventriculi ſenſus frigidior, mœror, & alia huiuſmodi, humores craſſos ſubeſſe demonſtrant, Longitudo morbi apud. Hippocratem, & Galenum craſſos ſemper humores denotat, qui ferè frigidi eſſe conſueuere niſi calorem habuerint ex accidenti, vt in canceribus exulceratis videre eſt, quorum humor craſſus eſt quidem, calorem tamen retinet ex aduſtione, puſtulæ non ederentur niſi bilis cum pituita eſſet admiſta, aut calor aliquis eam illuc vſque tenuem redderet. Suppurarentur autem, & non eſſent duræ, ſi pituita eſſet tenuior, aut bili ipſa retineretur, aut pituita non refrigeſceret.

V Somnus naturalis quidem humore ferè producitur, aut ſola refrigeratione, cum verò naturæ obeſt, & arctè occupat præter naturæ rationem, ferè humorem cū frigore habet coniunctum, in quibus non poteſt non eſſe materiæ craſſities, conuulſio profectò, ſi facta conſiſtit, ea ex materia pituitoſa fit, nec genere diuerſa a neruorum ipſorum alimento, vt Galenus multis in locis declarat, quæ verò identidem fit, & quieſcit breuiſſimis ſpatijs, ea non ſolum a pituita, cerebrum obſtruēte fit, ſed aliquo ſæpè acri fumo principium neruorum irritāte excitatur, quamquam hæc quoque pituitam ad multam ſua agitatione poſſit incitare.

Hic nec videmus hanc conuulſionem initium facere ab oculis, & labijs, totaq; facie, ideo eam potius a fumo cum ſpiritibus in neruos a cerebri vi compulſo, quā B a cerebri commotione propter obſtructionem credere debemus. Verum, vt hac cauſa nerui ij pauci conuellātur, totum tamen corpus cerebro commoto hic poteſt conuelli, Et nos reſpicientes tamquam artifices ſenſati corpus pituitæ plenum, debemus hoc ſtatuere. Sic pituitam, quæ plurima per os inde fluit, eius eſſe cauſam admiſtam, vt poſſit per denſiora illa corpora traduci, dicam reuera id non eſſe neceſſarium, quoniam alimēto etiam pituitoſo ali non poſſent nerui, niſi illud per bilem extenuaretur. Num verò, quia ſimplices humores in corpore eſſe non poſſunt, in pituita quoq; aliquid bilis ſubſit, ſubtiliori egeret quæſtione, cuius hic locus non eſt, ſat eſt ſi exceſſus ipſe humori pituitoſo, & craſſo aſsignetur, & tantus, quam maximus pituitæ in corpore vlla in parte conceditur. Ventriculi conditio, qua C frigidus eſt, humorem pituitoſum ferè continet, frigidum ventriculum eſſe dicet Galenus illis verbis, quæ habet 8. de compoſitione medicamētorum ſecund. locos cap. 3. quæ totidem ſunt. Sufficiens autem ſignum frigidæ affectionis præter ægroti ipſius ſenſum eſt ſine ſiti eſſe. Eodem pertinet vehementiſsimum capitis frigus, & grauitas. At vnde fumus ille calidior per œſophagum aſcendens? vnde calor ille capitis ferè poſt frigus ſuccenſus, ſæpè a ſomno moleſtus? Vnde linguæ illæ ſalſedo, illa quaſi inflammatio cum vlcuſculis poſt illud comitiale ſymptoma præcipuè exorta? Quid verò miri eſt, ſi in corpore mediæ naturæ humoribus repleto cum craſsis abundantibus, aliquid calidioris inueniatur, præterquam quod non ſolum ex putredine vitioſorum humorum in corpore diu retentorum, qui D nunquam tales manent, quales prius eſſent, ac cum non poſsint in alimentum conuerti, nec verò putredinem concipiunt, & obſtructionibus craſsitiem humorum ſequentibus, ſed ex vitio luis calor neceſſariam habet originem. Vnde ſi calor capitis ſequatur ad frigus, apertè oſtenditur, obſtructio humorem frigidiorem conſecuta. *Si* ſomnum calor ſequitur idem ſignificat. *Si* ventriculus non benè concoquit, mirum non eſt aliquid genus cibi id putredinis interdum concipere ex longa mora in ventriculo habita, vt ex aluo adſtricta cognoſcimus, qua fumus per œſophagum efferatur, pręcipuè ſi quid humoris melācholici oblongam moram ea putredine incaleſcere contigerit, is enim ex Ariſtotele feruore concepto maximum calorem edere eſt idoneus, E & ſi ex Galeno tarde incendi poſsit ob craſsitiem, & frigus: melancholici humoris notas videamus, mœror præter naturam, & vitæ ſolitariæ ſtudium humoris melancholici notæ ſunt, & eius quod omni calore vacat, & minimè exuſtum eſt, nam exuſtus maniam potius ex Galeno tertio de locis affectis excitaret vi illius caloris, quem ad inſtar calicis, & cineris ex eius vſtione retineret, præterea niſi exuſtionem illam habeat, quæ lente admodum facta, & longo tempore nihil caloris relinquat, quod pilorum materiæ contingit, vt in ætatum mutatione, ea enim ſine calore humorem exſiccat, cuius generis hic exuſtionem eſſe non negarem.

At ſi primo eſſet exuſtus craſſus humor melancholicus, a quo maculæ toto corpore extitere? a quo naſus diu intumuit turpiſsimè? proculdubio cutem, & ſub-

iectam ei carnem exulceraſſet, calore enim diſſoluit,& conſumit, craſſitie autem ſubſiſtit, &, dum moratur, tempus habet ad exedendum, & vim ſuam imprimendam,ac quo craſſior eſſet,eo interiores, & altiores partes conſumeret,quæ ipſum non poſſent extrudere craſſitie reſiſtentem, vnde vel oſſa ipſa id periculi non vitaſſent,nam mora,quo longior eſt, eò magis acrem reddit humorem,cum malus humor in corpore non poſſit idē manere,qui è venis fuit eiectus: fuere ab hinc triennium duo ad ſummum vlcera, quæ putredinem bilioſi humoris potius,quam alterius ſignificabāt,reliquis omnibus, quæ in toto corpore erant, nihil;huiuſmodi habentibus,nam maculæ rubræ ſine cutis eroſione erant, vt poſtea fuere etiam nigriores, oculi rubor vel ipſam pupillam occupans caruit dolore.

Quare humor omni exuſtione illa, quæ calorem relinquit, penitus vacare intelligitur, vt craſſitiei humorum,non calor,ſed frigus inhærere intelligatur. Quibus in locis verò dicta pituita,& melancholia fiat, relinquitur conſiderandum, pituita aperte in ventriculo habet occaſionem,etſi in caput ſubmota ſomnos, grauitates, & conuulſiones pepererit. In capite enim ſuam originē non habere illud mihi videtur eſſe certiſſimum argumentum, quod offenſæ capitis continuæ non ſint, ab hinc tres dies ſine dolore, ſine eo graui ſomno, & ſine frigore illud eſt,præterea, cum caput illis male habebat malis,tunc ventriculus quoque ſupradictis occupabatur,ventriculo ab illis leuato, capitis quoque quieuere, quod ventriculum affectum,ſecum caput afficere indicio eſt, caput verò ſeipſum nihil mali procreare. Melancholiæ ſedes,quæ mœrorem ob capitis affectum mouet in capite quoque ipſa non eſt,tum quoniam eius ibi generandæ nulla opportunitas, cum cerebrum ſua natura humidum ſit, tum autem quoniam mæſticia longa habet interualla,quibus quieſcat: ergo neque in toto corpore ei humori occaſio fuerit quoniam infirmum caput à toto corpore eo humore referto, nullo ſpatio ſeſe poſſet tueri. Reſtant igitur viſcera melancholico humori generādo,ſeu colligēdo idonea. Iecur,& meſaraicæ eum humorem ſolent generare, illud ſua intemperie, hæ autem quadam ſua inflammatione ſatis obſcura. Lien verò ad huius humoris congeſtionem facere ſolet,præcipuè cum eſt imbecillum, nec ſatis poteſt eum conſumere,aut attrahere.

Hoc in corpore meſaraicas nō accuſamus, quoniam in ventriculo non videmus quæ ad dictam earum affectionem ſequi conſueuere, non lienem, cum magnum illum non ſentiamus. Reſtat ergo iecoris culpa,quæ qualis nam ſit, quamquam habeat cauſam, quærenda eſt, & ſimul ventriculi offenſæ origo inueſtiganda.

Doctiſſimi Viri, cum video iecur, & totum corpus ſic affectum. vrinis eoſdem craſſos humores ſignificantibus,tenuitate,albedine,& ſpuma, cum nullam aliam cauſam poſſim cogitare,qua integerrimum,& valentiſſimum corpus tam ſit à ſua natura mutatū, vt quamuis carnem multum,non tamē vires, non colorem receperit, vnde πολύσαρκον potius quam ἄσαρκον pondus ferè ſentit ſic enim fit, eum quā idem graue ſibi non ſit quando idem non eſt, neque æquale eſt incrementum oneris,& ferentis,ſed illud maius, ſic pondus ſentietur, & non eſt caro illa idonea ad ſe ſe ferendū,quoniam caro aliena eſt,quæ eget alio ferente: præterea, cum tā curationibus omnibus reſiſtat, purgationibus crebro admodum repetitis eius malum non cedat, neceſſario in eā ſententiam deſcendo,quod vitium adhuc illud inhęreat,à quo abhinc triēniū corpus fuit à natura ſua tranſmutatum,pręterquam quod notæ hæ eius vitij fere ſunt familiares, & proceſſus omnis talis eſt obſeruatus in hoc corpore, qualis illius vitij eſſe ſolet ſiquidē ſyphilis primis temporibus tenuiores humores mouet, & calidiores affectus efficit,ſpatio accedēte illis diſcuſſis ſqualorem quendam inducit,& in craſſioribus inhęret,quos notis proprijs demonſtrauimus. Ergo natura huius luis reſtat contēplanda. Illa à maioribus medicis tanquam

A occulta relicta eſt,à me tñ in tam graui caſu non eſt prętereūda,vt,ſi quidquā auxilij ex eius diſputatione deduci poſſit,id nos omnino non fugiat, nam difficilima in re verſamur,& perſonæ digniſſimæ cauſam tractamus, pro qua nullum tempus,nullum laborem debemus prætermittere. Syphilis id habet cū quibuſdam alijs morbis commune,quod contagio communicatur, multa ſunt morborum genera,quibus hoc conueniat: ſyphilis hoc à plurimis differt,quod ad cor per ſe nō videtur pertinere ſub eaque vitam non niſi per accidens periclitari. Vnde,cum plurimi morbi contagio hominem excipientes interimant,qua cor adeunt,ſyphilis id nunquā facit,niſi ex accidenti humore aliquo à ſe genito, aliquod officium neceſſarium vitæ impediente, quare ad humores potius,& ad iecur pertinebit,vt ſcabiei genera lepræ,&
B ipſa elephantiaſis,cum illis ergo hoc habet commune, vt remediorum ratio ipſa quoque oſtendit. Elephantiaſis ſicco humore conſiſtit,ſicciſſimis tamen diſcutientibus remedijs ſoluitur,ſcilicet quoniā non ſolidas corporis partes occupat,in quibus inhæreat, ſed per humores eas tantum afficiat. Syphilis quoque quandoque ſolis purgationibus humorum curatur per aluū factis,quandoque per ſudorem,ſiue ſuffumigijs,ſiue potionibus excitatum,quandoque per ſputa pręter dictas purgationes vnctionibus hydrargiri,vel ſuffumigijs id efficientibus, quandoque ſolis exercitationibus,vt in multis eſt obſeruatum vehementioribus,& diuturnis nulla alia ope adhibita, qua ſolidæ corporis partes aut curentur, aut recreentur. Ergo ad humores in venis, & carnibus ſubſiſtentes hoc vitium pertinet,in illiſque conſiſtit. Vnde in
C hoc ab elephantiaſi,& à ſcabie, & lepra hac ratione nō videtur differre,differt autem ab illis,quoniam,vt illa viſcera,& eorum venas,& carnes tantum videntur attingere,corde vno præterito,ſic ſyphilis & dicta viſcera,& cerebrum ipſum ſaltem per illius venas attingit. Vnde omne genus affectuum videtur poſſe procreare,cū præter cor cæteras omnes partes præcipuas cōtaminet. Cuius rei cauſam exiſtimaui in eo eſſe poſitam, quòd contagium id primo recrementum vltimi, atque vtilis alimenti vitiat,& hoc in omnibus membris eſt ex eorum nutritione, Quæ res facit,vt etiam fere per pudenda,cōpræhendatur,cum quibus illud recrementum habet cōſortium. Quid illud modo ſit,quod contagio morbum de corpore in corpus traducat,a multis eſt diſputatum, nec a nobis nunc quærendum,in eo id nobis eſt obſer-
D uandum,quod poteſt noſtrum conſilium dirigere in curatione, quidnam habeat opportunitatis,vt a corpore amoueatur,cum ſit in humoribus poſitū,neque naturā viſcerum violet,propterea diſcutientibus,& purgantib. corpus tollitur,propterea iecore non contaminata reliquæ corporis partes poſſunt vim nutricem retinere,vnde multa inueniūtur corpora hoc morbo oppreſſa,multū tamen nutrita,in quibus humoris vitium,aut ad articulos amandatur, aut ad aliam certam partem,aut per vlcus aliquid excernitur. Vbi inſcientiſſimi aliqui non ſunt veriti facere in ſubſtantia contrarietatem, & ponere hunc morbum in ſubſtantia iecoris,qui neq; in conſtitutione iecoris ſit. Siquidem iecore ſecundum proprium corpus vitiato, nulla corporis pars vim altricem
E valentem haberet, qui verò humor vitioſus ſua vligine maximè mēbranis adhæreſcit. Ergo diſcutientibus, & repurgantibus humores ipſos malum ſoluitur, qm̄ eſt humor malignus halituoſa forma per corpus vniuerſū fuſus, ſanguinem, & ſanguinis potiſſimùm alibilis recrementum contaminans ſecundum illius partes inferiores,quas in ſuum vitium conuertit,hoc eſt, putridū, & lentore maximo præditum, quo in meatibus facillimè hæreat,vbi dum ſpatio tabeſcit,& ſqualet,humores ſemper craſſiores reddit, & magis melācholicos, quod proceſſui in hoc morbo obſeruato reſpondet,vnde auxilia huius mali,aut violenter expurgant,aut valdè ſunt ſudorifera, in quibus ea ſunt valentiora, quæ maximè abſtergunt,& incidunt, quare guaiacum cognoſcitur.

Contra a frigidis peius malum fit, & magis infigitur

hic

hic prætereo tanquam superuacuum dicere, quàm hæc morbi natura sic constituit a morbis ad illum consequẽtibus respondeat vt hoc, vel illud viscus magis obtinet; vnde bubones non solum in inguinibus, sed etiam sub alis existant, & gonorrhæa, vt testes, & partes spermaticæ affectæ magis sunt, atque ab vniuerso venarum ambitu demissam materiam recipere sua imbecillitate coguntur, sic capite infirmo huic lui recipiendæ obiecto inde fiant ad periostia, ad neruos fluxiones, & mille tædia. Verum in hoc corpore nobis proposito caput infirmitate cogitur halitus multos recipere, qui cum necessario naturam humoris referant, vnde ipsi attolluntur, amisso calore attollẽte, partim in pituitam redeunt, partim melancholicum succum referunt, vnde somni praui, vigiliæ molestæ, frigora, ad quæ propter obstructiones, & moram vitio huius luis ad id oportuno calores sequuntur, inde mœrores, & amor solitudinis, & omnes animi exacerbationes, capitis dolores in dextra præcipue parte, vt calidiori, halitibus melancholicis magis apetra, atque eorum officinæ obiecta, non impedita interea corporis nutritione.

Eadem morbi natura iam subiicit nobis cognitionem auxiliorum, illa hæret lentore suo, tanquam quidã situs, & vligo, est inde exturbanda repurgãtibus, abstergentibus, & uehementer discutientibus auxiliis, in quibus, cúm potentissimum guaiacum obseruemus, nullũ remedium uidebitur illi anteponendum.

Verum, cum frustra datum sit multoties, videtur quęrendum, num illius vires colligendæ sint maiores minori aquæ copiæ incoquendo, num aliquid aliud illi sit adiungendum, a quo fiat valentius, quidam herbas calidiores, & alij vinum adiungunt, num tenuius faciendum per destillationem, vt citam magis habeat penetrationem, num tandem illi quærenda sit efficacia a tempore, & longiori spatio, quam antea tribuendo. Non dubito ego viri doctissimi, guaiacum egere alterius auxilio, cum sit præstantissimum, vt omnium nationum, & omnium seculorum testimonio est comprobatum, incidit valentissimè, abstergit non minus, & leui adstrictione ad penetrandum est maxime idoneum per internos pręcipue meatus, neque eget meo iudicio destillatione, præcipue, quoniam per illam omnino abstersione, & adstrictione priuaretur, destillationumque alias vires acuit, alias detrahit, minus aliquo alio admiscendo eget, nisi quandoque vino egeat, cum nerui, & articuli citum eius aduentum requirunt, alioquin alieno eo vtitur, quæ necessitas non est in hoc corpore, restat potius, vt ei uires augeamus aut temporis spatio, aut coquendi modo. Tẽporis spatium ego anteponerem, sic enim neque natura acrius affligeretur, neque morbus tempore non vinceretur, si enim quadraginta diebus acceptum malum fere superauerit, cur aliis diebus adiectis id non penitus faciet?

Verum dicat aliquis, corpus nimirum exsiccabitur, & calefiet. Viri præstantissimi uobis non est obscurum, quam facile morbis deletis naturę uires restauret, & corpus renutriat. Hic vires viscerum firmantur, vnde facillime cibis idoneis corpus carnes resumet præterquam quod fere omnes medici memoria digni, qui aut de guaiaco scripsere, aut de illius natura tradidere, omni assertione affirmant, guaiacum non exsiccare solidas corporis partes, quin ab illo potius nutriantur, præcipue viscerum carnes, neque vero vos non estis experti, quam tuto guaiaci potiones summa cum abstinentia siccissima, & calidissima corpora accipiant, nam certe nos illud quotidie experimur.

Cuius abstinentiæ instituendæ ratio a melioribus medicis in ipsam nutriendi vim guaiaci refertur, quæ cibi alio copiosiori non egeat, minus uero id verendum est in hoc corpore, in quo humores crassi proprie quidem abundant, & plurima pituita, neque est, vt quis mihi respondeat ob id necessario non colligi intemperiem calidam abesse, quia crudi humores, & pituitæ possunt defectum copiæ caloris naturalis sequi, qui defectus acri

A qualitati, & calidissimæ intemperiei sæpe adiungitur.

Ego enim non uideo quomodo crudi humores, & pituita ab intemperie calida possint existere, possunt quidem crudi ab ea esse humores cruditate illa fumosa exusta, & corrupta, quamuis enim copia desit (nisi in corpore ad interitum tendente) vincit tamen qualitas, quæ, cũ nimia est, valde colliquat, & vel fluxiones alui, vel vrinarum copiam, uel sudores mouet, vel hydropẽ facit, quod nomine ἀναστοιχειώσεως a Galeno appellabatur, & in febribus malignis sæpe videmus, aut exurit, sub qua exustione quid fiat habemus a Galeno quinto de locis affectis cap. 7. venis enim mesenterii secum affectis iecur humoribus in biliosos, & putridos mutatis profluuia alui excitat, moderatior uero intemperies calida non potest aluum humorem, quam calidum procreare qualitate B sic naturaliter agente, & defectum copiæ superante. Quare huius corporis conditio remedium propositum necessarium non recusat.

At alias guaiacum siccitatem induxit. Vtinam induxisset, nam ante alienum humorem, quam utilem naturæ discussisset, & corpus integrum cito carnes optimas refecisset. Galenus uel breui eis tempore restituit carnes qui adeo essent confecti, adeo languerent, vt vix quatuor lactis uncias possent concoquere, corporis partes ita sunt comparatæ, vt proprios humores retineant, nedum attrahant, alienos medicamentis permittant, propriis deficientis humoribus, ita inter se partes sunt affiectæ, vt infirmiores præstantioribus succum necessarium permittant, valentioribus semper magis attrahentibus, vnde cutis omnium imbecillima prima est in his euen- C tubus, quæ proprio succo priuatur, & fit squalida penitus, antequam uiscera tabescant, ut optime Galenus lib. de tabe est contemplatus.

At nostrum corpus nunquam tute aridũ fuit, nunquã non mollissimum, nũquam tam ex carne, quin cum eo statu tutiorẽ uitam ageret, semper optime concoxit, nũquam plus iusto sitiuit, nunquam aluus suppressa est, & corpus satis ualens fuit, non solum ab acceptis potionibus, cum cibo ampliori uteretur, sed etiam sub illis, cum & ualde abstineret, & copiosissime sudaret. Cum uero aliquo tempore benè habuisset, & iam in eadem symptomata recideret, capitis, & totius corporis grauitatẽ, surditatem, artuum dolores, & uigilias, tunc animo ægerrime se habente male nutriri incipiunt.

At laborauit quodam mense febricula, illa quoqꝫ D ad reliqua symptomata successit, fere tertio mense post guaiaci potiones, cuius febriculæ initium sub noctem fiebat cum frigore, mane uero quiescebat, ut medici pro fessione maximi illam in destillationem retulerunt frigore illius a ceruice initium faciente, tantum uero abfuit ut corpus tenuius existimarint, quod illi potius curationem illam siccantissimam instituerint cum guaiaco, cum eius cortice, sexcupla tantum ratione aquæ decoctis, non uereamur ergo guaiacum mediocri modo, ut fieri solet, exhibere, illique uires adiungere spatii accessione, nam, si a piopinquis exemplum velimus accipere, & fiduciam nobis comparare, frater illius, corpore longe calidiori per multos annos utilissime bis quotannis accepit maximis totius Italiæ medicis authoribus, unde integerrima ualetudine fruebatur, cogimur medi- E ci doctissimi a morbo, longe magis cogimur a sæuissimo symptomate, quod a frigido & crasso humore proficiscitur authore Galeno sexto aphorismor. 47. & quinto Aphorismo. 7. & omnibus in locis, ubi loquitur de conuulsione cuius remedium singulare esse statuit siccitatem, uel ab arte, uel a natura per ætatem inducta sit. Verum cum tanto spatio guaiacum dandum sit, ut efficiat opus, quod quærimus esset ne potius aliquo spatio danda china?

Certe ea posset minori cum abstinentia, minorique calefactione per sudores expurgari, atque sic comparatum purgatione omnis generis, & reliquiis humorum ab vsu chinæ extenuatis, a guaiaco postea exciperetur, & facilius, breuiorique spatio a potionibus guaiaci posset

set restitui, expurgandis per sudorem reliquijs humorũ a china extenuatis, nam alioquin solus chinæ vsus mihi non satis facit, quem neque puto necessarium, nisi vt corpus paret, & temporis longinquitatem, & abstinentiæ molestiam imminuat. Vt moueat enim ampliorem sudorem china non sequitur eam magis huius mali semina abstergere, cum nulla abstergendi vi sit prædita, vbi quæso ne derogetis fidem gustui, nam abstersio penitus tactu, & gustu est iudicanda copia sudoris materiam habet sanguinis serum, quod cum exit secum educit vitiosos humores ad exeundum paratos, at huius luis vitium, cũ hæreat sudorem non sequitur, nisi vehementem abstergenda vim habuerit medicamentum.

Quare sudorem mouentia serum a sanguine segregant, sanguinem crassiorem relinquunt, vt docet Galenus ac nisi vitium abstergant peiorem conditionẽ corpori parant, nam lues crassum sanguinem in sui naturã conuertens summam pertinaciam huic malo acquirit, ergo cum chinæ potionibus crassorum humorum expurgatio coniungenda est per medicamenta aluum mouentia inter potiones intermittẽda, & coniungenda est guaiaci vis hoc modo finitis chinæ potionibus, ductaque aluo abundanter potiones guaiaci subiiciantur sua abstinentia sumendæ. Aqua, vt dixi, nihil metuendum iudico, & eius summa subest, necessitas in morbo, qui non minus quam elephantiasis est discutiendus, vel calidissimis auxiliis, si esset opus, inflammatio iecoris, & ipsa per absinthium, & per alia calidiora illam consumẽtia curari vult.

Restat, vt de modo, & tempore huius curationis præcipiendæ loquamur. Tempus id deligendum, quod aliquanto sit calidius, tum sic ratione sudoris postulante, tum nihil repugnante in ipso homine, nam cum æstiuis diebus alias acciperet has potiones, summa etiam cũ abstinentia facillime abundantissimos, sudores ferebat, & hoc vsu veniet commodissimo, cum tempus, quod inter cedit, sit Ver quo corpus erit ad eas potiones comparandum, siquidẽ modus sic est instituendus, vt corpus quã maxime potest a crassis humoribus liberetur, quibus omnium vacuum esse debet, cum potionibus vti oportebit, a quibus neque subito, neque breui poterit liberari, sed paulatim, & repetitis omnibus modis, uena incidenda sanguini tantummodo crasso detrahendo, alioquin supprimenda detractio non semel, sed iterato, & per epicrasim facienda, locus incidendæ venæ ad lienẽ spectaret, nã iecori quoque id attinebit, a quo primo venę ex Galeno oriuntur, cui primo cura sub hoc malo est tribuenda, lien uero in hoc corpore ob humores melancholicos non negligendum, hæmorroides quidem lieni capiti, vna & iecori prodessent, si a natura tumẽtes mariscæ aperirentur, aut hirudinibus aut aliquo alio instrumento.

At vel non tumentes, vel arte tantum euocatæ parũ, euocatæ parum profuturæ mihi uiderentur, quoniam &, tenuior sanguis ad alimentum intestinorum demissus elicitur, natura malum sanguinem, & crassum non prorudente, & cum aliquo periculo autoritate Galeni hæmorroides aperiuntur, vt in commentariis aphorismorum habetur. At abhorret a sanguinis missione, illam valde metuit, prætermittatur quidem, sed iteratio medicamentorum purgantium sufficiatur, interea & mediis temporibus inter purgantia medicamenta, aut inter venæ sectiones, si sint faciendæ, illa sunt exhibenda, quibus humores extenuentur, incidantur, atque abradantur, ordinibus sic constitutis, ut ab imbecillioribus incipiamus.

Primus ordo sit ex syrupo de succo cicoreæ, de succo borraginis, & oximelite, quæ diluantur aqua, in qua incocta sit cicorea betonica, borrago, fumus terræ, & similia. Hunc ordinem excipiat medicamentum ex confectione hamech, ad vnciam mediam, diacatolicon ℥. 6. rhabarbari ℈. 4. quæ soluantur aqua, in qua cocta sit agaricus ad ℥. 1. epithymum, polypodium ad ℥. 3. sena ad ℥. 1. cum floribus cordialibus, aniso cinamomo, &

A similibus, alter ordo habeat syrupos de epithymo Mesue, de fumo terra composito de pomis Regis Sabor vel oxymel compositum, qui soluatur aqua, in quo incocta sint, epithymum sena, fumus terræ, stœchas, lupuli, & similia, quem ordinem excipient pillulæ sine quibus, aut aggregaturæ cum cochiis, adiecto succo ellebori in aqua macerati, atque expressi, qui succus tutissimus est, et ad ℈. 1. imponitur utiliter, dummodo elleborus sub diebus canicularibus auellatur, sunt præterea illæ, potiones quæ a Rasi in antiquis capitis doloribus melancholicis humoribus proponuntur a Montano in hunc usum reuocatæ, & a nostri seculi medicis fere omnibus receptę, in quibus ueratrum incoquitur, & vt opus fuerit modũ illius possumus augere, nec inutiliter dragmæ modus meo iudicio adhiberetur, quod in hoc corpore alias expertus sum. Theriacæ vsus sub his purgationibus apprime mihi videretur idoneus, & mytridathi sub sudoribus, quos mouere solet præterii alui illam solutionem, quæ solet omnibus potionibus anteponi, vt uentriculus ab omni humorum lentoris liberetur impedimento, & potionibus vtilius vti possit, quoniam id nulli medico ignotum est.

Corpore exacte admodum expurgato, & sudoribus tuto vtendis comparato, scilicet ab omnibus crassis humoribus libero, qui alioquin sudoribus mouendis magis cogerentur tunc possunt potiones chinæ exhiberi spatio ad summum viginti dierum mediocri viuẽdi modo, vt ratio medicamenti postulat. Ab his guajaci potiones modo iam recepto, & vsitatissimo, vt quælibet vncia ligni in aquæ libra ad summum incoquatur, corticem dimitterem, quoniam uim potius exsiccandi, quã abstergendi habet quærentibus nobis potius abstersionem, quam exsiccationem aliquam coctio ad tertias, ad dimidiam fieret, bis quotidie acciperet mane ad vncias. 9. vesperi. 7. darentur, sudores, etsi non multa vi, aliqua tamen arte mouerentur, capite non onerato, corpore tamen uestimento plurimo obtecto, ubi non multa opus erit diligentia, quoniam facillimum est hoc corpus ad sudores. Sub his potionibus quadraginta dies maneret, in quibus quater, aut quinquies aliquòd medicamentum accipiat, quo si quod crassi, & concreti in corpore ex sudoribus substiterit, illud totum per aluum demittatur extremis in potionibus, si renes aliquid incommodi accepisse videbuntur, vellem incoquerentur myrobalani aliquanta portione, a quibus uiæ in caput ipsæ quoque laxitatem amitterent.

Sub his guaiaci potionibus uictus esset ex amygdalis potissimum abstergendo dicto lentori ualde idoneis ex pane bene cocto, ne lentorem afferret, non tamen multum torrido, ne melancholicum succum gigneret. Si caput proprium aliquod auxilium postulauerit, quod certe futurum non credo, cum ab vniuerso corpore, & a iecore afficiatur, non desunt, quæ proprie a b ipso pituitã detrahant. Dico pituitam, quoniam sub auctore Galeno cerebri excrementa alterius naturæ esse facile non possunt. Iu nares succi ex vna gallide, ex herba urceolari, seu murali dicta, ex beta, &, quod valentius: ex ciclamine, & huiusmodi aliis immitti possunt, Pulueres multi sunt, vobis non ignori, ex pipere, elleboro, staphis agria, iride, amaraco, & huiusmodi alijs, ijdem pulueres melle collecti, & naribus, aut palato adacti pituitam solent detrahere, solẽt idem facere gargarismata, quę nulli ignora sunt.

Finitis potionibus, & curatione omni paulatim ab ea sũma abstinentia ad vsitatam viuendi rationem erit reducendus, non solum quod ad cibum pertinet, sed in reliquis omnibus vt cœlo paulatim aperto consuescat, & ad exercitia paulatim se referat, quæ demum, & assidua, & uehementia illi erunt vtilia. Reliquo tempore non subito medicamentorum consuetudinem dimittat, sed bis in anno saltem purgationibus corporis utatur, clysteribus autem bis in mense aluum ducat, natura enim assiduis auxiliis uti consueuit, & negligẽtior facta, & auxilia expectans, si illis priuaretur, humores multos

multos congereret, & corpus periclitaretur. De Venere A præceptum illis permitto, qui norunt, an vti illa consueuerit, certè quidem inclinante iam æstate, capiteque infirmo vel solitus veneris vsus, nisi minueretur, esset inutilis. Sed forte fui nimius, cum illius cura sapientissimis Medicis sit demandata.

De timore, quo multi deterrentur, ne corporibus calidioribus guaiacum abstinentia dent.

CONSVLTATIO CCCLXVII.

ILlustrissimus & Excellentissimus Dux, qui tota sua B ætate à principio ad vsque senectutem, etiam antequam in morbum vllum incideret, semper pallido colore in luteum vergente fuit, pilis penitus nigris, & totũ corpus occupãtibus, admodum duris, cum in morbum articularem incidisset florenti ætate ea, curatione conualuit, eademque tanquam præseruatione valetudinem tutatus est; qua bis quoque anno potiones guaiaci sumeret, in id exemplum. ℞. Ligni guaiaci in scobem redacti ℥.6. cortic. myrobalanor. chebul. ℥. 1. Aquæ communis lib.6. Fiat infusio per 24. horas, & deinde decoctio ad consumptionem dimidij, quæ coletur cum expressione, & seruetur pro syrupo.

℞. Suprascripti syrupi ℥.6. Mellis rosacei ℥.1.s. Misce pro syrupo.

℞. Reliquias suprascriptæ expressionis. ℥. 6. guaiaci C scobum non decoctarum ℥.1. Aq. cisternæ lib.12. Fiat decoctio ad consumptionem quartæ partis, quæ coletur cum expressione pro potione.

Alias.

℞. guaiaci ℥.6. corticum eiusdem ℥. 1. s. cort. myrobalanor. chebulor. ℥.1. Aquæ communis lib.8. f. &c.

℞. suprascriptæ colaturæ. ℥.6. mellis rosacei. syr. de pomis an. ℥.1. Misce pro syrupo.

Cum vtroque genere suprascriptorum syruporũ per interualla miscebantur, ipse syr. rosaceus solutiuus cum elect. rosaceo Mesues; aut etiã diaphænicon, cum elect. rosaceo m. & syr. rosaceo solutiuo.

Tempora harum potionum multa, & crebra fuere D nimirum suprapofita. Anno 1555. Martij 10. Nouemb. 20. 1556. Ianuarij 31. Octob. 15. 1557. Aprilis 8. 1558. Iunij 1559. Feb. dieb. 42. Octob. dieb. 40. 1560. Martij diebus 42. Septembris 13. 1561. Octobris 42. 1562. Februarij diebus 43. Octobris 41. 1563. Februarij 21. Octobris 31. 1564. Februar. 40. Octobris 33. 1565. Martij 31. Octobris 32. Quoque itaque anno vsq; ad 1574. bis accipiebat, & ita vix podagram paucis diebus semel tertio aut quarto quoque anno sentiebat, cum prioribus temporibus totis articulis laborasset. Postremis quidem annis decoquebatur guaiacum ex iure pulli, & ad 12. tantũ dies semel in die sumebat sine vlla abstinẽtia.

Ex quo videre quisque possit, quàm non exsiccet humidum natiuum hoc ligni genus, quamquam alienum consumat, is enim vir ætate sua annum 60. attingente E erat coloratior, candidior, carnosior, quam vllus alius optimæ temperiei. Itaque metus tandem ligni huius exhibẽdi summa etiam cum abstinentia vel aridis corporibus abijciatur. Nam ego etiam eos, qui tabescere admodum viderentur ex morbo gallico his potionibus curaui. Podagræ autem, cum inclinaret, per lotiones pedũ cura erat, factis ex lixiuio, cui incocta essent rosarum rubearum, betonicæ, iuæ, sambuci an. M. 1. Nuces cupressi. Num. 5. Laudani ℥. 2. myrtillor. M. 2.

Vel ex vino nigro rosat. rub. M. 3. nuces cupressi. Num. 7. aluminis rochæ ℥. 2. &c.

De morbo gallico.

CONSVLTATIO CCCLXVIII.

DEliberatio superioribus diebus facta, & quinque magnorum Medicorum consensione confirmata videbitur à vobis i rerum digressis illis magnis Medicis in dubium reuocari, cum rursus nouum Medicum consulere cogitaueritis. Quæ res fortè mihi perplaceret, si intelligerem in hoc petendo noui hominis consilio nihil prætermissum fuisse, quod ad explicandam nostræ deliberationis causam esset necessarium.

At enim primum verendum est, ne quod quinque Medicorum labore summo fuit diu, multumque disputatum, & subtiliter admodũ disceptatum, id vnius medici etiam perturbati, propriæque gloriæ cupiditate nimium affecti memoria post longum interuallum temporis ad hominem nouum referre perfectè potuerit, &, quod difficillimum perceptu fuit tribus conuentibus, & longis sermonibus agitatũ illis hominibus, qui ægrotum diu tractarant, ne id breuis scriptura homini absenti ostenderit. Certissimum quidem est quod multa in hoc rerum faciendarum genere scitu quidem necessaria scripturis explicari nequeunt, præsertim cum de virium modo, quo tum morbus, tum remedia, tum natura corporis metienda sunt, agatur, quæ omnino oculis, manuque medici sunt cognoscenda.

Quod facit, vt satis mirari non possim quomodo inciderit i animum alicui, velle in rebus iam definitis per eos, qui diu interfuerunt, si quid dubij inciderit, id posse ab eo definiri, qui a notitia harum rerum plurimum remotus sit, & ab ægro longè absit, cur verò in omnibus standum sit illius relationi, quem neque tantum memoria pollere, neque pure ad rem loqui certe verisimile sit, ne dum, quæ verbis explicari non possunt, in alterius notitiam adducere queat.

Sic itaque de hoc statuo, vt, si quid interciderit dubitationis, id iudicio omnium qui interfuerunt examinetur, & conscribatur, vnde ratio iudicij ei, qui postremus rogandus suam sententiam est, explicata sensu omnium existat. Hoc communiter à me dictum volo. Propriè autem de consilio seri caprini, aut vaccini exhibendi, dicam, quod Medicus vitare deberet ea omnia, quę ægrotum sine necessitate onerent, longe magis, quando ea aut leue, aut nullum auxilium idoneis remedijs sunt allatura, maxime verò cum etiam perturbationem ordinis bonorum remediorum minantur. Instituta curatio ad morbum ipsum dirigebatur, quo sublato casus omnes abfuturos esse est necesse. Vnde nam quæso iam id dubitationis incessit, nec sublato morbo, & omni causa casuum propriorum vis etiam mansura sit? quæ vt mansura sit, quod est præter omnem naturæ rerum rationem, quo pacto casubus prius occurri oportere, quã causis, & morbo, cadere in animum cuiusque potest? Iam hic casus nullus est, qui causæ ratione premat, vt non solum nõ oporteat, sed ne liceat quidem prius eius rationem habere.

Atque vt iam casus eiusmodi sit, serum tam longè abest, vt metum hunc nostrum tollat, quod ipsum nihil forsan illo magis augeat, capiti namq; vnde metus est, serum omnino inutile est, quamuis etiam purgatissimũ exhibeatur. Causam verò non nisi debiliter admodũ, & sero nimis potest attingere. Ventriculum enim tantummodo detergit, & primas venas, nisi qua parte sui renes percurrit, at hic venæ remotiores vel ipsius capitis sunt purgandæ, quibus per fortiora purgatis, venæ priores quoque suam sortitæ erant integram purgationem. Ac si contra omnem naturæ rationem aliqua occupatio in proximis venis, & ventriculo reliqua fiat humoris nimirũ glutinosi, ea postea a potionibus iam dicteris detrahetur. China namque primum incidet eos, & leniter absterget, postea guaiacum id præstabit valentissimè.

Affertis maximum argumentum, quod ferum maxime facit ad ea extinguenda, quæ in cute efflorescũt. Scilicet uero illa nobis potissimum spectãda sunt, quæ sublato interno morbo prorsus nulla futura sunt. s. his ferum resistet, cum eorum causæ non occurrat, etenim morbis cutaneis ferum idoneum est, quoniam iecur a salsis humoribus abluendo liberat, hic ablutio ea nihil pene factura est, ubi hærentem humorem & uim malã eo humore agglutinatam habemus, quæ res valenter incidentia, & maxime abradentia remedia postulat, & ea, quæ proprie ei generi uitij attemperate nata sunt extinguendo, vt guaiacum longa experientia deprensum est, qua non extincta nihil penitus factum erit ipsis cutaneis affectibus, ea vi mala sustentatis.

Quid ergo corpus hoc tam longo tædio, feri capiendi tenendum, quod aliis medicamentis e malo expediri maiori fructu laborum suorum potest, & ad recipienda proprij mali remedia parari. Certe ęquis remedijs agendum est, neque debiliora deligenda, nisi cum virium imbecillitate prohibemur, qua causa etiam ferũ ab Aetio proponitur, nimirum vbi ventriculus in longis febribus valentiora purgantia non patitur. In summa neque fuit necessarium, neque alicuius commodi ferum, cum alia proposita longe potiora longis disputationum ostensionibus fuerint comprobata.

De Gallico.

CONSVLTATIO CCCLXIX.

Hac ego epistola ternis vestris literis respondebo, cum negotijs admodum distinear. Non arbitror inter nos discordiam de temperamento fuisse, nã, quod ad pilos attinet, ob ipsam de eis obseruationum inconstantem rationem, Galeno non multum fidei adhibebatur, potius albedinem, carniumque copiam, & mollitiem respiciebamus, nam collatum corpus cum temperatissimo, nunquam gracile fuit, neque magnas venas habet, imo non multi inueniuntur, qui eas minores habeant. Aristotelem malim in ratione pilorum sequi. De purgatione corporis nolim nos fidere leui medicamento, nam corpus plenius, est, quam eo satis possit expurgari, plenum etiam caput est, vt inter cætera tremor manuum ostendit.

Casus porro illius speciem velim mihi describi. In purgatione non tam pituitam respiciatis, quam melancholicum humorem, nam pituita non omnis censu recrementi habetur, neque naturæ tam contraria est, ut ille humor. Veratrum itaq; in animo habeatis, neque vereamini illius vim, quoniam ipse iam expertus est summa cum tolerantia. In apertione hæmorrhoidum videte, ne pulcher sanguis emittatur, quoniam eo nos opus habemus, solet uero sæpe pulcherrimus per eas exire, cũ natura eo seipsa non impellit. Sed hæc credo per uos iã fuisse animaduersa.

De fero si videro quid dicant ij, qui ipsum laudant, de eo scribam, nam alioquin rationem sententiæ meæ habuistis, cur ipsum nequaquam necessarium existimẽ, minusque locum alicuius oportuni medicamenti posse tenere, si materiam, si partes affectas, si morbi vetustatem considero, & vna tolerantiam, quæ valentiora medicamenta semper tulit. Habeo demum gratias vobis, qui mihi occasionem pręstiteritis inseruiendi, vt debeo, ipsi Domino atque oro idem in posterum semper faciatis. Salutem quæso ei reuerenter meo nomine plurimũ dicatis cum manus osculo, & physicis etiam quib. omnibus hac vna epistola velim satisfactum. Vale. Pisauri 7. Calend. Maii 1576.

In memoriam iterum reuocabo, quod china cũ parum abstergat, non euocat nisi faciliores humores, propterea requirit corpus purgatissimum, & sine melancholicis, & crassis humoribus, alioquin aliquas fluxiones potest mouere illis effusis.

De gallico cum comitiali symptomate pro Illustrissimo.

CONSVLTATIO CCCLXX.

Comitialem casum fuisse certum est, ut ostendit cõuulsio illa non facta consistens, sed identidem cõtinent, incitata, eaque totum corpus exagitans vna cum occupatione omnis sensus. Sequuta uero est multa oris spuma, & multus pituitæ decursus ex ore, sequuta est linguæ erosio cum pustulis, & eiusdem impedimentum loquutionis aliquandiu durans.

Materia conuulsionis neruos non occupasse intelligitur, ex eo, quoniam non tam facile ex eis eijceretur, potius verò aut morsu quodam initium neruorum irritasse, aut ventriculos crebri sua copia onerasse, obstruxisse que videtur, & forsan vtrumque fecisse, quoniam, cum tantum mordet, non semper sensu priuat, quod experimur, & cum priuat, tunc id ob maximam cerebri quassatione euenit, hic verò maxima quidem cerebri quassatio est, & totius corporis maximis distentionibus, & agitationibus indicata, sed tanta pituita è cerebro elabens etiam postquam è casu se se receperit, diuque effluens, ostendit in cerebri ventriculis eam fuisse collectam, & non solum ob motum illuc confluxisse, sed ante eum collectam illius motionis in causa fuisse. Mordacis quoque humoris nota certissima est, quod lingua sub eo casu subito pustulas, & erosiones accepit. Huius diuersæ materiæ ortus facilis est, nam corpus hoc facile pituitam collegit suo genere humidiori, & imbecillum morbo factum, facile etiam ob malitiam luis latentis gallicæ, quæ de genere corruptionis est, aliquibus partibus mordax euasit.

Copiæ pituitosæ indicia fuere in toto corpore; quod tam graue diu fuerit, vt vix homo incedere posset, & quamquam carnibus nutritis uidetur, illæ tamen minime bonæ sunt, cum onus afferant, non vim oneri ferendo parem, & seipsæ non gerantur, sed alienis viribus egeant, vt pinguedo facit, quæ vita careat, vomitus etiam pituitosi, pituitosæque deiectiones alui idem confirmãt, & quoniam sine siti sit, & frigus circum ventriculum sentiat. Capitis porro imbecillitas ad casum hunc subeundum necessaria est, neque sine ea humores dicti casum eum efficerent, quod de podagræ generatione quoque est sub autore Galeno dicendum, neque hic disputare conuenit ubinam in epilepticis morbus longus eorum appellatus existat, vt etiam in podagricis, nam tales dicuntur a procliuitate, quam in eos casus habent potius, quam quod semper sub illorum nominibus sint tãquam morborum existentium habendi. Pituitosam autem materiam in caput receptam fuisse somni inuincibiles diutius occupantes hominem indicio fuerũt, sicut acres dolores mordacis materiæ notam præstitere, quos excretio postea protulit agnoscendos.

Quod etiam tanta pituita fuerit genita præter causã supradictam, ratio etiam victus multum præstitit, nam Medicus pustulas frontis ex gallica uitiositate orientes studens abigere, earumque causam non malitiæ, & prauitati gallicæ attribuens, sed iecoris calori ipsum frigidorum ciborum copia ditissime infarxit, & obstruit, qua morbus simpliciter calidus certe breui superatus fuisset, facillima enim omnium curatu est calida intemperies.

Sed animus Medici cupiditate gloriæ, & pecuniæ occupatus, nihil uidere potuit, quod obstaret ei de se opinioni, quam quæritaret, nimirum se Dominum Illustrissimum ab ea lue liberasse, neq; relinqui in illo quidquam mali præter intemperiem calidam, quam Medici qui eam curarent, prius suis potionibus guaiaci ualidioribus induxissent, neque enim iactãtia sua ei sat erat, nisi alijs etiam criminis notas inureret, hunc vero insimulationem obnixe defendens copiam incredibilem

pituitę

pituitæ crassæ,& frigidissimæ in intemperiem impēsius calidam refert,& sat habet,si dicat,quod vehemens intemperies calorem naturalem exterminat, ita cruditates loco coctionum fiunt, sic pituita abundat,nescius, quod cruditatis genus illud,quod intemperiei calidę est opus, non frigidos humores, sed calidos,& exustos habet,atque vt in ventriculo nidorosum,seu fumosum genus parit,sic in venis salsum,amarum,& nigrum,putredinem etiam affert,& cum maxime excesserit colliquationem,pro gradu caloris & materiæ opportunitate,nā, si non multo acrior calor sit, materiam ciborum crassiorem melius conficit,ut renuiorē in nidorem, & amarum succum conuertit,quæ ad mentem Galeni naturæ interpretis dicta sunt, præsertim tertio, de symptomatum causis.

B Possunt quidem partes corporis dissimiliter se habere,vnde etiam corpora fiant morbosiora,& ventriculus esse frigidus,iecur verò calidius iusto,& ita tum exustis, tum crudis humoribus abundare, at tunc in toto corpore pituita tantopere non cernitur,sed in ventriculo proprie tantummodo,aut capite,hic nunquam aluus (præter morem sanorum hominum.) aluos biliosas habet,nimirum a purgantibus medicamentis bilem satis dilutam effert,ex clysteribus vero incredibilem pituitæ copiam. Non possum ego præterire,quod mihi nunc in animum venit,& oculis illud subiiciam vobis.

Quod cum ventriculus calidior crassioris generis escas melius concoquat, tenuiores autem potius corrumpat,eadem ratione fieri debeat sæpe in iecoris opera, vt in eo calidiori crassiores,& crudi succi ipsi ventriculo suppetentes melius conficiantur,quam tenues,& percocti, quod hi potius in bilem amaram a superantia eius caloris deducantur,eandemque existimem rationem in C concoctionem carnium esse referendam,nimirū quod in eis calidioribus sanguis aliquanto crudior,crassiorq; melius conficiatur,tenuior autem in halitus etiam malos vertatur, vnde carnes male nutriri cogantur. Cui forsan ratione nixi Arabicæ scholæ Medici in hecticis febribus suo calore habitum corporis occupantibus cochlearum carnes,aut earum aquarum stillaticiam,& cācrorum dant,quamquam Galenus malit longe ea dare, quæ citissime nutriant,quam quæ calori resistant,unde suillam vitet,& contra lac, atque ptisanam deligat.

Sed hic multis esset opus, vt quomodo secunda concoctio non corrigat primam,explicaretur,quod non solum iecore temperato,sed eo etiam calidiori frequenter contingit. Ad causam nostram nos referamus, hucque hominem quamquam senem illis commendemus, qui D possint uacare operæ eius erudiendi. Non dubito ego, quin lues gallica a refrigerantibus non magis figatur, non magis cogatur intus,& a crassis, glutinosisque humoribus frigus sequentibus irretita seruetur lōgius,magisque medicamentis resistat,ita a calidis medicamentis semper, nunquam a frigidis, expellitur siue ualentissime purgantibus,siue sudorem mouentibus, ut etiam vehementibus exercitationibus,per quæ humores crassi,& glutinosi solui,& extenuati possunt, frigida autem magis compingunt eiusmodi humores, quibus obsepta ea uis altius, inhærere cogatur, neque enim ego possum cum ijs esse,qui vel intemperiem,vel occultam vim intemperiei iecoris habitus eam esse dicunt, cum eam vi- E deam sæpe solis eiectionibus humorum tolli, & ob id ad humores tantum pertinere eam necesse esse, obsepta ergo frigidis,& glutinosis humoribus,hæc vis quasi fermentum peior fit,& indicia caloris effert,ut obseruatione longa deprensum est, quod cum crassis succis est etiam genus corruptum,& putredinem referens,qua fit contagiosum, & longe magis cum plus caloris conceperit, quare inuetera to admodum morbo, & refrigescente contagio non tam facile communicatur, erodūt itaque sæpe humores hoc vitio contaminati,quasi putredinem comprehendentes, non tamen calor intuēdus est, dum curatur is morbus, sed potius contra illum absumendum calore pugnandum.

A Sic purgari prius diligenter corpus per aluum, & per vomitum debet,deinde, quæ per sudores eam vim cum glutine è parietibus venarum expellunt, & ab illis eradunt,exhibenda sunt. Cuius generis guaiacum in primis commendatione omnium temporum,& experimētorum est alijs anteponendum. China proponitur,lautior res,& toleratu facilior,præsertim,quod victum tam tenuem nō requirit, ea forsan,vt a leuioribus exordium fiat,inter initia, & primis 15.diebus dari posset, sed eo consilio vt guaiaci vis,& opera ei succedat,nam parum abstergit,nihil fere incidit, minus etiam visceribus robur affert,

Aegroti ipsius cognati illum casum epilepticum exhorrescunt,& de salute desperant,Medici illis annuūt, iam ætatem 40. annorū præterijsse, comitiales casus in B eam incidentes non posse superari. Hic ego uellem internosci,quantum referat sit ne casus is alterius morbi partus,qui morbus possit curari, an propriæ tantum radici inhæreat, hoc est, suas ne tantummodo causas sequatur, quæ ipsæ consistant; an alias præterea habeat, quibus tollendis propriæ eausæ consistere non possint. Etenim,si casus comitialis seorsum suas causas teneat, minimeque alijs hærentes, tunc primo propriam curationem,prouisionemque postulabit. Deinde illæ, nisi alias habeant, seipsæque consistant, solent difficillimæ curatu esse,quoniam habent intemperiem altius defixā a materia admodum hærente contentam, & sæpe etiā in cerebro, cuius corporis durissimæ rei, & a remedijs remotissime curatio semper difficillima est.

Quod in hoc morbo ego nunquam suspicarer, quin scilicet gallico extincto casus is quoque tolleretur, nam ad morbum eum sequi coniecturæ certissimæ sunt, ne- C que propriam aliam originem ducere,neque hoc nouū, aut admirabile, est, quoniam sæpe casus huiusmodi ad alios morbos sequi videmus, & sæpe curasse me in memoria habeo,etiam nonnullorum,qui agerent iam 50. annum ætatis, & quæso coniectutas persequamur in re nostra,non semper ex congestione pituitæ in cerebro facta is casus euenit,nam solis prioribus casibus ea pituita copia per os eiecta est,diuque deinceps,solis primis illis sensus occupati fuere,solis illis totum corpus distentionem habuit,subsequentibus modo maxilla solæ, modo hæc cum labijs etiam, & lingua distentæ fuere, & tunc sensus amissi non sunt, sola lutio impedita, unde simulator ille Medicus cacodæmonem id esse dicebat mutum suo genere, itaque non principium commune neruorum attigere mordaces illi a vitio fumi, sed certa D tantum origine, vt quandoque vel tertij tantum paris origines vellicarent,& citæ sui consumptione relinquerent quietas,tertium enim par partim mandibulæ musculum,partim linguam ingreditur.

Atque,si remedia huic casui adhibeantur propria,nō autem morbo demendo casum tollamus,eueniet, quod in alijs obseruaui,vt quoniam ea fere exsiccantia, adstringentiaque sunt, multa vero etiam emplastica, fumis nimirum contraria,vel quod retineant,vel quod cō sumant, vel quod obtundant,ideo casum quidem aliquandiu interpedient,permanente autem morbo,vires que etiam maiores concipiente,inde casus maiores postea euadant, quod nuper ego in muliere 40.annorum E ætatis expertus sum,cuius tandem morbo curato in prę cordijs substante eos omnes casus ipsa acerrimos euasit, prætermissis enim pulueribus, a quibus eo casu defenderetur,ex craneo humano,ex bolo armena corallis, cornu cerui,margaritis,radice pœoniæ, vngula asini adhibitisque purgantibus iecur,lienemque,& mesenterium optimam valetudinem est consequuta.

Itaque eodem hic modo me gererem, ac,si quid potionibus sudoriferis esset huic casui proprium adiiciendum pœoniæ radix id mihi esset,neque lignum visci reciperem, quoniam video id adstringendo ei casui vtile esse. Neque vero casus concilium ad se trahit, vt fecisset,cum totum corpus adeo distorqueret, & diu uexaret, vt spiritum etiam angustissimum redderet, & nigrum

grum corpus fieret, cerebri omnis facultas occuparetur nunc enim cerebrum, non amplius occupatur, imo nec neruorum multorum origines, vt etiam sæpe sub conuulsione pedibus insistat, incedatque, & solius tertii paris origo infestetur, imo altera interdum eius paris pars tantum, quæ ad musculos temporum venit, & quamquã tunc etiam multum pituitæ os effuderit, ea tamen sine spuma erat, & motionis potius vim sequebatur, quam vt ipsa motionis causa esset, quod in sternutationibus, & tussibus sæpe fit, nam fumus sæpe, aut sanies tenuissima mordens nares, vel larynga mouet, vehementes illas exagitationes, tusses, & sternutationes, has uero sequitur, multæ pituitæ excretio, quæ illius motionis nequaquam fuit occasio, quod si pilo narium vellicato sternutationẽ moueas, aut re aliqua acri tussim, potes experiri.

Studeamus igitur gallico ipsi curando quoniam omnes aliæ molestiæ tollentur, neque morbum hunc epilepsiam vocemus, aut hominem epilepticum, cum hic morbus alterius morbi vi non sua existat. Purgetur vero prius corpus, vt est institutum corruptisque humoribus liberetur, a quibus nerui irritantur, & lingua etiam vlcera accepit, & pituitosi, ac melancholici, quoniam ij sua crassitudine non facile per sudores possunt euocari, & relicti possunt fomitem morbi seruare, maiorique vitæ cruciatu, cum melancholici longè omnium sint vitæ inimicissimi. Postea carnibus expurgandis a malo succo iam imbibito chinæ potiones erunt admodum oportunæ.

Tandem a potionibus guaiaci excipiendæ, quo fomes huius morbi valentius expurgabitur multa incisione, & abstersione atque viscerum collectione. Sub ijs mithridatum quoque vtile esset, motionibus omniũ excernendi iuuandis, & sudoribus citandis, Theriaca etia ad consumendos malos succos, & malam illam vim esset maxime accommodata. Quæ ego ita summatim notata semper volui, ne toties repetita particulatim tædiũ mouerent.

De Cancro Seuissimo totam mamillam occupante.

CONSVLTATIO CCCLXXI.

Excellens Vir.

EQuidẽ affirmare modis omnibus possum me fuisse multo auro quæsiturum hanc occasionem, quæ te mouit ad scribendum mihi, nisi isthæc fuisset, ob grauem morbũ istius matronæ nobilissimæ, & profectò gratissimas mihi esse literas tuas iam diu potuisti cognoscere mea officia responderint, quæ res testis tibi esse tam certus debet, vt confidam, ne putes vnquam medium esse erga te hominem, quam vero sim, nimirum tibi bene uolum, & tuas virtutes plurimi facientem, optantemq; vt merita tua semper tantopere augeantur, quantopere voluntas mei iuuandi, te incrementum acceptura est, quod etiam de Micheleangelo dictum putes velim, eo insuper adiecto, quod, nisi adolescentiæ ætas esset nimis mutationi obnoxia vnde, quandoque posset bonã istam opinionem fallere, quam tu de eo habes, & ego ex ore tuo concepi, dedissem iam singulatia voluntatis meæ argumẽta, quod cum a principio in animo habui tum nõ cesso, cum uideam istud tuum studium de eo cogitandi, veneram tandem in eam cogitationem, ut eius vna, & nostrorum desiderio satisfacere, ipsum accipere domi apud me, quocirca ego libẽter coram de hoc tecum egissem, itaque tu posses, saltem alicui committere quid me scire uelles expresse de tuo consilio, quoniam ex eodem homine pariter cognoscere posses quidquid de hoc deliberarim.

Ipse alterum haberet, quo in suis studijs comite vte- A retur donec ille a me, Doctoris authoritate accepta discedat, quod credo cito futurum esse, sic in locum suum prælegendi successerit, interea ei vtile esset cernere aliquem, qui eam vim teneret, cuius operam ipse esset ingressurus, & videre, quam bene, & quam cito res illi successerit, qui has consuetudines nondum duos annos cũ dimidio consumpsit eo cursu, quo a meta inscitiæ græcarum literarum, & artium ad earum multam notitiã peruenit. Sed ad rem de qua scribis pro nobili matrona. Posito, & constituto, semper, quod a prudenti physico intus curata sit, tum, quod deficientibus menstruis vel ipsa, vel horum loco hæmorrhoides promoueantur, nisi quid aliud obstiterit, quæ irritabuntur aut parietaria, aut folio ficus aut succo cyclamini, aut suffitu retũ laxantium, sicuti purgationi corporis aptum videretur

B ferum lactis iniectis, & maceratis thymo, epithymo, sena, aut quopiam alio simili, præsertim vero fumo terra. His inquam propositis, & aliis, quæ exustum corpus tẽperarent, exterius affecto loco sua exhiberem semper calidiora vitando, & omnem calorem tam vigentem, quam facultate constantem, nisi permixtione remitterentur, atque fere intra anodyna dicta me continerem, & acopa moderatiora, vt oleum chamamelinum lumbricis terrestribus incoctis admixto etiam rosacco, Oleum de luteis ouorum in his haberem, non multa vi ignis expressum. Lac cum dictis oleis mixtum egelidũ, cataplasma ex dactylis cum croco, atque pane, illud etiam, quod fieret ex pane percocto cum lacte, & consolida, ac plantagine, quod fit ex rosis, meliloto, papauere, & sapa, cui etiam phyllium solet adiungi, œsipo uino li-

C quefactum cum exigua parte nitri, eius ariditate cum aliquo oleo mitigata.

In his habendum etiam est ius chamæmeli althææ. Slini meliloti, anethi cum multo oleo, præsertim eo, quod ex dulcibus amygdalis fit, & ex seminibus lini, ex nucleis armeniacorum, ex luteis ouorum, & ex sesamo modo vno, modo alio. At vero existimo, quod non de facili hæc poterunt aptari loco, quoniam tumor is ualde dissimiles partes habet, quo fit, vt mediocria quanquam imbecilliora sunt, diuersis melius aptabuntur, vt sapa cũ oleo rosaceo, & chamęmelino, sexaminoque, aut aliquo oleo vetustissimo butyrone pariter veteri, seu oleo in lucernis consumptis reliquo.

Quæ vero cũ exsis, et corruptis partibus obfutura videantur, videndum est, vt operam eorum doloribus a-

D cerbissimis necessariam habeamus a corruptione tamẽ defendere possimus, veluti si hæc partibus minus corruptis sensu acriori præditis dolori leniendo applicabuntur. Corruptis autem, & exesis partibus danda sunt vnguenta exsiccantia, sed leniora, vt ex tutia, ex cerussa cũ aliquo anodyno, si oportuerit, ex his quæ dicta sunt, dolori nimirum defendendo, Vnguentum ex spodio etiã cũ oleo de vitellis ouorum. Vnguentum anodynum magistrale dictum cum diapopuleon, & aliquo ex oleis supra comprensis, quod valde vtile sum expertus, ea obseruatione, vt ne compleantur vlcera ipsis anodinis, in quibus vlceribus, habenda ea omnino sunt, quæ exsiccant abundè sine morsu, vt nosti, in quorum censu sunt vngenta modo scripta de spodio, de tutia, est insuper vnguentium de cadmia extincta in oleo rosaceo, vnguen-

E rum delythargyrio, factum præsertim cum succis plantaginis, polygoni, & solum adhæc oportunum uidetur lenticularum secundum ius, primo abiecto cum lacte, & meile rosaceo tam pauco, ne mordeat, linteaminibus illud excipiendo, illisque imbutis ingerendis, sed a diapopuleone multum remissionis dolorum intanta humorum exustione sperarem.

Probatur mihi etiam oleum, in quo uel diutissime macerati flores populi sunt, vt ad trium mensium spatium, uel, si properandum fuerit, incocti sint in modũ, quo olea aliorum comparantur, quod de germinibus teneris, aut oculis, seu gemmis abietis existimo, eodẽ modo oleo exceptis. Ea etiam obseruatione, ne locus affectus linamentis multis, aut linteaminibus, aut uesti-

mento

mento oneretur, nisi anni temporis, & tempestatis A ratione.

Communiter vlceribus, & dolori videretur occurri posse eo vnguento, quod fit ex lythargyrio, axungia recenti cera alba, oleo rosaceo, & vitellis ouorum assis. Cum dolor intermittit, aut remittitur, quidam laudant theriacam lacte, & oleo rosaceo dissolutam, & vlceribus ingestam. Hæc profecto nimia viderentur, & difficiliorem delectum redditura, nisi morbi natura & eius longum spatium varietatem medicamentorum postularet, & quæ hinc mihi in morbo conspicua non sunt, forsan de his medicamentis multa reddere possent inutilia.

Acriora medicamenta ego præterij, ne frustra, & labore maiori ferenda sint, nam incurabile malum videtur, & tantum loci suo tumore, & pessimo genere B occupasse, vt auferri non nisi vna cum vita posse existimem. Vidi ego tumores cancerosos adimi ferro, vidi igne, vidi medicamentis, vt vnguento ægyptiaco aceto dissoluto, sed carnes eis circumstabant bonæ, quæ purgatæ se se renutriebant, & vlcera complebant ex parte, vnde morbi molestia tolleretur. Hic tumor totam mamillam occupat, nihil bonæ carnis assistit, tumor is visus est mihi, cum inspexi lapis eius generis, quos è metallis, & fodinis, è quibus ferri genera eruantur, sæpe conspexi erutos perforatos asperos, nigros, colore tamen vario quasi è multis, & varijs lapillis exustis constent, speciemque referre purgamentorum illorum, quæ fabri ferrarij per ignem è ferro eximunt, Vt similis tumor is horrorem afferat inspectantibus.

Lenientia itaque deligenda sunt, neque oleaginosa C penitus metuenda, in partibus non exulceratis maxime, neque enim, quod quidam aiunt obstruere meatus, magnifaciendum, nam oblinunt quidem non obstruunt tamen adeò, vt dissolutionem, & exhalationem impediant.

Exemplum verò quod olea succis super ponũtur, quo non putrescant, non cogit, nam potius facilius putrescerent, nisi per flatum reciperent, a contractu potius ambientis aeris defensa se melius tuentur, alioquin & per corpus vasis, & per olei len torem perflari possunt & vapores malos eijcere. Cum eo quod vnguenta, & olea tam tenuiter illinuntur, vt si succis olea tam tenuiter inducerentur, eos minime a putredine possent tueri. Nimiam certe exhalationem defendunt, & ita post sudores, frictiones, & balnea corpori adhiberi D consueuere.

Sed ad eam, quæ reliqua videtur victus rationem. A frigoribus ægra defendi penitus debet, a calore etiam acriori, a cibis mali succi, & calidi generis omnibus, a duris concoctu: quæ Medicis nota sunt.

Cancri bene percocti eo lacte probantur, & lac ex eorum iure maxime, Antidota vt venenis, ita huic morbo videntur summopere facere, vt theriaca, & mytridatica confectio, quod præsertim, humores malos absumant, & doloribus etiam occurrant, & somnum concilient, vt recens theriaca solet, Hæc ego ita confertim, & sine multo ordine scripsi, quod spe-rem mihi cum eo rem esse, qui morbi temporumque, & casuum incidentium rationem nouit, & delectum facere poterit. Sic finem scribendi faciam dicta tibi, & Michaeli Angelo salute multa. Pisauri 8. Idus Februarij 1577.

Cum Marco Antonio Capelleto, & Ambiorige Semperolo de Ruberti Menaldo auditore Ducis Vrbini, suffusionibus laborante.

CONSVLTATIO CCCLXXIII.

Etsi res satis sit explicata, & optimo iudicio remedia proposita, tñ qm̃ huc sumus aduocati, demorer, ego dicam sententiam ea ratione, ac si quæ dicta sunt egerent aliquo testimonio. Ergo visui nostro manifesta sunt istius suffusiones, quarũ singula singulũ oculũ occupât, hæ mihi superiorib. mensib. & crassiores, & nõ solæ videbantur, quoniã pupillę quoq; erant latiores, & ita immobiles, vt oculi inanimes viderentur, immobilẽ tñ intelligo eo sensu, quo dicit Aristoteles, ea quæ difficilia sunt ad motum. Vnde pupillæ carere fere spiritu, tumore autem humore alieno agnoscerentur, vbi defectus spirituum esse non potuit eo, quod a cerebro nõ mitterentur, nam abundasse spiritus in cerebro reliquæ animi actiones ostendebant, & omniũ sensuũ, quare restabat, vt spiritus abundantes in cerebro exitũ nõ haberẽt ad pupillas, quod esse non potuit, nisi pp obstructiones, materia aliqua cruda, glutinosa, & crassa meatus visorios occupante. Nunc ergo, cum pupillæ ad habitũ naturalem, quantum pertinet ad motiones, quib. se se dilatare, & constringere solent, reuersæ sunt, & illo motu vtantur, existimandum est, non solum tunicas oculorum alieno eo humore, easque tendente esse expeditas, sed opticos quoque meatus apertos fuisse, restant vero solæ suffusiones, quæ, quod magis sint perlucidæ, vt cernitur, quod aciem peæstent valentiorẽ, vt ipse fatetur, tenuiores sunt factæ. Vbi, quod ipse admiratur se posse melius perspicere tabulas pictas, & quæ in illis sunt, subtilius internoscere, non posse tamen euidenter melius legere, aut scribere id mihi mirabile non videtur, quoniã rerũ subtiliorum differentiæ subtiliores sunt, nec ita facile possunt internosci, tabulæ, & picturæ sunt res ampliores, quã literæ, & distinctæ, qua melius, aut peius cernũtur, est notatu facilior, quã quæ in literis rebus minimis distinctio subtilissima solet animaduerti. Vnde nõ possum non laudare pteritam curationem, illiusq; fructũ admirari, nam hactenus non memini me vidisse quempiam medica ope tam iuuatum multos uidi ætate minus firma, corpore tenero, qui nullum auxilium a curatione maximorum medicorum accepere, & præcipue quibus pupilla esset amplior facta, & ita immobilis reddita, vt hæc erat. Quare, si quid de curatione præterita sit repetendum, id omne ad dirigendam in reliquo casu curationẽ faciendum est, & ad spem confirmandã, qua futuri labores, alacriter tolerenrur. De curatione ergo præterita ea commemorabo, in quibus rõne omne vtile futuræ curationis cernamus, in ea caput cnratũ est propter oculos, corpus totum vero propter vtrũque expurgatum per aluum, per vrinas, per sudores, ad capitis E præsertim curandi tutã agitationẽ, ita ne oculi a capite, dũ medicamentis agitarentur, neue caput a toto corpore, tractatum similiter aliquid posset attrahere. Scimus enim quid medicamenta digerentia, non solum calore suo attrahunt, sed etiã dũ alienũ humorẽ dissoluũt, corpus partis affectę languidius reddũt illius tonũ, & robur soluentia, & calorẽ innatũ depascẽtia, vt quãtũ morbo, tãtundẽ ẽt corpori repugnẽt, nec minus de viribus, quã de vitio detrahãt, & quo valẽtius alienũ humorẽ, & recrementa dissoluunt, eo facilius solidas partes infirmant, earum calorem, & spiritũ cõsumendo, vt subinde partes curatæ, ad excipienda recremẽta sint oportuniores. Ergo debuit, vt factum est, ante capitis agitationem omnibus modis corpus expurgari, ante vero quam medicamenta

dicamenta oculis sint imposita, caput humoribus omnibus superuacuis exonerari, quod valentissimis apophlegmatismis est factum, præterea, quoniã ventriculus proprias habebat notas, infirmitatis suæ, & erat certissima coniectura, quòd, quamuis materia in oculis cerneretur, eius tamen materiei originem primum ventriculus afferret, hinc de ventriculo cura fuit suscipienda, vna cum corpore reliquo. Ac præter communem illam curandi viam, qua vt dixi, caput purgationem postulabat, accedebat iudicium, quod caput iam non mediocriter esset affectum, & plurimam partem conferret ad oculos male afficiendos, nam eo spatio temporis, quod fuit octo annorum, quo perpetuo accepit vapores a vẽtriculo, ad suffusionesque demitteret in pituitosam materiam conuersos, non potuit tam longa vaporum consuetudine, non aliquid qualitatis, & similitudinis vaporum in se ipso concipere. Præterea caput quoq; affectũ esse cum ventriculo id ostendebat, quod vterq; oculus affectus est, & vtriusque affectus causa in commune aliquod principium referenda est, nam difficile admodũ fit, vt corpore in duas partes diuiso, dextram scilicet, & sinistram, vtraq; pariter per se afficiatur, quin quotidie contra obseruemus semper alteram partem robustiorem, pauci enim sunt, qui non alterum oculum, aut aurem habeant sensu acriorẽ animante in duo quasi animãtia diuiso, & sensorijs omnibus (vno tactu excepto) vsq; ad linguam ipsam in duas partes distributis. Hinc videre licet causam, cur si quis diu sit ante ignẽ illi aduersus non ita periclitetur ei caput, ac si alteram tantũ partem dextram scilicet, aut sinistram igni obijciat, quoniam cum aduersus manet, ex æquo vtraq; pars vrgetur, vtraque ex æquo attrahit, altera verò tantum igni aperta sola per ignem calefacta, attrahenteque reliqua a se sua recrementa in hanc exoneret, quæ recrementa, si ipsa quoque altera pars ignem sentiret, aut retineret, aut non in alteram partem transmitteret. Inde quoque omnis ratio mittendi sanguinis κατ' ἴξιν, vt dicit Hippocrates, deduci potest, non possumus ergo facile causam harum suffusionum solis oculis attribuere, qui non facilè solent esse similes, aut viribus pares, sed paritatẽ affectus in vnã, & eandem omnino causam referendam alicui potius membro nõ sic diuiso, sed communi principio, & vni attribuere cogimur, qualis esset ventriculus, quale esset cerebrum, non ea parte, qua est in dextrum, & sinistrum diuisum, sed qua tertium sinum, & medium habet, quo loco facilè ventriculi vapores colliguntur, & ex æquo possunt ad vtrumque oculum peruenire, vnde, si reliqui sensus integri sunt, id potest esse, quoniam corpus cerebri integrũ pluribus suis partibus est. Quapropter ventriculus primam principij originẽ attulerit, caput autem cum a ventriculo acceptam materiam demittendo, tum spatio temporis affectum eius materiæ consuetudine a seipso similem materiam procreando malum, vt videmus augere potuerit. Capiti, & ventriculo infirmitatem multa augere potuere, assidua studia, occupationes in publicis huius imperij administrationibus grauissimæ, quibus partibus nõ vereor iecur etiam cõsociare, quod assiduis commeatibus, cruditatum a ventriculo discedentium tanto tempore necessario affectum fuit. Verum quidem est, quod oculus vterque non solũ ob studia literarum, sed etiam sua natura fuit infirmior, vt ex acie obtusiori intelligimus, tamen plurimam mali causam, & materiam a propositis visceribus necesse est aduenisse, vt infirmitate oculorũ minimè æquali, ferè tamẽ æqualis suffusio facta sit, oculis ob infirmitatem, quidquid mitteretur, admittẽtibus, nec satis potẽtibus a se illud expellere. Id velim nõ esse præteritum, quòd quidam contendunt omnem facultatem, quæ non agendo, sed patiendo munus suum administrat, eo melius officium suum præstare, quo organum habet imbecillius, sic enim aiũt, facilius afficitur, & ab agente etiam hebetiori, & minus valenti, cũ quibus nunquam potui sentire, nam contra potius, si iusta organi temperies sensum hẽt acerrimũ, acris sensus di-

A fiungi non põt a firmitate organi, quæ in ipsa temperie iusta est posita, quod experientia quoque confirmatur, nam oculi imbecilliores, vt ex affectibus, & in affectus procliuitate cognoscitur, ijdem hebetiores esse solent. Non vident ij, ꝙ affici in munere eiusmodi sustinendo est perfici, & ꝙ quæ meliorem apparatum habent, facilius perficiuntur. Sed propius ad rẽ. Tot igitur partibus curationẽ sui postulantibus, & eum ordinẽ curationis, quem diximus, fit, vt, quæ facta sunt, & ordo oĩs cõprobentur. Ac quoniam capiti temperamẽtum non poterat restitui, neq; per occupationes illius tempus vsui lõgiori suppetebat medicamentorum, consulto factum est, vt materia, quæ continenter in capite, tum proprio, tum aliorum vitio congeritur, viam haberet, qua continenter emanaret, s. aperto occipite, imò, quoniam corporis quoque curatio breuis esse nõ poterat, & interea,
B præceps malum cæcitatem afferebat, antequam corpus per sudores expurgaretur. Capitis expurgatio quæsita est, tum per apophlegmatismata, tum verò occipite sic aperto, per quod in sudoribus multum materiæ emanare visum est, quæ apertio facta etiam medicamento (primis diebus præteritis) non attrahit, tantum quidquid demittitur materiæ a valentioribus partibus excipit, cutis. n. ad excipienda excrementa accõmodata sic aperta fit oportunior, nec vllo modo resistit, vnde oculi aliquanto fortiores quam cutis sit, præcipuè sic vlcerata, possunt reliquæ paucioris materiæ cursui resistere, quod vlcus, vt posset manere, factũ est traducto filo per acũ ignitum filoque ibi relicto, a quo apertum seruatur. Hæc ergo ad corporis, & capitis purgationem pertinẽtia, tum ad tutam oculorum agitationem vtilia, tum ad
C viscerum prauitatem corrigẽdam necessaria his remediis procurata sunt. Inter principia aluus ducta fuit leni medicina, vt solet, deinde potiones datæ ad humores euacuationi accommodandos, subinde purgans medicamentum, ab hoc repetitæ potiones, & illæ quidẽ valẽtiores, materiam duriorem, & magis resistentem suo lentore, & crassitie sunt repetitę. Postremo medicamẽtum solidius, & valentius, capitique accommodatũ expurgando per catapotia fuit exhibitum, a quo medicamento cum corpus satis purgatum videretur, quantum per aluum commodè fieri solet, purgatio eiusdem corporis per sudores quæsita fuit, vt postquam media corporis loca, & ad aluum pertinẽtia malis humoribus essent vacua, eminentes quoque partes ad carnes, & cu-
D tim vergẽtes commoda purgatione curarentur, nostris enim tẽporibus valentissimis illis purgantibus medicinis vti non solemus, & laudem purgandi chymistis cessimus, qui tutioribus, & certioribus antiquorum medicamentis damnatis sua perniciosa, & minus certa opera suffecerunt, neque nos vsum nostrorum imbecilliorum potentẽ facimus spatium adijcientes, sed raro tertium medicamentum solemus adiũgere, cum antiqui sua illa valentissima, & per vomitum trahentia ad mẽses repeterẽt, vt ex Oribasio proprijs in locis colligimus, propterea nõ possumus confidere his nostris purgationibus, sed ad explendam rõnem purgationis totius corporis ad hanc per sudores faciendam accedimus. Hæc per guaiacum quæsita est, factis potionibus ex eo, & ex
E euphragia, fœniculo, & alijs eiusmodi, quo capitis & oculorum quoq; tõnem haberemus, quadraginta dieb. potiones eæ sunt adhibitæ, decem prioribus, nec abstinentia multa, neq. violentia ad sudores præcepta est, similiter postremis decem diebus, medijs aũt viginti ea fuit abstinentia præcepta, vt intra vsum panis biscocti, passularũ, & fęniculi se contineret, & intra potiones aquæ, in qua guaiacũ esset incoctũ, sudores quoq. eo tpe plurimo uestimento, & demũ subiectis carbonib. ignitis, mouerẽtur, quib. cũ satis purgatũ corpus videretur, apophlegmatismis palato subiectis, & puluere staphis agriæ, & melle rosaceo caput purgatum est, post per lotiones, in quibus betonica, stœchas, cupressus, asarũ, & quædam alia essent incocta.

Deinde oculis ab humore concepto expediẽdis mel stilla-

stillatitium, succus fœniculi ex sacchato confectus, aqua euphragiæ fuere præscripta, quibus lachryma multa est excitata, & leuis oculorum robur saltem in palpebris, pupilla tamen magis perlucida, & acies acior euadebat, rubori palpebrarum aqua euphragiæ cum aceto, quandoque, quandoque cum vino satisfecit, & ne oculi amplius irritarentur, mihi tutum est visum suffumigium vaporosum ex aqua, aceto, euphragia, chelidonio, fœniculo, ruta, & sulphure, quem vaporem per infundibulū exciperet ex olla feruenti. Atque hæc hactenus, vt ipse expetitur, bene cessere, ventriculus est confirmatus, vt ait, similiter & caput, & oculi melius habent. Restat de liberatio eorum, quæ agenda sunt, in quibus non mediocriter ambigerem. Audiui doctorem, qui ante me dixit, consulentem, vt suffusiones permitterentur, suscipere sua incrementa donec firmiores factæ possent acu demitti.

Nam medicamenta digerentia parum possunt proficere materia sic in profundo sita intra membranas satis duras conclusa. Video ex altera parte ratione aduersantes. Nam vsus oculorum non est penitus impeditus, potest legere satis commode, neque videtur procurandum, vt amittatur is certus, quo postea incertum quæramus dubia penitus curatione, & raro respondet, & necesse est, vt suffusiones certum temperamentū teneāt, quo ab acu non dissipentur præ infirmitate, neque acu resistant detrahenti præ duritie, quæ res mihi uidetur admodum incerta, raro enim admodum fit, quin aut nimis dissolubiles euadant suffusiones, aut nimis duræ, quare sub ea expectatione spes incerta, metus certior est, vt potius retinenda sit acies, quam certā habemus, quam periclitandum, ne hanc quoque amittamus, Sed sit mihi aliquis fideiussor suffusiones has temperamentum illud certum esse assecuturas, tamen manui artificis sunt subiiciendæ, & operæ, quæ vt bene, sic male posset succedere.

Sed esto demum tempetamentum hoc certū habeamus, manus artificis errare non possit, adhuc visus, quātuluscunque sit is, non est auferendus, vt postea in eo sit periculo, vt omnibus etiam bene cedentibus, non rantus amplius restituatur, quantus nunc est. Paucos enim vidistis, qui demissis suffusionibus, tantum visus reciperent, quantum ad lecturam sufficeret, multos ego in memoria habeo, plures autem, quibus suffusiones iterum concreuere.

Cuius rei ratio satis aperta est, nam non solū ab acu illa agitatio oculos infirmat, & lædit, & obnoxios reddit sua infirmitate suscipiendis excrementis, & rheumatibus, quibus curandis Galenus insistit remediis tātum robur afferentibus, sed etiam materia suffusionis relicta, spiritu per vulnus exhausto oculi frigidiores facti, ex proprio alimento non perfecte transmutato eādem pituitæ vim possunt facile congregare, & suffusiones reficere, cui rationi, vt dixi, experimenta quotidie respondent, quo mihi statuendum videatur nunquam de opemanus esse cogitandum nisi cum visus est fere penitus sublatus, at si quis alicuius vsus est reliquus, is potius modis omnibus retinendus, præcipue vero nunc agendum id, cum satis potentem ad lecturam illum habeamus. Propterea consultius futurum existimo, si hunc sustinendum curauerimus, his remediis, aut similibus, quæ superius sunt in vsu habita, & maxime cum ex illis meliorem visum sperare iure possimus, a quorum vsu hactenus meliorem, quam prius obtinuimus. Quando vero? Nunc hyems est, corpus totum delicatius, oculi sua natura infirmi, occupationes grauissimæ, a quibus nisi vacarit, vel tempore oportuno curari non poterit, si valentiora oculis adhibeantur, aer hybernus illos infirmiores habebit, & plus afficiet, quem aerem ipse nullo modo vitare constituit, propterea corpori leniter danda est opera, vt mundum seruetur, item & capiti. Illud solutis fiat catapotiis, mastichinis scilicet sine quibus lucis, & ipso rhabarbaro, quibus etiam ventriculo robur conciliabitur. Hoc vero, quod ad caput pertinet purgandum, fiet vlcere seruando, apophlegmatismisque adhibendis. Oculis interea leuiora dentur, quæ colligendi corpus eorum ad robur conciliandum, & incidendi materiam, extenuandique potius habeant vim, quam calefaciendi, ne corpus oculi soluatur, iniurijsque, aeris magis pateat, in his essent posca illa mitior, quantum oculi patiantur, in qua aliquid rosarum, & fragarum sit incoctū, fœniculi, & eufragiæ tm̄, quantū remedium non incalescat. Omnibus partibus æque consultum videbitur, si ore assidue agitet nucem moschatā rutā, fœniculū, & similia, si deglutiat aliquid theriacæ alternis saltem diebus, aliquid electuarij de succo euphragiæ, aliquid florum roris marini exsaccharo conditorū. Vere accedente autē purgato corpore vel citra sudores ad caput omne consilium conuerterem, quoniam in eo omne fere momentum huius salutis ventriculo iam curato constitueram, Etenim, cum totum reliquū corpus frigidius sit, vt ex colore, tactu, & specie ipsa carnis percipitur, cum caput calore suo satis euidenti possit a corpore toto frigidiora recrementa attrahere, hoc fecit præcipue ætate superiori, nunc autem ab recrementis assidue appellentibus affectum secundum internos ventriculorum parietes simile recrementū seipsum potest plurimum procreare. Quod naturali calore propter ętatem tabescentem non potest alimentum administrare, quin ab eo & frigus, & humorem recrementium sentiat, caliditas capitis non solum ex forma tum capitis tum oculorum, quod certum indicium non est, rotunda, & vndique valde eminenti, sed ex venarum amplitudine in oculis visa, ex caluitio, cuius siccitas vlla, quæ nulla est, causa esse non potuit, ex offensione quæ illi a sole sēper fuit maxima, in quam vltimum, & maximum incremētum huius mali obseruatione certissima puter referendum, frigoris noxa ab excrementis dictis illata, eo loco præcipue, ad quē ventriculi vapores primū appellūt, cōiectura dignoscitur, de qua superius iam dixi. Ergo capiti tēperando ego insisterē omni ratione, & tanquā certissimū auxiliū aquis termalibus Lucensib. subijcerem, quæ recrementitiū humorem exsiccarent, frigus alienū reprimerent, calorē propriū leniter excitarēt. Capite sic confirmato, si vnquam futura sit necessitas dimittendi suffusiones, fidentius id fieri poterit, & spe certiori illas non amplius redituras esse. Si aliis remediis vtiliter vti posse videatur, hoc est, digerentibus, tuta iā erit oculorū agitatio, & iam valentioribus vti poterimus, veluti aquis supra compræhensis, hoc est, in quibus eufragia, fœniculum, chelidonia, uerbenusa, ruta essent incoctæ, in quibus aliquid mellis stillaticij imponeretur, aliquid aceti pariter stillatitij, croci etiam, & similium, quæ caloris aliquid, & coctionis adijcerent, in quibus antiqui piper numerabant, & ad ipsum vsque cęparum succum, & euphorbium ascendebant. Prætereo, quæ conficiuntur ex fellibus, & melle, in quibus ea sunt valentiora, quæ sunt animantium calidiorum fellibus confecta, in quibus supremum locum aquila, & leo obtinent, medio loco lepus, perdices, pisces, & similia, fiūt etiam ex melle, & succo mali granati, ex adipe viperino, ex castoreo, adiectis his, quæ habent etiam aliquam adstrictionem præter digerendi vim, vt crocus, myrrha, &c. fiunt etiam ex salibus vrinæ pueri, & saccharo. Sunt, qui & bona quidem ratione aquam ex vino stillatiuam superioribus dictis admiscerent, cuius acrem calorem aqua rosacea, & similes commodè refrangunt. Antiqui quoque gummata proponebant, vt galbanum, sagapenum, & myrrham, balsamum fere omnes commendant, suffumigia ex ijsdem erunt vtilia, quæ si vaporosa fuerint, & humida, sicca tamen aliqua non sunt inutilia, etsi fumus oculis inimicus videatur. Antiqui asphalte, & sulfure vtebantur. Nos experimur sulfuris fumum ita exsiccare, vt non solū florum colores in candidos vertat, sed & etiā capillorum, quod enim corpori florum, & capillorum facit, vt magis perlucida sint, idem bona ratione videtur oculis posse præstare. Quibus adhibendis si res non successerit, non deerunt, quæ in

in horum locum sufficiantur, neque enim est desisten- dum ab ijs, quæ optimo consilio fiunt, euentu ipso iam comprobante, sed similia sunt sufficienda.

Occulta enim nobis est quædam ratio, qua ex similibus rebus, & ad eundem finem spectantibus quędam magis, quædam minus sunt vtiles. De victus ratione non est, quod verba faciam, quoniam a Medicis ipse iam satis superque doctus est. Quare hæc satis mihi visa sunt, præsertim cum prudenti Medico res commissa sit.

De suffusione oculorum, & aurium tinnitu.

CONSVLTATIO CCCLXXIII.

CAlidum, & humidum caput natura sua hoc esse constat, quoniam somni longi sunt, & tumultuosis insomniis pleni, sententiæ uero non ita firmiter tenentur, imo animi quoque perturbationes sunt breues, & mutabiles, unde cordis humiditas denotetur, sine tamen multo calore, quoniam pectus angustum sub magno capite est, & pulsus parui, & animus non ita fortis, aut vehemens; Irasci facile, quod ei contingit ex humido genere laxiorem cordis substantiam, & spirituosi ętiam sanguinis lubricitatem efficiente, esse potest.

At si vehementior ira uideatur, quam cordi frigidiori conueniat, vt metus hominis denotat; & audaciæ omnis vacuitas, id in angustiam cauitatum referrem. Nam cum facile ob humiditatem commoueatur animus, caloris incrementum maius semper fit in angusto loco comprehensum, etsi sit paruum: Vnde perturbatissimum facit iracundiam semper thorax angustum. præcipue cum humidum genus accedit, & calor non est ita exilis, & caput humidum est, & calidum, ubi, si paruū, fuerit, eo citatiores homines in motum, & loquelam videmus, at si magnum, & valde humidum, vix loqui posse sub ira obseruamus, iecore præcipue humidiori, & calidiori substante.

At, ut de iecore quoque dicam, hic humidum nō est multum, nec tamen siccum, calidius vero, vnde ob tenuitatem sanguinis corpus non est admodum plenum carne, minus vero pinguedine, quæ exiguam habet materiam, vbi serosior, & tenuior est sanguis, qui iecore humidiori quod de ventriculo frigidiori, & humidiori, humidius, & serosius alimentum suscipit, fieri solet, ut in homine, cuius ventriculus frigidior est, & etiam humidior. Cum quibus iam tota corporis temperies æstimari potest. Morbus ergo a ventriculo forte primum duxit initium, deinde a capite ob humanitatem non ita alimentum digerente, & ob calorem valde attrahente, inde in aures, & demum in oculos frigidi, crassique vapores, inde sonitus primum in sinistram, secundo in dextram, quoniam, ut apparet, ipse conspectu, dextra huius corporis siccior est, alioquin enim a ventriculo vtraq; esset affecta viscere non in dextrum, & sinistrum diuiso, vt fere partes corporis sunt.

Post enim 26. annum, cum guaiacum acciperet, vt sonitum sinistræ auris curaret, incidit etiam in sonitum dextræ, cuius rei causa fuit, quoniam capiti cura nō est attributa cū sudaret, ac etiam soli se se exponeret; Post vero annos 6. cum vento vehementissimo, & imbri in oculos ingruente longo spatio se obiecisset, itinere officij causa suscepto, & diu uino potentiore uteretur, puncta nigra in vtroque oculo cæpere obseruari hærentia eodem semper situ. Ineunte hyeme etiam aranearum telarum carptarum species tenuissimæ in filamenta dissolutæ, sub his ad 5. annos ipse fuit cum se se purgaret sępe, & vlcus in sinistro brachio excitasset, quo incredibilis sanies, adhuc solet exire. Ab hinc annum mala duplicari visa sunt, & acies hebescere magis, non ita multum, at sensibiliter. Aetati id adscribi posset, & studijs, nam illa 42. annorum est hæc assiduæ penitus, tñ cau-

A sam morbo quoque possumus attribuere cum sit manifestus, & species illæ aciē interturbent. Cerebrum totū affectum non esse indicant reliqui sensus integri præter auriū, nam olfactum habet incredibilem, & gustum & auditum non ita hebetem, nec oculos tinnitu, & speciebus illis exceptis, quia vt cerebrum ob vtriusque oculi affectum, sic non secundum corpus eius cogor statuere male habere, & in vasis communibus cognatisque, quibus ad aures, atque ad oculos humor a visceribus defertur, quæ sunt in membranis cerebri tum pia, tum dura, sic enim reliquas cerebri partes integras relinquunt, & necessario ipsæ dictæ partes affectæ sunt, ob assiduā humoris a ventriculo delationem, similitudinem enim eas inde accipere necesse fuit, tanta temporis longi consuetudine, quibus partibus infirmioribus inde factis reli-

B quæ suas etiam sarcinas committunt, quæ capite humidiori non leues congeruntur.

De ventriculo ergo primum consilium alterum dę capite, tertium de parte illa proprie curanda, tum purgando, tum siccando iuuandis, ineundum. At siccandum ne igne caput? Ignis semel dabitur, periculum afferet inflammationis, parum iuuabit, an stillicidio? Vis eius ad partem dictam non perueniet, potius per pilulas sine quibus sæpissime repetitas curet se, aut pilulas lucis, quæ & materiam auferent, & siccitatem inducent, per ea, quæ per palatum detrahunt, & siccos uabores in cerebrum summittunt, vt staphis agria, tuta, succo nucis moschatæ cum camphora, & aqua vitæ quæ degluita etiam ventriculum, & caput exsiccaret oculis, quæ non multum calefaciendo relaxant, quæ potius exterius incidunt, & sic digerunt, ut acetum stillatitium, si patiatur, mel stillatitium, succus fęniculi rutæ chelidonij, cum ro

C sacea semper ab robut cotinendum.

De dolore ventris antiquo cum palpitatione præcardiorum.

CONSVLTATIO CCCLXXIV.

IAm aliquibus annis Matrona dolet ventre, præcipue vero toto veris tempore sentit, quasi præcordia ad dorsum sub eo dolore reuellātur, vis summa doloris circum umbilicum sistitur, cum valde torquet, ad dorsum etiam pertinet, noctu etiam palpitationē præcordiorum sentit quo tempore maiora sunt dolorum incrementa, qua palpitatione ait impositam manū repelli, interea nulla sitis, nec fames, neque etiam fastidium cibi

D vllum, sola ventriculi grauitas cum aliquanto capitis dolore. Horum si externas causas ipsas quoque remouendas spectemus sunt longi, & assidui mœrores vitæque otiosa. Hinc menses suppressi fuere, & ventriculi malę factæ coctiones, multæque cruditates, sic his cum onere detenti sanguinis partes multæ refrigeratæ, & obstructæ ea mala copia sunt, inde tunicæ aliquæ distentæ dolore afficiuntur, qui si per distētionē cauitatibus tātum completis factam cieretur, potius sensum distensionis, & dilatationis pareret, ac quoniam per eam fit, quæ corpore membranarum infarcto ipsas breuiores faciendo tensas reddit, ideo contractionis sensum ea tensio

E inducit, locus circum vmbilicum leuia, & tenuia intestina continet, ibi ergo infarctus huiusmodi repetitur. Locus palpitationis, & forma etiam eius motionis, quę nomine palpitationis intelligitur, mihi satis nota non sunt.

Nam si pulsus ille ordinem, & numerum, ac spatia pulsuum arteriarum seruet, & a naturæ modo non discedat, nisi quod vehementius sentiatur, certe mihi palpitatio vocanda non est, & cordis minus, cum infra pectus sit. Vera namque, cordis palpitatio in corde mouetur, & tunc arterijs alterum duorum solet euenire, vel enim ad numerum. & ordinem peruersum cordis mouentur omnes toto corpore, vel contra quam faciat cor, uiderentur ipsæ affici, & sub maximis

cordis

cordis ictibus in mediocrium ordinem incidentibus, quiescere, pulsumque suum intermittere, quasi corde sub medenti dilatatione sua nimis distracto, labora ntequeipsæ illius, vi ac spiritu interim priuatæ motui ineptę sint. Sed de his mihi laborandum non videtur, cum credam eam nominari hic palpitationem, qui est pulsus arteriæ magnæ in ventre factus, & tam insolenter abdomen incutiens, quoniam partes dicta ratione distentæ pulsum referunt, vsque ad extimum corpus, sicuti cum remissę sunt, tunc nec recipiunt, nec referre possunt, qua causa tussientibus nobis vehementius caput modo molestiam, & ictum recipit, modo nihil penitus, vt mēbranæ vel tensæ aliqua flatuosa vel alterius generis materia sunt, vel remissionem suam seruant.

Hic iam videmus præcordia alieno genere humoris onerari, membranasque quodam infarctu tendi, sic pulsum posse rigore suo tum recipere, tum referre vehemētiorum, certe tensione talem. De hoc infarctu cogitandum omnino est, sic succi è locis iis eximendi incisione, absterfione, extenuatione, & purgatione, quæ quidem, quoniam partes vicinæ remediis sunt, & quoniam viæ sunt per quas totum corpus sua onera deponere solet, maxime, propterea leuiores medicinæ satis posse facere videntur, contra ipsi valentiores, cum minime necessariæ, tum periculosæ, quoniam quod toto corpore versatur oneris, id in affectas has partes adducerent.

Ego itaque ab ipsis pulueribus simplicis hieræ inciperem, quos vel ex aliquo liquore per potionem darē, vel per bolos acceptis potionem aliquam ingererē, quoniā nollem eos suo arido corpore nimium manere in ventriculo, cui sæpe adhærescunt nimium, & vellicatione exagitant. Aut illos cum aliquo electuario commiscerē, vt lenitiuo dicto, non diacatholicone tam subito nondum ventriculo a pituita exonerato, quoniam multa sūt in diacatholicone a ventriculi statu eo aliena, vt quæ lotium mouent, quæ refrigerant, & quæ meatus etiam cōstringunt. Ventriculo quidem expeditiori facto tūc ego diacatolicon cum alijs idoneis medicamentis libentius coniugerem. Post dictum medicamentum vterer melle rosaceo cum oxymelite, horum vsui supponerem idem medicamentum adiecta parte elect. Indi maior. ʒ. 1. elect. lenitiui ʒ. 5. Misce cum paulo oxymelitis. Indum namque hoc parasunt, qui ab Arabica schola profecti sunt, ad eundem fere vsum, in quem græci hieram dabant, quod exiguo modo, datum potest intra fines etiā lenitiuorum esse, certe tamen liberalius sumptum potest angustas, & remotiores ventris venas expurgare. Hac curatione facta accederem ad vsum absinthii, asplenij, chamædris, & eiusmodi virium, & vinum etiam ex ijs pararem, physticorum etiam partem in eo macerarem. Sed ad perficiendam tandem curationem ego aliquem syrupū pararem, de quo sumeret tertio, aut quarto quoque die partem eam, quæ ex vsu esse experimento agnosceretur, probaretur autem mihi si in hoc exemplum componeretur.

℞. Myrobalanor. omnium ℥. 2. tamarindor. ʒ. 3. anisorum ʒ. 5. mastiches ʒ. 1. s. cinnamomi ʒ. 2. garyophillor. ʒ. 1. turbith. ʒ. 2. s. f. decoctio in lib. 5. aquæ absinthii ad consumptionem duarum partium. s. a. facta prius infusione myrobalan. contusorum, & confricatorum; cū oleo amygdal. dulcium per. 24. horas, & facta colatura cum expressione. ℞. foliorum senæ elect. ℥. 2. gingib. ℈. 2. tartari uini albi ℥. 3. Fiat infusio in suprascripta decoctione totis 24. horis, quæ coletur cū expresione. Deinde. ℞. rhababari electi ʒ. 3. cinnamomi ʒ. 1. vini aromatici quantum compræhendat rhabarbarum, & fiat maceratio totis 24. horis, quæ coletur cum expressione. Tādem ℞. Succi saluiæ ℥. 3. s. succi iridis ℥. 5. decoquantur omnia, & cum syrupo de corticibus citri, & saccharo paribus partibus fiat syrupus, de quo sesquiunciam cū minimum sumat. Habeat etiam pastam ad pilulas, de qua paulatim sumat, verbi gratia. ℞. spec. hieræ. S. Galeni ʒ. 2. s. agarici opt. ℈. 5. rhabarb. electi. ℈. 7. fol. senæ electę ʒ. s. tartari ʒ. 1. succi iridis, oxymelitis an. q. s. misc. & f. massa de qua sumat per catapotia saltem ʒ. 1. in modū syrupi suprascripti, & modo hoc, modo illo vtatur medicamento.

Vlceri crassorum intestinorum.

CONSVLTATIO CCCLXXIV.

Crassum intestinum tenditur secundum ventriculi fundum, ibi dolor mouetur, & paulo post aluus cum malis recrementis descendit parum cum alui fece mixtis, imo, si solidior sit, etiam separatis, in eo ergo intestino vlcus esse conijcio, quod cum vetustum sit, sordidius esse, & durioribus labiis conuenit. Instituto ergo viuendi modo, ego huiusmodi enemate vterer, quo vlcus abstergeretur, & intestinum in suam temperiem rediret, & ab aliqua exigua inflammatione liberaretur.

℞. foliorum hæderæ contusorum.
plantag.
cynoglossæ
consolidæ maior.
mille folij. } an. m. r.
Ligni cupressi derasi
guaiaci derasi } an. ℥. 2. s.

Fiat decoctio in aq. & vino paribus partibus, quæ coletur cum valenti expressione.

℞. Suprascript. decoction. lib. 1.
mellis rosacei ℥. 2. s.
ol. hypericon. ℥. 3.
Aloes. ʒ. s.
Misce pro clystere.

Possunt suprascripta quoque incoqui in vini quidem parte vna, in parte autem altera aquæ illius, quæ colligitur sub molis, quibus ferramenta acuuntur. Atque ipsi clysteri potest adiungi vna cum aloe etiam terebinthina ad abstersionem, & concoctionem, quæ si dolorem augeant, possunt deliniri vel ptisana, vel vitellis ouorū, hæc namque deliniunt quidem, tamen etiam abstergunt, & inflammationi, quæ solet huiusmodi ulceribus assistere, occurrunt, quæ nisi tollatur, nūquam vlcus poterit sanescere.

CONSVLTATIO CCCLXXV.

Excellentissime Cartari.

Notę amoris erga me tui omnes adeo me delectār, vt, cū multus in literis tuis agnouerim, illæ mihi supra modum gratæ fuerint, facit hoc ea opinio, quam iam diu de tuis moribus, & tua doctrina concepi, qua nullu aut candore, aut iudicio maiori præditū credam, quanta ergo est mea hæc de te existimatio, eique par amor, tantæ voluptati mihi sunt signa mutui tui erga me amoris, meum vero ego libenter exercerem aliquo officij genere tibi præstando, cuius rei occasionē summopere exopto. De re autem eius nobilissimæ fęminæ ego ex te optime cognoui, nā tu eā cū penitus perspexisti, tum explicatissime declarasti, adeo, quod uidear uidere aliquam earum, quas olim sæpe quidam loco videram, vbi huiusmodi morbi curabantur. Sunt uero tanquam fungorum species, quæ ea in parte fere sine visibili ulcere nascuntur, potius ex quadam putredine dissoluitur una cutis, & exeunt caruncula, quæ ob corporis, & figuræ similitudinem eiusmodi nomen inuenire.

Solent autem stipitē, hoc est partē suā cuti proximā, admodum durā habere, superiorem autē mollem, & putredinosam, fædique odoris, nā, cum non viuant, & humidæ sint, quo longius a viuo corpore prodeunt, a calore

stare naturali remotiores iter in putredinem capiunt. Ergo quoniam mulier grauida est, & in tempore quo purgatio veratur, a remedijs nimium exagitantibus cauerem; præsertim verò quoniā terror, qui ab igne, aut ferro incuteretur, periculum abortus afferret, mirum est enim, quam sanguis spirituum commotionem sequatur. Nam alioquin ignis mihi tutissima res videretur, ego itaque ad olea caustica deuenirem ea temperatione adhibenda, qua dolorem non afferrent, & paulatim exurerent eam carnem. Oleum sulfuris tutissimum est, ab eo parum differt oleum calcanthi, si gustu examines, nam quamquam exurant, habent tamen magnam adstringendi vim, ac si quid doloris afferunt, id quàm citissimè quiescit. Possunt ergo excipi cotone stilo illigato, & admoueri, sic enim non diffluit in partes eo non egentes, ego etiam eiusmodi oleum excipiam carta, B scriptoria scilicet ea in acutum complicata, sic tāgo loca, quæ voluerim, & possum etiam comprimendo magis medicamēti vim infringere, toties hoc repeti potest, quo ad consumptionem perfecerit, deinde locus in modum vlcerum omnium curari debebit.

Neque verò ego hanc curationem vltra differrem, quoniam carnes eiusmodi semper magis obdurescunt, maligniores fiunt, & nouas indies pariunt semper peiores. De curatione verò totius corporis ego sic statuerem, quod cum partus iam iuuat, & vita humana speciei, non licet cum periculo eius interitus valentioribus agere, nō solum in purgando corpore, sed in fomite huius morbi extinguendo, eamque moderationem adhibere debemus, vt lenioribus agendo, si per lenientia aluum, vt mel rosaceum, malitia vltra non increscat, cum C his illam vsque ad tempus commodum post puerperiū perducamus. Sin casus incrementi videamus, ad alexipharmacum proprium leniter tamen dandum etiam transeamus, nimirum guaiacum, quod vt minori modo tanquam amarum exhibeatur, cum salsa parilia coniūgamus; nam neque ob grauiditatem maiori modo dari potest, neque ob nimis exiguam corporis purgationem, qua corpus inueniret parum purgatum.

Non satis proficiet ad sanitatem reuocandam, satis tamen resistet casubus interim metuendis, neque enim illi Medici audiendi sunt, qui palatui, & lautioribus obsequentes affirmant se curasse multos etiam sic leniter agendo, nam ita postulat libertas eorum loquendi, quibus ego dicam etiam me non credere, quoniam ita postulat libertas meæ naturæ. Igitur aut intra ea standum D est, quæ leniter aluum mouent, aut casibus vrgentibus ad guaiaci auxilium confugiendum, ita tamen, ne aut tenuissimus victus seruetur, aut valentiori modo id exhibeatur. Sic temperatius, & cum salsa parilia datum liberaliorem etiam victus rationem permutet, neque salsæ vsus cum guaiaco coniunctæ quidquam molestiæ vētriculo afferre potest, & corpore sic ad idoneum tempus perducto consilium de curatione iusta erit ineundum. Doloribus crurum mitigandis eadem ratio proderit, cui etiam inunctiones dolorosis vlceribus faciendæ ex vnguento, vel cerato Io. de Vico coniungi poterunt cum vnguento de tutia.

Hæc sunt quæ mihi in animum venerunt de re proposita, quę sic ruditer explicaui, quoniam certus sum Io. qui me cum eo, qui potest rem distinctè iudicare, & pru- E dentia curationem dirigere. Cui ego plurimam salutem dicendo finem faciam. Pisauri 8. Calendas Ianuarij in fine Anni 1577.

De eadem.

CONSVLTATIO CCCLXXV.

QVod pariliæ potiones ei acidos ructus pariant, monet nos, quod iam statueramus antea, nimirum, ne eam simplicem decoquamus, sed cū guaiaco, quæ res nisi satis sit ei incommodo tollendo, salsam pariliam in guaiacum simplex mutemus, neque.n. A ram metuenda est guaiaci leuis amaritudo, & abstersio, cum sint adstringendi vi coniunctæ, nam vt abstersio, & incisio ad humores pertinet, sic adstrictio ad solida, & continentes partes, sic vterum etiam potest confirmare. At vrinam mouet, ergo facile etiam per vteri vias potest facere aliquam incitationem.

Dico non valdè vrinam mouere, & multo maiore vi opus esse ad humores per vterum incitandos, quam ad vrinam, quoniam renes trahunt, non vterus, & trahunt illi quidquid acrioris, & amarioris est, ac fœtidi in corpore sua natura eiusmodi existentes, quod nullo pacto facit vterus, ita multa vi sanguis est incitandus, quo ad vterum non attrahentem compellatur, Maior difficultas est in guaiaco solo deligendo, quoniam tenuiorem B victus rationem postulat, quam verò vos debetis temperare summa cum diligentia, ne tam tenuis sit, vt grauiditas non ferat, neve tam plena, vt lignum nequeat prodesse. Difficultas modo erodendæ illius carnis mihi noua non est, nam noui durissimam prope cutem esse, oleum tamen propositum subinde repetitum, eam exedet, postquam ferrum exhorrescit. Posset etiam adhiberi, quamquam non plus faceret, præcipitati puluis crasso modo inspersus, nam tenuiter datus parum efficiet. Sed diligenter est modificandus, qui esset oleo omnino anteponēdus, si oleum dolorem pariat, quamquam certè breuissimus ille dolor magnifaciendus mihi non videtur. Modificatur autem positus in ollula ad ignem donec candescat, & hoc multoties, identidem vero extinguatur cum aqua vitæ dicta; sic enim dolorem non C mouere ego obseruaui. Quod ad reliqua vlcera attinet, ego illa vellem aperta manere donec corpus sanescat, nam plurimum per ea suorum malorum deponit, si quę tamen suo dolore molesta sunt, & vigilias afferant, vt quæ in pedibus esse referunt, ea demulcenda sunt delicatioribus vnguentis, vt de tutia, & cerussa cum rosaceo, si etiam curanda ea sint, quod dolere non desināt, vnguento Io. de Vico, id fiat cum vnguento de tutia, vt iam dicebatur. Vlcus certe sub ventre curandum non est, minus ei vnguentum Io. est adhibendum, sed illis agendum, quæ delicatoria sunt dicta, & minus exsiccant, nam illud est in loco, quo totum corpus, & iecur maximè possunt expurgari. Qua de re mihi aliud reliquum non sit ad dicendum, nisi quod, cum purgatio parte admodum facta sit, illa erit sub ijs potionibus re- D petenda septimo, aut octauo quoque saltem die, quā die vel intermittat, vel sumat solitas potiones, vt pati posse existimabitur, modo ne ea die sudori occasio detur. Vale.

De quodam genere pediculorum in papillis nascentium.

CONSVLTATIO CCCLXXVI.

MOlestia harum pediculorum maxima papillis solet afferri præter alia incommoda, & turpitudi- E nem, & peius sæpè pollicentur, propterea omnino ipsi auferendi, & generatio eorum prohibenda. Fit autem hoc satis facile, si coto seu bombace vulgo calefiat admodum ad torrefactum panis medullam, & ita continuo papillæ ingeratur. Sic enim in cotone pediculi irretiuntur, & eo amouendo detrahuntur, papilla verò etiam ipsa vdo illo humore, & mali generis, vnde origo pediculis est, liberatur, & curatio integra est.

De renum dolore cum calculi suspicione ad Illustrem Comitem Gabitiarum D. Petrum Floridum.

CONSVLTATIO CCCLXXVII.

DOleo vehementer me tuo desiderio satisfacere non posse in eo præcipuè homine, cuius salus multum interest Federico nostro, in eo enim casu multa esse possunt scitu valdè necessaria, de quibus nihil penitus potui ex illis literis cognoscere, alia ad morbi rationem, alia ad curationis cursum pertinentia.

Crediderim quidem ei detractum esse sanguinem etiam ex vtroque talo, vt febris, & dolor ingens postulare videntur, neque enim dolor febrem sine aliqua inflammationis specie potest afferre. Vomitum quoque spero fuisse excitatum, quo & ventriculus ab humoribus dolori augẽdo idoneis expediretur, & à dolore auersio fluentium fieret, tum mittendis remedijs per ventriculum in renes tutum iter aperiretur, sperarem etiã posthæc ei exhibitam fuisse cassiæ medullam, & multoties quidem, quoniam non tam moueretur materia, quæ in renibus est, nam parum, vel nihil caloris ad id tenet, potius faciat ad deliniendas vias, lubricumque iter parandum, & duram materiam eliquandam. Sperarim verò præterea exhibitum fuisse oleum amygdalarum etiam amararum, & tandem ijs potionibus vacari, quæ extenuent sine calore, & mediocriter possint vrinam mouere, ne materiam à medijs venis in renes nimium propellerent, hosque inflammatos, vt coniectura est, exacerbarent, nimiaque materia obruerent, potius inflammationis causam leniter, & paulatim ex eis deducerent, qua sublata inflammatio quiesceret, vt illa manẽte hæc nunquam poterit auferri, qualia essent cicoracea omnia, lupuli; fumaria, beronica, capilli veneris, cetrach, oxymel, lanugo ipsius cetrach, ossicula mespilorum quæ robore partibus conciliando, earumque expultrice vi iuuanda prosunt potius quam materiam mouendo. Aqua etiam chamæmeli cum puluere lapidis iudaici. Succus herbæ vrceolaris seu parietariæ, cinis scorpionum, vitrum combustum paulatim semper valentiora vsurpãdo, vt sunt, radix rubiæ, saxifragiæ, syrupi de radicibus de stœchade cum oxymelite squillitico, vt est borax, quid in ouo sumi potest.

De saxifragijs ego noui eam, quæ ostiocollon dicitur, valdè præstare, obseruaui verò sæpè succum iridis pondo ℥. s. cum rhabarbari pondo ʒ. i. vrinam maximè mouisse, cum esset suppressa, & hydropicis factis ob diminutum vrinæ cursum daretur. Radicis ononidis cortex decoctus, vel aqua eius; syluestris raphani pariter, tum corticis capæ, & fragariæ multum possunt. Vidi etiam Medicos plurimi fecisse ius cicerum arietinorum, quod ego confici iussi sæpè cum cæparum corticibus, & radicibus diureticis.

Sed infinita materia est, de qua certus vti sit delectus, ratio morbi omninò perspecta esse debet, quemadmodum præsenti medico esse potest. Vale. Vrbini 5. Calend. Septemb. Anno 1577.

De vlcere faciendo per cauterium, & seruando ad Illustrissimum &c.

CONSVLTATIO CCCLXXVIII.

ITa mihi Iesu Opt. Max. hoc solatium det, vt queam suæ D. Maiestati inseruire, maximè in principibus viris ab eo in potestate constitutis, quibus me destinauit, tum præcipue T. D. Illustrissimæ, vt ego maximum cæpi solatium, cum legerem, quæ in tuis literis à me requiris.

A In ijs primum est cauterium, deinde vnguentum, seu emplastrum, quod illud circumsistit, & continet, est gluten, quo postea cicer depressum seruaretur in vlcere iam facto, atque adstringitur, est etiam vnguentum, quo vlcus sæpè est deradendum ne compleatur. Cauterium optimum illud est, quod fit è lixiuio, calce, & cineribus cornei facto, quod tam diu ad ignem ferueat, vt crassitudinem mellis acquirat, adiecto etiam opio, quamuis etiam sine eo sit commodum.

Emplastrum debet respicere inflammationis periculum, & fieri ex vnguento albo præcipuè, etiam cum caphora si principium iam inflammationis sit. Gluten, quod alijs præstare obseruaui fit ex cineribus è camino fabrorum derasis, oui albo comprehensis, Vnguentum vlcus benè abradet, cum erit opus, si cum vnguento ro-B saceo puluis præcipitati componatur. Aliud præterea nescio quid necessarium sit, nisi quod interdum dolori alicui leniendo posset vti adipe aqua maluarum diluto, cicer ipsorum illinendo. Quibus ni satisfactum fuerit, ego alia perscribam. Interea salutem precabor, & fælicitatem. Vrbini 4. Cal. Octobris 1577.

De hydropico.

CONSVLTATIO CCCLXXVIIII.

VEnter maximè tumet, & videtur cum aqua parum flatus habere, ad talos vix aliquid tumoris deuenit, quod œdema referat, spiritus difficultas est, post C quam tumor ventris impensius increuit, hoc verò factũ est, postquam scroti vulnus, per quod humor diu effluebat coaluit, febris præcipuè sub vesperam manifesta est, sub qua pulsus maximè brachij sinistri tensus sentitur Vrina exigua biliosa satis, & crassa, hæc in homine, cuius corpus naturæ calidioris, & longe magis sicciores est, ætas autem L. annorum cui plurima administrata in remedium sunt, nihilque profecere, in quibus fiunt iridis succus cum rhabarbaro. Sentio ego lienem tumidum, & durum, iecur non ita potest sentiri, quoniam fere totum costis tegitur, cum huiusmodi duri tumores difficilium curatu sint in florentibus ætate hominibus, imo etiam in tenerioribus nisi molliores fuerint, cumque initium soleant præbere huiusmodi aquæ generationi, certe de curatione huius morbi desperatem, maximè D verò cum videam vrinas tam parce procedere, cuius rei causam non possum nisi in iecur referre. Renes enim nihil habent, quod intelligi possit mali, quo opera sua impediantur, ea propter, cum aqua intra peritonæum se se recipiat multa, necesse est eam ad venas non penetrare, sed in venis simæ iecoris partis retineri, à quibus intra peritonæum destillet, retineri modo aquã obstructionibus verisimile non est, quoniam sanguis in venas procedit, qui sero suo seu aqua crassior est. Vidi ego in cadaueribus hydropicorum, quibus hoc pacto vrina fuerat diminuta, venas sanguine satis bono perfusas, quamquam non multo. Qua propter sic effundi serum, & aquam intra abdomen debet, eo quod venæ illæ id ex inchoato sanguine exprimant, atque effundãt, quod quidem calida intemperie tantum facere possint, & in E his obseruabis aquam colore admodum fuluo, & exustionem indicante præditam, contra quam in alijs alterius originis hydropibus, in quibus alba est, imo aquæ colori etiam viscera respondent, tum colore, tum corpore, nam fuluæ aquæ habent viscera nigriora, & dura, sæpè longe minora viscera, quam iustum sit, Vt viderim iecur contractum tanquam corium torrefactũ, Albæ vrinæ habent in album vergentia, & mollia, plenioraque, & quasi œdematosa, calida ergo, & sicca intemperies venarum in sima iecoris consitarum, potest male parare materiam sanguini, & torrefaciendo ante serum ab ea separare, quam opus sit, vt in vaporem illud vertat, & elambici modũ, & per tunicas in cauum abdominis exprimat. Ascitim hydropem faciendo,

quemadmodum si contigerit ibi melancholicum, & A terrestrem humorẽ esse, halitum exprimit, qui in aquã postea minimè verti queat, sed sua ariditate flatus speciem retineat. Galenus quoque genere quodam inflãmationis melancholiam hypochondriacam facit, facit etiam hydropem, quamquam non fusè in eo se explicet. Videmus nos sæpè inflammatos pulmones thoracem aqua compleuisse, vidimus faucium inflammationem aquę incredibilem copiam per os effudisse. Repleta ergo abdominis cauitas potest septum vrgere, & thoracem adstringere, vt dilatatione maiori opus habens, magis laboret, in maiori hæc facienda, possunt etiam pulmones difficilem habere dilatationẽ, nec ita facilè sequi ad thoracis motum, ꝙ sunt sicciores, & duriores facti ob egestatem humidi alimenti, quo nutriũtur. Vidi talem difficultatem in adolescente cui pul- B monesin id ariditatis inciderãt, vt mortuo aperto iam minui viderentur quamquam laxi cui febre laboranti maximè dilatare thoracem fuerat opus. Magnitudo enim motionis cum doloris vacuitatem, tum pulmonum cauitatem liberam, aut thoracis angustiam significant, quod thorax mediocri dilatatione non satisfacit pulmonum cauitati distendendæ. Breuis autem dilatatio interdum dolores, interdum ipsam pulmonum cauitatem impeditam indicat, cuius causa thorax nõ vltra dilatetur quam repleta illa angustia sit, sic exiguus spiritus, & crebrior duci debet, pulmonibus plus non admittentibus. Sed de curatione iam. Ego salutem nõ spero in huiusmodi originis hydrope, aliquando soleo sperare cum humidam intemperiem sequi intelligo, & ætas iunior est. Ignis proponitur ventri dandus, mallem C ego ferrum, nam facile exiret aqua, vulnere tamen conhalescẽte reditura. Cum ergo illa educta fuerit, & paulatim, ne vasa, vt in cute etiam cernitis, amplificata nimis repentino motu exhauriantur. Ego medicamenta sic componerem. ℞. specierum hieræ. f. Galeni ℥.1.s. brassicæ marinæ ℥.1. rhabarb. electi ℈.2. succi iridis q.s. cum saccharo f.b. vel loco brassicæ imponerem gr.1.s. elaterij minimè recentis. Postea ℞. syr. acetosi diarrhodon, de eupatorio, de cort. citri, oxymellis squillitici an. ℥.1.s. rhabarb. electi ℨ.1.s. misce & accipiat quotidie ℥.1. eruendus enim esset adhærescens humor intemperiem continens, antequam intemperies tenetur, frustra enim tentatio esset, & periculosa, quod magis humorem impingeret, certe non remoueret. Si intelligantur D pulmones materiam recipere vt in alijs hydropicis visum est. ℞. rad. farfaræ iridis an. ℥.1.s. vrticæ ℥.s. fol. hyssopi, marrubij an. m.2. fiat decoctio in aqua absinthij quo decocto diluatur suprascriptus syrupus. Morbo diutius trahenti, ℞. marrubij, absinthij, agrimonij, eupatorij Mesue an. m.2. cetrach m.3. fiat decoctio in aqua lupulorum s.a. cui expressæ adde succi iridis ℥.5. parum ferueat, & cum melle fiat adiecto aceto oxymel. ℞. huius oxymellis ℥.2. rhabarb. el. ℈.1. diluatur autem infrascripto iure. ℞. cicorei, acetosæ, lupulorum, agrimonij an. m.1. spicæ ℈. s. cinnamomi ℨ.1.s. fiat decoctio. Poterit etiam exhiberi succi iridis ℥. 1. rhabarbari ℨ.s. spicæ gr. 7. misce, & quinto quoque die detur, medijs diebus vsui syruporum relictis. Quidam etiam, quibus in cruribus scarificationes sunt factæ, aquam emisere, E alij quibus ex cauterio fuerant, aut ex vesicatorio dicto vlcerata, sed nisi crura intumuerint, id non sequetur, & a gangræna diligenter sub ijs operibus cauendum est. Flatui discutiendo ad molestiam minuendam emplastra imponi poterunt, vt ℞. specierum emplastrum de baccis lauri ℥.1.s. olei laurini ℥.2.s. resinæ terebinthynę ℥.s. mastiches ℨ. 1. ceræ, ol. absinthij q.s. misce.

Vel ℞. specierum diacymini, spicæ, gariophyllorum, olei anethini, terebinthynæ, mastiches, vini maluatici, & cæt.

Huic extincto post ignem datum ventri febre etiam aucta ex eo, iecur refertissimum, & durissimum fuit, & lien pariter. Pulmo autem sinister ad modum exiguus.

De dysenteria ex vlcere crassioris intestini.

CONSVLTATIO CCCLXXX.

PRæter locum doloris, & tempus, recrementa etiam indicant, quod crassum intestinum exulceratũ est, nam dolore secundum fundum ventriculi incessante, paulo post aluus descendit, & pus, ac sanguinem a fœcibus distincta effert. Verum fœces ipsæ indicant etiã viscera minus bene habere, nam alieno admodum colore sunt, & liquidiores, obscurus ille est, & fuscus semper. Doloris modus est, vt, cum is paulo ante alui descẽsum vrgeat non cessat, nisi postquam sanguis cum pure exierit, illa verò non nisi post fęces exeunt, quasi non nisi post vltimam intestini contractionem, & multa vi ex vlcere exprimantur, alioquin enim vna cum fæcibus deuoluerentur. Si dolor prope sedem esset accusari posset aliqua hæmorrhoidum, quæ in sinum dilatata, inflammataque sanguinem in pus mutaret.

Et profecto miratus sum interdum tantum puris sine vllo dolore quotidie in eiusmodi casu excerni, vt libram semper superaret quod pus fœtidissimum exibat, nunquam aluum irritabat insolentius, sed solitis naturę temporibus tantum aluus mouebatur, & ferè sine fęce illud erat. Dolor igitur pus hoc non in venis in quibus humores, sui sensum non mouent, esse indicant, & reliquæ in corpore intestini esse vlcus confirmant; in quo pus conficiatur. Vermiculi quoque longi ad latitudinem vnius digiti exeuntes, & rubentes, malam putredinem humorum significant, etiam a superioribus partibus venientium. Vtrique ergo parti occurrendum viscera nimirum expurgando, temperandoque, & vlcus abstergendo, & renutriendo. Per os ergo post multa, quæ exhibita sunt, ego exhibere myrobalanos cum rhabarbaro, cum seminibus plantaginis, & acetosæ, quibus absinthium adiũgerem. Intemperies namque vnde praui humores fiunt, ea non est solida, sed a materia adhærescente sustinetur, & ea materia remota atque derasa, nihil intemperiei ei mansurum arbitrarer, maximo robore visceribus conciliato.

Ea propter rhabarbarum, & myrobalanos cum absinthio laudarem, quæ vlceri quoque profutura videantur, cuius porrò causa, etiam polygonum illis & consolida tum cimbalaria addi possent, in consolidis illa est, quæ regalis dicitur, floribus delphinio similibus, quæ mihi vsu ipso commendatissima est. Injici autem ad vlcus curandum ea debent, quæ abstergant, vna & inflammationem refrigerent, vt ius ptisanæ, vel ptisana ipsa, aut aqua fabrorum, aut quę ex molis acuentium ferramenta labitur, cum quibus succus apij, succus iridis, mel rosaceũ, vel syrupus rosaceus commisceri possunt, & interdum etiam vim fæculæ, quæ tartarum dicitur, exempli gratia. ℞. decoctionis hordei, & furfurũ factæ in aqua fabrorum lib. 1. succi apij ℥.2. iridis ℥.1. mellis rosacei ℥.2.s. misce pro clystere exsiccantia, refrigerantiaque addenda in altero clystere post hoc, quod abstergit, & iura plantaginis, consolidæ, millefolij, verbenæ, cynoglossæ, seminum acetosæ, plantaginis, portulacæ. Terris laurioribus additis, vt sigillata, bolus armena, cuiusque generis, lapis hæmatites, tutia, lithargyrum, sæuum etiam hircinum exsiccat, præferunt alij seuum ceruinum. Profecto ego vidi per vsum terrarum illarum vlcera malignissima etiam in faucibus superata, quibus iungebam etiam pulueres corallorum, & cornu cerui, præmisso vsu olei sulfuris, vel calchanti.

Sed clysteriorum descriptiones sæpè mutandæ erunt, quoniam longus morbus est, & solent vsu longo medicamenta debilitari.

De suffusione incipiente, seu nondum confirmata.

CONSVLTATIO CCCLXXXI.

Oculorum natura, si corpus ipsum consideremus, valdè frigida est, & dura, nec facilè concoquit, aut dissipat, dissoluitve sua recrementa, siquidem naturæ auctor voluit sine necessitate concoctionis, & alimẽti manere, ne pelluciditas turbaretur, frigidæ autem restum non possunt concoquere, tum non egent concoctione, quoniam non dissoluuntur; vt ait Aristoteles, sic oculus potuit diu suam perspicuitatem tenere, sic à principio generationis debuit statim summam ferè suã magnitudinem obtinere, vt in nonnullis animantibus ferè caput eorum exæquet, quemadmodum in pullis gallinaceis, si oua frangas à quarta die vsque ad septimam videbis, scilicet ita magni creantur, ne necessitas incrementi necessitatem alimenti inferret.

Cum ergo casu aliquo fit, vt recrementum aliquod calore in caput vna cum spiritibus elatum cum eis in oculum proueniat, ibi dissolutionem non inuenit, quin frigore partis magis concrescat, & duritie membranarum egressu prohibeatur.

Sic in humore magis liquido subsistit, & crystallino humori contra vuæ foramen sedens officit durissimum ad dissoluẽdum, remedijs valentioribus egens tum sua, tum membranæ corneę causa, per quam remedij vis ad ipsum perferatur, potest vero etiam, vt debet, oculus valentiora remedia pati suæ frigidæ temperiei, & duritiei causa, præsertim ipsius corneæ. Non solum autem valentiora esse debent remedia, sed diu in oculis habenda, quo opus optatum perficiant, ita & multis diebus adhibenda, & ea, quæ in oculo diu esse queant, qua propter liquidiora minus idonea videantur, cito enim effluunt iniecta, &, quæ res notari debet, quoniam oculi acriores etiam sensus tactus sunt, plus nocere possunt irritatione, quam iuuare discussione, propter quam adhibentur, ea crassiori temperamento deligenda sunt, quo se se tamdiu ibi sustineant, quamdiu actionem edere queant, ac quidquid turbationis suo accessu attulerint, illud vtilitate digestionis superetur. Quæ porrò turbatio fere cum calore accedit, ita sæpè profuisse notata est, vt vel, quæ à puluere cantharidum per errorem immisso visum admodum iuuarit.

Post purgationem ergo totius corporis, atque etiam capitis, post eam etiam purgationem, qua totum corpos, & venosum genus per sudorem omnibus recrementis liberatur, exhibito nimirum guaiaco cum salsa parilia ad 40. dies sub iusta abstinentia, tunc oculis ea, quæ incidunt, & concoquunt, atque extenuant suo calore non valde exsiccando poterunt adhiberi, vbi leuiora primũ danda sunt, nam ita oculus mirabiliter assuescet etiam acrioribus.

Ergo mihi oportunum videretur, si galbanum cum butyro inter initia componeretur ea ratione, qua minimum molestię afferret, deinde mel, & crocum adijceretur butiri modo diminuto. Exempli gratia.

℞. galbani purissimi ʒ. 1. Croci ℈. s. mellis, & butiri pariter ℈. 2. componantur ad ignem in duplici vase, cui compositioni addi etiam potest myrrhæ ℈. 1. quæ concoctionem iuuat, & robur etiã affert. Neque enim tam dissolutioni attenti esse debemus, quin oculum ipsum à dissolutione suarũ partiũ tueamur, & dissolutio, quæ tũ id, quod naturæ est, quam id, quod præter naturam attingit; tantum ad hoc pertingat, corpus autem oculi firmum inueniat, & non superet.

Ad penetrationem præterea addi potest aceti stillaticij ℈. s. vel etiam aquæ vitæ, atque horum alterum, cum oculus fuerit assuefactus. Tunc verò mel quoque stillaticium per ignem primo, quod tanquam aqua, & tenuius exprimitur, deinde, q̃d maiori ignis vi, & crassius

A prius quod extinctũ est; postea quod integrum, nam magis acre est. Vtiliter quoque componetur acetum stillaticium, cum melle, & cum his succi fœniculi, chelidonij, rutæ, atque eufragiæ, cum vero etiam betonicę. Mel quoque stillaticium cum ijs poterit coniungi, & mitigari. Sagapenum ẽt per se mirabiliter agit, & minus turbat, q̃ galbanum, calorem quidẽ vehementiorẽ accessu suo mouet, at minimæ molestiæ, & nullius noxæ, imò roboris incredibilis, cum quo ad robur, & concoctionẽ crocus addi potest.

Sit hoc exemplum. ℞. Sagapeni purissimi à sorde omni ʒ. 1. Croci ℈. s. mellis stillaticij; aquæ vitæ, aceti stillaticij an. q. s. ad inducendum temperamentum vnguenti crassioris ad ignem per duplex vas componendum, vt omnia ocularia debent, & ab omni sorde defendi.

B Tuberculo in pulmonibus paulatim crescente, & spiritum impediente cum tussi assidua.

℞. Althææ ℥. 3. farfaræ ℥. 2. glycirrizæ ℥. 1. s. semi vrticæ ℥. 1. caricar. pinguium num. 5. marrubij m. 2. rad. helenij ℥. 1. cæpæ num. 1. f. decoctio in s. q. aquæ, quæ coletur cum expressione.

℞. Suprascriptæ decoctionis lib. 1. mellis lib. 5. Aceti scillitici ℥. 3. Misce, & ad ignem fiat oxymel.

℞. Suprascriptæ colaturæ reliquias, & per cribrum transmitte deinde addito melle, & exiguo aceto f. electuarium.

C *De recenti rheumate à subito frigore orto.*

CONSVLTATIO CCCLXXXII.

A calore subitum frigus sensit, deinde in rheuma hoc incidit, quod ad fauces, & colli musculos, ad thoracem, & corpus totum videtur pertinere sua molestia. Faucibus dolorem affert sine vllo rubore, dolente interea capite ad syncipur, oculorum quoque acies perturbata est, & quasi aspiciat per caliginem affecta, colli musculi lassitudinem sentiunt, dorsum quoque, & crura dolent, & corpus totũ sensu molestę tensionis affectũ, est crura vna cũ dorso propriam occasionem sibi præstitere, nam motionibus citatioribus exagitata sunt, vnde ipsa primo, deinde totum corpus concaluit, quod sub D inde subito frigoris aduentu affectum in ea incõmoda incidit, crura itaque ẽt sine rheumate vna cum dorso sic possent, quoniam sub motu, & calore fusio humorum etiam crassiorum facta est, vaporesque, ac halitus excitari, quorum quidam in caput elati sunt, quidam ad corporis extremum ambitum, subito autem frigore illi quidem a capite depressi, coactique in humorem rheuma fecerunt, hi substitere concreti pariter, & molestiam hãc cruribus, & dorso potissimum, ac toti corpori attulerunt, dorso quidem potissimum, & cruribus, quoniam magis calefactæ partes, & laborantes magis attraxere, fuisse factam angustiam cutis, & inuisibiles meatus adstrictos dubitarem, quoniam tactu illa non E percipitur eiusmodi, qualis describi sub angustia solet, certe vapores eam subeuntes ibique subsedentes concreuere, tensionemque, ac onus præbent spatia replentes maximè, quæ inter musculos, & eorum tunicas sunt. Difficilem spiritum potius, & thoracis laborem in culpam rheumatis referre possemus, communiter namque receptum est a capite in thoracem per trachæam fluxiones fieri & destillationis nomen illis datum, auget verò potestatem hanc nobis communiter concessam faucium ille dolor, per quas in pulmones via est, a quibus si ichor aliquis asperior in os laryngis seu eius labia etiam summa incideret, tussim moueret, per quam quod in pulmonibus tacitè quiescit, expelleretur. Sic coniecturæ ratio certæ notitiæ speciem haberet.

Verum quid prohibet existimem, quod frigus compresserit vapores, & vna humores intus, qui per latas vias,

vias venarum facilè iter in cor habuerint iam intus in medium concitati, qui cordis concalfacti potissimum calore attracti, in pulmones reiecti facile sint, in quos viæ laxæ corpore laxissimo etiam nimis de facilè excipientis. Sicque completos pulmones difficilem spiritum exercere.

Dicatis etiam, quod vapores, & fumi eas in sedes raptum habentes id faciunt. Dicet æger crassum se habere spiritum, nimirum, quod plus dilatationis, & contractionis faciendum, & magis laborandum est, quoniam repletis, aut angustis spatijs dicta repletione factis non tantum capitur spiritus mediocri dilatatione, quantum opus est, & fumus maiorem in modum auctis exprimendis, mediocris contractio non satisfacit, quin thorax cõpressione maiori vti cogatur, cuius spatio etiam dilatationis necessitas magis augeatur. Forsan etiam thoracis musculi, vaporibus vdis hebetati, difficilius agant, sic maiori vi contendant, nec doleant tamen quoniam vaporum genus leue est. Sed hoc minus verisimile videtur. Hinc dolor syncipitis est, & totius corporis molestia, fumus etiam cum vaporibus ei incitatis. Quæ vero omnia illud causæ amplius habere credendum est, quod partes a frigore non solum cogendi, & retinendi humoris occasionem habuete, sed eiusdem quoque gignendi a frigore per intemperiem inductam sibi debilitatæ, neque proprium alimentum perfectè superantes indeque multum recremẽti colligentes, & ita sibi onus amplificantes, quod præcipuè capiti venire necesse est, cum suapte natura frigidius sit, & magis externo accessui frigoris obiectum ijsdem vaporibus oculi perfunduntur, in somnũ propensio fit, quies tamen tanta motione, & fumorum permixtione non permittitur, genere namque humido somnus, calido autem maximè sicco, & mouẽte vigiliæ fiunt. Cum cibum proximè sumpsit, tum dolor capitis leniiur, quoniam tunc humidi vapores fumosos superant. Num modo fumi hi, & halitus febrem incendant, & vt incendant; quod febris genus efficiant, ad Galeni doctrinam videamus. Ex vaporibus a sanguine expressis ita retentis repletio sanguinis fit, nam in eãdem naturam redeunt, ex qua euaserant, idque si intra modicam adstrictionem corpus manserit, nam si ea nimia fuerit, etiam in febrem synodum primo sine putredine, postea cum ea fiet, sic pariter mediocri adstrictione, si pituitæ vapores detenti fuerint, pituitæ repletionem primo faciunt, & aquæ, vt in ijs, qui vigilijs laborarunt, videmus, quibus ex repletione pituitæ oculi intumescunt, etiam si caui sint, vt ijs qui nimio somno vsi sunt, nimia verò accedente adstrictione, non solum febris ephemera, sed putrida etiã accedit, quæ de epialarum genere est. Si sub ea adstrictione modica fumosi vapores sint ex acribus nimiũ humoribus, quoniam non concrescunt, ij sua acri natura irritant membranas, vlcerosam lassitudinem parientes, quod si immitius agant, etiam inæqualitatem mouent adhuc immitius, horrorem, si etiam immitius rigorem motu, & sensu suo.

Sic verò facilè spiritibus commixti ij acres fumi suo genere calido, & sicco, illos in calidum, & siccum, hoc est, in igneum genus conuertunt, & febrem ephemerã facto prius rigore sæpè excitant. Quæ res, vt mihi dubia non est & cum Galeno est, sic admirationem parit cur multi in cathedris Galeni doctrinam profitentes, & naturæ notitiam, ponunt tamen rigorem tanquam proprium putridarum febrium signum, & vbicunque fuerit, ibi nequaquam ephemeram, tan quam ab eo alienum, sed putridam, tanquam eius proprium indicium denotare subesse affirmant. Sic nostri sęculi principes medici multi in quibus vnum Guainerium nominasse sat erit. Galenus verò etiam addit, quod rigor interdũ redit tertio quoque die, aut aliquod simile, ad quod febris, sine tamen putredine consequatur. Ephemera nimirum, cum facilè per rigorem spiritus incendantur, præsertim acribus illis fumis commixti, qui eo facilius commiscentur quod ab adstricto ambitu repulsi in viscera & cor se se intrudunt, vnde calore accepto, tanquam idonei incenduntur. Atque cum è putridis humoribus non efferantur solum squallorem, & calorem spiritibus inducunt, & febrem ephemeram non putridam faciunt.

Vbi si ambitus corporis vehementius adstringatur, constipeturue humoribus, etiam in putredinem deductis, febres putridæ incenduntur. Sensit verò is ęger calorem præter naturam, pulsus fuere inæquabiles, vrinæ etiam aliquanto coloratiores, ergo febrem fuisse dubitandum non est, putridam tamen non fuisse sperandũ, cum præter febrilem, inæqualitatem nullam aliam pulsus habuerit, & cum vrinæ non plus mutationis ostenderint, quam quantum à calore spirituum serum potuerit colorari, fumi enim aliquid habet quæque febris, quo & pulsus æquabiles penitus in eiusdem ictus motu non sint, & serum sanguinis inficiatur, sudor enim eius caloris excepit, & integrum corpus ab omni indicio febris remansit, itaque ephemeram fuisse dicendum est, maximè quod sudor tãquam exiguus quidam mador totum corpus habuit, neque vrina, nisi post sudorem à statu naturali recessit, post eum aliquanto coloratior facta est, quoniam secum ex illis fumis extulit, quod per eam viam perpulsum est.

Quid ergo mali habeatur, & quid remedij postulet? Certè corpus esse rarefaciendum, & rheuma auertendum, eiusque materiam consumendam. Balnea primũ proposita præstarent, sed corpori, quod minimè aridum est, minimè humectari expetit, rheumati subiecto balneum aduersarium ducitur, non intelligo nunc nomine balnei, quod plerique vulgò faciunt, quo sudor per siccum vaporem moueri consueuit, sed quod per aquam potabilem ministratur, hoc enim fumi quidem è corpore educerentur, corpus laxaretur, lassitudo tolleretur, & partes refrigerium reciperent, sed rheuma incitationem maiorem acciperet. Rheumatis ergo materia prius concoquenda, conficiendaque, & rheuma sic auertendum, postea, si quid reliquiarum erit, quod balneum proposcerit, tunc erit concedendum. Vinum quoque in aridioribus ijs casubus datur, sed hic à rheumate, & à capitis dolore prohibemur, maximè quod fauces occupantur. Mediocris itaque ratio victus; & vergens potius ad tenuitatem instituatur, vt natura coctioni vacet, in eundem finem quies quoque præcipiatur, & loco tepido æger se contineat, noctu diutius dormiat, ad concoctionem præsertim eorum, quæ è vaporibus in humorem concreuere, interea frictionibus leuioribus, mollibusque vti potest; quæ longius trahantur, vti concoctio, & cutis laxitas, & consumptio etiam humorum fiat, non autem attractio. Aluus quotidie ducatur, ne inde incommodum aliquod fiat, potius leuamentum sequatur.

Si aliquid restiterit firmioris, tunc aliud consilium habendum erit. Certè ego curatum iri sic hominem crederem.

Cuidam Ischiatico, qui purgatus fuerat.

Clystere eiusmodi præscriptum est. ℞. Origani, anethi, ruthæ, pulegij calamenth. an. m. 2. Fiat decoctio. s. a. quæ valdè expressa coletur ℞. suprascriptæ decoctionis lib. 1. mellis rosacei ℥. 2. s. benedictæ laxatiuæ ℥. 1. Ol. ruthæ, anethi an. ℥. 1. s. Misce pro clystere. Alterum. ℞. Origani, pulegij, anethi, hæderæ terrestris, chamæmeli an. m. 2. centaurij minoris m. 3. colocyntidis in petia ligatæ ℥. 1. Fiat decoctio in vino, & vrina pueri ęquis portionibus. s. a. Rec. suprascriptæ decoctionis lib. 1. mellis rosacei ℥. 2. s. ol. hypericonis ℥. 3. terebinthinæ ʒ. 6. misce pro clysteri.

Tertium Rec. sabinæ, chamædris, hederæ terrestris ruthæ an. m. 1. quæ in puluerem redactæ inijciantur cum decocto suprascripto.

Emplastrum sit. Rec. Resinæ pini ℥. 1. ʒ. 6. terebinthinæ picis naualis an. ℥. 1. s. picis græcæ, galbani, an. ℥. 1. Ceræ albę ℥. s. aloes. ʒ. 6. myrrhę, masticis, thuris an. ℥. 1.

Cro-

Croci ℈. 2. grani ʒ. myrtillor. ʒ. 1. Fiat emplastrum seu ceratum vulgo dictum quod super aluta canis extensum, apponatur. Post hoc imponatur oxicroceum. Non fuit appositum cataplasma ex helenio, quod alijs morbum penitus sustulit euocato prius, erysipelate cum febre, forsan oxicroceum satisfecit, vt alijs vidi satisfecisse.

A brachio sinistro, maximè si eiusdem lateris oculus male habeat, vlcus cauterio inurendum est, vti ab ea parte, inde scilicet, vnde malum est, rectè humor deducatur. Quibus scribendis mihi videor nil aliud præstitisse, quam sententiæ tuæ perorationem; & quadam commẽdatione eam, vt debui, fuisse prosequutus. Vale, meque vt facis, ama.

De rheumate in oculos per literas ad Excellentissimum Petrum Iacobum Arrigonium Physicum nobilissimum.

CONSVLTATIO CCCLXXXIII.

MIhi iucundum fuit in tuis literis, quod à me iudicium quæsiuisti, iucundius, quod in tractatione de eo morbo tuum ingenium, & doctrinam perspexi, quorum alterum, quanti me facias alterum, quantum doctrina, & vsu præstes nota est, hoc decus eximium in te mihi amico est; illud voluntatis in me tuæ egregiæ est opus; quorum, quamuis neutrum iam diu ignorem, vtrumque tamen in re ipsa experiri nescio quo modo fit gratius. Quod vero ad meas partes attinet, ego tibi primum gratias ago, deinde, si quid est, in quo peritioni tuæ possim satisfacere, illud præstare conabor, quod fere non addendo, aut demendo de scriptis tuis, sed sententiæ tuæ subscribendo videtur perficiendum, multa enim non habeo, quæ ad istam tuam curationem aut vberius complendam, aut ordine maiori statuendam, faciat. Morbi, & corporis ratio à te pulcrè, luculenter, & copiosè explicata est; & vt fieri potuit, proxime ad veritatem definita, indeque curationis consilium summa arte, & prudentia deductum. Profecto id materiæ humidum genus est, quod nullum acrem morsum, nullam asperitatem habet, huic exsiccatio conuenit, hæc tum corporis expurgatione, tum exsiccatione, quæritur, tum autem nutricis facultatis confirmatione, eiusque actionum excitatione mala exsiccatio cauetur. Omnia hæc posse guaiaci potionibus præstari rectè iudicas, in eo enim vis est, qua per sudores corpus, toto venarum, & carnium ambitu expurgetur, quod est exsiccari, vis est aliqua adstringendi, qua visceribus robur concilietur, vis incidendi, vnde viæ obsessæ alrrici facultati necessariæ ab omni obsidione materiæ liberentur, calor tantus, quantus calorem viscerum coctioni, & actioni omni naturæ necessarium excitet; & viribus suis restituat, vt in guaiaco summa salutis spes huic viro sit reponenda. Etenim defluxio hæc diuturna est, quapropter rheumatica dici debet, itaque, quamquam à capite proximè in oculos venit, tamen, si Galenum sequamur, ab infirmitate facultatis nutricis totius corporis originem ducit, oculi ergo à capite, caput à toto corpore accipit.

Si quid verò est, quod corpus tum expurget, tum exsiccet, ac confirmet totum, certe guaiacum dicendum est. Caput autem non inutiliter respicietur, nam ipsum iam diu cursui eius materiei obnoxiũ facilè fuerit contaminatum, vt ergo guaiaci vis in caput subducatur; consultissime fiet, si eius potionibus aliquid eorum immisceatur, quæ suapte natura in caput trahuntur, quorum notitiam habes, in quibus posita est nostris medicis, doctis experimento salsa patilia, & eiusmodi rheumaticis affectibus curandis mihi quoque cognita experimento præcipuam quandam habere facultatem cum eo, quod per sudores toti corpori præstat. Totum vtique corpus, & caput sudoribus expurgabit, & per guaiaci vim secum adiunctam id valentius efficiet, & partes & caput confirmabit, ne tam facilè in posterum humorem excipiat.

Ergo ea curatio diligenter adhibenda est, prius corpore, quantum fieri potest, per aluum expurgato, nõ per vomitum, ne oculis incitationem humorum afferant. Quæ ni fuerit satis, quod ferè timeri non debet, tunc

De puero vlcere laborante ex ambustione.

CONSVLTATIO CCCLXXXIV.

B CVm mihi neque pueri ætas, neque vlceris conditio, neque spatium temporis notum sit, quod ab ambustione intercesserit, non possum proprie de remedijs idoneis definire, nam restare quidem intemperiem siccam igne impressam certus sum, in vlcere tamen, vt fit, recrementa excitari, sed posset etiam nunc caloris aliquod, & inflammationis vestigium superesse, possent dolores infestare, ac attrahere magis quam parti ex vsu sit, etiam vlcus altius esse posset, propsreaque diuersis ad diuersa deligendis certa ratio mihi non potest constare. Manebo ergo interim, dum res explicatius mihi significetur, in communi quodam curandi modo, quo cum dolori, tum squallori, tum recrementis etiam attribui aliquid videtur, & calor etiam potest temperari. Vnguentum in vsu est multis in locis, quod fit ex vete-
C ri pinguedine suilla, quæ lardum dicitur diligentissime diluta ex aqua rosarum, vel plantaginis, cui admiscetur succus herbæ lini, & succus anagallidis, atque hieracij, tum oleum è vitellis ouorum. Si adderetur etiam succus, vel ius corticis medii sambuci, id esset adprime in eo vtile.

Sed, si solus cerussæ puluis ex aqua plantaginis, uel si plus ariditatis suspicetur ex aqua violarum posset satisfacere, & multis satisfecit. Vnguenta quoque illa aptissima sunt, quæ fiunt ex sebo diligenter diluto, & in eam speciem vnguenti redacto, quod ponenda dici solet, quod si sebum fuerit cerui, multo melius id præstabit. Vnctuosa dum calor, & squallor est, inutilia videntur, tamen si calor decesserit, squalori potius occurretur. Vidi vtile admodum oleum solum oliuarum aqua nouies
D dilutum, nam retinet purum liquorem, & frigidiorem. Si valentioribus opus fuerit, quæ tandem vlceri exsiccando idonea esse debent, ea ad nutum vestrum describam, interea, si necesse fuerit, habebitis vnguentum sanctum, vnguentum de calce, & ferè omnia lautiora, quæ non erunt aliena. Vale. Pridie Nonas Decembris 1571.

De ventriculi dolore pro matrona seniori.

CONSVLTATIO CCCLXXXV.

E PEr literas accepi matronam dolore ventriculi cum flatu vexari, affirmarique à Medicis ventriculum esse frigidum, & humidum, & in eum multam pituitæ aquosæ copiam à capite delabi, à qua vis concoquendi infirmetur humido genere remissa, frigido autem fracta, quæ mihi tanquam constituta tenenda sunt, & credendum, quod pituitam per gulam identidem deuoret nescia mulier. Ventriculus ergo præter noxam, quã per acceptum humorem à capite habet, ipse quoque sibi doloris causam præbebit, cum malè possit concoquere, sic non solum capiti, sed ventriculo quoque sua curatio attribuenda. Sed dicunt, quod intemperies capitis ei naturalis est, quasi quod intra fines suæ naturæ mamens sub morbo curando esse ducendum sit, frigidãque, & siccam faciunt illius intemperiem.

De ventriculo ego certus sum,nam rationem in eum conuertam quod cũ dolore prematur id causa habear necesse est,quæ ei naturalis non sit, quoniam actiones manifestè lædit,neque sine intemperie esse potest, vnde noxius humor existat, à quo proximè dolor infertur.

Ea verò intẽperies,quę nam sit,dignoscere oporteret, si sitim,si cibi fastidiũ,si acriorem sensum facit, si asperioris motionis fit,vnde morsus, & dolor acrior, & vehementior,tunc humorem à calore affectum habebit. Sin contra sine siti fuerit, & cibi retineat cupiditatem, tunc frigidum genus vincet, cui si humidum se se adiunxerit,dolor lenior longe fiat, necesse est, sin autem hæc contrariæ identidem permisceantur, tunc varietas humorum subesse ducenda,quam varietatem si in vomitibus viderimus, tũc certiores etiam de varietate intemperiei facti sumus,refert verò eius filius eam per vomitus multam humorum varietatem eiecisse sæpè. Flatus quoque ipsi longe diuersum humoris genus ab aqua ostendunt,neque enim ab aquoso fiat, nisi vapor,qui in aquam redit, cum in faucibus sistere potuerit. Varietas humorum tanta,cum in calore, & frigore maximè cõsistit,ea in vna & eadem parte esse non potest, diuersaque viscera habeat,oportet, siue sola intemperie humores eos generent, siue etiam obstructionibus colligant, quæ certe a præsente Medico explorari tãtum possunt, vt certo cognita curationis suę capita demonstrent. Refert filius illam,cum scallas ascendit, aut accliuia, angustiam spiritus habere,quod visceribus occupatis, & flatum edentibus, aut etiam valdè tumentibus solet euenire.

Certius hæc essent & exploratius tenenda, vnde capita curationis elici oporterent. Ne tamẽ spatium temporis,quo certior notitia expectatur, ægrotæ molestius sit,ego generatim sic de re constituam. Ventriculo primam curationem attribuendam;humores ab eo detergendos,deturbandosque, neque valentioribus id agendum;quoniam, & ad affectam partem attraherent, & eam nimis vexarent. Cicorea ergo, betonica, melissaque,mel rosaceum, syrupus rosaceus, & oxymel ad detersionem,incisionemque,& attemperationem,mel rosaceũ solutiuum,hiera simplex, hiera cum agarico Mesue,rhabarbarum,terebinthinaque viderentur posse esse satis,cum his myrobalani etiam adiungi possent ad robur conciliandum, fœcula vim pariter, & ad deradendum, opportunam verò tempestatem nactus ego aquam thermarum Pistoriensium, quæ Tetucij dicuntur, exhiberem, qua ventriculus optimè detergitur, & vna venæ omnes ad eum pertinentes confirmatur etiã ventriculus mirabiliter, & id nulla molestia. De guaiaco non dicam,quoniam,quamuis à multis magnis medicis dari in ventriculi malis videam, ego tamen in senibus parum ventriculos iuuasse certus sum, quos in iuuenibus maximè valentes reddere solitum sit, imò cum ætas ad 40. annum peruenit non amplius spero tantum ab hoc remedio. Hic exterius adhibenda non inculcabo,nam neque eorum temperamentum certo possum definire,neque cõmuniter vsitata Medicis ignota sunt. Si de hac re fuerit ad me descriptius delatum, ego quoque definitius de curatione statuam.

Tussienti,& crassa admodum expuenti cum continua febre.

℞. Agarici ℈. 2. rhabarbari ℈. 1. spicæ, gingiber. an. gr. 10. terebinthin. q. s. Misce & f. pillulæ. Quas prout opus erit accipiet,& tenuitas valetudinis patietur. Nam referebatur esse valde languidum.

Tum ℞. radicũ Iridis,altheæ,farfaræ an. ℥. 2. sem. vrticæ ʒ. 3. decoquantur in aqua hordei adeò vt contabescant,deinde coletur cum expressione ius cui addito saccharo fiat syrupus.

A ℞. Syrupi suprascripti ℥. 1. Oxymelitis ℥. s. decoctionis pectoralis ℥. 3. Misce pro syrupo & sic pro alijs.

℞. Reliquias expressionis suprascripti syrupi, Oxymelitis simplicis q. s. Misce & f. electuarium.

Tineam diu ferenti.

℞. Radicum ellebor albi, nigri an. ℥. 1. Ligni mollioris ficus ℥. 7. Decoquantur diu in in aqua, & ex ea lauetur.

Ad scabiem malignam,& obduratam.

B Aquam in qua ligna ficus erant decocta præcepi,quã cum lotus non ita multoties esset, optime conualuit. Quæ aqua etiam canibus pariter profuit.

Illustrissimo Excellentissimo Guido Vbaldo Vrbini Duci, ac Pisauri, Domino &cæt.

CONSVLTATIO CCCLXXXVI.

VT primum licuit istam tuam in me tam egregiam voluntatem cognoscere, Dux optime ac præstantissime mirabiliter affectus sum. Cum enim magnopere gauisus sum, quod eam ab eximia quadam tua de me opinione ortam intellexi, tum ea ipsa sensi me C incredibiliter deuinciri. Inde verò nihil in vita mihi potius fuit,quam de tua salute cogitare, vt, quãtum in me esset,ac quantum ingenium meum valeret, ego studijs meis,& opera opinioni,& beneuolẽtiæ tuæ respondere. Equidem meam cogitationem sic animum induxi, vt primum in ipsam vnam postpositis rebus omnibus ego omne meum studium conuerterim,deinde in ipsa tam intento animo versor, vt hoc demum tempore intelligam, quid sit animum alicui rei vehementius applicare, & nunc demũ videar hac intentione posse descernere & apud scriptores quærere,qua ve vna ipsius anctoris ambitione præcepta medica proferantur,quid serio cõpræhendant,quid iactanter polliceantur, proposita autem vel maxime præcipue tua dignitate,ita sum circumspectus, vt nec vlla memoria eorum, quæ viderim, aut D legerim, aut quo uis modo perceperim, contentus sim, neque multum proprio, aut alieno experimento confidam, sed subinde ad libros redeam, & vim eis monimentis conferam, quibus solebam meas curationes mãdare, omnia ad naturæ rationem reuocem, atque expendam, in quibus profecto insistens, nullum tempus posthac vlli alij alterius generis studio sum daturus, vti certe in te huius otij authorem omnia sum relaturus,& eas, quas tibi debeo immortales gratias habiturus.

Cum ergo, quod solent homines, quo,quidquid sibi memoriæ infirmitas detrahit,id cura restituerem, subiectaque oculis haberem assiduè ea capita, quæ, quoniam mihi ad tuam valetudinem cognoscendam, & E tuendam potiora fuerunt visa, ideo literis iampridem consignaram, venit in mentem eadem etiam subtilius persequi scriptura, quo & certiori definitione mihi essent proposita, & ibi quoque eorum fieri posset copia cupienti forte aut ea recognoscere, aut alijs doctioribus Medicis ostendere, quos placeret de tua salute cõsulere. Ea ergo quam diligentissime potui, & quanta breuitate licuit mihi coacto hac in re grauissimorum quoque hominum sententijs resistere, hoc volumine compræhendi, habes ergo in eo, quæ hoc tempore mihi opportuna visa sunt, alijs accessuris, prout nouæ acciderint, & ratio ætatis attulerit; In quibus sanè tanta cum animi voluptate versabor, quanta maxima

cuique potest contingere, de salute Domini sui cogitanti,& ad illam auxilia conquirenti,quæ non erit cumulatissima, cum tibi apertum esse, & cognitum hoc singulare meum studium intelligam. Nam crede mihi summe vir ego iam inde de mea vita,rebusque meis ita constitui nihil habere melius naturam meam,quam velle sedulo, & fideliter tibi meã operam præstare, nihil vero maius fortunam meam vnquam habituram, quam posse tibi meam fidem declarare. Nosti tu optime, an humanus animus vlla alia in re conquiescat,quam in recte faciendo recteque fungẽdo suo munere, vnde cum omnis bene institutus animus huc intẽtus esse debet tum vero mihi in eum finem spectanti, illuc totis viribus est contendendum, etenim illi ego meam operam præsto, B cui omnis ipsa debetur, eã eius bonæ valetudini dirigo, qui ob virtutum omnium ornamenta omnibus est optatissimus,cui cum est adiecta in luce non mediocri versatur, à cuius authoritate summam potest consequi existimationem. Cui autem significari illã commodius contingat,quam tibi,qui eam potes, ac vis sustentare? Per te quidem demum mihi obtigit, quod sæpe antea à Iesu Opt.Max.precatus sum,id.s. otij, quo mea studia antea prope dimissa reuocentur, quo natura scientia maximis obstructa difficultatibus meo muneri tam necessaria nõ deficiat, obtigit vero non solum meo commodo,quod tua benignitate voluisti, sed eximia cum dignitate, quam tuo splendore, & ea laude summa,quã tuo testimonio præstare potuisti. Quæ omnia eo mihi suauiora C existunt,quòd cum beneuolentia tua,& gratia, cõiuncta sunt,me quidem certe maxime adstrictum tenent,& tuum faciunt in perpetuum. Vale.Pisauri in Imperiali 3.Cal.Iulij 1573.

T.E.Illustrissimæ

Addictissimus

Christoph. Guarin.Fontan.Veron.

Consilium per longam disputationem contra maximos Medicos præcipuè Capiuacium habitum, de Ventriculi affectu, & tota valetudine Illustrissimi & Excellentissimi Guidubaldi II. Vrbini Ducis V. D

CONSVLTATIO CCCLXXXVII.

ILlustrissimi & Excellentissimi Guidi Vbaldi Vrbini Ducis valetudo mihi nuper commissa ita exponenda videtur. Hac ætate annũ attingente quinquagesimũ nonum corporis genus bene carnosum est, non obæsum, bene validum, figura,& reliquis omnibus valde habile, atque siue stet, siue incedat, erectum,magnitudine non multum infra mediocre, E facie bene colorata, adeoque & tenuitate cutis,& leuiore nitida,vt speciosior sit,quam illa ætas consueuerit,& profecto, nisi canus esset,à iuuene nihil distare videretur, qui tamen faciei nitor,à ieiunio abstinentiave facillime solet decolorari,ac deflorescere,toto corpore,pilos abunde habet, nimirũ in partibus ceruici subiectis,in abdomine,& pectore, atq; artubus. Venæ in eo latæ, & nigræ sunt,articuli modici,& decenter obsiti,caput mediocre, optima figura, modicè caluum, cui cita canities accessit, oculi magni venis conspicuis præditi,nasus, pro tenuitate cutis faciei,satis gracilis, barba, quæ superiori ætate denso admodum erat pilo, & eo nigro obsita, cũ facies quoque erat pallida,nunc minus denso pilo cõtegitur. Cuius ortus,vt totius corporis pilorum citus fuit,citaq; canicies. humeri vero sub breui fere collo decenter lati sunt, Pectus mediocriter eminens, cui & abdomen,& precordia plena satis respondẽt, fœmora, & crura non indecenter carnosa, & optima figura subsunt, in summa omnes eius corporis partes admodum similes,æquè plenę,& æquè robustæ conspiciuntur. Quod vero ad singulas illas attinet,in capite satis vegeto mens,memoria,cogitatis, & sensus denique omnes robur obtinent. Somno est mediocri, spacio circiter sex horarum,nõ profundo, seu arcto, quin sæpenumero interrumpatur, quod quandoque aliquod spatium dierum continenter ei contingit ob somnia tumultuosa,& valde terrentia, Id tamen nõ est perpetuum. Nunquam,nisi aliquid noui acciderit, meridiari consueuit, rarum sputum est,idque mediocre,& satis glutinosum, quod vero facile increscit, si calor, frigusq; aut alterutrum,aut vtrumque mutatis vicibus insolentius mouerint, ac (quod raro tamen videas) raucedo inde quoq; accedit, Quod pertinet ad pectus eius vox vt fusca, hoc est crassiuscula,& asperiuscula,seu raucæ proxima, non tamen magna,neq; alta,vti neq; spiritus, nã ille quoq; minime concitatus,& valde lenis est. Huic pulsus respondent rari, mediocriter elati, ac lenti, Cor itidem,vt valde mite est, sic cũ celeriter irascatur,celeriter quoq; iram deponit. Quod vero ex mutatione opinionis non est, neque ad cerebri naturã referendum,sed cordis propria nota est,nam ira deposita stat,iusta sentẽtia,stat deliberatio animi, alio quin nihil eo humanius, nihil benignius ad pietatẽve,aut ad misericordiam, ad beneficẽtiam,facilius, qui vero, vt animo est magnarum rerum studioso, sic à temeritate, à confidentia omnino, & audacia alieno,vbi quidem opus est, vbi serio agendum est, tunc vero fortis est, & in magnorum operum occasionibus valde animatus,semper certe grauis,& prudens,nil temere, nil non longa æstimatione aggrediens,omnia (vt verbo dicam) fortiter, & sapienter agens,nũquam aut in risum, aut in aliud genus oblectamenti effusus,nunquam in animi relaxationib. nunquam in verbis profusus, quamuis in consuetudine vitę summa morum commitate, & suauitate sit præditus. Quæ quidem,vt æstimem ea arte,quam à Gal. docti sumus,tum sunt naturæ, & generis,rũ instituti in imitatione maximorum virorũ, præsertim auorum suorum,& exemplis positi,quod si quid naturæ solitarium sit,in eam referendum est,quicquid in eo ad taciturnitatem, solitudinem, ad mœrores, tristitias,ac mentis contentionem pertinet.

His quatundam partium, proprijs quædam communia adiungam,inde exorsus,quod corporis exercitationes eius sponte,& cõsilio potius,quam natura subeuntur,quas superioribus annis intermiserat,pręsertim vero hyeme, quo toto intra ædes, ac ferè intra cubiculum se continebat, proximè visus est eam quietem dimisisse, & maxime æstiuis diebus, vel sub cæli feruore sæpe exisse ambulatum,quo si tempestate ipsa prohiberetur, domi spaciando se exercebat, antea tamen etiam cum in tanta quiete viueret,non permittebat, sibi corpus ignauia hebetari, nam stando semper de negotijs audiebat, semper varijs in studijs liberaliter versatur, nunquam non agit aliquid, quod ad Imperij administrationem pertineat,semper aliquid auscultat nullis horis confidens, nisi breui post prandiũ,aliquãdo cibi, & potus iusta est,& cupiditas,& vsus,vini quidẽ imbecillimi generis,qđ aqua quoq; tẽperare cõsueuit, amat asperũ,lene cõtra respuit,& maxime dulce. Primo cibo protinus non sistit, sed post magnã prãdij partẽ, & si sal cibis quibusq; adijciat,vsq; ad ipsũ fęniculũ, & si eo ipso mane plurimum ambulauerit, vel sub

æstiuo feruore, quamuis, quod dicebam, sputo fere careat, sub mensæ finem tandem iustam potionem complet. Ex cibis delectant illum, aut certe minus ei onerant ventriculum, qui ex lacte fiunt, & maxime lac ipsum, postea triticea, puls, ex fructibus autem melopepones, mala deinde aurantia, grauiores reliquos cibos ait diu sibi morari in ventriculo se sentire, & maxime bubulam. Cuiuscunque tamen generis, aut copiæ cibi fuerint, aut miscellæ, & varietatis, septima, aut certe octaua ad summum hora non amplius his se grauari, & iam sine offensione posse se cibum sumere asserit. Venter, & si clysteribus forte assueuerit, sine illis tamen satis respondet, & aliquando ter, sæpius bis die certis horis seruatis aliquid reddit, & quicquid inde fertur, bene mutatum semper, fere figuratum est, & cum molle est, cum aluus cita, æquale tamen est, & bonæ permixtionis, & habitus, quamuis ipse non possit cibi masticatione admodum vti, ac si forte ex aliqua intemperantia aluus liquidior fuerit, quod vix vnquam visum est, omnino certe alio illa est colore ab eo, qui ciborum assumptorum fuerit, consueuit aluus esse colore fusco in luteum inclinante, si mollior sit luteum magis refert, si durior contra obscuriorem, & cum raro adstricta sit solet quoque adstrictionis damna solutione compensare, Medicamentis imbecillimis citissime soluitur, & Mannæ tota hora sat est ad aluum penitus demittendam, cum cuiusque generis purgationem semper vtilem habeat. Vrinæ cupiditas crebra non est, multa vrina quidem procedit potius alba, quam flaua, certe quidem russa, sæpe tenuis, sæpius mediocris habitus, raro crassa, densave, aut plena, est vero æneoremate vix vnquam bono, quoniam fere est aspero, quod nisi vsus ficuum viridum, vel maxime melopeponum intercesserit, arenam quoque flauam trahit, quod à prima ætate consueuit, sub quo vsu melopeponum nullius æstus feruor, nulla exercitatio potest arenas cogere, quod multis alijs hominibus contigit. Hæmorrhoides, quæ prius sæpè extabant, & emittebant aliquid, ab hinc decennium omnino suppressæ delituerunt; Cum sudat per exercitia, aut alias causas, sudoris genus oleosum est, ac pingue.

Hæc adhuc nihil molesti meo corpore ostendunt. Quæ autem in eo molestiam habent, vt inde incipiam primo dentes sunt, nam qui pauci reliqui facti sunt, parum firmiter hærent, nec valde integri sunt. Quod vero maius est, & inde valde distans, circa articulos maxime pedum aliquis metus doloris est, quoniam alias in his locis dolore vexatus est, quo cum toto decennio liber fuisset, postea tamen noua tentatione dolor illum pressit, à quo cum quieuisset quadriennio malum, rursus tamen illum tentauit, Medici superiores visi sunt causari caput, quod quidem nunc sine metu, & sine vitio esse videtur. Aliud potius nos mouet, quod aliquando ipsi in aliquam rem intendenti caput tremere videtur, quamuis ita obscurè, ac parum, vt spectantes fallat, At illis Medicis tunc non deerant notæ, per quas in id suspicionis ducerentur capitis infirmi, ex quibus illud ad nostram cognitionem peruenit, quod in illis temporibus ei humor tam acris aliquando incubuit in fauces, & palatum, vt hæ partes exederentur, Vnde myrobalanis per multos annos sunt vsi.

Nunc, vt antea quoque fuit, certior est ex renibus metus per arenulas, & per eum dolorem renũ, quo aliquando ipse vexatus est, nec nisi per mictum lapillo quieuit, At vero, quod & metum, & molestiã habet, & quotidie vrget, hic subtilius, & diligentius proponendũ est. Adest quidam in ventriculo labor, cui iam spatium viginti annorum, atq; amplius accessit, quem vid. or apertius posse, exprimere, si inde exordiar. In adolescentia doloribus sæpe præmeba-

A tur, ipsius ventris, qui vomitu ex aqua frigida euocato sublati dicuntur, & ita finiti, vt non amplius resurrexerit. Postea incertum est, an proximo inde tẽpore ventriculus bene omnino habuerit, nam forte non animaduertebatur eius offensa, primo quidem cum ætas iunior id negligeret, deinde tunc alijs corporis molestijs vehementiorib. sensus forte eius obscurabatur, at postquam reliqua tædia desierũt, hoc extitit, quod iam est vetustissimũm, quodq; modo in dies videtur molestius, est autem eiusmodi; Videtur ei cibus assumptus paulo post ex interuallis quasi bullantis humoris modo resurgere ad os ventriculi, ibique hoc suo appulsu, vel (quod raro admodum contingit) aquam acidam, acerbamq; ad os summittere, quo ipse quacunq; interim molestia liberatur, B vel nulla re eiecta dupliciter molestus esse, primum quodam sensus genere, ac si esset res austera ventriculi os complexa, deinde pręssu quodam pręcordiorum vna cum eo sensu austeritatis infesto, interea nullo ructu saporem elidente, sed molestia intus penitus præcordia præmẽte quibusdam, vt dixi, interuallis, subinde ascendente, & descendente, sicuti vero ascensu molestiam, sic descensu molestiæ quietẽ afferendo, quod quidẽ, vt non est sine humoris quasi bullantis æstuatione, sic fere est, cum feruore præcordiorum, qui feruor quandoque sua magnitudine reliqua obscurat mala, quandoque contra illa superiora sunt, habet vero illa spatia tum accessionis per ascensum, tum quietis per descensum modo longiora, modo breuiora, interdum magis, interdũ minus C crebra, prout melius, aut peius se habet. Interea, si quando ructus incidat, eum ipse acorem, & acerbitatem, ait se sentire, ac si immaturas frugas cõmedisset, quandoq; cum ructu feruens quidam humor liquidus attollitur succum limonis præseferẽs, aut feruentissimum acetum, quod certe est rarissimum.

Sub veris finem ijs sæpe accedebat oris amaror, quod tamen non erat perpetuum, sæpe enim fine ipso reliqua infestabant, vt ipse quoque aliquando illis finitis, & post concoctionem cibi accedebat, qui quidem fere habebat causam euidentem, vt motum corporis aliquem, vt animi perturbationem, quemadmodũ si locutione longiori, ac cõtentiori vsus esset, quo penitus modo siccitas oris quoq; eueniebat, D nullis.s.certis temporibus seruatis. Hęc oris amaritudo, & siccitas finiebantur facile vel lotione oris, vel certe exigua aquæ potione, aut vini multa aqua tẽperati. Vini superiores molestiæ ventriculi, vt certa habent tempora, sic, & non facile tolluntur, & quã exiguam per aquæ potionem, vt fere faciunt, se remiserint, subinde tamen resurgunt, quousque concoctio perfecta sit, quam prorsus imitantur, cum illa incipiunt, cum illa finiuntur, cum illa summam implent suam magnitudinẽ, vim enim molestiæ summam obtinent, cum ventriculus in cibo coquendo summum feruorẽ comprehenderit, quod est circitet quarta hora variat aliquantulum tẽpus initij, prout magna, aut parua futura est molestia, nam, cũ maxima timenda est, tunc proxime post cibũ moueri inci E pit, cũ minor, tardius, cum leuissima, tunc maximam sui initij hẽt dilatationem, qua ad horam secundam porrigatur. Cum igitur, dum cõcoquit ventriculus, tantũ labor eum exerceat ad sextã horam.s.cum parce, ad octauam cum abunde comedit, propterea grauiorib. vel largius acceptis cibis molestia fit lõgior, & grauior, ex quibus cibis grauibus, vt dicebã, puls ipsa ex farina tritici excipitur, à qua minime grauati se ait, leuiores aũt cibi breuiorem quidem molestiã habent, tñ si copiosius, & cum varietate multa sumãtur acerbiorem offensam faciunt ipsi leuiores ob nimiã copiã infestiores. Acrius fit hoc malum post famen, seu post abstinentiam, vel si aliqua causa forte cibus serius fuerit acceptus, vbi quidam casus mihi

hi est commemorandus, eo prius prædicto, quod lac vnum nihil pœnitus eius offensæ mouet, quę quouis cibo, aut potione excitatur, ergo cum aliquando solo lacte prandij accepto sic horam cęnę expectasset, tum nihil quidem interdiu molestiæ sensit, sed protinus a cæna sub noctem offensa præsto fuit, ac tanta habuit incrementa, vt fuerit cum intolerabili angustia, æstuatione, calore, qui ad superiores omnes partes pertinuit, viscera vero ita vrgens, ac si quid illa arcte constringeret. Proximè autem ab abstinētia nihil aquæ hoc malum asperum facit, ac faciat, vinum, si aut potentius, aut largius accipiatur, nam non à quocunque potionis genere in hunc modum afficitur, quoniam, si iusta vini potio fuerit, neque supra consuetudinem, superbibant vero aut aquæ, aut alterius liquoris satis multum, nihilo ex ea abūdanti potione cibus magis offendit, vt facit, si vinū vel meracius, valentiusque etiam infra modum acceptum fuerit, vel imbecillum vltra modum, magisve quam conueniat, carnes eorum animantiū, quæ pedibus nituntur, grauius illum habent, quam eorū, quæ alis, & volatu fidunt, & horum carnibus fit grauior, quam piscibus, aut alijs ciborum generibus, Aquæ potio sic illum habet, si cruda fuerit, & sola sine vino grauem illam offensam reddit, si cocta fuerit ex cinnamomo, vel simili adiecto saccharo, vel si vino fuerit mitigata fere illam molestiam leuat, & longe minorem facit. Aromata, mel ipsum, & pariter butirum hoc malum videntur exasperare, qđ malum, vt dixi, ab omnibus cibis, vel leuissimis vnó lacte excepto mouetur, nihil enim est, tam leue tamve liquidum, à quo ventriculus aliquid offensę eiusmodi non sentiat, pro ratione generis, & modi eius rei, quam acceperit, lac, quod vnum per se sumptum nihil pęnitus ostendit, cum alijs cibis mixtum illorum offensam mitigat. Cæterum vel paucus iuris liquor, vt habet opus cōcoquendi vi, sic aliquid eius offensæ mouet. Videtur retundere hanc molestiam, si cibus parte aliqua mali medicæ includatur, à qua videtur æstus ille deprimi, & coerceri, reprimitur molestia breui potione frigidæ aquæ, vel si dum stomachus æstuat prę cordia aeri frigido obijciantur aperto vestimento, vel aqua frigida perfundantur, sic.n. ęstus frangitur. Contra, si vinū valentius ore teneat, aut aromatis aliquid, vt sub aliquo medico eū fecisse contigit, illa videntur incrementum afferre, ei læsioni. Hæc omnia perfecta coctione quiescunt, nihil relinquitur, aut amaritudinis oris, aut siccitatis, aut sitis nulla penitus potione accepta. Hæc hyeme peiora sunt, contra æstate leuiora, autumno grauiora, quam Vere, Hæc ex tēporibus anni, ex tempestatib. autem illa ei commodissima est, in qua libicus vētus flat, vt quandoq; asseruerit ipse nihil eiusmodi mali ea tempestate sentire solere. Iam consequens est, vt quasdam obseruationes subijciam. Primum quod in hoc stomacho lac nec nidorem nec acorem facit, sicuti neque ptisana. Deinde sæpè nulla culpa ciborum pessime tamen habuit contra aliquando leuissime, cum tamen in cibis aliquid vitij, & culpæ locus fuisset, grauioribusq; cibis acceptis, nihil tamen peior fuit, quandoq; leuioribus nihilo melior, spatium quidem offensionis grauioribus cibis lōgius est, sub leuioribus breuius. Præterea quum fere vomitus per se non moueatur, nunquam nausea illū vrgeat, si tamen sponte ipse vomitum faciat nihil amari vnquā reddit, vel si oris amaritudo antecesserit, & quicquid per vomitum redditur. acetum feruentissimum refert, hoc ipse expertus est, cum sub summa offensa ad vomitū confugeret, ex quo tamen parum leuaba tur ventriculo conturbato, & nisi post aliquas horas quiescente, calor enim, & æstus perseuerabant, tum autem est animaduersum, quod sitis, quæ rarissime, & incertis aliquibus temporibus accedit, ferè supra

A modum nō est, aut certe ea est, quæ potionē largiorem non desideret, & vel post summos huiuscemodi labores, quibus ventriculus aliquādo forte fuerit cōflictatus, illa modum nō excessit, quoniam finito eo labore quieuit eadem post exercitationes insolitas per ęstum habitas, post vomitum, post purgationem nulla supra consuetudinem est, & solita parca ipse potest vti potione, & in prādio eam multum differre. Ad hæc cibi cupiditas conueniens semper est, & eiusdem bona concoctio per alui recrementa intelligitur, corpus non affligitur, semper bene valet, nō languet, & nutritio eius nullum pręsefert detrimentum, adeo vt nullū corpus videas hoc melius nutritum, nullum tēpus in memoria habeas, in quo ipse tam speciosus, tam coloratus, tamquā bene nutritus B fuerit, qui prioribus annis pallidus, ac fere plūbeus esset. Præterea excrementa, vel post summam molestiam nihilo peiora redduntur, nisi aluus aliquando soluatur, tunc vero biliosam potius speciē præseferre videtur, alioquin omnia excremēta semper bene habent. Demum notandum, quod q̄nque his malis releuatus est, cū aluus per se soluta fuisset, & inde in quendam statum restitutum se dixit, à quo ab hinc trienniū animaduerteret se in peius reuolutū. Ab accepto quoq; medicamento catharico nō magis, quā alius quiuis offenditur, nihilo magis inde languet ei ventriculus, eandem retinet cibi, potusq; iustā cupiditatem, & secundū purgationem statim primo, & secūdo cibo fere nihil ab illa offensa molestatur. His C subiungam eū casum, cum tantam molestiam illam sensit post cænam, eo die quo in prandio solum lac accepisset, qm̄ nos eam molestiam in exiguitatē accepti alimēti retulimus, & forte aliquis illam potius aut in ipsum lac, aut in id, quod ventriculus nō fuerit prius expurgatus. Scire ergo licet eum prius accepisse medicamentum, postea proxima die quieuisse, tertia demū die lac accepisse ad septem vncias, quo die toto bene habuit, nocturna tamē molestia summa fuit, qua visa suspicantes parce nimis fuisse lac exhibitum ad vitandam inædiam ei valde aduersariam postera die eius diei modum lactis auximus, & datum est pondo fere libræ vnius, res tamen nil leuius cessit. His ita cognitis, & conspectui propositis ego vitæ eius rationem adnotabo, in qua causæ euiD dentes possunt nobis aliquas alias præstare notas, per quas ad eius mali cognitionem peruenire possimus, Mane ergo parcius comedit eo cōsilio, vt diurnam eam molestiam fugiat, neve ipsius officia conturbentur, vbi tamen, si tempus tulerit, fructus aliquos sibi gratos maxime melopepones, aut ficus nō modice assumit, quem melopeponum vsum vesperi quoque admittit, Vesperi iustam cęnam & modo, & varietate liberalem assumit, superiori ætate contra parcius cænabat.

Postea eo cōsilio ordinem mutauit, quo dixi, præsertim quod noctu sub iusta etiam cæna sperat ex somno vel faciliorem coctionem, vel sensum mali minorem, neque enim nunc metus est, vt superioribus annis fuit à capite, ne ab ipso pituita incumbens E in ventriculum, eius coctionem conturbet, neve ipsa abundantius moueatur à vaporibus per somnum elatis. In cibis sæpe vtitur lacte cum eius sit copia, & ijs, quæ ex lacte fiunt, siue solo, siue cum amilo, saccharo, & pingui iure, aut pane, ouis, & caseo, in summa cū nullum cibi genus fugit, quo populus vtatur, tum quodq; accipit, siue id sit ex tritici farina, siue oleribus, siue leguminibus, iurulentū sit, aut assum, aut elixū, aut frixum, vel sit simplex, vel varia mixtione confusum, suo tēpore id edulij genus non recusat, quod ex vuæ succo, & farina tritici cōponitur, ferè eadem mensa varijs vtitur cibis, quos sale intingit, in quibus mediocriter partitur aromata, imo, si cibi conditi sint ex illis, ita vt gratiam ha-

beant, non timidè affumit. Potiones funt pro cibi modo, & mane parcæ, & vefpere largiores. Vino vtitur nullarum penitus virium, præfertim hyeme, minimè dulci, raro leni, nifi idem fit fubaufterum. Toto hyeme, ac Vere lora ei in vfu eft, quæ Pifaurenfibus Piuiuolo materna lingua dicitur, qua vinum certe temperat, fi non fola ea vtitur, nec prætereibo, quòd cibum femper exigua potione includit, & fi fecunda menfa ex aliqua re adftringente fuerit, Decimoquinto quoque die aluus quamuis quotidie fere ter defcendat, tamen clyftere follicitatur facto ex medicaméto illo dicto lenitiuo, melle rofaceo, oleo ex Amygdalis dulcibus, & iure pulli cohortalis fine fale, Cubile ei eft, neque longo fpatio, neque meridianum, exercitationes per multos annos fuerant prætermiffæ, nunc fere refumuntur, præfertim cum cælum ferenum, & fine ventis fuerit, quod fere æftate, hyeme rarò effe cófueuit, imò æftate, vel fub æftus ingentis fetuore mane pedibus exit, neque equum adhibet, nifi laffitudinem fenferit, vefperi in curru, aut in equo, æftiuis diebus poft meridiem, fi quando fitim fenferit, confueuit aquam bibere ex iuleb, aut ex aurátijs malis aliquid capere. Per noctem fub ea moleftia non veretur præcordia detegere, vel hyemis tempore, & aeri frigido objjcere, atque aqua etiam frigida perfundere, fic dies tranfigit mane exeundo, re facra habenda, petitiones audiendo, nunquã refidendo, A prandio colloquia, ludofque liberales ad fpectandum adhibendo, ac fi longiores fuerint dies, exeundo, interdum animi caufa in fub vrbano conuiuatur, interdum longius ab Vrbe perplures dies degit, vbi magis etiam fe exerceat, bis in anno corpus expurgare cófueuit, quod aduerfus podagræ metum fuit inftitutum, & dicunt quandoque prætereita ea purgatione, eos dolores acceffiffe, fingulis purgationibus adijciuntur potiones Guaiaci, aliquãdo poft illas æftate lac ei perplures dies datum eft, ob ficcitatis ventriculi fufpicionem quibufdam magnis medicis exortam, fub finem Veris Vrbinum fe confert, vbi tota æftate effe folet, ibi cælum tenue eft, & valde perflatum. Autumni initio ad oppidum Durantis tranfit locum eo tempore fatis falubrem, vbi alioquin cælum denfum, & graue effe folet nifi, quòd faucibus montium fatis perflatur. Inde fub expectatione frigoris Pifaurum redit locum flatibus quoque valde obiectum, & marinis maxime à Septentrione quibus contra denfi cæli grauitatem falubritas loci fubftentur. Vbi (quæ ipfius eft hofpitalitas) fere femper habet hofpites, quibus pro dignitate excipiẽdis nihil officij prætermittit, quin prodeat illis obuiam, omnibus fe fe iniurijs aeris objjciens, quin omnia alia fubeat, quæ valetudini eius aduerfentur.

His itaque propofitis, in quibus primum indicia naturæ corporis, & eiufdem valetudinis comprehéfa funt, deinde caufæ quoque euidentes numeratæ notas non parum eiufdem valetudinis præbentes, ita confequens eft, vt fi quæ caufæ lateant inueftigemus ordientes à natura corporis, à cuius fæpe propenfione mala exoriuntur; qua etiam nota perfpici poterit quãtum diftet corpus ab eo ftatu, in quo per naturam fuam effe confueuit, & quanta opera fit reuocandum illuc, vnde morbus ipfum auocarit, ergo de natura huius corporis tractaturus debeo illã mihi ex fupra pofitis enodandis aperire, fi prius illa certo fuerint definita; Proponam itaque mihi illud Galeni præceptum huic loco valde neceffariũ, quod habet fecundo de temper. cap. 4. indicit vero illud duas obferuationes, alteram, qua dignofcamus, an generis corporis, quod nunc notis fupra pofitis nobis defcriptum videmus, fit natura eiufmodi, an viuendi modo comparatum. Deinde ætate ne, an na-

A tura fua fic habeat, quo faciendo, quibus indicijs vtamur, ibidem Galeno diligenter proponit. De prima obferuatione ait. περὶ δὲ τῶν ἑπομένων ταῖς κράσεσιν. &c. μᾶλλον δ᾽ ἀχώριστα τελέως ἐστὶ, ξηρῷ μὲν σκληρότης, ὑγρῷ δὲ μαλακότης, ὅταν γε μετὰ χλιαρᾶς ἢ θερμότητος, ἀλλὰ καὶ παχύτητες ἕξεως, καὶ λεπτότητες ἕπονται κράσεσιν; οὐ ταῖς συμφυτοῖς μόνον, ἀλλὰ κἂν ἐξ ἔθους μακροῦ τῆς ἐπικτήτου γένηται.

Non folum à cognatis, fed à fuperuenientibus téperiebus illæ notæ nafcuntur. Quæ quibus fignis difcernantur protinus adijcit hoc accepto initio. κάλλων γὰρ ἡμᾶς αὐτοὺς, ἔκ τινων σημείων ὁρμομένους, πρὶν παρ᾽ ἑτέρου πύθεσθαι, δυνάσθαι γνωρίζειν εἰ φύσει τοιοῦτος ἦν ὁ ἄνθρωπος, ἢ ἐξ ἔθους ἐγένετο, διδάσκαλος δὲ τούτων τῶν γνωρισμάτων, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων, etiam fi non interrogemus ægrum ex afpectu ipfius B poffumus dignofcere, naturane, an viuendi modo habitum eiufmodi nactus fit, quod docet Hippocrates inquit Galen. ὁ θαυμάσιος Ἱπποκράτης, ὅσοι μὲν γὰρ εὐρυτέρας ἔχουσι τὰς φλέβας, θερμότεροι φύσει, ὅσοι δὲ στενοτέρας ψυχρότεροι, τοῦ θερμοῦ γὰρ ἔργον ἀνευρῦναι τε, καὶ διαφυσῆσαι ταύτας, ὡς εὐλόγως εἰς ταὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ συντρέχει στενότης μὲν φλεβῶν ἕξει πιμελώδει τε, καὶ παχυτέρα. λεπτότης δ᾽ ἕξεως εὐρύτητι φλεβῶν, εἰ δὲ ἅμα τις εἴη πιμελώδης τε, καὶ παχὺς, καὶ τὰς φλέβας εὐρείας ἔχει, δι᾽ ἔθος οὗτος, οὐ φύσει πιμελώδης ἐγένετο.

Magnæ femel factæ venæ non poffunt vfu vitæ fieri anguftiores. Poteft quidem corpus obefum euadere. Paucis interiectis fubiungit pinguedinis, & extenuationis caufa. ὡς ὅσον ἐν αἵματι πῖόν τε ἐστι, καὶ κοῦφον, καὶ λεπτὸν ἐν μὲν τοῖς θερμοτέροις σώμασι τροφὴ γίνεται τοῦτο τῷ θερμῷ, κατὰ δὲ τὰ ψυχρότερα διασώζεται, καὶ τῶν φλεβῶν ἔξω διιδθυμένον, ἐπειδὰν μὲν ψυχροῖς C περιπέσῃ μορίοις, οἷοίπερ οἱ ὑμένες εἰσιν, ἐκείνας περιπήγνυται, κατὰ δὲ τὰ φύσει θερμότερα, τοιαῦτα δὲ ὅτι δηλονότι τὰ σαρκώδη διαπανᾶται τε πρὸς τοῦ θερμοῦ, καὶ διαφορεῖται. Quod in fanguine vnctuofum eft, calori fit alimentum in corporibus calidioribus quafi in ipfiufmet caloris corpus vertatur, nam calorem appellat calidum, vt corpus calidum, fic pingue confumit. In frigidis vero feruatur, & venis excedens à carnibus quidem confumitur, à membranis ac cogitur in pinguedinem.

Verum victus ipfius, feu vitæ vis ad immutanda corpora à Gal. exprimitur in lib. Artis Medicæ cap. 5. his verbis. εἰρήσεται γοῦν καὶ τὰ τῆς τούτων κράσεως γνωρίσματα, κατὰ τὴν ἄκρατον οἴκησιν, & paulò poft fe- D quitur cum fa[ti]s de vi Cal[i] dix[i]ffet, εἰ δὲ, ὥσπερ εὔκρατον ἐστι τὸ χωρίον, οὕτως καὶ αὐτὸς εὐκράτως διαιτῷτο, μήτ᾽ ἐξοπλώμενος ἐν ἡλίῳ γυμνὸς ἑκάστης ἡμέρας ἐπὶ πλεῖστον ἀλλὰ μηθ᾽ ὥσπερ ἔνιοι δίκην παρθένου σκιατροφούμενος, ἀκριβῆ τὰ τῆς κράσεως ἐνδείξηται γνωρίσματα.

Quomodo vero fieri poffit, vt corpus natura fua ficcum humidius, pleniufque fiat, exponit Gal. libro Artis Medicæ c. 60. dicens, quod non folida corpora fiunt humida, fed fpatia intermedia humore replẽtur, ait enim. αὐτὰ μὲν γὰρ τὰ στερεὰ τοῦ σώματος μόρια τὰ ὄντως στερεὰ, καὶ πρῶτα κατ᾽ οὐδένα τρόπον οἷόν τε ἐστιν ὑγρότερα ποιεῖν, ἀλλ᾽ ἱκανὸν εἰ κωλύει τις αὐτὰ μὴ διὰ ταχέων ξηραίνεσθαι, τὰς δὲ διαλαμβανούσας αὐτὰ χώρας ἔνεστι πληροῦν ὑγρότητος ἤτοι ταῖα, ἢ τοίας τοιαύτη δὲ ἐστιν ἡ οἰκεία τροφὴ τῶν ὁμοιομερῶν ἐκ παραθέσεως οὐ δι᾽ E ἀγγείων ἑλκομένη. Repletur humore, qui non primas partes, folidasve conftituat, aut renouet, fed carnes recentes, & pinguedines.

Quod igitur ad primam præcepti partem attinet, fi animaduertendum eft, an hæc corpus obæfum fit genere ipfo fuæ naturæ ab ortu accepto, an vitæ genere, via nobis monftrata in fupradictis Galeni locis vti debemus, ex qua quidem aliter ftatuere hic non poffumus, quam ex ipfa vitæ ratione tale effe hoc corpus, in quo venæ magnæ funt, valdeque euidentes, vt in oculis, & manibus præcipue, vita vero fatis quieta.

Et quamuis eam fuiffe non fatis conftaret, venis tamen magnis prouifis neceffario nobis effet colli-

colligendumque corpus natura obæsum non esse, sed alia certe causa, quare si quod genus exercitationis fuit, tamen id non fuisset tantum, quantum huius corporis robori esset necessarium, & quantum cibo conueniret, tam bene concocto dicendum est.

Atque cum facile ex ieiunio ei facies deflorescat, decoloreturque, id quoque testatur, quod pinguedo, & sanguis ille alia in re potius, quam genere corporis nititur, Ac, cum frigore aliquo sustentetur pinguedo, si quod frigus subest, id à quiete, & ab ætate euenisse, vnde faciei color, qui fuerat florente ætate pallidus ob calorem iecoris bilem nimiam creantis, nunc rubeus est factus ea caloris vi remissa & ætatis, & vitæ ratione, sequitur ergo, vt videamus, quid habeat Galenus in altera præcepti parte, cum & monet dignoscendum esse, an ab ætate, an ab ipsa natura genus corporis existat, & notas discernendi proponit.

Hæc habet eodem 2. libro de temper. capit. sexto, ταὐτ' οὖν ἁμαρτάνουσιν οἱ τὰ περὶ κράσεων ἡμῖν ὑπομνήματα καταλελοιπότες, ἔτι δὲ πρὸς τούτοις, ὅτι μὴ δὲ μέμνηνται τοῦ πρὸς ἱπποκράτους ὀρθώτατα παρῃνημένου τοῦ δεῖ ἐπισκέπτεσθαι τὰς μεταβολὰς ἐξ οἵων εἰς οἷα γίγνεται, πολλάκις γὰρ τὰ παρόντα γνωρίσματα τῆς ἔμπροσθεν κράσεώς ἐστιν, οὐ τῆς νῦν ὑπαρχούσης τῷ σώματι φέρε γὰρ εἰ τὶς ἐτῶν γεγονὼς ἑξήκοντα δασὺς ἱκανῶς εἴη, μὴ διότι νῦν ἐστι θερμὸς, καὶ ξηρὸς, ἀλλ' ὅτι πρόσθεν μὲν τοιοῦτος ἐγένετο, ὑπομένουσι δ' αἱ γεννηθεῖσαι τρίχες, ὥσπερ ἐν τῷ θέρει πολλάκις αἱ κατὰ τὸ ἔαρ ἀναφεῖσαι βοτάναι.

Stirpium, quæ veris filiæ sunt, manentque æstate, & autumno, similes pili senum sunt, significantibus ergo pilis certam quandam siccitatem, nec leniorem calorem illos tamen præteriti potius status corporis, quam præsentis notas esse putare oportet, quoniam ætatis ratio id caloris non patitur, vnde permanente siccitate, remissoque calore non amplius bilem flauam, sed potius sanguinem crassiorem abundare est iudicandum, ex quo mirum non est, si corpus, quod antea bilem, nunc sanguinem præseferat, eo sanguine tamen, vt dixi, fæcis multum habente ob siccitatem tum à natura corporis, tum ab ætate profectam, vt iam cognoscamus, non solum vnde corpus hoc genus suum obtineat, sed quod nam eius genus existat, scilicet, sanguine atro, crassoque abundans, quod venarum colore, & excrementis quoque intelligimus, præsertim ipsius alui, & ex dicendis notis à Galeno proditis fateri cogimur; subijcit ipse eodem loco qualia sint corpora huiusmodi naturæ: τισὶ μὲν γὰρ ἐν τῷ χρόνῳ, καὶ κατὰ βραχὺ συνέβη τοῖς ἄγαν ἐκείνης ἀπαλλαγῆναι δασύτητος ἐκπιπτουσῶν ἐκ τῆς ἄκρας ξηρότητος τῶν τριχῶν, ἐνίοις δ' ἄχρι πλείστου παραμένουσιν, οἷς ἂν μὴ τ' ἀποξηρανθῶσιν ἱκανῶς ἐπὶ προήκοντι τῷ χρόνῳ καὶ τὴν πρώτην ἔκφυσιν αἱ τρίχες αὐτοῖς ἰσχυρὰν ποιήσονται, δίκην φυτῶν ἀκριβῶς ἐνερριζομένων τῇ γῇ, μὴ τοίνυν εἰ δασὺς τὶς ἱκανῶς ἐστιν, ἀθρόως, τοῦτον οἰώμεθα μελαγχολικὸν ὑπάρχειν ἀλλ' εἰ μὲν ἀκμάζων οὕτω τοιοῦτον εἰ δὲ παρακμάζων, ἤδη μελαγχολικὸν, εἰ δὲ γέρων οὐκ ἔτι.

Defluunt quidem, & minuuntur refrigescente ætate pili, at non vniuersi, manent enim plurimi, Crescunt autem solum, qui insuper illis sunt. Talia ergo sunt corpora, talesque habent notas, ergo hæ notæ melancholicum testantur esse corporis genus, quod inclinata iam ætate est, nam anni quidem fere senectutis sunt, quamquam corporis. Hæc robur tantum fuit, vt senectus prorogetur, & nullam notam præter canitiem videamus ei accessisse, ac, vt ipsa in propinquo sit, nullam certe aliam nos notam videmus, maxime vero nullam pituitam, ergo pili, qui siccam materiam, & frigidam habent, sua copia non statim prima ætate humorem sibi similem idest melancholicum testabatur subesse, sed aliquo post spatio, & ætate hac iam ad senectutem inclinata. Huius rei modum docet Gal. eodem in loco ijs verbis.

γίνονται γὰρ αἱ μελαγχολικαὶ κράσεις ἐκ συγκαύσεως αἵματος, οὐ μὲν ἐπειδὰν ἄρξηται τοῦτο πάσχειν ἀθρόως, καὶ κατοπτᾶται τελέως, ἀλλ' ἐν τῷ χειμὲν ἱκανῶς ἔσται δασὺς, ὁ θερμὸς, καὶ ξηρὸς, εἴγε μεμνήμεθα τῶν ἔμπροσθεν λόγων, οὐκ ἀθρόως δὲ μελαγχολικὸς, ἡ γὰρ τοῦ δέρματος πύκνωσις εἴργουσα τῶν παχυτέρων περιττωμάτων τὴν διέξοδον ἀναγκάζει συγκαίεσθαι κατὰ τὰς ἄκρας θερμὰς κράσεις, ὥστε τοιοῦτον, αὐτοῖς ὑπάρχειν ἤδη τὸ περίττωμα τὸ φῦον τὰς τρίχας, οἷκον ἐν τοῖς ἀγγείοις ἔσεσθαι μέλλει προελθόντος τοῦ χρόνου, καὶ ταῦτ' οὖν ἠμελῆται τοῖς ἔμπροσθεν, ἔτι τε πρὸς τούτοις.

Videmus nos pilos in capite infantium, & nigros quidem, cum nascuntur materia exustiorem illam non in venis, sed in mora, quam trahit dum carnes. & cutem permeat accipiente. Accedente igitur duriori ætate sanguis in venis fit similis ei humori, ex quo proxime pili assurgunt, in cute etiam in ætate molliori, & minus exurente, nam ille dum emittitur, non tam properat ad exitum, quin glutine quodam cutis contineatur, & interea aliquandiu subsistens exuratur, sic accipit eam exustionem tunc, quam postea sanguis intus manens longiori tempore ob loci humorem est accepturus, cum ergo corpori sic hirsuto antea facto ætas accessit, scire licet sanguinem eam naturam habitumque melancholicum iam recepisse, ad quod confirmandum magisque illustrandum ea Galeni verba subiungamus, εἰ γὰρ τὶς ἀθρόως ἐξ ἀρχῆς ἐγένετο τῇ κράσει ξηρότερος τε, καὶ ψυχρότερος, οὐ μελαγχολικὸς ἐστιν ὁ τοιοῦτος, ἀλλὰ φλεγματικὸς τοῖς περιττώμασιν.

Frigidi, & sicci ab origine, ij pituitosum potius, quam melancholicum habent sanguinem eadē causa, quam alias dixit in 2. de temperamentis, qua ab excrementis humidioribus non est habendum genus corporis humidum, præsertim si senis fuerit, εἰ δὲ ἐκ μεταπτώσεως, ἐγένετο ξηρὸς, καὶ ψυχρὸς ἐξ ἀνάγκης ὁ τοιοῦτος ἀθρόως ἢ δὴ καὶ μελαγχολικός ἐστιν, οἷον εἴ τις ἔμπροσθεν θερμὸς, καὶ ξηρὸς ἐκ συγκαύσεως τοῦ αἵματος ἐγένησε πλείστην τὴν μέλαιναν χολὴν οὗτος γοῦν ἐστιν, ὁ πρὸς τῷ ξηρὸς εἶναι, καὶ ψυχρὸς, ἀθρόως καὶ μελαγχολικὸς ὑπάρχων. Contra qui per ætatē in frigidum, & siccū genus inciderit, is propter calorē exurentē id nactus necessario melancholicum sanguinem contrahit. Neque hoc nostrum corpus tam frigidum factū est, neq; tantum spatium eius frigiditati accessit, vt potuerit iam pituitosum euasisse. Huc quoque spectat locus ille in cap. 59. lib. Artis Medicæ, μεταπεσούσης δὲ τῆς θερμῆς, καὶ ξηρᾶς κράσεως ἐν τῷ χρόνῳ τῆς παρακμῆς εἰς τὴν ξηράν τε, καὶ ψυχρὰν ἡ ἕξις τῶν τοιούτων ἰσχνὴ, καὶ σκληρὰ, καὶ μελαγχολικὴ, διὰ τοῦτο μέλαινά τε αἷμα, καὶ δασύα.

Potest autem tantum ætas, vt si hoc corpus sua natura tam fuisset humidum, quam notæ omnes nobis testantur siccum fuisse, ætas tamen melancholicum fecisset. Audi. Hippocr. in 6. Epidem. in sexto in fine. ὡσαύτως καὶ ἐπίχολον, καὶ ἔναιμον σῶμα μελαγχολικὸν μὴ ἔχον ἐξερρώσιας. Hoc effluxiones non habet, & certe biliosum fuisse signa omnia sunt, Maximeq; prioribus annis hęmorrhoidas habuit, quæ iam decē annos suppressæ sunt. De genere ergo ipsius ab ætate, & à viuendi modo nascente aliter statuere nō possumus, quam quod in melancholicum est mutatum, nondum ob ætatem pituitosis accedentibus excrementis. His ita discretis, & corporis genere reperto consequitur iā, vt per notas alias subtilius hanc ipsius naturā cognoscamus viscerum oīum generibus singillatim inuestigandis, Gal. vbicunq; calidi corporis notas recenset, statim post tactum calidiorem rubeum colorem proponit, vt longe calidioris, ac sicci luteū: Vbi frigidi, ruffum, vbi frigidioris, plumbeū, postea calidi pilos nigros, frigidi vero ruffos, ac inter sicci corporis notas maxime pilorum nigredinem statuit. Quid ergo dicemus de nostro, in quo rubor tantummodo accedente senio visus est, cum in alijs ætatibus pallidus, ac fere plumbeus esset lis

lis interea admodum nigris, & multis siquidem Galenus remouendo rubore, & luteo colore eripi caloris indicium vult, quem tamen calorem cæteræ omnes notæ testantur. Si mores quoque eius consideremus ij omnes frigus potius significant, ipsa enim facilitas irascendi nihil hanc rationem impedit, cum potius ὀξύθυμως videatur quam κακεξίαν. Quorum differentia homini Medico hoc loco non est commemoranda, propterea de calore frigoreve huius corporis sic statuerem, Quod, vt ab ætate frigidius, & à viuendi modo humidius factam esse potuit, quam sua natura esset, sic notas caloris, & frigoris varias cordis, iecorisque naturæ variæ ostendunt, nimirum quod pilorum genus, eorumque ortus omnis à iecoris calore existat, huic sententiæ experimenta, quotidiana respondent, videmus multos B vel admodum timidos homines hirsutissimos, non quibus ætas motum attullerit, priusque melancholicos effecerit, sed adhuc ætate florentes, neque vllus est; quin similes quotidie animaduertere homines possit, materiam siquidem, vnde pili extrudãtur, & inficiantur, parat iecur, quam dum moratur in venis, neque cito admodum à cordis leni calore, spirituque minus vehementi eliditur, spatium ipsum habet, quo possit exuri, & fieri apta pilis protrudẽdis, dum etiam per carnes expellitur eadẽ causa potest subsistere, & magis exuri, glutenque sibi accipere, quo concrescat, & in pilos efformetur, Carnium interea genere iecori præcipuè in siccitate simili ad pilorum pro cteationem faciente, quare non obstat C cor suo leni, & miti calore, quin potius permittit, vt pili abundent in corpore iecore maxime ad id faciente. Cuius iecoris calidioris non solum abdomine toto, & reliquo corpore pili notæ sunt, sed venæ præcipue, quæ latiores euidentesque sunt; nam esto, non à iecore oriantur venæ, (vt in ouis cernitur, cum pulli generantur, vbi venæ priores iecore cernuntur, & similitudinem habent cum corde maximam, à iecore postea Oriente ex illis ipsæ valde dissimiles, iecore omnino luteo, ac sine vllo sanguine venis interea albis, vt cor tunc est, sanguine repletis.) tamen latæ venæ esse solent ob iecoris calorem quoniam sanguinis ille apparatus, qui in iecore fit calidiori calidior est, & venas, in quibus continetur necessario dilatat, neque latitudo venarum est caloris iecoris nota certissima, ergo viscus hoc tum D ex pilis ob eorum colorem, & copiam, tum ex venis ob earum amplitudinem calidum cognoscitur, cæteras non caloris notas abfuisse hoc corpore ob cordis remissum calorem est iudicandum, nã calor faciei, vt & corporis reliqui à iecore bilioso rubeus esse non solet, quemadmodum quotidie videmus nos Medici, à quo iecore, nisi cordis calor spiritum subministret, quo corpus suffusum rubeat, potius color bilis est, & in luteum tendit, spiritus enim effusio ruborem facit, vnde, qui hilares sunt, qui gaudio cõmouentur, qui vino recreati sunt, qui benè sperant, meliori colore esse solent, neque vnquam tam pallido, quam quiescente eo spiritu, ac eius impetu desinente, neq; nõ possemus tam subito erubescere sub E pudore, pallereq; sub metu, si ab hepatis calore id eueniret, non à spiritu. Quare iecoris caloris nota fuit faciei pallor, vt, si rubor fuisset, Cordis quoq; calorem testatus esset, caloris præterea faciei propriã rationem duci aliqua ex parte à capite oportet, vnde, cum caput hoc suo calore (vt eius notæ ostendunt) exiguo non multum faceret ad ruborem, propterea faciei color iecoris vim sequebatur. Potuit ergo abfuisse rubor, quoniam caput impetum spirituũ ad sese non trahebat. Sed oculi venas latas habent, quæ nota calidi capitis habetur, illud eandem habet cum toto venoso genere causam quod etiam Arist. nõ solum in naturã, sed in morem quoq; referebat,

A Habitus siquidem corporis, & forma ex more immutatur, vnde si quis crebro irascatur, oculos eiusmodi sibi nãciscitur, quod facile facta fuit in hoc corpore conferente multum ad id iecore venas dilatante, nã iracũdia, vt potest à iecore nasci, sic crebra cum est, in oculos impetum omnẽ suum faciendo eos in habitum mutat, Nec mirum, quod ira à iecore quoque moueatur docẽt, qui ieiuni facilè irascuntur ob stomachum bile tentatum, quique ὀξύθυμοι ab Hipp. dicti sunt. Hi omnes ob bilem abundantem in iracũdiam mouentur, At, cum de iecore minime dubij simus, quod calidum sit, Cordis iam, capitisque rationem expendamus, Horum calorem valde etiam remissum illa omnia testantur, consilij summa grauitas, animus ab audacia penitus, & à temeritate alienus longa rerum æstimatio, qua & diutius sustineat assertionem, antequam aliquid aut affirmet, agendum, aut aggrediatur, & facilitate illa maxima, ac placidis moribus per iram nunquã præceps agatur ad aliquod imperandum, quin & prius omnia subtilitate mirabili æstimet, & humanum se in omnibus ostendat. Quare humidum quidem cor indicat illa naturæ, ac genij facilitas, calidum vero nõ esse reliqua testantur. Nunquã.n. tam excandescit, quin existimationem vereatur, nunquam tã hilaris est, quin amicis, & familiaribus timeat, non cauendum moueat aliquid, non prouideat, ne malum aliquod illis incurrat, q̃ certe non essent si calido iecori cor quoque calidum coniungeretur, longe minus, si insuper ijs calidis calidum caput accederet, nam in corpore tam robusto calidis partibus in eius breui magnitudine contentis, quid iam reliquum esset, quin ipse in omnem audaciam, in omnem temeritatẽ prçceps ageretur? quin mores omnino intolerabiles haberet, accedente cordis humido genere ad illa omnia facillimo. Caput ergo caliditatis notas non præbet, vnde huius perspicaciam, & acrem vim sensuum, cum in calorem referre non possimus, in aliquã siccitatem necessario referremus, in quam constantiã quoque, & firmitatem consilij, & multa alia referẽda iudicamus, ergo non est mirum, quod asserueri mus de principib. huius corporis partibus, alioquin enim neque tantam firmitatem consilij cum perspicacia, neque tantam misericordiam, pietatemque cum prudentia videremus, minus ipsum tandiu eadem sede contineri, ijsdem studijs, eadem ratione vitæ semper ordinatum, eodem semper modo tempora distribuentem officiaq; partientem. Dicebat Galenus de oculis ὅσοι μὲν κινοῦνται ῥαδίως θερμοὶ πάντες, similiter vero & mens, assertio, cõsiliũ, & corporis ipsius facultas ad motionem pertinens eandẽ rationem sequuntur, quibus omnibus calor mobilitatem, volubilitatemque afferre consueuit, nec minus velocitatem, & festinationem, ac demum temeritatem, quibus contraria prorsus hic nos videmus, incessum grauem, locutionem tardam, nullum excurrendi studium ad varias ambulationes, sed æquabilem prorsus, quietamque vitam summa cum lenitate morum, & humanitate singulari, Videbis ipsum quidem sæpe hilarem, semper acutum in responsis, in quibus audias multa breuissime, atque vrbanissime dicta, nunquam tamen in risum, aut in aliquod simile effusum, semper voce satis remissa, & graui, ergo frigus potius cordi aliquid, capitique attribuendum est, vt cordis causa, iecoris calor suos effectus apertius non prodat. Iam viscerum reliquas notas persequamur à corde incipientes, eius caloris moderationem ipsi quoque pulsus rari, nõ admodũ magni, aut celeres declarant, cũ quibus spiritus ipse lenis in pleno corpore insolitus, (nã plena corpora spiritum concitatum plerunque habent, nisi admodum frigida sint) testatur ipse quoq; eiusdem cordis calorem esse moderatum, inde facile

cile fuit corpus fieri obæsum corde non admodum per calorem sanguinis pinguedinem absumente, etsi illa à ficciori iecore non ita multa generaretur. Vitæ ratione contra illam multam suggerente. Præcipue nero mitis fit is calor in corde ab humore ipsius cordis calorem valde retundente. humidum siquidem proditur esse cor à moribus iam dictis, facilique natura; & benigna, quanta vero ipse commiseratione, pietate, hospitalitateque est præditus? Verens semper quemque offendere, semper omni humanitatis officio vtens libentissimè, semper multam cuiusque habens rationem existimationis, nullam retinens iracundiam, suauis in consuetudinibus, studiosorum amantissimus, & a diligendum, beneque merendum admodum promptius, sed vox illa non acuta, & potius grauis calorem carum partium, quæ cordi vicinæ sunt, videtur significare, vt illa quadam sua asperitate siccitatem, quod confirmari videtur eo, quod dictum est, quod quandoq; ipsi à longa, & contentiori locutione os exsiccatur, nam hoc à pulmonum siccitate fere solet euenire, qui enim contra humidos habent pulmones, ijs ex locutione os humectatur promittentibus per trachæam pulmonibus abundantem humorem, dum agitantur, cuius rei auctorem Galenum habemus sexto Epid. quarto in ea verba Hippocratis, οἷοι πλεῖστον τὸ θερμὸν μεγαλοφωνότατοι. Ait Galenus. ὅτι γὰρ τοιάδε τὰ ἔργανα διὰ τὴν κρᾶσιν ἐγένετο, τοῖς τοιούτοις δὲ ἕπεται τοιάδε φωνὴ, ἐκ φωνῆς ἔνεστι περὶ τῆς συμφύτου κράσεως συλλογίζεσθαι, καὶ γὰρ ἡ λεία φωνὴ λειότητι τῆς ἀρτηρίας ἕπεται, καθάπερ ἡ τραχεῖα τραχύτητι. λειότης μὲν οὖν ἀρτηρίας συμμετρίᾳ κράσεως ἕπεται, τραχύτης δὲ ξηρότητι. τραχύτητος μὲν γὰρ ἐπὶ ἀνωμαλίᾳ κατὰ ξηρὸν σῶμα, τὴν δ' ἀρτηρίαν ἐργάζεται σκληρὰν μὲν ἡ τῶν ὁμοιομερῶν αὐτῆς μορίων ξηρότης, ἀνώμαλον δὲ ἡ τῆς καρεοπαρμένης τούτοις ὑγρότητος ἔνδεια, κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον οὔτε ἡ ὀξεία φύσει φωνὴ χωρὶς στενότητος φαρύγγος, οὔθ' ἡ βαρεία χωρὶς εὐρύτητος δύναται γενέσθαι, στενότης μὲν οὖν ἐμφύτου ψυχρότητος ἔκγονος ἐστιν. εὐρύτης δὲ θερμότητος.

Quod magna vox a multo calido fit, sentit quoque Aristoteles, cum Hippocrate sed explicat magnitudinis significatum in tonum, cum dicit magnitudinem animi, seu fortitudinem indicare. Ex voce ergo cor siccum, & ex ipsa, & thorace amplo calidum quoque ipsum cor possemus conijcere, nisi reliqua omnia contra suaderent. Nisi ergo vere nos possumus occurrere, nam prima causa amplitudinis ipsius thoracis nullo calore vrgente breuitas corporis esse potuit, quod enim Natura in longum non potuit, id in latum necessario quæsiuit, neque ita amplius est thorax, vt motum excedat, si breuitatem altitudine volumus compensare, non præteribo, quòd Aristoteles dat frigidioribus maiora corda, quæ necessario in breui thorace amplitudinem postulabunt, ac quantuscunque videatur modus altitudinis, is quoque obæsitate potest consurgere, nam re vera in eo circum pectus partes sunt satis plenæ, quod autem de voce dictum est, grauitas illa, asperitasve talis est, vt vocis potius remissio dicenda sit, raucedini vicina, qua vox obscura fuscaque sentiatur, non enim magna hæc vox est, neque penitus grauis dicenda est, vti neque vere aspera, quamuis neque omnino lenis sentiatur, ergo vt lenitas ab optima tracheæ temperatura est auctore Galeno in verbis suppositis, & asperitas à siccitate, sic obscuritas huiusmodi vocis à nimio humore proficiscitur, quæ obscuritas asperiusculi speciem, & nomen habere solet, atque ad raucedinem accedit, cum qua raucedine communem causam habet, scilicet humorem nimium, hæc ergo vox acuta quidem non est, quoniam spiritus impetu multo non fertur, neque tenuis, quoniam trachæa non est angusta, neque admodum canora est, quoniam breui trachæa à profundo non proficiscitur, quoniam vero humida trachæa est, hebes, fuscaque est, vnde videtur. crassiuscula, demissa tamen sic parua potius, quam magna est, quoniam trachæa non admodum aut lata, aut longa est, Ergo si ex magna voce Hippocratis loco supposito οἷοι πλεῖστον τὸ θερμὸν μεγαλοφωνότατοι multum calorem voluit intelligi, inde fecit nobis potestatem, vt nos pariter ex contrario contrarium colligere possemus, siccitas autem ex longa locutione in ore cum accedit, aliam habet causam à pulmonum natura, vt suo loco videndum est, quamuis neque veremur nos, iri coactos, vt cor calidum, & siccum fateamur, & si concesserimus magnam grauem, & asperam vocem hanc esse (quæ re vera non est,) si verba in eundem Hippocratis locum a Galeno prolata consideremus, quæ non sunt prætereunda alias nobis vsui futura, sunt vero. οὐ μὴν οὐδ' ὥσπερ ἀνάλογον τῷ θώρακι τὸ μέγεθος ἀεὶ τοῦ πνεύμονος εὑρίσκεται, οὕτω καὶ τῷ τοῦ τοῦ μεγέθει τὰ τρία γένη τῶν κατ' αὐτὸν ἀγγείων ἀνάλογον αὐξάνεται.

Vox ergo potest aliam præbere speciem, & diuersam ab ea; quæ sit non solum cordis, sed etiam ipsorum pulmonum. Quibus possem multa adijcere, quæ dixit Galenus alijs in locis de partium varietate præcipue libro 2. de temper. vbi non solum crura corporis reliquam naturam sequi negat esse necessarium, sed vel ipsum Nasum capitis generi esse similem necessario non vult, nisi in vniformibus penitus corporibus, vbi formatricem vim huius causam esse, ait varietatis, & propriam cuiq; parti aliquam eius vim attribuit, possem adijcere, quæ vsus nos edocuit quotidie nobis videntibus corpora aliqua mollibus carnibus, cute tamen aspera prædita, aliqua carnes duras intra cutem mollem, leuemque habentia, cum asperitas siccitatem, vt & durities, mollities vero, & læuitas humorem ostentur, sed nimius essem, quam rei conueniret. Vox ergo huiusmodi priuatim Naturam laryngijs denotabit, non etiam necessario ipsius cordis, quam tamen nos concessimus vere esse asperam, vereve grauem, minus vero magnam, de cuius differentijs Autor Libri Phisionomicorum clare admodum loquitur, probeque discernere docet, non possumus ergo eam sententiam relinquere, quod cor sit remisso calore, humore non supra mediocrem. Cuius caloris remissa vis ad frangendum iecoris calorem maxime, humoris autem abundantia ad eiusdem iecoris siccitatem minus potuit, vt sequamur doctrinam, quam Galenus docuit in Art. Medic. proprio in loco illis verbis θερμότης μὲν γὰρ ἡ ἐκ καρδίας ὁρμωμένη νικῆσαι δύναται τὴν ἐξ ἥπατος ὁρμωμένην ψυχρότητα καθάπερ καὶ ἡ ψυχρότης τὴν θερμότητα. potuit ergo multum ad effectus calidioris iecoris remittendos cordis remissior calor, potuit quoque viuendi modus, potuit ætas, vnde habitus huius corporis fere frigidioris, aut humidioris certe hominis videri possit texturæ densitate ad hoc plurimum conducente, nam cum à corde tam acris calor non distribuatur, qui possit sanguinis pinguiorem, leuioremque partem discutere, illa subsistens ob texturæ densitatem ad frigidiores partes cogitur, cuius multum, vt dixi, à visceribus benè coquentibus suggeritur, vndeneque priori quidem ætate, vel calidiori tenue corpus esse potuit. Reliqua verba Gal. sunt τὴν ξηρότητα δὲ οὐκ οἴονται πρὸς τοὐναντίον ὑπὸ τῆς καρδίας ὑγροτέρας γενομένης ἀχθῆναι, Potius ergo temperando calori iecoris, quam humori augendo potuit genus vtrumque Naturæ cordis, quæ per se ita obæsum forte ipsum non reddidisset, ni reliquæ causæ augendo quoque iecoris humori plurimum cum corde profecissent, vnde calorem totius corporis mediocrem faciemus, & pariter humorem, calorem a corde sic remissum, humorem vero & à corde,

corde, & à cætero victu sustentatum non obstare tamen iecori cor, quin sui caloris, & siccitatis signa aliqua ex parte ostendat, vtneque iecur cordi resistit, quin sua proferat. Quæ vero siccitas iecoris hoc loco fuit valde opportuna ad humorem cordis à ratione victus tam nutritum resiccandum, & ad conseruandam corporis huius valetudinem, à putredinibusque defendendam, à quibus certe fuit admodum tuta, vt non fuisset, si iecur quoque humidum extitisset, etenim ait Galenus cum de corde loquitur τὰ σηπεδονώδη νοσήματα διαφθειρομένων τε, καὶ σηπομένων αὐτοῖς τῶν χυμῶν συμπεσεῖται, cum autem de iecore, ait, ἑτοίμως ἁλίσκεται τοῖς σηπεδονώδεσι, καὶ κακοχύμοις νοσήμασι, ἔτι μᾶλλον, εἰ ἐπὶ πλεῖσον αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν, ἐπ' ὀλίγον δὲ τὸ θερμὸν rursus cum de totius temperamento sermonem habet, ait. ἐπὶ πλεῖσον δὲ αὐξηθεῖσα τοῖς σηπεδονώδεσιν ἑτοίμως ἁλίσκεται νοσήμασιν, ὅτε καὶ κακόχυμος ἑτοίμως γίγνεται.

Adijce tu, quam augeret hoc periculum, & quieta vita, & plenus victus, à quo omnino ipse fuit tutissimus, quo fere argumento, vel nullis alijs siccitatis notis nos hortantibus in colore, in pilis, & in cæteris, cogimur tamen iecur siccius statuere corde sic humido perspecto, ac, si reliquæ notæ sunt aliquid æstimandæ, illa quoque adijcienda, quæ dicit Galenus de eis corporibus, in quibus humidum abundabat parum tamen vltra mediocrem, calor vero multo vlterius superabat, is illa verba dicebat. εἰ δ' ὀλίγῳ μὲν ὑγρότερα, παμπολλῷ δ' ἔτι θερμότερα, καὶ μαλακώτεροι μὲν ὀλίγῳ τῶν συμμέτρων οἱ τοιοῦτοι, καὶ σαρκωδέστεροι, λασιώτεροι δὲ οὐκ ὀλίγῳ καὶ μὲν δὴ καὶ ἁπτομένοις οὐκ ὀλίγῳ θερμότεροι, μέλαιναι δ' αὐτοῖς αἱ τρίχες, καὶ ἡ σὰρξ ἀπιμελός. Quidni ergo nos possimus colligere in corpore quacunque causa obæso reddito, Iecur tamen sui caloris, siccitatisque superantis signa sustinere potuisse, in pilis præsertim? Hic nigri pili siccitatem iecoris maiorem sequuntur, pinguedo vero carni adiuncta cordis, & vitæ rationem, Vnde facies ipsa, quæ à Natura corporis potiusquam à motionibus, quàm à quiete habitum suum habere solet, ipsa ex vitæ quiete sic plena non est, vt corpus reliquum, præterea ex illa pinguedine, quæ per quietem coit, per exercitationem corporis aliquid emittitur per sudorem, vnde ei sudor valde pinguis sub exercitatione erumpit, atque hactenus de iecore, & corde per notas eorum proprias satis dictum est.

Capitis item, quæ reliquæ factæ sint, exequendæ sunt, & illius genus penitus in conspectum adducendum, ergo ex capillis, qui cum reliquis pilis barbæ nigri, densi, cito orti, citoque cani facti sunt, ex sensuum perspicatia, ex longa rerum æstimatione semper adhibita, antequam aliquid afferat, ex ingenio acri, ac prompto, si ijs ipsam in agendo singularem grauitatem, & in omni motu robur adijciamus, siccitatis omnino vim aliquo frigore coniungemus, siquidem à siccitate sensuum, ingenij, & neruorum vis, breuis somnus, sententiæ firmitas, citus, densus, & niger capillus, caluitium, modicaque excrementa, à frigiditate modica confirmatur illa sententiæ firmitas, euenit omnis grauitas tum consilij, tum actionum omnium, & tarda illa festinatio tam rebus accommodata, & minima illa ad motiones varias propensio, summusque, & perpetuus ille viuendi ordo.

Neque vero quis dubitet frigidiori quoque capiti caluitium posse contingere mediocre, si siccitas subsit, nec multa frigiditas, nam Galenus, haber hanc doctrinam libro Art. Medic. capit. 21. εἰ συμβαίη τὴν ξηρότητα μὲν πλεῖσον κρατῆσαι τῆς ὑγρότητος, τὴν ψυχρότητα δὲ τῆς θερμότητος, ὀλίγον οἱ

A τοιοῦτοι φαλακροῦνται. rursus non dubitamus canitiem quoque ficciori capiti mature posse aduenire, si in eo quoque frigus suberit ex eodem Galeno eodem libro cap. de frigidis, siccisque capitibus, ait. n. ταχύγηροι τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν ἅπαντες εἰσὶ διὸ καὶ πολιοῦνται ταχέως.

Pro modo aut frigoris canities citius, aut tardius siccitatem sequetur quare non ita cito in nostro capite facta est, cum modica in eo frigiditas sit, quæ tamen tanta est, quanta certe fuit necessaria breui, robustoque corpori ad reprimendum impetum spirituum in caput, vnde non (vt breui corpore homines fere solent) ipse præceps est, non est illis (quod superius dixi) moribus præditus, sed patiens admodum in audiendo, in asser-
B tione sustinenda, iræ impetu cohibendo, illum in tempus idoneum reseruando, quæ profecto, non cernerentur, si cordi humido, humidum quoque caput, calidumve præesset, maxime in tam breui corpore, & tam robusto, quod si oculi sunt magni venis amplis abundantes, vt diximus, tales sunt vel ex habitu moris, vel ex iecore, non autem ex capite, vt sub auctore Galeno fusius superius disputauimus, adijcientes, (quod sæpe vidi) ? carnibus mollibus cutem asperam circumdari, duris contra cutem læuem, ac mollem, vt vero sit absurdum, si oculi calidiores fuerint eo cerebro, cui vicini loco quidem sunt, non necessario tamen vicini statuta, si cutis aspera ob suam siccitatem carni humidiori, mollique inhæret, læuis vero cutis,
C & mollis ob humorem duræ, siccæq; carnis: ergo ex oculis capitis Natura necessario non est iudicanda. Sic vero hactenus genera partium principum huius corporis comprehensa sunt, ex quibus totius corporis Natura constat. Huic ergo Naturæ corporis sic constituti consentanea, conuenientiaque illa omnia sunt, quæ in principio proposuimus in ipso corpore obseruata, quæ omnia vt potuerunt adducere in nostram notitiam cum totius, tum singularum partium naturam, sic in eandem sunt referenda, eius enim Naturæ sunt soboles, actiones, & eius munera, quæ si diligenter considerentur, non aliam possunt habere aptiorem originem, quam melancholicam, qualem in hoc corpore deprehendimus, ad quam constituendam, partes principes Naturis
D suis apte conueniunt. Iecur siccitate, cor leui frigore, vt ipsum quoque caput vtraque ratione. Quam vero propria sint illa omnia corpori melancholico, clarius videbimus, siquæ in trigesima sectione Probl. Problemate 1. de sapientibus, & de melancholia loquitur Aristoteles, obseruauerimus, nam visceribus illis duobus sese mutuo contemperantibus nullum aliud melancholiæ genus in hoc corpore abundabit, quam id, de quo Aristoteles inter cætera ibi illud profert. ὅσοις δ' ἂν ἐπανθῇ τὴν ἄγαν θερμότητα πρὸς τὸ μέσον, οὗτοι μελαγχολικοὶ μὲν εἰσι φρονιμώτεροι δὲ.

Maxime vero solent Medici excrementorum notis] fidere, quibus melancholicam naturam nos
E hanc esse cognoscimus, siue illa alui, siue vrinæ sint. Vrina sua tenuitate, & ijs, quæ in ea resident, melancholiam testatur, & nihil pituitæ penitus habet indicij, Aluus colore pituitam nunquam, fere vero melancholiam obscuritate sua profert. Corpore ergo sic recognito sequuntur, quædam aliæ partes, minime ad valetudinem facientes. De renibus prius dicam, ij, iecori fere respondent, tum in alijs, tum in hoc corpore, quoniam calidi per vrinæ copiam, & per arenulas cognoscuntur, Sicci vero tum per arenulas, tum per tenuitatem vrinæ. Qui renes sua sic posita Natura possint testari ipsius quoque iecoris naturam calidam, siccamque esse, cui vicini & loco, & coniunctione, & natura sunt. Consequens

quens deinde est, vt ventriculi genus cognoscamus, qui in postremum locum reseruatus est, vt de eo loquentes vacuo animo, & in eum intento magis esse possimus, quin primas nostræ solicitudinis partes sibi vendicat ob illum laborem, quem incoquendo solet præbere, etiam ob eum metum, ne, eum toti corpori alimentum parare debeat, si robur amittet, corpori quidem conueniens alimentum, Vitæ vero optatum spatium eripiatur, tum autem quoniam difficilis, & obscura est eius naturæ exploratio, a multisque medicis agitata, ergo de ipso ventriculo diligentissimè tractandum est, & eius natura in conspectum adducenda, per eas notas, quæ nobis sunt manifestæ, Verum cum sua offensa venas notas perturbat, propterea quod non possumus discetnere ex notis illis, quæ naturam, quæue vitium ostendat, hac de causa necesse est vnà omnes notas permixtim, vt inhærent, æstimare, & quid quæque prodat, iudicare. Vnde cuique rei proprias notas poterimus assignare, & alias vitijs, alias naturæ ipsius ventriculi dare, & sic partitione signorum facta tandem & naturam ventriculi, & vnà, quid mali habeat, discernemus. Nocte ergo, quæ ad ventriculi offensam pertinere videntur, sunt hæ. Dum coctioni ipse vacat, per interualla quædam motiones sentiuntur sursum ad præcordiam in ipsa eo suo appulsu angustiam, oppressionemque inferentes, qui appulsus quasi bullantis ex spiritu humoris est. hoc vero quandoque cum feruore est præcordiorum, qui feruor non semper pro magnitudine molestia ventriculi sentitur, Vbi si aliquando humor ille acidus eruperit, reliquæ molestiæ quiescunt, vno sæpe feruore manente, Sæpe vero vna ipso quoque remisso, fere tamen nullus humor erumpit, & subsistunt omnia, & cum calore, & cum eo sensu, ac si austeri aliquid ventriculum præmeret, cum quibus, si quandoque eructat, acor coniungitur. Hæc in notas duum generum referenda sunt, motio quidem ad contentricis affectum, reliqua autem proxime quidem ad sensum, tandem in coctricis facultatis opus viciatum, etenim in coctricem vim neque motio, neque sensus laboris ex onere ciborum referri potest, cum coctionis affectus per vitiatum opus potius, quam per sensuum actionis propriæ percipiatur.

Contra vero vis contentrix, si agat cum labore, sensum sui oneris præbet, Postquam ergo debemus hæc duo genera affectuum perpendere, & illa in suas. Naturas, quas sequuntur, quasq; in notitiam nostram adducunt, referre, tutius id omne à Galeno accipiemus.

Hæc ipse tractat in lib. de differ. sympt. cap. 4. Incipiamus à contentricis affectibus, non a concoctricis, vt Galenus, qui ab ea vt à fine omnium cæterarum incæpit scientiam, scilicet docturus, contentrix enim, vt in doctrina posterior est, sic in opere ipso præcedit. Nos ergo, qui opus ipsum examinamus à contentrice initium accipiemus.

E De contentricis vitijs ait ipse eo in loco (munus eius facultatis prius proponendo, deinde vitia inde trahendo) hæc verba. ὅταν ἐξισῶτε τῷ χρόνῳ τῆς περιστολῆς τῷ τῆς πέψεως, καὶ σφίγγηται πανταχόθεν ἀκριβῶς τὰ σιτία, hoc eius perfectum munus est, vitia aũt, στέρησιν δι παντελῆ τῆς ἐνεργείας. ὅταν μὴ δ' ὅλως περιλαμβάνει, γίνεται δὲ τοῦτο ἐν ταῖς λειεντερίαις, ἀρρωστίαν δὲ ὁπόταν ἢ μὴ περιστέλληται καλῶς, ἢ μὴ μέχρι τῆς παντελοῦς πέψεως, ἢ ἅμα ἄμφω συμπίπτῃ ἐπειδὴ γὰρ ἐν δυοῖν.

Quoniam viria facultatum contraria sunt earum integritati, ideò integritate proposita inde ipsius vitia Gal. colligit, quot enim habet partes necessarias ea virtus, tot vitijs potest contaminari, integritas est, vt teneat arcte, & valenter cibum, vt

A spatio coctioni necessario, vt bene, recteque, ergo erit sub vitio, cum aut non tenet, aut non necessario spatio, aut debiliter, aut perperam, & vitiosè.

Dimittamus, cum nihil penitus tenet, quod eius partis hic locus non sit, cætera persequamur, sunt vero omnia affectus eius virturis, aut imbecillis, aut corruptæ, horum vitiorum notas ponit Galenus priores quidem, sed cum imbecilliter. & cum non debito spatio continet his verbis: κλυδῶνες μὲν, καὶ πνευματώσεις ἀρρώστοις περιστολαῖς, ἐκκρίσεις δὲ ταχεῖαι, καὶ διαφθορὰ τῶν σιτίων ἐν τῇ κάτω γαστρὶ ταῖς ὀλιγοχρονίοις. Imbecillitatem, quæ infirmitatem suæ actionis solum in continendo debiliter ostendit, sequuntur κλυδῶνες fluctuationes interpretandæ, &

B inflationes, hoc est, vel inflationes, vt inferius declarat Galenus, Imbecillitatem vero, quæ non ad tempus continet sequitur aluus nimis cita, vel corruptela alui in ventre inferiori facta, Nos nihil horum cernimus, vt ex recognitione signorum omnium, quæ superius comprensa sunt, facile cognoscitur, in quibus potius, ijs hic positis contraria apparent; ergo nulla est hic contentricis infirmitas, quod vt clarius videamus, audiamus Galenum alios affectus ad hæc consequentes exponentem. Repetit ipse primo eadem, deinde annumerat illis alios affectus, imbecillitatis notas primo repetendo ait. τῇ μὲν γὰρ ἀρρώστῳ περιστολῇ ποτὲ μὲν οἱ κλυδῶνες ἕπονται, ποτὲ δὲ αἱ πνευματώσεις, τῇ δ' ὀλιγοχρονίῳ πάντως μὲν αἱ ἐλλιπεῖς πέψεις. Solæ hæ notæ suf-

C ficerent, nam neque fluctuationem cum rugitu, neque inflationem, quæ sæpe cum ructa est, videmus, longe minus cruditatem, quę cum omnino sequantur ea vitia, his ipsis submouendis vitia quoque submoueri necesse est, tamen reliqua quoque videamus, quæ adhæc mala insuper necessario sequerentur. ἐφεξῆς δὲ ἤτοι ταχεῖα, διέξοδος τῶν σιτίων, ἢ διαφθορὰ κατὰ τὴν κάτω γαστέρα, neq; hæc vnquam visa sunt, minus vero, quæ postea à Galeno subiunguntur ad hæc omnino consequentia ταχείας μὲν οὖν διεξόδου, συμπτώματα ἀχώριστα διαχώριστα διαχωρήσεως ὑγρότης, καὶ ἀνάδοσις ἐλλιπής. imo contrarium videmus, quod ipse & bene nutritur, & deiectiones habet sæpe duras, fere habitu mediocres. διαφθορᾶς δὲ δυσωδία μὲν ἐν τοῖς διαχωρουμένοις ἐξ

D ἀνάγκης, οὐκ ἐξ ἀνάγκης δὲ δῆξις, ἢ πνευματώσεις, ἀλλ' ἐστὶν, ὅτε μὲν οὐδέτερον αὐτῶν ἐστιν, ὅτε δὲ θάτερον, ὅτε δὲ ἀμφότερα.

Cum ergo nullus malus odor sit, nulla corruptela est, numquam mordent, numquam cum inflatione exeunt, quare, quod ad contentricem facultatem pertinet, ipsa certe infirma non est, nedum vt extincta, absumptaue diu possit, Num autem ita sit affecta, vt peruersa munus suum obeat, iam agnoscamus. Galenus, hęc profert genera vitiorum ipsius cum peruersæ agit, saltum, siue palpitationem, conuulsionem, quæ est singultus, tremorem, qui obscuram habet sui speciem, & vibrationẽ, quæ conspicua habet signa, verba Gal. ea sunt ὅταν οὖν περιστέλληται ἡ γαστὴρ τοῖς σιτίοις, ἀλλὰ μετὰ παλμοῦ τινὸς, ἢ οἷον σπασμοῦ τε, καὶ τρόμου καὶ κλόνου, πλημμελὲς ἂν εἴη τὸ τοιοῦτον τῆς περιστολῆς ἔργον. Quorum generum indicia protinus comprendit his verbis. τοῦ μὲν οὖν παλμοῦ τῆς γαστρὸς σαφῶς αἰσθανόμεθα, καὶ μὲν γε καὶ τοῦ σπασμοῦ, λυγμὸς γὰρ ὀνομάζεται τὸ σύμπτωμα, τοῦ δὲ οἷον τρόμου παθήματος αὐτῆς οὐκ ἔτ' ἐναργῶς, ἀλλ' εἰ προσέχοις τῷ λόγῳ τὸν νοῦν, οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο φωράσαις χαλεπῶς, ὅταν οὖν ἐδηδοκότι σοὶ μήτε κλυδών τις ἐνοχλῇ, μήτε πνευμάτωσις, ἀλλὰ μήτε παλμός τις εἴη, μήτε λύγξ, ἀηθοῦς δ' ἀπορίας αἴσθησις ὑπάρχῃ κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ οἷον βαρύνηταί τε, καὶ καμνῇ καὶ ποθεῖ θᾶττον ὑπελθεῖν κάτω τὸ βάρος, ἢ ἄνω ἅμα τῷ τι ἀερύγην προσγενέσθαι, καὶ πού καὶ δυσχέρεια κατὰ τὴν ἀναπνοὴν, ἄπορος δή τις καὶ δύσφραστος ἕπηται, τοῦθ' ἡγοῦ τὴν γαστέρα περιέσταλθαι μὲν τοῖς σιτίοις, ἀλλ' οἷον τρομώδους ἢ

δὲ

δὲ οἷον κλονώδης κίνησις ἐν τοῖς ῥίγεσι μάλιστα καταφα- A
νὴς ἐστιν ἅπαντα τοῦ ζώου καταλαμβάνουσα τὰ μόρια.

De poſtremo hoc genere non eſt ambigendum, quoniam hic quaſſationem violentam admodum, & totam concuſſionem ventriculi non habemus, quanta in toto corpore eſſe ſolet in acrioribus humoribus quos noſtri tonum græcum ſecuti vigores appellant, imò nihil ei ſimile penitus agnoſcimus, poſſet citius dubitari, an ſit tertium genus tertio loco numeratum, ſcilicet tremor, cuius tam eſt obſcura ſpecies ſenſus, vt æger neſciat exprimere ſuam moleſtiam, & vt verbis Galeni vtar, inſolitæ difficultatis indicibiliſque rei eſt ſenſus, non enim ęger noſter aperte poteſt ſuam hanc moleſtiam exponere, verum ei ſpiritus grauis non eſt, neque cum moleſtia redditur, dein ructus nullus B eſt, neque pondus, onusve ſentitur, aut exonerandi vlla cupiditas, ſed aſcendendo potius vrget, quam aggrauando, ſic ergo neque vibratio, neque tremor ventriculi is eſt, conuulſio vero longè minus, quoniam per ſe ipſa conſpectui ſubijceretur, cum ſit ſingultus, qui hic certe eſt nunquam. Relinquitur ergo primum genus, in quod vnum is affectus referri poſſit, hoc eſt, ſaltus, palpitatiove, in quod genus vel notis omnibus ei proprijs deficientibus videmur tamen cogi hunc affectum referre hoc argumento a ſufficienti partium numeratione dicto, forte palpitationem ipſe, qui medicus non eſt, non ita proprie ſcit exprimere, aut tamen ſimilem eius ſenſum eſſe rei per C interualla tumentis, ac eſſe quaſi bullantis humoris inſultum præcordia adurgentem, qui os ventriculi cum feruore, oppreſſione, & ſenſu auſteræ rei eo appulſu ſolicitat. Palpitatio quidem in ſpatio aliquo eſſe ſemper ſolet, quòd dilatari, attolli, & reſidere poteſt. hanc tamen Galenus ab inflatione ipſa aliam facit, nam certe & huius per ſe, & illius meminit, diuerſis in locis, & ad diuerſas differentias læſionum ſequi illas facit, vt enim hanc attribuit ei læſioni, cum contentricis munus peruertitur, ſic inflationem imbecillitati illi aſſignabat, neceſſe tamen hunc affectum cum flatu quodam fieri, quem fere vt cauſam continentem ſequatur, Propriam vero, ab inflationeque diuerſam obtinet rationem, quoniam eſt quidam D ſaltus modo attollente ſeſe flatu, ſpirituque, modo reſidente, & per inuiſibiles meatus diſcuſſo, neque enim vnus eſt neceſſarius ructus, per quem ſoluatur flatus is, ſed poteſt diſcuti, aut à caloris naturalis vi abſumptus, aut ab eadem per inuiſibilia foramina diſcuſſus. Mihi ergo videtur nullam aliam rationem huius mali eſſe quærendam, neque confugiendum ad vitium conformationis ventriculi, quod paruus, quod rotundior eſt, & in ſeptum nimium incumbens, vrgenſque, nam tunc à cibi abundantia tantummodo offenderetur, non à quacunque vel parciſſima potione, neque per interualla offenſa reſurgeret, ſed continua à princi- E pio commoraretur, neque vero adſunt huic ventriculo ea indicia, quæ docti ſumus à Galeno lib. Art. Med. cap. ſeptuageſimoprimo. At à flatuoſa re eſſet hoc malum, quid ergo eſt, quod fere per ructum non ſoluitur? Hæc quæſtio ad vniuerſum genus palpitationis ipſius ventriculi pertinet, ac forte ſi eructatio moueretur nulla maneret in ventriculo palpitatio, imo, ſi quando moueatur, effert humorem illum tam acerbum, & quieſcit affectio aliquantiſper.

Noſtri vero muneris nunc non eſt generalem palpitationis ventriculi cauſam diſputare, propriè de noſtro loquentes habemus dicere hoc, quod multam habet vim ad prohibendum eructationem in eo auſtera, aſtringenſque vis, vnde ab ea aſtrictus ſtomachus ſpiritum non poteſt admittere ſeu ei egreſſum præſtare.

At hoc ſic conſtituto, ſubſtanteque aliqua cauſa inflationem hanc ſic ſubinde faciente, eius quoque cauſæ generis, & ratio omnis cognoſcenda eſt, præterea quoniam ſpiritus ille, & cauſa, vnde ſpiritus mouetur, opus coctionis perturbant, videndum eſt, quæ læſio inde eſſe poſſit coctioni, dum illa ſic perturbatur, præcipue ergo de coctricis facultatis offenſa nobis hic aliqua dicenda ſunt, quoniam auſteritas illa, calor ille præcordiorum, & reliqua neceſſario vitium aliquod in eo munere ſubeſſe teſtantur, hac quoque in re ſequemur Galenum ſuis in locis, & præſertim lib. primo, de loc. affec. capit. quarto, cuius diſciplinæ via eo tendit, vt non ſolum vim læſionis teneamus, ſed locum quoq; male habentem, quoniam ſæpiſſime munus alicuius facultatis male habet loco eius facultatis penitus integro, vnde ibi alius locus quærendus eſt, à quo male habente is quoque afficiatur, qua in re ſubtiliſſime agendum eſt, quoniam munus ventriculi præter vnum hoc tedium nihil omnino vitij habere cernitur, vnde & ſperare poſſimus ipſam vim ventriculi bene habere eius munere ſic perturbato, & alium locum ſcrutari debemus, à quo vitiato omne malum ventriculi emanet, eo vero diligentius perſequenda eſt tota huius diſputationis ratio, quoniam alij in ventriculi proprium vitium nihilominus hæc retulerunt, quorum propterea opinionem expendere, priuſquam vlterius progrediar, operæpretium exiſtimo, vt ea diligenter enodata, quæ vero proxima videatur, & ijs, quæ ei repugnent explicatis poſtea facilius vera ſententia diſcernatur.

Habent pro certo ventriculum hunc tarde concoquere, quod certe (vt, quæ repugnent ei ſententiæ ſingillatim opponam) alienum cuique videri poteſt notas ſuperius comprehenſas intuenti, in quibus multa coctionis tarditas cernitur, inde volunt adeo infirmam eſſe coctricem vim, vt abundanter admodum acida pituira illa frigidiſſima gignatur, faciuntque inde chilum tam crudum, vt eius terrenæ partes ſint, quæ auſterum illum ſaporem afferant, atque adeo ventriculum frigidiſſimum faciunt, neque aliter poſſunt, ſi ab eo ſuggerenda eſt materia frigidiſſima, qualis eſt pituita acida, Ex eo vero incremento, quod accipit illa offenſa, à largiori vini potione ſiccitatem ventriculi, tamquam compertam habent, eamque definiunt eſſe, qua roridus humor ventriculi abſumptus ſit, cum tamen (ſi, quod repurgat dicendum ſit) non ab omnis potionis genere, ſed proprie à vino id fiat, cum præterea, vt omnis ſit tamen potionis, ea nota non eſſet ſiccitatis pręter naturam, ſed naturalis in ſiccitate, namque pręter naturam à longa potione etiam iuuaretur, ſic ergo frigido, ſiccoque ventriculo facto reſpondet ab eo genita acida pituita, idque chili auſteri genus quotidie, & in ſingula coctione, ſub quibus quomodo tam bona nutritio toti huic corpori? (quę enim repugnant, tam euidentia ſunt, vt non poſſim ea pręterire,) Cur vero acida pituita, frigidaque natura ventriculi, & auſtera chili materia non excitat famem vltra id, quod eſt debitum? dicunt, quoniam coniungitur omnibus his vna bilis à iecore tranſmiſſa, & tam bene validum ventriculum bilis perpetuę incurſioni iam tot annis ſubijciunt nullis affectibus ſtomachicis vnquam affectum, & tantum ſtomachi robur obtinentem? ab illa bile eſt ſitis, aiunt, eſt oris ſiccitas, & amaror, calidiſque rebus vix ore contentis ea moleſtia magis irritatur, quoniam calor linguam exſiccando ventriculo ſicco malum tam ſibi contrarium exſiccationis infert; Aiunt vero

ro bilis acorem non habet, neque ſanguis, quare cum melancholiæ hypochondriacæ ſigna non adſint, nequaquam humorem melancholicum, ſed pituitam eſſe neceſſe eſt. Notas humoris melancholici neceſſario hypochondriacas eſſe volunt, cum tamen & quartanarijs, & grauidis mulieribus ſępe videamus per vomitum melancholicum humorem multum emoliri nullis affectibus eiuſmodi contingentibus. affectio enim hypochondriaca multas alias partes requirit, ſi Galeno credimus, in quibus maxime neceſſaria eſt, & præcipua illa in meſeraicis inflammatio, ergo potuit illa argumentatio retinere non minus melancholiam, quam pituitam fecit, cum melancholia minime mala quoque, & naturalis acida ſit, pituita vero talis non ſit, niſi admodum à naturali ſtatu receſſerit, Inditia igitur, à quibus colligunt hoc iudicium, ambigua ſunt, & habent, quæ ſibi cum maxime pugnent, maxime certa ſunt. incerta vero, quæ pro ipſis facere videtur.

Auſterum ſaporem referunt in terreſtre genus, vt dicunt, terreſtre autem genus in naturam pituitæ, quod non poſſunt, cum differentia pituitę, & melancholiæ in eo ſit, quod pituita ad aquoſum, melancholia ad terreſtre referatur. In eo maxime vero falluntur, cum aiunt pituitam eſſe ſiccitatis ſignum, nam neque hic vlla pituita cernitur, neque ſic Galenus. lib. ſecundo, de temper. accipiendus eſt, vt, quod ſignum ipſe oſtendit naturæ humentioris non eſſe proprium, ſed frigidioris, id ſiccæ naturæ fiat neceſſarium, quod à ratione abhorret, quare non poſſumus vllo modo in hanc ſententiam venire.

Rem ipſam diligentius inſpiciamus. Galenus ex facie non ſolum iecoris, ſed ventriculi imbecillitatem cognoſci à medico voluit, ex qua nos ideo ſummum robur ventriculi debemus intelligere, quod robur præterea certiſſimum habemus, cum ſemper concocta videamus excrementa tam alui, quam vrinæ, quantumcunque abunde comederit, & grauibus, aut malis cibis vſus fuerit, & fructibus putreſcibilibus, ſicut contra in alijs imbecillo ventriculo vix aliquem ſenſum ſuæ infirmitatis præbente, alui ſæpe fæces crudas, albas, & inæquabiles conſpeximus, quæcumque leuis cauſa acceſſerit, præcipue ſi frigidiori ventriculo frigus aut per potionem, aut per aliud contagij genus contigerit, quibus tamen tanta frigiditas non erat, vt pituitam acidam, dictaque alia mala proferrent, nec vero etat ſuſpicio vlla ſiccitatis, quæ infirmitatem ventriculi augere ſolet incredibiliter, minimeque alia cernebantur tedia, quæ in hoc videmus, vel cum cibis leuioribus vtitur, Cuius rei auctorem, & teſtem habemus ipſum Galenum, cum de ventriculi infirmitate loquitur, non ea tanta, quæ mel, aut butirum ferre non poſſit, vt noſter non poteſt, aut quæ à leuiſſimis cibis offenderetur, vt is facit, ſed certe longe minore, ſub qua tamen neſcio, an ventriculus grauiſſimorum ciborum, & abundantium coctionem intra octauam horam, cum tardiſſime, perficeret. legamus caput vltimum 3. libri de ſympt. cauſ. multis malis à ventriculi infirmitate naſcentibus ibi propoſitis ait.

καὶ τοὶ καὶ τούτων ἕκαστον, καὶ τῶν ἄλλων σχεδὸν ἁπάντων συμπτωμάτων οὐκ ἔστιν εὑρεῖν, ὃ μὴ κατά τινα καίρον ἐπιφαίνεται τοῖς ἀπεπτήσασιν, ἄλλα τε παρά τε τὸ μέγεθος τῆς ἀπεψίας.

Fieri nunquam poteſt, quin in his, qui cruditate laborant, quodque horum malorum, & aliorum etiam aliquod aliquando contingat pro cruditatis modo, Vt ſcias nullam eſſe infirmitatem ventriculi tam paruam ad concoquendum, ad quam non hi morbi, aut horum aliqui ſequantur, ergo & ho-

A rum ſæpe plures, & nunquam non aliqui morbi ſollicitant, cum cruditas ſubeſt, pro Natura ſcilicet corporis, & partium ipſius.

καὶ τὴν διαφορὰν, καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσεως εὐαισθησίαν, ἢ δυσαισθησίαν ἑκάστου τε τῶν κατὰ τὸ σῶμα μορίων ἰσχὺν, ἢ ἀσθένειαν ἄλλοτε ἄλλο γενήσεται σύμπτωμα, μεγάλη μὲν γὰρ ἀπεψία μείζονά τε, καὶ πλείονα φέρει τὰ συμπτώματα, μικρὰ δ' ἔμπαλιν ἐλάττονά τε, καὶ μικρότερα.

Nam ſic vſus venit in natura rerum, vt magni effectus à multum potentibus, parui à parum potentibus cauſis fiant, varięq; ſubinde in corpore humano malorum differentiæ ſint, vt differunt partes, in quibus naſcuntur, etſi ab eodem viſcerę initium habuerint, Nomina malorum eorum cum ponebat Gal. ſic locutus eſt, agnoſce tu, quanta, & quot ſint,

B *ἐν πνευμάτωσιν δῆξιν, ὑγρὰν διαχώρησιν, ἢ πολλὴν, ναυτίαν, ἢ ἀνορεξίαν, ἢ ὄρεξιν ἐπιτεταμένην, ἢ ὄκνον εἰς τὰς πράξεις, ἢ νωθρότητα διανοίας, ἢ καρηβαρίαν, ἢ ἀγρυπνίαν, ἢ καρδιαλγίαν, ἐπιληψίαν, ἢ παρανοίαν, ἢ ἔκστασιν. ἢ κῶμα, δυσθυμίαν, κώλου παντως, ἢ νεφρῶν, ἢ σπλήνος, ἢ ἥπατος, ἢ θώρακος, ἢ ἄρθρων ἄλγημα, ἀνωμαλίαν, φρίκην ῥίγος, πύρετον*, ac ſi partibus imbecillis ex his malis aliquod certum inſtat, ab imbecillitate ventriculi, is quidem articulorum doloribus ſæpiſſime exerceretur.

Nolim autem notas omnes huic inditio imbecillitatis ventriculi repugnantes ſubtilius perſequi, quoniam cum infinitus fere labor eſſet. Suſcipiendus, tum vna ex illis ſatisfeciſſe videtur, vt quæ ex facie, & bona corporis nutritione ſumitur, aliquas

C tamen hic comprehendam, lac in hoc ventriculo non acceſſit, neque ptiſſana, vt in frigidis ventriculis fieri indicat, Galenus multis in locis priuatim vero de lacte in quinto Aphoriſm. ſexageſimoquarto, & quarto lib. de ſimpl. med. capit. decimoſeptimo. Verba in Aphoriſmos ſunt hæc.

ὅτι τὸ γάλα ταχέως ἀλλοιοῦται, καὶ ὅτι διττὴν ἔχει τὴν ἀλλοίωσιν, ὅταν μὲν ὁμιλεῖ πλείονι θερμασίᾳ κνισσούμενον ἀθέως, ὅταν δὲ ὀλίγη ταχέως ὀξυνόμενον, & paulo poſt, *κἀπὶ τῶν ὑγιαινόντων, εἰ μὴ πεφθείη καλῶς, τοῖς μὲν ὀξύνεται.* cur acor fiat, & quomodo, habet expreſſum Galenus lib. 4. de ſimpl. medic. cap. 15. his verbis.

ἡ ἐν τοῖς χυμοῖς ὀξύτης, ἐν τῷ μεταβάλλεσθαι μὲν ὑπὸ τοῦ θερμοῦ, μὴ κρατεῖσθαι δὲ, μάλιστα ἔοικε γίγνεσθε διὰ τοῦτο καὶ τῶν καρπῶν τοῖς πλεῖστοις ὑπάρχει πρὶν πεπανθῆναι.

Quare lac, quod à frigore conſeruari ſolet, ab im-

D becillo calore ventriculi, cum non poſſit diutius ſuam naturam conſeruare, cito quidem mutatur, at non in dulcem ſuccum, vt omnia faciunt, quæ alere dicunt, ſed aceſcit, quod in hoc ventriculo non fit, quare frigidus non erit. At dicunt ob ſiccitatem ante abſorbetur, quam aceſcat, & tanta eſt ſiccitas, quanta cogatur ventriculus abſorbere lac tam cito. Acute dictum. Verum tranſibit ne lac in naturam corporis alendi, antequam mutetur? at dum mutatur ab imbecilli calore aceſcere neceſſe eſt, vnde multo melle miſcebat Galenus, & parce dabat, cum ſiccum, & frigidum ventriculum curabat, neque tam fidebat ſiccitati, vt illam anteuertere poſſe acorem ſperaret. Neque enim abſorbetur, antequam concoquatur, neque mo-

E mento coquitur vlla res, præſertim in frigido ventriculo, vt lib. quinto, de vſu Partium cap. quarto, *δεῖται δὲ τὰ πεπτόμενα πλέονος χρόνου* breuiſſimum tempus requirat lac, eo tamen ſpatio aceſceret, quid dico de lacte? grauiſſimos cibos, liberaliterque aſſumptos tam bene concoquit, quam qui robuſto eſt ventriculo, & nihilo tardius, ſint illi ex genere leguminum. ſint puls ex farina tritici, caſeus, fructus cuiuſque generis, ſint cuiuſque copiæ, atque miſcelæ, ſi vel aquam frigidam ſuperbibat, vel ſub ipſo coctionis labore.

Dicent fortaſſe non eo perductam eſſe hanc imbecillitatem, quin ſpatio tandem coctionem non per-

perficiat, iam dixi, nihilo longiori spacio ad coquendum egere, ac egeant, quique moderatiores ventriculi, forte hic esset necessaria aliqua certa mensura, qua metiri possemus, quanta natura imbecillitas creare possit pituitæ acidæ tantam copiam, & chyli tantam acerbitatem, quanta tamen è contra valetudinem tam secundam sustentaret, coctionem ciborum cuiusque generis, & modi tam bene molirentur.

Duas has virium conditiones si compares, certe dispari admodum sorte eas inuenies, quod si ei frigiditati adiuncta quoque esset ea siccitas, qua humor roridus abesset, non video, quomodo cibum non solum grauissimæ, sed mediæ, sed imbecillimæ materiæ posset superare, pituitæ quidem acidæ tunc gignendæ valde esset opportunus adquam esset ferè necessaria tanta imbecillitas. In nostro ergo ventriculo non tam parum vis valida est, vt esse oporteret, si duas qualitates sic immodicas habet. Si enim Galenus tertio de sympt. caus. lib. cap. 1. sic dicit. ἅπασαι μὲν οὖν αἱ μεγάλαι, δυσκρασίαι καταβάλλουσι δύναμιν.

De vna tantum loquendo qualitate, quid credis dicturum esse de duabus his pessimis, & naturæ, vitæque animantis aduersissimis? audi ipsum lib. septimo Methodi cap. octauo sub finem. ἐπειδὰν μὲν ἰσχυρῶς ἀλλοιωθῇ, κατ' ἀμφοτέρας τὰς ποιότητας ὁτουοῦν μορίων ἀπόλλυται τὸ ἔργον αὐτοῦ σύμπαν.

Dices tu forte ventriculum hunc defectum esse rorido humore leui sua iactura? & tantum in eo insedisse frigus, quantum acidæ pituitæ, acerboque chylo sic gignendis, & eius noxam leuem esse? & iam tanto tempore, vt agatur quartus annus, cum est facta primo hæc coniectura, vigesimusquintus vero, cum animaduertit ipse hæc incommoda à vobis continuo in siccitatem relata, & exiguum hoc malum esse? descriptum senem, & prope senio consumptum videbis sine acore, sine acerbitate, cuius tamen ventriculus cum toto corpore est frigidissimus, ac siccissimus vehementioribus autem his malis continuò hunc ventriculum opprimentibus non erit consumpta vis concotrix, non eousque debilitata, vt cruditatis saltem, & pituitæ signa prodat aliquando?

At vero contrario iecore ei ventriculi vitio, & bile inde quotidie emanante per vias insuetas in ventriculum quibus morbis non pateret hoc corpus tam libero victu?

At prohibendum vero caninam famem ei acidæ pituitæ semper bilis, & iecoris illud vitium fuit necessarium, tamen nostro huic ventriculo non est conueniens, neque huic corpori. Galenus enim de huiusmodi corporibus contrarijs generibus viscerum præditis ait cap. decimosexto lib. de Alimen. facult. αἱ γάρ τοι νόσῳ δέξαται κατασκευαὶ τῶν σωμάτων ἐξ ἐναντίων τῇ κράσει συγκειται μορίων.
Quod præcipue de ventriculo eum intelligere ibidem sequens oratio manifestat, vt præter morbos super comprensos ad vnam ventriculi imbecillitatem sequentes is quoque nouus metus subesset meo corpore à iecore sic viribus in ventriculum pugnante, in quo tamen corpore, nulla prorsus infirmitas deprendi potest, præter hanc vnam, quæ hactenus multum quidem tedij, nihil vero periculi, aut damni ostendit.

Præter podagram, quæ 10. annis aliquando, aliquando 4. abfuit, nec nisi tempestatibus humidissimis accessit.

Alioquin nos seruum omnino viride, & habile habemus, post tam longam inueterati mali oppressionem. At vero tam praua, tamque frigida pituita erit, nullus vero frigiditatis, caloris multus sensus intus fuerit, scilicet calescat pituita sine putre-

A dine, putrescat adeo, vt inflammetur, & febris vocabitur, quæ contra calore liquata, nisi putrescat penitus, fit longe frigidior, immo etiam si particulatim putrescat, vt fere solet, non vna omnibus suis partibus ob crassitudinem putrescendo frigoris sensum facit, in qua vero nos pituita febres epialas ponemus? Hic febris nulla, frigus nullum, immo calor, qui quandoque nimium æstum facit. Galenus nunquam potuit sibi comminisci ventriculum frigidum habentem, vel pituitam, vel cibum frigidum, quin dicat frigus quoque persentiri. lege ipsum tertio de temper. capit. quarto. καὶ τί θαυμαστὸν ὀπὸς ἢ μανδραγόρας, ἢ κώνειον, ἤ τι τῶν τοιούτων, εἰ καὶ θερμανθέντα προσενεχθείης μικρὸν ὕστερον γίνεται ψυχρὰ πτισάνης, καὶ γάλακτος, καὶ χόνδρου, καὶ ἄρτου
B τὸ αὐτὸ τοῦτο παχόντων, ἐπειδὰν εἰς ἄρρωστον ἐμπέσοντα γαστέρα μὴ κρατηθῇ πρὸς αὐτῆς, ἐμεῖται γοῦν πολλάκις ἱκανῶς ψυχρὰ, καὶ τό γε τούτων μεῖζον, ὃ δὴ καὶ Ἱπποκράτης ἐπεσημήνατο, καίτοι χυμὸς ὄν, ἢ δὴ τὸ φλέγμα κἀκ τῶν σιτίων τῶν μὴ πεφθέντων πολλάκις ἐν τῇ γαστρὶ γενόμενος ὅμως ψυχρὸν ἁπτομένοις φαίνεται οὐ μόνον ἐν τῇ γαστρὶ συστὰν, ἀλλὰ κἀκ τῶν φλεβῶν αὐτῶν ὑπό τινος τῶν καθαιρόντων φαρμάκων ἑλχθέν.

Pituita non solum collecta, & vim suam integram tenens, sed alieno, calidoque loco in exiguas partes dispersa alieno calore retusa, & domita, vt cum est in venis, habuerit suum frigus, in nostro autem ventriculo congesta non habeat, sed calida sit; cibi quoque cuiusque generis in frigido ventriculo frigoris sensuum aquirunt, præcipue ta-
C men frigidi ipsi, non faciet autem pituita, vel si sit acida, quæ longe frigidissima est, nullum frigoris sensum, potius calorem mouebit. Neque vero caret sensu is ventriculus, qui plurimos quidem, ac fere quoscumque nouimus ventriculos, sensus præstantia antecedit, omnes ergo sic habentes iuuari solent calidis fomentis admotis, quæ si vel animo concipiat ipse, ei malum irritari videatur, frigidisque potius superdatis iuuari, vt præcordijs aqua frigida perfusis, aut frigido aeri, vel si media hieme fuerit, subiectis, forte anceps fuerit nobis illud inditium frigiditatis ventriculi, quod Galenus lib. octauo de compos. Medic. secundum locos totidem verbis exponit, ἱκανὸν δὲ γνώρισμα τὸ ψυχρότεραν τὴν διάθεσιν εἶναι πρὸς τῇ τοῦ κάμνοντος αἰσθήσει
D τὸ ἄδιψον.

Nam à bile tam superatam voles pituitam, quam ad sitim naturalem, & conuenientem sit satis, vel forte aliam causam eius sitis afferes à re naturę contraria, & noxia commodum naturæ requirens, sed tamen bilis tam abundantis nulla nota ei ventriculo est, præterquam quod sine modo, & ordine suam illa sitim faceret, nec pro cibo, sed pro humoris decurrentis modo. potius ergo nos hoc cum Galeno accipiemus argumentum, quod, vt frigere ventriculum, & non sitire est signum frigiditatis, sic non frigere, non carere omnino siti eius nullius est nota, contrarijs vero certe his humoribus obsessus continenter ventriculus quibus affe-
E ctibus non exerceretur? quibus neque illa nota deesset, quod pituita humore suo linguam suffundet, bilis itidem suo, & quamuis sitiret ipse ob bilem, humor tamen pituitæ linguam à siccitate vendicaret, etsi non a siti, amaroremque potius, quam siccitatem bilis induceret. Nunc autem cum amaror accedit fere siccitati coniungitur. Vultis sitis ordinem à bile, aut certe eius halitu sustineri, & famem caninam prohiberi, contra à pituita à bile coercita, moderataque famem moderatam prouenire, nihil tamen horum naturale, aut bonum esset, mala omnia essent a quibus optimum tamen alimentum est, At quod maximum est, si bilis, vnde ille halitus est, in uentriculo est, cur non mordet

uentri-

ventriculum; ex eo morsu curant non descendit cibus ante tempus ea solum ventriculi petente, aut in os illa ascendente non affertur fastidium? Vomitus nausea, & mille alia tedia? si a iecore halitus tantum biliosus demittitur in ventriculū, cur sitis tamen inter sumendum cibum pro ratione cibi seruatur? Si quidem experimur bilis vim, & halitum à cibo coerceri, & in fundum imum ventriculi depelli, demergique. Sitis ergo vna cum bile, & eius halitu depelleretur, quæ tamen contra inter coquendum cibum aliquando resurgit, semper vero sub finem sumendi cibi potius sentitur. Nos quotidie etiam experimur in stomachis sensu acriore præditis, quod vapores soli ipsius bilis stomachum resoluunt cum fastidio, & ipsum mordendo tedium, angoremq; ei summū afferunt, vt bilis ipsam in vomitum, aut nauseam, Satis iam his ostensum est in hoc ventriculo tantam vim aut pituitæ, aut bilis non esse, quæ dicta mala afferat. Vtamur tamē hic quoque Galeni auctoritate, & eius ea verba afferamus, quæ ipse quasi pugnaturus contra hanc sententiam habet. 5. de vsu part. cap. 4. & de bile, & de pituita. de hac quidem primo ait. εἰ γέ τινὶ συμβαίνει τύχηκεν ποτὲ τὰς μὲν τῶν τροφίμων σιτίων προσφορὰς ἀποστρεφομένῳ, καὶ δεινῶς ἀποσίτῳ, καὶ εἰ βίᾳ ζοι τὸ προσφέρεσθαι ναυτιῶδη γινομένῳ, μόνας δ' ἄρα τὰ δριμύτερα προστεμένῳ, χαίροντι δ' ὄντι ἐπὶ τούτοις, ἀλλ' ἐμφυσωμένῳ τε, καὶ διατεινομένῳ τὴν γαστέρα, καὶ ναυτιῶντι, καὶ βραχὺ ταῖς ἐρυγαῖς μόναις ἐπικουφιζομένῳ, διαφθείροντι δ' ἐστὶν, ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ λαμβανόμενα σιτία, καὶ μάλιστα τὴν εἰς ὀξύτητα διαφθοράν. Ergo acidum non solū lac, sed quemcunq; cibum faciet is, qui pituitam habet, in stomacho, quamuis ita frigidus non sit, vt acidam faciat pituitam, & præterea cibum fastidit, quo magis ergo si coniuncta sit bilis? si sola ergo pituita fastidium mouet, atque vomitum, simulq; inflationes, quorum nullum nisi per vomitū pituitæ finitur, quid si cum bile vnà teneatur, nouam naturam rerum inducitis ne? an somnia hęc sunt? Subiungit Gal. φλέγμα γλισχρὸν μὲν ὂν φύσει, καὶ πολὺ δ' ἔτι γλισχρότερον ἐν ταῖς τοιαύταις διαθέσεσιν ἐκ τῆς πολυχρονίου μονῆς ἐν τῷ θερμῷ χωρίῳ γινόμενον. At aliquando tamen deijceretur, aut vomeretur hęc vestra pituita, quę quo crassior spatio esset facta, & glutinosior, eo lōge maiora afferret, alioquin n.ni deijciatur, audi quid efficiat. πλείονος, δ' ἀθροισθέντος ἐκ τινὸς κακοπραγίας τοῦ σώματος οὐκ ἀπογινώσκουσιν οἱ ἄριστοι τῶν ἰατρῶν εἰ λέξεται, καὶ λειεντερίας, καὶ τεινεσμοὺς ἐπειδὰν τὰ χαλεπώτατα τῶν κατὰ τὴν γαστέρα παθημάτων. Hic neque deijcitur per se, neque medicamentis, neque tamen vllus vel leuissimus morbus eum tentat. Hactenus de pituita, si sola habeat. De bile postea agens, Gal. 1. necessitatem, quam habet ventriculus sui expurgandi à pituita, & vim huic rei accommodatam ipsius bilis narrat, dein de incommodum maius longe futurum demōstrat à bilis morsu, quæ esset ab expurgando pituitam vtilitas, Vnde eum expurgandi ventriculi vsum ex bile declinare coactam fuisse naturam ait, vt vitæ animantis, & saluti ventriculi consuleret, & meatum bilis longe à ventriculo inseruisse, quoniam si in ventriculi superiorem partem inseruisset, eius transitus & vomitum, & cardialgias, & plurimos alios affectus inferret, si in inferiorem, cibū ante tēpus omnino crudum deportaret, Ibi ad alia verba Gal. hæc legūtur. εἰ μὲν οὖν ἐπιπολάσειεν ὁ χυμὸς οὗτος ἐπὶ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ὡς ἂν αἰσθητικώτατον ὑπάρχον ἀλγοῦσί τε σφοδρῶς δακνόμενοι πρὸς αὐτοῦ, καὶ ναυτιῶσι, καὶ ἐμοῦσιν, εἰ δ' ὡς ἐπὶ τὸν πυθμένα, ῥέψειεν ὑπέρχεται κάτω διὰ ταχέων, ἀεὶ δ' αὐτοῦ συνεκκρίνει καὶ τὰ σιτία. Neque illa prætermittēda, ὅτι πᾶν ἀνατρέψει τὸ τῆς γαστρὸς ἔργον, minus illa ἠναγκάζει ἂν ἀπωθεῖσθαι τὴν τροφὴν κάτω, πρὶν πεφθῆναι καλῶς, quæ verba respondent superioribus illis. τίς γοῦν ἀγνοεῖ τῆς ξανθῆς χολῆς τὴν δύναμιν ἱκανῶς δριμεῖαν ὑπάρχουσαν δάκνουσάν τε, καὶ ῥυπτοῦσαν ἅπαντα, τίς δ' ἀποκρίνας ποτὲ κάτω πλείονα τὸν χυμὸν τοῦτο οὐκ

A ἠσθετο προηγησαμένης ἐν τοῖς ἐντέροις δήξεως, τίς δὲ οὐκ οἶδεν ὡς ἐμέτου χολώδους.

Bilis ergo hic nullum est indicium in ventriculo, quòd si aluus sæpe ex parte biliosa est, id bilis per intestina tantum fertur, At dicetis terrentia illa mala, quæ solet bilis mouere non eueniunt in hoc ventriculo, quoniam bilis, etsi ad os ipsum ascendat ipsius ventriculi, in id tamen penetrare eius offensa non potest, quoniam ob siccitatem durius est factum, quæ tanta (malum) durities à siccitate? caue quæso, nam siccitas, priuans ventriculum eo rorido humore necessario aperta relinquit inuisibilia eius foramina, vnde magis pateat iniurijs viscus ipsum, si autem tantam tu illam facias siccitatem, quanta duretur stomachus, illa non amplius est
B (vt dicunt) instrumentalis, sed similiaris, etiam solida ipsa humore suo priuat, vnde membranæ durentur, quam siccitatem solidorum Galenus 2. methodi cap. 5. in fine ait esse summam, quæ esse possit in corpore, insanabilemque, quid autem non consumpsisset vinum ventriculo siccitas tanta frigori tanto adiuncta? nedum vt ipse posset satisfacere, quemadmodum videmus toti corpori non sustinendo modo, sed abunde, atque ad obæsitatem nutriendo. Plura quidem superessent dicenda, sed nolo esse nimius, dimittam eam etiam notam, quod nec per abstinentiam aut bilis, aut pituitæ inditia sunt, per abstinentiam siquidem bilis solet ad ventriculum moueri, eumque irritare, ipse tamen
C sub ipsa fame nullo morsu ventriculi, nulla nausea, aut cibi fastidio molestatur, nulla siti præmitur, per famem, & abstinentiam pituita consumitur, ipse tamen grauior est sub proximo à fame cibo, & sequitur secundum eum cibum citius acorille acerbus, & maior, maiorque illa oppressio, & maior æstus, neque illud commemorabo, quod post purgationem uel primo, uel secundo die præsto & illa eadem molestia, quoquidem temporis spatio pituita tantum vinum reficere non potuit, neque per generationem sui, quam in ventriculo habet, neque si aliunde incurrat, cum caput, à quo vno id fieri solet, non male habeat, & fere careat recrementis, Quid uero dicam, quod acerbitas, quæ terrenam habet naturam chili esse non potest, cum terrenæ
D chyli partes in ventre quidem sint alui feces, in alijs autem visceribus, cum sanguinis formam, & si imperfectam chylus iam subijt, melancholiæ partes sint, & aliene sugendæ sint, nunquam pituitæ nomine dicendæ.

Mitto etiam multa alia quæ præterea dici possent, nam satis, superque dictum est, ac magis, quam sit necessarium, & clare admodum est ostensum pituitam nullam subesse, minus eam acidam esse posse, multò minus uentriculum esse tanta frigiditate uitiatum, ut sit ei generandæ, cum quibus patet quoque siccitatem nullam esse, qua consumptus sit humor roridus, qui in inuisibilibus foraminibus alendis partibus præsto esse solet, nam, vt de siccitatis quoque vitio dicam, cum tanto ven-
E triculi robore ulla siccitas esse non potest. minus uero ullæ afferuntur rationes, quæ id conficiant, & cū dicunt, largiorem potionem uentriculus nō patitur, subnecto ego id solius uini esse, non cuiuscunq; liquoris, ut fuit propositum. imò, si ad iustam uini potionem multa insuper aqua, uel cruda quidem accedat, nihilo magis propterea grauis fit, ac, ut iam fit ipsum à cuiuscunq; generis largiori potione ingrauescere, quid tum? id. n. & imbecillo cuiq; vētriculo contingit, vt imbecillimum hunc nostrum facitis, potione scilicet largiori cibum attollente ab imo loco, vbi vis coquendi multa est, in superiorem, vbi occasio cibi corrumpendi, ac præterea tunc, cum hæc

nota propria est ſiccitatis, non imbecillitatis omnis, nullo modo alienę à Natura ſiccitatis nota eſt, vt.n. natura quæque integra a diſſimili nimio opprimitur, aggrauaturque, ſic vitiata, à diſſimili, & cõtrario in eo genere, quo ipſa defecta eſt, bene habet, quoniam ab eo reſtituitur, vbi quantum diſtat ab eo ſtatu, in quo eſſet per naturam ſuam integram, tantundem requirit ſuperantiæ contrariæ ei generi, in quo per vim iam conſtitit, ergo quantum ob ſiccitatem inclinatus eſt is ventriculus à ſua natura integra ad vitium, tantundem quæreret humoris, quo reſtituatur, vt quantum ſiccitas detrahit, tantundem humor reſtituat.

At Galenus dum curat ventriculi ſiccitatem, monet tantum potionis dandum, vt non innatet cibus, iam dixi hoc omni ventriculo commune eſſe, & præcipue infirmo, vt conſtat eſſe, qui ſiccitate laborat, aliter igitur fert ea corpus, quæ naturæ ſuæ diſſimilia ſunt, aliter, quæ morbis ſuis contraria, qua ratione quoque forte vos vtebamini, cum aſſerebatis lac citius, quam aceſceret, mutareturve, abſorberi in corpus ventriculi, etſi nimium, quàm deceret, rationis eius vires vos amplificabitis, nota ergo illa non ferre largam potionem ſuæ potius, quam alienæ ſiccitatis eſt, verum naturalis quoque, & ſua nõ poteſt eſſe hæc ſiccitas, quoniam fuiſſet ſitibundus ſecundum Gal. lib. Art. Medic. cap. 60. *γαστρὸς γνωρίσματα τῆς μὲν φύσει ξηροτέρας εἰ ταχέως διψῶδεις γίγνοιντο*, ſi illud *ταχέως* intelliguntur à pueritia, in ea is ſitibundus nunq̃ eſt viſus, ſi illud ſtatim primo cibo intelligas, ipſe niſi poſt multam prandij partem ſitit, nunquam prius, vel ſi inſolentius ſe exercuerit, ſub æſtu etiam, ſed iam hæc neceſſaria non ſunt, nam potio ipſa non eſt moleſta, ſed tantum, ſi vini fuerit, præcipue potentioris. Quid vero, quod ſicci per ſe ventriculi, ait Galenus, ſiccioribus delectantur? is vero humidioribus, ac elixis potius, quam aſſis, potius piſcibus, quam carnibus, verba Gal. ſunt, *ἐδέσμασί τε χαίροιν ξηροτέροις*. Neq; ſiccitatis eius veſtræ vitioſæ nota illa conueniens eſt, quod lac ventriculi tunica cito abſorbeat, & antequam aceſcat, nam ſiccitas potius attrahẽdi vim remoratur, vt ſuperius ex Gal. palam factum eſt, quamuis ratione vacui iuuetur aliquo modo. At minus illa, quod calida vix ore detenta lædunt ſiccitatis teſtimonium eſt, calor.n. per ſe frigori facit nimio remittendo, calori nimio vero officit augendo, ſiccitati autem agendæ per ſe quidẽ, & proxime non facit, ſed ſolum, ſi etiam, atq; etiam calefaciendo demum ſiccet, at quæ calida ſunt poteſtate (vt aiunt) ſi ore contineantur, quandoq; quidẽ poſſunt calorem cito mouere, at cito ſiccitatem nunquam, ſpatio.n. aliquo eget calor, vt calefaciendo demum exſiccet, longiori autem, vt nõ ſolum exſiccet partem, quam obtinet, ſed faciat, vt alia quoq; huius ſiccitatem perſentiãt, quod ſpatium non habent, ſi vix ore teneantur, quare, cum offendunt, hæc potius nimium calorem ventriculi poſſunt, quam ſiccitatẽ ſignificare, cum pręcipue ſiccitas autoribus vobis frigiditati adiuncta ſit. per quam frigiditatem à caloris vi potius facile vindicaretur. At forte illud erit magnum ſiccitatis argumentum quo dicimus frigiditatis aſſeclam eſſe ſiccitatem, quamuis nos contrarij etiam certi ſimus, quòd ad ſiccitatem ſ. ſpatio ſequitur frigiditas, vt Gal. lib. 7. Meth. c. 7. his verbis. *ἰστεὸν δ' ὅτι καὶ ταῖς ξηρότησι τῶν στερρεῶν σωμάτων ψύξις ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ χρονιζούσαις, διαμένειν γὰρ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν ἡ ξηρότης ἀμέμπτου τῆς κατὰ τὸ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν ἀντιθέσεως ὑπαρχούσης, οὐ δύναται· τάχιστα γὰρ ἐπὶ ταῖς ἀτροφίαις ἀποψύχεται τὰ μόρια, διότι καὶ ἡ θρέψις ἑαυτοῖς ἐστιν ἐκ θερμοῦ χυμοῦ τοῦ αἵματος.*

Quandoque quidem nutritio a frigore tanto prohibetur, vt demum ad illud ſiccitas conſequatur, quamuis hoc ſit difficile cogitatu, vt vbi calor nõ eſt,

A ibi vllum alimentum, quantulumcunq; ſit, ſatis eſſe non poſſit, obuerſantibus interea ante oculos multis animantibus, quæ per frigora non egent alimento, & aliquibus quoque mulieribus corpore frigidioribus. Ac quoquomodo velis, hic tamen tantum frigoris, quod nutritionem impediat, non videmus, cũ ventriculum catere pituita, & eius generis excremẽtis cernimus, & nutritionem totius corporis, & omnem coctionem perfectam, Reſpondet hoc ei, quod lib. 2. de temper. capit. 2. ſtatuit Galenus his verbis *δι' αὐτὸ γάρ τοι τοῦθ' ἕκαστον τῶν μορίων ξηρότερον γίνεται, ὅτι μηκέθ' ὁμοίως τρέφεται νῦν ὑπ' ἀῤῥωστίας τοῦ θερμοῦ, πλῆθος μὲν γὰρ ἔξωθεν αὐτοῦ περιττωμάτων ὑγρῶν ἐπικλύτει, τὸ βάθος δ' αὐτὸ τοῦ σώματος ἑκάστου ξηρὸν ἐστι μὴ θέλκειν εἴσω τὴν τροφὴν δυναμένου*, Siccitas ergo prohibet ne in ſolidum corpus peruadat alimentum. Vnde frigi-
B diotes ſiunt partes minime nutritæ, vt ſi ob frigus ſiccus factus eſſet, iam multo tempore nutriri non potuiſſet, & excrementa exundaſſent illa, quæ nunquam apparuerunt. At dicunt medicamenta bis in anno accepta ventriculum potuerunt exſiccare, poreſt etiam gutta lapidem cauare, nulla certe ſigna ſunt, potuerint tamẽ multum, ego his opponam alimenta continuo abundantia, & optima, ſemperque benè cocta, quæ magis potuerunt toto tempore ad reficiendum, quam medicamenta bina quot annis ad exſiccandum, veſtra quoq; illa pituita auxilio fuiſſet, & ventriculum aut defendiſſet, aut à ſiccitate vẽdicaſſet. Quibus vero medicamentis ſi eſſet exſiccatus ventriculus, quid noxæ ab illis nunc non acciperet? quid imbecillitatis, cum medicamenta dantur?
C tam vero non oſtenditur, vt à purgatione ſtatim bene cibum capiat, & bene cõncoquat, & ſępiſſime melius habeat, fere vero non ſitiat. In his ego adhibui ſummam diligentiam, & omnia circumſpexi, prius quam in doctiſſimorum hominum ſententiam auderem aliquid proferre, & diutius ſuſtinui aſſertionem, ne vnquam pronior ad contradicendum viderer, quæ vero interea conſideraui, quibus peritus ab ea ſententia deterrerer, hic libet proponere, ſi non omnia, ſaltem potiora, vt cuius ſit poteſtas iudicandi, an iure ab ea opinione deſciuerim, quæ omnia locis Galeni proponendis declarabo, vt illis potiſſimũ nitatur tota diſputatio, Inde ergo exordiar, Galenus genera ſiccitatis quatuor facit 7. method. poſtremis
D quinti cap. verbis, & primis ipſius ſexti. In quinto capite ait *τὸ δὲ ἀκριβὲς τῆς συμπληρώσεως ἐστιν ἐν τῷ τὰ τῆς στερεᾶς οὐσίας τῶν ὁμοιομερῶν σωμάτων γεγονέναι ξηρότερα.* De quo ſupremo ſiccitatis gradu [illegible] rius dixerat. *ὥστε καὶ ἀνίατον ὅταν ἀκριβῶς συμπληρωθῇ.* Completam vero ſiccitatem, & ſummam vim obtinentem definit verbis iam ſupra poſitis, *τὸ δὲ ἀκριβὲς τῆς συμπληρώσεως ἐστιν* ſumma ergo ſiccitas eſt, cum facta ſunt ſicciora, quę ſolidi corporis ſimiliarium partium ſunt, in quo toto genere ſiccitatis, & ſi magis, & minus illa quoque inueniri poſſit, tamen omnis ea ſiccitas eſt deſperatæ ſalutis. Proximum ab hoc genus ſiccitatis, & aptiori, ſummoq; primum ab eo diductum eſt, non gradu tantum ſiccitatis quod ſcilicet per ipſũ homo minus ſit exſiccatus, ſed differt
E quoque parte ipſa arefacta, ſuperius enim homo ſolidas partes ſimilares habebat exſiccatas, hic minus tabeſcit, quoniam partes tantum illæ, quæ ex humidis conſtant, vt caro, adepſq; conſumptæ ſunt, ait ergo Galen. *ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ ξηρότης τῆς ἐκ τῆς ὑγροπαγοῦς οὐσίας συνεστώσης, ὁποῖον ἐστὶ πιμελὴ, καὶ σάρξ ἐκτακέντων.*

Hæc tabis differentia abſumit quidem penitus illas partes, tamen ipſa penitus facta tabes non dicitur, nam homo hac ipſa tabe non eſt penitus confectus, vt erat ſuperiori. vbi non credo cuiquam eſſe dubium, quod his partibus manentibus carnoſis ſolidarum humor confici non poteſt, hæc enim ad ſeruandum ſolidarum partium humorem à natura

factæ

factæ sunt, & quamuis in vitis, & senibus solidis A firmioribus, & ficcioribus factis hæ tamen partes abundant, nihilominus ficcitas sui generis in abundante carne, & pinguedine respondet ratione sua ficcitati solidorum, vt quædam est quoque ficcitas in sanguine, & in rorido humore iisdem illis conformis, etsi illis omnibus quidem excrementa sæpissime ex cruditate per infirmitatem caloris facta genere suo humidiori, vt in valde senibus, aduersantur, hæc autem ficcitas ratione ætatis accedens, sic æqualiter partibus omnibus contingit, quoniam paulatim necessitate, quod aiunt materiæ, & aeris, & caloris innati illa ficcitas spatio æquè omnibus illis partibus accedit, non repente vni, vel alteri, non vi alicuius incidentis causæ, in quibus enim non omnes partes pariter ficcantur neque vna con- B ficiuntur, necesse est vt illa corpora vim aliquam iniuria in partem, quampiam accipiant eaque vna per vim dempta parte altera eius pabulo, priuata marcescat, vt si carnibus, pinguedinibusque consumptis solidiores partes tabescunt, & quod de carnibus, & pinguedinibus dico, idem de reliquis, in quibus vis pabuli alteri parti præsto est, in quibusq; reliquæ ficcitatis differentiæ sunt positæ. Succedit tertia apud Galenum his verbis, καὶ ἔτι γε πρὸς ταύταις τῆς οἰκείας ὑγρότητος ἐξ ἧς τρέφεται μόρια τελέως ἀπολλυμένης περιέχεται δ' αὐτὴ καθ' ἅπαν τὰ τοῦ ζώου μόρια δρόσου εἴδους ἐν αὐτοῖς παρεσπαρμένης minus sub hoc genere tabis homo consumitur, quam in superioribus, tamen humor ipse, qui in inuisibilibus foraminibus alendis partibus paratus subsistit, consum- C ptus est, quo humore benè refecto, & sustentato pro fecto nunquam carnes, pinguedinesque tollentur, vt eo, consumpto consumuntur, imminuto imminuuntur nisi restituatur, Consumitur vero ipse solus solidis integris, & carnibus, cū per vim ficcitatis aliqua causa infertur. Tribus his ita distributis tabis ipsius partibus Galenus habens pro constituto, quod omnis ficcitas alimento emendatur, non medicamento, hoc est, auctis potius nutrimenti partibus, quàm humoris genere in humidius mutato accipit causam difficultatis in dictis ficcitatibus submouendis ab eis capitibus, quod alimento opus est, quod alimenta viribus naturæ indigent, quodque sub ficcitate vires admodum deficiunt, ex quibus Galenus D cum peruenit ad hanc tertiam tabis differentiam colligit statim curationis ficcitatis difficultatem, verba illius sunt. ταύτην οὖν ἐνθεῖναι τοῖς μορίοις οὐχ οἷόν τε χωρὶς τροφῆς διὰ τοῦτο χαλεπωτάτη τῶν λοιπῶν ἐστιν διαθέσεων ἡ ἴασις.

Non solum autem vires concoctricis facultatis sunt imbecilles, sed ipsius quoque attractricis, vt eodem 7. meth. & lib. de marasmo dixerat. Profert autem hanc difficultatem subito post propositas has tres priores differentias, quasi innuens difficilem adeo quartam non esse, quam postea illis expeditus sic proponit, ἄλλη δὲ ξηρότης ἐστὶν ἡ κατὰ τὰς μικρὰς ἀρτηρίας, καὶ φλέβας τὰς ἰδίας ἑκάστου τῶν μορίων συνισταμένη γίγνεται δ' ἑαυτὴ δηλονότι κατὰ τὴν τοῦ αἵματος ἔνδειαν. Est ergo hæc tabis distantia, cum venulæ E cuiusque partis propriæ sanguine defectę sunt, quod nō posse esse sine minutione caloris in fine eiusdem capitis dicit. ἡ τετάρτη καθ' ἣν αἱ φλέβες ἐκκενοῦνται χυμῶν, καὶ μᾶλλον ὡς ψυχροτάτης ἕξεως ἡ τοιαύτη θεραπεύεται διάθεσις ἤπερ ὡς ξηρότης, cum calor quoque exhauritur, quod autem restauratio huius humoris in quarta hac tabe difficilis non sit, præterquam quod ex verborum ordine iam animaduerso suspicari potest, ipse in fine apertè profert, cum dixit, ὅθεν καὶ ἡ ἴασις ἑτοίμη τε, καὶ ταχίστη, δύο γὰρ ἡμέραις.

In aliis tamen partibus faciliorem esse, quam in ventriculo verisimile est, nam, si quæ pars sanguine careat, ad quam nihil pertineat sanguinis creatio, illa partibus ipsum potest attrahere, & ab aliis hoc facilius, quoniam inanitione citatur ipsa attractio. At pertinet ad ventriculum, si non sanguinem parare, saltem eius materiam componere, & subministrare, quare non erit tam facilis huius humoris in ventriculo restitutio, vt in aliis partibus, nam interea facto imbecillo ventriculo non paratur facile materia sanguinis. Verum enim vero nunquam in hac esse potest tanta difficultas, etsi in ventriculo sit, quanta in superioris tabis generibus, Quę dixerim posito quòd ventriculus sanguine alatur, At enim ventriculus ali maxima ex parte cibis in eum vsum coquendis creditur, vt eosne coqueret quidem, nisi ipsis aleretur, qui vero cibi facile, & in promptu sunt. His ita positis tabis differentiis iam ipsius Galeni verbis confirmemus, quam maximam virium infirmitatem cuique euenire parti ex ipsa ficcitate, & pro ficcitatis modo duriorem, ex qua infirmitate omnis cautio in tabe difficilis est, humoris scilicet resumendi Galenus in lib. de marcore cap. 9. hæc habet. δέδεικται δὲ ἐν τοῖς περὶ τῶν φυσικῶν δυνάμεων, ὡς οὐκ ἑαυτὴν ἡ τροφὴ προσάγει πρὸς ἅπαντα τὰ μέρη τοῦ σώματος, ἀλλ' ὑπ' αὐτῶν ἕλκεται τῶν τρέφεσθαι δυναμένων, ἄτονα δὲ ἐστὶν ἐν τοῖς μαρασμοῖς ταῦτα, καὶ ἕλκειν ἀρρωστᾷ διὰ τὴν ξηρότητα προσελθούσης δὲ τῆς φύξεως ἐγγὺς ἤδη νεκρῶν τυγχάνει.

Quod vero lib. 7. Meth. declarat ipse pluribus verbis cap. 6. loquens de delectu ciborum in tabe habendo, quod 7. quoque cap. repetit, quod autem difficultas eo sit maior, quo magis alenda pars necessariam sanguini parando præstet operam, non credo egere hic demonstratione, proprie tamen de ventriculo dicamus, quod materiam sanguinis male parando mali sanguinis est causa sub auctore Galeno in 5. Epidim. com. 4. Aph. 25. οὐ γὰρ οἷόν γεγεννῆσθαι χρηστὸν αἷμα κατὰ τὸ ἧπαρ τε καὶ τὰς φλέβας ἀπεπτηθέντων, καὶ διαφθαρέντων ἐν τῇ γαστρὶ τῶν σιτίων.

Verum iam in rem nostram sermonem conuertamus ex ficcitate, qua roridus humor ventriculi absumptus sit, habemus ingentem ventriculi imbecillitatem, qua cibos optimi generis, & facillimos concoctū nequeat in sui alimentum conuertere, quoniam, cum sit difficilis huius ficcitatis curatio, id non aliunde, quam ab imbecillitate duceret Galenus. Vide ergo, quid sequitur ex ea ventriculi imbecillitate, vt, an subesse possit ficcitas, agnoscas. Ventriculus neque sese facile nutriet, neque corpori bonum, aptūque alimentum præstabit, quod longe magis eueniet huic nostro ventriculo, quoniam per se gemino genere vitii peccat, frigiditate scilicet ei ficcitati adiuncta, quibus ἐγγὺς τῶν νεκρῶν τυγχάνει, legamus Galenum quoque lib. septimo Meth. capit. 8. ἴστον δὲ σὺ καὶ τοῦτο πρὸ πάντων, ὡς, ἐπειδὰν ἰσχυρῶς ἀλλοιωθῇ κατ' ἀμφοτέρας τὰς ποιότητας ὁτιοῦν μόριον, ἀπόλλυται τὸ ἔργον αὐτοῦ σύμπαν, οὐ ῥᾴδιον δὲ, οὐδὲ τὸ οὕτω διατεθὲν ἐπανελθεῖν εἰς τὸ κατὰ φύσιν, ἐπειδὰν δὲ ἡ ἑτέρα μόνη ποιότης ἐπὶ πλέον ὑπαλλαχθῇ καθάπερ νῦν ὑπεθέμεθα τὴν ξηρότητα, τῶν δ' ἄλλων τις ἢ μετρία, δυνατὸν ἰάσασθαι τὸν οὕτω διακείμενον ἄνθρωπον.

Conficiamus hic quoque hoc argumentum, Aut tanta fuit ficcitas, quæ quatuor certe ad minimum annis superari optimo, & abundanti alimento non potuit, aut exigua, ita vt facultatem non læserit. Horum neutrum esse potest, nam si leuis fuit, natura tanto tempore, tam bonis cibis, & abundantibus sese restituisset, si grauior fuit, vt non potuerit natura sese reficere, frigiditate quoque cibum non coquente, vnde tanta pituitæ acidæ copia, quæ quotidie molesta est, nunc toti corpori certè macies euenisset, tam longo temporis spatio, aut certe non tam bene nutritum ipsum coloratumque videremus, quo nullum, vt dicebam, hac ætate, qua ipse est, neque speciosiorem, neque melius nutritum videre possumus, non solum, vt careat penitus omni aut cacochimiæ, aut cacotrophiæ signo, quemadmodum cuique

cuique patere poteſt, ne dum medico, cuius partium eſt, vel ex facie ventriculi infirmitatem diſcernere, equidem ego non poſſum non adſtringi huic argumento, Ventriculus ergo, qui ſibi non potuit humorem reddere, toti corporis ſatis alimenti ſuggeſſerit, potuiſſent vero tanto tempore nutriri carnoſæ partes, & pinguedines circum ventriculum, & ſibi ipſe reſumere, quicquid quotidie per calorem abſumitur, niſi roridus humor in locum conſumpti nouus quotidie ſuffectus eſſet, forte potuit ſuffici in locum eius, qui quotidie conſumitur, ille, qui non eſt, & præcordia, & omnes circumpoſitas ventriculo partes admodum pingues, & obeſas quatuor iam an nis rationem veſtra, noſtra viginti quinque ſeruare. in corpore non mediocriter calido negotijs, & animi perturbationibus continenter agitato. Quomodo vero nos bona ratione ſignum ſiccitatis, & imbecillitatis, ventriculi vnquam a præcordiorum mala nutritione ſumeremus? ſcilicet vero exigua eſſe poteſt imbecillitas ex frigiditate, & ſiccitate ea, quæ nondum humorem demat, quæ tantam pituitã generis tam improbi efficiat, vel quę tantopere alimen tum tam bene à ſe concoctum non poſſit recipere, nam ſi magna non eſt, quia bene concoquat, at magna eſſet, cum non recipiat curationem; magna nõ eſt, quoniam totum corpus non afficit, magna eſt, quoniam tantam pituitam, acidamque, & chylum auſterum generat, omnia repugnantijs, plena ſunt, propterea poſſet demitti is labor, niſi idem quoque in Galeno agnoſcere placeret, cuius doctrina, quo magis tractatur, ſemper eſt ſuauior, verbis vero eius adductis legentibus relinquam laborem colligendi argumenta, ordiamur à 7. methodi cap. 6. *ἁπάσας τούτας τὰς ξυρότητας ἐχάτως βλάπτουσιν αἱ τῶν αὐστήρων ἐδεσμάτων, καὶ πομάτων, καὶ φαρμάκων προσφοραὶ, ἐκδαπανῶσιν γὰρ εἰ καί τι λείποιτο τῆς ἐν αὐτοῖς ὑγρότητος ἐμφύτου, τὸ μὲν ἐκπινοῦσαι, τὸ δὲ ἐκθλιβοῦσαι διὰ τῶν πόρων εἰς τὴν ἐντὸς εὐρύτητα τῆς κοιλίας, τὸ δ' ἐπὶ τὰ συνεχῆ μόρια διωθοῦμεναι, θεραπεύειν οὖν αὐτὰς προσήκει τὸ μὲν συνιτηκὸν τῶν πόρων ἀναπεταννύοντα, τὸ δὲ εἰς τὰ παρακείμενα μόρια διωθὲν ἐπισπώμενον ὑγραινούσῃ τε τροφῇ πληροῦντα τῆς οἰκείας ὑγρότητος ἕκαστον τῶν ὁμοιομερῶν, ὥσπερ καὶ ἡμεῖς τὸ ἐξηρασμένον ὑπὸ τῶν ἰατρῶν ἐθεραπεύσαμεν ἄνθρωπον. ἐν μὲν γὰρ τῇ κατὰ τὸ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν ἀντιθέσει μηδεμίαν ἐπικρατοῦσαν ἐναργῶς ἔχοντα δυσκρατίαν μήτε καθ' ὅλον τὸ σῶμα, μήτε κατὰ τὴν γαστέρα, ξηρὸν δὲ, καὶ λεπτὸν ἱκανῶς γεγενημένον ἐκ τοῦ μὴ πέπτειν καλῶς ἀτονούσης τῆς κοιλίας ἐπὶ τῇ κατὰ ξηρότητα δυσκρασίᾳ.*

D

Hic habes ſiccitatem ventriculi præfuiſſe, quæ ob ignorantiam medicorum multa vi medicamentorum maiorem in modũ aucta eſt, medicamentis per compreſſionem ſanguinem ad interiora reprimentibus, & tamen cito curata eſt, vnde & iſthęc veſtra certe leuior fuit, & tamen ex his verbis Galeni totũ corpus extenuarat, & imbecilliſſimum ventriculum reddiderat, qui nulla frigiditatis, aut alterius vitij vi adiuncta hac vna tamen ſiccitate non poterat concoquere, & cito tamen curatus eſt. Rurſus Galenus 7. meth. cap. 4. alium ægrotum inducit, de quo pluribus alijs in locis meminit, ibi vero ait. *ἄλλον δ' οὐ πρὸ πόλλου ξηρότατον ἤδη γεγενημένον ὡς ὁμοιότατον εἶναι τὴν ἰδέαν τοῖς μαρασμώδεσιν*, de quo dici non poteſt, quod ei ereptus fuiſſet humor ſolidarum partium, nam eum ſic affectum non poſſe ſaneſcere dicit, Galenus tamen is imaginem tabidi hominis referebat. Nam ſcio ego illos alioquin obiecturos nobis ſolidarum partium ſiccitatem eam eſſe, quæ in uentriculo ſi ſit, aut in alia parte, totum corpus afficiet, quam habet Galenus ſeptimo methodi capit. ſexto in fine, cuius loci verba libenter adducam, vt quid valeant in nos, quidue habeant pro nobis ap pareat, vt interim omni de tabe aperta doctrina, noſtra hæc cauſa fiat dilucidior, verba Galeni ſunt. *αἱ ξηραὶ δυσκρασίαι τῶν σωμάτων αὐτῶν ἀψάμεναι τῶν*

E

A *στερρέων εἰ μὲν περὶ τὶ μόριον συσταῖεν, ὥσπερ ὑπόκειται νῦν κατὰ τὴν γαστέρα, τελέως οὐκ ἄν ποτε θεραπευθεῖεν οὐδὲ ἐπανέλθοιεν εἰς τὴν πρὸ τοῦ νοσῆσαι διάθεσιν, ἀλλ' ὥσπερ εἴειθε λέγεσθαι συνήθως, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ πράγματος διδαχθεῖσι τοῖς πολλοῖς, ὡς ἡ νόσος ἐκάκωσε τὴν γαστέρα, καὶ ἀσθενῆ παρεσκεύασεν, εἰς τὸν ἔπειτα βίον ἐπὶ ταῖς τοιαύταις μάλιστα συμπίπτει δυσκρασίαις, γέροντος γὰρ οὗτοι ἴσχουσι γαστέρα, πρὶν γηρᾶσαι, διὸ καὶ βλάπτονται ῥαδίως ὑπὸ σμικρῶν αἰτίων, ὥσποθ' οἱ γέροντες, καὶ πέπτειν οὐ δύναται καλῶς, ἐξ οὗ συμβαίνει καὶ τὸ σύμπαν αὐτοῖς σῶμα χεῖρον ἴσχειν, οὕτως δὲ κἂν ἄλλο τι πάθωσι μόριον, ἂν δὲ καὶ τὴν καρδίαν αὐτὴν ἐν πάχει μαραίνονται, καὶ καλεῖ τὸν ταῦτον μαρασμὸν ὁ φίλιππος ἐκ νόσου γῆρας οὗτος ὁ μαρασμὸς ἐπὶ θάνατον ἄγει συντόμως ἐφεξῆς δὲ καὶ ὁ ἀπὸ τοῦ ἥπατος ἀρξάμενος,*

Quaſi dicat his poſtremis verbis, quod incepit à B iecore, & deinde ad cor peruenit, & ſic interficit, ſolidi ſcilicet corporis ſiccitas. De ventriculo autem dicit *εἴθ' ὁ ἀπὸ τῆς γαστρὸς* nam & hæc in cor peruenit, ergo hic vos dicetis, Galenum de ſolidorum ſiccitate loqui, quam nos habemus hic propoſitam, & tum ad eam, ſi ſit in ventriculo, dicit, quod multo poſt ſequitur mors, Ego dicam opportunè hæc obiecta eſſe, nam non dico mortem ſubſequi neceſſe fuiſſe tan to tempore ad uentriculi veſtram hanc ſiccitatem, ſed dico malam corporis nutritionem, quam primum probaui neceſſario ad imbecillitatem ventriculi ſequi, & imbecillitatem probabam ſequi ad eius roridi humoris conſumptionem frigiditati coniunctam, deinde hiſtorijs Galeni adductis confirmabam, quod quibus humor tamen roridus ventriculi C ereptus eſſet, ijs omnibus breui ſpatio & carnes quęque eſſent conſumptæ, quare neceſſaria tamen eſſet corporis extenuatio, ſi non tabes, vbi tanto tempore ventriculus rorido humore caruit. Aliud habeto exemplum eodem capite, vbi tempus etiam, quo poſſit reſtitui ventriculus, apparet. Ibi ſic ait *ὁ σκοπὸς τῆς ποσότητος ἐπὶ μὲν τοῦ πόματος, ὡς μὴ δεῖσθαι ἐκ πλῦσαι τῇ γαστρὶ*, perpetuum eſt, vt hoc obſeruemus in omni imbecillo ventriculo, ne cibus natet, nam, ut in imo ſolo ventriculi concoquitur, ſic in ore eius corrumpitur? quare modus potionis erit ſic temperandus. *ἐπὶ δὲ τῶν σιτίων μάλιστα μὲν, εἰ οἷόν τε, μηδὲ βαρυνθῆναί ποτε αὐτήν, χαλεπὸν δὲ τὸ τοιοῦτον, καὶ ἴσως ἀδύνατον ἐν ἀτόνῳ γαστρὶ φυλάξασθαι παντάπασιν.*

Si dixeris quomodo æſtimare potero eas vires, & D pro eis cibum dabo? docet demendum eſſe de eo cibo, qui fuit grauis ventriculo, ei vero adijciendum, qui nihil oneris attulit, in priori ergo lactis modus minuendus, in poſteriori augendus, quod vel lac ſolum præ imbecillitate illa ſiccitati ventriculi graue ſit ventriculo, propterea à modico admodum lacte incipit, & paulatim modum eius augendo, prout uires illi redeunt à nutrimento, ad ſolidos cibos ægrum reducit, vſque ad ſuillam carnem, vel piſcibus dimiſſis, vt minus nutrientibus, ad quod ciborum genus cum ventum eſt, citò humor reſtituitur, tranſitus vero is eo citius fit, quo minus vis imbecilla fuerit, vt inſequentibus verbis appa-ret, vna cum tempore, quo totum quoque corpus ab ea ſiccitate roridi affici ſolet. legamus Galenum E *συμβαίνει δὲ μάλιστα κατὰ τὰ χρόνια τῶν ἀρρωστημάτων ὅταν ἡ σύμφυτος ὑγρότης ἑκάστου μέρους, ἐξ ἧς πρώτης τρέφεται, κινδυνεύει μηκέτι εἶναι, τὴν μὲν γὰρ τῶν στερρέων σωμάτων ξηρότητα τῶν ἀδυνάτων ἐστὶν ἐπανορθώσασθαι, καθάπερ καὶ τὸ γῆρας, τὴν ὑγρότητα δὲ, κἂν ἀπόληται τελέως οἴονται γεννῆσαι κατὰ τὴν εἰρημένην ἀρτίως δίαιταν, ἐν μὲν οὖν ταῖς ἄλλαις ἀναλήψεσι οὐδὲν ἐξαίρετον ἡ γαστὴρ πέπονθεν, ἐν δὲ τῇ νῦν προκειμένῃ διαθέσει, τὸ νόσημα μὲν ἐστὶ τῆς γαστρὸς, λεπτύνεται δὲ τῷ χρόνῳ τὸ σύμπαν σῶμα μὴ καλῶς τρεφόμενον.*

Sentit ergo hanc ventriculi ſiccitatem, quæ roridi eſt humoris, totum corpus non vna ſecum, ſimul atque ipſe eam ſenſerit, cum non ſit initium vitæ, & naturæ proximum ventriculus, vt cor, ſed tamen *τῷ χρόνῳ*, nam non potenti iecore emendan-

do

dio perficere materiam à ventriculo crudam admi-niſtratam, non præſtatur alimentum neceſſarium ipſi corpori, quare tempore totum quoque conta-beſcet.

Credis vero fieri poſſe, quin proximis diebus ma-le nutriatur, & macreſcat? certe initium temporis initio mali paulatim accedentis ſuis notis omnino reſponderet, pro robore quidem corporis variari illa eſt neceſſe eſt, & pro alimenti caloris neceſſita-te, quæ certe in iuuenibus maior eſt.

Primis ergo diebus, aut certe primo menſe mi-nus nutrimenti veniet à ventriculo ſic affecto in cor pus totum, vnde ipſum macreſcat; Eſto id accidat primis menſibus, accidat primo anno, certe ma-cies aliqua iam cerneretur, defuiſſet iam bonus ſan-guis, & decolor homo factus eſſet, & defuiſſet deinde roridus humor, neque carnes, neque pin-guedines, minus color tam bellè ſeruarentur, At ſpatium temporis non definitur à Galeno, iam dixi pro ratione corporis id variaturum, conijciendum vero ex illis Galeni verbis, cum ſuperius dixit. *συμβαίνει δὲ μάλιςα κατὰ τὰ χρόνια τῶν ἀῤῥωςημάτων*, Quociescunque ergo cronica dici poteſt imbecilli-tas nutritionis, tum ſubeſſe alicuius generis macies poteſt, at imbecillitas, quæ per annum immorata eſt cronica ſatis, ſuperque eſt, cur ergo neque alte-ro, neque tertio, neque vigeſimoquinto acceſſit, cur non apparet vllum indicium imminutæ nutri-tionis, aut minus boni ſanguinis? cur non macrue-rit non video, cur non ſit factus decolor, minus forte vero curis eſt vacuus, à quibus imbecillitas, & macies augeri poſſint. quæ ratio omnino durio-ribus vobis eſt ſic explicanda. Vt ſe habet maxi-mum, ad maximum, ita minimum ad minimum, & medium ad medium, ergo ſit minima (ſi mini-ma ea eſſe potuit, quæ tam inueterauit, & tot an-nis alimento recipiendo reſtitit,) cur minima ſal-tem ſuæ vitioſitatis ſigna non dedit? Videamus vero quæ Galenus de mediocri ſiccitate ventri-culi loquitur, ſeptimo meth. capit. ſeptimo.
αἱ μέτριαι δὲ τῆς ὅυτως ἀκριβοῦς ὀυ δέονται διαίτης, ὅτι μὴ δὲ τὰ τῆς δυνάμεως ἐπ' αὐτῶν, ἐσχάτως καταπέπλωκεν, ὀυδὲ γὰρ ὀυδὲ δι' ἄλλο τι χαλεπὸν γίγνεται θεραπεῦσαι καλῶς ἰσχυρὰν ξηρότητα σώματος ἢ ὅτι χρήσιμη μὲν ἀναθρέψεως, ἡ τροφὴ δ' ὀυ πέφυκεν ἑαυτὴν προσφύειν, ἀλλ' αὐτοῦ δεῖται τοῦ τρεφομένου δημιουργοῦντος αὐτὴν, ὅπερ ἐςιν D *ἄτοπον, ὅταν οὖν ἢ μετρίως τοῦτο ξηρὸν, ἅτε μὴ δὲ τῆς δυνάμεως ἐσχάτως καταπεπλωκύας ἁδρότερόν τε διαιτᾶν ἐγχωρεῖ, καὶ κίνδυνος ὀυδεὶς ἁμαρτεῖν τοῦ μέτρου, διὰ τοῦτο, καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὴν χαλεπωτάτην δυσκρασίαν τὸν λόγον ἀγαγόντες ἐγυμνάσαμεν τοὺς φιλομαθεῖς.*

Ex his Galeni verbis hæc ſiccitas, quam vos pro-ponitis, in hoc ventriculo, certe mediocris non eſt, nam mediocris non eget lacte, neque multa ordinatione in ratione victus, exquiſitave ratione, quoniam neceſſitas alimenti multa eſt in omni ſic-citate, & vbi ſiccitas mediocris eſt, vis infirma non eſt, quare eſt opus in ea valentioris materiæ cibis, ne, vt conſulit Galenus, facile a calore corporis alendi diſcutiantur, vnde docet ipſe, vel cum im-becilla vis eſt, vt per alimentum recreatur, ſic pau- E latim ad ſolitum vitium vſque ad ſuillam redeun-dum eſſe, quam ipſe protinus daret, vt ait ca-pit. ſexto eiuſdem libri, niſi ab infirmita-te prohiberetur, cur vero daret. ait.
τροφιμώτατον οὖν ἐςὶν ἁπάντων, ὧν ἴσμεν, ἐδεσμάτων χοίρειον κρέας, ἀλλ' ὀυκ ὁμοίως τοῖς εἰρημένοις ἄπεπτον, καὶ χυμοῦ γλισχροῦ, καὶ παχέος γεννητικόν. οὐδὲ γὰρ, ὀυδ' ἄλλως οἷόν τε διακεῖσθαι τὸ ἄκρως τροφιμόν. Vnde eodem ca-pite ait alibi. *καὶ τοῦ χρόνου προϊόντος, ὅταν ἤδη πλησίον ἥκωσι τῆς ὑγιεινῆς καταςάσεως ἀποχωρῆσαι, πτισάνης, καὶ γάλακτος, ἔτι τῶν ἐκ χόνδρου ῥοφημάτων, ἐπὶ τὰ συνήθη προσάγοντας σιτία, καὶ τοὺς ἰχθύας ἀφελεῖν, εἰ μὴ δι' ἔθους εἶεν ἐπὶ τῆς πλυνῆς διαιτωμένους, ἐδωδῆς τε*

A *χοιρείων κρέων, ἄρξασθαι μὲν ἀπὸ ποδὸς ἐν πτισάνῃ καθεψημένου.*

Leuem ergo vos non facitis hanc ſiccitatem, ſed grauem, ſi ſapitis, vt lactis dandi ratio ſit aliqua, vt ſpacij ſui tam longi, quo non eſt ſuperata à co-pia ouorum, carnium, ciborum ex lacte, ex amylo, cum iure pingui, & ſimilibus, ſubſit cauſa aliqua, ſi ergo grauior fuit, vbi eius ſunt notæ? vbi imbe-cillitas? vbi ſi non tabes, at tenuitas, & decolora-tio corporis? forte ſe ſe ventriculus non aluit, & tamen vniuerſo corpori ſatis abunde alimentum permiſit, & quod ſibi vni non potuit, toti corpori fecit, ſiccitas illa, quam Galenus tam facile cura-uit profecto hac noſtra fuit minor, tamen totum il-la corpus confecerat, Videamus Galenum. c. 4. lib. 7.
B *ἄλλον δ' ὀυ πρὸ πολλοῦ ξηρότατον ἤδη γεγενημένον, ὡς ὁμοιότατον εἶναι τὴν ἰδέαν τοῖς μαρασμώδεσιν ἰασάμην.*

Non multo ante ille ventriculus fuerat exſicca-tus, totum tamen corpus erat inexſiccatum, & tabi-dum, nedum male nutritum, & tenue, & noſtra hæc ſiccitas, quæ tam inſedit quæ ſola non eſt, ſed frigi-ditati vehementi adiuncta ad eripiendum naturæ robur aptiſſima, nihil tanto tempore corpus af-fecerit? nihil partes ſibi vicinas? eodem lib. capit. ſexto. Galenus quoties proponit ſolam in ventricu-lo ſiccitatem, non illam multam, quam totum tamẽ corpus valde ſenſerat? præcipue vero illis in verbis.
ξηρὸν δὲ καὶ λεπτὸν ἱκανῶς γεγενημένον ἐκ τοῦ μὴ πέπτειν καλῶς ἀτονούσης τῆς κοιλίας ἐπὶ τῇ κατὰ ξηρότητα δυσκρασίᾳ τούτου γὰρ ὁ μὲν σκοπὸς τῆς θεραπείας ὑγρᾶναι τὴν γαςέρα, καὶ σύμπαν τὸ σῶμα, ἐν μὲν γὰρ τῇ κατὰ C *τὸ θερμὸν, καὶ ψυχρὸν ἀντιθέσει μηδεμίαν ἐπικρατοῦσαν ἐναργῶς ἔχοντα δυσκρασίαν.*

Quid ſi cum frigore iuncta fuiſſet? credis ne ſer-uaſſet plenum ipſum corpus? Curauit Galenus ea-dem hora quemdam, cui corpus ob ventriculi ſicci-tatem tabeſcebat, cui ſiccitati calor quoque coniun-gebatur, vnde duplici præſidio fuit opus, non ſolum ſcilicet alimento, ſed etiam refrigeratione. Vide ip-ſum cap. 4. eiuſdem libri. *ἐθεασω γοῦν καὶ σύ τινας μὲν ἡμέρᾳ μιᾷ μᾶλλον δὲ ὥρᾳ ψυχροῦ πόσει θεραπευθέντας.*

Aqua tanquam medicamento fuit opus huic ca-lori, alioquin vnum alimentum ſatisfuiſſet, At exi-guitas ſiccitatis ex ſubita curatione colligitur, quæ quantulacunque fuerit ſiccitas, cuius tamen corpus totum extenuarat, quod certe nouum nobis non eſt, D neque non ſæpiſſime a Galeno propoſitum. A calo-re quidem ventriculi afficitur quoque corpus reli-quum, tamen non ita cito, vt à ſiccitate, etſi alicui forte calorẽ maiorem viſu habere ad afficienda pro-xima uiſcera uideatur, nam non calor ſed ſiccitas ipſa priuat alimento uentriculum, & una ſimul alia, quis credat vero potuiſſe viſcera ſe tueri à calore uen triculi tanto tempore? quanto uos ſecura illa facitis ab eius ſiccitate, ut ne proximas quidem partes at-tigerit? Audite Galenum ſeptimo meth. capit. 9.
ὑποκείσθω δὴ πάλιν ἐπικρατεῖν μὲν τὴν θερμὴν δυσκρασίαν, μίγνυσθαι δ' αὐτῇ ποτὲ, μὲν ὑγρότητα, ποτὲ δὲ ξηρότητα μετρίαν ἑκατέραν, καὶ πρότεραν γε τὴν ὑγρότητα, τὴν τοιαύτην δυσκρασίαν ἀδεέςερον ὕδατι θεραπεύσομεν ψυχρῷ, διὰ τὸ μὴ βλάπτεσθαι πρὸς αὐτοῦ τὰ γειτνιῶντα E *μετρίως διακείμενα, κατὰ γὰρ τὰς ξηρὰς διαθέσεις ἀναγκαῖον ἐςιν ὀυ τὰ πλησιάζοντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ σύμπαν ἰσχνότερον γενέσθαι τὸ σῶμα.*

Hic dicit *ἀναγκαῖον*, i. neceſſarium eſſe non ſolum uicinas partes, ſed omne corpus extenuari, quis cre-dat autem eſſe neceſſarium, & uobis fidem adhi-beat facientibus tam ſiccum hunc uentriculum, ut non potuerit tam longo tempore reſtitui? ſi omnes bene nutritas partes reperiet, uel quar-to ab explorata vobis ſiccitate anno? ſi melius nutritas uideat uigeſimo, non ſolum eminen-tes corporis partes, ſed medias non modo nu-tritas, ſed pleniores? forte corpus obæſum faciunt

folicitudines animi, eiusdem crebræ perturbationes, & genium illud, quo numquam ipse animo quiescat, nihil nondiu animo agitet, nihil non subtilius, & attentius expendat, & quamuis conturbetur, vim tamen sibi faciat, vt multa dissimulet, & perturbationes omnes coerceat, quæso quando metuenda est corporis extenuatio? quæ ætas hac ipsa est aptior expectanda, præsentibus illis ventriculi molestijs, nos quidem ipsum videmus in dies melius nutriri, præcipue in vicinis ventriculo partibus, videmus quod ieiunus nihil offensæ sentit, repletus tantum afficitur, cum tamen fame sanguis minuatur, & ipse decolor fiat, ventriculusne, si siccus esset, cibo necessaria ve sibi erepta bene haberet, suggesta autem offenderetur? cur nõ ab acepto medicamento cathartico, quod exhaurit, B humorem, & proxime à purgatione esset infirmior? sæpe nihil prima à purgatione die sub cibo offenditur, forte ne, quod auget siccitatem siccitatis iniuriam prohibet, aut lenit? Pinguedo in hoc corpore, cuius sanguinem tam facile per inædiam consumi cernimus, cum calori nutriendo, illa sit tam idonea, cur non consumitur, si ei a ventriculi siccitate non satis materiæ permittitur iecore quoque sicciori? at melius forte nutritum possit esse hoc corpus? credam vero, si quod maiori oneri est, id melius censendum est, certe non ita parum crescat huius corporis nutritio, quin onus ei afferat. Rursus quid faciat vnius diei abstinentia, cum in omnibus alijs corporibus, tum in hoc, videmus, prærerea C post febres, & alios morbos, quid faciat ventriculi infirmitas, scimus cum nunquam possint refici corpora, ni prius ventriculo vis, & robur fuerit redditum, quoniam ventriculus, quod consueuit, non subministrat corpori: ergo quid detrimenti huic euenisset ex tam longa imbecillitate ob siccitatem, frigiditatem, ac senium ipsum cruditatibus, acida pituita, austeroque humore semper ventriculum tenentibus? hoc vel puer dicat, quid vero hic conferam siccos ventriculos, quos Galenus curat vel eadem hora, cum nostro, aut notas illorum cum notis huius comparem? in quo fames naturaliter est ordinata, numquam vllum, vel à purgante medicina fastidium, vt potius necesse sit ipsum in cibo capiendo, vel eadem purgationis die sponte sibi temperare, in quo coctiones perfectæ easdem purgationes semper sequuntur, vt alijs diebus, cum in illis apud Galenum nihil aliud legas, nisi fastidia vomitus à cibo, crudas decoctiones, & mille alia tædia, vt vel leuissimum, & modicum admodum cibum ijs dandum præcipiat. Nec repetam, quod potionis quoque cupiditas adeo moderata est, vt in mensa ferè sit tardior, quamuis ad cibum non inexercitatus accesserit, & quamuis exercitatio sub æstu fuerit habita, quæ sitis aliquando meridiano tempore hoc vere præterito accedebat, per se finita coctione desinebat, si à potione sibi temperasset, quod tamen æstate minus, illa sitis eueniat, & E fere non sitiat, hoc siccitatis omnino iuditio repugnat, vt illud quoque quod hieme peius habet, At hoc fortè erit pituitæ nota, eius vero scilicet, quæ nunquam visa est, aut nunquam tanta, quanta in alio quocumque corpore copiosior visa non sit: augeret admirationem, si siccus esset ventriculus sine proprijs notis, totque repugnantibus inditijs, hoc quoque repugnantiæ accedente, quod renes sunt calidiores, ac sicciores, tamen sub exercitio per æstum habito iecore quoque calido, ac sicco non sitiat vltra debitum. At vero id quoque mirabile, quod aluus tam benè respondet, fereque mollis est, quamuis figurata, cum id à bile non fiat, nam summo semper ordine aluus redditur ijsdem semper horis ad rationem concoctionum seruatis. A Præterea, quod à medicamento quam facillime mouetur, vt manna, tota hora vix egeat admouendum, Duabus vero ad summum, vt perficiat quicquid ab ipsa expectatur, quæ res imbecillitati ventriculi attribuenda non est, quoniam cibum proxime datum ita concoquit, vt omnino mutata, & figurata aluus inde descendat, in senibus autem ventriculus obsiccitatem solet aluum minus facilem reddere, & adstrictam, in quibus, cum obsiccitatem non adstringitur, & potius mollior fit, ad in imbecillitatem ob immodicum incrementum siccitatis referri solet; ergo in nostro, cum in siccitatis immodicum incrementum, hoc referre non possimus, necessario in abundantiam aut humoris innati, aut bilis referemus, bilis certe sæpe notæ non sunt obscuræ, sæpe tamen nullæ visuntur, cum etiam mollis aluus est, Adducere possem hic Galenum in lib. Aphor. 2. sed res per se satis publica est. Cui disputationi hoc vnum tamen adijciam, & finiam, quod siccitas faceret, vt ipse melius haberet ab assumptis carnibus optimis, quam à rebus alijs mali succi, vt sunt olera, legumina, & similia, tamen a carnibus magis fere, vt etiam à vino potentiori læditur, ab illis alijs leuius longè habet, prohibemur ergo omnino ne in eam sententiam veniamus, vt siccus sit ventriculus, & ex acida pituita molestiam illam accipiat. Integram iam rem summamus. Vi ventriculi firma eius offensæ culpa in illum referenda non est, neque in cibum, quoniam culpæ eius sæpe locus non est, offensæ tamen sensus est, Relinquitur ergo vt in aliquem humorem id totum referatur, ea via adhibita, quam docet Galenus primo lib. de loc. aff. cap. 4. eum legamus, in his rebus discernendis, ipse primum difficultatem magnam esse proponit, deinde, modus internoscendi ea docet, difficultatem habent illa verba δεῖται δ' ἀνδρὸς γεγυμνασμένου τῶν λογισμὸν ἐπιστήμῃ τῶν πραγμάτων αὐτῶν οὐ τῶν δηλούντων ὀνομάτων αὐτά, οὐ γὰρ ὥσπερ ἡ τῆς διαφθορᾶς ἰδέα τὴν ποιήσασαν αἰτίαν ἐνδείκνυται, σαφῶς, οὕτω καὶ περὶ τῆς καθ' ἑαυτὴν γενέσεως ἐστιν εὑρεῖν ὡρισμένην ἔνδειξιν.

Rationem autem inuestigandi genus rei afficientis, & locum affectum habent illa alia sequentia, D ἀλλὰ διορίσασθαι χρὴ δόντα σιτία τῆς ἐναντιωτάτης φύσεως τῷ τρόπῳ τῆς διαφθορᾶς. ἄρτον μὲν εἰ τύχοι, καὶ χόνδρον. ἐφ' ὧν κνισοῦται, μέλι δ' ἐφ' ὧν ὀξύνεται κἄπειτ' ἐπισκοπεῖσθαι τὰ ἐμούμενα, καὶ τὰ διαχωρούμενα πότερα ἅμα χυμῷ τινὶ τὰ μὲν χολώδει, καὶ θερμῷ, τὰ δὲ φλεγματώδει, καὶ ψυχρῷ λαμβάνει τὴν κένωσιν, ἢ χωρὶς χυμοῦ τινὸς βραχεῖαν τινὰ μεταβολὴν ἐσχηκότα.

Nos primum certi sumus acorem aliunde, quam à cibo euenire, nam, si mutetur cibus in eum, qui acori accipiendo naturam omnino habet contrariam, & mel detur, acore tunc contingente malum à cibo non est, sed restat, vt vel à ventriculo, vel ab humore aliquo sit, huic vel maxime à melle mouetur affectus acoris, & austeritatis plenus. Videndum ergo restat, an ad ventriculi vitium, an ob aliquem humorem id fiat, vomitionibus, & ijs, quæ per aluum feruntur obseruandis, nam tam hi, qui bilem, quam qui pituitam habent in stomacho vomitibus solent vexari. Nos vomitu caruimus, eo enim semel tantum, & sponte euocato non potuimus statuere quicquam, quod sit perpetuum, in aluo quidem perpetuo obseruauimus, & potuimus certi esse pituitam non esse in eo ventriculo, quod etiam exijt per vomitum, pituita non fuit, neq; frigus habuit, vt de sententia Hip. & Gal. habere solet pituita, imò calorem habuit molestissimum, ac si feruens acetum fuisset, in aluo autem nullum per se humorem videmus separatum, quamuis obscurior

rior alui color fere sit, vnde in pituitam penitus A culpa referri non potest, in bilem minus acoris causa, aut austeritatis, vnde, si quandoque lutea aluus est, id totum lutei per duodenum elidi necesse est; Quod ergo superest? dicemus ne culpam esse ventriculi vitiositatem, cum imbecillitatem non agnoscamus? hic insistendum est. Galenus duas ponere videtur notas, quibus adducamur ad credendum id vitio ventriculi euenire, non humorum culpa, vnam, quod nullus humor cum fæcibus feratur, alteram, quod fæces paucam habeant speciei mutationem ab eo cibo, qui sumptus fuerit, dicit enim ἢ χωρὶς χυμοῦ τινὸς βραχεῖαν τινὰ μεταβολὴν ἐσχηκότα.

Tamen caloris ventriculi, quam in alterius eius generis vitio, nam intemperatum quodcunque genus ventticuli necesse est, vt male concoquat, & B parum mutet speciem ciborum, certum est autem quod nos penitus mutatam aluum videmus, & eam sic quotidie bis, aut ter descendere, ergo in vitium ventriculi culpam aliquam conijcere non possumus, intelligat modo Galenus mutationem factam in specie, & colore alui, aut per humorem, aut per concoctionem, nos certe, quicquid ipse vel minime mandendo deuorarit, siue id leguminis, siue solidioris alterius rei fuerit, cernimus tamen in aluo miscelam illam, qua in vnum illa, quæ cæperit, omnia coiuerint in vnam vnitatem redacta, & omnino alio colore prædita.

Quare in aliquem certe humorem id referendum relinquitur, cum enim aluus alieno penitus à ciborum assumptorum genere colorata colore est, a- C liquis humor illam profecto affecerit, quoniam hic, quod de corruptela sub nidore dicit Galenus, id eodem modo à nobis obseruandum est sub ipso acore, cum eius causam indagamus, ipse dicit eodem in loco doctrinam suam sequutus, τῆς κοιλίας μὲν γὰρ αὐτῶν δυσκράτου γεγενημένης κατὰ θερμότητα πυρώδη χωρὶς χυμοῦ τὸν ἄρτον, καὶ τὸν χόνδρον ὄψει διαχωρούμενα βραχυτάτης εἰς αὐτὰ μεταβολῆς γεγενημένης εἰ δὴ χυμός τις εἴη μοχθηρὸς ὁ φθείρων τὴν τροφήν, αὐτά τε τὰ σιτία δεδηλωμένα φαίνεται τῷ τοιούτῳ χυμῷ, καὶ σαφέστερον ἠλλοιωμένα κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ.

Mutatam habent speciem, quæ deferuntur, non in corruptelam aliquam, sed in alium à suo colorem, vnde ἐνέργεια alicuius humoris si non potest D inferre corruptionem, colorem certe affert valde diuersum, sed quis demum is erit humor? Si neque bilis potest, neque pituitã concedunt subesse tam multa superius proposita argumenta? Galenus ibi de alio præter bilem, & pituitam humore non meminit, meminit tamen primo cap. lib. 6. de loc. affect. vbi de hoc humore à liene in ventriculum reiecto agit, ibi vero non meminit, nam Galenus ibi intento est studio, vt doceat communem viam discernendarum sedium affectarum, quare, cum non habeat in animo ipsos singillatim affectus prosequi, aut eorum causas enodare, satis illi fuit duo contraria humorum genera in exemplum proponere, affectusque contrarios, vt viam docendam nobis exponeret, & exemplis aliquibus euidentioribus de- E clararet; Nostrum modo est accipere viam ab ipso, resque tractatas ibi in exemplum nobis oculis subijcere, quibus dirigamur in rebus incidentibus pertractandis dicamus, ergo tertium necessario humorem inducendum, quem ipse sexto de loc. affect. inducit cap. primo, hoc est, atrum, colore præcipue id testante, qui quandoque idem, qua est lien in internis suis partibus est, sæpe vero fuscus ex ruffo, rogate pictorem de eius alui coloris fusci specie, quomodo eiusmodi colorem conficeret ipse, si velit, non alio modo se conficere dicet, quam compositis lutei, & atri partibus cum albo, bilis lutei coloris causa per ventriculum non fertur, sed quidem per intestina, vt monstrauimus, atri autem causam per ventriculum venire constat, tum ratione, qua diximus ex Galeno, tum præcipuè, quod id sapor acidus austero proximus testatur, Acidus enim est ille humor, vt Galenus, multis in locis testatur, præcipuè vero de vsu partium capit. quarto, de locis affect. libro sexto, cap. primo, Epidem. 1. commen. 1.

Neque vero est admirabile hoc, quoniam viæ ducentes atrum humorem à iecore multæ, à liene vero omnes in ventriculum inferuntur, & multæ sunt, & quotidie eum humorem in ventriculum ferunt illud tantum mirum videri poterit, cur in alijs fere nullis hominibus is humor decurrens per ventriculum hanc offensam afferat; Nos similem offensam in multis melancholicis hominibus vidimus, in quibus eam partem præsertim obseruauimus, quod à vino valentiori, & vetustiori acrior fit ea molestia, & vinum eiusmodi in acidum saporem, & austerum conuertitur, ac ne vetustiora, & extranea nimis commemorem proximè Vrbini, & Pisauri in quibusdam hoc obseruaui, quamuis affectus in reliquis dissimiliter habent; similes quoque affectus in grauidis aliquibus mulieribus atrum vomentibus humorem quotidie toto gestationis tempore vidimus. Quid ergo, si potest concursus multarum causarum in hoc corpore aliquis esse, ex quo is affectus existat, qui in alijs multis non videatur, vt abundantia eius humoris, vt viarum latitudo, vt eiusdem humoris atri certum genus? In plurimis alijs, & si aliquæ, non tamen omnes hæ causæ coeunt, vnde neque similes affectus cernuntur, hic illam abundantiam colligimus ex natura corporis ad eum humorem congerendum valde idonea, iecore ficciori, & calidiori, & alijs causis propositis, & ex suppressis hæmorrhoidibus, & tandem ex colore prioris ætatis ab eo humore certe inducto, cum non tam belle per ventriculum lien ipsum reijceret, neque à iecore ad se alliceret, sanguinemve expurgaret, vt nunc, vt benè allicit, & per ventriculum eijcit, & sanguinem optime expurgat, latitudo venarum autem humorem ad ventriculum deferentium potest quidem ex reliquarum latitudine intelligi, tanta tamen, vt in hoc magis hæc, quàm alia in alijs corporibus efficiat, definiri proprie per hæc signa non potest, nam supra solitam corporum formationem illa latior esse debet, haberi autem iudicium certum conformationis internarum partiũ non potest, vt dicat Galenus libro Art. Med. sed vna coniectura ad id vti oportet, vt nos hic facere aggressi sumus.

Expurgatur hoc corpus tam belle quotidie atro humore, quo adeo sua natura abundat, & relinquitur tam bonus in venis sanguis, vt mirentur omnes, qui eius coloris superiorum ætatum recordantur, nunc enim, vt dicebam, coloratior, & speciosior mirabiliter est, quamuis omnibus alijs indicijs penitus corporis genere sit, & ætate adhuc magis melancholicus. Viæ ergo illæ amplæ necessario esse debent, si non à natura factæ, at vsu postea dilatatæ, plures forte quoque sunt à natura, quam in alijs hominibus, forte vero etiam breuiores, ita vt humor decurrat, antequam lien possit ipsum aut consumere, aut tam mutare, quam oporteat, ne ita crudus ad ventriculum accedat, vt si aliqua vena plenior recta, & non per lienem inuadat ipsum ventriculum, ex his quæ à porta oriuntur, sic ergo immutatus ad ventriculum fertur, & eum non solum copia, sed genere ipso minime ipsi ventriculo idoneus factus à liene offendit, neque vero absonum videbitur, perito artis anatomiæ, quod de venis ijs diximus, nam in partibus potioribus, quam sint hæ lienis venæ, & quæ habent vsum magis certum

tum, & definitum, varietas tamen cernitur, nam si quinque corpora inspiciamus in eorum aliquo semper aliquid in partibus vel potionibus variare inueniremus, quis non vidit in aliquo plures meatus vrinam deferentes, quis non venarum emulgentium situm mutatum? quis non vidit plures lienes, lobosve iecoris variare? vt etiam non putet absurdum Aristoteles iecur locum cum liene commutasse, vasa vero sanguinem atrum ad bilem deferentia visa sunt in aliquibus ita amplificata, vt intestini speciem præberent, in quibus affectus hypochondriaci præcesserant, natura solita in suis necessitatibus mirifica arte, vt sic dicam, vti ad partes dilatandas, vbi nolo aliud afferre exemplum, quam dilatationis venarum vteri ad infantem alendum, quæ ex minimis, maximæ fiunt, & rursus post partum contrahuntur, ita vt aliquæ earum ex maximis fere fiant inuisibiles, vt non videri debeat nouum, si in his partibus à nobis suspicarur aliqua laxitas, maior quam in cæteris, non solum vero ob incidentem necessitatem, & vsum, sed ab origine, & vtero ipso, nullus enim anatomicæ scientiæ vacauit, & in secandis corporibus sese exercuit, qui non possit iustum librum hunc varietatum conscribere, vt pollicitus erat Vesalius suum.

Huius iam indicia humoris atri subtilius examinemus, submota prius quadam obiectione, qua posset quis putare necessariam nostram argumentationem non esse, qua collegimus, pituitam non esse huius mali causam, quando nulla in aluo conspicitur, neque in vomitione, dicat enim aliquis, quod potest illa hærere in ventriculi tunicis, cui responsum sit, quod caret his incommodis, quæ ad pituitam ita hærentem sequuntur, vt superius à nobis fuit ex Galeno recitatum; quod vero præterea confirmatur sequenti verborum contextu apud Galenum protinus post verba, qua proxime superius posuimus, quæ sunt, *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅταν ἐπλήῃ τῷ κύτει τῆς χοιλίας ἔμελαι, ἀνάπεπομένυ δὲ εἰς τοὺς χυτόνας αὐτοῖς ναυτίαι μὲν πάντως ἕπονται, δίψυς δὲ πλέον ἐπὶ τοῖς θερμοτέροις ὥσπερ ὄρεξις ἡ πρὸς τὰ σιτία τοῖς ψυχρότεροις.*

Ecce quod tam frigidi, quam calidi humores, si in tunicis infixi sunt, nauseam faciunt, & fastidium, an vero calidi, an frigidi sint internoscuntur, non ex ipsa nausea, & stomacho, qui est illis communis, sed per sitim, & famem, & alijs sequentibus notis in eodem contextu, *ἐὰν δὲ χυμός τις ᾖ περιεχόμενος ἐν αὐτοῖς τοῖς χυτῶσι τῆς κοιλίας, αἱ μὲν ναυτίαι χωρὶς ἐμέτου γενήσονται κεναὶ παράπλουσαι μόνον, οὐ μὲν ἐκκαινοῦσαι γε τινὰ χυμὸν, ὡς ἐφ᾽ ὧν ἐν αὐτῷ περιείχετο κύτει τῆς γαστρὸς κατὰ τὴν ἔνδον αὐτῶν εὐρυχωρίαν, αἱ δὲ ῥυγαὶ τοῖς μὲν ὀξώδεις ἔσονται, τοῖς δὲ κνισσῶδεις.*

Addas ergo quod nullus est sensus frigoris, & alias notas, & tibi erit satisfactum, neque dubius erit locus, an subsit pituita, sequitur ergo necessario atrum esse humorem; qui (si eius notæ subtilius considerandæ sunt) vti per naturam nunquam tam abunde inuenitur in corpore, quam abunde inuenitur pituita, sic longe minori sua abundantia officit homini, quam faciat pituita, quare illa, cum adeo superat, vt lædat sua abundantia, valde fit conspicua, & præterea suo lentore, quo cum alijs humoribus, & si iungatur facile, difficile tamen miscetur.

Alter autem humor vix superat, cum tamen infestus est, sua vi illa frigida, siccaque vitæ, sensuique valde aduersaria, & molesta; quare vix cerni potest aliqua eius copia, cum tamen multa percipiatur molestia, si in partem sensu acri præditam incurrar, longe autem minus cernetur, quoniam facile diuiditur, & cum aluo miscetur, lentore carens, vt restet vnus in aluo color, ex quo hunc hu-

A morem dignoscamus, sit ergo hæc nota prima huius humoris color, qualem diximus ipsius alui. Altera sit eius humoris sapor, qui vere eius proprius est, nam non est solum acor, sed austerus quidam acor, qui pituitæ esse non potest, terrenam si quidem naturam sequitur, non autem pituitosam.

Tertiò a cibo tantum sentitur eius molestia, quod testatur grauitatem in eo humore esse, qui non per se, sed per vim alterius attollitur, grauitas vero in atro humore est maxima, & mos is molestandi à cibo, nam solum imum ventriculi videtur carere sensu, vnde non afficit is grauis humor, nisi cum attollitur per cibum, ad os ipsius ventriculi.

Cum igitur graue genus sit huius humoris, attollitur tantum à cibo, & concalfactus, pituita qui-
B dem grauis est, at neque sic à cibo attollitur, neque facile incalescit, potius si calore liquetur percipitur frigidior, is autem humor teste quoque Aristotile 30. sectione probl. vehementius solet inflammari, ergo ascensus ille à cibo ipsius humoris, inflammatio vero, & feruor ipsius ventriculi nota erit atri humoris valde conueniens, præcipue, cum cito ille feruor moueatur, pituita autem tarde admodum incendi possit.

Deinde flatus, à pituita seu spiritus non solet celeriter digeri sine ructu, vbi vapores febriles ab illa difficillime tam tenues efferuntur, vt per sudorem discutiantur, melancholiæ vero vapores per sudorem facile eliduntur, qui in ventriculo quoque ex-
C citari sine ructu discuti poterunt per foramina ventriculi inuisibilia elisi, neque ructus eis erit propterea necessarius. Sequuntur reliqua. Abundantiam huius humoris ostendit tum calor superiorum ætatum, qui etiam nunc cernitur in eius effigie tabulis in multis vrbibus seruatis, quæ melancholicum iuuenem, non minus ac ingenio præstantem repræsentant, tum vero natura corporis explicata, & ipsa ætas, imò, quod alienum videatur, color nunc extans eandem intelligentiam nobis parit; quoniam indicat eum humorem aliqua via expurgari, quæ nulla alia esse potest, quàm per lienem allicientem ipsum, & reijcientem aut per hæmorrhoidas, aut per ventriculum, suppressæ quoque hæmorrhoidæ tum humorem abundare, tum per ventri-
D culum expurgari denotant, nulla alia via superest, quam hæc, quæ in ventriculum ipsum defertur.

Vbi teste Galeno pluribus in locis, sicut biliosus humor leuitate sua sublimiora petit, vnde à cibo potius deprimitur, qui ante cibum sentiebatur, & ieiuno homini tantum erat molestus, sic contra is melancholicus, vt diximus, grauitate sua solum ventriculi tenens non nisi post acceptum cibum ad eius os ascendit, ac, quod humor, qui male habet ventriculum, sit is, maximè confirmant illa etiam assidua somnia angustijs, & tristitia tam grauia, vt illis expergiscatur, vt vel sub somno vocem emittat. Qui humor tot iam annis fuit molestus, quoniam natura corporis eum subministrauit, & viæ patuerunt, infirmitatem vero nullam attullit ventriculo, quamuis
E laborem, quoniam est humor naturalis, crassior scilicet sanguinis pars, & fæcosa, non per exustionem contractus, & ventriculo potius austeritate sua amicus est, & aptus robori inferendo, & si durior adhuc ventriculum inuadat, robur inquam affert, vt 5. de vsu partium cap. 4. habet Galenus, neque enim putandum est hunc humorem esse atrum illum, qui per exustionem, aut bilis flauæ, aut sanguinis, aut atri humoris naturalis in morbosis corporibus, & valetudinarijs fieri solet, nam, quæ de bile flaua diximus, valent docere nos hunc humorem non esse huiusmodi, multa enim ipse, & plura, quam bilis flaua terrentia afferret mala, vt multis apud Galenum locis habemus, vt innuit quoque 6. de loc. affect. c. 1.

Præ-

Præterquam quod non video, quomodo aut in tã valido corpore, aut in vẽtriculo tã bene valenti exustio tanta quotidie fieri possit, cibis admixtis quidẽ potius delinitur, diluiturque humor, vt bilis, quoque à sumpto cibo solet mitescere, & refrigerari, qui ieiuno homini tam est molesta, & fastidiosa.

Ergo naturalis humor is cum sit, nihil absumpsit roboris ventriculi. legamus Galenum loco supetius proposito in libro de vsu partium. μηκέτι τοίνυν ἔτι θαυμάζωμεν, εἰ καὶ τὸ μελαγχολικὸν περίττωμα τὸ τὴν ἐν τῷ σπληνὶ μὴ δυνηθὲν ἐργασίαν τε, καὶ μεταβολὴν εἰς δέξασθαι, τὴν ἔκκρισιν οὐκ εἰς πλησίον τῆς ἕδρας, ἀλλ' εἰς αὐτὴν ἔχει τὴν κοιλίαν, ἂν γὰρ ὅτι μὲν ἄλυπον ἐν ταῦθα ἔμελλεν ἔσεσθαι δείξωμεν. Et paulo post, στρυφνὴ γὰρ ἐστιν ἡ μέλαινα, καὶ ὀξεῖα, καὶ συνάγειν καὶ σφίγγειν, οὐκ ἀνατρέπειν αὐτὴν, ὥσπερ ἡ ξανθὴ πεφυκεῖα, δῆλον οὖν ὥσπερ ἐκείνη τῷ κωλύειν ἐπιπλεὸν ἐν τῇ γαστρὶ τὰ σιτία μένοντα πέττεσθαι βλάπτειεν, ἐλέγετο μὴ μέλαιναν, οὐχ ὅπως οὐδὲν βλάπτουσαν εὕροιμεν ἄν, ἀλλὰ καὶ προσωφέλουσαν ἔτι τὴν γαστρὸς ἐνέργειαν, ἐπιτείνει γὰρ αὐτὴν, καὶ συνάγει πρὸς ἑαυτὴν καὶ περιλαμβάνειν ἀκριβῶς ἀναγκάζει τὰ σιτία, καὶ κατέχειν ἄχρις ἂν ἱκανῶς ἐπεφθῇ.

B Apparet ergo cur per tot annos sub has molestia robur tamen ventriculi seruatum est, cur à cibo sensus ille adstrictionis, & compressionis excitetur, cur acor austeritate vicinus sentiatur, vnde neque est mirum, si ructus non sunt crebri, imo rarissimi, quoniam is humor os stomachi eo molestiæ tempore constringit, minus mirum, si aliquando loca circum ventriculum feruere sentiantur, cum is humor vna bile excepta facillime incendatur, & incensus maximum calorem præbeat. Accedamus iam ad speciem molestiæ, quam cuiusdam palpitationis esse diximus, quæ non ita crebra, citaque esse potest, vt in membris alijs videtur, in quibus cauitates angustiores sunt, minusque spiritus capiunt, idque generis non ita crassi, vnde exiguum, & tenuem spiritum citius suo calore possunt discutere.

Etenim ventriculus ampla cauitate est, & multũ spiritum, eundemque crassiorem capit, quem non ita facile potest ipso calore absumere: fit ergo tandẽ vt motus illi tardiores, & tumentia longior existat cum illa præcordiorum oppressione, & angustia, ascendit ergo molestia, dum cibo calorem vacatur concoquẽdo, quoniam dum cibus calorem concipit, comminuitur, & liquatur, vnaquoque secum liquat, extenuatque eum humorem, qui sic extenuatus, fususq; ampliorem quærit sedem, ideo cibum sua illa amplitudine attollit, secumque ad præcordia affert, vbi & sensum acoris austeri, & compressionis excitat, prætetea semper aliqua sua parte in flatum conuersus per eum flatum palpitationem efficit, longiora habentem tempora ob locum & materiam ampliorem ructu prohibito per illam adstrictionem, calore tantum ipso flatum discutiente, absumenteque, feruor autem accedit maior, quam cibi fit, quoniam teste (vt dixi) Aristotele 30. sectione Problematum. Probl. 1. si is humor calorem concipiat vehementius inflãmatur, vti contra cum ei frigus accedit, vehemẽtius frigescit, ergo frigoris nulla causa substante calorem cõcoctionis excipiat vehementiorẽ Arist. dixit, ἡ μέλαινα χολὴ, καὶ θερμότατον, καὶ ψυχρότατον γίνεται, τὸ γὰρ αὐτὸ πάχειν πέφυκε ταύτης ἄμφω.

Qui calor etiam cõstricto sic ventriculo, vijsq; ex crasso humore occupatis magis increscit, & quãdoque flammæ speciem subit, dum sua vi calida spiritum, & tenuiores sanguinis partes, & biliosas quãdoque attrahit, & etiam, atque etiam inflammatur. Vnde flatum, quem ipse excitat, ipse quoq; consueuit, & finit crebro molestam, crebro subinde illã excitando, facile vero spiritus sic exsiccatur, quoniam is humor est valde inflans, quod testatur ibidem Aristotel. sub Medicorum authoritate sic locutus,

A ὅτε δὴ ὁ χυμὸς, καὶ ἡ κρᾶσις, ἡ τῆς μελαίνης χολῆς πνευματικά ἐστι, διὸ καὶ τὰ πνευματώδη πάθη, καὶ τὰ ὑποχόνδρια μελαγχολικὰ οἱ ἰατροὶ φάσιν εἶναι.

Cur à vino meraco veteri, atq; integro malũ maius excitetur, dicat tibi idem Arist. in eodem problemate, vbi ostendit melãcholiam vino ipsi valde esse similem, quod facile inflãmetur, & acescat. Scimus quidem nos hoc euenire in multis melancholicis, à quibus acceperimus hoc, quod vinũ eo difficilius ferunt, quod est meracius, & vetustius, nam aiunt maxime ab eo se acorem sentire, verba Aristot. sunt διὸ δῆλον τὴν φύσιν ὅμοια, ὅτε οἶνος, καὶ ἡ κρᾶσις. s. melancholiæ, quod ni sit, tamen, quia calorem plurimũ mouet in corpore, atq; exsiccat, humorem quoq; hunc magis potest incendere, atq; exsiccare, incendere vero, vel si in ore contineatur, sic enim calorem quidem promittit, & producit in ipsum ventriculum. Quod vinum epotum in ventriculo & calorem mouet, & siccitatem, calore quidem extenuãdo, humorem illum attollit, & vna cum siccitate acriorem eius acorem efficit, & in illius naturam ipsum quoq; bene cõcoctum sic ventriculo perturbato facile mutari põt. Vinum. n. ni omnino superetur à ventriculo, postquã incaluit, spatio in acetum vertitur, nunquam sic affectos à vino integro, & meraco vidimus, qui pituitam congerunt, quin ab ipso summopere omnes leuari. Mel quoque pituitæ tam vtile hunc humorem suo calore potest manere, & attollere. Inde eum magis infestum faciunt aromata pituitæ abstergendæ

C necessaria, & præsentissimum remedium afferentia, vt à Gal. proponitur in pituita ventriculi curanda, faciunt idem quod mel ipsum, & hunc humorem irritando per suum calorem ei officiunt. butyrum, si non alia re, attollendo certe, & os ventriculi laxãdo molestiã citat, quod eo calore vehementiori non potest non feruere, & omnia acriora facere. Carnes denotatę potius, quã alia ciborum genera obsunt, quoniam calorem maiorem põt, quam multa alia concipere, & sua pinguedine acriorem eum reddere, pinguia siquidem acriora fiũt à calore, quare leuius fert olera, & cibos ex farina confectos, frigidis vero seu æstum illum frangentibus, vt aqua, vel quopiã alio, aut extra, aut intra dato, seu flatum, molemq; humoris, & feruorem coercentibus vt cibis frigidioribus,

D molestia leuior est, de qua causa vino imbecilli admodum, & loto minimè molestatur, cum prætetea huiusmodi vinorum genera morã in ventriculo longam non trahant, aqua decocta ex aliquo aromate pariter, ac si esset vinum imbecillum, facit, quę tamẽ si cruda, solaq; abunde deuoretur, paulo post molestia fit grauior humore per frigus duriore facto, vt postea cõcepto tamen solito à cibo calore faciat molestiam aspariorem, & porrigat longius, calidioribus enim, vt frigidioribus is humor irritatur, vnde oẽs medici melancholiæ tẽperatioribus rebus aiunt esse pugnãdum, quod ego in hoc vinum potens, & vetus facit impetum æstus festinando, idem aqua contra durando humorem molitur, vnde postea ille valentior factus effecta suæ naturę maiora præbeat, siccari autẽ ab huius humoris halitu os ipsum non est mi

E rũ, quod in melancholicis videmus, & siccus humor est, siccusq; eius halitus, præsertim cum calfacti magis possint arefacere, sitis ergo quę ex eorum siccitate innascitur, per calorem quoq; eorum vehemẽtior põt excitari, vnde leui lotione oris, aut potione exigua frigidæ halitu illo demerso sitis protinus tollitur, amaror illi oris (si vere amaror sit, nam sæpe saporem austero vicinum, & fædum amarum ægri dicunt) cuiuscunq; tamen generis sit, scire. s. eum rarũ etiam, qui accedẽre exustione aliqua, interdum per putredinem fieri potest, Vbi terrenæ partes rei calfactæ, vel maxime austeræ cito amarorem reddũt. s. quibusdam partibus earum ob conceptum calorem exte-

extenuatis. Hæc.n.est amaroris causa melancholici vero halitus,& humor ipse terrenus est, quare extenuatus à calore,& siue putrescat quidem,necessario amarorem edit,quã multos vides, qui dum coctioni cibi vacatur, sitiunt quibusdam cibi partibus putrefactis,vnde consulebat Gal. in ea siti abstinendum esse à potione,nam tunc finis ipsius sitis coctionis finis erat futurus, certe nos in multis hominibus ventriculo frigido, & sitim, & amarorem animaduertimus. Quid vero prohibet, si vel aqua bilescit, ichorem huius humoris liquatum à calore, & æstu bilescere? distat ne adeo à bilis natura is humor, vt aqua? scimus præterea, quod cibus qui in solo ventriculi non corrumpitur,sed concoquitur ad stomachũ elatus corrumpi solet,quid ergo mirum,si cũ eo malo halitu cibus commixtus, & ad os ventriculi elatus partibus suis leuioribus ibi corrumpatur, & inde siccitatem oris,amarorem, & sitim afferat? quid quod amaror quoque oris attractis per calorem fumosis tantum spiritibus sub eo ventriculi labore oriri potest? Cur autem hieme pessimus sit, leuissimus æstate,cæteris temporibus meliusculus,quam hieme,peior autumno,quam vere,iam dicendum est.

Horum postremum patet, quoniam melancholicus humor abundat magis autumno; primum autẽ rationem illam habere potest, quoniam cum omnibus anni temporibus is humor abundet, nunquam cum pituita, quæ posset mitescere sit in hoc corpore minime vero hieme patent exitus huic humori discutiendo, quod si tunc maior sit sanguinis copia, quam ęstate,ei tamen plus quoque melancholiæ respondere debet, quæ hac vna viá tunc maxime per ventriculum vti potest, ventriculus vero difficilius hieme conclusis inuisibilibus foraminibus, & omni itinere facto angustiori potest se se liberare, quam æstate, hieme igitur illa omnia conueniunt,& abundantior humor,& magis conclusa via, & calor magis conclusus,contra ergo æstate melius,& flante libico vento, tunc enim laxiora sunt foramina inuisibilia, humores solutiores, tenuiores, & perflatum maiorem habentes,eo autem vento flante pręcipue, quoniam laxat admodum vias omnes ex ipso Hippocrate & humores omnes liquat,ac humidiores facit, Vnde ipsi magis fiunt mites, minus acres, & denique omne corpus hebescit, vsque ad ipsos sensus, ergo, cum ab omnibus his partibus leuatur malum, tum resolutus sic ventriculus potius iuuatur eo austero,astringenteque genere laxitati ei subueniente, nam humor tunc est necessarius, qui alijs tempestatibus est alienus, quod enim laxo corpori continendo est vtile, id eidem robusto est superuacuum, & inimicum. Non est quoque mirum si in fine cibi sumptum malum modicum proficiat, ad offensam illam leuãdam, quoniam illud maxime facit aduersum hoc humoris genus, cũ vi sua quadam propria, tum communi illa,quod humore quodam tepido abundat, & potest deprimere, retundereque malum eius humoris halitum, minus mirum,si lac hunc humorẽ nihil attollat, aut moueat,quoniam teste Gal. lib. de cibis boni & mali succi cap. de lacte, & alibi quoq; vt lib.meth. lac facillime mutatur, vnde minimus ei concipiendus est calor, vt concoquatur, vt ad nutriẽdum necessariam dulcedinem summam aquirat, cui est vicinum, vnde in calidiori ventriculo in bilem potius conuertitur,ergo in ventriculo temperatiori tam cito mutatur,ac vincitur,vt non possit eũ calorem concipere, qui humorem duriorem agiter, eo enim spatio, quo maior sub coctione fieri potuisset calor, iam digestum est lac, & calor conceptus quiescit,cibi vero densiores,grauioresq; tantum caloris incremẽtum expectant,cum primum conceperint,à quo demum possint euinci,& cõcoqui,nec digeruntur,nec quiescit calor,nisi postquam victi fuerint,& omnino mutati,vt potius putredinem incendat calor, quam quiescat ante mutationem eorum, lacte vero tam cito mutato, & per corpus digesto euenit illud aliud,quod sub proximo cibo, si differatur ille tam longe ab eo differtur, cum grauiores cibi capiuntur, diu ventriculo inani manente. Læsio maior existit, nam tunc ieiunij rationem subit ventriculus,qua vacuus relictuus,fame tenetur,trahitq; abundantius eum humorem,qui valde obsequens ei tractui est,tum ob consuetudinem, tum ob eius abũdantiam à natura permissus, & sic vix primo calore cibi concipiendo ille humor,qui diu, abundãterque ibi resedit,fereq; iã alieno loco incaluit, statim mouetur,atque inflammatur,nõ solum, qui in imo fundo ventriculi est, sed etiam,qui in circunsistentibus ventriculo venis, simulque offensam sibi parem excitat,lac ergo nihil potest eum humorem aliquo calore commouere,quoniam,antequam euidẽtem calorem concipiat,mutationis finem consequitur,præterea leui sua natura humoris asperitatem mitigat, vt in omnibus affectibus facit. Demum minimum omnium ciborum idoneum est humori melancholico præstando, Cur autem secũdum lac cibus ex pulte,triticea ve farina, minime eum afficiat, similis ratio est,nam certe hoc genere cibi sic miti,& ad leuãdam acrimoniam apti, & penitus melancholiæ contrarij potest sic habere, id admodum calidum non est,humidum vero bene est, cui ater humor admixtus bene retunditur,& mitiorem speciem subit, nec ita offendit. Omitto cur sub grauioris cibi coctione fere grauius, certe diutius affligitur,sub leuiori autẽ cibo, quamuis aliquando grauius affligatur,fere tamen & leuius, & breuiori spatio, planè.n. cernitur causa, calor siquidem cibi, donec cibus conficitur, æstuat,& tantis per offensæ est causa, vnde finis offensæ est coctionis quies,quæ causa autem sit, quod, cum futura est magna molestia, celerius eius præsto est initium,illa esse potest,quod abundantia congesti humoris,quæ molestiam maiorẽ factura est, præcipitem eandem reddit, faciliusq; motus humor ob suam copiam,& conceptum alieno residens loco calorem malum ipsum festinanter affert, Abundantior quoque cibus acrius, celeriusque id facit, quoniam & magis æstuat, & facilius obstipando se se sua copia,sic potio vini liberalior,pręcipue,si potentius sit, quoniã incendit,& in eius speciem cõuertitur, quod si aqua superbibatur iustæ vini potioni etiam abundè, ex ea tamen largiori tunc potione non ita afficitur,vt si solius vini fuisset,quoniam ea habet vim caloris retundendi, quantulacunque sit autẽ alia quæque potio, ea aliquid tamen eius molestiæ mouet, quoniam non ipse est liquor acceptus, qui austerus fiat, sed humor, qui ab ipso accepto liquore mouetur,ipse austerus est, & id molestiæ mouet tantum, dum cõmouetur, cuius humoris is ventriculus quasi lacus quidam est factus, vnde post purgationẽ quidem aliquando sine molestia die proxima fuit,s.tũc, cum purgatio apta fuit, aptam inquam purgationẽ, hoc est, quæ humori melancholico educendo fuerit accommodata,imo nunc demum hoc possum subijcere, quod non solum proxima die, sed & proxima tota æstate, & proxima hieme post similem purgationem habuit leuissime,nam,vt dixi,quotidianę huius humoris generationis is est effectus,quæ fere naturalis est,& naturalis humor,ergo eius copia quandoque dempta eum sine molestia potest dimittere, potest tamen post aliquam purgationem vel eadem die sentiri,cum quotidie is humor naturaliter generetur. Certè acida pituita à purgatione non ita statim rediret in eam multitudinem, vt molestaret,nõ enim naturaliter illa generatur, neque vt humor is veniens aliunde, illa potest expurgato ventriculo protinus reddere quidquam huius molestiæ. A qua

purgatione non vltra debitum sitit, vt neq; à laboribus, vel feruenti tempore transactis, quoniam humor, vt dixi, naturalis, non exustus est, potius frigidus est, & actu, quod aiunt, humidius, neque nisi calescat, potest sitim mouere, si educatur è corpore lõge minus, neque vero datur medicamentum ad exactam corporis purgationem, vt vẽtriculus inde possit exsiccari bene humidus, quare potest prandio, quod obseruatione longa vidimus esse perpetuum, potionẽ sine difficultate differre, vel si eo mane medicamentum acceperit, qua re possumus iam colligere, cur benè nutritum sit corpus, & ventriculi robur retineatur, nam humor nõ est alienus, possumus etiã intelligere, quod vẽtriculi generis humidum potius ab vtero fuit, quam siccum, nam sicco ei humori non tam restitisset, cõfirmat idem iudicium illa res, quod humidis delectatur cibis, & humido modo paratis, & fructibus in genus, scilicet vt naturale genus conseruet, & se se à sicco humor tueatur, & quod humidis stomachis euenire videmus, dulcibus rebus non delectatur. Ab accepto quoque medicamento statim aluus liquatur, quod, vt dixi superius non in imbecillitatem referri potest, natura protinus à purgatione contrahitur, & cogitur, quæ est ventriculi benè coquentis nota.

In amplitudinem ergo viarum & laxitatem ventriculi ob humidũ genus ipsius referre id debemus, vnde nihil etiam afficitur ventriculus à medicamentis, quamuis exsiccent humorem, qui in eo minus sæpe abunde est, & inde resurgit statim cibi cupiditas, & bona eius tolerantia sequitur, ex quo, & humor ventriculi, & robur vna intelligitur, & genus quoque humoris tale esse, quod multum proficiat ad ventriculum cogendum, contrahendumque, cum primum post purgationem rursus in ipsum à liene incumbit, ac si medicus aliquis medicamentum adstringens ad illius robur daret, vt fieri percipitur post purgationem. Casus ergo ipse per se id facit, quod spontè medicus, summa arte facere contenderet.

At tria sunt, quæ dubium hoc iudicium facere videantur, primum, quod ex eo acido, austeroque humore non vltra debitum cibi cupiditas intenditur, alterum quod census frigoris ibi non est, quæ in vos quoque faciebant, qui acidam pituitam, & vitiosam in hoc ventriculo posueratis. Tertium proprie in nos facit, quod affectus melancholici non cernuntur, Vos pituitam acidam inducentes moderandæ huius cupiditatis cibi causam in eandẽ affertis, quam cogimini afferre ipsius sitis, ait is vero esse bilem, aut ipsammet, aut vapore suo os ventriculi appellentem.

Verum nos, qui non possumus tam bene habenti ventriculo tam vitiosos, & alienos à consuetudine suæ naturæ humores dare, videntes, quid mali afferrent quotidie, tum per nos, tum admonente Galeno neque sitis rationem quærere cogimur, nam eo nostro humore sitis non prohibetur, neque cupiditatem cibi multo negotio temperabimus, nam, vt iam non eripiatur quotidie huic corpori quicquid humoris huius in dies superat, relinquatur vero tantus, quantus immodicam famem posset facere, non ob id est necesse, vt ad illum fames statim sequatur, ad quem quandoque nausea potius, si os ventriculi attingat, quod ait Galenus 6. de locis affect. capite primo.

Nihil vero horũ iam facit, quoniam quantuscunque sit is humor suo pondere desidet in imo fundo, & solo ventriculi, atque interea os eius nunquam attingit, vnde ventriculi os caret eo impulsu sensus, à quo cibi cupiditatem vel eius falsam speciem possit recipere, Verum exiguus iam humor est, quoniam carens lentore facile quotidie ad aluum deuoluitur,

[A] & cum etiam sentitur, immo dicam famem efficere non potest, præsertim, quod neque nisi exausto penitus omni reliquo humore ventriculi sentitur, tunc enim denique contracto viscere eius os quasi fundo coniungitur, atque ita per os cupiditatem cibi facit, & illam non nimiam, maiorem tamen, quàm sub ijs laboribus sponte ventriculus haberet, cibo deuorato ille humor deprimitur, donec incalescat, tunc demum attollitur, cum cibus æstum concipit, ad quem admodum facilis est, neque vero sic plenò ventriculo tunc os eum sensum cibi cupiditatis potest recipere, qui cibis distento ventriculo inanitionis speciem non habeat, potius contra à calore, quo cibus, & vna secum humor feruet, & ea cupiditas prohibetur, & quandoque sitis concitatur, quæ iure quidem vti per [B] calorem affertur, sic per frigus eripitur aut lotione frigida, aut minimo humore refrigerato absorpto, quo vna & sitis, & molestia omnis reprimitur. Vbi apparet, cur is, humor frigidus, frigoris sensum non faciat, præsertim cum exiguus sit, A quo humore naturali, & non ita multo vti fames illa vitiosa non fit, quamuis super facultatem ventriculi, sic neque aliqua stomachi irritatio ieiuno homini sentitur, neque in eo æstu præter sitim, ariditatem, leuemque amarorem vllus morsus, vllum tedium affertur, vt fieret, si bilis esset, aut humor à natura alienus, exustusque.

Quod vero affectus melancholici non adsint, vt tristitiæ illa animi minime pro rebus, aut pro tempore accepta, facilius explicabitur, eo prius prædi[C]cto, quod hos affectus, & vna famem spectat, quod nos in multis hominibus, & mulieribus atrum, acidumque hunc humorem vomitu eiectum crebro vidimus, qui tamen neque eam immodicam cibi cupiditatem, neque affectus illos melancholicos haberent, præcipue vero in hoc nostro, in quo quotidie expurgatur melancholicus humor, sanguisque bonus relinquitur, qui spiritus bonos sustentat, & sustinet hilaritatem, & totum corpus sanguineum potius, quam melancholicum reddit, iuxta quod ait Galenus 6. de loc aff. cap. primo, cum ait melancholicos affectus sentiri, cum humor retinetur. καὶ χωρὶς δὲ τῆς τοιαύτης κενώσεως ἀθυμίας, καὶ δυσθυμίας μελαγχολικὰς ἐργάζεται. memineràt vero eius quoq; quæ per aluum fit. At cur tamen ventriculi malum ex consor[D]tio caput non sensit, ac Cor? quæro ego contra, cur non omnibus, quibus laborat ventriculus aliquo humore caput laboretur, & hic præcipue quæro quid mali insit in ventriculo præter illam breuis temporis molestiam? robustus est ventriculus & bene habet amico eo humore præter paucas oras coctionis illas, quas habet modica, & summus coctionis impetus, recreatur periculo ipso vacans, afficiat aliud? & quod non habet, cum alijs communicabit? quoties nos vomitus melancholicos vidimus in quartanis febribus, & alijs morbis, in grauidis mulieribus, nullo affectu melancholico animum contingente, bilis quidem aptior est, quæ suis vaporibus capiti noxam afferat, dum in stomacho versatur, [E] & quidem rarò non afficit, quandoque tamen nihil caput ostendit ventriculum vexans, & vos ipsum in hoc ventriculo posuistis à quo caput nil sentit. quot etiam Cardiacos vidimus sine vllo capitis affectu? quis est medicus, qui vt sæpè vomitum biliosum vidit post capitis dolorem, sic quoque idem sine dolore capitis quandoque largum bilis vomitum non viderit? nam ad sensum proprij mali alteri membro afferendum non est satis illa consortij intercessio, multa alia requiruntur, vt est eius membri afficiendi imbecillitas, & sensus acris, & eorum quoque, per quæ fit consortium, infirmitas exempli gratia, vt dicebat Galenus, si affectum ventriculi facile sentire debet caput, neruos in ventricu-

nticulum à capite pertinentes imbecillos habeat, necesse est, si cor à ventriculo facile afficiendum sit, laxas arterias intercedere oportet, & imbecilles, si iecur, venas, neque vero in omnibus biliosis febribus capitis dolor est, vt neque in vomitibus, vti neque vna pars semper afficitur alterius malo, sed illa certe, quæ cum imbecilla est, tum habet facilè omnes vias, hoc est facile manum transmittentes, & acri sensu prædita est, sed quorsum hæc, cum ventriculus non afficiatur per se, offenditur sensus eius certo temporis spatio, à quo tamen ipse non languet, aut vitium aliquid accipit, quin potius aliquid roboris.

At dicunt in hypochódriacis malum capiti communicatur, neque vident, quam illa ratio sit à nostra valdè dissimilis. In hypochondriacis halitus quidam ater ex inflammatione sanguinis intra venas feruentis circumloca ventriculi in mesenterio extollitur, & eo obscurius, quo ex mora sanguis in ea inflãmatione intra tamen venas coercita, & melancholia vitiosior, vnde os ventriculi illi vitiosi halitus feriunt, ictu quodam inimico, & genere quodam malo, vna & stomacho, & capiti infesto, in quod non solum suum sensum, per neruos, sed fumum per arterias, & venas mittunt, audi Galenum dum acceptæ doctrinæ Dioclis verba illa subiungit ad eius mali causam explicandam ἔοικε μὲν γὰρ εἶναι τίς ἐν αὐτῇ φλεγμονὴ τὸ δὲ ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ περιεχόμενον αἷμα παχύτερόν τε, καὶ μελαγχολικώτερον ὑπάρχειν.

Scimus, quod partes membraneæ, & nerueæ sunt eius naturæ, quod trahunt semper in eiusdem affectum secum ventriculum, & sæpe neruosum omne genus, si ipsæ per se vehementius affligantur, sanguis in mesenterij venis feruens crassus, & ater fit, & naturæ inimicus, membranisque valde infestus, qua re cruciatæ ipsæ ibi membranæ ventriculum quoque afficiunt, & neruosum genus, vnde vapores, qui efferuntur ex eo loco inflammationis sic dictæ, non vocabulo, quod in vsu est tumoris genus significante, sed eo, quod feruentem humorem intra venas denotat, facile in ventriculum per consortium membranarum adeunt, & inde per neruos in caput, vt per venas etiam. Ibi igitur & ventriculus affectus in se est, & semper pituita, & acore abundat, & flatu, nam vapores illi ex inflammatione ea elati atrum, & à natura alienum humorem referentes cum in ventriculo consederint refrigescũt, & ipsi refrigerant, cum capite vero facile communicantur, primò per venas, deinde per membranarum, neruorumque oris ventriculi consortium.

Hic autem humor familiaris naturæ est, solum abundantia superans non detinetur, non æstuat, via naturali in ventriculum venit, sic ventriculus suum robur tenet, membranæ affectæ non sunt, neque possunt ob consortium caput afficere, sic nullam habent vapores impetus in caput causam, & si vsque mos exsiccandum aliquando vna cum humore, & rarò ascendant, per venas, & arterias, & neruos in caput, & in Cor peruenire non possunt, extra venas siquidem sunt, per gulam autem in cerebrum tot inter iectis parietibus tardi, & minime incitati non perueniunt eggressum amplum faucium, & oris inuenientes, sic animam afficere non possunt, aut tristitiam efficere, quæ per doctrinam Galeni à vobis acceptam ex obscuritate, quam afferunt spiritibus intra cerebrum versantibus excitatur, vnde necesse est eos vapores per arterias cum spiritibus, & magno impetu ascendere, ergo affectus melancholici, quia non adsunt nobis non eripiunt, quin teneamus nostram sententiam.

Neque vero tantam hilaritatem videmus, quin melancholicũ corpus à natura estimauerimus, cui sæ

A pe eędem causæ incidentes, quæ alias nullam molestiam attullerant videntur tamen tristitiam afferre, afferunt potius corporis, & humoris ratione, quam sua, si enim sua ratione id facerent, semper facerent, hoc asserũt, quia intimi illius sunt, quod aliquando facile, & à quo animo fert id, quod alias ipsum in summam indignationem concitasset, quod de melancholicis profert Arist. loco citato, & in ijsdem nos quotidie obseruamus, est vero animo semper ad cogitationem prono, atque intento, nunquam sermonibus producendis effuso, relaxationem animi nunquam protrahit, sed ei modum statim ponit, & ab illa ad grauiores cogitationes animum auocat in negotijs, & in omni vita maxime consideratus, nunquam spe aut lætitia elatus, nihil non præuidens, nihil non familiaribus, & sibi caris ad vitanda pericula monet, studioseque persuadere conatur, nihil non opis fert. Quæ omnia eam corporis naturã nobis repræsentant, quam superius longa oratione in notitiam nostram per plures notas adduximus. De huius ventriculi ergo statu concludamus ipsum sentire quotidie motionem humoris melancholici ad os ipsius per cibi calorem sublati, cum suæ sit naturæ à breuis caloris initio vehementius incalescere, vrget ergo os ipsum ventriculi, & corpore suo, & æstu, ac flatus, idque austeritate sua adstringit, vnde os sic constrictum, & tenax factum nullum animo affectum affert, & vetus, non facile admittit (per quos ructus, flatus tamen aliquando cum humore cibi mixtus emoliatur) flatus autem vt spatio aliquo vi caloris discutitur, & subinde ab illa materia excitatur, sic quibusdam intermissionibus molestiam suam interrumpit, à cuius sicco contagio vel in ipsum os siccitas, sitis, ac quandoque amaror ascendit, scilicet bilis quoque præter cætera vaporibus eo æstu attractis, vel (quod aliquando euenit) bile ipsa, vnde tunc etiam soluitur aluus, & biliosa cernitur. Atque hæc ventriculi conditio est, cuius vero status causæ sunt apertæ, abundantia nimirũ eius humoris, quæ cum à natura corpori tum omni reliquo rerũ genere fit, nam & vitæ ratio, & studia omnia huius rationis sunt, & viæ quoq; humorem deferentes in ventriculum à liene iam ad hoc effectæ à natura per consuetudinem vero admodum patentes, lienis quoque vis sic comparata per consuetudinem ad eum humorem non tam consumendũ, quã in ventriculum propellendum, De cuius lienis natura, & genere paulo post propriè disputabimus. Ventriculi ergo affectu sic in conspectum adducto, iam, quod de natura eius proximè designabamus, hic collocenus, genus eius naturæ humidũ suis notis iudicabamus, alijs suis notis minime frigidum nunc ipsum dicimus, ac si quæ signa frigoris præbetur, illa naturæ potius obtinentis cũ humoris, quam suæ esse, illa potius nota caloris non leuis est, quod adeo, & tamdiu restiterit frigido humori, vt tam longæ noxæ vi adhuc euidentis frigiditatis signa non præbuerit, præbuisset vero proculdubio si sua natura ad frigus tenderet, hac frigidi humoris continua consuetudine, & assiduo contagio interueniente, quare ventriculi natura per se calidior, ac humidior certe fuit, status aũt, in quo nunc est, quantum per ætatem licet temperatus fere est, ac, si quid à se temperato distat, aliquanto inclinatus ad frigus fuerit, non tantum tamen, vt per id aduersam valetudinem subeat, aut suum munus minus valenter obeat. Res ergo sic processit, pleniore cibo fere vsus est, quoniam ille humor suo appulsu cibi cupiditatem vehementem semper facit, & ventriculi calorem hebetauit, optimè semper concoquit, quoniam calor temperatior quidem, non autem imbecillior fieret, vnde coctio ventriculi tam abunde materiam suggessit iecori, & tam benè paratam, vt iecur, quamuis calidũ, ac sicсum

cum fuit, tamen nunquam valetudinem vitiauit, vt se re fit in his, qui frigido ventriculo, & iecur calido sunt, imò contra bene corpus inde nutritum est, quod enim ipsum iecur forte sua natura, & per se non fecisset, id materiæ abundantia calori suo retundendo, & occupando idonea faciebat, vt quantum per iecoris calorem de nutritione detrahi potuisset, tantumdem bona materiæ copia, & bene concocta restitueretur, atq; hæc est causa valde aperta, cur cum victus ipsius valde plenus semper fuerit, ac vita quieta, sanus tamen degerit, & cur calidum, & siccum corpus tam bene tamen nutritum, ac plenum habuerit, atque hactenus principum partium natura tractata est, & præter ventriculi malum, cum his, vnde id existit, est explicatum.

His patefactis sequitur quarundam partium natura cognoscenda, in quibus metus aliquis valetudinis subesse videatur. Sunt verò lien, & articuli, lienis natura firmior potius, quam infirma quidem est existimanda, nam eius humoris excretio paruo lieni coniuncta potius ab eius robore eueniet, tumentis quidem lienis nulla nota est, Ipse non excrementum illud tam belle neque ad se alliceret, neque via ad hoc destinata semper tam facile expelleret, potius relinqueret in venis, si imbecillus esset, & ita sanguinē tam purum non haberemus, bene ergo attrahit lien, meliusque excernit.

Vnde mirum non est, si non intumuit, si infarctus non est, nihilque noxæ habere depræhenditur, cum quo certe bene quoque nutriri debet, & bene concoquere, cur tamen non tantum humoris consumat, quantum huic corpori conueniret, nulla ratione imbecillitatis substante in causa certe erunt, ea, superius diximus scilicet, abundantia melancholici humoris, & viarum aptitudo, si non natura, certe abusu comparata, lienis quoque ratio ea esse potuit, vt in vtero eam magnitudinem non impleuerit, quæ futuro humori purgando essent idonea, vnde eius natura in eo habitu paruitatis confirmata, non tantum, quantum corpori melancholico conueniret, huius humoris absumit, sed in exuberantem iam humorem a se tamen mitigatum excretrice vsus valentiori ipsum in ventriculum mittit, qui vt excretrice quotidie excernitur, sic necessario in locum excreti ipse nouus succedit.

Hic notatum velim, quod, vt iecur, sic lien solet magnitudinem ab alimentis abundantioribus maiorem nancisci, loquor vero de magnitudine sana, non illa tumentia vitiosa, in quam sæpè incidit manus Medici præcordia tractantis, cum enim hæc viscera infra costas eminentia reperimus, tunc quoque nostra lingua magnos lienes, & magna iecora vocitamus, & sic iactantur hæ voces à medicis vel ab ipso Hippocrate deductis, ego de hac magnitudine non loquor, sed de ea, quæ bene nutrita sequitur hæc viscera, qualia in bene nutritis bestijs videmus.

Interea igitur, dum adolescunt animantis viscera, quæ parenchimatis naturam habent, illa suam magnitudinem implent pro modo in conceptione accepto, ex nutrimento, quæ contra quidem non nunquam defecta alimento solent minora esse, ergo si lienis modus conceptionis paruus fuerit, vel adolescente animante aliqua causa ipse suam magnitudinem non sit consequutus, antequam firmior ætas accedat, postea paruus permaneret, etsi alimentū abundè suggeratur, & bene nutritus sit, nam finitur, augumenti vis ætatis robore, & viscerum firmitate firmiori ergo facto corpore homo potest quidem vigorem acquirere, si multū alatur, & tabē si parū nutriatur, magnitudinē tamen nunq̄ maiorem adipiscitur, iā verò quacunq; causa lien paruus sit, is tantū humoris non potest consumere, quantam natura corporis postulat, & in eo eius humoris abundantia, quare iuuenis relinquitur, vt fecit superioribus annis, excretrice vero inualescente illum humorem sic superantem tentauit proximis annis natura ipsa per hæmorrhoidas excernere, vnde vel liene melancholicum succum non absumente, sanguis tamen eo humore hac via expergaretur, quamuis etiam via per ventriculum vteretur, illis postea suppressis per ventriculum iam totius eijcitur, quoniam non est comparatus lien tantus, quantus nunc huic corpori a tanta melancholia sit expurgandus, quicquid tamen sit de lienis culpa, quæ ad magnitudinem spectat, non multum est medico laborandum, nam illi occurrere non potest, neque vero curam ad se reuocat lienis firmitas validior, potius viæ, quæ patentiores factæ sunt, & aliqua adstrictione moderandæ videntur Medicum requirere alicui putentur, quæ tamen forte maiori cum periculo adstringerentur; quam nunc sint laxiores, quoniam iam consueuit, iam inueteratus est mos, & in naturæ habitum conuersus, vt per nullam aliam viam hunc humorem eijciat, vnde hac angustiori facta, is humor aliquid mali posset inuehere, quod si aliqua alia via sit, qua humor possit euocari facile, & assidue, tunc vero hæc ad ventriculum poterit ex parte adstringi.

De natura ergo lienis, & statu eius, sic propositum sit, quod minus humoris consumit, quam conueniat huic corpori, & eius sanguini, quodque humorem valide quotide in ventriculum impellat, tum autem quod viæ, quibus vtitur, sunt latiores, & hic sit finis loquendi de liene.

De Articulis iam, In his metus est, ne sint a natura infirmiores, & quales parentes ipsius fuerunt, præsertim, quod doloribus quandoque laborarunt, & quod mirum videatur, prima sua tentatione eodem penitus ætatis anno, quo in patre scilicet trigesimotertio accesserunt, ferè tamen ab ea suspicione eripimur, cum consideramus quandiu se se a doloribus defenderint, neque enim in eo viuendi modo nullis medici legibus obligato, ipso nullum cibi genus fugiente, corpore bene pleno bis in anno facta quidem, at leuis admodum purgatio tantum posset proficere, vt a doloribus non tentaretur manente multa articulorum imbecillitate, ergo aut nulla eorum est imbecillitas, aut certe exigua, ac si ratio aliqua metus eius habenda, vt nihil prætereatur, quod ad eius valetudinem sit vtile, duæ partes huius periculi sunt considerandæ, vna est, quicquid in corpore super esse potest, quod ad articulos deferatur, reliqua est, quicquid laxitatis, aut in articulis, aut in partibus, per quas humores ad illos deueniat inueniri potest, neque enim hic, vt in doloribus continuis suspicati licet, integram causam in ipsis articulis contineri, & materiam, quæ dolores facit, sibi ipsos articulos generare, nam, cum absit dolor, causam quoque eius aliquam ab articulis abesse necesse est, vtque omnis alia causa præsto sit, certe materia aberit, quæ cum dolores molitum est, aliunde prorsus accedet, si tamen ei aditum robur articulorum non occludat, quare & articulorum imbecillitas, & abundans materia in parte aliqua corporis, & præterea iter ad articulos laxius hunc metum possunt nobis efficere, quibus quoque sic sub conspecta collocatis suo loco erit occurrendum. Iam natura, & valetudo omnis huius corporis est exposita, nam de dentibus in eius ætatis homine est superuacuum loqui, quibus si dandum aliquid est, nihil aliud est, quam id abstersionis, & adstrictionis, quibus egent senum dentes præcipuè, natura de attrahendo ad eos alimento cogitare frustra esset, quæ quibus rebus præstari oporteat, non est inuentu difficile, neque ei nouum, cui multa sunt ab alijs Medicis in hunc vsum proposita, & iam ei vsitata, ac, si opus fuerit, pluraetiā à nobis, aut alijs

alijs ei medicinam facientibus componentur, quod ergo potius est.

In ea valetudine quæcunque partes existant omnes commune initium habent ab abundantia materiei, siquidem ea, si serosior fuerit, dolores articulorum minatur, si crassior, & melancholica eum sustinet ventriculi affectum, nam, vt audiuimus, dolores podagrici, qui proximis temporibus illum tentarunt, leues, & breues fuerunt, & sine multo calore, propterea neque calidam materiam, quoniam sine calore, & sine vehementia dolores non fuissent, neque crassam; quoniam cito finiti dolores non essent, tenuem ergo, & frigidiorem testabantur, quæ certe nisi serosa esse non potuit, qualis nunc per vrinam multam emittitur, & etiam secum multum crassæ materiæ trahit, quæ per exustionem, dum in venis immoratur, acceptam à calore corporis quasi pulueris postea speciem in renibus acquirit, quod vero idẽ crassus humor, vel melancholicus eius generis, qualis à Natura paratur, sit, eam eius ventriculi affectus, satis superquam supradictum est.

His igitur prouisis sequitur, quod cura prima humori detrahendo, & intra modum continendo, ac conseruando dirigenda est, deinde alia cura eidem humori excolendo, modificandoque attribuenda, vt eius sit generis, quale naturæ futurum sit vtile, tertia partibus proprijs danda, humida ergo omnino intra certi modi, & certi generis fines sunt coercenda, neplusquam deceat, aut melancholiæ aut seri, aut exustæ bilis inuenis sit, ne illa naturæ vsum modo suo, aut genere superent, aut vitient.

At humidorum integritas, & ea moderatio, quæ ad ipsorum genus pertinet, præstari eis non poterit nisi vna quoque viscera temperentur, quæ materiam sanguinis tractant, & conficiunt, vt iecur, vt venæ omnes, alioquin enim nec salubria humidiorum genera, neque moderata creabunt, quæ tamen partes vna, & eadem opera simul cum humoribus partem, ad integritatem illam perducũt, nam ijsdem medicamẽtorum facultatibus, & humida, & viscera emendantur, quod, si cumulate consequi non potuerimus neque in humidis, neque in visceribus, tunc emittendum noua ratione, nam quicquid vitiosi relinquetur, desiderat, vt paremus aliquam viam, qua omnis humor ab eo vitio nasciturus, vt nascetur, sic emittatur, ita enim modus, & sanitas humoribus, & corpori procurabitur, via ad commoda erit, si longe à locis affectis illos auertet, vt, si superante atrosucco ventriculo infesto venarum hæmorrhoidum aperta oscula conseruentur, quæ auocant ad sedem commodissime humorem hunc à ventriculo, cuiusmodi ratio renibus quoque erit vtilis, cum eis exustum genus humoris sit infestum, sed hoc iam non ad genus, sed ad copiam humidorum pertinet. Modus verò in copia seruabitur, si purgatio, quæ bis in anno instituta est, in posterum retineatur, si victus ratio temporibus purgationum habenda, & ad imminuendos humores, & ad eorum genus moderandum spectabit.

Hæc diligenter ad humida moderanda facienda sunt, tum ad, quod tertio loco fuit propositum, sedibus, quibus aut timemus, quales sint articuli, & renes, aut malum infestum est, vt ventriculus est, solicitudo conuertenda est, ventriculo robur conciliandum, articuli firmandi, renes tuendi, ergo, si renibus sua quoque curatio attribuenda, in quibus illæ arenulæ periculum calculi ostendunt, ab eo periculo ita cauendum, vt contraria ipsius causis moliamur, causæ non solum esse sunt, quibus arenulæ contineri, & cogi possent, sed etiã quæ humorem extrahunt, propterea sic moderandum, ne, cum trahentibus causis occurrimus refrigerando, continentibus, occupantibusque vim iniungamus, neque frigidis ergo admodum, adstringentibusque tractandi

A sunt renes, neque vero non mitigandus, & retundendus eorum calor, qui & nimiam illam materiam attrahit, & arefaciendo cogit, cui attemperationi caloris adijcienda est opera, vt robur aliqua leui adstrictione ipsis acres eamus, quo non solum non attrahant, sed tantum crassi humoris non admittant, quod tamen nunquam sine periculo fieri poterit, nisi modus humorum fuerit conseruatus, alioquin, si renes adstrictiores facti aliquid humoris eiusmodi aut nõ recipient, aut à se propulsabunt in venas ipsum repellendo, si id fuerit immoderatius non poterit à natura vinci, & noxam corpori aliquam afferet.

Renes namque non solum seroso, sed terrestri quoque humori educendo facti sunt.

In articulis firmandis vsu reprimentium rerum au-
B dentius agere poterimus, nam laxitas, atque imbecillitas extremarum partium nunquam tantam recipit adstrictionem, quæ eorum superet debilitatis necessitatem, modo semper inquam materiæ, humoribus dato, alioquin illi in viscera, & maxime in pulmones reuertantur. Proprie de ventriculo dicendum restat, cuius curatio tam medicos exercet, quod sic parandus est, vt tum materiam sanguini bene modificatam suggerat, cum autem, vt ab incursu eius humoris se se tueatur, calor ergo eius modice seruandus, fouendusque, & præterea corpus ventriculi modicè adstringendum, ita vt vię, quoque in ventriculũ pertinentes ad certum modũ constringãtur, quod effuse non est agendũ, sed valde timide, præsertim si securi non fuerimus corporis humores intra modum constitisse, hæc certe præ-
C standa sunt, quibus obseruationibus, & quibus artis auxilijs iam videndum est, Vt sciamus & quæ, & quanta illa esse debeant, quemadmodum, & quando sint adhibenda. Percurramus artis Medicæ partes, est manus, est medicamentum, est & victus, his tribus vti solemus præsertim ad moliendam humidorum in nostro corpore iustam moderationem. De ope manus sub authore Galeno sic oportet definire, vbi in corpore toto humorem melancholicum per suas notas abundare nouerimus, cæteris omnibus id patientibus protinus vena incidenda est, sic enim facile, ac cito nocens humor ea via detrahitur, at in certis notis, an ille humor versetur in corpore toto, tunc ad illud tentationis genus, quod idem vna & signum præstat, & auxilium, venire licet, quo
D eius rei certiores fiamus, & vna apposite ad compertam rem agamus, scilicet secta vena animaduersionem sanguinis habeamus, qui si ater, crassusque fuerit, mittatur, sin ruber, & tenuis, supprimatur, nam, quoniam huic remedio in solis magnis morbis est locus, hæc offensa, si non vi sua magna est, spatio tamen ipsa suo magni periculi est, propterea de missione sanguinis ipsa quoque habet deliberationem, ad quam rem non nisi consulta prius eo modo humoris natura accedimus, ergo si naturam humoris consulamus hoc tempore, sanguinem ne mittemus, cum vires, & ætas id remedij patiantur. Minimè vero, opinor. Nam floridus color, & rubeus, faciesque valde nitida prohibet, ne putemus in
E toto corpore atrum sanguinem, uel alio modo, impurum abundare, siquidem quotidiana illa per ventriculum melancholiæ emanatio, sanguinem purum relinquit, qui naturæ amicissimus nullo modo est detrahẽdus, vnde sanguinis missio hoc tempore esset penitus aliena, vel etiam si per hæmorrhoidas fiat, nisi ad humoris genus in eas fuerit conuersum, sequitur medicamentum, quod eius humoris purgandi causa potest quidem dandum esse, potest etiam dandum non esse, nam puro toto corpore periculosè datur medicamentum, nedum inutiliter, quia tamen a suspicione non longe absumus in præcordijs multum eius humoris in dies congeri, & quotidiana illa emissione, non satis earum partium sanguinem pur-

purgari, propterea medicamentum videtur esse necessarium, quo detrahatur humor is, quia non solum nocet ventriculo, sed etiam sua consuetudine, & contagio viscera sic afficit, vt sibi genere quodam, & vitiositate similia efficiat, & conseruet, hoc est, idonea, & accommodata ad se generandum, & purgandum, eo maximè vero debet detrahi, quod, vt dixi, adstrictionem ipsi ventriculo confirmãdo necessariam moliri eo humore prohibemur, donec in illis sedibus versatur.

Cum ergo medicamentum sit necessarium, ad id appositeiam deligendum, & dandum illa capita explicatius videre oportet, quæ de remedijs supra spectanda diximus, quæ in ratione victus quoque erunt vtilia, hic tamen eo magis necessaria, quo remedium magnum diligentiam maiorem desiderat.

Quid ergo medicamenti purgantis hoc esse debet? quantarum virium? quod, & quando præbendum? Primò id humorem melancholicum spectabit natura ipsa morbi remedium ipsum sibi accommodatum demonstrante, tantarum autem virium id esse oportet, vt vires morbi, & natura corporis declarant.

Quæ sint medicamenta melancholiam purgantia, nulli non medico notum est, quantarum virium sint deligenda, restat, vt hic propriè examinemus, vt humoris modus maior valentius medicamentum exigit, & locus longe dissitus, & natura corporis durior, sic humoris neque copia multa, neque in loco longe sito, corporis vero natura facilis ad expurgandum, venter ad ciendum; venæque latæ ad humorem facilè remittendum, humoris tandem ille in ventrem impetus quotidianus medicamento facile obsecuturus dicunt valentius medicamentum fore superuacuum, & omnino ipsum lene postulant, lenitatem quoque medicamenti corporis huius natura delicatior, & ventriculus eo humoris transitu nimis exercitatus desiderat, quare, quicquid dicat Hippocrates confirmat Galenus, de elleboro ego intra senam, epithimum, polipodium, & diacatholicon permanerem, & quoniam hoc nostrum epithymum nihil valere experimur, quod fortè verum epithymum non sit, in vsu reliquorum insistem, si dixeris senam dolores ventriculo afferre (vt iam hoc alijs medicamentis commune non sit, vt sena in omnibus hoc efficiat, & si contra ego possem asserere, & meo & aliorum experimento, præcipuè Manardi, Syluij, & Matthioli,) in hoc tamen corpore, cum data est vna cum alijs medicamentis, ad extremum purgationis tantum leuis, ac breuis dolor in imo ventre motus est, quem paulo post humor valde ater, & crassus sequutus est, quare, aut quod humoribus malignis non senæ culpa doloris sit attribuenda, aut quod dolor leuis sit, tantum senæ profectum, quia cum eo coniunctus sit, nunquam rectè respuemus, præsertim quod, cum sena data est, tunc potissimum ipse melius habuit, interea nobis illam miscentibus cum his, quæ eius prohibeant offensionem, vt sunt zingiber, gariophyli, & cinnamomum, etiam rhabarbarum nullis daretur toto suo corpore, quoniam sic datum crassam pituitam educens dolorem mouet.

Multarum ergo virium alia prætermittemus medicamenta, atque, quod spectat item ad medicamenti vires, maiorem modum medicamenti non dabimus, ne vires vltra debitum medicamento intendamus, quemadmodum autem dandum sit, id quoque natura, tum humoris, tum corporis admonet, vtrunque postulat quendam apparatum, quo facilis purgatio sequi possit. Humor quidem postulat sua crassitudine, vt incidatur, & attenuetur, sua autem vi tam naturæ ventriculi inimica lenitionem desiderat ijs, quæ humore, & tepore quodam possunt eius austeritatem, & asperitudinem leuare, sic

A enim & facilius emittetur, & minori cum ventriculi molestia, corporis autem ratio desiderat, vt viæ eius laxentur, quo humori educendo pateant non solum in venis, sed in ipso ventre.

Ventriculi autem ratio præcipuè cogit, vt ipsum a flatu, & iniurijs, quæ ab eo humore timentur, defendamus, ijs adijciendis ipsi medicamento, quæ tum calore dissipent, tum humore leniant, tum autem odore, & dulcedine quadam naturæ humoris asperitatem obliniant, & vim retundant, ac feritatem demulceant.

Verum subtrahet occasionem omnis offensionis, si præterea citum descensum medicamenti, humorisque procuremus, quod medicamento per potio-

B nem dando, citius, quam per catapotia moliemur, si præterea ius aliquod quod quarta hora post cæptum medicamentum super detur, si clystere aluus pridie mollita fuerit, vel si ab accepto medicamento aluus inijciatur, ad hoc quidam ambulationem imperant, quam certè potius vomituris facit, tamen aluo quoque citandæ potest proficere, vtque citius medicamentum demittatur, certe quidem manna admixtum medicamento citissime id defert.

Atquę erunt, quantæque potiones, quibus tum humor in eum habitum perducatur, qui & ad educendum facilis, & ad nocendum minus idoneus sit, tum corporis viæ molliores, & laxiores fiant, vt mihi videtur hæ potiones ad vtrumque rectè componentur, si ex pomis. Buglosso, vtroque fumoter-

C ra, & oxymellite erunt, nec erit inutile, aut alienum, si iecori, & renibus corrigendis cicoracea, & rosacea adijciantur, quibus rectè quoque glycirrhiza admiscebitur, his quidem non solum humor, viæque parabuntur, sed sanitas illa, quam iecori, venis, & renibus procuramus, reddi poterit, maximè si ijsdem post purgationem corporis vtemur, aut alijs eiusdem generis, de quibus postea proprie dicemus.

Ad modum medicamenti dandi illud quoque pertinet, pluries ne, an semel sit dandum medicamentum, quæ res ab eadem humoris, & corporis ratione definitur. Corporis natura, & promptitudo, consuetudo illa quotidiana emittendi eius humoris, vicinitas loci, vnde euocandus est humor, faciunt,

D vt semel dato medicamento & satisfacere corpore purgando possimus, vnde postea inutiliter repetatur, & debeamus, nam non solum labor repetitus superuacuus, & opera medicamenti ventriculo aliena erit, sed continendo quoque quotidiano eius humoris impetu contraria, natura siquidem inde, quominus incumbit, est omnino ad contrarium impetum auocanda, quod cum facere contendimus extractione molienda, longe inde, vbi malum est, eam facimus, non semel illam prorinus absoluendo, sed partito, & pluries repetendo naturæ imperu in contraria allicimus, medicamenti ergo multa repetitio impetum humoris non ad contraria, sed

E in ventriculum citaret, quem alio potius auocare studemus, potius ergo, quod reliquum sub esse suspicabimur, id per hæmorrhoidas natura in eas propensa emittere vicina via nitemur, & ad auertendum valdè accommodatum, sed de hæmorrhoidibus paulo post sermo futurus est.

Interea, quæ ventriculo, & vijs in eum pertinentibus firmitatem quandam adstringendo afferant, rectè dabuntur. At quo tempore hæc facienda sunt, sexto Aphorismo.47. Hippocrates author est, quod, cum purgandum corpus est, ipso Vere id agendum est, Vbi Galenus adijcit quoque Autumnum ex proprio experimento, ratio præcepti huius est, quoniam morbi, cum timentur, sunt præueniendi, nos ideo, qui hyeme maiorem ventriculi molestiam hanc

hanc expectamus, & præterea audimus esse animaduersum, quod, quotiescunque hyeme podagra fuit tentatus, (quod vero fuit sub hyemis finem) tunc purgatio antecedentis Autumni præterita fuerat, propterea illa Galeni lege omnino obligamur, huic quoque Autumnali purgationi.

Hæc omnia diligenter a nobis in vsu medicamentorum seruanda sunt; cætera, quæ superius proponebantur, iam exponamus. Humidis in corpore intra modum continendis, & impetu illius humoris, si quis fuerit, retardando commodum existimatur, si ille per hæmorrhoidas euocetur, quod non solum corpore ante expurgato potest rectè esse faciendum, sed ante ipsam quoque purgationem, cum enim & sanguinem detrahat, & minus eius humoris permittat futuræ purgationi medicamenti, faciet, vt ille humor a medicamento ad ventriculum minus prouocetur, poterit ergo pluries hæc euocatio moliri, præcipuè, quod ad auertendum in illam partem impetum rectè pluries repetetur, fortè ex medicamento catarctico post purgationem hæmorrhoides tumentes inueniuntur, & tunc promptius, & vtilius aperiri poterint, ni tumebunt autem, natura in eas promoueri poterit, ficulnea folia attrita sedi facile id præstabunt, sin hæc non proficiant, hirudines tunc sunt sufficiendæ, quæ vt iam non educant crassum sanguinem, certè & viam facient, & impetum naturæ eo auocabunt, quo ipse via sibi, & impetu naturæ dato feratur, Aloen aliquis, vt euocando per hæmorrhoidas sanguini vtiliter, sic non tuto humori ad vitam seruando dari existimet, ac quod morbus postulet, id per ætatem humoris egentem non licere.

Verum quod ex cerebro solum eius vsu timetur, non prohibet, quin rari vsus certissimum quæramus profectum. At podagram mouet (inquiunt) cuius mali quoque accusant malum cotoneum, incerta vtraque res, experimentumque incertissimum altera vero etiam absurdo proxima, nam de balneis quidem nimium aperientibus rectius id quidem dicitur, quam de Aloe, quod quamuis ani venas resoluat, quamuis in medio corpore venis id faceret, partibus tamen eminentibus id facere non creditur, quinimo illis robur afferre existimatur; crebrum, vt dixi, huius vsum tamen vitarem, ne quod ad siccandum ventriculum solus humor diutius præter fluendo non potuit, id demum adiuncto aloe perficiat, nulla maximè pituita eum locum occupante, quæ exsiccandi vtriusque rei vim possit retundere.

Iam consequitur, quod de visceribus confirmandis fuit propositum, id vt vidimus illæ quoque potiones, quibus humorem ad purgandum parabamus, visceribus ipsis temperandis faciebant, quod tamen tunc cum viscera nondum sint humoris onere, & contagio libera, non facilè illud ornamentum recipiunt, integram ventriculus, & via in illum tanta egent adstrictione, quanta ante purgationem tuta non esset, ergo post purgationem rebus eisdem, ac præterea magis adstringentibus vtendum est, Extra guaiaco, & myrobalanis potiones dabant alias Medici, quod rectè factum videatur, pro ventriculi, iecoris, & renum ratione, guaiacum enim, præterquam quod purgat mouendo, elidendoque per cutim humores ex iecore, & toto corpore, non nihil quoque habet adstrictionis ad robur ipsorum viscerum, myrobalani vero, si aqua, in qua decoctæ sint, datur, & si leuius adstringant, siccentve, quam, cum totæ ipsæ capiuntur, robur tamen accersent leniter adstringendo, similiter si eadem vis per macerationem excepta per potionem detur, sic vero possunt quoque nihilominus refrigerare iecur, venosum totum genus, & ipsos renes, quos tamen non plus iusto adstringent leniter adstringentes sic datæ, maximè quando renes non recipiunt protinus vim illam integram, sed antequam illa eo perueniat ferè a corpore est superata. Longè autem minus vincet earum adstringendi vis, quoniam guaiaco coniunguntur, vbi ad vnitatem quandam mediocrem earum vis adstringendi, & refrigerandi cum vi calida apertienteque cogitur.

Timori vero etiam dolorum articulorum myrobalani maximè possunt occurrere, & quicquid dicant Mauritani de adstrictione myrobalanorum, quantumuis assentiatur illis Actuarius, fieri non potest, quin earum vis illa, qua præcipuum educunt humorem, nedum comprimendo elidunt, cum vi aliqua aperiendi coniuncta sit.

Hæc ergo summo iure illi medici tribuebant, postea ad quod veriti sint roridum humorem ventriculi iam absumptum esse, earum vsum dimisere, ne ventriculus magis tabesceret, & contra lac ei dandum decreuerunt, ac bis, & tertio illud remedij genus tentarunt; cuius exsiccationis nullam notam esse iam a nobis ostensum est, quare neque putandum vllum periculum ab illis incumbere.

Si quis dicat, quòd exsiccantia in senibus vitanda sunt, de vsu assiduo illud intelligendum est, pręterea si Galenus aloes vsum condemnat, non omnem quidem, sed assiduum, & in ventriculis aridioribus, vt licet videre, Itaque longè minus nos myrobalanorũ vsum raro adhibitum verebimur, præcipuè quoniam exsiccatio ipsius Aloes priuat ventriculum suo humore, myrobalanorum verò exsiccatio non penitus priuat, sed humorem potius in proximas, & circum ventriculum partes compingit, a quibus partibus ventriculus robustus factus potest ipsum rursus reuocare, & eo facilius, quoniam, vt dixi, guaiaco coniunctæ non tam comprimunt, quin vias mediocriter apertas relinquant, præcipuè, quòd & ipsæ vi aliqua penetrante præditæ sunt, per quam humorem proprium possunt educere.

Hic tamen attente insistendum, & videndum, ne cum ipsi ætati sicciori melancholia genere suo sicca adiungatur, quæ non potest non habere similem sibi in iecore vim, a quo procreatur, nimium siccantibus vtamur.

Hæc enim dictis rationibus officient, vti ventriculo robur, adstrictionemque postulanti contra proficient, Ergo diligentia adhibenda est, nedum vni secundum est, dum vehementius est, alteri contrarium fit, ita vt periculum afferat, ergo hac in re ego sic mihi temperarem, primo potionum tempore ipsi guaiaco, quod exsiccet, Buglossi, malorum dulcium, glycirrhizæque succum, flores maluarum, & vtriusque buglossi aliquo modo insererem.

Hoc vero pluribus diebus seruato postremo tempore per paucos dies ijs omnibus myrobalanos incoquerem, aut certe finito potionum tempore myrobalanos conditas solas darem, aliquando inuicem harum pro ratione corporis, & ipsius temporis rosarum flores sufficerem, quæ non minus refrigerationis, & roboris, quam apertionis, & iecori, & renibus, atque ventriculo sint allaturæ.

At quorsum guaiacum, in cuius vicem ad expurgandum, & roborandum aliquid aliud, & quidem leuius posset dari? posset quidem, at non omnibus nominibus prodesset, quibus guaiacum, maximè, quod fuit expertum per plures annos nihil citius & proficere, & hoc penitus a podagra ipsum defendisse, vt, quo anno hoc remedium non præuenisset, doloribus ijs laborarit, cui accessit tam longa iam consuetudo senescente iam corpore, vt vna hæc ratio ad aliud remedij genus nos transire non permittat, potius ergo, si quid in eo

superat,

superat, illud adiectis contrarijs retundemus, & ita dabimus, ac si vel vni consuetudini sit consulendum.

Duobus ergo ijs anni temporibus hæc seruanda sunt, neque tamen æstate, hiemeque sine vllo præsidio, quod præcipuè ad viscera tuenda faciat, dimittendus est, sed æstate saccharum roseum dandum iecori, Renibus, & ventriculo plurimum profuturum, nam robur cum aliqua expurgatione, & refrigeratione accersit, saccharum quoque ex floribus buglossi vtriusque rectè dabitur, quod siccitatem caloremque mitigat, hieme vero rosam cum aloe componerem, aut darem myrobalanos ex sacchano, aut melle conditas, radices similiter vtriusque buglossi saccharo confectas, item & lactucas eodem percoctas, tum autem cucurbitam eodem modo paratam concederem, quorum si quæ frigidiora sint, sacchaio ipso mollescunt.

Sed de his in ipso victu dicemus, At forte quis putabit hic non licere præterire, neque aquarum thermarum, neque cauterij mentionem, peccatum, siquidem summum videatur, si in vetusto morbo hæc prætereantur, quæ a medicis nomine sacræ anchoræ quotidie cõmendari solent.

De aquis sic statuerem, quæ vehementius aperiunt, vti dissoluendo adstricta, digerendoque coacta, concretave in obstructis malis secundæ sunt, sic in hoc morbo, in quo nihil eiusmodi quæritur fluentibus satis superque humoribus, vijsque apertioribus suo calore, & incitatione essent periculosæ, neque non in metu podagræ contrariæ.

Quę autem solent renibus prodesse expurgando vna cum refrigeratione, & leui adstrictione, illæ his humoribus maxime proficere possent, ne ad podagram inclinarentur, & præterea ventriculum confirmarent, in quibus numerantur Calderianæ, & ijs similes, non vrgente tamen nimis malo, vt remedium vehementius potius eas præterirem.

De cauterio nihil est, quod me moueat, siquidem, & incertus sum, num cauterium ad defendendam podagram profuturum sit, nedum adeo pro futurum, vt reliqua auxilia, a quibus tam diu est tutatus, possint præteriri, & certus sum durius cauterij remedium fore, quam vt possit fieri a fructu sperando tolerabile, vt eius iam aliquis profectus sit futurus, vt humores ad podagram idonei per ipsum educi possint, & si illi interius sæpè infra periostia descendunt.

Vidi quidem per cauterium defensos multos a coxendicis dolore, at tunc materia per loca magis sublimia ferebatur, neque anceps sum nihil penitus ventriculo profecturum cauterium humore infesto nimiũ prope ventriculum oriente, a quo loco cauterium retrahere humorem non posset, nisi toto corpore bene puro, & tunc demum leue commodum ex ea debili retractione haberemus, aut certe minori, quàm sit vetus ille humoris in ventriculum impetus, neque vero in ambitu corporis huiusmodi humor est, vt necessaria ambitus expurgatio cauterio locum faciat vtilem.

Hæc de medicamentis, & de manus ope dicta sint pro tempore alijs quoque, vt nouæ res incident, in horum vicem sufficiendis. Quo autem viuendi modo ordinandus ipse sit, dicere iam conuenit, ad sanguinis nimium genus colendum, visceribusque sanitatem reddendam, & defendendam, nam victus potest plurimum ad hæc omnia, quid tamen noui instituti affetamus, præter id, quod ei in consuetudine est, nihil ferè est, habet ipse memoriam eorum, quæ a superioribus medicis sibi tradita sunt, & præsentibus quoque est obsequentissimus.

Dicam tamen aliqua, quæ non ita obseruari ab illo mihi visa sunt; Incipiam ab aere, quamuis ipse aeris, cœlique iniurias vitare consueuerit, sæpè tamen officij gratia obuiam principibus viris prodit, & eius rei occasione insuetus cuique cœlo audet si committere,

A seu serenum, seu nubilum sit, seu densum, seu tenue, siue tranquillum, siue flatibus perturbatum, quod & si capiti potius, quam partibus propositis ob esse possit, tamen ei qui aliter consueuit subita illa a cœlo motio plurimum potest periculi afferre, ipsi quoque corpori, alioquin certè, quod ad humores pertinet bono habitu conseruandos in his, quæ ab aere sperari possunt, nihil prætermittit, si quidem æstate Vrbini habitat, loco magnum perflatum habente. Pisauri hyeme loco Solem valentiorem ob formam suam recipiente, vbi, quamuis graue cœlum antiquitus haberetur obstagnantes aquas, & depræssum solum, humentiusque, tamen aquarum illarum nunc periculum defenditur, & loci cauitas apertior facta, & omnis oppidi viæ stratæ sunt, ac bene siccæ, &

B purgatæ, vnde cum locus ventis obiectus sit, facile potest perflari, atque exsiccari, & a pleno illo vapore, & denso liberari, propterea densum quidem cœlum ibi est, non tamen admodum graue esse deprahenditur.

Huic vero corpori potius proficere videatur, cum sit humidum, & ei humori mitigando, retundendoque opportunum, vti Vrbini cœlum eidem humori extenuando, & digerendo, quoniam est per quam rarum. Oppidi quoque Durantis, quo loco interdum esse solet per aliquot dies Autumni tempore, tunc cœlum est saluberrimum, quod de Nubilaria etiam dici potest, qui locus semper vna hyeme obuentorum impetum excepta commodam habet habitationem. De Imperiali dixerim Autumno summè etiam salubrem,

C non ita forte reliquis temporibus.

De Mira flore nihil dico, quoniam ibi habitare non solet, quamuis illuc sæpe animi causa excurrat. Decibo autem, & si plura viderentur examinanda, quoniam principes Viri sub aliorum illecebris viuere ferè coguntur, sunt enim, qui nulla alia via, putent se posse illis gratificari, nullam aliam habentes, cum plurimæ sint, & honestissimæ, & postquam auribus assentasse se non satis habent, palarui quoque id faciant eorum vitæ propemodum insidiantes, etsi inquam hac de causa multa viderentur esse monenda, multa tamen non sunt, quæ huic sapientissimo Domino proponam, cum, vt dixi, ipse tam bene singula nouit, tam obsequentem Medicis se præstet, vt minimè cuiusuis suasu ducatur.

D Capita illa quidem ei dicunt esse proposita, ac semper oculis subiecta, ne crebro vtatur, aut large his, quæ crassum glutinosumque humorem faciunt, neque assiduè ijs, quæ valenter extenuant, nam quæ crassum, quæque glutinosum succum contrahunt, ad calculum ex arenulis componendum nimium faciunt, præterquam quod melancholiæ augenda sunt, quæ vero extenuant suo longo vsu Renibus, & Iecori, & venis omnibus tum calorem, tum siccitatem augerent, vnde humida corporis fierent melancholia, præterea vias illas in ventriculum nimium laxarent, nimiumque ipsos canes, quorum generum primo quidem caseus est, in quo & glutinosus humor, & melancholicus est, nec parum caloris quoque cum vetustas ei aceesserit, ut

E calculo gignendo nihil sit, caseo uetusto accommodatius, est etiam lepus (quamquam minimi recrementi res) ni admodum tenellus fuerit, sunt cochleæ, uetustæ carnes, & animalium grauiorum, in his ergo est bouum caro, caprarum syluaricarum, ceruorum, & damarum, anserum, pauonum, anatum, & gallinarum Indicarum, præcipuè, si inueterauerint salitæ omnes quoque carnes in eo sunt genere, & belluarum omnium marinarum, item cancri quicumque, & gammari.

Sub glutinoso genere est suilla ex his, quæ pedibus nituntur, sunt ostrea, sunt tineæ, anguillę, & testudines, atque conchilia, sub hoc quoque genere est illud nobile edulium, quod boni quidem succi est, sed crassi ad mo-

modum,& glutinosi ex amylo, lacte, saccharo, & succo carnis, expressa sunt illa omnia quæcunque ex ouis percoctis componuntur, & oua ipsa coctione durata, De pullis collumborũ anceps est animaduersio, Mauritani eorum vsum vituperant, Simeon Sethi authór est,ex Gręcis,quod eorum creber vsus sanguinem crassum,& atrum gignit,cum tamen Galenus cibum dicat esse calidioribus corporibus alendis aptum, vnde qui græcam disciplinam sequuntur, vsum horum pullorũ non damnant, quam nos quoque vt minus fallacem, nec promissis proponendis, ita assuetam ad alliciendos homines,vt Mauritanorum disciplina est, libenter sequimur,si tamen illud prędixerimus,quod calida auis cum sit, eo nomine corporibus calidis rectè dari ait Galenus,quoniam quibus valetudinis proprium genus seruandum est, ijs sibi similibus vtendum est alimentis B simile simili egẽte, vt nutriatur, vnde huic quoque corpori damnandus is cibus non est,cum conseruare ipsius genus mens est, non tamen cum curandum est, & corrigendum. Vbi certiores, quòd senium corpora è suæ naturæ statu in morbosum euocat, nos eius cibis calidioribus repugnare debemus. Sed hic parumper insistamus in hac obseruatione, scimus corpus cuiusque magis sine periculo,& lõgè facilius ali, si similibus vtatur, quoniam illa facilius in suam naturam conuertit, vnde cum Medicis vacare aliquis nõ potest, aut in otio esse,& in quiete viuere ijs similibus potius,quam dissimilibus alendus est,alioquin a dissimilibus difficile nutritur, quæ maiori cum labore in se conuertere necesse est, vnde sequitur cum periculo agere eos Medicos, qui homines ciuilibus necessitatibus detentos suis illis ad- C monitis semper ad oriuntur, vt contrarijs eorum generi naturæ vtantur, quibus suo corpori, quidquid naturaliter superest, detrahant, id enim est naturæ eorum difficilem facere nutritionem, & illorum corpora contrarijs degunt, qui dum negotijs detinentur Medicis nimis addicti sunt, nimisque illis obsequentes.

Propterea Galenus 6. Art. Medicæ admonuit non esse contrarijs vtendum ciborum generibus, vt corpora ab eo,quod in illis superat, liberemus, nisi illius otiũ fuerit, & quieta esse possint, nam tunc naturæ laborem eum ferendi contrariorum vim valentius,& tutius potest subire. Videat ergo Vir Illustrissimus & Excellentissimus ne ad assiduum eorum ciborum vsum trãseat, quos ad corpus emendandum contrarios suo generi Medici proponunt,nisi,cum laboribus, animi pe- D nitus fuerit expeditus,ne vna & animus, & natura corporis laborare cogantur,solent quoque Medici, proponere sæpè quædam ad robur ventriculo, iecori; Cordique retinendum, in quibus ea, quæ in rerum extenuantium vsu fuit proposita obseruatio, similiter necessaria est,quoniam in eorum vsu quoque homines authoritati Medicorum nimis obligati sæpè falluntur,extenuantia siquidem, vna & robur afferentia præcipuè, quæ cordialia dicuntur, Medici solent plurimum laudare cuique ægrius habenti,dum apertioni, & extenuationi humorum, & robori viscerum, & cordi intenti sunt. Laudant ergo cicoreum potissimum, cappares, & sæpè radices petroselini,asparagos,scolimos,& similis vir- E tutis res complures,laudant crocum, acetum, gemmarum puluetes,& similia,laudant antidota,aquas ex herbis, & alijs calidis rebus per ignem expressas,quarum tamẽ rerum vsus,nisi purgatione corporis finiatur, nisi in extenuãtibus ille breuis sit,vel parcus in suis illis cordialibus,& robur afferentibus,hęc malo suo succo corpora implent, & genere naturæ suæ valde venas,& viscera calefaciunt, & exsiccant,quæ non possunt postea sanguinem bonum procreare, sed sicciorem, crassiorẽque, & magis etiam biliosum, vnde in posterum corpus malo succo semper abundet, quoties nos vidimus post diu curata a Medicis corpora illis impetigines, scabies,pustulas,papulas,melancholias, & omnia hæc genera nasci, cum scilicet extenuantium, ac confirman-

A tium vsus immoderatius fuit adhibitus,& ita, vt ei vsui extenuantium, neque purgatio corporis subiungeretur, neque post purgatum corpus vtilioribus alimentis postea nutrirentur, dicentibus tunc vero Medicis, & iactantibus illud suum, Naturam robustiorem factam medicamentis malis humoribus ad cutem amandis se exonetare, in laudem suæ inscitiæ cõuertentes illud incommodum, quod ipsi inepte suo vitio attulissent, extenuantia ergo futuræ purgationi dirigenda sunt, purgato vero corpore parce confirmantibus vtendum, & nutritioni meliori prorsus, & diu vacandum, alioquin priora illa vitanda sunt, sed de vitandis hactenus dictum, de pullisque columbaceis concludendum, quòd eorum vsus senibus vt recrementosis inutilis non est, quæ modo in cibis vtilia esse possunt, contrarijs in ge- B neribus compræhenduntur ea ergo genera accepta esse debent, quæ rerum mediocrium sunt, quæ boni succi, non glutinosa, non crassa, non nimis extenuantia, non nimis calida.

quæ quidem minutius notanda non sunt, aut sigillatim persequenda,cum,vt dixi, ipse illa bene norit, hæc de his,quæ alendo corpori sunt, insistamus in his, quæ proposito vitij generi sunt contraria, & tantummodo, cum vacandum erit Medicis, sunt admonenda,ex quibus nullum est,quin generis Medici non sit, & si in cibis multa eorum grata capiantur. Ordiamur a radicibus,inprimis,vt supra quoque dicere cœperam,est buglossi vtriusque radix quocunque modo parata, quæ humori leniendo,temperandoque prodest, iecori quoque,& renibus eripiendo illis eorum calore, & siccitatẽ C proficiet plurimum, rapæ quoque sunt, quas omnino vitandas eadem ratione non puto, si quoniam radicũ generis sunt,crudumque succum habent, coctura bene modificentur,sunt cæpe,quasi coctione ita mitigentur, vt eis acris illa vis dematur, sique natura ab illis non abhorreat,aut Caput afficiat, quo & aluus mollior, & viscera humentiora seruentur,ac, nisi calore noceant minus ex coctura consumpto, nihil vitij habere videntur Hippocrate ipso authore, & id facultatis eis attribuente,quod possunt oculis prodesse, radices ad extenuãtes, tanquam exsiccantes non assiduè adhiberem, sequantur herbæ,in quibus vtile erit similiter buglossum vtrũque semper,& assiduæ datum, lactuca aliquando proderit,nam hic illa non est, vt in quartanis exquisitis fugienda, hic enim ventriculis, vt ibi, pituita non abun- D dat,præsertim vero erit vtilis, cum calidioribus quibusdam partibus sit occurrendum, ac tum effuse potius, quam timidè capienda, quando saccharo fuerit condita eius frigus retunden̄te,humoremque coercente. Flores pariter malue, buglossi,ac etiam rosarum parari poterunt in auxilium huius valetudinis ex saccharo, ipsi fructus molles, & lenioris saporis vtiliter capi poterunt, tum virides, tum saccharo conditi, præsertim melopepones,vt ratio, & vsus ostendit,deinde cucurbitæ modis omnibus paratæ, ficus etiam potius virentes, quam aridæ.

Aridæ vero medico & ædulij prima mensa ex aceto sumendæ sunt, sic enim authore Dioscoride renes a crassis humoribus expurgant, pruna, cerasaque dulciora,mora ipsa,si dulcia fuerint, fraga difficile habentur,quæ integra sint,quoniam aut austera sunt, aut acida,aut corrupta,& eius saporis,qualis est vini corrupti, mala citria ventriculo quidem grauiora sunt, alioquin optima esse ipse vsus ostendit, ratio autem si quæratur,illa reddi potest,quod & humoris multi, lenisque plena sunt,& quadam vi propria. Cordi proficiũt, quæ si cocta ex saccharo fuerint, leuiora sunt, reliqua quoque malorum genera dulcia, & per se, & ex saccharo cocta,& liquata proderunt, quorum nomine neque sinapica ex illis cõpositio, si parce sinapim habeat, reijcienda videatur, citonia tamen non ita abundè sumenda sunt,sed sub cibi finem tantum,& parua parte, quæ ex saccharo coquenda sunt,& mitiganda, Vna damnanda

nanda nō est, at cibus ille, qui fit ex tritici farina musto liquata, & cocta non est laudandus, forte, si farina illa hordei esset, minus uitiosus ducentur, nouum illud cibi genus, quod nostro tempore tandem prolatum est, malum insanum dicūt, id si coctura bene mitigaretur, non erit omnino inutile, ac tandem minimū habet melancholiæ, ac, si renum vitium ex eo nihil periculi minaretur, vt autor est Galenus, proculdubio esset accommodatum, si non admodum concretum, & liquidum tantum sumeretur, at, cum non sit necessarium alicui parti hoc cibi genus, sit vero renibus tam periculosum, omnino est circum vidēdū. De cibo plura dici possent nam infinitus huius rei campus est, at quoniam semper Medici præsto sunt, nō sunt necessaria, cum ex propositis quidem rerum generibus huic corpori commodis, & contrarijs, possit fieri delectus a quocumque medico. Proximum est, vt proponam quæ de potione cognoscenda sunt, quæ quidem subtilius essent tractanda, quoniam cum in omni valetudine potio plurimum post, quod semper multa pars eius assumatur cum cibo, tum vinum vero præcipue, quoniam magnarum est virium, & maxime in hoc affectu, vt vidimus, multum ergo intererit, quo vini genere vtemur, hoc humorem melancholicum mouet, illud mitem reddit, & profecto experimentorum ei rei valde respondet, quæ ab Aristotele primum (quod vidisse meminerim) prolata est de maxima similitudine, quæ inter uini, & huius humoris naturā intercedit, cui adiecimus nos, quod vsus sępius ostendit, vinum, facillime in huiusmodi ventriculis, si potentius est, & crassius, acescere, cum quo acore melancholiæ proprio naturam quoque eiusdem melancholiæ subire est verisimile, quod cum fiat facile, necessario ob viciniatem naturæ vini, & melancholiæ id fieri ducendum est, ergo quamuis valentius vinum frigori frangendo ventriculi, & coctionibus iuuandis, & digerendis humoribus concretis faciat, tamen ob hanc naturæ similitudinem, qua cum crassum est facile eum auget humorem, omnino vitandum est. Huius rei, si ratio alia vltra naturæ similitudinem iam dictam nobis vsu ostensam requiratur, nescio an facile scrutari possimus, forte vinosæ partes, quæ, quo vinum est potentius, eo sunt plures, ac sæpe crassiores prō vini genere, & loci ratione, aquosis, & liquidioribus corpus seipsum subeuntibus relictæ in ventriculo, qui frigidiori, & ficciori humore est occupatus, in eundem humorem mutantur refrigeratæ, quem enim habent calorem, is, quoniam humido continetur, ficcitate prius humoris frigidi absorbetur, & restinguitur a frigore potius, quam foueatur, sic ei eripitur vis sua, quod facillime fit, cum sub mutatione est a suo statu deductum, ergo inde quicquid restat, ficcius cum sit, ac frigidius mélancholiam refert.

Alioquin si humidū esset id, quod frigidū est, & siccū in ventriculo, vini vim non absumeret, vis enim potius sua natura calida eius humore nutriretur, cuius tandem frigus sic nutrita superaret, vti potius a frigore obsiccitatem vincebatur, sic, si pituitam potentius vinum subeat, & summopere facit concoquendæ, quod, vt disci, forte prius vsus ostendit, quam ratio quæsita sit. Vinum ergo crassum, & potens est fugiendum, longe magis, si asperum, austerumq; fuerit, quoniam tale potest facile a melancholico humore suo humore, & vi priuari, & in illius naturam conuerti, imbecillum vinum, & tenuius, quod citius calore concepto mutetur, non solum minus oberit, sed melancholiam humore suo, & calore leni liquabit, & cito in ventriculi corpus subiens non habebit aliquam nocendi vim, vel si austerum mediocriter esset, modo ne adeo austerum sit, vt & crassum, & adstringens nimis, si potentius vinum calore præterea acri suo obest mouenda nimis melancholia, antequam ipsum penitus mutari calore concepto possit, vinū hoc imbecillum ea quoque noxa vacabit, vt vacat aqua ex aromate aliquo percocta, eum siquidem humorem nō mouet, lenitum suo humore liquat, quæ, si cruda sit nullo aromate eius frigus frangente, per ipsum frigus durat melancholiam, vnde illa postea magis resistat viribus ipsius corporis, & sit ad offendendum valentior, quare concepto, scilicet demum calore coctionis cum ipso cibo mouetur. Austeritas autē in hoc vino leui, in quo nullum periculum est, facit, vt ventriculus robur recipiens sit validior ad eum humorem superandum, quæ austeritas in vino valenti, a quo offensa magna esset, periculum augebat melancholiam indurando, augendoque, articuli quoque si circa ipsos aliquis metus fuerit, ut ualentius uinum non patiuntur, sic ex ea austeritate profectum maximum sentient, Verum hodie in uinis quoddam asperitatis acumen quęritur, cuius ratio neque austeritati, neque acori conuenit, neque ex utrisque constare uidetur, minus acritudo est, id enim acumen longe ab eo dissidet, quod aceti, & rerum acrium est, solent homines quærere hunc saporem iniectis aut in musto mespilis, aut in uino ipso uuarum internis acinis, interdum prohibito musti feruore, sæpe scilicet ipsum agitando, ne bulliat, aut alio modo eius coctionem prohibendo, quare non potest aliunde is sapor existere, quam quoniam in crudo uini humore non bene percocto excitatæ sint tenues, quædam particulæ, sic uero possunt esse excitate, quod calor crudas partes extenuarit, moueritque deinde aliquo modo solutus, fractusue illas non digesserit, unde acumen illæ quoddam retinent in tenui suo corpore, quo quandam acutam, ac ferientem speciem acris saporis præbent, paranr loram ad delitias, cui saporem eiusmodi omnibus ijs artibus quærunt, a qua, ut dixi, Illustrissimus, & Excellentissimus Dux se minimum offendi sentit, cuius rei alia causa non est, quam quoniam robur uentriculo affert, humorem non mouet, & potius incidit, & diluit, & ualde delinit, facere ad hoc potest maxime, quoniam uentriculum habemus minime per se frigidum, aut imbecillum, qui possit uinum eiusmodi crudius quidem, ac nere frigidius, sed mutabile admodum superare, antequam calorem concipiet tantum, quantus possit humorem incendere, ac irritare, qua re dulce uinum carens eo commodo roboris afferendi, quin potius noceat relaxando, me quoque autore, dimittet, etsi dulcedine humori malo mitigando sit. Vetusta uina eadem ratione, qua potentiora uitarem.

Quid de vinis medicis? ex ijs, quæ diximus, res facile potest definiri, nam, si factum sit uinum ex rebus corpus expurgantibus, & aperientibus, non est utendum eo, nisi tempore purgationis, cuius rei ratio a Galeno satis clare est proposita, & a genere huius corporis summas habet necessitates, si autem ex vinum & rebus demulcentibus confectum sit, ut de boragine, tunc non multum laborem, eo ne uti uellet, an non, quoniā tam parua uis huius herbæ in eo esse potest, ut parum prodesse posse iudicem. Alba urina tam sunt huic regioni in consuetudine, & a solo huius loci, sic proprie proueniūt vt longe accommodatiora, & conuenientiora ratione loci, quā nigra videantur, quare quamuis nostrates medici in metu podragæ alba uina imperent fugienda, hic tum non ita eorum usum timerem, præcipue, cum & genus corporis album potius, quam alterius coloris uinū desideret, & austerum uinum iam fuerit imperatum articulis tam utile, sed de potionibus hæc sint satis.

Communiter id uelim esse admonitum in cibis, ne tanti faciamus, quemquam autorem quanti ipsum ægrum, natura enim citius quibusdam sibi appositis, & gratis nutritur, quamuis minus bonis, quam faciat melioribus quidem, sed ingratis, in quibus semper tractandis multo plus laborat, atque hæc de victu, nam de tempore eius sumendi ipse bene doctus est, & nunquam nō interponit id temporis, quod coctioni sit satis. De prandij uero, & cœne modo dubium non est quin in seniores sit tenendus, in quem quosdam ab hinc annos trāsiuit, quò cænam largiorem ipso prandio sumit.

De reliquis quoque minus multa dicenda sunt, nam certe non eget, ut ipsum nos denique aliqua ratione ui-

ctus

ctus ordinemus, nisi ab eo id peccatum vitandum sit, quod quãdoque inane cito surgit, quamuit per noctem minus quieuerit,& ventriculi labore valde fuerit tentatus,& non solum surgit,sed sæpe quoque & ambulatũ, cum quiescere,redormire, aut certe in lecto se continere deberet,neque vllo labori se,neque negotio credere, quoniam prætor alia multa pericula idest certissimum, quod cruda materia ex labore excitata caloris vi nimiũ funditur,& fusa quidem cruda tamen angustiores vias subit,in quibus cruditate sua retardante subsistit, & ex ea mora frigescens cogitur,coacta glutinosa est, & hæret,ex quo multa mala nasci corpori possunt, quare inculcent ei Medici hanc animaduersionem, quæ neglecta summa afferet pericula,id quoque ei esset admonendum,videndumque diligentissime,ne inter capiendum cibum negotiis,vt solet,grauioribus,vacaret,vnde sæpe necessario animus perturbatur,præcipue vero, ei illud est periculosum,quod quam facillime excandescit, vnde cibus conturbatus facile attollitur, & qui in solo ventriculi non solet corrumpi, ad os eius ascendẽs facilime vitiatur, vnde mille pericula trahuntur,ex quibus illud est certissimum,quod cum quotidiano illo humore mouetur, & offensam auget; Neque de solicitanda aluo restat aliquod magni momenti admonendum, optime enim aluus semper respondet, & fere ter die descendit nisi in hoc quoque illud fugiendum sit,ne vtamur eodẽ semper clysteris genere,prætetquam quod enim conueniunt alia hieme,alia æstate, quod hieme aliquid repidioris naturæ sit inijciendum,quam æstate, id non est leue,neque nouum,sed vt magni momenti ab antiquioribus medicis obseruatum,& proditum, quod nullum medicamentum in vsu habendum est, quod semper sit simile,nam vel natura id sibi facit domesticũ, vel si dãnum ab eo aliquod timendum sit,id certius,firmiusque habetur,& altius insidet. Præterea varianda quoque vis clysteriorum,quoniam,cum acria in senibus fugienda sint,hoc est assiduus eorum vsus non admittendus, tamen quia hæmorrhoides essent ciendæ, aliquid aliquando acrioris materiæ videndum est, vt est, hiera, & similia, quæ, quanto difficilius ipse tolerat,cum aluus inijcitur, tanto validiora ad eum profectum reddendum sunt futura, atque ijs tota ratio viuendi comprehensa est,& omnis vitæ ordo explicatus,nam de Venere locus non superest, vnde videmur totam curandi,seu tuendi rationem esse complexi. Hæc nobis cum animaduersa,tum cõsiderata,& prouisa sunt ad ipsius tuẽdam valetudinem quibus sic propositis quantum ingenium meum valebit,alia quoque pro temporis, ætatis, & loci ratione,& pro ijs,quæ noua inciderint quotidie excogitabo, atque adnotabo. Interea hæc seruanda esse iudico ad eius valetudinem defendendam, si quid vero restat,quod ad articulorum,& renum affectus, si forte accesserint, propulsandos pertineat, id breuibus expediam.

Articulorum quidem dolori,cum aliqua nota eius aduenturi metum fecerit,reprimentia, leuiora tamen admouenda erunt,& vias colligentia, vt lotiones ex aqua maris,aut certe salita. Eo tempore aquæ simplicis lotiones semper vitando, vel ex vino, in quo rosarum folia incocta sint,adiecto sale,& aceto, vbi vero materia iam aduenire cœperit, in vasa reprimenda erit, sicque articuli exonerandi,quod fieri nec facile, nec tuto poterit,nisi corpus humoribus fuerit penitus leuatum, nam neque vasa repulsam materiam recipient. Et ea penitus in membranas,& periostia defigetur, valentiora ad reprimentia erunt, si addatur. Alumen. Nuces Cupressi,balaustia,& id genus talia,quibus si addenda aliqua sint,quæ naturæ articulorum apta habeantur, ea erunt. Betonica,& chamepitis. Vinum hoc tempore austerum sit,& nigrum non calidum, certe egelidũ, ne calore alliciat.

Dolore autem iam moiestiore facto, cum aliquo ex reprimentibus dictis oui luteum,vel ex eo oleum expressum cum oleo rosaceo,aut mirteo, & pulpa cassiæ siliquæ,vel, quod vtiliter sæpe fieri vidi. (A) Caro bouilla cruda,quæ si maximus dolor cum calore fuerit,in frigidissima aqua solet prius diu haberi. Vel puls ex pane, & lacte luteis ouorum cui cortices medij nucleorũ pineorum immixti sint, atque etiã,quod quidam experti sunt cortices medij. Alliorum,nam consistente morbo reprimentium vis minuenda est,nunquam tamen ex toto remouenda,nam mirum est, quæ pedes vel purgatissimo corpore semper nouæ materiæ excipiendæ obnoxij sint.

Si calor sentiatur,etiam Caphura ijs adiungenda erit quæ quamquam initio caloris sensum mouere videatur tamen paulo post multam relinquit refrigerationem, vel si liquata sit ex valentissima aqua vitæ dicta. Sin calor multus nõ sit, crocus ei cataplasmati admixtus bene (B) faciet. Stercora quorundam animantium, (nam quod quidam admiscere,humanum quamquam idoneũ sit, fœda res nimis videtur,) vt bouis. Capræ,equi, Asini, opportuna sunt, præsertim pro tempore mali adiectis aliquibus,nam & acetum,& alumen, & olea nonnulla præmisceri consueuere. Laudant quidam oleum ex cera,etiã ex iunipero, sed cum adstringentibus miscenda sunt,& materia iam refrigerata, miscent ergo quidam cum his oleum ex cochleis, quidam alia eiusmodi. Sal quidam colliquant, & cum oleo permiscent,nitrum alij,aquæ vitæ herbas omnes aptas exsiccando macerant & eam adhibent.

Est valde idoneum articulis modo frigida occupatis oleum ex Terebynthina per ignem expressum, nunquã reprimentibus seu adstringentibus prætermissis, nam (C) pars ea nimis prona est, nimisque laxa. Itaque vinaceorum calidorum suopte calore halituoso solet maxime prodesse,sed tempus breue est, quo eorum copia essequear. Doloribus vtile experti sunt illud multi,quod ex succo absynthij,& raphani,rapæ esse succus non videatur alienus, vt succus esse Brassicæ, nam exsiccant valde & quodam aquoso humore tenuibus, & calidis partibus introducto possunt dolores lenire, brassica vero non longe abest à raphani,& rapinam,vnde antiquitas raphanus vocaretur, & nostris temporibus rapum etiam habet eius quoddam genus. Sed defensiua sunt in ipsis cruribus apponenda,quæ materiæ defluxum inhibeant. Tutum certe remedium, & maxime aptum videtur,quod sit ex vino,cui myrrha incocta sit seruata interea ea viuendi temperantia, qua neque bilis magis (D) ferueat,acriorque fiat,neque sanguis bilescat. Contra tamen materia non augeatur. A vino etiam abstinendo,ne motus citetur fluxionis, & quanquam ventriculus postea molestiam illam suam esset magis sensurus,ea tamen in tantis doloribus tam respicienda non est. Doloribus certo auferendis podagræ facit illud vnguentũ ex ℥. 1.s. Diapopuleonis & ℥. 2. opij Thebaici cum aceti momento. Sed non est nisi in maxima necessitate dandum ne intemperiẽ nimiam articulis imprimat. Alioquin certe in aliqua necessitate certissimum remedium est,& vidi in medijs doloribus per vsum huius vnguenti vix semel,aut iterum adhibiti hominem sine dolore aliquanto spatio fuisse,& interea ambulasse, cum præsentibus doloribus ne attingere quidem solum pedibus (E) posset.

Sed a podagra ad renes me refero,ac dico, qđ diuretica non debent nisi purgato penitus corpore adhiberi, in quibus flos Cassis quidem est, sed tamen liberius eo vti possumus etiam corpore minus purgato, quoniã ille urinæ uias,& humores potius lenit, liquatque liquore tam suo humidiori, sic urinam mouendo, quam calore aliquo,ut diuretica solent,flos ergo Casis siliquę quocunque tempore potest, & admodum utiliter dari qui leuiter arenulas educet,cui cum maiores uires adiũgere uoluerimus, puluerem etiam siliquæ adiungemus, sed purgato corpore,cum opus fuerit, proprias res perscribemus de illis,quæ calculo exturbando faciunt, cuius generis ipse habet aquas arte multa paratas, ut non sit necesse orationem longius producere,in quorũ quidem

dem usu semper à leniotibus erit ordiendum, & à minori modo ad iustum eorum modum accedendum. Sed certe nimius fui, præsertim, quando mihi sermo est cum ijs Medicis, quibus hæc omnia notissima sunt, tum verò semper ipsis præsentibus sunt tractanda finis itaque hic esto meæ orationis &c.

Illustri & Excellentissimo Domino Barhtolomæo Guarinonio S. Q. M. Physico Primario &c.

CONSVLTATIO CCCLXXXVIII.

Disputationem hãc, quam ab hinc fere biennium ad T. E. miseram. Postea tu sępius à me rursus efflagitasti, Interea aũt ille, de quo agebam Dux præstantissimus est febre consumptus, vt, propterea eius euentus historiam vna cum hac ipsam disputatione coniunctam ad te opportune missam iri existimarim, sic quã breuissimæ potui eam ijs literis compræhendi. Quartana febris Serenissimum Ducem primo simplex inuasit, quę tum à Medicis paruipẽderetur, præcipue ijsdem diebus nonnulli seniores homines quartanam febrem quarta accessione euasissent, quæ res mihi noua non erat, quoniam alios etiam senes ita conualuisse obseruaram.

At hæc quarta accessione duplex facta est, & longiores valde accessiones habuit, sub qua, ac præsertim sub frigore atrum humorem euomebat, illumque valde acidum, & feruentem, sed non admodum multum, cuiusmodi à me in disputatione esse in ventriculo fuerat iudicatus. Quo porrò vomitu post paucos dies quiescente triplex ipsa quartana febris extitit, quæ accessionibus adeò longis essent, vt continuaretur, nec multo post penitus continua est effecta, ac sine vllo frigore increscebat; semper quidem maior facta vsque ad vitæ finem. Tanta scilicet fuit congesta in eo illius humoris copia, vt iam non amplius à natura posset ejci, & demum ne è venis quidem propelli, minus in illis à putredine sustineri. Quemadmodum facile prouisu fuit considerata ea corporis conditione, quæ in disputatione descripta est, adeò, vt, cum primum mihi allatum esset, ipsum quadam leui febre initio correptum fuisse, quam Medici occasione destillationis fuisse dicerent, ego eam & quartanam fore, & homini necem allaturã pro certo affirmaui, & Comiti Hieronymo Florido, q. me de ea febricula certiorem fecerat, dixi, vt suis hoc renunciaret, atq; Episcopo Foreliuij, & alijs, qui inter essent Medici salutem diu pollicebantur, postea verò sæpè modo salutem in propinquo esse, modo mortem instare aiebant, vt ipsi in hanc, vel in illam accessionis partem incidebant, & quoties iam de salute desperandum videretur, tunc febrem esse malignam, & venenosam dicebant, atque ad bezaar confugiebant, & multa alia commiscebantur, quibus mortis causam attribuerent. Malignitatis certe nulla euidentia signa erant, nam nisi ad extremum vires nunquam aperte imbecilles cognoscebantur. Sub febris quidem compræssionibus, vt ferè fit, pulsus, & alia virium imbecillitatẽ præseferebant, tunc verò Medici serio mortem in limine esse dicere, & venenositatem, imo venenum esse in causa asseuerare, & eum non posse noctem instantem superuiuere asserere.

Qui tamen paulo post calore febris emergente salutem certissimam, & in proximo esse affirmabant, & in tertium quinque rantum dies ad integram valetudinẽ, & vires recuperandas poscerent, quæ res non semel eis contigit, sed pluries, vt sæpè numero eadem die, vel quasi hora extreme repugnantia loquerentur, E quibus Medicis vnus, qui maximi nominis in tota Europa esset, ad mirationi togantiũ occurrebat, dicens se nulli vere iudicium suum indicare, præterquam amico cuidam suo singulari, quem tamen nominare nollet, sic principibus viris, & maxime Ducis ægroti filio, ac coniugibus vtrique multam mouit indignationem. Ibi ego ex præteritis accessionum rationibus futuras compræssiones præuidens, horasque earum prædicens, tum terrores, & responsa Medicorum ijsdem horis futura ante oculos ponens videbar vaticinari, melioribus ramẽ horis semper eundem mortis metum professus.

Quæ porrò mors sub accessione incidit sub compræssione primum viribus collapsis, strangulatisque sub calore postea paulatim dissipatis. Recordor me aliquos de crepitæ ętatis vidisse simplici febre quartana extinctos, eaque intermittente, qui sub horrore maximo illo concutiente decessissent. In hac inquam febre vires nunquam malignitatis indicia præbuerę, nunquam vrinæ ipsæ, quæ exustionis solummodo indicia continetent, non etiam mali generis putredinis, vt fecissent, si fuissent confusæ & perturbatæ. Nullum delirij genus habuit, quamuis caput interea valde afficeretur, ne postremis, quidem diebus, quibus per spirituum consumptionem, & refrigerationeãb halitibus melancholici humoris, vna cum defectu spirituum inductam facultates cerebri infirmabantur, vt enim imbecillitas ad frigus, & defectum spirituum sequitur, sic peruersio, & turbatio actionum ad putridos vapores præsertim verò cum illi multæ sunt putredinis.

Extincti ergo corpus, cum est dissectum ventriculum habuit atri succi plenum, tanta copia, vt vix calice cõpræhendi potuisset, per mortem nimirum laxatæ venæ humorem elabi permiserunt, venis ventriculi valde magnis, & atris. Ipsius verò humoris nigredinem rubor aliquis occupabat. Splen erat exiguum, quemadmodum in disputatione vidisti à nobis coniectatum, Iecur valde firmum, & bene solidum, nec tamen magnum. Habitus corporis admodum carnosus, & adeo pinguis, vt pinguedo omnia in testina, & viscera occuparet, maxime quidẽ Renes, & cor, Ea verò pinguedo, quã omenti est, ventriculum totum amplecteretur.

Hæc T. E. volui significare, vt de nostra disputatione non solum rationibus expendendis, sed euentu ipso considerando melius possit iudicare, & veram artis medicæ disciplinam hac etiam occasione commendationis cariorem habere. Vale Pisauri 8. Idus Octobris Anno 1574.

Tuæ Excellentiæ addictissimus.

Christophorus Guarinonius Fontanus.

Pro spectato viro D. Io. Bernardino Toniallio habita cum Beroldo. die 5. Maij.

CONSVLTATIO CCCLXXXIX.

Profecto Vir arte nobilissime benè existimas, hũc, scilicet virum ex medicinis corpus expurgantibus parum auxilij accepturum, non dixerim, quoniam alias parum acceperit, sed verius, quoniam, vt res ipsa mihi sese ostendit, malum hoc est eo in loco, nempe in neruis linguæ, à quo per medicinas corpus expurgantes ferè auelli non potest, cum tamen euacuatio corporis sit necessaria, antequam pars ipsa affecta discentientibus exagitetur, idcirco purgantia corpus ipsum omnino sunt adhibenda, à quibus non id quod quæritur compleri potest, sed sine quibus tamen nullo modo attingi possit.

Hoc igitur statutum sit, primò purgationem corporis totius esse necessariam valdè, vt communis est obseruatio in omnibus curandis particulis. Alia est propria particulam affectam spectans, vbi oportet ipsum partis affectæ malum, & naturam diligenter videamus.

Motus

Motus linguæ læsus est, cum vir is ex apoplexia sexagenarius euaserit, motus inquantum linguæ imminutus, non gustus, aut sensus, neque motus omnis, at omnino impeditu est, sed ille tantum, qui formandarum vocũ, exprimendarumve literarum est impeditus, quod est indicio non anteriores, sed posteriores cerebri neruos occupari non, quod neruorum corpus plenum sit, nam conuellerentur musculi, ac lingua simul, sed, quod origo ipsa neruorum tantum sit obstructa, quæ in posteriore cerebri parte.

Vnde mirum non est, si & læsione prope memorię locum etiam ipsa memoria infirmior sit reddita, quare intra os capitis læsionem esse omnino hoc argumento conficitur, & ad ceruicem, occiputve potius pertinere, & præterea ex memoriæ offensa materiam frigidam esse, quæ tamen aut non omnes, aut non omnino neruos illos impediat, cum non omnino motus linguæ impediatur, iter, viaque, qua humor illuc progreditur, cerebrum est, a quo nerui & spiritum, & alimentum accipiunt, ergo illa aut a capite tantũ, aut etiam a toto corpore capitisue partibus per cerebrum ad occiput, & tandem in locum affectum, qui est interior neruorum pars, non exterior, vt in conuulsionibus esse est verisimile. His ita propositis apparet altera obseruatio necessaria, quod cum capiti sint adhibenda, quæ exficcent humorem, calida tamen valentiora vitãda sunt, nam neque tam potest perfici totius corporis euacuatio, quin calidis valentioribus capiti adhibitis aliquid in caput attrahatur propter locorum horum naturam, & situm, neque cognitu facile est, quando nã euacuatio illa summa perfecta est. Ordinem vero hũc nobis hæc demonstrant, vt corpus vniuersum prius, deinde caput euacuetur, a loco reuellatur, tandem detineatur, atque extrahatur humor neruos impediens.

De vniuersi quidem corporis, ac partium reliquarũ euacuatione cogitantes, videamus primo, quid humor ipse postulet ex sua natura. Eius natura sane vel melancholica est, vel pituitosa, vt fit fere in huiusmodi affectibus. De pituitosa Galen. in aph. 25. libri secundi dicit, eo lento humore neruos male completi, quo nerui aluntur. De melancholica dicebat ille, si ad corpus vergat apoplexiam, ergo & paralysin, si ad mentem melancholiam parit. Frigidus igitur omnino est, quamuis effectrix causa fuerit iracundia, quæ mouet humores. Pituitosum vero ego potius, quam melancholicum humorem ipsum iudico, si corporis frigidioris, & humidioris tum genere, tum ætate sexaginaria statum, si capitis ipsius naturã ex animi actionibus cõsidero. Quocirca omnino in pituitam spectarem, & in vniuersi, & in partium purgationibus. Totius quidem corporis fiat euacuatio per ea primum, quæ communia sunt, & quoniam habet paratum Rhabarbarum cum passis, eo non libenter vterer loco eorum quibus solemus aluum emollire, quoniam hoc potius ad expolienda viscera, quam ad primas vias purgandas idoneum est. Expedientibus igitur, ventriculum primo ab ipsa pituita, & crudo humore vterer.

Deinde syrupis ex betonicæ succo, & oximelle, vel etiã melle rosaceo, subinde medicina aut per catapotia, aut per potionem, in qua agaricus omnino ponendus est, vel illud nouum medicamentum radicis mechioacan darem, si recens habebimus interpositis ab alio medicamento valentiori potionibus generis ad parandum succos, validioris vt de betonica composita, de stœchade, & alijs. His faciendis loco oportuno interponerem detractionem etiam aliquam sanguinis per cucurbitulas dorso affigendas, non quo sanguinem diminuerem, sed quo omnino corpus leue fieret, & motus humorum a capite in exteriores partes auocaretur, propterea illis peractis fere rursus sæpe cucurbitulas affigendas sine ferro cõsulerem, vt materia a capite illuc ad cum euocaretur, Vesicas in scoptulis excitarem. Caput postea euacuarem errhinis, masticatorijs, in quibus Cornelius Celsus ponebat laserpitium, atque synapim ore tenendam, quæ digestioni etiam inhærentis materiæ sunt vtilia, tandem caput exsiccarem lotionibus, atque stillando aquam thermalem illam potissimum, quæ in agro Lucensi Corsena est, oportunissima enim ea ad exsiccandum est, & ibi parata sunt omnia, quæ ad eam gradatim sumendam requiruntur.

Aponitanas nimis calefacientes reijcerem, ne in caput maiorem vim materiarum attraherent. Dempto vero sic ex capite humore, & capite firmiori facto, si nerui humorem sibi infarctum non digerant, & adhuc impediti nerui restiterint, ego affigerem rursus ceruici cucurbitulas, saltem sine ferro, & cum igne multo, vt impositæ diutius hærerent, atque ad cutim materiã extraherent. Sic vesicatoria dicta affigerem, vnctionesque ceruici valde exsiccantes adhiberem, vt ex oleo rutaceo, hypericonis, vulpino, de castoreo, de costo, de electro, de terebinthina, & similibus, in linguam, & os etiam ingererem, quæ item exsiccant, vt aquam siue oleum garyophillorum, vel cassiæ odoratæ, vel aquam vitæ, vel oleum nucis moschatæ, firmanda interim membra confectionibus illis maioribus Aurea Alexandrina, theriaca, mytridato, & continenter humores a visceribus principibus oxymelle potissimum squillitico expurgando.

De victus ratione dicere est superuacuum, nam & longissimus morbus est, & non possumus multis etiam interdicere, cęna tamen parcissima sit, & vini vsus exiguus, cibus nunquam plenior, diurnus somnus nullus.

Minime conualuit, sed anno post secũdo, apoplexiæ casus sublatus est.

Vesicæ excitabantur hoc catap lasmate ℞. Cantharidarum ʒ. 2. Midulæ fermenti ℥. s. Aceti acerrimi scillitici q. s. m.

Pro Hieronymo Amareolo Mediolanensi tertiana extensa laborante, & insaniente, habita cum Beroldo.

CONSVLTATIO CCCXC.

IN hoc corpore calidiori præcipue, quod ad iecur pertinet, accedẽtibus multis in viuendi ratione causis, facile fuit febrem huiusmodi concitari. Nam cruditatibus sæpe ventriculo oppresso, iecur inde calore attrahens, crudis primum, deinde etiam calidis humoribus vniuersum venarum genus replet, cum partim acri calore afficit, partim etiam concoquere nimis crudũ nõ possit, cuius tenuiores partes acriores, crassiores vero lẽtas magis reddit, ac crassas, vnde viæ angustiores impediuntur, & perspiratio per corporis ambitum facienda sic illis crassioribus humoribus refertum.

Verum hæc omnino febrem quamcunque poterant excitare, propria autem videnda sunt indicia, quibus sane febrem exquisite dignoscamus, nempe, quæ morbi natura, & magnitudo, qui modus, seu mos, quæ etiã ætas, seu motus. Cæperunt hæc primo die sola corporis inæqualitate dolori capitis adiuncta, secundo die sine inæqualitate febris solo feruore infestauit, inde seruatis quotidie imparibus tamen accessionibus, & continuatis ipsum afflixit, vt quarto die summam magnitudinẽ suam compleuerit, postea alternis diebus leuiores, alternis uero grauiores accessiones habuit, quæ in prima die tantum cum frigore, & inæqualitate fuerunt, nunquã tamen integrum ipsum relinquebant.

Duæ itaque erant febres, quarum vehementissima ea fuit, quæ in septima die, quarta scilicet accessione, summum habuit incrementum, & septima accessione sua finita est, (si considero alterum quemquam diem quo accedebat.) Altera prius mitior, postea increuit, nam sequenti die statim diuersum accessionis genus, & quasi nouum habuit, quam ego quidem non febrem

nouam censerem, sed eam, quæ diebus, quibus superior quiesceret, tenuior veniret, atque sine frigore, vrinis flauis potius, quam luteis, quanquam tenuioribus, quamquam vero crassioribus, præsertim ipso eneoremate copioso, ac crasso, vt etiam in superiore febre existebant. Huius longæ admodum sunt accessiones, atque cum eodem, quo superiores capitis dolore, non tamen eo delirio, adeo enim sub ea febre insaniuit quarta die, vt mortuum penitus se existimaret, affirmaretque, & febrem cum maximo dorsi dolore cruciantem non sentiret, doloreque omni liberum se diceret, & qui, cum ad se rediret, fastidio cibi teneretur, sub insania libenter cibum, cupideque acciperet, vnde quamuis se mortuum putaret, tamen in ea facultate, cuius sunt imagines tantum, non etiam in ea cuius est cogitatio, læsio erat, imago enim sui in eius animo tanquam mortui erat, & doloris, ac fastidii cibi sensu vacuus fiebat.

In reliquis erat omnino mens integra, & in sese, nunc ergo non ira insanit, & si timor multus ipsum exagitet. Quæ vero febris ea accessionum longitudine alteri febri subnexa mihi durior, ac periculosior videtur. Curanda est. Causæ igitur sunt submouendæ, quæ certæ quidem subsunt, nam febris hæc accidens ita sine causa continenti esse aut cognosci non potest, minus alio curari, quam ea causa auferenda febris hæc exputrescentibus humoribus existit, sunt itaque putridi auferendi, sunt succi inutiles, sunt impeditæ viæ spirituum, ac perspirationum, ventilationumque, quæ sunt conspirantia ad huiusmodi putredinem efficiendam succedentesque sibi in putredinem, inutiles succi eius accessionem faciunt, propterea multi sunt succi in putredinem propensi.

Qui sunt hi? & quo loco? quæ sunt obstructiones, & vbi illæ? Ex his, quæ apparent in corpore conijciã, longa febris, nec admodum acris, sine frigore increscit, & longis continuatur accessionibus, & acriorem, breuioremque febrem sequuta est, quæ tenues humores absumpserit. Ergo & crassa materia est, & intra venas, non tamen ita magnas, neque ita prope cor sunt cum putredine obstructiones, quoniam febris valde remittitur, & si non omnino quiescat, quod eo remissionis tempore putridi anhelitus plurimi, propter distantiam inter cor & putredinem interstinguuntur dissoluunturque spatio ipso latiore difflati, fere tamen continuata non potest non habere putredinem perpetuam, quæ si in magnis venis, aut etiam prope cor locum haberet, continentem omnino febrem efficeret, sine frigore etiam fiunt accessiones, quoniam in vasis materia manet forsan ob lentorem ipsius tarditatemque motionis, quam nunquam in imbecillitatem referrem, in iuuene robusto, sed etiam quoniam putredinis locus ea nunquam vacuus, semper eodem modo affectus non percipit aliquid noui momenti, quo spiritus in ipsum, vna cum sanguine moueantur, vt frigus reliquo corpori pariant, quod fit ex confluentia spirituum, & sanguinis in locum a putredine intensa tentatum, vel ex motione materiæ e venis eiectæ, siue ante motionem incipiat putredo, vt videtur sentire Galenus de tertiana loquens, secundo de different. febr. capit. tertio, & quarto, & de quartana lib. de causis sympto. capit. quinto, qua putredine natura offendatur, siue etiam post eam quoniam natura ab alienæ materiæ nondum putrescentes offensione, sed grauitate insurgat ad eam excernendam, hic omnino sensus copiæ, aut putredinis in partibus expulsuris, aut putredinem continentibus incendij increscentis non est tantus, vt frigus efficiat, motus materia tam citatus non sequitur, quoniam materia crassa est, aut quoniam partes eodem affectu perpetuo teneantur, sensus enim necessarius frigori efficiendo per spirituum concursum non fit, nisi noua aliqua molestia, ingruente.

Cum vero tam increscat febris per accessiones, vt A vehentissima sit, hoc non nisi in materiæ copiam potest referri, quare de materia, & loco hæc colligimus, quid illa multa, & crassa est, non solum a præterita febre crassefacta, sed etiam sua origine cum in superiori etiam febre hal tum melancholicum ad delirium ederet, dum calore tenuioris humoris putrescentis ea incalesceret nondum putredini tamen ipsa idonea, ex quibus, etiam conficitur crasitiem hanc potius melancholici humoris, quam pituitæ esse, quamuis etiam multum bilis, & deinde etiam pituitæ subsit, vt vrinæ, vt accesiones ostendunt, omnibus tamen bilis motum putrescendi adijcit, quod circuitu, & supradictis etiam mixtis notis indicatur, loci obstructionũ, quibus putrescit, remotiores a corde, quibus vero illa congeritur, & ad locum putredinis emittitur, sunt B regiones conficiendi expurgandique sanguinis copiæ tantæ crasitiei, lentori obstructionique est occurrendũ. Poterit? posse credo quibus?

Ego iterum per venam ad carpum sanguinem mitterem, quod humoris cum sanguine mixti vim verear, ne maiorem morbum faciat, deinde imminuta sic copia maxime faciente ad obstructiones reliquis per extenuantia incidentia, extergentiaque subuenirem, vt syrupo cicoraceo, de lupulis, & oxymelle, & aperientibus tandem agerem, vt sunt calidiores radices, deinde leniter aluum purgarem, deinde vrinam mouentibus huius mali, atque sic parati succi reliquam aliquam partem educerem, deinde magis aperirem, frictionesque iniungerem, vt itinera perspirationis minuta laxarem, fomentaque non negligerem mollientia coctionẽ adC iuuantia atque extenuationem, de quibus rebus mihi sermo longior habendus non est, neque singulæ res notandæ, quoniam quotidiani vsus sunt, illud tãtum obseruarem, ne vehemẽtioribus vterer medicinis expurgantibus, vnaque vt rhabarbaro eas condirem visceribus euacuandis valde oportuno, vt matutinis potionibus ad succos mitigandos, concinnandosque semper cicoreum, & lupulos, ac buglossum adiungerem, itidẽ & fomentis calidioribus ex absinthio, chamomelique ad locum viscerum adhibendis non solum cicoreum, sed etiam rosas immiscerem.

Quibus agendis, malum hoc submoueri posse omnino censerem, nihilominus exspecto a te quæ cum his etiam facere ad huius salutem posint. Dixi.

D Exemplum siruporum ℞. fumiterræ, borraginis, melissæ an. m. 1. Cicoreæ m. 2. lupullorum m. 3. radicum liquiritiæ, borraginis an. ℥. s. fiat decoctio in aqua communi. s. a. quæ coletur cũ multa expresione. ℞. suprascriptæ colaturæ, ℥. 5. sir. bisanthini cum aceto ℥. 1. m. syrupo.

Exemplum medicamenti.

℞. foliorum senæ electæ ʒ. 2. s. epithymi ʒ. 1. s. polypodij ℥. s. passularum ʒ. 6. liquiritiæ rasæ ʒ. 2. s. Anisorum ʒ. 1. s. cinamomi ʒ. 1. florum violarum m. 1. prunorum nume. 5. fiat decoctio s. a. quæ coletur cum leui expressione. ℞. rhababari electi ʒ. 1. s. Aquæ cinamomi E stillatitiæ ʒ. 1. s. fiat infusio per 12. horas, quæ coletur cũ multa expresione. ℞. suprascriptã colaturã mannæ electæ mellis ros. sol. ℥.... confecto Hamech ʒ. s. m.

Cum Puteo habita, pro Antonia Rosetta, quæ ad Fanum D. Stephani decumbebat die 2. Iulij.

CONSVLTATIO CCCXCI.

Copore siccior, ac ætate fere anus mulier febre correpta non nisi aliquo capitis dolore, & auriũ mur-

murmure multo prius quatuor diebus crebri horroribus, tenebatur deinde solo calore, iam vero aliquo delirio, & corpore maculis multis eminentibus pleno, quæ progressio morbi ostendit nobis morbum hunc febrē esse cum exanthematibus, acutam, cum tamen vrinæ non sint admodum biliosæ, sed ciborum omnis generis mixtam copiam referant, acutiem hanc potius ex multitudine ichorosa, quam ex humoris biliosa natura, declarant, & mortiferam hanc esse febrim, a qua vires minus firmæ facile a tanta varietate, & copia superari possint, propterea ego continuo molliendam aluū curaui, vt expedita aluo deinde per cucurbitulas a vasis maioribus, visceribusque secundum naturæ motionē humoris mali copia ad ambitum extremorum possem retrahere, quod feci, atque ad emollitionem alui sequuta est mira humorum copia, solo electuario lenitiuo dato, quibus summotis postea reliquis cum in primis vasis, tum in maioribus hærentibus transmittendis succis & putredini eorum cohibendæ incumberem acetosis scilicet omnibus, vt quæ frigore, & siccitate, & incidēdi vi aduersus omnes putredinis causas pugnent.

Præterea his, quæ proprie venenosæ dictæ putredini resistunt, vt pentaphylo, scordio, bolo armieno, citro, limoni, cornu cerui, margaritis, & huiusmodi aliis, quæ exterius etiam ad locum cordis ad ipsum tuendum admouerem, potiones ex aqua cum aceto essent, aut cum exiguo vino granatorum cibi, cum vix quidquam accipiat, valenrioris materiæ essent, donec coctionis indicijs mordi summum incrementum denuncietur, tum enim nec vires multa egent sustentatione, & a morbi coctione datura cibis non est auertenda.

Frictiones leniores interea non vererer materia cutim petente, neque enim tantummodo, maculis inficitur, sed humore etiam sordescit, ex anthematibusque asperioribus, qua via non impedita solutum iri morbū sperari potest.

Præscriptum siruporum ℞. fol. Acetosi m. 2. s. succi limonum, citri an. ʒ. 3. ℞. Pentaphylli. Tormentillæ. f. citri an. ℥. s. fiat decoctio in aqua communi. f. a. quæ coletur cum multa expressione. ℞. supra scriptæ colaturæ, ℥. 5. Boli armeni, cornu cerui vsti an. ʒ. s. sir. acetosi. s. granatorum an. ℥. s. m. pro sirupo.

Præscriptio Epithematis cordialis. ℞. specierum cordialium temperatarum ʒ. 3. s. croci gr. 5. Aquæ acetosi, boraginis an. ℥. 8. vini maluatici ℥. 3. aceti rosacei ℥. 1. s. m. in quo etiam flor. calthi, & violarum immergantur. Ex quo imbuti sericei linteoli chermesi colorati cōtra cor tepidi applicentur, puluerésque in pilas collecti pulsibus brachiorum illigentur.

Pro Reuerendo viro Paulo, a libris Caurini Archipresbytero, cum Fumanello 1570.

CONSVLTATIO CCCXCII.

Ex laboribus corporis grauioribus, vita inrerim duriore, animique molestiis assiduis, neque ventriculus, neque ventriculi saltem causa, iecur succos bene concoxit, certe ventriculus crassiores exhibuit, & corruptos, cum post cibum labori se crederet, iecur vero eos potius exurendo, quam mitigando calidius ex laboribus conficiebat.

Vnde sic malis succis repleto venarum genere perflationis itinera angusta impedita sunt, calorq; in feruorē mutatus, acriter admodum munus suum obibat, ita vt magis adhuc exureret coquendo, citius vero attrahendo a ventre nondum paratos succos facile itinera excrementorum impediret, atque obstrueret, cutis etiam

A inuisibiles meatus per labores compleret. Inde simul & æstus febrilis factus est in corpore occlusis perflationis minutis vijs, succensaque putredine, & aurigo etiam apparuit, retenta bile diutius, ob impeditum, exitum ad intestina, attractaque ea simul cum sanguine in alimētum a carnibus, & rursus reiecta ad cutim exteriorem. Febrilis calor itaque, & auriginosus morbus consequebantur ad ventriculi munus impeditū, & iecoris morbū. Ad renes uero sic calefactos ob habita itinera maxima, & perturbationis plena corpore sic male affecto sequuta est tum illa vrinarum copia, cum qua multa retentorum excretio facta est vtiliter, tum inutilis vrinæ cunctatio multitudine, & crassitie humorum attractorum facta, quæ cunctatio æstum, inflationem, dolorem que efficit.

B Retulit doctissimus Physicus omnia iam dicta leuiora nunc multo, quam ante facta esse, ita, vt etiam asserat, febrem non esse, dolorem nobis certo omnino sublatum constat. Cernimus vero auriginem satis latetam totum corpus occupantem, vt vix pupillas sine acies oculorum non violarit. Cernimus vrinas atriores fuluo nimis colore, crasso admodum corpore, encoremate eiusdem generis scilicet, atque atro, linguam vidimus atram, licet mollem atque vdam, liuidam sine squalore pluties uidi, at atram sine eo non ita sæpe, cuius generis memini me uidisse etiam in quodam diabetico febre occulta laborante, referebatur illud a medicis alijs in vsum punicorum acidorum, qui iam octo diebus, fuerat intermissus vt refertur etiam in hoc Reuerendo homine.

C Calor cutis acrior est, pulsus frequentiores sunt, atque non lente sed acrius manus incutientes neque ęqualiter illud agentes. Somni perturbati, atque satis interpollati sunt, membra refrigerationem quæritantia, nam semper frigidiores lecti partes tentat, atque frigore delectatur. Hic ego colligo ex iam dictis affectibus, febrem non abesse, subesse vero illam, & quidem cōtinuatam cum præter ipsos febriles pulsus eriam uideam nigritiem in lingua, cupiditatem potionis, frigorisque item vigilias, atque insomnia turbulentiora. Quæ febris cum niratur aliis suppositis affectibusque, quod pertinet ad curationem quidem, illa non esset imprimis spectanda, tamen curationis modum, & spem salutis potest mutare, & cum non mutet curationis genus, est tamen aliquid, si salus magis in dubio ponatur, & attentius agendum sit, mitiusque corpus tractandum. illa uero imprimis sunt intuenda nobis curaturis, ex quibus

D necessario mala iam dicta excitantur, & constant, illa vero sunt obstructio, quæ indiciis non paucis depræhēsa est, intemperies calidior, ut ex vrinis intelligitur, quæ non nisi in aliquibus membris ponenda cum sit, in iecore, & renibus omnino esse fatendum est, quod cogunt indicia relata, intemperies fere ex materia simili exoritur per se, ex accidenti uero, & consequio quodā ex contrario, ut intemperies calidior ex obstructionibus humorum frigidorum, obstructio necessario, aut copiam nimiam, aut lentorem, crassitiemque succorū habet sui causam, atque vt de copia hic non est iudiciū corpore tot medicinis euacuato, sic lentorem crassitiēque subesse multam iudicandum est uentre id genus

E humorum iamdiu subministrante, in quo frigidiorem intemperiem necessarie ponimus, ob diuturnas cruditates ob eximium, si ita uobis uidetur iecoris calorem exugentem, atque robur uentriculi extenuantem.

His igitur incumbendum est curando, ut intemperiem tollamus, ut lentos, crassosque humores extrahamus, vt uires naturæ satis imbecillas sub curatione morbi retineamus, fugiendo certe ualentiora expurgātia medicamenta, & post curationem recreemus, ac quoniam etiam dolor renibus solet superuenire, ut ei præsenti est subueniendum, sic sub illius metu curandum, ne ipsius causa oriatur, hoc est ne multa succorū copia confertim minus adeo concurrat, quæ obseruatio

tio eadem erit cum ea, qua statuimus à valentioribus medicamentis esse abstinendum.

Prius verò se remouendam postular obstructio, quoniam hæc substante intemperatura auelli nō potest, quæ seipsa sui detractionem, ob suam materiam lentoris incisionem, & crassitudinis extenuationem petit. Intemperies verò refrigerationem indicat, atque hæc ex natura morbi habentur. Ex natura autem partium communi refrigerationem postulant, & iecur, & renes, propriè tamen iecur etiam expediendum est; & præterea ita tractandum aperientibus, & refrigerantibus, vt aliqua præterea constrictione firmetur, renes verò ita refrigerandi, ne omnino constringantur; Quibus præstari ea poterunt? Multa sunt. Nam meo quidem animo sanescet vir hic Reuerendus, ex quibus multis, quæ vobis nota esse certum est, mihi placet imprimis detersio, & incisio ex oxymelite, ex cicoreoque suo tempore facienda.

Deinde illa compositio Rhabarbari cum saccaro rosatum, aut floribus cicorei condito, a quibus viscetum vna detersio, apertio, refrigeratio, ac confirmatio habebitur, ante quorum vsum, vias leniren ex manna, & deinde in illis vtendis virium rationem summopere haberem. Ex internallo igitur eam compositionem darem, & viciſſim ius ex cicoreo, atque oxymelle in matutinam potionem, à quibus iam dicta sperarem omnia ob familiaritatem cicorei, & rhabarbari cum hepate. Cicoreum siquidem illi robur affert, & apertionem cum refrigeratione adiuuante apertionem ob incidendi aperiendique vim ipso oxymellite. Rhabarbarum verò obstruenres materias dimouet, & vna robur visceri infert, ex quibus viscerum malo, & omni humore vitioso sublato, nihil renibus metuendum existimarē. Pro rempore postea, multa alia interponere in eundem vsum licebit, nam longinquitas ægritudinis medicamētorum varietatem, multis de causis requirit. Sed nunc ex tempore consilium erit capiendum. De viuendi ratione, quod ad cibum pertinet, imprimis pullarum carnes, & iura mihi probantur.

Deinde hædorum pullorum columbaceorum, ac auium ferè omnium minorum, quibus hi montes abundant, sorbitiones ex hordeo, pane trito, & cocto, ouis in calido iure coctis non duratis, iusculis ex ouo, aceto, radicibusque, aliquando etiam panis ipso iure maceratus, acetaria ex cicoreo, endiuia, lactucę coctis, atque etiam quandoque petroselini radicibus.

In potionem albo vino illo imbecillis admodum generis, vterer, quod albamata his regionibus dicunt. De aere ipso est in optimo ac saluberrimo, non est mutandus. Animi verò perturbationes omnino fugiendæ. Aluus quotidie, vel alternis saltem diebus ducenda; molliendave, si vires fuerint, ante cibum ambulationibus, & illis quidem pro viribus vterer, vt etiam in colles hos vicinos leniter contenderet, nihil aliud præterea tentarem. Alter Medicus Fumanellus, scilicet proponebat etiam venæ sectionem, si posthæc non sanesceret. Iuribus verò cum oxymelle dandis addebat liquiritiam pro renibus hordeum radices, & post has potiones syrupum rosatum solutiuum cum rhabarbari maceratione præscribebat, sed data est manna in decoctione, & maceratione rhabarbari, & multū leuatus inde est.

Medicina fuit, ℞. passularum cum acinis, ℞. polypodij q. an. ℥. s. prunorum num. ʃ. liquiritiæ ʒ. 2. s. cinnamomi ʒ. 1. s. aniforum ʒ. 1. florum violarum, borraginis ana p. 1. zedoariæ ʒ. s. epithymi ʒ. 1. fiat decoctio in aqua communi s. a. quæ coletur cum multa expressione. ℞. præparatæ colaturæ quant. suff. rha-

A barb. electi ʒ. 1. s. aquæ cinnamomi stillatitiæ ʒ. 2. s. fiat infusio per 12. quæ coletur cum multa expressione. ℞. præparatam colaturam, mannæ electæ ℥. 3. m. & f. potio.

Post multos dies, quibus sine Medico vixit, recidit in febrem, quæ tandem in quartanam euasit ita post multos menses ipse interijt.

Pro Io. Dominico Bonomone, cum Lando.

CONSVLTATIO CCCXCIII.

B ÆTare iam 24. annorum, natura corporis non ita calida, humida potius, cū totus glaber sit, & carne refertus, neque tamen corde frigido, cum vehementioris iræ sit, viuendi verò consuetudine adeò mirabili, & inusitata, vt ferè potione sola, & illa quidem largiſſima, & meraci vini viuat, vix panem gustet, vix aliquid aliud, crebroque in die bibat, ac semper quamplurimum, vt sub his facilè a quacunque causa, & præcipuè obstruente illa frigoris accepti affectus & febre ea correptus sit, quam videmus, quæ continens est, vix internoscantur vllæ acceſſiones, quotidie tamen a meridie grauius habeat a febre, & capitis aliquo dolore, hæc sunt cum siti, & præcordiorum tensione præsertim partis si-

C nistræ. Genus febris meo quidem iudicio causon nothus est, biliosa omnia retinens bile quidem multa serosa substante cum mixtione praua crudorum humorum, crassa scilicet vrina, & colore valdè infecta, neque ardorem illum acerrimum retinente febre, quod materiæ genus ex humida corporis, & calida natura, ex nimijs potationibus, & ex obstructione effici, & colligi facilè potuit. Magnitudo morbi insignis est, quoniam calor insignis, & pulsus vehementer agitatus est, atque exagitatio corporis molesta. Mos morbi an malus sit. Certè non est omnino boni moris, nam facit deiectionem animi, viriumque omnis generis, quamquam non valdè torquere videtur, neque tamē omninò malignus est morbus,

D quoniam caloris vehementia aliquo modo ex pulsu, & vrina intelligi potest; quare ad genus illud mediū malignitatis est referendum, in quo malignitas quidem est, ac non ita summa, certè quidem euidentius ferè agnoscitur magnitudo febris, in febre pustulari, seu maculosa vt ita dicam, ex caloris vehementia, & alijs symptomatibus, quam agnoscatur in hoc homine, quare maioris timoris hæc fuerit, neque exspectanda exanthemata sunt, cum in illis sanguis potius feruere soleat, potius labores virium, ac facultatum omnium sunt metuendi.

De motu morbi, non erit ita celer, quin septem dierum spatium prætereat, quoniam crassis etiam succis nititur, quare, quod etiam ex vrina intelligitur iam quarta die initium morbi præterijsse iudica-

E rem, atque augmentum iam incepisse.

Quarta siquidē die vrina visa cum aliquo coctionis signo euidentiori quam in biliosis febribus sit necesse ad initium concludendum, vrina enim en eo remate suo albo id mihi significauit, quamuis ipsa colore admodum pleno esset, quod si ante quartum fuisset, non ita siderem, quoniam primo, aut etiam secundo die sæpe eneorema visitur bonum, in morbo etiam decimum quartum diem prætergressuro. Causæ huius morbi à nobis tractandæ in curatione sunt, maxima plenitudo malorum succorum, & præsertim bilis aquosæ, quæ sibi occlusa perspiratione à frigore accepto, & ob multitudinem, & aliquem

etiam pituitæ lentorem, ac crassitiem putrescit, atque hæc est summa vis huius morbi pariendi, cui quidem subueniendi gratia, illud à nobis est, primo considerandum quid plenitudo, crassities, lentorque indicent, quid putredo, febrisque quid virium languor, quas omninò tueri debemus, quibus singulis pro necessitate, &, vt quodque vrget, succurrendum est, & ita vni, nec ei, quod maioris momenti est, offendatur, ordine quantum fieri potest, seruato, qui in generatione horum reperitur. Plenitudo prima est, ea auferri tribus potest instrumentis, ac nullo citius quam venæ apertione. At ea in hoc morbi genere valdè timeri solet à medicis, ob virium periculum, quod maximè metuẽdum; quæ tantam sibi apud omnem multitudinem sub autoribus magni nominis medicis infamiam comparauit, vt mortis culpę semper sub his febribus in illam referatur, quare, ne cum amplificatione infamiæ illius, & medici repræhẽsione vita huius in maius periculum adduceretur, ipsam ego pręterij, & ita initio prioribus venis expeditis, per cassiæ florem, quo etiã multa mali succi copia est expurgata, atri quidem ex cassiæ colore cogniti, at per se lutei, primum quidem spumosi, deinde verò magis etiam corporati: subinde, quoniam cucurbitulæ incisa cute solent suffici loco aperiendæ venæ, ego non ausus sum illis vti, non quidem, quod quidam solent, metuens à tanta in corpore repletione, & humorum crassitie ne priusquam extenuati essent, & imminuti attraherentur ad ambitũ, vbi corporis opplendo magis tenuiores venas, ac perspirationem, ventilationemque impedientes, putredinem maiorem, efficerent, nam ad id periculi vitandum artubus debent cum Galeno & Oribasio affigi, sed quoniam aluus fluida post medicamẽtum semper fuit, viribus ipsis medicamentum iudicaui, imò repetendum potius aliquod postea leue pharmacum cogitabam, si opus fuisset, quod minimè futurum credo, cum quotidie plures humores efferantur. Copiæ igitur malæ ratio cessabat, propterea alijs rebus erat consulendum, lentori, crassitiei, obstructioni, putredini, atque virtuti, vt tandem morbũ ipsum possit superare. An verò pręstari id, & quibus, ac quo modo possit. Ita statuerem, difficile præstari ea posse, cum ante finitam quartam coctione perfecta non apparente natura alui excretiones aggressa sit, & subinde à quarta per nares etiã idem tentauit sanguinem emittens ad multam copiam, idem prius fecit per sudores secunda aut tertia die missos, qui quamuis in fine exacerbationum venientes minus à morbo fieri viderentur; cum tamen non amplius postea sint sequuti, neque eos naturam sequi, sed morbum cũ alijs excretionibus statuerem, quę cum tot partibus diuersis à natura tententur copiæ multæ sunt indices, quãuis possemus dicere hanc non esse crisim illam, quę ex toto morbum soluat, sed naturam sensim concoquere, & sensim euacuare, vnde excreto sanguine, crudior apparet vrina, quasi, quod quicquid cocti esset tunc excretum sit, & continenter nunc per aluum excernatur, vt sudores quoque denuò sperentur, tamen incerta hæc sunt, difficultatéque augẽt, & morbos producunt, quod sudores initio aduenientes faciunt, neque enim videtur vllus morbus solui, cuius initio sudores fuerint, etiam solutione alui consequuta, nisi sudores reuertantur. Difficultatem hanc morbi ætas potest superare, non enim in hac ita malæ sunt symptomaticæ excretiones. Putredini itaque & reliquo humorum apparatui vacandum.

Quæ quibus præstari possint, coctione apparente, vel leui, si sudorem natura tentauerit, ventrisque profluuium non fuerit, artubus affigendas cucurbitulas curarem humoribus ventriculo noxijs, & deliquium afferentibus auertendis, parandis verò humoribus & aperiẽdis obstructionibus interea incumberẽ, atque putredini coercendæ, febri sedandæ, viribusque sustinendis, quæ omnia ijsdem fieri possunt, tum cibis, tum medicinis, siccantibus enim atque refrigerantibus partium tenuium vterer, quibus vtraque putredinis causa tollitur (calor scilicet, & humidum superans tum venarum, tum humorum) tollitur etiã obstructio minutarum viarum, & lentor, & crassitudo, quoniam incidunt atque extenuant, firmatur facultas viscerum & recreatur; postea medicinam expurgantem daturus, nisi suis excretionibus natura satisfecerit apparenti concoctione. Exterius etiam cordi apponerem, quę cordis robur retinent, eiusmodi tamen, ne ipsis obstruentibus faligines in cor concluderentur, quod faciant etiam, si haberẽt vnguentum rosaceum, ob pinguem & adstringentem naturam, itaque potius aquis extenuantiam rerum, vt acetosæ, non rosarum, aceto pulueres citri, & cordiales dicti ingererem. Sua verò etiam ventriculo admouerem, ne in deliquium deducat.

Is nona die aluo fluida manente & repetentibus sudoribus crebris à morbo liberatus fuit, sub quibus animæ deliquio etiam tentabatur, à quo ferè biliosa eijciebat, quod ætati, & generi robusto corporis attribui debet.

Decoctiones præscriptæ sunt eiusmodi. ℞. trifolij acetosi, acetosæ, cicerbitæ, florum calthæ, rad. eptaphylli, pentaphylli, graminis ana m. 1. sem. citri ʒ. 3. zedoariæ ʒ. 1. s. cinnamomi ʒ. 2. s. florum violatum borraginis, buglossæ ana p. 1. fiat decoctio in aqua communi s. a. quæ coletur cum multa expressione.

℞. præparatæ colaturæ ℥. 5. syrupi acetosi. f. ℥. 1. m. pro syrupo, & sic pro alijs. Epithima cordiale. ℞. specierum cordialium temperatarum ʒ. 3. s. citri ʒ. s. croci gra. 5. aquarum acetosæ, melissæ an. ℥. 8. aceti ℥. 1. s. vini maluatici ℥. 3. m. pro cordiali adhibendo cordi ex linteis serici chermesi tinctis.

Pro Nobili Nouarina Sagramosia cum Fumanello.

CONSVLTATIO CCCXCIIII.

Tria sunt, quæ cernimus in hac iuuene, profusio sanguinis per tussim ex interuallis, tussis iã continuo infestans, febris cum extenuatione insigni ipsius corporis. Accersimur ad ipsam curandam. Expendamus malum, cui aduersandum est, atque eius partes, & causas definiamus, vt illis propositis habeamus vnde nostram operam moderemur. Solent ex præceptis Galeni, inuestigari morborum status, ex tribus rerum generibus; tum quæ morbum præcesserunt, tum quæ in ipsius natura inhærent, tum autem quæ ad ipsam consequuntur, sequamur, & nos hanc rationem.

Multò tempore antea, vt ab huic quadriennio ijsdem tribus malis affecta est, atque tum diu male habuit, vt nunc sint octo tantum menses, quibus vacauit ab eis, præter vnam tussim.

Quid dico vacauit? non percepit molestiam ab ipsis, nam neq; febriculam hanc intermisisse crediderim, quo etiam intermissionis tempore, quandoque sputa salita sentiebat, quandoque nimis dulcia. Spuit igitur alias sanguinem, vt nunc, dolore etiam capitis, tussi, ac febri insigni fuit infestata, intermiserunt hæc, præter tussim, atque dixi, febriculam, quod ex tenuitate corporis, à qua nunquam libera fuit, conijcere possumus, sanguinis sputum, & reliqua omnia inde fuisse omnino.

Vnde

Vnde nunc sunt censendum est. Itaque cum his, A quæ præcessere, multitudo sanguinis, habitus eius tum crassus, tum tenuis, & color pariter dissimilis, modus profusionis, quæ per se penitus quiescat, docet me non ruptam venam, non exesam, non rarefactam, non ore aliquo minimo, sed maiori aperto, hunc sanguinem effudisse. Ruptura motum aliquem, aut maiorem plenitudinem, aut calorem, aut frigus habuisset, repentè quidem copiam sanguini effundisset, non statim tamen destitisset profusio. Videmus verò per aliquot dies infecta sputa rubore excerni cum tussi, atque inde repente multi sanguinis copiam exire, partim corporati quidem admodum, & crassi, atriorisque, partim verò spumosi, ac tenuis, præsertim sub finem profusionis, & deinde per duos saltem dies sputa etiamnum rubea existere, postea prorsus alba euadere, B præterea illud adiunctum est, quod ante sanguinis profusionem in pectore sentit quemdam calorem ad latus sinistrum cum pondere, ac ferè motu quodam quæ leuantur quidem sanguinis profusione, & etiam sanguine per sectam venam misso, at calorem aliquandiu etiam post relinquunt.

Vnde calore affectam partem circum pulmones videmus, præter onus materiæ, quibus os maioris venę reseratur, deinde onere summoto concluditur, vt in naribus etiam videmus. Apertum igitur vasis os esse, omninò colligere videor ex ratione.

At locus? facit enim ad curationem maximè. Copia, & crassities sanguinis vas magnum hanc habere aperturam indicat, tum facilè esse eorum, quæ sunt in thorace, tamen spumosus sanguis postremo exiens atq; C rufus facta intra genus sanguinis cooperatione, quā in genere colorum pheniceum ego potius dicerem, ad pulmones necessario id pertinere ostendit, à thorace siquidem veniens longa itineris mora ingrescit, & crassescit.

A pulmonis vase, nō à corpore eius venire ostendit, non solum copia, sed pars sanguinis crassa, & minimè spumosa, è venis enim pulmonis cum multus sanguis exit, etiam crassus effluit, ex Galeno 3. aphorismorum 31.

In pulmone ergo est, præsertim cum non sit doloris sensus cum eo pondere, & calore ad latus percepto, vbi enim sunt membranæ per earum corpora humor commeare non potest in tanta copia, neque adeo venā distendere, & aperire sine insigni dolore, & acuto, ne- D que spiritus difficultas vlla adest propterea neque ad corpus pulmonum pertinet hoc malum, sed è vase proximè exilit ad latus sinistrum pertinente, in quo aut natura, aut affectu longo vas sit laxius, & maius factum.

Vnde etiam facilè repletur sanguine redundante in corpore, atque aperitur, & vna osculum arteriæ asperæ laxatum cum eo est, & sic sanguinem in asperam atteriam traijcit citius, quam, vt sanguis spiritum possit admittere aut concrescere, aut ater fieri, vt sæpè contingit, cum osculis asperæ arteriæ angustioribus retinetur, vnde vidi quandam serenissimam matronam interire. Apertionem eam adiuuat, mouetque acris humor seroso, ac salso genere abundans, E qui ob intemperiem calidam tum cordis, tum iecoris, tum etiam capitis fit, hæc enim viscera in hoc corpore eiusdem temperiei sunt, si mores, si ingenium, si colorem, & habitum corporis spectemus, viri enim, & actuosi, atque inimicitias persequentis, magis mores habet; quam fœminæ, in caput itaque delatus calidus inde salsus, & mordax, ex terrena parte calida facta aperiendi vim nactus humor demittitur, & cum eo etiam ille, qui à ventriculo imbecilliori generatus, & in caput elatus est, qui plurimus humor lentus deuoluitur per venas ad eadem pulmonis infirma vasa, factaque inde obstructione meatuum minutiorum fit putredo, à qua acrior humor fit, & sanguini viam faciliorem facit, at ex perpetua putredine perpetua etiam febris exoritur, cū ad loca pertineat cordi viciniora, vnde nōn prius dissolui fumi possunt, quam, ad cor ferantur.

De quibus rebus curandis, si aliquid capiendum consilij sit, ego illud sine spe sanitatis esse crediderim, propter confirmatam iam morbi naturam, tum laxatis vasis ad emittendum sanguinem, tum verò febris, quam iam inhærere in corpore cordis putarem.

Propterea non multa valētiora molirer, quibus hanc ægram cruciarem, nec ignem capiti adhiberem, nec quidquam aliud fortius sed supprimendo sanguini incumberem per sectam venam retracto ab eo cursu, serosoque humore, & salso purgato, qui ad aperiendam venam valentissimus est, vt in sanguine narium pueri experiuntur, præcedentem enim salsum serum sentiunt, postea adhibitis ad constringendam venam remedijs ex lapide hæmatite vsto cum amylo, sacharo rosaceo antiquo, diacacantho cum bolo, & syrup. myrtino condito saccharo ex plantagine, consolida, portulaca, & similibus, lenis autem purgatio humorum tenuiorum, & serosorum fieret me authore ex rhabarbari pulueri, & syrupo rosaceo solutiuo, cum quibus ratione pituitosorum etiam agaricum, præmissa aliqua præparatione coniungerem, & etiam lac asininum præberem, & capiti pulueres proprios darem in præcipuis ego haberem vsum chochlearum, præsertim si contabescerent in iure cum aliquo opportuno vt hyssopo. Cibis reficientibus, ac refrigerantibus admodum datis, præsertim ptisana, atque in his totus essem, vt humores leniores redderem, & frigidiora omnia pulueres capiti dati sunt ex iuniperi, rosis, saluia, cinere cotonis, amaraco, nuce cupresi nuce moschata, Aqua vitæ inspersi.

In meliorem statum ex his sese recepit, sed anno sequenti recidit, & sublata est.

Cum Lacisio pro Reuerendo Presbytero Societatis Iesu.

CONSVLTATIO CCCXCV.

VIr Doctissime, quo indicare melius posis, quod de hac re sentiendum sit, quidue consilij capiendum, tibi rationem omnem consilij mei, quam breuissime potero, explicabo, tū de his, quæ acta sunt, tum quæ agenda putem.

Sunt quinque dies, cum cæpit pater grauissimus à meridie malè habere, hoc est, toto corpore grauis esse, præcipuè verò capite, deinde exhorrescere adeò, vt decumbere coactus sit, sub vesperam post horrorem vehementer incaluit, eoque calore affectum ipsum accersitus inueni, qui calor tangentis sensum valdè acriter impelleret, & manui minimè cederet, aut manus calore digereretur, aut aliquo modo subiret, sed potius ipse durior manus calorem admodum vinceret; quæ diligenter ego obseruabam, & præterea crebrum pulsum, magisque in compressione intentum celeritate, & motus, longitudine, quam in dilatationem, contra quam natura esse consueuerit.

Ego enim obseruaui arterias in dilatatione vim maiorem adhibere cor verò contra in compressione.

Erat præterea sensibus valde hebes, vt somno tentari videretur, non tamen ita, vt omninò vinceretur, nisi cum solus esset.

Somnus uerò perturbabatur, & uisorum imaginibus, & capitis molestijs facies rubea erat, oculique, urina usque in tertiam diem tenuis, eneoremate crasso, quarta die crassior, & coloratior, eneoremate minus crasso, ac ferè bono,

Quinta die perturbatior sine eneoremate, febris verò modo calore eodem (nunquam tamen ęquè duro ad tactum, & firmo, vt initio fuerat, quamuis acri sæpe) modo etiam remisso valde. Somni ferè perturbati, & cibi fastidium maximum, & animi abiectio, cruda admodum, & fluida aluus, prima die, & plumbei coloris, sequentibus verò biliosa, nunquam lingua infecta, nisi à quarta die, & breui, febris acrior vesperi, quam mane semper fuit. Tertia die mane, quæ erat finis eius diei, sudauit, & benè habere visus est, postea tamen in idem omnia rediere.

Cum primum vidi, dubitaui ego ne hæc febris eius generis esset, quod nunc vagatur, quo tempore ferè homines, qui ægrotant febribus primum horrificis, deinde cum maculis exagitantur, à quibus aluus soluta liberare posse videatur.

De quo vero morbi genere sic soleo statuere, quemadmodum Aetius loquens de exanthematibus alterius generis subesse primum maximam plenitudinem corruptam & cacochymiam cum crassis humoribus sæpè, & semper cum obstructionibus, quæ videmus tum per vrinas, tum per inæqualitatem caloris, & incrementum febris varium, tum autem, quod alui profusiones, atque genera varia excretionum per sudores, per aluum, per vrinas, & profusionem sanguinis variam, quod varia etiam insaniæ genera confirmant valdè, & tandem pulsus varietas, præsertim verò, quod in ea nos sentiamus compressionem longè dilatatione intensiorem.

Hæc omnia inquam, tum plenitudinem significant malorum humorum, tum, quod subiungit Aetius, esse corruptam hanc plenitudinem. Ad quam corruptelam statim increscente febre, quarta, aut quinta, sexta, aut septima die exeunt maculæ ferè pulicum, id est, φύλλων morsibus similes, nō autem, quas Aetius dicit exanthemata ἐμφερεῖς κονώπων δήγμασι, similes culicū morsibus, non pulicum, id est ψύλλων, quas appellat μόλωπες, quoniam sunt, ac si cutis verberata esset ab vrticis.

Has nostras ab illis diuersas Actuarius melius describens pónit, tamen ab eadem causa prouenire, vnde consideranda sunt in his eadem quæ de suis dicit Aetius. Dicit verò eas in alijs quidem febribus prodire circa solutiones morbi, in alijs verò inter ipsa initia, & hic quæ plura, maiorave prodierint eò peiora esse, quod obseruamus nos. Brixiæque à viris magni ingenij, atque iudicij est animaduersum, perijsse plures ex his, quibus plura extiterunt ea exanthemata, nisi cum ijs statim solutus esset morbus.

De his autem, quæ post initium morbi, aut citius, aut tardius superueniunt, non est multa obseruatio; deberent quidem eo citius effundi, quò propius ipsi febri statui sequuntur. Vnde in multis partibus similem quoque esse hunc morbum illis, quos morbillos, & variolas appellamus, censerem, in quibus etiam hæ obseruationes veræ sunt, nempe, quibus pauciora exanthemata effloruerint, ij minori febri ægrotant, quibus etiam pauca, & citius, ij citius conualescunt, nempe, cum id morbi celeri motu, & coctione fiat, non acritudine, aut copia materiæ, tunc enim longius exeundi motionem producunt, & febrem, & copiosiora excrementa. Dissimile id habent quidem, quod in morbillis, quos ijs quæ ab Aetio proposita sunt magis cognatos constat, & in variolis excretio est à natura se se exonerante.

Vnde tument, & propter materiam eminent è cute, neque tantum modo, vt ferè hæc nostra exanthemata inficiunt vapore, atque colore.

Interdum quidem, & sed raro, nostra tument, vt A illa Aetij, turgentesque multas cutis particulas faciunt, & tunc in genus Aetij sunt referenda at ferè solum cutem inficiunt, imò cum eminent, tunc sunt minori cum metu ægrotantium, ferè tamen, vt dixi, solam inficiunt cutem, non vt κωνώπων id est, culicum, sed vt ψύλλων, id est pulicum morsus, ita Actuario describente.

Præterea differunt nostra hæc à variolis, & morbillis quod decedentibus his, perfractoque eorum rubore, aut remisso factaque in variolis maturatione febris etiam decedit, ipsis verò valdè feruentibus febris summam sui habet magnitudinem, vt febris necessariò aut humoris excretionem sequatur, & sæpè quasi ephemera solum spiritus sæpè incendens, aut eius putredinem, vnde soluatur eo humore extra corpus, & B extra cutem euanescente, aut sequatur materiæ excretæ in pustulas maturationem, vel malam putredinem, sub qua ægri etiam moriuntur.

At in his nostris exanthematibus neque ipsa simplex coloratio tantam habet materiam, vt vel naturam leuare exiens, vel grauare detenta possit, Si quis huius differentiæ causam, & naturam medullitus requirat ex me dicam ferè esse ipsam humorum naturam, multitudinemque huius varietatis causam in illis cutem exasperantibus, cum non ita multa quidem materia sit, pro naturæ viribus, sed ob bilis admixtionem in sanguine acrior, quam a natura pati possit, hæc cum putrescere cæpit, excernitur, corpusque subleuatur, in his vero nostris potius est grauis, & multa copia viribus quidem collata, potiusque sanguinis cruditas, C qua multa natura subleuare se nequit ad cutem excernendo, à qua totis venis vsque propè cor opprimatur, ita non a natura, sed a morbo per putredinem materiæ æstu concepto sanguinis vapores in cutem per oscula venarum & arteriarum ex maxima sanguinis feruentis, & tosti effumatione, & colliquatione expelluntur, & eas maculas, vt ex osculis exciderunt, efficiunt, non tamen per ipsas naturam subleuari est verisimile, cum onus naturæ non educant, nullumque humorem.

Vnde, si qui per maculas subleuati sunt, dicas tamen sæpè contra euenire, vt pauca etiam tunc materia subsit, & in illis malum minima materiæ copia constitisse, & coctionem sanguinis ex feruore accidisse. In quibus vero etiam uariolis, & morbillis post excre- D tionem subitò soluta non est febris excretione illa copiosissima facta, id propter nimiam copiam accidisse, & propter copiam materiæ, & non propter materiæ, ita multum diuersam naturam ad alteram hanc differentiam priorem malum esse referendum, vnde etiam maximè periclitantur, si febris eadem postea longius trahat, dico eadem, quoniam in uariolis altera febris, sequitur ex earum putredine, quòd si illæ nimis multæ sunt, ægrotos potest interimere cognationis autem horum morborum nota est, quod ijsdem tempestatibus vtrumque genus grassatur, altera alterius est iudicium.

Copiæ tamen ratio diuersa crudi sanguinis, ut etiam uarijs humoribus coniuncta est diuersos efficit febris mores, & diuersas actiones maturæ, & diuersa sym- E ptomata. Varia propterea etiam curandi ratio esse potest.

Ita aliqui uenæ sectione leuantur, at multi contra ualde fiunt infirmiores, ut cruditas sanguinis magna uel pauca est. Cùm igitur æstimarem hunc morbum tanquam generis iam lecti, in quo uiribus admodum solemus metuere, in corpore hoc tenui non ita sanguine referto, & eo crudiori, quod excrementa ostendebant, & venis angustis, ipso gracili, atque tenui, & aspero prætermittendam esse uenæ sectionem iudicaui. præsertim cum præcesserit mala victus ratio qui. n. abstinentiæ consueuerat, repente ad copiam, & uarietatem traductus est, cum etiam ineunte

æstate

æstate illi fuerit detractus sanguis per uenæ sectionem, A etenim, si solemus uitare mala a sanguine per spatium semestre vna sanguinis detractione, non crediderim vnquā in hoc corpore minime sanguineo, ex sanguinis probi copia hoc malum existere, aut; ab ea magnitudinem morbi metuendam, propterea venæ sectionem omnino dimittendam iudicaui, potius vero malos succos, & crudum sanguinem, & putredinem spectandem existimaui, statimque apparatū humoris ad maturationem, & euacuationem aggressus sum. At cæpta occasio alui soluendæ, & a cruditatibus liberandæ male cessit, nam reddidit vomitu medicinam, propterea, ne spatium afferret incommodum ex copia corruptionis circum cor, de ea retrahenda, & ex parte minuenda cucurbitulis cogitaui, ac feci, a quibus visus est vehementius incalescere, aluus etiam liquida, solutaq; B postea fuit, vt sperarem leuamenti multum ex tot auxilijs futurum.

In paruis rebus igitur reliquis consilium hoc fuit, vt exsiccantibus putredinem adhuc, aperientibusque obstructiones vtamur, malitiæ, corruptelæque oppositis, vt syrupo ex succo citri, & acetosæ, conseruantibusque aluum saluam, vt clysteribus. Virtutem cordis fouentibus, vt epithematibus dictis. Cibis vero ex ptisana, per tenue cribrum ducta, nam mandenda ipse non fert, nec illa febri conueniunt, vt etiam siccantibus tot medicinis cibum recte opponamus, & cum denique malitia fuerit emendatior, & timenda non fuerit, tunc febri soluendæ humidioribus vtar, causis vero submouendis per aperientia, & vrinam cientia incumberem, vt radices petroselini, oxymel, at- C que coctio morbi prospecta, si etiam febris sine aliqua insigni euacuatione remittatur, purgante aliqua, sed leni medicina vterer, vt syrup. rosat. solutiuo. ex aqua in qua decocta essent, illa communia, & præterea maceratum esset rhabarbarum.

Vinum darem statim, cum febris non ita æstuarit, eaque ipse non ita conflictaretur, inspecto certo coctionis indice, primum tamen aqua plurima diluerem, imbecillumque darem. Interea, dum illa exspectantur, aqua ex hordeo bene loto, beneque cocto mihi probanda videretur incocta tormentilla.

At poteruntne hæc ægrum restituere. Credo quidem, sed sudor, qui in tertia die fuit, quamuis leuiorem febrem reliquerit, nimis tamen cito est factus, quare potius serum crudi sanguinis, & morbum, quam D coctionem, & excretionem naturæ sequutus est, propterea non ita citum, aut certum exitum mali indicatur.

Is æger octaua die iterum sudauit, & multum vrinarum emisit. 50. libera a febre fuit vrinis & septimo, & decimo coctionem præse ferentibus. At decimoseptimo rigor iterum apprehendit, & febris, quam sudor, alui solutio discussere, neque amplius reuersa est.

Pro Matrona Asulana cum Lando.

CONSVLTATIO CCCXCVI.

CVraui doctissime vir, vt mihi adesses in consilio hoc, in quo deliberatio habenda est de curatione huius matronæ, an venæ sectio, an vero cucurbitulæ sint adhibendæ, hoc ex te hodie requiro vir peritissime.

Dubium enim me faciunt multa de hac re, quia laborat febre, quæ certe cum continua sit, & ideo magnum malum, magna etiam remedia postulat, præsertim his anni tempestatibus, quibus illatæ sunt febres fere malignæ omnes, & hoc anni tempore autumnali, quod nullum magnum remedium videtur recusare. Tamen cum considero ex vna parte magna remedia nō omnia in omni magno morbo acuto adhibenda, in multitudine enim sanguinis missio, in cacochymia vero purgatio idonea est, vt multis locis Galenus habet.

Ex altera parte Galenus, in omni magno morbo imo in omni febre putrida, vbi satis virium sit, statuit, (vt capitulo. 17. & 15. libri 11. Methodi) secandam esse venam. Atque magnum morbum per se viribus non recusantibus sectionem venæ aut sanguinis missionem quocunque modo factam Galenus statuit postulare libro de curandi ratione per sanguinis missionem, neque humoris genus attendendum, cum magnus est morbus, sed tantum in sano homine id dari facultatis, vt cacochymia purgationem, sanguinis autem copia missionem eius dicatur requirere.

Res est apud omnes difficilis iudicatu, in qua dicerem ego, magnitudinem morbi cum ijs viribus, quæ sanguinis missionem laturæ sint, necessario tantū sanguinis habere, quod oneri naturæ, & nutrimento morbi sit, & si oneri in sano non esset, sic magnitudinem morbi cum viribus valentibus non solum magni remedij, sed missionis sanguinis indicationem compræhendere; etsi non primo per se, saltem consequutionem intelligo.

Sic Galenum ego interpretor omnibus in locis, vbi hoc profert, quod non id statuat, nisi cum metus est eiusdem morbi magitudinis a sanguine vt fit de cibo etiā in febribus. In quā ijs maxime fieri potest viribus æstimatis, cibus detrahitur, qui futurū alimentum est, vt sanguis quasi est, aut vltimum, vt dicit Aristoteles;

Quare de sanguine minuendo hic dubia res esse mihi videtur, potius tamen missionem vererer, ne uiribus officeret, nam etsi rubeum corpus hoc totum sit, ac plenum, carneque refertum, & ideo sanguis significetur, anni vero temporum omnium tempestates etiam humidiores visæ sint, & accommodatæ ad sanguinis generationem, tamen ætas matronæ antea calidæ, atque humidæ nostræ, idest, sanguineæ, nam inclinata ætate euacuationibus, sanguinis suppressis potius melancholici succi, quam sanguinis mihi multū habere sic docente Hippocrate uisa est, ad cuius humoris copiam solet uentriculus refrigerari, & multum cruditatum fieri.

Præterea uero uictus ratio, & ventriculi magna infirmitas, eiusque frigidior, humidiorque natura indicat multam suggestam esse in venas pituitæ copiam, vix enim sitire iam consueuit, præsertim vero hyeme vix potionibus vtitur, quod tandem confirmant etiam, per quæ uomitiones reiectæ sunt nimis multæ res pituitosæ aquei humoris plenæ, vix bilis aliquo colore infectæ, quæ tam redundat, ut uix sit credibile, cuius generis humorum nota certissima est ea in pulsu raritas, & crebra intermissio febre vexante, neque enim aliter fieri potest, quin cruda illa materia, & frigida ad sinus etiam cordis pertineat. Deinde onus toto corpore maximum noctu grauescens, & spiritus ma- E gna angustia proloqui fere impediens.

Vrinæ præterea crassæ atque atriores atrum humorem subesse denotant, quare de mittendo sanguine, vel omnino imminuendo ob uirium metum dubitarem, nam, si uis naturam humoris ad mittendum sanguinem, nullam vim haberes, vires certæ sunt necessariæ quæ hic ex mittendo sanguine certe languescent, nam per apertam uenam nimium spirituum detrahitur, per cucurbitulas sanguis tenuior, certe melior euocatur, dicitque Montanus, inde refrigerare nimis uiscera, atque corporis ambitū, propterea dimittendam hanc esse fere censerem, nisi solerem ea sæpe cogitatione ad imminuendum sanguinem adduci,

duci,

duci, quod cum sanitas sublata est, infirmumque ægritudine factum est corpus, sanguis ille, qui naturæ forti beneque valenti nimius non erat, ei infirmæ factæ est nimius omnino, atque etsi coniungatur ei humorum aliorum societas, tamen tantisper, donec illi parantur ad purgationem, ea onerosa facta sanguinis copia est imminuenda, sanguinis inquam, id est, massæ sanguinis cum alijs humoribus iunctæ, neque differendum, donec ex morbo in naturam aliorum humorum, & morbi incrementum perducatur, quæ ratio hoc casu magis me mouet, quoniam sanguis etiam melancholicus toto corpore abundans, eam postulare inanitionem videatur. An vero sectione venæ, an cucurbitulis est difficultas. Dicebat Galenus libro de cucurbitulis ipsas esse idoneas ad copiam minuendam. A

B Montanus ait, illas refrigerium afferre visceribus, a quibus trahunt sanguinem, atque etiam post cutem incisam, extimas partes sub cute. Itaque ex hoc earum affectu longe nocentiores esse in malignis febribus, in quibus copia caloris desiderari solet.

Ego tamen cum sciam plus spirituum detrahi per sectam venam, si malignitatem verear, & virium languorem, cucurbitulis potius vtar, neque credo illas artubus affixas, vt Galenus facit in sanguine imminuendo vsque ad viscera posse refrigeranda, vt hic contra crassus, & melancholicus sanguis me cogit uenam potius aperire, imo vulnus latum infligere.

Medici multi ijs angustiis detenti, venam in metacarpio inciderent, quoniam inde minus spirituum exhauriri existimant, ego cum multis certe mallem esse, quam solus periclitari, & libentius quoque id faciam, si tuæ excellentiæ quoque id probabitur; Si mẽstrua non ex natura, sed præter naturam essent suppressa, venam in talo deligerem, sed quoniam creditur tempus suum illa iam peregisse, metacarpi potius venam aperirem, & manus quidem dextræ, quamuis sciam per eam extremorum venæ sectionem non admodum atrum sanguinem educi. C

Nec multum sanguinis emitterem, quoniam corpus potius carnosum, & pingue si amplum ventrem spectemus, quam venosum est, neque suspicio malignitatis me prohiberet, quoniam nondum malignitatis indicia sunt expressa, cuius vt præsentis ratio missionem sanguinis timendam, sic præcauendæ adhibendam esse persuadet.

Quare, si hæc missio sanguinis non satis fuerit malignitati euitandæ, quam credimus sequi malum putredinis genus, & occupationem principum locorum, tunc ad retrahendum humorem, a mediis, & principibus locis ad eminentes partes, cucurbitulæ poterunt artubus affigi leniter inciso cute, ne aut humor non iexeat attractus, aut nimuis extrahatur. D

Vena incisa non est, cucurbitulæ vero affixæ cute incisa, a quibus eadem die, quæ fuit quinta, onus corporis leuius factum est, Spiritus angustia sublata, pulsus non adeo rursus, & omnino sine intermissione constantior, altera quoque nocte melius habere perexit, die autem 15. liberata est sudoribus exiguis, qui quarta primum die cæperant, & septima sequuti sunt. His temporibus Veronæ venæ sectio suspecta vulgo penitus, & Medicis gratiosis erat cucurbitulæque tutissimæ existimabantur. E

Pro laborante febri perniciosa Alphonso Vrbinati habita cum Theophilo Becculeo, ac Iunco.

CONSVLTATIO CCCXCV.

Viri præclari, quæ vestra est doctrina, semper ego libenter audiui vos differentes, propterea modo rogaui, vt de hoc ægroto sententias vestras more disputationis exponeretis, quod quidem & fecistis, & præclare certe satis fecistis, ex quorum vero sermonibus ego collegi facile omnes huius mali partes, quas multas mihi visus sum perspexisse.

Primo squalidum iam factum esse cor huius iuuenis calore corpus ipsius cordis tenente, quod durities, crebritasque & exiguitas pulsus maxime confirmant, deinde putredinẽ hanc non esse eius generis, quas quotidie uidemus, neque vulgarem, sed singulari quidam malignitate noxiam, humores præterea putrescentes omnis generis esse, & omnem demum sanguinem, locũ putredinis, maiores esse venarum capacitates, potissimum uero eas, quæ ad cor sitæ sunt, vires tandem omnes corporis esse valde infirmatas. Vbi cor squallidum durities pulsuum demonstrat, concepisse vero calorem in habitu corporis, eo qui non sentit se febrire, quod quãuis insaniæ potius forte fuerit, tamen non tanta illa est, quin sentiat linguæ ariditatem, & alia multa, cum quibus neque calor tantus eum præteriret.

At quomodo squalidum facis cor ipsum, cum pro sano homine dormiat, cum non sitiat? certe cũ eo quod exiguitas spirituum somni sæpe causa est, etiam hoc caput potuit tantum humoris ad se trahere ob uiolentiora exercitia, quibus proximo tempore in sole meridianis temporibus folle ludendo, & venatum eundo, vsus est, quanto humore natura utatur suis horis ad somnũ, cum hora ipsa somnum ob periodos naturales inuitet, ac cum ore sicco sit, tamen non sitiat, id eueniat potius extincta tum uentriculi ui sentiẽte, tum spiritibus cerebro deficientibus, quoniam vigiliæ diuturnæ sustentãdæ uix facientes sub noctem desint, & ea quiete aliquã tum recuperati, aliquas dici uigilias possint molliri, cuius rei simile vide apud Hippocratem lib. Epidemiorum. Signum vero maxime potest facere insaniei genus, quæ torpida, non perturbata est, ac, cum a frigore fieri non possit, sub morbo tam calido necesse est a defectu spirituum, vt somnus est referenda, unde sequatur vt dixi, qui neque sæpe uigilia uti potest, insania a calore effecta in perturbatione sensuum consistit, torpida vero vel a frigore, uel ab animi a spiritibus defecti infirmitate. Age vero sit a febre hac ut dixi calefactũ cor, & exsiccatum, Dicamus quomodo putredo est malæ naturæ, si nullum aliud esse indicium id mihi sat esset, quod contagio ipsa serpit, nullum siquidem malum contagio concipitur, quod maligna putredine nõ nitatur, serpit uero hoc, nã inter initia fuit putredo ĩ bile tãtum, ut manifesta signa a vobis allata ostendebant, vrinarum, & omnium excrementorum, deinde, ad cæteras sanguinis partes progressa est, ad iehores primum, vt vrinarum copia denotauit, deinde ad partes crassiores, vt nunc passeæ urinæ demonstrant, certe, si mala putredinis vis non fuisset, solum illum humorem, quẽ primum corripuit, consumpsisset, & sic morbus finitus fuisset, ac contagio tantum potuit sua malitia, vt omnem sanguinem sensim, particulatim ve absumat, serpit etiam vlterius ui sui contagii, nam, ut maxime in malignis febribus sæpe ego obseruaui, post humorum exustionem, & exsiccationem corpus quoque cordis corripuit squalidumque reddidit, neque enim hoc fieri solet, nisi maligna putredo sit, & ipsum cordis corpus contaminet, si quidem habemus a Galeno & a ratione

tione naturæ tantam vim esse attractricem, & concoctricem principum membrorum, vt postremo sentiat ipsa squallorem, in quibus cor vt valentissimum, ita omnium postremum exhauritur, nunc vero, quoniam malitia putredinis vicinas prius, & magis calidas partes inficit, non est mirum, si cor putredine quadam cōpræhensa squallidum in sui corpore factum sit, antequam reliquæ corporis partes nulli putredini obiectæ potuerint exsiccari.

Si quis dicat, putredinem non ob malignitatem sic repere potuisse, sed obstructiones validas fuisse, putredinemque humoribus omnibus paulatim ingenitam. Dicam ego, quod tanta obstructionum uis necessario etiā malignam putredinem affert. Putredinem vero hanc humores omnes æque tenere ex æquabili ipsius febris modo, illos verò varios & malos esse, ex varijs, & fœdis excrementis videmus, quod etiam ex ratione victus, & anni tempestatibus intelligere possumus. Varia siquidem, & inconstans cœli tempestas, varios humores, & morbos inconstantes facit vnde iudicia, & prædictiones incertæ, dicebat Hippocrates, crassioris generis succi ex humida constitutione, & ob nimium humidum faciles ad putrescendum fieri potuerunt, qui subitis caloribus partim in bilem aquosam, partim in bilem flauam, & atram conuertuntur.

Certe vero in bilem aquosam, & mala pituita conuertitur, nam est quoddam genus bilis aquosæ apud Galenum quoque, quibus causis si adijcias malos cibos, & veneris vsum immoderatum, vnde cruditates & mali succi, tunc videbis sanguinem ex malis, & infirmis succis factum facilem esse ad corrumpendum, vt succi, qui ex fructibus sunt, semper afluant, corrumpuntur vero facilime, cum ex corruptis fructibus expressi sūt, quare mirum non est, si infirma humorum natura malam putredinem conceperit, vt vel statim inter initia aut sanguis putrefactus bilis putrescentis signa attulerit, cum initio putrescendo bilescat, aut bilis ipsa conceperit primum putredinem, deinde illam cum cæteris humoribus communicarit, propter eius malam contagij vim, vnde signa primum bilis, atque ichorum liquescentium copia multa vrinarum attulit, nunc crassioris sanguinis exusti iam signa dat. Loci verò in quo putredo consistit notæ sunt, tum, vt dixi, continuatio febris, quæ denotat in maioribus venis malum inesse, tū difficultas respirationis, quæ cum non sit ab hypochōdrijs, vt vidimus ostendit loca potissimum circum cor putredine oppleta esse, cui adijcias, quod, vt, ex narratis notis intelligo, vires primum cordis infirmari cæpere, tanquam malo propiores, postea iecoris, demum ipsius cetebri, at si initium ipsius mali fuisset in iecore, sequutatandem esset, vt fere videmus, aluus liquida, ae liquescentis mali humoris signū, vel vomitus, vel vrinarū copia, quæ sunt signa labefactatę facultatis ipsius iecoris, & in illo potissimum esse mali caput. Neque vero vidissemus hominem ipsum non sentire malum, nam ab hepate malum ad alias partes veniens inæquabili intemperie dolorem affert.

Nunc vero, cum cor sit potissimum affectum, & nō solum, vt communiter fit in febribus, calore febrili, sed ipsa caloris causa, scilicet putredine delibutū, ideo neque aliorum viscerum affectorum signa visuntur, & statim cor ipsum caloris in suo corpore concepti è vicino foco notas habuit, quod febris sui sensum ægroto non mouebat, siquidem cor altius infectum statim cæteris partibus distribuit, a corde siquidem venit caloris energia, a qua omnes partes calore imbuuntur, qui fit partibus singulis suus, familiarisque, quare statim in omnibus partibus talis febrilis calor insitus est, vt a corde veniebat, in alijs febribus inæquabilis ille proficiscitur, & a corde communicatur, vt in corde est, parte quidē eius quadam integra, & incorrupta, cum inæquabilis ille calor sit, partes energiam sui caloris naturalis accipiunt, quadam vero parte ignea affliguntur, quæ fumosa non ita facile inseri potest in earum habitum, vti, cū

A ipsummet cordis corpus affectum est, quare potuit corpus vniuersum ęquabiliter totum mutari mutato eo calore, a quo suæ naturæ vim obtinet, potuit vero calor ille distribuendus corpori, penitus igneam vim nancisci, igneo facto cordis corpore, a quo generatur, cordis vero corpus ignem compræhendere compulsum est, & ob vicinitatem putrilaginis, & eiusdem malitiam, angustia spiritus vicinitatem denotat materiæ cum corde, nam tam exigui caloris febris certę huic amplo pectori non tam crebram, & angustam respirationem afficeret, nisi plenę essent partes spiritus ipsius vijs annexæ, vt vasa cor amplectentia Creberrimi etiam sunt pulsus vnde esse repletionem illorum locorum perspici potest. Virium autem subita infirmitas a putredinosa febre non valde vehementi, non potest non malam putredinem denotare.

B At fuit ne in ipso initio putredo in venis magnis, ac prope cor? Credo certe fuisse quamuis initio horrifica febris fuerit, nam, vt fuerit etiam certis periodis, circuitibusque horror ille non incertis, quemadmodū in malignis febribus fere fit, tamen intra venas etiam tūc potuit esse putredo, quoniam pars aliqua tenuior humorum putrescentium initio prior suam putredinem detegens excernitur extra venas, reliquis intra manētibus, continenterque febrem fouentibus, quæ cum leniter adhuc incaluerint, occultæ fere sunt, aut etiam quoniā illa quæ excernitur cum horrore, & auget febrem, sui putredine ab aliqua propria parte certis horis demittitur ad partes carnium sensitiuas, vel, quod sæpe etiam fit, in ventriculum superiorem.

C Si enim recte memoriæ teneo, quod legi apud Galenum libro Epidemiorum, humores si superiorem ventriculi partem petant, febrem faciunt cum horrore, si inferiores sine eo, superior .n. vētriculi pars acri sēsu p̄dita est, & suo sensu horrores mouet Ad æque correptis tandem omnibus humoribus, & in omnibus potioribus corporis partibus ea putredine non potest fieri alicuius repentini incendij sensus, & si aliquid materiei moueretur, illa ob calorem compræhensum, & æquabiliter occupantem omnia, minus sensum moueret, ac fere difficile a parte in partem moueretur, quoniam non amplius ab aliqua parte possunt extrudi humores omnibus iam æque internis imbecillibus factis illo calore minime naturali, qui in illis insertus destruit demoliturque eorum naturam, vt non possint se se amplius vel alere vel tueri, sicque sit continens prorsus febris ex putredinis contagine. Itaque iam patent omnes
D morbi propositi partes.

Virium veto infirmitas sequitur, quæ cordis quidē primum fuit ob vicinam potissimum cordi putredinē, vt ex pulsu notum fuit, deinde vt ex vrinis cognoscitur, etiam iecoris, postremo, vt ex infirmitate mentis, & motionum corporis ad cerebrum peruenit, Quibus sic cognitis, in febris natura, & magnitudine, in more, & celeritate uidendum est, an subueniri possint, & quomodo id esset agendum. Vires imbecilles sunt, cor cale factum siccitatumque penitus, humores corrupti, obstructiones putredinem fouent, a qua omne malū existit, & accrescit, quibus quidem occurri non posse existimo, minusque viribus subueniri, quæ, si constare e-
E tiam possent tanta cum putredine, Putredinem tamen mihi non sufficeret animus discutere. Vbi certe vires potissimum habent pondus huius solicitudinis, deinde putredo, & siccitas, & nescio, an magis premat siccitas quam putredo illius causa, obstructio tamen non est illo modo hic post habenda, quæ vt princeps causa omnino est tollenda.

Vbi maxime pugnant inter se putredo, & siccitas, nam putredo, humore nimio viget, & si affert interitū tantummodo ob eam, quam inducit siccitatem, quare sæpe euenit, ut dum putredini occurrere studemus, siccando, mortem acceleremus. Quomodo igitur nobis moderabimur? Possumus certe sic nos gerere, vt, quoniam siccitas non nisi vsu longiori exsiccantium inducitur,

ducitur, putredinis autem vis breui, & cum eo alimentis siccitati occuritur, putredini autem medicamentis, propterea possumus rationem putredinis habere, nec tantum tamen nimis exsiccare.

Cum igitur vna simul & viribus morbo sit prouidẽdum ego vno, remedio eo vterer, quod & vires, & putredinem & obstructiones spectaret, scilicet antidoto theriacæ exiguo modo in medicatis potionibus datæ quæ vires mirum in modum cnfirmat, putredinem exsiccat, obstructiones aperit, & expurgat venas, vnde Galenus in quartana febre eam dabat, in qua non solum à febre, & à putredine, sed à causa febris siccitas est metuenda; dabat verò ad obstructiones auferendas, & humorem absumendum, & discutiendum, nocumentum siquidem à siecitate non est tantum, quantum præsidij à reliquis illius vtilitatibus, quare ad cætera remedia à vobis proposita hoc adijcerem, cum requisitum à vobis sit, vt aliquid remedium ego quoque commemorarem, siccitas namque ea vitanda, verendaque est, quæ alimento consumendo fit, nec remoueri, nisi alimento potest.

Hæc vero quæ ab antidoto proposita venire potest, non alimenti, sed recrementorum tantum est. Alterum etiam adiungerem, quo malum à corde, vt maximè potest, auertamus, cucurbitulis sine ferro, tamen toto dorso & artubus etiam adhibendis, ne, si contra cor tãtum opponamus, ad ipsum humorum vim magis trahamus, citò verò hæc perficerem, quoniam mors certè properat, reliqua à vobis proposita sunt oportuna, & à me prorsus approbantur. Dixi.

Non multo post interijsse audiebam.

Pro Excellentissima Bisiniani Principe D. Issabella Feltria de Ruere.

CONSVLTATIO CCCXCVII.

QVod visus sum, tam est difficile præstare, vt dubitem me nulla diligentia iuuari posse, etsi omni studio contendo, vt ne desit opera mea hoc tempore ei, cui in perpetuum rebus omnibus deuinctus sim: difficile est enim iudicare de eius corporis valetudine, quoad nunquam videris, longè difficilius eius valetudini remedia deligere, cuius notas per literas tãtum acceperis, cuius natura corporis, eiusque naturæ noiæ à Viris doctissimis, qui coram inspiciendo, & percunctando ex ea cognoscete potuerunt, dissimiliter exponuntur, multò verò difficilimum, imò quod nulla ratione fieri potest, per literas absente homine modos, & tempora remediorum definire, quæ tantopere expetuntur, propterea in hac re ita mihi demum statuendum est me studium, non opus ipsum esse præstaturum.

Huius infirmæ valetudinis, vt per ea, quæ literis accepi, videor intellexisse, ex verbisque viri nobilis cognoui, quatuor sunt partes. Capitis dolor cum destillatione, cordis nescio quis affectus à Medicis ipsius modo titillationis, modo angustiæ nomine expressus. Ventriculi tum dolor assiduus, tum cibi nulla cupiditas. Vteri demum is affectus, vt careat conuenientibus mensibus ratione cum generis, tum copiæ, ac etiam modi procedendi, ad quæ consequitur sterilitas magno cum suorum dolore.

Hæc mala sic ego mihi explicabo, vt initio accepto ab eo fonte, vnde illa omnia nasci videntur, inde eorum origine percepta, omnium recognoscam. In corpore huius naturæ ratione adolescentiæ, & calidi generis, sanguis potius nimium tenuius, quam nimis crassus generari deberet, calore nondum eo per ætatem in muliebri, & humido corpore perducto, vt possit exsiccare, aut exsiccando sanguinem incrassare.

Itaque cum cõtra hæc mala non possint referri, nisi in sanguinis lentorem, atque crassitiem, alia certe causa erit horum malorum a naturali facultate, quæ sponte, ac suapte vt sanguinem generat, in visceribus sanguini, ac spiritui destinatis, posita, vt cum ratione ætatis, & corporis hæc mala facta non sunt, ea tum materiæ alimentorum, tum rebus exterius accidentibus, tum verò ventriculo materiam sanguinis paranti, rebus externis magis quam cæteræ partes exposito erant attribuenda; potuit facilè ventriculus ab illis rebus, quas narrant Excellentissimi Viri, præcipuè ab ipsius frigida potione ad cæteram malam victus rationem labefactari, non solum verò sic infirmus deficere in materia sanguini puranda, sed cibis quoque malæ materiæ, ac præterea animi perturbationibus, & molestijs in munere suo impediri, atque vitiari.

Mirum est, quantum habeant momenti animi perturbationes ad coctionem tum impediendam, tum vitiandam auertendis spiritibus à ventriculo, illisque in alienum calorem conuertendis, impellendis malis humoribus in eundem, quibus munus ipsius conturbetur, dissoluendo calorem concoquentem, augendo calorẽ corrumpentem humores omnes inde in cor, & caput vapores malos omnis generis excitando, ex quo prauæ materiæ varietas, & copia administrata, non potest a iecinore nec a corde in bonum sanguinem, aut in vnã sanguinis æquabilem naturam, in spiritum valentem ad moliendа naturæ opera conuerti, varijs suis partibus nunc pituitam frigidam, ac lentam præstat, nunc bilem atram frigidam, & hanc, crassamque, nunc flauam, exustamque, nunc serosum humorem, vel eodem vno iecinoris opere, ac munere, ad quod cum accedunt animi perturbationes, hæ ipsę quoque iecoris munus vitiant sua ipsarum varietate varia vitia afferentes, vel salua ipsius iecoris natura, ac integra, munere verò adeo vitiato, hoc malo sanguinis apparatu, hac eius varietate, fit postea, vt crassis partibus eius, ac lentis meatus obstruantur, quibus feruorem humores ex mora, & constipatione concipiunt, & minima occasione, suo feruore, atque habitu animum, & omnes naturæ actiones perturbant, vt cõtra ab animo perturbato, & actionum naturæ vitia, & mala omnia crescunt, mirasque progressiones his accessionibus nanciscuntur, inde vijs impeditis, lien suis viribus, vti nõ põt ad sanguinẽ atro humore expurgandum. Fel non põt flauo humore corpus liberare, vnde flauus humor hærens ob loci calorẽ, vel intra limites naturæ manentem spatio ipso in atrũ succum mutatur, in quorum vtrumque genus vel sanguis ipse degenerat, cum obstipatus æstuans feruorem acquirit, hi humores mali non solum sanguini bono, sed sibi quoque ipsi inter se aduersarij augendo suo vitio ea mora, & obstructione corruptelam sibi moliuntur, vt in omnibus rebus vitiositas tandem facit, ac cũ uias vteri impediunt suæ malitiæ, & copiæ incrementa maiora semper accipiunt, qui per menses non habeãt exitum.

Hinc mala omnia, quæ videmus, proficiscuntur, hac tanta, ac tam mala humorum congerie con concludũtur uiæ uel spiritibus, ne dum humoribus, vt crebra artuum refrigetatio demõstrat, quid igitur mirum, si modo exitus humorum impediantur, modo menses malo colore, & malo habitu exeant, interdum tenuibus humoribus sibi viam facientibus, & secum crassos quoq; trahentibus, interdum solis, & per se crassis, & lentis ingruentibus, viasque sibi stipantibus, interdũm tenuibus ipsis eiectis rursus viæ lentore succedentium crassorum infarciantur.

Quid mirum si vterus postea non concipit nam ut iam careat omni aliena affectione, eo certe caret alimenti, & sanguinis commeatu, qui semini nutriendo est necessarius, potius malis humoribus occupatur, quamquam enim ita obstructus non facile bonum sanguinem à natura accipit, quem natura non multa ui repellere solet, facile tamen excipit malos humores, etiam uijs non ita apertis, qui per uim à natura eijciuntur, minus mirum est, si menstruis temporibus dolor uentris est, menstruis ipsis excretionibus impeditis, turbantur enim

enim humores conatu ipso naturæ in ipsos vehementi, qui ob suum lentorem, & crassitiem, dum mouet illa, dum ipsi compulsi agitantur æstuant, & flatum faciũt, quo sæpè venter inflari solet, sæpè dolore, si ad tunicas viscerum, vt fere fit, flatus excitetur, aliquando cordi laborem afferunt, cum ad os ventriculi vi flatus inferuntur, id non solum tensione, & impetu ictuue suo, sed etiam malo suo genere, atque acri molestantes, & flatus sæpè non solus accidit, sed secum humoris aliquod vitium attollit ad stomachum. Non miror etiam, si caput afficitur, & graue est, & sæpè dolet, nam ventriculus præterquam, quod proprio malo caput etiam afficit, sua etiam cruditate multos vapores illi subministrat, ac malos, qui præsertim ad sinciput sistuntur, ibique concrescentes caput grauant, obstruentesque dolore afficiunt. Vterus quoque male habet, caput primum per ventriculum, non solum cum in ipsum ventriculum reijcit humores, quo alia via expellere non potest, qui ita ventriculo insistentes capiti malum afferunt, sed nullo etiam in ventriculum transmisso humore, dum vterus ipse afficitur, ventriculum afficit, non solum vrgendo cum sæpè tumet, sed nexu naturæ, & peritonæi. Deinde vterus caput afficit per corpus vniuersum, dum retentis milis humoribus, nec per ipsum expurgatis, corpus vniuersum repletur, vnde in caput malum perueniat, & illud quidem varium pro humorum varietate, qui quidem humorum impetus in caput, & calore hepatis ob obstructiones æstuantis, & perturbationibus animi citatur, citatur verò abstinentia importuna sæpè, qua humores incenduntur, & motum concipiunt semper calido capite tractu quodam motum illum alliciente. Minimè tandem miror, si cibi cupiditas, aut nulla, aut exigua existat, nam vel crassis humoribus repletus ventriculus famem non sentit, vel tenuioribus, & calidis languens ac resolutus sensum inanitionis amittit. Relinquuntur duo, altera est illa cordis affectio, alter est sudor extremorum cum frigore, quarum rerum ratione ex his, quæ supradicta sunt, facilè ducuntur, ex quibus omninò ortum habent, siue enim illa cordis affectio sit in stomacho, siue in corde, cum non sit à viris doctissimis explicata, quæ nam sit, facilè habet ex superioribus explicationem, nam oppressus ventriculus, & præcipuè stomachus, vt statuimus, facilè malum cum corde communicat, vnde stomachi affectio cordi solet attribui, & antiquitus cordis nomine stomachus accipiebatur. Vbi commemoratio illa mihi videtur necessaria, quid vel ipsum lac faciat cordi, si coaguletur in stomacho grauando, ac suffocando, si verò cor ipsum malè habet, id fieri solet vaporibus, & halitu malo cor ipsum attingentibus, vel ab eius calore attractis, vel alia ratione in cor ipsum summotis, & tunc quoque omne, malum à vijs impeditis, ab humorum copia, & eorum mala natura proficiscitur, vnde in omne corpus malum pertineat. Cur autem sudent extrema, vel saltem madeant, dum frigent, res neque noua, neque rara est, rationem tamen non habet facilem.

In pluribus vel sanis hominibus hoc videmus quotidie, quamuis non laborent, non exerceantur, pedes tamen, & manus sudant nullo calore affectæ, in ægris etiã sudores frigidi sæpè eueniunt, præsertim in syncope, & animi deliquio, cum fit in sanis sponte, & nulla occasione laboris extremorum leuis sudor, tunc aut ob earum partium raritatem, in cute, aut ob copiam humoris aquosi quandoque cuidam bili (vt ait Gal.) aquosæ admixti, & tunc non solum ob abundantiam, sed etiam ob tenuitatem humoris prouenit ad illas partes, vtpote imbecilliores peruenientis, vbi vapores facilè in sudorem coguntur, præsertim cum frigidi sunt.

In ægrotis facilior ratio est præcipue cum febres adsunt, neque illa est difficilis, cum propter animi deliquium sudor mouetur, hæc verò est, quoniam habitus, vt dicit Galenus, dissoluitur, propterea si adueniant hi sudores huic corpori, dum cor afficitur, rationem sequantur supradictam animi deficientis, sin autem citra

A cordis affectum fiant, reliquam rationem sequi putarim, hoc est, vel plenitudinis tenuioris, & aquosi cum bile mixti excrementi, uel raritatis partium earum, uel vtriusque.

Quod verò vrinæ sint quandoque nimio colore, illud non solum ex bilis abundantia, sed etiam pituitæ incensæ potest existere, qui humores in hoc corpore, vt vidimus, plurimum congeruntur. Destillatio tandem affectum iam dictum capitis sequitur. Hi sunt affectus, hæ sunt ipsorum origines omnes ab vno initio affecti ventriculi existentes, quorum curatio multas requirit obseruationes. Prima est, ut ordo ortus affectuum seruetur, cum nihil sit, quod nos distorqueat, ea de re à ventriculo, vel potius à toto corpore, à quo ventriculi malum nutritur, erit incipiendum postea reliquis suo ordine subueniendum, ac crediderim nihil operæ inde reliquum B nobis futurum præter eam, quam postea vterus exigit, ijs enim restitutis, & caput, & reliqua sanescere poterũt. Sunt verò hi scopi in curatione spectandi. Primum est genus remedij, alter est, quantum illud esse debeat, tertius modus exhibendi, quartum, tempus. Illud quãtum absens non possum definire penitus, vt dicebat etiam Galenus, cum quantus sit morbus, quantum sit naturæ robur, non possim certo, ac definito æstimare relinquitur sola coniectura ab ætate, esset etiam illa à natura corporis, si in ea constituenda, eiusque notis recensendis vidissem viros doctissimos concordes, ab ætate tamen, quæ certa est, conijcio valentia remedia, vt vt morbi magnitudo, ac pertinacia postulabit, posse dari. Magnitudinis morbi ea vnica est coniectura quia remedijs C idoneis Medicorum prudentissimorum malum non cessit, quantum enim recedat per hanc valetudinẽ corpus à sua natura, ea varie descripta, incertum est, propterea ijs Medicis, qui coram medicinam faciunt, hoc iudicium est permittendum, sicut tempus quoque hoc est dierũ, præcipuèque occasionis delectus, nam quod pertinet ad tempus anni, nos etiam possumus statuere calidiorem, & frigidiorem anni partem, non esse idoneas, quod etiam attinet ad tempestates cæli. Duo ergo reliqui sunt scopi, ex quibus possumus proposita remedia iudicare, ac si opus esset noua afferre. Alterum est remedij genus, alter modus eius adhibendi. Genera remediorum à generibus morborum, atque causarum indicantur, à generibus verò instrumentorum, tanquam à quibusdam locis communibus suppetit copia, ac facul- D tas ad curandum. Medicorum instrumentorum tria sunt genera, manus opera, medicamenta, vt victus, ex his tribus, sumuntur omnia. Natura huius valetudinis multas habet partes, quæ à nobis spectandæ sunt, tũ perspecto, quid indicent remedia deligenda, vel potius, quæ probe sunt delecta, à viris doctissimis, comprobanda. Princeps huius multiplicis valetudinis pars est, quod malorum humorum plenum est corpus; vnde cætera mala sustententur, altera, quæ fuit prima origine, nec tamen prima tolli potest quin prius superior tollatur.

Est ventriculi frigidior intemperies, non possum ex literis medicorum intelligere, an humentior intemperies longa humorem semper habet aliquem adiunctũ, sibi similem, vna sicca excepta, quandoque etiam dissimilem habet, nempe non à se, sed ab alijs partibus, vt E hic à iecore, ac liene ingruentem.

Tertia pars valetudinis est uteri intemperatura ab humoribus uarijs illuc pertinentibus facta, quæ forte non adeò hæret in utero, quin tollendis illis humoribus tolli possit, à quorum uerò obstructione maxime opprimitur, posset esse etiam aliquid mali in hepate, & capite ipso, quæ mala dum in illis humores manent, dum manent obstructiones, spatio ipso contrahi potuerunt, in hepate quidem calor actior, in capite uerò frigus, ut enim hepar obstructum feruet, sic caput obstructum fere frigescit, in quod humores ui caloris sublati, ibi eo calore destituuntur, refrigescunt, coguntur, & per destillationem demittuntur, interea uerò dum coacti inhærent, uel grauant tãtummodo caput, uel obstruendo,

ut

vt ait Galenus, dolorem inferunt. Crediderim ergo non solum caput, sed ferè hepar, demptis malis humoribus, sponte naturæ posse restitui, ac recreari, non admodum hærente in illis malo, & ætate etiam nunc tenera, vel certe nondum in summo constituta, is igitur erit ordo seruandus, vt primum toti corpori purgando, deinde ventriculo, atque vna si fieri poterit, vt certè poterit, vtero consulamus; repletio corporis huius est naturæ, pituitæ plurimum est, quod ex narrato è viro doctissimo, menstruorum excrementorum colore confirmatur, & eo iudicio, quoniam, vt ait, pulsus submissi sunt, qui à pituita esse solent. vt etiam à melancholia, bilis verò, ac illius etiam exustæ, non parum subesse verisimile est natura calida à Medicis concorditer posita, tum si præsertim antiquas obstructiones æstimemus, serosi verò omnium generum plurimum ob cruditatem.

Quæ humorum varietas copia sua, & partibus crassis, ac lentis obstruit mulras vias sub præcordijs, & in vtero. Iam verò hi humores sui detractionem indicant, vt iam curationem instituamus quæ detractio si fieri possit manu, vt per sectam venam, summam habet celeritatem, & nullum apparatum exigit, nisi cruditatibus ventris remouendis. Attente igitur perspiciant Medici viribus corporis æstimatis, num mitti possit sanguis, ná postea facilius, ac tutius reliqui paranter humores ad purgationem. Tutius enim aperientes potiones exhibemus, neque veremur, ne ab illis humorum copia commota, magisque intrusa in angustas vias, eas magis obstruat, maximè verò ab ea celeri humorum detractione etiam imminutionem obstructionum expectamus, & tanquam onere leuata natura reliquum facilius excoquendo potest superare, atque emendare. Vires ego non possum hic metiri, ætas quidem, & natura à viris doctissimis descripta mihi animũ faceret ad hoc, quod maximè facturum ad mala hæc eijcienda iudicarem, & vel ob id maximè necessarium putarem, quod ferè menses sunt impediti, vnde post missum sanguinem è cubito dextro ratione totius corporis, postea ratione vteri mensium tempore expectato, aut à poplite, aut à talo sanguinem, ego iterum detraherem, quod si vires minus ualentes erunt, illis omni alia ratione inseruirem potius, & iterando missionem, ac tertiando, quo sic partita sanguinis detractio minus viribus obesset quam remedij illud præteritem, & quoniam mihi videtur auxilium hoc esse præreritum, propterea medicos etiam, atque etiam hortor & repeto si vires, vt credo, non impediant, eo auxilio vtantur, nulla etiam substante plenitudine, vt docet Galenus pluribus in locis, & præcipuè lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, quæ non opus est, vt doctissimis medicis commemorem. Purgandus postea sanguis est à malis humoribus relictis, & hærentibus in corpore. Proposuerunt viri doctissimi multa, ac valdè idonea, & ad apparatum humorum, & ad expurgationem, quare ne agam rem superuacuam, vnum tãtum animaduertam, quod negligendum non est, calidioribus ne assidue vtantur, & si frigiditatis notæ plurimæ insint, nam etiam obstructio innatum quidẽ calorem imminuit, at acriorem inducit alium, cum viscera sæ extra limites naturæ suæ ferucre faciat, quæ viscera calefacta exugendo humores suo malo fomentum comparant, & præterea, vt ait Galenus lib. de cibis bonis, & malis, quæ attenuant incidunt, & calefaciunt, ea humidiores partes exsiccant, & inde humores reddunt crassiores, vnde vel renum calculi existant. Dum tamẽ corpus, & humores paramus ad expurgandum libenter cum eodem Galeno calidioribus etiam vtimur, at purgatione facta in eorum vsu non persistimus, temperatioribus suffectis.

In medicamentis purgantibus exhibendis, quæ proposita sunt, aliud consilium seruandum est; vt minus valentia potius quam valentiora exhibeantur, tum quia valentiora ætatem firmiorem postulant, neque ita calidam naturam, vt posita est, tum quia mihi sit verisimile obstructiones aliquas subesse, vt dixi, sub præcordijs, &

A in viis, per quas humores qui hic crassi sunt, educete oportet, quibus substãtibus incommodum maximum à valentibus medicamentis existat, dum enim attrahũt à toto corpore multos humores, ac præcipuè crassos, ac lentos ad angustas illas vias, magis illas obstipant, quare potius leuiora à proximis tantum locis trahentia sunt repetenda, quibus repetitis certi sumus vias esse expeditas, ac si postea opus sit, neque conualuerit, valentioribus tutò vti possumus, neque abstinendum tunc à valentioribus, si leuia non satisfecerint, neque ab illis etiã, quæ humorem exustum & melancholicum valentius educunt, ætati tamen (vt dixi) nondum valdè firmæ, & calidiori naturæ, ob id ad dissoluendum nimis facili consulendum, quorum medicamentorum rationem, & modum penitus definire non possum, viribus, & naturæ corporis non ad vnguem mihi cognitis, hoc erit

B Medici qui coram hæc potest metiri, proderit quidem vtero hiera, atque ventriculo. Iecinori uerò, lieni, ac capiti, tum utero agaricus, iecori, & obstructionibus amouendis cum superiora, tum, præcipue rhabarbarum quod tamquam scalprum acutius ex altis, & minimis materiam etiam crassam & dentam educit. Sena exustis humoribus ac cordi, vt lieni quoque accommodata est quæ uerò incoqui possunt in his, quibus medicamenta per potionẽ dãda dissoluuntur, medicis notissima sunt, nec minus composita medicamenta, cum sint vulgatissima. Similiter, & preparantia quotidianum ob vsum nulli non nota sunt, quæ cuique faciunt humori, minus verò sunt peritis medicis indicanda. Corpore, uisceribusq; sic expurgatis, ego ex balneis naturalibus, ac me-

C dicatis multum auxilium sperarem; sicut illis non ita diligenter expurgatis ab aquis eisdem malum maius timerem, nisi enim uiscera apertis itineribus inueniantur, hæ aquæ nimium certè commouent, magis infarciunt, & afferunt intemperiem, præsertim iecinori, ac renibus, totumque corpus calore nimis exsiccant, ac siccitate durant. Imprimant hoc, teneantque in memoria Medici prudentissimi quibus salus huius Excellentissimæ D. commissa est, itaque non esset alienum, si post purgantia nos ei urinam & sudores mouentia exhiberemus paucis quidem diebus. Sicuti ius Guaiaci, quo uenarum parietis bene expurgarentur. Iuuabunt balnea, si detergant, si confirment uentriculum, & uenosum genus repurgent, præsertim uterum, nam uteras ex purgatis uijs, nimioque humore consumpto pristinam

D integritatem, & firmitatem recuperabit, & sterilitatem; si eam preter naturam sui in se habeat, deponet, & profecto sterilitati mulierum, nil magis præsentaneum uidi ipsis balneis. Cuiusmodi erunt balnea, si nitrum, si alumen cum sulphure habeant, si ad cætera, quæ in balneis esse solent hæc potissimum contineant.

Quæ uerò balnea hæc habeant, certe non solum ex libris accipiendum est, sed fidelibus Medicis notitiam eorum habentibus credendum; neque uerò tutum est cuilibet Medico, uel libro credere, propterea in balneis deligendis ego delectum permitterem Medico, illi potissimum cuius fides esset spectata, & balneorum eorum peritiam haberet, puteolis multa sunt genera, de quibus facilis erit delectus inter peritiores, quare hac in parte longior non ero. Modus restaret in adhibendis re-

E medijs habendus, ut leuiora ualentioribus præmittantur, non solum in his, quæ spectant ad expurgationem humorum, sed etiam in his, quæ pertinent ad apparatum, cum humorum, tum corporis. Credo uerò nullum Medicum ignorare in balneis adminiſtandis maximè per potionem huius ordinis rationem seruandam esse, ut scilicet potiones sensim augeantur quotidie illis adijciendo usque ad certum diem, postea tantundem diebus singulis detrahendo imminuantur, ut ueluti quodam circuitu incrementa, decrementaque pari dierum numero procedant, neque ultra crescant potiones, neque modum augeant, quam ut commode uentriculus patiatur. Atque de modo hæc satis. Tempus demum, (quod, ut dicebam definiri non potest, quod pertinet ad dies

ad dies dandorum remediorum, nisi ab eo Medico, qui coram hæc potest tractare) illud vitandum est, in quo nimij calores, & nimia frigora sentiuntur. Nam de anno bisestili, miror quemquam eruditum dubitare ratione, & corporum, & balneorum. Ratione corporum illa accipientium, quoniam corporum mutatio, non quarto quoque anno, sed octauo quoque anno esse existimatur ab omnibus naturæ interpretibus, hoc est, physicis, vbi anni non essent ijdem omnibus vitandi, sed secundum ætatem cuiuslibet balnea sumpturi numerandi, non secundum communem ipsorum annorum cursum. Ratione balneorum, quoniam neque res huiusmodi ignobiliores mundi, vt aquæ, & terræ, tam certas annis metiendas ætates habent, quibus vel finiantur, vel per circuitum mutentur, minus secundum annorum cursum vllo alio modo vires possunt mutare, quam eo, quo reliquæ omnes res mutantur, mundo superiori subiectæ; ratione scilicet accessionum, & decessionum solis, & reliquorum syderum, & maioris, & minoris luminis ipsius lunę, ac ratione diuersorum stellarum aspectuum: at nulla est syderum noua ratio in annis bisextilibus, neque diuersa ab ea quæ in reliquis anuis visitur, & anni bisextilis spatium posset quisque à quolibet anno incipere, & quemlibet annum facere bisextilem, neque esset error, dummodo circuitus quarto quoque anno bisextilem haberet, & horæ sex singulis annis insuper exuberantes non prętereirentur, quin quarto quoque anno diem complerent collectæ, & ita omninò anni partes in ijsdem finibus cum cursu solis tenerentur. Non video ergo, quæ causa sit, cur manente eadem natura, eadem varietate in syderibus, in rebus huiusmodi omnibus ob vnum ciuilem institutum, seu humanam legem aquę vires suas immutent, quas verò sub quocunque syderum aspectu ferè easdem esse quotidie experimur, sub eodem erunt diuersæ. Confidant Medici, neque vllo modo temeritatem multitudinis sequantur, & balnea vel hoc anno bisextili, si sit opus, exhibeant. Atque hactenus videor complexus esse omnia, quæ à scopis in hac valetudine spectandis indicabantur. Vnus restaret victus, ex medicis instrumentis, cuius ratio tam est facilis, & tam tractata, atque etiam à Medicis his nobilissimis, tam cumulate exposita, vt iure illam videar prætermissurus, feruent verò, quod faciunt extenuantis rationis pręcepta, omnia tamen nimis calida, etsi sint extenuantia, vitet, vt dixi cum Galeno superius, pro ratione regionis singula expendendo. De ouis mihi succurrit, quod velim Medicos hos excellentissimos animaduertere, ea non quidē in incrassantibus, sed in glutinosis esse numeranda, & ab his qui volunt extenuari, fugienda, nam vbi Galenus oua danda monet, ibi est illi in animo bilem frangere, obtundereque, & delinire vel ipsius tantum lutei vsu, vt in libro ad Glauconem in tertia na exquisita, cum eis verò ponit carnes tenerum porcellorum, suumque pedes, & cerebella, &, quod ei loco consonat, in lib. de tuenda valetudine cap. 12. libri. 5. & in libro de cibis boni, & mali succi cap. 2. Inter incrassantia ponit oua, hoc est, glutinosum succum habentia, quare, vbi veremur pituitam, & crassos humores, oua quidem certè vitanda cēsere. Hoc quoque diligentius animaduertendum, quod in delicatioribus cibandis ministri facilimè ad oua danda descendunt. Hic finis sit nostræ orationis, cum plura non sint necesse dicere, ac quæ sunt dicta, putem Medicis peritis superuacua, illis certè debita, qui nobis hoc onus imposuerunt. Hac princeps post corporis purgationē guaiaci potiones aliquas sumpsit, & balnea puteoli, & suffumigia, & continuo fuit grauida masculumque peperit, & inde nunquā amplius, vt neque antea pepererat.

Producendæ, paulatimque repetendæ cæptę, iam purgationis exemplum. ℞. pilularum de Hiera cum Agarico, sine quibus, an. ʒ.s.
Rhabarb. electi ℈.1.
Trochiscorum Alandal. g.3.
Cum aceto squillitico reformentur. p.n.7.

Sir. Exemplum ℞. Rad. Iridis ill. ʒ.3.
Graminis, Eryngij, Liquiritiæ an. ʒ.3.
Fol. Melissæ, Betonicæ, Cetrach, Cicorei, Artemisię an. m.1.
Cinamomi ʒ.3.s.

Fiat decoctio in aqua cōmuni. s. a. quæ coletur cum multa expressione.
℞. præpar. colaturæ ℥.4.s.
Sirupi de capil. Veneris ℥.1.
M. pro syrup.

Christophorus Guarinonius Medicus Veronensis, Io. Ripæ. Medico celebri. S.

CONSVLTATIO CCCXCVIII.

EX tuis literis, quod gratissimum cognitu fuit, cognoui, amauique egregiam istam tuam in me voluntatem, neque minorem sensi in me animi erga te propensionem, quam facta per occasionem potestate facile intelliges. Quod verò attinet ad tuū ægrotantem, cum iam in quartanam malum peruenerit, & dolor febrem sequatur, princeps causa doloris, non potest ita citò, vt doloris molestia postulat auferri; cum tamen dolori sit consulendum, id ego assequi contēderem causa proxima in aluum locum paulatim, vt vt in ventrem accedit, auertenda, curationem interea quartanæ institutam perficiendo. Quare illa, quæ per vomitum ventrem expurgant, mihi viderentur valdè idonea, quoniam non solum causæ doloris, sed etiam febris occurrunt, initio verò accessionis præcipuum tempus habere possunt. Clysteria quidem leniendo dolori proderunt, cum ille vrgebit, at hi non ita mali causam retrahunt; propterea ipsi quidem adhibendi, cum præmendo dolor coget, at ille est anteuertendus, & causa sic dimouenda ijs, quæ per vomitum expurgāt, nisi quod tibi impedire videatur. Quod si ratio temporis, tempestatumque temperies non videatur aliena, illa etiam probarentur, quæ pituitam leniter expurgant, cum in quartanis pituita in ventriculo soleat abundare, quæ sua crassitudine materiam cum febri, tum dolori subministrat. Ex Galeno quoque mitiganda pituita extenuantibus, abstergentibus, incidentibus, ac mediocriter calefacientibus, vt docet ipse, vbicunque de pituita in ventriculo collecta loquitur, hæc per potiones & tragemata accipi possunt, neq; qualia, quantaque esse debeant, aut mihi scribere, aut tibi à me accipere erit necesse, quin fortè sapienti viro hæc plura fuerunt. Quartanas sæpè curaui pridiè die accessionis ægrum sine cęna continēdo. Theriacamque sub accessionem post vomitum exhibendo. Et certis diebus iure Senæ ipsum purgando. Nisi nimia cruditas subesset. Sed hic cum plurima salute orationem meam concludam. Vale Vrbini 19. Kalend. Septemb. 1572.

Cum vitali pro adolescentula, cui pupillæ ambæ erant dilatatæ, & visio penitus ablata.

CONSVLTATIO CCCXCIX.

OMnia summo ordine, & doctrina à te sunt exposita, & prudenter, vt video, in ipsa curatione acta, propterea dicamne desim roganti tibi potius, quam, vt putem, me posse noui aliquid afferre, & conabor pro Medico quæ proposuisti rationibus æstimatis confirmare, quæ verò dubitando attulisti, eodem modo pro viribus definire: vtriusque oculi pupilla cernitur admodum lata, & cognouimus ex ea loquente aciem penitus impeditam, subita fuit amissio ipsius visionis, eaque dolorem capitis grauem sequuta, & febrem hac ætate excitatam, in qua menses solent incipere, ipsi verò cœperunt emanare, sed purgationem non compleuerũt, propterea iudicandum est, materiam vitiosam huius mali causam esse, quæ à febre liquante ad viam visus elisa sit à capite satis robusto, in quo ferè materia omnis per vaporem illuc sublata solet concrescere, & glutinosa fieri, fuit verò facilis is casus in hac puella, cui caput est calidius, oculi magni, latiores poros visorios habentes, sunt enim apti illi admodum materiæ suscipiendæ propter situm, & latitudinem, sic verò infarcti pori visorij, non admittunt spiritum visionis, & præterea distenti, distendunt etiam vueam ab eis productam, quæ circumquaque intro attracta latiorem pupillam relinquit, quæ vuea vero grauata humore facit, vt oculus ferè tumeat. His ita propositis extant causæ, & partes huius mali, latitudo pupilla, humor extendens vueam, humor poros occupãs, humor in capite residens, & in toto corpore. Postremo suppressio sanguinis menstrui, quæ fortè prima fuit causa, cur reliqua suo ordine sequuta sint. Hinc colligimus scopos, quibus dirigamur in hoc malo curando, materia subtrahenda esset ab omnibus supra dictis partibus, intemperies vero, quę inducta est ab ea materia, cum qua vna fouetur similitudine mutua, esset immutanda.

Inde enim pupilla reciperet priorem formam, pori oculorum aperirentur, & oculis sanitas restitueretur. Materia triplici ratione potest detrahi, abstinentia, cathartico medicamento, & manu. Manu quidem, si sanguis mittatur incisa vena, de quo remedio nos Medici semper à principio deliberamus, cum nulla egeat præparatione materiæ mouendæ, & tutiores, ac expeditiores reddat reliquas Medici operas. Propterea primò loco hoc remedium probarem, & ipsum dirigerem ratione ipsius suppressionis menstruorum, tanquam primæ causæ; quoniam magnus morbus viribus coniunctus à sanguine, & sustineri, & augeri, tum paruus magnus fieri potest. Deinde mentem conuertere ad medicamentum, à quo cum non possit materia moueri, nisi prius parata sit ad exitum, & habeat vias paratas, debemus prius remedijs materiam reddere idoneam medicamento illam detracturi, & corpus parare, vt facilè illa elidatur.

Hæc præstare possumus non solum medicis potionibus, sed victu quoque extenuante, & parco, sic enim materia crassa fit tenuis, sic cruda coquitur, & cocta absumitur maxima ex parte in alimentum, aliqua ex parte in halitum, ex parte etiam relinquitur mitior facta, & accepto per quãdam coctionem spiritu facilius sequitur naturæ impulsum, quare ea victus ratio est instituenda, vt cibi sint leues, & parci, quorum genera omninò non sunt recensenda à me, tibi Medico imprimis perito; Interim vitanda sunt omnia, quę crudam materiam possunt mouere, vel in caput, vel in angustas arterias, ne sic nostro operi impediendo, illis vtamur potius, quam moliendo. Quocirca à vino quoque prorsus abstinerem. Medicis potionibus his parabimus hanc materiam, quibus intemperies viscerum ei similis quoque tolletur, illis tamen temperatioribus secundum calorem, ne calor nimis moueat, & nimis materiam attollat in caput, frigidam tamen materiem temperet, & ei mixtus attenuet, concoquat, & ex parte digerat, viscera simul vna temperando, propterea incidendi vim habeant, & aperiendi, atque extenuandi, non neglecto aliquo, quod interea caput faciat minus aptum suscipiendis vaporibus. Quare cum oximelite rosam coniungerem, & cum similibus betonicam cum his, & cicoraceis Eufragiam, & feniculum. De medicamento purgante non multa dicam, capitis & malis accommodetur, huiusmodi parantur à prima copæis. Illud tamen animaduertendum quod erit repetendum medicamentum, & repetendæ potiones, materiã præparantes, & varianda omnia eo ordine seruato, vt valentiora in postremum tempus reseruentur.

Præterea vsus aliquis cathartici medicamẽti lenioris post corporis purgationem illam exactam est retinendus, cui adiuncta sint illa, quæ caput confirment, & vapores reprimant in ipsum ascendentes, & viscera inferiora consolentur, in quem vsum parantur pillulæ lucis, in humoribus hic frigidioribus, in calidioribus illæ, sine quibus. Demum ad perfectam corporis purgationem, & partium omnium robur, potionem aliquam diu sumendam legerem. Propositæ sunt duæ, ex quibus alterutra deligatur, guaiaci, & salsæ ex quibus salsa mihi magis probatur. Quoniam, guaiacum quidem extenuat, & sudorem mouet, ac roborat, verum potius viscera, quam caput contingit, partes enim aliquanto magis adstringentes habet, quam possit facilè in caput peruenire, nam dum tardè ascendit, vis ipsius consumitur & exoleta est, cum in caput peruenit, alioquin altè in viscera penetrare idonea propter eã adstrictionem, liquor salsæ contra celerius mouetur, quo seruata vi potest in caput peruenire, eique facilius opitulari, qua potione exhibenda, si facilè sudor excitabitur leni auxilio integumentorum illum excipiemus, euocabimusque, sin minus, sudor tunc vi aliqua maiori mouendus est, alioquin sine sudore, inutile mihi auxilium videtur, adhiberem igitur vim, vt extrahatur sudor, quod faciunt multi non adhibitis cucurbitis aqua calida plenis, nam corpori madorem ferũt, sed alijs fomentorũ generibus, & suffitibus. Quoniam verò & tempestas, & anni tempus non sunt admodum idonea, propter frigidum cælum, & aerem crassiorem, paradum est ædificium, in quo habeatur ægra admodum conclusum, & calidum, quibus toto corpore faciendis purgationibus, si sanguis menstruus suis temporibus mouebitur benè erit, sin minus, danda sunt illa, quæ ipsum moueant, postremò, si aliqua membra restabũt affecta, interea, dum corrigantur illorum intemperies, faciendum est cauterium, per quod excrementum ab ea parte genitum demittatur, locus cauterio cõmodus in partibus inferioribus esset primus, deinde in brachijs, & postremo in ceruice, sic enim omne superuacuum ab oculis auerteretur, cui capiti lotiones quoque postremo concedendæ sunt exsiccantes, vt ex rosis, sale, cupresso, betonica, saluia, stęchade, & similibus, robur etiam aciei adijcientibus.

Prætermiseram ferè capitis purgationem per gargarismata, & masticatoria, quæ molienda est cum capitis lotiones sumus concessuri, non quæ fatigent maxil-

maxillas, sed potius, quæ in trahente expurgant, vt piper, & staphisagria, elleborus, præsertim albus pyrethrum, & similia oculis darem tantum postremo tempore aliqua, & illa quidem leuiora, vt aqua eufragiæ cum aloe, & tutia in linteamine compressis, deinde aqua ex destillato melle, & malo punico, & vinum cum butyro, & aqua fœniculi, & id genus. A quibus quid sperandum sit, non video, nam nunquam recordor amissam visionem poris visorijs impeditis sequutam, recuperatam.

Hanc semel tantum inspexi, audiui verò postea cæcam mansisse.

Pulueres ad mastichandum cum mastiche, & cætera componebantur. Quę vero oculis imponebantur cum nihil prodessent, tandem ex aqua vitę earũ vis accepta adhibebatur.

Suffumigia oculis huic præscripta non sunt, quoniam caput admodum semper onustum erat.

Cum Ilauio & Bello, pro Nob. Palatia febricitante, & difficulter spirante.

CONSVLTATIO CCCC.

AVdissem libeter hos Medicos, qui ipsam inspexerunt, & morbos eius diu curarunt, de eius corporis natura, deque morbis his disputare, de quibus scribũt quidem, quod erat necessarium, sed quæ scripturæ conditio est, non potuerunt minutim omnia complecti multiplicibus nimis rebus, dicam tamen, vt potero per eas notas, quæ in ea scriptura cõpræhensæ sunt. Periti Medici in meo consilio obseruando spectate attentè hæc capita, in quibus omnis ratio curationis à me constituitur. Febris putrida vetus admodũ, & longa subest, vt horrores longi quotidiani testantur, vt caloris vehementia, cui coniunctum etiam esse principium hecticæ suspicandũ est; quoniam calorem non percipit, quamuis euidens, & magnus etiam sæpè sit, quoniam & cibus horrorem concitat, quacunque hora accipiatur, & inde magnum calorem, hæc ego in alijs vidi, & tandem in alijs duabus iuuenibus, quæ simili febri laborabãt cum frigore tamen potius, quam horrore, quarum altera, cui destillatio non erat, euasit, altera, quæ destillatione sollicitabatur, tandem sublata est, in quibus, cum ex cibo per vapores cor incalesceret motum spirituum maximè, & deinde materiæ eiusque putrediné eo nouo excitato calore ad se cieret, quod fieri in hac vestra ægra facilè censeo, & eo facilius, quod est destillatio in pulmonibus subsistens, & pectus occupans, quæ facto calore cordis maiori vna cum spiritibus eo reuocatis commouetur, & ea motione frigus facit, donec corruptionem maiorem subit, ptius enim in corde calorem, & in membris frigus duplicat, nouus autem ille cordis calor fit à vaporibus ex cibo in cor feruefactum ascendentibus. Ergo & putrida subest febris, & cum ea hecticæ initium, ita tamen, vt, si putrida submoueatur, protinus secum hectica, aut paulò post tolli possit. Causa siquidem remota cordis calor non est tantus, tamve hærens, quin vel vno ciborum, & victus genere possit mitescere, cor est omnium partium ad alliciendum alimẽtum valentissimũ, vt totum corpus prius consumatur, quam ipsi alimentum penitus deficiat, modo tamen ipsum non sit primũ in incendio compræhendendo, & ei tempus non desit, hoc dico, quoniam in malignis febribus præterquam quod sæpè cor ingruentem in se humorem in pulmones reijciens, suffucat se, tantus est calor, & tanta siccitas ob putredinem, tanta demum spirituum consumptio, & sanguinis alienatio, vt nõn sit ei spatium se se reficiendi, non sit idonea materia, non sint vires attrahendi, neque verò, etsi materia esset idonea, facultas, quæ alimentum in sui corpus transmutat, eam temperationem habet, qua alimentum bęnè mutare in sui corpus possit. At in his mitioribus, & longioribus morbis, in quibus cor ab alijs partibus accipit incendium, vt dicebam, sic habet cordis exsiccatio, vt postrema omnium partiũ corporis fit, vnde etiam pinguedinem cordi hærentem cernimus, sectis cadaueribus, hominum etiam, qui longissimò morbo sublati sunt, nisi proprio aliquo morbo cor fuerit affectum, vti & in compagine totius corporis sub cutem præcipuè aliqua est pinguedo, vel macie confectis, in quibusdam, qui sine cibo per aliquot dies vixerũt omentum potius exsiccatum videmus, quam ventriculum, aut cor, aut renes, pulmones potius, quam aliquod aliorum viscerum ob genus sanguinis necessarium sibi valdè perfectum, & quoniam etiam cor ab illo exhaurit, nisi ergo submouenda putrida finiatur hectica saltem propter cordis vires, finita putrida per paucos dies hæc quoque finietur, & frigidis cibis cor citò se se reficier, quare princeps pars curationis putridæ febri danda est, neque interea ab inchoata hectica timendum, atque quoniam huius quoque cõditio ea est, quod destillatione assiduè in pulmones incumbente alia sustentantur, propterea in hac curationis parte prima huc omninò est contendendum, vt destillationem amoueamus, & capiti, vnde ea venit auxilia dirigamus, quæ verò destillatio cum febre coniuncta, & febris longæ causa mihi ferè insanabilis visa vbique est. Conditione igitur morbi sic proposita vlterius quęrendum esset, an insit aliquid, vnde destillatio venerit, & sustineatur, capitis certè aliquod est vitium caloris nimij, vt ex salsedine destillationis intelligitur, iecoris quoque suo calore iuuantis impetum caloris cordis in caput factum, à quo calore cordis omninò materia in caput attollitur eo facilius, quod caput calidius est, & nõ solum natura sua, si promptitudinem eius actionum nobis descriptarum consideremus, sed casu aliquo elatior est. Itaq; capitis, cordis, & iecoris interea, dum putredini occurrimus calor frangendus est. At quomodo fiet hoc? Quia dictũ est ipsam à potione longa lactis minus salsam sensisse suã hanc destillationem, nolim nos in errore esse eorũ, qui credunt omninò a lacte iecoris calorem frangi, & bilẽ simul deliniri. Lenit quidem lac, antequã mutetur, & cum sub mutatione non vitiatur, quoniam bilem non parit, verum in calido corpore facile trãsit in naturam contrariã, & facilimè bilem contrahit, vt in frigidiori humorem frigidum, præcipue verò lædit corpus, cui calidum aut certè infirmum caput est, quod in ipsum attollitur ibi calore corrũpitur, & omninò destillationẽ facit, quod enim Hipp. dicebat de dolente capite Gal. latius explicat, & dolorem ad infirmitatem omnem deducit. Quare, vt in biliosa deijcientibus, id est, iecore calidiori, ac bilioso præditis inutile est lac, nisi extinctis lapillis modificetur multum butyrosæ, & serosæ partis consumentibus. Sic in ijsdem infirmis capite multo magis, alioquin ita paratũ ne bilescat, diarrheę vtile est, maxime, si eius profusio magis nos vrgeat suo periculo, quã iecoris causa ipsa. Ego potius loco lactis cum his, quæ aperiendo putredini materiæ occurrunt, ne destillationem materiæ moliantur, frangentia calorem ipsius cordis, & iecoris, componerem, quæ bene norunt Medici curaturi, sed euocata materia per aluum, eam quoque, quam in capite non possumus facilè prohibere, ne fiat, idoneo facto exitu, deducerem, & putarem esse faciendam viam, qua sensim extrahatur, & qua auersio fiat, vnde in præcipiti periculo id

id consulerem, quod alias non facerem, vrendum ni mirum esse syncipur, non quidem pluribus locis, ita, vt intra vstionis effectum opera maneret, sic enim cerebrum quidem siccare posset, & tenuem aliquam materiam consumeret, at crassam, & à toto corpore elatam neque consumeret, neque prohiberet, & capiti potius remedium esset sua calefactione mutile, sed vltra quęrere auocationem assiduam, & longam humoris in capite coeuntis capitis vasis ad locum apertum, & infirmum illam expulsuris, prius quidem eo vlcere, quod iam ei in occipitio datum est, irritato per cantharidum puluerem, vel aliud earundem virium medicamentum. Inter medicamenta modo ad aluum citandam, & humorem educendum. Agaricus placeret, quod capiti, & obstructis visceribus facit, cum quo serum caprinum aliquibus incoctis refrigeratum coniungeretur, & purgationem iuuantibus, non præteritis ijs, quæ agarici vim leniant, atque iuuent, ne præsertim ventriculo certo quodam sui fastidio noceat. In potionibus autē assiduè dandis itinera, per quæ educendus est humor, aperientibus paranda, & cum aperientibus quoque etiā putredini occurrentibus videretur vtendum, & decoquendus capillus veneris, buglossum, helenium, iris, crocus, succus rosarum, glyzirriza, & hordeum, quo nisi acescat ei in stomacho assiduè pro cibo vteretur. Contra iecur refrigerantia illinirem, vt ex sandalis, rosis, & cicoreo, ptisanam verò ex iure caudarum gammatorum, iureve cancrorum fluuialium pararem. Eorum corpora tamen in cibum non præberem, quoniam difficile alunt. Qua de re longum nimis esset disputare contra eos, qui res difficillimę co ctionis, tardissimique alimenti in marasmo dandas præscribunt; sat est, quod Galeni etiam rationem habent reluctantem. Potiones denique essent ex vino leni non admodum austero, alboque. Sed nimius ferè fui in re, quæ nostris auxilijs parū habitura est.

Non multo tempore post obijt tabida iudicata. Multos vidi incredibilem puris copiam expuentes illamque fœtidissimam, conualescere. Nōnullos per eam ad tabem deductos, & adueniente etiam alui largo profluuio extinctos: Aliquos etiam sine tabe, & sine alui fluore sublatos eo sputi genere fætidissimo. Aliquos etiam sub diuturna phthisi peripneumonia peremptos. Quendam vidi, qui bronchū expueret vsu lactis caprini sub cęlo aridiori sanum factum, & robustum; & alium, qui sputo non multo sanguinis (fortè eo in bronchijs concreto) interijt. Concretum enim sanguinem vidi multis mortem attulisse, & subitam quidem, cum deliquio, & frigido sudore, etsi in ventre esset, multus tamen.

Excellentissimo Med. & Phil. & Doctori Nicolao Melino Grandariæ Physico.

CONSVLTATIO CCCCI.

Excellentissime D. mi eadem fide, & beneuolētia tibi rescribo sentētiam meam, qua tua me eam exposcis in literis tuis mihi valdè honorificis, quarum honorifico officio, non possum, nisi pari animi candore respondere. Ex tua expositione cognoui, quod propositi mali radix gallica est, ita vt tollēdis ramis eius æger nequiret ab eo liberari. Atque vetusta iam hac radice exposcit remedia non modo propria, verum etiam valdè valida. Inter quæ lignum sanctum seu guaiacum, cum ea diæta, quam didicimus à regionibus, à quibus vna malū, & remedium accepimus, eoque maiori diligentia obseruādam, & accuratione, quo nostra regio frigidior est, & lignū

A magis consenuit, qua causa, deligendum quoq; tempus anni est calidius, quo fieri possit, & de ligni partibus mediæ magis, quæ sunt magis conseruatæ. Vt cortex, quanquam recens maiorum virium sit, apud nos tamen minus deligendum. Cui remedio cum opus sit iuribus idoneis, cognoscendæ sunt, an in ægroto nostro satis sint, simulq; procurandæ, nisi subsint, aliqua refectione antequam ad negociū adducatur. Obseruandū etiam, ne detur ei eiusmodi decoctum, quin prius corpus sit penitus expurgatum, & purum factum vna, altera, aut tertia purgatione, aut etiam pluribus. Non existimo oportere descendere ad singula magis, cum scribam tui generis homini, nisi id vnum, quod postquam decoctum acceperit, quod erit non minus quam sexaginta diebus, procu

B randum erit, vt iecur ei attemperetur, & bonis cibis sobrie tamen nutriatur ad minus totis 20. dieb. Multo maximè verò illa obseruatio necessaria est omnibus reliquis, ne aggrediamur curationem huius corporis, donec ipse perseuerabit in libertate vitę, quoniam nihil obtinebitur, & erit cum vitæ periculo ipsius præcipuè, nisi à fructibus cauebit toto tempore hoc præscripto, & à venereis multo maiori spacio. Quomodo obseruanda bona victus ratione potest liberare se se à tanto mali tædio, & alius homo euadere, quod faxit Deus, quo fine scribendi faciendo manum deosculor. V. G. Vrbini 4. Idus Augusti Anno 1572.

C

Pro Illustrissimo Octauio Gonzaga pedum dolore laborante.

CONSVLTATIO CCCCII.

Qvod à Serenissimo Duce Domino meo, iussus sum, ego, tui generis, & virtutis splendore incitatus libentissimè his literis cōpręhendam, in quibus, quod te pro tua modestia obsecro, idem tuos medicos obtestor, mei consilij propositum potius, quā artis speciem, aut sermonis genus animaduertant. His rationibus ego omnem viam, omnesq; obseruationes ad tuam valetudinem curandam dirigerem, quod corpore tuo generis calidioris, & ob

D ætatem in medio caloris impetu existente, multæ tamen notæ ostendunt materiā huius tui doloris causam esse frigidiorem, capitis quidē calor est euidens à natura si animi actiones considerentur, si citus pilorum ortus, si caluitium valdè maturum, corporis verò totius, si non pili, at certè venæ benè magnę, & maximum animi robur spectentur, vti in reliquo differentiarum genere, humoris scilicet, & siccitatis nō videtur euidenter, aut corpus, aut caput inclinare. Verum notæ a doloris genere, & modo, à cute earum partium, & alijs etiam rebus capiēdę materiam frigidiorem esse testantur. Profecto enim is dolor sine aliqua materia non est, cum subito vna cum tota compagine corporis partes has sit aggressus, & iam diu in his immoretur bonum habitum, & à na-

E tura nactis, & adhuc sub eo malo retinentibus. Cum autem dolor acris non sit, cum admodum longus, cum per motionem tantummodo tentet, per quietem verò quiescat, materiei quidem genus frigidius significat, ramen non adeò frigidum, quin corpore suo potius, quam frigore officiat, nam non nisi motæ partes dolorem sentiunt, quod mouendo corpore mouendas partes vrgendo offendat. His accedit cutis circa locum dolentem positæ, raritas, & color, qui naturalem nō excedit, quod nullum subesse calorē indicat, præterea nihil penitus pedes tument, q cum materiā alte insidentē, tum crassam, ac frigidā denotat, vt. n. calidior humor suo calore attrahit spiritum, & sanguinem tenuiorē, partemq;, & colorat,

rat, & implet, sua quoque tenuitate in summam cutem vna cum tenui sanguine ascendit, sic frigida ob densitatem sui altè demersa detinetur, quam frigidam materiam esse confirmatur, quoniam exasperatur dolor sub frigoribus, ad quas notas sequitur quoque exiguam illam esse, nam alioquin multitudine etiam sub quiete sentiretur, & vrgendo loca inter tendinis, & ligamenta ea distenderet, calcem etiam sursum reduceret, cum sub tendinibus illius insideat, vti si in neruis, non inter neruos tantummodo hæreret, sequitur enim ad eas notas, quod mouentes partes contingit materia, atque vrget, & tamen non in neruis ipsis, aut tendonibus insigitur, sed in spatijs subsistit, nam alioquin, aut neq; in motu quidem molestaret, aut non per motionem tantum, aut neruos quoque distenderet, quod autem ligamenta quoque attingat, id notæ est, quod incrementum doloris in descensu scalarum sentit cõpressis scilicet eo motu ligamentis. Sed de genere, & loco materiæ hæ rationes sint satis. Difficilior fortè ea quæstio videatur, an partes dolentes suo aliquo vitio materiam illam contrahant, an propulsatam, an vi aliarum partium vti illis superuacuam, atque alienam recipiant, ad quod inuestigandum eadem notæ sunt necessariæ, ac valdè idoneæ, nam vt dolor sua leuitate exiguam materiam significans permittit quoque, vt facilè credamus eam in loco doloris posse generari succo, quo partes sibi conficiũt alimentum, dum minus bellè ab eis superatur, in eam transeunte, sic idem dolor sua continuitate ferè sibi simili facit, vt idem coniectemus, aliunde enim mala materia accedente visceribus victus genere, & reliquis non ita semper se habentibus, dolor ipse & variaret, & quandoque omnino quiesceret, qui sua præterea vetustate certè persuadet, eas partes longo contagio, & consuetudine illius materiæ (vt sit aliunde demissa) simili vitio iam affectas esse, siquidem fieri non potest, quin tam longo spatio materia, cum partibus, quibus adhæret, vitium suum communicarit, & ipsum illis inseruerit, per quod vitium materiam eandem sibi ipsæ sustentant ex alimenti proprij materia ipsam exprimendo, quod rursus non parum persuadent huius mali causæ ipsæ euidentes, multoties enim vt refert, frigus sudationes ex labore excepit, quod frigus, vt fuit totius corporis, sic necessario fuit præcipuè partium extremarum, alteque in illis magis impressum fuisse est verisimile, vnde non est mirum eas omnes grauem habuisse, & maximo cum dolore motionem omnem, fusa enim materia per laborem, & à medio corporis ad caput, ad prominentes omnes partes delata in ijs partibus refrigeratis rursus coacta substitit, & motionem impedijt, donec viscerum calor illas, quę minus longæ à visceribus sitæ sunt, à frigore eo, & materia vindicauit, donec ipsæ partes ope caloris à visceribus transmissi seipsæ restituerunt; hæ autem partes, quæ dolent, à visceribus remotiores adhuc refrigerationis, & materiæ noxam retinent, nunc ferè ob spatium propriam factam, ex quo nouam materiam, vt vetus ipsa digeritur, sufficiant. Aliquam tamen materiæ partem alicunde etiam decurrere ferè necesse est, his partibus hac infirmitate sua facilè recipientibus, quicquid ab alijs, vt alienum, & superuacuum respuitur, atque exprimitur, quod tamen exiguũ valdè esse oportet, potest vero etiam esse exiguum corpori, tam benè sano, ac benè valente. Vnde autem id quantulumcunque fuerit, accidat, facilis est coniectura, si & naturam, & structuram, & coniunctionem partium consideremus, simulque earundem valetudinem, & causas euidentes æstimemus, nam inter tendones, & partes nerosas subsistit materia vsque ad ligamenta, & non in carnibus, tum secundum neruos descendit, qui

A à capite deriuantur, simulque caput, quod est calidius natura sua, frigus tamen non patitur, & eo maximè offenditur, quod est signum caput frigido aliquo humore præter sui naturam occupari ob causas euidentes supradictas, quem humorem refrigeratum cum robur capitis non patiatur, paulatim per neruos demittit, vt in locum demissi nouus sem per succedat ob loci refrigerationem collectus, per neruos autem facillime delabitur quicquid in capite congeritur, quicquid tamen in capite noxæ est, id leue est, nulla eius grauitate nulla alia nota vitij in eo existente, vnde ab ipso quod descendit id parum est, & leue vt notis doloris indicabam, neque verò mirum est, si caput aliquid noxæ contraxerit, in homine, tam parum cauto vitæ genere vtente, & cor-
B pus omnium generum periculis objiciente, cætero corpore aeris iniurijs non ita patente conseruato, quod tamen caput cum robur suum obtinea quicquid materię contrahit, ad pedes, vt infiriniores demittit. Causæ ergo horum malorum euidentes plurimas credo in tam vario vitæ genere fuisse, & eas vix memoria te habere posse laboris vehementioris nullis certis seruatis temporibus certa est memoria, de quo ego sic statu, quod vt moderatus, & cum ordine labor, & non supra consuetudinem eius firmare solet, sic inusitatus, & nullo ordine adhibitus infirmare, & soluere potest. Vnde non est mirum si dicunt aliqui exercitationem, quæ à podagra homines solet vindicare, illam aliquando ciere vehementius.
His ita propositis reliquas rationes curationi propin
C quiores subiungam, vt ad curationem paulatim accedam. Conditio igitur huius mali ea est, quod materiæ in dolentibus locis hærens, & coacta digerenda est, quod illa præterea educenda est, quæ cum à capite quotidie, tum præcipuè iam tractandis illis partibus allici posset, etenim quęcunque extra alicui parti imponuntur ad materiam coactam, digerendam, illa quoque eius partis corpus resoluunt, atque eius vim maximè conuellunt, vt inde illa sit aptior ad succos alienos recipiendos.

Ante ergo penitus omnis vitiosa materia capiti, & corpori subtrahenda, & consumenda est; In his verò rebus, quæ ad digerendum extra imponẽdæ sunt aliæ sunt adijciendæ, quæ eiusdem partis corpus cogant, & eius vim reprimendo retineant. A corporis
D ergo totius, & capitis purgatione initium curatio rectè accipiet, quæ purgatio cum pro ratione succorum eo tempore substantium, tum verò pręcipuè pituitæ capiti cognatæ erit moderanda, ac si medicamentis, ventrem vomitumve mouentibus, illæ quoque potiones subiungerentur, quibus materiæ per sudorem, perque insensibilem perspiratum euocatur, vt dolorum pertinacia, & durities mali demonstrabit, id summam rationem habiturum iudico, ea enim ob firmatio morbi vitium in corporis habitum penetrasse & non nisi illis perfectè discuti posse indicabit. Pręterea iam tanta est huius humoris ad has partes propensio, vt quantulumcunque eius in corpore relictum fuerit, id vetera vestigia sit sequu-
E turum, viamque aduenturo nouo incremento seruaturum, tantaque est viscerum consuetudo propulsandi hanc materiam ad eas partes, tanta demum viarum procliuitas tum natura, tum vsu, vt, nisi per plures dies alia via eam materiam elidere assuescat ab ea consuetudine, & facilitate nunquam iri retractam sit verisimile. Vbi verò videndum diligenter, antequam potiones id genus ad sudorem exhibeantur, siue ex aqua naturaliter medica scaturiente, siue per artem incoctis medicinis comparata, vt corpus per ventrem maximè sit expurgatum, videmus enim semper, cum corpus non est benè expurgatũ, non solum aquas thermales dictas arti. infestas, sed alia potionũ genera ex guaiaco, aut salsa,

aut alio medicamento præsertim ex china formida- A bilia, non quidem suum vitium, sed errorem medici detergendo, iam apud aliquos facta sunt hęc tã certa, tamque valentia remedia, quoniam, quæ humorem fundunt, & liquant, si sit exiguus, eum tuto elidunt, si tam inculcatus, & multus, vt vię naturales ip sum nõ capiant, facilè in partes infirmiores truditur ingentes dolores, malignos tumores, & alia tædia af ferendo, quare aut demittendę eę potiones, aut repetenda per aluum purgatio, quæ, quibus, quamque valentibus medicamentis quærenda sit, quando & quomodo adhibenda, multis declarare necesse non est, cum medico cuique hęc satis vulgaria existãt, vt, quod humor prius coquendus, & mitigandus, quòd via corporis ipsæ reserandæ, visceraq; interim iuuan B da, pro ratione humoris, & temporis, v.g. dandis potionibus ex betonica, chamæpyti, roseomelle, vel ro seo syrupo cicoreo cum oximelite, vt quod Agaricũ, turbith ad pituitam à capite educendam fuerint apta, & a visceribus præsertim si rhabarbarũ eis adijciatur, quod facit etiam, ne ea visceribus infesta sint, eorumque robur cõuellant, & quod multa alia cum his medicinis ad leniendam eorum vim naturæ noxiam sunt componenda, ac præcipuè aromata. Illud quidem non prætermittam, quod quęrenti mihi pur gationem corporis perfectissimam per sudorem potius guaiacum, quam naturales aquæ, aut ex salsa po tio placeret, in quo vis maior cogendi viscera cũ resoluente, & fundente coniũcta est, cuius tarditatem penetrandi corporis habitũ, & calorem si vereamur, alijs adiectis facilè iuuabimus, penetrationem qui- C dem salsaparilia vngens calorem autem frangẽdo, illis præsertim, quæ non ipsius alteram vim, sed cogendis visceribus aptam, iuuabunt, vt sunt genera ci corei, vt esset exigua pars myrobalanorum, sic enim neque calorem nimium excitabit, & roboris plurimum visceribus afferet, & vias minus laxas reddet, qua verò in potione danda, ea certe oporteret ordinares victus ratione, quam ab ijs accepimus, à quib. hoc remedium sumus edocti, hanc norunt Medici omnes, primum siquidem 40. dierum spatium ad minimum desiderat, quod spatium ad longos morbos finiendos esse necessarium vsus satis ostendit.

Deinde, aut te calido conclaui continere oportebit, aut æstatis tempore, siccaque tempestate D omninò tibi ea potio sumenda per imbres, & vẽtos certo in conclaui calido continendũ, & sudori opera danda, quare vt purgatio verno tempore aptè ha bebitur, sic ea finita principio æstatis potiones rectè adnectentur, prius, vt dixi, & repeto, corpore admo dum benè per ventrem expurgato, ne eam sanitatẽ, quam hæ potiones certò possunt afferre, cum vehementiori malo commutent, postea sic abstinendum est, vt iam solebant, qui has potiones vtilius, quàm fiat hoc tempore, accipiebant, id videant ipsi Medici curaturi. Demum ad partes curandas, quæ doloribus exercentur erit accedendum, in quarũ malo digerendo videndum est eo diligentius, ne eorũ corpus resoluamus, quod extremè sunt, caloris, & natu E ræ imbecillioris, & sua compagine maximè idoneæ ad excrementa aliarum partium excipienda, vnde qui medicinam diu exercuerunt, semper digerentia his partibus, timidè ad modum imponunt, vt faciebat Gal. omnibus rheumatibus affectibus: Vel ergo ijs leuissimis vterer, sicut esset oleum antiquissimum, cui ob uetustatẽ mirabiles vires accedere ad neruosas partes doloribus, & tensionibus liberandas, vsus ostendit, oleum e luteis ouorum parem facultatẽ habet, oleum de Myrrha, Mastichinum adducit vim re primendi. Certè alijs valentiorib. reprimentia adijcienda, vt sunt rosarum folia, malicorium, nuces cupressi, myrtus, & pyrifolia, & similia, proportione vi rium hæc genera coniungendo, vt si vino tãtum calefacto ad ignem libuerit vti ad materiam digerendam, rosæ satis esse poterunt eius calori, & solutioni moderandæ, cum præsertim vis reprimens non par ua in vino reperiatur, si saluia, chamæpiti, roremarino, anetho meliloto, & alijs id genus vtemur, tunc valentius astringentia erunt pro horũ ratione adijcienda, &, quod de Galeno dixi, idem de reliquis est intelligendum, inter olea ad contrahendum, & mo derandam vim soluentem est rosa, ad digerendum autem est, quod fit ex saluia, chamæmelo, anetho, hyperico, castoreo, vulpe, maximè autem, quod ex iunipero, ex terebinthina, succino, & quod ex cera, possunt etiam ijs pinguedines adiungi, & medullæ, neque deerunt olea, & emplastra, quæ apud principes viros à pharmacopolis nobilioribus ad neruos dolentes, & distentos componuntur, possunt adduci multæ herbæ ex iam dictis ad modum emplastri imponendæ; si libuerit autem horum in locum suffici poterunt vapores ex vinaceis feruentibus facultatem ex vtrisque à nobis propositis coniunctam habentibus, &, vt vsus ostẽdit, multarum virium in his affectibus amouendis poterunt, vapores aquarum thermalium, & earundem limus. Horum tamen vsui ea, quæ cogunt erunt subiungenda, (si illa eas vires mixtas non habuerit). At capitis aliqua ratio habenda, &, cũ lotiones adhibentur, in eis chamæmelum, cupressus, & rosa incoquenda. Quibus rectè adhibitis non dubito, quin sanitatem nobis optatissimã sis recepturus. De vitæ modo ferè nihil scribam, quoniam victus, & qui sub curatione habendus est à me fuit demonstratus, & qui reliquo tempore iã tibi ab alijs fortè sæpius fuit propositus, verum, quoniã uim multum vini simulque aceti in affectibus his omnes experimur, eorumque rationẽ valentissimam cogno scimus, propterea non possum non admonere te, vt acetum vites, & alba vina penitus caueas, nisi donec certus es, tibi corpus esse penitus expurgatum. Capitis etiam, quantum fieri potest, rationem habeas hor tor, vt ventos, ignem solem fugias, si non omninò, at ita certè ne modo calor horum, modo illius frigidus impetus moueat, quæ res maximè destillationes con citat, quæ ad articulos facillimè delabuntur. Credo frustra nitar, si equitationem, tam vsitatam ijs osten dam esse alienam, qui cruribus laborant, præter id etiam tibi volo significare, quod hoc antiquorũ fuit Medicorum præceptum, quorum tempore equitabant pedibus minimè insistẽtibus, sed pendentibus a cruribus: Cum verò naui vteris, non est vomitus fugiendus, qui proprie his affectibus submouendis facit complures alios longos finiat. Imo & is in vsu bis saltem in mense habendus est, & cum naturę infestus fuerit pilulæ aliquæ in vsu habendæ, quæ non solum purgent, sed meatus fluxionib. obnoxios cõ firment, vt quæ Myrobalanos recipiunt, sine quib. dictæ Arabicæ, & aliæ eiusmodi. De concubitu frequenti fugiendo, non est mihi necesse dicere, neque verò pluribus tecum agere, cum neque à Medicis, neque à prudentia tua cõsilium tibi sit defecturum. Mihi verò hæc satis, superque erunt, si eam gratiam quam mihi apud te Dominus meus iam comparauit hoc officio retinuero, & his literis ad mei memoriã apud te illud habueris consignatum. Vale.

Pilulæ, quæ vtiles esse cõsueuerint podagricis stante vigentibus mihi obseruatæ sunt hæ.

℞. pilularum sine quibus } an. ℥.s.
Cochiarum }
De Hermodactilis }
Cum aqua saluiæ f. p. 7.

Pro vxore Comitis Landriani de Cancro.

CONSVLTATIO CCCCIII.

QVæ ex literis Lucæ fornij Medici de Illustrissimę Comitissæ Landriani valetudine accepti, sunt huiusmodi, vt ex ipsis alia quidem cancrum, alia eius materiæ varietatem demonstrent, cancrum eum morbum esse illa ostendunt, venę vtrimque nigræ, tumentes, vlceris oræ inæquales, callosæ, doloris species pungentis, calor altè conclusus, color liuidus (nisi per pallidum accipiatis vos luteum, & qualis in ictericis cernitur, quod non iudico) testatur idem orientis tumoris ordo à ciceris paucitate paulatim in magnitudinem aucti, & sine dolore exorsi, multiplicem huius mali materiam illa esse declarāt, primò ex vna parte excrementum illud albū, quod in maligno vlcere, cum non pus significet, pituitam certè subesse in eo malo persuadet, cōtra calor, cum sanguinis non possit hoc loco nota esse, bilis quidem certè erit, quam bilem exustam, cita ipsa exulceratio, maximè cum summam tantū cutem primis diebus exederet, & non vno tantum loco eam aperiret prorsus significauit, vt iam vlcus altè penetrans digestas iam tenuioris eius humoris partes denotat, subsistendo siquidem eius naturę humor per se exuritur, & partibus tenuioribus sic absumptis crassior relinquitur, & inde non potest ad summam cutim peruenire, itaque in alto subsistens vim aliquam caloris retinens cineris instar eius doloris quasi ferientis, & caloris sensum mouet, præterea sua crassitudine, qui casu in venis est, non potest venas euadere, neque ad tumorem, aut vlcus peruenire, & in venis subsistens illas reddit nigras, & tumentes, singulę autem tantum vtrimque venæ in hoc tumore cernuntur, quod fortè ibi non sint aliæ, quæ ei crassitudini excipiendæ pateant. His ita propositis, huius mali natura in conspectum adducta est, quanquā illud quoque animaduertendum, quod excrementi pituitosi cursus, non solum ibi substantis humoris varietatē, sed aliunde incumbentem pituitam significat, præsertim quod imbecillitas huius partis vlcere maligno obsessæ ipsa, & per se est ad omnia corporis recrementa excipienda, tum propter dolorem etiā attrahēda idonea, & facile reliquis causis pituitosi decursus potest esse coniuncta, in quib. verò causis generandæ pituitæ illæ potentes sunt, ferè, quod Medici tamen semper ita esse existimant, vt corpora, quæ calidiori iecore sunt, ea ventriculum frigidiorem, & caput recrementis obnoxium sortiantur, genitę verò defluxus fit, non solum, quoniam pars imbecilla est, & dolore, ac calore attrahit, sed quoniam viā factā ab vlcere inueniens, natura recrementa illac propellit, quare illud non erit valens argumentū, quia pituitosum est excrementum ideò ipsum quoq; tumorem esse pituitosum, cū aliunde pituita demitti possit, melancholia verò, neque tam liquida est, vt facilè vlcus euadat, neque quæ extat tanta aut tam conspicua est, vt non possit tota eius species à pituita occupante superari, ergo vt causa abundantiæ horum humorum, & impuri sanguinis, est menstruorū suppressio, vtque propria bilis, & melancholiæ origo, vitium est ipsius iecoris, sic propria ipsius pituitę causa, vel in vētriculum, vel in caput est referēda, quod internoscere, & definire poterunt proprijs notis illi medici doctissimi, quorum cōspectui hæc subijciuntur, ratio autem curationis fiducia quidem caret, vt cum Hippocrate omnes periti Medici testantur, maximè quoniam curatio ferri, & ignis, quæ hic fortè esset necessaria, tamen certè non satis tuta est, aut va-

A lida, & potius necessitate, quā spe aliqua exitus huic nequaquā est adhibendus, prohibet enim sedes ipsa cordi proxima, & corporis cōditio delicatior, quare vlcus potius est leniendū, quam curandum, vt si non sanescet, ad interitum saltem non festinet, toti verò corpori omninò cura sua tribuēda est, sanguine eius expurgando, & naturæ suę integrę restituēdo, expurgatio postulat, vt abundantiam, quamuis vitiosam, primo secta vena detrahamus, ea parte, qua primum educi potest, quæque ei proxima est, quæ illius abundantiæ causa est, hoc est, vtero, qui iter mēstruorum non habet liberum, & purgationem sanguinis menstruam prohibet, incidenda itaque vena, primum cubiti interna, deinde externa, aut poplitis, aut tali, & humor proprio medicamento est detrahendus, qui

B tamen prius præparationem aliquam sui desiderat, quæ vna cum tēperatione quoque iecoris præstabitur, nam ijsdem potest fieri medicamentis. In his recenseri solent, polygonū, melissa, scrophularia, propter propriam vim, buglossum autem, succus malorum, & similia propter cōmunem, quæ eadem post purgationem corporis, detractionemque humoris erunt idonea visceribus à feruore liberandis, & meliori conditioni restituēdis, alia autem vna cum his coniungenda, quæ dum humores incidendo ad purgationem parant, vias quoq; aperiunt. Vt oximel, fumus terræ, lupuli, asplenum, caparorum radix, & similia; Purgatio subinde molienda, electuarijs quidē huic miscellæ variæ humorum accōmodatis, at paulatim repetendis medicinis facienda, in quem vsum

C solent vtiliter adhiberi illi syrupi in auctorem Montanum relati, a Rasi ferè descripti, ex myrobalanis, sena, veratro, & alijs quæ horū vires moderātur, cui purgationi per aluum factæ rectè adiūgeretur meo quoque iudicio illa, quæ per vrinam, & per sudorem reliquias eius humoris trahit. Vbi verò videndū, ne sub horum vsu longiori, iecur, & venæ exsiccentur, & inde eius humoris subinde contrahendi maiorem & magis necessariam occasionem habeant, quare, si sensus est verus nuncius virium caloris, & frigoris, si facultas medica gustu est æstimanda, hac in re certè aut salsaparilla, aut potius China, vt minus calida, minusque exsiccans guaiaco est præferenda, quæ gustu minus caloris, & siccitatis habere sentitur,

D quod si aliquibus aliquando ipsa effectum caloris intulit, id quidem fecit mouendo humores, quibus eorum corpora repleta erant, nec ab illis expurgata. Balneorum quoque vsus post purgationem vtiliter adhiberetur, nisi insueta admodum illi sunt, quoniam humores in ambitu corporis subsistentes adhibita balnea euocarent, & præterea meliorem habitum, & bono sanguini generādo magis idoneum redderent, interea alijs auxilijs viscera restituenda sunt, & viæ menstruorum aperiendæ ad quod faciunt quidem eadem remedia, quæ superius humores, & corpus ad purgationem parabant, & per sudores, ac vrinam educebant, ijs tamen alia erant adiungenda. Post purgationem autem vtiliter dabuntur flores vtriusque buglossi, maluarum, fumi-

E terræ, saluiæ, rorismarini, violæ, & rosæ ex saccaro conditi, quorum frigidiora quidem ad frangendum sanguinis feruorem danda sunt, à quo feruore malus is humor, quam maximè generatur, calidiora verò ad eum humorem extenuandum. Caro quoque viperæ quibusque modis propinata hæc vitia emendat, ad quod summè facere creduntur ex illis, quæ latente vi ad hoc commendantur maximè, quidam lapides, vt saphyrus, atque smaragdus verus, quoniam curatio huius vitij habebit spatium, quo certè morbus vita manente, peior fiet, propterea non est prætereunda assidua detractio eius humoris, qui continentur in hoc corpore generatur, tum aperiendis venis ijs, quibus primum euadere potest is hu-

is humor, scilicet hæmorrhoidibus, tum medicinis iisdem repetendis, quæ superius compræhensæ sunt, & præcipuè sytupis dictis, aut etiam sena tuto modo parata quæ medicinæ quoquo mense saltem erunt reperendæ, rariusve, aut crebrius, pro ratione corporis, & temporis. Vlceri ipsi autem leuantia potius medicamenta ad leniendum, quam irritantia ad purgandum, & eximendum, sunt adhibenda. ac quoniam calor ille altè conclusus ex reprimentibus magis increscerer, &, vt sæpè fit, intus inflammationem excitaret, propterea à reprimentibus ita cauendum, vt neque solis, neque valentioribus. Ex medicamentis verò superandis, potius vterer vsitatis, & quorum facultatem nobis vsus ostendit, quam nouis, & nunc demum prolatis, inter illa est, solanum parce adhibitum propter adstrictionem plũbum, tutia, lythargyrum, cerussa, pinguedo vituli, oleum rosaceum, amygdalarum dulcium, nostris tẽporibus herba illa dicta Virga aurea valdè commẽdatur in hunc vsum, quo nomine tamen non omnes eandem herbam accipiunt. Vidi ego vlceri altissimo, & magno vt pugnum recepisset eiusmodi sublatam esse malignitatem ab ægyptiaco diluto, & aceto. Sed nisi præsens essem id consulere non auderem. Quidam circumforaneus secreto habebat in vsu puluerem stercoris asini cum puluere ranunculi: Verum in longis morbis viuendi modus summe potest, quare eo diligenter ægra est ordinanda, in quo ego non ero multus, cum quisque Medicus rationem ciborum teneat, vt nullus sit, qui velit potius ex meis, quam ex grauissimorum authorum scriptis eam cognoscere, quæ quidem ratione loci & tẽporis est moderanda.

Pro vxore Excell. Tyberij Almerici cum Excellent. Amerigo Samperolio, & Gradario.

CONSVLTATIO CCCCIIII.

MVltiplex profectò malum est propositum, ac nisi per vos tam dilucidè, tamque distinctè fuisset explicatum, ego nescirem, vnde nam potius initium dicendi facerer. Nam omnia quidem a suppressione mensium exorta sunt, tamen ita singula per se suas egere radices, vt seipsa sustententur, & propriam desiderent cum rationem; obstructio namque iecoris tam multa, tamquam grauis, quæ febris etiam causa est, à suppressione menstruorum illa quidem facta sustinetur ob sanguinem crassum spatio ipso longæ retentionis assatum, tamen propriam iam tenet, firmamque compaginem accedẽte lento, glutinosoque a ventriculo succo per calorem iecoris attracto, calor quoque eiusdem iecoris, & cordis ab obstructionibus, & plenitudine malorum succorum, & putredine eorum factus est, dum obstipati humores æstuant, & putrescunt, tamen est timor certus, ne iam per se ac sponte is calor nõ solum in iecore, sed in corde quoque hæreat, & habitum eius iam consistens factus obtineat. Ventriculi præterea imbecillitatem ex iisdem prædictis malis profectam esse consentaneum est, nempe è menstruorum suppressione; qua semper ventriculus per eam consensionem, quam vterus cum eo habet, afficitur, & iecoris infarctu spiritus, & calorem impediente, humoribusque crassis, & frigidis suo contagio ventriculum refrigerantibus, imò ipsam quoque insedisse, atque habere iam frigus in ventriculo hærens, est verisimile. Destillatio tandem existit ex detentis humoribus, ex colliquante eos febre, & in ca-

A put tollente, tum caput etiam calefaciente, quo citius attrahat, vnde colliquatus succus demittatur, attractus a cordis præsertim calore, & recurrat ad inferiora, pectus, & pulmones, ac ipsa quoque destillatio capitis proprium malum habere sui causam iam potest, quare hæc mala non solum mutuam habeant materiam, & originem, & aliud ex alio nectatur, sed propria quoque habeant fomenta, & radices. Suppressio quidem menstruorum ipsa nota est. Causa eius, timor est, ne sit durus tumor ad vteri os concretus, quoniam incepit a prima coniũctione cum viro dolere in ea parte, & duri nescio quid persentire, & vna menses supprimi, imò consentaneum est totum vterum iam inde induruisse, quo suppressus sanguis ad illas partes decumbẽs ibi

B retineatur, vt dolores temporibus mensium demõstrant, & quoniam sanguis diuturnitate factus crassior, & melancholicus, & quoniam dolor non adest, verisimile est vterum refriguisse, & obduruisse eo sanguine crassiori. Habuit aliquando pondus, & habere solet tempore mensium, quod tumorem exaggerari significat, ipsa conuertendo se in alterutrum latus sentiebat aliquando illud pondus, imò etiam in ventrem prona. Nunc in latus incumbens non sentit, aut, quod vniuersus iam vterus occaluit, & obfirmatus est, aut, quod ex missione sanguinis iam facta imminutus est tumor, latet enim intra pubem vterus, cum secundum naturam se habet, nec ita facilè manu persentiri potest, nam quod, cum in

C sinistrum latus incumbit inane ilium dextrum sibi videatur, forsan iecur descendens suo pondere in eam partem inane ilium relinquere significabitur. Iecoris obstructiones tensio maxima præsertim dextræ partis denotat, quamuis non ita multum illa dura sit, eius causa feruent humores detenti, qui replendis vijs iecur calefecere, quid sic attrahens valentius a ventriculo, cum ab vteri consensionem affecto, & imbecillo, tum ob rationem victus prauã, multitudine, & vitio ciborum attraxit etiam crudos succos, & ita infarctum est, vnde febris sequuta est, vnde diarrhæa illam partem sui multam accipit.

Accipit enim ipsa multum quoque a ventriculo cruda detinente, quæ, cum non ita necessario subito ex intestinis excernantur, in illis retenta putre-

D scunt, facilè verò hoc faciunt, quoniam πεπανοις illa imperfecta potest quidem auferre calorem proprium a materia cibi, at imprimere firmiter alium, à quo conseruetur, non potest, & ita materia illa a calore deserta suo anceps, & infirma facilè a calore intestinorum putrescit, tanquam proprio infirmato calore facilè superato ab ambiente, & ita fæces fædo admodum odore demittuntur. Febris signa occulta non sunt, cum tangentes, & calorem eius, & concitatas arterias percipiamus, quæ cum ad vesperam intendatur, & altero potius quoque die, humorem putrescentem sequi necesse est, & bilem illum admixtam habere, cum tamen nunquã quiescat, & sine annotatione increscat, sine que vllo frigore, necessario intra venas putredinem habet, cu-

E ius humoris quoque putrescentis notam affert vrina flaua, & in rubrum aliquando inclinans; quod scilicet multos humores putredine, & calore exustos tener. Destillatio per se conspicua est, natura eius per colorem significatur, & per saporem insipida est, & alba, & pituitam denorat.

Cuius causam à febre colliquante ea, quæ à ventriculo cruda suggeruntur, & in caput efferente venire iudicauimus, periculum ab hac nullum esse putamus, dum insipida manet, & non retinetur in pulmonibus, nam tunc salsedo superueniens vlcerationem minitaretur, retenta verò etiã vltra viginti dies pituita suppurationem.

An verò febris in corpore & habitu ipso cordis hę-

reat,

teat, dubium facit longinquitas morbi, & corporis macies cum asperitate coniuncta, quamuis sentiamus nos, quod pulsus durus non est, ueque calidus admodum & satis plenus, seu magnus, ne à Galeno repræhendat vt potius mortem sua vehementia febris, quam maciem timendam demonstret. Sed quid agendum? Mẽses essent reuocandi, qui suppressi maxima & prima mali causa sunt, at quoniam antecedens interna causa suppressionis tollenda prius est, quę eadem est malorum omnium sustentatrix. igitur ea remouenda multam partem, & primam, curationis reliquorum malorum habebimus, & vna opera plures vtilitates consequemur.

Hoc igitur faciet & febri, & obstructionibus, & destillationi absumendæ, propterea videndum, quibus modis id præstari possit. Purgatione quidem egere B satis conspicuum est, quoniam malis humoribus corpus refertum est. At detractionem sanguinis vtilemne putemus non ita certum, tamen, quoniam magnus morbus est, & etiam præceps est, quoniam vires tantæ supersunt, vt à sanguine malum posse increscere significent: oportunam fore sanguinis detractionem putarem; quod si vires non tantę supersint, quantas larga semel facta sanguinis missio postularet, tantæ tamen sunt, quantæ paulatim faciendæ missione ferendæ sufficiat, quare, si non paucus, certè partito sanguis mittendus, rem tutiorem efficiet, omninò enim mittendus est, neque hãc rem differem, cum præceps malum ipsum sit, postea pararem humorem ad purgationem vnaque & iecoris dyscrasiam, & obstructiones auferrem, & ventriculo quoque consulerem, cui rei syrupus ab Excellentissimis doctoribus propositus ex cicoraceis omnibus mihi facere satis videtur, primò tempore sine Rhabarbaro, postremo verò cum Rhabarbaro; inde enim apertionem, abstersionem, attemperationemque sperare possumus, inde robur visceribus restituetur. Humores extenuabuntur, attemperabuntur, & paulatim educentur, neque interea alio vterer medicamento, cui subiungerem purgationem, si tamen fuerit necessaria; & per aluum teneram satis pro vsu expurgatum corpus non videbitur. Certe ventriculo exterius adhibendis idoneis prouiderem; quoniam inde materia proficiscitur, quibus perfectis, si vita & vires suppetunt, tunc ad menses euocandos erit accedẽdum, & quoniam tempus multam potest afferre occasionum varietatem, ideo pro tempore consilium erit capiendum, & de mensibus, & de alijs curandis.

Aliquo tempore post macie confecta, & extincta est. Pulsibus facti minimi, creberrimis duri, & imbecillibus.

De Auij Doctoris Iuris filio, debilitate artuum occupato cum Excellentissimo Belo & Abiorige Samperolio.

CONSVLTATIO CCCCV.

DEbilitatis, & vitij speciem cernimus eiusmodi, vt nec firmiter tenere artus possit, nec motu certu agitare, aut regere, sed, cum mouet, debiliter id agat, cum quiescit, & iacientia habet membra, ac reposita, quietem illa non seruent, nec firmiter continere se possint, quin aliquo, incertoque motu agantur, vt vel caput ipsum certum nutum non possideat, quod dum loquitur vna cum lingua titubante, & minimè composito pro dignitate motu regitur, lingua A etiam hebes est, & vix formare voces potest, quasi balbus, aut blæsus sit, noctu sæpè expergiscitur, & artus commouet, ac quasi molestetur querulus est, os humore refertum expuere tamen ob eandem debilitatem nõ potest, & demum nares quoquo plurimum demittunt humoris, vt ad eam debilitatem, & in certam motionem plurima excrementorum pituitosorum humorum afluentia accedat.

Hic corporis omnis pars motui inseruiens malè habet, & propterea princeps pars, in qua est fons huius facultatis, omninò affecta esse existimãda est, quod est cerebrum, cuius malum sic solet ęstimari, vt tunc ob calorem esse, cum munera vitiosè obit, iudicetur, ob frigus verò tunc, cum debiliter. Hic verò partim vitiosè, partim debiliter obeuntur: quare nõ possumus ex sola discrasia hoc malum deriuare, quæ in seipsa contrariam superantiam habere nõ potest, itaque aliud momentum huic malo adijciendum est nempe materiam, à qua vt frigidiori, & humidiori fit, ne motiones firmiter edantur, vt verò mobili, halitumque per musculos identidem emittente crebræ illæ motiones cietur, quę quidẽ materia, totis neruis emanãs. Si crassa, & multa, aut acris esset, conuulsionẽ profecto efficeret, at quoniã quamquam generis pituitosi, tamen tenuis roridaque est, ideo potius relaxat, quod ex specie ipsa symptomatis percipitur, vt si vnam tantum partem nerui occuparet, si crassa, & multa, paralysim, si acris, & mordax conuulsionem agitatis motionibus faceret, quæ tamen materia, etsi totius corporis artus lædat, non tamen in cerebro re- C sidere meo quidem iudicio est existimanda, nam tũc suo humido genere somnum quam maximè aggrauaret. Frigore quidem cerebri, & capitis fieri credam; cerebri frigore, quod ex illius actionibus nimirum remissis apertissimè cognoscitur; ad neruos verò demissa sic tenuis, omnia perpetratur: genita itaque in cerebro frigidiori, etsi humidior sit, ipsum tamen non humectat, nam illam vt alienam suo alimento statim eijcit, cum sua natura cerebrum fuerit siccum, vt ex acri ingenio eius adhuc pueri intelligebatur, vt ex eodem nunc tardiori facto frigidius cognoscitur, quo etiã ipsum sua siccitate impedit, quin somni producantur, quæ omnia debilitatem quoque possunt augere.

D Ergo in cerebro frigus est, quod ex procatarcticis causis quoque cõfirmatur, qualis fuit inspersio aquarum frigidarum in caput cũ efluuium sanguinis per nares haberet, qualis fuit idem sanguinis nimius efluxus, & veneris vsus. Ex efluxu enim largiori, & veneris vsu nimio in puero frigefactum esse cerebrum facile potest.

Verum quo pacto membra etiam reposita mouẽtur motione, quæ non solum non secundum voluntatem fit, sed neque quidem à voluntate. Dico esse necesse vt aliqui fumi vna cum spiritibus commixti ab humore dicto ad neruos permeent, & ita artus exagitent leui quidem illa exagitatione, quoniam fumi pauci sunt, & leniter influunt cum spiritibus his deductis. Alioquin si multa, & proprio impetu E erumperent, conuulsionem facerent, vt morbus iam non solum ad instrumenta, sed ferè ad facultatem his aduenientem pertineat, vel spiritum, materia vtrumque genus afficiente.

Ergo materia primum euocanda est, primum ex toto corpore, deinde ex capite ipso, illud accipiendo intus, medicinas hoc euocantibus errhinis, & alijs, in quibus nux myrstica semper habenda est, sic enim materia, quæ in capite generatur a frigidiori temperatura, aliò reuocabitur, ne ad neruos emanet, quibus factis euocanda quoque erit sinapismis, & vesicam inducentibus ad scapulas, & vel ipsi capiti ingestis. Quæ, nisi satis sint, sumendæ erunt potiones exsiccantes, vt ex guaiaco cum salsa parilia, &

ex

ex aquis naturalibus medicatis, ex quibus ſtilla in caput quoque iniecta niſi per ſuperiora accipiendo potuerit ſaneſcere, erunt accommodata, quæ fortè non erit neceſſaria, ſed quod maius eſt, requiritur prudẽtis Medici iudicium, qui hæc mederetur, & pro tempore adhibeat ope ſemper diuina implorata.

Purgando huic corpori poſtremò bis, aut ter darẽ pilulas cochias neruis opprime aptas, ac quo viſceribus etiam eſſent magis ego Rhabarbarum adderẽ. In curhinis aqua vterer parietariæ, aut ſucco in quo Amaracum maceratum eſſet, & ſaccharum adderem, aut Manna. In maſtichatorijs præter illa communia etiam nucem moſcatam vellem. Reliqua in dies erunt incidenti cuique neceſſitati attẽperanda.

Cum Excellentiſſimo Ambiorige pro puero agylope affecto.

CONSVLTATIO CCCCVI.

PVs copioſum eſt, & preſſo angulo propè naſum confertim exit, quandoque etiam emanat ſua ſponte, non tamen pariter ſe habet, nam aquoſum partim, partim verò craſſum pus eſt, oculus interea nulla inflammatione tenetur, ex quibus confici poteſt, quod fiſtula ſubeſt, quamuis id videatur repugnare, quod nulla ſentitur durities tangendo, copia enim puris vna confertim exiens ſinum neceſſario habet, in quo conficiatur, nedum, in quo congregata maneat, vt compreſſione facta ſtatim vna exire poſſit, qui ſinus non poteſt nõ vetuſtus eſſe, nec non multo tempore ſubſtitiſſe, cum notę dictæ iam diu extiterint: primo locum eundem non tenebat malum, tandem duo iam anni ſunt, cum hæret in angulo eodem, quare ſinus is callum certè contraxerit, & facta fuerit fiſtula quæ propria auxilia deſiderat. Teſtimonium Galeni quoque eſt in lib. de tumoribus præter naturam, quod ſinus, niſi citò curetur, callum contrahit.

At cur non ſentitur durities? mirum ſanè hoc eſſet, niſi compreſſo loco fouea perciperetur, quę denotat exceſſum locũ recipere calli corpus intra ſe, imò ex inferiori parte os eſſe corroſum, & ab ea parte nullum eſſe callum, parte verò ſuperiori, ob ſpongioſum carnis eius habitum callum nõ habuiſſe ſuæ duritiei occaſionem in tenero præſertim puero. Sed vidi ego etiam in ſenioribus idem, hoc eſt nullã duritiæ fiſtulam, quæ ſæpenumero, & longis interuallis tumeret cum dolore.

Cum ergo quærat propriam curationem hic locus, videndum eſt, num aliunde habeat, & à quo ſuſtentatur. Principio oculus malè habebat, modo vna, modo alia parte, poſtea ſubſtitit, hinc colligo defluxionem aliquam tunc eum tentaſſe, quæ ſuas quoque hodie habet notas, nam eius tempore frigoris motionis quam cuiuſdam ſenſus ſæpè exiſtit, in capite etiam veluti lychen quoddam hæret aſper, atque aridus, quamuis toto reliquo capite, & facie nitida ſit, & minimè ſcateant humore, coloreve aliquo alieno, & excarnia habeat omnia circum caput, erit ergo capiti quoque proſpiciendum, & quoniam caput neque calorem multum, neque humorem ab origine ſuæ naturæ habet, ſi ſiccitatem eius, & tarditatem capillorum originis, & colorem ruffum eorum ſpectemus, prima culpa generationis eius mali in iecur ſanè eſt maxima parte referenda, humor ſiquidem, & calor capiti aſcititius eſt, non à natura inſitus, quare à materia illuc confluente à ventriculo, à iecore neceſſe eſt: fuit quidem occaſio à variolis, cur oculus hic dexter male haberet, à iecore in dexteram partem potentiori maximum fuiſſe initium per calorem eximium, & bilioſum humorem erodẽdum eſt, calidum ſiquidem iecur eſſe ex abundantia bilis in puero intelligitur, & etiam ex coloratiori facie, nam quamuis, vt è moribus intelligitur, cor non ſit admodum calidum, vt neque caput, tamẽ rubicundus ſatis puer eſt, iecur itaque calidius, quare caput, & iecur ipſa quoque auxilium deſiderant, iecur quidem refrigerationem, caput verò robur, quo non accipiat, & acceptum humorẽ diſcutiat, neque ad oculum tranſmittendũ ſeruet, aut ſuo humore aſcititio augeat, quare non erit inutile, ſi caput exſiccetur, ne excremẽtum, dum inſueta habet naturalia narium, & palati itinera iam tanto tempore ad oculum conuerſum, etſi exiguum fuerit, congeratur, quoniam exitum alium non tentat natura, præter hunc, qui eſt ad oculum, & in oculum affluat: itaque exſiccetur adeò caput, donec natura paulatim deſueta hoc exitu lachtymæ alias ſibi vias magis conuenientes paret, quod exſiccando etiam oculi angulo, & aperiendis alijs vijs efficietur. Ergo non erit malè conſultum ſi in ſiccandum caput, & oculi angulum penitus conſilium intendamus, & aperiendis alijs itineribus operam nauemus, quæ iam tutò fieri poſſunt, quoniam corpus multòties repurgatum eſt, quare refrigerando iecori, exſiccando capiti, aperiendis vijs naturalibus omnibus iam opera danda. Saccharum roſaceum iecori, capitique contulerit, myrobalani idem facient, vt diarrhodõ Abbatis cum diamuſco Maſticatoria, atque ſternutatoria aperiendis vijs. De externis verò adhibendis, pulueres ſunt, & lotiones meditatæ capiti exſiccando; quibus præmiſſis locus tutam ſui curationem habere poterit. Vbi ſinus humidus exſiccationem vehementem poſtulat, calloſum verò corpus abſciſſionem, ſeu conſumptionem. Aperiendus igitur locus eſt, vt ea moliatur, vbi ſi os vitium habuerit, ipſum quoque abradendum, quia vero lachrymæ is naturalis eſt, locus, & propterea aſſueuit iam hac profluere, ne aſſiduo eius decurſu ſaneſcere locũ impediat, fortè eſſet vtile aliam viam ei per naſum parare, oſſe ibi perforato. Dico fortè, quoniam aliqui medici, & grauiſſimi quidẽ, vt Paulus, authores ſunt, non eſſe ita probandam hanc curationis rationem, quam recentiores tamen conſtanter proponunt, & mihi videtur hoc loco valde neceſſaria, accõmoda, os tenue adhuc eſt, tenera etiam num ætas, lachyma iam diu aſſueuit decurrere, nec alioquin facile auerti poterit, quare eò deduci potius debet, vnde liberemur timore vt ne vlcus ſaneſcat, ac manens ſemper, fœdius fiat, & perpetuum incommodum pariat. At verò, ne coniunctiua vitietur extra oculi angulum locus eſt aperiendus, linamẽtis verò via vſque quo perueniat ſinus, facienda, & ignito ferro candentique os perforandum, ac ſi corruptum videbitur, abradendum, atque igne ſiccandum, relicta verò lachrymæ in nares via per oſculum oſſis paratum, exterius cicatricula obducenda eſt. Modo verò, igne ne cutis vna cum oſſe reſeranda ſit, an ferro ipſa prius aperienda, quod commodum erit, & animum dabit chyrurgo. Profecto vtrumque igne in paruo puero fieri poſſe videretur, medius certè locus deligendus inter nares, & angulum ipſum vt lachrymæ ſit vtilis, & coniunctiua non lædantur, decliue autem foramen imprimendum vt facilius lachryma delabatur. Ignitum porro ferramẽtum per fiſtulam firmiter applicatum imprimendum eſt, donec os penetrarit, quod ſi ex argento eſſet, lautius vreret, ſic coniunctiua à feruore defenderetur.

Is malè à chyrurgo curabatur, poſt foramen factum. Sic foramẽ multos annos ſtipatum carne fuit, tandem apertum à natura humorẽ in nares detulit.

Mala curatio erat, quòd filamenta ipſe ſurſum impellebat, non deorſum in nares, & ita via in nares obſtruebatur.

Pro Sereniss. G. V. V. D. ad H. Capiuaccium de Podagra.

CONSVLTATIO CCCCVII.

IAm annus agitur, cum valetudinis tibi antea cognitæ Serenissimi G.V.V.D.D.M. notas quasdã, quæ mihi continuo accersito ab ipso fuerant propositæ, per epistolam ad te misi, vti ea valetudo, quæ indies peior fit, quæque tibi summa fide iam commissa, & tuæ curæ credita fuerit, pro tempore tibi etiam, atque etiam innotesceret, vt pro ea muniendæ fieret tibi potestas auxilia aliqua assiduè excogitandi. In quo ego præstando Duci meo Serenissimo tunc in ea re quoniam eram nouus, non decere putaui tibi summo Medico multo antea de ea re sępius consulto aliquod præterea iudicium proponere. Nunc verò in eodem malo, cui iam assiduè interfuerim, non solum a te consilium tuum, sic iubẽte Domino, requiram, sed iudicium quoque meum vti decet exponam. Malum quidem potissimum & Chiragram, & podagram spectat, & eiusmodi est, vt potius spatium ipsius, quam molestiæ vehementiam vereamur, cuius quidem duplex tentatio fuit. Prima ad 40. dies pressit, easque habuit progressiones, vt primum, sinistrum pedem, postea eiusdem lateris manum, tum autem dextrum pedem occuparet, & partes sinistræ, quæ priores laborare cæperat, postremo fuere restitutę: quiescente ergo illa prima tentatione ipse bona vsus est valetudine ferè totos 16. dies, nam manu tantum vix implicita commodè interea incedebat, quo tempore, prima Quinctilis. s. huius mensis die cæpit rursus sinister pes noua grauitate onerari, & sic grauis factus hucusque nunquam perfectè visus est sanescere, & si interdum aliquibus diebus quiescere malum videatur, & ipse cõmodè & insistere, & ingredi possit. Quæritur igitur discussio huius mali leuis quidem, sed à quo metus est, vt possimus tuti esse; æstas est, corpora extenuantur, humores exsiccari solent præsertim ad articulos decurrentes, tamen nũquam tam securi simus, quin subitò redeat. Eiusdẽ generis ferè est cum eo, quod per 40. dies prius infestarat, non tamen omnino. Quoniam superius quidem leuem quoque habebat dolorem vna aut altera nocte excepta, quibus vehementiores habuit accessiones, nunquam acutum, ferè hærentem, sæpè cum grauitate illa, qua videretur maximum, ac grauissimum pedem trahere, rarò aderat rubor, & cum aderat, exiguam partem occupabat, & adeò leuis, vt eum vix oculis assequeremur. & aliquando sub eo dolore pes tumebat, qui tumor rarò œdematosus cernebatur, nec vnquam sine dolore attingi digitis poterat, alioquin dolor quibusdã tantũ horis, & nocturnis præsertim accedebat, præter quas paucas horas ita quiesceret, vt nisi, cum vellet insistere, aut mouere eas partes, dolorem perciperet.

Nunc verò dolor ferè nullus est, & quantuluscunque est, is nisi post tertium ingressum mouetur, & quò plus incedit, eo potius magis augetur, rubor vix vnquam extat, tumor semper adest, & quando nullam molestiam pes habet, & omninò potest ingredi, increscit is aliquando, aliquando minuitur incertis temporibus, modo trium, modo quatuor, interdum quinque dierum. Mane semper minor, quam vesperi, semper pressu foueam retinens, & quandoque maximam recipiens, tunc verò præcipuè sine dolore, ruboreque est, ac potius lęuorem quendam perlucidum cutis præsefert; aliquando etiam colorem naturalem cutis retineat, qui tumor iam fe-

A rè nunquam tactus dolet, cum superiori tempore admotos digitos vix posset præ dolore vel admodũ suspensos perferre.

Nunc potissimum conqueritur, quod, cum ingredi vult, aut insistere, quasi sentit laqueum intra primam pedis partem & crus, qua pes cruri subnectitur, & si quis dolor ex ingressu incitatur, is non omnibus temporibus eadem parte fit, sed modo vna, modo altera. Ex ipso tamen ingressu, quo id fit mali, cum redit ad quietem, meliusculum inde factum pedem, & minus ligatum, ait, & minus torpidum, nam grauitatem hanc, & si cum dolore sit, nominat ipse torporem, vesperi tamen ob incessum tumor maior, qui mane ferè abierit. Remedijs admittendis non fuit facilis, nam, quo tempore sanescebat, B cum melius haberet, negligebat, cum verò malum ex incertis interuallis increscebat, si forte sub remedijs incrementum fecisset suum, statim culpæ in remedium relata illud reiectum est. De victu scias, eodem ipsum vsum, quo pleno etiam, & vario vteretur, cum se se ambulationibus exercebat, nam æstate superiori vel sub estu, exibat pedibus, neque equo, nisi cum fessus vtebatur; sub quo nunc victu, cuius pars non minima fructus sunt, præsertim melo pepones, & bellaria varia, ipse ferè parietes non excedit, & lentè admodum id facit cum habet, nunc non Vrbini, vbi cœlum tenue, rarum, atque quibusque ventis admodum perflatum est; sed Imperiali, loco mari vicino, Austrinis ventis valdè obiecto, & illorum C humori colligendo sinum quendam præstante.

Ac nescio an verear, ne fortè nimis aqua frigida oblectetur, non solum in mensa, cum vinum quantumcunque oligophyorum diluit, nam vel imbecilliora vina, quam sit illud optimum à tenissum, aqua quoque temperat, & ea valdè frigida, sed extra mensam quoque, nã suspicor, ne interdiu sæpissimè aqua sola vtatur, aut certè cum Iuleb, id tamen ipse non ita sæpè factum affirmat. Quod verò ad hanc rem quoque facere videtur, superioribus diebus mihi visus est eius ventriculus non tam bellè concoxisse, vt solet, & vt nunc facit, cuius quidem rei causæ plures, & longo tempore inter cessere, eorum præcipuè generum, quæ in rebus nõ naturalibus dictis, cerebro, & cordi molestæ sunt, ac fortè etiam num intercedunt, D etsi non tam ob consuetudinem afficiant. Iam ex his te odorari existimo, quorsum referam ego causam huius incommodi, sunt enim in his valentissimę causæ colligendorum, & gignendorum in corpore superuacuorum, vtriusque generis humorum, tum tenuis, & aquosi, tum crassi, & glutinosi, vt per cruditates, & corporis quietem, animi verò arumnas, & tristitias fieri solet, vnde nõ est mirum, si membrum aliquantum sua natura, tum ex morbo imbecillum, partem aliquã superuacui admittat, cum non possit se se ab impulsis humoribus defendere, nec quod inhęsit, à se reijcere, quæ verò res augetur, cũ pars sub motu laborem sentit, ex quo & trahit, & magis grauatur, inde fit, vt crassiori parte recrementi internas, tenuiore externas partes occupante, cum crassius nõ E ita, vt tenuius, possit ad summum corporis expelli, tenuis tumorem illum mollem foueam impressam tenentem parit, crassus verò altius, loca motui inseruientia tenet, impedit, grauat, ac molestat. Cuius rei neque indicationes, neque curationis ratio obscura est, modus potius non facilè tẽperabitur, qui eminẽtibus corporis partibus inferioribus pręsertim tractandis semper est difficilis, maximè verò hic, vbi in medio corpore, & in trunco, ac præcipuè in ventre est aliquid, quod possit curationem hanc, magna ex parte ad se vocare.

Abstinendum siquidem in primis esset, inde verò soliti eius ventriculi labores increscũt, purgatio corporis esset necessaria, ventriculo tamen, vt expertus est,

est, valdè erit noxia. Vinum circumcidendum, vt mouendis humoribus idoneum, at vètriculo, & ætati,& consuetudini omninò est dandum, aqua ei crudo humori gignendo potentissima reijcienda, quæ tamen temperando vino, ne humores moueat, videtur oportuna, motum corporis recrementorum discussio requirit, pedis tamen malum prohibet, en quam moderari in curatione sit difficile, & quam to tam hoc in se positam habeat valetudinis spem. De cibo itaque mali succi omnia, & mali fructus remoueantur, corpus leniter & paulatim purgetur, austeri aliquid habeat vinũ,& valdè sit imbecillum, exigua verò aqua,& optimi generis temperetur, neque tam multum frigida, neruosis partibus apprime aduersaria, si corpus præter eum pedem exerceri posset, id quacunque ratione certè esset præstandum, ac cum certi essemus corpus recrementis purum esse, tunc quoque pedi ipsi motus, qui alioquin inutilis est, fiet salutaris; qui eo attritu neruis cartilaginibus, & ligamentis robur, & firmitatem conciliat, calorem naturalem excitat,& alimentum affert, vt recrementis discussionem.

At hic quoque iudicium, & moderatio summè est difficilis, nam nunquam tam corpus caret superuacuo humore, quin pedes aliquid labore suo ad se attrahant, quæ difficultas in localibus dictis remedijs imponendis summa est, vt quotidie experimento & à Galeno, cum loquitur de rheumatibus docemur. Quod autem ad expurgandum corpus attinet, ventriculus quidem,& anni tempus multam sibi haberi rationem desiderant, quare longè difficilior erit hoc tempore deliberatio, quo tempore crediderim ita temperandum, vt, cum beneficium ex eo habeamus corporis inaniendi per halitum,& à moderata etiam abstinentia, plurimum sperari possit, ea vtamur vsu clysteriorum magis crebro interea adhibito, ac si calores aliqua mitiori tempestate frangerentur, danda erit aliqua ex tenuioribus medicinis: Interea cogitando, quid autumni tempore, ni hæc prius quieuerint, faciundum videatur. De purgando corpore, deque potionibus illis solitis guaiaci dandis, & videndum an tenendus sit victus in eis sumendis, vt hactenus fecit, an tenuior sit præscribendus, cum ventriculi ratio tantam abstinentiam recusare videatur, pedi interim, si qua adhibenda sunt, illa non improbarem, vt essent lotiones, fomentave ex aqua maris, aut per se, aut brassica, betonica, saluia, & præsertim syluestri, vt verbasco, iua, & alijs incoctis, cum œdematis vis superior est, quibus etiam valentiora à sale, & vino stillaticio addi possunt.

At cum rubor accedit, vnguentum rosaceum cum albo, & diacalcitis, vel ex farina lentium puls, vel ex pane, & lacte solis, aut cum internis corticibus nucleorum pini, vel cum salis paulo, furfure, & posca. Dolore autem vexante, illitiones ex oleo antiquissimo, incocta violaria herba, maluaq; seu earum floribus, parietaria, & aliquid lumbricorum, aut porcellorum sic dictorũ admixto lacte, vel luteis ouorum crudis aut etiam coctis, & in oleum liquefactis, oleo chamamelino, & de amygdalis dulcibus adiecto. Aliquando cum solum imbecillitati occurrẽdum est, ex vino fomentum incoctis rosis, chamæmelo, cupresso, chamæpyti, aluminisque paulo, hoc tempore diligenter consulendo an calefacienda sint fomẽta, an eo tepore, quem à tempestate habent, danda, cum calor maior, videatur fluxum promouere, oleum quoque aut cõmune, aut similium virium, qualium sunt res propositæ cum sale superdari posset. Illi proposuissem fotus vinaceorum, de quo si superit hoc malum eo tempore, tunc pro ratione eius erit consulendum; De quibus rebus nomine Serenissimi Ducis, & meo quoque te consultum his literis scias; nã præter id, quod te plurimum facimus, etiam hoc à te auxilij speramus, qui & remedia à te quoque comprobata minus grauatè admittet, & facilius in eorũ vsu permanebit. Vale, & me ama. Gradariæ oppido. 3. Calend. Sextilis 1573.

Pro hydropica Matrona de Caccialupis ad Ioannem Baptistam Gratiosum Medicum Vrbini.

CONSVLTATIO CCCCVIII.

Flatus non esset solutu difficilis vel in sene muliere, nisi illum materia, & materiam dyscrasia ac obstructio viscerum commeatum spirituum saltem impediendo sustentaret, propterea his causis attribuenda est curatio omnis, dolori tamen nimium in festo interea aliquid attribuendum,& flatus dolorem facientes submouendi. Dyscrasia viscerum frigidior in sene, & spirituum insitorum exiguitas, cum obstructione difficillimè recipit curationem, quare curationis quidem diligentia facere poterit, vt diutius trahat morbus, non autem vt finiat, nisi cum vita. Medicus verò, qui quantum valet eius ingenium debet eniti, ne vnquam ægrotum deserat, iure ea remedia proponit, quæ ego summopere laudo, imò illis, vt satis valentibus nihil adijcerem, nisi illam admonitionem, quòd moderatio vsus in remedijs dandis, & ordo accommodatus præstare solet, quicquid ab arte expetitur, quare qđ ætas, & morbus postulat in hac matrona, valẽtiora purgãtia, & virosa ꝑprie illa præterirẽ, & de antimonio nullũ mihi esset consilium, imò tantum de hiera, & rhabarbaro cogitarem, ac si aquam subesse intelligerem, illud hyssopi genus his adijcerem quod gratiolæ nomine appellatur, quod amarum herbæ genus est,& visceribus valdè amicum, atque aquæ educendæ valentissimum, at quoniam vomitum etiam vehementius mouet, sic moderandum crederem, vt à modico eius modo incipiatur, vel cum alijs, vel solum per se detur in puluere, vel alio modo, quod herbæ genus si desit, in illius locum sufficerem brassicam marinam cum Rhabarbaro, & hiera commiscendam omnibus melle rosaceo exceptis: iridem etiam apprimè idoneam ad abstergendum, & pituitam purgandam darem, eidẽ tamen adderem ea, quæ robur viscerum spectant, vt Rhabarbarum, veluti, si sumatur succi iridis ℥. 1. Rhabarbari ʒ. 1. coniungantur. Brassica quoque marina ad ʒ. 1. & duas etiam cum Rhabarbaro, vt dixi. Inter horum verò vsum interponendo semper ea, quæ flatum soluunt, vias aperiunt, humores extenuant, naturæ vim maiorem adijcianr, vt confectiones ex cimino, ex piperibus, ex galanga,& similibus, vt confectio mytridatica potius, quam theriaca, hæc enim magis exsiccat, & in ascire magis conueniret, vt illa magis calefacit, & minus exsiccat, & tympaniti conuenientior est, interea non reijciendo pro tẽpore, & morbi ratione nostrum illud medicamentũ ad hydropẽ, quod habet succi florum persicorũ lib. s. (vel succi rosarũ Damascenarum, vel aliarũ) sacchari optimi, mellis optimi ad ℥. 16. cocta vsq; quo despumetur, deinde radicũ iridis succi ℥. 3. radicũ ebuli ℥. 9. prasij sicci, sem. fœniculi tritorum ad ʒ. 2. cinnamomi ʒ. 6. maceris, galangæ ad ʒ. 3. quæ vna ad ignem leniter ad mellis temperamentum percoquantur, & datur ad ℥. s. vel ʒ. v. cum potione, in qua incoctæ sint passulæ, cui valentiori reddendæ. Solet adijci elaterij ℥. s. quo tertio quoque die vti possemus. Dolori verò,& flatui discutiendo exterius illa proposita admouerem, vt illud, quod habet succi lathyridis lib. s.

lib.s.ſucci eſulæ ℥.4. rad.cyclamini ℥.2. ſcamonei ℥.s. A granorum ricini, & lathyridis expurgatorũ an.℥.1.s. ſeminum fœniculi,rutæ,anethi,baccarũ lauri an.℥.1. Terenda trita in ſuccis macerentur per totum diem. poſtea axungiæ ℥.8.ceræ ℥.4. liquefiant ad ignem cũ his cætera, ex coquantur donec humor conſumptus ſit, & temperamentum Vnguenti habeant. Rationi quoque viuendi quod ad cælum, pertinet plurimum attenderem, nam in longis morbis plurima vis in eo eſt poſita,quare cœlum tenue ſit penitus, & rarum,ædificium ſit lucidum,& habeat ſolem,cibi ſint leues, ac ex materia boni ſucci acrioribus rebus conditi, potiones quoque eandem habeant rationem ex Vino antiquo potenti, & minimè dulci,quod tamen perlucidum ſit,ac tenue, & odoratum. Reliqua iudicio Medicorum relinquam.

Ad Gradarium.

CONSVLTATIO CCCCIX.

EXcellentiſſime mi Domine, cum tu & Lucianus Belus ſuſceperitis curationem D.Iulij Bonarelij, nullam video mihi relictam neceſſitatem ſcribendi huc de morbo ipſius; præterquam quod parum ſcribi poteſt, cum ille non ſe exhibeat remedijs cum ſe tam difficilem curationi præſtet. Nihilominus ego ſcribam,quod mihi debitum officium inducit,& bona voluntas, quam habeo erga eius cognationem. Febris hæc non eſt ex vna bile, quãquam tertio quoque die tentat ſuis exacerbationibus, ſed ex ea mixta cum humoribus, qui frigidi generis ſunt participes, quod ex longitudine acceſſionum, & ſomni, ex genere frigoris, & caloris, quæ acria non ſunt, tum etiam ex vrinis non ita flauis, minus ita lucidis, vt poſtulat ille humor purus, intelligitur. Itaque ego in animum induco,ne vacem vni refrigerationi præſertim in partibus externis, ſed incisioni etiam, & extenuationi, ac demum apertioni. Qua in re ea, quæ acida ſunt, niſi aliud noui inciderit, quo prohibeamini, proficient omni vſui præterquam apertioni. Requirentur poſtea radices vſitatæ. Acidæ res eo magis conuenient, quod in his tenerioribus corporibus ſolent gigni lumbrici, qui etiamſi non ſit primi in morbo, ſunt tamen valdè reſpiciendi, cum poſſint augere febris moleſtiam, cibi faſtidium, cruditates,& omne aliud incommodum. Quare,ſi alui vobis exuſtæ videntur, id a ſpacio temporis acceperunt, quoniam in ventre diu manſerunt, & a febre, atque ab ea humoris parte, qui ſolus ſine pituita poteſt exire, quoniam inædia efficit, vt natura pituitã retineat, & ex parte conſumat.

Hoc in vniuerſum poſſum proponere. Particulatim video ſubinde quod opus eſt, vt ij ſitis, qui inſpectores eſtis qui difficultati morum ægroti rem accommodetis, & alijs incidentibus neceſſitatibus, vt benè noſtis etiam me non admonente. Si paſſulæ illæ aluum mouerunt tam multum,facilè ſuberit ſolutiuum aliquod, ne dum ſit ſyrup. roſat. ſolutiuus, vt Apetecarij facere ſolent, atque etiam Medici, propterea non niſi ad neceſſitatem dandę ſunt,& rarius magis. Libenter quidem ego aliquid audiuiſſem de morbo. D.Margaritæ Bonarellæ, & miror, quod nihil de ea mihi ſcripſeritis. Valete. Gradariæ 4. Idus Auguſti Anno 1573.

De vetuſto dentium dolore cum deſtillatione in fauces.

CONSVLTATIO CCCCX.

Sereniſſime D. Colendiſſime.

VIdi ſententiam Bartholomęi Euſtachij viri Excellentiſſimi Romæ ſcriptam. Cognoſcitur, quòd ipſe iiſdem dirigitur propoſitis, quibus nos ipſi, & B quod fidit magis in moderatione vitæ,quam medicamentis,& id bona quidem ratione,quoniam in lõgis morbis; quamquã medicamenta neceſſaria ſunt, ſine tamen vitę genere,& ordine ſatis nõ poſſunt,quòd genus,quive ordo, temporis longo ſpacio maximas vires habet. Hic nos conſilia noſtra direximus in vna, & altera parte non ſolum a morbo, ſed à natura membrorum. In veſtra Celſitudine,quod capitis naturã calida,ſit actiones propriæ demonſtrant,omnes promptæ, celeres, acres, argutæ, quarum vna nunquam ceſſat, quin altera ſubingrediatur ſine ceſſatione,aut interuallo, pariter in motionibus corporis, atque in cogitationibus, & animi motionibus. Quam rem oſtendit ſomnus breuis, & interruptus. Ex quibus amplius colligitur, quod iſte calor cũ ſic- C citate coniunctus ſit,accedente capillo celeris ortus, & incrementi, vt coloris ſubnigri, & criſpo magis quam tenſo.

Vbi,quemadmodum ſiccitas bonæ capitis valetudini ſuſtinendæ idonea eſt, ita calor eſt valida cauſa eius infirmi reddendi. Quo, ſi caput Veſtræ Celſitudinis potius ſiccum fuiſſet,quam calidum,nos ipſum non vidiſſemus ita deſtillationibus obnoxium, Quare debemus nos ipſum ſtatuere calidius multò, quã ſiccum. Adeò quod indicia communia caloris,& ſiccitatis potius erunt effectã à calore, quam à ſiccitate. Hoc, quod habemus ab experimento, multum confirmat rationem à natura ductam,nempe, quod capitis calor etiamſi propria conditione caput ſanum deberet efficere, & leue à recrementis, nihilo- D minus totius corporis cauſa reddit recrementoſum. Et id,quoniam,cum habeat formam veluti cucurbitulæ medicæ circum ſolidam, & oſſeam, intus partim cauam,partim ſpõgioſam adiecto ei calore tam multi ſanguinis,& tam multarum venarum, & arteriarum,quæ neceſſariò cerebrum ipſum circũſiſtunt, ad vſum maximè ſpirituum in multis actionibus, nõ poteſt non continenter per vim attrahere ad ſe multum recrementorum ab omni corpore ad ſui incommodum,quanquam ad finem meliorem, & ob neceſſitatem,quam multorum ſpirituum habebat,factum eſt eius formæ ad attrahendum idoneę. Itaque, quotieſcunque calor ſuperat in hac parte ita formata, vna cum ſpiritu, & ſanguine trahit etiam multam re- E crementorum vim, Qua cauſa caput frigidum,quam uis ex ſe plura gignat recrementa,tamen, ſi non impenſius humidum eſt, non tam recrementis abũdat, quamquam caput calidum neque adeò infirmum eſt, quia caput frigidum cauſam in ſe habet vnam ptopriorum recrementorum, ſicuti calidum habet cauſam alienorum,& totius corporis,vbi eſt plus materiæ. Ideò mirum non eſt, ſi caput aliquando ſiccius,cum calidum ſit,recrementoſum tamen ſit. Cæterum,quoniam in iſthac ætate 23. annorum cernũtur aliqui capilli cani,quamquam non eſt dicendum adhuc, quod incipiat canities tam exiguo initio, tamen hoc citius videtur,quam in plurimis euenit. Atque hæ canities eſſe poteſt capitum non ſolum ſicco rum

rum sed frigidorum. Idcircò ego existimarim, quod caput non tam causa esset huius, quam ipse viuendi modus, atque aliæ res incidentes præsertim animi. Videmus quod quando solus est, manet sæpè totas horas in libris, & quamuis sunt multi nobiles, qui ei iucundi sunt, non ob id fit, quin tacitus fiet, & intentus suis cogitationibus, & hoc in more habet, præterquã quod obseruamus, quod nigri capilli facilè citoque canescũt, etiamsi Aristoteles canitiei facilitatem russis capillis attribuat. Canities euenit, secundum Galenum, & Aristotelem, quoniam deficiẽte pilis bono alimento ob naturalem siccitatem reficiuntur ex pituita eo modo, quo illi describunt, aut deficiente humorum exustione ob ętatem refrigescentem, restant pili colore destituti, & eum tantummodo colorem retinent, qui corporis sui est, qui à superuacuo cutis alimento cutis est, quod album, & pituitosum est, tamquam alimentum partis neruosæ. Quapropter mirabile non est, si caput aliquod etiamsi calidum sit, & siccius citò tamen canescere, præsertim cum pituita abundat. Non est itaque mirum, si caput natura sua aliquantò siccius, multò calidius non consumit omne illud recrementum, quod à toto corpore excipit.

De quo recremẽto illud, quod reprimitur per fauces, est crassius, non potest enim ad extima pertinere, & commeans per internos cerebri meatus calidũ esse non potest. At illud, quod ad dentes delabitur, aliquid caloris, & tenuitatis retinet, quia potest effundi ad externas partes, præterquam quod à partibus calidioribus, hoc est, à vasis, quæ in magna copia diuiduntur per membranas sub osse capitis, emanat. Quæ recrementa si solebant olim exire per cranium, & per partem meatuum refertam, & per cutim. Nũc præter illud quod ætas affert duritiei partibus, ob causas aliquas externas densiori facta cute non possunt. De quibus externis causis satis accepimus, vti, quod subitò post calefactum caput, galea in hastiludio ea detracta frigido cęlo se commiserit, vti quod fuerit in flumine voluptatis causa sub ponte vmbræ causa, per cuius fornicem flatus collectus maiori impetu percurrit, quam per loca aperta, & ampla. Ex isto corporis sui statu apparet, quod purgare se à superuacaneis humoribus valdè pernecessarium est, sicuti ratio viuendi eo instituta, ne illi humores increscant, neue in caput attrahantur complere postea, quod fuerit reliquum, vti quod necesse est attemperare caput manu medica, ne attractionem eam faciat, cum quibus tandem satisfaciet custodia à cœlo infesto, & ab omni alia re nocente, quæque possit caput mouere insolentius.

Quod restabat de purgatione per medicamenta proposita fiat, de quibus nõ dubitarim. Dicam equidem, quod pillulæ mihi magis probantur illæ præcipuè, quæ recipiunt myrobalanos corpore suo, quoniam illæ, quę macerationem tantum eorum accipiunt, ob exiguitatem parum poterunt. Arabicæ itaque pillulæ cum cochiarum, & aurearum auxilio pro necessitate fuere propositæ. Ad complendam verò eam purgationem vt venarum parietes abstergantur, & viscera, & membra confirmentur, ne tot recrementa gignant, propositum est ligni guaiaci myrobalanorum, & sandalorum decoctũ, quod vna cum vi diluendi, & abstergendi etiam habet aperiendi facultatem, atque robur visceribus conciliandi, tum etiam capiti, si benè eius omnes partes cõsideremus. Cuius verò capitis expurgationem non solum non tentarem per palatum, ne materia ad locum affectũ trahatur, imò ne per nares quidem, cum ea purgatio vim multam faciat, ne oculis detrimento sit, eousque ergo ei operam darem, quo satis esset conseruandæ illi viæ, si immineret periculum ne opprimeretur, præsertim, cum caput non tam opus habeat sui pur-

A gatione quantum haberet, si se ipsum id recrementi gigneret.

Cõsultum fuerat in externum remedium capitis, ne suo calore tam attraheret, vt acciperet in se cadẽs oleum rosaceum. Quod eo nomine guttæ videntur magnæ cõsiderationis, quamuis vti oleo rosaceo tutissimum sit, quia neque multum calefacere, neque multum refrigerare potest, minus admodum adstringere, quod potest alioquin multum attemperare, & confirmare.

Atque, si in capita vulnerata, atque aperta vsque ad cerebrum hoc oleum inijcitur, imò immaturum in magna copia, non video cur timeri debeat, si exterius ingeratur. Credo ego ipsum posse refrigerare caput nimis calidum, non posse verò nocere frigi-B diori, minus adeo adstringere, vt noceat, cum oleum dulce habeat. Quod si capita aliqua male habuerũt a stillicidio, id habuerunt eo, quod esset ex aqua minerali, aut decoctis herbis, vires quarum sæpè delectæ sunt ad exsiccandum, & vna nimis calefaciunt, præsertim si stillicidium calidum detur, in quo alumen mihi videtur magis adstringens, quam exsiccãs ipsas internas capitis partes, ea propter illud ego nõ probarem, potius ego acciperem sal per ignem extenuatum, aut nitrum suo loco. Quod autem ad dentes pertinet, si dolor eorum vehemens non est opiũ non ita facilè, neque modis omnibus adhibendum est, quamquam certiores sumus dolorem à calida causa proficisci, & solum cum vehemens fuerit. Na-C tura namque ossis non habet amicas res frigidiores, neque debent adhiberi nisi compositæ cum rebus, quæ ossibus conueniunt. Veluti cum mastiche, lentisco, & similibus. Adeo, vt cum philonium confectum sit cum tot rebus calidis, quæ exterius appositæ facilius ad actum suum deducuntur, quam hyosciamum, & opium, facilius ego ipsum admitterem, quoniam frigidę res non possunt a calore ità exterius *ingestæ* ad actum suum adduci, sicuti intus *acceptæ*, propterea si capiemus in ore philonium, potius calorem sentiemus, quam aliud, quoniam euphorbium, pyrethrum, coctum cinnamomum, zedoaria, spica, daucus, fœniculum petroselinum, apium, piper albũ, crocum, mel possunt aperire calorem suum a calore vel oris excitatum. At hyosciamum, & opium ob frigus suum non ita.

D Amplius verò calidæ res sæpè quidem possunt magis ostendere suum calorem exterius quam interius, quoniam exterius non vincuntur a calore naturali, vt interius. Ipsum cæpa hoc optimè ostendit, & allium, atque similia. Contra verò frigidæ res melius adducuntur ad actionem suam ab interno calore, & quo valentiores sunt tanto magis opus habent calore validiori, quo liquescant, & ad actum perducantur. Ea de causa philonium in ore non stupefaciet, sicuti in vẽtriculo, quod tamen neq; dentibus concederem, nisi in necessitate maiori; Alioquin anodynis seu demulcentibus dolorem vteter, quæ partem materiei dissoluũt, ijs verò aliquid adijcerem, quo robur conciliaret, sicuti vinum tepidum E cum rosis, mastiche, semine acetosæ, lentisco, radice tormentillæ, bistortæ, plantaginis, rumice, portulaca, & similibus, cum radice maluæ, violis. Acetum dolorem augebit, quoniam dentes perforati sunt, & longè magis squilliticum, vt expertum est T. C. penetrat enim per foramina ad partem neruo affectã. Aqua illa stillatitia ex sale, alumine, & myrrhis iuuabit ad purgandã dentium foramina, idem stylus igni tus efficiet.

Neque hoc verendum est etiam si dentibus squamas pareret, quoniam ipsi iam erosi penitus sunt, & squammæ illis purgandis vtiles erunt. Camphora liquefacta sine oleo terebinthinæ, & simplex dolori erit isti calidiori valdè vtilis. Ac quamuis dolor non est,

est, nollē tñ vnquam dimitteret lotionē dentiū ex vino, cui incoctæ essent rosæ, mastix, & pars aluminis. Hæc sunt, quæ mihi in mentem venere scribenti hoc tempore. Ego T. C. manum deosculor, & ipsa demisse veneror. Ex Imperiali quarto Idus Septembris Anno 1573.

Pro Excellentissima Vrbini Principe D. D. Lucretia Estensi de rheumate cum febre.

CONSVLTATIO CCCCXI.

IAm 15. dies sunt cum Excellentissima Princeps destillatione tenui, atque acri laborat, primis diebus cum febre, iam sine ea, si non semper, certè interdiu, cum capitis tamen dolore, & grauitate, narium, & oculorum ardore, ac rubore, pectoris quodā sensu, quasi erosionis, tussis crebra est, præsertim noctu, rarum tamen sputum, idque aquosum, nullo sapore præditum, somnus est exiguus. Cum quibus tamen stat quidem cibi moderata, potionis non immodica cupiditas, vt referunt, vrinæ tenues ferè fuerunt, aquosæ verò etiam ante aliquoties.

Quæ notę variam subesse materiam demonstrant, aliam scilicet tenuem, & acrem, partim crassiorem, partim per meatus exeuntem, aliam solidiores partes penetrantem. Quod malum ex ea parte, qua acre est, mihi videtur non parum metuendum, ex spatio verò plurimum, crassitudo enim præceps periculum non habet, propterea cum superuenit, statim ad secandam venam festinandum iudicaui, quod ex subito mensium decursu est prohibitum, ex quibus fortè aliquid eius generis auxilij accipiemus, quod ex arte sperabatur.

In reliquis remedijs consilium esset humoris toto corpore modice incrassandi, & hebetandi, expurgādique & à capite etiam reuocandi, de quibus quid à te iudicetur, audire desideramus, & priuatim propria aliqua remedia accipere vellemus. Vale. Imperiali 15. Calend. Octob. 1573.

CONSVLTATIO CCCCXII.

Excellentissime D.

SCripseram nudiustertius ad te literas, quibus facilè intelligeres desiderium nostrorum omnium aliquid à te accipiendi, quod faceret ad valetudinem Excellentissimæ principis nostræ. Nunc ad illa hoc adijcio, quod quamuis per oculos ei aliquando emanet aliquid præsertim noctu tenue, & acre, id tamen minus est, quam prius, & rarum, neque ille permanet rubor, aut ardor circū oculos, & nares, qui prius cernebatur, etsi quid eiusmodi est, id post noctis labores tantum visitur, quod verò destillat ad pectus erosionis illius amplius sensum non facit inanis tamen, & creber tussiendi labor dolorem assiduum pectori relinquit, quod eliditur iam aquosum non est, sed crassius, non tamen glutinosum, quamuis non nisi post multam tussim prodeat, album non est penitus, sed aliquid leniter virentis, ac in luteum vergentis, habet. Menses ante tempus cessarunt, & nunquam noctu processere, quod persuasit nobis aliquid sanguinis ab infernis partibus emittendum, vt quantum eo vitio auxilij naturæ detraheretur, ars restitueret, maxime verò, quòd ipsa huic missioni sanguinis valde assuefacta est. Ac quoniam dimiserat iam chyrurgum suum, & nostratibus non vult se se credere ad hirudines poplitibus apponendas confugimus, postea ad pillulas solitas, & à te quoque propositas accessuri, imò etiā, si malum sub his non cessarit ad cucurbitulas scapulis affigendas. Interea syrupis ex adiantho glyzirriza, radicibus, & oxymelite vtemur, & elegmatibus eodem pertinentibus. Interim aliquid à te expectantes. Vale. Imperiali 15. Calend. Octobris Anno 1573.

De Excellentissima Vrbini Principe cum Renato, Brassaolo, & Luceiano Belo.

CONSVLTATIO CCCCXIII.

QVod antea ex literis nostris nunc oculis proprijs cognoscis, nec est quod multis iam tecum agam Vir Doctissime, quare quam breui me absoluam; Mihi quidem sic res habere videtur, vt caput imbecillum, calidiusculum cute circumposita constipata à toto corpore sua forma cucurbitulæ simili attrahat, & deinde crassiorem à se factam materiam ad pectus demittat, in quo aliquam quoque recipiat cōcoctionem, & inde per tussim promittatur, quod verò pernoctet, & quietet in capite, cum prius tenuius esset, crassius factum non mouetur, experrecta ipsa, viribus caloris in caput redeuntibus, rursus extenuatur, & molestat, vnde fiunt sternutamenta, nam vt somnus fit eo vapore caput, & locum inter caput, & cor tenente, quando vapor nutritiuus est, nutrimentum enim accedit in roris speciem, sic quando est excrementitius, & non contrahitur in alimentum, fiunt sternutamenta, & destillationes.

Qui quidem excremētitius vapor, & fumus, quem secum habet, eo facilius, à capite attrahitur, quod viscera, & sanguis calorem maiorem, & facilius fumum generantem concepere.

Vbi, cum causæ sint considerandæ, illæ præcipuè sunt, quæ excrementorum, & caloris viscerum, & angustiæ meatuum inuisibilium cutis capitis sunt, notas ego prætereo, quoniam non est necessaria confirmatio, vobis iam hæc intelligētibus, vt, quod pulsus crebritas, & paruitas, & vrinarum sedimenta repletum corpus crassis humoribus significant, quod capitis grauitas assidua angustiam illam meatuum, foraminumve cutis capitis, & inde materiam retentam denotet, quod demum dolor non rarus materiam aliquando obstruentem, dum per meatus angustiores non potest à calore emitti, indicet.

Potius densitatis, & angustiæ illius causas dicam, quæ esse solent calor frigusque vicissim mouentia, nam vbi modo calor, modo frigus mouerint, destillationes fieri consueuere. neque verò frigus tantum, quod per se superat, intelligo, quodque natura sua eximium est, sed quod opere, & efficacia sit tale, nam cum dicimus frigidum esse Autumnum, id non natura per se omninò æstimata dicimus, sed ex opere quod in corporibus efficit, quia, quę ęstiuo calori iam assueuerant, & laxiora erant facta, autumni moderato calore omnino sentiunt refrigerationem, & contrahuntur.

Qua ratione ver quoque calidum dici potest, quoniam eius calore corpora quamuis in suum statū redeunt, & recreantur, tamen humores, quos concretiores reperit, calore suo colliquat, & opere potius, quā natura, quæ tēperata est, calidi nomen meretur, quæ ratio à vi quidem caloris efficiente, sed corporis tamen habitu maximè proficiscitur sic apto id opus

excipere, pariter itaque de frigore hic intelligendum, vt cum à calore caput commotum est, sequente aliqua vehementi remissione illius, quamuis ad temperiem, tamen caput à calore remisso tunc necessario refrigescit, & opus tanquam frigiditatis excipit.

Hoc tota æstate contigit ipsi Serenissimæ Principi, nam à cubiculo calido in conclaue frigidius, & longe quidem frigidius se transferebat, & illis diebus capitis dolorem, & vertiginem ex angustia foraminum a frigore acceptam habuit, cæpit postea in eo conclaui quoque noctu quiescere, quod eam angustiam confirmauit, & longè magis caput refrigerauit, vt per quietem fieri solet facilè, vertigo inde quidem cessauit calore non iam ita eam materiam agitante illam potius frigore cogente.

B Capitis verò dolorem habere erat solita à ventriculo potissimum, propterea suæ consuetudini id attribuatur, & vertiginem alias nunquam habere consueuerat: Vertigo mihi fuit indicium foraminum capitis inuisibilium conclusorum, quod sæpè obseruaui, quibus calor capitis augeretur, & inde magis attraheret, minusque excernere posset, vnde congesta multa materia ibi est, & deinde refrigerata, cuius pars flatuosa excitata vertiginem faceret. Calor quoque viscerum, & eorum recrementa suas habent causas, ac fortè mutuam sibi tradunt inter se causæ operam, vt ventriculi vitium in congerendis recrementis faciat ad occupandas viscerum uias, & perflatum eorum impediendum, C vnde calor occupatus fuit vehemētior, atque acrior a quo recrementa extenuata in caput alieno calore concepto ferantur, inde verò illis descendentibus tot mala fiant, ac præsertim, quod nunc molestius est pectus ipsum impleatur.

Quod si aliquid operæ præstandum sit aduersus hoc malum, capitis meatus inuisibiles imprimis aperiendi sunt, ita tamen, ne capitis calor moueatur, neve vis illius laxetur, deinde vt excrementa ventriculo, & toti corpori sensim subtrahantur, ventriculus quoque confirmetur, ita ne excrementa subministret, viscera prætera ijs excrementis expediantur, & tandem pectus destillatione illa iam excepta liberetur.

D Quoniam verò de præteritis consilium non est, prætereo quæ facta quæve prius fuissent facienda: quæ restant verò tantum exponam. Corpus parandum est cum humoribus suis ad purgationem, hoc faciendum potionibus incidentibus atque extenuātibus, per hyssopum, betonicam, oxymel, capill. Veneris, helenium, & melissam, postea purgandum cum agarico adiecto rhabarbaro; & aloe, tum prasij succo. Reuocandus postea à capite humor cum frictionibus, & cucurbitulis cum ferro, ac fine ferro adhibitis. Masticatorijs deinde leuioribus vtēdum, vt terebintho, vt mastiche cum glycirriza; postea capitis cutis meatus laxandi, leuiter tamen, ne plus attractionem moueamus quàm quod vellemus largiamur, adstringentibus ergo minimè vtendum, cum per lotiones hoc tentamus, vt incocto salice chamæmelo, agarico, & salsa parilia, atque arūdinis radice, necnon & capill. Veneris, demittendo etiam decoctum hoc in caput, quod quidem sit lixiuium factum ex cineribus maximè salicis. Naribus quoque aperiendis vacandum cum aqua, in qua ordeum, & saccharum, aut mel, aut etiam manna ferbuerint, Amaracus recusandus, vt nimis irritans humorem, & potius betæ succus adhibendus, odoribus quoque ex chamæmelo, nigella, aceto expilā cū tragacantho facta. Demum pectori oportuna danda, vt emittat, quod in se continetur, si tenuis pituita fuerit cauendum a melle, & eius loco sapa sumenda, sin crassa, mel dandum, quare aut diacodium cum sapa, & mucilago althææ, aut farfaræ, aut glycirriza cum sapa, aut cum saccharo, aut cum penidijs danda, aut oleum amygdalarum dulcium, & amaracum; aut crassior materia erit eclegmata ex oxymelle, & similibus, quæ aut lambuntur, aut deuorantur.

Quoniam verò ex pulsuum paruitate, depressione inæqualitate, & crebritate, possemus aliquid occupationis in venis, inter pulmones, & cor suspicari, quæ occupatio non nisi ex materia crassa ibi considente fieri potest, ea verò materia si in cor transiret, malum aliquod grauius posset efficere, proptera danda insuper erunt, quæ tussim etiam magis moueant, bechica quoque ipsa pariter cum illis, quæ tussim sedant appellata.

Interea verò dum caput graue est, contineat se domi, & intra parietes, modum quærat se se exercendi, nam cruditas citò lædit, nisi exercitatio postea accesserit. Cùm verò caput liberum fuerit circuitio è domo sub dio etiam salubris omnino futura est. Atque hæc mihi satis videntur esse pro curatione Serenissimæ Principis nostræ.

Pro Victoria Farnesia Serenissima Ducissa Vrbini cum ijsdem.

CONSVLTATIO CCCCXIIII.

De Duce verò nostra, quæ post longas febres ita habet, vt vix videre cibum possit, ne dū eius fastidio afficiatur, & altero quoque die febrire existimatur, hæc mihi videntur proponenda, quò curationem instituam. Ex nausea, & cibi odio, os ventriculi, cuius illa sunt, affectum credam, ex acidæ pituitæ vomitu coctricem quoq; ipsius; ex fæcum costarum nota affectum ventriculū non per se, sed aliunde malum cum materia accipere. Nam illud statuere, quod os tantum ventriculi affectum sit, quoniam coctio in fecibus apparet, non videtur damnandum pituita tamen crassa, & tanta in ventriculo stagnante non mihi videtur posse, quin suspicer à tanta pituitæ copia, & frigore coctionem debilitari, præsertim cum acorem etiam sub coctionem sentiat, ergo ex pituita aliunde quidem veniente malum subest, totus tamen ventriculus ab ipsa, non superior tantum pars afficitur, nam illa totum eum occupat, & per aluum etiam excernitur, quamuis magis os ventriculi quam imum solum ipsius ob vomitum, & nauseam magis affligi dicere possimus. Pituita hæc a capite certè defertur, quoniam caput affectum longe maximè est, & iam eius morbus longum spatium habet, cum caput iam diu pituita semper laboret, quod mane post somnum peius est, per noctem scilicet delapsa plurima materia, & lenta gulam detinente, vt ita inducta cibi cupiditatem non admittat, atque non solum attrahendi vim, sed vel E ipsum deuorandi arbitrium impediat, odium verò cibi, nempe maximum fastidium sua mala vi, quam per moram, ac spatium acquirit, infert, & aliquando sitim, nam putrescit etiam, & febrem affert, quo maximo cibi odio quidam Medici colligerent, etiam iecur in quo concupiscendi cibi prima origo est, male habere.

Ergo capiti prima cura esset adhibenda, verum, quoniam ventriculi officium indies summè est necessarium, cogimur ipsi summè, & quamprimum attendere, nondum prouiso, quid capiti debetur. Caput ergo deplendum masticatorijs ex mastice præsertim, vt si quid deuoretur, vtile esse possit, ex terebintho quoque, & rhabarbaro, lotionibus præterea iuuabitur ex bethonica, sal-

ssia, cupresso, sale, rosis, & similibus, quibus agaricus quoque adijciatur &cæt. Ventriculo autem parando ad emittendam crassam pituitam, diaspoliticum cum nitro, aut cum tartaro, seu fæcula esset oportunum. Terebinthina cum oxymelite, aut melle rosaceo, cui etiam succum iridis adijcerem, certe betonicæ, educi verò poterit illa proprijs medicamentis agarico cum rhabarbaro coniuncto, & turbith, atque cartamum postea confirmandum os ventriculi, & totus venter cum absynthio, mentha, mace, nuce myrepsica, cum gingibete condito his adiuncto, cum citoniorum confectione facta cum aromatibus, & aceto, quam Galenus describit sexto de tuenda valetudine, & libro de compositione medicamentorum per loca, cum diatrionpipereon, vino maluatico,& similibus, cui Rhabarbarum quoque masticatum prodesse poterit. Extrinsecus quoque dorso ad duodecimam vertebram, vnctiones, & fomenta fieri possent, quæ os ventriculi confirmarent. At quoniam febris obstructiones quoque inhærere significat, vt eius longitudo etiam multum humoris melancholici, cuius indicium est quoque acidus ille sapor, ideo oportet incidentibus dictis temperantia illum humorem, & aperientia coniungere, vt buglossum, melissam, epithymum, thymum, Radices vsitatas,& semina,&c.

Pro Excellentissima D.Lauinia Ieltria cum ijsdem.

CONSVLTATIO CCCCXV.

DE D.Lauinia negocium suscipiendum eiusmodi est, vt procuretur primum ne accipere recuset, quæ vtilitatem possunt afferre, recusabit verò penitus, nisi sub specie ciborum, & potionis solitæ occultentur, quare parare corpus ad purgationem, & aperire obstructiones non possumus, nisi sub specie vini potiones demus, iis omne ipsa respuente, vel sit cicerum ius, Vinum verò dilui aliqua aqua posset medicata, vel in ipsum demitti aliqua res, donec inde vim acquirat, vt si vinum continenter in cantharo ex tamarisco, vel in ipso habeatur pimpinella, aut asplenium, quorum hæc duo ab vsu, & iucunditate potionum aliena non sunt, adiecto etiam melle, vel saccharo ad absterfionem. Purgandi vero corporis longè facilius erit negotium.

Nam alere possumus animantia elleboro per bolos ex farina factos, vt pullos, quo eorum carnes, & oua aluum soluant, possumus, & citoniatum cum scammoneo parare, vel prunatum, vel aliquid aliud. Possumus vina ex mercuriali, & huiusmodi scammoneo facere, & tandem ad omphalica confugere. Possumus rosas moschatas dictas in acetarijs propinare, & rhabarbarum in pane imponere, & in aqua rosam demittere muscatas illas rosas, in eaque habere cum rhabarbaro,& ea aqua vti. Vinum certè potest dilui aqua, in qua cocti sint cortices ellebori nigri cum cinnamomo, & nihil penitus poterit animaduertere. Cum febre tertiana laboraret, nos ad purgandam materiam ficus recentes concessimus, in quos diagridium conieceramus,& benè fecit. Sed solutione illa alui edocta, ficus iam diligenter lustraret, neque occultari in ijs quidquam posset.

De Serenissimo Guido Vbaldo Secundo Vrbini Duce V. cum ijsdem.

CONSVLTATIO CCCCXVI.

DE Illustrissimo & Excellentissimo Duce nostro non multa dicam, quoniam aliás sæpius de affectibus suis disputauimus. At præcipuè hoc nunc proponendum est, quod præter ventriculi solitum affectum,& podagræ metum, ac renum. Ventriculus non videtur ita bellè concoquere, nam aluus aspera est, minimeque eius partes in vnitatem redactę sunt. Vrinæ quoque in aquosum inclinant humorem, pręterea pes sinister qui fuit tamdiu occupatus podagra, debilis relictus est, non ob neruos, sed ob articulos,& circumpositas partes, qui pes ædematosus diu fuit, quod ventriculi eandem vim fractam ostendit, quare in singulis eius vitæ partibus instituenda ea ratio est, quæ tutum eum faciat contra hæc pericula; Primum in victu fructus vitet, quibus admodum delectatur,& cum melopepo ei concessus sit ratione renum, tamen modicè vtatur, vt conditis illis suis, nimirum lactuca, & cucurbita, quibus tam delectatur,& iuuari renes sentit.

Vina etiam, quæ tam aquosa sunt, vt nullus sit qui ijs vti possit, omninò vitet, maximè, quod nimium acerba sunt, magis matura potius adhibeat ex aqua. Nisi cum ipsius podagræ tempus erit, tunc enim vinum vitato, aqua medicata vtitor, & abstinentia multa, nam ventriculus se se postea per nouam nutritionem restituet, & cibi solitum modum ferre poterit.

De medicamentis eandem rationem tenerem, senam non dimitterem, quod si dolorem sentit postremus excretionibus, quod per eas excernatur flauum quid,& glutinosum, ego potius id ex certo meo experimento, rhabarbaro attribuerem, neque tamen, cum rhabarbarum sit necessarium, dolorque lenis sit, id recusarem, quin illud quoque & vna senam semper adhiberem, diacatholiconque adijcerem, potiones verò suas solitas darem ad podagram defendendam ex guaiaco, & meraciorem, myrobalanos adijcerem ob renes, aut saltem syrupum rosaceum. Sub dolore autem aliquo leui medicamento, in quo essent myrobalani, pluries purgarem, vt ex syrupo rosaceo solutiuo, ex rhabarbaro, sena, & myrobalanis, neque illud commune dictum curarem, ex purgatione præcipitem humorem reddi, nam non finiuntur circuitibus breuibus, vt solet, dolores hi, sed nimio spatium nimium affligunt, quare materia detrahenda eis potius motus accelerandus, & spatium minuendum. Partibus dolentibus vix quidquam apponerem, nisi nimis vehemens dolor vrgeret, in quo lactis, & olei vsus præsertim rosacei, & de vitellis ouorum, vel vitellis ipsis cum aceto, succis etiam vterer vt parietariæ maluæ ebuli floris cassiæ, & aliquibus leuioribus.

Debili verò pedi doloribus relicto vinacea cum sient vina, adhibenda videntur à leni quodam modo ordiendo ne nimis humorem attrahant, aut membrum afficiant. De coriandri vsu verebatur meus collega, ne caput læderet, & somnia illa terrentia efficeret, quibus ipse exagitari consueuit, attamen, quoniam capiti quoque vtile coriandrum existimatur, si eo modico cibus includatur, ipsum non præterirem, nam vnus Dioscorides de hoc eius malo loquitur, ea verò conditione si nimius eius sit vsus,& largior, nō ait, aut assiduus tantū, sed etiam, si in nimia copia.

• Alij authores neque huius vitij meminerint, & A laudes multas proponunt, vt Hippocrates libro secundo de diæta, & Polybius libro de affectionibus. Is ipsum gratum stomacho vult, ille acetosum ructum sedare, & somnum conciliare, si postremum edatur, nedum vult somnum perturbare.

Et quamuis Galen. librum de diæta siue de victu salubri non esse Hippocratis dicat, authorem tamen plurimi facit, neque ipse id vitij ei attribuit. Oribasius etiam in cibis admittit, neque id vitij ei dat, cum ex Diocle ipsum inter condimenta reponit lib. 4. capite 3.

Duobus in casibus. B

CONSVLTATIO CCCCXVII.

VIdi, quæ scribit Excellentissimus Bartholomæus Eustachius Roma. Et, quod pertinet ad destillationem, mihi omnia illa placent, vt myrtus, diamoron, vinum malorum punicorum, ius lenticularum, & mastiches, ligustri, rubi, saccharum rosaceum vetus in tabulis, syrupus myrtinus, & illud etiam cataplasma dentibus inducendum, cum nimium detecti carne essent, quod fit ex syrupo de rosis siccis, de myrtho ad ℥. 1. ß. margaritis comminutis ʒ. 2. auro comminuto, & foliato gran. 15. bolo armena ℈. 2. tragacantho lucido emollito in C aqua rosacea ʒ. 1. Verum exuti carne non sunt. Imò ego inspexi admodum pulchras integras gingiuas. Quod attinet autem ad stillicidium, ego existimarem illud damno alicui futurum, cum tempus frigidum appropinquet saltem ea causa in aliud tempus differrem remedium illud, eo quod sua Celsitudo hyeme tentari dolore illo non consueuit.

Ac si quid agendum sit habita temporis ratione, cum caput lauandum de more esset vellem coquerentur in lixiuio folia salicis, lignum cupressus, chamæmelum rosarum aliquid, & sal. & lixiuium ex altiori loco in caput demitti. De vinaceis pars infirma demittitur in arcam, & tota contegitur calentibus suo calore vinaceis, De Serenissima Ducissa nihil D video, quod amplius dicam, in eodem statu permanet siue stomachum siue accessiones spectem. Rigores qui veniunt Dom. Illustrissimæ Lauiniæ afferunt ipsi commodum, nam meliuscula in dies fit. Quod facit etiam Serenissima Vrbini Principessa, & quoniam valdè distrahebar scribebam breui. Ex Imperiali Pridie Cal. Octobris Anno 1573.

Pro secundo casu.

DE tuis dentibus fortasse in eo decocto plus fuit pyrethri radicis, quoniam id valdè cali- E dum est, & humor dentibus infestus, caloris non parum habet. Ea propter ita habeto. Recipies acetum ex vino rubro, quod nos nigrum vocamus, non admodum acre, & cum tanto aquæ miscebis, vt tam parum acre sit, quòd in potionem sumi facilè possit. In hoc ponat ʒ. 1. radicis pyrethri. m. 1. foliorum ligustri, alterum m. foliorum oliuæ, & item alterum Comarum rubi. ℥. 2. radicum plantaginis ʒ. 1. aluminis rocchæ, & ʒ. 3. seminum acetosæ.

Atque hæc ad ignem ferueant ad iustam decoctionem, deinde colentur, & colatura seruetur. Neque alienum erit, si in hac colatura extinguatur multoties candens ferramentum aut æs.

Atque vt dolor subinde ex hoc adhibito cresceret, non tamen ob id dimittendum est, quoniam dentibus firmamentum conciliabit, ne tantum catharri recipiant in posterum. Interdum in ore habere potest sapam, aut lác, aut decoctionem passularum cum liquiritia tepefacta omnia, etiamsi frigus ei vtilius videretur. Decoctio etiam chamæmeli, & rosarum vna, & maluarum faciet ad dolorem. Sed ad dentium firmitatem prior decoctio potior est. Pisauri 12. Calendas Nouembr. Anno 1573.

Pro Reuerenda Moniali Passera.

CONSVLTATIO CCCCXVIII.

LAc tutum fortè non erit propter nimium renum calorem, iecurque nimis biliosum, loco eius serum ferratum sufficì tutius poterit, quod cum roseo succo proderit renibus, iecori, atque omni decursui humorum a capite; renibus etiam vlceratis maximè terebinthi resina per plures dies deuorata, quæ ne nimis calido iecori suo calore officiat, & prius dilui, & ex rosæ succo poterit dari, quo & decursui humorum à capite, & iecoris calori, & renum tum calori, tum vlceri subuenietur.

Hæc porrò post omnem totius corporis procurationem facienda sunt, in qua, & detractio sanguinis, & purgatio, & per cauterium reuocatio fluxionum locum necessarium sunt habituræ, alioquin neque serum multum valebit, obesse verò etiam poterit, neque terebinthina sine periculo sumetur, quoniam fundit humores ad neruos, & renes, in quas partes suo calore, & nidore propensa est vnde multis, qui sine purgatione corporis eam acceperunt præsertim illatam, vidi neruos imbecilles factos, & vim motricem cerebri vacillantem factam.

De Principe nostro hæc obseruabam ex quibus consilium elice- retur.

CONSVLTATIO CCCCXIX.

QVoniam de dentium dolore querela est, & destillatione in fauces insipida dolore incertam sedem occupante, & vago, rebus calidis exacerbato, videndum est, an caput, quod calidum siccumque est, non sua natura materiam faciat, sed à ventriculo materiam alliciat, accipiatque submissam vi calidiore iecoris elatam, dum stagnat in ventriculo, & etiam venis, vt & per vapores, & per sanguinem per venas crassior illuc diuersæ naturæ materia perueniat, ibique concreta partim ad dentes nempe calidior cerebro repudiata per venas descendat, & tunc copiosior, quando vi caloris excitata aliqua occasione, aut motionis, aut solis, aut alterius rei illuc valentius fuerit attracta, pars verò, quæ ad dentes peruenit ad radices illorum detenta putrescit, calidior fit, exitum quærit, & ita dentes, & corrodit, & perforat non solum sui acri nimis detergente, & abradente, sed etiam vi expultrice adiuuante, vnde aliqui auxilium huic rei afferunt perforantes sponte dentes ipsos vel in superiori parte, ne turpes fiant, vel in anteriori, vt commodius inseri possint, quæ materiam digerũt, vt oleũ cinnamomi,

aqua

aqua vini moscata, oleum garyophillorum. De ipsis imponẽdis remedijs Aetius accuratè admodum loquutus est.

Verum quoniam materia à capite in dentes dupliciter potest deuenire aliquando per destillationem in os, ex qua afficiuntur, & excipiunt aliquid dentes, aliquando per cursum humorum per venas alimentum deferentes, aliquãdo per neruos, & membranas, hæc dignoscentur, nam destillatio in os facta non solet inficere aliquo colore totos dentes, qui color admodum hæreat, quinve facilè abluatur, contra verò firmiorem colorem illis inducit humor per venas accedens, atque etiam, qui à capite per neruorum vias, & per membranas descendit, etsi pituitosus sit, præterea modus doloris diuersus est, nam destillatio hebetem, aut nullum dolorem facit, humor verò per venas eo accedens tensiuum dolorem phlegmonodemque facit, atque calidum, propter spiritus vna secum adiectos, ac, dum putrescit, exortos halitus ex putredine, at non solum recrementa peruenientia ad dentes dolorem faciunt, sed etiam, vt quidam volũt, cum dolentes nimium alimentum accipiunt, quo etiam crescant ob superuacuum alimentum, quod quidem non per additionem, sed per veram nutritionem fit, abundatiori alimento illis accedente, quo non absumpto, & superuacuo dolor fiat, augente etiam nimis dentes, ex quo sæpè limandi, sæpè propter crassitiem sunt necessario eximendi. Vnde is dolor ex nimio alimento domesticus est iuuenibus, vt vacillatio dentium ob maciem illorum, & alueolorum continentium senibus, & vacillatio ob corrosionem, vel nimium humorem est communis vtrique ætati, quod accidit, cum materia à capite per fibras membranarum descendens attingit membranas circundantes oras alueolorum, & suo nexu dentes hærere in alueolis cogentes.

Dolor tandem, qui ab eo humore, quem per vias neruorum, & membranarum descendere diximus, insignis quidem est, & sæpius mitior, quoniam ferè est pituitosus. Destillatione igitur, & affluxu humorum in causis propositis (nam non existimarim rem esse aliquam frigidam externam, quæ calorem dentium extinguendo putredinem afferat) materiam esse exiguam verisimile est, & eius generis, quæ à capite per neruorum vias, & membranas descendit, nam alioquin gingiuas malè affecisset, nisi ipsæ adeò laxæ grandesque essent, vt facile inde excideret, emittereturque materia collectæ verò admodum ipsæ sunt, & benè habent, quæ verò in ligamentis, & membranulis est, etsi exigua sit, facilius, potest retineri ob imbecillitatem expultricis, & ob loci angustiam, & naturam dolores efficere.

Atque cum ab interna causa malum sit, potius superiores perforatos, doloreque affectos est consentaneum, nam vt inferiores offensionibus externis ob spacium, quo maiori distant à caloris fonte, sunt obnoxij, sic superiores ob aditum materierum facilioren, ob multitudinem radicum, neruorumque, & ob calorem loci maiorem facilius ab internis, difficilius ab externis causis afficiuntur. Maiores verò dẽtes potius, quàm minores perforatos esse credendum est, quoniam laxiori sunt corpore, pluri quoque materiei accipiendæ habiliores sunt, & vias laxiores habent, quare in superioribus dentibus cum malum est, euenit quoque vt in parte, quæ attritioni mordenti obiecta est, & per contritionem exeditur, foramen facilius fiat, quoniam illa, si restitui, quod attritum est, debet, recens nouata tenerior est, & humor facilius in eam decliuem descendit, quo tamen cum peruenit minus doloris, facit, quoniam à radice dentis remotior est.

Cur autem dolorem leuent tum ignis, tum quæ frigidissima sentiuntur; Causa est, quoniam frigi-

A dissima sensum obstringunt, extinguuntve, ignis vero exsiccat, & absumit causam doloris, quæ irritando, semper nouum humorem attrahit, & quandoque lentum adeò, vt putrescendo vermes gignat. Cum putredine enim etiam concoctionem iungi ait Aristoteles, inimica tamen illa extrema sunt dentibus, neque proximè alterum ab altero adhibendum.

Corpore ergo tum per detractionem sanguinis, tum per medicamenta expurgato, ad caput firmandum est accedendum, ne vapores tam excipiat, aut attrahat, quod præstare ei poterit confirmatio primum ipsius ventriculi ex aliqua potione, vel aquarũ thermalium, vt si tribus diebus sumat. Aquarienses, vel potius Tettuccianas, Sex alijs Villenses. Capiti

B autem ex his gutta instilletur, ac si alumen in eis substans timeamus, vt iure timendum est, ex Galeno de tuenda valetudine alumen in calidis capiribus, possemus accipere aquam ferratam, & incoquere nuces cupressi, rosas, betonicam, hederam, & similia, atque adiungendum caurerium in brachio quatuor digitis supra cubitum, quo loco præcipit Rasis, tum per narem quoque oppositam humor deducendus.

Dentes verò insanabiles euellere oportet, perforatos autem implere auro, masticheve paulò ceræ adiecto, quo effingi materia ad foramen possit, aut attingere oleo ex sulphure, calchantho, iuniperoue, aut ex ligno guaiaco.

C Dolentibus verò, integrisque alioquin, si sint inferioris maxillæ, quo radici eius subueniatur, ceratum appositum ad initiũ maxillæ probè facier, quod dicitur ex galbina addita chamæpiti, & stæchade, atque castoreo, aut inunctio ex oleo irino, hypericonisve cum castoreo, aut tandem ex balsamo occidentali, si in superiori maxilla sint, cuius radix occulitur oleum in aurem eiusdem lateris demittendum est, vt sesaminum, aut amygdalarum amararum, incoctis lumbricibus, hæc enim non ad retrahendum, ad quod commoda esset auris opposita, sed ad soluendum dolorem, & ad firmandum radicem maxillæ, quæ est in eodem latere, agenda sunt, cum actio contactum requirat. Vt verò gingiuis succurratur, diluatur os primum ex vino nigro, &

D aqua ferrata, aut myrti, aut lentisci incoctis floribus hypericonis, stœchade, & grana dicta, quod est Amarantum purpureum, & sale: siccitatis verò dentibus inungere aqua permixta cum paullo olei sulphuris, aut oleo nucis muscatæ, aut aquæ myrti, in qua incocta sint mastix, alumen, & grana, aut eodem vino, in quo incoctum sit guaiacum cum cortice. Deducenda quoque materia est, si per venas venit, aperta vena sub lingua, vel appositis hirudinibus ad maxillas cucurbitulis cum ferro, vel apertis ijs, quæ sunt in gingiuis.

Non aliter, si a capite destillatio fit, quæ inficiat dentes, tunc auertenda est defluxio, sed per apophlegmatismata leuiora, per masticatoria, & gargarismata, qualia essent mastix, terebinthus,

E cum modico gingibere, vel pyrethro cum cera, aut rhabarbarum, qualia essent decocta ex gentiana, iride, cinnamomo ex saccharo, vel melle. Galenus libro quinto de compositione medicament. per loca cap. 8. & 9. hæc tractat, & 9. proponit. masticatorium ab Archigene factum ex galla, cupressu, baccisque iuniperi confectis cum melle cocto, post masticationẽ diluendo os ex uino odorato, vel masticatoriũ ex radice iridis illiricę, pręsertim verò dolori non intollerabili decoctum digerens, & firmans locum est oportunum, vt ex aqua ferrata incoctis chamæmelo, meliloto, rosis, & corticib. papaueris cũ vehementior dolor est, inclinante vero malo ob materias crassiores, addi poterunt flores lilij, hyperico-

nis, rosmarinum, hyssopus. Alij vino vtuntur ex rosis, Rhu obsoniorum, &c. f. hyosciami. A

Alij auertunt materiam cum vesicatorijs sub mento appositis ad initium maxillæ, alij cucurbitam adiungunt, superiori verò maxillæ ad genam apponunt stuppam, lanam succidam, si materia in dentibus hæreat, cum per venas eo peruenerit, tunc modo inflammationis curandum est malum, vt decocto ex camphora, piretro in aceto, non ita acri, quoniam perforati sunt admittunt vero dentes penetrãtia ꝑpter meatus suos inuisibiles angustissimos, quos inesse denotatur; quoniam cum acidis vtimur, postea neque calorem, neque frigus patiuntur, nempe quoniam absterfi sunt illi meatus, & qualitates illæ magis penetrant ad neruos, vnde stupor dentium quoque euenit, cui propterea res obstruentes, & de- B linientes succurrunt, vt oleum ex cera, vt panis pulpa, caseus, portulaca, oui lutea, pinguedines omnes, vel contra quæ genus illud ab eis detergunt, vt sal eo magis, quòd liquescens humore tenuissimo illos delinit. Inclinato vero dolore minuendum est acetum, & camphora, & addenda mastix, & pyretrum, & vinum album, sed si destillatio fuerit imbibita in dentibus tenax, glutinosaque, tunc incidentibus valentius, & digerentibus vtendum, vt aceto incocta scylla, gingibere, ac paulò myrrhæ, quæ vim penetrandi maximam habet ex Galeno, atque inclinato malo fit remedium ex decocto colocinthidis, & centaureæ maioris, aut Ellebori albi, aut cucumeris asinini, aut Imperatoriæ, aut gentianæ ex vino albo tenui.

Ac si cum his pituitis decurrat quoque melancholicus humor adijcitur elleborus niger, si bilis flaua, diagridium, quæ a longinquis quoque trahunt.

Cum verò ob dolorem conuulsionis quoque periculum fuerit, cum caput calidum, & siccum sit ad stupefactoria veniendum, quæ deuoranda dentur, quoniam somnum conciliant, & vapores, materiamque cogunt, super detur autem dentibus quoque philonium romanum aceto liquatum, si in dentibus est dolor, at si in neruis, ex vino, qua in re ne sani dentes a philonio offendantur, quidam per alueolos cereos liquorem hunc immittunt, quamuis sit similis natura opij sicca ac frigida ipsis dentibus, ac quamuis frigus accedat in opio, in philonio tamen ex multis alijs temperatum est, præsertim cum philonium est antiquum, posset exprimi per destillationem aqua ex philonio, & quoniam destillando exoluitur vis opij, liquefacere etiam opium ex ea, & apponere dentibus, sicuti ex aqua theriacæ nouę, aut mytridati, huc faceret balsamum indianum, seu occidentale quod est, simile Myrrhæ cum opio, Elixit quoque aliquod cum eodem, & cum eodem olea illa, in quibus viperæ sunt, & in quibus opium, quæ parantur cum multis aromatibus. Alexander proponit ossa exsiccati bufonis magni, qui bus dentes tangantur, sustinent enim à dolore, & dolorem leuant, nam decoctum quoque ranarum ex aceto, & aqua id facit. Serpentis demum corium ex vino benefacere ad hoc, vulgare est.

Pro Nobil. Matron. Bartholamæa Birilla Vrbinate, cum Prudentissimis, & Doctissimis Medicis Hieronymo Palimeo, et Io. Baptistæ Gratioso de sputo sanguinis cum alijs affectibus.

CONSVLTATIO CCCCXX.

Svppressis mensibus corpus non modo caruit longo spatio ea purgatione humorum, & leuamine copiæ ipsius sanguinis, sed interea ex repletione, obstructioneque viarum totius corporis, & venarum actiones omnes tum ad calorem, tum ad frigus viriatæ sunt, & omnes excretiones reliquæ aliquatenus impeditæ, ac interea & sanguinis, & mali humoris vis supra vires accreuit, caloris ergo vi naturali sic oppressa, ac hebescente, frigidi quoque multi tum glutinosi, tum aquosi humores orti sunt, & inde in hydropici morbi speciem corpus valetissimum peruenit, ac subinde in tussim, ac spiritus difficultatem, & inde ad cætera mala. Fuit ei facilior is casus in tot labores, quoniam sanguine plus, quam ei corpori esset necessarium abundaret, vnde antequam visum haberet, tenerrima adhuc ætate in præfocationes in- C cidebat, iuncta autem viro leuata fuit quidem, sed non penitus restituta, nam impetus spirituum ad naturalia per coniugium conuersus non fuit satis ad vias eas aperiendas, potuit verò tum demum sanescere accepta aqua balnei naturalis maiore vim afferente. Vidua ergo postea facta, recidit in hanc suppressionem, & postea in tussim, & spiritus difficultatem, & hydropis speciem, materia verò tandem ad superiora promissa tussim, & spiritus difficultatẽ auxit corporis inferioribus partibus, propterea non amplius tumentibus. Ergo suppressioni primum vt causæ, postea reliquis malis subueniendum est, & hæc, si magis vrgeant, vt certè vrgent (nisi vnum remedium faciat, vt ferè facere solet, causæ etiam D amouendæ) propria quædam statim remedia postulãt, vt venulæ apertio pulmonum, aut tracheæ, quod ex modo, & habitu ipsius sanguinis, & dolore inter nosci potest, nam tussis huius certè nõ solum a capite pendet, quod vestimento insolito viduali tunc operrum, nimium attraxerit, nimiumque sit ad calorem perductum, atque infirmum factum, sed à partibus quoq; coniunctis ipsa tussis sustentatur, vt ex oppressione illa, atque cordis angustia conijcio, quæ subita accedit ex decubitu, vel ingressu ipso. materia enim vicina consider, quæ agitata inflare potest, aut via facta ex situ corporis decliui in pulmonum locum decurrere. Verum hypochondria quoque male habebant, quod hydropisis illa species denotauit, quæ cessauit modo, quasi natura in augendum hoc malũ E tota conuersa sit, & materia tota ad pectus, & faciendam tussim iam accedat, quare & mensibus, & capiti, & ventribus ipsis vtrisque est consulendum, vbi tamen venulæ apertio, seu ruptio, exesione venarum curam certè aliqua ex parte impediet, & multam partem curationis ipsius tussis mutabit, simul omnibus huius partibus subueniret ipsa detractio sanguinis per venas internas, atque etiam externas multoties repetita non tam spe mensium mouendorum, quàm certa reuocatione sanguinis à supernis, qua ita facienda viribus quoque vel maximè imbecillibus erit satis consultum, præterea omnia auxilia, quæ humores ad inferiora auocant erunt necessaria, & omnibus dictis malis idonea, vt si clysteribus

bus vehementioribus altero quoque die vtamini, fri A ctionibus verò quotidie totius corporis diligenter factis, vti digerere adeò possint, quo per digestionẽ fiat à superioribus attractio, totum quoque corpus per ea, quæ deuorantur expurgetur assiduè vitatis ijs, quæ extenuare sanguinem, & excitare nimirum possunt ad apertam venam.

In illis præcipuè agaricus, & terebinthi veri resina habeatur. Ac si certi estis venam esse labefactatam cum rosarum vi hæc omnia componantur, cum aloe rosaceo, atque rhabarbaro, obseruatis interea mensium interceptorum circuitibus, atque anteuertendo per quatuor dierũ tẽpus ea, quam dixi, sanguinis detractione, tunc verò & cucurbitulæ sine ferro, aut si vires tulerint cum ferro quoque inter fæmina erunt affigendæ, cum his corporum, & viscerum omnium B expurgationibus, & auersionibus humorum erunt etiam cucurbitulæ sæpe dorso dandæ, vt partem impetus humoris reliqui, qui ad pectus est, ad se alliciant, præterea decursu materiæ vrgente ad secundam colli vertebram locus caustico aperiendus, ibi admonenda ea quæ attrahant, vt essent cantharidarum pulueres & similia. Necessitate tandem summa syncipit vrendum, quæ nisi summa sit, hoc est nisi vitæ præceps admodum periculum videatur, illud erit differendum, præcipuè si salsum sit sputum, cum materiæ accessionem ab inferioribus fieri certi sitis, potius in cruribus danda sunt cauteria, brachijs, &, vt dixi, sub occipite, & potius sinapismata, & exedentia scapulis admouenda, vt vesicam moueant, maximeque humorem ad se adducendo à pectoris partibus C reuocent.

In sputo iuuando longè diuersa erit ratio, si in pulmone vena labefactata sit, pulmoni sic affecto rosæ ex saccharo cum radice dulci, cũ paulo mellis myrrhæ, masticis, ac thuris, violis quoque adiectis, & tragacantha, his ad retundendum humoris vim venæque occludendam apertionem, pulmonesque deliniendos amara rosarum vi interea cum myrrha, & mastiche, & thure abscindente, detergente, & in sputum humores parante, vnaque vasculum discissum coniungente. Rhabarbarum, & terebinthina quoque ad hæc maximè facient, quoniam sputum iuuabunt, venæ discerptæ, aut laxæ aliquod robur afferent, & capiti, & visceribus firmitatem, & humorem D purgabunt, quod rosæ, & alia ex rosarum succo confecta, rosisque commixta facient, obseruandum verò, vt, si rupta vena est, glutinantia, si aperta adstringẽtia, si exesa, nutrientia superent, myrtinus syrupus quoque ex papauere dandus, cum tussis exspectatur, cum accessit ex althea, radice dulci, tussilagine, thure, mastiche, tragacantha, myrrha, cum pectori est subueniendum, illinendum quoque pectus est oleis, vt se famino. amygdalarum dulcium, anatis pinguedine, butyro, & similibus. Capiti exsiccantes frigidiores pulueres dandi, vt ex rosis, betonica, ligni aloe, sandaracha, & eius generis alij. In victu ptisana, amylum, panis optimè coctus, brassicæ vira, pinei nuclei, amygdalas vitarem ob nimiam detersionem. Potio sit aqua ferrata quæ non officiet tussi, cum illa interdiu quiescat, in qua verò aqua pimpinella & coriandrum decoctum sit, si sanguinis ratio magis vrgeat, E aliquid adstringens, vt Rhus obsoniorum cum saccharo. Saccharum rosaceum vitus cum bola armena, cunque lapide hematite, aut sanguine, draconis cauendo ne nimis adstringamus, reliqua prudentissimis Medicis relinquam, vt hæc quoque eorum iudicio obiecta volo.

De Hercule Comite Lucio Ripæ Medico doctissimo Christophorus Guarinonius Fontanus S.D.

CONSVLTATIO CCCCXXI.

QVartana Lucij suauissime leniter admodum inter initia tractanda est, blandiendoque potius quam aduersando curanda, hæret humor, est vitæ ex toto aduersarius, & cum mouetur, animũ, cor, & vim naturalem imprimis, inimice admodum vexare solet, præterea, cum longus is morbus sit, in victus ratione vis summa est eius depellendi. Cum ergo ipse morbus aliter agitari non velit ab ipsa victus ratione tantum, & ab humorem modificantibus nobis auxilium superest; sectio venæ tamen, si tota sanguinis moles ei malo alimentum sufficiat, quod melancholicus sit, oportunè adhibebitur, è venis scilicet potius sinistris, quod si priuatam partem habet is humor, caue, ne sanguinem moderatiorem huius feri humoris ei subtrahas, tunc verò ei parti tantum esset cura præstanda, quæ si partem eam assequi manibus possemus, esset facilius, at medicamentis tantum id fieri potest, cum quibus & lucta sequeretur, & æger inde peius haberet.

Ergo causis, vnde humori huic nutrimentum accedit, remouendis est attendendum, tum quæ in viuẽdi modo sunt positæ, tum in uiscerum, & humorũ attemperatione facienda, leniterque de obstruendo, & in coctione ventriculi iuuanda, sibi enim hoc malum refrigerando ventriculo parat nutritionẽ, quod maxime fiet victu opportuno, quod certè fecisti tu optimè, neque ego ineptè repetam, quæ tu prudenter instituisti, in loco tepidiori, quo habitare æger debeat, in moderandis animi perturbationibus, in corporis exercitationibus facilibus, & ei vsitatis, vel frictionibus in illarum locum sufficiendis, in cibo, & potione aduersarijs ei humori deligendis fugiendis, atque etiam humidis nimis excrementosis, vt præterea aperiendi, extenuandi, & incidendi, & ventriculum calefaciendi vim habeant, quæ minus timenda sunt, quod, quamuis humor exustione natus sit, illius calor iam decessit, & ipse refrigeratus est, in somno verò longiori permittendo, & similibus, quibus, nutritio, & humectatio vera, & coctio iuuatur, neque illud monebo diem accessionis abstinentia summa transigendam, si in vomitum sit propensio pridie diei accessionis sub vesperam ei momentum afferendum, vt subtrahatur humori materia, vnde renouetur, ex quo vidi quartanas splene etiam tumẽte sublatas. Immensa res esset attingenda, si quidquid est vitandum, velim nominare, nihil est enim, quod necessarium putem, vt te moneam, & nihil minus eò, quod inclinato malo calidiora concedenda, quæ antiquis semper morbis necessaria, maturis verò tutò etiam datur, & aliqua purgatione eius humoris prægressa theriacam esse exhibendam, vt humor & discutiatur, & ad vias excretionum commoueatur, particulatim de potu dicam, quod vinis lenioribus, minime austeris, aut crassis, minimeque antiquis vtendũ, & pro consuetudine, & ętate, & corporis natura ęgri omnia, & id potissimũ esse moderãdum. De ijs verò, quæ per matutinas potiones danda sunt ad viscera attẽperanda, & expedienda, & modificandos humores, idonea sunt dicã, quod vterer buglosso, lupulis, fumoterrę, capparibus, cetrach, oximelle, syrupis deinde post leuẽ purgationem cõpositis, fumiterrę, & epithymi adiectis sæpè sena, & melle rosat. solutiu. quod humorem melancholicum per aluum leniter mo-

moueant, ac ventriculum a pituita in hoc malo continenter increscente liberent, nisi per vomitum id fieri possit. Sat est mihi, vt dum nihil volo monere, te interea tamen alloquor, & quasi quadam consuetudine tua iucundè teneor. Sed ne te inuitum fortè teneam cum salutatione concludam. Vale Pisauri Nonis Decemb. Anno 1573.

Pro Illustrissimo N. de vlcere glandis in pene, & gonorrhæa dicta.

CONSVLTATIO CCCCXXII.

VT Excellentissimus, & grauissimus senex dicebat, alijs Medicis opus nõ fuisset, quæ tua Io. Arrigoni est doctrina, & peritia, nisi dignitas tanta personæ esset, quæ vel plures postulare videatur, ergo, ne debitum laborem subterfugere videar, ne parum memor officij mei, pro viribus de hoc malo curando dicam, quod ferè curatus iam à nobis cernitur, si, vt narratis tam grauis antea extitit, eò verò libentius dicam, quoniam cũ iunior longè vobis omnibus sim, libet quædam vobis enodanda proponere ex his, quæ vos pro constitutis habuistis in huius effluuij renulis vulgo dicti, verius gonorrhæę specie explicanda.

Habet hæc materiam, tum acrem, vt vlcus per ipsam factum denotat, tum pituitosam, vt liquoris effluentis habitus ostendit, natura quidem semen non est, certè via seminis excernitur, etsi non eodẽ modo, & forsan inter initia semen fuit. Verum nunc, ne corruptum quidem semen videatur, quoniã nunc non retardatur adeò, vt possit vitio meatuum corrumpi, cum assiduè effluat, vt vt à superioribus partibus, & ab vniuerso corpore decurrit. Ergo motionis huius, & materię genus, & causæ sunt perquirendæ ad remouendum, nec dubium, quin causæ ex horum aliquo genere statuendæ sint, quæ sunt & naturalia, & non naturalia, & præter naturam dicta. In naturali genere sunt ipsius corporis partium natura omnium ad hoc forte aliqua sui propensione multum conferentes, quoniam alias quoque interdum hoc malum ipsum exercuit, in quibus est iecoris calidum, & humidum genus perspectum ex aliqua moderata quidem pilorum copia, ad cuius calorem aliqua per ætatẽ lenis siccitas sequuta sit, quem iecoris statum renum status quoque ferè sequatur, quia, si venæ exiles videantur, ego partim carnium copiæ occultanti venas, partim cordi temperatiori attribuerem, quod venarum quoque initium constituere cũ Aristotele rationibus maximis, & proprijs obseruationibus cogor, præterquam quod solet ipsum dilatãdi vim per suum spiritum præstare, quod verò cor in hoc corpore satis leuem habere calorem ex moribus cernitur, vbi inter alia, quæ mihi comprobant hanc Aristotelis sentẽtiam, est ortus auium in ouis perspectus à me assiduè, in quo iecur postremò constare, & postea manere luteum diu visitur, venæ verò interim primum albæ vna cũ corde vno sanguine in corde iam rubeo valde conspicuo, deinde rubeæ vna cum corde, nondum iecore extante: quod si quis obijciat, quod in piscibus venæ non iunguntur cordi, sed iecori tantum, quod quidem mihi tanquam ex Galeno sumptum proposuit, huic ego non magis assentiar, quàm Aristoteli, qui in sexto de historia animalium dicat in piscibus quoque ex corde venas oriri, neq; Galenus vnquam negauit cordi committi etiam in piscibus cauã venam, etsi dextro sinu carere cor piscium minimè spirantium dicat,

A quoniã propter pulmones sit factus, quod verò per anatomen est peruestigandum, si quis voluerit loqui ad rerum naturam, non ad autores.

Itaque carnosum quoque corpus est ob eandem frigidioris cordis causam accedente, non dixerim cordis humiditate, quod certe humidum esse ex morum facilitate cognoscitur, sed iecoris materiam alimento parantis, & larga nutritione vitaque fere inexercitata, vnde neque propter pilos ego humidum valdè corporis genus habere neq; etiam apertè siccum, sed potius humidum, quoniam propter vitę genus, & ætatem ferè inclinantem 37. annorum sic est nutritum spatijs scilicet repletis carne, non autem solidis sic humectis, quod durities carnium ostendit, nam mollia quædam sunt corpora, & læuia, quę ego

B valde humida iudicarem, quæ, si plena sunt, nutriri quoque eo humido genere, quædam sunt carnibus mollia, aspera tamen cute, hæc nec cute humida, nec carnibus nutrita, etsi solidioribus partibus humidioribus iudicarem, vt caro tractata languidior ostendit, quædam tensa ob nutritionem, aspera tamen, & hirsuta cute, hæc nutrita quidem, ac non statim quoque humida, sicca certè quidem cute internis verò fortè moderatioribus, nam nutritionis copia ex humido genere esse videtur. Acrimonia ergo huius defluentis materiæ ex iecoris calore naturali tantum aucto non potest euenire, cum sit moderatior, sed ad hoc perducta res est ex alijs idoneis causis præsertim corpus replentibus, & deinde humorem concitantibus, pituitosus verò humor, aut à capite, aut à ventriculo, & inde etiam a toto corpore venire potest, à capite certe, & a ventriculo, nam ex quantulacunque incidente re concoctio huius ventriculi vitiari sentitur adeò, vt vel ex breuiori somno statim fluida aluus, & liquida fiat, ex vini quoque intermisso vsu, & similibus rebus leuioribus opprimitur, flatibus verò etiam obnoxius est. Caput quoque destillationi quam maximè est obiectum, & vel ex ipsis oculis humidum cernitur, quod ad excrementum referendum est, ac certe aduentitio humore id est factum, nam moderate alioquin calidum est, & perspicaci admodum ingenio, & tenaci memoria, neque ita somno deditum, quod moderatum humidum ostendit, aliquanto quidem calidius, ita

D tamen, ne suggestam multam copiam a ventriculo, & viuendi modo non superet, tarditatem solitam actionum ego non solum consuetudini vitæ delicatioris, sed mollitiei animi, & frigori cordis darem, alioquin enim opinionis non admodum obstinatæ est, aut firmioris, vt frigus cerebri denotetur, quamuis neque caloris multi indicia non sunt. Ventriculo ergo sic per suos vapores, & totius corporis repletione caput afficientibus tale potius hoc caput esto, sic vero explicata corporis propensione, quæ in genere partium sui est posita succedit rerum necessario adiectarum efficacia, ex quarum incidente mutatione morbi efficiuntur.

Materia ergo in corpore ex pleniori victu, & otio multo, & præterito omninò veneris vsu aucta fuerit

E inde ventriculo affecto per semen retentum, & toto corpore, post quod otium & continentiam subitam iter huc Roma factum equo, & aqua nescio quo malo in cubiculum oblata a cubiculario qui ea fruebatur, & nescio quid vitij ab ea vix tacta acceptum, deinde densitas cęli per otium maximum humores congessit cum præcipuè diu sederit in æde metuendæ omninò humidæ frigiditatis, ex quibus verò nõ solum materia pituitosa per se facta est, sed per obstructionem occupatis spiritu crasso vijs effluuioque humorum impedito acres humores sunt effecti dum detinerẽtur, ad quod forte facere plurimum aliqua maiores animi perturbationes quam esse consueuerint,

rint, itaque post otium Romanum subitum iter in equo factum, occasio repente suggesta vsu veneris; frigora insolita totis cruribus, quę dictas obstructiones, & materias denotabant, & materiam crudam augebant, extitere causa huius sordidæ defluxionis, vnde vlcus exortum esse creditur, quod forsan proximam habuit è contagio originem, Restat, vt quæ præter naturam sunt examinemus. Num sit expultricis vitium, aut retentricis infirmitas, videtur declarate humoris acritudo, cum eo, quod nulla laxandorum vasorum causa antecesserit: irritatam igitur expultricem assiduè denotat assiduo humoris acris affluxu, nam nisi acris esset materia, quæ expultricem moueret, tunc congestione tantum, & onere id fieret, quare per interualla, & confertim fieret, at cum acritudo accedat assidua, potest fieri excretio vi ipsa expultrice, si non organorum vniuersa, certè similarium partium excitata, quod in diarrhæis videmus, vbi organorum quoque vis concurrit longè ampliorum, & maiorem copiam requirentium, ut irritentur. At cuius partis expultrix hic vitiata est? Proxima rum vesicularum quæ semini continendo destinatæ adiacent, παραςάται dictæ σπερματωδεῖς, in quibus, si acritudinem humor contraheret, necessaria esset commoratio, at non commoratur, cum assiduè effluat, non retinetur autem, quoniam vix accedit cum irritat, ergo est acris, antequam accedat, factus. Dicunt fieri acrem in renibus, at cur non per vias vrinę potius emittitur, quæ viæ sunt renibus propriæ, & breuiores, per quas propterea breui ductu, & omni propensione humor potest penetrare? Cur insolita via, & laboriosa renes repellant in emulgentes venas hanc materiam? Cur emulgentes potius ad testes quam ad amplam venam eam materiam remittant? Certè nulla causa est, & natura semper faciliora tentat, nec quidquam frustra facit, quare culpa omnis renibus danda non est, attrahitur siquidem materia non sine vitio à testibus, & seminarijs via sibi familiari, neque etiam in renibus putrescere eam est verisimile, quoniā partes principes corporis sunt, & inde febris sequeretur, cum eo quod per Vrinarios meatus excerneretur; & non nisi aperta vesica exiret, quare sic necessario est statuendum vasa venalia circum infimum dorsum posita, & seminalia cum ascendentia tum descendentia eam materiam continere, & suo calore aucto ex toto corpore attrahere, in quo per aliquam luem initium putredinis habeat vt sic habilis facilè à calore illarum partiū suæ putredinis accipiat complementum. Et profectò hęc consentanea naturæ sunt. Cum venerea luis cōicetur potissimum per vsum veneris æstuantis, ita enim spiritui, & ei materiæ adhærescit potissimum, quæ in venerem est conferenda, Vbi materia est recrementum vltimi, & vtilis alimenti toto corpore reliqua. Itaque hæc potius ad naturalia raptum habent, aut p[illegible]sionem, & seminis partes petunt quare ad testes cum materia prouenit, & ad parastatas, iam acris facta reijcitur, neque ibi potest contineri, ergo impurus, & vitiosus corporis sanguis, & imperfectus recrementum suum materiam subministrat in putredinē propensam, calor earum partium tum materiam attrahit, tum eius putredinem mouet, quæ impuritas, & cruditas sanguinis præcipuè ob ventriculi infirmitatem cruditatis causam, & iecoris calorem mala repletione citatum acres humores efficientem incidit. Vbi bonus senex sua eloquentia exornat mirificum quoddam dicens.

Hos crudos, & exustos humores vna sibi mutuas operas tradere, quod crudus fundit exustū, ac liquat ad maiora mala perpetranda, exustus crudum, qui tamen potius se se vicissim mitigant, siquidem dum est dilutus humor exustus mitior est, liquore autem consumpto & sincerus est, & pessimus, crudus verò solus

A etiam crassior est, nec ita à natura potest aut moueri, aut superari.

Sed ad rem magis dicamus, quod hi humores vias laxant, calore illis inducunt, & putrilaginis suæ vim præstant vnde magis putrescant, & ita tum à calore partium attrahantur, tum sua inimica in irritantes expelluntur, & ita effluxus fit, vnde etiam vlcus, hoc verò etiam fit putredinis erodentis vi impressa eo loco vbi hærere solet magis hic liquor, nempe sub prę-putium, & sua quoque acritudine, putruit ergo caro, ac exesa est, & vlcus factum valde putridum. Videmus aliquibus supprimi hunc fluxum, & inde scrotum tumere materia inde decurrente contenta in vasorum vagina χιρσοειδῆ. Effluxus igitur remouenda materia, eiusque causis, & mittentibus mem-
B bris temperandis, recipientibus tum vijs, tum partibus, firmandis, & vi putrefaciente emendanda, præsertim verò fuerit accepta, proprijs remedijs exsiccanda. Vos occurrisse symptomatibus omnibus mihi affirmatis cassiæ vsu, quæ etsi videatur ea loca laxare, magis tamen vtilitatis est eo, quod exedenrem, & acrem humorum vim educit, & lenit, & per aluum reuocat, atque vias illas omnes à vi putrida expurgat, primum tamen mali initium aliud medicamenti genus, & valētius vult, quale esset ex Sena, potiones verò refrigerantes, exsiccantesque rectè iam darentur ex semine acetosæ, endiuiæ portulacæ, cucurbitæ, & folijs maluæ ad viarum illarum asperitatē submouendam, & endiuiæ cicerbitæ ad refrigerium, & vitiositatem humorum, atque etiam plantaginis cum
C rof. Syrupo, vel rosarum maceratione cum succo mali medici, quibus propriè illæ partes iuuari, & ab eo vitio purgari, & leniri consueuere. Balneis quoque cum ad cutem humor reuocaretur, tum verò è corpore omninò eliceretur, fricationibus similiter lenibus, & tota victus ratione, in qua cucurbitæ, lactucæ, endiuia, lentes, pyra, hordeum, caro leporis, pisces ex aceto cocti, aceto tamen abijciendo post cocturam, & vbi ipsum solet adhiberi, loco eius succum limonū, araciorum, vel malorum punicorum ingerendo. Pulueres corallorum, eboris, cornu cerui, smaragdi cum rosis ex saccharo; floribus nenupharis, & similibus. Citonia quocunque modo confecta, & persica, & mespila, & sorba cum aliquibus, quæ ventriculi ca-
D lorem confirment.

Vnde cum à vino sit abstinendum in aqua incoquantur coriandrum, passulæ, sandali cum saccharo. Exterius quoque confirmandis, & refrigerandis locis post purgationem succus semperuiui cum albumine oui, & aceto, vel vino facerent, & vnguentum rosarum: cum camphora, & cāphoræ oleum quod fit liquefacta ea per valētiorem aquam, quæ ex vino per plures stillationes elicitur, Locus illinendus mihi videtetur is qui à Medicis perinæum vocatur, & ad os sacrum, per quæ loca descendūt vasa seminalia, cum renes ex vrinis videantur esse sine vitio. Proponitur ab omnibus plumbi lamina pertusa ad lumbos gestanda, & mille alia remedia medicorum monumētis descripta, quorum certè nulla tuta sunt, nisi prius
E corpus expurgatum, & non solum materia vacuum sit, sed vitio quoque eo liberum, à quo materia congeritur, sic prius lues illa est extinguenda, propterea non solum semel expurgandum, sed quotidie congesta materia est, aliqua leni medicina educenda, & sena sæpius repetita interposito vsu sacchari ros. cum theriaca, & tandem guaiaco agendum.

At quoniam effluuium hoc, vt refertis, iam ferè summotum est nimius fortè in hac consideratione fui, vos videritis. Vlcus verò, quod curandum omninò superest, diligenter est considerandum, id nō solū solutio continui est, sed deficit caro, sed sordē hēt, habet, verò etiam humiditatem, & mala semina putredinis, nam nō tam citò fuisset factum, neque tam

citò

tio dilatatum, turpique colore affectum, nisi mala putredinis vi impressa. Ergo post, quam causa, nempe materia decurrens, & vitiositas summota fuerit, ipsum restabit nutriendum, vt sanescat, & coalescat oræ, nutriri enim non poterit, nisi & calor naturalis restituatur, & recrementa suo corpore, & mala impedientia auferantur.

Calor naturalis restitui nõ potest, nisi alieno sum moto, & putredine absumpta, & temperamentum naturæ ei parti reddatur. Ergo ad putredinis vim primum digerendam valentissime exsiccantia congrua sunt, vt præcipitatum dictum, quod fit ex hydrargyro, & aqua dicta da partir, quæ aqua facta fit ex calchanto, alumine, ac nitro per destillationem, qua composita cum hydrargyro per ignem elicitur totus humor, qui in sublimatum euadit, fæx verò relicta præcipitatum vocatur, quo modo multa metallica tractantur, & in variam naturam mutari solent. Hoc est optimum præcipitatum, quod cognosci potest à fictitio facto ex plumbo, & à minio, quoniam non inficit lineos pannos, & post exustionem in carbone, vel in ferro candenti colorem non mutat, sed retinet priorem, quod signum quoniam etiam facilè cernitur in minio facto ex cerussa vsta, propterea dignoscendum est certius frictione auri, nam præcipitatum verum facit, ac si esset hydrargyrum, hoc componitur: postea (vt mitigetur) cum aqua vitæ dicta, & illa exuritur inducta flamma, deinde in pultario vase facto ex argilla, & ferri squamma, per horam totam exuritur, & tunc demum est optimum, quod tutissime componitur cum vnguento rosar. & vlceribus malis apponitur, vel cum cerati diapalma ℥. 1. præcipitati præparati, & terebinthinæ vnguenti rosa. ad ʒ. 1. & ad ignem diu habetur, quod non solum ad carnem, sed ad callum exedendum in meatu vrinario facit. Est etiam tartarum dictum eodem modo, quod compositum cum iride terebinthina, & cerato diapalma eodẽ modo idem facit, est & alumen. Valentissimum est sublimatum supra nominatum, quod componi solet cum thure, cerussa, & tutia, excipiturq; ex aqua aliqua, vt plantaginis, & rosarum, & postquam ad imum descenderit vasis, tunc ea aqua adhibetur contra ulcerum malignitatem adiecta præsertim camphura. At præcipitatum præstat, quoniam tantum humorem malum absumit, & carnem bonam, & naturalem relinquit incontaminatã, postea, si vlcus sordescat etiam tunc mel rosat. cum aloe hepatico dicto accommodatum erit.

In quorum delectu quando caruncula vrinarij meatus curanda est, ita agendum, vt si sit callosa, & sine sensu, illud vnguentum ex præcipitato adhibeatur, vel interdum aqua ex sublimato, si autem sentiat caro, vel illud ex tartaro. Ad inducendam verò cicatricem post carunculæ absumptionem, quod est ex tutia, & cerussa, inde etiam oui luteo, & terebinthina. Quod si calor, & vror relinquatur illud erit optimum, quod ex vnguento rosaceo, de tutia, & camphora conficitur, quidam aquam rosarum cum saccharo, & paullo viridis æris incocto, si malignum vlcus sit, alij eamdem aquam cum aloe, & camphora aiunt valentissimam. Solam rosarum: cum vino, & cãphora in carnoso cauo vlcere, & maligno inutilem esse vidimus, & marcorem inducere alioquin bona est, mitigandis valentioribus medicamentis aqua rosarum, vt in purgandis dentibus mitigant oleum sulphuris, aut calchanti, seu aqua eius cum eadem etiam aqua. Vt verò vlcus postea nutriatur faciunt ex puluere iridis, terebinthina, resina, thureque, & luteo oui emplastrum, quorum ratio hæc sit: Vnguenti Diapalmæ ℥. ii. terebinthinæ res. ʒ. 3. pulueris iridis ʒ. ß. lutei ouorum tosti pa rum, hoc idoneum erit etiam post vlceris purgatio-

A nem ad ipsum alendum, & ante quoque, quoniam ipsum purgare poterit, vt exsiccare corallus, cerussa, thus, & minium cum diapalma. Vlceribus quoque purgandis malignis fex relicta in imo vase cum fit aqua fortis ex calchantho, faciet, quod erit aliquo supradictorum modo leniendum. Refrigerando, exsiccandoque vlceri dant quidam oleum ex plumbo, alij antimonium, quæ non erunt prætereunda, cum fuerit necesse. Quod si effluuium istud fordidum maneat etiã curato corpore, vt supra positum est, quod fieri tamen non solet, ad supradicta etiam puluis margaritarum, sem. cannabis, vel viticis cum saccharo rosar. & ex nymphæa condita plurimum facient, & cassia repetita, quoniam per vrinam deducet humorem qui ad seminalia accedit, vt semi-

B nia frigida omnia etiam myrobalani, auertunt materiam, & robur afferunt vasis, si cum sacchato rosaceo eodem modo dentur. Ratione stomachi quoque habita componas mastichen, thus, & coriandrum, semina frigida benè facies. Aquam ros. multi experti sunt effluuium hoc exsiccare, cui mastichen ratione stomachen ratione stomachi addere possumus. Cum inducenda erit ἐπιδέρμις circum glandem, cutis enim ei non est, tunc locus vrina diluendus sæpè est, & ei cera apponenda sola, vel cũ oleo lutei ouorum. Doloribus autem, qui sane inimicissimi sunt his partibus, oleum idem ex luteis ouorum faciet, atque lac cum aqua rosarum. Si sordes redundarit, lotiones fiant ex cortice ligustri, sambuci, & rosis aliquando adiecto alumine, cum cutis indu

C cenda fuerit incoctis his in vino, & aq. rosar. Si præputium constringatur, ne glans detegi possit, tunc infundenda erit aqua plantaginis, in qua incoctum sit hordeum, rosæ, & tandem saccharum, vt sordes circum glandem crescens abluatur. Exsiccari vlcus poterit, vel cum gossypio, vel cum filamentis, vel linteolis, vel spongiæ particulis ablutis. Sordes ex vlcere detergi quoque poterit cum præcipitato solo excepto cum gossypio, & particulis sordidis appositο prius tamen aqua rosarum macerato, & diluto. Quod prius modo supradicto paratũ fuerit, ac cum adhibebitur circumdare debemus fasciam peni acceto, oui albo, & rosſ. intinctam, & supraponẽdum vnguentum ex tutia, cui adijciatur puluis ipsius thuris, & sarco collæ, filamenta quoque super crescenti

D carni imponenda.

Si meatus vrinarij os constringatur, aptanda erit minima fistula lenissima ex plumbo. Atq; hæc sunt, quæ de malo quod cernimus, & quod vos mihi exposuistis iam sanescere, dicenda mihi visa sunt, si enim non sanesceret, de causa eum sustentante metuerem, & malignam illam vim esse suspicarer, nec vnquam, nisi ea sublata iuuari posset sperarem, vti, neque etiam, nisi post perfectam purgationem totius corporis ad proprium huius contagionis remedium accederem. Dixi.

De Pleuritide. Excellentissime Bartholine.

E

CONSVLTATIO CCCCXXIII.

Sputamina sanguinea die tertia incipientia breuem, ac tutam solent denunciare pleuritidem, præcipuè in adolescentulo. Verum, quæ circumsistunt huic malo præter pleuritidem, non parum hoc iudicium impediunt, & multum periculi ostendunt subesse ex multa, & mala humorum vi, & repetitæ toties accessiones, vt frigus eminentium partium, vt illa auditus hebetudo, quæ omnia viscerum oppressorum

forum notæ sunt, a quibus visceribus verendum, ne aut pleuritis diutius sustentetur, peiorque fiat, aut citò vis vitæ opprimatur.

Ergo lenis purgatio per mannam tuta est, & fortè per valentius medicamentum ei adijciẽdum necessaria, & postea aliqua alia auersio fluxionum à loco inflammato, & humoris cuiusque mali a visceribus per cucurbitulas incisa cute applicandas loco maximè pleuritidi aduerso. Quibus propositis, vti dicis, & tutius loco affecto sua accommodantur digerentia, & exterius, & per os, siue deuorata, siue paulatim delincta, quę non solum pectus deliniant, atque aperiant, vt ol. amygdalarum cum manna, aut saccharo, & glycirrizę, sed malam humorum putrescentium vim quoque frangant, vt melissa, borrago, scabiosa, pentaphilon, flores omnes cordiales dicti, & calthæ, & item citri semina, quæ credo vos iam præstitisse, vt ex literis tuis partim cognoui, partim potui intelligere, sicuti in victu apertè significas propterea nihil reliquum mihi ad scribendum facit, nisi, vt me ametis, & valeatis. Hæc per occupationes meas properanter. Forosempronij 3. Cal. Februarij 1574.

De Antaldi patre de superiori loco delapso.

CONSVLTATIO CCCCXXIV.

EXcellentissimi viri: Notæ propositæ vna cum ipso casu malo, & ab alto loco denotant iecur, & renem aliquem, & fortè ambos primos concussos deinde inflammationem, ac iam putredinem concepisse, quæ cum per se, tum in sene valdè mortifera sunt, propterea cura medicorum potest ambigere, viribusne cum malo sustentandi vacet, an ei malo amouendo, quod amoueri posse vix speretur, putredinis, atque inflammationis curatio in iecore, & renibus inflammatis notum est; quam tenuem victũ, quanque lenia medicamenta requirat, tum intus, tum extra danda, quæ principio fluxionem sistant, & leniter reprimant refrigerando, dolorem tamen etiam leuem paulum laxando, resoluendoque (præsertim cum ictu facta sit inflammatio) tamen robur viscerum sustentetur, vti, si dentur, quæ ex consolida, & ex rosis fiunt, cicoreaque cum sandalis, paulò mumiæ, & similia; Recentiores dant vnguentum illud potabile rubrum dictum in quo rubia sanguinem sistit, & ipsum effusum tamen mouet per vrinam dant terram sigillatam cum bolo armena, sandalis, & rosis ex aceto, & aqua hordei, vel consolidę etiam, at emplastrum exterius ex dactylis, rosis, sandalis, oleoque rosaceo applicetur, si in cibis rosacea aqua, plantago, portulaca, endiuia, cicerbita malus medica, aurantia, quæ etiã renes petere experimur, & id genus alia cum cinamomo, maci, nuce moschata tàm parcè adiectis, quam roboris seruandi rationem habeant, quibus similia esse oportet, quæ in potionibus dantur, vbi vinum omninò esset circumcidendum.

Verum seni admodum homini, si valdè temperatum fuerit, si austerum, rubrumque pro ætate, pro viribus dati potest, præsertim, cum spes exigua salutis superfit, & abstinere eum à re iucunda sit frustra niti, & ei laborem parare. Hæc breuius, quam vellem scripsi, cum ob occupationes meas, tum quod vix quidquam fructus afferre posse spero, si modo rectè intellexi, quæ a vobis scripta sunt; Valete, meque amate mutuo. Forosempronij. 10. Calen. April. Anno 1574.

Is paulò post interijt. Matrona 49. annorum magni animi facie adhuc sub morbo extremo ferè sana, nisi quod intentis nimis oculis aspiceret pulsu satis pleno maximè propter febrẽ, cuius calor maior iam fieret eadem die extincta est, cum theriacã exhibuissent, & quidem recentiorem, quo somnum caperet; ea enim ignem sibi intus incensum, cum diu clamasset, 7. horam inde extincta est.

Erat autem 8. dies, & 5. rigorem maximum habuerat.

De febre cum cacexia pro Nicolao Brollio Doctoris Brollij filio.

CONSVLTATIO CCCCXXV.

SI spectemus hanc corporis speciem certe malum habitũ refert, facies tumens & decolor est, venter item tumidus quod a quo genere humoris fit, facile intelligitur ab ipsa tumoris natura, quæ frigidum humorem, atque etiam humidum refert, quem somnus sequatur, & illud sine siti esse etiam febre molestante. Sequitur etiam cibi cupiditas quoniam forte ille humor acidus in ventriculo fit. Ab eiusmodi autem humore in habitum diffuso, in caput præsertim facies, quæ lautioris generis carnis est, intumescit, cum ille crudior adhæreat tãquam os lentus quidem, sed non transmutetur, venter autem attollitur, cum eodem in vaporem conuerso repletur. qui quidem nisi in venis versaretur, nõ sic habitum corporis peteret, venæ enim viæ sunt ad habitum humoribus circumfundendum, imo non ita multus neque ita alienus in illis versaretur, nisi iecur vitium haberet, nam eo vitiato partes veneris ei viciniores potius affectam sunt.

Ac vitium quidem intemperies est, sed ipsius iecoris propria culpa ei non aduenit, quoniam non tam cito extitisset, potius paulatim esset factum hoc malum, nulla namque intemperies seipsa subitò fieri quit. Humore ergo potius aliunde in ipsum delapso, demissóve intemperiei vitium iecori illatum est; qui humor, vt natura intemperiei naturæ mali expositæ conueniens postulat, omnino frigidus, & humidus est, quem, cum iecur calidum viscus non superet, crassum esse oportet, cum ab eo se se non liberet, & crassum & lentum vias sibi offarcire, & impedire necesse est, pituita ergo erit crassa, & lenta, quæ quamquam in iecore vias obstruit, flauum tamen colorem non facit, quoniam in felleo meatu nõ est; Hinc mirum fieri non debet, si febris subest, quoniam in visceribus detentus humor facile putrescit. hic verò, & pituita in calidiori viscere, quod est iecur, & bilis etiam aliqua ex parte remoratur, & congesta non potest nõ putrescere, putrescendique momentum ipsi pituitæ afferre, vnde non solum ex pituitæ putredine vrinæ coloratiores sunt, quod fieri consueuisse etiam admonet Glos. 5. Meth. sed ex bilis congestione, cuius iudicium est color quoque corporis, qui non admodum quidem luteus est, propter pituitæ copiam, aliquid tamen palloris habet propter bilis congestionem.

Vnde nõ est mirum, si vir doctissimus a bile quoque timuerit, eique præcipuè occurrere studuerit. Ego tamen a bile vix quidquam vererer, quoniam nisi pituita esset, bilis negotium mihi non faceret, viæ apertæ essent, & bilis excerneretur, atque ita pituitæ penitus vacandum existimarem, quæ & vitium iecoris, & motum vniuersi corporis, & febrem per putredinem pariat.

Ac

Ac quando Medicus non solum malum vnde proxime offensa est, sed etiam vnde illud oriatur debet considerare.

Ego huius pituitæ originem non solum ad ventriculi deprauationem, deprauatasque coctiones seu potius cruditates referre, sed ad caput et ipsum, quod suapte vi semper humidius, & destillationibus obnoxium audio. Et sane in pueris illud maxime potest, quare vi exsiccando quoque operam dandam censere, imò, quoniam non solum quid mali subsit, sed quid futurum sit nobis Medicis videndum est, & vtrique parti occurrendum, crederem metū subesse, ne humoris aliqua pars in caput suapte vi infirmum submitteretur, viscera enim, & maxime iecur in pueris firmiora sunt, & materiam possunt superare, vijs vero naturalium excretionum impeditis in partem infirmiorem facile mittunt, eoque facilius, si vias laxiores habuerint, vt sunt quæ in caput tendunt. Vidi ego plerosque lateris dolore & peripneumonia oppressos, & extinctos, in quibus concocta materia & alba facta, in speciemque lactis conuersa ad cor depulsa fit, inque eius capsula versaretur, & cordi loricam albam efficeret, quibus febris ab vndecimam ad decimamquartam quieuisset, deinde ea reuersa duobus aut tribus diebus cōsumpti essent, quid mirum ergo, si in caput ab ipso medio corpore impetum fieri posse metuam, vnde somnus arctior existat iam tenuioribus illius humoris partibus illuc pertinētibus, & tamquam præcurrentibus ipsi humori crassiori, qui si in caput fluat e venis facile in cerebrum emanabit, & in eo conclusus impactusque computrescit, & lethargum faciet.

Atque hæc sunt, quæ mihi omnino subesse, & facile fore in hoc corpore videntur. Quibus vt occurramus, ipsa sic exposita ostendunt potissimum materiam pituitosam esse remouendam, vnde obstructiones, & febres, quas ego nō retuli in suas species, quoniam non multum mihi videntur facere ad curationem: certe species non est continua penitus, quoniam non putrescit sola bilis, qua totus sanguis perfusus est, & ita non in venis oībus illa putrescit sed bilis in aliqua iecoris parte una cum pituita bilē complexa continenreque, quæ pituita generis crassi cum sit, non potest multa admodum esse, vt spacia in venis maioribus occupet, vt sanguine toto confusa sit, quod esset necesse ad continuam febrem faciendam, quare quāquam non intermittat, quoniā princeps viscus obsidet, remittitur tamen, & increscit, vt vt ex communi viscerum & præsertim iecoris ac ventriculi administratione pituitosum recrementum certis horis suggeritur nam partes alimentum à viscerib. accipientes, quod nimiū fortè pituitosum est, remittunt vnde in partem feruentiorem, & magis affectā facile attrahatur, qua autem hora id fit, facile calor obruitur eo confluxu, & sic aliquantulum refrigescit corpus donec inflāmata materia subinde incalescat.

Verum ad id, quod pituita ostendit, præcipua curationis pars referenda est. Ea apparatum requirit primo per incisionem detersionem, & quandam colliquationem, ac concoctionem, & quoniam concoctionem perfectam non omnis accipere potest, ideo etiam sui detractionem ea parte postulat, ac quoniā quotidie gignitur per cruditatem, coctio maximè ventriculi iuuanda est, præsertim, cum ipse fuerit ab ea exoneratis, Igitur ego exhiberem primum mel rosaceum solutiuum, deinde oxymel, tum syrupo de Betonica, postea idem mel rosaceum solutiuum cum Rhabarbari expressa maceratione, Tum præparationem reperirem, etiam identidem ijsdem purgarem, Nam mel rosaceum detergit & extrahit pituitam. Rhabarbarum eadem vna cum bile effert & viscera expedit, & confirmat maximè iecur. Coctio ventriculi iuuaretur eodem oxymelle, & syrupo de Betonica, & fomentis ac illitionibus contra ventriculū factis, & cibis ijs, qui tenues natura essent, vt auiculæ, pulli collumbarum perdicum, gallinacei, oua non multum abundanter darem, nisi ex aceti permixtione lentorem eis detraherem. Acetum in cibis ad libitum ipsius concederem potionem aquæ incocto cinnamomo exhiberem, &, quod proposuit vir perditus: in ea etiam aliquid Rhabarbari macerarem, iecur enim facilius Rhabarbari vim sentiret, cū ea in cibis adhibetur. Febris demū, cum suas concitationes habeat ea saltem cibi horas certas postulabit, quoque longissime potest ab illis detur ego permitto Medico cui cura cōmissa est, id vnum adijcerem quòd aquæ potandæ etiam aliquid radicis chinæ incoquerem, qua vidi infantulos facillime ab hydrope curatos.

De dolore identidem redeunte maxillæ pro iuuene Nob. à Ferro.

CONSVLTATIO CCCCXXVI.

Dolorem incidentem in initium sinistræ mandibulæ inferioris, existimat physicus doctissimus & peritissimus esse conuulsionem & sine humore penitus fieri quod pace sua ego viri Excellentissimi non possum probare.

Nam nerui cum conuelluntur non solent dolere, dolent partes reliquæ neruis coniunctæ minus credam hoc fine humore fieri, cum is dolor frictionibus mandibulæ & succionibus oris tollatur, & penitus quiescat, calore nimirum excitato halitum dissipante. In mādibula quidem sunt gingiuæ carnosæ, sunt ossa caua, dētes complectentia, sunt periostia, sunt dentium ligamenra, & nerui à tertio pari demissi ortu illius crassiore. Dolor is subitus inuadit, statimque præcipue per vehementem frictionem absumitur, cum ille est, videtur locutionem impedire, quoniam per bucam in labium pertinet, & per ligamentum, interioris linguæ etiam ad medium ipsius ac quoniam lingua sua natura laxior dolendo idonea admodum non est, per causam doloris tamē sēdtora diffusam impeditur à loquendo, non conuellitur, quoniam nerui eam causam non excipiunt, sed meatus laxiores tantum occupando hebetem illam reddunt. dolet vero mandibulæ ea pars, quoniam habet non solum gingiuas dolori sentiendo opportunas, sed periostia, habet neruos, qui non materiam recipiendo dolorem faciunt. Sed sensum partibus recipientibus præbendo.

At dens euulsus ex ea sede integer erat, gingiuæ nullus rumor est. Nos non videmus in doloribus necessarium, vt partes dolenres per infusos humores tumeant, minime vero hos in doloribus ad dentes pertinentibus semper opus est, appellat quidem Galenus dolores articulorum & podagras inflammationes, sed non semper ad carnes pertinent tumentiæ illum, periostia namque non tā possunt attolli, quod de tunica laryngis dicebar Galenus, cum asserebat non posse spiritum impedire per sui inflammationem sed musculi tantummodo. Esto ergo dolor sit ab humore tenui se se in periostium maxillæ inferentem, non necessario intumescenr gingiuæ sed dolor etiam ab halitu, & spiritu aliquo subito incurrente fieri potest vt hic fieri conficitur ex solita etiam doloris discussione. Cuius doloris natura videnda est, & definiendus morbus modo illa est, quò possit remedijs submoueri, subitus dolor non intemperie sola, sed afluxu alicuius corporis fit, & tenuissimi quidem,

dem, cum subito soluatur, is ergo anhelitus erit, qui dolorem intendendo facit, atque etiam, vt sensus morsus indicat, pungendo, vnde is anhelitus morsum habebit, & acris erit.

Qui sane per se diu subsistere non potest, neque cum reuertitur, reficiturve, sine humore potest renouari, habet ergo humorem vnde fient, habet efficientem vim, & locum, vbi paretur, antequam in locum influat, cui dolorem facit. habet vim expellentem, ad imbecillitatem partis in qua recipitur expulsus. Imbecillitas partis in quam recipitur, denotatur quoniam mandibula in ima sui parte vbi cum lingua annectitur, rubicundior est, & tuberculum etiam quendam asperum durum habet in superiori gingiua, qua dens euulsus est, qui quidem tuberculus non est callus, qui sedem euulsi denitis repleuerit, cum tuberculus minime hæreat alte in gingiua, sed in summa cuticula laxe admodum resolutus a gingiua dimoueatur; quo potius aliquid a natura alienum designet, maxime sua asperitate, infirmitas ergo loci aperta est, vbi dolor mouetur.

B

Humor autem, & locus, vbi is congeritur, vnde halitus fiat; Halitus natura mordax vim, & naturam humoris refert, vnde fit. ita humor, neque sanguis, neque pituita naturalis erit, neque etiam bilis flaua, cum calorem non præferat. naturam potius melancholicam quæ in flatum facile vertitur, & mordacem illam cum humor propter moram incalescit, & exuri incipit. Cuius rei confirmatio est, quod iuuenis fatetur se Melancholicum, hoc est mæreti, & tedere, & consuetudinem humorum fugere. Locus vbi humor comparatur, & in halitum vertitur, aut ad basim cerebri est loco, quo nerui nascentes inde in mandibula viam sibi, & halitui demisso faciunt, aut in capsula dentium loco, vnde extractus dens est, nunc maxime, postquam ille abest, cum adesset vero venæ vicinæ. Cuius humoris non exigua causa est, quod ipse Gallicam luem habuit, & per medicamentum proprium ex Guaiaco curatus est, quod fere ætate grandiores in naturam melancholicam perducit.

C

Accepto ergo vel anhelitu desuper demisso, vel a venis vicinis humore malo, vnde se se nutrientes infirmę partes halitum, necessario illum exprimanr, dolorem hæ partes sentiunt. iam proprie eius humoris causa esset discernenda, nam ea manente humor frustra tolli videatur. Gallicam luem solere, vel depulsam aliquid vitiositatis relinquere experimur, non solum quod remedia exsiccantissima venis vim sanguinis crassioris gignendi inferant exsiccando, sed quoniam reliquiæ aliquæ viriosi humoris in particulam aliquam intrudantur, dum per remedia illa sudores vi promouentur, quæ particula sic infecta potest sanguinem crassiorem in vitiosum etiam magis vertere, vt halitum inde partes se se nutrientes malignum elidere cogantur, hoc est humori similem. Lues namque ea humoribus nescio quid maligni largitur, vnde dolores illi intollerabiles sine tumoribus in partibus excarnibus inciten tur, cuiusmodi malignitatem habere halitum hunc omnino cogor credere, cum ille tamen renuis, tam magnum dolorem afferat, quod non solum quia fumi naturam, nempe a crasso, & ficciori sanguine emananrem, sed quod insignis vitiositatis morsum habeat. Quid ergo subsit, quod tollendum sit, iam patefactum videtur.

D

E

Nam cum vapor ille identidem dissoluatur per se humor potius, vnde attollitur spectandus, & partis infirmitas, quæ illum in se depulsum non defendit. Maxime quod, cum partis infirmitas aperta sit, malum habet ῥεύματος naturam, in qua semper partis infirmitas principem habet curationis portionem. Humor ipse detrahendus, & consumendus est, qui non solum in capite, & partibus vicinis, sed in remotioribus quoque est, a quibus capiti in dies suppeditatur.

Iam totius corporis ratio satis habita est, & plurimum etiam capitis, cum per pharmaca, & per potiones sudorificas ex salsa parilia sit expurgatio facta. Restaret vt per ea quæ proxime capitis purgationem faciunt res expleretur, vt per masticatoria vasaliaque, quin primum vasalia rectius darentur, deinde masticatoria, quæ parte quoque infirmam, & laborantem expurgarent. Maxime si fortiora fiant, vt conuenier, ex pytethro. ex staphidagria, ex sulphure, alumine, & alijs robur conciliantibus vna cum purgantibus coniunctis, vt in ratione ῥεύματος habetur, imo cum postremo pars funditus exhausta videbitur, robori tantum vacandum erit, vt adhibendo oleo Mastichino, & oleo, seu aqua sulphuris, ea portione vt ℥. 2. olei mastichini habeant ʒ. s. olei sulphuris, quod maxime constringit partem ne ῥεύματι recipiendo pateat, quibus lotiones oris ex vino incoctis rosis, nucibus cupressi, mastiche. s. portulacæ, cornu cerui vsto, & similibus addi possunt.

Is non multo post tempore, & illo quidem tempestatis calidæ & siccæ dixit se bene habere, longo quidē interuallo recidit, sed minus moleste habuit, indeque penitus sanatus est.

De dolore contra iecur identidem oriente pro Illustri Comite Gentile Turrio.

CONSVLTATIO CCCCXXVII.

HIc dolor, est non perpetuus sed identidem rediens, totisque mensibus fere corpus integrū relinquens, & breui etiam durans cum reuertitur, vt studia Medicorum ad eius origines priores potius, quam ad ipsum tollendum requirantur, qui sua sponre dissoluatur, & sane satis dictum a Medicis prudentissimis est, & propterea mihi breui res transigenda, quando loco mihi attributo inseruiendum videtur. Est itaque origo prior huius doloris quærenda, in quam consilium dirigi debet, dolor tamen prius examinandus, cum ad deprehendendam originem suam nos possit deducere, is tensiuus describitur, & admodum vehemens, qui sponte sæpe, & breui soluatur, & post discessum suū obtusum quendam dolorem relinquat, qui pressu ipso sentiatur subesse, cum ergo in dextra parte sub costis spurijs semper moueatur, & cum magnus est, ad dorsum atque ad humerum pertineat, & remissus illa sui vestigia diuturniora relinquat breuitate sui valentior dolor renuitatem materiæ indicat, longinquitate autem sua remissior crassitudinem, nam in summo illo incremento vix ternas horas solet existere, in ea autem remissione tāta, qua vix per compressionem sentiatur ad ternos dies ducatur. Tenuitas valentiorem dolorem excitans, aut flatus, aut bilis esse potest, non a bile quidem omnino, quoniam iuxta iecur bilis ad membranas, & partes sensu præditas expressa non posset sua vicinitate non febrem parere, non sitim, non oris amarorem, quoniam iecur est cordi, & ori ventriculi uocato cordi propinquum, & eius membranæ cum ventriculo communes, & cōtinuæ sunt: flatus igitur potius erit causa do-

sa doloris illius vehementioris se se cito remittentis.

Et quoniam acerbus ille admodum est, & ardentissimus, ego cogor existimare eum flatum efferri a materia, quæ cum crassitudine ad omnem flatum pariundum necessaria vitium etiam aliquod acrius habeat coniunctum, flatus enim vitiositatem refert eius materiei ex qua exprimitur, & cum molestiorem dolorem inducat, necessario malam aliquam vim præ se fert, quæ in natura humoris crassi sit, vnde ipse effunditur. Humor ergo ipse crassus siue pituita sit, siue melancholicus succus, vitium habet eiusmodi, quod per moram in corpore habitam solent humores acquirere, dum in alimentum nō adducuntur, mutari namque cum necesse habeant, si in bonum non conuertantur, in peius deduci debēt, atque vitia miræ varietatis per corruptelam contrahunt. quamquam illam putredinem extremam non subeant, qua & consumi, & in quasdam quasi cineres conuerti necesse est. Quod vitiositatis subesse eo magis ego conijcio, quod corpus hoc generis calidioris est colore atro, & luteo id indicante, & venarum amplitudine, & ipsius gracilitate, in quo corporis genere bilis hac maxime ætate prioris iuuentutis solet abundare, quæ pituitæ permixta, & vim acriorem præstat, & propter moram sæpe amisso calore & tenuitate in atrum humorem degenerat, & maius vitium concipit. indicant hoc pustulæ rubræ toto corpore extantes, quæ cum sine prurigine sint, sine salsedine esse se ostendunt, non tamen frigidas se se omnino, quoniam videmus pustulas in miliari illo genere erysipelatis nihil pruritus habere, vt in vrinis rubris, & flauis admodum videmus, quæ minus irritant quam albę, pruritus namque requirit in tenuibus partibus exustam quandam, & terrestrem vim salsedinis matrem quæ fere vt pituita est. Præterea videmus quod sub horum dolorum accessionibus aluus sæpe mouetur, & biliosa lutea, & feruentia effert. Natura itaque humoris vnde flatus editur iam aperta est quod pituitosa quidem est, sed bilis etiam, & Melancholiæ particeps. De causa flatum edente mihi videtur superuacuum loqui, nam sciunt omnes magnum calorem, & magnum frigus flatus non edere, medium autem vtriusque id facere quia calor materiam consumit, & quandam veluti serenitatem facit, frigus vero eam non extenuat. Id certe adnotatum velim, quod hoc loco calorem, & frigus, & mediam vim non natura sua, sed ad materiam respiciens appellanda censerem, potest esse materia, tam dura quæ maiorem calorem requirat, in flatum efferatur, quæ ille sit, qui alteri materiæ mollioris adiunctus eam penitus deleret, item statuendum est certe materiam in hoc corpore eiusmodi esse, quæ eo loco minus calidum calorem sortita sit, quam qui eam digerere queat, & ita, cum corpus generis calidioris sit, videndum, ne in culpa aut materiæ crassitudo, aut partis materiam continentis refrigeratio existat. Quæ res declarationem sui magna ex parte sortietur ex his, quæ dicenda de materiæ eius generatione, insequuntur. Ea certe crassa esse debet, quæ in flatum conuertitur. Nam tenuis, si in ventriculo sit calidiore, nidoris quidem speciem potest subire, at flatum insignem non edet, minus, quæ in iecore, aut venis versatur, quæ neque etiam in nidorem verti queat, ne dum in flatum, quoniam humido genere, & vi caloris humidioris, aut in sanguinem biliosum traijcitur, aut dissoluitur. Crassa vero materia etiam esse debet, quæ flatum emissura sit, quoniam flatus nō est vapor humidus, sed habet ariditatem vnde a calore nō potest contineri, vt humidum potest, neque a frigore in aqueū humorem conuertitur, vt idem humidum facit, propterea flatus origo materiam terrestrem requirit, quæ a calore extenuata, non consumpta in flatum conuertitur, quare neque pituita naturalis, quæ aquea, & tenuis est, neque alius tenuis humor flatum edere potest.

Sanguis quamquā crassitudinem habet, sine qua alioquin nutritioni idoneus non esset, flatui tamen gignendo aptus non est, quoniam a calore extenuatus, non consumptus in rationem mutatur, qui partibus alendis affunditur, & in earum naturam transmutatur, concrescitque, propterea flatus crassam pituitam, & terræ plurimum complexam, atque melancholicum succum requirit. De pituitæ ergo, & melancholici succi generatione videndum est. Melācholicus succus quamquam frigidus est, frigidam tamen sui confectricem causam non requirit, nam frigus potius crudum humorem, & pituitosum parit, quam melancholicum, is enim, cum siccus sit, a frigore humidiora recrementa faciente gigni non potest, a calore verò gigni quidem potest, sed ille ne acriori, valentiorique, vnde humor melancholicus nequeat generis illius mitioris esse. Sed necessario alterius illius exusti, & acrioris quod sæuissimos solet casus habere? certe huiusmodi casus hic cū non videamus, non est cur calorem eiusmodi acrē quęramus. Sed aliam aliquam causam, quæ neque frigus habeat vnde humescant recrementa, neque tantum calorem vnde exurantur. Ea verò est quæ non sine calore multum squalloris habet, quę materiam crudam sortita, eam neque in bonum sanguinē vertere neque non exsiccare potest. Qualis esse in hoc corpore potest, in quo calidum quidem, & siccum iecur, frigidum vero, & fortasse etiam siccum ipsum ventriculum videmus. Vnde & cruda materia iecori suppetat, & in eo exsiccetur, cum iecur autem appello venas omnes cōplector. Quod ventriculus frigidior sit, ipse multis suspicionibus ostendit, & præsertim in concoquendi tarditate, sub qua non nidores, sed frigora, & sitis priuationes sępe incidunt, qui forte præter naturam frigidus fuerit, cum vina potentiora appetat aduersus molestum frigus, quod siccitatis innatæ quoque indicium esse potest, qua eiusmodi sicciores potiones concupiscat. Siccitatis etiam nota ea est, quod adstrictæ alui sit, quæ res a calore quoque iecoris fuerit, cuius caloris nomine sunt in colore, & habitu corporis in excrementis biliosis, in pustulis toto corpore erumpentibus, vt dicebam.

Ex quibus sic constitutis ventriculus quidem crassiorem succum subministrat, iecur autem eius partes omnes penitus exsugit, nec crassas relinquit, vnde aluus non est mollis, sed adstricta. Atque ex crassis partibus sua siccitate, & calore humorem siccum fæcosum, & lutosum creat, quem dum per venas inferiores ad portam positas demittit, ibi abundans subsistit, & crassior fit, partim vero infima iecoris parte detentus sic inferioribus venis exitum impedientibus a iecoris calore in halitum fumosum conuertitur ad tunicas eius extruditur, & ita dolorem parit, qui, quoniam membrana illa est a peritoneo venæ cauæ tunicam præbente, ideò dolorem secundum contectionem membranarum vsque ad dorsum, & ad humerū promittit maxime quod multa inuolutio membranarum est ibi, vbi iecur cauæ sui parte ventriculum complectitur. Vnde imbutæ illæ retinēt etiam eum anhelitum diu, & compressæ dolorem mouent. Accessiones dolorum habeat primo vrinas crudiores, quoniā cruditate ventriculi nascuntur, & ille quidē magnæ nunquā interdiu, nunquā noctu a cibo, sed prope primā lucem excitatur, qm̄ tunc tempus est, quo iecur imbibitum eo succo, iam conatur eius recrementa fumosa excernere.

Vnde

Vnde cum vina potentiora biberit minus cruciari doloribus solet, quoniam iecur excernere magis potest, & membranæ etiam digerere eum vaporem spiritu, & calore vini adiutæ. Sæpe sub victus ratione exquisita molestatur magis, quam sub crassiori victus genere, quoniam quamquam materiæ minus restet, ea tamen acrior fit, & plus halituum emittit dum a calore magis tractatur. Aluus etiã magis adstricta, plus materiæ permittit loco iam humoribus crassis, & melancholicis onusto, quam aluus ipsa citior facta victu liberaliori, & fructibus pleno. Vidi enim sæpe imbecillos ventriculos quod aluum fluidam habeant, corpora minus obiecta morbis reddidisse, quæ cum fortiores essent facti, & adstrictam illam haberent. Vidi sæpe sub largiori victu, quam sub parciori homines melius habuisse a podagra, a Reumatibus & a calculo. Nam partes crassiores ciborum egestate naturæ detentæ, & calore ventriculi, & viscerum ac venarum extenuatæ cum ineptæ ad alendũ sint, ad partes corporis offendendas deferuntur calore, quo ibi destitutæ concrescunt, & mille molestias pariunt, in podagra vel gypsum faciunt, in calculosis lapides, in melancholicis duriores obstructiones hypochondriorum.

Atque hactenus de humoris generatione, vnde flatus, & anhelitus illi excitentur. Calore nempe crassitudinem quidem extenuãte humorem tamen in anhelitum extenuatum non consumente, qui calor forte acris quidem est in iecore, eo tamen minus validus, quo a temperie naturæ conuenienti abest, ita ad fumum magis edendum, quam ad halitum consumendum idoneus. Magis ad crassas, & terrestres materias fundendas, & in vaporem extenuandas, vnde eo relictæ rursus possint concrescere, quam ad eas concoquendas transmutandasque aptus exurere hunc non dixerim adhuc, sed prope tamen id posse, quibus propositis statum huius morbi mihi videor iam conspicere, &, quid futurum sit præsentire. Videre enim non solum, quæ sunt, Medicus debet, sed quæ etiam futura sunt, quo præsentia curet, & futuris prouideat. Videre siquidem in loco identidem dolente non solum infirmiores vires, quales in prima accessione fuerũt, est necesse, verum propter anhelitus illius vitiosi, & discruciantis consuetudinem auctam intemperiem, quæ res in humorum fluxionibus febres per circuitus reuertentes patientibus facit, vt sæpe febres duplices fiant, non solum parte amandante, sed recipiente iam humoris idem genus procreantibus, pars itaque non solum imbecillis statuenda est, sed intemperie quoque affecta. qua humorem fere similem generet, compressa quamquam non acriter doleat materia tamen quendam dolorem demum refert, & ita materia aliqua referta minus potest trãsmutare, minusque excernere superuacua vijs, etiam & meatibus ea materia impeditis, forte vero id vitij tantum non est, vt remedijs, vt spatio sæpe tollatur, vnde quandoque sine eo dolore est. huius tamen partis aliqua ratio in curatione habẽda est maxime cum proxime dolor affluit.

Video præterea iecur, & ventriculum vna cum medij intestini venis non solum sua intemperie, sed humore partim pituitoso partim melancholico referta, quibus præcipua cura attribuenda sit, prospicio autem futurum, ne propter viciniam materia in concauo iecoris posita ad meatum felis conuertatur, & ipsum impediat regiumque morbum cum maiori periculo efficiat, vel ad medij intestini venas demissa a iecore ibi genus illud feruoris pariat, ex quo halitus in ventriculum missi ibique refrigerati, & in naturas humorum, vnde fiunt redeuntes ventriculum refrigeret, in acidum humorem cibos conuertant, pituitæ causa sint, & ob inimicam naturam ipsi sensui, & vitæ cordi mærorem inducant, & cerebro etiam per suum anhelitum aliquam deceptionem, cuiusmodi morbus melancholia hypochondriaca dici consueuit, quoniam a partibus sub cartilagines thoracis positis proficiscatur, soletque multum inflationis habere propter genus humoris facile a feruore in flatum conuersi. A quibus omnibus in obstructione maxime positis possumus etiam incursiones febrium metuere, præsertim quoties cum his internis causis euidentes etiam conuenerint a cibis crassis, crudis, lentis, pinguibus, frigidis potionibus, acerbis, austerisve, a dulcibus, a motionibus a cibo subitis, tam corporis quam animi perturbatis, vt etiam a veneris vsu. A quibus quidem euentibus seruabitur, si ea vitentur, si quæ remedia admittet, longinquitate tamen tẽporis erit opus vt humores crassi vt contraria iecoris, & ventriculi vitia præsignificant.

Sed iam ad prouisionẽ huius valetudinis veniendum, in qua non dicam multa de leniendo dolore cum adest, quoniam id Medico aduocato permittendum est, cuius prudentiæ erit tunc pro re, & conditionibus deliberare. Nam quod dixit Excellentissimus vir de cucurbitula applicanda, & Theriaca exhibenda, id tenere accipiendum non est, quoniam dolor is magnus, subitam prouisionem postulat neque expectat, vt corpus expurgetur, qui cum sit prope iecur, imo ei circumsistat, vetendum esset ne a Theriaca plus humoris, quo, vt contingit, corpora einsmodi refecta sunt, ad locum doloris funderet, neue cucurbitula eum attraheret, & dolorem augerent, vt inflammationem facerent. Linquamus ergo negotium eius temporis Medico pręsenti. qui ab arrodinis tam intus quam extra adhibendis ordiri debebit, & paulatim ad valentiora peruenire sic per clysteria, & per potiones, per vesicas, per panes calidos, illitiones, fomenta, & modos omnes, vsque ad balnea si nihil prohibuerit.

De causis, & initijs dolorum tollendis dicam primo, quod multa fieri ad id possunt etiam dolore præsente, quæ dolori quoque occurrant, vt olea amigdalarum siue dulcium, siue amararum vt vt occasio postulare videatur. Decoctio etiam chamemeli ad vtrumque faciet, proprie vero ad originem doloris submouendam necesse est primo detrahere humores, deinde intemperiem iecoris, si non calidam, certe siccam emendare, & frigidam ventriculi, atque etiam parti recipienti materiam doloris confectricem ea adhibere, quæ, si quid imbibitum sit, consumat, & temperiem faciat, atque confirmet, cur enim semper ea materia in eam partem conuertatur, non in aliam, non solum imbecillitas nuda, sed hæc cum materia occasio esse potest, & materia est detractioni paranda cum medicamentis educi debet. Detrahi prius sanguinis missione proprie per hemorrhoidas commode posset, neque requirenda est, quod dixit vir Excellentissimus consuetudo hæmorrhoidum, & impetus naturæ ad illas nam sat est, si eiusmodi humor congeratur, vt apertũ sit in hoc iuuene, & erit valde commodum in hoc morbo, non tam, quod a sanguine timeamus, quam quod, qui præsens est in venis ad portã pertinentib. malum facit, si secãda vena brachij id fieri recte deberet, tunc ad illud ea modo persuasio esset, quę fieret a motu sanguinis, quoniam facile ab omni genere venoso ad locum affectũ causis cuique perspectis adduci posset, at ab hęmorrhoidib. eductus malo pſenti prouidet. Cũ medicamento vetò humor educi non pōt nisi paretur, quod ego facerẽ oximelite primum modificato syrupis cõcoquentib. vt boraginis, buglos-

buglossæ, de corticibus citri, deinde leniter ego humorem euocarem, nunquam valentioribus medicamentis fidendo, ne humores ex toto corpore ad locum, qui in vitio est angustioribus vijs præditum adducerent, & illum magis opprimerent obstructionesque magis inculcarent.

Præterea in parandis humoribus nunquam valde calefacientia adhiberem, ne iecur magis calfacerē exsiccaremve, & causam crassitudinis augerem dū imminuendam crassitudinem procurarem. Itaque lupulos qui a quibusdam refrigerare creduntur, a quibusdam verò leniter calfacere quod ex amarore florum eorum suspicor, probarem, & agrimonium, atque asplenium, adianthum, polytrichum lonchitim emionitim eodem ordine censerem eorum quæ incidunt extinctam & nō calfaciunt, vt liquiritiam, vt ℞. graminis, est etiam fumus terræ, qui propter squallorem humoris idoneus videretur, habet enim quendam aquosum humorem vnde mitigari, & deliniri humor squallidus possit. spatijs, quibus medicamenta purgantia intermittuntur, quæque inter medicamentorum vsus repetitos intercedent præparationes humorum idētidem fieri debent, & semper fortioribus præparāribus dandis in quibus oxymel squilliticum locum habebit postremis maxime conatibus syrupus de cicorea Nicoli acetosum diarrhodon, de eupatorio. In purgantibus valentiora nunquam vellem in polypodio manerem quod cauo iecoris purgando idoneum perhibetur. Rhabarbarum probarem, & epithymum. Compositarum censu ego haberem hieram simplicem Galeni aliquid hieræ lagodion ex stitio, maxime vero placeret aliquod oxymellitis genus compositum ex supradictis herbis adiecto aliquo purgantium ad exemplū eius, quod ponit Alexander Trallianus.

Quidam faciūt oxymel ex aceto cui infusa sit cortex radicis iuglandis quod dicunt purgare, præterea pilulæ de Rhabarbaro in quibus cum Rhabarbaro sunt trochisci diarrhodon, hiera.s. myrobalani, succus absynthij succum glycirrhisque cum seminibus apij, & fœniculi mihi videntur habere quidquid exoptamus ad ventriculi factionem, ad iecoris refrigerationem, ad vtriusque expurgationem, sunt pilulæ stomachicæ tam Alchindi, quam Mesues. Potest Rhabarbarum dari cum trochiscis de spodio vnam, & de cuparo rioh. cum pulueribus triasandalon, & similibus, quoniam in morbis huiusmodi spatium curationis adhibendum est, potius, quam multa vis.

Quare in vino etiam probarem, si dum fit, betonica, absynthium & Guaiacum, & borrago imponerentur, aut chinæ decocto dilueretur si therebinthina resina quandoque daretur. Calidiora illa proposita non admodum amplecterer metu ipsius iecoris.

De ratione victus monerem caueret a nimis pinguibus, a glutinosis, a duris, a crassi succi cibis a crebra nimis comestione a multiplicitate ciborum, a motu post cibum, a mœrore, ab iracundia. a vestimento leuiori præsertim noctu maxime dormiens. De aquis Thermalibus non memini, non quòd non exrenr, quæ etiam vtiles esse queant, quemadmodū maxime Pistorienses seu Senenses del Tetuccio dictæ, quibus cauum iecoris maxime expurgatur, & venter mouetur, sed quoniam longe absunt, neque tam tempore idoneo haberi possent.

Quæ vero viciniores sūt, vt Porrectanæ, & Aquarianæ purgationem longam volunt, alioquin vt maxime Aquarianæ dolores mouent in pectore, & ita occasio earum præteriret.

A

De Dom. Ioan. de Vincentijs continua febre laborante.

CONSVLTATIO CCCCXVIII.

TRia sunt proposita ab Excellentissimo Physico Fumanellio in hac curatione determinanda, primum, num sanguis detrahendus, secundo num ptisana exhibenda, tertio quibus horis in febre tam vaga, seu tam varijs incrementis infestante cibus sit

B dandus. Eadem verò tria sunt etiam optimè constituta neque mihi relictus labor multa dicendi, quare ego loco mihi attributo breui possum satisfacere.

Hic febris est, quæ quamuis a putredine humoris existat, metum tamen facit, ne soli putredini, humoribus detrahendis vacantes satis partium habitura sit ipsa curatio. quoniam videtur iam corpus consumi & suspicio est ne cordis alimentum proximum auferatur & calor cordi infigatur, quare non solum humoribus, sed calori quoque & tabescentis ratio habenda sit. duriores pulsus videntur, & pauci nimis pro febris & corporis natura, & corpus ex carne admodum factum. Et cum eo a cibo post horam concalescit magis tam vesperi quam mane.

C De humoribus putrescentibus, & de origine, vnde hic metus extiterit, qua persistente tolli metus non possit, ego ita statuerem, quòd maxima humoris varietas subest crassitudine & cruditate humorum, eam pariente crassitudine & cruditate sub calida iecoris confectrice facile in humorum varietatem conuersa, vt quilibet potest intelligere, si, quid exurens calor, quid partium inæquabilitas in crudis humoribus potest animaduertat.

Varietatem humorum indicant, febris varia, vrina varia, aluus item modo persusa, modo adstricta, & ipsa quoque diuersa. Calor iecoris partim naturalis est, vt habitus corporis ostendit, partim ex crudo humore est, qui, quamquam propter frigus naturæ suæ refrigerare debet, maxime impe-

D diens boni sanguinis consuetudinem, tamen obstruendo facit neperfletur iecur, & calorem acriorem concipiat, qui siccioris naturæ facilius torrefaciat, quam elixando concoquat alimentum maxime, cum caloris temperatioris, & ad concoquendum idonei commeatus prohibeatur.

Cruditas autem, quæ eam torrefactionem varie recipit pro ea, quæ crudi humoris est propria varietate, occasionem maximam habuit a ventriculi frigiditate, ab ea eius infirmitate, quæ vsu tenuissimæ, & exquisitæ viuendi rationis adhibita est tot annis, deinde in largiorem viuendi modum, & li-

E beriorem subito conuersa, quo & fructus varios, & ciborum diuersa genera acciperet, & in vitæ exercitatione, etiam magis versaretur.

His accessit quædam iecoris opportunitas ad obstructiones, vt conijci potest ex eo quod crebro in icterum laberetur, & tactu ipso per tensionem hypochondrij dextri percipitur. Ab humorum itaque varietate, & ab obstructione iecoris fiunt vanæ illæ caloris mutationes, vt vt varie partes non æquabiliter inflammātur, a cibo verò calor nigrescit maxime, quoniam ab eo vapor in obstructas partes per calorem attractus humori obstruenti, ibi diuturnitate exsiccato affert maiorem incensionem, vt aqua calci iniecta facit.

Forte etiā cordi squalescenti idem prestat vbi res

certa

certa esset si caloris illa noua concitatio sine compressione esset, quoniam corde illam accipiente se ipsa nulla compræhensio fit initio illius incrementi caloris, sed accessio videtur sine compressione facta. alioquin pertinent tantum ad obstructiones, & putredinem humorum, tunc accessionis speciem habet, quæ cum compressione est. Vt Galenus dicebat, varietatem ergo hanc morbus, inde verò variæ quoque vrinæ fiunt, quamuis omnes maxime exustæ, inde alui diuersitas, quæ modo mollior, & perfusa, modo adstricta est, vt vt putredo varietati materiæ variam affert infestationem, hodie quidem aluus, & profusa, & admodum exusta est, &, quod sanguinis inest, mihi ab hæmorrhoidibus esse non videtur, sed cum fecibus mixtum, & impurum sanguinem e venis intestinarum demorsis ab exusto humore credo expressum.

Hæc sunt quæ mihi videntur in hoc homine subesse, quæ, si ad species medicas sint referenda, ego febrem continuam hanc existimo, & eas caloris remissiones intensionesque, non accessiones, sed inæqualitates esse materiæ intensionum, vnde febris genus vnum purumve non sit, sed commixtione humorum confusum.

Ac quoniam febris continuitas, & intermissio solent nobis locum putredinis humorum declarare. Continuitasque medium venarum spatium indicare, & venas maiores putredinem continere, sed ego hoc loco eam potius ad certam partem referendam iudicarem, & quidem ad iecur, & partem ipsius cauam, cum sentiam tumorem tensum contra iecur, cum videam aluum facile exustos humores recipere, cum tam cito a cibo ingrauescat, quod enim cordis squallentis causa esse solet, id saltem duabus horis intercedentibus euenit, hoc vero vix horam totam expectat, sed certius esset quod supradixi de quo certus non sum. A quo viscere varios halitus in ventriculum, in cor, in caput emittente mirum non est, si varios casus videamus Mærorum, formidinum, animi deceptionum, cum atri, & exusti vitæ sensuique maxime aduersantur, & vitales spiritus contaminant, ac coercent. Iracundiæ vero cum bilem flauam magis referunt, & modo vigiliarum, modo somni, vt ut modo pituitosis vaporibus, quos secum ferunt vincuntur inuoluti modo eos vincunt.

Verum qm̃ munus medici est, nõ modo, quæ sunt curare, sed quæ metuenda sunt prohibere, & ex illis sæpe curationem moderari, propterea de motu videndum est; a tanta materiæ varietate non nisi longinquitas mali timenda esset si vires eam perferre possent, ab ætate sexagesimumtertium annorum eadem esset speranda longinquitas, sed tantum roboris non est, quin prius consumatur corpore maxime extenuato quod citius potest contingere propter id, quod aluus minatur, nam adeo exustam illam vidi, quod verear, ne in profusionem tantam decidat qua citius vita finiatur; ijs itaque sic perspectis elici potest, quod muneris nostri sit. Nam & ei, quod metuitur occurrendum est, & malo præsenti oppugnandum, exsiccatio namque cordis omnino prohibenda, & putredo cum sua materia submouenda, cuius materiæ si qua pars possit mitigari, ea omnino est ad melius reuocanda. Ptisana ergo propinanda est, nam quamquam aluus profluat, non tam fluidam eam faciet, quam alendo cito, & refrigerando est necessaria. qua refrigeratione etiam materiam modificando, potest fluxum refrenare, vt verò ventriculi etiam ratio in sene habeatur ego piper crasso modo tritum imponerem quod si succum ptisanæ metuamus, saltem hordeum, integrum in iure incoquamus.

Eadem ego ratione in medicamentis Radicem dulcem probarem cuius abstersio humoribus esset opportuna, & delinitio, & caloris quidam tepor ætati, & infirmitati caloris valde commodus. Borrago, buglossum in eodem censu habenda sunt. Betonica quæ non valde calfacit humores, tamen valde incidit, ac dissipat naturæque imperio magis subiectas reddit, & e corpore etiam educit. Agrimonium visceribus, & maxime iecori restituendo optime facit sine vllo penitus calore, atque hæc non augeret febris calorem, materiam autem mitigarint modificarentque, & ità prætereunda non sunt quin autem cum ptisana coniungantur, aut etiam illa prę terita exhibeantur. De missione sanguinis ego cum Excellentissimo viro sentirem recte eam fuisse prætermissam, cum ætas, morbus, & vitę ratio, & genus corporis prohibeant, & vires maxime, quæ tam in præsentia, quam in futurum respiciendæ sunt, imo eas ita curarem vt & cordi, & iecori, & ventriculo aliquid apponerem auxilij, cum fomentis & illitionibus, quibus cor refrigeriũ aliquod sentiat, reliqua calorem concoquentem, & sui collectionem acciperent quarum virium medicaměta vobis ignota non sunt. De hora cibi exhibendi, quãdo accessiones hæc incrementa incertorum spatiorum nõ sunt, ego non multum laborarem, sed horis consuetis cibum præberem, quibus dictis credo me quæstioni satisfecisse.

De Lethargo pro Nobil. Gasparo Caprinio.

CONSVLTATIO CCCCXXIX.

SI vllus inquam morbus fuit, qui speciem ab antiquis nobis literis relictam referet hic certe est. Nam Lethargi expressam speciem habet, vt in libris notata est, præsertim quoniã cepit prius obliuiosus esse, & internis sensibus hebescere, ac somno teneri, deinde febre arreptus est, sub qua omnes dicti casus ingrauescunt, vt superiori nocte aduentante, neque inclamatus, neq; carptus vnguibus excitaretur quasi carus esset non Lethargus, in caro enim abolentur, non imminuuntur actiones. Aliorum generum sopores solẽt, aut sine febre esse, vt carus sæpe haud ad ipsas febres sequi quod idem carus quoque facit interdum. Lethargus autem cum apostema pituitosum cerebri sequatur, & apostema antequam cõputrescat, & febrem faciat prius cerebrum pituita perfusum habeat, necessario eiusmodi hebetudinem, & somnum initio ante febrem sortitur, & quamquam hic ad similitudinem cari ingrauescente febre per circuitus sensum penitus hesterna die auferet, dum humor per circuitus ad locum de more confluens eius vim opprimeret, tamen putredine excitata, & calore cõpræhenso sensus leuantur, sic ipse appellantes audit, illis respondet, sõno verò nihilominus graui & obliuione summa tenetur, oculis nõ penitus apertis, non tamen prorsus conclusis, qui interea crebris etiã oscitationib. tentatur, matulam postulat ad mingendũ, interea verò mingit in lectulo, & pariter alui excrementa inscius deponit, quib. ita patentibus non est, ꝙ in declaratione huius morbi verser apud vos, quib. dicta species, eiusque curatio ab Authoribus propositę non obscuræ sunt. De eo tantum mihi dicendum videtur, quod curationes moderari & vtilia remedia efficere potest, nisi quo, quæ recte a vobis allata sunt, inutilia, & periculosa sint futura. Et est, quod summo studio perquirendũ est num totum corpus sit inutili, & superuacuo humore refertum. De capite enim dubium nõ est, quoniã species morbi id ostendit, & cum eo illa, quæ antecessere,

vt dolor mandibulæ, faucium angustia, & musculorum ossis hyoidis & faucium infirmitas tantam, vt liquidas tamquam minutioris, tenuiorisque corporis, maiorisque compressionis indigentes escas deprimere non possit, sicuti neque nimis crassos bolos: Verum meolij tantum habitus deuoluat. Vidi ego non solum hominibus, sed equis contigisse vt escam quidem possent deuorare, potionem autem non. Referunt etiam collegæ ipsius quod animaduerterũt paucis ante diebus ei os contortum extitisse, quod paralysis omnino causa fuit, ita de capitis infarctu minime ambigẽdum est, de toto autem corpore signa perquirenda, nam si plenius fuerit, nullũ remedium capiti tutum est futurum, nisi corpus prius exoneretur quod & cito faciendum erit, cum præceps morbus existat. Corpus onustum esse malo humore mihi multa indicare videntur, primum hæmorrhoides minime fluentes pro eius cõsuetudine, deinde ratio victus, quæ corporis motiones, & labores a cibo supra eius consuetudinẽ habuit postea vigiliæ nocturnæ, quibus cum propter sollicitudines & animi perturbationes teneretur, nihil tamẽ de cibi modo detraxit, quæ omnia crudos humores & multos congessere, Tempus æstiuum pluuias diuturnas habuit diebus præsertim ante, & post ortum ipsius carnis, fuit præterea valde inæquale, ita non sola humida intemperie, sed contrarijs motionibus crassos humores peperit, & intus inclusit, atque defixit. Cuius rei sua signa sunt, nam pulsus, qui sub lethargo solent magni esse, & molles, hic mihi videntur parui, & duriores parui quidem Galeno onustum corpus humoribus significant, duri verò infarctum crassiorum humorum denotant præsertim ad membranas pertinentium, vnde arteriæ tensiores sint, & minus attolli possint. Vrinæ quoque admodũ crassæ sunt, & crassa, admodum excrementa efferunt. Crudæ etiam vsque in hunc diem fuere, hodie coloratæ, quemadmodum a putrida pituita esse consueuere. Antea quoq; sine siti diu fuit, quod pituitæ copiam ostendebat in ventriculo, & subinde etiam in iecore, atque venis. Quibus rebus, ita visis, & constitutis verendum est, ne etiam, atque etiam materia in caput confluat, apostemaque adeo increscat, vt motu impedito ad ipsam vsque respirationem virũ extinguat, quod facere quoque posset per putredinem in apostemate factam qua vel sanguis, & omne alimentũ putredine corripiatur, vel tantus calor queat excitari, qui sanguinem torrefaciat vt in alijs vidimus, sic sublato partibus alimento illarumque vna dissipato calore vitam demoliatur, sed hoc loco febris tanta non est, quanta in aliquibus alijs lethargis recordamur forte nondum putredo humorem satis comprǣhendit, quare materiæ, & fluxui vacare possumus, eam a toto primum corpore exhauriendo, a capite retrahendo, & demum, quæ in capite est discutiendo, quæ quoniam morbus præceps est, propelantes omnino perfici debent, neque coctioni iustũ tempus dandum est, maxime quod ad auertendam materiam ea necessaria non est. E generibus ergo operum medici ea seligerem, quæ etiam a Doctissimo viro proponebantur.

Post clysteri acrius ego hirundines ano apponerem, nam tametsi sanguis hic non peccet, sed pituita ipsa, quæ per sanguinem potius frenari, & modificari videtur, quo exhausto potius frigidior euasura sit. Nihilominus in magno morbo viribus permittentibus semper a sanguine aliquid metuitur, tamquam communis materia, tamquam alimentum a natura conficiendum, & adhuc naturæ contrarium, inflammatio namque, seu apostema feruens per putredinem necessario attrahit, ad se se, vt rubore faciei ægroti nostri possumus intelligere, ita ingrauescet non solum pituita adducta, sed etiam

A sanguine cum spiritu semper affluente morbus qui tam exiguus esse non potest, quin possit parte sui aliqua ipsi apostemati maius incrementum afferre, qua eam Galenus, & Magni Medici eum sequuti omnes Græci etiam venam secant: præterea non tam quo sanguinem qui tametsi homini beneualenti nimius non esset, ægroto tamen incrementum mali minatur, minuamus, quam quo momentum eius fluxui oppositum inducamus ab opposita, & maxime auersa parte, vti hæmorrhoides sunt, sanguinem mouemus, reuera enim superna pars os est, inferna vero, quæ excrementum emittitur, præsertim vero id commode fieri poterit, quod sanguis minus perfectus inde educitur. At dicit Doctissimus vir, quod expertus est, misso inde sanguine somnum B non modo non minui, sed potius conciliari, & ea ratione id euenire quoniam sanguis earum partium terrenę potius, & siccioris naturæ est, & ad somnum prohibendum accommodatus, si intus retineatur, contra ad eum conciliandum, si exhauriatur. Animaduertat hic Doctor quod nos auertendo sanguini incumbimus hoc opere, ne morbum, augeat illuc pro terrore attractus, cuiuscunque generis ille sanguis sit, vel squallidus vel humens neque enim somnum vel vigilias per se, & primo hic metuimus. Sed apostematis incrementum, quod sæpe in locum somni vigilias posset inducere, & tamen hominem necare.

Fidentius autem illum mitti in hoc homine posse C & necessitate maiori debere, quoniam cõsueuit per illas expurgari, quod & minus nouum naturæ tollerabilius erit, & consuetam afferens exonerationem vtilius, eo maxime quod detentus inde sanguis grauitatem morbo certissimam induxit. Non ego dubito Hemorrhoidum prouationẽ minus posse somnum abigere causa leuata, quam vigilias per suam auersionem causæ vigilias facientis. De cucurbitulis propositis ita statuo, quod cum multum pituitæ in medio corpore esse statuerim, mali pituita a locis coctionum in quibus potest modificari, & a ventribus, & vasis magnis ad angustiores meatus traheretur, sic enim & crudior maneret, & obstructa magis putresceret, propterea cucurbitulas credo in eũ sensum fuisse propositas, vt post totius corporis pu- D ritatem affigantur vel summis clunibus, summisque humeris dẽtur ad maiorem refractionem, vim enim habent maxime attrahendi vnde a capite materiam poterunt auertere. Venas sub lingua non incidere, quoniam prope cerebrum minus metus a sanguine mihi fit.

Quibus modis pituita e medio corpore exturbanda sit obscurum nulli medico est. Clysteribus ego benedictam inijcerem quę Hermodactilos Esulam, & Turbith habet, cum acrioribus medicamentis, scammonij & portionem. Imponerem Hyeralogodion, incoquerem acriora, atque ei purgantia vsque ad colocinthida ne dum Agarici cortices Mercurialem, Centaureum pulegium, & similia. Pilulis vterer cochijs præsertim. Interea frictionis ad- E hiberem non solum extremis, sed medio etiam eas non vererer, quoniam non tanta attrahunt, si lentæ fiant, quam dissoluunt si diuturnæ fiant, & coctionem iuuant.

Sale & aceto extremis partib. adiecto, quod somnũ fugare solet, ligamenta quoq; non negligere. Occipiti propositũ cauterium apponerem et non perfecte corpore expurgato, nã non mihi videtur, si ferro candenti fiant multum attrahere. potius robur conciliare & exitum diuersum materiæ facere. Corpore vero purgato caput multis in locis vrerem, vlcera non permitterem, nisi vnum, aut alterum, sic enim caput exsiccaretur, columbos viuos per dorsum dissectos capiti inserere, aut etiam gallos gallinaceos, caput

caput incingerem primum oleis siccantibus, & castoreo cum aceto squillitico, cum aurea Alexandrina, cum oleo colocinthidis, adigerem sinapismata. Palatum & sub lingua iungerem ijs, quæ idem præstarem ex staphide agria, ex elleboro albo, ex Mithridato. In nares insufflarem (corpore primum expurgato) quæ sternutamenta mouerent, vt pulnerem amaraci, vt acetum in coctis acrioribus, vt pipere, pyrethro, origano, nigella, & alijs similibus.

De rõne victus res clara est, extenuam, & tenuis esse debet, quare nescio an panem ex iure elixatum darent libenter cum luteo oui cra ssi namque generis ille panis est, & lentorem magnum habet, quem oui quoque luteum quamquam minorem ex auiculis bene percoctis ego iura compararem, & ex pullis gallinaceis cum quibus si luteum oui darem rosaceũ acetum permiscerem. Quod quamquam mouendo fluxui momentum addere videatur, tamen plus siccando, & extenuandis humoribus commodi afferet & in rosarum minus moueret. quæ mihi satis multa videntur, quando cum sapientissimis viris mihi sermo est.

Nescio qua die morbi breui extinctũ esse audiui.

Ad Serenissimum Gulielmum Mantuæ D. de tuenda eius valetudine.

CONSVLTATIO CCCCXXX.

Serenissime Dux.

QVando ita tuæ Celsitudini placuit ego debeo, quod charissimum in vita habebo, semper subire hoc onus scribendi, quæ ad tuam valetudinem mihi videtur opportuna, alioquin forsan de re tanta nunquam. Faciam ergo hoc pro maximo meo erga T. C. & maxime debito studio libẽtissime quotiescunq; ab alijs mihi fuerit indicatũ & conabor efficere ne vnquam in me quidquam negligentiæ experiare, in præsentia vero pro tempore sic quo potero breuius me expediam. Ex his quæ a me visa, quamque summa fide, & perspicacia à Medico T. C. mihi exposita sunt, & quæ tandem T. C. mihi scientissime narrabat, ego videor intelligere primum quidem de capite, quòd ipsum ab ortu, & suapte vi calidum semper, & humidum fuit, quemadmodum & ingenij acumen, & celeritas omnium cerebri actionũ, & somni modus interruptus, & longus declarant. & quòd idem caput nunc opus sui caloris fere ostendit materiam a subiectis partibus nimium attrahendo, & pituitam si recte memini quandoque ad salsum saporem adducendo, non æque eam concoquendo, consumendoue, quoniam infirmius propter largiorem humiditatum affluentiam factum est.

Deinde de visceribus, quòd cor ipsum quoque calidius est natum, nihilque mutatum nisi quantum ætatis ratione fieri consueuit, sic a 35. anno hucusq; in calore moderatius euaserit, quamquam corpore suo, & habitu per ætatem facto firmiori, calore quoque acriori aliquanto, & duriori existere videatur, quod caloris genus maxime a corde toti corpori cõmunicatur. Iecur verò, vt ex corpore bene nutrito, & bene colorato intelligitur eo calore est, qui magnus cum sit, & a cordis calore sustentatus, tanto tamen humido est inuolutus, vt per ætatem corpus extenuare, & colore pallido afficere nequierit, quod fere accidit corporibus, quæ calorem vehemẽ-

A tiorem nacta sunt, sanguis enim superantia caloris tandem ficciori fit, & ita pallidior, aut acrior, carnes vero cum eo calore etiam minus nutritæ cernuntur. Iecoris ergo & venarum calor complexione multæ humiditatis continetur, quæ spatio ætatis consumi non potuerit, ita etiam num vigens bonum colorem conseruat, & bene nutrit calore ipso potius per spatium ætatis retracto, nec ita multum consumente, vt priori ætate faciebat, qua ideo minus plenæ carnes corporis existebant.

Huic rei plurimum quidem etiam ratio victus cõtulit, ea tamen non satis per se valuisset, multorum enim calidiorum hominum, vita quieta & lauta est, quorum corpora nihilominus tenuia sunt, quæ sane eo minus id potuisset in isthoc corpore, quòd in ipso
B tantum succorum per vrinas semper excerni consueuit, quantum cuique corpori extenuando satis fuisse videatur, tantus ergo fuerit iecoris humor quantus & iecoris, & cordis calorem delinire potuerit.

De ventriculo etiam coniectura est, ipsum humidiorẽ existere, ea verò est. qm̃ non exigua potione sępius repetita sitim extinguat, verum contra potius altera, aut tertia aliquanto pleniori. Ac quamuis non sæpius in die, sed semel tantum aluus descendat, ea tamen ventriculus humidior indicatur quoniã mollior est, quæ sane nisi materia sibi à Renibus subtraheretur forsan sæpius in die descenderet, forsan etiã consuetudine intra eos fines continetur quod fieri experientia docet, de Renibus pariter iudicium certum videtur, quòd sint humidiores, calidiores verò
C multo, non solum quoniam iecoris & venarum vim solent participare, sed quoniam tam multum materiæ à corpore attrahunt, remittunrque quòd quotidie cernitur. Partibus ergo ex quibus medij corporis natura consit, humidis constitutis non est mirum, si illud bene nutritum, & bene coloratum existat. At eminentibus partibus, qui artus sunt, quoniam cum medio corpore non conueniunt, propria obseruatio & cõiectura attribuenda est, ex quib. maxime crura ficciorem naturam, & toti corpori contrariam sunt sortita, vt eorum tenuitas, & articuli minime confusi declarant, in quibus venæ quoque iecoris vim sequi à partium squallore prohibitę tales sunt, quales effectæ à partibus sunt, nempe angustiores, nõ latæ, sicu
D ti calidum, & humidum iecur sequutæ extitissent, ita non iecoris, sed propriarum partium natura nobis indicare cogũtur. Neque verò admirabile est membra eiusdem corporis tam dissimili genere esse, cum id quotidie videamus, viderintque longe ante nos, qui in hac professione summi authores nobis extitere, minus autem in eo corpore, in quo tanta est partium dissimilitudo, vt vel nares, pars minima ipsæ conditioni capitis, cui proximę & maximæ cognatę, sunt, contrariam conditionem teneant, ac ipsæ renues sint, cum caput tam bene nutritum cernatur, quorum cruum squallorem alterum humidum naturam ostendit. Dissimilis natura virium imparitatem habet, quare cum partes extremæ minus nutri-
E tæ & minus robustæ medio corpore sint, necessario à medio corpore superuacua demissa excipient, neque viribus suis infirmis ei resistere valebunt, itaque nisi aluus bene respondisset, nisi Renes tantum excrementorum exportassent, nimis certè multis laboribus hæ partes obnoxiæ fuissent.

Quæ profecto cum minus materiæ hac sua infirmitate in sui alimentum consumant, quam quantam medium corpus & venæ humidiores parent, necessario multum humorum fit reliquum ipsi corporis nutritioni, vnde viscera onerentur, & calor naturalis hebescat, sic toto corporis ambitu optime cõcoquere valente ad sui alimentum & pinguedinem in medio tamen corpore crudiora excrementa, uersantur, quæ a renibus emissa vt vt creantur, genera-

nerationi sanguinis & administrationi coctionum minus officiunt, sic nutritio corporis retinetur.

Quod ni faciant Renes tanta recrementorũ crudorum congeries breui intus existat, quanta nõ solum viscerum munera sed totius etiam corporis nutritio impediatur, & uis vtrinque caloris opprimatur quæ res etiam atque etiam animaduertenda est, & omni studio a nobis prohibenda.

Facile igitur fuit, vt huius generis corpus a quocunque sibi grauioris genere crudum humorem acceperit, vt ventriculus eius crudi humoris particeps fuerit, & sub illius contagione refrixerit, cruditates inde effecerit. Vt caput per calorem suum vehemẽtius attrahens a cruditatibus multum per venas acceperit. Iecur commeatui succorum subiectum ab eorum crassitudine impeditum fuerit, illos sic remorantes torrefecerit, inde ad cutem fædandam expulerit, quandoque capitis nunc brachiorum, quandoque per caput ad oculos etiam promiserit. Renes eo assiduo crudorum humorum traiectu languidiores euaserint, meatibusque suis eo lentore oblinitis lubricos lapsus præstiterit & copia etiam latiores effecerint. Extrema infirmiora multum recrementorum sua imbecillitate admiserint, & cutis, quod torrefieri in medio corpore cœperit, longo postea spatio, dum traijcitur, ad summam tostionem adductum in se ipsa collegerit, impetigineque certis locis affecta fuerit, tota verò ob mali succi abundantiam, & facile exulceretur, & difficillime sanescat, præsertim in ipsis extremis, & maxime pedibus, ad eos præterea, quod ex crudo, & crasso humore in crassum anhelitum effunditur facile delabatur, tumoremque efficiat. qui quòd siccæ illæ partes sint & anhelitus per se cito soluitur facile, & sine ope medica sæpe discutiatur.

Ad ea demum, quę supra constituta sunt, sequitur abundans destillatio, quæ per os eijcitur, cerebro nimirum non consumente, quod totius capitis calore abunde nimis fuit attractum, mitto, quam facile febres partim breues, partim longæ potuerint excitari; Nunc enim, quæ hoc tẽpore molesta sunt, quæque metuenda videntur, examinanda sunt, & procurandum, vt corpus ab illis quam tutissimum euadat. Quorum illud primum occurrit, quòd ambulatio impedita est, vnde corpus minime queat exerceri, sicque incommoda multa valetudinis videantur imminere. Deinde illud perspicitur periculi a Renibus, ne si corpus, vt faciunt, in posterum non expurgent multo grauiora detrimenta contingant quibus pro certa ratione occurratur, prius diligenter exponenda sunt. Illud a renibus periculũ eiusmodi est, quòd ea materia detineri posset non solũ sibi ipsa viam obstruendo sed Renibus eam aut minus detrahentibus, aut nimis arcte complexis, aut etiam nimis exsiccantibus, ex quo calculus, vel aliud assimile existat, nec possit inde deturbari. Materia sibi viam occludet si crassior & glutinosior euaserit, Renes eam non detrahent si ipsi impensius refrigerentur. Nimis arcte eam complectentur, si adstrictiores fiant. Eam vero nimium exsiccabunt, si aut calidiores aut certe sicciores euadant. Sicco enim corpore cuiusq; partis facto illius calor & acrior, & siccantior existit, & valentius exurit.

Verum corpore malis humoribus conferto dum Renes ipsi male habent, tandem posset onus omne corporis in illos deuolui, & illis pessimum mali genus afferre. Deambulationis impedimentum ab infirmitate pedum, a materia in ipsos delabente, ab vlceribus identidem ibi erumpentibus, a dolore, quem vnguis contortus subiectam carnem figendo inducit.

His iam incommodis sic videtur occurrendum, ac de deambulatione statuendum, quòd quamquã A illius facultas omnino restituenda est, ipsius tamen exercitatio cruribus naturæ debilioris esset aliena, & semper ipsis incommodum allatura, vt malum aliud exercendum genus quæri, quale nimirum non in Rheda propter renes sed in lectica, & omni alia gestatione fit, quale etiam motu brachiorum posset institui, quemadmodum pila aliquando grauiori manibus apprehensa ad signum iacienda, quod etiã sedendo fieri queat super longam mensam pilã cõtorquendo vel manubrijs eandem tractando vt cũ vel ad signum est impellenda, vel in alias colludentium pilas propulsandas vi dirigenda.

Vbi si sella, in qua crurum commodo sedetur, pilis subiectis instar rotarum insistat, quo circum agi & impelli vndique possit, non parum virium exercitationi B accideret, quoniam sedendo proprijs manibus posset impelli sella quocunque oporteret, sicque brachijs exercitatis multum auerteretur excrementi in pedes dilapsuri, sic pedes defensi in dies euaderent meliores, & magis idonei ad ambulationem, & quidem commodius, ac certius si paulatim in dies partim insistendo partim incedendo semper magis assuefierent.

Quorum exercitatio eo magis quærenda est, quo Renes sedendo prius habere cõsueuerunt, quidquid enim ad pedes traheretur, sic dorsi solius labores in renibus stagnat. Qui etiam pedes interea suæ curatione non essent destituendi, sed, vt ab vngue incipiam ille pinguibus illitionibus molliendus, & rasura medij sui corporis extenuandus explanandusque est, & sic digitali plumbo etiam dirigendus, quod C plumbum eminentiori sua parte ad carnem vngui obnoxiam aptetur deprimendam, vt ab vnguis infesto acutoque fastigio remoueatur, & subiectis pulueribus exsiccantibus inducetur. Vna vero certe attensione sui medij corporis vnguis solet ad medium debilitatum corpus contrahi, & suis lateribus relinquere pedum autem tumentia, & vlcera eorundem sic curarem vt ne ῥεύματα pedes facerent sua consuetudine deteriores, neque tamen ab illis vi repellerentur adeo, quod ad internas pedum partes compressa recederent, aut ad medium corpus debiliora vt Renes sunt cum maiori periculo, reuerterentur. Quapropter remedia ego potius exsiccantia, quam D reprimentia deligerem, quæ & tam materiã vdam consumerent vlceraque delerent, & pedes quantum fieri posset in sua temperie naturali, hoc est, sicciori tenerent, cuius generis nonnulla infra adscribam, nam etsi physicis T.C. ea ignota non sunt, nolim tamen videri debitum laborem subterfugisse. Interim ad Renes me conuerto, qui sane, vt constat, ita tractandi sunt, quo robur quidem iustum retineant, calorque eorum modificetur, at ne adstringantur, refrigerentur, exsiccenturve impensius. Humoris potius crudi occasio submouendo, & coctiones omnes iuuandæ, quocirca ego aquas Thermarum non solum eo nomine timerem, quoniam in corpore præpingui earum magna commotio tuta non est, sed etiam, quoniam earum paucissimæ sunt, quę nõ valde E exsiccent, qua causa maxime Guaiaci quoq; vsum extimescerem, quo & Renibus propter siccitatem, & toti corpori propter pinguedinis colliquationẽ maximè officeretur, quorum loco ego potius acciperem, quæ leniter abstergendo, incidendo, & placide refrigerando Renes ab eo mucore, quo ipsi habitu solutiori, & lubrico sunt, liberarent, suoque robori recipiendo idoneos facerent. Maximum vero auxilium ab illis sperarem, quæ ad tollẽdas cruditates opus iecoris, & ventriculi iuuarent, qualis esset ratio victus, quæ nihil materiæ nisi facilis coctionis, & tenuis, ac boni succi haberet. Radix chinæ à quodam fuit proposita, quæ à nonnullis reprehensa est, qui dicitur corpus pinguius reddere.

Ex quo ego necessarium existimo vti omne genus cibi glutinosi,crassi, duri, & crudioris remoueatur, quemadmodum panes ex farina nimis pura quā florem farinæ vocitant, quemadmodum carnes quadrupedum præsertim grandiorum, & auium quoque grauiorum omnium denique vetustiorum aut otiosorum animalium, vt pariter capita, & glandulæ, Renes, intestina, & omnia viscera, ex quibus vnius gallinacei iecur & testes sunt tamquam boni recipiendi,ac si pinguioris corporis ratio vna, & biliosorum humorum habenda est, omnis etiam pinguedo erit euitanda. Caseus in crassis, & glutinosis est, & eo magis cum in iusculis respersus ferbuerit, Vetus etiam biliosi & mali succi.Oua nimis cocta in eodem genere sunt, pisces item omnes maiores, & glutinosi,ac duri,& conchilia prꝑsertim carnis duriores,nec minus cætera exanguia omnia.

B De leguminibus nil dicam re satis per se odiosa, dicam de fructibus quorū cruditas si qui sint, quòd nutriāt vt castaneę,amigdala crudos humores creat, reliqui si coquantur nondum tamen humores bonos pariunt, nimis austeri cum eo Renibus dicta causa infensi erunt, vt cydonia & quædam pyrorum genera.Vuæ si passæ sint facile laudari possunt,Ficus,si acidæ, & particulatim incisæ, in aceto macerentur, tunc Renibus & iecori deobstruendo sunt apprime vtiles.Pruna & fugaces fructus non probes.Amigdalæ totæ assumptæ solent materiam valentius ad Renes incitare,lac ex illis expressum erit, potius, quod etiam ex seminibus Melonum fit, & commodū Renibus expurgandis fuerit. Melones ipsi in eos ventriculus male concoquat non valde timendi sunt, vt neque horarij fructus,modo adhibiti,in quibus Fraga numerantur Renibus vtilia iudicata. Pistacia iecori aptissima,Renes videntur irritare cum ad meatus seminis,qui Renibus cognati sunt impetum habeant.Cardus & cinaca idem vitij habent, & acrius Renes feriunt, & bilem augent. Castaneæ in duro & crasso genere sunt.

C Ex herbis paucæ tutæ sunt, & forte nullæ præter Endiuiam,Borraginem,& Buglossum, lactuca enim capiti omnino oberit. Ergo de cibis tenuis tantum materiæ sunt deligendi,Tenuis enim materiæ cibus, cum corpus exerceri nequit, ei non tenuem sed mediam nutritionem prębet & satis alit, eapropter ptisana, piscibus minoribus, & optimi generis, qualis præcipue Thymi & carpiones sunt, carpiones nō ij, qui cyprini generis sunt in Germania carpiones dicti, sed quæ Veronæ carpiones vocitantur auiculis, turdis,perdicibus,attagenis, columbis, & pullastris gallinaceis vescendum.Neque verò abstinentia satis tuta est,qua solemus errorem in crassis escis & intẽperantijs commissum emendare, quoniam sub abstinētia non solum in casu nostro pinguedo in malū succū funderetur,& Renes incalescerent, sed crudi humores,qui crassi admodū, & lenti sunt, ad alendū inepti cū sunt,per abstinētiā duriores, & magis glutinosi fiūt, biliosi verò magis exuruntur.Pituitæ genus quoddā salsum euadit, & ventriculus malo succi genere alitur, ac malo habitu recepto viribusque consumptis peior fit, atque subsequentem cibum vel moderatissimum non concoquit vt Hippocrates auctor est,& ratio naturæ rerum docet. Aluus,præterea quę mollior seruata certissima cruditatum pericula auertit,sub abstinentia durior fit, & adstricta, sic homo incōmodis multis obijcitur.Potior ergo cibus tenuioris generis modo etiam largiori acceptus ad istam valetudinem.

D Ad quam potiones non aquæ probantur,sed vini, & eius quidem tenuis,& minime potētis quod cum per aquam frangendum,& tenuius reddendum fuerit,illa certe igne prius ferbuisse debet,quo purior & tenuior euadat. Atque hæc de materiæ genere sub-

E ministrando, ne humores crudi, crassi, & glutinosi gignantur, quæ vti belle concoqui possint, dum in ventriculo conficitur, quies corporis, & animi interea seruanda est, maximeque ab ira cauēdum, quoniam & crudum cibum effundit & Renes calfaciendo eorum attractum incitat.

Verum viscera quoque ita comparanda, ne crassos eiusmodi humores,ex quantumuis bona materia efficiant.Tum autem ventriculo, & capiti consulendum, idque ita faciendum ne Renibus officiatur. Imo illorum quoque præcipuè ratio habenda.Quare in medicamentis ad ea præstanda Agrimoniū mihi probaretur,Betonica,cetrach, adianthum, Radix dulcis,gramen,Eryngium,lychon,Nymphæa, Verbenaca,& similis generis alia, quæ nullo incommodo beneficium propositæ ualetudini possunt afferre,in his quoque Radix proposita à nonnullis est. A ventricnlo quoque, quod in dies congeritur crebro deturbarem,quod,vt dixi,per abstinentiam non potest tuto emendari,neque, quibus fiat, ignotum vlli physico esse potest, ea certe pro tempore varia sunt deligenda.

Ego ad corporis humiditatem leniter consumendam,& cruditatem deducendam valde idoneum video, quod T.C.præstantissimo Medico proponebā, ipsum nempe polypodium, quod experimur vel in infantibus leuissimū forteque gustui non esset odiosum,& multis modis posset assumi aut in iure incoctum,& eo percolato, aut cum beta & alijs herbis acceptum. Verum hic mihi non est integra vitæ ratio describenda,quando apud tuam Celsitudinem præstantissimi Medici sunt, propria tantum ratio meæ sententiæ fuit exponenda.Vnde ipsi si quid probare possint,videant,quare nonnullis expositis,quæ incocta in pedum lotionibus vtiliter omnino eos detergere,& sine adstrictione exsiccare salubriter ac mederi certo eorum vlceribus possint, finem faciā, pedes certè lauandi sunt, sordes enim expurgari salubrius habent,ad eorum autem mala nonnulla incoqui in leniori lixiuio debent,ex quibus esset,Androsæmon,Ebulus Galio, Liliū, Betonica,Millefolium, phęnix syderitis illa prima F. quæ videtur tamquam saluia quædā agrestis, Caries lignorum, Sambucus, Rhamnus,Nitrum,Salis flos, sarcocolla, recrementum ferri,& similia,quæ nimis multa sunt,nec est necesse describere,quæ etiam in aqua vitæ macerata ei vim suam traderent, illa vtiliter pedes perfunderentur. Quod restat supplex te oro Dux Serenissimẽ vt me in tuis habeas. Iesum ego Opt. Max. precor, vti te feliciter regnantem conseruet.

Serenissimæ T. C. Dedictissimus
Christophorus Guarinonius.

Tertio post anno correptus interijt. Cadauere aperto Renū alterum corruptum penitus inuenere.

Num mittendus iterum sanguis in febre diuturna pro Archipresbytero Opsani.

CONSVLTATIO CCCCXXXI.

VIri Doctissimi in vestra hac controuersia ego non sum idoneus iudicium interponere,id tamen non possum recusare sic institutis nostris cogẽtibus. qua in re vnū animaduerto, in quo video vos consentientes, nimirum quòd febris hæc tribus iam diebus remissior inuenitur,quæ ægrotū iam 34. dies

vexat,

vexat, quæque tanta fuit, vt præ maximo suo æstu sanguinem iam conturbaret, & in putredinem eius ichorem adduceret, & maculas in cutem emitteret, postea mitior facta hucusque traxerit, quæ paucis ab hinc dieb. ferè integrũ illũ totos duos dies reliquerit, ac subinde reuersa satis valens iterum remitti cœperit, hoc verò prædicto, & viso quòd vos inclinare morbum iudicatis, ego credo me posse statuere sanguinis missione iam locum nullum habere.

Nam materia iam deuinci à natura, & separari à sanguine cæpit, vt à sanguine illa nutriri amplius non queat, à quo iam ipsa seiuncta est, & à natura coercita, & frenata. Siquidem mittendi sanguinis necessitas, sine qua nunquam certe mitti deberet, cum vires nunquam sint sine necessitate affligẽdæ, neque illis alimentum subtrahendum, illa in metu à sanguine posita est, hic verò in declinatione morbi motum non facit, quare credo iam vos in eandem sententiam de sanguine descensuros ambos, cum inclinare morbum ambo existimatis. Verum esto morbus non inclinet, sed post hanc remissionem duorum dierum sit grauiorem modum subiturus, quoniam materia quotidie generetur, & crassa etiam subinde paretur ijs spatijs ad putrescendum.

Ego rursus ad ampliorem consilij & cautionis rõnem considere, quòd metus à sanguine nunquam facilè in eo ægro esse potest in quo vires non sunt validę, itaque non solum nos impediri sanguinem mittere, sed ne postulari quidem ipsam sanguinis missionem posse, nam sicuti valentes vires omnem cruditatem excludunt, & omnem bonorum humorum, & sanguinis carentiam, vnde viribus valentibus sanguis iusta multitudine possit semper aliqua parte concedere in morbi incrementum maxime cũ morbus putredinem, & febrem habet vtramque trahendi vires habentem, ita cum illæ languentes sunt, non solum spirituum exiguitatem, & solidorum aliquam intemperiem, sed sanguinis etiam carentia indicant, qui si adesset iusta copia bonus necessario eas sustentaret, imo illis casu aliquo propter solidorum intemperiem languentibus, & propter spirituum consumptionem factis minoribus necessario sanguis breui in malum genus humoris declinat, & nisi à principio subito fiat eius detractio aut vires suffocabit, aut in pessimam putredinem in malos prius humores conuersus delabetur, quod diu cum vita trahi & sub longis morbis esse non potest, sub quo nunc nos ægrum nostrum videmus, qui languidus penitus est, si loquutionem, si motionem, si pulsum respiciamus, & etiam corporis consumptionem. Ait vir doctissimus quòd pulsus est magnus, & vehemens.

Ego diligentissime tetigi, & sensi esse paruum certe, & imbecillum, quapropter si diuturnũ morbum quoque dubitamus, quemadmodum hactenus vires infirmauit, idem certius faciat in posterum, sin breuis futurus est, iam inclinat, & missio sanguinis necessaria non est. Diuturnitas morbi semper crassitudinem humorum sui causam habet, semper à ventriculo accipit duratiorem, ergo & pituitam, & cruditates, vnde Galenus præcipiebat ventriculum in longioribus febribus præcipue esse fouendum, quæ cruditates missionem sanguinis prohibent, quoniam infirmas vires faciũt, quales in hoc ægro videmus, qua namque sede cruditates sunt, ibi sanguis esse deberet, vbi illæ sunt, sanguis esse non potest, quare illam continentes partes non solum onerantur, sed spiritu, sed alimento, sed propria temperie calore, & natura priuantur, nam ideo spirituum malo, & crudo anhelitu cruditatum vtuntur, loco alimenti materiã alienam, & onerosam in se se recipiunt, loco caloris natiui, qui propria partium natura est frigus, aut acrem calorem & liquãtem nempe naturæ corruptionem. Prçterea missio sanguinis non tollit obstructio-

A nes, vt Galenus exponit, quare eo detracto vires desiderantur quibus obstructio submoueatur, quæ in longis morbis semper durior, semper à sanguine remotior est, & misso sanguine viribus sępè necessarijs destituitur, durities namque emolliri non potest, nisi affluentia humoris tenuis, quę cum diuturnitate exsiccata & exusta sit, non potest ad meliorem statum reuocari coctionis, nisi per sanguinis admixtionem, ita non solum à sanguine in hoc morbo metus est, sed auxilium expectatur, non solum propter metum est detrahendus, sed propter spem retinendus, & recreandus, quare consilium ego totum conuerterem ad obstructiones amoliendas cum syrupis valentioribus, postquam purgantia pluties accepit, & exhiberem syrupum acetosum diarthodon cum syrupo

B de Cicorea Nicoli aucto etiam Rhabarbaro. Dicebat Vir summi ingenij, & eloquentiæ, quòd Galenus in omni morbo magno viribus cõstantibus vnis pueris exceptis sanguinem mittit, imo venam secat, ego adijcerem, & bene facere concedo, nos vires non habemus, si quid per vires ille intelligat spectemus, illas nempe, quas adesse non putat, cum cruditas vlla subest, nos autem quotidie videmus corpora cruditatibus referta pulsibus firmioribus, quam sit hoc nostrum, Ait quòd in primo Aphorismorum Galenus ex missione sanguinis vsque ad deliquium animi refrigerationem sequi ait in vehementissimis febribus, & quòd longe facilior ea refrigeratis sit sequutura in febre hac minori. Credo equidem refrigeratio-

C nem subsequuturam, causam tamen febris, & noui pestilentioris grauiorem euasuram alimento virium, & spirituum detracto, & calore solidorum fracto, cruditas, & humor febris causa vinci, & coerceri amplius non possit, & calore naturali occupato vita extinguatur, putredo certe increscat & febris. Ait etiam quod Galenus 11. Methodi profert, quod in omni febre putrida viribus constantibus mitti sanguis debet. Dicit κάλλιστον esse sanguinẽ mittere esto κάλλιστον dicat necessitatem ego reliquum sententiæ subiungo id in principio esse.

Nos verò in eo non sumus, ne dum vires integras non habemus. Sic ego existimo viri doctissimi neque de missione sanguinis possum cogitare aliter, de reliqua parte curationis vos decernatis in dies.

D

De febre cum destillatione in pectus.

CONSVLTATIO CCCCXXXII.

DOctissime Vir, vt potui ex tuis literis cognoscere, isthæc ægra a febre continua vexatur, & a destillatione in pectus, & in ventriculum satis copiosa. De febre suspicio est, ne iam habitum cordis occuparit non solo suo calore, sed squallore etiam quod sæpe solent oculi sua cauitate indicare, vidi enim corpora admodum squallida diuturnis febri-

E bus effecta, quibus cum oculi nõ essent caui redditi febre liberati Rhabarbaro postea se renutrierant, contra nullum ego nisi in febribus acutis vidi renutritum, cui oculi valde caui essent facti. De destillatione autem minimè dubiũ est, eam demisisse multum pituitæ in thoracem, quæ ibi concalescendo cor igneo suo calore afficiat, & tenuitate sua aquosa quę a putredine consumi nequit sudores nocturnos mouent, quo quidem aquoso humore sæpe sub his malis solet thorax quasi hydropem in se recipere, ex quo ventriculus etiam propter vicinitatem percipiat refrigerationem cum ea, quæ a destillatione in eum obscure defertur.

Hic est præsens huius mali status, ex quo, quid futurum

turum sit, videre quoque possumus si vires consta- A rent, quod creditu difficillimum est, morbus longũ spatium postulat, vt superetur, quoniam materia frigida & crassa est, & in loco, in quo solet diu manere sine concoctione, & a quo difficulter extrudi potest, Morbo verò tantum spatij postulante viribus autem, vt ex defectu nutritionis intelligitur, minime valentibus, metus est ne vita prius opprimat.

Quapropter si quid nobis agendum est, inprimis vires sunt nutriendæ, tum materia ad alimentũ, & ad excretionem comparanda, tum autem ventriculi frigori occurrendum. Quibus ita constitutis esset necesse in ratione victus habere, quæ cito nutrirẽt, humores tamen crassos non parerent minimeq; ventriculum refrigerarent, veluti ptisana in bono iure gallinaceo cum aniso vel fęniculo cocta, quo vis ip- B sius ad expurgandum pectus opportuna maxime iuuaretur, etiamsi cum saccharo condiatur. Lac asininum idem efficeret, si cum multo melle commisceretur, a quo ego non vererer obstructiones, quas solet iecori lac afferre, & quòd generis tenuioris est, & quòd melle conditum, & item quòd non in sedes humoris febrem facientis est, verum in thorace constituta.

De eo cibo qui solet parari ex testudinibus, & & cochleis nihil dicam, quoniam ab eius glutine, & genere exangui potius tarditatem nutritionis & cumulum pituitosi humoris, & cõcretionem maiorem vererer, lutea ouorum cum saccharo multo condita mihi essent probatiora & carnium pullorum gallinaceorum contusum, cum quibus amygdalæ contri- C tæ vtiliter componerentur.

De potione ea moderatio habenda est, ne dum celeritatem coctionis, & nutritionis a vino quærimus, motum humoribus inferamus eosque cum in caput ad destillationem incitandam, tum in pectus ad febrem, & angustiam spiritus augendam commoueamus, ita & pro necessitate virium alendarum, & pro incommodo inde metuendo agendum est, & id Medico prudentissimo permitterem, quoniam absens hoc neque dispicere, neque determinare queo.

De medicamentis parantibus princeps betonica mihi videretur, & stæchas, hyssopus proximè ab his laudanda, & Radix dulcis, mel rosaceum, & oxymel non prætereundum vt neque buglossum, aut D borrago, aut endiuia, aut violæ quo febris quoque damno succurratur, quibus temperantibus reliquorum calorem ipsum helenium quoque posset consociari, & multo magis ipsa ibisci radix cum radice farfaræ, cum ordeo, cum passulis, cum amygdalis, & alijs eiusmodi. Detrahi autem materia poterit maxime agarico in iure aliquo non percocto sed macerato ne nimis stomachũ moueat quod ius haberet ea, quæ thoraci & stomacho essent vtilia quidam eo ptisanam parant satis vtiliter. Polypodiũ quoque esset opportunum cum passulis, & radice dulci paratum. Pilulę pestilẽtiales Ruffi iniecto agarico nõ contra prætereundæ, quibus valentiora ego non requirerem, sed ijsdem sępius repetendis manerem. A capite quoque per masticationem idem fa- E cere vellem. Motui præterea humoris occurrerem cum ijs, quæ dicuntur illum sistere, vt pilulis de cynoglossa ante sex menses confectis, & sub somni tẽpus a granis 10. vsque ad ℈. 1. darem, quas mirifice facere expertus sum. Idem de Philonio Romano facerem recte & ante sex menses parato, atque ad eũdem motum reprimendum, coercendumve condita ad id valentia præberem, vt ex rosis, & violis malua cum paulo florum rosmarini, aut saluiæ. Ventriculo inunctiones & fomenta darentur ad coctionem sustinendam; Capiti quoque sua remedia ad idem faciendum & destillationem auertendam, vnde si aqua vitæ, cui imposita fuissent capitalia dicta, vt ruta, stæchas, saluia, amaracus, & similia ipsum caput illineretur, si cadenti etiam ferramento attingeretur, non alienum videri deberet.

Quæ sint ita cõmunicari, &, vt absentis hominis consilium esse potest, proposita, ab iste determinanda subtilius, qui tempora & occasiones in re intueris. Vale Veronæ 5. Cal. Nouemb. 1584.

Tui nominis studiosus

Christoph. Guarinonius.

De febre duplici tertiana pro Illustre Cecilia Mareschalchi Guagninia.

CONSVLTATIO CCCCXXXIII.

NEgotij difficultas tanta est Viri doctissimi vt multorum sententiæ non inutiliter auscultari posse videantur; nam & si nihil noui adducere quis queat, quod mihi sentio contingere, tamen in eadẽ difficultate sæpius tractãda deliberatio facilior euadere agnoscitur. Hic difficultas has habet paratas, primum causæ externæ & euidentes nondum quieuerunt, manent animi cruciatus, & desperatio cum summo mœrore, manentque vigiliæ, quæ nisi submoueantur & præsertim isthæc, tam grauis animi ægritudo ipsam discrucians, difficillime reliqua mala tolli poterunt.

Est deinde febris putrida quæ multas habet partes, neque enim solis causis externis, & euidentibus potuisset excitari vt ephemera, & hectica, verũ causam internam requirit, nimirum humores, & cum his putredinem, qua re non solum habebimus febris vim, vnde intemperiem metuamus ipsi sanguini & continentibus eum partibus, ne vita extermine-tur, sed corruptionem humorum, nempe putredinem, & eius causas nimirum humores malos se ipsos obstruentes, Humores omnium generum sunt, vrinæ demonstrant in quibus nubes aspera & atra, serum atrius melancholicum, humorem indicant, in quo, cum igneus quoque calor sit, bilem ostendit, pituitam insuper toto suo habitu crassiori. Febris præterea forma sine rigore, sed frigore longo, cum somnolentia mistiones bilis cum pituita denotat, cum tertianos circuitus habeat bilem sequentes. Tẽpus anni omnium generum humores potuit parere, cum Autumnale sit. Ætatis 50. annorum idem moliri idonea est præsertim hoc corporis generi calido, & humido, purgationes muliebres iam amittente.

Nam quamuis ipsa biliosa sit, & vere biliosum genus non possit esse calidum vna & humidum, seu sanguineum, tamen biliosum esse forte dixit vir doctissimus propter mores, qui in cor referendi sunt, sanguineam autem propter sanguinis dominatum, qui in iecur est referẽdus. Etenim cor potuit calidum, & siccum esse, iecur autem humidius vnde corpus calorem à corde, humidum à iecore sortiatur à quo materiam nutritionis habet, atque adeò calidum, & humidum corporis genus fuerit quod hac ætate, imminutis, & prope desituris purgationibus mulieribus solet multum melancholici humoris colligere, Sanguine frigidiori, & sicciori facto, cuius rei signum quoque est sanguis ille tandem his diebus per hæmorrhoidas delapsus satis ater, partim concrescens, partim liquidus manens, illo naturalem, hoc pręter naturam eiusmodi humorem denotante. Humores hi sunt qui putredinem concepere, qua autem causa ad id adducti sint

sint quando verisimile est eam non esse partium cōtinētium infirmitatem, sub qua destituti idonea vi se conseruante, conficienteque, cum sponte sustentari nequeant, in corruptionem delabantur, necessario in defectum perspirationis causa erit referenda, quòd ipsi suam et crassitudine, & mole sibi meatus obstruāt quibus possint deflari, vnde alieno calore compræhendantur, & putrescant, sic obstructio in partem huius morbi venit, & ipsa putredo cuius verò putredinis genus non malignum sit, quoniam non tanta humoris, mali copia est, quin partes continentes suū calorem retineant, & per obstructionem potius exustionem quandam mediocrem & putredinem maturationi vicinam, quam exustionem illam à coctione seu maturatione penitus remotam faciant, quæ conseruatio caloris ex viribus facultatum ostendi potest cum animæ vel sensuum, tum vitæ & facultatis altrices, quæ ex pulsu valenti ex vrinis, & alui recrementis, & ex faciei aspectu compræhenditur.

Ad vrinā sunt perturbationes, quæ sanguinis cuius secum habent perturbationem solent denotare, Animaduertendum quòd in mulieribus perturbatio minatus non est tam malæ putredinis propria, quam in viris esse consueuit, propter coniunctionem & cognationem Renum cum vtero, qui quidem in mulieribus cum maxime sanguini recipiendo non est apertus, tamē serum crudius & sanguineum ab assuefacta natura eo demissum ad renes remittit & sic Renibus non valentibus serum illum purum per coctionem suam reddere, vrinę exeunt sæpè perturbationes, itaque non vnum indicium vrinarum sat est, sed ad reliqua indicia excremētorum, & actionum & corporis speciei confugiendum est.

His causis febris perspectis videndum esset num illæ in toto corpore sint, seu illius toto medio, an verò in parte aliqua, nā non solum ad magnitudinem morbi, qua vis remediorum est decernenda, sed admodum adhibendorum remediorum determinandum ea quæstio necessaria est, alio enim modo certa parte, alio omnibus medijs partibus oppressis succurritur. Nos videmus febrem quandoque quiescere & duplicis tertianæ speciem tenere, quod indicat in medijs corporis partibus locum mali non esse, minus in principibus visceribus cordi coniunctis, sed aliquanto à medio, & à corde remotioribus & quoniam adueniente febre, seu appropinquante tussis præcurrit, videretur ea pars coniunctionem cum arteria aspera aut cum Thorace habere, quod mihi difficilius persuadeatur, quoniam illæ partes nimium cordi vicinæ sunt, & continentem febrem solent afferre, præterea viribus constantibus, & morbo non penitus crudo aliquid iam expueretur, nihil verò penitus, excerni per sputum videmus, prętérea illis partibus proprie affectis non solent febres intermittere penitus, nō solent vrinæ tantum recrementorum excipere, nisi enim communicetur malum cum sanguine toto, & cū medio corpore, vrinæ nō solent à Thoracis partibus tam immutari, & præterea non tantum ipsa dorso doleret. Infraseptum ergo, & sub hypocondrijs sedes putredinis collocetur, in parte tamen septo cōiunctissima, vnde halitus septum facientes tussim moueant, quod quotidie fieri videmus, Maximum quoque firmamentum nostræ sententiæ est, quòd apertę hæmorrhoides calore febris implentur, & multum sanguinis exportant, quod vicinitate loci putredinis fieri facile potuit.

Sic verò visis his rebus omnibus apparet quomodo febris sequatur, quomodo parum frigoris faciat propter crassitudinem, & propter sensus vacuitatem, nam venæ illæ, & partes illis coniunctæ, sensum non habent, qui irritatus morsu humoris frigus inducat, & eandem vnde malum possit incrementum, & periculum habere, nimirū ne si animi cruciatus maneāt,

A humores exagitentur in vehementiorem febrem, cordis verò corpus in hæctice si humorum, & sanguinis cōfluxus ad locum exagitatum fiat, periculum etiam sit nec ne maximum, despici poterit, si vires examinentur, si morbi diuturnitas præsentiatur. Vires certe satis valētes sunt, vt dicebam, & quamuis interdum languidiores pulsus sentiantur, id semper post euidentem causam fit, vt, cum nimium abstinuerit, nimirum vigilauerit, aut cruciata ægritudine animi fuerit. Longinquitas autem morbi non multa expectatur. vt ego conijcerem, quoniam ipsa multum sanguinis excrementosi per hæmorrhoidam excernit, quæ via conueniens est, & ab ea excretione leuatur. Quibus verò sic propositis, quæ agenda sint, nobis ostenduntur, sunt enim hic animi cruciatus leniendi, non si penitus tollendi, quoniam causæ mali sunt,
B & præincipiētiæ dictæ, quoniam momentum primū adhibent, imo non solum materiam humorum exagitando per spiritus incendium & exagitationem febrē pituitosam possunt assidue concitare, sed cordis quoque corpus inflāmare, exsiccareque vnde febris hectica exoriatur, qua re omnino & sermonibus grauiorum patrum, & affinium, & cognatorum alicuius authoritatis adhibendis, domicilio ipso mutando, ex oculis re omni memoriā mariti renouante remouenda, omnino est eius dolori obstandum. Sunt humores putrescentes, & qui ad putredinem possunt confluere, est obstructio illis sustentata, & putredo. Putredo partim coctione iuuanda, partim humoribus detrahendis tollitur, nam obstructionis curatio
C ab humorib. separanda non est. Concoctio à natura fit, iuuatur tamen ope medici eadem, qua humores ad detrahendum parantur, de quo post propositam partem omnem detractionis dicam. Detrahere humorem solemus venæ sectione, cucurbitulis, aperiendis hæmorrhoidibus, & Medicamentis.

Ego quæ ad sanguinis missionem pertinent omnino prætermitterem, quoniam natura per se satis sanguinis excernit, & in dies excretura videtur, & per locum conuenientem, vnde nocua esset omnis sanguinis detractio, nō solum quod superuacua sed etiam, quoniam aut naturam auerteret ab optimo opere & operam frangeret perturbando, aut nimis incitaret si per hæmorrhoidas id tentaretur, quare ego nunquam sanguinis detractionē tentarem, Medicamen-
D ta verò etiam leuiora deligerem, ne nimis vires dissiparent, aut naturam à recto opere auerterent, in leuioribus enim, & purgationē sanguinis habebimus, & ad hæmorrhoidas excrementorum incitationem, quare ego cras mane continuo Manna cum Melle rosaceo solutiuo darem, & diacatholicon admiscerem huius ʒ. s. eorum alterius quidem ℥. 2. s. alterius vero ℥. 1. s. Coctionem postea iuuarem & præpararem humores exhibitis iuribus incocta acetosa, Melissa, Boragine, Buglosso, cicoreo admixto syrupo de corticibus citri ad cordis solatium quoque & oxymelle, & rosaceo, quæ ad bilem modificandam, & pituitam detergendā, incidēdamq; commodissima sunt. De medicamento verò ad extremum dando consi-
E lium postea pro tempore & re nata erit ineundum. Externis non minus adhiberem quæ cordis cruciatus & ægritudines lenirent, & quæ ventriculi coctiones iuuarent, vt, quæ cordialia dicuntur costis sinistris ingerenda, & fomenta contra ventriculum, atque illitiones, de quibus nihil dicam, quoniam vobis notissima sunt, tamen exempli gratia cordi vnguentum rosaceum cum Theriaca & Maluatico. Vētriculo pulueres Aromatici cum oleo de spica, & absynthio.

De ratione victus quoque monerem, vt non multum cibi in tantis vigilijs, & cruciatibus daretur sed multi nutrimenti, & leuioris quemadmodum ouorum lutea ex iure cum aceti succi amantiorum momen-

mento, & iecora gallinaceorum, nam quod dicitis de auibus, ex ijs parũ alimenti sperarem. De hora cibi dandi ego monerem, vt ea maxime caueretur & ab ea longinque cibus efferretur in qua accessionis initiũ fieret. De somno præciperem vt sub tanta eius necessitate quacunq; hora accederet, caperetur, tot cruciatibus, tot vigilijs & excretionibus vexantibus, quibus corpus euectũ iri timeatur cõualuit citissime.

De febre Tertiana notha pro Clarissimo Marco Vgossonio Præfecti Veronæ Filio.

CONSVLTATIO CCCCXXXIIII.

SPectatissimi viri accepta dicendi potestate à vobis viri Illustrissimis dicam de febre hac quid credam esse deliberandum. Tertiana est, & duplex, imo duæ tertianę obseruatione recentiorum Medicorum dicẽdæ, quoniã duorum penitus naturę generũ sunt, altera accessionem habet sine manifesto frigore longam, sub qua vix tandem extrema incalescant, & nõ omnia, sed manus tantum, altera accessionem cũ rigore subito, & calore itẽ cito vniuersum corpus compræhẽdente, & breui admodũ perdurante. Cuius febris historia hæc est. Vocor ego mane hora 17. inuenio febrem satis exiguam pulsu tamen valde inequabili, & crebro vrinis prioribus albis posterioribus tenuibus, & subrufis cũ spuma copiosis, in corpore nihil præter naturæ consuetudinẽ, nisi qđ arteria in vẽtre sentiebatur, quæ vel in tenuioribus corporibus, & quidẽ multis sentiri non solet. Narrabant ipsum pridie eius diei facie valde immutata fuisse, & decolore, quamquam ipse nihil molestius habuisse se assereret, à cæna aũt cum cubitum iret frigus quoddam obscurum persensisse, deinde calorẽ, quo quamuis somnum caperet, ægre tñ, & grauate id faceret. Causam huius mali in uitæ mutationem referunt, & iure quidẽ, nam nihil magis corpora afficit, paucis namque diebus liberiorẽ vitam reliquit, Togam sumpsit, in se natum ire cæpit, nouis consuetudinibus vsus est, frequentius cõuiuijs adfuit, deinde subitũ iter Venetijs huc fecit, in quo exceptus hospitijs nobilibus opipare pleniorem cibum accepit, sic ad cęlum valde tenuius Autumni tempore valde vario & tẽpestate valde pluuiosa, & flatuosa, traductũ corpus maxime potuit moueri, & ita in ægritudinem compelli, cuius forma hæc est, eo toto die prima accessio nunquam penitus quieuit, quamuis valde remissa esset pulsus semper crebritatem insignem tenuerunt, & vrinæ fulgentiores fuerunt. Die ea quæ intermissionis esset ad hora 22. cum dimidia subitum frigus, & velocis incrementi eum arripuit cum rigore, seu membrorum concussione breuique eum habuit, & eo recedente subitus calor vniuersum corpus cito compræhendit, qui ad quartam noctis horam solutus est, sub eo calore aluus mota est medicamento, quod mane acceperat, nam ego eo die intermissionis accersitus nolui, in die sequente nimirum tertium medicamentum differre, in quo accessio certius debebat expectari, ventriculo cruditatum pleno iudicato. Sequenti nocte tota ad horam 11. conquieuit, & pro consuetudine suę naturæ, qua hora cum iusculum ex ordeo, & pullastro gallinaceo accepisset, iterum somnum cępit non ita bonũ, certe aliquanto à more naturę suæ diuersum, à quo hora 15. experrectus cũ clysterẽ acer pisset, subito ægre habuit secundum ventriculum angustia flatuque, quod cum vidissent sui veriti ne fames id faceret cibum dederunt, à quo tamen nil melius sensit, sed pulso agitatissimo, temporibus feruidis, capite, si non graui saltem conturbato, & hebeti spiritus angustia, aspiratione seu efflatione longe citiori, & cõcitatiori quam spiritus attractio esset. Flatu maximo supra infraq; erumpente & aliqua corporis agitatione. Illam capitis conturbationem post horas circiter duas somnus excipit, hunc post totidem horas dolor itidem capitis, post totidem horas cessante dolore capitis dorsi dolor subsequutus est, quibus omnibus tandem decedentibus spirito facto leniori somnus iterum eum ad vesperam oppressit, manus concaluerunt, pectoris & hypochondriorum calore satis remisso, & molliorem, ac vaporosam carnem reddente, pedibus nunquam valdè calfactis sic cibo, accepto conquieuit, & commode, atque cum eo mane post proximam excretionem medicamenti hæsternæ diei per clystere solidiora, & globosa, quæ nostri scibala dicunt, deiecisset. Hac nocte tamen mollia admodum sunt subsequuta, atque hactenus quæ ante hunc diem inciderunt, vos quæ instant hoc mane obseruare potuistis, Vrinæ ut febrientis satis bonæ sunt, optimo eneoremate, quod in postrema non admodum coniunctum est, quoniam non dum penitus refrixerit, alioquin læue admodum, & lene est & tersum, nullo modo asperum in priori, quoniam ad ignem fuit, diuulsum est, sed caloris ignis vt & vetustate id habuit. Pulsus satis lenti, sed crebriores, quam illius naturæ possit attribui, ita vt quamuis nec sitis, neq; acris calor carnium sit, tamen integrum esse a febre non credam, at febris calor igneus est, non tamen semper ille ad cutim pertinet, & licet ignea quidem vi pertineat non tñ tanta, vt manu aperte sentiatur, itaq; metus est ne è duplici tertiana in continuam labatur, præsertim cum secunda prioris febris accessio nullũ penitus frigus habuerit. Ea propter videtur de maioribus remedijs cogitandum, vt, si quid in hoc morbo ante coctionẽ mouendum videatur, id in hoc initio faciamus, quę res cum grauem admodum habeat deliberationẽ, & quamuis morbus non esset difficilis, tñ propter personę præstantiam, & quandam singularem conditionem sit omnino magnifaciendus, ego quo potero subtilissime de ea disputabo. Externæ, & euidentes causæ iã narratę sunt, Natura corporis humida est, non ita aperte aut calida, aut frigida dicẽda. Nã & somni natura longi, & capillus subrufus, minime crispus, carnes totius corporis satis albę, maxime molles, venæ non admodũ latæ, mores non multũ in confidentiã aut audaciam propẽsi, mitiores cum quadã ad iram facilitate, & ad sedationẽ, vt humidioris quoq; cordis iudicandus sit, nec multũ calidi, q̃q̃. n. crebri pulsus eius dicantur, ij tñ calorem nõ indicant, sed potius arteria paruitatem, in earum. n. angustia, vel medioctis calor solet crebriori egere motione, quod fęminarũ pulsus declarant. Cuius corporis ventriculus infirmior existimatur propter literarum studia, & eo, quòd hypochondria habeat flatuosa, longasq; febres perpessus sit, quę solẽt diu trahi maximè ob ventriculi imbecillitatẽ, quòd si tãgamus hypochondria, nos flatum sentimus, & quod tẽsionẽ membranarum indicat, & arterię secundũ dorsum tensæ, pulsum. Quæ modo præter naturã in eo sunt, iã dictum est duas febres natura valde distãtes esse, generis τριταιοφυῆς, quarũ altera vix frigus hẽt, & diu eũ occupat nunq̃ pedes calfaciens sine siti potius cũ oris lẽtore, cũ varijs casib. iam dictis incõstãtib. constantiori verò flatu ventriculi, eiusq; cõpressione & itẽ spiritus angustia, pulsusq; intermissione, altera cum rigore a Græcis propriè dicto, cũ calore celeri, & breui vtroq; cum siti etiam, & sine ea angustia spiritus ac compressione oris ventriculi.

Quæ febres indicant formis suis & putridũ esse, & humores habere altera biliosum, altera pituitosum & crassum forte cum portione melancholici, vt flatus ostendit terrestris naturæ admixtionem sequens, cuius verò generis ea putredo sit, & in qua parte,

parte, & quãta humorum copia subsit videre licet ex notis in historia explicatis, nã putredinem esse eius generis, quæ non ad corruptionẽ penitus mixti propriam more malo & pernicioso non ad summã exustionẽ more, si non malo dicto certe ipso quoq; pestifero, sed ad maturationem conuersa sit, osten dunt vrinæ iã colorem recipientes à putrido humore vi naturæ excreto, nec suspicari sinentes putredinem vires excretricis abolere, & non irritare more suo malo & latenter nocente, vt putredines mali moris faciunt, bonum tamen habitum, & mediocrem densitatem retinentes, & eneorema satis coniunctũ, & minimè asperum, quod putredinem maturationis participẽ significat, non exurentem penitus, quod pulsus valentes confirmant vires eas ostendentes, quæ à mala putredine minime tale permitterentur confirmat ẽt rigor ille naturam regentem significans, & in ea putredine superiorem, Vbi vero materia ea sit, an in omni corpore medio maiores venas occupans, an in parte circumscripta iisdem notis determinatur? nam quę rigorẽ mouet omnino extra venas in sentientes partes propulsatur, carniumque intra spatia coercetur quod rigores maximi docent cum erysipela in artubus fit, quæ vero sine rigore est, cũ remissionem habeat, in maioribus venis esse non potest, quoniã non tãtam imo nullã remissionem præstaret, sed certe ad minores ipsas venas protruditur, ad quas aũt, & ex quibus vẽtribus in cuius nã venulis computrescit? Spiritus angustia, & illa suspiria, atq; pulsus intermissio videntur facere suspicionem, ne in venulis partium Thoracis, seu ipsius spiritus malum sit, eius saltem febris, quæ ea symptomata affert. Attamen quoniã febris intermittit, & quoniam vehementes pulsus sunt, nec admodum inæquales etsi intermittant, cor & illius vicinæ partes vt pulmones potius à longinquis secum conuenientibus, quam à proximis affici verisimile est, possunt enim à flatu sursum ingesto non solum tranuersum septum vrgeri & angustum spiritum reddere, sed cor quoque per arterias flatu eo tentari, quem dum compressione reppellit, arctius se comprimit, & interea vnam dilatationem aut totam permittit, aut non perficit, vnde eam imperfectam arteriarum dilatationẽ intermissio sequatur. Dum enim tangimus Thoracem, nunquam penitus intermitti cordis dilatationem sentimus.

Quid verò cor hoc soleat perpeti à flatu vel ipsius cibi in ventriculo flatum edentis, ego, in plerisque expertus sum. Suspiria quoque ab eadem causa excitari poterunt. In inferno autem ventre, & sub hypochondrijs ad iecoris cauitatem potiones, quam ad conuexum esse locum huius putredinis multa ostendunt, præsertim vero quod vrinæ non valde mutatæ sunt, copia, flatus circum ventriculum, qui incursante febre mouetur, eaque adueniente maxime auget id persuadet, quod confirmat membranarum tensio, propter quam motus arteriæ aortæ manu ad ventrem adacta sentitur. Confirmat quidem mæror, & auersio à cõsuetudine, & aspectu hominum, lucisque fuga certis horis accessionum febris eum occupat, confirmant dorsi dolor, capitisque affectiones, quæ facilius ab hypochondrijs, quæ à pulmonibus veniũt vapores vero ab hypochondrijs primum rectus recẽti hebes, & obtusum cerebrum facere, deinde extrusi ad membranas dolorem. Materiam quoque minime multam esse videor posse existimare, quoniam cum crassa alterius, febris materia sit, pulsus tamen valentes permittit & altiores, Vnde & si cruditas sit, ea ad maiores venas non pertineat, minus ea bilis quæ tamen breuem febris accessionẽ facit multa esse potest. Quare hic de natura materiæ, putredinisque de loco, & copia ipsius determinatis videre possumus quid inde nasciturum sit, nempe quod præsertim adhibitis auxilijs natura humorẽ hunc concoquet, & A biliosum quidem expellet, atque melancholicum, at pituitosum multa sui parte in sanguinem conuertet reliquum maturum reddet, & expellet, maxime medicamentis naturam inuitantibus suggestis. Ni tamen hoc difficile factu reddatur, ex concussione sanguinis, aut recrementorum eius ad locum, vbi fit putredo, quoniam vbicunque in corpore fiat incendium, eo sanguis prioribus suis partibus accurrit. Quibus ita perspectis apparet, quid remedij, & curationis morbus postulet. Nam primum quæ metum faciunt maiorem submouenda sunt, deinde quæ morbum complectuntur. Sãguis metum facit, ne ad locum collatus putredinem augeat neu inflammationem faciat, quare iam ventre lecrato, de sanguinis missione deliberatio habenda est, hic vires sunt, B & morbus magnus timetur ætas adolescentiæ est, tẽpus autumni, tempestas humida, qua corpus minime conficitur, cruditas tanta non est, quæ missionẽ sanguinis impediat; cum vires constent, sic enim Galeni ratiocinatio esse videtur, vires consistunt, ergo cruditas tanta non est. Tanta cruditas est, ergo vires non consistunt, præterea vrinæ parum a naturalibus declinant ergo cruditas, in venis supra gibbum iecoris non est.

Neque ego dicerem cum Doctore seniori tentandum esse, an ater sanguis effluat, sic esse mittendũ, sin minus comprimendum, nam hoc loco cuiusq; sanguinis genus auertere a loco oppresso debemus. Molle corpus est, modus sanguinis nõ valde largus probaretur, sed vt ad 7. vncias vel circiter. Postea humo- C res crassi recte præpararentur ad concoctionem syrupo acetoso, de succo cicoreæ, propter bilem, de corticibus citri, propter humorem melancholicũ, & cordis, ac ventriculi solatium, demum medicamento leni humores detraherentur, vt maceratione Rhabarbari, & agarici in eo liquore, cui incocta esset radix polypi & quæ gratiam medicamentis cum ventriculo conciliant, & purgationem facile reddunt.

De victus ratione illa in dies erit instituenda, neque est, vt de ea nunc verba faciam.

Huic subito sãguis missus est, partim valde flauus, partim valde niger, ex quo humorem pituitosum nõ esse intelleximus in venis alijs præter mesenterij. Febris illa quę breuior erat, nõ redijt, altera minus mo- D lestiæ attulit sed ad 40. diem cessauit morbus cum vtriusque febris accessiones reuertissent.

De febre tertiana cum alui fluore & vomitu pro Dom. Carolo Borsis.

CONSVLTATIO CCCCXXXV.

Tertiana est, quæ cum rigore aduenit, & increscẽs semper alui fluorem & vomitum affert, tertiamq; iam accersionem habuit, quæ externa nocte fiunt. Vrinæ quidem sunt satis lucentes, & flauæ, tutę E tamen videntur vt pulsus quoque, qui vt homo est biliosus, primę iuuentutis, ex longo itinere modo viri, sine febre esse indicat. Crebritas namque itineris commotionem, infirmitas vero etiam famẽ seu egestatem naturæ sequatur, vultus alioquin sani hominis est. Quid ergo agendum videatur retulit Medicus cum alui fluorem, & vomitum cum cruciatibus, & metu deliquij animi esse, per horam tamen vix eum habere. Ego non possum metuere ab eo vomitu, & fluore, qui certa accessionis hora, & certo ordine febris fiunt, & horam totam non excedunt in febre intermittente, vt hæc cernitur.

Nam ordo sequitur naturæ dominatum, eiusmodi accessiones fiunt natura materiam expellente

te vincenteque excretiones hæ, & à natura fiunt, & non multum tedij afferre possunt, minus periculi prę sertim cum breui quiescant, quare ego non sum cum eo Doctore qui symptoma hoc exhorrescit, & ei occurrendum censet cum ijs, quæ robur, & adstrictionem ventriculo inferunt, ne deliquium, aut virium languor eas excretiones sequatur, potius ego bono animo acciperem eas excretiones, solũ temperarem humoribus mitigandis, & ita satisfactum timori dicto crederem. Dicit Doctor criticus motus esse non potest, quoniã materia cruda est, ergo symptomaticus, ergo ait esset inhibendus, aluus constringenda, contrahendus, & vomitus reprimendus. Ego non video, quomodo in initijs accessionum excretiones sint metuendę natura illas faciẽte, at eas facit irritata, nõ spõte. Et alias humorũ maturationes, & excretiones, irritata facit, nec vnquam male facit, nisi, cum tanta est irritatio, vt natura sine ordine agere cogatur, & alieno tẽpore, quo credendũ sit in febribus ordinatis humorẽ per circuitus expressum habere tantũ coctionis maturitatis, quantũ habet ordinis & domina tus ipsius naturæ, vt sit vero etiam symptomatibus motus, ille cum vtilis est, certe supprimẽdus non est. Malignam dixit esse febrem hanc, nescio quid nomine maligni velit, tamẽ nullo nomine malignitatis dignam illam esse existimo, nam non solum periculosa non est spem faciens, quod latenter noceat, aut quoniam principem aliquam partẽ erisipelate occupet, aut etiã propter putredinem illam, quæ non exustio est, sed corruptela sordidissima, sed neque difficultatẽ habet, aut periculũ aperte minatur sua exustione quam nullam habet, potius maturitatem pollicetur. Ego itaque primum de cibo modo dãdo cogitarem, nec differrem, quem hac nocte repeterem luteis ouorum ex iure sine aceto, & humorẽ magis delinirem, si ipsum acriorẽ cernerem, cerebella etiam suũ concederem, & pisces meliores, neque ptisanam ex hordeo vererer, ex farre certe darem vt panem lotũ vt Amylum. Et expectarem insequentem accessionem, si adueniat, & inde quid de medicamentis agendum viderem. Ac si quid nũc considerari põt, id est, quod humor febrem faciens, biliosus cum sit, isque non solum ad venas citra iecur pertineat, vt ex fluore, & vomitu conijcitur, sed ad venas vltra iecur, vt vrinæ ostendunt, tamẽ viæ infra iecur aperte eũ accipiunt, & ad putredinẽ permotum excernunt, quare neque multũ ab antecedente causa, neque à sanguine metuendũ, minus ille exhauriendus, cum à natura tantum excretionis fiat, ex qua salus oĩno sperari queat.

Post aliquantam quietem, quæ duas totas horas non æquauit, pulsum vehementiorem, & rariorẽ habuit, neque febris, neque alui fluor, neque vomitus postea amplius redijt, & cum motu excretionum apposuissem emplastrum Diaphenicon eoque refrigescente oleum Mastichinum Absynthinum, & de citonijs adhibuissem; postea aluus nihil reddebat nisi clystere duceretur.

De doloribus hypocondriacis pro quodam.

CONSVLTATIO CCCCXXXVI.

RES satis constat ex his, quæ vir Doctissimus disseruit, neq; quidquam addendum est, aut ad curationẽ, aut ad morbi cognitionem, dolores sedẽ firmam non habent modo ad dextrũ, modo ad sinistrũ hypochõdrium modo ad imum abdomen, modo ad summum pertinentes, quare neq; intemperiẽ manifestam neq; humorem aliquem densiorem, sed flatũ proxime sequi verisimile est, qui quidẽ flatus cũ idẽtidem consurgat materiã habeat & efficiens, necesse est, ex ijsdẽ identidem generetur, & qm̃ efficiens intẽperiem esse opus est quæ non facile abire rediréq; põt in solidis corporibus, propterea illi reditus ipsius flatus prima origine in humorẽ eiusq; intemperiẽ referendi sunt, q̃ certe materias idẽtidem afferat, q̃ intemperiẽ ẽt augeat ipsius flatus confectricẽ, qui humor qualis nã sit, & vbi consideat ex flatu primum possumus coniectari, qui non vr̃ esse semper in vẽtriculo interius, nã inflationem prius q̃ dolorem efficeret, ergo aut in exteriori tunica, q̃ cum ventriculo in vtrumq; latus pertinent, aut in tunica peritoneo dicta, qui illã & tẽdẽdo, & acri acerbamine sua aliqua vi irritãdo dolorẽ põt afferre, in corpore namq; exustorum humorũ, vt hoc est, nõ solũ pituita crassa, sed exustus quoq; & fæcosus sanguis esse solet, ex quo flatus non modo tẽdere, sed natura sua acri & acerba, qualem ex eo humore vnde ortus est, accepit, mordere partes põt, At vbi is humor est, & vbi gignitur, vt tolli ipse, & causa vnde fit, cõmode possit? flatus facile & cito e loco in locum fertur, & ab humore ex quo, effertur longe abscedit, quare nõ eodẽ loco, quo dolorem facit flatus, humorem quoq; eius esse necesse est, intra ventriculi cauum, certe non est, qm̃ neq; flatus ibi sentitur, neq; sunt vomitus, neq; ructus, si qui fiunt aliquem humorem pręseferunt pariter in tunica taregna non videtur esse cum neq; concoctio admodum læsa sit, neq; cibi appetitio, minus dolor aliquis firmus insistat, in venis potius percurrentib. externam ventriculi tunicam, & eam q̃ est a peritoneo humorẽ esse verisimile est, quæ venę cum fæcoso sãguini obiectæ sint facilè eo replentur, & flatũ edũt, qui inde per cauum ipsius abdominis & per tunicas viscerũ ferri põt, & dolores huc illuc promittere, Vidi huius vrinas eneoermate bono, sed coloratiores lucidioresq; qđ signum mihi est venas ad cauam venã pertinentes bene habere de sanguine suo, calorẽ tamen aliquem accipere a coniunctis sibi venis portæ ad mesenteriũ pertinentibus, pulsus quoq; cordis citatiores, & crebriores sunt, tum nox inquieta fuit, quare calorem ad cor peruenire certum est, & febrem facere, qui calor num ipsos spiritus, num humores immutatos in igneam vim per putredinem sapiat non possum proferre. Tamen dicam quid meo tactu potui sentire, pulsus nõ magnos animaduerti, sed minores, quam ille calor simplex spirituum postularet, nõ motu æquabili. Sed inæquabiliter cõcitato, quod putridam febrẽ hoc est igneum calorẽ, putredine humorum factum significat, & lucidiorẽ humorum mutationem indicat. quapropter opus est in eis venis tãtas obstructiones ab eo humore esse quantę putredinem in eosdẽ humores intra ipsas compræhẽsos possint efficere, quod non difficile est credere, cum sentiamus in hypochondrio dextro insignem quandam tensionem, quæ tractata ẽt doleat, vnde & peritoneũ, & tunicã ab eo in iecur, & partes vicinas vt fundum vẽtriculi productam completam esse crasso humore certissimum est, adeo vt febrem pariant. Huius humoris causam a se conseruatam ventriculi iecoris credibile est, Ventriculi.n. frigida ad humorem crudum & crassum generandum, calida verò iecoris ad eam nimia vi in venas citius attrahendam, vbi sua crassitudine obfirmetur. Frigida ventriculi indicium habet in aqua per os exundante causas habet a cibo, a vẽtris vsu, a quo prius habere se ait, post quòd vxorẽ nimirum duxit, a nimia rei sollicitudine, calida iecoris, ab obstructione illã, a nimijs laboribus æstate susceptis, a vini potentioris vsu, cuius caloris attractio maximè excitata est, a motu valentius facto post cibum, nam extenuatur eo motu cibus, priusquam concoquatur ne dum minus concoqui potest, & in venas funditur, vbi relictus a valentiori calore considet, & crassior fit. & spatio etiam densior & firmior propter exsiccationem.

Vt vt ergo accurrunt attrahuntur succi è cibo in venas, tum ipsi, tum humor in quem incidunt hærentem ſiccior madefactus in fumum excitatur, & dolores à cibo illos edunt, & febrem etiam cum copiosiores hæ causæ conueniunt, & humorum putredinem mouent, conſeruatur iecoris calor ab eadem obstructione, Conseruatur ventriculi frigus ab ipsis humoribus à se genitis, & obstruentibus, imo obstructione sua fumum exustum in ventriculũ remittentibus, qui ibi propriam recipiens vim, & calorem alienũ quo elatus est amittens necessario ventriculi frigus auget, quare quamquam primũ fortasse fuit ventriculi frigus, ipsosque humores præcessit, tamen humores nunc videntur frigore ventriculi priores ipsumque efficientes. Sic verò patefacta morbi vi in natura corporis calida & ſicciori, in ætate prope florum & consistentiam in tẽpore Autumni quid futurũ sit, quidue spei capi possit facile conspicari possumus nimirũ nihil pręter longitudinẽ esse metuendũ, & omnino salutem expectandã, si remedia opportuna adhibeatur. Quæ sane à Viro doctissimo proposita fuerunt, vt primũ ventriculi cauum exoneretur id sanguine imminuto humores dicti hærentes parẽtur incidendo, detergendo, & concoquendo & subinde paulatim detrahãtur, & caueatur, ne remotiores, qui multũ in visceribus in toto corpore sunt ad locũ obstructum vi medicamentorũ trahantur, sic enim malũ augerent, cum transitũ angustum inuenientes ibi cunctari, & hęrere cogerẽtur. Forte quidẽ non in vijs ad intestina pertinentibus, & à iecore ad ventriculũ sunt, tamen venæ iam dictæ ad venam portę referuntur & humor per illam extractus posset in hasce venas, vt eius ramos incurrere. Ergo primum ℥.1. Elect. de Hiera. s. Galeni darem cum ʒ.2. Ellect. diaphænicon malo Hierę electuarium quam pulueres, quoniã minus stomachum vellicor, deinde aliquid sanguinis ab hæmorrhoidibus mitterem, aut è brachio ipso, si niger conspiceretur, deinde syrupum ex oxymellite, cicorea Betonicaque darẽ non sine aquis, nam nollẽ manere in vẽtriculo, sed fundi facilè in proximas venas antequam os ventriculus permutaret, nã permutati nil amplius possunt nisi materiã nociuam & prauum succum ex se venis præbere, ego itaque syrupos ipsos diluerẽ aquis conuenientibus. Si mel rosaceum probetur, tunc loco oxymellis acetosum syrupũ componerẽ, neque syrupum de lupulis præterirẽ. Detrahendo vero humori, ego Thymũ, Epithymũ cũ Rhabarbaro componerẽ, Diacatholicon adijcerẽ, & gradatim ascendendo parantes syrupos valentiores vsque ad oxymel squilliticũ, ad syrupũ acetosum diarrhodõ, ad syrupũ de polypodio mirachialẽ dictũ seu illũ Augustini deuenirem & ad pilulas dę tribus cum Rhabarbaro compositis, & quoniã morbus longus est, non putarẽ ab re esse conficere aliquod oxymel purgatiuũ, quo, prout egeret, vteretur, exterius fomẽta, illitiones cætaraque darem vt flatus ille discuteretur, ventriculusque melius cõcoqueret, quorum omnium nomina vobis sunt notissima. At ipsius victus ratio in hac re mihi potissima iudicaretur, vt in omnibus longis morbis conuenit, quare diligentissime in ea se gereret, vt caueret ab omnibus glutinosis, duris, crassis, & crudis, à carnibus vetustioribus, grauioribus animantibus, à pastis dictis, à caseo omnino & pultibus illis ex caseo herbis, & ouis, vteretur luteis ouorum, auibus, piscibus minoribus & boni generis, vt carpiones nostrates, sardę, Thymi, Gobri, strigiles Veronæ dicti, & similes, hoc enim loco de saxatilibus mentio habenda, non est, quoniam illi tantummodo marini sunt neque ad nos esculenti perferuntur, aceto vterer sed sacchara multo aut sapa temperato, vt incideret sine ventriculi morsu, & melancholici humoris offensa, butyrum stomacho alienum videtur & concoctioni, oleum, quoque suo certo nomine nõ valde à butyro diuerso etiam quia superna ter in ventriculo, viride tamẽ magis aptum stomacho est, ex herbis Borrago, Buglossum præferrem, spinacem nõ probarem, etiam si humidum olus melancholico humori vtile fore videatur, nam exprimas ex eo aquosam partem, quæ nitrosa maxime est remanet; tamen nescio quid putredini obnoxium non exprimas valde facile putrescit & aluos fædissimi odoris facit, at si aluum moueat, non erit fugiendum. Vinum tenue sit, non recens intra tres menses, non admodum potens. Exercitatio ante cibum concubitus rarus, Aluus mollis, & solutior seruetur, nunquam repleatur cibo, minus illum accipiat, antequam prior fuerit percoctus, tota nocte conquiescat. Atque nisi hęc satisfecerint primo vere ego serũ lactis caprini cum succo fumiterræ cum epythimo, & spica darem, & ijs quæ solutionem alui iuuarent, vel aquas Tetucij, quibus crederem certe conualiturum. DIXI.

De fluore muliebri cum metu aborsus pro Illustri Sereghia Lauoniolia.

CONSVLTATIO CCCCXXXVII.

Maturius nupta vix primam adolescentiam ingressa fecit aborsum, qui propter fluorem album fuisse iudicatur, fluor post acceptam aquã primum aquarianam, deinde interpositis paucis diebus chalderianam est valde contractus vt vix iam inde aquosum possit, cum aqua illa incredibilem sordẽ per vrinas eduxisset. Sub eius verò potionẽ, quod fere fieri obseruanimus, grauida facta esse creditur notæ enim grauitatis totius corporis mamillarũ increscentium, & densiorum cupiditatis cibi valde fastidiose & certa tantũ genera quęrẽtis post mẽstrua, suppressa vidẽtur nullam dubitationem relinquere, primo instante menstruorũ tempore aliquid sanguinis descendit, nimirum quantum esset mediocre sputũ. Altero aũt tpe aduentante incidit maxime conturbationis occasio dum puerum sororis filium à cane appetitum videret, & eripere conaretur, nam, & animus ei valde perculsus est, & corpus exagitatũ, quoniam id cũ trepidatione & offensione corporis fuit, qua in sedile quoddam transuersum corrueret, vnde nonnihil sanguinis extitit cum humore illo aquoso. Verum post acceptũ Thus, quod mulieres nostrates, & Medici ignari mulierum sectatores in vsu habent, cum verentur aborsum, fluor amplior factus est, ex quo aborsus metuẽdus omnino videatur, cui res præsidia ab Excellẽtissimo Medico natura sunt, & quidẽ optima. Ego quoq; sic de præsidijs statuendis cogitarẽ & decernerem. His teneram ætatem, corpus biliosum, & tenuioris sanguinis habemus abundans tamẽ crasso illo recremento, quod per vterũ effluere solebat. Nã doctiss. Viri non est, quod causemus Renes ita, vt vterũ culpa liberemus quin det viam ei recremento, Renes nãque alioquin per vrinas expurgarẽtur facilius & non nisi aperta vesica egressus excrementi fieret. Contra vero nos videmus vrinas sine eã sorde, & ea non metiente, vesicaq; conclusa sordem tamẽ illam, descendere, quare per vterũ ea fit expurgatio, neque ille humor in Renibus considet, vt vir eloquentissimus & peritissimus probare conabatur. Et sane cũ tantum eius humoris effluxerit non solius vteri culpã sed totius corporis esse vt fere sit verisimile est. Corpus ergo, quãuis fuerit iã duobus mensibus expurgatũ, & ad meliorem ẽt temperiem reductum, cum tñ genus idem excrementi effluat, idẽ habere recrementũ, & si minori copia, videtur, quo ad vterũ delabente periclitatur grauida, ne ligamẽta laxẽtur, cotylidones fiãt infirmiores, irritetur vteri vix expultrix, erodantur retinacula cũ fętidum factum dicant eũ humorem hoc tẽpore, qui antea sine odore esset, calo-

calorem enim ostendit,& morsum habere probabile est,forsan etiam diutius detinetur, vnde pericula dicta maiora fiant,& fætus etiam inde corrumpi queat præterea facile est, vt corpora minime bonum sanguine creant, fætus malo succo alatur, & inde ægre habeat, & imbecillis fiat, quem imbecillem factum eo terrore, & corporis concussione maxima suspicio est quoniam spiritu necessario tunc fuerit priuatus & valde concussus. Vnde abortus maxime timeri queat. Cui si occurrendum sit, procurandus omnino bonus succus partui, illique vires,& vtero conciliandæ, quod malo succo non detracto difficile fieri poterit. Verumtamen,cum nondum ad alterius mensis finem certum hæc grauiditas peruenerit, de purgatione, vel leuissimis medicamentis facienda nullus deliberandi locus esse videtur. Corpore tam tenero,& tam lauto,& suspicione tam graui abortiendi. Alioquin possemus aliquid exhibere paulatim eis recrementis materiam subtrahens, vt mel rosaceum solutiuum,vt aliquid myrobalanorum, & polypodij incoctum, non dixerim aloe, potius Rhabarbarum ne illud amarore suo, & transitu ad vias vteri non tam adstringens vt Rhabarbarum, officeret. Florem cassiæ etiam vererer propter impulsionem, quam ad illas partes habet, ei quandam etiam relaxandi vim quidam concedunt macerationẽ senæ quod vel mulieres faciunt, sed ego non fiderem, quoniam cũ est in ijs,quæ laboriose purgant, & in quibus est venenositas,vt ait Mesues cum partem,in qua de ea acturus est inscribit,tũ proprie dolores alui mouet, quod pleriq; experiuntur quotidie. Polypodium quidem in illis est, tamen experimento minus mouere nouimus. Sed, vt dixi, nimiũ vererer alienam a medicamentis naturam, tum nimia conturbatione moueretur.Quid ergo restat. Victus ratio qua & caueat a frigore,& Cęlo nimis tenui hac hyeme præsertim cum Autumnus pluuiosus fuerit,Nam mollia facta corpora in tenui Cęlo a frigore nimis penetrantur,& fętus faci le affligeretur.Contineret ergo se in conclaui cõ calfacto,quiesceret, lente ambularet,dorso nihil laboris permitteret,a cõcubitu etiam abstineret. Cibis boni succi mererur,& concoctu facilibus,ne materiã humori recrementi sic subministraret. Herbarũ omne genus fugeret præter lactucã buglossum, & borraginem quę etiã moderate adhiberet, aquosum.n. sanguinem pariunt potius, methàm aliquo modo da rem saltem tamquam medicamentum; minus spinaciam herbam concederẽ, nam si ex iure detur aquosa nimis materia est, si abiecto iure expressiq; succo in sartagine frixa sit,nidorem habet,maliq.succi est, & quocunq; modo sumatur facilè corrumpitur præterquam quod flatuosa est. At dicit Vir doctissimus aluum mollem seruabit, tutiori ratione id poterit fieri,& certe erit procurandum, & auibus manendum, piscibus etiam cum in vsu valde non habeat reiectis, Vterer quidem pane loto intrito ac eo iure percocto, alica,farre,amylo, & ordeo,etiam bene condito,fructus penitus abigerem,vel castanea ipsa,quoniã crudum humorem in delicatiori ventriculo faceret.Vinum antiquũ non dulce adhiberem, somnos longos præciperẽ,& ne deijcienda aluo nimis comprimeret vterum,neue contractior aluus materiam inutilẽ vtero retineret, qm̃ calescẽs ex conceptu nimis attrahit clysteribus mollioribus. vterer ex lacte aut ptisana cũ oleo amygdalarum dulcium,oleo chamęmelino penitus ablegato,potius cum oleo communi,cum butyro,cũ saccharo ex iure,cum virello oui & similib.Medicamentis quoq; aliquibus humorẽ illum in ventriculo,& in toto corpore exsiccantibus vterer, quæ nihil caloris haberent, vt est semen amaranthi purpurei,&agni casti,corallus,margaritæ,spodium,sandala,de cornu cerui nõn dico,qm̃ nimis alienum a gustu est, nimisq; ei infestum,illa in puluerẽ redacta ad maiorẽ penetrationem cum saccharo permisceri poterunt,& per os exhiberi. Ventriculo ad iuuandã con coctionem ego illitiones, & cærata etiam quæ antiquitus dicta emplastra darem, quorum formæ vobis multæ in promptu sunt. Dorso quoq; suæ illitiones mihi probarentur quamquam parum posse credã ex vnguento de commitissa vel de corticibus castanearum cum aliquo mitiori vt sandalino, rosaceo, anocino, Alabastũte Benignoue,prout necessitas in dies postulabit.

De catharro cum febre identidem reuertente.

CONSVLTATIO CCCCXXXVIII.

DEstillationem hãc esse & ad bronchos pertinere dubium non est,hypochondria quoq; infarcta esse,satis compertum, Vnde vero febris identidẽ reuertens fiat, non ita apertum,tamen cum destillatione manente febris quiescat, videtur ea non a putredine humoris destillantis fieri,nam locus in quem delabitur propinquus cordi illud perpetuo calfaceret.At febre accedente spiritus angustior fit, & tussis increbrescit, hoc pariter potest fieri a febre aliunde etiam veniente, cuius cum calore tum vapore perfusum pulmonis recrementum permoueatur & ita magis irritet.In curatione certe non solum catarrhi,sed viscerum quoq; inferioris ventris ratio habenda vt humoribus crassioribus expediantur. Curationem itaque sic instituerem.

Darei prima la seguente medicina.

℞.decoctionis pectoralis ℥.4.
Agarici in eadem decoctione decocti ℈.4.
Mannæ electæ ℥.3.
Et fiat potio sumenda tribus horis ante cibum.

Per sette giorni seguenti li darei questi siropi.

℞. syrupi di liquiritia } an.℥.6.
De nenuphare
Decoctionis Rad.graminis }
Liquiritiæ
Ordei mundi } ℥.4.
iuiubarum
Sebesten
M,pro syrupo 1.sic pro 7.

Finiti li siropi lodarei luso di questa medicina.

℞.polypodij quercini } an.℥.1.
Passularum
Sebesten num.5.
Anisoni ʒ.1.
Liquiritiæ rasæ ʒ.1.s.
Agarici trocischari ℈.4.
Fiat decoctio s.a.quæ coletur & exprimatur.
℞.dia sebesten salmini ʒ.3.
Ellectuarij lenitiui ℥.s.
Mannæ electæ ℥.1 1.s.
M.& f.potio sumenda in aurora.

Dopoi vsarei l'infrascritte pilole tre alla volta ogni tre giorni di vn scropolo l'vna.

℞.aloes lotæ in succo rosarum ʒ. 1.s
Agarici trocischari ʒ.2.
Croci ℈.4.
Myrrhæ } an.ʒ.1.
Rhabarbari electi
Cum syrupo de hyssopo f.massa ad vsum.

Se poi il catarrho andasse in longo,& impedisse il sonno vsarei vna pilola la sera de cinoglossa al peso di vn scropolo ma che fussero composte sei mesi prima,& questo alcuna volta.

℞.pilularum de cynoglossa ℈.1.f.pilula 1.

Credo che q̃ste cose bastarãno,ma se nõ bastassero se andarà più oltre a potioni lõghe, & ad alcũ rottorio.

Quanto al viuere si guardi dal aria, dal Sole, dal fuoco, dalle stuffe, dal vitio, da aceto, da molto sale, dalla cholera, & vsi li sugoli d'orzo ben fatti, & del elettuario fatto con le radici di maluauischio, & vua passa, & regolitia.

De principio suffusionis cum inflammatione pro Marchesia Turriana de S. Bonif.

CONSVLTATIO CCCCXXXIX.

DOctores Optimi hic morbus oculis cernitur & est læuis quædam oculi inflammatio occupans tantummodo ora extrema tunicæ cõiunctiuę ad corneam inferiorem; coniungitur autem ei suffusio pituitosi humoris a coniunctiua in mediam corneam expressi, & certe ita habetote, quòd initio suffusio illa erat cum inflammatione continuata, & prope ipsam crassior inde vero & tenuior, quo longius ab inflammatione recedebat, nunc cum loco inflammato non cohæret & ad medium corneam conuersa ab inflammatione disiuncta est, atque pupillam magis occupat, vt prius iridis magis locum.

Venulæ coniunctiuæ tument, oculus lachrimatur, rarissime & leuissime dolet, grauis potius est, vt caput in somnum propensum, & in summa sanguis pituitosus indicatur ipso etiam colore leuis & paruę illius inflammationis, cuius mali locum esse sub extremis tunicis ipsis cernimus. Motum etiam habere tãquam ῥεῦμα cõnstat, quoniam modo melius modo peius habet, & leui quaque de causa malũ increscit, vt vel ex tempestate austrina a vento Euro facta ingrauescat. Viæ influxionis sunt p coniunctiuã, & per venas eius a pericraneo immissas. Locus proxime amandans exteriores capitis partes, & venæ, in quas etiam a medio corpore identidem materia inferatur. Caput certe onustum esse, & materiam dimittere indicia sunt dolores circum labra; Sudor præcipuè præteritæ noctis ad nares, & ceruicem pertinens qui genus etiam humoris cõfirmat, esse pituitosum, quod verò ipsa fuerit diu in loco ad flumen dum admodũ excreuisset, ædificio aperto, sede satis depressa, recens a partu, tum genus pituitosi humoris, tum partem affectam denotat. At ipsa intra aciem visa habet tamquam cuiusdam fumi, qui atro colore melancholiam indicat, habet etiam scintillarũ species quæ bilem. Mirũ tamen non esset, si pituitosus quoque humor crassitudine & opacitate suę atrum colorem præseferret. Præterea vbi inflammatio est, mirũ non est, si scintillę circumferantur propter aliquem calorem in spiritus excitatum, vel propterea quòd sanguis dum extenuatur a calore, ac discutitur in biliosam naturã vergat. Quibus propositis videor posse sperare oculum iri restitutum, si remedijs non destituatur, nam extrinsecus morbus est, remedijsque attingi potest, in ætate iuuenili, & bono corporis habitu, & caput sua natura satis firmo, oculo quidem in id alias semel delapso, sed tamen bene restituto & tãdem valentiori causa ad hoc deductus. Itaque corpus purgandum, & item caput, deinde motus materiæ auertendus, & tandem, quæ obiecta pupillæ est, discutienda. Purgatio corporis instituta est vna & materiæ auersio, alui solutione ex melle rof. cum mãna, quæ vix soluerunt, & si ℥.3. mellis, & ℥.2. mannæ fuerint, deinde betonica capil. Veneris, cetrach, borragine, cicoreo, & agrimonio, ac fęniculo materia parata, subinde sanguis è vena missus satis bonus, at crassus, purgata vero cum pilulis cochijs ad ℈.iiij. datis admixtis sine quibus ad ℈.1. quæ sunt repetitæ cochij ad ʒ.1. sine quibus ad drach. s. trochiscis alandal grani 5. cucurbitulæ cum incisione præceptæ fuat, sed incisionem exhorruit, adeo quod ne lachrymæ, & perturbatio animi oculos magis suffunderent illæ sine ferro sunt adhibitæ, sed quoquo mane repetitæ, quæ initio aquæ multum extrahebant, nunc id non faciunt. Iam ego pilulas repeterem, vt cochiarum ʒ. 1. lucis ℈.2. Trocischorum alandal gran. 5. habetent, die sequenti vesicas excitarem in summo dorso, & sequentibus diebus paulatim superius semper ascendendo donec post aures deuenirem. Demum Mastichatorijs materiam ẽt à loco magis propinquo euocarem purgato enim vndique capite motus musculorũ temporum commodus videretur, nã ratione exiguæ, & remanentis materię, & loci eius illa non esset attractio ad oculos, sed retractio potius ab oculis ad tempora, ijs profectis ad suffusionem deuenirem, neque enim ego probarẽ hirundines apponendas post aures, cũ sanguine non debeamus tetrahere sed pituitã, quę per ea, quæ vesicas excitant, facilius exprimetur, minus nunc cogitarẽ de exhibenda salsa parilia, quã vidimus in El. Questore & in coniuge Pharmacopei oculorũ aciem restituisse, quoniã salsa parilia, nisi quiescentem humorem inueniat, nisi corpus penitus vacuum, solet influxus incitare, neque eos tollere nisi longa admodum potione, quam hic leuitas morbi nõ patiatur. In oculũ labẽtia remedia darem, qm̃ materia minime alte sita est, sed in sublimi extat, & leuiora primum inijcerem, & sempet quæ firmamentum contra influxum oculo afferrent, cũ ῥεύματος natura hæc sit, hactenus posca vsus sum, qua & calidus & pituitosus humor reprimuntur, pituitosus vero & crassus extenuatur exsiccaturque, iam cũ corpus expurgatum esset, ego fomenta ex aqua tepida, & identidem fumum aceti ex latere calfacto adhiberem, In aqua tepida fænugræcum fęniculum, chelidonium euphragiam, & item in aceto postea in coquerem, In oculum Vnguentum ex butyro loto cum aqua euphragiæ, fœniculi, vino albo, adiecto saccharo candito inijcerem. Vinum cum aloe & saccharo ijsdem incoctis, Aquam stillatitiam ex melle, & succo granatorum, Aquam vel rosaceam, vel euphragiæ, fœniculi, chelidonij pro ratione ætatis, & incrementi, aut quietis ipsius defluxus inderẽ, in quibus incensum Thus extinctum fuisset, aut collyria illa exsiccantia immixta cum Tutia esset, quibus ego sperarem malum iã penitus ablatum. De victus ratione non est quod dicam, quoniam ea instituta est, vini quidem aliquid cum aqua, cui incoctum est fœniculum admiscetur. Paulatim conualuit.

De febre maligna pro Monacha S. Luciæ.

CONSVLTATIO CCCCXL.

FEbre continua putrida laborare dubium nõ est, & 10. iam dies quamquam vix 4. die iam decumbat, corpore quadrato, ætate circiter 60. annorum. At, quoniam nunquam febrem sensit, nunc verò etiã dicat se neque febrem sentire, neque quidquàm mali, cum tamen male habeat, & dicat, credatque se dormijsse tota nocte, nunquam tamen quiesceret, vt vrinæ turbidæ sint, pulsus vero fuerit imbecillus semper ego iudicarem cum ipsam è mente exijsse, neque apud se esse, tum multum malignitatis propter dictæ habere hanc febrem quæ proxime quidẽ à multa putredine, & illa malæ corruptionis pendeat, in qua putredine non sit exustio igneo calore humidum absumẽte, sed proprij caloris euocatio cũ humido cũ videam omnes humores eã apprehẽdisse & nihil caloris efferre, cũ videã spiritus ipsos extinguere,

vnde

vnde vitalis, naturalis, & animalis facultas vix consistant, deinde vero id conijcio tamquam a prioribus causis, a multis humoribus, & multum obstruentibus, cum suppræssus ei sit sanguis e naribus solitus effluere, cum ipsa corpulenta satis sit, cum tempestas sit admodum humida, & tepida, humores vero inde frigidiores, & crassiores esse iudico vnde magis etiã obstipenr meatus, præcipue ex ammissa memoria, quo quamquam ex extinctione spirituum fiat, etiam frigore vaporum ab humoribus crassis excitatorum a calore febris debilitatur, qui quod sicci sint, & humorem crassum, & melancholicum, vnde veniunt, referant, etiam somnum capere non permittunt.

Malignitatem etiam inde pendere arbitror, quòd materia ad partes spirirus cõfluat, vnde ei per membranas ad fauces, seu ad larynga emanans ibi dolorem pariat, & spiritus etiam angustiam, quibus sic prouisis colligo nobis quatuor esse respiciẽda in hac curatione, copiam vitiosam humorum. Putredinem motum ad medium, vires. Consideratis reliquis, tum ætatis, tum temporis, tum tempestatis, & ætatis morbi. Vrguente copia vitiosa ab ea exordirer, sumus in 12. die Medicus 9. accersitus secare venam noluit, & optimo consilio, quoniam iam putredo Molem humorum corripuerat, & vires non poterant nutriri, & necessario infirmiores ab inde erant. Minus aluum soluit vrgente mali progressione prçcipiti, & ad cucurbitulas confugit, quibus vna, & copia imminueretur, & motus a corde ad eminentes partes retraheretur, nunc ego aluum soluerem, vt materiam de vijs publicis educerem, & impetum ad viscera habentem reuocarem, vna vero putredini occurrerem, & Tropheam persicam exhiberem ad ℥. s. cum Diacatholicon ad ʒ. 5. cum aqua, cui incocta essent cordialia dicta.

Deinde cũ syrupo acetoso syrupum de Henupharedarem, vt crassos humores inciderem, & cura putredinem compescerem, quibus aquam ex lentibus secundam quidem tamquam nimis calidam, & ex acetosa cum oxisaccharo identidem dandam in potionibus adiungerem Bolum armenam non aspernarer, tamen libentius vstum cornu cerui darem, & margaritarum puluere præparatum S. Cicri. Scordeum sic calida cum frigidis temperando, immiscerẽmque etiam sandala, ebur, & spodium, conallor non tam libenter atque hæc ad cor defendendum, & ad scurredinem inhibendam propinarem, neque a camphora me abstinerem, Radicam pentaphylli libenter in ijs haberem, guttam olei de sulphure etiam non damnarem si in syrupis inderetur. Viribus consulerem ita ne multo cibo eas onerarem, quoniam sunt opifices ipsæ alimenti cibus vero est eis contraria materia.

Parcus tamen in cibo dando non essem, ne nimis dissolueretur, motum ad extimas partes reuocarem cum frictionibus, & cucurbitulis. Sanguinem non amplius promouerem, aut per nares, aut aliunde, quamuis ex eius suppressione copia facta, seu congesta sit, quoniam eo vires egent, & malus factus ille, qui intus in medijs venis est, ipsas non potest nutrire.

De sputo sanguinis pro nobilissimo Carolo Veritatio cum Excellentissimis Moronio Fumanell. Lazisio.

CONSVLTATIO CCCCXLI.

Res sane Viri Clarissimi, satis explicata videtur, quoniam tamen cum mei officij, tum ipsius rei causa mihi dicendum est, ego dicam etiam quidem difficillime, quando meo iudicio res difficillima est, siquidem morbus implicitus multis partibus admodum diuersis est, & suspiciones varias, & curationes contrarias postulantibus.

Historia constat, quòd ab hinc tres menses post lusum pilæ maioris hic adolescens, nondum enim 25. annum attigit in eam tussim cecidit, qua sanguis emitteretur, & cum hoc suos latere vellet, ne remoraretur, quin in Collegium Sacrum reciperetur, me seorsum adijt, & fidem taciturnitatis exquisiuit. Ego sanguine misso, & medicamentis propinatis consului, vti ingressum eius ordinis differret vsque in ver, quoniam finis hyemis solet eiusmodi cæptas antea excretiones renouare. Cum etiam adiret me quidam ex maioribus illius Collegij, & cõscius eius rei me rogaret, quid esset agendum, ego pariter meum animum illi significaui, sed vix tres dies inde præterierant, quando resciui adolescentis professionem, & certe admirarus sum, nunc domum remissum apud suos illum vidistis, & sanguinem spuere, & id quoque mense totos 10. dies fecisse hucusque, vt 20. dies tantum ille casus identidem reuertens intermittat. Excretio eiusmodi est, vt cum abundantius ea fit, vomitu etiam sanguis exire dicatur, & cum reliquijs cibi, quæ etiam nigriores videntur sanguinis fæculenti refrigerati, & atri speciem habere, qualem vomitum ego vidi in moribundis, & in quartana febre exagitatis, si nares iniuncto spiritu emungat, pituita exprimitur sero sanguinis affecta. Si excreatu solo vtatur, sanguinem excernit, maxime cum abunde confluit. Tussim tamen habet, & per ipsam sanguinem promittit, & cum dico tussim dico non quasi κερχνον eam leuem sublimique perritam, sed profundam tussim, & vehementem. Sanguis ipse excretus varius est, nam partim clariori colore est, & floridus, habitu etiam spumoso, qualem pulmones solent habere, partim crassior & atrior, vt qui vomitu effertur, & qui post effluxum abundantiorem, paulatim postea multa vi tussis expellitur, qui globosus ater, & lentus admodum est, qui verò hac nocte eiectus per tussim est a pulmone floridus, & spumosus se venisse indicat. Verum prçter hunc casum sanguinis videmus destillationem in bronchia, quæ cessante sanguine tussim sustinet, videmus symptoma quoddam cerebri, quo vel deposito in ceruicale capite sentiat cerebri quandam infirmitatem, & quasi vertiginem, qua volutari omnia videantur, præterea corpus sine colore est, & male nutritum, afflictumque, & pulsus admodum creber exiguus, & imbecillus, vrinæ satis flauæ, & eneoremate pulueroso, seu aspero, quæ hesterno vesperi est mincta, ea tenuior videtur, quoniam igne affecta, vt clarescerer demisit omne sedimentum in imum, vbi consedit, & tenue serum reliquit, flauo tamen calore. Quibus ita propositis, vt dixi, res mihi admodum perplexa videtur. Incipiam ego a sanguinis fluxione, quæ, quoniam habet etiam euomitum, eiusdem a capite sanguinem demitti ostendit, quoniam

quoniam sanguis emissus per arteriam eodem impetu ex ore effertur, neque potest ab eo impetu remitti in ventriculum, qui sentiens sanguinem esse inutilem, & alienum sibi, statim respuit illius deuorationem.

Potest quidem delabi in ventriculum si a capite velociter deorsum feratur, cum idem impetus faciat ad delabendum in æsophagum, & sicini tussi emittente sanguinem homo non potest experrectus, & non potest non sentire, & respuere, quod in fauces resiliat, sic delabēte sanguine a capite igitur defluens aliquid etiam sui seti per nares emittit, multus vero solo excreatu expellitur, & cum os dilutum aqua, & expurgatum admodum fuerit, eo periculo facto, quo videremus, an a parte aliqua oris exiret, sæpe etiam sentitur descendere e capite in fauces, ab ipso ægroto, excitatque κέρχνον circum larynga, seu guttur, quæ indicia capite demitti certissima sūt. Ex quo mirum non est, si illud symptoma infirmioris cerebri, & vertiginosi fiat, nam ea non est propria infirmitas virtutis motiuæ, cum capite etiā demisso, & quiescente sentiatur, minus est simplex infirmitas cogitationis phantasiæve, quæ continuare certis iam visis non valens, ab vno in aliud genus transiens vertiginis speciem pariat. Illa enim interruptio confusioque imaginum, seu visorū somniantis potius speciem præ se fert, seu insanientis quam vertiginis potius causa huius symptomatis est quod delabens sanguis per colatorium, cum cunctando sua aliqua crassiori parte refrigescat, vt facit suis sedibus exiens occupat eos meatus & suo frigore afficit arterias quæ per eam angustiam in cerebrum penetrant ipsum spiritum inferentes, sic facta refrigeratione, & leui obturatione spiritibus libere commeare non valentibus, & halitu sanguinis concreti permixtis, turbatio actionum, & obtenebratio cerebri sequitur, maxime quod si quid sanguinis nimiū concreuerit, adeo id refrigeratur, vt pestilens euadat, nam sanguis sic concretus eadem symptomata affert, quæ afferre fungi solent, & ijsdem remedijs tolluntur. Obturatio etiam illa non solum scotomiam, & tenebras quasdam affert ob spirituum impedimentum, & refrigerationem, sed commixtione cum malo halitu facta qua in locum boni spiritus aliud corpus ingreditur fumosum, & mobilius vertigines fiunt.

Et cum eo propter obturationem, etsi locus contactus materia frigida refrigescat, propter tamen impeditam perflationem, calor aliquis, & quidem vitiosus concitatur vnde motus ille sic perturbatus fiat, motus enim a calore, vt a frigore quies esse consueuit, ad quem calorem etiam maxime facit febricula, quæ meo quidem animo latenter subest. De qua volo decernere, antequam vlterius oratio prouehatur. Vrinæ coloratiores sunt, etsi sint in bona copia, habent eneorema exustum asperumque, pulsus qui crebritate, & paruitate tanta posset repletionem, & oppressionem naturæ significare in adolescente non tam facilem sua quadam inæqualitate in eodem motu, quam motionis asperitatem ego soleo nominare febris indicio sunt, neque mihi aliquis dicat eam inæqualitatem cuiusque motionis, quæ mihi certa asperitas motionis videtur vna cum crebritate venire propter tussim, quoniam cum eo, quod tussis longo spatio sæpe intermittit, pulsus tamen nequaquam interea fit rarior. Ipsa enim inæqualitas a tussis concussione fieri in eodem ictu non potest, in diuersis quidem potest, sed illa quoq; cum tussis quieuit aliquantulum tollitur, febris ergo subest, & quoniam hac nocte euidētissima fuit eius accessio, neque tamen vllo sensu frigoris, aut principij nota id fecit, propterea nequaquam nunc tātum incepisse intelligere debemus. quoniā febres etiam

A continuæ cum incipiunt, & ipsæ intermittentes pariter, vel si in sequentibus accessionibus frigore carituræ sint, in prima tamen accessione aliquid frigoris, vel inæqualitatis in corpore habere consueuerunt.

Confirmatur suspitio vetustioris febris ex corporis languore, & extenuatione, atque decoloratione hac tam insolenti, nam neque tanta sanguinis vis excidit, quæ corpus tam afflictum reddere potuerit cum videamus quotidie in longe maioribus ætate longissimas sanguinis effusiones, & tamen corpora non ita extenuari. Ex qua febre in aliam venio suspicionem longe difficiliorem, quòd sanguinis noxa aliqua in pulmonibus etiam sit, quod indicat sanguis spumosus, & clarioris coloris ac floridi a pul-
B monum corpore, & non aliunde exit, vidi quidem eiusmodi penitus sanguinem floridū, & spumosum euulnerata lingua exprimi, sed simplici sputione id editur. Et sane viri optimi ego in sanguinis sputo toties vidi, & tot viros magnos deceptos ne non fidam vlli narrationi, aut ægroti, aut alterius vel Medici, fallūtur enim vel Medici magni, vt millies obseruaui, Tutius esse constitui cernere habitum sanguinis excreti, qui spumosus, & floridus nisi e lingua incisa veniat mihi nota certissima est e pulmonibus emitti, & nunquam fallit, sanguinem porrò e capite in pulmone prius delabi deinde tussi sursum impelli ego non possum credere: nam antequam in os Tracheæ ingrediatur κέρχνον, & tussim excidat, &
C confestim spiritu reijcitur. Atque antequam per laryngem in tracheam si casu quopiam possit eo vsque incidere, tantillum eius ingrediatur, tātam tussim excitaret vt uix quidquam eius delabi postea posset spiritu illum reiectare, vt uerò etiam in tracheam esset delapsus, & spatio tanto ibi moratus, donec possit repelli sursum certe colorem, & habitum illum non posset retinere, quin concresceret pituita maxime inuolutus, & ater fieret vt reliquiæ faciunt, quas videmus post largum sputum sanguinis paulatim subinde extrudi, relictæ enim in brōchijs ibi inuoluuntur pituita, & spatium ibi exttahentes atræ fiunt, quæ forsan etiam cū pituita putredinem contrahunt, & sic febrem afficiunt, quam non facerent sanguinis reliquiæ ad colatoriū morantes cum
D locus ille non ita calidus, & sanguine refertus sit, neque ita cordi vicinus, aut peruius vt halitum in ipsum queat infundere ad febrem mouendam. At ergo natura per duas vias se se exonerabit, quod ea facere non solet, maxime cum viæ longius inter se dissitæ, & diuersæ sunt, quales hæ sunt, quarum vna ad caput, reliqua ad pulmones pertinet, sicuti videmus in mulieribus, quæ cum lactant menstruis carent.

Dico ego quod vt in multis ea obseruatio vera est, non tamen ita quin aliter etiam fieri queat, dicebat etiam Aristoteles, quod qui semine abundant minus pinguedinis habent, & qui plus pinguedinis, ij minus seminis, sed sicuti aliquas mulieres scimus, & vos potuistis obseruare lactantes, menstruis tamen
E non carere, sic nihil prohibet in eodem corpore sanguinem e pulmonibus, & e capite excerni, præsertim quod opus hoc ipsius naturæ secundum se agentis non est, sed vi impulsæ, vnde ægrotos vidimus conualuisse a morbis sub quibus vna per vrinas per sudores, & per aluū corpora se se exonerauit quod habemus etiam apud Galenum libro de causis symptomatum cap. 5. Habemus ergo sanguinis exitum & venas pulmonum, & e venis capitis ad isthmoide os, habemusque febrem, & destillationem manifestam, de quarum rerum causis esset perscrutatio habenda, quoniam illi morbi erunt qui docere nos debent suam curationem. Venæ illæ solummodo rarefactæ esse non possunt, quoniam sanguis satis

corpo-

corporatus effluit, & talis, qui concrescat, ruptæ tamen non videntur, quoniam effusio longis spacijs quiescit, (quamquam reuertitur etiam fine multa vi) vnde neque erosæ esse queunt, minus vero quoniam subito, non paulatim erumpit, neque destillatio vlla præfuit, & quæ subsequuta est lenis omnino est, neque credere posset. Aperiri ergo restat eas venas, quod cum languore tunicatum, tum vi sanguinis fieri opus est vi sic valente, vel propter onus, vel propter acrem naturam, ac tenuẽ, hactenus hoc est, futurum verò præsignificatur membranas in dies laxiores euasuras non solum cursu sanguinis sibi viam semper faciliorem parante, sed destillatione eas molliores etiam, atque etiam efficiente, quæ tam per colatorium quam per pulmonum meatus commeat.

B Febris causa iam aperta videtur, quoniam sanguis, aut eius sanies in locis calidioribus considens facile computrescat, vnde globosa sputamina, & atra, & subputrida efferantur, pituita etiam delapsa in idem vitium potest conuerti id febrem pariundam, a qua febre macies, & consumptio cordis, ac vitæ metuenda est. Destillationis causa, ea esse potest, quam humor decurrens prę se fert nimirum humida, & frigida δυσκρασία cerebri, vel partium continentium humores, quæ etiam a vaporibus ventriculi frigidioris potuit extitisse; nam vel studijs literarum, vel alijs rebus factum id sit, frigidioris certe ventriculi est hic adolescens, externæ etiam aliæ causæ ad imprimendum capiti frigus inciderint, vt ab aere sæpe. Ex qua destillatione eueniturum est, ne sanguis crebrius excernatur, pulmonibus ea nimis exagitatis, vt vasa pulmonis, & ad colatorium sita magis detersa, extenuataque frangantur, imò metuendum ne a calore salsam vim accipiat, & erosionem quoque moliatur vnde febricula assidua cor dis carnes consumat, & homines interficiat. Quibus sic visis elicienda sunt ea, quæ a nobis ad huius salutem idonea sunt. Apertio venarum claudenda cum est, cum non est, causæ eius remouendæ nimirum externæ primum, deinde etiam internæ, vt infirmitati vasorum occurrendo, & impetu sanguinis retrahendo, onere leuando, acumine & morsu omni auferendo destillationis sputo facili reddendo, & pituita ei submouenda, quibus remotis febris sublata iri videatur.

Ita verò hæc ordinanda, vt remotis causis externis à cęlo calidiori, à motu pſertim quo spiritus agitatur, quo vidi ego non solum pulmonis, & capitis apertas venas, sed iecoris etiam, & ventriculi, illorumque fluxione intra abdomen facta necem subitam, hotum nomine, et deiectiones sanguinis: causis inquã externis remotis omnibus, sanguinis primum modus minuatur; eius cursus reuocetur secta vena in partibus diuersis, vt in talo, vnde maxime sisti sanguinis sputum obseruatum est, in cubito quidem videretur commodum cum non multa plenitudo indicetur, quamuis quidam statuant plenitudinis auferendæ causa cubiti venam secandam, auertendi verò decursus postea a talo venam aperiendam, quo natura ad diuersa mittere sanguinem consuescat, sed melius auersio fiet si missio sanguinis repetatur. Acumen sanguinis mitigabitur eo expurgando, vt ex flore cassiæ cum Rhabarbaro hoc ad colligendas menstruas, venarum maxime idoneo, præsertim, si, vt sum expertus, exuratur, pituitæ vero etiam expurgandæ, vt una destillationi quoque prouideatur confectio illa Diaphænici mihi summopere placeret, quoniã vna cum vi purgãdi multas alias materias, vt ab amigdalis pulmones respicit, & sputum facilem potest reddere, sic a dactilis habet vim etiam membranas colligendi, & confirmandi. Syrupus rosaceus solutiuus, & ellect. rof. mis. sangui-

A nis acumen obtunderent purgando, & resiccando. Pilulæ ex aloe succo rosarum lota, ex rhabarbaro tosto, agarico, myrrha, mirobalanis, crocoque non solum sanguini, sed pituitæ, sed venis colligendis, & sputo facili reddendo essent opportunæ. Parari interea dum spatia medicamentis purgantibus interponuntur, debet, ita ne dum illam mobilem reddimus, venas molles, & laxas faciamus, quare inciden tia illa diligenda, quæ uim confirmandarum partium continẽtium habent, ut acetum mellitum prę sertim, ac ne tussim irritemus, illud componerẽ cum syrupo de iuiubis, cum violaceo, ac si maiori adstrictione fuerit opus etiam cum myrtino, & cum rosaceo quo capiti consulatur, ac si vlceris suspicio succedat, fuerit opportunus syrupus de pimpinella de testudine, & similes.

Aquæ verò quibus hi syrupi diluantur sint eiusdem generis, quo & materia extenuetur, & incidatur, & excitetur, continentes vero partes colligãtur, quemadmodum faceret betonicæ aqua. Capill. Vene pimpinelle, plantaginis, quæ incidendi quoque uim habere creditur, & perforatæ, cuius vis ad laxatas venas, & ad expurgandas partes a malis humoribus idonea est, sicuti hircina barba, cauda equina, & similes. Quidam comedant aquam ciclaminis ad ℥.5. datam pro sanguine sistendo quamuis ciclamen effectus contrarios edat, vnde vel fętus educat, verum ego non libenter consulo aliquid agendum esse cum rationem ignoro mei consilij. Sisten-

C do sanguini vna, & tussi sedandæ, & pituitæ, ac destillationi cohibẽdę facient Theriaca quatuor mensium, vel philonium Romanum cum Theriaca vetustiori commixtum, vel pilulæ de cynoglossa. Sputum esset aliquando mouendum, ne sanguis, vel pus, vel pituita retineantur, quod fiet eclegmatibus a syrupo violaceo, saccharoque candito, ordiendo, ad syrupum de iuiubis de nenuphare, de liquiritia ascendendo, neque ego ad altiora conscẽderem, ne nimis abstergendo venas rursus aperirem, vnde lohoch sanum, & expertum, & alia dimitterem, neque id de pulmone vulpis magnifacerem propter alienum maxime saporem. Potius sanguinis effusionem verens diadraganthum cum bolo præciperem. Cum vero etiam sanguinis profluuium vrgeret,

D oleum de Chalcantho ex aqua plantaginis præberem, quod magis, quam ipsum chalcanthum facere potest, cum liquidior habitus facilius partes iuuandas circumplectatur, quod per os exhiberem, & nisi audeatur, saltem os colluerem, vt facerem ex decocto myrtillorum rosarum, balaustiorum, & similium.

Propinarem etiam saccharum rosaceum cum trociscis de spodio, de carabe, cum corrallijs, & similibus reliquis. Neque in re pertinaci ego alienum putarem exhibere aquam ex chocleis purgato præsertim corpore, a qua & gluten venis, & sanguini etiam sperarem, & destillationi etiam finem.

E Serum quoque chalibeatum idoneum putarem, & tandem aquas balnei de villa Lucẽsis intus, & in caput ingestas.

De victus ratione id monerem, vt cælum siccius, & minus ventosum peteret, vt locutiones, etiam labores spiritus, & pectoris fugeret, vt forte in cibis vtentur, & amylo Ptisanam, tenuiorem sanguinem parituram vererer, quamquam enim glutinosa est tenuis tamen, & extenuantis generis est, & detersiua, quare eius fluxionis metu manente ea causa non libenter darem. Oua potius recentia cum sanguis fuerit imminutus, & testudines, & chocleas aliquando laudarem. Auiculas minime probarem dum sanguinis tenuioris noxa fuerit metuenda. Cerebella potius suum, & pedes suum seu petioli, & vitulorum mallem, in potione vinum non darem febre manente

nente aquam cum coriandro præberem, neque metuerem illam acidam reddere cum oleo chalcanchi aluum mollem seruarem cum clysteribus, & frictiones extremorum facerem ad sanguinis impetum reuocandum, hæc mihi satis esse videntur etiam qui locum etiam alijs dicendum relicturus sit.

Tertia quoque die febre increscente eadem sanguinem excernebat, & qua die e naribus stillabat, ea non emittebat per tussim; demum accepta pilula de cinoglossa cessauit sanguinis sputum, & puris sputum visum est sequi incrementum factum febri tertia quoque die mihi indicabat e venis maioribus ad putredinis locum nouum accedere humorem a bile deductum. Sic paulatim extinctus est.

De febre continua pro puerpera Lacisia Marzagalia.

CONSVLTATIO CCCCXLII.

FEbris duplicem radicem habere videtur antiquam nimirum, & nouam, nam cum menses totos ea laborasset, iam 7. dies acuta nimis est facta febris cum lingua decolore, facie cadauerosa, & septima ipsa die fluor alui superuenit abunde nimis, atque crudus, viribus infirmis, ex quo mihi videtur omnis deliberatio in cassum futura, cum enim crudus sit is fluor, criticus esse non potest, minus cum virtus, tam infirma expulsu sentiatur. veterum humorum, & intemperiei onere per nouam febris acutioris occasionem exaucto, & acutæ febris vi inuincibili facta duritate vetustatis prioris qua humores crassiores, & magis hærentes euasere. Quare nescirem quid loqui de re hac puerperio etiam viribus efficiente.

Si vobis placuerit ego in iuribus cicoracea incoquerem, & aliquid betonicæ propter vterum adijcerem, & aliquid etiam rhabarbari, quo non purgationem alui, sed abstersionem ac cõfirmationem viscerum, & humorum leuem detractionem, nancifcerer, exterius etiam fomenta ventriculo, & illitiones darem, in ratione victus a vino abstinerem, aquam, cui incocta essent coriandra propinarem, & cibum partitũ in ternas partes quotidie exhiberem septima nimirum quoque hora, vt tres reliquæ potioni matutinæ darentur.

Hæc paucis diebus extincta est.

De febre continua cum doloribus costarum pro adolescente Belga.

CONSVLTATIO CCCCXLIII.

COntinua febris cum pulsu magno est, sine vllis accessionibus nisi prima inuasione, quæ cum frigore fuit, & quidem leui. dolor costarum primo ad humorum pertinuit, & tunc ab Excellentissimo Viro sanguis ad 11. ℥. missus est per sectam venam, hodie qui dies quartus est dolor ad imas costas peruenit in sinistro latere, quem in corde esse ait, & valde querulus est, cum spiritus angustia, & sudor circum ceruicem extitit calidior, vrinæ quæ claræ hactenus fuere, iam crassiores, & turbatiores sunt, bono tamen colore, quamuis flauo in rubrum inclinante, quasi coctionis initium ostendant superius

A sputa cum tussi fuere rubra, non tamen sanguinis puri, sed eius coloris, ac si puluere lateris essent infecta. Nunc nullo colore prædita sint, postquã dolor descendit.

De quibus bene dixisti vir doctissime hanc febrem pertinere ad pulmones. Ego tamen adijcio, quòd non est statuẽdum morbum primo in pulmonibus esse, ad quẽ postea febris sequatur, quoniam non credo inflammatos pulmones esse tumentesque, cum non tanta sit spiritus angustia, quanta illius inflammationibus solet afferri, sed ex vrinis credo putredinem esse intra venas, & quoniam cor valens est humorem illum calfactum quem visu necessario recipit cõpellere in meatus sibi commodiores qui in pulmones pertinent, vnde exsũdarit liquor

B ille sanguineus quem expuit, vnde halitus & saniosus humor in membranas Thoracis ne dum pulmonis modo superiores modo inferiores sit impulsus, & dolorem pepererit, humores autem nimiam copiam, & incitationem ad cor habere ob angustiam cutis.

Quo morbi statu proposito, ego dico metuẽdum, ne e nimia copia totius corporis venarum, & incitatione ab extimis ad intima facta humores in pulmones etiam atque etiam confluant, & tandem humorem in illis pariant, in corpus pulmonum expressi, & hominem suffocent, quod sæpe vidi, nam vel postrema vitæ die tantummodo auctam vidi spiritus angustiam, & apertis cadaueribus visi sunt pulmones tumidi, & duri, sanguineque referti, non enim

C credo factum esse tumorem eorum adhuc, forsan inflammati eo genere inflammationis fuerint, quæ in oculis taraxis dici consueuit spiritu quodam, & sanie sanguinea affusi. qui tumorẽ si receperint, hominem strangulabunt, e sanguine namque in pulmonibus tumor paruus fieri nequit, vt ex materia crassa solet. Quare febri quidem occurrendum, sed huic etiam incitationi omnino cohibendæ vacandum. Et forte commune præsidium fuerit, quoniam ijsdem remedijs materia a pulmonibus retrahetur, & a putredinis loco, qui medius in corpore est, quare ego, postquam sanguis per sectam venam est missus, ad cucurbitulas accederem extremis dandas sal tem humeris, & fæmoribus, quibus partibus etiam factas obstructiones parum læderem, & tum cum

D ferro, tum sine eo applicarem, sed videtur retrahere humorem a pulmonibus per cor, vt secanda vena etiam sit quia cor non potest facile se liberare ob ostiola cauæ venæ apposita, sed neque in cor reuocari nostra posset vi, licet venę arteriali quoq; ostiola obiecta sint, certe vię inuisibiles etiã in his necessitatibus feriunt, & cor dum viuit facile se liberat a materia recepta, vt facile eã recipit magno suo motu, sed venæ sectio quamuis recte antequam humor in venas pulmonum inferretur, sit secta, postquam ex parte illapsus est, non fierit tam vtiliter, cucurbitulæ vero etiam dorso ingestæ postquam per extrema fuerit satisfactum per meatus inuisibiles halitum, & tenuiorem hnmorem possunt e pulmonibus

E recta ad dorsum euocare, sine ferro ergo illas postea identidem repeterem, illitiones quoque extrahentes pectori darem. Et quod pertinet ad medicamẽta, quamquam ea necessaria videntur quę sputum mouent, in illis tamen ego illa vererer, quę incitatiorem humorem redderent dum influxus tempus est, mallẽ vero illa, quæ eum sedarent, inhibe-rentque, & vna humorem pararent, & naturæ redderent obsequentiorem, atque ex incidentibus, & detergentibus, & extenuãtibus, tum pulmonis vias delinientibus ego illa, quæ vim cohibendi cursum humorum, & aliqua ex parte meatus colligendi deligerem, quæ vna putredinem frangerent in his generibus febrium solitam in corruptionem potius, quam

quam in cōcoctionem conuerti, & malignas dictas febres parere, & si hoc loco id nondum assequuta sit, quando vrinæ bono colore, & pulsus valentiores sint, lingua etiam potius lutea, quæ in malignis febribus iecore valde affecto ruborem summum, aut nigrorem, & siccitatem solent referre, pulmonibus vero sæpe sine colore, & liuida ac lucida potius fiat, color enim luteus, vel cum efflorescentia quasi Erisypelatis non est tam periculosæ putredinis indiciū, vt neque niger si cum ea decoloratione, & liuore conferatur.

Ergo ipso syrupo de Nenuphare vterer, in quo si eius compositionem consideremus omnes illi fines spectantur, quos spectandos proposui, sputi, putredinis, refrigerij, parandorum humorum, & motionis sistendæ. Cui posset aliqua exigua portio syrupi de acetosa, de succo citri, aut etiam rosacei adijci, acetosus quoque simplex cum his permixtus pectori non officeret, & prodesset plurimum. Interea vero nisi aluus responderet, non solum clysteribus illam citarem, sed in syrupis permiscerem, quæ illam mollem redderent, & humorem a pulmonibus ad alium retraherent, vt syrupum rosaceum solutiuum, vt rhabarbari macerationem, cum ijs, quæ gratiam illis conciliant. Et quoniam sæpissime vidi hos morbos, qui corde reluctante minantur pulmonibus, & pectori offensionem vi cordis sic valente solui per sudores quod eo magis sperari debet quoniam quarta die indicatus est sudor bono vrinæ habitu, & sudore. Ego cum humores iam magna ex parte cōstitisse animaduerterem quod sperarem futurum, vnde ea quæ sudores leniter mouent exhiberem, vt ptisanam cum radicibus, & hordei aquam cum aniso. De ratione victus dicam, quòd tenuis esse debet, saltem vsque ad septimam, quã vt habitus vrinæ indicat sperarem coctionem perfectam, postea cibum augerem, & cum ijs componerem quæ excretiones mouerent, vt Amigdala, vt semina melonū, vt radices, vt anisum, & huiusmodi alia essent. frictionibus adiectis, & clysteribus somno procurato, & omnib. ijs, quæ necessaria per tempora mihi viderentur. Sputum nunc non valde mouerem, syrupo de nymphea de iuiubis, & de liquiritia, aut etiam violaceo contentus essem per eclegmate.

Post septimam postea valentiora propinarem.

De suspicione tabis.

CONSVLTATIO CCCCXLIV.

Mulier hæc in ætate consistente post filiorum procreationem mensibus defecta incidit in eam valetudinem, qua vtero male haberet, & ventriculi, ac iecoris cruditatibus esset obnoxia. Medici ab hinc quatuor annos exhibuerunt ei aquas thermarum, chalderij quę peius eam affecerunt, ab hinc biennium autem consuluit nos Medicos Veronenses, & authoritate nostra accipit Guaiaci decoctum, & inde in meliorem statum refert se restitutam, & diu bene egisse.

Modo Veronam iterum se contulit extreme tabe facta, cum tussi, & febre continua, quam, vt optime iudicastis pulsus ipse semper eiusdem duritiei, & infirmitatis, & caloris ostendit esse corporis ipsius cordis, & habitum cum macie in eo contraxisse, duaties enim non in principio caloris ipsius corporis cordis, sed postquam iam aliquando exiccatum est existit. Præterea vt refertis a cibo incalescit adeo, vt accessionem febris tunc fieri existimet, sputa sunt crassa, & cruda sed non omnia, nam sunt aliqua sordidiora, an purulenta sint, non potui explorare, quibus sic positis ego video multa hic esse, & inter se contracta, quæ morbum hunc continent, sunt antiquæ δυσκρασίαι frigidiores, quæ reuixerunt, sunt humores crudi illas, & consequuti, & vicissim conseruantes, qui vetustate fere obduruerint vnde vrinæ aquosæ fere semper sunt. Crudę eædem materię confluunt in pulmones, qui iam illarum frigus alte in se compræhensum tenent, & ex illis alimentum frigidius sibi comparant, & magis vitiosum ex vitioso faciunt, sic hucusque nihil non frigidum, non crassum, non tenax habemus, & hoc in pulmonibus in iecore, in ventriculo, & vtero etiam. Num in capite aliquid eiusmodi sit, ego non possum venire in eam sententiam, quæ tam communis, & tam trita omnibus medicis est, qui cum pulmones emittere pituitam vident, semper a cerebro eam demitti opinantur, nam ego non possum assentiri cerebrum sine uitio facultatum propriarum esse, & intemperie tanta obtineri, quanta necessaria est ad tantam pituitæ copiam pariundam, sæpe autem videmus homines summi ingenij, memoriæ maxime, & sensibus penitus integris his vocatis destillationibus totos annos teneri, posse autem venas capitis eo δυσκρασίας peruenire qua eius generis materiam procreent, & per ventriculos cerebri depellant cerebro non uitiato minus mihi sit verisimile. Maxime quoniam ego in ijs, qui phthysici fuissent habiti, vidi pulmones totos spuma pituitosa obductos, ipsos verò intus nigriores, & crebris callis exiguis refertos, caput vero & in uita sensibus omnibus tam internis quam externis bene habere, & post mortem nihil vitiati continere.

Quo pacto vero etiam credam tantam pituitæ copiam a cerebro proficisci cum nulla alia via inde in pulmones aperta sit, præter eam, quæ per fauces, & larynga est? nonne videmus cum vix laryngis caput, & summas eius oras destillatio attingit, quòd statim illa, & respuitur, & tussi reijcitur? ac ex ea vix aliquid admodum exiguum, & summo læuore præditum, ac lenissimum vnquam per eam posse penetrare. Quare hic de capite in ea muliere quæ prudentissima, & acribus omnibus sensibus est, nihil rationes haberē quod pertinet ad partem iam dictam pituitosæ multitudinis, de qua satis sit dictum, cum ea est febris hæctica, de qua satis est nomen proposuisse, quid enim sit, vobis notissimum est, hæc præsentia sunt, ex his futura illa, vt consumptione mulier extinguatur, vel ut spiritus angustia strangulетur quemadmodum in plerisque vidi factum, cum pulmones, tam referti sint, strangulatio enim consumptionem anteuertit.

Quid verò agēdum? hæctica febris nutritionem humidam, & refrigerationem maximam postulat, reliqua huius mali pars calfactionem cōctionē extenuationem, abstersionem, & humoris expurgationem, & eiusdem interceptionem, aut retractionem, ne in pulmones cōfluat. Et viscerum restitutionem, quæ calidioribus, & adstringentibus, & sibi familiaribus quibusdam medicamentis fit, a quibus hæctica febris vt ipsa est, potius sui incrementum potest accipere, vnde in maximo discrimine versamur, nā non solum morbus firmior factus non cedet medicamentis, verum etiam ipsa medicamenta non poterunt, non alteri morbo officere dum alteri attribuuntur, sic duplex difficultas curationis obijcitur. In quibus ego sic me moderarē, cauterijs primum præstarem aliquem egressum materiæ in cruribus, in brachijs, atque etiam in ceruice, ne aliquod forte a capite quoque delabatur. Præterea medicamento aliquo leuiori purgante, vt sero caprino, cui incocta sit agaricus, & polypodium admixto Manna.

Medi-

Medicamēta etiam humores parantia ad excretionem, tum per aluum, tum per sputa facienda erunt ijs admiscenda, quæ febri mederi idonea sunt, vt maxime essent ptisana, quare ego emulsionem amigd. s. Melonis Helenij liquiritiæque radicem, vel origanum, vel manubium, si tolerabile sit, ego cum ptisana componerem, vel quod gratius esset anisum & fæniculum id enim ego maxime pectori conferre existimo humore quodam suum calorem leniente. Nunc cæpit proferri lignum illud sassaphrax nuncupatum gustu suaue, & cibis conueniens, cuius vis, tum commendatur in expediēdis visceribus omnibus, & pulmonibus, quare illum ego incoquerem in iuribus cum ptisana ipsa, & in aurora exhiberem. Eclegmata quoque in vsu continuo habenda præscriberem, quorum nomina vulgarissima habentur. De victus ratione, primo ego vinum non prohiberē, sed nō potens, & lene deligerem, album etiam nisi aliquid vitij habeat, nam vitium in albo maius semper efficitur quam in rubro nostris in regionibus cuis vterer cum sacchato tamen, & pullis iunioribus, potius quam auiculis. Cochleæ commendantur, quoniam, & si lentorem habeant, experimento tamen depræhensæ sunt uim etiam habere viscera expurgandi, vnde Aetius, vel in obstructo liene prębet, vnde etiam retinere fluxum humorum in pulmones, & aperire etiam vias posse videntur, & alimentum calori febrili resistens præbere. Testines quoque cum ijs eodem sensu habentur, ex quibus conficitur, etiam syrupus. Fit syrupus de pimpinella ad phthysicos, sed ille ad vlcera pulmonum proprie accommodatus est, at huic ægritudini ego minus idoneum crederem propter illa quæ adstringunt in eo comprǽhensa, ipsum libentius exhibeo vbi sputum sanguineum perseuerat, dico perseuerat quoniam vidi in multis, quod post copiam effusi sanguinis, sequuta sunt semper sputa cruda pituitosa, cum quibus suffocati sunt. Somnum procurarem, & libenter pilulis de cynoglossa recte paratis, & post sex menses ab earum confectione, nam sistunt humorum confluxum, & somnum inducunt, frictionibus vterer totius corporis, vt cruditates paulatim, & concoqui, & dissipari possent, clysteribus aluum mollem seruarem, & sic me gererem donec vita ei supererit.

De febre continua in puerpera.

CONSVLTATIO CCCCXLV.

Febrem hanc putridam, & continuam esse manifestū est, in puerperaque, & iam 21. die ex quo peperit forte adesse, horrores accedere, sed sine ordine, sine febris vlla accessione, aut incremento distincto. Materiam febris esse partim pituitam, partim bilem flauam, certa coniectura est, verum hæc communia sunt, propriæ conditionis huius morbi est, quòd cruda aluus descendit, quāuis ter, aut quater ad summum quoque diem, in quo nihil coniunctim, nihil æquabilis est, & vestigia cibi cernuntur, & si luteo colore infectæ feces sint, id in multis cruditatibus quotidie cernimus, facile enim bilis cum aluo delabitur, & quamquam exigua multum colorem affert; potest vero etiam abūdare, cum sanguis a febris calore afficiatur, & impedire ventriculi concoctionem ipsam, senique cibum deferre. Infirmitas ergo ventriculi, cum febre putrida continua, hoc est cum putrescentibus humoribus intra venas coniuncta est vel saltem ventriculi anique diminuta; iecoris quoque lāguor subest, quoniam pes dexter intumescit ædemate, dicunt præfuisse erysipelas, ædematosum tamen illud fuit nunc œdema album perseuerat, præterea vrina colore quidem non admodum malo, & crassitudine mediocri, vt in muliere, tamen nihil cōtinet segregati nisi multo post quam refrixit, & id asperum est, lingua quoque admodum rubra est etiamsi detersa fuerit, color faciei penitus luteus, qui iecoris vitium indicat, vt oculi caui, & minus nitidi cordis indices sunt lāguescentis, & certe ego vidi in febre quatuor mensium hectica existimata a medicis nostræ memoriæ maximi nominis oculos nihil speciem suam mutasse, vnde indicaui hecticam illam febrem non esse, & si cutis corporis arefacta penitus, & aspera esset, & ossa vix contegeret, itaque vsu rhabarbari ægrum sanaui contra quam sperassent illi, & contra quam curare consuluerint, nempe sine lacte, & sine balneis, oculi enim cum tota facie speciem satis bonam retinuerant.

Præter ventriculū, & iecur ego video partes quoque spiritui dicatas vrgeri propter tussiculā, & summam spiritus angustiam quę mihi videtur non propter vllum dolorem, non propter infirmitatem neruorum, sed propter locorum angustiam fieri, quare maioris mali mihi fit index, sanguinis aliquid spuit, propter exsudantem nimiæ repletionis causa humorem, ac nisi ego pulsum satis ualētem sentirem, eam proxime interituram crederem. Verum pulsus creber quidem est, & admodum concitatus, non tamen imbecillus videtur. His omnibus grauitas totius corporis accedit tanta, quanta vix erigere se ualeat, imo nullo modo conuertere, præterea sitim maximam rem communiorem in febribus, illa certe huius morbi, & propria magis, & valde perniciosa esse credo. Nam & copiam uitiosam humorum, in omnibus partibus principibus denotant, & principum partium imbecillitatem. Cui copiæ cum putredo insederit, & cum ea partes principes obtinuerit, non video quomodo non malum perniciosum habendū sit, spatio accedente, quo & firmitas morbi, & virium consumptio arguatur. Ventriculi quoque, seu actionis eius infirmitate idoneum succum vitæ alendæ prohibente.

De causis eius copiæ nō est hic locus dicendi, natura remotæ sūt versare est in cōclaue depresso humido ac frigido infra tabula, tū in plano iam in conclaue supra tabulatum conquiescit, animi nimiam solicitudinem habuit ea iam, & liberata, mala victus ratione vsa est in grauiditate, nunc ad aliorum imperium viuit. Restat copia vitiosorum humorum, restat putredo, calor febris, virium infirmitas. Quibus rebus difficillime subueniri posse credo, & nisi cessent, aut copia in pulmones confluens strangulabit, aut etiam febris sanguinem, omnem in uitium conuertet, & pariter consumet. iam video risum in ea præter rationem, nescio an præter morem, & uereor de insania, quę cerebri infirmitates putredinisque maioris nota esset; & spirituum lęsionem ab halitu eorinficiente, & cerebrum acriter feriente significaret.

Infirmitati uirium ego primum consulerem, & præcipuè ventriculi, quo succus concocto alimento suggeratur. Deinde humores malos, ac putrescentes partim detraherem paulatim, partim pararē, & meliores reddere molirer, & a medio corpore ad exteriora auocarem. Itaque fomenta ex absynthio, ex floribus labrusce, ex mentha, chamemelo, feniculo, & aniso uino incoctis adhiberē, illitiones ex oleo absynthino, & de spica facerem, frictiones retrahentes, & dissoluenres præscriberem, potiones ex cicoraceis, ex acetosa, ex betonica, & lupulis darē cum tanta rhabarbari portione, quanta non admodum mouerer aluum, detergeret tamen & expediret iecur, atque confirmaret.

Syru-

Syrupus de cicorea Nicoli esset optimus, cũ illo de betonica, & de acido succo citri, quoniam putredini reprimendæ, humoribus ab ea maxime defendendis, & in meliorem statum restituendis faceret, ne dum pararet ad naturæ obsequium, & visceribus robur conciliaret, syrupum etiam de nymphea ego propinarem, quoniam pectori aptus est, in quem materia impetum habuit, ut ex sputo sanguinis perspectum est.

Sic enim ab eo pulmones tractarentur, vt postulant, nimirum ad expuendum, quod habent, faciles fierent, & ne amplius reciperent, firmarentur. Interea, si putredo ad maturitatem reuocaretur, quoniam & uires nutritionem ex ea nactæ valentioresque factæ perferrent, & humores se faciles preberet eductioni, ego rhabarbarum augerem, & mãna adderem, præterea, quæ vrinas mouent, darem, sed de his in dies consilium capiendum est. De victus ratione id modo obseruarem, vt cibus partiretur ventriculo, tam infirmo comperto, neque admodum tenuis esset. Sicuti enim quanto magis nutriuntur corpora huiusmodi tanto magis læduntur propter malos succos. Sic etiam quanta minus nutriuntur tanta magis quoque leduntur, quoniã mali humores fiunt peiores, & vires magis debiles. At potio nequaquam vinum esset, sed aqua illi gratiori genere aromatum parata, quo fieri magis posset ratione habita ipsius ventriculi, sitis vero leniretur, cum acido citri succo condito, vel cum aqua & saccharo composito, cum succo prunorum pariter condito, mucilaginibus cydoniorum in linteo compræhensis cum similibus, ꝙ si placeat saccharũm violaceum cãditum, illud concederem, quod tussi quoque idoneum esset. Somnum autem procurarem illitionibus vulgatis, & hæc sint satis cum in dies fit aliquid noui e re nata faciendum.

Hæc mulier interea a Medicis, qui eius curam hactenus habuerint indicata non ita male habere, & admirantibus illis me sic prædixisse, cito mortua est ea die, quo ipsi adhuc melius sperassent, prædictio verò maxime nitebatur in iecoris infirmitate. Quoties enim aliqua pars male habet morbi superuenientis, onus in eam solet incumbere, vt Hippo. ait, vt principe parte sic habente maxime timendum sit vitæ, vel si illa cerebrum fuerit, in quod vidi etiam concoctam morbi materiam irrupisse.

De dolore in regione uentriculi pro Buturino cum Excell. Iuliario, Ladisio, Fumanello, & Maronio.

CONSVLTTIO CCCCXLVI.

OMnia sane rectissime sunt dicta, & propterea mihi esset omnino tacendũ, nisi vt ordo postulat, ipsamet dictione esset ostendendum ijs, qui me interesse voluerunt, me a vestris consilijs non dissentire, dolorem hunc a distentione esse me assentiri cogunt notæ omnes allatæ, distentionẽ verò ab humore pituitoso maxime fieri suæ quoque notæ ostendunt, nam toto æstatis tempore sudoribus affluit, & tunc dolore non uexatur. Materia sudoris maxime pituitosa est, & si secum educat etiam reliquias aliorum humorum. Antequam in hunc dolorem incideret sæpe caput ei replebatur adeo, vt graue, vt tensum, vt haberi quodam dolore obtineretur, vita ei semper in quiete, & inexercitata fuit, habitatio in ima domo, in officina ferri plena, & frigidissima, uita solitaria, victus sine multo delectu, & fructibus admodum pleno. Vnde & pituitæ copia, & intemperies vnde pituita colligatur, & partes imbecilles aptæque dolori fiant pituita inquam non solum naturalis dicta, sed crassior, & crudus humor dicenda, ex qua crassiori ita flatus fiunt tamquam terræ participe, vt ex naturali magis aquosa vapores leuiores in aquam relabentes.

Verum quoniam temporis spatio, quod sex annorum fuit, crassitudine dissolutioni resistente necessario humor exsiccatur, non potest non suo squallore melancholicæ naturæ conditionem subire, & flatum firmiorem, & duriorem edere, quo enim siccior est, minus lenitatis habet, vt illam habet maiorem, quo est humidior. Subesse ergo in hoc corpore hęrentem eiusmodi humorem, & dyscrasian eam continere intus, qua pituita, & crudus humor propagetur, coniectura certa depræhensus est. Quo verò maxime loco id sit, dicebatur, quod in ventriculo, & nõ solum in cauitate, sed in ipsis tunicis, quoniam quamquam eructatione sæpe leuetur dolor, tamen nunquam penitus per eam tollitur, multoties verò etiam nihil lenitur, quod autem ad ventriculi partes pertineant, indicium illud fuit, quod donec oleum amigdalarum, quod semel accepit, in ventriculo permansit, dolor abfuit, dum verò illud deijceret, dolor reuertebatur.

Tamen, quoniam eo vrgetur eodem modo, tam ieiuno, quam pleno ventriculo, tam ab acceptis medicamentis, tum purgantibus, tum etiam transmutantibus illis maioribus, vt theriaca, & mithridato, quam ante illa, & præterea, quoniam ante huiusmodi grauem molestiam totis costis inferioribus grauitatem, & tensionem quandam solebat sentire, & nunc quoque dolor eam regionem totam compræhendit nunquam cardialgiam affert, vt afferret si os ventriculi illis partibus coniunctum peteret, & nunquam non concoquit satis cibum. Ego non possum existimare omne hoc malum ad ventriculum pertinere, in ore enim ventriculi symptomata grauiora faceret ad sitim ad nauseam, ad vomitum & ad animi deliquium spectantia. In ventre autem, vel non tantum doloris afferrent humores, vel illi, qui ad tantum dolorem faciendum sat essent, multa alia mala coctioni pararent. Quapropter pertineat quidem malum hoc ad vẽtriculum, quod crudiores humores colligat, quod frigefactas tunicas habeat, quòd ructus, & flatus edat.

Certe quod caput est, materiam dolori suggerat doloris tamen locus ad extremas costas infra septum, atque ad peritoneum esse mihi uidetur, quoniam in vtrumque latus æque distenditur, & costas contingit, vnde neque in crasso intestino costis inferiorem sedem tenente esse possit, quod si remissus est dolor oleo illo in ventriculo manente, id fieri potuit vapore ad eum locum pertinente, ad eum fere locum humor facile effunditur, quoniam cruditate per iecur traducta, & minime ab eo deuicta, fit ut sanguis ex ea crudus paratus facilius in interiores, quam in superiores partes venæ cauæ feratur, infra verò iecur proxime assistunt venæ ad peritoneum vtrumque venientes, quæ crassiorem illum sanguinem a iecore demissum perferunt, & in ambitum exprimunt; illo verò loco spiritus a se emittit, quod suæ naturæ est, nimirum nebulosum illum fumum, & interea dolorem vehementem ea tensione in membranis facit, vt considente eo fumo humor suo corpore crasso, tum in vasis, tum in alijs meatibus partes illas onerat, & obtuso dolore afficit, qui humor, vt dixi a cruditatibus effectus pituitosus est, ab ætate etiam, & corporis natura fecem sanguinis multam continet cum corpora sanguinea hac ætate nisi effluxum aliquem habent, fere multa fece sanguinis abundent, hæc

præsentia sunt, & valde molesta. Illa uerò metuenda, ne iecur vna cum uentriculo ita male habeant aliquando vt vnius cruditate alterius uerò densitate ob crassos, & terrestres humores fiat Tympanitis, quæ meo quidem animo ab humore terrestri, & δυσκρασίας simili iecoris fit, ex ea enim flatus abundat, neue etiam ascites, quæ maxime refrigerato iecore existit quandoque quidem humido, & tunc facilior curatu est, quandoque uerò est squallido ut cum ad tympanitem ascitis consequitur, & tunc remedium non habet, vt neque multoties habet tympanitis, & difficilior sane curatu est, quam sit ascites non illa, quæ tympanitim consequuta est, sed illa, quæ humidam, & frigidam causam habet, siccam verò causam posse habere ascitem nõ est nouum, cum aquosus humor satis causæ in frigore teneat, quæ res nostris oculis sæpe in cadaueribus vnoque morbo ex patuit, in quibus sæpius iecora dura, & arida ac nigra uidimus quam humidiora, & ædematosa. Hæc itaque sunt quæ, & nunc molesta sunt, & quæ timeri possunt, iam quid sit agendum considerabo. Habemus accessiones doloris nocturnas maxime (tunc enim minus flauum dissipari possunt) & habemus illius causas eius flatus radices, atque dolorem semper obscurum efficientes, qui sunt humores crassi pituitosi, & fæcosi in δυσκρασία ventriculi, & iecoris, in ætate septuagenaria.

Ego humorem paulatim detraherẽ, & identidem pararem, quod eo facilius factu est, quo uiciniores illæ res sunt. Electuarium de hiera simplici probo, diaphænicon non minus, atque Indum ipsum adijcio ad flatus, & ventriculi humores maxime idoneum, Pilulas item alephanginas rhabarbaro adiecto, quibus ordine instituto a lenioribus exhibitis, accederem ad hieras illas maiores, vt cum agarico, vt cum colocinthide, ut hieralogodion præsertim ab Actio descripta. In medijs vsus horum diebus identidem parantia humores darem ex oximellite, melle rosaceo, syrupo de betonica, oximelle squillitico, succo betonicæ, succo absynthij, quibus uidi dolores huiusmodi sedatos. Componerem oximel ex succo iridis cum succis dictis, & succo Apij, incoctis seminibus feniculi, anisi, radice capparorum, & petroselini cum aceto squillitico, & habendum in usu præciperem, terebinthynam resinam darem, quam sum expertus his doloribus utilem, decoctum chumemeli etiam maxime laudarem, quoniam vehementer mouet ad excretionem humorem, & dolorem sedat. Oleum amigdalarum dulcium, vel amararum in symptomate, cuius halitus facile locum illum e ventriculo attingat. oleum ex asino cum iure permixtum ad guttæ modum Castoreum theriaca recens, & tandem nisi leuetur cum ea philonium Romanum coniungerem, attente tamen id agerem.

Pararem autem illud genus cytoniati quod facit Galen. pro senibus cũ aceto gingibere, & albo pipere, quod maxime profuit multis iam in hydropẽ labentibus, mitto nominatim narrare drænion pipereon, drantrison, diacyminum, diagalanga electuarium de baccis lauri, cum alijs innumerabilibus. Venio ad exteriora, & primum ego locum contectum tenerem pellibus, & maxime pelle vulturis, aut cygni, seu oloris, inungerem, fouerem & sacchulis muniren, oleis verò per ignem extractis uterer. Demum ijs non satis perficientibus propinarem potiones ex guaiaco, & salsaparilia, quorum hæc discussionem, illud cum discussione corroborationem ventriculi, & iecoris efficeret, neque exsiccationem nimiam uereor, nisi postquam superuacuus, & noxius humor esset sublatus, prius enim superuacua consumuntur antequam necessaria attingantur.

Tandem ijs nõ perficientibus rem, ego ad aquas

A Thermales intus, & extra dandas accederem. Aponensesque diligerem, aut Senenses illas, quę del Tettucio vocantur, hæc enim ventriculum maxime expurgant, & firmant. De ratione victus in tam longo morbo curam relinquam Medico assistenti, monerem quidem, vt uini summus esset delectus, minime dulcis, minimeque acerbi, sed potius austeri, tenuis autem omnino. Et quoquo die vinum de Absynthire semel darem, sed antequam accumberet mensæ, ne in cibum incideret, & crudum moueret compingeretve, & reliquam vini potionem diluerem, si illud potentius esset ex aqua, in qua anisum esset incoctum, vidi enim maxime id profuisse in huius generis doloribus. Domicilium præterea altius B vellem, & exerceri magis homines, & tecto semper maxime corpore esse, & iustis temporibus diu quiescere, & diutius in lecto esse. Dixi.

Is quarto circiter inde anno doloribus ijsdem vexatus paucis horis extinctus fuit, cadauere apetto cor inuentum est perforatum per rupturam in sinu dextro & sanguine totas partes illas cõpletas. Quasi flatus ostiola non potuerit, vel in uenam arteriosam ire, penetrare, rumpereve, ruperit verò cordis carnem.

De ardore vrinæ cum febre pro D. Iaco. Modeso Sericimeri.

C

CONSVLTATIO CCCCXLVII.

Diu est quod hic vir ægre habet nõ solum vrinæ ardore, sed etiam corporis imbecillitate, & quodã quasi cibi fastidio, de retentione vrinę nõ dicam, quoniam eã est ab artifice curatus, quo tẽpore etiam ego accersitus reperi eum grauiter affectum, nam pulsus erat ratione huius corporis naturæ robustæ, & ad senectutem roboream perductæ valde imbecillis, & paruus, cum in hoc genere corporum, & hac ætate arteriæ soleant duritate sua, & magnitudine, seu crassitudine præseferre ictus maiores, & robustiores. Præterea erant inæquales admodum, D & intermittentes, atque crebri, urinæ erant turbidę quales nunc cernuntur, & eo crassamento affectæ, quo nunc etiam sunt, quare ego febrem subesse cum multa materia cruda existimabam, præsertim in locis renes pertinentibus, cum quibus vt experimur in dies ventriculus quoque consensione naturæ afficeretur. Itaque locos communes prius expurgandos iudicaui, & vetitus acumen medicamentorum purgantium, quo solent humores acriores fieri, & reliquiæ ad renes promitti, non discessi a flore cassię, & corporę sic parato in illis locis non sum ausus potionibus valde incidentibus vti, vt postulabãt hi humores crassiores, & pituitosi, vnde oximel non recepi minus quidquam acetosi, betonicæ uix fidebam, & aquam stillatitiam tantum sumebam, cum E qua etiam plãtaginis aquam commiscerem, & pimpinellę, cuius cum coglutinandi, tũ expurgandi sordities nouerim.

Ventriculo autem consulebã eo syrupo, qui etiam renibus, & vesicæ prodesse posset, quem ego componebam ex syrupo de menrha, de betonica, & nymphea si recte memini, & cum res longius produci nimiũ videretur sorditie vrinæ minime admodum cum corpore vrinæ coniuncta, magno cum fetore vlcus in vesica indicante ego dilutam Terebinthinam ex aqua plantaginis identidem dabam, ex qua commode deijceret, & nullus ardor maior sequeretur, ptisana etiam vtebar, dum ventriculus non grauiter tulit.

Atque

Atque cum res quietior esset ego intermittebam visitandi consuetudinem. Interea ardor vrinæ redijt cum febre, sub quo ardore maiorem purgationem tertius leniter purgaui, deinde confugi ad serum lactis cum succo, s. melonum, vario modo in dies paratum, uiolis indebam betonicam, postea reiecta betonica radices alcheæ, & maluarum cum violis, quas cum nō facile ferret, imminuebam, cum secum fastidiret, suffeci ius pullorum. Factæ sunt inunctiones exterius, adhibita sunt olea, & vnguenta, lamina plumbi, præcipue verò inunctio ex vnguento rosaceo cum camphora, non damnaui etiam album oui cum musco quercino, & oleo violaceo, non damnaui coria pro stratis, iniecta sunt in vesicam lychargiricum diu concussum cum albuminibus ouorum ad colliquationem, cum scef albo cum opio, cum succo plantaginis. Verum dum illa continentur quiescit dolor, & dum ad mingendum non mouetur, sub minctu autem maxime affligitur.

Iam uidendum esset, quę possent ei præterea proficere. Febris est, ex humoribus illa fit putridis, illi ad renes, & vesicam, & ventriculum videntur pertinere, ventriculus certe eos gignit, putrescere tamen in venis ad renes protensis magis fit verisimile cum vrina eorum sordem efferat multis partibus secum valde coniunctam, vaporibus verò ad ventriculi os claris facile ventriculo etiam noxam inferunt, renibus profecto non nimis distentis, neque in corporis habitum suum proprium sordes excipientibus, sed laxitate meatuum humoribus liberum cursum præbentibus fit, ne illi grauentur vllo genere doloris, & si δυσκρασίαν ab humore conceperint, & male habeant, ita vt neque proprium alimentum, vel ex bono sanguine recte conficiant. Vesica vlceris suspicionem habet cum tanto ardore afficiatur ab vrina, & in ea sint sordes aliquæ non ita cum sero coniunctæ, neque illam possit continere, sordes quoque illa fœdi odoris vlcus indicat, quæ purulenta penitus est. Verum dubitationem facit, quod ardor qui ijs 7. diebus perdurat, superioribus diebus intermittebat, vnde vlcus aut recens renouatum est antiquo existente illius sordis effluuio, & nihil his 7. diebus murato, quod mirum videatur, aut vlcus sordem sibi aliquam lentam conficit, qua obrutum non ita sentiat vrinam, quod factu facile est.

Hæc omnia sustinentur totius corporis ambitu venarum pituita multa referto, & ventriculo male concoquente, quibus prouisis metuendum est, ne febris tam sustentata vires iam imbecillas consumat præsertim quod illæ non reficiuntur ventriculo labefactato, & potius deijciuntur a dolore, & vigilijs nocturnis. Qua re omni diligentia uidendum, vt uires reficiantur, vt materiæ vitiosæ copia partim detrahatur, partim emendetur a uitio, & vti vlcus sanescat, & ardor tollatur, quæ valde difficilia futura sunt, nam cibum vires postulant, ventriculus verò illum non fert, & eo oneratus cruditates facient, & causam morbo augebit. Detractio autem humorum erit incommodissima, nam tum purgantia medicamenta acumen vrinæ afferent, & viribus efficient, tum præparantia incidendi, & abstergendi vi maius acumen ipsa quoque vrinæ inducent.

Sic itaque me temperarem, vt hactenus feci detrahendo humori, cassiam darem, quæ per aluum quidem, sed per vrinas quoque pituitam a se delinitam efferret, polypodium decoquerem cum ijs quę emendant illius offensiones, nempe passulis, & liquiritia, & ex eo iure cassiam dissoluerem, parandæ autem materiæ ea decoquerem, quæ etiam acumen vrinæ lenirent, vt s. maluæ, melonum, ordeum, fructus alchachengi, sebesten, liquiritiam Tamarindos quoque ad gratiam stomacho conciliandam sed aromate aliquo aptos ventriculo affectos. Si videatur etiam adhiberem altheæ, & farfaræ radices, non enim viderentur mihi alienæ. Si somnus sit conciliandus adijcerem et succū papaueris, seu eorum lac, in qua portione forte cassia non inepte certis quibusque diebus dissolueretur, inūctiones easdem producerem, & lythargirium iniijcerem ex albo oui liquarij vt factum est.

In ratione victus ouorum luteis libenter vterer ad acumen deliniēdum, moderate tamen, quoniam in senibus solent pituitam congerere, vinum etiam oligophorum ventriculi causa, & ætatis decrepitæ concederem, ius etiam pulli tenue sine sale cū emulsione. s. Melonum in potionibus darem. Dixi.

Is dum Medici curant pœnam ardoris ipse interit febre.

De lateris dolore, & suspicione febris malignæ pro Nobil. Petro Maphæo.

CONSVLTATIO CCCCXLVIII.

Hanc esse inflammationem membranæ costas succingentis omnia ostendunt, nā dolor acutus est, spiritus difficultas, pulsus durus, & creber, febris acuta ac tussis. Lingua sane neque sicca, neq; flaua est, vt sępe in pleuritide solet, & hoc, quoniam humoris genus humidius est, neque cum nimia ventriculi communicatur maxime vero hic id euenit quoniam sanguis, quē expuit bono colore, & liquidior est, vnde & facilius in pulmones exsudat, & a primo die excerni cæpit. Affluit autem aliquis dolor capitis interdum. Secunda die aluus profluit, & itē quarta quæ hodie finita est. His sic manifestis accedit malignitatis febris suspicio, nolo hic accipere externam speciem malignitatis, quæ est in eo quod morbus spem salutis non auferens affert tamen periculum. Sed internam uim febrium malignarum propriam, nimirum pro ea febris conditione, qua eius putredo, aut tam multa est, aut tam praua tam ve principi parte coniuncta, vt perniciosam febrem faciat. Hic enim multæ putredinis indicia sunt, aluus tamen fluida, vrina iam a tertia die turbatior, crassiorve, & si non ualde mali coloris sit, tunc enim potius prauitatem putredinis denotaret. Pulsus præterea exiguus, & imbecillus. Vbi ipsa putredinis multitudo potest tam uires naturæ opprimere, vt natura nihil valente putredo in summam corruptionem & malum putredinis genus degeneraret, & sic summam malignitatem, acquireret, & mortem afferret.

Scimus enim gradus multos putredinis esse, vt vt illa vel ad maturationis speciē uel ad corruptionem declinat, corruptionē vero illam peiorem esse, qua non ardor humidum absumit, sed illum educit cum calore mixti. Quibus sic prouisis apparet quid natura metuendum, & quid agendum nobis sit. Metuenda ea putredo, ne in corruptionem labatur, ne ve confluxione maiori peior fiat, & naturam superet. Metuendū etiam ne materia, quę iam in pleurā, & pulmones confluxit, retenta, & occupatis alijs vijs in capsulam cordis destillet, & inde excerni nō valens ibi cor corrumpat, vt vidi in alijs, quare & est auertenda materia a medio ad extrema, & ad uias excretionum remotiores, vt aluū, vt urinas, vt sudores reuocandi, & putredo sedāda quo in melius conuertatur, & humores integri eā non cōpræhendant.

Et demum per sputum materia mouenda, quo per eam viam eijciatur, neque intus remoretur. Hactenus sectione venæ primo die facta in cubito, & cucurbitulis cum ferro tertia die dorso adhibitis, & a natura ipsa fluxione alui, secunda die facta videri potest multum esse præstitum retractioni, quæ adhuc produci poterit, & debebit cucurbitulis repetitis saltem sine ferro, & frictionibus, medicamentis quoque humor influens sisti, & inhiberi debebit, ne in Thoracis partes confluat amplius, cui rei vtilia illa esse credo, quæ experimentis nixi cuique laterum dolori, & quoque eius temperie etiã non debito adhibent, nimirum lignum visci, & cortices auellanarum, & celiculi glandium, & papaueris erratici capita in puluerem redacta, similiter thus cum malo percocto.

Quæ cum humor consederit, credo minus utilia esse, nam sputum tunc potius est procurandum. Sistendo præterea humori facient illa, quæ putredini reprimendæ dare solemus, & danda sunt in hoc malo nimirum syrupus de succo acetosæ, de succo citri. Radices pentaphylli acetosa syrupi, illi etiam iuuantes sputum, vt uiolaceus, vt ille de iuiubis, & maxime de nymphæa, cuius mixtæ virtutis erunt scabiosa, melissa, borrago, buglossum. Tandem spuro expediendo syrupus de radice dulci, oximel, Hyssopus, & alia eiusmodi. Exterius retrahendo humori a medio ad eminentiores partes non solum frictiones, & cucurbitulæ, sed inũctiones ex vnguento Agrippæ dialthea butyro antiquo, & oleo terebynthinæ. Vnguentum etiam Arrogon cum ijs, ac post inunctionem inspersus puluis ex cimino vim retractionis augebit, & discessionem inflammationis perficient. Atque ex his mihi uidetur esse expiscatus ordo omnis curationis. In ratione victus cum vix cibum contineat quin & fastidio, & tussis impetu, & destillationis irritatione eum eijciat, ego ipsum partirem in tres partes, & septima quaque hora darem, reliquas tres horas spatio necessario syrupis attribuerem, genus ciborum esset iam quarta finita, & leuato corpore a copia ptisana colata, deinde necessitate sputi vrgente, & uiribus opus habente, tum viribus postulantibus etiam oua ex iure concederẽ, & tritum panem ex eodem optime coctum, ac gallinaceos testes, & iecora concederem molliter cocta potiones essent conficiendæ meo quidem animo ex hordeo primũ solo, deinde cum saccharo. Demum etiam cum Aniso, aut fæniculo & passulis, Anisum enim, & fæniculum mihi videtur pectori, & sputo aptum. Dixi.

Septima die melius habuit a febre etiam dolore, vrinæ meliores factæ sunt, sputa quæ e rubro in luteum a quarto die inclinarant ea die coctiora visa sunt. 11. die sputa solum pituitam habebant. 14. febricula relicta quieuit.

De sponsa Equitis Mationij dolore vteri cum febre affecta.

CONSVLTATIO CCCCXLIX.

EXpræssi vir doctissime morbi uim, & curationẽ optime instituit, ego itaque sequar illius disputationis rationem, ex causis euidentibus, & notis etiam antecedentibus certo conijciendum est subesse plenitudinem uitiosam. Nam in hoc corporis genere calido, & humido, in ætate summæ adolescentię, in ciborum mutatione ad largiorem eorũ vsum, in nocturnis vigilijs cum sponso pulcherrimo, & A parum valente eius Venerem ad finem producere, quem finem solet quies sequi, est factum vt ipsa desiderio maiori affecta vigilijs, & agitatione circum sponsum maxima cruditates collegerit, & corpus humoribus vitiosis compleuerit iecore prioris coctionis vitium potius augente acriori calore ex motionibus illis concepto, & ex desiderio feruescenti spiritu in corde, & cruditates in omne corpus effundente.

Notæ eiusdem vitiosæ multitudinis humorum, fuere menstruæ purgationes anteuertentes tempus consuetum, & exiguæ, & interruptæ in longius spatium progressæ, nam cum quinque diebus antea finirentur, non ad decimumquintum productæ sunt, sed interuallis, quod est signum naturam non se ipsa, sed onere, & acumine, morsuve humorum id fecisse. B

Præcessere notæ grauiditatis, quæ communes sunt cum dicta multitudine, vt tumentia mamillarum, & nausea, ac vomitus matutinus pituitæ, quæ omnia excepit purgatio menstrua supradicta, qua nondum cessante incæpit dolore venter leniter, postea tam acriter, ut lacerari uideatur. Tumor est loco vteri, & de more illius modo dextrum, modo sinistrum latus replet, imum quidem ventrem semper vbi perpetuus dolor est, modo in fauces angustia quædam pertinet crebro ad dorsum. Interdum fæmora rigores sentiunt, interdum maximis doloribus cruciantur, ac si gladijs secarentur. Aliquando etiam in mamillas dolor, & tumor subitus pertingit, ex quibus non solum multitudinem vitiosam, sed uterum ab ea affectum conijcio, nam C propter uenas cum mamillis communes, propter neruos ad fæmora discendentes, propter membranam peritonei ad dorsum, & ad fauces vsque distentas omnia illa symptomata sunt subsequuta. Ac quando tumor cum dolore perpetuo, & cum febre est, credo quidem, quod illa doloris incrementa identidem reuertentia a flatu fiant, sed ille, qui nunquam tollitur, certe fit ab humore, qui humor, si in uenis contineretur, non pareret dolorem, exit verò in corpus membranarum vteri, & propterea illis cum dolorem, tum tumorem infert, qui tumor naturam humoris sequitur. humor verò non D sine sanguine est, neque sine bile, pituita enim, nisi esset crassissima, & frigidissima, tantos dolores nõ pareret, minus vero febrem afferret ita crassa, febris est, ergo calidus, & feruens humor est, & putrescit, quoniam vrinæ crassæ sunt, & coloratæ, & pulchredinem humoris indicant, quare tumor habebit vim inflammationis permixtæ partim erisypelatosæ partim ædematosæ, febris autem sequitur quæ pulsus crebritate, & inæqualitate una cum vrinis crassis, ac coloratis deprænhenditur, de qua esset quoque uidendum num simpliciter putredinem in partibus vteri comprænhensam sequatur tanquam symptoma illius inflammationis, num verò inde incepta putredo humores quoque in vicinis venis comprænhenderit.

E Nam huius secundi euentus mihi suspicionem faciunt vrinæ, & ipsi pulsus paruitate, & crebritate sua inflammationibus partium a corde remotarum minime familiari. his propositis de remedijs agendum est, nam quid sit metuendum patet, tum a febre iam humores in venis obtinente, tum ab uteri inflammatione, & a vi doloris, quibus sane tribus occurrendum est, materia nondum delapsa, nõdum putrescẽte, submouẽda primo, deinde, quæ delapsa est discutienda, & dolore leniẽdo. Iã venter ex oneratus est per manna, per clystere. Venæ ipsæ quoque leuandæ per sanguinis missionem ut morbus, & dolor postulat a sanguine incrementum suscepturi, vt humida tempestas, ætas, genus corporis, & anni tempus

tempus vernum si non efflagirant saltem adhortantur, aur permittunt vna cum viribus. Locus secandæ venæ si morbus initio esset in cubiro mihi deligeretur verum quoniam progressiones suas habuit fere,ego ad talum id facerem, postea materia sic diminuta dolori subuenirem per potionē olei amigd. dulcium primo, deinde etiam amararum, quibus & aliquid a parre affecta detraheretur, humores pararem syrupo rosac. simp. de betonica de succo cicoreæ, purgarem agarici incocto, melle rosaceo solutiuo. Diacatholicon, & diaphænicon, emplastra apponerem venrri, vt de meliloto, & similia. Vesicam oleorum plenam, fomenta, balnea, clysteribus quoque vrerer, & pro vr res cedet me gererem.

A vino eam prohiberem certe.

De doloribus omnes corporis partes tentantibus pro Lisca Vicomercata.

CONSVLTATIO CCCCL.

ETsi res absolutissime explicata sit,& omnis curatio optime instituta,nihilominus eadem ratione,qua alij, ego quoque sequar ordinem consultationis.Ego ex vestris sermonibus tria video mihi esse consideranda vnum narurale est, alrerum prętet naturam,tertium accidit naturę secūdum naturam. Primum est genus, seu natura corporis, alrerum est dolor, tertium est grauidiraris suspicio.Narura corporis indicata est frigida, quoniam venæ angustæ sint. Ego vr animum meum libere exponam, non possum iudicare, nisi quod calidum sit,nam post finem adolescentiæ hæc mulier est tenui corpore, nigra cure admixta fere flauitie, pilis nigris, ac quasi circum labra erumpentibus, iracundia, & venis magnis,ac nigrioribus, & randem mensium exiguirate, quæ mensium exiguiras non frigori, & humoribus glutinosis atrribuenda est, vr uir doctissimus fecit, quoniam runc morbos antea peperisset, naturalis enim non fuisset, ur est,sed calori corporis adscribēda,cum a principio fuerit,& naturalis ac nullum morbum pepererit. Mulieres calidiores suapre natura parre purgari constar apud omnes physicos, & medicos, vnde viragines fere carent mensibus, & ratio est, quoniam purgariones menstruæ non sunt propter perfecti sanguinis abundantiam, aur calorem,sed propter minorem caloris uim, quæ neq; ad summum absolurionis sanguinem perducat, neque ipsum valde consumat,quod natura in consiliū procreationis conuerterit. Ad hoc genus corporis constituendum conuenit iecur, cōuenir etiam cor,nam color ille fuscus in lureum vergens iecori arrribuendus est,a quo materiam alimenti,iracundia autem, & velociras pulsus ac crebriras cordi. Aeras quoque suo spatio efficere poruit, vr sanguis siccesceret calore,& corpus minus aleretur. Siccescerent etiam carnes, quāuis humidius antea corpus fuisset, quod certe non fuit. Ex quibus iam ad statum præter naturam accedamus ventriculus primus a.

Repenre admonirus sibi Romam eundum esse vlterius non scripsit, de consultatione iam habita.

De febre continua cum Tussicula pro R. F. Lina cum Francisco Gadio Physico Farnesiano.

CONSVLTATIO CCCCLI.

ESr quod patiamur aduocari ad consilium in curationibus etiam per clarissimos Medicos instiruros Vir doctissime, quoniā sic in more est positum & cū de vita agitur, quæ magna res est,iure factum B viderur,vt quorumcunque consilia audire velimus, hoc itaque loco sic re a te exactissime explicata, & curatione optime, atque summo consilio instituta ego muneri meo salrem in tuis examinandis inseruiam,quo res diurius, & vane tractata vt tabula in diuerso lumine perspecta promprius, & securitate animi maiore conficiatur. Symptomata hæc sunt, illud quod ipse nūcupauit capitis infirmitatem debilitatemve, quæ ad oculos maxime pertinet, nihil morrici facultati officiosos quasi initium scotomię, obumbrationisve videtur, dolor tensiuus in sinistra parre a capite in collum protensus, & tensiuus ipse, atque ad extimam cutē musculosve exteriores pertinens, tussicula sicca, quasi quid expuitur, id non per ipsam a trachea,sed a faucibus,& capite est, per C quam potius,cum vehementior est,nausa incitatur, quod indicio est, pituitam illam a capite defluētem ad multam gulæ partem descendere, est præterea onus quidam ventriculi, tam ieiuno quā pleno ventre cum cibi ei non fastidio, salrem quidem cita satietate,est pulsus admodum frequens, qui sane non est naturæ huius cordis, alioquin moribus grauioribus, non citæ iracundiæ,non animi exigui, ut quorum crebriras naturalis est,in more habent, sed uitij omnino est,qui pulsus mane magni, & rotundi, & æquabiles sunt meridie autem parui,& valde inęquabiles non solum in diuersis ipsis, sed in ijsdem singulis, & in parre eadem a veris atque,& in diuersis. Est vrina omnis rubra, & crassa matutina autem D longe magis, neque tamen Renum vlla quærella est nisi quod aliquando fluorem seminis est perpessus, quod potius ad vasa seminis, quam ad Renes est referendum.

Tandem est quædam duriries in latere sinistro formam lienis referens, etsi ad medium incliner. Ex omnibus vellem ego inuestigare quid nam subsit vitij, quo auferendo ea tollantur, atque cum varia sint, incipiam a superioribus, illud scotomiæ initium potius vapores, & halitus ab infernis partibus conscendentes, quam quod sit aliquid affectus firmioris in capite, qui vapores cum e ventriculo iam oneraro viso a calore febris ex notis relatis depræhensæ fusis humoribus facilius, & copiosius incurrunt, atque ab angustia curis quam per E tensiuum illum dolorem, & per eum, qui tota cure capitis palpirans præfuit intelligimus, contenti in principium, & ventriculos cerebrum vna cum spiritibus, naturalibus confluunt tenebrarumque speciem ipsis oculis offundunt, qui si agitarentur vertiginem parerent, ac,si mordacem humorum sibi materiam haberent, animi deliquium facerent per os ventriculi, & coniunctione neruorum eius ipsum caput afficientes, & vicinitate etiam cor. Materiam igitur crassam, & hebetis naturæ insequuntur.

Vnde non est mirū,si pars eorū amisso calore alieno in viscerib. accepto in eandē naturā,& crassitudinē reuertuntur, vnde per calorē fuerant vi effusi, eo

enim recedente rurſus poſſunt concreſcere,& ita per colatoriũ in eum vſum à natura factum, inferiuſque ob hoc locatum, qua defluuium haberet, defluentes per faucium parietes delabendo,illiſque hęrẽdo ſuo lentore,& gulam etiam opplendo nauſeam ſub valentiori tuſſi ſicca pariunt. Huius itaque vtriuſque moleſtiæ cauſa in inferioribus partibus inueſtiganda relinquitur. Eſt tuſſis ſicca inſuper aut quoniam materiam nõ habet,aut quoniam illa excretioni inepta eſt. Inepta vero vel quod nimis craſſa & tenax vel quod nimis tenuis eſt, quod nimis craſſa hic materia ſit,nõ poſſum credere quoniam anguſtiam ſpiritus pareret,quę nulla eſt,ergo aut nimis tenuis,aut nulla, nulla ſi ſit, materia in locis ſpiritus tuſſis per conſenſionem ſepti tranſuerſi infeſtati à viſceribus infra ſe poſitis fiet, verum non eſt tanta ſuſpicio læſionis eorum viſcerum neque acrimoniæ tantæ humorum,quæ infeſtare adeò idonea ſit. Tenuis ergo potius materia ſit pertinens à cerebro ad larynga, aut ad fauces,& oras ſummas laryngis offendat, ſic enim ſæpiſſime tuſſis fit nihil recipiente larynge & potius, quam à materia in pulmone comprænhenſa, in quo minus ſenſus eſt, & ſæpe anguſtus ſpiritus ab ea fit ſine tuſſi,maxime,cum illa non mouetur neque acris eſt. A cerebro ergo duplex materiæ genus demittitur, alterum craſſum & hebes,alterum tenue,& mordax, ac neutrum in pulmones pertinet, ſed circum ſupremum laryngis os verſant dicta ſymptoma ta excitata.Cerebrũ vero per ſe ea excrementa creare non poſſe videtur, non quod non poſſint contraria recrementa in eodem membro partibus diuerſis varias deprauationes habentibus creari, ſed quoniã caput hoc affectum non videtur, niſi ea ſe continentium partium anguſtia,qua vapores non exprimantur,potius recenti parte concreſcunt in pituitam, partim in fętorem reuertuntur vt ea materia eſt, vnde per calorem expreſſi ſunt,quę ſane in varijs partibus eſt varia.

In ventriculo craſſa, in iecore, vt hoc cruditatem acceptam à ventriculo varijs partibus præditã conficit,& varijs illius partibus ſuo calore valẽtiori cum craſſum,tum ichoroſum humorem parit, maxime diuerſa. Vnde hæc concepto à iecore, & à cordis ſpiritu calore in caput per varios vapores efferatur, maxime vero quoniam febris ſubeſt ſatis inſignis, & feruor humorum, vt vrinæ color, craſſitudo & ſpuma demonſtrant, atque pulſus mane magnus, & concitatus. De qua vero febre videndum,cuius naturæ ſit & quibus cauſis oriatur. Nunquam ceſſare eam penitus ego credo, quoniam nunquam pulſus vel mediocrem quidem habitum recipit inter crebrum & crebertimum, & cum magnitudinem ſupra morem valetudinis inſignem remiſit,tunc crebritatem retinet, & maiorem inæqualitatem, quare antequam ſoluatur febris, omnino videtur nouæ materiæ acceſſu naturam opprimi & nouum incrementum putredinis fieri,& ita pulſum comprimi eo tempore, nempe meridiano,ac cum concepit incẽdium humor, quod tũc tenuior ſit,minuſque opprimat calorem, ſeu naturam tunc pulſus fieri maiores poſſe & minus inæquales, ex quo primum intelligitur materiam hanc intra venas putreſieri, ſaltem de loco ad locum per ſenſibiles partes non traduci, neque tamen in vniuerſis venis maioribus id habere, aut in viſceri aliquo principe vt pulmone,vt iecore ne dicam corde, nam q̃uis nullũ frigus nullus horror, & minus vllus rigor ſit, quibus materia per ſentientes partes dimouere ſignificatur, & ferè extra venas expelli,& tamẽ indicium aliquod motionis ipſius à tanta pulſuum compreſſione.Compreſſio enim effectus eſt reuocationis ſpiritus & ſanguinis cum eo ad interiora, in quibus vna & halitus malus, ac craſſus contrahitur ad medium corpus,ea autem reuocatio fit plerũque propter ſenſum aliquem moleſtum motionis materiæ,interdum etiam quod illa compulſa ad putredinis locum aut attracta occupet calorem donec ſuccenſa illum augeat,pręterea illam cauſam retractionis caloris propter vehementiorem internorum inflammationem pręcipue cum virtus imbecilla eſt, & ſpiritus boni exigui, non poteſt autem congeri vnquam materia adeò vt tam nouam inducat occupationem commiſtionemque, niſi cumulum illum motu aliquo impulſionis alicubi ſibi faciat, alioquin enim motu generationis tanta mutationis moleſtia non fiat.Suberit ergo materiæ motus, & ille quidem quando per admodum ſentientes partes non eſt, neceſſario in venis fiet, vnde à maioribus etiam potius ad minores quã è contra fieri veriſimile eſt, vt enim dixi hic internorum inflammatio tanta non indicatur quanta ſolent materiam ab eminentibus partibus ad medias retrahere, ſit ergo à venis maioribus ad minores non in viſcere aliquo, quoniã in eo tamquam ſenſu carente eiuſmodi motio non fieret tam euidenti compreſſione, minus in pulmonibus, aut thorace, quoniam tunc anguſtia ſpiritus neceſſaria eſſet, materia enim bronchia intus replente vel vrgente exterius per ſe primo ſpiritus anguſtia fit, interius quidem replente ſputamina cernerentur,exterius autem vrgente aut inflammatio pulmonum eſſet,aut repletio thoracis,quorum aliæ notę extarent. Si autem materia intra vaſa pulmonum manẽs tam quieta, vt neque ferueudo quidem effuſa,aut in halitum conuerſa bronchia vrgere poſſet, vt ſæpe vidimus in febribus, quas morituro ægro ſequuti ſunt pulmonum tumores cum ſpiritus anguſtia ſolo extremo vitæ die,tunc febris maior ſit, & acuta,& omnes vires breui labefactat,non relinquit integras, vt hæc,quæ ſane cum hoc faciat, & ad aliquam certam partem tantummodo pertinere, & non ad pectus ſperare nos permittit, atque cum vrinas adeo craſſas plenas & coloratas,efficiat,eam vnam partem,quam occupat,non eſſe pectus vel pulmones, aqua vna parte febrem faciente nunquam vidimus vrinas adeò immutari,imo vel febres maximas vitio earum partium factas obſeruauimus & vrinas vix calorem febris indicaſſe,humores certe nequaquam.

Et miror certe ſi velimus aſſentiri hanc materiam eſſe à capite & in pectore putreſcere tanta, quanta febrem faceret,& vrinas tam immutaret, & non indicium ſui maius pectori proprium ederet, ſaltem rubores in malis vt familiares non efficeret.Partes ergo ad ventrem inferiorem pertinentes continere materiam putreſcentem ſpero neque à pulmonum vitio habet febrem pendere.

Per ventrem autem inferiorem non ſolum meſſenterium,& præcordiorum partes intelligo,ſed Renes, & partes illis circumſiſtentes, cuius rei ſuſpicio eſt in vrinis multa, & præfuit etiam in fluore illo ſeminis,& in imi dorſi dolore vſque ad os ſacrum pertinẽte,fluor enim ſeminis à coniunctis partibus cum Renibus,nempe ſemini diſtinctis fit.Sic quamuis febris ſymptomatica non ſit, habere tamen peculiarem quandam partem,in qua cauſa ſui verſetur non ego mihi commentus ſum, ſed Galenus id profert ſuo libro Methodi,ipſa enim febris ſuapte vi, in corde præcipue verſatur.

Magnitudine autẽ illa pulſus & mollitie intelligo nullam partem membranoſam infarctam eo humore. ſed illum aut in vaſis, aut in molli & glanduloſa putreſcere.

Quod vero genus materiæ determinandũ,& credendum ex incremẽtis ſuis,& compreſſionibus, quibus certa aliqua parte eam eſſe conficiebatur, quòd certi etiam generis illa ſit, nam cum vniuerſi humores cuiuſque generis vna cum ſanguine putreſcunt, maximè cum inter ſe iuſtum modum ſtiuat febres homo-

homorona fiunt, quæ acutæ sunt, & non permittunt corpus vires suas tam diu retinere materiam viribus necessariam vitiantes, consumentesque, varietatem ergo habente febre necessario materia eius generis est, quæ ab alibili & medio genere excedit ad naturam alienam & a medio digressam, quæ tantæ copię non est, vt continenter eandem putredinem, & eundem calorem possit sustinere, sed identidem consumi, & regenerari est necesse, sic incrementa, & remissiones eorum facit.

Cum verò trium generum recrementa sint, pituitosa biliosa, & melancholica, exiguitas melancholici, & duritas ipsius contra putredinem facit, vt solummodo quarto quoque die ad id molis & propēsionis in putredinęm atque vitium perueniat vt pellere se naturam cogat, putrescatque, vnde si frigus initio accessionum faciat inquit Galenus id tum innato frigore, tum adscititio per putredinem calore facit. Bilis autem ipsius maior cum copia, tum in putredinem propensa breuiores circuitus parit. Pituita item antecellens copia sua cæteros humores, præsertim ægrotante homine, & sub febribus ventriculo facile labefactato, & propter humiditatem etiam in putredinem cæteris procliuior quotidianos circuitus habet, toto enim die ad id cumuli, & putridæ naturæ peruenit, vt & opprimendo, & irritando naturam ad se pellendam incitet. Ex quibus suspicio fiat, ne cum quotidie hęc febris habeat incremēta, pituita accusanda sit, quando a pituita quoq; vrinæ rubræ sæpe fiant, vt lib. Meth. Galen. ostendit.

Animaduertit tamen ipse æger se alternis diebus peius habere, eapropter mixtam materiam esse, vt fere euenit statuerem, & illam duas febres Trineophyris altero quoque die singulo singulam inuadētem facere, quoniam materia biliosa motionis causa est ipsi pituitosæ & vtraque mixta duobusque in locis materia tractatur, & ad duas partes diuersas compellitur in vtrisque sic permixta. Hæminitæum non putarem, quoniam non singulam singulo die, sed in vno die vnam, in altero duas febres haberet, si prodrie hæminitæum accipiamus, quamquā complicationes tertianę & quotidianæ, & quartanę multæ sunt, & sine nominibus à Medicis relictę. Imo sub esse etiam multum humoris melancholici ego censeo, quoniam ætas inclinans, corporis genus, mores, studia, negotia & rerum externarum euentus cum lienis vitio, quo humor melancholicus minime expurgetur, mihi maximam eius humoris suspicionē faciunt, vt ventriculi onus & imbecillitas, pituitæ, vt iecoris calor, bilis suspiconem cōfirmant, quoniam possunt ea omnia dictos humores generare.

Quibus visis tanquam præsentibus malis, sic etiā metus ne diuturnus calor corpus tabefaciat, & cor, neue elatis continenter in caput vaporibus ab ipso tabescente destillatio, quæ in faucibus finitur, ad pulmones acrior etiam, atq; etiam fiat, & pulmones vitiet, neue pulmones ipsi alimento, quo admodum molli, & humido egent priuati, & male alti aut consumantur quod etiam in hydropico quodam obseruaui, aut, quod vidi in plerisque crassiori alimento quod attrahere coguntur, alti duriquę facti, recrementisque pituitosis obducti hominem strangulent.

His itaque omnibus subueniendum, febris vero in primis ipsius causæ nempe humori putrido, & facile in putredinem futuro, vacandum, cæteris non neglectis vt tussicula, vt dyscrasia, quæ a febre inetuitur. Humor putridus leniter in dies euocandus, qui vero ad putrescendum propensus est, ad concoctionem meliorem reuocandus, qua partim in alibilem succum, partim in maturum genus conuertetur ad facilē excretionem, quod, quo fieri queat minuēda est: ius materia, quo illud, quod supererit, natura facilius vincat, deinde illud extenuandum incidendum est, & demum, quod fuerit naturæ inutile, sic maturum medicamentis detrahēdum, sic enim humore tractato, & detracto, obstructiones submouebuntur & omnis febris, causa, atque materia.

Ergo materia quæ in vētriculo per illud onus sentitur, parata syrupo de betonica, de succo cicoreæ, & mellę rosaceo non siccis dictis, sed ad maiorem dilutionęm liquefactis cum iure betonicæ, melissæ, cicoreæ, & lupullorum. Darem medicamentum ex melle rosaceo solutiuo ad ℥.4. etiam oxymelite ℥.s. mannaque ad ℥. 1.s. postea præberem aliquid oxymellis cum eodem syrupo, & si febris seruaret hunc modū, neque remitteretur, ego, quo materia omnis non solum inutilis, sed metuenda submoueretur, detraherē etiam sanguinem secta vena in cubito dextro iecorariam ventriculo sic exonerato, sanguis enim in febre continuata & tam magna ipse quoque metuendus est.

Postea adiunctis syrupis compositioribus, vt oxymelle composito, & de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro, curationem peresquerer, & tandem febre etiā imminuta, & materia concocta medicamentum simile quidem darem, sed in iure etiam polypodium, & agaricum incoquerem cum passulis, liquiritia, aniso, & cinnamomo. Tussiculæ occurrerem eclegmate ex pineis contusis sacchado cando, & inleb violaceo.

In ratione victus vterer iuribus pullæ incocto hordeo, & pane macerato, coctis etiam lactucis, & borragine. Loco potionum vterer aqua, nequaquam verò vino.

Is febre vuarum dicta ratione & tussicula paucis diebus incidir in colli dolorem, & etiam humerorum a quibus vsu salsæ pariliæ euasit; & in scabiem deuenit.

De Apoplexia occasione Cardinalis Ferrerij ea necati.

CONSVLTATIO CCCCLII.

Sensus penitus extinctus non est, & motus etiam cum lacessitur non impediri cernitur, arteriæ ad brachia manu exploratissimæ nihil penitus moueri sentiuntur, toto corpore frigidior ipse est, respiratio cum stertore, & hiante penitus ore, & labio inferiore delapsa. Refertur, quòd arteriæ a principio dum etiam sensus non adhuc esset sublatus, non sentiebantur. Ego non possum ex his intelligere malum ipsum esse in cerebro primum, nam pulsus corde nō satis refrigerij ab impedita respiratione habente, solent concitatiores, & maiores fieri, ac rarò non febrem præseferre, rarissimè verò ob frigidi humoris copiam repeřiuntur in huiusmodi suffocationibus exigui quales Apoplecticis attribuit Galen. pręterea principio neruorum sic oppresso non est facilè aliter euenire quin à neruorum languore malum ordiatur & resolutione aperte visa initio saltem aut in crure, aut in brachio altero. Hic ergo cor primum affectum est, & inde cum capite seu cerebro affectio communicata. At doluit initio repente caput & à dolore mutus factus est cū stertore, vt ait Hippocrates, Doluerit, illud consensione esset potuit, pulsus vix in temporibus sentitur, quoniā externæ capitis arterię sunt forsan minus impeditæ, quam internæ, Facilius ergo fuerit hoc genus Apoplexiæ per primum vitium Arteriarum carotidum copia modo factum non primi neruorum principij propter dictam rationem, causa, vero cur arteriæ cordi proximę sic oppletę sint non est obscura.

Nam

Nam Illustrissimus Vir præterit, medicamentum, quo vtebatur septimo quoque die satis expurgans, toto hoc mense, & etiã clystere quotidiano, quibus propter solitam congestionem crudi humoris sibi cõlicos dolores patientem vti consueuerat, qui crudus humor & congeri magis debuit sub victu magis pleno & libero quam consuesset & exagitatione corporis ei inusitatam & supra morem, atque à cibo continuo in curru contecto & concluso factam quotidie qua caput maxime solet compleri, id est humor in arterias potuit attrahi, nam & itineribus longis & celeribus est vsus cum Romam ipse Vercellius veniret, & hic Romæ nunquam cessauit quin quotidie à cibo subito circum iret per æstum. Hac vero facta repletione arteriarum & quotidie aucta per potiones insolentiores ob æstum facile fuit iræ, & alijs animi perturbationibus maximis, quibus his diebus fuit exagitatus, attrahi materia in partes cordi vicinas, & ita suffocationem & pulsus priuationem afferre sensusque ac motus impedimentum. Quo facto cum vis fere extincta sit, non video quid remedij idonei adhiberi possit, viribus enim iam extreme per diaphoreticos sudores, vt frigus corporis denotat diminutis magna remedia interitum citius afferrent, vt sanguinis missio, vt medicamenta soluentia quamquam neque illa possunt deuorari, aut forberi.

Quæ quidem, discutiunt exterius & extremis quidem admota non videntur admodum nocitura, imo posse extrorsum halitus, & materiam reuocare vt oleum illud Magni Ducis, tamen nihil saluti facient, vt neque cucurbitulę ad dorsum & hypochondria adhibitæ quoniam magnitudini morbi non respondet, nihil tamen prætereundum est, ne id postea pæniteat aliquem se non fecisse quod quid suspicari posset valiturum, suppositoria validissima subijcerem, ex sale gemmeo, ex melle percocto insperso ex puluere colocynthidis, frictiones & cucurbitulas extremis darem, oleis valentioribus ventriculum inungerem in quibus vel petroleum haberem, vel id quod magnitudinis est, Temporibus & partibus capitis non auditum similia apponere, vt illud vnguentum quod magni fit à Principibus viris, ex ambra, mosco, Zibeto præsertim factum.

Is septima hora ab accessione extinctus est, cum sæpe stertere intermisisset, & concalfactus esset, & humidis manentibus carnibus meliori colore fuisset cessauit vero respiratio, & eadem semel redeunte obijt, nullo motu oris facto vt in extremo extinctionis fieri consueuit cum palloris extremi accessione.

De febre continua pro Illustrissimo & Reuerendissimo Augustino Cusauio postea Cardinali cum Aurelio Stanio & Sigismundo Cremonensi & Lelio Fontio Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLIII.

PRofecto Viri præstantissimi hac in re mihi silendum est, quoniam ipsa est à vobis suscepta, & tam prudenter & scite tractata, nisi mos postularet vt aduocati omnes loco suo satisfacerent. Dicam ergo sobrie, & breuiter de re à vobis tractatissima. Atque primum habebo pro cõstituto quod corpus hoc sua natura est calidum & humidum minus tamẽ humidum, vt à sanguineo genere aliquanto ad bilem

A vergat, non tamen multum, quoniam ætatis accessione adhuc siccius fuisset factum, ad bilem ergo vergat, non multum tamen quoniam bilis sicca est per se & ætate siccius corpus euasisset, neque colorem rubrum afferret, & mores minus lenes minusque placidos. Hac ergo ætate 40. annorum, hoc tempore æstiuo æstatis nimirum parte prima suæ naturæ valde simili incidit in febrem ex προφάσεως hoc est occasione iam dicta, quo à subito calore καυσῶν ad subitam refrigerationem se contulit, cuius febris initium cum capitis dolore fuit, imo ille dolor creditur febrem antecessisse, febris enim non dedit sui certam notã, nisi postera die eius diei qua dolor cępit, nam ad vesperum posteræ diei cæpit non posse muneta sani hominis obire, à qua initio sumpto iam finitur

B sexta dies ipsius febris, quæ nunquam frigoris semper & maxime horis incrementorum sensum caloris habuit, & tam mitis fuit, vt fere æger nisi horis incrementorum se febrire existimarit capitis grauitate & calore tũc magis molesto, vix cõpressiones pulsuum, & remissiones caloris ad horas incrementorum obseruatæ sunt, incremẽta quotidie semel, hodie etiam bis obseruata sunt noctu vnum, die alterum somnũ capere potuit quaque nocte fere, aliquibus quidem minus vt hac sexta nocte fecit, qua veluti horis incrementorum fuit satis inquietus, sitis est aliqua non tamen valde sæua, lingua alba, nullum præterea symptoma molestum.

C Et post alui motionem sanguis in fine tertiæ diei, qua etiam è naribus effluxisset per venæ sectionem nactus est, qui non malo colore esset, spuma tamen multa, qui postremus in alterum calicem exiuit. Iam vrinæ à vobis concoctæ existimantur, quas dicitis à principio quidem minus bonas fuisse, semper tamen aliquid coctionis ostendisse, pulsus qui satis crebri, neque admodum magni sunt à vobis eo minus à naturalibus remoti indicantur quod crebros sua natura esse censeatis. Ita, cum arbitremini morbum cæpisse à primo capitis dolore, & hanc diem septimã faciatis, in qua crisim expectaretis, nec ea sequuta sit præter leuem Thoracis sudorem, & aliquas sanguinis guttas è naribus, iam ad pharmacum confugitis, & cras mane dandum esse decreuistis, & sisi sententia, quod cum natura non mouet propter sui ignauiam

D Medicus mouere debet.

Ego pro viribus nostri iudicij rationem redditurus, vestrumque consilium approbaturus primum de natura morbi, deinde de curationis ratione dicam. Morbi natura febris est, vt vel tangentibus nob. cognoscitur, ea in partibus continentibus non videtur hætere, quoniam cum notas eius rei non habet, tum omnes alias habet, quibus in humoribus, calorem illum squallidiorem seu acriorem esse ostẽditur, color faciei, & oculorum tam rubeus nunquam solas partes continentes sed fere humores æstuantes denotat, cum his capitis dolor idem cõfirmat, calor cutis acris quidem sed varius modo squallidior, modo minus

E acris, Pulsus inæquabilitas & robur quod sub continentium partium calore eiusmodi esse non posset corporis habitus satis nutritus. Vrinæque vitium humorum indicantes. Humores ergo in sui natura eum calorem compræhenderunt, quod non nisi per putredinem fieri compertum, & constitutum est, quę, dum fit, feruorem maiorem excitat halitus multos ex humore putrescente excitando, qui in cor appellentes, & inde per arterias toto corpore emanantes acrem eiusmodi calorem communicant, sæpe adeò valentem, vt maculas in cute excitet vt vt osculis arteriarum erumpens secum quasi colliquatum illarum tenuem sanguinem effert etiam vi retentrice infirmatã, quod tamen rarò Romæ incidere quidam dicũt, nequaquam autem incidit nisi totius ipse sanguis cõ ferbuerit. Quæ res si accidat in corporibus melio-

ris caloris & virium cum copia idonea non solũ maculas, sed pustulas habet. Verum scimus quòd humores vario modo possunt putrescere, varietate nõ solum a putredinis genere, sed a natura humoris & copia & loco veniẽte. Genus enim putredinis a Medicis late admodum accipitur, vt ea amplecti solet non solum putredinem, quæ est ipse mixti proprius interitus & corruptio eius generationi aduersa, quæ pessima omnium est, & maligna, ac pestilens vocitatur, ac fere minus caloris præsefert, sed amplectitur alteram quandam putredinẽ quæ exustionis vim habet, cuius vestigia in aspera & exusta vrinarium sedimentis sæpe videre solemus. Est item tertia quæ proprius ad coctionem accedit, & maturatio etiam dicta est, in qua putrescens, humor, ad speciem quandam alimento similem vertitur natura B continentium partium cum proprio suo calore alienum illum componente, & eo pro viribus suis vtente ad vitiatum humorem superandũ, vt in alijs duobus putredinis generibus continentium partium vis aut exurenti humidumque absumenti calor, aut educẽti vna humidum, & calorem innatum imbecillior non resistit. Putredinis huius corporis rationem ego videor posse referre in illud postremum genus tertio loco positum, quamuis cũ adhuc in principio sit putredo non possit exprimere suam speciem, qualẽ habet cum multa parte sui facta est, vnde in vrinis corpus seu mediocre satis est, & lenitatem quandã coloris & læuorem habitus habet. eneorema etiam, quamuis non dum lene penitus sit, ea tamen asperitas non valde multa est, neque exustionem ostendit non puluerulenta non nigris indiuiduis aut sub nis constet, potius cruditatem materiæ ostendit partibus suis crassiusculis. Tendere uerò ad murationẽ illam potius quam exustionem, aut pessimum putredinis genus videtur, vnde & salus speranda sit nisi a cursu suo impediatur. Pessimæ siquidem putredinis & generationi mixti contrarię genus eo bono colore vrinarum certe sine perspicuitate, lumineque est. perturbatumque vrinæ corpus habet, præterquam quòd pulsus, & alia imbecillitatem naturæ continẽtium partium, & corruptionem sanguinis ostendũt. Humor ergo hic putrescens non videtur vniuersus esse sanguis, quoniam & vires cõstant, & vrina perturbata non est, vt si putresceret malò modo vrina non est malo, aut acri colore, at si malè putrescerent siue exurerentur humores foret. putredine verò hac sic ad maturationem tendente vix fingi posset vniuersum sanguinem vitiari & putrefieri, vires nã que ad eam putredinẽ quæ maturationem assequutura est sunt necessariæ, vt etiam cum ad summum maturationis perducta illa est, ipsæ etiam vires ab ea muritate aliquid nutritionis accipiant, & valentiores euadere possint, quod Galenus testatus est, & quotidie potest obseruari, quod etiam docent vlcerationes, in quibus cum pus maturatur eorum carnes etiam nutriuntur, Viribus itaque nutritis corpus crises facilius potest moliri.

Præterea si sanguis putresceret calor inde elatus incrementis non variaret, cum toto corpore ęquabiliter sanguis confusus sit, & eius confectio perpetuo celebretur. Igitur aliqua eius potius pars atque recrementum putrescit, aut ad bilem alterutram, aut ad pituitam referendum. In corpore calido, & humido si suppressio aliqua sanguinis inciderit, sanguis retentus solet, crassefieri & melancholicus euadere, hic tamen neque indicia; aut in vrina, aut vlla alia in re habemus eius humoris, neque eiusmodi sanguinis suppressionem, restat igitur vt de biliosa & pituitosa parte cogitatio sit, quorum maxima indicia habemus præterquam quod corpora huius generis calore quidem suo facile flauam bilem, humore verò seu humido cum non multum exuri bilem & in A atram verti permittant, pituitæ & in causa facile esse possunt maxime ventriculo materiam crudiorem suggerente, sed indicia id maximè persuadent, quoniam sanguis emissus spumam multam, & lentorem multum continebat. quoniam vrina satis quidem lutea est, vt bilem flauam significet, crassa tamen adeò & spumosa vt etiam pituitam. Imo si considero, quòd flaua verè non est, & caret lumine quodam acriori, atque eneorema satis plenum crassum, & copiosum habet, & cito id mincta ostendit, plus subesse pituitæ mihi persuadeo in biliosis leue indicium coctionis in eneoremate multam coctionem significat, in pituitosis contra coctionis indicia minoris fidei sunt, vt hic experiri potuistis, nam morbo vix cępto in vrinis indicia coctionis a quoque vestrũ sunt iudicata.

Etenim pituita non solum corpori vrinæ quandã lenitatem minus luminis illius acris compotem, sed eneorema ipsum quoque lene prębet maxime quando pituita non exusta, sed fusa est. Pituitam quoquẽ superare ostendit calor cutis minimè citus ad tactũ, & minimè solubilis tangenti, sed, vt dicebat Galenus tardus, & tanquam per cribrum, & satis duriter pungens, ostendit febris lenitas sine siti multa, cum lingua alba sine pallore faciei potius cum rubore sine extenuatione eiusdem ostẽdit somnus minimè prohibitus, & alia multa. At corpus calidius est, bilisque potius esse particeps videretur. Si secundum naturam suam se haberet, id necessario consequeretur, sed cum ægrotet, potest etiam a ratione suæ naturæ in hoc morbo discessisse, & pituitæ multum habere. C De loco autem putredinis huius humoris non est facile determinare. Cum verò non in medijs vasis sit, vt symptomatum lenitas, vt linguæ habitus, vt ventriculi bonus status, & in vasis ad eminentiores partes seu ambitum corporis pertinentibus esse necesse sit. In pluribus tamen locis id fieri est verisimile cum plura incrementa nanciscatur, nõ solum enim duplicis tertianæ modum seruat quotidie crescens, sed bis die id faciens quatuorque tertianis respondens in quatuor locis putrescere humorem denotat, & aliquem horum verò ad caput vergere deprænhenditur ex eo, quòd & capiti grauitas, & colli dolor adest, & sæpe sanguis e naribus eruptionem facit.

D In capite tamen nõ crediderim id fieri, quoniam neque in vasis sine offensa cerebri, neque in mẽbranis sine dolore & inflammatione maiori esse posset. Quomodo ex materia putrescat, fit ab obstructionibus factis maximè a materia ipsa, quæ crassa lenta & copiosa est. Præterea illa fieri etiam verisimile est a cutis angustia, si euidentes causas consideremus, nam ex maximo æstu hypocausti in subitum frigus se transtulit. Quibus sic sub aspectu constitutis quid subsit, & quid euenturum sit possumus cõsiderare. Nunc certe tantum virium est quantum morbum ferat, coctionis etiam indicia vires minus detrimenti habituras pollicentur, & posse ad sanitatem peruenire, morbo etiam non ita magno, quin E relatus ad vires videatur ab illis posse superari. Maxime quòd a præsidijs præstitis iam factum est, vt neque a sanguine metuamus, neque a cruditatibus ventriculi, hæ enim, si quæ fuissent, certe maxima ex parte detractæ & pharmaco datò essent, ipse verò sanguis sanguine potuisset periculum afferre, cũ humor putrescens in locis a medio corpore non valde remotis versetur, & ad media loca, vbi vis potior sanguinis est, facile adduci putredo sãguine ad loca concalfacta, & ad putredinem facile accurrente & vitium bilis nanciscente, & inde putredinem. Sub hac ergo spe præsidijs etiam subinde moliendis cõfirmata earum potionum, quæ calori, & putredini obsistant, quæ pituitã secent & abstergant quid amplius

plius

plius agendum pharmacum ne dandum ? aliudve præstandum ?

Dicunt VV.EE. concoctam esse materiam, & septima die naturam, illam non expulisse; ideò a Medico eam esse deturbandam, & naturam iuuandam intimius agentem. Dico ego, & si materia concocta non sit, vt mihi aliqua experientia eneorematũ vrinæ indicat, vt natura etiam morbi pituitosi, longius spatium expectans ad concoctionem, quod, cum sit hic pituita infesta, antequã ad summam coctionem perueniat, pharmacum omnino lene opportune dabitur. Nam Galenus in febribus pituitosis id facit cum ijs quæ mouent vrinas, atque etiam aluum. Cuius rei ratio non auctoritas me mouit, quoniam pituita nunquam adeò putrescit, quin sui partem plurimã relinquat, & illa per putredinem iam dictam tertij generis satis parata esse potest ad expulsionem, ac cum quotidie id fiat, sæpe potest, & deberet submoueri leni aliquo eam alliciente medicamento non solum per vrinas, per quam viam venæ vltra iecur facile purgantur, sed etiam per aluum, cum in pluribus locis putredo fit. Præterea pituita facile abundat, & quotidie à ventriculo subministratur, quare non est ab re, si placide, & sensim, ac sensim detrahatur, vt vt illa fit vt maturatur atque vt quotidie paratur. Quãdo verò id medicamentum dares, certe dies septima non præterijt, quoniam non die lunæ, sed die Martis ad vesperam munera cæpit non posse sustinere hominis bene valentis, quare nox insequens septima est. Tamen tum quia non expecto aliquem naturæ motum sequenti mane, tùm quia preterita hac septima nocte, cũ octo horis anteuertat, iam octaua dies aderat, ego medicamẽtum propinarẽ maxime, quoniam Lunę coitus, propinquus est, &, cum possumus, illius quoque ratio aliqua habenda. Medicamentum mihi esset, quod vires Absynthij, & longe præstabilius habet, nimirum Rhabarbarum dilutum cũ Diacatholicone, & Manna, ex quo faciles admodum purgationes habemus, neque ambigendum aut dubitãdum est, quod Manna à Neapolitanis prohibitum sit, quoniam quotidiana experientia docet, quam id præ alijs Medicamentis sit tutum facile & commodum. Ita vt non solum, quod è frondibus legitur, & in maximo precio est, sed quod vulgo penitus ventuto, oportunum experiamur. Ab eo neque attractionem multam, & pituitæ à ventriculo detersionem maximam habebimus, vt à Rhabarbaro cum bilis, tum illius pituitæ densiationem, quæ hæret in osculis venarum ipsius iecoris, vnde in purgationibus per Rhabarbarum factis obseruamus in extremis deiectionibus à Rhabarbaro proprie factis gluten quoddam crassum, & eruginis ferri colore infectum, qualem colorem pituita exustior, & affusa colore Rhabarbari potest præferre. Detracta deinde è ventriculo, & è venis prioribus pituita, & quæ sub præterita putredine reliqua facta est, postea reliqua erit parãda, & quæ in dies supererit à putredine per vrinas mouenda. At cur bilem non dicis ? cum tractabimus hoc modo pituitam, bilis quoque ad eius adustionẽ consequetur. Demus itaque prisanam cum saccharo, & incoctis petrosellini radicibus, quæ hactenus non potuit esse vtilis aut tutæ illæ radices vijs ita pituita infarctis, à vino tamen adhuc abstinerem, quoniam crassitudo humoris semper habet crudiores aliquas partes, quę à vino in aliquod membrum, & vias angustiores possent admodum inutiliter moueri. Potiones etiam matutinæ cum aliquantulo oxymellitis essent, & incoctis in aqua Betonica cicorea lupullis Melissa & similibus herbis, & præterea radicibus petrosellini vel fæniculi & Asparagorum. Clysteribus quoque ego altero quoque die naturæ manum darem ad materiæ dictæ febrilis reliquias detrudẽdas. Frictionibus leuioribus obstructiones remouerem,

A & cutis angustiam, quibus etiam concoctio iuuaretur, Contectum corpus seruarem, si frigidiori aere egere videatur, illum per os, non autem per cutẽ vellem admitti, & ita post maturationem materiæ maiorem aliud medicamentum darem, nam credo certe eo opus habebit & forte pluribus, nam morbus non tã cito soluetur quin vltra 20. dies pertranseat. Medicamentum fuit ex ʒ. 1. Rhabarbari infusi, & ʒ. 6. Diacatholicon & ℥. 2. Mannæ quod postquam duabus horis retinuisset euomuit cum multa pituita, deinde etiam tantum illius copiam deiecit, vt mirum sit visum, & postrema deiectione glutem illud crassum exustissimę bilis colore infectum. Exinde vrinæ eneorema lenius, & æquabilius habuerunt, & colore magis biliosum, neque ita spumosæ fuere. Lingua
B naturalem habitum recuperarat & carnes etiã suum caloris temperamentũ. De cuius mali exitu nescitur.

De eodem ad Medicos Mediolanenses.

CONSVLTATIO CCCCLIIII.

ILlustrissimus & Reuerendissimus D.D. Augustinus Cusanus ætate consistente, corporis natura calidiori, in reliquis superantia nõ multa habitu potius tenui, Thoracem etiam potius depresso, quam
C elato post egressum à conclaue quodam calidiori ægre habuit capitis grauitate, & dolore, die sequenti ad vesperam non potuit sese continere, quin decumberet ita & in quotidianis actionibus prohibitus & febre aperte arreptus fuit, ac quamuis mane sequenti domo processisset, incommodissime id egit, & in deliquium animi cecidit, à qua prima febris inuasione nunquam postea à febre relictus est, quæ quotidie post meridiem & etiam ad mediam noctẽ quandoque increscerer nullo frigore euidenti, imo vix compressione leui animaduersa cum caloris remissione, quæ Medicis quies febris & intermissio constantissime iudicata est. Noxa capitis in dies leuior facta, eneorema in vrinis satis plenum crassum, & asperum
D ijsdem medicis spem dedit ad septimam febrem discessuram, quoniam eneorema optimum illud iudicarunt, iam à principio leniens medicamentũ dederant, & sanguinẽ miserant per sectã venã valde spumosum, & phæniceũ, cum incrementis, semper caput quoque ægrius habebat, etsi non valde infestaretur vt primo & secundo febris die. Die 6. à prohibitis actionibus quotidianis numero dierum accepto extitit sudor tota ceruice & pectore, quæ dies Medicis vij. iudicata est, & quoniam febrem sudor non sustulit, de medicamento consultum est, vrinis etiam num aspero, & crasso eneoremate affectis, & colore non flauo, quoniam crassæ & minime lucidæ erant, sed intense russo. Admoniti de illis cruditatis notis, parui penderunt, faciliore tamen medicamento
E contenti fuerunt, quod incredibilem pituitæ copiã, & crassam admodum detraxisse affirmauit. Febris inde tamen eadem perseuerabat cum pulsu creberrimo, & a meridie elatiori, ante meridiem minus elato, carnibus asperis in eo homine, qui alioquin læuibus, & mollibus esse suapte natura videatur, Vrinæ post septimam, & post ipsum medicamentum meliores factæ sunt, minus crassæ minus coloratæ, minus spumosæ, & eneoromate magis albo, quin forsan nimis albo, quoniam pituitæ speciem habebat, nam crassitudinem adhuc retinebat, sed minus asperum, imò leue omnino videbatur vt iam demũ sperari posset ad 14. diem febrem finituram nisi 6. die sudor ille fuisset. Qui redijt quidem, & copiosior,

&

& duobus etiam diebus toto corpore, vt referunt, an A verò 12. an 13. non obseruatum suspicor.
Eo febrem sublatam esse acclamatum à Medicis & potestas assurgendi facta, & domo exeundi. Suspicione nobis maxima relicta ne febris adhuc lateret. Nam quamuis ea insignis fuisset, nunquam tamen eius sensui valde molesta extitit, etsi metuente interea, & anxium hominē redderet, ea suspicio in auersione à cibo, & in eo, quod minus virium corpus resumeret nitebatur, sunt qui etiam ex pulsu se id intellexisse mihi affirmēt & maxime ad vesperum 27. à prima inuasione die sub crepusculum fatētur male habuisse die 28. vehemēter febrijt, & id cum frigore extremorum incepisse quidam obseruarunt. Medicamentum leniens repetitum est ante 29. quod aluum valde facilem inuenit, & largissime eduxit, vsque ad B alteram diem, leniter tamen, & facili cum tolerantia, ea non fuit adeò lenta aut pituitosa, sed subruffo colore dissoluta & attrita, nihilominus febris penitus eadem est, alterno mane videtur remissior, tamē insignis tunc quoque est, carnibus non ita asperis, vt ab initio, crebriori tamen pulsu, neque admodum molli aut magno.

Cum recidit sputa erant abundantissima fere sine tussi & cibi fastidium, & labor maximus in eo sumendo, post medicamentum primo sputum imminutum est, deinde etiam cibi fastidium. Initio nullo sitis, quæ postea, vt fere fit subsequuta est, ante hoc postremum medicamētum somnia fuerunt placida, tamen ita somnus minus curabat. Post medicamentum duabus noctibus illis somnis caruit 32. nocte illis fuit de C tentus, & minus quieuit, quæ etiam (cum diebus quatuor præteritis tussi fuisset ex interuallis longis exagitatus illaq; quieuisset) sanguinis aliquid spuit post aliquam tussis renouatam exagitationem, nulla tamen spiritus angustia, qui sanguis per noctem non potuit a Medicis obseruari, an tussiendo, an excreando modo eiectus sit, non certe molestior fuit, & anxietudo quædam a cæna eum habuit, & tussis redijt, & mane etiam peius se habere sensit, & pulsus maiorem febrem indicauit quam præcedēti mane fuisset. Sputa sanguinis in panno lineo inciderant, a quo absorpta etiam sunt, vt potuerunt tamē cognosci spumosa, & pituitosa, & colore diluto in puniceum vergente, vt si recentia fuissent, colorem D floridum forsan prę se tulissent. Corpus quidem sanguinis, quod pituitam inficiebat tenue & aquosum potuit iudicari. Eadem nocte aluus sponte soluta est & liquidior fuit, subruffa, attritaque vix quidquā glutinosi habens, non tamen adeò aspera, vt cruditatem præseferret. Post medicamentum syrupi parantes crassum humorem, & viscera ac caput respicientes dantur, & tussis ac febris causa ptisana exhibetur, saccharum rosaceum identidem in ore habetur & ventriculus fomentis iuuatur. Balnea aquæ tepidæ ea quam vtilia proferuntur sed non dum adhibita sunt. Sanguis sputum e gingiuis Medici emanasse sperant, pulmonis tamen eum esse multæ notæ indicant. Sed de eo obseruando, dum spuitur, admonitio diligens habita est, cum sic iudicium cer- E tius fiet.

Quæ rogatus ita descripsi, vt potui, quando non assidue neque nisi per longa dierum interualla eum mihi contigit. Scriptum 14. Calen. Augusti, die Veneris Anno 1585.

Christophorus Guarinonius Fontanus.

De suppressione vrinæ cum 10. Medicis Romæ pro Illustrissimo Cardinali Sirleto.

CONSVLTATIO CCCCLV.

Difficillimum profecto hoc negotium est, non solum curationis causa sed cognitionis quoq; quæ eo magis sit obscura, quo sententiæ vestræ valde discordes intelligūtur, Ab ijs quæ certissima sunt ego exordiar. Vrinæ suppressio conspicua est, qua nihil lotij penitus nisi per cathetere emitti potest, idque crassum, coloratum, & prauum, quod sæpe vncias duas, interdum quatuor non excedit. Conspicuus est tumor durus saltem tensione in aluo infima ad pubem, qui sub pubem etiam ingredi videtur, cōspicua tandem febris est, in vrinæ suppressione illud potest animaduerti, quòd quamquam etiam 12. horæ interualli habuerit, nunquam tamen emittitur quam quantum est dictum, & quantum minori spatio interiecto faciat, & quòd nil amplius mereretur antequam suppressio consisteret, tunc enim quoque multo tēpore sic habuit, vt paulum, & crebro emitteret, qua quidem crebritate tantus vrinæ modus esset, quantus omnino potionis modum superaret. Hoc vero etiā præcipuum narrauit. Aeger Illustrissimus quòd cum aluum esset exoneraturus, tunc nisi postquam aluus descendisset, mingere posset, vt excretionem alui tunc minctio semper expectaret, quā postea sequeretur.

Neque illud est prætereundum, quòd non solum nihil potest mingere, sed nihil penitus, aut certe parum cupiditatē mingendi sentit quamquam ad pondus graue percipit. De tumore potuistis obseruare, quòd nō tam durus, quam tensus videtur, quòd medium inferiorem ventrem occupat, idque non ad lienem, sed ad os ilij sinistri parum inclinat quamuis in id latus etiam propendent, in quod corpus conuertitur, quòd magnus est adeò, vt si alte illum manu sequamur, magnitudinem plenæ vesicæ præseferat, certe pueri caput 5. annorum seu eius magnitudinem exæquat. Figuram verò penitus vesicæ suppressam, cuius pars angustior sub pubis os ingrediatur, & firmior hæreat, reliquò corpore non ita hærēte, quin intra abdomen mutare & vt dixi, inclinare sentiatur. Tumor compressus non dolet, sub compressione tamen sensum appetitionis mingendi cum quadam glandis, seu penis molestia mouet. Iam integrum annum ab ipso ægroto tumor animaduertitur, & inde semper increscere, cuius tensio semper infra, & deorsum magis deuenit, vt nunc intra, seu sub os pubis subire sentiatur. Febris modo non nisi tertia die a perfecta vrinæ suppressione percepta a Medicis est, continua tamē videtur, certe nullius accessionis notam præsefert; Carnes tamen parum calētes sunt, pulsus nōn ita magnus, certe creber. De qua febre primo me expediam, dicamque quòd quamquam symptomatica dicenda est, quoniam tamen confluxum humorum ad locum primitus affectum sequitur, qui sua copia sibi meatus obstruunt, & æstuantes putrescunt, putrida habenda est, a qua præter alia incommoda, & vitæ periculum maximū impendat, atque in curatione maxime spectanda sit, ne augeatur, potius leuior fiat, Quia tamen ipsa ex detentione vrinæ nascitur, propterea consilium primum ad tollenda vrinæ impedimenta dirigi debebit. Videamus ergo vrinæ suppressæ causam. Vrina non procedit aut quia collum vesicæ occlusum est, aut

aut quia vesica non excernit, & hoc aut quia nō habet, quod excernat, aut quia habens excernere non potest viribus suis destituta quibus si comprimendo vrinam exprimat. Per cathetere parum & crassum emisit, ergo aliquo incidente crasso humore exitus prohibetur, aut ipsa parum habuit, quod excerneret, quod se ipsa tamen emittere non valeret, at parum habuisse, aut habere credibile non est, quoniam & vesica tumet, amplámque cauitatem habere debet, & vrina educta crassissima non posset vesicam ingredi, nisi viæ satis paterent. Vrinam ergo multā contineri in vesica, aut illam, quam paucam exire vidimus, non solam intus esse, sed cum multo humore crasso, cuius indicia in foraminibus catheteris essent animaduertenda, cuius suspicionem facit ipsa vrinæ crassitudo, quæ quamquam in renibus & venis causam habet, quoties quod crassum habet non facile ab illa separatur sed habitu eius insitum est, tamen diutius in vesica manens semper aliquid relinquit crassitudinis.

Vnde ego vidi vesicas sæpe humore crassissimo refertas, qui butyri speciem haberet. Completa ergo vesica einsmodi humore, aut simili crassitudine parum vrinæ poterit recipere, illudque minime excernere, aut quia eo humore ad os relabente obstipetur, aut quia etiam ipsa vesica male nutrita & obdurata comprimere se se nequeat ad excernendum ore eius concidente ob eandem malam nutritionem. Malum alimentum reddit, vt Galenus obseruauit corpus tamquam Polypi aut loliginis, sæpe, quod ego vidi factum in huiusmodi casubus in senectute, & tunicę vesicæ potius coria alba repræsentarent, vidi etiam idem ventriculis accidisse in ijs, qui pube essent conscripti, & tum dura effecta membrana riguisse vt testacei viderentur. Vidi idem membranis cerebri euenisse in eo qui ex Gallico maximis capitis doloribus cruciatus fuisset, & reprimentibus remedijs semper vsus esset, tandem esset lethargo extinctus cerebro sanie referto. Certe pars membranæ duræ sub tempore canceri testam referebat.

Cur ergo tactui aliquātò nimis resistat forma illa vesicæ, & rigidum corpus præseferat, possum intelligere vesicam eum habitum contraxisse, & penderet potius in alterum latus, quoniam in eo crassitudo & durities superet, & ad se vesicam inclinet, forsan etiā quod eius lateris ligamenta, quę quamquam non ita multa in homine vt in cane sunt, tamen tanta sunt vt infarctu maiore breuiora facta vesicam in suum latus deflexam teneant. Ergo parum vrinæ vesica recipiat, quod repleta sit eius cauitas, alioquin nō parua vt ex eius mole intelligitur, ac quod parum recipit non potest excernere, vt prius excernebat & crebro, vt vt receptum se complebat, quoniam nunc se se contrahere nō possit tum rigore sui corporis, tum virium eius male nutriti infirmitate, & extinctione ob extremam δυσκρασίαν quod etiam ijsdē causis os vesicæ cōsiderit, aut quod humor ille crassus grauior factus ad os ipsum delapsus illud obturet, nec nisi cathetere reiectus egressum aliquem vrinæ permittat. Os vesicæ vna cum ipsa naturam suam hoc est temperamentum amisisse illud indicium summum est, quod vrina sui sensum ei non facit præter grauitatis, cuius sensus ad continentes potius partes videtur hic referendus, non esse vero acrem huiusmodi vrinam certe fieri nequeat, quæ tam infecta, tam malis humoribus affecta retineatur, in quibus profecto, pituitam salsedinem habere videtur necessarium, in sene maxime in quo motus sui tarditate non potest non à sicco calore salsa fieri. Facultates ergo vna cū suo temperamento vesica amittit non solum similares dictas, sed organicas, maxime expellēdi vrinam, attrahendi non dicam, cum Galenus vesicæ vim attrahendi organicam non det, quamquam rectas fi-

A bras omnino dat, quæ in eum vsum factæ ab ipso proferuntur. Itaque paulatim etiam malum ad hoc extremum deuenit, & iam diu cum cœpisset parum mingere, & crebro sine vllo vrinę morsu, tandem nō solum paucæ vrinæ vesica capax est, sed eam etiam minime emittere iam potest.

Cum mingere poterat tarde tamen & cum mora ob debilitatem id faciebat, ideò instante alui descensu, aluus semper prior procedebat, cum contra fere sanis eueniat, nam vrina suo liquore facilius exprimitur, neque verò id ei eueniebat, quod non irritaretur vesica, nam tunc præterea etiam maxime ad minctum incitabantur sensu adhuc integro eius partis. Vesica itaque descensum alui expectabat, quo vrgeretur ipsa & ad sui compressionem iuuaretur.

B Hæc mihi videtur esse huius morbi ratio, in qua crassitudinis vrinæ causa ad venas quidem & Renes esset referenda, & multa de ea disquirenda, sed quoniam vrget proximum meiendi incommodum, in id vrgere debemus nunc, si superesset postea facultas de curatione totius corporis esset tractandum. Incommodum itaque hoc dicta ratione allatum mihi videtur, neque possum credere tumorem illum in musculis esse, minus intra illos, nam figuram, & situ vesicæ seruat, hæret sub pube intra ipsam ibi tenuior, superius latior, pleniorq; nutat, vt vesica, & in latera inclinatur, vt vt corpus cōuersum in latus hoc, vel alterum est, altam internamque sedem illam tumor musculorum non teneret, intus non nutaret in C hoc, & alterum latus, figuram verò musculorum necessario retineret, vt Galenus exposuit. Certe quacunque in parte essent tumor extra peritonæum nūquam tam alte descenderet in cauitatem abdominis minus tam solutus esset in ea, vt liber huc, illuc per conuersionem volueretur. Vidi ego tunicam à peritoneo 15. dierum spatio mirabiliter dilatatam, vt saccharum preseferret, nam corrupto Rene & in flatum consumpto tunica in amplissimam molem erat distenta, at esto id fecerit tumore intra musculos introrsum tunicam hanc propellente, adhuc tamen tumor circum vndiquaque connexus non nutaret. Sed vt hic sub pubem tantum hæret, ipse circumquaque contineretur. Vidi tumores intra abdomen dorso hærentes prope pancreas pultem, aut sebum referētes, contectos petilongo & penitus affectos, sed is D certe vesicā præsefert omnibus notis. Quomodo autem membranæ vesicæ crassam adeo materiam receperint, cum densæ sint, tenuioribus tantum humoribus excipiendis opportunæ videantur, idque sine dolore fecerint ego non video esse difficile excogitare, nam viæ alimenti, quod pituita membranis est, sunt etiam apertæ humori, quod sub specie alimenti accedit, & vt alimentum spiritu fusum, & in vaporis habitum extenuatum, ac tamquam res accedit idem etiam potest facere pituita dum liquidior est, & calore extenuatior, quæ cum partem ingressa est, dum moram ibi trahit calore amisso concrescit, & humorem, seu liquorem etiam amittit, & paulatim siccatur male alendo, & tandem adeò arescit assistentiū parE tium calore, vt quamquam alba maneat, sine tamen temperie sicca, & frigida ad humorem melancholicum sit referenda, & scirrhosam partem factam melancholico genere dicere possimus. Non credo ego nouum me dicere quod duo genera tumorum etiam in melancholico hoc visuntur, vnum quo humor aliquo in sinu & in partibus hiantibus colligitur in cumulū, & tumorem proprium, ac finibus proprijs circumscriptum. Alterum quo nullis finibus, nisi ipsius membri, aut partis tumentis circumscriptus humor tota parte fusus est, illamque ipsam tamquam malum alimentum malo habitu afficit, vt in anasarca, & elephantiasi, in hoc postremo genere hunc vesicæ tumorem iam credo ex dictis vos videre iam esse collo-

collocandum, cuius exempla vt dixi vidi in ventriculo, in vesica, & in cerebri membranis.

Neque relatio chirurgi propterea potest me ab opinione mea deterrere, quòd ipse digito vesicam per podicem tentarit, & tumorem non perceperit, quoniam huiusmodi genus non circumscriptum tot intercedentibus tunicis, & musculi carnibus non potest dignosci digito.

Minus difficile est materiam hanc colligi tam crudam in sene aridioris generis, & frigefacti, studijs literarum semper occupato, semperque in lecto iacente, & in pectus vrgente dum libro genibus sustentato intentus continenter laborat legendo, aut scriptitando. Præsertim quòd nunquam non pleno cibo vsus sit.

B Atcur dolor nunquam extitit humore tam crasso tunicas ingrediente? iam causa patet ex supradictis, nam materia humida, & sensim ingrediens alimenti specie dolorem non parit, & postquam sensum abstulit sua intemperie longe minus mirum est, si quamquam distendit maxime, tamen dolorem non inferat. His ergo ita propositis, & sub oculos constitutis, quid est cur Renes accusetis? certe crassitudines vrinæ in causa sunt, & tamquam remota causa, etiam retentionis, at cur damnatis tamquam qui vrinam intra se retineant, seu supra se ingruentem non alliciant? Quid est cur cataplasmata lumbis & contra Renes adhibeatis, diureticaque valentissima propinetis, vt puluerem ex erysimo, & huiusmodi generis? quid est cur ab empirio persuasum habeatis, & certum nobis sit, dandum esse extractum e cantharidibus? ita ne verò placet vt Renes lotio compleantur, in vesicam eum compellant, in quam neque ingredi, neque ea spe potest vt excernatur? vt Renes remediorum calore irritētur, inflammētur, & obruti humore etiam putredinem comprehendant? Vidi ego ijs remedijs vesica impedita datis vasa vrinalia tam distenta confluxu humoris fuisse vt intestinum crassum exæquarent, Cantharides vero non modo lotium sed sanguinem e venis euocabunt.

Ego certe ea remedia deligerem quæ nullo pacto Renes excruciarent, minus lotium ad eos per vim importune impellerent, Sed quæ tam necessariam vrinæ excretionem molirentur, cathetere semper, cum nil aliud potest, repetito, & discussionem materiæ, & tumoris vesicæ procurarem, & virium illius ac temperamenti restitutionē. Vbi vrinam quidem quotidie per cathetere exhauriemus, at reliqua præstare nequaquam posse nos confido.

Habemus quidem in memoria multos, qui cuiuscunque ætatis à retentione vrinæ fuere liberati, sed morbum non symptoma spectemus, certe tumor explicatus insanabilis censendus est, symptomatis igitur remotio necessaria vitæ quotidie procuranda, & vita producenda est, cum qua diuturnior etiam cruciatus fiet morbo tota vita duraturo. Si ea adhibeamus, quæ vrinam e Renibus in vesicam monēt, profecto vitam citius finiemus vna & cruciatum, itaque diuretica cauenda essent, & quæ liquorem afferunt, vt multa quę videātur vrinam mouere quale Rapum est.

Manerem ego itaque in ijs, quæ vesicam emolliunt, & confirmant exterius adhibendis ad perinęū & pubem, vt balnea fomenta, cataplasmata & inunctiones, neque vt solo cathetere metuerem tanto Magistro adhibito. Clamant sui vrinam mouentia esse exhibenda, nos consilium dare conueniens debemus. si sui imperio vti velint, vtantur, malia ego in me culpam mortis falso reijcerent, quam cum laude etiam præstare mortis causam. Dixi.

Cardinalem ęgrotum quidam Cardinalis qui fuerat Medicus, inuisens tentato ventre tumorem illum nullo pacto vesicam esse affirmauit, sed esse antiquum tumorem in musculis concretum, itaque omnes Medicos secum habuit, nimirum illos quoque qui rationibus meis fuerant persuasi vt decreuissem non amplius accedere ad ægrotum, & fecissem, nisi miser ægrotus me appellasset sæpe, & per nuncium sæpe accersiuisset.

Quodam itaque mane Cardinalem Medicum habui obuium cum accederem, qui alacriter nunciauit extractum cantharidarum fuisse propinatum & aliquid paulo post minxisse, & me non debere sententiam meam tam firmiter tenere. Eodem die post exiguum illud vrinæ, & quidem sordidæ maximus ille Cardinalis, & sanctus Vir obijt. Mitto internuncium vt referat an aperturi sint Medici cadauer vt consueuit Romæ, renunciat Medicos affirmasse, quod non sunt aperturi cadauer. Die sequenti rumor fuit apertum fuisse cadauer & Medici vario modo historiam repertorum referre, & aulas omnes sermonibus complere, Nepotes demortui multos post dies cum iam funere liberi visitarent Cardinales historiam iustam narrantes admirationem peperere, & ijs maxime Cardinalibus gratam, qui à me acceperant antea sententiam. In his fuit Cardinalis Matthæus tunc Cameræ Auditor, quem paulo ante curaram, fecit vero etiam vt legerem Chirurgi testificationem qui cadauer aperuerat, & cum remisissem scripturam, iterum ad illam remisit ipse & iussit, vt apud me eam haberem quæ est huiusmodi.

C In dissectione Illustrissimi & Reuerendissimi Cardinalis Sirleti vidimus primum in Torace cor & ipsius capsulam bene sese habere, pulmones verò ad liuorem tendentes & aliquātulum nigricantes hinc inde.

Secundo in abdomine conspeximus omnes musculos epar mesenteriū ventriculum intestina flatu tamen plena, nec non & Renem dextrum vena cum suo vase tum seminali tum vrinacio, suum naturalem statum seruare, sinistrum verò esse inflammatum vna cum suo vase vreteri plenumque materia cruenta paulo tenuiori sanguine, crassiori verò ipso lotio D Vesica & ipsa eadem materia plena erat eiusque mēbranæ imbibitę ita vt vnius medij digiti, crassitiem fere attingerent inflammationeque affici viderentur orificium ceruicij vesicæ nullam affectionē pati manifeste visum est, siquidē vnius prope digiti ingressum admittebat coloremque suum naturalem seruabat.

Antonius m. Ross. hæc adnotabat.

De alui fluore pro Illustrissimo Duce Principis Bisiniani filio: Ad eius Medicum Neapolim.

CONSVLTATIO CCCCLVI.

Excellentissime Vir.

E Princeps noster Excellentissimus ostendit mihi litteras tuas de valetudine Illustrissimi Ducis filij, & iussit, vt mea sententia aliquid tibi per litteras significarem: ex ijs ergo quæ scribis, id iudicij feci. Materiam quam excernit molestiam summam afferre naturæ, quòd antea diu collecta, postea vero ab obstructione, putredine & febre concalfacta sit, & sic creberrime expelli vt vt ad summum vitij & molestiæ perducitur calore nun-

quam non agente putredinem ac exustionem id mō liente.

Sic nōn materiam retinendam, neque crebritatem deiectionum augendam viribus infestam, sed à vitio potius materiam sustinendam, in quod per calorem delabitur, & corrigendam etiam cum vitium contraxit & quæ corrigi non potest semel aut iterum detrahendam. Viscera interea vt intestina confirmanda ita calorem esse mitigandum, putredinem inde nascentem compescendam, & irritationem ad intestina pertinentem cohibendam. Irritationem dilutionibus intestinorum iniecto lacte, ad confirmāda præterea intestina oleo rosaceo admixto, ad dolorem leniendum aliqua pinguedine in eodem dissoluta possunt cum quibus etiam pulueres terræ sigillatę, vel boli armeni, vel cornu cerui possunt vtiliter coniungi, ad intestinorum offensam remouendā quorum iniectiones adhibita vesica scriptorio calamo vel ex osse perpolito premunita faciliores videntur, Caloris mitigatio & putredinis cohibitio aquis per destillationem ad balneum mane factum expressis valde opportune fit quoniam minus abhorrentur.

B Exprimantur verò ex acetosæ herba ac seminibus ex trifolio acetoso violis, & cicoreo ex portulacę itē herba & seminibus ex coriandro delphinio, plantagine, pimpinella, capillo veneris, his adiunctum vinū malorū punicorum acetosorum valde idoneū videretur ad gratiam etiam gustui conciliandum maxime quoniam si posset, quod necessarium foret aliquid Rhabarbari in ea potione macerari, eius infestum saporem occultaret, Rhabarbarū enim prçter viscerum robor quod affert, hærentem quoque materiam, qua diu sustentatur intemperies, & malorum humorum generatio euellit. Hæc & alia eiusmodi in potionem quotidianam adhiberi deberent, extrinsecus verò iecori vnguentum santalinum, succus cicorei ex aceto, & similia essent danda, ventri autem emplastrum Diaphænicon, aut quid simile. Dorso quoque illitiones ex sebo hircino cum oleo rosaceo aut alia re, quæ vobis videatur, neque enim mihi sunt vulgata recensenda. Sed consilium tantum meum quo dirigatur, exponendum. Vale amice optime, & doctissime prid. non. Octobris 1585.

Christph. Guarinonius.

Hoc consilio per nouum medicum aduocatum contra aliorum opinionem, qui adstringendæ aluo vacabant, comprobato, curatus fuit infantulus.

Pro D. Philippo Mussoto Rheumatico; & Nephicico cum Excellente Thoma Vaniuo Medico Pontificio Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLVII.

Qvamquam tua Excellentia rem omnem optime explicauit, & curationem rectam instituit, ego non desistam, quia capita saltem repetendo eadem percurram, iterum enim & vario lumine tractata magis fient clara, & promptiora ad exequendum, & tu quoniam iudicium meum expectas, fidentius rem procurabis.

De natura huius corporis id mihi iudicij est, ad calidum & humidum vergere, vt carnium mollis habitus, & color albus significant, quamuis enim carnibus nō abundet, id & quoniam dissolubile est cor- A pus, & quoniam coctiones sanguinis non suppetunt tantum illius, quantum dissoluitur sic vsu vitæ aulico laborum maxime animi & tedij pleno cogente, & ventriculo præcipue male habente, & certe hoc nouum non est, cum quotidie multa corpora mollissima, & candidissima male nutrita cernamus mollitie nunquam non humiditatem superantem denotante.

Caput verò in primis calidum, & humidum coniicio, quoniam cum calorem præseferat oculorum habitu, & celeritate ingenij, caluum tamen non est, neque pilis nutrimentum non suggerit.

Iecori ego tantum caloris culpam non attribuerem, quātum cordi, quoniam sanguinem crassiorem iecur calidius redderet, & colorem minus album, B Renibus potius maiorem calorem concederem, quoniam ei fere ex calore molesti fuere, & irritationem in venerem per vasa seminalia magnam semper attulerunt quod verò facit maxime sinister ren, prope quem vas seminale oritur & in eū quidem vsum, vt materia per vas illud delapsa acrem vel salsam quandam vim à natura renis acciperet & irritationem ac voluptatem semini inferret.

Atque hæc de natura corporis, quæ per ipsam ætatem sexagenariam, per vitæ modum ad congestionem quandam excrementorum deducta est. Ventriculo, cibis cuiusque generis & copiæ, studijs cum anxietudine & curis labefactato, nam cum non belle concoquit, crudum humorem sibi congerit, à quo C præsente refrigeratur, & plus crudorum humorum semper sibi comparat.

Capite verò, in quo cerebrum pituitoso sanguine alitur (vnde, quo facilius sua crassitudine penetraret & ea liquata posset fusus dilabi, & in omnes partes diuidi, vasa venarum cum arteriarum vasis eadem facta sunt, quo à spirituoso sanguine crassus, & pituitosus efferetur) capite inquam suapte vi calidiori necessario plus alimenti pituitosi sursum attractum est, quam esset necesse, & eo magis, quo sanguis male coctus, & pituitosus, & crudus esset, secunda coctione non corrigente vitium primæ, capitis vasa à materia superuacua, & frigidiori affecta sunt & non sui caloris iustam remissionem, & temperamentum acquisiere, sed dyscrasiam illam inæ- D qualem, quæ habitu suo partim calorem suum maiorem retinerent, partim verò frigus à pituitoso alimento exciperet & sic male alerentur recrementaque pituitosa congererent, quæ partim per easdem vias, per quas ascenderat materia hoc est per venas relaberentur, alimento superuacua & venas replentia, partim per corpus cerebri tractata, & alimento eius excedentia per palatum, & nares excernerētur, partim in halitum expressa, & eo habitu membranarum densitatem superantia, deinde earum frigore rursus concretiorem habitum recipientia secundum neruos, & membranas in ambitum corporis, & ad artus demitterentur, vnde ischiadici & ossis sacri dolores, & sæpe totius dorsi facti sunt.

E Quæ etiam pituita per palatum deflueret sæpe & assidue per quietem, & somnum in ventriculum latenter deuorata deflueret, & operam si rependeret, vt ipse postea magis pituitosi posset sanguinis in causa esse, & capitis acceptam pituitam reddere, non quidem per æsophagum, per quem illam accipit, per quem non tam facile ascendit in caput pituita etiam sub vaporis specie vt à capite descendit facta pituita, cui descensus non retineatur, vt ascensus, quando in os progressus humor aut vapor vias latas, faciliores expuitiones habet neque ita facile in colatorium penetrat ascendendo, vt necesse est in æsophagum delabatur descendendo qua in re si valet Galeni ratio contra Aristotelem de septo osseo sub cerebrum posito quo refri-

frigeratio cordis à cerebro cordi expetita impediatur, cur idem septum quod prohibet descensum frigoris non impediet ascensum vaporis potius? ergo pituita ascendens aut in ventriculum reuoluetur, aut ex ore effluet. Vnde cum ponimus caput repleri vitio ventriculi, id per arterias per venasque potius, quam per esophagum fieri debemus existimare.

Quæ tandem materia in venis versatur siue à ventriculi opera suppeditata, siue à vasis capitis relata, facile cum sanguinis sero, & suo maxime ad Renes adducebatur, & cum illi calidiores extiterint attrahi valentius potuit, quibus idem euenit dyscrasias inæqualis quod capiti, vt dictum est, Calidi enim suapte vi, & vsu viuendi (præsertim quo sæpe prandia differuntur, quoniam tunc secum acrius B & calidius per eos permeat) quando pituitam, & crudum humorem sentiunt, non possunt non infici illius frigore, & ita male affecti male nutriri, & crudum recrementum sibi colligere, & quandoque calculos generare, fere autem, quod cernimus, lotia crassa & turbata emittere, quæ, cum etiam sanguinem educere interdum videamus, non venam ruptam, quoniam id continuum esset, sed vlcus, & item lapidem subesse in Renibus mihi faciunt suspicionem, dorsi enim dolor, & si ad os sacrum pertineat, tum consensione in eum locum potest intendi, & ibi etiam maior esse, quoniam acrioris sensus ille locus est.

Maxime aût dolor ille antrorsum etiam vergit, & crassitudini vrinarum facile pus immixtum occultatur. Quibus rebus mirum non est, si interdum febris adiungatur, nam tanta pituitæ copia in venis C versante facile fit, vt præsertim doloribus attracta incidat in angustiores venas, & ibi obstipata & feruore doloris concitata ferueat, putrescatque.

Et vel solum calorem cum corde communicando, vt in ephemeris fit, vel etiam vapores putridos, vt in putridis, quæ pro maiori & minori putredinis copia pro maiori, & minori distantia à corde fit.

Iam videtur status omnis huius corporis expositus, in quo priores partes habet pituitæ copia, deinde sunt duæ dyscrasiæ altera calida in habitibus, altera frigidior ob pituitæ præsentiam, ita vt sperare possimus quòd ablata pituita partes & se in suum sta D tũ possint colligere: Tertia est calculi suspicio. Quid verò ex his metuendum sit non est difficile prospicere, nam ex febre nisi curetur possent humores exuri, & mille pericula vitæ inferri. Restat igitur nobis procurandum vt pituita detrahatur exsiccetúrque penitus, & vti caliditas partium emendetur calculus ipse extrudatur, quę res certe remedia multa possunt habere, vt multa possunt confici arte nostra.

Remedia verò eius generis fuerint, & ordinanda etiam sic erunt, vt primum medium corpus, & cauitates viscerum expurgent, deinde partes eminentiores. Et ambitum corporis eo malo humore exhauriant: præsertim sudoribus & vna calculum expellant. Medio corpori primum mel rosaceum solut. ad ℥. 2. manna ad ℥. 1. s. cum facile moueatur E venter ex decocto pectorali darem, quo medicamẽto pituita à ventriculo detergeretur, postea syrupum de betonica cum melle rosaceo & syrupo acetoso, nam de sanguinis missione non cogitarem, quoniam magnus morbus nunc non est, minus dum curetur, magnus expectatur; neque ei à sanguine propterea est metuendum vt sub magnis remedijs dandis sæpe à sanguine metus imminet, hic abstinentia prægressa eum metum nobis adimit & ætas etiam, ad extremum: ego, cum viderem Renum calorem manere sanguinem per hæmorrhoidas euocarem. Post effectum per syrupos apparatum, Medicamentum exhiberem ex eodem melle rosaceo, & manna adiecto diaphœnicone ad ℥. 3. & in decocto cordiali ℥. 1. agarici, & ℥. 2. senæ & ℈. 4. cinnamomi. Quo si satis præstitum viderem expurgationi viscerum ad sudores transirem, sin minus repeterem, per sudores vero corpus purgarem potionibus vel chinæ, vel salsæ pariliæ, vel Guaiaci, quorum delectus & examen ad id fieret à me, vt potio fieret sudorifica, exsiccans viscera, & venas, nimirum humores absumens, effundensque, sed viscera etiam confirmans; neque valde calfaciens, & quoniam chinæ lectioris nobis multa copia nõ est, quamquam amicior naturę videtur, in locum eius ego potius salsam pariliam vt neruis aptiorem & valentiorem deligerem, quæ calorem non præfert, quæ summopere extenuans & exsiccans, & effundens est, quod experimẽtis assiduis nobis compertissimum est, quando verò nihil colligentis viscera habet, vt illa semper requirunt, id verò in Guaiaco est, illud cum ea componerem, non equidem Guaiacum ei præferrem ob id quoniam calidius mihi videtur, sed aliquid eius cum salsa componerem, quantum ventriculo, & iecori confirmandis esset satis; atque ni sub ijs potionibus præstitum fuerit satis, ego accederem ad potiones pimpinellæ vel solius, vel cum salsa admixtæ, quam video exsiccatissimam, extenuatissimam valde incisiuam, & colligentem viscera, vnde etiam sanguinem mirabiliter illius aqua sistit: erunt præterea conseruæ ex betonica, & rosis maxime idoneæ post eiusmodi expurgationes ad reuocandas partes corporis ad suam puritatem & naturæ vim.

Atque quoniam tempus exordiendi hanc curationem videtur à febre pendere, ego febrem nihil existimo habere impedimenti, quin medicamentis propositis ad purgandum corpus vtamur, quibus nisi febris tollatur, quod minime timeo, consilium in arena capi poterit, sed certe tolletur, & cursum propositum tenere poterimus, cuius febris causa, vt etiam destillationis nos à vino abstinere eum iubebimus & aquam coriandrorum sufficiemus.

A primo medicamento febris lenior facta est, ab apparatu syrupis præstito dolores valentiores facti toto fere corpore cruribus, dorso & pectore, quia Theriaca, leuati sunt, Medicamento exhibito altero fęces meliores factæ sunt, quæ putridum humorem exustum habere & molle inceperant. Medici iam multi vocati nescio quo pacto timentes vinum large exhibuerunt vsque ad maluaticum sic cum leuius habuisset incidit exustum profluuium ventris, quo extinctus est tunc, cum Medici melius habere crederentur.

Pro Olimpia Illustrissima uxore Fabricij Narij laborante febre perniciosa cum Thoma Vaninio, cum Paduanio, & Aurelio Stannio, Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLVIII.

ERVBESCO Viri optimi nunc mihi esse habendum longum sermonem de re, in qua angustissima pauca fieri possunt; cum enim ipsa Medici contemplatio ad faciendum referatur, non videtur hæc deliberatio multa verba posse habere, multa tamen facienda verba sunt, propterea, quòd postremo loco mihi dicturo audita ex vobis multa

multa sunt, quæ in tã periculosa re non possum non A improbare, Breui tamen via vtar, & sententiã meam suis cum rationibus dicam, qua firmata, quæ contraria fuerint satis infirma credo iudicabuntur. Quæ constant hæc sunt, ætas iuuentutis, natura calida & humida, defectus mensium, itinera insolita, & ratio victus minus bona, Febris putrida quadruplicis tertianæ modo increscens non multi caloris notha, seu spuria habens cum compressionibus vix aliquid frigoris, cum sensuum internorum omnium hebetudine, & de externis etiam ipsius auditus, cum errore mentis cum vigilijs ad somni propensionem adiunctis, quæ si recte rationem habui ego, at non 27. sed 26. tantum diem iam attigit, solutamque aluum non 13. sed 12. habuisse mihi videtur, errore in diebus numerandis perspecto. Aluus cruda liquidaque est, B & rarò quidquid concoctæ fæcis continet, spiritus angustus & exiguus, pulsus parui crebrique ex octo crebritatis pulsuum gradibus ad 6. accedentes, parui tensi hora incrementi, & qua conuulsionibus tentatur magis, alijs.n. horis potius tremore qui delirij præuius comes est tentatur, Vrinæ crassæ fere & crudæ, ac pituitosæ aliquæ minus crassæ sed illæ exustæ. Ex ijs intelligo aliqua, quæ minus aperta sunt, non solum quod materia pituitosa mole sua est, sed quòd vires tam occupat, & humores omnes feruens liquat putredine sua non ad maturitatem, sed ac corruptionem propriæ ipsius putredinis finem accedente, ex parte etiam ad exustionem, quod humores quocunque à sanguine per calorem suum expressos dissoluit qui per aluum delabunt potius quam à natura C deijciantur, sanguis enim non potest non à tanto calore affici, & partim crassior, partim aquosior fieri, pituita vero maxime eliquari, qui humores potius per vrinas exirent, nisi à iecore per æstum suum attraherentur à quibus male habet. Verum cur in primis 12. diebus hæc non fuere, sed expresse à die 16. vel 17. vt vos meditabimini quoniam pituita suam putredinem ad tantam virolentiam non potuit prius perducere, cum humor benignus, & frigidus sit, vt in vulneribus cerebri sæpe non nisi post 13. & 17. diem putrescat. Locus verò putredinis est cum vniuersum genus neruosum, tum maxime id quod vterum amplectitur, inde suis fumis ad pectoris partes pertingens, prius tamen ad iecur, fumosque & ichores aeres ac aridos ad membranas effundi suspicio D est vteri maxime atque etiam prope cor, eo quòd tensio fiat, & quædam durities in pulsu, fundi quoque in corpus cerebri potius quam in tunica nunc, cum caput non dolet, cum dolebat in tunicas potius dolorem sane esse aliquem non solum in vtero qui forsan etiam inflammatur. Sed intra Thoracem propter illas fuligines credo, ex quo spiritus exiguus per anhelitum adducatur, & celeriter exprimere verba cogatur, non infirmitate virium qua vox acutior fieret, non grauior quam consueuerit, qualis fit nunc, credo etiam dolorem ipsam non sentire, quoniam mens ægrotat.

Quibus sic propositis certe metus mortis est quoniam materia cruda est & in morbo penitus salubri E adhuc in principio versaremur, viribus ergo infirmis maximum est vitæ dubium nisi ratione ætatis viscera, quæ paulatim se se exonerant eo protrahant, vt materia imminuta eandem coctionem eius aggrediantur.

Sic enim Symptomaticæ excretiones quandoque in iuuenibus prosunt. Vbi ego nequaquam à capite timorem sed à corde vt proxime vitam continente, & febre affecto, ab vtero vero vt morbi fundamẽtum habente & inde à iecore labefactato & ventriculo. Itaque non errhina darem, quæ corpore pleno vitiosis & exagitatis humoribus capitis potius replẽdo sua exagitatione faciunt, sed frictiones, & cucurbitulas non toti trunco sed fæmoribus ad reuocandam à corde materiam ab vtero illuc illatam; ventriculo etiam vires conciliarem extrinsecus adhibitis, atque intrinsecus priuatim paullo Rhabarbari quotidie dato, quo etiam vt vt putrescit humor melius quam per Absynthium detraheretur. Cuius putredini quoque consuleret. Putredini enim occurrendum partim putrefactis quotidie detrahendis non solum per aluum, sed per cutim & per vrinas cum ipsis diureticis. partim cum exsiccantibus, & vim cordis sustinentibus, vt scabiosa, pimpinella, santalis, ligno aloes, cornu Vnicorni, acetosa, tormentilla, pentaphyllon, melissa, dictamno, scordeo vino mali punici succo, & seminibus citri, quę & in potionibus, & in syrupis poni possunt, tum incocta tum stillata.

Post rumorem quòd conualuisset extincta est.

De Card. Federico Cornario Ventriculo male affecto.

CONSVLTATIO CCCCLIX.

Genus huius corporis, vt videmus calidum est, & potius siccum quam humidum, quoniam eius crassitudo ex ossibus potius quam ex copia carnis est, & hirsutum satis est in siccitatem, & calorem iecur aperte, cor etiam fere sed non aperte, vergit, nam humidum potius videtur quadam sui facilitate, comitateque, quamuis à subita ira interrupta, sed conciliatu facilis iecore bilioso occasionem itascendi ipsi ori ventriculi præbente. Caput, vt videre possumus humidius est natura, verum propter affectum diuturnum ab hypochondrijs acceptum per halitus in se elatos siccitatis notas in somno præsefert, qui, & propter eos halitus, & propter calorem somnos interruptos, & breues & insomnijs perturbatos habere consueuit, calidum enim est, vt ex celeritate actionum illius intelligitur. Articuli, & Renes firmiores sunt, quam consanguinei, & maiores eius habere consueuerint, quod ex vtrorumque moderata siccitate, & temperie fieri solet, & præterea ex alui facilitate factum est ne Renes calculos generarint, quoniam non ita diu materia cibi in aluo retinetur, vt ex ea per calorem terrestres partes exprimantur & in venas veniant.

Vnde sæpe frigidiores ventriculi, & minus concoquentes aluos molles habeant, & fluidas; reddunt homines minus idoneos arenulis, & calculis faciendis propter facilitatem quam aluo patiunt. Ventriculus ergo is, vt ex proprijs etiam notis videmus, humidus potius est, sed magis frigidus saltem ex ipso morbo hypochondriaco halitum ei præbente, qui calore ascititio amisso frigidaque natura sua recepta ventriculum refrigerat. Præterquã quòd à ventriculi frigiditate, & iecoris calore oriri eum affectum volunt. Quo verò affectu ipse inconstantiam quandam, & varietatem morum sortitus ad nimiã spem, aut ad nimium metum ad dolorẽ, ad iucunditatem animi valentius, & citius identidem delabens, & valde effusus est, neque ei aliquid amplificanti, nisi temperate admodum, credendum.

Hoc statu huius corporis proposito, facile fuit ex mala victus ratione, qua & aprunam & capreorum carnem sibi inusitatam in cibis adhibuit, postquam ventriculus animi sollicitudinibus, & vigilijs fuit labefactatus, dum de dignitate maxima in dubium ab æmulis se inferioribus esset deductus. Lætitia verò etiam maxima subito eas sollicitudines, & timores excipiente laxior factus & subitis illis perturbationibus in contraria impulsus multam cruditatem

rem ex dictis cibis congesset, motu vero Rhedæ subito post prandia multis diebus facto, dum Cardinalium & Principum virorum salutationibus solitis anxiè vacaret, materia cruda in mesenterij venas allicita veteres illas obstructiones adauxit, fumum tã abunde edidit ea obstipatione, vt capiti dolorem fecerit, & calorem extremis manibus, & ventriculo angustiam anxietudinem & laboriosas eructationes, & pulsuum celeritatem, ac crebritatem à cœna vsque ad horam prandij à prandio vero frigus extremarum manuum non pedum, pulsusque depressionem, tempore ipsius cænæ etiam cibi cupiditaté, tempore prandij eius auersionem, vt tempore medio inter diem extremum & noctem ciboque diurno delapso post frigus supradictum bene habeat, reliquo tempore male; Vrinarum mutatione nulla interea expresse apparente.

Ex quo dubitari posset, num febris subsit, cuius compressio die, calor vero noctu moueatur sub cópressione cibi cupiditas, sub calore illius fastidium. Equidem febriculam aliquam esse iudico, & si ab medij intestini vasis incitata vapores putridos vsque in cor non promittētibus vere putrida dici non possit, vt, si materia exaucta, vaporibus vsque in cor peruenientibus putrida fieret, & vrinarum colorem, & habitum immutaret, quod certe efficiet nisi subueniatur.

At ergo erunt ephemeræ, quotidie insurgentes & cum compressione & frigore, quod tum? causis redeuntibus quotidie, halitibusque per sentientes partes discurrentibus? nonne ephemera in biliosō per angustiam fit cum rigore. Cibus enim matutinus colligit ad se spiritum vaporibus maxime suis obstrictionem obruendo & sentientes partes infestando vespertinus autem obstructiones iam concalfactas suis vaporibus adiens earum halitum exauget, donec consumpta causa fuerit, quo halitu ventriculus ipse agitatus solutusque cibum matutinum ægre accipit, vespertinum verò melius cum nó dum eo fuerit concalfacto tentatus sed etiamnum humido, & leni. Itaque cum prima die cruditas, & ea quidem corrupta multa in ventriculo, & intestinis esse intelligeretur, rectè per medicamētum ex melle rosaceo, & manna fuit subducta, quod notitiam etiam mali fecit, nam omnis detractus humor fęcibus admixtus fuit, & illis quidem inæqualibus, & putrefactis, ac fętentibus, fætore nunquam humores venarum solos sequente. Ea itaque materia, quæ in ventriculo & intestinis versabatur, ferè detracta est, restat illa, quæ in venulis ad intestina pertinentibus insedit, quæ sane duplex est, vna antiqua, per quam affectus hypochondriacus ab ineunte iuuentute ei molestus fuit, nec potest non admodum sicca esse & naturæ melancholicæ; quæ venas, quas occupat, eadem intemperie affecerit, altera materia recentior est, quæ ij diebus supradicta victus ratione in corpus sic opportunum accessit, quæque non dum sicca esse potest, sed adhuc pituitam refert.

Verum sola hęc esse nequit, quando parti occupatæ, & laboranti à reliquis semper influit aliquid, quod eis superuacaneum est, in iecore auté calidiori, corpore item biliosō bilis congeritur, quæ præstita dicta occasione in locum obstructum & concalescentem allicitur, ibique vna cum ea pituita remoratus & obstructus etiam atque etiam assatur. De antiqua materia solliciti esse non debemus, quoniam & ei consueuit, & difficillime remoueretur, & alio potius tempore quam hoc hyberno debet tractari, recentior verò, quoniam molesta est & corpus affligit, omnino lenienda, parãda, & subducenda est, ita vt vtrique generi humoris apta medicamenta accómodentur, pituitæ incidendæ, detergendæ, atque extenuendæ, bili temperandæ, leniendæque, illi oximel, aut mel rosaceum cum syrupo acetoso, alteri endiuia, buglossa, epithymum, fumoterra, atque borrago, ac quoniam halitus humoris melancholici antiquioris essent modificandi & aliquid etiam ipsius parandum, propterea & supradictis, & cetrach, atque melissophyllo medicamenta coniungeré hisque tribus humoribus detrahendis, cum fuerint parati, huiusmodi medicamentum conficerem, quod reciperet decoctum cordiale adiectis folijs senę ad ℥. 2. & cinnamomo ad ℈. 4. in eo verò Rhabarbarum macerarem pondo ℥. 1. & ei expresso adderem mellis rosacei solutiui ℥. 2. mannæ electæ ℥. 1. post purgationem hanc ventriculi ego stomachum quotidie inũgerem oleo masticino, & absynthino, corpus frictionibus tractarem ieiuno ventriculo & ipsis etiam deambulationibus exercerem, sicque curationem pro hoc tempore hyberno perfectam crederem.

Facile conualuit, sed non admodum cito vires vẽtriculi recepit.

De suffusione oculorum cum capitis dolore pro Reuerendo P. Gaiardo Concionatore Celeberrimo cum Excellentissimo Petro Chrispo.

CONSVLTATIO CCCCLX.

DOctissime Vir, ex his, quæ explicarũt mihi Ex. T. ego de tanta rei subtilitate, minori labore, & certius possum meam sententiam exponere, quod eo diligentius facere debeam quo & res ipsa singularis, rarissimeque visa, & personę magnitudo id magis postulat, Concionator ipse magni nominis hic Romæ maximæ expectationis est, & desiderio sui plurimi tenetur, morbus verò ipse, si ordinate & certo vt Medici est, curare eum volumus, nempe ab illius notitia regi, cognitu non ita facilis est. Remediorum materiæ vulgo etiam notæ esset possunt morbis nomine vno indicatis, at remediorum delectus & ordo medendi, in quibus omnis vis curationis consistit solis Medicis possunt esse nota, ijs vero nunquam certa qui morbum, & partes, & causas illius ignorarint. Ponam itaque illa, quæ in rei nostræ inuestigatione certissima sunt, & euidentia palam extant, quamquam scienter & explicate nondum cognoscuntur, vt ex illis ad principia eorũ inuenienda, & ex illis inuentis, ad eorum, quæ extant, exploratam, & doctrinæ conuenientem notitiam conficiendam reuertar.

Extant duæ res in hoc casu, altera est in oculis, altera in capite, in oculis est subitus incursus imaginũ falsarum, primo muscarum, deinde filamentorum, tandem nubium, sic enim increscere malum solet, & cum ijs speciei oblatæ cuiusque rei peruersio, retorsioque. In capite est incursio illa doloris cum grauitate, quæ modo citius modo tardius fit post imaginum solutionem, sub maiori enim imaginum casu citius, sub minori tardius capitis affectus consequitur. Oculorum malum suo spatio aut mora vix horæ quartam partem attingit.

Capitis verò incommodum spatio duorum, & triũ dierum sæpe durat, & subitam summam suam magnitudinem nactum ab initio ad finem semper inclinat, quibus malis neque memoriæ, neque sensuum internorum hebetudo adiungitur, nisi quòd donec caput leuatum sub affectu non fuerit languidiores facultates illæ videntur.

Horum malorum interualla valde imparia sunt, nam

nam quandoque anni integri, & plures intercessere quandoque vix aliqui dies; ac fuit etiã tempus (mense nempe Ianuario proximo, quo bis ac ter in die reuersum symptoma est.) Vnum vero maxime in memoria tenendum est, quod tutiorem se esse animaduertit donec caput graue habet, quam cum penitus leuatum est, His malis ipse iam annorum ætatis 43. ab ineunte ætate fuit tentatus, & pluribus inde annis liber, quodam tempore etiam alui profluuium diuturnum habuit, à quo multo labore curatus est, studia & vigilias causatur, nam cum concionaturus est, semper nouis vtitur meditationibus, & longis, atque cum lõgum somnum requirat suapte natura, (quod ventriculi culpa esse consueuit) & cum minus quam octo horas quieuerit, tota die se male habeat, spatio necessario somni diminuto, & parte eius aliqua studijs attributa, quod quidem longo tempore factum est, affectus hos contraxisse existimat. His propositis iam ad definiendos hos euidentes affectus veniendum, quo certiores notas definita eorum vis nobis præstet inuestigandorum principiorum. Falsæ illæ imagines mihi videntur, non scotomia, non vertigo, non visus diminutio proprie nominanda, quoniam muscas, nubeculas, et similia cum peruersionibus tortionibusque formarum videt, non circumuerti internas aut exterius obiectas species, non obscurari penitus. Vnde, quoniam ex cita solutione halitum non humorem eum esse necesse est, quoniam eiusmodi imagines parit ante Chrystalloidem seu glacialem dictum humorem ponẽdus ille halitus est, qui si vapor vere esset, ex humida pituita elatus in pituitam eo loco à vi caloris relictus in pituitam facile reuerteretur & ibi concresceret in suffusionem, verũ quoniam ab humore minus tum humido tum frigido effunditur per calorem, ibi ab oculorum spiritibus dissoluitur, sua siccitate concretionem non pariente, quod in vniuerso fieri videmus in sicco terræ anhelitu, dixisti tu Doctor, quòd halitus ille in meatu optico est, tunc non solum tolleret interea visionem, sed tamquam spiritus aridior, & crassior redderet ipsum meatum, conuelleretque cum neruus sit, neque enim foramen visibile habet, & vacuum, sed solidus neruus est, quamuis mollior & inuisibilibus meatibus refertus, preterea à finibus cerebri illuc impelleretur neque facile esset, quin in ventriculis vertiginem pareret dum collectus naturam, & expultricem cerebri concitaret ad sui expulsionem.

Si inquies in uertigine flatus, & halitus in ventriculis cerebri versatur, tamen species ipsas perturbar, cur tu ex earum perturbatione, & vitio colligis halitum illum necessario non in ventriculis cerebri sed ante pupillam seu chrystallinum esse? Ratio mea ea est, quoniam causæ hæc falsam huiusmodi suam speciem in chrystallinum non inferrent, nisi ante ipsum forent, & ita non perciperentur, potius si intra ipsum subessent spiritu impedito visum minuerent aut tollerent. Species enim visiles in chrystallino sistunt ibique sentiuntur, neque retortæ videri vt perturbatæ possunt, nisi tales in eo insederint, quare extra illum non intra esse illæ torsiones, & imagines debent, quod verò dici posset de vertigine scias in ea non solum visibiles oculorum species sed omnes etiam interiores vna conuerti, propterea cum illis etiam ipsa mouendi vis labat, vnde homo non potest recte aut insistere, aut ambulare, sed fere circumagitur cerebro ipso sensuum omnium & motionum principio sic tractato & eius spiritu commoto.

At hic solæ visiles & oculorum species vitiantur, & vitiantur potius, quam non sentiuntur; quare aduenientes antequam ad chrystallinum perueniant, tales factas esse opus est, ante chrystallinum autem in oculo solum spatium ab vuea comprehensus in si-

A stit, sic & genus causæ & locus apertus est, eius mali, quod oculo accidit; Capitis autem dolor cum onere necessario materiam crassam sibi habet coniunctam, etiamsi dolor crassæ materiæ in halitum effusæ causa fieret, nam halitus grauitatem non facit, praterea vel in membranis, vel in minoribus vasculis membranas permeantibus eam materiam infestare conuenit; cum solæ eæ sensu sint prædítæ.

Modo videndum est vbi hæ materię fiant, aut vnde proficiscantur. Halitus qui ante chrystallinum incurrit ibi certe fieri non potest, nam neque materia vnde fieret ibi esse sine alia euidenti oculi læsione posset, neque vapor dissolui vnquam tam cito posset ab eodem calore à quo fieret. Proponuntur à Galeno eiusmodi oculorum suffusiones tales quæ remotis
B causis longinquioribus vim manendi non habeant, & dicuntur per consensum, & à ventriculo venire statuuntur, quarum commune videtur non solũ, quòd se ipsæ manere non possunt, sed quod vtrique oculo accidant.

Vbi quis iure dubitauerit qua via cursum suum teneant in oculos, nam per neruos fumi tam crassi sine distentione neruorum percurrere non possent, per œsophagum potius metus modo per os erumperent, itaque per œsophagum consensus cum cerebro & oculis non fiat. Per neruos etiam non nisi tenuissima re, & inuisibili fiat. Propterea huiusmodi crassos fumos à ventriculo in oculos per arterias & venas venire, vt in cerebrum quando vertiginem à ventriculo inferunt vi qui crassiores sunt alioquin
C cum genere tantum malo ventriculus cerebrum afficit etiam per neruos.

Si esset ergo materia in cerebro, aut in oculis, assidua in eis ea affectio esset in quibus materia illius causa conficeretur maneretque, non autem liberos longissimis spatijs oculos relinqueret. Ergo solus certe halitus, non materia crassi aliunde illud proficiscetur, non materia inquam crassa quoniam oculus, præterquam quòd aliud molestiæ haberet, frigidioris etiam naturæ est, & non posset eam materiam extenuare, certe nisi longinquissimo spatio; Ita ille subitus imaginum ortus non fieret, sed paulatim, & lente admodum, halitum ergo illum aliũde venire omnino necesse est, quod celeritas motionis illius confirmat, accedere vero per vasa quæ
D vueam ipsam tunicam intus perreptant, quæque sub illa à pia matre, seu molliori cerebri membrana proficiscuntur, quę vasa communia sunt venis arterijsque & spiritum coniunctim vna cum sanguine afferentia halitum etiam illum vna cum spiritu permixtum introducunt, à validioribus partibus maxime impulsum, qui sane, si à cerebro veniret, per medium nerui optici corpus cum retina dicta tunica in posteriorem chrystallini partem erumperet.

Verum potest ne is halitus originem ab affectu proposito capitis oriri, & per vasa communia in oculum impelli? huic sane rei ego nequaquam assentior, nam quomodo affectus tempore prior à posteriori oriatur? oculi ergo affectus cum antecedat eũ,
E qui capitis est non potest ab eo deriuari eo maximè quòd capitis affectus non excitatur, nisi oculi affectu finito, & omnino quiescẽte; Sicuti neque ab hoc priori ipsius oculi partis tam exigue affectum capitis longe magnæ partis oriri non est verisimile. Cum ergo coniuncta hoc ordine sint ambo hæc symptomata, & non præbeat vna alteri initium aut occasionem, necessario causam communem saltem coniunctam primam originẽ habebũt vt materia inęquabilis parti sui halituosa ad motũ faciliori oculos petat viarũ angustijs non impedita, spiritu potius sibi simili confusa, & introducta, crassiori verò sui parte ascẽsu tardo per maiora vasa facto, in cerebri membranas illata, vbi partim extenuata dolorẽ, partim crassitie

stitie retenta grauitatem pariat. Modo hæc materia vbi colligitur? non in cerebri corpore ita vt cum ad certum cumulum, atque ad certum onus peruenerit non tollerata vim cerebri expultricem moueat ad sui eiectionẽ, qua partim in oculos, partim in ambitum reliquum membranarum perueniat ordine supra posito. Ego enim vt dixi non possum hoc probare, quoniam nulla noxa cerebri sentitur, dixisti tu, quòd cerebrum non sentit propterea illa materia non, nisi postquam ad partes sentientes detrusa est, noxam affert. Verum si læsio cerebri non sentitur, sentitur læsio actionis illius. Itaque moneo ne confundamus sensum communem rem cum opera, & munere partis proprio, nam materia cum intemperie sua partem occupante, non potest non lædi opera illius cuius læsio sensu percipitur, quoniam materia obstruit, intemperiem affert, intemperies illa est, a qua materia e contra gignitur, & vterque morbus est, & necessario cum facultatis noxa & operationis, vt enim secunda valetudo bona temperies est, & forma integra neque facultatis integritas aliud est, quam temperies, & constitutio naturalis, morbus vna & partium constitutionis, & facultatis vitium erit, vnde sicut vitium facultatis est, quod proximè vitiatas actiones edit, cum idẽ morbus sit, hic morbus erit, quòd si cuipiam dubium fuerit, num facultas idem sit cum ipsa constitutione, is animaduertat, quòd facultas re vera nihil actu & re ipsa constante est, præter constitutionem, quæ actus primus est, & quatenus is suis viribus respicit actum secundum a se oriundum, quod nihil est amplius, præter actus futuri considerationem, seu respectum in constitutione valente positum, qui nihil habet in valetudine bona, vel mala, quod non ipsius constitutionis sit, vires enim ab ea non distinguuntur videtur enim idem natura, & vis. Ergo intemperie posita cum materia in cerebro necessario vitium facultatis eius poneretur, quod edet actiones proprias vitiatas, & si sensu tactus careat, quare necessario frigidioris intemperiei cum materia, & obstructionis ab ea factæ vitia in actionibus illius proprijs cernerẽtur, atque pro parte affecta, aut sensus communis, aut phantasia, aut memoria, aut cogitatio hebetiores euasissent, & manerẽt tales cum intemperie ipsa non facili remota, & permanente si essent causa huius casus sic redeuntis, itaque cum posueris hanc intemperiem in basi cerebri post opticos neruos, quando sensus communis, phantasia, & memoria sic se habent, vt non differant nisi maiori, & minori cerebri mollitie vt vbi mollior ibi species retineatur solum præsente obiecto, vbi solidior paulo, ibi absente etiam obiecto maneat, vbi durior, ibi ad multum rempus inhæreat, cõtinuato tamen cerebri corpore cũ continuatę facultates in vnam fere sint, ea parte cerebri sic affecta necessario sensus communis cum externis quoque defectum suum communicaret cum eorum origo, & fons sit, & phantasia, atque etiam memoria debilitata foret, cum tamen vix hoc in ipso agnoscatur, nisi quantum ætas, & studiorum labor cuique afferre in aliquo sensu potuisset, quæ canitiem, & corporis totius imbecillitatem attulit, quare in cerebri corpore esse illam intemperiem, quæ a tã crassa materia fiat, vnde anhelitus sicciores non vapores humidiores in oculos ferantur, quæ materia fiat tãta, quanta expulsa in membranas grauitatem capitis efficiat, ego non possum mihi persuadere, quanta enim dolorem, & grauitatem facit toti capitis, si prius in corpore cerebri esset collecta, vel in ventriculis ab eo corpore genita non solum torporem, & hebetudinem sensuum internorum, & externorum pareret, sed caros & somnos arctissimos, & fere apoplexiam, & vix fieri posset, quin nerui molles à basi cerebri orientes impeditentur, vnde gustum maximè amisisset, & alios etiam sensus ab illis neruis communicatos. Minori difficultate ea intemperies in membranis cerebri poneretur, & maximè in vasculis illatum, verum illa non tanto spatio, & interuallo vacasset, quin assidue casus hos attulisset, præterea vix fieri posset, vt vna pars membranarum illarum, tam esset vitiata, vt materiam congereret eiusmodi, alijs tantopere valentibus, vt, postquam subito ab illa materiam acceperint duobus diebus eam absumant sua vi, etenim verisimile quidem est coctricem vim infirmam esse, qua colligatur materia, expultricem tamen tantum valere, vt cumulo oneris irritata illam queat excernere in vicinas, at verò eũdem omnino coctricem vim sibi illam materiam suo defectu proprio conficere, & posse etiam absumere vix possum mihi fingere, nam, si, dum eam paulatim creat, dumque exigua est, non potest absumere, quomodo cum illa multa est id faciat? neque enim expectandus ei est cumulus quo irritata agat, vt expultrici, imò, quo minor copia est, facilius & promptius hæc operatur, ergo in alias partes expellat potius, à quibus actrice vi valentiori prędictis absumatur.

Itaque membranæ fere totius cerebri iam valentes erunt, vt eam materiam insignis molis suo calore absumant trium dierum spatio, neque ab ea materia affici patiantur, erit tamẽ aliqua earum pars illis contraria eius materiæ colligendæ causa, quod fieri non posse, aut certe quod difficillimum existimarem. Vbi si dicat aliquis in Epilepsia euenit sæpe quod cerebrũ ipsum sibi congerit materiam, & idemmet nihil interea læsum in suis operibus agnoscitur, & tamen ipsum male habet, & idem materiam vincit, quam generauit. Animaduertatis, quòd nunquam illud cerebrum carebit vitio actionum propriarum, cum ipsum vitiatum sit, ipsumque eius materiæ sit causa, carebit quidem forsan cum membranæ, & vasa materiam parient, quam non in corpus cerebri, sed in sinus expellent, non autem absumendo vincent. Vitio vero certe magis carere poterit cum epilepsia à vitioso anhelitu fiet ex infernis partibus elato, & in neruos distendendos dimisso. Recipere ergo potius hoc loco caput eam materiam est verisimile, hoc verò facere certe sui infirmitate quæ potest esse propter laxiorem, & lautiorem eius habitum, & sæpe propter spirituum naturalium non dicam animalium defectum nulla etiam intemperie inhærente, datur siquidem imbecillitas etiam sine dyscrasia ex Galeno. Qua autem in parte ea intemperies sit vnde materia congeratur expellatur, seu attrahatur quãquam vno verbo possum dicere ab hypochondrijs, seu ventriculo venire, tamen multa coniectura inuestigãdum credo.

Et hic Domini nolite admirari me, tam subtiliter hæc, & tam longa disputatione persequi, quoniam cõmunia theoremata, & præcepta scire facillimum est, ad singulorum verò intelligentiã se accommodare longe difficillimũ, quæ vt ait Galenus, hominem in ratiocinando quam exercitatissimũ postulet, communia illa recitare, & in illis abũdare multi sciunt, at certa illa, & definita in singulis agnoscere pauci possunt, a locis ergo infra caput materia hæc, seu potius halitus illius a mandatur non dixerim attrahitur occasione capitis calfacti, quoniam refert ipse sese a Sole nihil peius habere, sola ergo infirmitate capitis illam materiam admittente a partibus inferioribus impellitur, non autem in eo congeritur, neque ex prauo alimento multum recrementi faciente, minus ex bono alimento propter sui vitium non belle confecto, quæ verò pars sit illa, hac ratiocinatione conficerentur. Pulmones meatus in caput rectos non habent, quoniam vasa pulmonum solum in sinus cordis ingrediuntur, neque cum corpore communicantur, minus cum capite, & præterea excretiones suorum recrementorum facilius per asperam arteriam faciunt, pulmo-

pulmones, quam per eos, quod vi sua semper pulmonibus dominatur, illisque potius intrudat sua recrementa, quòd ipsum ab illis accipiat, & quidquid crassi per cauam venam suo motu a iecore attraxerit, totum non in cauam venam referat reijciatque cum ostiolis eius impediatur, sed in venam arterialem sanguinem e corde in pulmones efferentem. Minus in corde eius materiæ congestionem possumus ponere, ob calidam eius naturam, & ob id quod ipse Tyrannus est, & meliores semper succos ad se allicit, & quoscunque deteriores acceperit per venam cauam eos continuo in venam arterialem reijcit. Relinquitur, itaque vt ea in iecore etiam ventriculo paretur in iecore propter succi illius crassitudinem, quem à ventriculo accipit, cum concoctio secunda non corrigat primam, alioquin neq; iecur suapte in crassum B succum faceret, facit vero accepta eius generis materia, quam suo calore, aut temperatiori minus conficiat, aut acriori eodem nimis esset.

Ergo ventriculus omnino in hoc opus, & facinus conspirabit crudiorem materiam subministrando; quæ in caput non solum per iecur, & venam cauam sed etiam in ventriculum reiecta rursus in caput per proptias ventriculi arterias potest impelli, per neruos non dixerim, nam adeò denso corpore ipsi sunt, vt consensionem illam modo faciant in morbis cum cerebro ipsius ventriculi, quæ simplicissima est, & sine transmissione materiæ est, vel quidem halituosæ, nisi halitus valde tenues sint, & possint meatus spirituum tenuissimorum permeare, ac quod ventriculus C in causa potioris sit, colligitur vt dixi ex eo quod vterque oculus æque in labore est, Galenus enim id satis argumenti esse voluit, a ventriculo malum oculis esse. Ventriculum vero etiam eam materiam congessisse satis argumenti, & causæ est, quòd de somno ipse suo debili ventriculo necessario detraxit multum studij causa, nam quod quis multo somno egeat, ventriculi imbecillis est, sicuti quod diutius dormiat, capitis intemperies, ipse non diutius dormire cogitur somnolentia, vel capitis causa, sed coctionis ventriculi necessitate, nam nisi diu dormiat male habet, vt contra quoniam capitis causa somno largo, vt cogitur, si de somno detrahat, is melius habere consueuit. At quomodo possumus causari ventriculum tãquam primitus affectum, si eius nullæ vnquam querelæ fuere, dicente Galeno, quòd affectus per consensum, & D secundarij cognoscũtur eo, quòd aliquę partes prius affectum ostenderunt.

Ego dico non esse necesse vt, si aliqua pars prius affecta sit ea ab ægro percipiatur, nam quotidie vidimus mala a ventriculo capiti noxia, & nullas ventriculi esse quærimonias, cuius rei causa est, quoniã ima pars ventriculi, cui coctio debetur sensu caret, & cum male concoquit, non ita aperte dignoscitur, tunc verò minus, cum magis noxia futura est, nam si cruditas magna est, illa oneri retentrici est, & per aluum demittitur, cum verò minor est, retinetur, & in iecur vadit, & per arterias etiam recta in caput, & tunc nisi ori vẽtriculi appropinquet, & mordax sint nullum sui sensum facit. Sit ergo materia cruda, vel tunc E primo in ventriculo genita, vel a iecore etiam in eum remissa, & aliquantum exusta quæ inde in caput attollatur. Crassus ergo hic humor per occasiones adeò auctus, & osculis arteriarum hærens in eas dilationibus earum attrahatur, facillime quibusque horis id accidet, vel ante, vel post cibum, & halitus illi partim in oculos, alij in vasorũ capita possunt adduci, & ventriculus in causa erit, etsi cibi tempora nullã vim in eo cernantur habere, quoniam non proxime a cibi materia, sed ab ea, quæ iam inhæsit membranis ipsius ventriculi, & forsan a iecore reiecta iam naturam melancholici humoris retinet, quòd facile etiam lien non exacte munus suum moliatur.

A Ergo ventriculus ab humore occupatus est pituitoso, crudo & etiam melancholico, & inde omne malum venit, cui faciunt vigiliæ, & curæ ipsæ plurimum hactenus certa via vidimus de ijs quæ sunt, quæ verò futura metuenda sint inde facile intelliguntur, nam assiduo commeatu halituum, & cõsuetudine eorum, qui alieni a natura sunt, qui locum spirituum vtiliũ, & amicorum naturæ cerebri occupantes ipsum inficere possunt, tandem cerebrum vitiabitur, tandem loco halituum materiam etiam vitiosam accipiet, & infectum dyscrasia, illam etiam sibi pariet. Vnde non solum vertigines, sed epilepsiæ casus metuendi sint, non solum imagines in oculis, sed veræ suffusiones, quoniam refrigescentibus partibus etiam glutinosi halitus submitterentur nisi ventriculus curetur, quo verò curato facillime illa omnia mala euitabuntur. Curatio ventriculi facilis est, ita etiam libentius sentio ventriculum, quam caput affectum per se esse, caput enim vix curationẽ reciperet, fiet vero illa exempli gratia hoc ordine, & his medicamẽtis. Post vsum mellis rosacei sine oximelite hoc initio, hiera exhibeatur, post eam idem mel ros. cum oximellite, dein de hiera cum Agarico, postea aquæ Thermarum tetucij ventriculus erit altius expurgandus, demum ab synthio confirmandus, & rhabarbaro etiã, quoniam iecori, & venis quoque tamquam vijs consulendum est, in motionibus namque Medici habent in ore locum a quo, ad quem, & vias.

Si bene non satis præbuerint auxilij Guaiaci decoctum esset dandum, si caput agnoscatur aliquid perpessum cum eo falsa parilia coniungenda, quam nouimus longo vsu capiti summæ vtilem. Exterius verò etiam, tum ventriculo, tum capiti datis medicamentis robur erit conciliandum, ex balneis, ex decoctis, ex vnctionibus, & ijs, quæ cuique Medico nota hic a me commemoranda non sunt. De sanguinis missione non dico, quoniam non nisi hæmorrhoides sponte emergant, ego sanguinem non detraherem, de cauterio minus sincipiti dando cogitarem, dum in capite malum esse non indico. De victus ratione tandem minime dicam re notissima, vnum tantum maxime extremorum. Dixi.

Facilime conualuit, intercidebat tamen quodã die rigor cum febre.

De Renum, & articulorum affectu pro Illustrissimo D. Domino Io. Franc. Gambara Cardinale.

CONSVLTATIO CCCCLXI.

Illustrissime, & Reuerendissime vir.

CONsilium, quod de tua valetudine expetieras a me, qui tibi iam omnia mea officia, & operam omnem sentio me debere iam scribo quod magno meo dolore expectationi tuæ forte non satisfaciet, & maxime quidem quoniam ea, quæ in cõsultatione ipsam temporis vim, & tempestatum naturam, & corporis ipsius conditionem definitam postulant, sine præsenti illorum statu definite sciri describive certo non possunt, nunc verò vt vides in futuros tantũmodo exitus hæc præscribuntur, qui varij semper in temporibus, in tempestatibus, & corpore sequi consueuere, atque ita iudicio Medicorum permitti debent, vt pro ratione incidentium rerum definiantur. Quod iam spero te pro tua prudentia, & modestia summa agnoscere, & tantum quæ fieri possunt a me expectare,

ſtare, certe genus corporis calidum, & humidum videtur, in calidum, & humidum conſpirant iecur, & caput, ſi vtriuſque notæ diligenter attendantur. Renes naturam iecoris ſequuntur, cum quo fere ſimilitudine naturæ coniuncti eſſe conſueuere. Ventriculus in humidum quidem, at non in calidum conſpirat, quin frigidior potius indicijs ſuis intelligitur. In corde ſuperantia nulla manifeſta eſt, minime vero ipſius caloris. Artuum articulorumque natura humentior credi poteſt ex eo, quòd laxiores aſſiduis humorum decurſibus obnoxij fuere. Aetas circiter. 53. annorum eſt, qua corpora calidiora ſanguine, vel bile abundantia, niſi habeant expurgationem, ſolent vna fæcoſo ſanguine, altera bilioſo refrigerato ſcatere, nimirum vtraque melancholico ſucco redundare quo tandem occupata viſcera refrigerentur, & ventriculus præſertim pituitam abũde gignat, quod tuo corpori ſanguineo, & bilioſo contigiſſe apparet, hic corporis fere naturalis ſtatus eſt vitæ modus, & ſi in cibo, & potione temperatus ſit, exercitationem tamẽ corporis non habet, ſine qua corpus ipſum potuit hebetari, plurima recrementa congeri, totum corpus, & ipſi maxime articuli minus robuſti, minuſq; puri ab recrementis reddi.

Vt enim quies expetito a uiſceribus muneri nempe coctioni, ſic motus puræ articulorum, & artuum nutritioni aptus eſt, & e contra, vt motus dictum viſcerum munus perturbat, ſic quies artus languefacit ſic fere a quiete abdomina, & pinguedines, a motu artus carne nutritiores firmioreſque videmus, atque vt pinguedo inanimis vitę oneri eſt, caro vero, & animata, robori, ſic a motu viuaciora ſunt corpora, quòd cum eo etiam minus recrementorum retineãt. Corpore ergo a continua quiete completum recrementis fuit. Vnde Renes quoque, tum natura ſua humentiori calidiorique laxiores depulſis toto venoſo genere humoribus obiecti fuere, tum ex decubitu in dorſum diu habito per artuum dolores, neque vnquam per plures dies cubatione mutata calidiores facti plurimum attrahere recrementorum potuerunt, quæ mala iam multis ab hinc annis conſtitere, & longo ſpatio firmiora crebris tentationibus dolorum, & affectuum Renum euaſerunt, ac tandem ſunt nocentiores incurſiones conſequuta. Hinc artuum cauſa, & male ingredi queas, & quandoque ægre manibus vtare. Renum autem proprie culpa lotia craſſa fere ſint, ſæpiſſime cum limoſo ſedimento, ſæpe cum arenulis etiam craſſioribus, & quandoque nigriora, ac nonnunquam cum aliquanto ſanguine procedant. Vbi & arenulæ flauæ ſunt, & minctio ſine manifeſto ardore, quamuis interdum a minctu arenularum rubentiorum infeſta mingendi cupiditas remaneat, ſub qua cupiditate etiam atrior vrina pellatur; quod tamen rarenter fieri eſt obſeruatum. Interea dorſi nulla grauitas, dolor nullus in vicinis partibus ſentitur, niſi is qui in coxendice nouiſſime diu conſtitit. Atque lotia poſt nuper habitam curationem ad ſtatum naturalem reuocata ſunt.

Quibus ſane perſpectis cõfido nihil hactenus, aut vlceris, aut calculi in partibus vrinæ inſeruientibus ſubeſſe, idque tantum mali inualuiſſe, quo Renes calidiores, & laxiores facti recrementis vniuerſi corporis abundantioribus obiecti ſint, quorum recrementorum, quæ ſerò nimis eijciuntur, dum morã trahunt habitum terreſtris naturæ a calore acquierunt, quoniam quæ non poſſunt a calore in alimentum cõuerti, neque in halitum diſſolui, neceſſario craſſiora, & tandem terrea fiunt, maxime quod iecur nimis craſſam materiam a ventriculo frigidiori nimio ſuo calore fugens eam non ſolum exurit, ſed per vim abſorptas eius terreſtres partes extenuat adeò, vt eæ liquatæ, ac fuſæ cum ſero primum in Renum carnes, item calidiores eliciantur, & illarum calore ſic fuſæ ſeruatæ cum eodem ſero demum in ſinum Renum interiorem tranſmittantur, vbi a calore fere relictæ, & membranæ frigidioris vi compræhenſæ tenuitatem amittunt, & indureſcunt, arenamque referũt, potius quidem arenam, quam calculum quoties ea materia minus lentoris habuerit, cum exureretur, quidquid vero ſanguinis limoſi eſt, & minus exuſtionis accepit calore extenuatum ac fuſum exiẽs, lotia ipſa craſſa reddit, & atriori colore inficit.

Porrò autem cum humores ipſi tranſeuntes aut nimium abſterſerint, aut Renum carnes, & venas quæ nudæ ibi ſunt irritauerint, et aliquid ſanguinei euocant ſecumque educunt, dico ſanguinei non ſanguinis, quoniam ille humor non concreſcit in verũ grumum, vt verus ſanguis facit, etſi craſſus reſideat, qui & a venis, venarum oſculis, & valde apertis ſolummodo videtur exire. Atque is eſt Renum ſtatus, articulorum etiam præſertim pedum, & manuum affectus omnino generis rheumatici eſt, ex corporis enim mala nutritione ipſe quoque, & defluxionibus aſſiduis conſiſtit, cuius generis natura ſatis conſpicua eſt, quæ hoc loco, & a corpore toto, & a capite fit, nõ illa via extra caluariam intra pericraneum facta, ſed illa cum ſine earum partium dolore fit, quam interius venæ ipſæ ſuppeditat. Quæ modo cum ita ſint, multa nobis ſpectanda ſunt, vnum in Renibus, alterum in articulis, quæ duo præcipua videntur, reliqua in iecore, ventriculo, & capite verſantur, in omnibus eſt recrementorum copia, in Renibus, & articulis eſt partium quoque laxitas, quæ in Renibus a calore, & humido vitioſo, ac recrementitio, in articulis autem ab humido certe efficitur.

In ventriculo frigus cum recrementis ſimilibus, in iecore eſt caloris ſuperantia, in capite nimium humidi eſt, vnde ipſi quoque dentes ſitu obducti, & male nutriti gingiuarum coherentiam reſpuunt, quæ eodem ſitu vitiatæ ipſæ quoque male nutriũtur, tenuiorique corpore ſunt. In his verò curandis, quod ad Renes ſpectat, videndum eſt ne Renes ipſos in ſicciorem proprij habitus ſtatum traducamus, dum eos aut a nimio alieno, & recrementitio humore vindicare, aut ab arenulis expedire ſtudemus, calor enim in corpore aridiori duriorique, & ſibi adiecto ſquallore acrior, & quaſi ſolidior efficitur, ac vim aſſandi maiorem acquirit, nos itaque nihil quod calidius ſit ad humorem recrementitium exſiccandum, aut ad arenas expellendas dabimus, ne in habitum Renum altius pertineat, exſiccatio venæ plus faciat, potius frigidioribus vtemur, & ijs quæ bene nutriendo eorum habitum minus aridum minuſque durum efficiant, ſic enim Renes refrigerabuntur, & ita ſquallor nulli ſuperantiæ caloris adiungetur, & in habitum ſui corporis meliorem Renes referentur. Iecur item nullo alio modo exſiccandum eſt, quam ipſis recrementis pituitoſis abſũmendis, alioquin eius calor potius humore leniendus ne dum refrigerantibus cohercendus, humẽtior enim calor minus aſſabit, minimeque exuret, potius vt debet elixabit, & bene concoquet, de capite nulla dubitatio eſt, quin ſua quoque obſeruatione egeat, quo ita exſiccetur, ne calefiat, ne concalfactum ſua tamquam cucurbitulæ figura plus humoris in ſe alliciat. De articulis item præſertim extremorum id proprie maxime notandum, ꝙ quando ſuis recrementis leuandi ſunt, per ea nimirum, quæ diſſoluunt, quoniam defluxionibus obnoxij ſunt, ſemper adſtrictione aliqua egent, qua collecti defluentibus humoribus reſiſtant, alioquin medicamenta diſſoluentia eos perpetuæ incurſioni humorum patentes redderent. Iſchium vero, quoniam alia ſubeſt, ſi adſtringentibus tractaret, materiam in ſe magis reciperet, adſtringentibus compreſſam, compulſamque. De dentibus tandem illud planum eſt, quòd a ſitu, & humido genere alieno purgandi ipſi, quòd quæ ſi poſſent

possent ipsi,& gingiuæ nutriendæ, cauendo ne dentes, aut frigore nimio tententur, aut vehemẽtioribus frictionibus concutiantur.

His verò seruãdis præstari credo poterunt ea, quæ dicta sunt si diu,& diligenter, ac suis temporibus atque ordine remedia adhibeantur, alioquin enim ea verenda sunt, quæ ex his vitijs minime curatis senio adueniente solent expectari, vt calculi Renum, aut vesicæ,& eorundem vlcera, vt artuum articulorumve impedimenta, dentium necrosis, delapsusque. Diligenter itaque videnda, præscribenda,& temporibus suis disponenda, patiẽterque ferenda remedia sunt,atque sic constituendum,vt cum illa corporis totius expurgationem postulent, ea purganiia potius exhibeantur,quibus corpus ipsum iam assueuit, modo rem affectam dent, quæ ego quidem sæpius in eadem purgatione repeterem, quoniam alioquin corpus non facile a tanta humorum copia, quãta in dies congetitur, poterit leuari. Imo illis purgantibus exhibitis ea subiungerem, quæ aut per aluum viscera expurgant eorum vasorum parietibus a se detersis, aut per sudores ipsis vasis ambitus totius corporis idem faciunt, nostratia siquidẽ medicamenta purgantia dicta,quæ in vsu habemus,non adeo valentia sunt, vt omnes corporis partes suo beneficio attingãt,vt vasorum parietes, vel in medijs visceribus detergant,recrementaque in illis herentia euellant. Ac bene agi cum ægro credam, si modo latiores viscerum sinus recrementis expedierint, hoc experimentis multis depræhendi a quoque potest,si euẽtus purgationum spectentur,si medicamenta, quæ antiquitus ad purganda corpora adhibebantur, longæ purgationes, quæ tunc & nostris etiam temporibus per empiricos fiunt,considerentur,ambitus enim corporis tot vasa sunt, quibus sic recrementa eorum parietibus oblinita minutim distributa sunt,vt,dum quiescunt, vix aut sentiri, aut iudicari aliqua possint, at cum tractu medicamentorum in medium confluunt, incredibilis multitudinis,& molestiæ euadunt, quare post iustam medij corporis, & viscerum purgationem maximo commodo ijs vtimur, quæ & vasa detergunt,diluũtque eorum parietes, & sensim eorum recrementa, aut per aluum, aut per sudores efferũt. Illis namque detractis tutum est partibus ipsis affectis manum adhibere, nobis nihil iam a toto corpore metuentibus, tunc Renes & articuli tuto tractantur ijs,quæ in meliorem statum ac temperiem eos reuocent,quæque ipsis robur concilient. De illis ergo medicamentis,quæ priori loco danda sunt, quibuscunque iam corpus assueuit verba mihi facienda nõ sunt nisi de apparandis tunc humoribus, moneam, quòd cum oximel,& syrupus acetosus maximè faciant generi humorum pituitoso, non erunt tamen opportuna cum motus defluxionum timebitur, & potius in melle rosaceo, in syrupo rosaceo vtrisque valde abstergentibus manendum, eaque cum syrupo de betonica componenda, postquam autem parati,& purgati erunt identidem bis,& tertio humores solitis medicamentis, quibus est etiam aqua Tetutij, quam ipse post purgans medicamentum solet accipere restabit vsus eorum, quæ exquisitius abstergant ac diluãt vasorum parietes non solum eos sensim per aluum, sed per sudores detrahendo. Quorum vero delectus sic erit habendus, vt omnia metiamur, moderemurque ex his, quæ in corporis partibus iam esse constituimus,nimirum in ventriculo,in iecore, in Renibus,capite & articulis, vt non solum vim absumendi humores,sed restituendi eas partes habeant, prius vero ea adhibeantur, quæ per aluum, deinde ea quæ per sudores id faciant.

In genere eorum,quæ per aluum id faciunt est maximè serum lactis, quod nostro negotio commodum est,quo viscera iecur, & Renes præcipuè facile detergi nitrosis illius partibus, & dilui aquosis possũt,inde vero submotis humoribus, & per flatũ saltem acquisitũ etiam refrigerari,id autem ego nequaquam simplex darem,sed ita pararem,vt ventriculo aptius,capiti non alienum, iecori expurgando valentius, Renibus confirmandis vtilius esset, nimirum incoctis, immixtisque his, vnde ea commoda possent expectari, Chalibe etiam,vel ferro candenti in eo extincto. Spica ventriculo,& iecori præstabit,quæ dixi mel rosaceum solutiuum illis, & etiam capiti, Renibus maxime, vt ventriculo, & iecori oleum ex resina Terebynthij, vel resina ipsa,succus item cicorei omnibus dictis erit maxime opportunus, vt ipsius quoque agrimonij,aut betonicæ,quæ herbæ possunt etiam incoqui, quo minus fastidium moueant, & tunc illius cetrach vtiliter adijceretur. Mensura seri exhibendi ab Arabibus vnius minæ, seu libræ præscribitur a Græcis,& præcipue Dioscoride longe amplior,Ego Dioscoridis modum mensuræ iudicaui semper,& experimento reperi Renibus, & toti venoso generi sanãdo magis idoneum,qui tamẽ sic moderandus est vt ventriculus eum facile patiatur, ac ne longioris fastidij illę potiones sint,medicamenta illa in primo tantum poculo possunt immisceri.

Cum ijs potionibus ego totis 15. diebus exactam purgationem procurarem, Atque si aliquid incidat, quo minus serum sic dari queat,in eius locum ius galli pariter comparatum sufficerem,deinde ad sudores mouendos, & parietes vasorum in ambitu corporis ab insertis humoribus expurgandas me conuerterẽ. Hoc faciunt multa, ex quibus nostra tempora habẽt in vsu lignum Guaiaci, Radicem salsæ pariliæ, chinæque,& lignum illud sassaphrax nuncupatum. Ego ipsum sassaphrax in rem nostram facere non censerem,quoniam & calidius est, & nihil fere eius adstrictionis habet,quę in expurgandis visceribus necessaria est,vnde neque iecori, neque Renibus per se aptũ videtur,sicuti neque articulis confirmandis, quod etiam ipsi chinæ abest, quamuis opportunior ea mihi censeretur,quod minoris caloris videatur, atque adeò sic ea posset exhiberi, vt, vel vna secum coquerentur, quæ aliquid adstrictionis adiungerent, visceraque,& artus confirmarent, vel post ipsius chinæ simplices potiones, aliæ subiungerentur, quæ id præstarẽt,quales essent ex pimpinella, quæ extenuantissima, & adstringens apta est maxime viscerib. omnibus,& articulis, ex herba paralysis, quæ primula viris dici etiam quibusdam solet, quibus addi possunt betonica Agrimonium,Radices Rubi pentaphilonis lignum Agalochi,quod expertus sum maximè cõfirmãdis vtero,& Renibus vtile. Addi posũt rhaponticum, rosæ,malorum punicorum succis Renibus aptissimus,& huiusmodi alia. A succo limorum libẽter abstinerem,nisi compertum esset, nihil ab eo ventriculum affici.

Ac sane ego malim chinæ potiones per se dare, & postea alteras confirmantes, quam cum ea aliquid commiscere. De salsa parilia, idem quod de china censerem, proprie quidem de hac monerem, quòd nequaquam sola exhibenda huic ventriculo est,quin aut cum guaiaci ligno, aut cum alijs stomacho aptis componatur, & quod aptior Renibus est facienda ijsdem permixtis, quæ supra descripta sunt,& maxime betonica, agrimonio, & pimpinella cum paulo, olei ex resina terebynthina. Lignum Guaiacũ, quòd calidius sit, & nescio quo modo renibus infestum sua forsan asperitate corpus eorum nimis obdurante, exsiccanteque,ego nunquam solum propinarem, nisi valde dilutum, etsi confirmandi illam vim habeat visceribus,& articulis expetitam, cum alijs ergo ipsum minori longe portione permiscerem. His ego corpus tractarem tẽpore ipsius veris, neque sanguinem mitterem facile quamuis magnis his purgationibus

corpus

corpus tutius tradatur, & vtilius, cum sanguine etiam leuatum est, mihi enim non videtur necesse esse in corpore carnibus referto dissolutu facili, & crudis humoribus redundante, ac si mittendum Medicis videatur, id parum esse omnino vellem. Perfecta vero hac purgatione eo tempore nimirum veris, quo nondum calores tanti sunt, quin corpus per cæli temperiem se se renutrire valeat, & vires resumat, crederem sub insequentibus caloribus ab omnium rerum medicatarum vsu posse, & debere abstinere vna alui ductione per clysteres excepta, mirèque consertis ex Rosis, ex Nenuphare, ex floribus Maluæ, & rad. aceto sæ, & buglossæ, & item ex farfara, quorum alia abstergunt, partim leniunt renes, alia colligunt, fere vero omnia temperant, diligentissima tunc præcipuè vivendi ratione adhibita, quo natura se se restauret muniat, & valetudinem renutriendo confirmet, solidioremque faciat. Ac nisi satis conualuisse renes, & articulos intelligatur, vtrorumque sane quidem causa renum autem maximè, ad aquas chalderianas confugerem apprime his renum malis idoneas, vt quotidie experimur.

Interea vero diligens ratio victus retinenda, qua in cibo crassiora, glutinosiora, duriora, & cruda omnia vitentur, vt carnes grandiorum quadrupedum, grandiorum piscium, & glutinosiorum, & eorum partium eius generis omnium vt intestinorum, vt glãdularum, quæ animella appellantur, præterquam testis gallinaceorum, caro quoque auium aquatilium atque etiam grauiorum vitandæ sunt, vt anserum, pauonum, tam nostratium, quam Indorum nisi parui & teneræ ætatis sint. Caseus pariter, & durata oua, & quæ ex ouis, & farina triticea fiunt, eo vero magis in tenuioris, & lenioris generis cibis erit manendũ, quo minus se se exercendi in curru, aut alio pacto mouendi facultas fuerit. Cum enim a lectulo non discedet tunc ex auiculis potius cibus petendus, & minoribus pullis gallinaceis, quam quadrupedibus, aut grauioribus auibus.

Et quoniam oximellite cum his vti consueuisti, est animaduertendum, ne fluxionum tempore, & dolorum id facias, quando & penitus ab aceto abstinendum. Cum somni difficultas est, idem erit faciendũ, & elixis potius quam assis vescendum maxime ad vesperum. Fructus nisi in modicum vsum dentur, nescio quid boni præstent. Amigdalæ cum somnus procurabitur, cum vrina non respondebit. Fraga cum renes iuuandi expurgatione, & refrigerio, & item malus punica, semina frigida omnia, mora & maxime canicubi. Iuiubæ vero, & passulæ acriori vrinæ mitigandæ idoneæ sunt, vt etiam sebesten, & flos dictus cassiæ, si inter fructus sit censendus, atque pruna, & conditus eorum succus. Pistacia suspecta renum causa haberem nisi summa temperantia capiantur, multum sua medica in iecore deobstruendo facerent, sic parum admodum nutrire possunt. Nuclei pinei tutiores renibus sunt, crassi tamen succi non abunde sumendi. Asparagi, feniculum, petrosellinum, cinara omnis generis nisi cum tuto lotium potest, & debet moueri edenda non sunt, lupuli, borrago, buglossum, & spinacium renibus tutiora censentur, & lactuca quæ cum somno est opus aptissima est. De panis genere id tãtum dicam, quòd quo puriori farina fuerit confectus, eo plus lentoris, seu glutinis habebit, & quo minus fermenti, eo crassitudinem maiorem. De vino etiam pauca dicenda. Sat enim constat, quòd tenue, & pauciperum esse expedit, ac maturum, ne caput articulos ve petat, neve renes exasperet, album quidem cum vrina mouenda est, rubrum cum vrinæ motio metuitur.

Omne quidem vinum præcipue initijs dolorum, fluxionumque circumcidendum, eiusque in locum aqua ex coriandris sufficienda illud nunquam valde

A refrigeratum, minimeque ex vite bibendum ventriculo non facile patiente.

Vinum modificatum non sine delectu, & consilio accipiendum, vt, quod ex aqua Guaiaci, aut alterius rei diluitur, vel ex ipso Guaiaco conficitur, aut ex alijs medicamentis. Cuiusque enim eorum sua opportunitas est, de quibus omnibus illud cõmune ad mouendum est, quòd quæ calore extenuãt humores nisi intermittantur, tandem eos crassefaciunt, exsiccãdo nimirum parietes vasorum, quorũ squallore sanguis crassescit. Itaque post purgationes certis diebus illę potiones possunt dari, vini nempe ex Guaiaco, & betonica, pimpinella, agrimonio, cetrach, absynthio, aut eiusmodi, postea demittendæ. Vinum quoque ex cerasis acidioribus poterit multo commodo post

B corporis curationem dari, in quo non solum pulpa, sed officula sunt, cauenda quidem certe est potionum, seu vinorum varietas in eadem maxime mensa. Vini autem modus moderatior semper sit, nam largior potio primam coctionem vitiat, vinum verò facile etiam crudum in venas omnium partium influit, & multa incommoda parit, & plura, ac maiora, quam, quæ ex cibi intemperantia timentur, cibi enim largiores ventriculum, quidem onerant, at non ita facile suum incommodum iecori, venis, capiti, cordi, & alijs partibus impartiuntur quin sæpe aluo defluunt. De aqua præsertim Romana non possem me breuibus expedire, certe fontana grauior fluuiali in statera agnoscitur, vnde crassior, & ventri grauior putanda sit, siue illas etiam ex ipsis accipias, quæ in

C castris diu resident nihilominus fontana facilius corrumpitur, & citius calfit, fluuialis tamen depræhenditur, arenulas in vrinis mouere, num vero id abstergendo, cum metallicum quid referat, an partibus quibusdam calidioribus calefaciendo faciat quando id suo ex corpore esse non potest, nunc definiendi tempus non est. Cocta ea certe vti tutius est, quoniam cum mixtum valde imperfectum sit, per ignem ad naturam simpliciorem reuocatur nimirum ad aqueam, & ita tennior, & leuior euadit, in ea verò potius coriandra, quam aliud incoquerem, quoniam moderatum coriandrum quietem non motum humoribus affert.

De motu corporis sat erit, si dixero eum, cum fieri

D potest, & dolores non sunt, aut inclinant, non esse prætermittendum. Ieiuno autem ventre modo habendum, ita tamen ieiuno ne corpus cibi indigeat, fameve tentetur, imo neque prandia quidem longius differenda, aut corpus abstinentia cruciandum ne per famem acrior facta vrina Renes incalfaciat irritetve.

Minus pedibus diu insistendum, aut lapidoso solo in Rheda iter faciendum; potius lectione clara se exercendum. In dorsum minimè quiescendum, aut cubandum. Eidem dorso neque multa veste calor nimius, neque leuiori frigus procurandum, sed moderatio summa seruanda, quæ capiti quoque maxime studio quæri debet, & summopere cauere ne subito frigore, aut calore ipsum moueatur, neve à gra-

E uiori eius integumento ad leuius subito, & sine medio traducatur, aut e contra. De animi perturbationibus id dicerem, quòd iracundia proxime ab accepto cibo incitata caput, & Renes crudo succo replet, ieiuno autem stomacho, & cibi indigente, quo tempore propter acrem humorem ad stomachum labentem facilius ipsa mouetur, Renibus æstum parit, illisque maxime nocens est, Eapropter iracundia, cum semper, tum duobus ijs temporibus magnopere vitanda est, non dixerim coercenda, quoniam compressa peior, & diuturnior efficitur, & magis lædere hominem consueuit.

Sic verò corporis totius ratione habita, partibus ipsis sua quoque curatio instituenda est, Caput ipsum

sum

sum ergo egebit, vt excrementa sua eliciantur veluti sternutationibus matutinis, & spuitionibus, & ipsius lotionibus, & medicatis, hic verò paulatim, & lente erit assuescendum, quoniam iam desueuit, summa præterea cura habenda, ne aut calore, aut frigore, aut valentioribus frictionibus caput exagitet pro necessitate verò lixiuium medicatum erit comparandum incoctis saltem betonica, aut salsa parilia, aut china, aut channarum radicibus, & simili re a quibus exsiccatio sine calore speratur, chamemelum item cum rosis eandem operam videtur polliceri. Agaricum, & sena non nisi, cum attractio tuto fieri poterit hoc est, post purgationes videntur profutura.

Cuius senæ hic potius folliculi, quàm folia, quòd sint immaturi videantur opportuni. Saponis etiam genus erit attendendum, vt nisi tuto attrahi poterit, calore careat, & valenter exsiccat. Verum enimverò si defluxionibus per hoc satis occursum non videatur, operæ pretium fuerit vlcus in humero inurere inter latus anterius musculi humeralis, & secundi mouentium vlnam, quo loco non sunt venæ, aut nec vi nisi alte admodum siti, neque dolor in membro mouendo cieri solet, in vlcere faciendo, si potentiale cauteriũ sit videndum, vt, qui manum adhibet, vsum illius habeat, & certus sit quo temporis spacio vlceris satis efficiat.

Si cauterio actuali, hoc est, candenti ferramento fiat, videndum, vt omninó candens illud sit, cum admouetur, sic enim & sensum citius adimit, & opus celerius pleneque perficit, cum vlcus seruandum est, tunc pilula ex ligno, aut sambuci, aut hæderæ commoda est, vel ex filo lineo nondum purgato, ciceris granum eandem magnitudinem non retinens sæpe est incommodum. Ceræ quidem pilula commodior, sed minus attractionis habet. Hæc dicitur capitis prouisione. Artubus sua quoque attribuenda est, ex quibus ischium proprie, quoniam altius situm est adstringentia respuit tamquam recentia, & postulat ea, quæ ex alto attrahunt, vt emplastrum, vel fomenta ex helenij radice, vt oleum ex Terebynthina, & aqua vitæ dicta, vt oleum ex cæra, & iuniperi ac similia. Pedes vero, & manus, maxime vero pedes id obseruationis efflagitant, vt cum dissoluentia medicamenta adhibemus, semper cum illis etiam adstringentia permisceamus, quoniam extremæ, & de fluxionibus obnoxiæ partes, vt supra est propositum, aliter tractandæ non sunt. Vehementer ergo exsiccantia ijs partibus tuto datur, vt saluia, rosmarinum, sideritis illa prima dicta saluiæ syluestris species, vt verbascum, adstringentia vero etiam, vt cupressi gallæ, rosæ, quæ omnia commode ex aqua marina, aut communi admixto sale coquuntur, & ex eo decocto lotiones fiunt, aut vapores immittuntur, qui vapores valentiores sunt, vsu ipso depræhensi, si etiam salsa parilia, si china ipsa incocta sit, apponitur, & sal tostum cum oleo rosaceo, vel chamemelino, cum aqua vitæ, aqua chocleani, & oleo iuniperi. Valentius adstringentia, quæ quidam inijciunt, vt est alumen, ego non probarem, ne materia adstricta peius aliquid intus moliretur, Atque hæc omnia potius inclinante malo, & post corporis totius curationem superius descriptam adhiberem. Tempore autem doloris, seu defluxionis cum mitigantibus leuiter adstringentia, vt lege defluxionum præcipitur, componerem. Carnes crudas bouillas quidam sibi vtiles experti sunt, alij alia.

Quidam opio sibi dolorem multas horas sustulere, sed periclitantur ne claudi fiant, oleũ lutui ouorum cum flore cassiæ, cum oleo amigdalarum, & similia tutiora sunt rosaceo adiecto, aut etiam vino. Ac de artubus quidem tot dicta sint; Dentium cura eiusmodi esse deberet, vt prius ipsi diligenter detergentur, deinde gingiuæ nutriuntur, & a nimio humore, quo ipsi perfusi labant defenderetur. Deterget eos sine concussione aqua stillatitia ex sale, & alumine, vel oleum sulfuris, aut calchanthi adactum, ita ne gingiuas tangant, quod erit, si stilo ligneo spongioso accipiatur, nam bombice seu colone acceptum magis diffluens est, & non ita certo loco incutitur. Gingiuas nutriret mel rosaceum cum paulo aluminis rochæ combusti, quod etiam dentes a defluxu potest defendere.

Defendit etiam vinum in quo rosæ, & Guaiaci lignum fuerit incoctum, vel in quo alumen mastiche, rosæ, gallæ, cipressi, vel in quo Cerui cornu combustum, semina acetosæ, violæ, rosæ, aut aliquid eius generis. Dealbandis ipsis opera credo frustra dabitur, quoniam corpore proprio male nutrito nigri sunt non sine aliena. De minctu autem arenularum non est prætereundum, quod sæpe potest incidere, mouendi eas necessitas, & quòd calidioribus rebus id faciendum non est, nisi moderentur, quare si oleo Terebynthinæ vti erit in animo, illud ex iure frigidiorum dari potest, quod sane non solum arenulas mouere, sed renes maxime expurgare, & confirmare potest, semen illud erysimi, seu eruæ syluestris ego tamquam impense calidum respuerem, & si maximarum virium esse experiamur, quod enim futurum est etiam prouidendum, ne scilicet aliquid vitij renibus, vnde incommodum maius metuendum sit, inducatur.

Itaque ego neque facile aquam illam darem, quæ ex nucleis persicarum, & cerasorum, floribus verò sænapsuçi, & vino maluatico stillatitia fit. Ononis ergo mihi magis probaretur quamquam in secundo calida habetur, tũ verò ipsum agrimonium cætrach betonica cap. Veneris, quòd minus calida sint. Radix vero rubi, quod frigida, vt alsine, helxine, & alchachengi. Gramen etiam, semina mespillorum, lapis iudaicus, lapis spongiæ milium solis, saxifragia maxime quę ostiocollon dicitur, & eius generis alia multa quod carent calore.

Sunt alia præterea, quæ calidioribus temperandis, asperioribus leniendis vtilia sunt, vt Nymphea, Althea, Malua, Farfara, rad. acetosæ, bardanæ, radic. citrulli, parietaria, verbena, mille folium, portulaca omnia semina frigida, iuiubæ, papauer, violæ, plantago radic. dulcis, & mille aliæ res, quæ a Medicis notatæ, & monumentis mandatæ non egent, vt literis his consignentur, præsertim quando Illustrissimæ tuæ Do. non desunt magni Medici quorum præsentium tutissimis, & prudentissimis consilijs vtitur, qua quidem certe de causa ego nisi iussui tuo fuisset obtemperandum, nisi suspicio negligentiæ fugienda præterire hunc laborem scribendi potuissem. Illud quidem certe præterire non possum, quod frigidioribus tempestatibus, atque etiam temperatioribus vsus pilularum de rhabarbaro a Mesne descriptarum cum tertia parte agarici trociscati, aut portiuncula colocynthidis, mihi videretur maxime opportunus ob id experimenti, quod de eis habeo, nam vias vrinæ, purgant, & fluxionum omnium materiam, ac finus omnes viscerum expediunt, tamen robur continentibus partibus, & vijs omnibus conciliant, vt fluxiones, & rheumata antiqua viderim horum vsu sublata. Diu vale, & mei memor sis, neque vnquam obliuiscare meam operam tibi esse addictissimam. Romæ ex ædibus.

De mingendi, & coeundi defectu pro Excellentissimo Hieronimo Nucio Cap. Appell. Romæ cum Lelio Biscauiantio Fontio Vgubino Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLXII.

CAsus is, tã euidens certe obscurissimas sui rationes & causas habet, vnde cum doctrina intelligatur a te tamen exacte admodum tractatus mihi apertus magna parte videtur, & si tecum in eius proxima causa nõ sim. Vir Excell. ab ineunte ætate semper in mingendo sensit quandam tarditatẽ, & interruptionem, & si large lotium exiret sæpe, postquam B adultior factus est, & itineribus vsus est in regionib. etiam frigidioribus peius habet, nam cum mingẽdi necessitas est, numquam simul ac vult vrina procedit quin sæpe deambulandum ei prius est, dũ etiam mingit exitus interrumpitur, aut certe retardatur. Interdum tamen interea largissime lotium effluit. His accedit, ꝙ cum superiori ætate in vsu veneris esset valẽtissimus nunc, & rarissime potest, &, cum adit coniugẽ, ante emissionem seminis vires tẽsionis penis deficiunt, a cuius rei ego consideratione incipiam, vt a posteriori in priora facilius, & expeditius recurram, symptoma hoc quamquã euidens tamen est determinandũ definiendumq; est, vt quid inferat causę certius agnoscatur. Ego non video symptoma hoc necessario pertinere ad seminis ægestatem, aut vllum C eius vitium primo, vt eo, aut deficiente semper actio illa intercidat abundanteque sustẽtetur, aut deficiat semper eo quod semen malum sit, minusq; spirituum habeat in se ipso, vt tu existimas, quãdo vt sunt multi semine abundantes pene ipso infirmissimo non solum senes, sed etiam iuuenes sic e contra ego etiã vidi castratos homines diu posse inire mulieres, & penem diutissime rigidum seruare, nihil tamẽ seminis, minus spiritus eius habere poterant nihilque emittebant, nisi humoris nescio quid liquidioris, & exigui, qui paulatim instar saliuæ pro manabat, defectus ergo seminis, aut proprij spiritus illius non est in causa primo per se cur penis minime se sẽ sustineat in actione illa, erit potius in causa cur homo nõ facile cupiat D nõ verbis, aut visu mulieris moueatur, sed penis non nisi adhibita tractatione, & consuetudine cõplexuque mulieris erigatur non enim est tantum seminis ꝙ vrgeat ad sui eiectionem, quod etiam nõ faciet in castratis etiam in eo, qui ante castrationẽ, vsum mulierum habuerit; in hoc enim rarenter etiam mulierum memoria penis vis afficitur, & spiritũ ad sui tensionem attrahit cur ve spiritum, & iecur vna sanguinem eo cogant memoriam illa mouente, nisi, vt dixi contactus mulieris quoque intercedat, de his .n. multa ex castratis ipsis cognoui, propterea aliud est, si postquam intensus est penis cito langueat, vt de multis scio, aut si raro, & lente moueatur, aliud est, si semen non eijciatur, aut illud vitiosum sit imperfectũve, alia enim est seminis, alia virium via, is semen eij E cit, modo actio eo languore non interrumpatur, & cito etiam id facit. Ego itaque lãguorem hunc penis intercidentem primo, & vi sua in defectum sanguinis halituosi referrem, quo penis cum se ipse attollit trahitque intẽdi debet, qui defectus in sanguinis halituosi citam dissolutionẽ proxime referatur ea verò in tenuitatẽ, & exiguitatem illius, non in calorẽ dissoluentem, & cutis atq; cartilaginum raritatem, quo niã quamuis alias illis partibus fuerit validus, & calorem sic queant denotare, nunc tamen multa est coniectura, ꝙ refrixerint eo facto melãcholico, & actione & vesicæ sic infirmata, imo a natura fuisse frigidiores indicat vetus actionis mingẽdi tarditas, vnde ipsum valuisse in coitu vi viscerum, & sanguinis florente ætate calidioris, & semen plurimũ edentis indicium est, qui inclinãte ætate, & melancholicus, & crassus factus minus id valeat. At flatuosus sic esset, & magis deberet valere, alia causa sane est necessaria quæ in naturali ipso hæreat, quę est angustia meatuum spiritus ipsos, & sanguinem deferentium, sic enim, & nimis tenues tantummodo penetrabunt, & non multi, vnde diutius dissipentur, tenuitas ergo, & exiguitas in meatuum angustiam, & in frigus quoq; ipsius ventriculi referetur, quod mirum in modũ spiritus partium harum naturaliũ solet retardare, iam proxima causa huius symptomatis mihi dicta videtur, & quæ potior est, accedat modo altera, ꝙ etiam vasa seminis frigidiora facta sint, semẽque exiguum parent, & minime mordax, minimeque crassum, illa augebit hãc infirmitatem, eo quod tardius irritabit naturã ad sui eiaculationem, nam quamquam Gal. irritationis maximam vim det vasi sinistro seminali eo quod inferat sanguinẽ ab emulgente, iam seri, & renis vim referentem quamquã acrius semen sæpe a calore sit qua etiã est tenuius, crassitudo tamen seminis, qua copia spirituum fere fit, vnde illis solutis liquescit, suo spiritu magis incitat, & citius effertur, & longius, angustiæ iam dictę meatuũ causa frigus proprium partium illatum est, quod cum a natura, tum a viuendi modo existit, & humore ipso melancholico, & ventriculi consensione, valde enim, vt dixi, naturalia a ventriculo affici consueuere. Quæ cum ita sint in ipso pene, maxima etiam coniectura est vesicam quoque, tum natura, tum alijs dictis causis propter frigidiorem intẽperiem existere, & densitatem corporis habere, ac quemadmodũ vteri frigidi densi sunt, & inde infirmiores in munere suo obeundo, sic vesicæ potuit accidere, vnde ipsa non tantum spirituum accipiens minus valida, neque bene se se alat neque valide munus excernendi exerceat, nam cum duplex munus naturæ eius sit, & quatenus similare ad sensum est corpus, vt se se alat, & quatenus organicũ, vti publicę vtilitati inseruiat, vtrumq; naturale & excretricis naturalis munus est, animalis etenim facultatis nihil operę in excernenda vrina datur, nisi quod musculus colli, seu oris illius laxatur ea facultate non agente, sed quiescente, inferiores autem musculis abdominis sub pube siti agendo non omnem, sed valentiorem quandam, & exactam compressionẽ iuuant, vitia itaque quibus interrumpitur, & coitus, & minctus, nullum ad animalẽ facultatẽ, seu neruorum deprauatione, & facultati inseruientium, sed ad naturalem tantummodo, quando musculorũ eorũ actio impedita minctũ non retardaret adeo quin melius vrina procederet, oris vero vesicæ musculo occupato potius lotiũ non contineretur, vesica vero infirmiori, & ineptius corpus assequuta cõpressio valida fieri non potest, & tunc maxime cũ frigus aliqđ senserit, facile verò ẽt meatus vrinarius cõniuet. Ille enim vi vrinæ expressæ dilatatur, non impulsionis lotij egeret, quo dilataretur, ac vt lotiũ calidius, & mordacius est, atq; copiosius, sic plus tarditatẽ vesicæ, & torporẽ incitat ad sui expressionem, nisi tanta copia sit vt vesica illud tractare non possit, tunc .n. potius minctio retardatur, quod intermissa diu minctione ei sæpe accidit. Huius generis ego esse vitia proposita statuerem, neque de catuncula, aut calculo suspicarer, quoniã nulla eorum propria indicia sunt, aut vnquam fuerunt, sunt verò quædam, quæ recusent, nam larga minctio identidem incidens catunculam non patitur. Spatio autẽ vno temporis perficiẽte ad minctũ retardatũ, ambulatione ve vnde ẽt larga vrina procedat nullo vero põdere nulla molestia, aut ardore, vel ex cõcussione vnq̃ incitato lapidem subesse nõ possũ iudicare. Illos verò sic propositis videm⁹, ꝙ intẽperies frigidior est, ꝙ nõ põt non cũ similib. re-

crementis diu fuisse quibus etiam ipsa augeatur, ne dum conseruetur. Quę nisi amoueantur semper peiora fient, & in vitæ discrimen virum deducent. Remoueri autem penitus non poterunt ita, vt possit sano homini prorsus conferri, meliora tamē adeò fieri poterunt, vt incommodum insigne, aut valde multum ei superuentum non sit. Liberetur ergo prius ab humoribus crassis corpus vniuersum, tam melancholicis, quam pituitosis, postea partē ipsam, vt expurgata queat a frigida intemperie liberari per calidiora medicamenta. Ventriculo ergo, & aluo ipsa ab illis recrementis, quę in eis versantur leuata exempli gratia cum ellect. lenitiuo, & de hiera, vel cum melle ros. solut. & manna parentur illi humores per mel rosaceum, per syrupum de betonica, & de boragine purgentur postea cum expressione senæ, & polypodij in qua dissolutū sit ellectuarium hamech, & mel ros. solut. cum eadem manna, quod detersione sua summe faciles reddit purgationes, subinde purgētur per sudores, & vrinam, qui in remotioribus, & propius vesicæ locis siti sunt, vt cū potionibus ex china, demum adhibeantur loco affecto, quæ intemperiem tollant, vt fotus, vt balnea externa, vt suffitus ex balneis quemadmodum puteoli fit, quos credo summopere facturos huic malo. Illitiones etiam oleorum, & vnguentorum idoneæ erunt, & maxime olei stillatitij terebynthinæ, iuniperi, cæræ etiam aliorum vsitatiorum, vt etiam balsami occidentalis, & petrolei. Vsum vero maxime terebynthinæ probarem, in qua propensio maxima ad illas partes est, & vis digerendi concoquendi calfaciendi moderate, & confirmandi ipsas membranas. Vsum quoque aquæ thermalis alicuius sulphureæ maxime laudarem, vt sunt patauinæ, vt viterbienses, quibus intus, & extra adhibitis maxime iudico iuuatum iri. De uictus ratione nōn est hic dicendum, abstineat a frigidis crassis lentis, & crudis cibis, ab ære frigidiori, teneatur vero a frigore maxime extrema, & petinis locum, foueat vētriculum, venerem penitus non dimittat, sed consultis viribus naturæ coniungem soletur. Tristitiam fugiat, & a cibo motum in rheda, quoniam illas partes eo tempore excrementis crudis onerat, vrina crassa in multis sub eo motu progressa id ostendente. De missione sanguinis non memini, quoniam metum a sanguine nullum video si melancholicus aperta vena exiret tunc tamquam copiosus, melancholicus metum faceret, sic eum certe mitterem, si tumerent venæ ani illas etiam laxarem, modo niger sanguis exiret, alioquin sanguinem retinerem. Dixi.

De doloribus alui identidem incidentibus pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Antonio Caraffe Cardinali Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLXIII.

VEhementer sane optarem vir Illusſ. vt quantopere tu mea tibi omnia studia deuinxisti, tam ego vtile consilium tibi nunc posse explicare, sic .n. studio, & proposito meo opera ipsa responderet, neque tu minoritu ę valetudinis cōmodo ipsum esses exequuturus, quare me magna videatur ea mei apud existimatio qua cū ipsum rogaras, iā ego rē omnem cum opt. Curamelle Prophys. cōmunicatam, eādem vero iussu tuo his litteris consignatā sub oculis constituam, sic ego differebam, dolori ventris, quoniam non præsens est, sed accedere cōsueuit, esse occurrendum, nimirū causas illius esse remouendas, quę, cum veteres sint, non per vim non valētioribus remedijs, a quibus nimis natura eas iam complexa concuteretur, sed leuioribus diu adhibitis sint tractandæ, prius verò diligenter cognoscendæ, in quibus natura corporis priores vires habuisse eū videatur, ea prius exponenda est. Corporis calor luteus tenuitas cum pilis, & notis reliquis ipsum calidum, & siccū esse denotant, quod intemperiei genus non a corde, sed a iecore extitisse declarant ipsi animi mores qui tēperati, mites, benigni, & faciles necessario non solum tēperatius, sed humidius, & mollius cor sequuntur, cuius ipsi propriè notæ sunt, quocirca si facile cor ad irascendum sit, id non caloris superantia, verum facilitate eadē accidit, & spirituum tenuitate, quæ ab humidiori natura est, qui animi motus maximè concitatur ore ventriculi morsum caloris, & siccitatis iecoris sentiente, corque vna secum afficiente. Solet quidem caloris vis in cor referri, cum fons caloris existat, siccum verò, & humidū in iecur, a quo materia alimenti est, huius tamen tēperamenti calidioris occasio a iecore necessario est, cum cor caloris non conuincatur, iecur ergo ita caloris causa erit, quoniam cor ei non resistit superantiam frigoris non habens, potius materiam spirituum a iecore affectam accipiens, quę partibus suis humentioribus tenuis, & biliosa sicciorib us autem crassa cum sit, & melancholica, spiritus dictæ facilitatis sub opera cordis parit. Ex quibus euenit non solum, vt corpus minus carnis habeat crasso sanguine sicciori existente, sed vt spiritus etiam tenuiores ex ea materia, & humidiori corde confecti, & dissolutu faciles maxime in capite calido, & humido sint, vnde æstatis tēpore tu te capite infirmo sępe esse credas, & cum somnnm supra morem producis, etiam capite male habere videare. Ad ipsum quoque iecoris genus sequuta est illa diuturna, & fæua scabies in priori ætate qua vix tandē per succum cicoreæ euasisti. Corporis totius natura hæc principia habet suę siccitatis, & caloris, caput modo calidius quidē aliquāto est, sed humidius potius vt ex somni modo intelligitur, quod etiā oculorum magnitudo declarat. Ventriculi quoque natura humētior, vt squalloti iecoris resistit, sic capitis humiditatē auget, intelligitur autē ex lubrica aluo, & ex largæ potionis appetentia, quæ a vehementi quidē iecoris siccioris succu excitatur, maior tamen fit in ventriculo suā humidam temperiem tenere nitente, frigidiot quoque ex occasione saltem est, nā caret multo præsidio eorum, quæ sibi in munimentum caloris a natura data sunt nimirum abdominis crassitudinē facientibus, tenuia enim ea omnia sunt, vnde diu male concoxerit cruditatibusque frigidior euaserit, & pepererit eā pituitæ copiam, quæ dolores ventris attulerit, vt excreta ipsa aperte illos secum abstulit, quæ etiā interdum a calore iecoris effusa, a renibusq; attracta per vrinæ multam copiā eiecta est, corporis ambitu sudori inepto, tum quod materia crassior ad extima non penetret, tum quòd si quid eius tenuioris in carnes peruenerit, id earum calore conficiatur. Neque enim ego putarē causam, cur non sudet corpus esse ipsam cutis densitatē, quoniam sub ea angustia meatuū, qua sudor prohiberetur valetudo nimis incōmoda fuisset, & febribus saltem ephemeris creberrimis obnoxia corpore birioso existente, imo vitā hucusque produci passa nō esset, magnam enim angustiā meatuum eam esse opus esset quæ sudorem impediat, adeò vt non solum ephemeras, quæ a leuiori angustia etiam fieri solent, quā sudor prohiberi queat, sed synochas cum putredine attulisset, & lætales causones, qui manente tanta angustia minime fuissent curati, & cum Gal. lib. epid. copiam lotij in ægrotante quodam refert in cutis angustiā, ibi ea angustia in corpore admodum ægroto est, quale nostrū non est, sed ad temme refero, multum bilis, multumque pituitæ in isto corpore subest, & ætate iam inclinata etiam melancholici succi, qui in naturis calidioribus, siue sanguinis, siue bilis multū habuerint, excretione vero humoris eius caruerint, solet hac ætate abundare.

Cum itaque cor ex sanguine sibi alimentum assu- A mit, spiritumque creat, eius parte tenuiori, & humen tiori quæ sibi duriori alendo non est percocta, non potest ita multam spiritibus bonis gignendis materiam elicere ex hoc sanguine ficciori. Itaque dici potest, quod corpus istud caloris quidem naturalis exiguum, ignei autem multum habet. Vnde eo calore maximè vĕtriculus deficiat pars frigidior, & post vĕtriculum caput, a quibus partibus pituitę parentibus sic calore defectis illa maxime abundet, quamuis in capite a temperamento calidiore ipsius, & propter humidum etiam laxiori textura multum pituitæ dissoluatur, ex quo fit, vt cum per longiorem somnum spiritus cerebri refrigescunt, neque pituita illis satis dissoluitur, caput grauitate tentetur. A ventriculo verò etiam alia ad intestina deuoluta dolorum ca- B sum minatur. Pituitam in vaporem dissolutam e ventriculo per venas, & arterias in caput attolli, indeq; amisso calore deferri concretiorem cuique notum est, dum autem e capite delabitur, potest varias vias tenere, tum per venas, antequam cerebrum sub specie alimenti attigerit, tum per vias neruorum, postquam superans cerebri alimenti coctionem, transmutationemque per membranas emanando, vel in alimentum neruis a cerebro demissa illorum quoque alimento fuit superuacua. Per exteriorem cranieum, quando eadem fibrarum cursum sortita fuerit, quæ cerebri membrana cum pericraneo colligăt vnde quidam dicŭt potest toto corporis ambitu inter ossa, & periostia diffluere, quod certe nŏ sine om C nium earum partium dolore, & eo quidem graui fieret.

Per palatum cum alimentum cerebri superauerit, & in sinus illius deiecta fuerit, qua via etiam noctu potest facile, & paulatim per œsophagŭ per obscuram deuorationem in ventriculum delabi dormiĕte homine, aut etiam per membranam deorsum emanare, quæ sibi cum palato faucibus, & gula, atq; ventriculo communis est. Sic a ventriculo in caput, a capite in ventriculum reuoluta firmiorem sibi generationem propagationemque comparat, cuius pituitæ vim auget, quòd in biliosо corpore hæc ætas, vt dicebam, melancholici humoris causa est, a cuius vapore ventriculus refrigeratus pituitæ plus creet, cuius creationi studia, & diuturnæ animi applicatio- D nes ad negotia, & ad disceptationes valde fauent, hæc itaque abundans cum a iecore bilem quoque aquosam (quoniam ex materia non ita exacte in ventriculo confecta id genus bilis in iecore fieri consueuit) secum accipiat, cui propter liquorem illius facile admiscetur, fiunt interdum illi dolores, & non solum frigore ipsius pituitæ, quod frigus tangenti, tam sæuum nŏ videtur, sed tensione, dum illa in halitum diffunditur loci ipsius calore, & morsu quoque illo; quem a permixta sibi bile consequuta est. Miscetur verò bilis non in ventriculo, sed in intestinis, propterea, si euomatur non cernitur biliosa, vt si per aluum deijciatur, quemadmodŭ fere cernimus in vsu concretionum, quo biliosa potius infra pituitosa verò supra videmus expelli, quod contrarium est dicto E Hippocr. loquenti de purgationibus per valentiora medicamenta faciendis, & a toto corpore trahentibus, non de ijs humorum eiectionibus per leuiora factis, & quæ tantum in proximo sunt efferentibus. Locus doloris infra vmbilicum est, ita non color intestinum, sed tenuiora dolorem perpeti necesse est. Hæc sunt quæ in tuo corpore subesse existimo, & metum dolorum faciunt, quibus omnino occurrendum cum sit, facile fieri posse sum arbitratus. Humoribus namque detractis, qui intemperiem partium conseruant, temperari partes poterunt, Detrahendi verò prius hi sunt, qui in ventriculo, & in intestinis sunt, deinde qui in reliquo corpore, & hi præmisso suo apparatu, & per purgantia medicamenta detrahendi, quoniam qui in hypochondrijs sunt, alia via euocari si incommodo nŏ possunt, cum eo verò hæc via facilis est, & minime incommoda, quoniam post purgationem intestina colligi, & confirmari possunt.

Primo ergo loco mihi idoneum videretur medicamentum ex melle rosaceo solutiuo, & Manna, vtrisque vi maxima detergendi prædictis, vt duæ partes essent mellis rosacei tertia Mannæ, quòd si casu aliquo potio aliena videatur, horŭ loco Electuarium lenitiuum cum pulueribus hieræ, aut cum electuario ipso hieræ mihi videretur percommodum. Quod medicamentum in dies etiam post purgationem vtiliter valde acciperetur ad dolores vitandos, ita vt modo hoc, modo diacatholicon cum pulueribus hyeræ, & myrobalanorum caperetur, partim enim pituitam educeret, partim confirmaret locum humores etiam detrahendo.

Quæ parant humores ad purgationem exĕpli gratia mihi esset, mel rosac. simpl. de succo betonicæ, & boragini, & lupulorum cum aquis eorundem adiecta cicorea. Medicamentum purgans facile esset ex eodem melle rosaceo, & manna ac præterea expressio rhabarbari ex decocto maxime polypodij cum his, quæ gratiam conciliant medicamento cum stomacho, vt cinamomo, & similibus. Post hoc medicamentum potiones aquæ te[illegible]cij subiŭgerem, quibus maxime ventriculus, atque intestina, & purgari, & firmari possent, easque quatuor diebus cŭ minimum septem cum maximum exhiberim. A qua si opus esse iecori maiori purgatione non videatur syrupum de cicorea nicoli cum rhabarbaro diebus darem pluribus diligenter confectum potius quam aquam villensem; cum validius remedium sit ratione affectus præsentis. Quod si satis ex purgatio præstitisse non videatur, serum caprinum exhiberem, & quidem medicatum non solum melle rosaceo immixto etiam solutiuo, cum parum mouere videbitur, sed succo fumi terræ primis 7. diebus, deinde septem alijs cicoreæ, & betonicæ. Vsus clysteriorum sub ipsa purgatione erit perutilis præsertim, si ex aqua tetucij fiant, aut decoctis chamemeli, saluiæ, rorismarini, fænugræci adiecta ℥. 1. Terobynthinæ, quandoque etiam vino adiecto, sic enim maxime intestina, & ventriculus confirmabuntur, & purgata sanescere poterunt. Exterius admouere multa non curarem, conuestitum bene ventriculum vellem, vt consueuit, & ventrem etiam fascia succinctum, quo multos vidi a dolorib. intestinorum seruatos, vitares etiam matutinum, & vespertinum frigus maximè extremorum, nimirum manuum, & pedum diligentia tunc maiori adhibita cum tempestates boreales fuerint, & illæ quidem subitæ aduenerint. Ciborum delectus is esse debet, ne ipsi sint duri, crassi, lenti crudi, aut nimis austeri, seu acerbi. Vitandi verò panes grauiores, & ex farina valde pura ob lentorem, vt carnes etiam crassiorum animantium, & vetustiorum, glandulosæ pręterquam testium gallorum omnes fugiendæ quemadmodum quæ animellæ vulgo dicuntur, membra nosæq; omnes. In piscium delectu eadem obseruatio habenda, qui sane forsan omnes fugiendi ni admodum exigui sint, omnia certe aquatilia, & terrestria animalia sanguinis expertia, oua item per coctionem non mollia, & pultes, in quibus illa concreta sint. Caseus præterea omnis, & præcipue, qui in pultibus percoctus, vel omnino permixtus fuerit. Ex his quæ terra nascuntur in primis cucurbita fugienda, tamquam intestinorum doloris mater, & castanea, ac fungi, & cætera præter pauca quædam vti vuæ passæ pinei nuclei aqua purgari, amigdala, & pistacia, vt borago, buglossum, melissa lupuli, & cicoracea.

Asparagi nimis sunt intestinis nocentes, cappares calidiores sunt, nisi percocti admodum sint. Meliores erunt pultes ex hordeo cum cinamomo & saccharo, ex farre cum paulo aceti, aut ex trito pane. Mala citonia ex sacharo, aut melle condita, quoniam diu percoquũtur si aliquid aceti incoctum sit, erunt admodum opportuna, Mala Apia etiam sine aceto sic ex sacharo condita diutiusque percocta alioquin flatuosa sunt, & omnino vitanda in cibis sumendis omnis animi solicitudo remittenda, & nunquam in ventriculum demittendi ipsi nisi bene commansi.

Summus autem delectus ipsius vini habendus Romam præsertim vbi eius varietas in suis generibus, & in anni temporibus maxima est alia enim vno, alia alio anni tempore bona sunt, vt centula dictum, quod cum stomacho aptum semper sit tamen e priori tempore ventriculo graue admodum est, & tarde nimium descendit, ac permeat. Albanum etiam, quod optimum videtur aliquod tamen est, quod primo tempore crudius est. Qua in re tutius crediderim vina experimento comprobare, & inde eorum notitiam, & sui corporis tenere num cito digerantur, & sitim facile extinguant, caputque non tentent. Vini modus a siti non vitiosa metiendus, illudque cum aliquanta semper aqua permiscendum qua leuius, & tenuius sit, & facilius sitim extinguit. Ea vero Romæ vbi omnis aqua suspecta est, percocta esse debet a calore enim ad simpliciorem naturam reuocatur alieni generis res in imperfectis mixtis segregante nunquam vero permiscente nisi, quę suapte vi conspirant, aut prius in conspirationẽ mutando conduxerit. A cibo Rhedæ motus fugiendus, quo caput renes, & intestina cruditatibus replentur. Studia pariter, quæ vacuo ventre exercenda sunt, ipsa tunc quoque, ante fatigationem enim sæpe interrumpenda, & resumptis viribus spirituque a deambulatione, si opus sit resumenda, Quæ iracundiam mouere possunt maxime accepto cibo declinãda, sed de omnibus dicere nimium esset, tibi præsertim, qui neque harum rerum notitia, neque Medico prudenti careas vale meque tibi deuinctissimum in memoria habeto.

Pro D. Philippo Lignario Illustrissimi Cardin. Caraffæ Domestico cum Exc. Emanuelo.

CONSVLTATIO CCCCLXIV.

EGo sequar iudicium tuum doctissime vir in re tã rara, & statuã quod in corpore calidiori, & per ætatem recrementis exustis obnoxio, quod antea podagra tentaretur, postquam balneis medicatis pedes firmiores facti sunt, & vna meatus fortasse adstrictiores recrementa, quæ ad pedes promissa podagrã afferebant, iam in fæmoribus sistantur, & in venas laterales eorum vi maiori interiorum venarum expulsa casum hunc caloris ibi pariunt, qui quidem calor se se ex humore existere ostendit eo, quod cito fit, nam intemperies nuda, tam cito fieri nequiret, ex humore verò potius calido, quam frigido putrescẽte, quoniam corporis genus, & ætas calorẽ fert, & maxime, quòd iecur calidius semper fuit, vrinæ etiam biliosæ sunt, & pulsus colores eo calore hominem exercẽte, Num vero materia illa calidior putredinem comprehendat, ego certe suspicarer id quandoque fieri, nimirum, cum calor vehementior sentitur, & pulsus crebriores citioresque concitantur, & vrina coloratior fit, imo tunc febrem quoque ea putredine moueri existimarem. At non prohibetur actionibus suis

A febris vero cum motbus sit vniuersi corporis, necessario actiones eius prohiberet. Dico, quòd sat est si illa eas labefactet, & infirmiores reddat, ac quamuis nullum languorem sentiat, id ei non semper accidit, nam aliquando non ita alacriter munera sua exercet, & languorem sentit, & tunc febrem subesse iudicarem, quæ modo ephemeræ, modo putridæ naturæ esse potest, vt vapores, aut subsisteres citra cor, spiritus tamen inflammant, aut ipsi quoque in cor proueniunt non spiritum inflammantes, sed totis arterijs diffusi proprio, & putrido calore corpus calfacientes.

Ac quamuis in cor, neque vapores, neque calor ipse perueniat sæpe. Semper tamen vrina potest coloratior, & crassior procedere, non solum, quòd renes B hic vicinitate calfiant, attrahãtque magis, sed quod materia tandem in loco affecto pro illius, & per conceptum calorem concocta per renes expellatur, Ea autem cõcitatio caloris certis horis reuertitur, & durat, quoniam spatium ad sui congestionem cõcoctionem, & dissolutionem requirit, ac quamuis in loco vbi feruet, ac concoquitur non gignatur, sed aliunde in eum demittatur, nullum tamen frigus, & nullum horrorem excitat, quoniam sensim, vti vt gignitur eò peruenit, vbi feruore tantum eo tempore potest, quo ad id cumuli peruenit, vt sibi meatus obstruant ne perflatum recipiat, sic enim concalescendo sensum caloris parit, aut etiam quoniam non per carnes it, sed per venas a maioribus in minores deueniendo. Quibus sic constitutis necessario bilis copiam habemus, & venarum vna cum iecore illam gignentium intemperiem, & non solum earum, quæ illam in locum dicti caloris amandãt, sed quæ etiam in loco illo eam recipiunt, opus enim est vt ab accepto identidem toties humore infectæ sint, simili ergo intemperie ipsæ quoque teneantur, cuius intemperiei rationem si diligenter intueamur, videbimus quod non solum habet coniunctam materiam se continentem illam, quæ in vasis fluitat, præterlabiturque, sed alteram in parietibus hærẽtem tamquam fuliginem maxime quoniam humoris calidioris est, quod cum ita sit, non solum materia pręterlabens, sed inhętens detrahenda est, antequam intemperies leniatur, & cum lenienda fuerit, ratio quoque ventriculi retineatur, quoniam frigidioris naturæ indicia ostendit.

D Materiæ ergo percurrentis per vasa sublatio medicamentis purgantibus bilem fiet non sine apparatu eius præposito, eius verò quæ hæret detersio per ea, quæ abluunt, quæque sudorẽ mouent. Abluet serum caprinum, & vna temperabit si cũ succo cicorei propinabitur, in multa copia, vt græci proponunt, ac si ille non satis præstet, succus componatur cũ eo etiam agrimonij, in quo euidens calor non est, sin amplius incisionis quæratur, succus betonicæ, qui est valde idoneus expurgandis ipsis meatib. mel rosaceũ quoque idem poterit, quæ si non rẽ perficiet ego accederem ad sudores, quoniã venæ illæ in fæmoribus non facile, aut per aluum, aut per vrinam delatis medicamentis poterunt a sua materia hærente expediri, ijs E verò poterũt magis, quæ per sudores ferũtur, fæmora namq; sudores solent apprimè recipere. Igitur ego, aut chinam, aut, & quidem potius salsam pariliam, vt consueuit exhiberem, & per sudores eã materiam elicerem. Balnea etiam aquæ dulcis iniungerem, quę & absumerent materiã, & partes temperarent, ac ne salsa parilia ventriculo efficeret cum nullas partes adstringentes habeat. Guaiacum ego adiungerem tanta portione, quanta ventriculo ratio iusta haberetur. Sed a parte chirurgica ego auxilij plurimum sperarem, si initio purgationis vena secaretur, vel in brachio eiusdem lateris, vel in crure opposito, tandem in eodem etiam crure, nam brachij ardorem in sene totis noctibus cruciantem,

hoc

hoc pacto curaui nuper, qui misso a manu eadem sanguine continuo cessauit, & iam totum, non est amplius reuersus.

His perfectis omnia adhiberem, quæ iecori temperamentum afferrent, ei toti venoso generi, vt ex conseruis, qui rosarum, aut violarum, aut nympheæ est, vt ptisana ex cibis, vt decocta, aut aquæ cicoraceorũ ex potionibus, & maxime eius herbæ, quæ figarella dicitur, est verò lyctori a græcis dicta optima, & minime calfaciente ratione victus instituta, de qua non est, vt tecum verba faciam. Dixi.

De tutela a doloribus ventris pro Illustrissimo, & Reuerendissimo Cardinali Antonio Caraffa cum Excellentissimo Liuio Theologo, & Emanuele Medico.

CONSVLTATIO CCCCLXV.

PRæsentem dolorem nunc non habemus, sed futurum metuimus, quoniam redire consueuit. Ac quoniam veteres admodum causas habet, quæ fere in naturam corporis conuersę sunt, neque admodum patent, illæ summa diligentia cognoscendæ, & pari artis moderatione tollendæ sunt, nam difficilis mutatio naturæ est, quæ si valentioribus petatur, natura nimis concutitur, si leuioribus, illa nihil mouetur, horum potius assiduus vsus deligendus, & tolerantia maxima adhibenda. Videte Domini quod huius mali causas natura corporis contineat, illud calidum, & siccum cernitur ex pilis, colore tenuitate carnium, & alijs omnibus, calor vt plurimum in cordis vim solet referri, siccitas autem in iecur, quoniam a iecore toti corpori materia, a corde autem caloris vis efficax.

Verum quando mores eius mitissimi, & lenissimi sunt, cor potius temperatum mihi censetur, calorque vna cum siccitate esse in iecur referendus, cui cor non resistat, cum moderate calidum sit. Vnde, si facile cor ad irascendum sit, id tum per os ventriculi a iecore ei accidat, tum per facilitatem a sua humiditate, & spirituum tenuitate profectam a qua cordis humiditate nunquam siccitati iecoris resisti potest, ab ipsa verò morum facilitas est, quoniam & corpus cordis molle, & mores omnino tractabiles, & spirit⁹ etiam tenuiores, & dissolutu faciliores existunt quibus dissolutu facilibus ipse æstiuo tempore sentiat sæpe sibi facultatem capitis infirmam, quemadmodum a iecoris calore illæ antiquæ scabies lepræ modo scatebant, & diuturnæ erunt ab ætate ineunte a quibus tandem succo cicoreæ curatus fuit capitis natura humidior ex somni longitudine, & marionum infirmitate intelligitur, & ex oculorum magnitudine, & conformatione etiam calidior.

Ventriculi quoque natura humidior est, vt ex lubrica fluidaque aluo indicatur, & ex large potionis appetitione, quæ cum a iecoris nimio suctu, tum a natura ventriculi est, suam temperiem tueri ac retinere conantis frigidior etiam illa est saltem ex occasione, quando tenuia omnia habet, ea, quæ sibi in munimentum caloris a natura data sunt, diuque male concoquendo non potest non frigidior factus esse, vnde eam pituitæ copiam pariat, qua ventris dolores crebro solent excitari, a quibus illius excretione liberatur, quandoque etiam vrinæ largum profluuium est factum ea pituita a calore iecoris, & Renum attracta, liquataque potius, quam per sudores excussa, quoniam non tantum tenuitatis acquirere potest, vt in vapore pertranseat, ac si quid vaporis ex ea efferatur, id squallore, & calore carnium consumatur, quo sic proposito, nunquam ego referrem sudoris carentiam in vnam cutis densitatem, seu angustiam, quoniam angustia in corpore calido, & bilioso morbosissimum corpus reddidisset in ephemeras saltem propensissimum, atque etiam sæpe in putridas, & synochas labi coegisset.

At Galenus libro epide. angustæ cutis hominem abundare vrina ea causa voluit, ita etiam, at in morboso iam ab illa facto corpore, non sano, & suapte natura sic habente id proponebat, neque angustiam naturalem posuisset eam, qua vna causa sudori prohibeatur, sudor enim cũ et angustos meatus valeat penetrare, non potest impediri ab angustia, nisi valde morbifica, sub qua corpus vitam diu retinere non potuisset. Ex his autem omnibus videmus, quòd in hoc corpore multa spirituum copia esse non potest, non solum quia illi facile dissipantur cordis humida natura tenuiores effecti, & corporis calore consumpti, sed quoniam non multam habent materiam, vnde fiant, iecore sicciorem sanguinem suggerente, a quo humidum cor non ita multam potest materiam idoneam elicere. Vnde dici potest, quòd caloris naturalis exiguum, caloris autem ignei multum in hoc corpore est, quare ex visceribus maxime ventriculus a spiritibus, & calore defectus sit, qui membranosus & sanguine minus refertus existat, post ventriculum vero caput, sic pituita necessario abundet, & casum dolorum minetur, eo vero maxime, quòd in corpore bilioso ætas inclinans solet parere multum melãcholici recrementi vbi eius expurgatio non fiat, a quo iam frigidiori facto concoctiones infirmantur, & crudi humores qui de genere pituitæ sunt congeruntur, adijcite studia non ea, quibus homo in lectione tenetur eorũ, quæ ei antea percepta, & cognita sunt quoniam ea lectio, sæpe plus delectationis quam studij habet, sed & studia quibus homo sollicite se se comparat ad dicendum, differendumve, hæc sunt, quæ in hoc corpore minus bona esse cernuntur, quęque modo timenda sunt, nimirum ne tẽtationes dolorum pariant quos ego fieri in colo non credo, cum infra vmbilicum fere sint; color vero ab ilio in ilium sub ventriculo tendat, sed hoc parum interest in posterum modo aliquid maius meo animo timeretur, nimirum ne in siccam hydropem incideret, dolorib. assidue reuertentibus flatus incrementum indicantibus a quo, & ipsi crebriores, & tãdem hydrops sicca fiat. Etenim vehementes dolores a contactu solo frigidæ pituitæ fieri vix possum animo mihi effingere, tangas vitream pituitam non tantum in ea frigoris percipis, quantum doloribus mouendis esset necessarium distendendis membranis dolores faciunt ipsi frigidi humores, vt calidi morsu ipsarum, hoc in corpore calidi quidem a iecore humores ad intestina demittuntur, qui cum pituita commixti possunt illam mordacem reddere, vnde ipse tenesmũ etiam perpessus interdum fuerit, illique cernuntur educti per medicamenta copiosissimi, sed cum pituita, vt visum fuit in doloris solutione, dolores eos excitauit ingentes, non id fecisse potuit nisi dum ipsa crassa in halitum fumosum, nõ dicam vaporosum vt humidæ & tenui pituitæ contingit exoluitur, tunc namque ille fumus, seu halitus non solum intestina distendit, sed tunicas eorum penetrat, & fere lacerat, vel cęcũ intestinum angustissimum ingressus totum ipsum distendendo id facit, qui halitus a materia crassa siccus fit, & eo magis, quòd in corpore melãcholicis recrementis referto ab illis multum habet incrementi, ex quo facile in siccam hydropem corpus transferatur, nisi incidente aliqua noua re, vel per acutum morbum homo tollatur, quod huic corpori nostro videatur metuendum, iecora nãque sicciora illius in causa sunt cũ materiam a uentriculo exhaustam non in humidum, sanguineumq; humorẽ, sed in siccũ halitum con-

cõuertunt, quod apertis cadaueribus obseruaui vnde scirrhi non solum propter sui frigus, quo potius Ascitem gignunt, sed propter squallorem hanc hydropem tympanitim dictam pariunt. Vnde difficilior curatu squallor cum sit quam ipsum frigus Tympanitis comperta est experimento difficilioris curationis quam ipsa Ascites, scio Galenum velle Tympanitim fieri ex intemperie frigida intestinorum, vnde necessario cum e flatu sit minus frigoris ad sui generationem requirat quam Ascitis quæ ex aqua est & ita difficiliorem causam habeat Ascites quam Tympanitis. Verum aliqua species Tympanitis illa fuerit, non omnis. At eiusmodi etiam incidere mihi videtur difficile, quoniam flatus ille potius per intestina exiret, quam in abdomen per tunicas eorum penetraret, quod vero ēt cum dolore, sicut ergo halitus boni B sanguinis deterius in sanguinem concrescit, & carnes, ita halitus sanguinis ficcioris inflatus naturam deuenit iecoris calore eum efferente, halitus verò, siue vapor sanguinis aquosi expressus e iecore tamquam inutilis in aquam reuertitur cum in abdomen peruenit, sic hydrops illo modo Tympanitis, & sicca, hoc modo Ascitis & humida fit, sub qua sæpe iecur tanta diffluit humiditate, vt rimas edat, quod vidi in cadauere, quemadmodum in Tympanite simplici, vel etiam permixta cũ Ascite vel maxime squalidum & durum reperitur, aqua enim etiam fit frigore si vitarem consequuto. Doloribus modo tenuiorum intestinorum à flatu factis intelliguntur venæ iecori vicinę male habere, & ita iecur posse tandem flatum pro tympanite suggerere. Sed hæc prolabente sermone pluribus dicta sunt, metus quidem C horum malorum per curationem eximetur, curatio vero à partibus huius affectus ostendetur. Nam humores ipsi prius, deinde intemperies debent submoueri, Humores à ventriculo & intestinis prius, deinde à iecore & venoso genere, & hi post apparatum, Si dicas hoc esse contra artis nostræ præcepta quibus tenemur prius partibus afficientibus, deinde affectis curationem adhibere. Dicam ego, quòd non metuo malum quod effectura sit materia per intestina delata, quoniam nullam allatura molestiam est, neque tantam imbecillitatem, quæ non subito subiunctis idoneis medicis tolli queat ita quando necessariam viam prestat aluus, possumus ea vti nullo incommo- D do affuturo. Ego itaque primo loco melle rosaceo solutiuo vterer cum Manna, syrupus enim rosaceus solutiuus non videtur ita facere pituitæ detrahendæ ventriculove tractando, Ac si in hoc Medicos non consore suspicandum sit tẽpestate aut casu alio aliud postulante, pulueres Hieræ cum electuario lenitiuo poterunt esse opportunę, quod medicamentum vidi in quadam matrona adeo proficere, vt dolores reuerti solitos iam multo tempore sustulerit ad multos annos, intestinis & ventriculo identidem tractatis modo hoc, modo medicamento ex Myrobalanis confecto ad colligendum firmandumque eorum corpus. Parari postea poterunt humores cum melle ros. simplici & syrupo de succo betonicæ & boraginis hoc ob exustos humores, illo ob pituitosos, & crudos in E ventriculo hærentes. Expurgari verò poterunt eodem melle rosaceo solutiuo & Manna, cum expressione Rhabarbari, dissolutis in decocto polypodij, & rerum cordialium cũ cinnamomo, & bona passularum copia, quibus si adderetur aliquid Diacatholicon ad rem facere maxime videretur. Si maluerit bolos, quam potiones quod non credam cum Diacatholicon ego aut Benedictam, aut confert. Hamech coniungerem. Postea ad aquam Tetucij deuenirem ea enim per sal ventriculus, & intestina expurgarentur, firmarenturque quam summopere ad olicos dolores facere experimur eaque septem diebus exhibita essem contentus. Si quid caloris iecoris re- A stiterit, subiungerem vsum syrupi, de Cicorea Nicoli cum Rhabarbaro libentius quam aquam villesem, quæ totidem item diebus esset danda. Imo si vedeatur ante vsum syrupi supradicti vel harum aquarum villensium, non ab re esse existimarem si serum caprinum medicatum non solum melle rosaceo immixto, sed succo primum fumiterræ deinde cicoreæ & betonicæ acciperet. Intestinis quoque confirmandis maxime facere mihi videretur si in clysteribus primum aqua Tetuca, deinde etiam vinum potens permisceretur, ex dictis enim remedijs facile & materia subduceretur, & intemperies amoueretur. Sunt etiam qui fasciati semper degũt, & hoc vno se se à casu huius doloris liberarent. Verum nihil magis valebit ad ipsum sustinendum ne in hos dolores recidat, quam diligentia in modo viuendi adhibita. Qua cauere frigus estremorum penitus debet, ventriculumque fouere maxime tempestatibus borealibus, quę adsttingere & membranas refrigerare exasperareque solẽt, & maxime id faciunt cum post australes subitæ adueniunt. In cibis autem omnes duri, lenti, crassi, crudi, & nimis austeri fugiendi, Panes grauiores, panes ex farina nimis pura ipsi quoque ob lentorem vitandi, vt etiam carnes crassiores animantium, & vetustiorum, glandulosæ præter gallinaceorum testes membranosæque omnes in piscibus deligendis eadem videnda, qui sane forsan omnes fugiendi nisi admodum exigui & marini saxatiles, omnia certe aquatilia & terrestria animantia sanguine nimię expertia, Oua item non tenera, & pultes in quibus illa concreta sint. Casus etiam omnis, & maxime in pulti ous percoctus, permixtusve. Ex fructibus sola amigdala, & pistachia deligerem tamquam vtilia, ficus aridas quoque modo aluum mouerent, sic & passulas ex oleribus borragine, buglossum lupulos & cicoracea, Asparagi nimis sunt intestinis nocentes cappares bene cocti proderunt sic enim minus calidi sunt pultes ex hordeo cũ cinnamomo & saccharo, ex farre verò cum paullo aceti, & ex trito pane erunt idoneæ, nunquam quidem cibus non bene mansus debet demitti. Summus autem delectus vini est habendus Romæ præsertim vbi vina multæ varietatis sunt, & varijs anni temporibus non eadem bona sunt, vt centula, quæ priori tempore grauis stomacho. Albanum etiam aliquod primo tempore crudius & ita dę alijs de quibus quædam similia obseruantur. Liberaliori potione vti consueuerat, quoniam iecur calidius est, & os ventriculi siti afficit, temperet quidem se in ea, attamen non admodum, parce vtatur natura sic postulante maxime quoniam exustionem & exsiccationem timemus, de reliquis superuacaneum est dicere, modum studiorum, & horas certas prescribere, & vitaret inuidiam monerem, somnoque longo vti vellem. DIXI.

De tuenda valetudine Innocentij IX. consilium ad eum scriptum paullo antequam creatus esset Pontifex.

CONSVLTATIO CCCCLXVI.

Illustrissime & Reuerendissime Patrone Clementissime.

QVod mihi sane quam optatissimum est, vt valetudinem tuam diu tueri queas, id si per meũ consilium tibi certius & facilius fiat, aut saltem aliquid melius tibi eueniat, in tanta valetudinis tenuitate profecto mihi summopere erit iucundum

dum. Est itaque mihi perquam carissimum me à te de hoc fuisse consultum, nam omni meo studio adhibendo spem mihi faciam posse aliquid tibi per me demonstrari, quod ad tuam vitam multo nostro, & bonorum omnium solatio totiusque Ecclesiæ commodo producendam tibi sit futurum.

In Illustrissimę & Reuerendissimę D.T. valetudine, quæ quidem potius exilis, quam morbosa est, hęc cernuntur, Corpus omne valde tenue est, vel ipsis ossibus in eandem tenuitatem conspirantibus ætate hac annorum 67. tactui moderate calidum est, minimeque acri calore perfusum, sed leni penitus ac miti, ab incidentibus frigoribus facile afficitur, vt etiam contra à caloribus & motu. Carnes quæ admodum exiguæ sunt, molles tamen, vbi aliquanto pleniores sunt, nimirum in artubus, vbi cute etiam lęui, & nitida ac molli indutæ sunt. In pectore enim, & ventre non solum ipsæ tenuiores sunt, sed ibi cute etiam asperiori, & minus molli, tum in ipsis hypocōdrijs ēt valde cōtenta nusquam quidē non glabra conteguntur. Huiusmodi corporis halitus tota ætate fuit, imo hoc tempore aliquanto melius nutritus in pectore videtur, quod fere solet in senectute contingere aliqua pinguedinis concretione carnis speciem præbente, vel glandulis mamillarum tumentibus, meliusque nutritis. Caput quod à frigore facile offenditur, raritatemque texturæ indicat, neque admodum caluum, neque valde denso pilo est, fronte eminenti, oculis ei iusta magnitudine respondentibus, nitidis non humidis, non colore venularum infectis vix ætatis aliquid in acie sentientibus. Nares superiori tempore non siccæ admodum, & aliquid sanguinis efferentes. Os quoque mediocriter humidum nisi ab incidente destillatione tentetur. Sōnus non admodum sua natura longus, isque longis interuallis interceptus. Sensus omnes acres tam interni quam externi memoria & sententia firma, tum motus corporis pro ætate valentes. Pulsuum item motus robusti, breues tamen, non admodum celeres, aut crebri, certe modicam arteriam ex illis intelligas. Mores cum summa grauitate, & seueritate hilares, magni animi, mites, faciles, & omnino perhumani. Cibi & potionis cupiditas semper moderata, quæ tantum iustis temporibus præsto est. Venæ modo non valde magnæ, quasi arterijs respondeant, tametsi detectæ plus suæ magnitudinis ostentent. Vrinæ optimi caloris & habitus, non multæ, non albæ, vt fenum esse consueuere, non tamen adeò flauæ vt iuuenum. Alui recrementa quotidie fere semel descendunt, raro amplius, quod contingit, cum aut saccharum, aut mel, aut rosaceum saccharum acceptum fuerit, quo casu aluus solutior, & mollior est, minus etiam æquabilis, valde aspera, sine figura, & colore dilutiori; alioquin enim figurata descendit, & tunc æquabili corpore, & luteo valde. Valetudo prioris ætatis temporibus in morbos procliuis fuit, vt in singulos annos morbo aliquo tentaretur, crebro autem funiculis, tumoribusve alijs & scabie, nunc quidem salubrior est, nisi, quòd hybernis præcipue temporibus somnos interruptos habet magis quam antea consueuerit, & sic ordine temporum illius mutato, vt cum primus somnus quatuor horas duraret, deinde totidem fere intermissus duas alias receptus traheretur, nunc contra, vt primum capitur vix ad duas horas duci potest, nisi spatio quatuor circiter horarum interiecto, quo paulatim caput leuatur, quod sane non amplius à recepto ea die somno graue fit. Vbi si tantum temporis noctu ipsi somno non supersit & matutinæ horæ subindè à negotijs eripiantur, somnus solet nō ante cibum, sed post eum multò die, vel meridiano tempore in cubili repeti, & sic tunc aut in motu, aut certe in quiete ad iustum spatium esse necesse est, alioquin ea die ægre negotia agerentur. Qua in re in potionibus vini vsus obfuisse visus est, & nescio quo casu aqua melior cōperta vix pauxillo vini admixto, vnde minus ipsi somno efficiatur. Hæc sunt quæ in præsenti valetudine cuique animaduertenti in conspectum dati possunt.

Quid modo per hæc ita ob oculos constituta possit intelligi subesse in corpore tentandum pro viribus determinare accepto inde exordio. Mihi quidē cogitanti illud hic primo certum videtur, carnes minus, ventres plus insiti caloris habere, si præsertim Hippocratem & Galenum sequamur, sub ijs enim authoribus non solum huiusmodi status partium inęquabilis in eodem corpore datur expositis notis cognoscendis, sed inæquabiles alij multi, neque in sola membrorum integrorum contrarietate, sed minorū partium tam compositarum, quam simplicium. Quo loco carnes minus caloris habere, seu esse frigidę intelligi debet nō modo quòd tenues, & exhaustę sint, ac imbecilles, verum etiam quoniam tales temperamento ab origine constiterint. Alimento vero defectæ sunt, quòd sanguis alendo idoneus minime abundet, ventribus illum molientibus sic comparatis, nimirum quòd ventres aut siccitate sua minus sanguinis conficiant, quam iustæ nutritioni expetatur, aut sua caloris intemperantia sanguinem alimēto minus aptum, hoc est, mali succi reddant. Huiusmodi sanguinis notas superioris ætatis tempora prębuerūt, non solum in morbis, sed etiam in profluuio sanguinis è naribus; qui sane morbi præter malum succum à nimio calore partum, quando eo vno tamquam tenuiori nequaquam facile extitissent, crassū etiam succum requisiere, qui facile à ventriculo studijs, & viuēdi modo oppresso suppeditari potuerit. Cuius modo visceris venter calidior sit, accurate videndum. Sanguinis molitio prima in iecore est, postrema in corde & venis, rudior ille sanguis à iecore profectus rudioribus carnibus, absolutior autem alter à corde, & totis venis est, fibrosis & membraneis partibus & perfectioribus carnibus alendis, iecori materiam parat ventriculus. Modo id vitium sanguinis hic in opus ipsius ventriculi referri posse non videtur, nam ipse euidentes superantiæ caloris, & siccitatis notas non habet, si ipsius coctionis recrementa, si cibi, & potionis moderata cupiditas consideretur. In opus cordis longe minus id referrem, quod suæ moderationis præclara signa semper præbuerit. Iecur ergo vnum restat, cui culpa attribuatur cuius intemperantiæ calidioris ipsum sanguinis genus satis præbuit argumenti, & cum eo illud etiam, quòd partes iecori propiores plus caloris & siccitatis habuerint, minimeque nutritæ fuerint. Sicci vero etiam maxime generis iecur fuisse ea faciunt, quoniā nisi ab ortu naturæ eiusmodi fuisset, corde temperatiori venæ maximæ detectæ ampliores cernerentur, præterea ipso corde & ventriculo tam temperatis iecur in tenera ætate, & tota adolescentia carnibus multo sane plus nutrimenti præstitisset, quod si ab incremento corporis aliquid e nutritione fuisset detractum, id consistente illo facile fuisset nutritioni restitutum, & corpus plenius post summum eius incrementum euasisset. Vbi in memoria habendum, quod caloris & siccitatis superātia ætate tenera sanguinem tenuiorem, & biliosum flaua bile facit, ætate autem firmiori, & duriore corpore crassiorem, & melancholicum, ita tamen vt flauæ bilis sustentandæ sanguinis pinguior semper præsto sit vbi calor vicerit, atque vt vtroque in statu sanguis nutritioni ineptus est, sic in eo, qui melancholicum succum habet, pituitam etiam creat, quoniam crassitudo melāchoª lica ventriculum maxime potest refrigerare. Quæ cum ita sint partes iecori vicinæ non potuerunt non eiusmodi tenuitatis & asperitatis existere, nam non

ea causa tantum quòd alimento defectæ sint, minus siquidem alijs partibus ipsæ eo caruissent penu ipsi viciniores, sed quòd intemperiem iecoris ei vicinæ, & coniunctissimæ sentiant, quo affectæ ei similes esse cogantur, vel si ab ortu ei fuissent contrariæ, vt reliquæ corporis partes per suam mollitiem esse cernuntur. Posse verò partes has iecori contraria temperie creari facile quiuis agnoscat, qui ortum animãtium contueatur, in quo clare animaduerti potest, ipsum iecur longe post alias partes corporis à sanguine ex corde per venas promisso & exsudante cõcrescere, cuius sanguinis materia cor in vtero e mẽbranis quæ secũdæ nominantur haurit, prçter primi sanguinis generationem, cuius materia in semine, cum iam perfectum factum est, & tamquam ouum reperitur. Et quo primo sanguine cor longe prius alitur, & venæ ad secundas promittendæ, quam iecur suæ generationis materiam adipiscatur. Potuere itaque partes reliquæ vna cum corde humidioris generis creari, cum ex semine non ex sangnine fiant, quocirca mirum non est, si in tenera ætate, & calore earum magis vigente, ipsæ corporis incremento faciles sese præstiterint, quamuis iecoris culpa defectæ ab alimento nunquam impleri carne satis potuerint. Proinde verò habitus venarum mediocris mansit ob dictam iecoris siccitatem, quoniam tametsi venæ à iecore non oriantur, à sanguine tamen in ipsis versante necessario modum accipiunt, ita ni sanguis calorem cum siccitate coniunxisset, illæ vi caloris magis contenti fuissent dilatatæ, & multo magis, si calori humidum genus accessisset, humidiori alimẽto semper distendendi potestatem calori faciente.

Neque verò humidius cordis genus quod mores denotant amplitudinẽ potuit venis, aut arterijs præstare, cum modici caloris sit, & siccitate iecoris nunquam possit resistere genus quantumcunque humidum ipsius cordis. Ac profecto, nisi cor paullo humidius calorisque admodum temperati fuisset, iecore valenter sicco, ac calido, alios penitus mores & longe duriores efferret. certe quidem minus humanos. magnitudinem verò animi, & fortitudinem nõ nisi in optimum temperamentum & summam moderationem caloris possumus referre, sicuti in caloris superantiam hominum temeritas audacia, & arrogantia referendæ sunt, vt damnum quod ab excandescentia hic percipitur siccitati totius corporis, & spirituum tenuitati attribuendum est, siquidem è sicciori sanguine, cuius partes pro maiori, & minori siccitate valde contrariæ sunt, partim nimis tenues partim nimis crassæ, humidius cor spiritus admodũ tenues exprimit, qui dissolutu faciles sunt, & forte etiam ad incendendum proni, sicque ipse quoque facile excandesceres, nisi scientia & magno vsu rerum maiorum & virtutis vitæ confirmasses, corde præsertim non admodum amplo quemadmodum ex mediocri pulsu potest intelligi. Vt iam omne incommodum à iecore pendere agnoscamus. De ventriculi enim natura, & statu nihil esse, quod doleamus, mihi videtur, qui iecori coniunctis ad eundem squallorem se perduci passus sit, ita necessario tum robustus, tum moderate humidus fuerit, ac si quid vnquam habuit imbecillitatis, id ab ista iecoris consuetudine, coniunctionisque necessitudine multa est profectum, qui tamen nunquam acidos, nunquam fumosos flatus edere consueuit, iudicatus vero à Medicis frigidior, cum iecoris culpa non ita firmus videretur, & vsu vini potentioris curaretur, prius habebat, quoniam neque ipse eo calore opus haberet, & interea iecur magis concalesceret, vnde ventriculo infestius, & somno nocentius euaderet. Quæ tamen ventriculo cum iecore consuetudo intercedit, non potest ipse non esse infirmior, nimirum exiguo alimẽto eoque vicinitate acris caloris iecoris consumpto tenuior factus. Ex quo ipse tam facile soluatur à minima quaque detergendi vi, quæ in dulcibus rebus est, & saccharo rosaceo præcipue, in quo etiam refrigerandi vis continetur, vnde aluus ex saccharo rosaceo non solum citior, & mollior, sed crudior quoque fiat.

Atque hactenus totius corporis constitutio videtur exposita & vnde habitus totius emersit, restat ipsius capitis natura perspicienda, quæ sanè insignem aliquam superantiam non habet in qualitatum cõplexione, nisi aliquanto siccitas excellat, quæ tamen non admodum valentior esse potest, si notas ipsius spectemus. Etenim cum calor in eo moderatus sit, paullumque frigoris indicium videamus, si siccitas valde superaret caluitium mediocre non fuisset, minus somnus interruptus reciperetur, aut à natura eius appeteretur, ad iustum mediocris naturæ spatium. Præterea caput rara textura prædictum humidioribus & frigidioribus tẽpestatibus quibus ipsum maxime omnium corporis partium obiectũ est, melius haberet, somnumque facilius retineret. Contra autem euenit, vt æstate facilius dormiat quam hyeme vel admodum humidis tempestatibus affecta. Tandem caput recrementis humidis non caret, imo sæpe illis non mediocriter abundat, quæ à multa siccitate non fierent, siccum igitur, sed nõ impense admodum caput est. Modo ijs prouisis ad casum in prçsentia molestum deueniamus, quo somno & interpellatur, & longius receptio illius differtur, atque vnde id fiat inuestigemus. Somno interrupto graue caput relinquitur, eapropter eum ab alienis halitibus caput peti sub somno necesse est, tum eos ab infernis partibus proficisci, eos halitus somnum interrumpere, atq; impedire ea coniectura est, quòd ille non reuertitur, nisi leuius caput euaserit, & si nõ semper capite leuato reuertatur, nisi enim illi halitus discussi sint, somnus potest reuocari, quæ coniectura eo firmior euadet, si adijciamus, quòd quando difficultas somni maior est, tunc fere in buccis intra os nescio quid pustularum solet moueri, capite nimirum cõcretos à se halitus in humorem illuc deprimente. Est igitur aliquid ab infernis partibus in caput elatum, quod somno officiat, iam cuius generis is halitus sit, perquiramus. Calidioris generis halitus, ni sicci etiam sint, somnum potius perturbent, quam finiant, his verò somnum potius finiri, quam perturbari videmus, quietus enim, & sine tumultuosis insomnijs est, citius tamen cessat, quam oporteret, ac quando sola siccitas somno finiendo sat est, hic tamen sola facile non est, quoniam exhalatio est, quæ sine calore excitari non potest, maxime à materia quç cum siccior esse debeat, nec ita calida non biliosa, sed melancholica est, quæ crassa est, neque attolleretur in halitum, nisi à calore insigni funderetur, mitioris quoque eam materiam generis esse ex eo intelligitur, quòd tumultuosa insomnia suis halitibus suam naturam referentibus non patit. Verum enim verò ille grauitatis sensus ostendit eos halitus ad vasa membranarum cerebri pertinere, nulla enim alia pars capitis sensu prædita est, vbi amisso eo calore, quo ab infernis & calidioribus locis elati sunt, crassitudinem priorem recipiant amissa cum calore tenuitate atque caput grauent, donec moderate & naturalis caloris vi ipsius loci consumantur, digeranturve per meatus eius inuisibiles.

Hic modo videndum à qua parte mittantur, nam vasa membranarum communia venis, & arterijs & ab vtroque e venarum & arteriarum genere confecta, quo pituitosum cerebri alimentum spiritui commixtum facilius per cerebrum ascenderet, nõ determinant nobis à corde ne, an à iecore, aut ventriculo hi halitus veniant. quòd tam venæ, quam arteriæ tametsi à corde recta in caput protendantur, à iecore

tamen etiam viam apertam venæ ipsæ in caput habeant, vt ea grauitate in venis causam habente nihil horum nobis definiatur. Qui namque ventriculi quoque vitio caput afficiatur experientia cuique compertum est, qua autem via et perspectum, & traditum, non solum verò per venas, & arterias ventriculus in caput spiritum flatuosum potest amandare, sed & noxam aliquam sine eo spiritu per neruos, quos à cerebro plurimos in os proprium accipit, per quos male habente ventriculo cerebrum solet affici simplicis eiusdem generis, & sine materia malo, atque per vnam coniunctionis consensionem, neque enim per neruos densi adeo habitus spiritum crassum, minusque humorem inferri posse in caput est verisimile, sine maxima neruorũ noxa, aut certe obstructione, per eos igitur neruos ire id, quo caput ingrauescat non est verisimile, eo verò magis, quoniam illi non in membranas suo medio corpore desinunt sed in cerebri corpus sensus penitus expers, in quod halitus per medium, & mollius neruorum corpus ascédentes pertinerent, nam si per membranas perreptarent potius eos conuellerent densa membranarum natura nihil sine sui tensione admittente. qui halitus etiam cum copiosi & crassiores per medium neruorum corpus permearent, neruos quoque distenderent. In cerebrum verò omnino adducti grauitatem non parerent, potius sensibus tam internis, quam externis aliquid noxæ melancholicæ inueherent qui penitus integri & supra certe huius ætatis consuetudinẽ seruantur, cum eo ij halitus cerebrum iam adeo exsiccassent sua consuetudine vt propria modo noxa, non aliena laborans, breuem potius, quam interruptum somnum haberet, & iam halitus & humores siccos a se creans eos non ita, vt facit, posset discutere. Viam ego per gulam esse idoneam, qua caput à ventriculo male habeat non video, per quam vapores & flatus citius in latum spatium oris perducuntur, ibique amplum locum nacti diffundi, dilabique ex ore possunt facilius, quam per angustum ossis foramen collecti in caput penetrare, quod sane os medium adeò intersepti viam, quæ est inter thoracem, & caput, vt Galenus nolit refrigerium vllum à capite in cor posse peruenire. Qui halitus si vaporum humida natura sint, sub palato in aquam conuertuntur, & sputum aquosum faciunt. Vbi non possum silentio præterire, quod qui sumunt in postrema mensa ea, quæ os ventriculi adstringunt, recto sane consilio id facient, si ea acceperint ad adstringendas vias vasorum ibi considentium, & quo ventriculus arctius ex ea parte cibum amplexetur ac deprimat ad fundum, vbi vis concoquendi valentior est, non quo via gulæ flatibus occludatur, nam cũ plerosq; homines videamus, quorum ventriculus, cum sit flatuosus, neque ei via per inferna sat sit ad flatus expellendos, si à cibo adstringentia sumant, nocentius a flatu non valente per œsophagum erumpere vexentur, & cruditates sentiant, Sed ad viam neruorum nos referamus, quãdo cerebrum per eos à ventriculo afficitur tumultuosa somnia fiunt, ne dum somni interrumpuntur. Verum neque à ventriculo causam esse interrumpẽdi somni, neque à corde illud commune argumentum est, quod nullam ventriculi penitus, nullamque cordis actionem videmus offensam, quòd si ventriculus aliquanto minus firmus intelligatur, fert tamen aquæ vsum, etiamsi caloris acrioris notas non præsefert, dum concoquit, vt neque frigoris, qua re tantum vitij non habet, quantum casui huic pariundo foret necessarium. Cor verò ipsum ficciores halitus in caput si mitteret, siccaque intemperie teneretur, prius omnes corporis partes squallentes reddidisset, & cum vita tam diu sic manere non potuisset. Tanto enim temporis spatio ei fuit potestas, ante omnibus partibus alimentum præcipere, & sese tamquã Tyrannum reficere, ita ante & iam dudum reliquæ partes alimento sibi substracto tabuissent, quòd ipsum siccitatem sensisset, & nihil carnis subesset maxime in artubus cutis aspera scabraque calore acri prædita, pulsus verò duri penitus sentirentur.

Præterea si siccum cor esset, sua natura mores duri essent, si præter naturam errores essent etiam animi abiecti, morosi, fastidij, & tedij pleni, & demum penitus amati, atque in summa aut senium longe anteuertisset, aut hæctici hominis notas præseferret imo neque huc vsque vitam produxisset. Hunc verò artus ipsi, & extremæ partes satis nutritæ, maximè molles, & cute leni sunt, calore verò penitus miti, pulsus non duri adeò, vt aliquando molles videantur, & si robusti sint. Mores bene animati hominis, mites, benigni, suauitatis pleni, senium minime præceps, sed pro annorum numero satis robustum, & quod longius etiã produci posse ex quadam sui constantia spem certam præbere videatur. Itaque non possumus cor huius rei accusare, cogimurque vitium in aliud viscus & illud quidem princeps referre. Renes porrò neque principem locum in corpore tenent, neque vllam notam vitiositatis præseferunt, minus lien in partibus principibus habetur, quapropter iecoris ea culpa putanda sit, quod eo firmius tenendum est, quoniam superius vnum iecur male habere in corpore cõuincebatur partibus etiam ei coniunctis id testificatis sua tenuitate maxima quoniam sub costis abdominis pars, quæ iecori circumsistit, adeò male nutrita est, vt eius musculi potius siccæ membranæ aut corde duriores, quam musculi videantur, cutis verò cum exsiccata, tum contenta adeò, vt manum imprimi, sub costas non permittat, quemadmodum in tenui abdomine imprimi consueuit, quod sane potius aperta siccitati, quã flatui, aut obstructioni quorum nulla tuta est attribuendum videtur, imo neque flatus multum, neque quidquam obstructionum subesse illud indicij maximi est, quod lactis vsum sine vlla offensione partes illæ patiuntur. Si ergo proprius harum partium squallor in causam propriam referendus est, eam iecoris esse satis certum esse arbitror, quod suo corpore non solum dextram præcordiorum partem, sed sinistræ etiam plurimum complet. Eas ergo iecur non tam defectu alimenti, quam genere suo ficciori afficit, quando partes corporis reliquæ quo longinquiores sunt, eo melius nutritæ cernantur, quod si defectu alimenti sic hæ haberent, propiores iecoris pleniores, & habitu meliori forẽt, certe remotiores prius haberent, siquidem quod vicinis satis non est, longinquis minus superest. Ventriculus propterea bene firmus hactenus fuisse, & humidior à principio etiam censendus, qui ad hanc vsque ætatem fere se se defenderit, quin cum alijs vicinis partibus aruerit præstiterit potius occasionem, qua cor, & reliquum omne corpus melius alimẽtum habuerit, quousque iecoris calor per ætatem se se remiserit, quamuis nunc certe ipse ventriculus admodum robustus non cernatur. Causa defectionis ipsius somni in iecur deducta videndum modo est quo pacto ea casum hunc ex se promittat. Siccius iecur vna cum venis ficciori sanguine nimirum melancholico refertum halitus sui generis in caput effert, maxime eo tempore, quo corpus adstrictius illis exitum per alias partes minus præbet, quod fere noctu & frigidioribus tempestatibus fit. Eo verò tempore, quo acceptus cibus in ventriculo iam concaluerit, & suos vapores cum halitu sicco mixtos extulerit in caput, facile somnus conciliatur, & eo vsque retinetur, donec propemodum confecti cibi feruor & vapor conquieuerit, aut resederit, tunc enim minus vaporum attollitur, siccisque halitibus vincentibus somnus finitur, ijsdem vero halitibus in venis capitis concrescentibus capitis quandoque grauitas fit, quæ per vigiliam

giliam paulatim leuatur, quoniam non tantum anhelitus in caput tunc fertur, quantum per ſomnum, & ſub cibi feruore ſolet, ita calore naturali partium continentium diſſoluitur ea materia, quæ primum in viſcere inferiori craſſa, deinde eius calore, & concoctionis vetriculi feruore extenuata in halitum conuerſa fuit.

Poſtea amiſſo calore receptoque ſuo frigore in capite ad craſſitudinis prioris ſuæ ſpeciem eſt reuerſa. Interea verò tẽpus poſtremæ coctionis accedit, qua iecoris cordis cerebri, & venarum atque aliarũ partium corpora ſeſe alant, & ſuccos ſuos, & carnes ſuas fere renouerit, iecur vero maxime & omnis ſanguis melancholicus ſuam ariditatem demulceant, vnde minus ſicci halitus efferantur. Itaque materia caput onerante diſcuſſa, & partibus amico humore oppletis, nutritiſque mirum non eſt, ſi ſomnus ille queat reuerti, quo non amplius caput oneretur, diurno cęlo etiam ad alienorum vaporum diſſipationem maxime faciente, materia poſt omnes coctionis molitiones facile deuicta, & recrementitijs eius vaporibus excuſſis. Qui verò ſomnus poſterior iuuari etiã poteſt ab aliquo nouo, & humido vapore, quem pituita ſæpe in ventriculo poſt cibi coctionem ſępe relicta à caloreque ſubacta emittat quod pleriſque accidit, ita plurimi tempore matutino magis libenter dormiunt.

His itaque conſtitutis non eſt difficile intelligere, cur frigidis temporibus etiam ſi humida ſint, & à nimio motu peius de vigilijs habeatur. Nam frigora intus alienos halitus comprimunt, qui inde maiorẽ impetum in caput faciunt. Motus autem eos quidem diſſoluit, ſed cum nimius fuerit, & corpus nimium incenderit, iecur plus aridi & fumoſi halitus edit, quòd diſſolutum ſit.

Neque mirum igitur eſt, ſi cum prius habetur in ore etiam puſtulæ aliquæ fiant, quoniam quæ in capite materia ex halitibus concreuit, non omnis tunc diſſolui poteſt, & ita infra depreſſa in efflorefcentias illas erumpit. Qua in re multum facere credo quòd in more eſt, vt frigidis tempeſtatibus metum facientibus ſæpe integumenta grauiora capiti ingerantur, quibus ſubito ablatis caput, quod calfactum plus humoris attraxerit refrigeratum poſtea, adſtrictiuſque factum illud depellat.

Sic integumentorum capitis mutationem multum cauſæ in hoc habere exiſtimarem. Nõ videtur & mihi oſcurum illud, cur per vini peius, quam per aquæ potiones cum nobis agatur, nã vinum ſuapte vi ſiccantius eſt, neque humidum eſt, niſi cum deuictum & in ſanguinem aut ſpiritum, aut omnino in alimẽtum conuerſum eſt, tunc enim ſimile partibus alendis euaſit, præſertim ſi iam nutriuit. Interea autem dum conuertitur in ſanguinem, neceſſario vi ſua ſicciori reſiſtit, & exſiccat, idque primum ſuo ſpiritu facit corpus confeſtim permeante, & in iecur, cor, & caput irrumpente, ille enim vino vix concalfacto ſubito à vini humore reſoluitur, & quoquo verſum excurrit, ac ſi corpus pituitoſum & humidum nanciſcatur pituitæ partibus multis in vaporem eliquatis, & ſecum in cerebrum introductis ſomnum facit. Sin contra corpus ſiccum humoreſque melãcholicos inueniat, ſiccus ipſe contrarium molietur, ſiccis maxime halitibus ſecum delatis, atque hoc loco proprie iecoris ſiccitate excitata, indeque accepto halitu in caput importato.

Neque verò minus quam ſpiritus facit ipſe vini humor, & craſſior materia in ventriculo vſque ad coctionem ſui retenta, & deinde iecori conceſſa, ea enim ſæpe diu reſiſtit in ventriculo, & poſtea etiam antequam in ſanguinem vertatur perpetuo exſiccat, & ſæpe tam diu coctioni obſiſtit vt craſſiora ciborũ genera in hoc exæquare ſoleat, vnde in vomitibus

A frequens vini fœdus odor, & aceti etiam ſapor eſt, quamuis multo ante potationes finitæ ſint; quod vinis craſſioribus, vel valentiſſimis maxime euenit, niſi fuerint aut dulcia, quoniam cito delabuntur è vẽtre, autem antiquiora quoniam perfecta ſunt. Hæc ergo vini materia ita craſſa, & ſicca non ſolum partes exſiccat, à quibus continetur. Sed anhelitũ præterea ſiccum, ac craſſum dum concoquitur ex ſe calefacta emittit. De qua vini natura, quod ad rem attinet, id ſciendum, quòd niſi ſextum annum ſuperarit, nondum perfecte abſoluta eſt, hoc eſt impura adhuc, & partibus minime coniunctis in vnum veluti coactis eſt, ſpiritus enim tunc longe ab humore eſt natura ſeiunctus, in vinis enim minoris ętatis humor

B crudior, & recrementitior eſt, neque à ſpiritu proprio valde continetur, ita facile ſpiritus quidem in caput fertur, humor vero in ventre verſatur, & innatat. Ea propter antiqui tam Græci quam Romani vt primum à Dioſcoride, deinde Galeno colligi poteſt citra ſextum annum vina in vſum non recipiebant, quo tempore, quamuis ſicciora facta eſſent, ſua tamen naturæ æquabilitate tenuitate, citoque tranſitu & tranſmutatione minus exſiccabãt, maximeque multa aqua diluebantur, quod ſalubrius vetuſto vino euenit, cum craſſis, & frigidis, fætoſiſque partibus careat, aqua verò non ſolum humidius, & frigidius vinum reddit, ſed longe etiam tenuius & ad venas percurrendas facilius quod beneficium à vino pariter aquæ rependitur.

C Porrò autem, cur hyeme peius, quam æſtate ſomnus capiatur ratio, quędam eſt à ſuperiori frigoris & caloris alia, nam hyems excipit corpus humoribus ab æſtate, & Autumno partis nempe ſiccis ac melãcholicis refertum, quos minime diſſoluit. Ver autem inuenit corpus humidioribus ſuccis affectum, & tepore ſuo illos fundendo corpus humidius reddit. Aeſtas pariter corpus melius nutritum ab ipſo vere accipit, ſic ratio omnis vnde ſomnus male habeat, videtur expoſita, de quo potiſſimum dolemus, atque angimur. Eaque eſt in iecoris natura conſtitura. Sic ab origine cõparata, vt ſanguinem ſiccior ẽ moliatur. Nũ verò aliqua alia pars ſit de ſuo ſtatu naturali per cognationẽ iecoris deducta, aut periclitemur, ne ab eo dimoueatur attente videndum eſt. Nam hæc ſa-

D lutem corporis & vitam maxime contingunt, in primis ſi cor ſiccius fieret, deinde ſi ventriculus & cerebrum. Cerebrum quidem aliquanto ſiccius eo aſſiduo anhelitu factum ætate præſertim adiuuante cõſentaneum eſt, ita tamen parum quod non dum frigus halituum ſenſerit vt ex firma memoria intelligitur, & ventriculum autem certe minus firmum alimento citius ſibi ſubtracto à iecore euaſiſſe nimirum tenuiorem certum eſt generis, vero ſiccioris factum eſſe, non eſt ita neceſſe, propter muneris ſui vſum, quo ſemper in cibis tractandis verſando, & eorum recrementis pituitoſis, minus poteſt vim ſiccitatis recipere, & quamuis tenuitas quæ à defectione alimẽti ei eſt ipſa in communi genere ſiccitatis ſit, aliam tamen rationem habet ab ea, quæ intemperie & ge-

E nere proprio ſiccitatis eſt poſita.

Cuius nullum ſignum nobis cernitur, Verum cum tenuitas à defectione ſucci alibilis enata minus carnium, minuſque alimenti, quę generis calidioris ſunt contineat, neceſſario ſiccitatem hanc frigiditas conſequetur, ita periculum eſt, ne ventriculus frigidior effectus ſit, minus firmum eſſe ventriculum iam ſupra narratũ eſt, quod facile à quouis detergente ſoluatur, & ab oĩbus dulcib. edulijs, & facilius crudiora demittat recrementa, imo cum etiam bene concoxit, aluuſque æquabilis, coacta & figurata deſcendit, nũquam tamen magis colorata eſt, quam vt luteum colorem referat, cum in ſanis corporibus niſi admodum pituitoſa aut genere, aut ętate fuerint obſcurio-

ris omnino coloris illa esse consueuerit si bene concoctum sit. Sin male potius hunc colorem luteum habeat qui à iecoris recremento bilioso, non à ventriculi firmiori opera est, & sane minimum bilis eum colorem potest inducere. Figurata quidem aluus est, quoniam à iecore sicco, & quantum ætas patitur calido fugitur, ita semel tantum in die descendit, minusque mollis est, quoniam quod infirmiori coctioni accideret crebrioris deiectionis, id à iecoris potissimum siccitate, & subinde etiam calore detrahitur, & ita rarenter magis aluus descendit.

Ergo caloris minus valentis esse ventriculus deprahenditur, ex eoque confirmatur, & præcipue sacchato rosaceo accepto cruditas cernitur, in quo non modo detergendi, sed etiam refrigerandi vis est, cui calor ventriculi non potest resistere. Sic mirum non B est, si incidat etiam in destillationes, nam non solum caput sæpe ab integumento grauiori ad leuius subito transit, & ita attrahendi, & deprimendi necessitatem subit, sed est, quod à ventriculo attrahat, cuius materia sub specie vaporis in caput facile adducitur vi iecoris ascensu adiuuante, vbi deposito ob capitis naturam calore vapor in eandem materiam fere redit, à qua in illud sublatus per calorem fuerat, & ita in ventriculum maxime per quietem demittitur, vbi & vim ventriculi occupat, & sitim ac cibi cupiditatem differt. vt interea neque iecur sui siccitatem in ventriculo possit ostendere iuuante hoc etiam bibêdi ad certas horas, & ad certum numerum, & modum consuetudine, quæ altera natura est, ac facile C potest morem suum sustinere ne dicam retinere. Cordis modo conditio ea mihi videtur, quod ipsum vt supra dicebam, nihil euidentis à iecore acceperit, sui tamen summam tuitionem desideret ætate, & iecoris natura vna cum sanguine melancholico ei siccitatem minantibus.

Ita omnis corporis status videtur expositus, in quo iecur potissimum postulet, vt in se se animaduertatur, reliquæ autem partes, vt ab illius iniuria defendantur, & primum ipse vêtriculus tamquam, qui publicus, & necessarius minister viribus plurimum opus habet.

Cum verò iecoris crimen, in natura eius fere sit positum, & ab origine partum, quamuis calidæ & siccæ intemperiei fuerit, speciem tamen aut vi- D res febris non habuit, propterea minime etiam noxæ corpori fuit, maxime quod exquisito viuendi modo sustêtetur, ne in morbosum statû cadat. Ac cum ætas senilis, successerit, non duplex nimirum calidi, & sicci vitium est, sed simplex & sicci propemodum tantum, vno verò solummodo vitij genere, vires non solent ita labefactari, vt à duobus, si maxima fuerint, solet etiam extingui.

Sic vires sustentatæ sunt, & corpus se se vna cum corde tam diu ab ea siccitate defendit, quoniam neque illa admodum naturæ limitibus excessit, ac quâquam cum calore prius coniungebatur, lenior tamen fuit membrorum quòd reliquorum summa temperie refrenata, nunc verò per ætatem à caloris vi liberior effecta, vt corpus queat vitam etiam longius re- E tinere. Quæ cum ita sint, nos in conspectu habemus vnam iecoris siccitatem potissimum esse spectâdam, quæ tum ætate ipsa incrementum habere, tum sibi per consumptionem frigus comparare queat, nisi leniatur, deinde verò vim ventriculi etiam esse sustinendam, cuius munus ad nutriendum necessarium, iecoris siccitati per nutritionem retardandæ sit omnino expetendum. Cum ergo iecoris siccitati maxime sit consulendum, scire licet primum, quòd cum ea à natura sit, cum senile corpus, cum etiam publicis negotijs distenta vita non penitus suæ spontis sit, natura corporis nequaquam est exagitanda minus admodû è sua consuetudine dimouenda, minus item vtendum ijs remedijs, quibus in diuersum statum vel meliorem retrahi cogatur. Potius videndum vt ea diutius in vita conseruetur, quoniam verò vigiliæ nimis eam siccitatem multis suis incommodis augerent, somnus pro viribus procurandus.

Ergo alimentis non medicamentis agendum, hoc est non ijs, quæ multo humore suo corpus e sicco in humidum penitus genus referant, sic enim medicamenti vim haberent, sed quæ mediocri humore potius nutriat, & somnum nutriendo concilient, quam vi aliqua cogant, vnde ea vita, quæ omnino nobis ad tuendum est proposita, producatur, etenim quæ humidioris generis sunt, hac ætate nimis pituitæ, & aquosi sanguinis, ad nutriendum inepti, facerent, & suo illo humore calorem nimis obruerent, vt quæ refrigerant huic ætati maxime suspecta sunt, temperatiora igitur & leniter humida, ac valde alibilia erunt accommodata.

Si qua porrò necessitas inciderit pituitæ e ventriculo deturbandę, tunc abstergentia quidem non siccantia illa dentur, non Mel rosaceum non aliud simile sed succi leniores saccaro aut melle conditi, vt prunorum, sebesten, passularum, Radicis dulcis coricarumve, ac si opus fuerit maiore vi etiam succus cassiæ siliquæ, aut aliquid simile Rosaceum saccharum nimis frigidum seni est, quamuis iuniori ventriculo foret temperatum ita quam moderatissime vtêdum, vbi illud quod e floribus Boraginis, aut Buglossæ fit magis esset idoneum. Si os stomachi confirmandum sit, & continendo arctius cibo iuuandum, moderatione summa opus est, vt Galenus 7. Methodi docet, ne illa adstringentia exsiccent, neue alibilem humorem ventriculi suo contactu & adstrictione in altum & in venas reprimant, sicque inane & exhaustum eius corpus reddant.

Ita vel citoniatum ea moderatione adhibendum in postrema mensa est, maxime quòd nostratia mala citonia impensius austera, quin etiam acerba sunt, neque struthia illa valde in vsu habemus, quæ dulciora sunt, propterea ego non solum parce admodû de cytoniato sumendum putarem. Sed in eo malis apijs etiam nôn parum esse permiscendum, ita tamê ne propter apiorum malorum succum côfectio acescat. Succum porro expressum ex vtroque malorum genere, non autem solidum corpus conditem. De ipsis cibis modo in vniuersum primo quædam notanda sunt. Primum enim omnino illi fugiendi, quorum sapor insignior est, ille namque medicamenti vim & malum semper succum sequitur, velim si valde austerus, si valde dulcis, si acris, aut acidus, aut salsus saltem. n. exsiccante nã contineatur. Cuius rei ratio constantissima est, quòd cû alimentum, qñ iam factû est. Et simile corpori omnino dulce sit, cumque tale fiat per transmutationem à calore faciendam, omnino eius saporis esse debet, à quo per eam in dulce deducatur, is verò insipidus est, si enim dulce sumatur necessario subiens coctionem, & transmutatur & in alium saporem transit à dulci, & ab alimenti natura diuersum. Si sumatur aut austerum, aut acidum, aut amarum, aut acre, aut salsum, nunquam per concoctionem in dulce, & naturam alimenti conuertetur. Vnus verò sapor, qui infra dulcem cum sit, dulci subest proxime insipidus, & subdulcis vocatus, melius coctus in dulcem perduci potest & facile, cum inferior, & proximus ei sit, sic omnis sapor qui supra hunc subdulcem est alienam ab alendo vim sequitur, qui verò non supra hunc, sed infra fuerit & expers penitus, vt aqua, saporis est, ille si non alienam, certe longinquiorem ab alendo vim continet, & quæ longiori coctione, & transmutatione indigeat, quo ad dulcedinem, & alimenti vim perducatur. Subdulcis, & maxime alibilis saporis exemplum habemus in lacte primi, & præstantissimi nostri alimenti, in ouis, in ptis-

ptissana maxime ex farre, in carne suilla & gallinaceorum & aliorum plurimorum animantium, & rebus aliorum generum, saporis autem expertium exẽpla non desunt, minus saporum, quæ supra subdulcem sunt. Neque verò dubitandum de rebus dulcibus est, quando si ea in sapore dulci excelluerit, nisi in corpus admodum senile, & frigidioris generis incidant, in amarum saporem vertantur per ipsam cõctionem, aut, si lenior ea dulcedo sit, citius à iecore attractus eorũ succus crudior ipsum occupet hoc est non dum ei similis effectus neque enim dulcedo vna facit, quo alimentum simile sit, quamuis dulcedo necessario ipsam similitudinem sequatur, sed res quo similis sit propriam requirit transmutationem ab eo corpore, in quod alẽdum accersitur. Igitur vel ipsæ passulæ cum dulces sint nisi modo certo adhibeantur, vim nocentem incurrant, sic dulcia omnia, quamquam in sene minus suspecta sunt, tamẽ in isto corpore etiam vestigium acris caloris retinente non sine multo iudicio admittenda sunt.

Quæ vero salsa, acria, austera aut acida sentiũtur, tamquam minime alibilia, & cum eo etiam noxia non debent, nisi conditurae gratia cum cibis permisceri, nimirum ad gratiam cibo cum stomacho conciliandam, ad aliquid pituitæ de ventre deradendũ, ad cibos tenuiores reddendos, & os ipsius ventriculi colligendum, alioquin ijs ventriculus aut inutiliter, aut nocenter onerandus non est. In ijs ergo est sal acetum succus omnis acidus, fructus austeri, aut alterius similis saporis, veluti acida cerasa, mala punica, mala medica citria nimirum Aurantiaque & id genus omnia, mala citonia, pira, & eiusmodi alia, præter succos in vsu quoque est aqua rosacea, quæ certe non minus moderationis efflagitat, nam alioquin in rebus nocentibus esse potest, sunt aromata, quæ ipsa quoque modice recipienda sunt.

De dulcibus sat dictum est, in quibus maxime saccharum, mel, passum siue defrutum seu sapa habentur, quæ quamuis seni minus mala sint. hic tamen vbi iecur vestigia caloris retinet in quo in amaram bilem verti possunt & propter eam exsiccandi ventriculi & detergendi vim suspecta haberi debent. Quocirca cum rosæ ex saccharo conditæ in ore detentæ capiti ducantur vtiles, & quam minimo sacchari modo condiantur. Ex cibis modo qui probato, & subdulci sapore sunt, quique propterea boni alimenti censentur ij in rem nostram maxime facient, qui faciles ad concoquendum & distribuendum fuerint, & in summa qui citam nutritionẽ pollicentur, qua in re sua quoque obseruatio adhibenda est. Nam ad citam nutritionem facerent illæ res omnes ex dicto genere quæ multum alimenti præbent, si alimentum seipsum conficeret concoqueretque, verum quoniam à vi corporis alendi sui confectionem exigit, & quæ multum alimẽti habent, quoniam magis denso & glutinoso corpore sunt, fere multum laboris afferunt in concoctione vnde tardius & difficilius nutriant, quæ verò facilius concoquũtur sæpe minus alant, quoniã mollioris corporis sunt. Propterea cũ summa moderatione in ijs gerere nos debemus, deligereque ea quæ quamplurimum alimentum quam facilima coctione exhibitura sint. Plurimum & optimi generis alimentum caro suilla habet, vt ex sapore & lentore indicatur, alimentum enim glutinosum melius inhæret & corpus reficit, tamen difficilis coctionis & distributionis est, sic habet oua valde cocta, sic caseus recens, & etiam limacum carnes, ac Gammari, & item castaneæ amygdalaque & nuclei pinei si fructus velimus, quibus vna cum glandibus cęteris olim antiquitas salubriter, & robuste admodum degebat. Difficillima ergo concoctu cum sint, & distributu etiam non minus, omnia id genus fugienda sunt, quoniam coctioni resi-

A stentia sub calore non admodum valenti potius in crassum, & crudum succum, quam sanguinem perfectum vterentur, & quod sanguinis etiam ex ipsis exprimeretur id crassius & glutinosius & distributu difficilius foret, qua causa etiam panis cum è tritico sit, quod in hoc plurimi alimenti ex genere, cũ summo delictu eget, tum minime largius, aut solus sumendus est. Parum autem alimentum exhibent, & facilimæ coctionis distributionisque sunt ptissana liquidior ex hordeo, seu eius succus, pisciculi minuti, & omnes fructus arborum horarij plurimique Autumnales qui probati supra saporis extiterint, & multa similis generis in ptissana & pisciculis bonum alimenti genus præter dictam facilitatem habetur. At non in fructibus dictis, in plerisque vero horum etiã

B periculum est ne mutatu facilia non in bonum succum in corruptelam vertantur, vt vt natura ventriculi fuerit vt vel ptissana ex hordeo in frigidiori vẽtriculo acidam, alia in calidiori fumosam & nidotis plenam corruptionem subeant. Vnde ptisana accepta semper videndum ne acidos ructus moueat, tũc enim declinanda est, quod etiam in lacte seruari opus est.

Cum ergo facilia ad alendum fere parum alimenti dent; quæ verò multum, sua densitate & glutine difficilem habeãt sui molitionem, periclitamur semper ne aut parum, nimis alamus, aut nimis multum vires naturæ oneremus, crudisq; humoribus & crassis corpus, & viscera infarciamus. Quocirca in dies

C semper ventriculi vires sunt consulendæ ac si errandum, potius illæ aliquanto grauius onerandæ, quam leuius alendæ, non solum genus cibi ad propositam & constitutam rationem deligendo, sed copiam metiendo. His ergo in conspectu habitis, quæ supra disposita sunt videndum, quæ nam reijcienda quæve admittenda in mẽsam sint. Reijcienda quidem omnia, quæ probati supra saporis nõ sunt, quæ frigidiora, & nimio humore diffluentia, quæ nimis immatura, cruda ve fuerint, & demũ quæ nimis dura crassa, & valde glutinosa, quibus regulis singula ciborũ genera metienda sunt. Ex ijs ergo, quæ è terra nascuntur, inter olera vna lactuca alibilis habetur, maxime per elixationem à frigore, & cruditate liberata. Sanguinemque parit habitu mediocri aliquanto tamen

D frigidiorem: de qua eo libẽtius dico, quòd ea maxime faciet iecori vestigiũ antiqui caloris retinenti ei suum incendium in quod siccitate etiam propẽsius est, facile recipienti, & præterea est somno admodũ opportuna senibus propterea concessa siue cum suo caule tenero adhuc, siue ante ipsum, siue cruda cum tenerrima est, siue cocta e iure, aut aliter capiatur. Reliqua olera minimum alunt, è quibus in nostro alibili genere alijs multis generibus ad rationem propositam circumcisis, est borrago, buglossum cũ suis radicibus ac floribus, sunt lupuli dum teneri sunt, quoniam cronæ eorum post florem amaræ sunt. Spinacium olus facilis putredinis est, & nitrosi seu critosi, nescio quid habet, putredinem facile subeunt etiam. Asparagi sic à nobis proprie dicti, hortenses etiam

E magis, quoniam humidiores sunt, tamen medicamẽti minus habent, Rapa bis percocta iam subdulcem saporem adipiscitur, parum tamen alendo non est facilis concoctu, imo crassum & crudum præbet succum. Vbi nolo præterire de gemina coctura escatũ, quòd cauendum est, ne inter primam & alteram cocturam frigus sentiant, frigus enim intercidens duriores eas reddit. Rapunculi quoque parum alunt, nec facile cum multo nimis à dulci sapore sint disiũcti. Radix dulcis quamuis edendo non sit, quocunque tamẽ modo accepta senibus valde apta est. Tubera & fungi nullius saporis sunt, ita ab alendo remota illa crassum, hi etiam valde frigidum succum præbendo. Cucurbita nullius saporis quamquam crudi

crudi tñ nõ crassi sed succi verò proni ad cuiusq; humoris genus imitandũ, intestinis verò etiã pp flatum suspecti quo noĩe longi magis cucumeres fugiendi, qui crudiores in mẽsa recipiuntur. Melones nisi ventriculus eos bene concoquat, ac cito per aluũ descẽdant; ipsi quoq; metuendi q̃uis & sapore, & humore suo bona aliqua polliceantur. neq; .n. vellem de eorũ corruptione periculum facere, minus ventriculũ sine nutritionis fructu onerare. Fructus arborum molliores, vt oẽs horarij sunt, multi ẽt autumnales ad alendũ expetendi non sunt, sed ad aluũ potius molliendã, vt mora cæraſa dulciora, vt vuæ & tutius quidem pensiles & tutissimę passulę modo succus tantũ assumatur, cortices namq; potius adstringunt, alunt qui dẽ ipsæ sed parum & molliorem carnem pariunt. Ficus quoq; in eam rẽ accõmodati sunt, nimis vero tenuem sanguinẽ creant, si recentes, ẽt flatum, quo nisi cito delaberentur semper dolorẽ parerent, vt sępe faciũt maxime, si exprimis sint. Caricę vero facti aptiores intestinis, & renibus sunt, e quibus pituitam incidendo, & abstergẽdo deturbent, maxime si cum aliqua re incidente sumatur vt macerati in aceto. Carnem ipsę quoq; parũ firmam efficiũt, quemadmodũ ex leguminibus fabæ, de quibus leguminibus cũ inutilia sint & melancholicæ materię nihil amplius sũ dicturus, nisi ꝙ iura omnium eorum detergentia, & multa ẽt aperientia sunt, cũ nihil nutriant, succus ẽt cicerum rubeorũ calculos frangere dicuntur, & fabę quantumcunq; elixentur. Semper tñ flatuosæ sunt. Quarum recentes facilius quidẽ concoquuntur, sed minus alimenti, & plus humoris habẽt, tum humidi, tũ recrementitij. Sed ad arborum fructus me refero. Amygdala q̃uis dura ad coquendum boni tñ alimẽti si dulcia sint & naturæ abstergẽtis sunt, quare saltem eorũ lac dictum erit idoneũ. Caput petere à Medicis non antiquitus, sed sæculis posterioribus notata sunt, materiã tñ ex se capiti inutilem inferre nõ possunt, ita somno conciliando idonea sua alibili materia sic caput petente sunt, qua ẽt visui proptie cõmodare feruntur, recentes quidẽ vt alij fructus, plus humidi, & recrementitij habent. Nuclei pinei plus alimenti creduntur præstare, & item crassioris, qd̃ non ita facile concoquatur. Verum aquæ diu macerati vt fieri consueuit, eorum oĩum minus habere est necesse, q̃m non solum medicã pini vim, & calidiorem deponunt, sed leuiores, & teneriores longe fiunt, & minus pingues, neq; possunt caput ferire. Auellanę duræ concoctu crassi, & infesti ventriculo, ac capiti succi sunt, ita aspernendæ sunt, iuglandes his minus alẽtes, & concoctu faciliores, præcipue capiti infesta ab oĩs antiquitatis memoria semper dictæ fuere, maceratæ tamen minus nocentes euadunt, & minus aluũ adstringunt. Pistacia medicam vim habent, nimirũ iecori purgando, firmandoq; faciunt, aliquanto calidiora ita parũ alentia sunt, Malorum oẽ genus parũ alit. Punica & Medica potius medicamenti, & condimenti vsum, q̃ alimenti præstat. Punica faciliora cõcoctu sunt. Caro alba Medicorũ malorũ crudior videtur, & aliquãto plus his nutrire. Ex reliquis malis Apia præstare creduntur, oĩa quidem melancholico humori, non extenuando, purgandove, sed leniẽdo idonea sunt, citomis exceptis, quæ nimis austera, nimisq; siccantia sunt, oĩa quidẽ probe cocta sumi debent. Persica nimis facile putrescunt, & frigidiora sunt, his firmiora, sed concoctu duriora ipsa Armeniaca, oĩa certe parce sumenda. Oliuę in cibis alibilibus non sunt, quapp gratiæ tãtum causa & parce admittendæ q̃m grauissimæ & mali succi sint. A fructibus ad frumentacea me conuertã, in quibus Orizæ mentionem faciã; & si in leguminibus habeatur, Oriza ergo exigui alimẽti est tamen durioris coctionis, ita non multi facienda quando cũ multo onere fructus parum afferet. Ptissana ex ordeo, ni dẽsa admodum sumatur, parce alit, facillime coquitur, distri-

A buitur, facile tñ in ventriculo frigido acida fit, refrigerat, & bene parata flatũ amittit, aptus cibus sano hoĩ non est, minus ei expetendus, qui valẽtioris generis cibos põt concoquere. quoniã viribus sani hoĩs potius minuendis q̃ augendis idonea est, sano ergo hoĩ ex iure valentiori & densior sumẽdo. Farris ptissana magis dẽso, & glutinoso corpore cõstat, ita magis ẽt nutrit, ne tñ in ventriculo oneri maiori sit quã conuenit neve glutine & crassitudine offendat, & diligẽter percoqui, & liquidior sumi dẽt, hoc casu nãque acetum, quo lentor illius frangatur, vt solet, ego recusarem. Facere certe in rem nostram hoc eduliũ maxime vr̃, quoniã vim caloris senilẽ suo humido & moderate calido corpore põt propagare, & corpus melius q̃ hordeum restaurare. Sunt quædã crassiores

B farinæ summa diligentia in polentæ modũ paratæ, adeò vt non nimium lentoris habeãt, quæ in pultes & sorbitiones conferuntur, has ego non aspernarer, si diligenter percoquantur; Neq; Amylum alienum existimarẽ ex macerato & fere tabescente tritico factum ex quo pultes non insuaues fiunt, leuis satis alimẽti & asperitatibus destillationibusq; valde vtilis; minus tñ q̃ triticum alit, nihilq; caloris corpori affert, vt afferunt panes ex tritico facti. De quibus dicẽdũ, quòd nimium lentorẽ tritici nimiamq; crassitudinem non habent, q̃ à molitione farinæ à fermẽto, & subactione multa, atq; ẽt à sale leuiorẽ sortiũtur, vnde ẽt citius alunt, qui sane, quo puriori farinæ conficientur, eo glutinis plus habebunt plusq; alimenti p̃stabunt. Vnde illud multũ glutinis nocentissimæ rei

C anteq̃ in alimentum vertatur, cum spe multi alimẽti futuri cũ fuerit concocta poterit cõpensari, ea cautione, vt panes, qui e purissima farina fuerint bene subacti, beneq; fermento affecti, & optime in furno tosti sint, ita vt q̃ leuissimi pondere sentiantur, & cũ comedũtur in ore bene moliantur, sic. n. minima dissipatum illud corpus facile in ventriculo misceri modificariq; & alere subinde põt, eoque id tutius facit, quoniã tarde concoq̃ente ventriculo, ibi nunq̃ cõputrescat, aut vitij aliquid cõtrahat. Quod si ex iure iterũ panis coctus fuerit, aut ex aqua, alimentũ nulli alij conferẽdum exhibebit, quod & multum, & boni succi, nõ nimis tardum, neq; valde graue est, pręsertim si liquidius, aut certe mollius sumatur. Atque

D hoc sane edulium ipsi succo ptissanę ex ordeo omninõ est anteponendum in eo homine, qui morbo caret, præsertim obstructionis, quoniã solidiori & firmiori alimẽto eget, quiq; cõcoquere hoc cibi genus põt, & minus certã refrigerationem poscit, imo senio ipso sponte refrigescente potius caloris nutritionem, quòd si panis ante ex aqua diluatur, quã decoquatur, tunc minus quidem, & facilius nutriet, & nõ sicuti non lotus panis calefacit, ita loco ptissanæ ex hordeo põt vtilius exhiberi, & gratior est. Edulia modo ex pluribus generibus confecta nõ solum ex natura eorum, ex quibus constant, æstimanda sunt, sed oĩno pp diuersorum mixtionem suspecta habenda, quoniam difficilius in vnum succi alibilis habitũ sua varietate per coctionem conuertuntur. De ijs quæ e

E terra nascuntur hactenus dictum est, Animantia sequuntur e quibus ita proprie hominẽ ali voluit Aristoteles sicuti e stirpibus animantia, & stirpes terra. In quorum porro delectu ea ob oculos tenẽda sunt, quæ supra constituebam. Proinde in quadrupedibus, ac piscibus boni generis omnes grandiores. In volucribus boni item generis grauiores, & aquatiles vitandæ sunt, tum autem ex quouis genere, quæ sunt glutinosæ, quæ autem in genere sanguinis experte continentur, fere suspectæ habendæ, certe ijs, quæ sanguinis sunt compotes, semper postponendæ. Et omnium animantium partes, quæ generibus supradictis affectæ fuerint, vt glutinosæ, vt duræ, vt etiam fere sanguinis expertes, in quibus sunt cerebella, intestina, & pedes grãdiorum, Suum

enim minorum pedes petiolive, qui in iure bene A contabuerint sumi vtiliter potuerunt, duri alioquin, & glutinosi nimis pedes sunt, quamquam à recremento propter motionem puri. Crassi etiam succi sunt viscera, non solum Renes, cor, & lien, quod mali quoque succi est, sed iecur ipsum, nisi fuerit gallinaceum & molliter coctum, nisi ficubus saginatum, ficatumve anseris, id enim & molle, & minus crassi succi est, post hoc suillum alijs præferendum vt suillum. cerebellum quoque alijs præfertur, minus enim terrestris naturæ habet, & calidioribus affectibus mitigandis vtiliter datur. Sanguis cuius compotes partes probentur, expertes autem fere reijciãtur, ipse tamen cuiusque generis animantium sit, vitari debet, & si suillus & gallinaceus videatur suauis, lõge verò suauior leporinus, omnis enim sanguis diffi- B cile coquitur, & plurimum habet recrementi & terrestris alimenti est, glandulæ quoque aspernãdæ sunt, nam si durioris generis fuerint crudum humorem, si molliores pituitam huic vẽtriculo dabunt, in quibus sunt etiam animellæ dictæ, & mamillæ, sunt etiã testes e quibus soli gallinacei probantur, imo multis alijs edulijs præponuntur. In animantibus sanguine carẽtibus sunt cochleæ seu limaces, crassi succi, quorum longus vsus etiam melancholici sanguinis causa sit, neque ipsæ nisi tribus elixationibus admodum tab.factæ, ex iure sumendæ, In eodem genere sanguinis expertium. Sunt tria illa aquatilium genera nimirum testa intectum, in quo ostrea nobis dicta, molliora sunt, & pituitosa magis, reliqua duriora, & crudi potius succi. Secundum genus est crusta seu C mollis testa insectorum, in quo sunt cancri ipsi boni succi quidem, sed concoctu difficiles & magis etiam Gammari, ab illis diuersi quòd caudam vt marinæ locustæ gerant. Tertium exanguium genus continet mollia ipsa nimirum loligines, sæpias, ac polypos, non minus concoctu difficiles. Exemplum glutinosorum sit Anguilla, & etiam Tinca, in piscibus, in quadrupedibus Sus, grandiorum autem quadrupedum vitulus maior. Piscium autem Sturio, & qui uis alius corpore maiori piscis. Volucrium grauiorum Anser, cuius alæ tantummodo probandæ sunt, Pao nostras, atque etiam Indus, quorum pulli certe Paonis Indi commendandi, non nostratis, quoniam fibrosæ nimis, & duræ carnis genus est.

D Verum ad genera ipsa probatiora veniendo à piscibus incipiam, non modo grandioribus, sed qui in palustri loco, qui in flumine magnæ Vrbis sordes recipiente degunt demissis, marinisque ante alios positis, scire licet, quòd qui in alto mari versantur, cæteris duriore carne sunt, vt Triglæ, seu Mulli, meliores tamen sunt, quam, qui in littoribus maxime cænosis degunt & boni succi molliores sunt vmbræ soleæ, lacertæ gobij, & maxime Aselli, qui saxatilibus inferiores non sunt. Saxatiles autem omnibus anteponendi sunt, hoc est qui in mari quidem, sed neque in alto, neque in littoribus sed inter saxa, & scopulos semper suo genere nascũtur, & viuunt, neque vt alij pisces, vnquam aut loci genus, aut ciborum mutant, propterea solo nomine proprio alij præferuntur, nã E Mulli verbi gratia de ijs qui in alto non degunt, quamuis nomine suo non improbentur escæ, tamen sua causa damnantur, vt cum cancellos esitarint. Saxatilium nomina sunt Scarus, Iulis, Perca, Turdus, Merula, & Fuca. Remoram non ponam, quoniam & si ad saxa pariter victitet, in mensas tamen non venit, sed quoniam piscium vsus non admodum potest proficere ad eam nutritionem, quam optamus, de ijs longius dicendum non videtur, solum igitur de coctione eorum id adscribam, quòd in quibusdam morbis præsertim febribus, & ventriculi infirmitate elixi capiendi sunt, ei autem qui morbum non habet potius frixi dandi, dum modo in aliquo liquore postea demergantur: vino antiqui ad id vtebantur, nos aliquid ius ex passulis vel ex prunis aut lac amygdalarum in eius locum sufficiemus, si vinum non arrideat. Ad meliora iam ciborum genera ex animantibus accedẽdo, illa eo ordine ponam, quo, vt meliora sunt, sic priorem locum teneant, quam iecora, & testes gallinaceorum prima sint, deinde iecur Anseris, sicut dictum est nutritum, eiusdem item alæ, sed potius gallinaceæ. Tum auiculæ fere omnes, postea pulli gallinacei, pulli columborum, perdices, atque cum corpus potest exerceri, etiam grandiores gallinacei, vt gallinæ & capi. hi enim exercitato quidem corpori mediocre alimẽtum inexercitato vero crassum præbent, vt etiam Fasiani ijs possunt succedere, pulli teneri Pauonum Indorum, Ex auiculis paucæ quædam in duriori genere sunt, & huc à me translatæ nimirum Turdi, Merulæ, & passeres proprie dicti, quibus duritie præstant Turtures, palumbi, & Anates. Pauones nostrates recenti cum suis pullis sunt. Indi melius retinentur in summo crassorũ volucrium genere. Maxime autem referre in agro ne an domi alantur tum propter escarum genus, tum propter motum, & liberũ agri cęlum nulla dubitatio est. Si tamen de pullis columborum sit sermo, qui non dum e nido se se dimouerunt vixque à cælo aliquid acceperint, quoniam qui domi aluntur melioribus seminibus qui in agro in quodcunque vel pessituum inciderint, eo vescantur, vnde etiam domestici cãdidiori, & lautiori carne sint præditi, ego hos agrestibus præferrem, atq; hæc de volucribus. Quadrupedum autem carnes fere grauiores volucrium carnibus sunt, neq; ideò tamen plus alimenti habẽt, quam capi & gallinæ, iuniorũ tamen faciliores concoctu quam senum horum, Optima est ędorum minorum caro, neque cum carne veruecum conferenda, quoniam verueces & si firmiores ętatis vi sui generis humidioris noxã mitigare videantur, vt ædi sui grandioris ætatis vitium nece anteuertunt, nihilominus odore, ac sapore succum peiorem indicant, præterquam quòd castrata omnia in neutrum quidẽ sexum adducuntur, potius tamen fœminam referũt, ita Verueces instar ouium, recrementosum, crassum, ac frigidius alimentum exhibeant, robustioribus ergo ventriculis, & calidioribus ętatibus regionibusq; calidioribus & aridioribus permittantur, queadmodum Agni quoq; ijs calidis & siccis corporibus quæ in meliorem statum volunt reuocari, idonei sunt, atque cũ leuiores concoctu sint, in senibus non admodum probandi tamquam nimis multum recrementi habentes, at illud quidem potius pituitosum, quam mali succi. Vitulina caro, nisi fæmellæ & admodum tenellæ sit, approbanda nõ videtur. De suilla satis dictum est, optimi succi quidem, sed generis nimis glutinosi esse, ex eaq; solos pedes tenellorum suũ bene tabefactos admittendos. Vbi de coquendi modo id animaduertã quòd elixatio carnibus aptior erit, vt frixio piscibus, quæ sane bene coquẽdæ sunt, quòdq; lentor ille, quem diuturna coctione acquirũt ea, quæ coquuntur, metuendus non est, quoniã eius generis mali lentoris non est, quod naturę concoquentis distribuẽtisq; resistit, sed ex optima mixtione nascitur, ex qua vel ptissana, vel lutea ouorũ lentorem habere cernuntur. Tã de ouis post carnes notandũ, quòd optimi alimenti sunt, & si quo molliora eo minus alant, plurimum tñ semper alunt, molliora facilius coqui, & distribui põt, contra duriora, sic medij habitibus maiori cõmodo capientur. Lac præstantissimi alimẽti est, in eo tñ summa diligentia vti debemus, ne in vẽtriculo isto acidum fiat, neve concrescat, & inde angustiam spiritui inuehat, atq; alia mala, neve à lacte optima re, homo pessime hẽat, præterea attendendum, ne iecur vsu lactis crasso succo infarciatur, dum illud attrahit citius, quam bene cõcoctum sit.

Proinde in lactis genere deligendo periclitamur sæpe, ne aut aquosum parum nutriat, aut crassum valenter

lenter noceat. Afinæ enim lac eſt tutiſſimum, ſed alit parum. Vaccinum verò alimenti multum, ſed plurimum etiam periculi continet, à quo proxime ſequitur ouillum. Caprinum omnino mediæ conditionis eſt, hoc itaque ni metum maiorem iecur fecerit & ab accepto lacte pondus ſenſerit, in vſu habendum, ac ne acidum fiat, neve concreſcat in ventre continuo eſſet ſumendum, vt ex vberibus exprimitur, tepotemque ſuum non dum depoſuerit. Saccharique aut optimi mellis aliquid immiſcendum, ea moderatione, ne aluus nimis citetur, neque enim aut ventriculus reſoluendus, aut permittendum, vt infeſtum ei lac ſua concretione fiat. In hac enim anguſtia verſamur, aut in ea pericula nimium nocentia incidamus.

Dum ergo ventriculus valentiorem ciborum materiam ſuperare intelligitur, ego aſſiduũ lactis vſum tamquam non neceſſarium vitarem, eiuſque aſſiduitatis præſidium in ea tempora reſeruarem, quibus vigilijs nocturnis tentatur, Somno namque conciliando ſumme facere creditur. alioquin bis tantum in anno continuis multis diebus darem, vere quidem potiſſimum propter lactis vim. Autumno autẽ propter vigiliarum metum, cautione propoſita ſemper ſeruata, & obſeruato, num pōdus in præcordio dextro ſentiatur, quo percepto à lacte ſemper deſiſtendum. Verum enimuerò ſi aſſidui eius vſus neceſſitas incideret, quod ætati decrepitæ ſolet.

Ego, quo plus meliuſque nutrirem, & omne lactis periculum vitarem, & ſine metu fructum certiſſimum vitæ producendæ caperem, lac humanum ore proprio e papillis ſugi vellem, quo paulatim, vt ſugitur delapſum citius concoqueretur, neque concreſcere poſſet, ita diſperſim ſumptum minus ſuo calore, quo fuſum in mamillis maneret, ante priuaretur, quam ventriculi calore anteuertente compræhenſum mutaretur, ita, quamuis hoc lac craſſiuſculum ſit, maxime hac ratione tutum foret. quo ſane ego vidi homines nonagenarios à febre pene conſumptos redintegrari, quorum quidem adhuc ſuperſtes commoda valetudine pro ætate vtatur.

Cuius porrò lactis probatio fiat, ſaltem fæmina bene valente, boni habitus, ætatis integræ, quæ neque proxime admodum pepererit, neque ante octo menſes, cibiſque bonis veſcatur, cuius modo coloris illa ſit, niſi ad habitum naturamque corporis dignoſcendam faciat, paruifacienda nota eſt, quæ in quouis genere lactis probando ſeruari oportet. Concretum autem lac, & quidquid obſonij ex lacte ipſo cōficiatur, vna cum caſeo penitus vitandum eſt.

Atque de cibis ſatis me narraſſe exiſtimo. De eorum condimentis fere ſatis ſuperque ſupra eſt commemoratum, in quibus, ſal, mel, & ſaccharum, Acetum, & ſucci acidi parciſſime ſunt adhibenda, quoniam, cum neceſſaria ſint ad lentorem eſcarum minuendum, & ad pituitam deradendam ſi ſuperent maxime nocentia erunt, Oleum ventriculo inimicum diſſolutuque difficilimum, forte præſtabit ſi minus craſſum, minuſque pingue, & quam recentiſſimum, & tandem modo quod minimo admittatur, quod niſi boni generis ſit, aquæ lotione purgari poteſt, aut olei oliuarum loco oleum Amygdalarum dulcium ſuffuciendum. Butyrum ſi recentiſſimum, & exiguũ ſumatur minus innatat in ſtomacho ſi multum innatat magis & capiti obeſt certe id in ſene ab eſt à ſuſpicione ne bilem creet, & ſomno accerſendo poteſt vtile eſſe. Saccharum & mel ipſa quoque eadem catent ſuſpicione in hac ætate, cui bonum alimentum afferre queant & ventriculum à pituita liberare, De cibis concoquendis ad ignemve mitigandis, & condiendis ſat dictum videtur, inſequens eſt, vt de potione agatur. Vinũ itaque quod alendo ſpiritui, & diſtributioni alimenti, expulſionique recrementorum apprime vtile eſt corporibus calidis, & ſiccis noxium habetur, ſic iecoris iſtius cauſa magnã facit nobis difficultatem, maxime quod delectus illius facilis non eſt, cum, vt dixi ſuperius, noſtro tempore vina ad perfectam ætatem non ſeruentur, vbi ſi quod vini genus eſſet ſua iuſta ætate futurum maxime idoneum, ante eam ſæpe eſt omnium deterrimum. In eo ſaltem quòd accepto ventriculi calore à ſuo ſpiritu non dum bene ſecum complexo breui relictum diutius coctioni reſiſtit, & in ore vẽtriculi innatat vbi difficilior concoctio eſt, recrementique multum habet, atque dum moram trahit ſub coctione ſæpe acidum fit, quod vel in bonis ventriculis vina potentia facere experimur, quorum vetuſtiora facta multa optimi generis ſunt, ita vero vomuntur ſæpe vel quinta & ſexta à potionibus hora colore fere eodem fæcoſa, & acida, quamuis protinus à ſuimet potione totum corpus & caput prius calefecerint, robuſtioremque hominem reddiderint ſuis partibus ſpiritu conſtantibus in totum corpus dimiſſis, nimirum quas facile calor ventriculi à ſua materia reſoluat, cum qua non dum bene complexæ ſint. Vnde materia torpidior, & fæcoſior à ſpiritu deſtituta ventriculo diu infeſta eſt, & ſua ſiccitate cum ventriculum, tum iecur moleſtat, craſſumque ſui anhelitum in caput attollit iecoris calore compræhenſa, ex quo ſomnus etiam impediatur, niſi vapores leniores illis permixti, eorum ſquallorem demulceant. Qua de cauſa vnum tantummodo vini genus tenuiſſimũ, & leniſſimum eam culpam poteſt effugere ſui cita coctione citoque tranſitu faciendo, ad quod etiam magis facile fit ab aquæ admixtione ſic naturis aquæ vinique cōparatis, vt mutuo ſibi tenuitatem pariant. Etenim partes craſſæ aqua liquantur, hæc verò ſpiritu vini tenuior fit, vna cũ illis quas ſine auxilio aquæ ſpiritus extenuare non poterat. Sit ergo tenuiſſimũ, & maxime maturum ac leue, non aſperum, non acerbum non dulce ipſum vinum. Siue albanum ſiue alterius generis ſit, tantũque aquæ admiſceatur, quantum vires ventriculi patiuntur ac ſiccitati iecoris, & ſanguinis expediat qua in re nihil maius eſt, quam vt notitia ſui corporis à ventriculi habeatur, quidque accipiant ab vſu horum obſeruetur. Verum de aqua non minus diligens examen fieri oporter, præſertim Romæ, vbi ea non valde bona ſponte naturæ reperitur.

Vbi ſoli cauſa antiquis maxime ædificijs ei vitioſitatem augentibus peſſima naſcitur; quæ inuehitur aquæductibus craſſa pinguis & grauis eſt, vt ego examine multo expertus ſum, quæ verò e Tiberi accepta, purgataque eſt, mixtæ omnino naturæ intelligitur, cum difficilime frigus amittat, quamuis leuior, quam fontana ſit, quare aquam cuiuſque generis ſit ad ignem puriorem reddere neceſſe eſt, quo tandiu ſaltem ferueat, quo decima pars conſumpta ſit, atque cum refrixerit, in aliud vas fundi debet, neque dubitare de hoc oportet, quod quidam fecere aquã per coctionem craſſitudinem acquirere, quoniam aqua mixtum perfectum non eſt, & coctio perfecti tantum mixti eſt. ita ipſius concoctio tantum calfactionis cenſu habẽda, quæ æterogenera ſeparat. Porrò autem potionis modus is tenendus, ne copia præbeat cibũ apto contactu ã ventriculo compræhendi, qui non bene concoquitur niſi arctum amplexum vẽtriculi ſentiat, ita cum mollior eſca eſt, exigua potio ſat eſt indeque id commodi ventriculus habebit, quòd non ſolum eſca minus in eo fluctuabit, ſed ipſe minus vini, & aquæ noxam ſentiet. Cibi quoque modus diligenter metiendus eſt, & attente videndum, ne cum multo alimento egeamus, multo minus cibo vires ventriculi, & iecoris onetemus, ſicque cruditates afferamus. Conſultius itaque partito cibus capietur, nec ſolum bis die, ſed ſæ-

sæpius, si opus esse videatur, non enim solum multo, vt dixi, alimento, sed cito, ac facili egemus, multus vero cibus non cito, nec facile, sed difficile, & tarde alit. Ergo cibus mane cito potius capiendus, quam vlla causa differendus; difficillimum siquidem est intelligere num ventriculus etiam cibum non cupiens eo opus non habeat, minus num ventriculo crudis succis referto famemque non sentiente, iecur inedia teneatur, sic ieiunium longius duci tutum non est quamquam cupiditate cibi nulla molestetur, quoniã crudi succi in ventriculo eã prohibentes ab habitu pituitæ naturalis longe disiuncti alẽdo minus idonei sunt, potius sub fame naturæ à calore peiores & crassiores fiunt, & magis lædunt, atque interea ventriculus aut male alitur, aut vna cum iecore sibi necessaria nutritione priuatur. Igitur quoties somni repetendi iusta causa mane est, sorbitio aliqua prius sumenda, ne sub somno ventriculus nimis exhauriatur, & vires infirmiores tum ipsius, tum totius corporis fiant, & ne iecur magis arescat, sanguisque crassior, & magis melancholicus euadat. Vnde neque somnus queat conciliari vaporibus humidioribus capiti deficientibus.

In summa de cibi modo, & quoties ille sit dandus ad vires ventriculi, & ad necessitatem nutriendi definiendum est. Sic res in dies æstimandæ. Cum ter in die cibus sumetur, tunc summo mane, imo ante lucem sorbitio tenuior sit, inde quieti vacetur si forte somnus veniat. Verum horis quinque interiectis aliquid panis ex iure macerati, aut bene cocti sumatur, sine potione, ab hos tandem sex cum minimum aut septem horis iusta cæna capiatur, & semper ea proferantur, quæ valentioris alimenti sunt, & nunquam carnes aut volucres piscibus postponantur. Motio corporis ante cibum meridianum fit, sin minus sex horis post eum, antequam cænetur, & tunc motiones matutinę loco frictionis adhibeantur, quę toto corpore lenes, neque admodum longæ fiant, verbi gratia octuagesimo ductu manuum finiantur. quæ certe alienis vaporibus, & recrementis discutiendis, & bono succo ad carnes nutriendas adducendo maxime facient.

Neque admodum multus, aut vehemens corporis motus esse debet sicca nimirum eius natura, sed exiguus & lentus, ac in Rheda potius quam pedibus habendum, alioquin omnis motus, qui temperatiori naturæ & corporis habitui meliori conuenit, isti omnino exsiccantior foret, lenior autem is corpori isti magis replendo faciet, atque etiam in Rheda habitus somnum nocturnum poterit conciliare, in caput enim vapores adducit Rheda contentia. Neque erubescam hic commemorare ipsos lectulos pensiles, quibus dimouendis iusta hora & corpus exerceri, & somnus conciliari posse certum est. De cæli temperie, &, quæ ad ipsum attinent, breui perstringam. Cælum quamuis aliquanto humidius fuerit, non erit inutile, frigidius certe, & calidius erit noxium. Maxime vero vitandum ne subitum frigus e calore subeatur, quod profecto frigus toto corpore semper defendendum est, manibus & pedibus contra illud in primis munitis, aspirationes fenestrarũ & ostiorum omnino fugiendæ, neque sub caloribus, neque sub frigoribus borealique tempestate insolentius laborandum. in mutandis vestimentis, & integumentis capitis curiose agendum, vt paulatim fiant à grauioribus ad leuiora, & e contra, quo paulatim natura eis asuescat, neque illis moueatur, permota enim natura secum & spiritibus & cum eis humoribus adductis fere sibi morbos fabricatur, facitque prę sertim febres, & destillationes. Sed nos maior somni sollicitudo exagitat, metuentes ne ab eo penitus deficiamur, ad quem verò conciliandum faciet in primis proba corporis nutritio, cuius causa ita multa supra

A descripta sunt, faciet verò non minus, si eius nulla sollicitudo hominem angat, metusque cesset, ne defecturus ille sit, & in memoria habeatur istud ætatis suapte natura vigilijs esse obnoxium, eique peius esse longius dormire, quam longius vigilare, & maxime, quod sicco corpori id plurimum conuenit. Deinde eo sublato metu, & sollicitudine, faciet etiam multum, si vitauerimus consuetudinem quiescendi interdiu, morem verò tenebimus motionum diurnarum, diurna enim quies semper magis insomnes noctes efficiet, vt contra labor diurnus nocturnos somnos allicit. Sic aliquando necessitati dormiendi alienis horis non satisfaciendum, vt suis natura eum postea retinere, cogatur, Satius est enim breue, & semel incommodum perferre, quam vitando illo in

B multa & perpetua incidere. Dormitum verò eunti nulla cura vel tacita animo retinenda, nulla futuri cogitatio admittenda, nam vt sæpe præteritorũ cogitatio, & mœror seipsa somnum alliciunt, sic, si ea futuri cogitationem mouerint, vigilias faciunt. Somnus ergo nocturnus exercitatione quidem corporis & animi diurna, & mediocri corporis satietate, sed animi magis relaxatione & vacuitate inducitur. ita neque vel studio ipso dormiendi animus cubantis est intendendus, quod non intento, sed laxato animo somnus irrepat. Ac cum interrũpi contigerit, minime ægre ferendum, nullaque contentione somnus quærendus, sed eadem animi remissio retinenda, eique rationi acquiescendum, quod id senibus valde

C familiare est, quod contra contingere id à natura præsertim sicciori esset alienum, senique somnus est magis noxius, & magis metuendus, quod quies tandem somni vires habet, eiusque fructum repræsentat.

Medica remedia ad somnum vulgo præscripta non adhiberem, nisi cum multa eius necessitas vrgeret, maxime quæ intus sumenda sunt, vt potiones quæ ex papaueris seminis succo fiunt, quæque alijs valentioribus, à cibi namque vaporibus ipsis alibilibus verus, & vtilis somnus modo fit. Si adulterinus quærendus, is interdum modo, & cum vẽtriculi munus eo penitus eguerit, vt munere eo perfecto possit verus somnus reuocari. Sic de externis etiam medicamentis statuerem, ex quibus solummodo odores

D admitterem, vt ex floribus ligustri, ni fædior videatur, ex violis, Nympheæ floribus, & tandem e papauere, & pomis Mandragoræ. alijs etiam modis potest procurari vt lectulo, & puluinaribus eo genere rerum paratis. Aut, si saccharum ex violis, ex floribus Boraginis Buglossę, Maluæ aut Nympheæ ore detineretur, hæc enim vapores lenes & vdos in caput submittunt sicciores que eos halitus deliniendo somnum conciliant. Qui halitus sicciores à capite retrahentur pedum & brachiorum lotionibus factis ex ijsdem floribus & cum capitibus papaueris folijs lactucæ & alijs vnde in locum sicciorum humidi in caput succedent Anetho etiam immixto, quod somno ciendo facere notum est, non solum inquam hæc malos vapores retrahendo sed bonos etiam mouen-

E do somnum possunt conciliare.

Vt capitis quoque lotiones malis illis discutiẽdis, absumendisque, amicis verò alliciẽdis atque ex dulci aqua factæ capite etiam humidiori reddẽdo idem possunt, maxime si flores supradicti incoquantur. Ex quibus etiam balnea toto corpori rite adhibita omnes dictas vtilitates afferrent, totique corpori humidiori reddendo facerent.

In quibus tamen breui esset morandum, & non à cibo, sed ante eum, loco frictionum adhibendæ, aut certe ante cænam. Somno item mouendo vtiles frictiones essent, vt vectio ipsa in Rheda, quę sane nullo die præteriri deberet. Eidem somno & totius corporis valetudini maxime prodesset, si venæ hæmorrhoides

rhoides in sede resoluerentur, & quoniam id à natura non fit, arte vtiliter tentaretur, quoniam succus melancholicus in corpore large admodum congeritur, neque nimius eius fluxus videretur metuendus, quando per hirundines tantummodo illæ venę aperiuntur, non enim in illis tunicæ, aut oscula venarũ laxantur, sed inditur foramen angustissimum, per quod largius profluuium sanguinis sequi nõ potest. In eam partem sanguis reuocatus crassioris & melãcholici sanguinis pondus secum à visceribus detraheret, & ita superiores partes meliori sanguini liberiores relinqueret, q eas somno opportuniores redderet, ita quando aduersus vigilias medicamentis non licet, manu pugnabimus, vt dictum est. Et de somno hactenus. De aluo autem pauca dici opus est, quæ si quotidie vt facit, nõ responderet, ea artis ope B mollienda est, vbi ego mallem clysteribus ex oleo, butyro, & similibus lenioribus vti, quã dare per os, quæ ventriculum resoluunt, cuius vis firmior nobis nimis multum necessaria est, quocirca ego non fiderem valde ijs, quæ ipsum perturbarent, sed dulcibus rebus solis vt sero aut lacte cum multo saccharo admixto, vim quoque refrigerantiorem rosacei sacchari timerem, nisi id exigua admodum copia sumeretur.

De fugiendis autem animi perturbationibus cum sapientissimo viro loqui, superuacua res est, neque sine præfatione honoris id agendũ, vacuus tamen earum locus relinquendus Medico non est, ne aliqua artis pars præteriri videatur: animi ergo perturbationes non solum eunti cubitum, sed cibum etiam C sumpturo, aut eo egenti in sicco præsertim corpore fugiendę, cuique autem homini cum cibus in ventriculo non dum confectus est. Ieiunus namque stomachus à perturbationibus animi exagitato corpore acribus humoribus & omnino alienis repletur, cibo autem onustus cruditates facit, & in summa semper illæ validiores cor aut dissoluere aut exsiccare possunt, dissoluere quidem lætitia, exsiccare autem mærore & iracundia. Atque hæc vna cum superius propositis à me sic in vniuersum sint dicta in dies pro ratione euentuum determinari eo iudicio & ratione quæ exposita est. Faxit I E S V S optimus maximus vt Tuæ Illustrissimæ D. vtilia sint, ipseque meæ in te voluntatis memoriam serues. D

T. Illustrissimæ & Reuerendissimæ D.

Dedictissimus

Christoph. Guarinonius.

Is ptissanæ ordeaceæ vsum nunquam cum Alica voluit commutare, atque senio consumptus est citius quam expectaretur anno nimirũ 73. ætatis suæ.

Excellentissimo Saluo Physico Fanensi Christophorus Guarinonius S. P. D.

E

CONSVLTATIO CCCCLXVII.

Carissimam mihi hanc scribendi ad te occasionem offers Salue Excellentissimæ qua primum te saluere iubeam, meque valere significem, deinde ad quæsitum respondeam. Si repeteretur verno tẽpore eadem curatio, quæ Autumnali habita est, crederem inde ægram tuam tandem posse conualescere. Ita tamen vt hæc seruentur. Primo ne potiones

A Guaiaci inueniant impurum valde corpus maxime medium; alioquin medio impuro eminentes partes ab eiusmodi potionibus nõ purgarentur. Sed potius ab ipso medio nempe à visceribus maiorem humorum impetum vi ipsarum potionum concitatum reciperent. Sic verò illæ potiones omnino dandæ sunt, quod item seruandum est, vt sudores moueant, & sub tenui victus ratione, neque viribus interea metuendum, cum febris non est, quando illæ facile post curationem à victu redintegrentur. Quod tertio demum loco seruari vellem, est, vt cum Guaiaco salsa parilia commisceretur. Quæ curatio ni satis sit, non deerunt alia in horum locũ sufficienda in larga materiæ modicæ abundantia; quorum delectus pro ratione euentus morbi, tempestatum & corporis suo tempore erit habendus.

De quodam Reuerendo Patre Capuccino montis Feretrani Romæ.

CONSVLTATIO CCCCLXVIII.

Icterus, & dolor ischiadicus perpetui sunt, remissiones tamen tantas habent, vt interdũ vix agnoscantur. Cum remissior icterus est, tunc non cutis sed oculorum tantum candidum flauescit & aluus suo colore non caret, vrina vero boni coloris aliquanto crassior est, vtrumque malum vetustum, icterus tamen longè vetustior. Ex his Medico intelligenti fit perspicuum, icterum non sola obstructione, sed iecoris etiam intẽperie existere. Ischiadicum verò dolorem perpetuitatis quidem causam in ischio, incrementorũ verò in superioribus habere, quorum superiorum prouisio debeat curationem ischij antecedere, superiorum vero partium mala non solum purgatione communem humorum, quæ in venis versantur, sed eorum, qui hærent in vasis requirere, sic post purgantia medicamenta ea etiam, quæ sudorem moueant, postulare, quale esset ex salsa parilia cum betonica, & cicorea. Quibus præstitis clysteres acerrimi & calidi balneorum anhelitus in puteolano viderentur opportuni. Dixi.

Christoph. Guarinonius.

De Michaele Angelo Sorbalongo Gubernatoris Romæ Vicario doloribus alui vna cum febre laborante.

CONSVLTATIO CCCCLXIX.

Caepit ægrotare cum frigore, quod frigus dolor alui ingens sequebatur, qui tertio quoque die infestasse obseruatus est. Nunc ego dolorem valde remissum video, febrem tamen non mediocrem esse, vt pulsus concitatus, & si non admodum creber, ut flauæ minæ cum sedimento rubro, & crasso, vt lingua lutea, & sordida declarant. Vnde dolorem esse causam ipsius febris non possum statuere, dico causam coniunctam, minus solos spiritus dolore incensos, nam cum ex leni dolore tantum incendium excitari non posse, tum spiritus incensos tam diu incendium retinere non valere ego existimo, octauus namque & fere nonus agitur dies,

Humores incendium longius ducere potuerunt A sua putredine propagata, cuius apertæ notæ sunt in vrina in pulsu in calore cutis,& lingua. Pulsus siquidem fuere intermittentes cum somnus insolentior tertio quoque die accedebat, nunc quidem non intermittunt, sed tamen retinent inæquabilitatem non solum in eodem ictu, sed in diuersis, incensa namque magis putredine putrescens humor calidior & tenuior factus non ita opprimit, vt opprimendo intermissionem queat efficere, quod vel in morbis perniciosis fieri videmus, illique spem salutis sæpe excitari ex ipsa intermissione postea sublata, ægris tamen ad exitium accedentibus. Febris itaque mihi potior sollicitudo est, quoniam vitæ infesta est, doloris, tunc tantum curam habendam crederem, cum somno officit, & vehementior est, maxime quòd vix supra re- B ctum intestinum est, loco vbi flexio illa est, qua cum colo coniungitur, & clystere iniecto subito mitescit.

Imo dolor ex humoribus desuper in intestinum eiectis à natura fit, dum ipsa se leuat à materia putrefacta quoniam quamuis humores nondum concocti sint, tamen adeò propinqui excretioni sunt, vt paulatim exprimantur, vt vt putrescũt ea putredine, quæ ad maturationẽ accedit, vnde feces modo molliores, modo firmiores sunt, modo crebrius, modo rarius descendat, modo sine colore, modo admodum flauæ & biliosæ, vt humor naturam irritat, atque inæqualis sæpe sua crassitudine meatus obstruit.

Ego itaque deligerem aliquem syrupum, quo iecur temperaretur contra febrem, bilemque & obstructiones submouerentur à crasso humore factæ. C Vtriusque enim humoris non solum effecta videmus, sed causas etiam scimus labores nimirum corporis insuetos, & animi inusitatos. Syrupus idoneus videretur de Cicorea Nicoli cum Rhabarbaro cum oxymelle, si aluus citatior fiat omnia medicamenta quæ in eo syrupo recipiuntur iuri incoquemus & loco oxymellis aceti aliquid imponemus.

Si dolor vrgebit clysteres fiant ex decocto ordei, & capitis veruecis cum oleo Amigd. amararum, violaceo & rosaceo, & chamemelino, fomenta verò ex omento in oleo chamemeli feruefacto, vel vesica eodem recepto, interea autem duobus saltem diebus à vino abstineat, & si septuagenarius sit sanguinis detractio non amplius locum habet natura iam excer- D nente.

Is decimo die aluo citatiori facta à febre post magnos dolores liberatus est, neque dolor amplius redijt. Medici Renum descendentem eius doloris causam existimãtes totos artus lapidibus inditis ad eum dolorem commendatis onerarent.

CONSVLTATIO CCCCLXX.

Illustrissime & Reuerendissime D.

EX ijs quæ in tua valetudine perspexi hanc corporis purgationem vtilem fore existimarem qua primum ventriculus & intestina leuarentur humore suo lento & crassiori per potionem mellis rosacei solutiui, & Mannæ ex iure aliquo, quoniam in vtroque medicamento multum est, quod abstergat, & aluum soluat. Modus mellis ros. esset ad vncias 2. s. Mannæ autem ad vnciam 1. s. Quo facto, quoniam medicamenta respuuntur reliqui humores leniter pararentur vna & expurgarentur potionibus seri caprini bene parati in quo per certa interualla idem mel rosaceum solutiuum immisceretur modo saltem vnciarum 2. nimirum quarto quoque die, reliquis autem seu medijs diebus semper succus Betonicæ, & cicoreæ crudi, semper verò aliquid anisorum in priori saltem poculo incoqueretur, nam duo ad minimum pocula capi deberent, atque id 15. saltem continuis diebus, nisi aliqua necessitas inciderit intermissionis, post hæc vsus aquæ Tetucij opportunus admodum videretur, quo ventriculus & intestina cum purgati perfecte, tum confirmari maxime possent. Atque hęc nisi valentior purgatio admittatur commode fient.

Valentioris enim purgationis ordo postularet, vt post primam alui solutionem ex Manna, & melle rosaceo syrupi ex cicoreo, & oxymelle essent sumendi, ac post simplices cicorei compositos ipsius Nicoli cum eodem oxymelle, quibus sumptis iusto dierum numero septem saltem, idem medicamentum primo acceptum recipi deberet, adiecto iure ex polypodio passulis & aromate aliquo, atque Rhabarbari maceratione, aut etiam foliorum sene, subinde vero serum quemadmodum dictum est.

Clysterum vsus valde idoneus erit, si non solum abstergendi sed confirmandi vires habuerint, vt simplices ex aqua Tetutij vel cõpositi alijs rebus quemadmodum ex saccharo rubro, & melle rosaceo, sapa, & tandem etiam vino.

Ratio autem victus primas partes semper tenebit, qua cauere frigus debet maxime subitum, & pręcipue extremorum & tempestatibus borealibus, quibus membranæ maxime affici consueuere, & earum sensus exasperari, præsertim cum subitæ post austrinas adueniunt. Ventriculus certe fouendus vestimentoque muniendus est, intestinaque collecta seruanda, si non fascia ne Renes nimis concalescant, saltem ipso aptiori vestimento certe locus ventriculi apte comprehendi vestimento debet. In cibis autem caueri debent duriores glutinosi, crassi, crudi, ac nimis austeri, panes grauiores panes ex nimis pura farina nisi leuissimi fuerint, quoniam sunt admodum glutinosi. Carnes crassiorum & vetustiorum animantium, glandulosæ, & membranosæ omnes. animantia fere aquatilia omnia, & maxime sanguinis expertia. Vnde conchilia penitus fugienda, & crustata etiam, ne dum mollia dicta. Pisces quoque quamuis sanguinis cõpotes nisi minores sint, & optimi generis ipsi quoque fugiendi. Oua item nisi tenera fuerint, & pultes, in quibus ea fuerint concreta. Caseus præterea omnis, maxime si in pultibus feruefactus sit.

Ex visceribus animantium solius gallinacei iecur deligendum. Ex fructibus sola amygdala & pistachia caricæ etiam interdum. Ex oleribus Borrago, lupuli, & cicoracea. Asparagi nimium sunt intestinis nocẽtes cappares bene cocti minus calidi minusque nocentes erunt, & tamen pituitam abstergent. Sorbitiones quæ aut ex hordeo cum cinnamomo, & sacharo, aut ex Farre cum paullo aceti aut ex trito pane fint, valde erunt idoneæ.

Nunquam quidem cibus non bene mansus debet demitti, summus vero delectus vini est habendus. Romæ præsertim vbi multa illius varietas est, & diuersis anni temporibus non eadem bona sunt, vt cẽ- E tula, quæ probatissima est, prior tamen suo tempore stomacho grauissima est. Albanum etiam aliquod primo tempore crudius, quæ etiam in alijs quibusdam vinis obseruantur, tenuitas vini semper quærenda, dulcedo & acerbitas vitanda, experimentoque proprio vinum probandum, vt modus potionum, & escæ cognoscendus, qui nam vtiliter seruari possit. De reliquis superuacaneum est decere. Ego certe modum & horas studiorum præscribi vellem, iracundiamque vitari, & somno longiore noctibus vti. Quę intelligenti abunde satis dicta videntur, vtinam tam vtiliter quam sedulo, & ex animo tui studiosissimo profecta sint. Vale.

Tibi deditissimus.

Christoph. Guarinonius.

De

De vrinæ affectu ad Illustrissimum & Reuerendissimum D. D. Ferdinandum Medicem Card. amplissimum postea Magnum Ethruriæ Ducem.

Pro Illustrissimo & Excellentissimo Dom. Prospero Columna.

CONSVLTATIO CCCCLXXI.

IN tanta temporis angustia & itineris sollicitudine qua vix possum animum colligere & ad scribendum conuertere omnino ego conabor iussui suo parere sine præfatione aggrediar. Laborat ipse Vir Excellẽtissimus crebra mingendi cupiditate, potius quam manifesto vrinæ ardore, aut dolore vllo, quæ res ab vrina ipsa potest proficisci etiam si vlcus in vesica non sit, quoniam vrina hæc potest cupiditatẽ mingendi crebro mouere cum sit admodum crassa & confusa cum materia multa, quę puris speciem refert, cuius vis vesicæ molesta est. Modo ea puris species est albi & leniter glutinosi, nõ fœdi odoris multa verò ea materia est, & bene concocta, & cum vrina admodum permixta, quæ sane ab vlcere vesicæ, neque tanta, neque tam bona hoc est alba & concocta, neque tam permixta cum vrina esse potest, ponamus vlcus vel maximum & profundissimũ in vesica puris tamen non tantum veniet, minus tam boni, & id erit fætidissimum & mali coloris, quoniam multum pus à membranosa parte venis exiguis prędita qualis vesica tota est, fieri non potest, minus album & bonum, seu bene concoctum, nam hoc à carnosa & calidiori natura potius quam à membranosa fit, præterea cum eo vlcere dolor, ardorque assiduus vrinæ continuaque mingendi cupiditas cum cruciatu esset, permixtum verò cum vrina pus à parte remotiori superiorique quã vesica sit, demittitur, quoniam in vesica sic permisceri non potest. Itaque cum bonum sit, & album à parte carnosa, & caloris maioris, quam vesica sit cum permixtum à parte superiori est. Præcessere quidem causæ vlceris meatus vrinarij & carunculæ, sed si illud solummodo esset, non crebram mingendi cupiditatem faceret, vrina supra meatum retenta, & in vesica conclusa, cupiditatemque mingendi ipsa vna sentiente vesica sui potius quam aliena causa. Vesicæ autem exulcerandæ nulla causa euidens fuit, nisi humores acres, qui etiã sine vlcere possunt minctum crebrum moliri. Indicia vero etiam propria vlceris, quę à pure sunt, vt dixi, ea non ad vesicam, sed ad superiores partes pertinent, vbi pellicula illa, quæ olim eiecta est vnguis magnitudinem exequans, non minus à cauitate Renum, quòd à vesica potuit delabi. Qui verò etiam dolor est in pube, neque grauis neque acris est, & à natura vrinæ crassæ & mordacis dum in vesicã per meatus satis angustos penetrat, & dum in ea halitum crassum emittit, potest excitari certe dolor ille modum vlceris vllum non præsefert & semper aliquam copiam vrinæ expectat vesica antequam irritetur ad minctum, quod non expectaret vlcere sic assiduè deterso, sed aliquantula quoque gutta vrinæ vt videmus in vsu medendi irritaretur. Minus si lapis esset cum vlcere aliquod spatium temporis intermitteret, quin cruciatu eodem vexaretur & cũ eo ipsa vrina impediretur. Ergo sine lapide hoc malum sit, vlcus verò sit, sed non in vesica, verum in parte carnosa & longe superiori.

Ac quando sæpe etiam aliquid puris separatum cum vrina mingitur imo eam antecedit, & quandoque etiam sine ea non voluntate ipsa, sed homine nolente exit, id non e vesica, e qua propter musculum nihil sine voluntate exire potest. Sed e meatu vrinario venit, quapropter etiam in eo aliquid visceris fuerit, & eo facilius, quòd caruncula antea curabatur. Ac vbi erit vlcus illud superius? carnosa pars & Renes & iecur est, iecur tamen diu sic affici non potest sine vitæ detrimento neque corpus hoc habitu & ijs viribus esset, neque sine febre vel magna seruaretur; incidit quidem febricula, ea tamen non tam exigua esset, si iecoris eiusmodi vitio fieret, sic duorum annorum spatio alendi vis maxime fuisset labefactata, maxime quòd hæmorrhoidibus cum maxima effusione sanguinis laborat. In renibus ergo vlcus fuerit, quod propter magnitudinem vasorum, & multitudinem materiæ sanguineæ, quã tractant, multam puris copiam possunt conficere, imo necessario conficiunt, & si vlcus non ita magnũ foret. At nullus sensus molestiæ in Renibus est, scimus quòd carnosa maxime Renum pars expers sensus est, & vlcera minora, quoniam cum vrina paulatim exonerantur non facile sui sensum per circumsistentes partes excitant.

Verum de copia tanta huius materiæ est etiã animaduertendum, quòd sæpe à toto corpore superuacua recrementa in partes iam infirmiores factas & maxime vasa seminis & Renes solent compelli, vnde sæpe ad vias seminis impulsa faciant illas sordidas gonorrhęas & in mulieribus alborum mensium continuas fluxiones. Ad vias verò vrinæ, quæ Renibus sunt proprie venientia vrinas complent humoribus eiusmodi ardorem etiam vrinæ efficientibus vt quotidie videmus. Quare esto aliquid puris sit in vrina; est etiam multum materiæ maturæ speciem puris referentis, quod non ab vlcere sed à toto corpore proficiscatur. Sit ergo vlcus paruum ita, vt ab eius offensa sensum renes non habeant quod cõtinenter sese exonerent copia vero tanta crassæ viæ à toto corpore mittatur, quod sanguine malo abundant, vt hæmorrhoidum fluxione declaratur. Sed quæ causa vlceris fuit, multæ superioribus temporibus à vitæ genere fuere, quo pessimo & in cibis, & laboribus, & venere vsus est, vnde gonorrheæ, & vlcera meatus vrinæ facta sunt. Malus etiam sanguis potest effecisse, & augere quotidie hoc vlcus cuius sanguinis notam vt dixi hæmorrhoides habent, quæ non nisi vitio sanguinis mouentur. Hæc mala ergo subsunt hoc tempore, à quibus, quid metuẽdum sit, non est difficile videre, nã corpore malo sanguinis genere referto vlcus in dies augere & uesicam etiã exulcerare febremque afferre, & totius corporis tabem potest, ac per cruciatum mingendi etiam citius id facere. Curandum igitur penitus est, vt sanguis in meliorem habitum reuocetur & totius corporis nutritio melior fiat, tum vt vlcus purgetur nutriatur, & conglutinetur, quæ num fieri queant, & num facile, ex ætate eo mali genere & partis natura, & hominis etiam moribus intelligit, Certe difficiles ęuratu morbos hos ipsa hæc ætas facit, cum 40. annus superetur. Curationis modo institutio in prouisione sanguinis, & corporis totius & in vlceris præsidijs continebitur. Totius quidem prouisio, & in vitioso detrahendo, & in bono creando sanguine est posita. Vbi videndum num hæmorrhoidum opera satis futura vitioso sanguini submouendo sit, volunt quidem meliores nostri Medici antiqui in huiusmodi malis purgationes corporis, vbi eiusmodi sanguinis fluxiones sunt, non esse necessarias, imo etiam incommodas, eorum tamen sermo cum sit de medicamentis acrioribus & valentioribus, ego non vererer sanguinem vitiosum circumcidere & modificare cum Cassia & sero caprino, cum diasebesten lenitiuo, vel Diaprunon

prunó cum ellectuario lenitiuo, vel etiam diacatholicon cum iure myrobalanorum, tamarindorũ dattillorum, & similium, per quæ sanguis purgatus minus etiam hæmorrhoidas moueret, quibus valde affici consueuit, & causam timoris suæ noxæ ipsamet medicamenta tollerent, & quem timorem de se faciunt solum fluxionibus ipsis permanentibus, illis inhibendis delerent. Corpore sic meliori facto, sanguini purgãdo vacarem genere ciborum admodum leni sine sale multo, sine acribus, aut acidis condimentis, sed ex farre prisana pane loto ex aqua, & cocto. Ouis pullis gallinaceis grandioribus, neque multum curarem auiculas; aut syluestres aues maiores propter nescio quid saporis euidentioris qui succi a sanguine alieni vim omnino sequitur, Reiecto caseo maxime veteri, & piscibus præsertim grandioribus, duris, & glutinosis omnibusque aquatilibus, & præsertim exanguibus. Lac in primis bonum censerem si ventriculus id conficiat, neque bubulum aspernarer quod crassius sit, donec liberi a calculi, & obstructionum metu simus, id enim plus alijs generibus lactis nutrit. Vlceri vero curando, quoniam non sat est si sanguis bonus fuerit illi suas partes habẽti, quę opem modicam efflagitant quarum causa detergi, & purgari saltem debet, atque etiam exsiccari, nimirum quod & sorde, & humore abundet, qua prohibetur ne se se nutriat, & in continuitatem cogatur. Propterea medicamenta erunt ad id idonea excogitanda. At quoniam vlcus in renibus est, ea medicamenta debent esse diuretica, quæ a corpore toto forte conferent plus mali in renes, quam a renibus exportent.

Iam toti corpori suam prouisionem habitam fuisse prius constitutum est Medicis. Ita omnino expurgatio vlceris iam necessaria esse reliqua videatur alioquin non sanescet. Verum ego vellem temperamentum toti corpori reddi, ne recrementis abundaret. Neque antea ego valentioris generis diuretica darem, neque illud quod in metu lapidis facit Galenus vsum amigd. amararum, aniforũ, & absyn. admitterem, sed serum lactis caprinæ diu exhiberem, in quo chalibs extinctus esset, vnde & detersionẽ meatuum, & collectionem carnium renum, & omnium viscerum ac venarum totius corporis expectarem. Lac asininum esset idoneum parte serosa detersionem, caseosa gluten habens, sed tamen validum esse non existimarem, quam serum, quoniam diu a corpore tamquam amicum retineretur, & sic transmutatum, vim detergendi amitteret, serum autẽ ipsum, vt alendo inutile, citius demittitur respuente ipsum natura, & integris magis suis viribus valentiusq; renes attingit.

Quo verò non satis valente, ego potiones salsę parriliæ cum parte guaiaci, & cicoraceis, & lichene subiungerem ad renum, & totius corporis prouisionem & tandem suo tempore aquam etiam thermalium genus illud probarem, quod ferri maxime vim haberet exiguamque sulfuris, vel id quod vlceribus idoneum esse per experimenta cognitum est, vt brandulense, vt ficũ cellense, vt villense, & ante omnia chalderianum, a quibus si exsiccatio quæsita certo expectatur, illa non nimia erit, neque adstringendis nimium renibus; sed colligendis, firmandisque vtilis erit, & vlcus omnino curabit, imbecilles enim, & laxi renes plus materiæ congerunt continentq; quàm collecti, & firmi.

Vnde multa sunt vsu reperta lapidi exturbando idonea, quæ adstringendi habet vim. Etenim quamuis in rebus vitæ expertibus laxitas potius faciat, vt contenta corpora deijciatur, effluantve, vita tamen compotes res, quoniam vi sua excernendi agere debent, nisi collectæ, & firmæ sint, minus possunt se se ab alienis liberare, quarum aquarum vis etiam omnibus venis, & corporis partibus robur aliquod, & purgationem etiam possunt afferre, vt in rheumaticis huiusmodi morbis est necesse ad curationem. Aquarum quidem thermalium vsus tempestate calidiorem efflagitat, & pręcipue chalderianarum quibus nos sub caruncula tantum vtimur, quoniam corpus vndique apertum postulant, frigidiores sua natura cum sint. Interea ergo reliquis vti præsidijs iam dictis cõueniet, quibus vel curatum vlcus postea his alijs non egebit, vel melius fiet, certè quidem sustinebitur, ne in peius labatur.

Ego nolo esse multus in remedijs recensendis, vt in therebinthina lota aliqua aqua vlceri idonea, vt in puluere chalibis parati cum therebinthina cõiungenda, vel seorsum dando, vt in trocifcis in hunc vsum paratus, quoniam ea cuique Medico cum plurimorum aliorum sylua nota sunt, atque ita hic finem dicendi faciam præsertim importunis in hoc discessu officijs hominum gratiosorum exagitatus, & scribendi pro multis opera occupatissimus. Te verò oratum velim vir Illustrissime, & meæ erga te voluntatis singularis memor sis. Vale.

De Heleno Narniensi oculorum, & aliarum partium malis affecto.

CONSVLTATIO CCCCLXXII.

Svbesse in hoc corpore causam aliquam ijs omnibus affectibus priorem, & communem tãquam omnium matrem certissimum iudicium est. Eam verò etiam primum viscera, deinde caput occupasse vtique est necesse, siquidem gallicæ naturæ ipsa esse proprijs antecedentibus notis deprehenditur, consequentibus verò etiam multis malis in iecore cũ quibus tamen ipse bono colore sit, quę res non sæpe, nisi in gallicis vetustis cerni consueuit. Gallica autem lues fere iecori primũ insistit. Ergo viscera primum & maxime iecur, deinde caput proprijs deprauationibus liberanda sunt, peculiaris verò iecoris lues delenda, deinde caput purgandum, & tandem oculis, & cruribus sua curatio attribuenda.

Omnes modo hæ deprauationes, & noxæ cum vitioso humore esse intelliguntur, cum alijs notis, tum quòd subitos ortus habuere, & cum tinnitu aurium coniunctæ sunt, tum autem, quòd fluxiones hemorrhoidum nunquam nisi vitiato sanguine incitantur. Præterquam quod gallica lues sine materiæ vitio nõ est, vt ostenditur, quoties vna ipsa materia consumpta lues deletur. Quæ cum ita sint optimo consilio dictum est purgationem totius corporis esse necessariam, deinde ipsas potiones ad gallicum accommodatas, quemadmodum, quæ ex guaiaco vna cũ salsa parilia fiunt ne si ex solo guaiaco parentur, aut dilutiores parũ valeant, aut valide nimium calfaciant, si ex vna salsa parilia nihil adstringendi virium habente ventriculus, & viscera nimis laxentur. Quæ potiones dandæ erunt sub valde tenui, & exquisita victus ratione, ita vt sudores moueantur, neque virium infirmitas metuenda modo febris nõ superuenerit.

Qua curatione gallicus certe lenietur. Num verò visus inde sit reuersurus spes in eo posita est si ille vno vitio gallico sit impeditus.

Chris. Guarinonius.

De valetudine Illustrissimi, & Reuerendissimi Ludouici Madrucij Cardinal.

CONSVLTATIO CCCCLXXIII.

Illustrissime, & Reuerendissime Dom.

GEnus tui corporis calidum,& humidũ est,semperque multo sanguine abundauit, quo in finem vsque adolescentię per fluxionem e naribus natura se se exonerabat, deinde ea non amplius id moliente fluxiones ad articulos conuerti cępere, tentat quidem natura aliquando per hæmorrhoidas se leuare id tum admodum parte facit. Articuli ab origine imbecilles fuere,in hocque generosi fuere, quoniam a parentibus non degenerarunt. Aetas 56. annorum est,qua fere sanguinis abundantia in quibus hominibus expurgationem ea aliquam non sortitur, solet crassitudinem acquirere,& melăcholicum corpus reddere. Sanguinis partes serosiores, seu ichorosæ facile in imbecillos articulos identidem pelluntur, quæ sanguinis naturam redolentes, & non exigua sui partę calidæ cum ad articulos cunctantur febrem excitant,ibi enim inculcatæ necessario concalescunt.

Nihil præterea mali in corpore cernitur,neque verò,vt febre in podagricis cõsueuit, renes quidquam sabuli, aut arenularum, aut dolorum persentiunt. His itaque articulorum doloribus a sanguinis quodam genere non valde quidem bono nascentibus, vel proxime a toto corpore,vel etiam ante in caput, & inde in artus delato,si hæmorrhoides sponte moueantur,opportuno admodum remedio essent, non æque si arte cieantur, qua porrò nunquam referandæ essent latius quam per hirudines fieri consueuit, alioquin periclitaremur,ne nimium fluentes deinde noceant,hirudinum etenim foramina facile concluduntur. Arte ego in summa nullam sanguinis detractionem molirer,nisi (quod IESVS optimus maxime auertat) morbus accesserit, cuius magnitudo futurum vitæ periculum minetur. Si quidem vis naturæ sine causa infirmari non debet, ne quos robusta morbos sine vitę periculo fert,infirmior cum periculo incurrat. Ac quoniam ijs doloribus magnitudinem aliquam morbi non habentibus detractio sanguinis attribuenda non est,longe minus illis crebro tentātibus,crebro illa facienda est. Si porrò certa spes esset ex sanguinis missione eos dolores non accessuros, tunc certi beneficij spes,& remedij fructus tantum potest,vt remedij etiam omnis suspicio auferretur. Insequens enim bona valetudo,& doloris carentia spatium sanguini reficiendo daret,& occasionem crebræ missionis illius tolleret. Verum incerta beneficij spes est, atque dolores post imminutum sanguinem identidem factam vexantes plus virium naturæ corporis consumerent, & maturam senectutem redderent, quæ quidem sanguinis mittendi sic facta consuetudo si retineatur, breuiorem vitæ cursum redderet,si intermittatur autem acutos morbos afferret.

Ergo nisi, aut febris,aut aliud malum certis notis esse,aut fore magno incommodo intelligantur, nunquam ad venæ sectionem veniendum, imo nec valde hæmorrhoides mouendæ. Potius intra illa medicamenta manendum, quibus sanguinis partes recrementitiæ, & humores a sanguine alieni circumciduntur,cuiusmodi essent, siquidem hyems sit, pilulæ de tribus cum rhabarbaro, aut mastichinæ confectæ, cum rhabarbari expressione in locum succi artemisiæ suffecta. Si verò æstas,syrupus rof.solutiuus, aut caro prunorum cum solutiua rosarum, & senæ, aut polypodij expressione, aut serum caprinum cum sy-upo de polypodio,vel melle rosaceo solutiuo,vt corporis status extiterit.

Quo medicamenta sub doloribus etiam vtilia crederem, quoniam quamuis sæpe dolores, inde exacerbentur, semper tamen necessario debent fieri breuiores,& quia etiam ij solent plures subinde partes tentare, dum vna doloribus vexatur medicamẽtum materiam submoueret ne in alias partes dolorem inferret,clysteres certe maxime idonei quouis tempore erunt.Atque hæc de præsidijs,quæ sunt petenda manu,& medicamentis. De victu autem nimis multa dicenda essent, nisi Medicus prudens adesset, videndum quidem certe est ne potiones modum escæ cuperent, & omnia moderata sint.Et maxime sub doloribus,sub quibus tenuissimo nõ tamen extenuante cibo vtendum, & potius pane loto primum,deinde cocto,quam ptisana, potius in pleniori victu gallinaceis pullis,quam auiculis mollioribus dico mollioribus,quoniam turdi, & merulæ densiorem cibum præbent. Sub quibus doloribus a vino abstinendum, & aqua,cui coriandrum incoctum sit, bibenda,neque vis coriandri suspecta habenda cum & siccum,non viride,& exiguum adhibeatur. Motiones, & exercitationes corporis sub doloribus vitandæ, illis verò ex toto discedentibus adhibendæ, quoniam & recrementa consumunt,& partes robustas reddunt, quarum loco frictiones vsum eundem præstare poterunt, & quoniam non est necesse longior non ero in scribendo, in obseruando quidem T. Illustrissima D. semper constantissimum me cognoscet,qui nihil sum carius habiturus, quam posse me tibi aliquid gratum facere. Vale.

T. V. Illustrissimæ,& Reuerendissimæ.

Deditissimus.

Christoph.Guarinonius.

Multa consilia prætermissa sunt, hic vero præsertim illud, quod pro Serenissimo Gulielmo Mantuæ Duce habitum cum Nouarea, & Beato atque Casalensi.

De Hydropico incidendo.

CONSVLTATIO CCCCLXXIV.

VIr Doctissime duo sunt in corpore hoc maxime attendenda, vnum aqua est, alterum viscera ipsa,vnde ea oritur. Aqua abdomine non excedet, & intra peritoneum,& intestina est, vnde facilius aperto abdomine, quam per intestina detrahi possit. Detrahẽda vero est, quoniam ea præsente viscerum calor naturalis, & vis omnis occupatur.Pręterquam quod prætensionem ipsa dolores excitat,& actiones omnes naturæ perturbat,viresque consumit.Viscera vero post aquæ emissionem ipsa curanda sunt. In aquæ missione videndum, ne ferramentum aliquid intestini offendat,ne inflammationẽ pariat,& mortem inferat,& vulnus apertum habendum donec tota aqua educatur, neque enim vel confertim tota emittenda,vel aliquid relinquendum,relicta enim aqua sic iterum,& tertio aperiẽdum est, & maius incommodum habet, confertim autem emissa hominem extinguit.

De

De visceribus diligenter videndũ num iecur tantum, num etiam renes vitiati sint, nam sæpe vidi in hydrope lotium admodum exiguum reddi, quod nõ potest esse, eo quod parum aquæ subsit, nam aqua in ascite sub peritoneo detenta lotium penitus est, & lotij speciem retinet, minus verisimile est iecur suapte vi aquam illam a renibus retrahere, & in abdomen reijcere, nam quod est difficilius, natura nunquam aggredi solet. Potius renum culpa id fiat qui vitio affecti, aut non attrahant, aut locum attracto sero prebere non possunt eo, quòd obstructi sint. Quod in hoc ægro suspicandum videtur, in quo exiguum admodum lotium est, & maxime coloratũ renibus humorem inficientem potius, quam secum recipientibus, quo casu dubium sit quo pacto ipsæ viæ biliosis recrementis potius, quam sero patentes sint cum serum sit biliosis humoribus tenuius. Forsan renes potius biliosum humorem cum suo alimento, quam serum alliciant, quoniam ipsi vitio aliquo, aut seri, aut suo serum tamquam inimicum respuant recusentque alioquin rem sibi admodum familiarem, & amicam.

Hic certe renes male habere videntur, & præsertim sinister, cum contra illum, si manus imprimatur, dolorem moueat. Vidi ego alios post sanguinis exigui minctum in hydropem subito incidisse, & breui cum doloribus perijsse, & etiam perforatos, præter iecur ergo renes spectandi sunt. Lien quoque quod primum fuit in vitio, vt ægrotus fatetur, respiciendum est, ab eo enim forte iecur affectum est, quamuis aquæ chalderianæ vi, cum ad lienem, nescio quo consilio, datæ hydropa induxerint, nam iecur ipsum earum aquarum vsum nequaquam sic male habuisset, nisi a viscere sibi coniunctissimo affectum fuisset. Ergo aqua detracta viscerum cura instituenda, vt iecur, lien, & renes in suum statum reuocentur, humore alieno consumendo detrahẽdoque, & temperie recuperanda, proprie vero renibus aperiendis, & vrina promouenda. Quæ mihi viderentur postea posse perfici, primo per rhabarbarum vna, & succum iridis sæpe exhibita deinde per dialaccam, seu diacurenniam, & alia quæ horum vires imitantur.

Neque crederem non admodum idoneum guaiacum, si cum parte aliqua salsæ pariliæ coniunctum daretur, qua renibus quoque apertio lotij pararetur quam etiam china adiuuaret, vt ego expertus sum, in quibus certe vis consumendi humorem, abstergendique, & detrahendi, tum aperiendi, atque etiã confirmandi omnia viscera, quod & potionibus matutinis, vt solet, & cum vino in mensa locum commodum haberet. De victus ratione non dicam, quoniam satis cuique vestrum nota est. Hic perforata aluo 45. lib. aquæ emisit. Quinta die doloribus redeuntibus reserato foramine lib. 20. Die 7. cum doloribus perijt.

De Scipione Burio laborante.

CONSVLTATIO CCCCLXXV.

DVo sunt in primis spectanda a vobis tamquam vrgentissima tertium autem his proximum, nam potissimum vrget corporis consumptio, deinde sputum purulentum, tertio putredo ipsa humorum, vnde febris primum orta tantorum, malorũ in causa fuit. Historia namque a Medicis Parauinis propositæ standum est, qui tussim, & destillationem initio fuisse negant. Consumptio corporis ad extremum peruenisse videtur, & si facies nondum penitus id præ se ferat, quæ mihi spem facit cor tamquam tyrrhanum se se sustentare, cordis siquidem modũ vultus, & facies sequi consueuere. Hæc consumptio a febre orta est, quæ vi sua in habitum corporis, & etiam cordis calorem impressit, nedum humores putredine quidem multos, calore verò complures occupauit. Inde quoque impetum accepere humores in pulmones, atque primum sub specie sanguinis, dein de puris, & pituitæ admodum tostæ, & concretæ expuuntur.

Neque enim ego possum assentiri sanguinem e capite venisse, minus e disrupta, aut erosa pulmonum, seu thoracis vena cum nulla causa antecesserit erosionis, ruptionis verò nullus proprius euentus. At ruptionem sequi potuit suppuratio, hãc vlcus, hoc demum callus & sanguinis suppressio, puris verò abundantia. Domini intra 40. dies tot progressiones mali fieri nequiere, minus tantum vlcus subesse potest pro hac tanta puris copia, quin sanguinem semper emitteret pulmonibus refertissimis omni venarum genere, & sanguine eoque tenui perpetuoque exagitatis non solum respiratione, sed tussi. Videmus nos, quòd intestina exulcerata semper sanguinem emittunt, qui compressione eorum exprimitur, vlcere vel exiguo, pulmones dilatati aera alliciunt, & compressi tenuem sanguinem in cor pellunt, cum compressi per tantum vlcus, quantum puris copia ostendit non eum sanguinem edent, qui toto suo corpore confunditur. At exangues interdum fiunt pulmones credam scilicet, viuente homine id posse accidere. At in alijs hoc visum est, certe quotidie id cernimus, sed eodem, quo dixi in hoc ægro modo, nam vidistis vos mecum sæpe sanguinis largum eggressum e pulmonibus sequutam febrem fuisse, & sputum crudissimæ pituitæ sine sanguine, & tandem mortem, apertis repente venis initio deinde occlusis, & pituitam tantum in pulmones comparantibus, vt sit etiam, cum per aluum & renes e toto genere vinoso humores pituitosi excernuntur, natura venarum quæ non ruptæ sunt, sed se se aperiunt sanguinem retinente, alienumque humorẽ permittente, excernenteque, quod sæpissime factum vidistis in alui fluoribus initio sanguine dilutiori, postea humoribus biliosis diu sine eo effluentibus. Quid dictis his quæris, ego volo sperare, neque vlcus, neque rupturam in pulmonibus esse, sed ex malo sanguinis genere per febrem vitiato eam materiam partim pituitosam, partim alterius generis in pulmones male firmos compelli, & ibi etiam febris putridæ materiam, a qua iam pulmones vitiati sint, & eius generis materiam non solum recipiat, sed antea receptæ similem iam generent, vt vitium acceptum cogit cuius vitij pulmonum etiam melior faciei, & genarum calor ostendit.

Quibus propositis ego continuo nutritionem citissimam procurarem, & pulmonum expurgationẽ, temperamentumque. Idque non testudinibus non cochleis non gammaris, seu cancris, nisi tabefacta admodum citæ distributionis spem faciant, sed lacte tenuiori, frigidiorique qualis asininus est. Humanus quidem plus alit, sed neque refrigerat, neque tam cito distribuitur, & propter febrem potest in malum succum conuerti quo per plures dies dato iura etiam supradictorum præberem, in quibus illa penitus contabuissent, per destillationem quoque liquor ex ijs excipi posset, quo certe, & destillationes finiri, & corpus admodum nutrire animaduerti. Expurgandis pulmonibus syrupi e violis, e nymphea, & capil. Veneris, e pimpinella e iuiubis essent idonei, quoniam febri quoque, & intemperiei pulmonum subueniret. Si corpus satis nutritum vnquam inueniretur, & sputũ non intermitteret, ego tunc metuerem vlcus pulmonum, quod sanguis cum pure indicaret, & ita salsam pariliam, & aliquid guaiaci per potiones darem cum folijs pimpinellæ, metu verò tabescentiæ manente

nete iure pulli, atque etiam cum ptisanæ succo componerem. Interea vt materiam quoque a pulmonibus auerterem operam darem, & clysteribus præcipuè vterer donec vires resumptæ medicamenta per os dari permitterent, quæ maximè ex iure agarici, & polypodi? quod pulmonibus amicum similitudine, quæ sibi cum dulci radice intercedet, esse admodum videtur, ijs rebus adiectis quæ pectorales vocantur. De vini potione res dubia est, ea pro modo febris, pro materiæ coctione moderanda est, vrinæ hæ certe asperiora habēt eneoremata, & coloratiores sunt, si ad meliorem habitum reuerterint, tunc vinū pauciferum, non asperum, ac potius album poterit concedi. Dixi.

Tandem cum pure sanguis aliquis expuebatur, & tabefactus penitus, & cum vehementi febre, cum insaniaque consumptus est, nihil remedij datum fuit toto 40. dierum spatio præter eius cancrorum.

De Guido Turrio Marchesio ventriculi imbecillitate alijsque affectibus male habente.

CONSVLTATIO CCCCLXXVI.

SVbtilis certe res est præstantissimi viri ea, in qua neque multus est ipse recessus a natura, & tamen ei subueniendum est eo quod molestias infestat, cui verò, si non occurratur, maiora tedia minatur, si subueniatur etiam sine periculo non est. Hic enim natura corporis in melius mutari nequit homine amicorum officijs, muneribus publicis, & familiaribus etiam negotijs cōtinenter adstricto, id autem, quod præter naturam ei accidit, parum ab ea recedere, & diu inhæsisse, & habitum contraxisse certum est, ab ineunte enim adolescentia cæpit ei vomitui matutino consuescere, quo nunc ætate iam inclinante exercetur, agit namque iam septuagenarium ętatis annum, neque hucusque vomitus habuit tantam vnquam intermissionem quin circuitus suos semper retinuisse intelligatur, & si impares circuitus fuerint. De quo vomendi more, ita statuēdum est, vt nequaquam tolli sine vitæ periculo queat, quòd eius causa non adeo exactè submoueri possit, quin multa parte remanendo vomitiove opus sit habitura, vbi pericli temur, ne dum causæ tollendæ vacamus, ea quę eius tollendæ opportuna videntur, vomitu penitus maiori damno auferant quam commodum illud sit quod ex causæ diminutione speretur.

Quæ dixi ad maiorem attentionem retinendam in casus ipsius consideratione. Vomitus is pituitæ est, eiusque crassæ fere ac lentæ, qui si vi maiori incitetur etiam acidum quendam succum, cum acerbitate, & acri morsu efferat, vt melancholici succi etiā aliquid insequi ad pituitam intelligatur, nam, quòd aliquid interdum bilis flauæ educat secum pituita, id potius naturalem statum cuiusque hominis etiam sani sequitur, in quò bilis semper facilius subsequi soleat, & vomitus ille, qui bile flaua vacuus, & syncerę pituitę fuerit, peior semper existimabitur, quam qui bilem quoque euexerit; hic ergo vomitus statum a natura declinantem indicat, cum fere pituitam solam, non rarò autem melācholiam, fere nunquam bilem flauam promittat, & quoniam symptoma est, morbum vt sui causam semper opportet. Atque vt vomitus conditionem considerem, ipse in genere suo præter naturam non est, si naturam ipsam hominis & animantis perfectionis respiciamus, qua in re ratiocinationem Galeni libro de vsū partium sequendo, ego video, quòd cum sanguis in alimentum datus necessario ad mediocrem sui temperiem, habeat tamquam ad medium adiunctos suos recessus ad genera quatuorum temperamentorum vergentes calidiorem, & sicciorem, calidiorem, & humidiorem, frigidiorem, & sicciorem, frigidiorem, & humidiorem, vt vt a mediocri recedunt natura partium ex ipso sanguine alendarum, ipsa natura materiæ in sanguinem hunc conuertendæ non potest, ita ad amussim quadrare, minus caloris vis materiā immutans adeo iustas vires retinere, quin iustum illud temperationis harum partium sæpe superetur, & modo plus calidi, & sicci, modo plus frigidi, & sicci, ne dicam plus calidi, & humidi existat. Præterquam, quòd id perpetuo euenire est necesse, vt in muratione partes materiæ nequaquā omnes in alibile illud mediocre intra fines dictos comprænensum vertantur, sunt enim plures, quæ potius finibus illis excedant, vnde in omni materiæ confectione multum in bilem inutilem, vtilis, & alibilis calidi, & sicci humoris modum eggressa, multum melancholici humoris frigidum, & siccū genus alibile longius sequuti multum pituitæ frigidum, & humidum genus excidens euadat, quod verò in fines calidos, & humidos longius diuertit, id animantis naturæ nequaquam inutile euadit, neque temperationem alimenti superat, cum animantis potiores alendæ partes calidæ, & humidæ sint. Humores ergo illi, ita fines vtilium eggressi a sanguine, & vtili genere erant segregandi, & tamquam recrementa seorsum colligendi, in eas partes aquarum viribus etiam e corpore reijceretur, vt vt colligi contingeret, sic bili flauæ fel, melancholico succo, seu bili atræ lienis, fabrefactæ partes sunt. Pituitæ verò nulla certa pars data, quod ego quærebam in rem nostram faciens, quoniam ea infra mediocrem sanguinis confectionem subsistens remanet adhuc idonea, vt in mediocrem statum a calore si ei coniuncta fuerit, adducatur, coniuncta verò esse melius non potest, quam si vna cum sanguine confusa totis venis diffluat, sic enim fusa subtiliter facilius ab eius calore, & venarū vi potest in meliorem succum perduci.

Verum, vt materiæ necessitatem hæc sequuntur, sic aliud amplius de pituita sequi necesse est, quoniam eius origo prima, vt reliquorum etiam humorum, sed longe maxime ipsius est in ventriculo, in eo namque materia admodum contraria conficienda recipitur, sic ibi discerni ex ea multum quod frigidum, & siccum est, & excerni per aluum debet. Sic multum etiam discerni, quod frigidum, & humidū, non item excerni oportuit, quoniam non est ab expolitione meliori caloris alienum, sic in ventriculo proprie multum pituitæ manere sępissime contingit nimirum id quod redundat, & rēsidet ex eo, quod in iecur, & venas magis propinquū naturæ sanguineæ diuiditur hoc ergo pituitæ genus, quod in ventriculo ab alibili natura remotius tamquam magis alienum relictum, & humor crudus vocitatur, sæpe tamen crassus, & tam parum idoneus ad alibilem naturam recipiendam, quòd quo diutius a ventriculo manet, & a calore corporis vrgetur, eo peior euadit nimirum dēsior, & glutinosior, & interdum malam naturā consequitur, quapropter nisi excernatur maxima incommoda natutæ inferant. Itaque a natura vomitus animanti datus est, qui ne contra naturam sit putandus ex hoc confici potest, quod necessitas illius vna cum recrementi necessitate nascitur. Quam ob rem nos in hoc vomitu illud vnum tantum esse præter naturam discernimus nimirum quod nimis crebro sit, & nimis multam eius materiæ congestionem sequitur, de qua causa sit, vt non genus ipsius vomitus, sed modus, hoc est multitudo præter naturam sit. Quærenda igitur illius causa est, quæ tamquam

quam morbus erit auferenda. Quoniam ergo illa multitudo ex quouis vitæ genere paulo plus, vel minus eadem consistit, neque in externam causam potest referri, internam aliquam subesse necesse est, vitio nimirum facultatis coctricis constantem, faculta tis coctricis vis aliud esse cernitur, quam calor bene constitutus temperatusque, vt nil aliud quam ipsa temperies eius facultatem contineat, vitium verò illius dyscrasia, seu intemperatio, quæ ipsamet vitiata facultas est, nihil enim facultatis videmus præter tēperamentum, minus vitiatæ eius præter temperationis vitium, atq; is verè iam morbus est, quo effectio vitiata oritur. Quæ modo intemperies tantum pituitæ colligat, certe frigidior censenda est, num autem humidior incertum, frigus enim ad cruditates sat est, imo ficciora multa sunt corpora, quæ humidis recrementis suo frigore redundant, vt senilia ipsa sunt. Siccitatis porrò nihil indicij habemus, quoniam ventriculo præter naturam ficciori facto corpus, tam commode nutritum non cerneretur, nam, si sibi ventriculus non sat esset renuntiando, & a statu sicco præter naturam vindicando, quomodo corpori, tam bene alendo satisfaceret? frigus infirmam vim coctricem facit, vt quæque qualitas. Cum vna tantum deficit infirmas vires reddit, cum duæ tunc penitus solēt abolere virtutes, ita si frigori squallor adiungeretur, sine vlla dubitatione infirmissima esset concoquendi vis, & penitus abiecta corpori non inseruiret, videte Galenum, quid infirmitatis ficciori facto præter naturam ventriculo attribuat 7. lib. meth. vbi vix lactis quatuor vncias posse confici sperat, nihil vero solidius dat. Vnde etiam cōfirmamur maxime in hac sententia, quoniam iam 20. annus agitur, & amplius ex quo cæpit hæc pituitæ affluentia sed Galenus vix vna, aut altera die renutriri vult modo ventriculus concoquant, & siccitatem tolli, & facultatis vires augeri ita, vt ad solidiora cibi genera liceat transiri, is ventriculus genera quæcunque cibi superat, & si ex illis humorem crudiorem exprimat vi sua frigidiore, nullam ergo subesse siccitatem suspicarer minus etiam humiditatem multam, cum aluus non admodum diffluens reperiatur, cum ipse sitim non mediocrem fere habeat.

Frigida ergo intemperies statuatur in ventriculo. At non ne posset pituita hæc e cerebro, seu capite in ventriculum deferri? Scimus enim, quòd cerebrum frigidi, & humidi generis necessario e venis frigidā, & humidam materiam allicit suapte vi vti sibi similem, & accommodatam, quemadmodum membra omnia facere consueuere natura sic nata, & id postu lante, quamobrem recremēta eiusdem generis procreare cogantur, cerebrum ergo frigidum, & humidum recrementum molitur, eo verò plus quo, vel magis id genus materię abundat in sanguine, vel vis cerebri frigidior infirmiorve exstiterit. Verum ego non possum id cerebro attribuere, quoniam si a propria infirmitate id veniret, tunc illa proprijs indicijs agnosceretur, nimirum quod reliquæ quoque facultates in eius temperie innixę, forent infirmiores, vt sensus, tam externi quam interni, vt etiam motus. At cor est omnium earum verum initium dicit Doctor, esto sit initium, quoniam vbi primum vitæ animalis vis in animante ibi primum sensuum, & motionis est, quando ea vita in sensu sit posita, & sensus sine priori vi altrice non consistat, tamen in cordis temperamento facultas sensuum exprresse esse nequit, quod calidius cum sit, non habet spiritus ita quietos, qui imaginibus recipiendis, seu sensibus idonei sint, frigore aliquo quietiores fieri debebāt, vt sensui idonei essent, sic in cerebro tantum ad sensum compara ti sunt, in cuius basi, & ventriculis remorantur illis reticulosis tenuissimis canalibus ad id confectis, cerebrum igitur frigidius factū tardiores omnes sen-

A sus haberet, qui hic acres omnes, tam interni, quam externi existunt, culpa itaque cerebri ab ipso hęc pituita non demittitur, Culpa autem materiæ in cerebrum venientis si est, quòd illa nimis multa, nimisque cruda inferatur, tunc illa a ventriculo ortum habebit maxime, quòd iecur hic calidius esse conuincitur; quamuis ea in ventriculum reuertente frigus ventriculi aliunde etiam augeretur. Sed tunc totum corpus pituitæ notas haberet ipsum caput plus caloris tanto haberet quantum nimis multum alimenti attraheret, ex quo nimium recrementi superesset, & in ventriculum delaberetur, tunc enim caloris indicium salsedo necessario sequuta præstaret, & præterea alias proprias in sensubus, in somno, & vigilia præberet, quæ nullæ sunt, præsertim quod interdum

B caput dolet cum peius habet ventriculus. Vomitus ergo pituitæ causa in ventriculo proxima propriaq; fit, non a cerebro cuius ventriculi frigidæ intemperiei indicium fuit affectio illa hypochondriacæ melancholiæ, non enim solum fuit hypochondriaca affectio, sed generis melancholici, quæ necessario vitium ventriculi sequitur crassiorem humorē gignentis, vt calorem iecoris crudiorem illum sorbentis, vnde obstructiones, & modo inflammationis affectus, a quibus calidi quidem, & sicci halitus attolluntur, & cum frigore ventriculi confusi inæquabilitatem maximam affectus faciunt, & eructationum sensus contrarios, tamen cum calorem, per quem elati vi sunt, amisere membranis frigidis ad id conferentibus, tunc in priorem naturam materiæ crudæ reuer-

C tuntur, & siccitatem retinent, quam amittere non possunt, sic ventriculum magis refrigerant, & infirmiorem non ad retinendum, nisi tumentia flatus id fiat, neque ad attrahendum appetendū, sed ad concoquendum, si ergo infirmus frigidiorque ventriculus ante eum affectum fuit, post cum frigidior factus credatur, maximè quod Medici, qui ipsum curare tentarunt, potius frigefacientia præcepetūt. Causæ cur frigidior antea esset vētriculus satis superque fuere studia illa nimis assidua, & puerili, atque adolescenti ætati valde importuna, quibus impulsū panis, tam fuit adstrictus. Hæc est affectio potissima, quam cruditates sequuntur, & tumentia illa ab ille sinistrum, quæ intestinum flatū plenum præ se fert,

D sequitur etiam capitis dolor, qui leuato per vomitū ventriculo quiescit, dolet verò malè in dextro modo in sinistro latere caput, vt vt halitus sursum impulsi viam sibi faciliorem aliquo casu inuenerint, quòd etiam signum est, quòd non per neruos, aut œsophagum, sed per venas, & arterias causa doloris it. De morbo mihi satis dixisse videor, de ijs, quæ annexa in eius curationis instituendæ partem venire debent pauca dicenda sunt, potissima natura corporis est ad quam spectare debemus, cū recessus ab ea volumus cohibere, hæc certissimis indicijs calidior cernitur suo genere, etsi ætate iam immutetur, carnes ineunte ætate erant pleniores, nunc tenuius corpus est, quoniam calor spatio solet corpora exsiccare, sanguinemque minus alendo idoneū gignere, ac nisi post-

E quam adeo refriguerit calor, vt pinguedinis materiam non confirmat, corpus tenuius solet esse, eo verò refracto admodum corpus solet pinguedine, non carne repleri, quod nondum factum est, ætate nondum adeo calorem, tam diminutum nacta molitave, hinc est cur mollior sit ipse læuiori cute in Thorace, quam in artubus, quoniam calor mollitiem seruat etiam vbi non tantum humiditatis est, sine pilis etiam cutis est, quoniam tempore quo gigni per ętatem, & natiui caloris vim potuerunt humidius corpus reperiebatur, ita de humido si sit determinādum vix ad humidi genus a mediocri vergebat. Quæ si sint in viscera referenda ego siccitatem aliquam in cor quod sub ea minus quam iecur solet corpus efficere,

cere,

cere,& eius generis non multa in dicta solet præbere, minus materiam pilis subministrare, calorem vero in iecur, nam caloris cordis euidentis notæ non sunt, neque in animi perturbationibus, quæ minus vehementes cernuntur, minusque celeres, neque in vasorum amplitudine, quæ potius exigua arteriarum maxime intelliguntur, atque subinde venarum quas quoque a corde oriri cogimur confiteri, pulsus quidem celeres videntur, & minus molles, sed celeritas non tantum a calore, quantum a corpore arteriæ densiore, ne dicam duriore potest proficisci. Iecoris calor solet hominem iracundum efficere, non tamen iræ illius apertæ, & animosæ, quoniam certum calidius non est, perturbationem quidem suscipit, aut ventriculi consensione bilem sentientis, aut spirituum natura incendio idonea ob materiæ calorem, ipsum tamē suo corpore tenorem, vimque non subministrat nisi calidum ipsum sit, etiam angustioribus cor ob insitum frigus, solet a materia calidiori ob angustiam citius incendi, & ὀξύθυμους non autem proprie θυμώδεις efficere, eiusmodi Illustrissimum virum esse animaduertimus. Itaque colore nō admodum albo est siccitate cordis prohibente, & vasis nigrioribus candorem in cute perspectū nigrore suffundente, pili quoque nigri sunt, & oculi, pili quidem, quoniā pilorum materia spatio dum tarde effertur, ea siccitate æqualescit, calori autē pilorum raro non oculorum color solet respondere, ac quando non sunt simili colore cum pilis oculi singularem quandam speciem præ se ferunt, & in pulchris admirabiliorem pulchritudinem reddunt. Vuea namque ex materia pilorum afficitur cirris illis vicina, qui cristallinum cum vitreo colligare videntur. Iecur itaq; calidius sic, & ad humidum quidem, sed non euidenter vergat quasi calidius in secundo, humidius in primo censeatur. Cor autem in primo frigidius in secundo autem siccius. Caput temperatum crederem, quoniam ingenio plurimum pollet cerebri non solum tenuitate, sed temperie, & memoria etiā, quam per prudentiam suam habere intelligitur, minus humidum, & colore pilorum nigro conceditur, minus verò etiam siccum, cum nullum caluitium adhuc subierit. Partibus etiam externis capitis iecur, & cor sequutis. Ad naturam corporis addenda est consuetudo vomendi, & medicamenta ex hiera assumendi addendum vitę genus, in studijs in muneribus publicis, & solicitudinibus familiaribus in vsu vinorū potius acerborum, in præsentia accedit etiam anni huius tempus quod prima æstatis pars est cum iam ortus pleiadum præterierit, annus enim febre ad statum illum redactus est quo erat Aetij tempore, & ipse facit ortum earum stellarum 7. die Maij: nostri Astrologi faciunt minimam pleiadum oriri 9. die eiusdem. Sumus autem iam ad diem 25. Tempestas modo anni humidior est, & imbribus referta. His sic præuisis, & pro certa historia propositis, ad deliberationem veniendum est, quæ ex ijs definiri debet, quæ a rebus obiectis ostenduntur. Ostendunt verò ea, quæ secundum naturam sunt, atque vinata sunt, vt in vita occupatissima, quamuis vitij aliquid haberent, retineantur, neque immutentur, in quibus naturæ etiā vim tenent ea quæ consuetudinis ipsius sunt, quemadmodum fere vomitus est.

De quo certe ego subtiliter considerandum censerem, vt initio dicebam, & attente esse videndum, ne valentioribus medicamentis tractatus ventriculus a consuetudine vomitionum reuocetur, intereaque viribus concoquendi non penitus recuperatis id materiæ, quod congeretur, aliquam in partem naturę necessariam delatum incommoda insignia afferat, qua in re ego sic statuerem nobis medicamenta, solummodo leniora esse adhibenda, quibus neque tanta motione vis ventriculi exagitetur, neque vomendi consuetudo tolletur. Igitur ego intra vsum mellis rosacei solutiui cum oximelle, vel simplici, vel aliquantisper solutiuo manerem, mel rosaceum solutiuum cum decoctione polypodij, & senæ componerem. Oximel item solutiuum ex eodem polypodio, & enico ad sena facerem. Quibusdam diebus ius gallinæ veteris potius quam Galli opportune comparatum darem, ex ijsdem nimirum medicamentis adiecta maxime betonica, non saluia, ne nimium exsiccaret potius pimpinella. Nam viri præstantissimi vos videtis etiam in vrinis humoris crudi, & crassi notas, qui in totum corpus diuisus eget etiam ea eiectione, quę per vrinas fit, ius quoque columbarum adultiorum, cum ijsdem probarem. Neque verò minus opportunum iudicarem, si aquam tetucij dictam quatuor, aut quinque diebus post propositas expurgationes sumeret, non eo modo, vt valens remedium præstaret, quoniam iam ego id genus recusaui, sed vt leniter ventriculum abstergeret, &, vt dixi quater ea aqua accepta contentus essem, alternis autem diebus, vt solet darem, & his satis occursum esse crederem. Verum in tāto cruditatis habitu bis in anno eodem repeterem, neque hoc superuacuum crederem, quoniam ætas inclinans semper sub ipso cruditatis vsu deterior euaderet. In ratione victus duo obseruari vellem, vnum vt vino minime austero, minimeque dulci vteretur, sed eo quidem leni, tenui, & paucifero, rubro potius hac nostra regione, qua alba vina in vsu non sunt, & raro non flatuosa sunt, rarius caput non infestant, alterum est exercitatio corporis, quę si alta lectione fiat videretur opportunissima ventriculo qui septo transuerso contiguus vegentis caloris & per exercitationem excitati vim sentit, & febre eius agitationis particeps est. Quæ etiam in equo fit exercitatio est commodissima. De reliqua ratione victus credo ipsum tanto temporis spatio tot, & tantorum Medicorum consuetudine iam probe nosci, quid dici queat.

De adolescentula borio affecta.

CONSVLTATIO CCCCLXXVII.

Recte sane omnia fuere explicata, quæ ad naturam huius corporis, & morbi quæque ad curationē illius pertinent, tam interius quā exterius adhibendam. Et sane malum a capite est, cuius genus humidum impense cernitur in carne, in forma, & in somni modo, intelligitur vero etiam ex morbo, quo antea tentatum fuit generis Mopeciæ, & ex rheumatum genere gingiuas attollentium, quos morbos medicamētis valentioribus curatos bronchocele sequutum est, maxime cum ad eliciendos capillos Soli diu se obiecisset, & illione mellis vsa fuisset. Natura huius tumoris pituitosa est, neque dum naturam aliquā, aut atheromatis, aut steatomatis accepir, siquidem mollitiē carnis non mutauit, imo cum formam aut figuram propriam nondum acquisierit, folliculo carere hactenus intelligitur, imo neq; sinum sibi per abscessionē parasse cognoscitur, cum effusa penitus æquabiliter sub cute sentiatur, minus glādes ipsas solas occupasse videtur, vt dixit Doctor, cum earum figuram non præ se ferat, minime vero etiā musculos qui suum habitum retinēt. Contra autē caput Tracheæ versus iugulum consistere, & eam amplecti, atque occupare ex angustia spiritus percipimus, vbi neruū aliquem imbuisset, vt doctor alter asserebat, aliquid sensionis, aut motionis fuisset impeditum. Vt ratio naturæ earum partium indicat, atque experimento compertum est. Sępè enim vidimus vocem sublatam, neruis recutrētibus materia infarctis sæpe etiam linguam, & deglutionem rerum, si non maiorum, certe quidem minorum, & potioris.

Quorum nullum videmus hic euenisse. At quomodo materia, tam diu ibi se se a corruptione sustinuit si parti alicui perfusa non est, & collecta ibi est. Iam dixi me non arbitrari eam sibi abscessum fecisse, cum circumscriptus non sit tumor vllis regionibus. Cur ergo tam diu non putruerit non solum causa esse potest, quoniam pituitosa, & frigida materia diu potest sine putredine esse, tum quoniam frigida, & crassa est, tum autem, quoniam semper in transmutatione esse potest parte semper in halitum transeunte, parte succedente in locum consumptæ. Verum etiam, quoniam confusa per carnes ab illis ac si esset proprium alimentum conseruatur. Cuius conseruationis modus cernitur in multis tumorū generibus, quibus materia sic per meatus distributa carnes replet, & ab illis in mediam quandam naturam transmutatur, cum in carnes penitus conuerti non possit, conuerti in illas minime idonea, neque vero in hoc tumore, tam aliena a carne manet, quam manet in œdematosis, in quibus apposita quidem est materia carnibus, non tamen trāsmutata, aquosæ, vaporosæque naturæ vim tenens, hic enim magis ad nām carnis accedit, vt sua crassitudine, & suo genere idonea est, vnde prę crassitudine non potest in cutem penetrare, sub ea vero subsistendo ibi molliores, & laxiores carnes perfundit, illisque annectitur, ac si alimentum esset, & aliquantisper transmutatur, sic incorrupta manet, quoniā vim vegetalis naturæ subit, & vitæ fit particeps, & caloris eius tamquam caro, quod non facit materia ædematis imo neque pinguedo, quæ si valde crescat in corpore ei onere est, non ita caro, quoniam vitæ compos est. Sic natura huius tumoris est aperta, quòd carnea quidē est, sed non bene perfecta, quoniā e materia aliquanto magis aliena a carne fit, quam deberet, nimirum e sanguine pituitam nimis referente. Qui a capite illuc defertur, non a cerebro, nam ea esset pituita nimis a nutritione huiusmodi aliena, quæ carnis uatutam non subiret, Sed fertur a vasis membranarū cerebri non valde eam perficientibus, potius pituitosam eam conseruantibus talemve reddentibus sua intemperie. Quæ cum ita sint, eo omne nostrum dirigi cōsilium debet, vt intēperiem capitis vna cum omni materia illam conseruante submoueamus, deinde si id perfecte effectum dare ei non poterimus, difluxionē eius materiei alio mitiori incōmodo reuocemus. Partem vero etiam affectam curemus, ita, vt materiam carnis inutilis paulatim coerceamus, & ad meliorē naturam reuocemus. Quæ num possimus ab ope medica sperare, & quanto tempore, determinare difficile est, quando tamen iam duobus annis sine vlla ope Medici fuit, & vix malum creuit, cū toto primo anno immoderate increscendo metum maioris magnitudinis fecisset, & huius moderationis causa nō possimus in aliud referre, quam in vsum medicamentorum sub finem eius anni habitum, si medicamenta ex parte ei profecisse videntur eadem iterum, & tertio adhibita opus perfectura esse est verisimile. Ea vero sic ordinanda sunt, vt primo materiam ex vniuerso corpore eruamus, deinde ipsius corporis intēperiem, si quæ est, tum caput sua materia primum, deinde sua intemperie liberetur, demum sedi contra Tracheam opem feramus. Toto itaque expurgando potissimum illa medicamenta erunt opportuna, quæ colocynthida recipiūt, siue sint hierę maiores, siue pilulæ paratæ, siue a nobis parandæ, in agarico namque satis veruim ego non potu esse. Parata ergo materia per syrupos ex betonica, ex oximelle, ellectuarium de hiera s. ad ℥. 1. cum ℈.s. Trocischorum Mandal exhiberem, colocynthis namque sic parata mihi videtur nullum negotium facescere, & valentissimum ac tutissimum medicamentum esse, potiorque ea mihi sic parata videtur quā per expressionem in illud redacta, quod extractum appellatur eo enim pacto non ita certū effectum dat, quoniam ignis non est molitio certa, nec modus idem seruari arte potest, cum eo, quòd extractū semper debilius est, hoc ergo medicamento bis, & terrio repetendo corpus purgarē una, & caput ante secundam, & item tertiam medicamenri exhibitionem valentioribus syrupis ad apparatum datis, vt syrupus ex stechade arabico, & oximelle scyllitico. Neque verò ijs ego satis corpus purgatum crederē, quoniam per hæc ambitus illius non facile ab hærentibus humoribus liberatur. Sed ad ea quæ per sudores expurganr, accederem, qualia esset, aut guaiacum, aut salsa parilia, aut china, aut sassafras, ex quibus ego salsam pariliā cum ramis rorismarini, ego coniungerem, ex quo sudorem, & temperationem corpori, & capiti etiam sperarem. Si lignum guaiaci potius videatur ipso rore marino, ego ipsum maxime habeo notum, & familiare, potius quam corticem ipsius, & partem nigram ligni potius quam albam. Sudoribus, ergo excitatis, & corpore illis per totum mensem exsiccato crederem corpus, vna & caput satis fore expurgata. Capiti præsertim interea admotis, quæ ipsum purgant. Antiqui enim nunquam fuit in vsu caput purgantia vocare vllius generis medicamenta præter illa, quæ proprie ei adhibentur per errhina per gargarismata, & per eiusmodi reliqua. Quibus sic præstitis lotiones quoque capiti exsiccando darem, non solum ex herbis, radicibus agarico sena, sed ex alijs vsque ad aquas thermales in ipsum caput instillandas, quæ nisi satis præstiterint, demum ad materiam minori incommodo diuertendam me referrem per inustionem vlceris in occipitio, nam in brachio id neque certum, neque volens censerem, quòd putarem non auertere materiam, dum natura in uiam vlceris illam compelleret, sed in locum potius affectum allicere, in quem prius iter est quam in vlcus. Verum omni studio, & repetitione supradictorum medicamentorum ego potius sanationem procurarem, quam eiusmodi mali obscurationem. Loco tandem affecto curam attribuerem, quoniam ipse, tum intemperie, tum materia vitiatus est, & ipsum maxime exsiccarem, neque vero in eo agendo præceptionem illam vtilem crederem, quam soleo ex Galeno sæpe in medium afferre, cum hæ affectiones rheumaticæ curādæ sunt, illæ enim cogunt nos semper cum resoluentibus reprimentia componere fluxione humoris sic postulante.

Nam in hac parte reprimentia mihi metuenda videntur, quoniam vicinæ partes nimis præstātes sunt, nimio periculo eam materiam repressam in se reciperent, imo iam periculum presto esse intelligitur ex ipsius spiritus angustia. Ergo ego valde exsiccantia, & aliquantulum etiā calfacientia ingererem ei parti, ex omnibus vero quæ in vsu experimento comprobata vidi, id maxime solet facere, quod fit ex vrina ad ignem, tam diu feruefacta, vt acerrima & penitus salsa euadat, quæ per spongiam adhibita valentissime exsiccat; huic nitrum addere possumus, vel sal iustum cum aqua vitæ dicta, non desunt nobiliora remedia ex emplastris, & cæratis, vt ex ciclamino ex althea, alterum de artanita, alterum dialthea dictum, cum quibus ego cæratum oxicroceum nominatum numerarem, vt accommodatissimum. Sunt alia recipientia metallica multa, vsque ad marchesitam, sed suo tempore erunt deligenda.

In ore etiam iubentur continere pulueres, & demum etiam deglutiri, ex spongia recenti vsta, ex alga, sepia, pipere longo, & nigro, ex assato, ciclamino, & eiusmodi alijs, in quibus quidam etiam sulfur imponunt. Sunt, qui pulueres exsiccantes vna, & expurgantes prebent, vt ex hermodactilis,

lis, turbith, gingibere, flore titimali, seu esulæ, diagridio, dent.

Aquæ exsiccantium rerum potius quam pulueres mihi probarentur, quoniam citius penetrant, nisi enim pulueres diligentissime contriti sint, penetrate non possunt, vt Galenus docet, cum de affectis renibus loquitur. Quare ex ciclamino, alga, salsa parilia, betonica, saluia, eiusmodi alijs ego aquas expræssas darem. De victus ratione vinum concederem, sed modicum in eo, aut rosmatinum, aut saluiam, aut betonicam esse vellem. Aera autem maximè qui flumini vicinus est, vitarem, reliqua Medica curanti relinquerem.

De quodam Asthmatico putato tumore iecoris laborante.

CONSVLTATIO CCCCLXXVIII.

QVamuis multum tibi tribuam vir doctrina, & peritia in ciuitate nostra præstantissime, non possum tamen tecum esse in causa nunc a te pertractata, vt putem hunc iuuenem asthmaticũ pulmonum culpa esse, aut eam angustiam spiritus vllo pacto ab vlcere ipsius tracheæ fieri. Tussis rara est sic vlcus non erit sputa rarius procedunt, angustia spititus intermittit, & longis quidem intetuallis nulla fere cernitur, ita in pulmonibus materia non hæret, cum decumbit quidem semper præsto est, vt nunquam cubare cum angustia patiatur, sic & causa angustiæ hæret, & in ea parte a qua per debitum semper pulmones vrget, & premit, febris assidua est nulla tamen cum corporis tabe, vt facie, vt toro corporis habitu cerni potest, color potius luteus est, præsertim in coniunctiua oculi. Et quod euidentissimum est sub costis durus vẽter est, atque si locum, si formam, si reliqua æstimamus, id omne ad iecur pettinet, quod certe tumens admodum intelligitur adeo, vt fere omnem aluum tumore suo occupet, tumoris vero genere nõ quidem scirrhoso & duro, sed tamen minime molli.

Ordo etiam progressionis huius mali is fuit, vt primum ab hinc quosdam annos melancholia hypochõdriaca fuerit affectus, deinde tumorem hunc ipse animaduerterit, atque cum a Medicis plurimis fuerit exagitatus fere omnes calidissimis rebus vsi sunt, causantes flatus, & intemperiem frigidam. Inde exaucto tumore spiritus angustia facta est nulla destillationis nota intetcedẽte, quæ angustia continua quidem est, verum non nisi per interualla animaduertitur, quoniam molesta semper non est, molestissima quidem cum decumbit. Postquam verò valentius cæpit eum exercere, cruta ei intumuerunt, & habitus corporis vsque in faciem malus euasit plenior quidem, sed minime solidus, minime bono calore.

Quo ordine, quibusque progressionibus malorum mihi videor cernere oculis ipsis omnem ægrũ cunctorum originem a iecote esse, quod non solum aliena materia infractum, sed male etiam nutritum, maloque habitu affectum, tumentia quidem vrgeat in septum transuersum, habitu autem malo sanguinem prauum paret, quo corpus totum refertum est, & male alitur, & sic non boni, non bene perflati humores facile putrescant, & febrem assiduam pariant, vrinasque coloratiotes reddant, præsertim, quòd fellis quoque meatus, siue iecotis tumore prætmatur, siue crasso humore impediatur occupatus fuerit. Pulsus magni sunt, præsertim cum angustior spititus trahitur, quoniam eius necessitatem v-

A na cum febre illa spirandi angustia auget, corde nimirum tamquam Tyranno se se sustentante, & meliora alimenta ad se trahente, quæ etiam suo calore torius animalis caloris fonte pòtest in meliorem statum perducere.

Quod sane cor, nisi tantum posset, iam obrueretur tot prauis succis, & ni succurratur tandem obruetur. Cordis verò robur non solum meliores succos reddit ad se mole multa vitiosa adductos, sed dum eos in melius conuertit multa copia inutili excidente illam alienam a se propellit non solum in omne corpus, sed in pulmones in quos peruium est per arteriosam venam per quos sua recrementa solet eijcere, hæc enim non sunt in halitum conuersa, vt in corpore bene habente solent, sed corpus sanguinis

B adhuc retinet, qui e pulmonibus oppressus vi excretrice non in arteriam venosam, quoniám in cor reuerteretur, sed in bronchos Tracheæ etumpit, & sic necessario vna cũ sputis procedet, est verò exiguus, quoniam e cordis alimento plus in spiritum bonum & halitum inuisibilem pertransit, quam in aliud genus recrementi, cum quibus illud etiam incidere potest, vt iecore, tam male habente, venæ adeò infirmari possint, quòd aspetiantur, non solum quæ ad nares pertinent, aut ad sedem, sed quæ ad pectus, ex quibus cauitatem illius sanguis confluens eam compleat, angustiam spiritus faciat, & tussim cum sanguinis sputo, quale sputũ cernimus in hoc ægroto, nimirum exiguum, & tetrum, quoniã antequam

C possit assumi in pulmones, & traduci ad bronchos ater fit, & exiguo modo eijcitur. Vidi ego quosdam iecoris tumorem annis aliquibus gessisse, deinde corde affatim molem mali sanguinis casu quopiam impulsam recipiente, illamque in pulmones reijciente, peripneumonicos interijsse cum multo sanguinis atri sputo.

Quod posset huic euenire, nisi vita prius intercipiatur corde iam diu febre affecto, & longa lucta contra malos humores vsu. Si enim obruatur, quòd defessum non possit humores agitare a se quæ repellere sine peripneumoniæ notis interibit, aut ea nascente mors vna afferetur, neque excretionem, spuitionemve sanguinis expectabit. Vrinæ siquidem valde infectæ sunt, & pulsus impensè agitatus.

D Quatum nihil ex vlcere pulmonum timeri deberet, a quo febris potius lenta consumptiuaque fieri soleat.

His verò sic constantibus, quid sperari possit, non video. Magnus morbus, imo extremus, magna, & extrema remedia postulat, vires autem non ferent, vel mediocres, habitu vero etiam malo contracto sensim illud, non confertim, deberet expelli, vis enim maior in tanto habitu potius naturam conuelleret, quam morbum dimoueret. At vero spiritus angustia, & febris, putredoque humorum inducias non dant, quare non video, quam bono animo nos gerere hac in re possimus, quave fiducia remedijs idoneis vti. Salsa parilia a te proposita certe leniter tumorem emolliret dissolueretque, sed spatium

E non datur, & quoniam nihil habet illa, quod vires iecoris contineat dum dissolutione geritur, etiam sola metuenda est aliquanto minus hac china. Ego itaque leuia medicamenta viribus iecoris sustinendis accommodarem, quæ paulatim materiam emerent, vt syrupum de cicorea Nicoli cum rhabarbato copia rhabarbari aucta, esset etiam idoneus syrupus acetosus diarrhodon rhabarbaro adiecto, vt syrupus de eupatotio.

Atque si vires se se per has leues exputgationes receperint componerem rhabarbarũ cum iridis succo, aut cum eius puluere, a quo ego auctas iri rhabarbari vires speratem ad infarctum iecoris demoliendum.

Ac quoniam illę accessiones spirandi difficultates sunt magnifaciendę necessario identidem a pectore materia est reuocanda, quæ impetu illuc infertur, impelliturque, vt vt reliquarum partium vim expultricem onere suo, & vitiositate irritat, quæ ei plurima sui parte id flatus conuersa malum maius facit. Itaque clysteribus crebro vterer, & illis quidem valentioribus, tum flatui dissoluendo, tum humoribus retrahendis, vt incocta centaurea & colocynthide, agarico, & eiusmodi alijs cum nepua, cum Origano, pulegio, aniso, camo & eiusmodi alijs. Præterea frictionibus, vinculis, vesicatorijs, vterer præsertim in cruribus. Spiritui etiam faciliori reddendo destillationi, si qua est occurrerem, & spuitionem expeditiorem procurarem, haberique assidue in ore ea vellem, quæ, quidquid e cerebro delabitur oblinitum retineretur, ne in larynga accederet, tussimque mouendo spiritus maiorem necessitatem faceret, sicque potius excrearetur, oblinientia autem, & retinentia suo glutine multa sunt, & Munus Christi sine margaritis Diadraganthum, Diacodium illud simplex ex capitibus papaueris, & saccharo atque petridij, vel cum illis radix dulcis quoque concoquatur, maxime vero recens, aut farfaræ ipsius radix. Saponea cum Aniso, oleum amigdalarum, seu lac eorum cum lacte expresso ex pineis, quorum omnium succi sine igne fiant, sunt iuiubæ e cortice libenæ, & saccharo conditæ, est saccharum canditum, est ipsa dulcis radix recens, aut in aqua macerata, sunt sebesten, pruna, sunt mala punica, & alia innumerabilia.

Aer apertus, perflatusque penitus procurandus est, ita tamen, ne ipse aspirationi fenestrarum, aut ianuæ obiectus maneat, ne destillationes ei moueantur, quæ plus negotij afferrent, pectus vestimento quidẽ stipatus esse non debet, ita vt obruat, cauendum tamen, ne frigore afficiatur, & febrem stipatione cutis augeat, hypochondria saltem contecta habeantur. In cibis ptisana bene percocta cum aliquo aromate erit idonea. Sed cum aniso, & magis cum fæniculo mihi videretur accommodatissima, quoniam pectus lenit, & iecori expediendo vtrumque facit, existere verò pullarum gallinaceorum bene cocto esse debet, vt plus alat, quo vel contusæ pullorum carnes erunt necessariæ, & emulsio amigdalarum dulcium admodum commoda. Potiones ex aqua incocto aniso, aut fæniculi, & saccharo, aut etiam radice dulci esse debeat; nequaquam autem vino, etsi tumor crurum hydropicum affectum indicet, quoniam maior metus a febre est, quæ medioctis non est, & ab influxu humorum in pulmones, qui a vino etiam magis incitaretur. Somnus ineundus est quouis modo, & quoniam a decubitu ea angustia semper incitatur, sedendo reclinatus, & pronus in faciem puluinatibus nixus in brachia in cubitosque dormire debet, vt alios facere vidi præsertim quendam, qui hoc morbo penitus a iecore præmebatur. Vitet vero maxime animi concitationem, ne spiritus necessitas augeatur, minus pectoris partes exerceat ne humores illuc incitentur, vbi etiam a sternutatione esset cauendum, sic quietus maxime degat, & æquo animo patiatur, quæ alioquin declinare non potest. Dixi.

Is cum quaque nocte post sextam vigiliam angustia spiritus semper etiam, atque etiam maiori tentatus esset, tandem post tres, aut quatuor dies angustia illa etiam interdiu continua laborans pulsu non amplius magno, carnibus refrigeratis, & sudore faciei quamquam minori exagitatione, quam antea sic integra die manens extinctus est.

A

De ardore vrinæ pro N. Gesso cum Fum. & Pona.

CONSVLTATIO CCCCLXXIX.

MVlta disputata sunt an ab humorum acri vi, an ab vlcere sit is ardor vrinæ vlcus tandem adesse suspicatum est, & id acribus humoribus attributum. Ego Domini scio quidem multas notas, quæ lapidis faciunt suspicionem esse communia cum humoribus crassis, vt pruritus glandis, assidua deijciendi cupiditas cum meiendi cupiditate coniuncta, quę hic longe magis suspicionem lapidis extenuant, eoque dum ipse equo vehitur, dũ scalas descendit non
B
videtur multum infestari, nec etiam post, vt certe euenire solet sub vesicæ lapide. Tamen vt confidero, quòd vrina magis impeditur, si rectus mingat, quam si decumbendo, non possum non id lapidi attribuere, quoniam nihil est, præter lapidem quod tam facile a foramine vesicæ remoueatur, quam cernimus remoueri in hoc iuuene, cum decubitũ petit, vt possit mingere. Vidi verò hoc indicium in alijs multis certissimum, vt ex successu fuit comprobatum. Veruntamen ego consulo, vt filo cærato tentetur, vnguento illo duro albo illinito, vt ex impressa lapidis nota, & vestigio certius possit intelligi quo certius de eo deliberemus. Interea tamen vlceri curatio, & solatium homini præbendum, & prius vniuersum corpus purgandum initio a leuioribus facto, vt a flore
C
cassiæ cum rad. dulci deinde cicoraceis syrupis violaceo, & iuiubino exhibitis, atque etiam de nymphea cum rosaceo. Exhibeatur aliquod medicamentum, vt diasebesten ex polypodio non prætermissa elleboro propter humores crassos, quæ cum electuario lenitiuo temperãda sunt. Postea ego serum caprinum darem ijs impositis, quæ humores lenirent, quæque vlcus diluerent detergerent, & exsiccarent, quorum succus betonicæ nõ mihi videretur alienus, terebynthina etiam potior quam ego exhibui ad vlcera interiorum cum certissimo euentu sanitatis, incoquerem in sero radicem dulcem, ordeum, alchachengi, passulas, sebesten, dissoluerem trocischos ex alchachengis ex spodio, & similia, ononidem, tum lapidi, tum
D
vlceri opportunam crederem, & omnia quæ sicca & frigida ad lapidem frangẽdum accommodata sunt cognita, vt lapis Iudaicus, lapis spongiæ, vitiũ vstus, vt milium solis, vt radices, & spongiæ rubi, vt semina Mespillorum, & similia. Interea in vesicam quoque illa inijcerem, quæ vlceri curando, & ardori leniendo facerent, vt serũ lactis, vt lac ipsum, vt lithargyrum liquatum cum sero, cum aqua violarum, cum albumine oui, iris etiam violarum, & aquam Fragorum, ac similia. Exhiberem postea ad vlcus sanandũ, & renum calorem temperandũ aquas chalderianas, ne rursus lapis generaretur, ac per omnem ætatem semper vellem in vsu haberet quæ ex rosis, betonicaque conficiuntur, terebynthinam etiam resinã lo-
E
tam cum aqua plantaginis, aquam ex parietaria, ex ononide, aquam cui incoctum sit sebesten, dactillorum caulium maluani, modo hãc modo illam, vt vt vsus postulare videtur. Dixi.

De vlceribus cum duris tumoribus in facie.

CONSVLTATIO CCCCLXXX.

VLcera circum nares, & bucas profunda scatent cum duritie circumsistente, in quibus concreta quædam materia alba dura, & pinguis reperitur,

color cutis superpositæ robur est; & cum in sincipite prius ea fuissent curata per ea, quæ hydrargyrum haberet, aut per ea, quæ resident ex oleo expresso stibij in faciem postea progressa sunt. De his vlceribus ad naturam mali interni ea gignẽtis prodire debemus, vt illa cognita tollatur. Vlcerum vero natura prius definienda; Ea ergo est horum vlcerum natura, vt non solum sit cõtinui diductio, aut resolutio, sed carnis etiam absumptio, seu demptio, & ea quidem in profundum, caro autem resoluitur, & demitur ab aliquo humore adurente, erodenteve, qui necessario non solum calidus, & siccus esse debet, vt id faciat, verum etiam crassæ, & terrenæ naturæ nimirũ exustæ, nisi enim crassæ naturę esset, nõ diu hereret, non tantum posset, quoniam dilaberetur, tenuisque dissolutu facilis potius vinceretur. Eo verò crassior humor erit, quo altius caro exeditur, nam tenuior ad extima posset expelli, & sua leuitate emineret, & non ita alte subsisteret. Est ergo calidus exustusque, & terræ exustę vim habens dictus humor, vnde etiam vlcera præter exesam carnem etiam eius intemperie affecta sunt, in carne relicta, & eius infarctu tument, ac duras partes habent oris suis adiacentes. Verum in cauitate vlcerum semper materia quædam alba lenta, crassaque colligitur, quæ quamuis siccior sæpe sit, & suo genere frigido, & sicco tũc ad humorem melancholicum referenda videatur, tamen a pituita est, & proxime ei natura cõiũcta, accedet vero ad genus illud, quod stearoma dici consueuit hoc est sebosum. His ergo ita propositis, & definite constitutis, facta via nobis est, ad id, quod intus geratur, perspiciendum, duo genera humorum notissima sunt, nimirum exustus, & pituitosus, hæc diuersas origines habere necesse est, quæ in eadem parte tam aduersariæ esse non possunt, atque vt paucis dicam, nos omnia indicia habemus nullam esse partem in hoc corpore quæ exurendi vim præ se ferat præter iecur, quod ei cum natura, tum alijs occasionibus calidum conuincitur. Originem autem pituitæ difficilius est collocare, nam cerebrum non videtur actiones suas eius generis habere, quæ frigus indicẽt, quod cum quotidie cernatur, etsi a capite visuntur destillationes frigidę ego cogor originem hanc effectus frigoris plenam referre, vel in vasa capitis, & membranas, quę intemperiem ab exterius incidentibus acceperit frigidiorem, vel in ventriculum, cuius opus crudius a iecore non vincatur, minus a vasis id in cerebrum deferentibus. Cuius refrigerationis causa satis valens extitit, cum in flumen se indutus coniecit in eoque multo labore diu versatus est, totis nimirum duabus horis, ex eoque cum se recepit, non cõtinuo se ab humore indumẽtorum liberauit. Vnde ex labore corpus, & cutis tota concaluit, & mollius factum postea frigus facilius excæpit, & eius noxam sensit, ex qua ventriculus, totum corpus, & caput etiam refrixerit. In hoc itaque iuuene video veram esse sententiam Gal. qui ait, ꝙ cum rheumaticæ affectiones fiunt, tunc corporis vniuersi vis altrix male habet, & non solum vasa capitis, sed ambitus totius corporis in genus huiusmodi recrementorum concurrent, ne dum ventriculus. Quæ cum ita sint, est metuendum, ne vlcera, neve duri tumores increscant magnitudine, & numero ne sanescant, nõ refecta corporis temperie intus detentis humoribus prauis corpus in vitæ periculũ deducatur, videmus nãque, quod curans ijs, quæ in capite, seu sincipite erant, alia extitere in facie, in buccis, & cum maiori periculo in naribus. Propterea videndũ, vti corporis valetudo prius recuperetur, deinde vlcera auferantur. Remouenda ergo est materia e corpore nata ex intemperie, & illam conseruans, tum intemperies, materia & a medijs corporis partibus, & ab ambitu demenda, intemperies verò iecoris quidem calida, vẽtriculi autem frigida, & ambitus ipsius corporis item frigida superanda. Quæ pręstari posse ego crediderim si aluo soluta, e ventriculoque pituita detracta, aliquid sanguinis mittatur, quo & iecori perflatus facilior, & naturæ ac medicamẽtis actio expeditior comparetur, is enim magnus morbus est sua, & partis causa, vbi est, & a sanguine ei timetur, deinde parati humores idoneis syrupis per idonea medicamenta demantur, non solũ e medio corpore per aluum, sed e toto ambitu per sudores, per aluum verò non solum semel, vel iterũ vniuersim purgantibus, sed diluentibus etiam detergentibusque ipsa viscera, visceribusque vasa vicina. Quibus pręstandis ego crederem opportunas primũ esse potiones ex cocto elleboro ad ℈.2. sena ad ʒ.2. polypod. ad ʒ.s. Aniso ad ʒ.1. cinamomo ad ℈.1. Macere ad ℈.s. radice dulci ad ʒ.1.s. passulis ad ℥.1. sebesten num.5. quo dissoluatur confect. Hamech ad ʒ.3. diacatholicon ad ʒ.6. syrupus violaceus solutiuus ad ℥.℥. manna ad ℥.1.s. Et sic hora quinta ante cibum darem, postea refecto ventriculo duobus, aut trib. diebus, interiectis spatij postea serum caprinum quotidie propinarem incocta in priori calice sena saltem quinto quoque die vna cum immixto syrup. ros. sol. quotidie verò succum cicoreæ, & hępaticę dictæ, seu lichenis cum succo betonicæ in eo componerem, atque etiam succum fumiterræ; quo per 15. Dies exhibito, sudoribus purgationem procurarem ex salsa parilia, & guaiaco, ex quibus crederem ipsum conualiturum. Quòd si non sanescat penitus, aquas chaldevrianas exhiberem, quæ iecur & extergerent penitus, & temperarent, cum medioctiter refrigerent, & abstergant ex ferro, quod habent vt ex cæno earum, & sedimento etiam cum diu seruantur in aliquo vase intelligitur, & ventriculo etiam ac capiti exsiccationem præstarent. De ratione victus mihi non videtur quidquam dicendum nisi, quòd a vino maxime sibi temperandum est.

Is post purgationem supra deliberatam, & aquas, meliusculus primum fuit, deinde peius habuit.

De Illustri Victoria Spoluerinia Iusti a febre continua maligna laborante.

CONSVLTATIO CCCCLXXXI.

FEbrem hanc esse putridam dubiũ non est, si omnia consideremus, vt primo si cruditatẽ humorum spectemus quæ ex vitæ consuetudine ei euenire potuit, sicuti enim cacochymia infirmitatem corporis affert, sic crudi humores, & crassi facile febrem gignunt. Si spectemus ad eam accessisse multas animi ægritudines, corporisque labores, & præterea febris notas familiares, fuit frigus primo aggressu febris perceptum, est acritudo caloris, est pulsuum inęquabilitas maxime in eodem ictu, sunt vrinæ cum sedimento crassissimo, etsi non sint admodum coloratæ, sed inter ruffas, & flauas medicamentum, est diuturnitas febris cum linguæ ariditate, sunt vomitus tandem alui solutio, quę omnia humorum vitium denotant non solius spiritus, accessit autem frigor ille gręcorum 5. die factus, qui non potest indicare aliud, q̃ putredinem cum ad eum non solum sequutus calor sit, sed tot dies etiam antecesserit. Putredo ergo sub est humorum, quorum genus sane admodum calidum non est, minus biliosum, cũ neq; corporis calor valde vehemens, neque pulsus admodum magni celeresve, sed potius crebri, cum vrinæ subruffæ, & ruffæ sint, atque admodum crassæ, imo fere ad turbidas vergentes, quæ cum demittunt sedimentum illud est admodum copiosum, & crassum.

Est pręterea propensio, in somnũ neque sitis multa, vomitus vero etiam pituitosi cum multa pitui-

tæ copia deiectiones alui ruffæ non flauæ, & sæpe in album vergẽtes cuiusmodi autem putredo illius humoris sit, proximum est vt videamus. Pituita videtur non ita facile putrescere, vt bilis, quoniam frigida est, crassitudine tamen sua, & lentore tantas sæpe facit obstructiones, vt cum perflari calido loco non possit humidiori genere suo ipsa vitiosas maxime putredines subeat, ex quibus vapores, seu fumi non admodum acres sunt, seu non admodum feruentes calidiores, neque ardentes febres faciunt, linguam nigram non ita reddunt, neque sitim vehementem afferunt tamen naturam maxime suo graui etiam pessimo genere opprimunt. Linguam sæpe arefaciunt, si diuturniores sint, quæ in Illustrissima muliere cernuntur, & tandem propter nimiam fumorum collectionem, dum perflari humor pituitosus non potest B suapte vi impeditus, putredine vehementiss. & malę naturæ subit, cuius generis putredo in hoc corpore mihi esse videtur.

Nam & si vrinæ parum infectæ calore sint, crassitudo tamen earum demittit sedimẽtum asperrimum quod exustionis vehementis signum est, & eo magis quòd pituitosus humor ad id exustionis peruenire sine maxima putredinis vi non potest. Præterea lingua admodum sicca, spiritus angustia insignis, suspiria, & lypothymię, extremorum refrigerationes sine ordine, & corporis exagitationes, animi quædam desponsio, & abiectio, quę non nisi vehementiam, & malam naturam putredinis sequuntur, cum quibus consentit pulsuum paruitas, & crebritas sine multa C vi ictuum. Neque verò mirum est, quòd ipsa, tam somnolenta sit, minus quod venter deijciat lutea in album vergentia, cum bilis, quæ per aluum descendit cum tanto ichore pituitæ confundatur. Minime vero etiam, quòd cruda aluus descendat, cum in pituitosis febribus ventriculus fere male habeat, imo adijcit Auicenna, quod putredinem sentit, & corruptionem, vnde lipothymia, & compressio ventriculi, & angustia sint, bis tantum noctu deijcit, interdiu totidem, & tamen diffluentia, & nimis mollia ea sunt, vt profectò ventriculi causa talia fiant, nam si a toto corpore essent largius accederent, & acritudinis maioris essent, vnde crebrius aluum incitarent, facile etiam liquidiora, & biliosiora cernerẽtur, quæ si per colliquationem exirent, & iam glutine tãdem D multo essent prædita, quorum nihil his euenit, noctu porrò etiam inualescit febris, & putredo, vt in morbis pituitosis fieri consueuit. Neque verò putridum est non longum temporis spatium postulare hanc materiam, vt a tanta putredine queat vindicari: Imo penitius metuendum, ne ante vires opprimantur, cum sese renutrire e pertinaci adeo materiam nequeant, & a putredine crassa admodum nimis occupentur, & vẽtriculi vis iam succumbat, tam alendis viribus necessaria.

Vnde cum indicia coctionis in pituitosa materia euidentioris generis exigantur, cruditatis verò indicia adhuc sint, necessario in initio morbus adhuc est, & quando alicuius coctionis signa succedent, tunc metuendum adhuc erit nisi vires fuerint constantes E ne ad coctionem perfectã materia perducatur quin prius mors coctionem interpellet, coctio namque dum feruet, quoniam genus putredinis est, maiorem febrem excitat, quæ viribus non validis præferri nequit. Vbi quidem, & coctio hæc perducta est, vt iam puris boni naturamque attingit tunc vires etiam nutrit, & ita illæ morbum superant, longe itaque peius erit, si putredine non ad genus maturationis, sed ad genus exustionis cõuertatur, quoniam nutritionem virium non est allatura, potius euersura, & dissolutura, longe autem pessimum, si ad genus corruptionis, quarum rerum notę non tam in vrinis quam in pulsu conspicientur.

A Cum enim asperitas sedimenti manebit, crescetve, exustionis genere contineri putredinem indicabit, & eo longe maiorem exustionem, quo in imum magis sedimentum abibit, neque enim minus separat exustio, quam concoctio suum sedimentum, sic malum sedimentum eo leuius est, quo magis in sublime se se sustinet, hoc est minus separatum a spiritu, & ab humore vrinæ est. Corruptionem dicit pessimam ostendent, quoniam vrinis liuor, & perturbatio accedit, sed tũc maxime fiunt pulsus infirmi quas notas, & vereri debemus, & diligenter obseruare. Actio enim Medici non solum a præsentire, sed a futura etiam successione dirigenda est, notæ vero iam dictæ, & quod præsto est, & quod futurum significant. Interea modò hac cruditate, hac materia, his obstructionibus, hac putredine, hac ventriculi infirmitate quid agendum viribus etiam parum valentibus pessimamque putredinem minitantibus? Pauca certe fieri possunt, nã etsi in principio simus, si morbus salubris foret, & mouendũ esset, copiaque coercenda, vires tamen non patiũtur. Vomitum ego certe leniter mouerem, neque alienum putarem, aluo etiam sic molli hieram propinarem, per quam vomitus duabus horis ab ea mihi videretur, posse recte concitari, quoniam etsi motio illa vehementior sit, breuis tamen est, & minori spirituum dispendio materiam eijcit, remanenti autem materiæ subigendæ, & viribus concoquentibus faciliori reddendæ multa attribuerem, nam inciderem, abstergerem, extenuarem putredinem etiam in maturationem reuocarem, aut certe sustinerem ne in pessimum putredinis genus laberetur, ijs quæ aliqua siccitate, & refrigeratione moderata id facerent, quęque amica viribus putredini eis maxime contrariæ resisterent, atque vt vt pararetur materia sic sensim educi vellem saltem per diuretica leniora.

Ergo syrupi acetosi ex aceto, & acetosa mihi viderentur opportuni, & etiam ex acido citri succo, quod dilueretem eiusdem generis aquis, & incoctis etiam herbis, vt acetosa, scabiosa, cicerbita, pentaphylli radice scilicet citri scordeoque si amarorem ipsa patiatur, cornu cerui vsto non toto ad maiorem abstersionem, aut vnicorni certe, aut corallijs margaritisq; maxime, & similibus vsque ad terram sigillatam dicerem bolumque armenam nisi meatuũ adstrictionem ab illis expectarem, multi tamen id paruipendunt non spretis verò sandalis, & camphora. Verum si vobis placeat theriacam ego cum hic commiscerem ad putredinis vim coercendam ad cor expurgandum firmandumque, ita vt putredinem a se tam quam ignis posset reijcere, neque enim squallorem ab ea metuimus, nisi enim putredo eas vires comparauit, quæ cor exsiccare potius possint quam de sua opera aliquid remittere per theriacam. Vnde in deploratis ita & imbecillibus ego non soleo theriacam commendare, quoniam citius eorum interitum moliuntur. Ex qua vero etiam viribus non solum cordis, sed ventriculi consuleretur iam antea quidem occupatis pituita nunc verò etiam admodum infirmatis, vt deiectiones alui declarant. Quod si vobis videatur methridatum minus arefacere eo quòd carnibus viperarum vacuum sit illud dare. At non desisterem, quin fricarem totũ corpus eo frictionis genere, quo nõ meatus impleantur, sed leniter materiæ extenuarentur, in cutem prodeuntes ac concoquerentur, soluerenturque, & discuterentur, tum a corde etiam subinde reuocarentur, imo si materia, vt fere tentat in eiusmodi febribus, in cutem erũperet, siue a morbi vi natura tantummodo coacta, siue irritata quidẽ, sed de more suo coctam materiã expellente, vt cunque esset, ego cucurbitulas infigerẽ, vt a medio corpore ad extimas partes euellerent materiam vitiosam visceraque liberiora relinquerentur. Vbi si vos attra-

attractum materię ad angustias, & obstructionis incrementum exigui loci timetis, eas notubus dare coctionem quoque ventriculi aliqua ope iuuarem fouendo quidem potius, quam inungendo. Contra cor etiam admouerem, quæ ei refrigerium afferant, neque vererer ne refrigerium illud externis partibus datum interioribus officeret repellendo cum exiguæ parti adhibeatur, præsertim cum nos ad refrigerantia calidi aliquid adiecerimus, quod faciet ad penetrationem, & exteriorum leuabit adstrictionem, vt si semina citri, corticesve si amaracus, si mellissa, si vinum maluaticum, si theriaca cum cordialibus dictis pulueribus frigidioribus componantur, aut etiam pulueres temperatiores adhibeantur, in quibus cum pulueribus lapidum prætiosorum sunt etiam aliquanto calidiora. Ventriculo etiam, quæ eius coctionem iuuarent admouerem, vt lana rubra calfacta in oleis ad id paratis, & bene expræssa, tum spongia in decoctis herbis eiusmodi.

De ratione victus ea tantum dicam, quòd tenuissimus mihi non placeret, cum vires nimis iam debilitentur putredine hac vitiosiori, non tamen plenior probaretur, ne putredinem augeret, ergo vt cacochymo corpori conuenit viuendum erit, quod vt a multo cibo sic pariter etiam ab exiguo admodum leditur; facilis concoctu a me deligeretur, sed de genere eius deligendo multum attenderem quod illud diparon carnium mihi suspectum videtur, ouorum autem illud lentum. Sic itaque me moderarer ouorum lentorem paulo aceti, aut succi limonis, auratumve, aut omphacij, aut vuæ crispæ semper coercerem, vt etiam carnium contusarum diparon cibum exiguum darem, terque illum quotidie repeterem. In potione vero etiam omnibus propositis con fiderem, & ei aut syrupum, de citri acido, aut acetosum, aut vinum granatorum permiscerem. Acetosamve incoquerem, ipsum vero etiam oleum chalchanthi immisceri permitterem, neque vererer esset nimis adstringens, quoniam maxime putredinem tollit, & tamquam ignis malos succos consumit.

Dixi.

Hæc ad quintum diem rigore tentata est, inde tamen nil melius habuit, sed angustia maxima ventriculi est exagitata aluo, quæ prius viridia, & fætida deijciebat, tunc fere cruda deijciente nimirum russa, & mollia ac aspera quamuis quater tantū in die. Ad sextum, & septimum diem leuius habere visa est eadem aluo, sed minus colorata. Decima die deterius habuit, & cum 13. data esset in Diascordiū Fracōsterij ab eo maxime incaluit, & 14. perijt sudore & frigore extremorum maxime brachiorum aduenieṫe. Rigor in huiusmodi febribus, nisi a calore postea, & tandem sudore excipiatur, potest sequi motum materiæ ad faciendum erysipela in internis.

De spuitione sanguinis pro Nobil. Io. Hieronimo Latisio cum Excellentissimis Io. Bapt. Rodulpho, & Ludou. Lazigio.

CONSVLTATIO CCCCLXXXII.

Sputum sanguinis spumosum pheniceum calidum copiosumque est, & subito factum post corporis calfactiones in eo, quo etiam venæ cernuntur admodum plenæ, & si ipsa facie semper pallida existat, quapropter ego non possum non pro certo habere venam pulmonis, non pectoris adapertam esse, non ruptam, non exesam erosamve. Spumosus sanguis, & phæniceus seu, vt Galenus appellat, flauus in suo nimirum genere solius pulmonis esse potest, vnde valet illatio eiusmodi est sanguis ergo a pulmone est, sicuti non valet si reciprocetur est a pulmone, ergo spumosus, flauusque est, quoniam per pulmones non solum proprius, sed reliquarum etiam venarum sanguis potest exire, ita cum admodum copiose prorumpit e pulmone sanguis, non solum qui spumosus, & pulmonis, proprius, sed alterius longe generis, & qualis in venis omnibus versari consueuit, ad quem sensum intelligenda sunt verba Galeni in 7. aph. cum aph. 30. ἀλλ᾽ ὐδὲ αἱμα διαπάντος ἀφρῶδος ἀνάπτυουσιν ἐκ πνεύμονος non quod spumosus ex pulmonibus semper non sit, sed quod non semper spumosus sit qui ex pulmonibus, ponitur enim ex pulmonibus exire spumosum semper nō esse, non e contra ponitur spumosum esse verò e pulmonibus non semper exire, at ait Galenus eodem aphoris. 30. quod in pleuriticis quamquam raro, tamē interdum sanguis spumosus eijcitur, quidem prohibet vna cum influxu materiæ propter inflammationem e corpore pulmonum cum pleura, vt in pluribus consentiente exire aliquid sanguinis? e quo corpore necessario spumosus exit.

Vbi in memoriam venit, quòd quidem Illustrissimus vir lingua nescio quo casu incisa dum comederet maximam sanguinis spumosi copiam spuit, & crateres magnos compleret, vt sine tussi spuisset profecto e pulmonibus exire fuisset creditus, imo ægrotus ipse credebat, & de vita desperabat, cum nihil in lingua sentiret. Cum verò copiose exeat, ita vt non solum quæque sputio plena satis sit, sed crebræ illæ, & multæ donec lanx mediocris vna, & item altera compleatur sanguine, id etiam facit ne a pectore prodire queat, nam per corpus pulmonum non potest tam copiose pertransire, ne dum bonum colorem eousque seruare minus suum calorem, præterquam quod si e pectore tantus extruderetur, ibi necessario angustum spiritum redderet. Cum demum sanguis subito proruperit, vas exesum esse non potest, tunc enim paulatim exijsset, & initio valde paucus. Præterquam quod tussis nulla assidua fuit, ac si in tussim & destillationem ex aliqua causa interdum incidit, tunc quatuor, aut quinque dierum ea fuit, & quamuis destilatio tunc salsa etiam esset, tam breui nō potuit venam exedere. Ruptæ venæ indicia non præcessere a causis accipienda, minus adsunt nunc a concomitantibus, & illud maxime repugnat, quod iam duorum dierum spatio nullus sanguis visus est, & tamen postea egressus fuit renouatus, neque enim vena rupta, tam adstringi aliquo spatio potest, quod sanguinem penitus contineat, vt adaperta potest contrahi, & itidem relaxari. Per diapedesim tandem eiusmodi sanguis, & tantus exire non posset quare restat, vt aperta vena ex plenitudine maxime sanguis sit, ita vt ea omnino adstringenda satis profici valetudini possit. Ad adstringendam igitur venam accedendum submota prius sanguinis multitudine, & impetu in diuersum retracto tamquam causis cur vena aperta sit, & præterea etiam sanguine a bile expurgato, qua maxime facilis ad effluendum, & ad irritandum idoneus fit. Venæ adstrictio fiet cibi genere, medicamentisque, sed prius vena secanda est, si Auicennam sequi volumus, & Galenum libro de curandi ratione per sanguinis missionem, vbi communiter de retractione, seu reuulsione loquitur primo ad talum, deinde in cubito, & ibi iterum, & tertio tribus saltem interiectis horis. Qui Galenus vbi curationem huiusce rei instituit 5. Methodi cap. 8. ab axilari, seu cubiti vena incisionē orditur, quod facit etiam Rasis, atque Auicēna etiam eodem cap. 7. Tractatus 3. Fen. 10. lib. 3. cum curationem post cōmunes rationes artis sic propositas instituit, nam

ipse

ipse quoque initiũ facit à sectione venæ axillaris, vt Rasis 8. continentis cap. 59. quasi ij priori instituto præcautionem præseruationemve à malo metuendo, in posteriori autem curationem mali tam molesti quærant. Alexander post præceptionem, quia morem Galeni est sequutus addit οἶδα δὲ ἐγὼ διὰ τὸ μὴ ὑποπτεύσαι τὰς ἐν ἀγκῶνι φλέβας, καὶ ἐκ τῶν περὶ τῶν ἀστραγάλον ποιησάμενος τὴν ἀφαίρεσιν, καὶ πολὺ μᾶλλον ὠφελήσας. ἡ γὰρ ἐπὶ τὰ πορρωτέρω μέρη προτροπὴ τῆς ὕλης βεβαιοτέραν πολὺ τὴν ἀντίσπασιν ἀπεργάζεται hoc est, Noui autem ego, eo quòd venæ cubiti inuisibiles essent etiam ex venis in talo cum sanguinis detractionem fecissem, multo magis iuuisse prouocatio namque materiæ ad longinquiores partes infirmiorem multo auersionem molitur.

Interea verò dum per venæ sectionẽ nos copiam sanguinis, & impetum remouemus ab vtroque magnum malum metuentes, & viribus confisi, debemus etiam sanguinis tenuitatem, & acrimoniam coercere ipsam à bile expurgando & temperando. Itaque occasionem arripiemus, vt primum poterimus, exhibendi medicamentum ex syrupo rosaceo solutiuo ex iure Mirobalanorum, Tamarindorum & similiũ, postea nunquam desistemus ab aquis exhibendis stillatitijs ex endiuia, Acetosa plantagine pimpinella, portulacaque potius quã syrupis, in quibus illa dulcedo me solet terrere, quod sanguinem potius exacuat, incoquere quidem possumus in aquis illis ea, quæ vires illis iniungant adstringendi & refrigerandi. Præterquam quod ego credo, quod vi ignis distillantes aquæ ex herbis fere habeant adstringendi vim, maxime si de plumbo ceciderint adstringentia, & refrigerantia incoquenda fuerint. Si papaueris acetosæ, portulacæ, plantaginis, balaustia, acacia, cornu cerui vstum & lotum aqua rosacea & similia, & quibus omnibus, quæ plantaginis sunt videntur accommodatissima esse, vel si succus ex eo adhibeatur. Antiqui omnes ad sistendum sanguinem proponunt poriorum succum tamquam experimento probatum.

Ego scio aquam stillatitiam eorum, & hypericonis, & pimpinellę certo sanguinis profluuium cohibuisse, & hoc pro arcano teneri à summo quodam Italiæ Principe. Medicus etiam summi experimenti conterraneus noster in empirica sua tradit pro certo aquam succum Ciclaminis id virium habere, si ad ℥.3. vel 4. aquæ exhibeatur. Cũ potionibus, ijs partim sanguinẽ temperãtibus, partim venas adapertas adstringentibus possumus vtiliter componere Trocischos de carabe vel de terra sigillata, non ignari, quod in ijs, qui de carabe dicuntur, opium est, vt fere in sanguinem, & destillationem sistentibus omnibus medicamentis experitur. Ac si res ferat probarem etiam pilulas de cinoglossa vbi plus eius est, & maxima vis sistendi sanguinis, vel Theriacam recentiorem citra nimirum quartum mensem, vt Galenus proponit, vel philonium Romanum, cuius tamen tam variç sunt compositiones eodem nomine acceptæ, vt non fidam ego sæpe illud exhibere. Quod attinet ad medicamenta externa, dico, adstringentia vim reprimendi habere est à Græcis in hoc casu respui tamquam, quę sanguinem in pulmones comprimant, ab Arabibus tamen commendari, itaque non esse pectori imponenda antequam corpus satis leuatum à sanguine & bilioso humore videatur certo intelligimus ne in pulmones copia maior cogatur sed ea dempta solæ vires adstringentes, & firmantes ora vasorum ingrediantur, à calidioribus tamen aliquibus introductæ vt in euentibus præcipitur. De victu acturo in eundem finem spectandum est, nimirum vt sanguinem leniat, glutinosum faciat, & venas coerceat, quod apprime facit Amylum, sic ex iure sumendum est, fauet far, maxime si in eius iure mala

A cydonia pyra, mespila, vel sorba, vel cornea incocta fuerint, aut etiam ribes, aut vua crispa. Oua non videntur idonea, dum satis comedere potest quamquã bilem deliniant, atque hebetant, quoniam ventriculum non satis exercent, & nimium sanguinem creat, pedes vitulorum, & crura etiam edorum, & vtrorumque capita videntur magis accommodata vt etiam suum. quidam laudant lenticulam, sed lautiori iuueni forte minus grata erit. Loco vini aqua chalibeata sit, ex quo omnino omnia coquantur, ex fructibus pinei nuclei probari possent, & caro cytoniorum ex saccharo non multo percocta. Ex herbis portulaca est admodum valens. Quod modo potionis est, ego laudarem plurimum aquam chalderianam, quæ cito transit ad Renes, neque ventriculum grauat, & pulmonibus exsiccandis firmandisque appri-

B me cient idonea.

De eodem consilium alterum.

CONSVLTATIO CCCCLXXXIII.

Octauij Nobilissime & in omni doctrinarum genere prestãtissime, quod rogaras ego vt per meas occupationes licet perficiam, & hac scriptura comprehendam. Duo iam sunt ad quæ omne consilium referri oporteret. Vnum ne sanguis iterum

C exeat, alterum ne destillatio ad pectus conuertatur, vnde sanguis & alia essent metuẽda timorem enim ne sanguinis sputum reuertatur, duæ res maxime faciunt, vna est venæ illius vitium, quod nondum penitus demptum esse suspicamur, altera est destillatio continenter in os delabens, quæ facile ob infirmatam iam pulmonem posset in ipsum conuerti & tussim concitando sanguini viam facere & humore suo salso tunicas venarum exedere. Venæ vitium aliqua saltem infirmitas est, quæ ex apertione eius nata esse conijci potest, ex apertione quidem non exessione, quoniam subita sanguinis profusio extitit nulla assidua tussi prægressa, non ex motione, dum nullus motus violentus, antecesserit, sed sola in Sole calfactio qua vena facile potuit aperiri maxime

D venis satis refertis sanguine, & eius quidem generis, vt calidus valde sentiretur, & colore clarus cernerétur non solum, qui sputo procedebat, sed etiam, qui per sectam venam exibat. Præterea id neque ex ruptura neque ex exessione viam sanguini factam indicium est, quòd interdum horarum multarum, interdum vel duorum dierum spatijs interiectis, quibus nihil sanguinis exibat, identidem tamen sanguis pulcherrimus reuertebatur, qui sua specie pulcherrima tunc proxime e vena prorumpere significabatur. Eam autem venam esse pulmonum certa coniectura erat, quoniam quamuis dolor aliquis in pectore esset inconstans, tamen ille modo vnum, modo alterum eius locum tentabat mordaci quadam irritatione, cuius inconstantia non vas apertum sui

E causam esse, sed halitum ex sanguine clarum acriori indicaret, dum detentæ aliquæ partes illius ex se fumum illum efferebant, quæ postea etiam acriores extundebantur. Etenim neque multus sanguis e pectore per pulmones vnquam potest ita confertim pertransire, minus coloris ita pulchri cum per morã nitorem amittat, & sæpe alienam à sanguine speciẽ induat. Is vero sanguis nitidus claro colore & spumosus non poterat esse nisi pulmonum, cum nullius visceris aut partis vas eiusmodi sanguinem cõtineat. Lingua quidem simili quodam sanguine imbuitur, cum tamen ex ea fluit, per tussim non emittitur, & vulnus habet. Hæc quidem spuma in eo non erat propter coniunctam aliquam pituitam, ex qua solet pro-

A sæpe spumosum naturæ ipsum, sed propter coniunctum corpus esse quo modo spumæ potius adinixtus, quod spumosus ipse dici debet, sic verò potest ex intestinis, & ex omnibus locis venire in quibus commisceri cum pituita potest, & ea motu agitari,& sic cum spiritu cōfundi & spumosa euadere, erat verò spuma sanguinis ipsius colore phæniceo, & pulcherrimo,qualem in flore erratici papaueris, & anagallidis cernimus, qualis non aliunde, quam à vasis proxime pulmonem alentibus esse potest,cum cuius verò sanguinis magna copia etiam alterius & crassioris generis sanguis effluebat, quoniam ad proprij sanguinis exitum etiam proximarum partium sanguis sequebatur, vt in dies fieri in ijs casibus videmus, in quem sensum loco illo Galenus loquitur in 7.Aph.com.aph.30. cuius verba sic latina facta sunt.
B Sed neque omnino ex pulmone spumosum sanguinem expuunt Gręcè verò ita habent & melius ἀλλ' ὐδ' αἷμα διαπαντὸς ἀφρῶδες ἀναπτύουσιν ἐκ πνεύμονος. nimirum sed neque sanguinem semper spumosum expuunt ex pulmone.

Valde enim refert, vtrum ponas ex duobus vt alterum enuncies, ponas enim e pulmone sanguinem expui, enuncies autem non semper spumosum eum esse,tu communicas sanguinem non spumosum cum pulmonibus vt faciunt verba Galeni ad dictum sensum referenda. Ponas verò spumosum sanguinem expui inferas verò eum non semper e pulmonibus exire tunc spumosum sanguinem cum alijs partibus communicas, quod ibi Galenus nequaquā facit,ne-
C que naturæ rerum responderet si verò sanguinem se ipso spumosum intelligas non autem ex accidenti, nempe spumosa pituita admixta. Sic itaque spumosus,vt dixi,sanguis e pulmonibus esse debuit, vt esse etiam potuit alter, qui crassior erat, & si pulmonum non esset proprius imo ad extremum exibat etiam vt dixi, niger,quod fit in omnibus, cum reliquus factus in trochea retardatur. Calidus etiam sentiebatur ille pulchrior, qualis qui e thorace exit non fuisset,quoniam spatio locorum, & mora transitus calorem amittit.Superuacuum modo esset,si tussim, qua extundebatur describerem,quomodo alta erat, qualis non excitatur, à sanguine de superiori loco in os laryngis appellente, quod os vel summum vix tactum subito excitatur, & quomodo facile sangui-
D nem cum exibat ipse singulo quoque fere tussiendi impulsu proferebat, quod in veniente e thorace non fit.Nunc profectò sanguis non effertur,sed quædam fex turpis & atrior cum sputo quæ aliquas refrigeratas,exsuctasque sanguinis reliquias refert.ita venam se se collegisse certum est, cum eo tamen metu, ne quę iam semel aperiri, & aliquandiu aperta manere potuit, rursus quaque occasione idem faciat, nimirum si copia & acuitas sanguinis vnquam remouetur, & aliqua externa causa incidat. Vnde vas illud seu vnum, seu alterum apertum tandem non possit constringi, sed putredini materiam det sanguine ex se in alienam sedem emittendo ex quo empyema,& tabes tandem fiat. Qui verò metus maxime augetur ea salsedine, quæ in sputo e capite ad os labente cō-
E tinue sentitur,suspicionem namque facit, ne sanguis salsa sanie perfusus venas facile aperiat, & præterea vt dicebam,ne pulmonibus inferioribus effectis iam salsus humor non inde, sed in pulmones & in tracheam deuoluatur, ibique sua consuetudine longa dum tenuior extundi spiritu non potest, partes exedat,vlcusque, & phthisim faciat. Quibus sic perspectis primum sanguis intra mediocritatem cohibendus,& perpurgandus est, deinde caput exonerandū, tandem tempetanda omnia sunt,pulmonesque confirmandi, ad quæ summe posse proficere hanc curationem sperarem, primo vt corpus aliquo medicamento iterum purgaretur, sanguinis namque satis iam missum esse crederem. Medicamentum esset ex decocto polypodio re maxime exsiccante pectorique valde amico,& sena salsis purgādis idonea. tum macerato Rhabarbaro venis apertis summe accommodatæ cum quo etiam ni vomitus pulmonum causa timeatur agonicum componerem destillationis causa & cum alijs decoquerem, atque iure horum expresso Diaphænicon immiscerem, vel aliquod simile cum syrupo rof.folut.Subinde serum caprinum propinarem sanguini demulcendo, humoribus salsis deducendis idoneum, & quo pulmoni rebus afferret candentem chalybem in eo extinguerē, commiscerem autem ea, quæ vt res inciderint erunt opportuna,si sanguinis fluxio in proximo esse timeatur, quæ ei sistendo faciant, sin minus quæ venas à dicto humore acriori liberent, & pulmones tamen confirment,caput ipsum verò præcipue exsiccent, vt Betonica pimpinella, quæ sistendo sanguini maxime prodest, & si tenuissimis partibus humores crassos dissipet,habet enim partes etiam adstringentes,omnibus autem viribus valenter exsiccat, humidumque absumit, lentore etiam quodam pectori, & conglutinandis venis maxime prodest. Imo si forte sanguis iterum prorumperet eius aqua ego vterer cum aqua barbæ hircinæ,non ita fiderem aquæ ciclaminis, cū haud ita approbetur, nisi aquā paucissimis maxime quod nihil habet adstrictionis imo venas aperit cū vteri, tum alijs & valde abstergit. à pluribus probatur aqua porrorum, seu succus qui e seminibus mihi esset potior, nam adstrictionis semen est particeps in re ambigua sic me gererem, vt dubijs non vterer, certioribus quidem vti hortarer.Num verò salsæ pariliæ vis propositum necessitati opportuna sit non facile ego decernerem,nam si vlcus, quod IESVS auertat nasceretur ex reliquijs sanguinis ibi detentis, & putrefactis, tunc ea multum certe posset ad illud exsiccandum, interea tamen, donec metus eruptionis sanguinis vrget, ego abstinerem. Certissimam porrò vtilitatem ego sperarem ab aquis ferreis, quales chalderianæ sunt, maxime cum alumen quoque habeant, neque tantum sulfuris, quantum possit capiti, aut pectori officere suo calore, potius namque officeret sic tota aqua thermali fusum nec dum concretum, & calens humores liquefaciendo, quam cum concretum est iam & sulfur factum,tunc siquidem exsiccare multum, non ęque autem calfacere potest, vnde ipsis destillationibus absumendis in eclegmatibus etiam componitur & exterius adhibitum sanguinem etiam comprimit. Ferrum modo cuius vi multa hanc aquam esse præditam intelligi potest ex his, quæ in ipsa aqua ei in illius limo cernuntur,apprime idoneum est ad ea,quæ huic corpori optamus,ad iecoris,& sanguinis refrigerationem, ad eiusdem iecoris, & venarum firmamentum vt & vires habeant,& coeant,ad sanguinis vero effluxum compescendum, ad pulmones confirmandos ad exsiccandum caput, ad destillationem absumendam, & in summa ad omnia expetita nobis præstanda vt vel si vlcus lateret, possit repurgare, exsiccare & nutrire.Quocirca ego hoc remedium nequaquam prętermittere vellem. Imo ea aqua etiam austerum vinum diluerem cū tuto id concedi posse visum fuerit, quo tamen parce vteretur, & si nihil sputi sanguinis fit, & febris non esset. Destillationi vero proprie consore maxime sperarem, si ferramento candenti caput inureretur saltem loco solito in sincipitis futura vulnere etiam relicto, nam exustione illa siccius caput efficeretur ac firmius. De quo modo capite cum priuatim & proprie nūc agatur, illa ante oculos habenda sunt, quòd quamuis suapte natura cerebrum frigidius ex actionibus suis intelligatur, non tamen magna distantia à temperato discedit, cum ingenio satis acri & memoria satis valente fit,neque somnos

iusto

iusto longiores valde habeat, sine insomnijs quidē, vt calorem in eo non superare credendum sit, frigus autem maxime ei molestum est, quòd facile ab externo frigore internum quoddam frigus in se se excitari sentiat, vnde caput noctu plurima veste contextum habese cogatur, qua re etiam fit, vt cū à grauiori integumento sæpissime ad leuius subiro transfearur, ei destillationes cum tussi identidem moueātur, quæ tribus aut quatuor diebus eum habeant, & tussi exerceant, perpetuo vero in ore pituita abundet aliquantulum salsa, quæ sane non nisi ob aliquā calfactionem talis esse potest, siue illa sit à dictis integumentis, siue ab alia causa, vt etiam à diuturniori mora, quam in capite trahit pituita, antequam delabatur, ea enim posset ipsi salsedinis aliquid afferre. Quæ cum ita sint, cauterium propositum mihi videtur admodum accommodatum, quo caput exsiccari sine periculo posset, & exsiccatum vires suas recipere maxime humore recrementitio leuatum, & sub corpore magis in se se collecto. Seruatum etiam vlcus viam expultrici præberet, qua facile quotidianis recrementis se se liberaret. Sed materiæ crassæ via decliui, facilior est, expultrix tamen vis etiam sursum crassos humores protrudit, neque enim in corpore inanimi vnde vel steatomata in sincipite sæpe visuntur expultrice illuc crassissimam eā viam promittente vnde in multis animantibus cornua materiæ grauissimæ fiunt. Ac si vasa pituitam in cerebrū per membranas inferentia considero prius ad sinciput, quam ad cerebrum peruenire, & loco etiam cōmodus meatus ei materię excernendę mihi videtur. Neque verò pituita concreta in ventriculis cerebri ea est, quam quęrimus hac via educi. Sed ea materia vnde illa prima concrescente, quę nondum adeò densa est, sed calore venarum & sero ipso sanguinis fusa potest in omnes partes propelli. Sic autem inustum vlcus maximo commodo relinquetur, quo nisi caput penitus conualuerit, cum non admodum diu illud haberi conueniat antequam hoc sanescat, alterum in humero erit sufficiendum, & si res vrgeat etiam in crure dextro sub genu vt paulatim longius materię expulsio deducatur ad eius deriuationem. Lauari etiam caput contecto vlcere poterit ex his, quæ maxime exsiccant sine euidenti calfactione, tāto tamen calore, quantus ad introducendam intus in caput vim sit satis, incocta in lixiuio betonica, saluia, chamęmelo, nucibus cupressi rosis, agarico, Radicibus cannarum aut etiam salsæ pariliæ, seu similibus alijs. Sic partes curationis mihi videntur omnes expositæ, in metu hoc ne sanguis e pulmone rursus erumpat, neve periculum aliud afferat destillatio.

De casu verò ipsius profusionis sanguinis non videntur multa dicenda, cum ijsdem fere subueniatur, quæ ad colligendas venas iam dicta sunt. auersioni quidam impetus sanguinis tunc potissimum opera danda vena etiam atque etiam incisa & cucurbitulis & alijs id genus, tenuis vero humor educendus pectorique etiam frigida, & adstringentia imponēda, cum certū sit fęcem neque inflammationem, neque eam copiam ibi subesse, quæ comprimentibus externis in pulmones inferatur, sed hæc omnia Medici præsentis sunt. Et quoniam vidi plerosq; e sanguineo spuro nō solum in puris sputum sed in pituitam copiosissimam deuenisse, qua totis noctibus cruciarentur somno conciliando destillationique sistendę, tunc esser opus exhibere non solum trocischos de carabe ad sanguinem sistendum aptos, sed pilulas de cinoglossa, & tādem etiam philon. Rom. aut certe Theriacam trium aut quatuor mensium, sed suo loco bene erunt tractanda vt oportuerit.

Pro Serenissimo Duce F. M.
Ad Excell. Ambia Sampe.

CONSVLTATIO CCCCLXXXIIII.

Cruciaris, vt video, quòd præstare non potes quantum optas, quæso tibi sit satis, si pręstes id quod debes, quod profecto si recte æstimes artes nō superat, minus verò leges humanitatis. Et miror certe quòd tam animum abijcis si pro voto res nō succedat. Cū ab officio tuo nemo id postulare debeat, quod ars non potest polliceri, nescis vero forte ob hanc necessitatem ab artis proposito & Medici voto distinctum officium fuisse? & quod publicum est suspicabere id ignotum viro sapientissimo cui opera tua adstricta est? aut aptissimo homine tecum aliquando minus humaniter actum iri. Fidem meam profecto à te fuisse perspectā in hac occasione agnosco. Et hoc vno summopere delector, alioquin summa molestia, qua afficior dum te in tanta perturbatione versari video, nihil solatij, aut leuamenti haberet. Et quando rogas, vt, si quid ex arte habeo quod tibi vsui esse possit explicem sane non deerit tuæ voluntari mea quæ semper summa fuit in te voluntas. Sic verò habeto Medicina corpori purgando data, cum in crassos pituitosos & melancholicos humores inciderit, quales hoc anno his tempestatibus largius abundare experimur, potuit tenues venas ad ventriculum pertinentes infarcire humore crassiori longius intro attracto, cuius ibi subsistentis contagione ventriculus frigidior fiat, & ichores accipiens illorum reddat sapores, & subinde flatus ac dolores sentiat, quibus etiam caput ipsum secū propter cognationem afficiat, interea vero maiori labore cibum concoquat, tametsi, vt licet ex aluo cognoscere, integer ipse dicti humoris viribus resistens cibum tandem penitus superet, atque bene conficiat. Quæ res cum ita se habeat, neque multa abstinentia vtendum est, ne ventriculi vires minus alantur, & peius etiam cum ex prauo humore ali coactæ fuerint, neque humor tamen interea non leniendus de locoque obstructo deturbandus, atque omnis alius malus, qui lenire non poterit, hæc cibis & medicamentis quærenda sunt, præter quæ exercitatio aliqua omnis lenis, & cum alacritate obeunda, qua vis caloris excitatur, & eius humoris reliquię ad ambitum progressæ excutiantur, quod facilius fiet cælubri & tenui, quale Vrbini est, modo subitæ frigoris accessiones caueantur.

Huc ergo omne nostrum dirigi consilium debet, & eo certæ res administrari, quas res ego sic non auderem definire, nominatimque proferre, nisi multorum Medicorum recentiorem istius corporis habentium consilia, quæ post meum discessum petita sunt prius cognoscerem, ex quibus & status præsens ipsius corporis cognosci & certius omnia possent decerni à me, qui iam diu ab eius notitia absfui. Tu interea parce, si quid mea opera vltra non potest, a me non accipis, & tuum Guarinonium, vt soles ama.

De

De cholerica passione putata cum Iuliario & pona pro moribundo ex febre maligna Tacheto.

CONSVLTATIO CCCCLXXXIII.

NEquaquam verò ego possum idem propositum vobiscum in hac curatione habere, nam cholericam passionem dictam vos hanc existimatis, & tamē alter vestrum ait chylum omnino deijci integrum lactis colore & nullo fœdo odore aut corruptela: conuenitis autem inter uos, quòd aut omnino sistendus, aut leniter, nihil vero aliud agendum. Ego viri optimi video vomitum à cibo incitari, & nihil eius corruptionis ipsam vomitus materiam referre, quod in cholerica passione cernitur quando cibi causa est. Nihil etiam bilis videmus in eodem vomitu, vt quando cholera ab humoribus fit, est necesse potius vero quod aluus effert, colliquationem præsefert pituitæ, quam aut bilem, aut ciborum corruptelam, à qua porrò colliquatione ventriculus dum ichores accipit tum inferiore ore affectus aperit se se & eijcit, quæ enim profluunt aquosa penitus sunt, & ita multa, vt vel decima sui parte exæquent aut etiam superent quæ per os sumuntur, cùm eis sæpe chylus perfectus satisque albus delabitur in iecore in effundendo potius quam in attrahendo occupato, & intestinis potius, quam ventriculo ab eo humore exagitatis; cum ergo in cholera ventriculus potius perturbetur, nec chilum perficiat, hic autem chilus perfectus cernatur, nimirum æquabilis penitus, & albus, vt si panem ex iure coctum non vomuerit, quamuis diuturniore coctione egeat, tamen nihil eius formę in aluo discernatur, non possum ego causam huius symptomatis in perturbationem illā ventriculi referre, quæ choleram faciat. Sed in profluuium ad intestina potissimum factum propter dictā colliquationem quam Galen. ἀνασεχίασιν vocauit, quæ nisi aluo efferretur, ventrem, & carnes tumentes redderet. Cuius vero colliquationis causam video febrem esse, quamuis ea in sene annorum 74. fit, & ideò satis obscura. Dixit Doctor hesterna die penitus febre caruisse, hodie leuiter febricitare, potius viribus infirmis etiam propter assiduam deiectionem, qua corpus alimento etiam priuatur. Ego dico hodie ingēti febre torqueri, quod ex vrinæ colore flauo qui nisi egestionibus humor exiret peior esset, & eneoremate exusto, ex crebritate pulsuum, & velocitate indicatur, & ex lingua purpurea in nigrum vergente non quidem sorde aliquanta, quæ potius alba est, & oras eius externas inficit, sed corpore suo proprio, quo ad nigrum quendam liuorem & fere nitidum redacta est. accedant nocturnæ vigiliæ perpetuæ, sensus vehementissimi caloris intus ardentis, quamquam exteriora frigida sentiuntur. Ex quibus non modo nunc febre affici, sed & hesterna saltem die & continenter ea mole tractari intelligo, imo verò, cum ante abit profluuium senex robustissimi generis ęgre se habuisset, suspicor tunc vsque febrem accessisse, qua augescēte colliquatio postea sequuta sit, quæ iam quinque dies perdurat. Adeò vt febris, quæ nulla à vobis æstimata est, neq; in curandorum censu habita, mihi malignissimi generis teneatur, ex pituita potissimum in toto corpore etiam medio putrescente propter maximas obstructiones in ambitu corporis hærentes, occasione tempestatum anni humidiorum, quæ iam fere toto anno tales fuere, occasione vitæ non solum in cibis sed in ædificio subterraneo, & frigidiori, & eius laboris, quem eo loco frigidiori obibat totis diebus. Quæ cum ita sint, quid futurum censes, Domini mihi non est quidquam apertum, in quo species vitæ poni posse videatur, valentiores sunt vires morbi in putredine totum corpus occupante & materiā alienam exuberāte obstructionibus firmissimi copia, & lentore humoris, quam naturæ sint hominis senis, & profluuio alui pessime nutriti, vigilijsque confecti. Quid modo agi debeat, quo nimirum & copia humoris crassi & lenti, obstructiones inde factę, putredo ex illis orta pessimæque naturæ. febris sanguinē suo calore assans, & vitians remoueantur, quo vires nutriantur, id sane delectu est difficillimum, quamuis ostensionis est facillimæ, ostendunt enim vires nutritionem, & profluuij illas dissoluentes inhibitionem, ostendunt febris refrigerium, putredinis natura exsiccationem, obstructiones detersionem, materia crassa, glutinosa & multa & præsertim corrupta iam sui apparatum, & detractionem. Quæ præstari posse nequaquam existimo. Deligamus modo quæ ad propositas res dirigantur. Ego Domini fomenta ventriculo præscriberem, quo vires alimenti aliquid inde possent accipere, quibus vis retentrix firmaretur, & concoctrix etiam, similesque vnctiones adiūgerem non solùm ex oleo absynthino cydoniorumque, seu melino, sed spicato quoque vt vires aliorū sua tenuitate introduceret; Emplastrum de crusta panis & diaphænicon adhiberem, quod ad hoc præcipue factum est, frictiones præterea artubus iuberē dari, quo materiæ putridæ, & eorum vapores à medijs visceribus, partibusque principibus auerterentur, obstructiones tamen non augerent, veluti si frictiones Trunco ipsius corporis adhiberentur, cui si adhibeantur, donec corpus tam plenum eius generis humoris est, ad meatus illis euocatis obstructiones obducerent visceribus ipsis. Cucurbitulas quoque imponerem fæmoribus, & humeris ipsis, quo copiæ aliquid detraherem, & in remotiora à principibus partibus auerterem, neque dubitarem ne motus ad fæmora aluum citatiorem redderet, ni alia est via. Putredini quoque & glutini materiæ opitularer potionibus, & cibis exhibitis, quibus incocta essent, & immixta quæ inciderent admodum & exsiccarēt, & præterea febris quoque calori occurrerem facto delectu in illo genere earum quæ frigiditatem procurarent, & copiam etiam diminuerem eorum quæ materiam per aluum & per vrinas euocarent, quæ quum quidem euocarent coniunctim, eam firmarēt vt esset Rhabarbarum, Myrobalanique. hæc ergo incoquerem cum acetosa, cum radicibus Tormentillæ & grannitris, cum s. citri, cum cornu vnicorni, iure autem expresso ei acetosum, & de succo citri syrupum admiscerem, si vires ventriculi postulent, etiam eum qui deest, quique de betonica succo, qui etiam incidit maxime, in cibis eadem, & similia incoquerem & eos ita partirer vt sexta, aut etiam quinta quaque hora darentur, vt vt copia, & genere essent, tempusque suæ coctioni postularent, à vino eū abstinerem, offam tamen panis in eo maceratā concederem, potionem verò ex aqua cum vino punicorum malorum, sed in cocto cinnamomo, quo frigus cum aquæ, tum vini punicorum frangatur, & putredini, ac iecori consulatur. genera ciborum non persequar, sed de ouis dicam quod soleo nimirum ex aqua in crassis maxime morbis non esse dandos sed cum frictione aliqua aceti aut succi acetosi. Verum somno & siti erit opitulandum, siti quidem habitis in ore lactucæ folijs ex posca madefactis, aut cænasijs, aut prunis, aut horum conseruis vocatis, possunt quoque parari mucilagines s. cydoniorum & similiū ad hoc. Somnum autem ijs quæ interius sumuntur non tentarem conciliare quoniam nimis contrariam supra propositis rebus existunt si daremus syrupum

rupum de papauere cum aqua lactucę, omitterem. ergo eiusmodi auxilia vno syrupo de nenuphare excepto, exterius autem tempora inungendo lacte, aqua & oleo violarum, Diapopuleon cum opio, Imponendo philonium in naribus, artus lauando, & similibus agendo quietem procurarem.

Is tertia à consultatione die extinctus est.

De puero cataphora affecto cum Iuliatio & Pona.

CONSVLTATIO CCCCLXXXIIII.

DVæ sunt partes admodum affectæ in hoc puero viri præstantissimi, ventriculus nimirum, & caput, ventriculi læsio ex aluo molliori & corrupta potest intelligi, & si enim semel tantum, & nūc primū talis videtur extitisse, coctionem certe valde vitiatam mihi nunc ostendit, præterquam quòd vomitu & alijs ea prius patuit. Caput modo affectum intelligitur ex somno, vel in somnum potius longa admodum propensione oculis conniuentibus non penitus conclusis, ex dolore capitis præsertim verò ex repentino strabismo nunc primum me admouēte notato. Strabismus enim subitus conuulsionē musculi alicuius sequitur eorum, qui oculos suspendūt, ac mouent, ea verò cōuulsio cum permaneat firmaque sit, & sine motionibus à materia hærente imbibitaque oritur pituitosa à cerebro illuc per neruos demissa, expressaue, cuius ego expressionem tunc cōijcio fuisse factam, cum sub maiori dolore capitis, ipse & vt interdum etiam nunc solet, se se iactasse, & oculos contorsisse in latus in modum epileptici notatus est, quam materiam dixi à cerebro esse, quoniam somnus is cerebri repletionem indicat, potuit etiam esse ex ea, quæ in mēbranis versans & aliquomodo malum genus acquirens earum dolorem assiduum molitur, caput etiam affectum fuisse ostendit, illa coriza initio eum adorta ostendunt ipsæ corizæ causæ, nimirum studia assidua continenter habita contra venti aspirationem in altiori ædificio. Quæ modo harum duarū partium aperte sic affectarum prior vitiata fuerit, non possum facile iudicare, suspicor quidem caput fuisse ex coriza, quæ prior affuit. Partem certe vtramque iam proprio affectu premi video, ita vt altera vnde affectus forte primo natus est, sanata reliqua tamen suo affectu ob alterius sanitatem non liberaretur, propriæque curationis indigeret.

Quæ autem materia sit, ex genere affectus & alijs indicijs possumus statuere. Somni ratio ea est, vt nō dormiat, sed fere cōclusis oculis sit, interea quærulus morosusque vt propensio potius in somnum illa sit quòd somnus, ita verò fieri à pituita mixta cum bile conueniunt omnes magni Medici dolor etiam acris ipsius capitis bilem ostendit cum pituita ea coniungi & ei acre genus præstare. Color item linguæ flauus idem facit. Vrinarum etiam flauus color idem cōfirmat imo febrem subesse significat, quæ ex pulsus velocitate inæquabili iudicatur, neque enim cerebri pulsus esse consueuere cum e cerebro febres fiunt, sicut neque, cum e pulmonibus. His autem visis existimo metuendum non modò vt puer fiat epilepticus sed ne e febre vna cum symptomate eiusmodi opprimatur, seu tollatur, quia pituita in cerebro non solum maxime idonea est, quoniam ventriculos replere potest, ad epilepsiam mouendam, sed putrescendo ad hominem febre extinguendum bilis, quoque, qua, vt credo, sæpissime motiones epilepticæ concitantur dum mordet initium neruorum, & morsu neruorum narium fiunt sternutamenta putredinemque pituitæ celeriorem facit, maximum timorem affert. Quæ, cum ita sint ostendunt primum faciendam purgationem totius corporis & ventriculi aliquam confirmationem, ac vermium extinctionem, qui in morbis puerorum semper conuenire ad malum videntur, ac non si ipsi, certe materia pituitosa eorum origo, quæ sua mala vi solet eadem symptomata parere, quæ à vermibus affetuntur, vnde ventriculi, & intestinorum expurgatio ante molienda sit, & vt dixi, totius corporis, cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro cum pilulis de agarico m. aut etiā cochijs. Caput postea expurgandum, ac si errhina metuenda sint, ne motiones epilepticas moueant, quod sane corpore bene expurgato non metuerem, certe ea quæ palato applicantur ex puluere ellebori albi, ex staphide agria cum oxymellite squillitico mihi viderentur probāda quę maxime præstare crederem, si cum Theriaca comprehenderentur, neque demum terrere nos deberent ipsa sternutatoria, seu ptarmica capite admodum leuato à materia, maxime vero ea deligenda viderentur, quòd oculi strabismum acceperunt, proxime enim ab eis detrahunt ptarmica ipsa. Gargarismata ego non recenseo, quoniam pueris ea non possunt tractari, & in vsu non sunt, sed ad ea quæ exterius admota caput expurgant, erit descendendum vt lotiones ex incoctis saluia betonica stæchade, salsa parilia, agarico, affato, & alijs eiusmodi. Vt illitiones ex naphtha, ex oleo cranei. Vt sinapismi primum leniores ex partibus pa ribus ficuum, & sinapis, deinde valentiores, & vesicatoria ac tandē ferramenta candentia occipiti pręcipue admota, à quibus & capitis exsiccatio, & robur, & expurgatio habebitur. Auerti etiam materia, quæ in dies in caput attrahitur debebit clysteribus fuitionibus cucurbitulis cum ferro, & etiam sine eo, ac tandem ad potiones illas deueniēdum erit à quibus totius corporis recrementa consumantur ipsumque vna cum visceribus omnibus & caput confirmetur. Erunt vero ex salsa parilia cum portione aliqua Guaiaci, & betonica & ruta. Quibus omnibus possumus, satisfacere officio Medici, & si non voto.

Vix quatuor diebus vixit.

De febre continua pro Camillo Mandellio cum Fun. & Sanguone.

CONSVLTATIO CCCCLXXV.

AVdiui vos Doctores optimi & Excellentissimi & vidi solicitos de ῥεύματι ad nares pertinenre, deque alui profluuio. Interea ego animaduerso, quòd alia sunt, & longe diuersa illa, quæ nobis videnda, & curanda sunt, metuenda vero maxime, ne mortem afferant. Est siquidem febris iam 40. dies corpus hoc macerans, qua necessario sanguis, qui ferreus non est aut æneus, aut lapideus, necessario de statu suo detorquetur & malus fit. Est putredo, quæ propter squallorem calori iam aduenientem exustionis naturam adepta est. Est præterea materia crassa, atque exusta, biliosis partibus iam spatio dissolutis, & per aluum, & per halitum discussis. Tādem est infirmitas virium naturalium, quæ ex vrinis, & aluo, & alijs intelligitur, vires etiam cordis exiguas esse pulsus ipsi declarant.

Quorum omnium causæ satis se ipsæ apertæ sunt, priuatim de vrinis id dicam, quòd asperum eneorema exustionem crassi humoris denotat & quo ad imum magis vergit eo exustionem maiorem significat.

ficat, hic verò exustum eneorema ad imum descendit, & sedimentum fit. Vrinæ tamen coloratiores nō sunt, imo ad albedinem vergunt. Quibus sic visis vires maxime spectandæ facultatis altericis sunt vt concoquere, & ali possit, materia deinde eis viribus facilis, & obsequēs facienda, febris refrigeranda, & obstructiones tollendæ.

Ex quibus ea medendi ratio mihi deducenda videtur, & medicamentorum proprie dictorum omnis vis refugiatur, ciborum potius medicatum seligatur, quo & vires alantur, & temperamento restituto & robore firmitateue colligantur, febris verò extinguatur. Temperamentum restituendum ad humidius genus debet, an verò ad calidius, an frigidius scire licet, quod exustio calore naturali caret, abundat alieno, & igneo, mediocriter ergo refrigerantia, incidentia, abstergentia, & humefacientia erunt adhibenda, & præterea, quo cineres à febre relictę abducantur, etiam vrinas mouentia. Ego itaque dimisso genere omni chirurgico, prçter frictiones, quibus & nutritionis materia partibus allicitur, & concoctio, distributioque fit, & recrementorum discussio, Medicamentisque vitatis, cibum sic pararem, vt quater in die daretur, bis ex iure solo incoctis tamen bene carnibus pullorum cum ordeo, endiuia, Acetosa S. Mellonum, & lupullis quaternis horis ante reliquos cibos, & septenis cum minimum post eos, qui bis itidem essent in die ex ouis & pane trito, ac percocto ex iure.

Ex priori siquidē ciborum genere haberem moderatum quoddam refrigerium, humefactionem maximam, abstersionem & excretionem per vrinas vna cum nutritione. Somnum prçterea conciliarem sytupo de papauere ad ℥. s. dato cum lactucæ aqua hora ineundi somni & fomentis, illitionibus, & alijs eiusmodi, ventriculo vim conciliarē & iecori. Vnde iecori nō solum vnguentū santalitus sed absynthite & oleum & succum admouerem. Quibus in tribus diebus vires recipiat certe periturum credo. Potiones etiam parētur ex aqua incoctis aniso, cinnamomo, & ijs quæ caloris vires tueantur, aliud certe ego non possum hoc loco proponere.

De Marasmo & alui profluuio pro D. Hierusal Mona cum Fumanello, & Iuliario.

CONSVLTATIO CCCCXCVI.

Seuissima & metuēda symptomata hæc sunt, trahuntque ad se omne Medici Consilium, totius corporis tabes, & alui fluor, quo vel crudus penitus cibus, vel vix mutatus effertur. Tabem potius ex alimenti defectu esse, quam ex caloris alieni aliqua vi concitata id ostendit, quòd, cum ipsum retinet, citissime reficitur, dormitque & in bonum colorem melioremque habitum facile reuocatur. Ventriculus namque spatijs bonis quatuor, aut quinque dierum cibū iustum temporibus continet, & aluo ea recrementa demittit, quæ pro sano omnino sunt. Ex quo fit etiam vt nequaquam suspicer ventriculum proprio affectu laborare, hoc est, eo qui remotis alijs omnibus causis, adhuc sit permansurus, & se ipso ventriculique culpa sustentetur. Ergo tabis quidē ratio aliqua habenda, vt vires diminuit, sed ad ventriculi munus male gestū conuerti curari debet, quæ qm̄ non inuenit in ventriculo firmā constantemque originē necessario in ventriculo ipso versanda non est, sed quætere altiorē causam opus habet. Actionis ventriculi vitium, non quidē perpetuū est, identidē tamen simili ratione reuertens, & si non certis spatijs firma tamen varietate iam diu molestum originem firmissimam habere necesse est, quæ sine dubitatione morbus est. qui verò vt innotescat ex natura vitij manifesti via aperietur. Vitium ergo eiusmodi cernitur, nunc aluus nimis fluida est, chylosamque materiam effert, quæ sorbitiones acceptas præseferat, ac si iura essent, candidiora permixtis ouorum luteis, & hoc nouum quidem est, illa vetera, quòd cibum spatio duorum aut trium dierum euomat, longioribus quidem spatijs minime tamen cōtineat semper ęqualibus, & interea bene concoquat, & figuratam aluum demittat, spatia bone coctionis sunt quatuor, aut quinque dierum, interdum plurium, vti spatia vomitum ipsa quoque varia sunt, fere tamen trium dierum.

Modus & ratio vomendi ea est, vt ex acceptis forte rebus liquida per se interdum sola, interdum contra ipsa densiora euomantur, vt vt ex illis casu aliquod fastidium mouerit fere quidem vomitus vini est, interdum etiam omnis cibi. Sēper verò cum vomitus sequuturus est, præsensionē aliquam sui facit, nam deuorandi cibi vis tunc offensa percipitur, cibusq; videtur non posse in vētriculum recta deuolui, sed subsistere in œsophago seu gula, hoc præsignificat, vomitum esse sequuturum, & eius prçcipue rei, quæ modo liquida, modo densior deglutionem offensiorem habuerint. Fere vero liquida denotationē infirmiorem sortiuntur, & difficiliorem quam densiora. Dura quidem certe cum dolore deuoluuntur, vt ab hinc octo menses nihil panis per se potuerit deuorare sine maximo dolore. Cuius vero œsophagi noxa in dextera parte maxime sentitur, vt in dextera hypochondrium quoq; plenum, & tensum est. Cibi quidem cupiditas ea est. quā cernens cibum & appetit & sibi persuadet illum omnē posse se comedere, & deuorare, cū tamen aggreditur sub ipso opere se falsum esse agnoscit, nam deprimere quidē potest primumque delapsum ei dare & aliquātum deprimere, at nō vsq; in ventriculum perfecte demittere, quin quasi hiante ventriculo cibus sursum vergere videatur, neq; imū ventriculi petere. Si sursum facile reuocari, præsertim ea parte quæ in eo liquidiori est, quod etiam difficilius deprimebatur. Cuius sane vitij forma ea est, vt quod sane voluntatis opus & neruorum musculorumq; est, quodque etiam appetitionis naturalis est, illud integrum sit. quod vero naturalis attractionis, & retentionis est, id deprauatum sit, nam deuoluit quidem cibū & per os νοῦδε apprehēdit, per fibras tamē gulæ, seu stomachi non potest perfecte amplecti, & in ventriculum cogere, minus in eo comprehensum continere tam diu, quo ad perfecte concoquatur, quin mōdo per aluum ille delabatur, modo etiam per gulam iterum reddatur, dum onere suo partem eam mouet ad expellēdum. Sub hac mali specie quid causę subsit, quemque morbum efficiat ea coiectura est, quamquam attractrix contentrixq; vitiantur humidiori maxime dyscrasia qua fibræ laxiores factæ quasi torpeant in suo munere. hic tn̄ debilitari videntur non tā intemperie, q̄; qm̄ fibræ malo humore identidem infarciuntur, & à suo munere prohibeantur, qui humor si nōs oīa diligēter spectemus generis melācholici est, saltē ichor eius est. Vbi cibi cupiditas aliqua sit, qm̄ frigida, & sicca dyscrasia eius humoris illas partes tenet & os forsan vētriculi magis vt ex labore gulę, & impedita deuoratione intelligitur, iecore verò ēt non penitus male habente appetitio ciborum sustentatur, & si illi ventriculo oblati vitio fibrarum nō recte accipiātur, cuius iecoris status nō admodū malus vrinis ipsis percipitur. Modo id malum ventriculi exquisitius considerandum est, & videndum num ad aliud sequatur ita, vt eo sublato per se subsistere non possit, sic enim illud tantummodo curationem sui indicaret, quo submouendo reliqua abirent.

Illud facit optimi viri, ne putem solum ventriculū proprio vitio in his laborare, quòd nimirum ipse postquam tribus, aut quatuor diebus se se vomitu, aut deiectione liberauit, bene continere, & bene accipere cibum dicitur, & recrementa pro sano demittere. Ex ea itaque parte saltem non suo vitio laborare ventriculus videatur, consideremus modo an sit tamen aliquid noxæ quod perpetuum in ventriculo maneat, qđ ex perpetuo aliquo indicio colligetur. Certe id perpetuum est, quòd duriora deuoluere in ventrem non potest, vt est panis & hoc iam 10. menses, ex ea namque opera maximam noxam percipit doloris, & molestiæ. Præterea id fere ei euenit à cibo, vt ventriculus male habeat præsertim à vino accepto, dolorque ex eo ad costas pectoris pertineat, vel eo in statu, quo cibum retinet, & concoquit, succusq; digeruntur adeò vt non respondeat aluus nisi clysteribus ducatur, in quo statu per sæpe etiam retento cibo vinum reijcitur tamq; molestum. Cuius molestiæ quis morbus in causa sit nō est facile conspicari. Is dolor à cibo accepto protinus accedit, & breui etiam dissoluitur, neque vltra quartam horæ partem perdurat, generis non pungentis sed comprimentis potius, vnde languor sequi potius quam conflictatio videatur, vt tu suscipias cibū id ventriculo facere, quod vlceribus medicamēta, quæ ferri cum molestia consueuere, donec vlceribus similiora effecta aut humore vlcerum sensim emanante inuoluta sint. potest. n. cibus & præsertim vinum quod vim mordacem & exsiccantē habet eo breui spatio similitudinem cum ventriculo aliquam acquirere, & sic tolerabiliora euadere, ita cū ea molestia nequaquam in simplicis ventriculi languoris sensu in continendo sit posita. Sed in quadam maiori asperitate cibus non tám onere suo contentrici, quoniā vi & genere non solum potētiali, vt dicitur, sed actuali ventriculo infensus existet, qui postquā concoqui & mutari cæperit, non amplius est molestus, Vbi vires etiam aliquantulum potest eo breui spatio nutrire suis partibus leuioribus, & tenuiorib. transmutatis, quod maxime vinum facit; itaq; quo plus cibi acceperit, eo spatijs longioribus molestia perdurat, quoniam plus etiam actioni virtutis trāsmutantis resistit; cum ergo incepit ventriculus vinū saltem trāsmutare, & aliquid humoris in suos meatus attrahere sese q; eius iā similioris facti succo imbuere molestiam illam non sentit, similitudine tum sensum molestiæ detrahente, tum vero alente ventriculi vires. Illa vero molestia facilius euenit & in dies magis, quoniā ventriculus in dies semper squalidior fit, & assiduo humore eget, & à cibi multa copia obruitur, & magis laborat maxime si vini plus acceperit, quoniam illud antequam mutetur à calore naturali siccantis naturæ est. Continua ergo gulæ & ventriculi molestia ostendunt proprium ventriculi vitium. Vt illæ quæ reuertuntur ostendunt influxum à coniuncta aliqua parte. Vt iecore & liene, quòd illa viscera sint, ut extensione patet, humore iam obdurescente referta ventriculum sibi vicinum afficientia, & quoniam iecur per vrinas nō ita affectum cognoscitur, culpa ēt in lienem deferenda erit. habemus ēt ventriculum iam squallescētem & refrigeratum non solum qm̄ ad squallorē frigus sequitur, sed ēt quoniam halitus ab ea parte tamquā fumus in ventriculum appellēs frigidus est, vnde iā in ventriculi tunicis aliquid inhęserit ipsius, ibiq; cōcretum permanserit, ex quo ipse peius concoquat, & cruditates congerat, quibus per incerta spatia modo maiora modo minora ad certam multitudinem cumulatis vna cum humore influente vētriculus onustus ipso resoluatur & cibum, & humorem illū alienum molestum demittat, atq; etiā per vomitum reijciat. Quo humore leuatus possit, postea iterum cibum retinere & spatio ēt concoquere, à vino tamen crebro infestetur sicciori suo humore sicciorem eius tabescentis affectum excitante, morsumq; fere inferente, ex quo sępe numero ad illud euomendū concitetur. Ex his verò certe metuendum non solum ni ventriculus possit ad sanitatem reuocari, quoniā difficillima est omnis humoris innati restitutio & aridi ac melancholici discussio, in sexagenario verò vix sperāda maxime in eo quo iam diu fuit tum innatus humor absumptus, tum melancholicus insitus, sed etiam ne citius cor vna secum exsiccet vitamque tollat, & certe nisi hæc tam lubrica deiectio coerceatur, vita diu retineri sub macie tanta non poterit.

Quid ergo nobis agendum sit, ex propositis ostēdetur lubrica nimis deiectio tamquam nimis vitæ noxia remoranda est, succique retinendi & eorum concoctio procuranda, deinde humor siccior dettahendus vnde obstructiones remoueantur. Si ventriculi humor bonus, & totius reficiendus. Quod maxime vrget vitamque consumit, est delapsus is celer ciborum, qui nisi cohibeatur prius, neque vitæ neque medicamentis minus cibis concoquendis spatium aut locum permittit. Itaque quamprimum fomentis ex œnanrhe seu labrusca, rosis Absynthio, & Mentha vterer vino incoctis, illitione verò etiam ex oleo Melino, Absynthite, Mastichino atque ad penettationem & digestionem quoque vitiosi humoris vna cum calefactione & adstrictione vētriculi etiam spicato. Quibus adhibitis cum idonea victus ratione, cibique partitione pro viribus ventriculi facta, si vētriculus vires retinendi cibi recipiat, tunc ad auxilia contra morbum facientia confugiemus, ex quorum numero mihi summopere placeret illud, quod vna aleret, & ventriculi vitiosum succum consumeret, & abstergeret, eiusque vim augeret calore & adstrictione, vt ius primò pullorū columbaceorum incoctis cicoraceis cū cinnamomo & Absynthio vel ius Galli in quibus tandem valentiora incoquerentur quale esset Guaiacū ex china eo bono iute data, quibus per certa diebus interualla ego Rhabarbarum adijcerem, quo iam dictum opus deobstruendi sperarem valentius, & tandē etiam absynthij vsum apprime vtilem iudicarem siue absynthite viuo quod tamen ipso mensæ ingressu sumeretur, siue melicrato parato cum ipso summo mane sumendo, ijs enim & ventriculum, & partes ei vicinas ad venas & iecur pertinētes ego crederem opem summam habituras.

Is adhibitis illis inunctionibus, & partito minutim cibo, somnoque omnium horarum concesso, Menthæque vsu, maxime cibum retinuit, neque vomebat, neque deijciebat, imo postea quatuor dierum spatio egebat ipsis clysteribus & glandibus. Retinēs verò optime omnem cibum, ab eo sumpto statim angore quodam torquebatur per quartam horæ partem, concocta tamē aluus vi clysteriorum, & tandem Rhabarbari exibat, postremo tristis admodum vsus redditus, est & semper corpore magis consumpto, Ita vt lactare mulierem opus esse visum sit, nihil tamen profuit, vt tandem quodam die tempore meridiano extinctus sit, cum pridie pulsus minimus esset factus ipseque mortem præsensisset, qui pulsus ab accepta Eucharistia sentiri commode potuit, cū antea, nostro posset dico pridie eius diei quo mortuus est.

Is certe plura longe & ad admirationem deijciebat quā sumere sui domestici dicerent, & perquam rarissime febricitabat forsan tandem humor ille melancholicus in cancrum coactus est.

De capitis vehementi collisione pro Angelo Calceolario Francisci F. qui de præfacta rupe in monte Baldo in caput desciderat, cum Iuliano & Fumanellis Physicis, Alexandro Polo, & Georgio Georgio, & Benedicto Chirurgis.

CONSVLTATIO CCCCLXXXVII.

HIc viri optimi mihi videntur duo constituẽda vt de curandi modo recte deliberemus, primũ illud est, an ictus hic vehemens fuerit, deinde an in vehementi ictu capitis, nullam rimam fracturamve craneo ostendente caluaria perforanda sit, seu aperienda. Magnam esse ictum ego per ea, quæ visuntur intelligo, primum.n. craneum collisionem detectum bono spatio est cute, & pericraneo non in alterum latus in obliquumve derasis, sed recta in altũ quasi impresso punctim vulnete illis ex æquo vtrinque deductis, in sincipite verò illud est prope verticem quasi in medio, ita vt recta in caput hominem cecidisse necesse sit, tantum ergo vulnus non nisi à magno ictu factum esse posse iudicandum est. Et miror, quo modo Vir Doctissimus contendat leuẽ ictũ esse, & asserat humerum primum, deinde caput impegisse. Quid.n. habet plagæ humerus? certe ea vel nulla, vel leuissima est, cum nullam notam sui osten dat, vix aliquem dolorem, & minime molestũ percipit, vt non videam quęnã ratiocinatio ea sit, a magna plaga capitis leuẽ ictum, ab obscurissima hume ri grauem illum vellẽ intelligere, aut persuadere. At nullus casus insequutus est, quo caput affectũ grauiter suspicemur, non vomitus, non rigor, nõ dolor capitis, aut grauitas. Ego dico cũ simus adhuc in tertiæ diei principio, non valere argumentũ casus non est, ergo non erit, nam non solum quarta, & septima fere diebus fiunt, sed ad 17. diem, ad 20. multos traxisse sine molestijs ijs vidimus, & tamen oĩa mala postea fuisse consequuta. Certum me reddo & tutũ nõ solum non adesse, sed non affutura esse dicta mala ego suspicione ea liberabor caput affectum esse q̃ quam argumẽtum à forma vulneris valet, Collisiones membranarum, collisiones cerebri fieri possunt et magnæ sine sanguinis effusione, itaq; qm̃ frigidæ partes sunt non efferunt ita cito symptomata. Si.n. dura membrana collisa, contaminata sit, non necessario aut dolorem, aut læsionem aliquam interiorũ facultatum statim afferat, quoniam dolor nõ sequitur quantãcumq; contaminationem, minus internæ facultates ab externa mẽbrana, nisi valenter sit inflammata, adeò vt spiritus internorum sinuum inflammnet, possunt conturbari.

Ea enim valentius inflammata per sinus suos ad ventriculos cerebri vasa promittentes spiritibus cerebri facile incendium fertur facultatesque conturbantur. Quamuis ego viderim insignem mẽbranæ duræ ex ictu inflammationem, qua tandem mors illata sit, nunquam mentis aut sensuum læsionem attulisse, solumque alteri cruri dolorem fecisse in eodem quidem latere. quod tamen rarissimum iudico propter cognationem membranæ duræ cum molli sibi subiecta in omne cerebri corpus sese insinuante. Ante tamen quam tantum labis contrahat ex ictu mẽbrana nullis vasis apertis, nihilque sanguinis effundentibus, vt internæ sibi subiectæ, cerebro offensam præbeat, possunt multi dies intercedere, cum ictus, quem per os sibi cognatum accipit, non necessario acris sit, non necessario officiat, sed fere tantũmodo leniter collidat, & contaminet, quæ plaga offensionem non efferat, nisi spatio dum non conua-

A lescit, particula refrigerata propter spiritus, & caloris insiti expressionem vitium maius contrahat, humorumque impetum ad se alliciat, vnde inflammetur. Ante ergo, quam facultates capitis offensionem ostendant, membrana tamen ictũ sensisse potest, & hunc maxime, quẽ magnum fuisse iam certa suspicione cõfirmaui, vbi prӕterij eã notam, quòd sensus, & memoria sub ictu hoc penitus intermorentur, neque ipse sciat quo pacto res cesserit, nam vidi multos etiã ex leui ictu idem fecisse, vel si folle flatus pleno icti capite essent. At quod ictus leuis fuerit illud affer tur argumẽtũ, quoniã os rimam non habet certis verisimilis ratio est, experientia tamen in ictibus capitis contra ostendit, nam aperto craneo multis ex ictu eius mortuis vidimus integro penitus craneo, interB dum solum cerebrũ intus corruptum interdum etiã cum mẽbranis. Ad exemplum cuius rei dicunt periri equites quod ferro Thorace minime illiso ex ictu, caro tamen contra ictu sub Thorace inuenta est collisa & dentes fermenti impingẽtis minutim retulisse plagæ figuram. Magnitudine modo ictus cõstituta Doctor videtur facere difficultatẽ dubitareque num os perforandum modiolo sit, ferramento nempe tereti cauo & imis oris serrato. Ac modo dicit, si os sit in huiusmodi ictu aperiẽdum tunc in omnibus erit idẽ faciendum. Modo nihil perfuturum etiam vitiatis intra os partibus ipsum foramen, quod sæpe contaminatio, & corruptela intra duram membranam tegantur. Ego ad primam rationẽ dico, quod si exiC guum ictum esse ponat valet, quidem illationis ratio, verum, quod positum est, iam falsum esse demõstraui. Sin verò ictum valentiorem esse concedat; vt ratione confeci, illatio ea esset à maiori ad minus & non valeret affirmatione si Aristotelem & rerum ac rationis vim sequamur, non Ciceronis in vi verborum errores. Cum autem dicit, quod intra membranam consistat materia vitiosa in magnis ictibus, ego concedo in aliquibus, non in omnibus, nam vt dixi, vidi tamquam apostemata corruptiones in cerebro factas, superpositam tamen membranam integram. Itaq; cũ internosci non possit an intus an extra sit, non esse prætereundum auxilium necessarium etiam dubiæ rei, cum illud non sit futurum noxium, nihil enim prætereundum est, quod in manu Medici D esse cognoscatur ad suspectum etiam vitę periculum euitandum. Imo nullis casibus extantibus, ad læsionem facultatum cerebri pertinentibus ea potius notã significaret extra duram quam intra eam ex magno ictu damnum extitisse, quoniam non est necesse cum dura semper cerebrum affici, vt cum pia dicta, quæ ipsum penitus amplexa est. Igitur & esse necesse craneum aperiri ad expurganda recrementa ex illisione nascitura, & commodum inde sperari posse videtur. At si forte malum intra membranam, si in alia parte sub osse erit, dico quod neque vaticinari hoc nostrum est, & contra potius esse posset, certe quod in nobis est, illud prætereundum non est, ne per nos ægroti vita periclitetur. At osse non læso non est aperiendum, ita quidem, si neque intra os E læsionem esse constiterit, si enim ob ossis læsionem caluaria aperienda est, ne os suam saniẽ demittat in membranã quanto magis, si membrana læsa fuerit? Aperienda itaque caluaria est, & antequam quartus dies accedat, qm̃ quo magis differtur, eo magis tempus est, in quo locus lęsus coctionẽ moliri tentat, vnde interrupta coctione per nouã cruditatẽ & sanguinis ac spiritus effusionẽ recrudescit, & viribus maioribus eget, vt reficiantur, contra verò euenit, quoniã partis læsæ temperamentum ea refrigeratione & recrudescentia infirmius semper fit, & putredinem potius permittit, q̃ impediat cũ regere materiã nõ possit. Vnde vidi multos quib. tpe, quo coctio iam perficiebatur, pericraneum rursus dissectũ est, & ab osse se pa-

paratum, quibus noua affluentia materiæ & suppurationis vis & febrem, & putredinem loco maturationis attulit & mortem. Cauendum igitur ne maturatio in morbis & præsertim in vulneribus & collisionibus impediatur, aut noua affluxione obruatur, quãm in putredinem trãsibit, quod ego euenire uidi, vel in Gangrenis quibus postquã exedentia medicamẽta satis data sunt etiã atque etiã illa opponuntur cõcoquentibus prętermissis, & loco laricinę resinæ, vel Terebinthinę, ęgyptiacũ continẽter suffectũ est.

Nõ differrem ergo quo donec cruda materia est, & vires integræ partium, quæ maturitatem molituræ sunt, constant, & vna omnis maturatio conficiatur, & craniũ aperire, alioquin postea coacte id fiet cum damno ratione iam explicata.

Huic speciei futuræ quam referebat ossis plaga distulit apertionem. nam Medici nunquam aperiri voluerunt, nisi rima perspecta. Sin autem est cognita, quoniam futuram referrebat, & diu ancipites Medici fuere, ergo 5. die aperta caluaria est, & mẽbrana seu periostium multo labore, & cruciatu dilatatum, os durissimum & valde resistens fuit. Dura membrana colore inæquali fuit. punctis rubris & sanguineis, varia febris inde ad 9. vsque diem manifesta urinis & pulsu. quibus notis caruit 11, & 12. At 13. riguit leuiter, vomuitque, & vrinæ primum crassæ, deinde etiam coloratiores factæ sunt, & vsque in finem rubriores, & crassiores euasere, 16. sectum est pericraneum, loco quo hærebat ossi quasi per ligamenta qualia in suturis sunt. Inde in deterius lapsa res est 19. opposita parte resolutus ipse 20. extinctus est.

De febre duplici tertiana notha in sene nimirum Archidiacono Veronæ.

CONSVLTATIO CCCCLXXXVIII.

Difficilis res est, corpus senile, suapte natura imbecillum, febris tertiana cum copia multa pituitæ, vnde longitudo accessionum non finit vnquã. corpus integrum, & accedentes febres vix compressionem faciunt, & somnos etiam pariunt, præterea in vrinis cruditas summa est, generis nimirum illius quod per exustionem rale dicitur, sedimenta namque vrinæ valde aspera sunt, & adeo dicere puluerosa, ac nigra, & quod peius est, imum vasis petunt. Etenim separatio recrementorum superantiam causæ efficientis maximam ostendit, Si recrementa cõcocta sint, victoriam naturalis caloris. Si exusta caloris præter naturam vires superiora ac separatio maior illa maiora indicat nimirum eo maiora, quo recrementa magis imum petunt, hoc est à liquore sunt separata. Cruditas hęc morbi longinquitatem ostendit, quare vires non nisi magnas esse morbum victuras toleraturasve, quæ diu ei oppugnare valeant. Num modo vires hic magnæ sint ambiguum videtur. Ego quidem pulsum satis valentem percipio genus tamẽ corporis tenue & ætas adeo parum posse videntur, vt metũ omnino faciant. Quid modo nobis consulendum agendumve sit, diligenter videndum est. Quoniam febris putrida est, de putredinis genere ego non ambigo an pessimi generis & corruptiui, seu maligni sit, video.n. esse minoris malitiæ, non quidẽ maturantis, sed exurẽtis, quare non postulare ea q̃ putredini resistunt, sed certe cũ febre in ostensione sua conspirare, & requirere ea, quę caloris vrentis vim frangant. De humoribus autem constat quod pituita incidentia, & extenuantia & randem purgantia per aluum, aut vomitum vult. Si spectemus quæ non dum putredinem exurentem persensit. Sin eam quę iam putruit, requirit vt in dies subinde e corpore euocetur partim per aluum clysteribus, & per vomitum, si moueatur, partim diureticis, partim tandem ijs, quæ ipsum corporis ambitum expurgant vt sunt frictiones, & quæ sudorem mouent. De partibus affectis ego video in longis febribus ventriculum suggerere illis materiam & etiã ab ipsis infitmari, præterea iecur crudis exustisque humoribus infarciri, ac debilitari, & tandem cor periclitari, ne vrente assiduo calore squalescat, quod ad continentes partes attinet, quod etiam ad contẽtas sanguis non potest non in dies male affici crassiorque fieri, atque exsiccari. quæ omnia viribus maxime officiunt. Ergo non solum ventriculo iuuando, & iecori confirmando expediendoque sed cordi vna cum toto corpore renutriendis, & sanguini remolliendo modificandoque vacandum. Quæ num fieri queant difficile iudicatu est, nam num vires satis futuræ sint dubitandum videtur.

Quas tamen constare ex ipso pulsu magis, & animalibus actionibus & corporis habitu quam ex vrinis videtur; cum ergo solæ vrinæ metũ faciant, reliqua omnia spem, præsertim pulsus, ego facilius in spem erigor. Aggrediendum igitur ea, quæ dicta sunt, manu quidem nihil efficere posse credo, quoniam sanguis mitti sine virium maximo detrimento non posset, minus video esse necesse, nam nihil ad magnitudinem mali à sanguine hic expectamus, vt timore solemus cũ cruditas non est & vires magnæ sunt, tunc.n. sanguis quoq; aliquid mali põt afferre sua copia, quæ viribus infirmis insignis esse non põt minus oneri esse aut affluxum parere. Manu ergo si quid prętari põt frictionib. id fiet, quibus reliquiæ materiæ in dies putrefactæ dissoluẽdæ sunt, & meatus aperiẽdi, alioquin manu, nihil amplius restat curandum. Medicamentis itaq; & victus modo agendum. Vires quidem potissimum victu sustentandæ, deinde etiam contra morbum agendũ, qui sane mediocris esse debet in lõgo morbo, ex iure bono pullorum grandiorum generis gallinaceis, ex carnibus eorundem, ex pane in eodem iure cocto. quæ nisi sumat satis, oua adijcienda momento aceti permixta, quoniam hic bilis pura frangenda non est, neq; pituita delinienda, potius incidenda abstergendaque. Horæ ciborum sic deligendæ, aut quatuor saltẽ horis ante febris incrementum prandeat, post summũ autem incrementum donec febris penitus remittatur ius aliquid detur, quo ignis frangatur, & abstersione eius & liquatione motus expulsionis ad cutẽ iuuetur. Sic.n. vna cum eo facilius cineres febris elabuntur, in eo itaq; iure incoctum sit hordeum atq; etiam radices fæniculi, ac nisi capiti metuamus petrosellini. Vinum penitus circumcidatur, nisi febris remissior & materia melius cocta cernatur. Cuius coctio in frictionibus etiam iuuabitur & medicamẽtis, quibus non solum materia ad coctionem est paranda, sed, vt paratur etiam euocanda per oẽs vias naturæ commodas. Præterea est à putredine sustinenda. A putredine quidem sustinebitur procurata coctione, qua dum perficitur materia, calorem proprium valentem sortitur, & sic non putrescit, videmus.n. alioquin sæpe ẽt citra obstructionũ vitia succos animantium perfectam coctionẽ non adeptos, vt succos fructuum facillime corrũpi. Procurata inquam coctione, & confirmato partium continentiũ calore, & robore putredini obsistitur, quoniã calore continentium humores non vincente, illi facile obruunt calorẽ, & ita putrescũt. Quæramus modo, quę & materiã parent, & vijs oĩbus educant, & calorem continentiũ confirmant ac coctiones iuuent. Ex oĩbus medicamentis mihi quidẽ vr̃ maxime idoneũ, si intus sit accipiendum, qđ fieri põt ex syr. de cicorea Nicoli cum Rhab. & acetoso, consideretis vos num

aliquid ei desit quin pituitam incidat, abstergatque, quin bilem vtramque frangat, quin per vrinas percutim, & per aluum expurget, quin calorem continentium venarum, & viscerum confirmet, & meatus expurget, cui cũ opus fuerit modus Rhabarbari poterit augeri. Si exterius autem applicandum est fomenta illitiones & sacelli in promptu sunt. Si inijcienda sint, vt est necesse quotidie clysteriorum sylua abscondita non est quibus recrementa in dies superantia per febrem sunt euocanda sed morbo longo futuro alias & sæpe de re videndum erit.

Is longo tempore conualuit, & octauo autem anno post decrepitus viuebat.

De febre continua quotidie increscente pro Equite Pio Turco.

CONSVLTATIO CCCCLXXXIX.

QVantum video Viri Doctissimi consultatio hęc instituitur, vt deliberemus, num medicamentum sit huic Medico viro exhibendum ante 14. diẽ quale esset ex expressione Rhabarbari cũ diacatholicon, & melle rosaceo solutiuo, & habetur pro certo, & constituto, quòd iam febris inclinet. De qua re ego longe suspicor aliter, nam vrinæ exustionem sanguinis fæcosi ostendunt sedimento eius generis, & colore etiam simili ad atrum vergente, pulsus sunt creberrimi, exigui & admodum inualidi. Verum affirmat Vir Doctissimus & vos conuenitis hũc pulsum parum ab eius naturali pulsu differre, & vrinas lõge peiores antea fuisse, & tales in omni febris tentatione ei euenire, quoniã ictericus est, & sæpe in eiusmodi febres incidit. Ego verò non possum mihi persuadere inualidos pulsus vlli naturales esse, paruos & crebros posse esse credo, sed inualidum nihil natura facit minus vero homo ad ætatem 64. annorum peruenisset qui inualidos sic à natura pulsus tulisset. præterea diem hesterna cum aduocatus inspexi pulsus erant satis magni & rari, & minus infirmi. Vt suspicer febrem suum incrementum alternis diebus habere, & sub eo nunquam hominem esse, & ab ipso valde vexari infirmariq; ne dum ut uobiscũ asseram minorem esse febrem hodie, quã hesterna die esset adeo ut credam uobiscum uix febricitare. De urina possum uobis credere, sed Domini inclinantibus morbis, uel natura excernente noxiam materiã licet uidere eiusmodi urinas sine periculo, & morborum incremento, tamen id non cernitur uiribus sic infirmis, neq; febre sic increscente, & cruda, quare cogor diligentius ego de hoc morbo cogitare. Et uidere primum, quòd uiscera eius, adeò male habent, ut facile euenturum sit, ne humores, ne partes continentes ijs uiribus destitutæ quas à principibns uisceribus expectant, humoribus malis succũbant, qui mali sunt, quoniam corrupti sunt putredine forsan ea, quæ proprie putredo est, non exustio sed generationi mixti sanguinei opposita, mali sunt, quoniam imperfecte concocti, unde peiorem putredinẽ subeant. Quæ omnia in urinis cernimus sequentibus nõ vt dicitis icterum, nõ naturæ victoriã, sed morbi seu febris corrumpẽtis vim, vt ex incremento morbi, vt ex infirmitate viriũ, vt ex cruditate eorumdẽ recrementorũ iudicare est. Vnde non possum nisi metuere. Et de medicamento ambigere, neq; credere alias febres eiusmodi fuisse. Itaq; sic rẽ disceptatione hac definirem, medicamentum id præberem tantũmodo quo vix ventriculus detergeretur, neq; vltra mel rosaceum solutiuum cum manna compositum quidquam darem. postea syrupis vterer facientibus ad viscerum vim retinendam, viasq; eorum expurgãdas, & humores crassos incidendos detergendos & coctioni parandos, putredinem verò etiam compescẽdam. Vt esset syr. de Cicorea Nicoli cũ Rhabarbaro syr. de Nymphea, cum acetoso tamẽ compositi, quibus aliquid Rhabarbaro alternis diebus ego iniungerem, & aliqua leui pluries repetita sic viscerum expurgatione fomenta præcordijs darem, tum sicca tum humida, & ipsas inunctiones. Viribus verò in primis subuenirem cum admodum infirmæ sint, & mediocri victus, nõ tenui ratione vterer. A vino quidem abstinerem donec aliqua coctionis nota cernatur, & aliqua expurgatio viscerum facta sit. Sed Domini nescio an vires sustineri poterunt, ne cito succumbentes relinquant humores in omnem putredinem delapsuros.

Is semper imbecillior factus circiter 15. die extinctus est, Scilicet ad quartam post consultationem.

De Nepte propria, quæ quatuor tertianis vexaretur, ad Excellentissimum Hectora Moschalium Medicum.

CONSVLTATIO CCCCXC.

MAgnifice, & Excellẽtissime Vir de mea Nepte, quoniã mihi tempus nõ est, breui me expediam, propter febris longinquitatem non possum non concipere multas subesse reliquias humoris per febrem putrefacti, & illas iter habere ad ventriculum, quoniã in eo sentit illam molestiam, Inde ego mihi persuaderem ipsas reliquias esse medicamento euocandas, idque commode per aluum iri factum, cum Diacatholicon ad ʒ. 6. Melle rof. solut. ad ℥. 3. manna ad ℥. 1. s. Diaphænicon ad ʒ. 2. ex iure rerũ cordialium addito cinnamomo. Veniẽdũ postea ad syr. quib. & humor in putredinẽ pronus partim modificaretur partim vna cũ mẽbris se gignentibus emẽdaretur, quæ putredinis reliquijs dẽptis facilius tractabũtur, quod sane fieri posse apportune videretur cum syr. primũ de Cicorea Nicoli, & Acetoso diarrhodon ex iure Betonicæ, cicoreæ, Agrimonij, capillorum Veneris & lupullorum, morbo etiam longius trahente additis carduo benedicto, & absynthio, Quorum etiam potionibus in dies factę reliquię putredinis euocarentur. Ad extremum si mihi videretur obstructio nimium infigi in iecore, accederem ad saluatelam, & ad pilulas, ex Rhabarbaro Agarico & Hiera. In reliquis iudicium tibi promitto, vt facio etiam de rei summa, quod reliquam est ego tibi me plurimum debere sentio rogoque vt mea interdum opera vti velis, Veronæ 15. Cal. Octobr. 1586.

De Comite Iusto Iustio febre laborante.

CONSVLTATIO CCCCXCI.

DEliberandum proponitur, num sanguis, quẽ detrahendũ esse omnia persuadent, cucurbitulis potius quam incisione venæ euocãdus sit. Qua de re ego breuiter dico, quod horrores illi & calores toto corpore inuicem idẽtidem tota die discurrentes mihi indicant materiam per carnes laram sub cute exitum tentare, quæ ibi copiosa sit, ac si venã incidamus in eam partem à medio, & ad medium, à toto ambitu ratione vacui humorẽ reuocamus & in medio sistere eã cogimus, cucurbitulis verò incisa multis in locis cute materiam quo natura vergit, protrahimus & tutius. Hoc sudores quoque persuadẽt, quare tempus non contererem, sed quam primum id perficerem.

De febre continua pro Turriana dal bene.

CONSVLTATIO CCCCXCII.

VIri Doctissimi omnium anni huius temporum conditio maxime fuit humida præter ipsam postremam æstatis partem in quam horarij fructus tarditate maturationis reseruati fecere, vt vna secū autumnales quoque fuerint, & in maxima abundantia quisque illorum vsui nimium indulxerit, caloribus præsertim subitis infestis, & cupiditatem fructuum incitantibus ex quo corpora, tum tempestatum humore, tum fructibus, & caloris impatientia etiam potionibus largioribus se impleuerint, quæ fierint etiam nimia, & subita refrigeria, & perflationes ventorum, & indumentorum onera noctu præsertim abijcerent vnde facile multum humorum alienorum congesserint accedente perflationis meatuum corporis impedimento, & excretionis vaporum. Hoc præcipue accidit huic Illustri Mulieri, quæ peponum, & persicorum copia se repleuit, quę eodem tempore matura facta sunt, vt accidisse iam dixi, quorum, & abundantia, & bonitas, nescio quomodo, maior fuit, & ipsa eorum cupidior. Ex ea repletione, & meatuum cutis adstrictione frigoribus immodice captandis effecta corpus maxime repletum malis humoribus est, quamuis suapte natura calidum, & humidum sanguine abundare cōsueuerit. Inde euenit, quod nobis iudicium huius vitiosæ copiæ est, vt menses suppressi totis duobus circuitibus fuerint crassitudine sanguinis naturam occupante, motionique eius resistente, deinde ante circuitus finem exitum tentarint, postea non solum perfecto circuitu, sed medio etiam tempore effluxerint natura onus deponere conante, hinc illa corporis grauitas, & ineffabilis molestia, qua ipsa sibi morbum futurum prædiceret, quam tandem febris sequuta est, quæ initium habuit cum frigore septem fere horarum, & per circuitus tertianos reuersa est, quorum initia vix frigoris nescio quid afferrent, facto vero tertio circuitu, cuius initium fuit cum maximis vomitionibus, & deiectionibus postea circuituum initia, & fines latuere, anteuertebant tunc ipsæ accessiones, nunc eatum obseruatio haberi non potest, vt aiunt, & hodie agitur. 9. dies, in qua quinta accessio esse deberet, tamen hesterno vesperi visa est, astantibusve friguisse, & nocte hac peius habuisse, quam hoc mane faciant, quasi hucusque anteuertentibus accessionibus, accessio quinta quæ in hanc diem veniret, in noctem præteritam inciderit, & cum latuerit quarta penitus accessio, quinta tamen aliquātum se se detexerit.

Quæ omnia ostendunt genus materiæ, quod dictum est, cuius pars tenuior, dum etiam natura initio esset valentior e venis in ambitum carnium excuteretur tarde tamen, quoniam crassiuscula esset postea crassioribus materiæ partibus relictis, & illis spatio prioribus factis natura infirmior facta irritatur quidem, sed excutere, vt prius, non potest, quod multitudinis, & crassitudinis materiæ est, & notas suas habet, vt in alijs rebus queadmodum in pulsu etiam in vrinis, quæ plurima sui parte sedimentum crassius habent, ventriculus etiam sensum percipit aquæ intus fluctuantis. Atque cum eo largissimo vomitu, & alui profluuio non fit febris remissior facta, ostenditur copia, & crassitudo materiæ supra proposita, in qua quidem crassa materia solet esse multa inæqualitas, & dissimilitudo generis, nam ea non solum amplectitur genus crassum, terreumque, hoc est melancholicum, & crassum pituitosum, sed humidius

A at tenuius, & fere a se per calorem exprimit ichores, & saniem valde variam tenuitate, & natura, quod enim crassum est id etiam terrestre est, & vt magis, & minus terrestre, & magis ac minus aquæ habet, sic magis, & minus pituitæ, & melancholicæ naturę est particeps, atque cum cruda sit materia crassa necessario assata saniem a se variam effert. Sic vrinę variam speciem habent, quoniam ichoribus biliosę, sedimentis autem pituitosæ videntur, melancholici fere nihil præ se ferunt, quoniam illa pars non facile effertur.

Quibus modo locis ea materia subsistat, versetur ve, docent obscura accessionum initia speciem continuæ febris seruantia materiam versari in venis, neque extra venas excuti, vt aliqua sui parte prius fie-

B bat, imo quando per vomitum, & aluum tanta eiecta est, eam in partibus ad concauum iecoris pertinentibus consedisse significatur. Vt modo totius corporis grauitas, quæ etiam initio fuit, & dorsi dolor in venis, & arterijs ambitus totius corporis multum illius esse indicatur, quæ enim intra maiores est, ea corporis sensum non grauat, vt spiritus angustia, quam credimus ab inferiori ventre venire, a quo inflato superior vrgeatur, multum eius quoque materiæ in partibus ad ventriculum attinentibus adhuc versari habet suspicionem, eam tamen portionem crassiorem, & frigidiorem esse, cum non amplius, vel vomitum, vel deiectionem promoueat. Hoc de genere de copia, & locis humorum, de natura autem

C putredinis eorum, quamquam non defuere Medici, & illi quidem magni, qui malignam hanc febrem etiam iudicarunt, ego non possum existimare hanc putredinem malignam esse, hoc est, quæ, vel multitudine sua, & vitio, & obstructionum crebritate pessimi generis sit, minus quod maligna febris sit eo, quod materiam morbi, quod principem partem occupet, vnde vires materiam sustinere a mala corruptione non possint.

Nam cum videam in vrinis multam copiam sedimenti, quæ non potest tanta non a materia putrescente excerni, si enim sedimentum esset exiguum, & non superaret sani hominis modum, forsan dici posset nihil a materia febris emanare, vt in malignis quandoque febribus euenit, cum videam inquam

D materiam excerni, obseruo, quod ea sic excreta habet speciem aliquam maturationis quamuis non admodum perfectæ, quare putredo hæc non est habenda eius generis quę corruptio simplici mixti est, quęque malignas febres facit, sed quę in maturationem conuertitur a calore naturali etiam per eū, qui præter naturam est agente, illumque regente, moderanteve. Vnde etiam pulsus vehementes sint, natura nimirum ex ea maturatione se se alente quod in vlceribus videmus, in quibus cum bonum pus est bene nutriuntur, quod si corruptionis tota esset ea putredo, a natura esset penitus aliena, & non aleret vires, vnde sub eiusmodi putredinibus obseruamus pulsus exiguos, & imbecilles. Hic ergo humores, tam imbecillis naturalis caloris mixtionem suam continentis

E non sunt, quin putrescētes etiam in melius reuocentur a suo, & continentium partium calore, neq; principes aliqua pars sic occupata est, quin suam vim cōmunicet cum reliquo corpore, vnde continētes partes queant putrescentem humorem a perniciosa illa putredine cohibere.

Efficit verò febrem putredo hæc suo calore cum cordis spiritibus communicato, fumos quoq; in caput mouet, vnde somni tumultuosi sint, & a somno leuis insania sequatur, quæ vigilanti quiescit, quod etsi non nisi malum signum est, quoniam somnus laborem facit, non tamen adeò malum, vt, si vigilans ad se, aut minime, aut non cito rediret, neque agnosceret se desipuisse. Vbi non possum præterire quod

Aphor.

Aphor.Hippocr.quo dicit vbi somnus laborem facit mortale, intelligi debet de eo labore, seu læsione quæ insignis est, & permanet, vt Galenus in commento habet, præterea intelligitur de somno, qui in temporibus debitis fit, nō in principio accessionum, sed vel in summo incremento, vel in inclinatione. Modo in hac Matrona somnus laborem non solum breuissimum attulit nimirum desipientiā, sed etiam in principio accessionum id fecisse suspicio est, non solum quoniam accessionum tempora obseruata nō sunt, sed etiam quoniam in somnum ægri in principijs accessionum propensi sunt, vnde ipsa eo tempore permissa dormire facile in delirium potuit labi, eo tempore obscurioribus fumis, & maxime abundantibus in caput elatis.

B Febris ergo hæc putrescentem humorem, iam dictæ permixtionis habet, & iam fere in venis non si maioribus certe minoribus permanentem. Cuius putredo ad maturationem vertens se se num sit adhuc in principio an increscat, an in summo sui incremento consistat, an propter excretiones imminuatur, quo minus sit, quod accedit ad putredinem, eo, quod eijcitur, sicuti in principio, & incremento longe maius est, quod accedit ad putredinem eo, quod discutitur, cum ego videam sedimenta in vrinis minime perfecte matura, ego cogor dicere in incremēto esse, vt continuationes accessionum demum factę ostendunt. At febris leuior facta est, quid tum potest calor minus acris reddi, quoniā materia tenuiore discussa putredo crassioris non ita acrem calorem edat, & si plus fumorum putridorum copiæ emittat,

C & profecto cum magnitudo putridæ febris a multitudine fumorum metienda sit, etiam mitior hac causa facta, tamen maior foret censenda. Hæc sunt quę in morbo cernimus, quæ vero præsentire possimus, ego facile spero fore salutem, cum putredo versa sit ad maturationem, quam cito id fit futurum intelligere nequeo, quoniam vnica hac inspectione modum motionis, & cursus huius febris non potui obseruare, vires quoque tantæ sunt, quantæ, vel in longo morbo possent satis præstare. Nobis ergo alacriter agendum est, nam nisi natura aliquo casu prohibeatur non solet maturam materiam in partes, vbi vitæ afferat detrimentum.

D Quid vero præsidiorum afferre debeamus. Febris certe calor negligendus non est, ne sanguinem torreat, neuę vires labefactet, quod & cibis maxime, & medicamentis etiam perficiendum, putredo quoque non spernenda etiamsi ad maturitatem conuersa, atque videndum, ne maturatio interrumpatur, quod fieri solet ijs partim quæ crudos humores faciunt, partim quæ vires frangunt, & a coctione auellunt, vt purgantia medicamenta ante tempus data, vt sanguinis detractio importuna. Materia quidem certe paranda & ad maturationem reuocanda, ac tandem per aluum deponenda, quæ infra iecur versatur, aut etiam per vomitum, si eo impetum habebit, per vrinas quæ supra iecur, per sudores quæ propior cuti fuberit eijcienda nimirum per conuenietia loca, quod

E natura iacere, quæ semper faciliora quærit. Ad præsidia verò iam ordinanda accedo, sanguinis detractio ante medicamenta purgantia esse adhibenda, si necessaria videatur, quoniam aluus iam abunde deiecit, & vomitionibus etiam multum venter exoneratum est.

Verum ea mihi necessaria non videtur, & fortasse minime vtilis, imo valde noxia, quoniam maturationis cursum interrumperet materia perturbata, & auersis spiritibus calorē infirmando, at magnus morbus est, & vires constant, quando uolumus hæc duo tantum capita esse satis idonea sanguinis missioni cogendæ, cum virium constantia multas debemus res alias compræhendere, & illam saltem, quòd vires

A non essent satis in posterum, nam fractæ a missione sanguinis facile putredinem non ita apte moderarentur ad maturationem.

Et quidem Domini si specto detractionem per sectam venam hoc tempore, & statū, vererer, ne materia iam subsistens in ambitu, & venis minoribus ibique maturescens secta vena in interiores venas, & ventres viscerum retraheretur, quoniam quamuis secta vena trahat sanguinem, & humores a medio corpore ad extra in ipsum sectæ venæ locum, reliquæ tamen externæ partes suam materiam potius in medium deponunt, vnde ad sectam venam sanguis exhauritur. Si autem specto cucurbitulas cute incisa apponendas illæ quoque materiam quæ in medio corpore locis nimirum maturationi perficiendæ idoneis est, ad angustiora, & putredini faciendæ aptiora loca reuocant cum eo maiori incommodo, quòd materia per loci mutationē etiam coctionem interrumpit sub alium agentem calorem ducta. Quæ duo incommoda initijs morborum non timentur, vbi nondum putrefacta materia est, nondum a sanguine, ita seiuncta, nondum ad certa loca diffusa, & quoniam cruda est, per motum recrudescere non potest, minus id facere cum virium detrimento, quæ nondum putredinis vim sensere minus suæ nutritionis impedimentum, & cum cruditate morbi valentiores sunt, quoniam nondum vitiatæ humorum, & spirituum naturæ sunt, nondum corruptionem perpessæ, quamuis enim maturatio non sit simpliciter corruptio, corruptio tamen est, & alimento inepta maxime donec nondum ad perfectionem perducta est. Potius ergo materia inter initia mouenda est, vel valentioribus medicamentis, vel sanguinis missione. Hic itaque potius leuibus medicamentis paulatim subtrahenda est, qua in re naturam imitante, certe errare non possumus, & ex arte nostra omnia molimur. Hic morbus enim eius generis non est, vt maturationem vniuersæ naturæ expectet quo illam vniuersim expellat, sed paulatim excoquit, & emittit maxime, quòd iā ea crassior est. Quare ego satius fore existimarem, si materia paulatim pararetur, & vt vt parata esset exhauriretur. Quoniam vero aliquid subest ex ea paratum, inciperem a medicamento detrahente aliquid materiæ, quando, & Galenus transacta quarta accessione exhibet medicamentum purgans materiam ipsius febris, & quamquam solum absynthium exhibet gratia tamen purgandi id facit, cuius loco, cum careamus nos absynthio purgante, necessario debemus assumere rhabarbarum, primum quidem per macerationem adiecto diacatholicon, & manna, deinde etiam cum conciliandum fuerit ventriculo robur ipsummet rhabarbarum totum, & quoniam vicissim parandus, & deponendus humor est ad ipsum parandum oximel cum syrupo de succo cicorij propinarem ex iure cicorij, capil. Veneris, betonicę, & melissæ, nam ad parandos humores, & aperiendas vias ego libentius iure quam aqua stillatitia harum herbarum vterer, quoniam in aquis forte tenues partes herbarum non subsistunt, vt in iure sunt. Interea autem, dum parantur humores, viæque expediuntur, aluum quoque clysteribus mollem seruarem, & cibos etiam extenuantes darem, neque admodum tamen tenuiter alerem, quoniam metus est, ne lōgior morbus futurus sit, sic laudo cibum huc vsque institutum, phlebotomiam laudare non possum, neque cucurbitulas, non quod ego sentiam cum Excellentissimo Viro illas in solis malignis febribus locū habere, nam sæpe in benignis, cum vires non patiuntur phlebotomiam, in eius locum sunt sufficiendę, & in metu, ne continuæ febres fiant ex intermittentibus certa facta coniectura, quòd materia nō ad messenterij loca, & infra iecur, sed ad corporis ambitum

pellatur

pellatur, vt in febribus intermittētibus sæpe fit, quo materia per phlebotomiam intus nō retrahatur, sed motus naturæ iuuetur, applicitę cuti cucurbitulę maxime commodæ sunt, etiam in principio febris, nam tunc non tamquā a loco affecto materiam remouentes, morbi affectricem, & corporis purgationem postulantes, sed illam in diuersum reuocantes, & tamquam antecedentem submouentes adhibentur, & loco phlebotomiæ, & artubus applicantur. Dixi.

Visa iam conualuisse identidem multoties recidit.

De vlceribus crurum antiquis pro Carteria Fiorauantis Catanei vxore.

CONSVLTATIO CCCCXCIII.

EX ijs quæ a vobis dicta prudentissime sunt, video viri Doctissimi duo mihi præcipua consideranda, quibus dirigi nostrum consilium deberet in hac curatione. Vnum est vitium ipsorum crurum, quod sane multiplex intelligitur, alterum est corporis ipsius habitus valde mutatus, minus præcipua multa alia sunt, vt motus humorum ab habitu corporis in crura incitatus, & anni tempus in quo curatio molienda est. Habitus corporis longe renuior factus est, & sanguine minus alibili abundare credendus ita, & dyscrasia aliqua in venis, & fonte earum existet, crurum autem noxa vlceribus difficilibus nigrioribus, maculis nigris, & purpureis circumfusis, exantematum subitis eruptionibus antecedente intoletabili pruritu, quarum, quædam ruberrimæ cito abeuntia noctemque vix integram manentia, quædam magis purpureæ vesiculam excitantia, qua disrupta nigrum sinum intus ostendant, & circumfuso purpureo colore maneant donec in vlcus diuturnum degenerent.

Quibus vlceribus abundantibus pruritus ille intolerabilis non tentat, quod euenit etiam cum abscessus apertus ibi diu mansisset, sanguinem multum emittens. Quorum causæ coniūnctæ antecedentes, & euidentes connotandæ sunt, quo notitia morbi certa fit, & inde curatio deduci queat. Euidentium causarum in viuendi modo fere nulla valde insignis est cum victus ratione satis temperantem seruet, nisi quod in regimine familię crebrę sunt occasiones irascendi, & parum otij vacandi curationibus multoties iam institutis, & nunquam perfectis, illa porro euidentior quod in partu, a qua semper ægre habuit iam octo annos, male expurgata est, quod ætati adultiori dabatur ab obstetricibus, quamuis soleant ætatis maioris mulieres, & cum desitura iam menstrua sunt, sæpe largius, & minus ordinate purgari, inde ipsa minus bene habuit, & parcius semper expurgata est, ac quæ plenior carne esset, iā minus pleno corpore est, & tandem ab hinc biennium in hanc vexationem delapsa est, ex quo ego conijcio multum sanguinis biliosi, atque etiam boni, cum non iusto purgaretur, esse congestum, & ex ea congestione etiam propter moram exustum, & vitiosum factum: vitium communicasse cum venis, & visceribus, & corpore ipso. Genus siquidem corporis, vt cernitis calidius est, cuius color e flauo in puniceum, & fuluum vergit, quo calore per accessionem ætatis humidum diminutum esse necesse est, & quando refrigescere etiam corpus deberet, propter tamen cōgestionem dicti humoris incalescit, eo humore per accessionem spatij, dum retinetur, etiam atque etiam exusto, qui in venis primum sui omnem ortum haberet, originem suam semperaugendo communicatione

A sui vitij per contactum facta cum venis visceribus, & carnibus, vnde facilius postea propagaretur vitio circumquaque diffuso originem sibi præstante. Impetum primum habuisse in crura facile euenit quan do illa toti huic cognationi Carteriorum infirmiora a natura data sunt, quæ id genus sanguinis primum in suis venis, deinde per illius feruorem etiam prurirum in carnibus, & exanthemata tandem in cute post pruritum accepere, quotidie vero magis a delapsu humoris in omnibus dictis partibus inficiuntur. Vnde cernimus non solum intus in medio corpore mali esse originē, sed iam in cruribus multum illius insedisse. Vtrique itaque parti erit consulendū, & metui humoris etiam pars curationis danda quo, & caueatur, ne in venis superioribus ea copia, idque

B genus humoris fiat, &, nisi caueri penitus poterit, quin fiat, alio deriuetur in partes minus necessarias, minorisque molestiæ, & pars etiam recipiens in meliorem statum reuocetur, quo & firmior facta minus recipiat, & ad suam naturam integram reducta nihil mali humoris sibi in offensam paret. Neque enim ante a cruribus is humor reijciendus, ipsaque firmiora reddenda quam humoris origo sublata sit, aut ille alio deriuatus, vbi nihil periculi vitæ afferat, vt de ordine etiam partium curationis hoc moneam alioquin vita, cuius primum nos curam habere debemus, magis periclitaretur.

Ad curationem ergo deuenientes corpus vniuersum primo penitus repurgandum est illis medica-

C mentis, quæ, tam apparatui, quam subtractioni humoris huius generis erunt idonea, quoniam enim exustus est, & bilis tamen naturam tenet, initio ellectuarium lenitiuum postulabit, vel cassiæ florē, quo congesti in communibus locis humores submoueantur. Deinde syrupos de fumoterra, de lupulis, de succo boraginis, de capill. Veneris, & alios eiusmodi dilutos iure lichenis, cicerbitæ, boraginis, fumiterræque, ac cicori, quos ego ex sero lactis pararem, aut dissoluerem, vt medicamenta quoque subijcienda pro ipsa purgatione, ex quibus verò illud mihi summopere placeret, quod haberet serum in quo decocta essent folia senæ ad ℨ.3.radic. polyp. ad ℥.s.passularum tantundem nucleis extractis, epichymi quoque ℨ.1. s. anisorum ℨ. 1. radicis dulcis ℨ. 1. s. cina-

D momi ℨ.s. in eo verò colato cum expressione dissolutum diacatholicon ad ℨ. 3. hamech tantundem, vel potius, quod gratius esset ellectuarium indum pondo ℥. s. Manna pondo ℥. 1. s. syr. rof. solutiuum pondo vnciarum duarum. Manna ego libentissime adijcio purgantibus omnibus, quoniam faciles omnes reddit purgationes, neque diu esse in ventriculo molestiam medicamēris paritur, lubricum illud reddens, præterea decoquo libenter solutiua: quoniam decocta minori molestia adiuuant purgationem, & vidi profecto medicamenta, quę per se exhibita non mouerent, dissoluta cū liquore aliquo incoctis etiam minime solutiuis, sed delinientibus tantum, maxime soluisse. Cui purgationi subiungerem potiones illius medicamenti, quod elleborissimum vocatur, ac-

E commodarem vero illius compositionem huic corpori, & vitio, neque multum curarem imponere myrobala.nos, cum caput nō recipiat aliquid detrimenti, vt videmus, minus ventriculus valde sit adstringendus.

Quibus verò exhibitis numero saltē quinque crederem necessarium expurgare ambitum etiam ipsius corporis per viciniores vias, hoc est per sudorem & vrinas cum salsa parilia ne maxime discutiente, adiecto tamen guaiaco ad robur visceribus conciliādum, viscera namque semper aliquid adstringentis efflagitant, sed quo interea dyscrasia quoque corporis tolleretur refrigerantia etiam coniungerem vt endiuiam, vel cicoreum saltem, sic sudoribus mo-

uendis

uendis corporis eminentiores partes cum suis venis repurgarem, idque victu tenui præcepto molirer. Verum quoniam sub his valentioribus tractationibus corporis mediocris etiam sanguinis copia magnum incommodum potest parere, sic nimia fit, & quasi nimia opus impedit, præterea vbi sanguis melancholicus est euocandus, ille per medicamenta, & sudores non facile eruitur, tum autem quoniam a suppressione menstruorum ortum est hoc malũ, ego necessarium putarem, quamuis missus sanguis sit ab hinc tres menses, vt etiam mitteretur, idque initio post alui primam solutionem, & a brachio, quoniam postea crurum ratio habenda erit, cum totum fuerit accurate, & curiosissime expurgatum, quorum cum non solum carnes, sed venæ atro sanguine refertæ sint, necessario prius sanguine eo leuandę essent venæ, aut per venæ sectionem, aut certe per summæ cutis incisionem affixis cucurbitulis, postea lotionibus seu balneis, inunctionibus, emplastrisque carnes erunt fouendæ, quo humores mali, tum mitiores fiãt, tum discutiantur postremo vlcera suis emplastris inducendis curanda, quæ in dies erunt præscribenda.

De ratione victus illud tantum admoneo, vt ptisanam in vsu habeat, & lactucas; reliqua satis nota sunt.

CONSVLTATIO CCCCXCIIII.

Molto Magnifico, & Excellentissimo Signor mio Osseruandissimo.

SE ben non mi trouo libero il pensiero, che affaticato insieme col corpo vorrebbe riposo, nientedimeno per il desiderio che ho della salute di mai stre, & di satisfar a tutti VV. SS. non posso restar di scriuere la presente per mãdar a lui, la quale prego Monsignor Mauritio che voglia hauer per risposta ancho della sua. In breuità le tre quartane si sono ridotte al vedere a questo, che la prima hora se ha fatta sentire col freddo e caldo, hora con le sole vigilie, & vltimamente ancho e stata senza quelle, la seconda viene col sonno, & ancho si fa sentir col freddo e caldo. La terza, la qual vn pezzo è stata superiore a tutte va variando le hore. Il fonte propinquo è il fegato in quella parte, che aspetta aiuto dalla milza, & questa ne ha la principal causa, se i luoghi della putredine, che traggono a se l'humore sono tre diuersi, & secondo la lor natura diuersa fanno tre sorti di febre. Il vacuar l'humor è necessario e per ciò il prepararlo, & il correggere le due viscere e principal debito, per ridur il corpo a sanità, e quì sta il punto, perche il vitio è quel, che genera l'humore, & quel che impedisce la sua euacuatione, questo si corregge col aprir le vie incidendo, & aprendo altramente quello, voi direte col rifrescar il fegato, cosa che è molto dubia, perche se la materia si generasse adesso per combustione, e fosse certo, che tutt'hora si facesse, il rifrescar sarebbe buono, ma il fatto sta, che la cenere ha hormai perso il caldo, & con la sua siccità dispone le viscere a generar semper della noua, la quale, se non si putrefacesse, non mostrarebbe caldo alcuno. Si che l'vso delle cose humide è in tutto commodo, quello delle fredde, come dice Galeno, & humide, è da fuggirsi, almen siano humide, & caldè temperatamente, come il Borasso, la buglossa, la liquiritia, il fumoterra, li lupulli, li pomi dolci, la conserua di scorze di cedro, lo succo di vua passa, le mandole; alle quai cose aggiungendo quelle, che hanno da preparar, & euacuar l'humore, saranno commode la pimpinella, il capeluenere, il cetrach Senẽse di rapo, ę napone, il thymo l'epithymo, il polypodio, le radici communi, il syropo de pomis regis sabor come dice V. E. quelli di polypodio accadendo il cibarsi, & se habbiamo a resistere alla siccità de medicamenti necessarij per aprire, & præparare l'humore resistemo colli cibi, e quì faccio fine hauendo parlato assai a bocca, bacio la mano alle VV.SS.

Di Verona alli 21. Nouemb. del 1586.

D. Vostra Eccel.

Seruitor Chris. Guarinoni.

De epilepsia pro puella decimotertio annorum.

CONSVLTATIO CCCCXCV.

INitium huius mali a ventriculo tentationes habuisse certissima coniectura est, quoniam ab eius molestia casus ordiebatur, nunc, quando caput grauius effectum est, & memoria aliquantum debilis reddita, in capite quoque partem mali esse credo, ac quoniam post sanguinis missionem e vena tali, & purgationem corporis bene habuit toto fere mense, eo verò finito protinus in eosdem casus, & crebros reuoluta est, id mihi suspicionem non mediocrem facit, vterum materiam hanc subministrare. Etenim tempus purgationum menstruarum appropinquat qua occasione sæpe euenit, vt corpus quidem humorem iam congreget excernendum, vterus verò nondum ei expurgationi accommodatus sit, siquidem non semper ætate maturitas partium corporis vniuersim æqualisque omnibus fit, citiusque corpus calidum, & humidum materiæ congerendæ idoneum euadit, quam vterus sæpe alterius, & frigidioris generis, ipse vias laxas præstet, hinc ventriculus potuit primus halitum noxium recipere, propter connexionem maximam cum vtero, a materia circum ipsum in proximis vasis morante, & vitium contrahente, qua per sanguinis missionem a propinqua parte, & per purgationem subtracta cum vterus, tum ventriculus leuati sint. Toto vero mense satis spatij prębent ad parem eius materię cumulum, & capite per superioris mensis casus infirmiori facto, non solum ventriculus exhalationi recipiendæ, sed caput sanguini in suas venas admittendo se facile præstat, qui sanguis quoniam, vt de more naturę est, crudior est, grauitatem facit cum eo torpore, quoniam non solum corpore suo inculcato spiritus locum occupat sed genere suo vitioso etiam corrumpit, refrigeratque. Cum vero qui ad vterum est, non multum a materia seminis distet, quæ ni finem suum assequatur, in pessimam corruptionem degenerat, fit, vt pessimum anhelitus genus ex se emittat, & ventriculum forte primum, deinde caput infestet. Neruorum autem principium, & cerebri basis, qua mẽbranis conuestita est, sensu maximo dolorum saltem munitur, quare etiamsi materia sinus cerebri non repleat, etiamsi halitus ad neruos distendendos in eorum medullam penetrent, vt sæpe fit, tamen morsu, & infestatione halituum corruptorum exterius percussa ea pars totum cerebrum etiam neruos potius, quam cerebrum, vt magis idoneos nõ minus incitat ad sui contractionem, quam pilus nasi conuulsus, aut acris aliquis puluis in nares incidens mouet ipsum ad expulsionem, & sternutamentum. Cerebro autem se se vtcunque comprimente, & neruorum distentionibus exagitato, sensus soluuntur, per aliquod spatium,

tium, & halitus illi infixi in membranas excutiũtur, & vna per consensionem humore ventriculis cerebri, qui semper aliquis ibi residet, depellitur in os. Incipit autem cõtractio in neruis, qui ad oculos pertinent, deinde in ijs qui ad buccas postea in ijs, qui ad omne corpus, quoniam plus consensionis cũ ventriculo habet anterior cerebri basis, a qua ventriculi, & earum partium nerui emittuntur. Corpus sub eo casu minime mutatur colore, quoniam cor nõ ita multum afficitur, vt solet sæpe, nã etiam a deliquio animi, similes conuulsiones incipiunt, & quoniam respiratio non valde prohibetur. His ita perspectis videmus sanguinem, aut per vterum deduci oportere via ei facta, aut retrahi per partem vicinam, vt superius factum est, interea, dum viæ parantur, ne casus is cerebro aliquid vitij imprimat, quo conuale scere postea amplius non possit, & præterea si quid vitiosi humoris in capite, & cætero corpore ad vterum præsertim congestum est, id omne educẽdum. Quibus rebus agendis idonea satis a vobis prolata sunt, quorum ordinatio mihi ea videretur opportuna. Vt non multo apparatu materiæ facto cũ aaulsio auersiove eo non indigeat, pilulæ de hiera cum agarico ad ℈.4. præberentur adiecta colocynthide ad gr.5. nimirum in trocifcis parata, sic enim humores e venis ventriculi demẽtur aperiretur verò subinde vena tali, nam ventriculo humoribus malis occupato, ego non prçponerem missionem sanguinis ipsis pilulis postea syrupo de betonica, de capil. Vener. & oximellite etiã squilitico vterer, & pilulis ijsdem repetitis, aut etiam valentioribus datis ad ea, quæ mouent menses accederem initio facto a syrupo de quinque radi. ad trocischos de myrrha, ad ius cicerum ex Sabino, ex Rubia, ad castorium, galbanum, aut similia deueniendo.

Interea si casus molesti essent nondum frictionibus cucurbitulisque a capite ad inferiora deducentibus agerem, sed vesicatorijs dictis, quibus & a capite materia detraheretur, & viæ vrinæ cum vicinis laxarentur, quoniam fiunt cum cantharidibus, tandem firmitati capitis ego consulerem impresso ferramento candenti in occiput, vt in ethruria agunt, vel natis vix infantibus, non solum ad præsentes casus, sed ad futuros euitandos. Interea etiam antidota illa maiora exhiberem, & quæ proprie ad eos casus parantur, quibus ego plures cuiuscunque ætatis curaui ex craneo, vngue illius beluæ magnæ dictæ, ex pæonia, & lapidibus prætiosis. De osse cordis, & cornu cerui Margaritis semper rhabarbaro adiecto. Inunctiones verò non præterirem, quæ teneris corporibus plurimum profecisse vidi ex oleo cranei petroleo, seu nephtha, & de nuce moschata, vel balsãmo indo, quibus inungerem contra ventriculum, & tẽpora, ac sincipur, in tenerio infantibus ego sedem imam, quoque ijs illinire solitus sum, neque desines ab ijs vnquam, quoniam plurimos curatos vrendi. A vino verò penitus vellem abstineret, quod fumo suo in neruos vitia nimirum imprimit, cuius in locum sufficerem aquam in qua saluia esset incocta mellisque parum adijcerem, qua potione vidi toto anno quendam conualuisse, tantosque casus euasisse, de reliqua metus ratione non dicam Medico satis nota. Dixi.

A *De tumoribus altero ad pubem altero in vtero pro Illustri Bolderia Mercantia cum Lazisio, & Iuliano.*

CONSVLTATIO CCCCXCVI.

Ex vestris sermonibus optimi, & doctissimi viri colligo sic nobis esse de hac ægritudine statuendum, quòd cum vita primum sustinenda sit, etiamsi ad bonum valetudinem non possit perduci ea pri- B mum alimento iusto reficienda, deinde a duobus vitam proximè infestantibus liberanda, quorum alterum febris est, dolor verò est reliquum, horũ vtrumque casus videtur esse tumoris eius præsertim, qui in vtero esse intelligitur, cum regionem eius, & figuram habeat, quamquam sinistram potius partẽ occupat, qua parte fere os ilij attingit, cum in dextera vix vltra medium, seu aqualiculum producatur, & quando is tumor antiquus, & durus est, neque facile tolli queat, videndum saltem, ne accessione humoris calidioris dolorem faciat, & febrem quãdo concursu huiusmodi dolorem parit, vsque ad dorsum per ligamenta pertinentem, ita alter tumor exterior inter peritoneum, & cutem, qui suppuratus est abscessumque fecit, pusque per foramen factum emit- C tit optimi generis, ille & vicinitate doloris attracto sanguine ibi constitit, & dum purgabitur per eum locum alteri tumori leuamen poterit afferre, corpore præsertim hoc malis multis humoribus referto, & purgationes per medicamenta aspernato. Quorum malorum causæ, & natura, & metus dicendæ essent longius, breuibus tamen ego me expediam.

Suppressa fere penitus menstrua sunt ætate 30. annorum in corpore satis sanguineo, idest, male affectum vterum sequi debuit, & ipsum peius afficere, eo enim sanguine sic collecto in calidiori corpore, facileque obdurescente per calorem, tumor durus concrescit multa illius sanguinis parte in membranas venis effusa, illa scilicet quæ a venis coerceri D non potest. Tumore autem ipsis partibus etiam circumpositis infenso fieri non potest, quin ille aliquando totius corporis repletionem sentiat sic debilitate, & facile materiam recipientes. Sic tumorem hæc pars ad inguem concepit qui in vomicam decepit, & pus optimum omittit carnibus musculorum fouentibus, & coctionem iuuantibus. Dolor autem parris primitus affectæ est, quam sanguis ibi obduratus aut humorem nouum recipit tenuiorem, aut ipse incalescit, & dolorem vsque in dorsum promittit. Inde purgationes menstruæ impediuntur non tamen omninò, quoniam dextera vteri pars minime indurata est, inde vt dixi, & dolor, & febris nõ solum exteriore tumore pus in dies concoquente, interiore etiam feruorem ob viciniam, & influxum E calidioris humoris ferueścente. Vrinæ turbidæ, & copiosæ præsertim his diebus sunt, quoniam materia in eas partes conuersa, etiam per vicinas extruditur sudor identidem in ceruice & facie, ac manibus, & frigora adsunt, propter materiæ copiam, & virium infirmitatem. Quæ cum ita sint habemus corpus mala copia refertum, habemus eius copiæ vitiosæ causam ipsam menstruorum suppressionem, & malam victus rationem, habemus vomicam apertam, & tumorem durum ei vicinum in matrice, & quæ sequuntur nimirum febris, & dolor, atque virium infirmitatem. Viribus non solum curando morbo, sed alimenti genere, & dolore leuando consuletur. Dolori per corporis curationem, & per Anodi-

Anodina, tũ dorso, & ubicunque dolor exterius respondet, sed etiam interius per chysmata, & os. Curatio autem corporis cum totius purgatione per os acceptis, & etiam per aluum iniectis medicamentis atque cum recuset ipsa medicamenta per os in clysteribus validiora erunt incoquenda vsque ad portionem aliquam colocynthidis ab ijs, quæ incoqui solent calidiora propter flatus, ego propter humoris calidioris, & inflammationis metum abstinerem, anodyna potius cum soluentibus aluum permiscerem. Vomitum certe cierem, & præsertim a cibo, quoniam facilior est, ventriculo tam arcte se constringere non coacte, quo noxiam materiam reijciat, cibo vero eiecto alium reperterem, ne vires alimento destituerentur. Menstruas postea purgationes non valentioribus iuuarem, sed ijs quæ leniter B sanguinem illum obduratum, seu melancholicum dissoluerent, discuterentque; itaque salsam pariliam ex iure Galli seniori valde laudarem admixtis ijs, quæ nõ admodum calfacerent, potius extenuarent, vt betonica, cap. veneris, pimpinella, cetrach, lupulis, & ijs similia. Emplastra quoque exterius mediocriter calfacientia concederem dolori leuando, & tumori dissoluendo. De metrenchite non loquar multa quoniam recusat ipsa, si non recusauerit, ego per ipsum oleum amigdalar. dulcium cum ijs, quæ ei similia sunt inijcerem, & sic progrederer. Vlcus vero apertum seruarem, quoniam & apertum tumori interno vtile est, & conclusum plus incommodi posset afferre. De quibus rebus, quoniam diu C protrahetur malum, ego in dies consilium pro re nata, & tempore inirem. De vino concesso non multum laboro, quoniam vires infirmæ sunt, malumque diu traxit, ventriculum, vero omne maxime affecit, sobrie tamen id accipiat magis quam cibum, quoniam non concoctum vinum multa incommoda cruditatis affert, & plura, quam cibus crudus relictus, illud enim per venas suo liquore tractum ipsis visceribus noxium fit; cibus vero facile suo onere per intestina deuoluitur. Dixi.

Hæc post duos menses interijt, de qua fit tamquã de ileosa mentio in quadam insequentium consultatione.

De Peripneumonia, & febre maligna pro D *Sacrista Cathedralis.*

CONSVLTATIO CCCCXCVII.

Hic ego quoque breui decernam, quo modo me gererem in hoc morbo, tria sunt nobis videnda plenitudo vitiosi humoris, putredo, q̃ febrem facit et pulmonis malum. Plenitudo iudicatur propter corporis genus, & viuendi modum, nam humidum potius, quam calidum corpus suis notis indicatur, modus etiam viuendi intemperans, & frigus occurrens, ex quo admodum male habuit, potuere corpus replere vrinæ crassæ, color faciei rubeus quo & copiam, & eam non abesse a sanguinis natura indi- E catur, alui motio in sexta cruditatum plurimarum illis quoque plenum corpus denotant. Huic proposita sunt remedia, nam consistente iam aluo, motus est, ne plus materiæ ad pulmones impellatur, attrahaturve propter impetum iam captum & calore inflammationis pulmonum, & laborem eorundem, atque imbecillitatem, ita cucurbitulis ne incisa cute, an medicamentis materia auertenda sit decernebatur. Ego Domini in præcipiti malo, & metu citius remedium deligerem, & in virium infirmitate illud quod certius, & ad libitum nostrum agit, sicuti cucurbitulæ, medicamentum magis perturbabit, & nescimus quantum acturum sit. Cui loco illæ A applicandæ? si essemus in morbi initio laudarem auersionem ad remotiora, sed cum iã fluxio fere constiterit, & plus decursum, quam decursurum sit, ego non solum fæmoribus, sed & dorso illas affigerem, quo etiam appropinquo, materiam appropinquantem loco affecto retraherem, quæ certe materia, quamuis etiam inflammationes declinent, tamen semper aliqua fluit quamquam plus tũc discutiatur, aut consistat quam influat, quã discutiatur, aut consistat vt Galenus considerabat.

Verum quoniam pars sua quoque aluo attribuenda est, clystere inijci vellem, antequam cucurbitulæ affigerentur, subinde verò non desisterem, quin vel quotidie, vel alternis diebus darem aliquod leuissimum medicamentum, quo materia paulatim deduceretur, vt syrupum ros. solutiuum cum elect. lenitiuo, exiguo modo, vel aliquid mannæ cum melle rosac. solut. Putredini etiam occurrerem, quoniam ea vitiosa est, vt ex maculis visum est, & aluo perfluente, & virium imbecillitate atq; crassis vrinis, in quibus tamen cernitur aliquod indicium vigentis caloris, quasi enim crassitudinem separant. Vnde febris maligna fit, quæ quidem ad pulmonis erysipelata solet accedere; ei ergo syrupo de Nenophare de acetosa, violis cum decoctione scabiosæ scordei, pentaphyl. s. citri, & quę his similia sint, pulueres ex ijsdem cum margaritis, bolos ex saccharo violaceo, nenupharino, pulueribus ijsdem cum camphoræ momento. Pulmonibus demum maxime post sputi coctionem expurgãdis operam nauarem, ficubus adiectis in syrupo, melissa liquiritia scabiosa, & syrup. de capil. Veneris hordeoque. Sed tandem, si materia lauta nimis videatur ego idoneum putarem etiam oximel, vel squilliticum.

Verum quod ego maxime proficere iudicarem esset theriaca cum syrupo data paulatim, vt ad ℈. 1. quoque mane. Ea enim, & pulmonibus expurgandis, & cordi a putredine defendendo, & putredini sedandæ faceret. In victus ratione quando requirimus sputum ego augerem tibi vires Hippo. sequutus, & oui luteum libentissime cõcederem, quoniam minime excrementosum est, & pectori amicum, & asperitatem acrimoniamque humorum lenit. Potio tamen vinum non esset, etsi enim Hippocr. id concedat sputo iuuando, nobis non est vsu in nostris regionibus, mele compertum, minus in inflammatione adhuc tarda esset concedendum.

Huic Medici eadem die Theriacam ad ℈. 2. dedere ex qua agitatio maxima angustia spiritus, & tandem mors sequuta est.

De dolore imi dorsi per lunga interualla reuertentis ad Excellentissimum Doctorem Samperolium, Vrb. D. Physicum pro Illustri Iulio Cæsare Mauriano S. Angeli Comite.

CONSVLTATIO CCCCXCVIII.

De Com. Iulio Cæs. non possumus quidem censere materiam etiam in loco dolente, nisi cum dolet, vt pariter intemperiem materiæ senilem, & ab ea sustentatum. Verum quamquam Galenus dicat infirmitatem sine intemperie, & morbo esse sæpe, quoniam pars sua conditione alijs minus firma sit, tamen is locus infirmus adeo sine intemperie esse nõ posset, quæ fere perpetua sit, etsi dolorem non pariat, nisi dum materia in ipsum locum peruenerit. Modo propter hanc intemperiem ipsius infirmitatis causam, alterius quoq; loci vitium est, a quo ea materia

teria gignitur, vel certe prohibetur, ne genita sibi conuenientibus vijs eijciatur ex quo congesta infestet. Locus verò is quis nam sit plurimam habet semper suæ inuentionis difficultatem. Maxime hic vbi materia vnius generis non videtur, neque vnam originem, neque ab eodem loco habere. Etenim vrina colorata est, spumosa nihilominus est, spuma sua materia pituitam, & frigus, sua forma spiritum, agitatione caloris concitatum significat. Vrinæ color ipse quoque calorem indicat, nam vel bilem, vel percoctam, exustamve pituitam indicat, diuersæ ergo intemperies subesunt, & necessario in partibus diuersis. Spumam dici solet cursum pituitæ a capite notare, hoc nisi pituita etiam in ventriculo fieret, necessarium duceretur, nam spuma, sua forma, vt dixi, agitationem in transitu per angustiores vias quales renum sunt acceptam præ se fert, sua autem materia, quæ pituita est, locum generationis suæ vitiatum, qui aut caput, aut ventriculus est, sua ergo forma circum Renes calorem maiorem, sua materia verò frigus in ventriculo, non necessario etiam in capite, nam ventriculus quidem necessariam pituitæ gignendæ operam præbet, non ita caput, in quo capite non modo frigoris proprij uitio ea abundat, sed quandoque etiam caloris pituitæ nimium attrahantis. Nam nisi siccior calore fuerit tantum abest, vt calor capitis pituitam minuat, quòd etiam maxime si humidior sit illam valde congerit attrahendo, & non consumendo.

Vnde capitis vis cum grauius pôdus senserit, eam materiam cogitur infra demittere. Facilima autem est capitis repletio huius generis materiei, quoniam ipsum ea nutritur, & propterea etiam eam attrahit, cui facilitati ad nutritionem facit naturę consilium, quo sanguis spirituosus vna cum crasso, & pituitoso in idem vas coniungitur, vt eius calore, & spiritu pituitosus posset quasi quodam solis calore in vaporem dissolutus per omne cerebrum alendum emanare corpus densissimum, neque nisi vaporoso ad modum, & tenui corpori peruium. Aucto ergo eodem calore sibi ad alendum, alimentumque deferendum necessario pituitę, & crassi humoris plus extenuatur plusquam attrahitur ossium capitis structura instar cucurbitulæ medicæ calorem, & attractione iuuante vbi videre est, cur multi ex grauiori Thorace induto calfacti refrigescentes, postea in corizā incidunt illud ergo cum semel, aut iterum, quidam Medicus vidisset ei rei, quam se se inuenisse, aut obseruasse primus post Hippocratem sibi visus est, addictus, omnium morborum origines fere in caput referebat, & quoniam multas opes summa quadam arte congessit tamquam alios doctrina æque ac molitione opum antecelleret, plerique Medici eum auctorem sequuti sunt, & magis etiam inepte ac temere, quam ille faceret, ipsi quemque morbum in caput asserunt referendum, discerni tamen hęc prudenter debent, ne cum caput in culpa sæpe non sit, & curandis alijs partibus ipsum vna conualescere experiamur, in ipsum semper feramur medicamentis exagitandum, quibus cum non egeat, necessario ab eis vitium accipiet, & detrimentum. Ego in re proposita hoc discernere in Com. Iulio Cæs. vobis præsentibus relinquo, qui quamquam notam cominus vestris oculis cernere, & internoscere potestis, num scilicet caput suo calore, aut frigore partem huius mali faciat quam certe facere mihi vere sit verisimile.

Materiæ quidem ex omnibus corporis locis exhauriendæ vacandum, atq; id repetitis medicamentis per aluum purgantibus, & etiā per alias vias euocantibus faciendum, tandem partium vitijs amouendis opera danda. Curatio præteritis mensibus, & maxime ipso vere habita, mihi idonea esse etiam vi- A deretur, si ipse nō impediret modo viuendi illius beneficium, si diligenter eam moliretur, nimirum corpore per aluum, aut etiam per vomitū purgato, dein de salsa parilia cum china, & exiguo guaiaco in potionibus ad sudores data, adiectis pimpinella, & betonica a quibus os sacrum, & circumpositę partes, & purgarentur, & corroborarentur, caput vna cum toto ambitu corporis, & genere venoso exsiccaretur, quæ nisi satis profecisse videantur, in ijsdem potionibus ad alias res aliquid adderem hermedactilorū, vt quoque potio ℥. 1. s. eorū haberet, sic enim si quid vitij materia reliquerit euelletur, sudoribus vero etiam valentius promouendis cum quaque potione ℈. s. Mithridari darem.

B Quibus perfectis etiam mersiones vsque ad lumbos in aqua thermali ferrea, aut eius generis viderentur aptissimæ. Interea victus ratione tenui, & extenuante penitus constituta, & vinis potentioribus circumcisis potiusque medicatis adhibitis ex betonica, & pimpinella. Quæ in homine aulico perfecto difficillima, & sæpe etiam periculosa sunt, quoniam dum corpus medicamentis tractatur, facilius a nocentibus rebus affligitur.

De Comit. Fabi. Landriano, fere eadem dicta sint mollius tamen malum mollioribus tractandum remedijs, & quod in superiori preterij, quando a loco materia tantummodo ducenda est, neque periclitamur ne ad locum retrahatur, tunc valentiora clysteria attribui possunt, & ea quidem potius detrahētia C quam calefaciētia quemadmodum si in ipsis aliquid ipsius colocynthidos incoqueretur vna cum alijs, quæ consueuere, quoniam mihi sit verisimile locum affectum suo calore nimis attrahentem potius refrigeratione egere. Dolore modo exagitante, neque purgato corpore anodina solum præbenda, a quibus vnis sæpe sine detrimenti periculo dolor leuatur.

De tertio ægro modo Domino Serenissimo, quæ agenda sunt semper suspensa manu agenda suspensoque pede ingrediendum, quoniam difficillimus fructus cum certissimis incommodis proponitur hemorrhoidum, motio si non temperata sit, quæ tædia affert? quosve metus? sin expectata illa fluxio penitus supprimatur quæ pericula? Ea tamen pars foD ueri relaxantibus sæpe potest. Interea si melancholicus humor e corpore toto detrahendus, quòd difficilior sit, non videatur certe materia ad eū humorem gignendum idonea e ventriculo identidem deturbanda, sic enim spatio ipse quoque humor minuetur, deinde ventriculus confirmandus, vnde etiam caput sit bene habitum. In medicamentis ergo mihi probarentur, verū non exagitanr, neque ventriculum, neque humorem. Conticerem vero mel rosaceum solutiuum ex iure polypodij satis valente additis ventriculo aptis aromatibus.

Cum hoc interdum vnum, interdum aliud medicamentum coniungerem, & electuarium indum ternarum dragmarum pondo, quod gustui, & ventriculo minime infestum est, aut ipE sum electua. elescħof. quæ si leniter dentur, & crebro repeti, vt necesse est in eo, qui curationem duriorem non fert, & inde etiam maximum beneficium sperari potest, spatio vsus multum profuturo.

De dolore maxillarum superioris, & inferioris lateris dextri pro Illustri Matrona.

CONSVLTATIO CCCCXCIX.

QVinque fere sunt quibus curatio attribui debet in hac Illustri Matrona, locus dolens qui spatio quinque annorum iam vitium ex humore impetente potuit contraxisse, præsertim quod quiescente etiam dolore, grauis esse iam incipit. Alterum est caput quod coniectura arctioris, & diuturnioris somni calidum quidem sua natura alijs notis præsertim nigrore capillorum indicatum humidius esse, & accessione pituitæ frigidius factum conuincitur, calidius quidem, & humidius facillime de sententia Galeni repletur quoties corpus vniuersum repletum esse contigerit, quod huic ab initio contigisse potest antequam refrigeraretur.

Tertium itaque erit ipsum corpus vniuersum, quod occasionem ex sui repletione huius doloris semper dederit. Quartus est ventriculus qui frigidior, & humidior depræhenditur. Quinta est affectio venarum, quæ ad lienem pertinet, quæ obstructæ omnino iudicantur ex nimijs flatibus eius loci, & cibi etiam nimia appetitione, & tandem ex mærore supra rerum vsum eam occupante. Prouisio horum omnium ad genus materiæ, ad genus intemperiei, & ad naturam partium est dirigenda, ac si vis etiam ad motum quo materia decurrit ijs tempore anni coniuncto.

Materiam esse permixtam certus sum, etsi vrinam non viderim, nam profundus dolor in periostijsque qualis hic esse iudicatur solet a crassis humoribus commoueri, hic tamen non admodum, crassus esse potest, quoniam doloris molesta exagitatio admodum diuturna non est, & nunquam ad quintum diem profertur, quamuis graue nescio quid maneat postea, ex quo mihi fit verisimile hanc materiam esse pituitosam quidem, quoniam a capite, & defertur, & per membranas percurrit, esse tamen serosam, & concalfactam, vnde citius dissoluatur, cuius rei signum est vehementia doloris, & mucus ille, qui instante eo dolore per nares emungitur fere luteus, concalfacta ergo ea est pituita, & etiam cum aliqua portione bilis coniuncta, cum quo conspirant iecoris caliditas illa hypocondriorum affectio ventriculique frigus ad vnumque materiæ genus congerendum, ad quam etiam pituitam in caput allicitam sequitur illa somni arctioris, & diuturnioris vis tempore præsertim doloris aduenturi. Quod verò caput humidius, & calidius sit etiam sua natura non videtur dubium, quòd iam naturæ etiam fines protulerit, vel potius transierit in genere humido, & quod intercedente pituita nimia etiam frigus alterum sentiat nimirum inæquali intemperie detentum notis ipsis nimium auctis intelligitur, sic de ventriculo plurimum humorem in os efferente, & nimium appetente obstructionibusque causam elargito, sic de iecore calidiori quærelis multis ipsius certa coniectura est, cuique ipsa calorem omnibus euentibus agnoscat, & vsu maxime rerum calidiorum.

His partibus sic affectis, cum ipsa intermiserit filios parere nondum 30. anno præterito facile fuit corpus repleri dictis humoribus & inde caput quod valde obnoxium repletioni præsertim cum calidius non totum humidius esset, quamquam vero calor consumere possit potius, & concoquere, quam relinquere humorum abundantiam, nihilominus, cum humidus est non tam discutere, quam attrahendo replere potest.

Cuius attractionis causę valentissimę in capite sunt vt alias in consultationibus sępe dixi, quoniam ad formam cucurbitulæ ex osse constructum incalescens multum potest attrahere, materia etiam crassa in communi vase cum sanguine spirituoso versata facile eliquari fundi, & in vaporem fusa attolli, & permeare omne cerebrum potest, & quod natura fecit tamquam nutritioni cerebri necessarium, quo pituita vnde cerebrum alitur in locum eius alendi perferatur, id ad vitium etiam fit procliue, crassa modo materiæ pars per nares deuoluitur tenuis autem a calore in halitum fusa, & halitui biliosо, & permixta ad membranas peruenit, ibique solidiori corpore retardata subsistit, & fit crassior aliquanto saltem seri speciem accipit, intereaque, dum a calore discutitur in flatum etiam dissipata cruciat, caloris non expers, tum a bile permixta, tum ab eo, quo illuc perducta per extenuationem est.

Tam æstate quam hyeme malum id commouetur, imo potissimum in maximis, vel caloribus, vel rigoribus, quoniam caput, maxime ijs per occasiones solet onerari, frigore discussionem humor perhibente, & e capite deprimente in partes inferiores, quo tempore etiam sæpe ignis occasio dum vitandi frigoris causa focum petit capiti facit quod sol, & eius etiam, at defenditur obiecto aliquo, illud obiectum non prohibet tamen, quin caput calefiat, neque enim ad lineam impetus caloris venit, sed circumquaque offunditur.

Sic vero repletum caput frigore comprimitur, & humor delabitur, neque facile potest discuti. Cur ille humor magis in vnam partem quam in alteram feratur.

Occasiones incertæ, & minime animaduersæ esse potuere, vnde prior dolor ad certum dentem constitit, eructus est dens, pars infirmata, & decursu materiæ identidem locum tentante, locus quoque similitudine materiei infectus, & longe magis debilitatus est, cæpitque materiæ reliquias crassiores retinere, cæpit latius circumquaque repleri infra sub barbam, & supra ad aurem prorigere, musculum temporis etiam fere infestare, quod ante non faciebat nihil enim motione sua sibi dolorem incitabat, vt facere incipit.

At ventriculo melius se habente cur dolor non est vna cum causa leuior factus? quoniam originem quidem habuit priorem a ventriculo, sed non omnem, alias partes habet malum ad sui ortum conspirantes, non solum ventriculum, qui tamen non penitus corroboratus est.

Caput ipsum nunc peius habens quam antea, quod a frigore pituitæ afficitur, quantum a viribus ventriculi materiæ malo detrahitur, tantundem, & amplius caput ei restituit, maxime, quòd ex aqua Thermali patauina non minus noxæ caput, & iecur accepit per calorem hoc illud per repletionem, quam commodi ventriculus per frigoris remissionem.

Sunt ergo hæc nobis proposita, vt pars affecta exoneretur dolore, & materia infarcta, & intemperie per eam illata.

Quæ res duo habet tempora vnum sub dolore, qui tollendus est, alterum medijs temporibus, quibus præcauendum, ne veniat partibus ijs curationis faciendis nimirum, quoniam præter partem affe-

affectam morbo sunt aliæ in eum conspirantes. Caput, quod exhauriendum, & temperandum iecur pariter vna cum toto corpore, & ventriculus, & hypochondria. A postremis, & per rationem postremo inuentis curatio exordienda est, viæ dictæ communes circum ventriculum humoribus alienis natura, & copia liberandæ sunt, expediendæque deinde naturæ parandæ, & prius etiam quam paratę sint, sanguis minuendus, quo corpus minus plenum medicamentis facilius tutiusque tractetur, & humores alienos, noxiosque valentius paret, post medicamentis purgantibus humor euocandus. Tum totus ambitus venarum, & caput, & periostia per sudores multa vi suis humoribus occupantibus liberanda, vt salsa parilia chinaue, cum betonica, qua maxime capiti, & ventriculo fuerit consultum pimpinellam, vel alia eiusmodi herbam adijcerem, quibus caput exsiccaretur.

Interea per errhina, & sternutatoria caput expurgarem. Masticatoria non adhiberem sub doloris expectatione, sed quidem eo abeunte, vel penitus tutam quietem habente, quibus reliquiæ materiei discuterentur, & pars corroboraretur, vnde pyrechni, & alia eiusmodi adhiberem. Capiti lotiones ex betonica, & folijs salicum, ex verbenaca ex cannarum radicibus, ex salsa parilia, & similibus, quæ sine calore exsiccarent.

Quibus non satis proficientibus aquas thermales exsiccantes non calfacientes præciperem in potiones, & etiam per infusiones, seu in caput demissiones. Quales essent chalderianæ, aut lucenses de villa, quibus etiam non satis fructus præstantibus, ego inurerem alterum humerum, & vlcus seruarem quod tamen necessarium futurum nō existimarem tempore doloris diuersiones in brachium, & manum eiusdem lateris erunt idoneæ. Locum etiam tempore doloris fouerem anodinis, iuuarem auertentibus per cucurbitulas per vesicatoria per euphorbium contrario tempori illinitum ex aceto, quod maxime dolores leuat per ea quę in ore detinentur.

Quę anodyna essent in dolore. Eo vero quiescente valde adstringerent, ut ex uino, rosis, mastiche, nucibus cupressi alumine cornu cerui, comphora, & similibus, a quibus dicit se totis duobus annis ualde iuuatam. A quibus num sit conualitura, ego non dubitarem, quoniam nondum in tanto dolorum spatio quidquam egit alicuius momenti, uix singulam pilulam arabicam accepit, iam cum parati erunt humores, cochias ad ℈. 2. Aureas ad ʒ. s. comixtas debet accipere, & repetere, quibus etiam nocischos Alandal iniungerem ad gran. 3. Apparantes humorum syrupos a uobis propositos, ex succo betonicæ, ex capil. Veneris, ex cicorea, & similes cum aquis betonicæ, & cicoreæ, & cap. Veneris. Dixi.

De vertigine cum totius corporis debilitate, & Melancholica affectione pro Illustri Thoma Sirleto Cardinalis Nepote.

CONSVLTATIO D.

Temperiem ventriculi, & venarum ad eum pertinentium sicciorem factam credo quantum ex his quæ mihi scripta sunt potui intelligere, ita tamen, vt præsentis potius humoris, quam corporis ventriculi sit, humorem enim melancholicum eas partes occupare certa nota est, vnde quoniam pituitæ etiam nimiæ gignendę suo frigore occasio est duplex vitium ventriculi fiat, adeo vt obstipatione crassitudinem humorum sequuta facile etiam febris fiat.

Duplici ergo eo genere humoris infesto sit ne tutus, sit aut humidiorum, aut sicciorum vsus ab vtriusque vice remedijs poterit parum iuuari nisi modo certo adhibeantur. Caput etiam a ventre male habere cognoscitur, & inde totum neruorum genus, quod cum aut frigore, aut cutis constipatione tentatur, facile detentis in eo halitibus, & sinus cerebri petentibus vertiginem sentiat, maxime, si aut crudior ventriculus fuerit, aut mens nimis agitata, aut etiam incidente calore caput aliquo pacto plenius factum. Hic ergo in ventriculo, & capite pituitæ necessaria generatio, cuius abundantia esset in dies demenda, siccioribus tamen minime fidendum, quare summa moderatione agendum, humor etiam melancholicus paulatim demendus.

In ciborum ergo vsu diligenter vidēdum nedum debilitati succurrere alimento velimus eam etiam augeamus, cum materia pituitosa, & cruda, & multo cito fiat, vnde abstinentia potius certius remedium haberet nisi melancholicus humor ab ea peior futurus impediret, in ratione igitur victus summopere temperandum, ne sæpius die quam bis cibus sumatur, præsertim cum ille ex gallinis potius crassæ quam tenuis materiæ sit, si corpori otio vtenti detur, & spatium nouem horarum exposcat ad sui confectionem, alioquin cibo ex pullis gallinaceis probatissimo maxime si iuniores fuerint at quod de eo dixi, de pane etiam dictum velim, qui sane crassioris generis est, vel si ex iure coctus sumatur, nisi admodum liquidus, tritus, & percoctus fuerit.

De quibus præsertim dico, quoniam in vsu magis sunt, quæ enim rarius in mensam veniunt, raritate sua minus læsura, minus etiam anxios vos habent. Certe vitulina caro grauior est, quam huic ægritudini conueniat. Auicularum melior, si boni generis, & minime palustris sint, piscium delectus paruorum potius esse debet, & boni generis, & ex marinis saxatilium. Potio non tantum genere suo, quam consuetudine æstimanda est, ideo aqua cui assueuit minus improbanda, quam natura horum humorum ferat, qui humores certe melius corrigi aliquo vini genere possent, qua in re præsenti, & diligenti admodum obseruatione opus est, profecto aquæ tutior vsus foret, si ei aliquid in coctum esset, quod non si humiditatem frigus certe eius minueret, modo id stomacho aptum reperiatur, vt passulæ, vt radix dulcis, quæ vtrique humorum generi maxime idonea videretur, neque caput peteret.

Exercitatio corporis aliqua omnino esset necessaria in rheda saltem, quæ nisi fiat, frictiones corporis in eius locum habendæ. Medicamentorum genus non id, quod vi multa humores conuelleret, sed quod leniter eos in dies euocaret admittendum est, quodque humiditate ea esset, quæ non noceret, omnino tamen vsu probatum esset.

Cappares comperti sunt vtiles, ij maxime in vsu habendi quando pituitæ e ventriculo expediendæ deuoluendæque, & humori etiam melancholico extenuando faciunt, idem faceret oximel cum melle rosaceo maxime, quem humorem leniorem etiam, & mitiorem redderet si cum syrupis de pomis, & de corticibus citra, & de fumoterra componantur.

Exempli

Exempli gratia si recipiantur oximellis, mellis rosacei sacharini dicti vtriusque pondo vnciæ duæ syrupi de pomis de corticibus citri vtriusque pondo vncia vna syrupi de fumoterra, s. pondo vnciæ tres, ex quibus commixtis sumatur modus vnciæ quotidie tribus horis ante cibum. Quo verò certis spatijs humor permotus detraheretur aliquod benignum, & lene medicamentum identidem repetendum, & in dies vsu comprobandum, & id quod accommodatius repertum fuerit assidue vtendum. Confici possunt syrupi ex polypodio epithymo, & folijs senæ quandoque per se cum suis correctiuis dictis, quandoque cum melle rosaceo solutiuo. Confici possunt ex iure galli antiqui, possunt ex sero caprino, inter hæc vsus resinæ terebinthinæ non erit alienus, & quandoque etiam radix mechiacham ad pondus dragmarum duarum nisi recens admodum sit, tunc enim dragma vna satis fuerit, eaque ex vino per quæ cum corpus satis depletum fuerit malis humoribus, tunc potiones ex salsa parilia bis quotidie acceptæ, vsque ad 30. dies, nisi per superiora satis conualuerit, viderentur opportunæ capiti corrigendo, maxime, si cum salsa medicamentum aliquod capiti idoneum coctum fuerit, vt sthæchas, vt betonica, vertigine etiam vigente semina, & radices peoniæ, viscum quercinum probarem, quoties a bile istud malum oriri crederem.

Postea, nisi hæc satis profecisse comperiantur, aquas thermales adiungendas esse existimarem quales ad Viterbium habentur, aut etiam ad senas, & tandem cauteria cruri, & brachio quoque affigerem, quibus materia in dies genita posset a natura expelli. Hæc sunt, quæ mihi visa sunt posse esse præsidio isti valetudini, vt eam ex scriptis potui cognoscere.

De oculo minori facto cum imbecillitate visus pro Illustri Oritilla Veritatia Iusta.

CONSVLTATIO DI.

MInor oculus videtur palpebra tamen laxior, & tumentior est, lachrimæ vero etiam non exiguæ, cum in altero oculo nempe sinistro nullæ sint, & tandem visus imbecillus est, non quòd per quasi caliginem obscuretur acies, sed se ipsa videatur exigua facta, cum pupilla, quæ minor cernatur, & hoc iam 19. fere menses cum antea, vel crebris inflammationibus tentatus nunquam tamen, aut minus cerneret, aut minor oculus cerneretur. Ego non possum paruitatem oculi in siccitatem per inflammationem impressam referre, quoniam partes oculum continentes non essent, tam abunde nutritæ. Siccitas namque solidiorum vult prius siccitatem humorum alibilium, quibus deficientibus, non solum oculus, sed circumsistentes ei quoque partes squallidæ occurrerent. Quomodo ergo minor videatur? quoniam musculus appendens ipsum breuior factus est, quoniam coniunctiua dicta membrana plenior, & arctior facta eum intus cogit, quaplenior facta humoribus etiam vuea, seu vualis, seu ῥαγὸιε oris suis circum foramen madore adstrictis foramen minus sortitur, fibræ enim orbem facientes foraminis repletæ breuiores euadunt, vt exsiccatæ etiam quãdoque, at tunc rugis deprehenditur squallor, vt tensione, quam videmus humor intelligitur.

Atque si non extremæ ad foramen ore, sed interioris vueæ partes repletæ essent, cum posterius retractæ foramen latius facerent, sicuti non retractæ fibrarum repletarum vi, sed carnium vdo humore laxiore facta membrana etiam foramen angustius esse potuit, verum tunc considere vueam, & conniuere, non autem tendi perspicitur, mitto hic quid Galenus dicat libro de locis affectis. Humoris ergo vis speciem hanc oculo peperit, ex quo humore fiunt lachrymæ, quæ ad squallentem oculum non sequerentur, ex quo etiam visus hebetatio, non quod humor in albugineo humore concreuerit caligine nulla perspecta, sed spiritus ab humidioribus partibus hebetatio.

Vnde pupillæ angustia, quę alioquin aciem acriorem deberet efficere, propter humorem præter naturam, vnde est ipsa angustia aciem quoque hebetiorem habet. Quoniam verò ad coniunctiuam humor ille pertinet propterea tempus eius lateris totum, & caput tractatum quasi stupidum sentitur, grauéque est. Genus humoris medium mihi videtur, atque e pituitoso in atrum vergere, nimirum crassiori pituitæ genere constans, quare non dolet semper, quandoque quidem etiam sine inflammatione, aut rubore, cum rubore verò dolet semper, quoniam rubor materiam calidiorem habet, vbi verò dolet sine rubore, id vel inculcatione nimia humoris tendentis, vel etiam in halitum se se dissoluentis efficitur. Ac veluti de squallore oculi dicebam, idem versa vice de plenitudine est putandum, videlicet, quòd plenitudo modo in solis venis est modo in meatus etiam inuisibiles carnium intrudit, & demum etiam ad meatus partium soli dictum, sic modo sine dolore est, modo cum eo molesta est. Atque hæc de oculi malo. E capite proxima origo est quod calidum, & humidum conspicitur, maxime si genus somni attendatur.

Caput tamen a corpore toto accipit præsertim vero iecore calidiori sursum halitus multos efferente genere maxime viuendi crassiori habito. Vnde dexter oculus facilius affectus fit. Dicere modo, quod firmiores oculi minus vident, quoniam sentire est affici, idque authoritate Aristotelis est errare, & Aristotelis auctoritate abuti, nam illud affici perfici est, & quod non potest perfici, potest imbecillius esse, sed in rem magis nostram erit consideratio, quòd Illustris Matrona grauida est iam secundo mense.

Quocirca cum corporis totius depletio, & expurgatio necessaria sit, antequam caput, aut oculus tractetur, videndum, qua diligentia id perfici queat. Leuioribus certe agendum est, nam etsi alias grauiditatis nullo tempore vnquam abortij, fidendum tamen non est, & in dubio potius esset abstinẽdum, dubia autem sunt, quæ raro fiunt secundum propositum, & vt plurimum inutiliter eueniunt, dicit Hippocrates quinto aphorismorum 31. quòd φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, secata vena abortij, & facilius, seu magis quo ferus maior fuerit, sententiæ naturales, & medicæ sunt rerum, quæ tales vt in pluribus sunt, rarenter ergo eueniet, quin abortiant mulieres ex venæ incisione. Nam quamuis inter initia conceptionis abortus non fiat propter sanguinis defectum partu opus habente exiguo sanguine, tamen fit propter commotionem in corpore toto, & vtero factam. Eapropter ea iam bimestrem fætum gerente non est audacter admodum hoc agandum, videmus namque quod vel timore leui inter initia fætus commouentur ejciunturque. Ergo si vobis visum fuerit secare venam cauendumne multus, aut ne vniuersim is sanguis etiam moderatus emittatur, sed paulatim ille qui detrahendus videbitur.

Quod de purgatione quoque dictum velim ex Gal. in aphorismum. 55. quinti libri cuius profecto alia

alia ratio est, nam ea teneriori, & recentiori conceptu periculosa est, vt etiam eo prope ad maturationem perducto, aut graui ligamentis facto, medijs temporibus verò minus periculi habet vt a 4. vsque ad septimum, & si in septimo etiam periculum non ita parum verendum est, vt 4. lib. aphor. 1. qui medio tempore, tam purgari debet humoribus tantummodo turgentibus, & in septimo cautius agendum. Ea ergo fiducia quæ ex notitia naturæ huius Illustris Matronę est, moderanda fuerit eo metu, quem in genere mulierum grauidarum proponit ratio, & Hippocratis Auctoritas eis Medicis, qui per experimentum fiduciam illam accepere, qua quidem fiducia, nos solemus quibusdam mulieribus abortus per missionem sanguinis etiam quoque mense repetenda defendere. Ego quidem certe potius ijs vterer hic rebus quibus purgatio corporis non tam necessaria est, quale cauterium in humero, & occipitio esset. Vesicatoria nostratia vsque non apponerem, ne vis cautharidum partes ad vterum pertinentes irritaret humoresque illuc incitaret, alijs generibus potius vesicatoriorum vterer. Cucurbitulas non vererer, quarum vsum iam tutum expertus sum, quibus sanguis idetidem e scapulis euocaretur, atque etiam tandem ex occipitio, & post aurem eius lateris, quæ sine etiam ferro post eam aurem affixa sæpius multum commodi afferret. Audeatis vos medicamenta intra quartum mensem dare, ego non maiora tentarem, quæ sint pilulæ lucis dictæ, quæ valde lenes sunt, & crassos eiusmodi humores educunt. Verum oculo parum fidenter apponerem discutientia quousque corpus potuerit perfecte expurgari. Nam oculus habet materiam non transeuntem, sed hæretem iam quæ discuti possit, discutientia vero plus materiæ artraherent, quam discuterent, reprimentia autem corpore non puro, & hac materia crassa, non possent comprimendo materiam repellere in corpus, & quod crassa sit, & quod corpus minime eam reciperet repletum. A partu autem iusto interuallo corpus omnino purgandum erit non solum per aluum, sed per vrinam, & per sudores, vt in eminentibus partibus caput quoque beneficium percipiat, & oculus ab ijs, quæ intus assumuntur, quemadmodum per potiones ex salsa parilia cum betonica, & aliquo alio capiti vtili.

Ad oculum vero progredientes tunc non subito calefacientia, sed siccantia sine calore imponere debebitis, vt aquas ex verbena, ex fragaria, & ex euphragia cum ad calidiora fuerit accedendum, atque ex geranio primo, secundum enim nullius in medicina vsus Dioscoridi est, quamuis recentioribus ad fistulas, & vulnera sananda interna detur. Ego Anagallidis aquam vtilem expertus sum, cum ijs verò aquis collyria illa exsiccantia sine calefactione commiscerem, & tutiam, & etiam sarcocollam. Tandem cum oculus assueuisset ijs, ego calidiora tentarem ex aqua fæniculi, rutæ, chelidoniæ, ex succo earundem cum fellibus, & melle bono percoctis, ex aqua stillaritia mellis primo alba, deinde rubra, ex gumis cum saccharo, & succis permixtis, per quæ, & similia auxilia ego sperarem oculum conualiturum. Seruando tamen summa diligentia rationem victus rectam, in vsu vini maxime, quod leuissimum esse oportet abstinentia a largiori vespertino cibo, ab iracundia, a lachrymis, a fumo, igne, sole, flatu a cęlo matutino, & tandem omnibus seruatis, quę a Medico pruden ti erunt prę- cepta. Dixi.

De dolore sinistri Ilij pro Reuerendissimo Domino Camillo Peregrino Romam.

CONSVLTATIO DII.

VT potuimus elicere ex scriptura, in qua solæ quædam apparentes res sine vllo interni morbi iudicio descriptæ sunt, sic iudicium fecimus, & sententiam exponimus, quod commodius certe fuissemus facturi, si aliquid de re, vt a Medico perspecta, & deliberata est cognoscere potuissemus, quemadmodum quotidie inter Medicos fieri consueuit, cum posteriorum Medicorum iudicium requiritur.

Multa, & apto ordine signa in eum finem descripta sunt, vt intelligamus morbum a capite nasci, cum genu, colli, humeri, gingiuarum eiusdem lateris mala exponuntur. Verum vbi nam is ilij dolor intus sit, nobis ad iudicandum nulla alia nota est, prę terquam quæ in dolore est, in quo videmus, & remissionem corpore iacente, & incrementum eo stante, ambulante, & sedente, quasi meatuum tensione, & pondere suspenso dolor intendatur, remissione vero eorundem, & ponderis visu leniatur, sic in rene aliquid crassioris, & grauioris materiæ subesse suspicamur, in suspicionemque ea nota confirmamur, quod ventriculus fastidijs identidem reuertentibus, per eius doloris incrementa tentetur. A renibus enim facile ventriculus afficitur, vt ad renes dirigi Medicorum consilia debeant, itaque a corpore toto materia submota, renes postea sint tractandi, a materiaque propriæ molestiæ liberandi confirmandique, in quem vsum post sanguinis missionem bono tempore a brachio eiusdem lateris factam, corporis purgatio, post hanc seri caprini bene puri potio cum succo betonicæ nobis maxime probaretur incocto etiam aliquo valentiori ad materiam per aluum ducendam, qualis radix polypodij esset cum aliquibus, quæ stomacho amica videntur.

Nisi autem serum satis profecerit, aut chinam, aut salsam pariliam cum eadem betonica, cum portione agallochi præbendam putaremus. Sub hisque sudores opportunos futuros, si antea corpus bene per aluum expurgatum fuerit. Ac ni hæc satis huic valetudini fecerit, balnea fore necessaria iudicamus, quæ pro statu corporis, & temporis ac commoditate loci fuerint iudicio Medicorum delecta, nimirum, quæ ventriculo non officiant. Renes vero sine multa calefactione, aut siccitate expurgent. Tandem si caput deprahensum fuerit eam materiam demittere, ipsum quoque curandum, aut certe per cauterium exitus materiæ in humero dandus. De leuioribus remedijs exterius adhibendis. De victus ratione nihil proferendum putamus, quoniam eius ratio a spatio temporis pro statu corporis, & cęli ratione poterit immutari, neque est necesse vt Medicis peritis omnia præscribantur. Vomitum quidem, vt opportunissimam rem per occasiones in memoriā Medicis reuocamus, & vsum oximellis etiam squillitici; hæc tamen, & reliqua illis iudicare permittentes.

Post alias curationes sumpsit aquam chalderianam mense Octobris tempore pluuioso, tamen inde bene habuit.

De

De dolore maximo Ilij dextri cum febre.

CONSVLTATIO DIII.

A Potione acerbiori dolor fuit excitatus in Ilio dextro,& ille quidem maximus cum tumore interno,nullisque remedijs iuuabatur,ad quem dolorem septimo circiter die febris sequuta est. Vrina coloratior fere fuit, & sedimento sæpe arenoso. Consilium petitur. Ego facile credo in corpore non solum cacochymo, sed fere cachectico, vt antiqua crurum tumentia ostendit occasionem illius doloris a quauis causa ille fuerit diuersorum generum humores attractos fuisse, & speciem quandam mixti generis inflammarionis excitasse in cæco intestino, vt mihi situs doloris,& tumoris ostendit,non esse autem in alijs intestinis indicat ipsa fecum minime impedita descensio.

Vnde.n. febris a dolore iam diuturno nisi per inflammationem? & quando malum in intestinis est, cur non impediuntur feces alui nisi in eo intestino sit, per quod feces iter non faciunt ? At tumor satis magnus est,neque refert cæci intestini formam. Dico quod cæcum intestinum,quando flatu & quando decursu humorum tentatur potest figuram, & magnitudinem mutare in eam maxime quam videmus rotundiorem. Cuius inflammationis vicinitas etiam renem afficit calore,& per eam attrahentem,& conficientem parere arenulas cogit, præterea febrē excitat suis calidioribus halitibus, quorum copia etiam putridam eam possunt efficere,quamquam sępe vaporibus inflammationis tantum non valentibus febrem solum suapte vi ephemeram effecturis,& illud ob opportunitatem vitiosorum humorum in venis contentorum,ob partiumque continentium infirmitatem,qua humores facile destituuntur,& putrescere permittuntur, sic humores concepta putredine febrem; putridam efficiunt. Tres itaque hic mali cernuntur, inflammatio intestini, febris putridata, vt notæ propriæ indicant,& dolor acerbissimus, inferens vigilias, & multa alia tedia. Inflammatio postulat, vt humor ab ipsa retrahatur qui potest etiam eam augere,& qui iam in ea est,locumque ingressus est dissoluatur.Febris vero postulat,& sui refrigeriū, & humectationem,& suæ putredinis emendationē. Dolor tandem sui mitigationem. Hic ego in corpore,tam cacochymo,neque sanguinem mitterē, neq; etiam multa abstinentia vterer,sed mediocri victu, ne quanto magis nutrirem tanto magis lederem,ne ve minus nutriendo vires, quæ sub dolore facile languescunt demolirer.Vino tamen non vterer ne motionem defluēnti humori incitarem. Medicamentis purgantibus non fiderem ne ad locum vi attrahendo inflammationem augerem,& dolotem magis irritarem, quod dixi vobis etiam in consultatione superioribus diebus habita pro Illustri Bolderia Mercata ileo laborante, quamuis vos consilium spernentes cum non posset eggerere dragmas 10. diaphæniconis dederitis,& votum quidem vestrum cōsequuti, quo quærebatis aluum impeditam inflammationē,mouere,vires tamen adeò dissoluistis, inflammationemque auxistis,vt pulsum ilico amiserit, & aluo deijciente totis quatuor diebus tandem animam egerit.

Potius ego in hoc casu, vt in supradicto consulebam mollioribus vterer, anodinis, & lenientibus, quemadmodum clysteres essent ex furfurum aqua, ex oleis amigdalarum dulcium, rosaceo completo chamemelino,malua,violaria, herba vrceolari, seu parietaria, vix anethino oleo admixto, sapa, defruto, oleo sesamino, & similibus, vt pinguedo esset anatis, & id genus. Per os post leniens medicamentum, post oleum amigdal. dulcium, ego vix ascenderem ad resinam tarebinthinam, aut laricinam pondo vnciæ vnius quam vidi summopere vtilem per se, vel adiecto castoreo aliquando vterer tandem etiam gumatibus. Post quæ, cum iam inflammatio refrixerit, clysteribus actionibus vti auderem ex iure centaureę, agarici Mercurialis brassicarum, furfuris, & etiam colocynthidos immixtis, benedicta,& hiera diacolocynthidos mitigatis primum cum cassia pro clysteri,postremo etiam durioribus.

Exterius primum anodyna ex fomentis, & vesicis, & illitionibus lanaque succida,atque emplastris tandem emplastrum de baccis lauri darem, & obdurescente malo, etiam ceratum molliens affigerem.

De lesione actionum capitis omnium cum febre, vbi Medici erant Dionijs.

CONSVLTATIO DIIII.

IN tanta ambiguitate ob diuersas vestras cum narrationes, tum opiniones ego viri Doctissimi sic me gererem. Considerationis intentionem in ijs, quæ certiora sunt haberem occupatam, indeque intelligentiam morbi, & curationis consilium peterem. Diuturnæ febri successit liberior victus ratio, inde auris dolor, postea capitis dum medicamenta ad capitis dolorem sumit nihil iuuatur, sanguis incisa vena mittitur,protinus in conuulsionem, vt prior Medicus, & omnes astantes testificantur, incidit, qua omnes penitus musculi corporis,& fauci exagitarentur, sensusque occuparetur totisque tribus fere horis ea vexatio perduraret, quam sensuum, & facultatis motricis amissio sequuta est, totoque die durauit, ore sicco, præterquam in initio conuulsionis, quo spumæ aliquid os habuit. Ad se reuersus, & suos iam agnoscens, nomineque eos appellans, & cum illis loquens, quæ tamen sibi accidissent,mimine sciebat,& quę modo etiam cum illis esset iden tidem locutus, non recordabatur. Interea sine febre esse vobis est visus.

Quarta die, ita male habuit, vt periclitaretur, ne in idem symptoma laberetur, 6. die nimirum hæsterna cæpit iterum male habere, vt vos dicitis, qui vobis sit visus nudius tertius sine febre esse. Agitur septimas dies, & pessime habet, nocte hesterna assurgendo,clamando totum tempus contriuit,hodie amens videtur, somnoque vigili pressus, quærulus, altero oculo conniuente, altero aperto. Lis est inter vos, nam senex maximè authoritatis affirmat se obseruasse hanc quartanam febrem esse, hæcque symptomata illius accessiones sequi, quamquam dies hesterna sexta fuerit, & tamen male habuerit, neque quartarum circuitus dies esset, & accessio quartanæ nequaquam,tam crebros, tamque paruos pulsus habere consueuerit maxime in adolescente decimumprimum annorum robusti satis corporis, nec nisi iam tribus accessionibus de vestra sententia affecti, vix vnquam crebriores pulsus esse possunt, ac quasi formicantes sunt,tensissimi sunt,& inæquales maxime,vt mihi videantur referre inflammationem partis alicuius cum principis, tum membranosæ,sed ego, vt dixi,certiora accipiam eorumque ductum persequar.

Ex vrinis crassioribus, & copia symptomatũ narratorum, vt maxime ex totius corporis pondere, & vitæ ante actæ modo ego non possum non arbitrari in hoc corpore esse multam copiam vitiosorum humorum & præter bilem multum melancholiæ, multumque pituitæ esse. Mærores, lachrymę, vigiliæ identidem reuertentes, somni illi arcti eas insequẽtes, & diuturni vtrumque genus humorum demonstrant, à toto corpore eos impetum fecisse in caput certum est, à capite quoque ad principium neruorum depulsos fuisse certissimum, putrescere hos humores minime dubium. Quartanam modo febrẽ efficere non affirmare possum ex notis euidentibus, si quartanam simpliciter intelligamus, quoniam nõ video accessionum tempora certa distinctaque minus hesterna accessio quartana fuit, intermittentia verò etiam symptomata hæc faceret vt accessiones ipsę intermitterent, imo vidi ego deliria, & symptomata sæuiora in accessionibus quartanę, at non tam diu durabant minus vires tam labefactabãt, tam ve crebros aut tam paruos pulsus faciebant, vultis ne credam Domini tertium quartanæ circuitum adeò vires absumpsisse? Sed proximum est Domini, cum erimus certiores non esse quartanam, nam pulsus is mortem citam minatur, ni accessio citissime remittatur. Esto quartanæ aliquam naturam habent, hæc febris, eius erit generis quæ commixta est, & continua, & valde spuria, multa namque sunt genera febrium permixtarum, & quę melancholicum humorem habens, pessimi generis fuerit, & quartanæ etiam aliquam speciem habebit. Sed hæc de humoris putrescentis natura. De loco, ego nõ possum credere non esse intra venas putredinem multam, neque facile credo ipsum iam tribus diebus sine febre fuisse. Vereor etiam ne in corpus cerebri pituita se se insinuarit, ibique putrescendo stoliditatem hanc, & somnum quendam faciat. Non quòd non videã necessario cerebri membranas esse affectas, vt notæ doloris conuincunt, vt durities pulsuum cum crebritate confirmant. alioquin enim corpus cerebri tumore putredine affectum solet raros, & molles pulsus reddere vt ipse pulmo. Sed vna cum membranis etiam cerebri corpus male habere iudico saltem quòd recipiant ab ipso ichorem seu saniem, à qua perfusæ dolorem sentiant, & exsiccante tendãtur. Cerebri autem malum sensus hebetes, memoriam languidam, & cogitationem torpentem reddat & ad neruos quoque sanie & halitu emanante illa partes aliæ debilitentur resoluanturve, hoc aliæ conuellantur. Vidi ego extinctos cum conuulsione quosdam, qui lenissima cum febre insani erant, & cum raris pulsibus. Possem quidem pulsuum duritiem, & crebritatem in inflammationem aliquam ad membranas cordi proximas referre, sed cum videam caput primo affectũ, ex cuius malo hæc possint, omnia oriri, non facile in aliam partẽ ego causam refero & quamquam cerebrum crebros pulsus aut duros non facit, membranę tum cum eo affecto faciunt. Quibus sic constitutis ego video maximum mortis periculum, & citam illam pręsentio, cum vires languere mihi videantur, & vis morbi eximia, & verear nominare ea remedia, quæ mihi in hoc morbo opportunissima existimantur, vt hirudines hæmorrhoidibus apponendæ, vt cucurbitulæ dorso, vt hirudines naribus quo sanguis inde promoueretur, vt cucurbitulæ etiam occipitio dandæ & venæ, frõtis incisio, & medicamenta tandem idonea capiti expurgando, vanam namque horum propositionẽ ego esse existimo.

Tribus aut quatuor horis post extinctus est, caput ei apertum habuit, partem membranæ durioris matris dictæ posteriorem venis liuidioribus præditã, & crassiorem, quod forte quis decliuitati situs at- A ttribuisset, in mortuo namque sanguis in decliue penitus defertur, vt in pulmonibus etiam animaduertitur, qui semper ad dorsum liuidiores reperiuntur sanguinisque pleniores, sed dissecto sinu medio cerebri statim aqua, & purulenta materia erupit, cernebaturque quasi à posteriori sinu in medium defflueret, prono namque deuoluto tunc corpore caput erat in faciem constitutum. Medicus qui eum ab initio curarat affirmabat & caput posterius dolore consueuisse. Videram ego quendam cui sæpe ad verticem dolor quidam leuis aduenire solebat non curabat autem ille, quoniam non esset ipsi admodum molestus. Incidit in pleuritidem, à qua misso sanguine ab vtroque latere & cucurbitula etiam contra dolorem euasit, vix tamen 10. diebus sine febre fuit, & ea B reuersa soporosus est mortuus paucis diebus.

De Comitissa Veritatia Seregha tumore tenso Ilio sinistro detenta cum Lazisio, & Pona.

CONSVLTATIO D V.

TVmorem hũc à partu laborioso subito ortum, & remedijs præsertim cærato Aegypto Andromachi solutum, deinde paulatim reuersum doloreque carentem à materia humida & frigidiori C factum esse certum est, neque enim adeò paulatim postea redijt, quin dolorem faceret tanta sua tensione nisi humore suo, & rorida quadam natura partem affectam imbueret, minus fieri posset, quin materia alterius generis breui tempore illuc influxisset nisi tenuis, & tunc, si siccior esset, calida quoque foret, vnde & dolorem, & putredinem citam ibi coacta concitasset, maxime verò si sanguinei generis esset. Sed neque dolor neque febris est, quę ad putredinem necessario consequeretur? Hęc fere dubia non sunt. De loco affecto dubitatio maxima est, altas Vir Excellentissimus vestrum nimirum alter disputauit, & constituit eum tumorem nil aliud esse quam lienem tumentem, quamuis medio spatio in- D ter costas spurias, & os Ilij sit, & cũ recta stat Mulier Illustris, deorsum ipse ad imum ventrem decũbat. arbitratus lienem, cum grauis est, posse illuc descendere. Quod tamen verum non est, neque enim sedem propriam relinquere ei permittunt venæ, & ligamenta, quibus sub septo & costis mendosis alligatur. Qui tamen Vir doctissimus cum videat mulierem bono habitu esse tam diutius malo hoc manente, & bono etiam colore, iam mutauisse sententiam se dicit. Alter vero vterum voluit, & vult etiãnum ipsum esse, tumore tanto affectum, quoniam descendat ad imum ventrem cum stat, ad medium autem alterum Ilium tantummodo cum decumbit, & post maximos ipsius partus labores subito excitatus est. Vtero & propter labores, & propter recre- E mentorum affluentiam valde opportuno tumori contrahendo nulla alia parte ad id tam idonea, quæ res etiam confirmabatur eo argento quod vterus flatum emitteret, & quòd mixtionem cum viro abhorreret & cum molestia eam exerceret, neque obstare, quod menstruę purgationes suam speciem retinerent, neque excrementa alba, quam refrigerato vtero ob contagium humoris iam dicti deberent effluere, quoniam ea recrementa in tumore retinẽtur. In quam sententiam prior quoque Doctor iam deuenit eique firmiter adhęrescit. Ego viri Optimi non possum attribuere tumorem hunc vlli parti quæ principatum vllum gerat in corpore, ita vt in ipsamet parte insit, nam neque lien posset sic affici, quin

quin corpus notas referret, præterquam quod positum lienis nimis declinat. At cum præter naturam se habēt partes, nil est absurdi si neque positum naturalem seruent, Verum est, tamen non possunt sedem suam adeò relinquere quin suis ligamentis cogantur eam retinere. In corpore intestinorum minus tumor esse potest, quoniam descensus fecum alui impediretur, neque verò tumor in dextera parte est, vbi cæcum intestinum est, vt ipsa parte, qua tumente vires alui nō prohiberentur, vt tumere dicenda sit, tumor enim in sinistra parte est, præterquam quod si in corpore intestinorum esset, vix fieri posset, quin dolorem attulisset tunc cum repente factus est, tunicarum enim extensio dolorem necessario facit. Minus in medio intestino, seu Mesenterio esse tumor potest, quoniam neque aluus tam sana descenderet, neque corpus tam bene haberet, accidentiaque etiam melancholiæ superuenissent. Sed in Vtero quoque non esse multa persuadent, dico in Vteri corpore, quoniam tumor vteri in corpore eius non posset non ipsius membranas breuiores reddere, vnde ipsum ad suum principium potius & versus pubeam quam ad Ilium contraxisset, præterea multa symptomata adessent, quæ ad male affectum vterum si qui consueuere neque sine dolore subitus tumoris ortus fuisset, aut celer illius reditus. Minus in ligamentis cornuum vteri posse esse is tumor videatur, quoniam vterum traheret in regionem ligamentorum & qui si arcum faceret, neque tensio, quę in medio Ilio maior est & paulatim hinc inde remittitur, ad costas pertineret, sed ad dorsum & vtero etiam sic inuerso symptomata vterina efficeret. Quibus æstimatis ego venio facilius in eam sententiam vt credam membranas ad vasa seminalia pertinentes, & ad testem illius lateris, inuolucris suis compræhendere humorem hunc hebetem, & eo in tumorem distendi vidistis Viri Excellentissimi sæpe in homine non solum scrotum in magnum tumorem distendi membrana à peritoneo præstita vdo quodam humore repleta sed etiam inuoluta ipsius testis & testem ipsum quoque ad cornua vteri testes suis membranis inuoluti sunt potuit sub labore partus alter meatus seminis inferre materiam multam illuc, quæ materia suauis est, & semen præfefert. crudior illa esse in hoc euentu consueuit, sic potuit inuolucra illa in tumorem attollere & cito id facere, potuit cupiditatem mixtionis cum viro minuere & molestam mixtionem reddere, seminis loco vitiato, potuit deleri cæratis, potuit reuerti longiori aliquo spatio, & sic manere corpore quidem bonum habitum retinente, & vtero flatum, & læsionem aliquam recipiente, propter tum materiæ concursionem, tum contagium, & affectum & communicatum; potest inde & ventriculus, quando cibo oneratus est, graue ferre eius pondus, quoniam & vicinitate, & connexione potest cum halitu materiæ tum intemperiei vim sentire, tum etiam omnibus alijs modis affici, sic quod indicandum sit neque omentum id tumoris habere, faciunt symptomata Vterum affectum sequentia, facit subitus tumoris ortus, qui in omento vasis angustioribus prædito fieri non potuisset, maxime quoniam, quod à ventriculo ex proba coctione redundat, solet id recipere sub forma seu specie vaporis potius, quam humoris.

Neque esse pinguedinem aliquam adnatam intestinis, vt in multis vidimus, facit subitus iā dictus, seu celer ortus, vidimus namque sæpe in cadaueribus corpora quædam dura pinguedinis speciem habentia & maxima, sic ab intestinis exorta & pendētia, vt omentum à veutriculo, & sedem sibi inuenisse in peritonei processu impulsa extra abdominis musculos vt in epiploceliś cerni consueuit.

Sed eiusmodi corpus non ita celeriter potuisset generari. Non dixi de Rene, nam quamquam Renes aut eorum tunicas interdum in maximam molem distentas fuisse viderimus, id tamen cum febre, & multis alijs incommodis fuisse scimus, & non aliter esse potuisse, maxime vrinarum, sed, quoniam remedia proposita ad hanc materiam absumendam, æque valitura sunt, in quouis dictorū locorum extiterit nolo hic diutius immorari, & ad methodum seu rationem curationis me confero. Materia hæc exsiccanda est, quoniā si curatio inflāmationis dicitur esse exsiccatio, constituta materia humida maxime proprie exsiccationem postulabit. Ea vero certo & tuto tractari non potest, nisi totū corpus sic fuerit paratum ne materiam ad locum agitatum labi permittat, parari autem non potest tale, nisi exacte repurgetur, a quo quoniam nō metuimus vim sanguinis, de eius missione non loquar metuimus crudi humoris lapsum propterea in eo genere detrahendo plurimum laborabimus sic exorsi, vt Hieræ ellectuario primum & ellectuario lenitiuo ad ℥.6. vtroque dato aluus suis excrementis tum fecum, tū cruditatum exoneretur, deinde syr. ex betonica, ex capill. Veneris, ex oxymellite humores parentur, tertio cum confect. hamech, cum diacatholicon, melle rosaceo solutiuo, Manna, dissolutis in liquore, cui incocta sit radix polypodij cum sibi robur, & correctionem afferentibus incocta sit. quarto syrup. de stæchade, qui, quamuis capiti proprie compositus sit, est tamen ad exsiccandas, & expurgandas illas partes opportunus, commode daretur cum oxymellite etiam scillitico cum decocto eritrodani & ingij, aut similis, Quinto pilularum aliquid genus mihi videretur apprime idoneum ex maxime exsiccantibus & aquam ducentibus, vt ex euphorbio, ex nitro, & ex laureola, seu Mezereo. A quibus vsus Terebynthinæ & etiam succi iridis apprime, opportunus videretur cum emolliant, & dissoluant, & discutiant, & illas partes maxime spectent. Trochisci etiam de Mirrha, & alia id genus.

Verum ad corpus vniuersum exsiccandum ab eo genere recrementi tum galli ius cum medicamentis eam partem spectantibus incoctis, tum verò salsa parilia accommodatissima est, emendata quidem, ne ventriculo obsit per cinnamomum & gingiber, & betonicam illas partes maxime spectantem.

Exterius postea pręter clysteres, qui propter loci vicinitatem valentissime poterunt eum humorem absumere, si fortiores fiant incoctis etiam valentioribus solutiuis dari poterunt, & debebunt insessiones, fomēta, linitiones, emplastra, balnea, & id genus alia. Quibus adhibitis ni tumor absumatur, ego suo tempore darem aquas thermales sulphureas vt Patauinas, saltem S. Petri, à quibus si aliquid caloris impressum iecori restaret, illud cū suis proprijs postea corrigerem. Dixi.

De febre & ventriculi affectu pro Comite Gentili Turiano.

CONSVLTATIO DVI.

Viri Optimi & Doctissimi locus meus dicendi non erat is postremus, sed quoniam ita voluistis, cogor iudicium ferre de cōtrouersia valde difficili, in qua rationes vtriusque partis verissimę sunt, & profecto credo ego solam prudentiam, & summam moderationem posse vtrique parti satisfacere. Sub hac febre iam 13. dies eum vexante, & à 9. die inclinante quæritur, num clysteribus tantū vti de

debeamus, an medicamẽtis per aluum mouentibus an potius vomitum cientibus, à re ipsa rationes petũtur. Corpus calidioris & ficcioris generis est, adolescẽtia iam finita, alias habuit cruciatum in regione iecoris cum tensione, nunc habet notas hypochondricorum male habentium, & fere melancholicum affectum edentium, fere dico quoniam non acidi metus, neq; propriæ notæ omnes eius insunt solũ suspicionibus nimia animi perturbatio, & palpitationes in præcordijs propter flatum visuntur. Febris superuenit propter immodicum motum, & sudorem à cibo à quo refrigescit, materia febris fuit biliosa quidem vt vrinæ flauissimæ & lucidissimæ ostendebant, & color linguæ, & siccitas, & vigiliæ, & fuit intra venas, cum non extiterit motus vllus euidentis frigoris, aut febris incrementi. quamuis extrema medio quoque die frigida aliquantulum euadant. Vnde forte in minoribus venis est ea materia, & crassa est, nec sine mixtione pituitæ, vt crassitudo vrinarum circiter 7. die perspecta ostẽdebat. Cum ipse sumendo cibum videretur in vomitũ propensus, & ad oculos tunc, & aures ac cerebrum vapores impetum facerent, vt quasi scotomiæ, & vertiginis principium sentiret, fuit consultum, vt vomeret ex iure & oxymellite, maxime ea hora, qua extrema essent frigida, & sentiret eam in vomitũ propensionem, illa enim hora erat quoddam initium febris, seu compressio propter aliquem naturæ motum. citatus itaque est ea hora vomitus & post crassæ admodum pituitæ exitum, quæ exiuit, antequam ius acceptum redderetur, melius habuit, sequẽti die iterum vomitu citato pituita lenta quidem, sed minus crassa eiecta est, & ijs duobus diebus incremẽta distincta magis fuere, & capitis ac ventriculi ea molestia leuior euasit, & febris inde paulatim imminuta est. Modo febrem suam inclinationem retinẽte casus illi capitis videntur resurgere, per quos nos possumus intelligere ventriculũ rursus eius generis humorem colligere & iam ex parte collegisse. præcipue vero ea nota indicat etiam aliquid bilis, vel halitus biliosi, vnde pituita infecta euomitur, & amara e ventriculo attollitur, quoniam lingua, quæ communem cum ventriculo tunicam habet, lutea est, & siccior, cum tamen interea sitis immodica nõ sit, indicat, quòd uentriculus pituitæ potius humorem sentiat, ut lingua bilis anhelitum refert, ijs ita perspectis certissima res est, quod medicamenta valentiora siue vomitum, siue aluum motura sint, prçcordijs obstructis nocitura sunt, quoniam viæ illæ obstructæ sunt, per quas humores etiam crassiores traherentur, sic & cruciatus, & obstructiones maiores fierent, humoribus per eas vias à toto corpore etiam crassioribus, & multis traijcientibus.

Vnde Hipp. tensa hypochondria prohibere medicamenta purgantia affirmauit, & Medici in hypochondriacis summo consilio, & hac Hippocratis auctoritate formidant. Quod verò vomitus etiã eo ipso nomine vitandus sit, discere possumus à Galeno libro de tuẽda valetudine, vbi horret ipse vomitum in eo corpore, in quo per ambitum ipsius mali humores diffusi sunt, quoniam ex ambitu in venas, & viscera retraherentur, & maxime ad hypochondria. Contra tamen ea pituita, quæ residere in ventriculo videtur, nullam expeditiorem, & breuiorem viã habet, hac, quæ vomitu petitur. Videmus nos quotidie, quod in eodem corpore vomitus crassam effert pituitam, cientia autem aluum medicamenta solum bilem fere & aquosos quosdam humores. Vt Hippocratis Aphorismus sano modo sit capiendus & prudẽter interpretandus quo vult humores crassos deorsum, tenues autem sursum purgari. Larga siquidem potio ventriculo comprehensa effert lentum illum humorem cum deterius est, qui facile natet suo lentore, & flatu sublatus, qui ciente aluũ medicamento non deprimitur, quoniam ventriculus non adhibet eum motum excernendi, quem in vomitu. Vidimus verò etiam superius, quam facilis fuit eius eruptio, & quam vtilis. Quapropter ego vomitum aptiorem crederem, & non vererer vomitum, sed eum, qui a medicamento valenti fieret, vterer verò solo oximellite, non solum dando, cum cietur iam vomitus, sed ter antequam cieretur. Nimirum hoc vesperi oximel darem duabus horis ante cenam, & item mane in aurora, postea cum proxime vomitus esset ciendus a quo se verteret in latus sinistrum, & octaua horæ parte post ius acciperet ex hordeo, ac subinde exigua interiecta mora vomeret & pro modo rei proiectæ postea me gererem, ac nisi satis videretur, pulueres hieræ ad ʒ.3. exhiberem, a quibus etiam vomitum excitarem tribus horis ab assumptione eorum interiectis, solent enim pulueres potius, quam electuarium mouere vomitionem ex illis, etenim humor e corpore ventriculi conuelleretur, & sic facile eijci posset. Ventriculo tandem puriori reddito, ego vsum rhabarbari laudarem, quo venæ ad mesenterium, & ventriculum pertinentes lentore suo expedirentur. Dixi.

Is altera a vomitu die, a quo ipse capite melius habuit, febre liber fuit, capitis vero adhuc manente ea titubatione pulueres hieræ præscriptæ sunt, & conualuit.

De tumore ad articulum cubiti pro Illustri Laura Nogarolia Biuilaquia.

CONSVLTATIO DVII.

PRopositum est a doctissimo viro num quod ante tres menses decernebatur de exhibenda potione salsæ pariliæ, iam exequi ipse debeat. Tunc enim prouidendi consilium fuit rheumatico ei affectui, quo ad mandibulam identidẽ tentabatur summa cum molestia dolorum, tumorum & etiam febrium, cauteriũ accepit in humero dextro, quoniam partim affectæ non solum propinquior locus, sed e recto positus esset, fere autem liberata a prioribus molestijs incidit in tumorem non minus molestum, qui est prope caput inferius humeri, vbi adiacet ei cubitus, & vbi cordę sunt, & capita, & musculorum, is tumor non habuit ęquale incrementum, ita modo iuniorem modo minorem dolorem affert, videtur verò ad vesperam molestior, vt rheumaticam naturam habere videatur, & suspicionem faciat, ne cauterium illius in causa fuerit, nã dexterum brachium vix potest non sæpe mouere, sic occasione vlceris, & alicuius doloris attrahit humorem. Natura seu genus humoris multiplex est, nam circum tumori duro adiacet tumor mollior, sine dolore, is humidioris generis humorem præ se fert durus ille terrestrem magis, & fæcosum, & ad melancholicum accedat, doloris tamen indicio calidum etiam humorem habet secum admixtum.

Quæ cum ita sint, & in corpore reperiantur, quod est frigidioris ventriculi, & capitis iam plurimum abundantis recremento, & iecoris calidioris hypochondriacoque affectui ob noxium. Ego sic de hac re statuerem. Ex vno passularum præparatarum vsu illustrem Matronam satis purgatam non fuisse, perfecte autem purgatum esse corpus postulare ipsam salsam pariliam, alioquin humores quos non potest dissipare in halitum, fundere, & dimittere per corpus, & maxime ad partem læsam impellere, quod in corpore cacochymo foret periculosum. Prçterea neque

que ego auderem dare salsam pariliam, vbi recens fluxio humoris est, & humor non dum consedit firmiterque adhæreſcit. Nam præter rationem dictam motionis humorum quam salsa facit, etiam experimento cernimus quòd in recentioribus oculorum fluxionibus nisi ex Gallico naſcantur peſſime salsa ipsa facit, ſit certe facturam crederem in hoc tumore ſpeciem aliquam inflammationis adhuc retinente propter humorum variorum commixtionem.

Corpus ergo prius penitus expurgarem, interea verò dolori, ne nimis attraheret occurrerem, & locum lege rheumatum tractarem, ſemper anodynis reprimentia ſeu repellentia admiſcendo, nunquam ab oleo roſaceo recedendo, & cum eo roſas componendo in emplaſtris factis ex farinis fabarum, lenrium ordei, atque etiam orobi ad exſiccandum aquoſum & tenuem humorem, qui affluens ad articulum non poteſt non opprimere calorem naturalem eius partis & eam imbecillam reddere, cuius imbecillitas, eo magis metuenda eſt, quod articulus ſolet facile infectiones cōcipere inſanabiles, à rheumatibuſque male tractari. Dolori vero occurrentiā non dimittenda vt oleum ſeſami, leni, liliorum alboni, chamæmeli, vt radices altheæ, folia maluæ, acanthi, caulium triticum coctum, & maxime ſecalæ vt pinguedines ſuillæ, gallinaceæ, anatinæ, butyrum aſſungia ſuilla, & id genus. Vbi illa obſeruatio propoſita, quòd initio tumorum reprimentia, in declinatione diſcutientia medio tempore vtriuſq; generis coniuncta danda ſunt, mihi ſatis tuta non videtur, quoniam vt dixi hic identidem fluxiones nouas habemus, & rheumaticum genus eſt. Cum tamē ex doloribus, & eorum genere ex loci rubore, & pulſatione, & contactu intelligemus tumorem ad pus declinare, tunc ſuppurantia dicta erunt probāda ex farina polline præſertim ſecalæ oleo, & aquā & ijs, quæ maxime obſtruunt meatus, & calorē fouent, vbi non probarem vſum noſtratem apponendi caricas & fermentum, niſi cum putefacto voluerimus cutem extenuare, & pus ad cutem incitare, quo tempore etiam cochlea, & aſſungia opportuniſſimæ ſunt. Sed neſcio quo modo mea oratio euaſit huc, vt poſteriora prioribus præponerem. Nam prius corpus diligentiſſime, & celerrime expurgandum eſt, & niſi ſit verendum principium hypochōdriacæ, quod nunc non multum videtur eſſe impedimento. Coctio humoris non valde eſſet expectāda, quoniam cauſam antecedentem rheumatis tractamus & auertere volumus, neque à loco, in quo adhęreſcit, dimouere, & viæ, quæ paratæ eſſe debēt, non egeāt noſtro labore, cum iam diu ipſa tamquā valetudinariam vitam egerit & ſub curatione perſtiterit. Minus eſt lectioribus tractanda cum humores craſſi ſint, & medicamentis iam conſueuerit. Ergo poſtquam paſſulis ſolutiuis proxime vſa eſt, ego aliquid ſanguinis detraherem, quoniam indicat mihi ſanguis ſui detractionem quoties metum facit, ne morbus validior fiat, quoties tentetur, ne curationi affuturus ſit, quod in omni magno morbo quoque viribus conſtātibus facit vel ſi ille eſſent febris hectica vel hydrops, vel quartana, facit autem metum ne accurrat partibus læſis à morbo, quamuis non nimis abundet, & tantus ſit quantus vires & in præſens & in futurum ſuſtentare poſſunt, Remedia namque medica vires potius infirmant morbū demolientia vnde & abſtinentia adhibemus, etiamſi ſanguis non nimis abundet, quoniam natura morbo magno affecta non poteſt eundem iuſtum ſanguinis modum adminiſtrare cum ſanguis alimentū adhuc contrarium naturæ ſit, quem ſana adminiſtraret, vt neque cibum. Sic in medicamentis maioribus adhibendis facimus, quoniam natura non ſine periculo ea perferret. aut ſanguis & cibus opus

A medicamentorum impediret, eique officeret. Propterea & victus rationem tenuem fere, & ſanguinis miſſionē, ſic enim humores alieni à natura facilius tractantur, vias habent, & meatus liberiores, & non eſt in vaſis onus naturæ, minus id ſanguinis, aut cibi quod exagitatum à medicamentis periclitetur, ne vitioſum fiat. Detracto autem ſanguine accederem ad medicamētum purgans, duobus vix diebus interiectis, interpoſitoque ſyrupo meliores vias, & paratiorem humorem reddente. Medicamentum vero mihi probaretur ex iure opportuno ad ℥.3. fæcula ſeu tartaro albo ad ℥. 1. radice dulci ad ℥. 1.s. ſebeſten vero ſ. aniſis ad ℥.1. agarico ad ℈.4. eodemque trociſchato dicto, & gingibere, ac cinnamomo vtroque ad ℈.1. in quo vero iure diſſolueretur diacatholicon, & diaphænicon ad ℥.3. manna ad ℥. 1.s.
B melle roſ. ſolut. ad ℥. 2.s.

Quod medicamentum ſi ſatis dempſiſſe humoris videntur finis ſit purgationis, ſin minus repetatur, aut cum pilulis cochijs ad ℈. 3. additis trociſchis alandal ad gr. 3. aut cum eodem medicamento addita in coctione illa iuris ℥. 1. ellectuarij nigri, aut ℈.2. ellectuarij albi. Quotidie experior medicamēta huiuſmodi, & quod per potionem eſt deſcriptū, ſiue ſit propter māna à quo faciles omnes fiunt purgationes, faciliaque redduntur omnia acria medicamenta, ſiue ſit propter multa, quæ in ea coctione mitigantia ingrediuntur.

Purgatione vero ſic per aluum profecta ad ſudo-
C rem mouentia accederem & exſiccatoria, vt ſalſam pariliam correcta eius offenſa per portionem Guaiaci, aut betonicæ aut alterius medicamenti.

Interea quo diuerterem materiam deſcēdentem à capite, ego inurerem humerum oppoſitū vel ferramento candenti, vel medicamento. De victus ratione rem omnem Medico curanti permitterem.

Conualuit etiam cito.

De febre hectica cum putrida & ſuſpicione phthyſis.

CONSVLTATIO DVIII.

D

Difficilima res cognitu à te facilime mihi videtur explicata & quæ curationem non receptura ſit, curari tamen poſſe demonſtrata, De ea ego quoque dicturus neſcio, an tam aperte eloqui queā, iudiciumque curationis idem proferre. Quinque totis menſibus adoleſcentula poſt partum febre tenetur, corpus quod plenum carne eſſet iam tenuiſſimum, & macie confectum cernitur adeo, vt corde nudæ muſculorum ſine carnibus conſpiciantur, & tenſæ admodum ſint, vnde ſuſpicio ſit ne febris cum hectica, tum tabida ſit, verum cum tabida hectica à cordis habitu dicatur talis, habeamus autem nos pulſus molles, & cum calor increſcit etiam ma-
E gnos, ac ſatis vehementes, vt neque mollitiei ſpeciē falſam præbeat imbecillitas, neque ipſa firmitas aut mollities tabidum cor queant denotare, ego quidē vererer, ne calor iam molliores cordis carnes tenere incipiat duriorem autem habitum tenere nunquam crederem, ſic quoniam calor febrilis neceſſario ſqualidus eſt, carnes illæ molliores & recentiores iam ſqualidiores fieri incipiant, aut certe carubium illud dictum, quod eſt proximum alimētum. Vnde à cibo etiam adeò incaleſcat ægra, vt acceſſiſſe febrem nouam arbitretur. Cor quoque non eſſe admodum calfactum, aut tabidum mihi ea nota oſtendit, quòd oculi circum poſitas partes benè nutritas habeant. Ego enim obſeruaui iam diu confectos

fectos corpore ægros, oculorum partes has meliori habitu seruantes facile fuisse restitutos, quod non fecissent si princeps vitæ viscus vna cum reliquo corpore tabem æqualem communicasset,

Cor autem sæpe nutriri corpore ipso tabido facto facilis res est, quoniam vt ait Galenus libro de morasmo cor Tyrrhanni more se se tuetur sæpe, & subtrahit a partibus reliquis, quod melius est, sibique arripit. Et id in illis malis, in quibus ipsum primũ non est infectum, aut perculsum, vt in hoc morbo euenit, in quo altero quoque die accessionum quarundam formæ, seu Typi cernuntur, sibi consimiles quotidie quidem inuadentes, alternis enim diebus citius, alternis serius adueniunt.

Cuius febris putridæ assiduitate potuit corpus consumi, cor verò melius se defendisse. Ergo si hectica sit, in primo aut initio secundi gradus esse poterit, quo in statu dici solet facilis curatu, difficillima verò cognitu, vt certe est maxime hæc quæ est cum putrida cõiuncta, quarum, quæ nam prior fuerit, non possum ego decernere cum historia quinque mensium satis incerta sit. Verum si prior hectica fuisset, cor primum tabem sensisset, & in habitu suo calorem, & pulsus duriores cernerentur, potest verò cor primum sæpe affici, vt cum hectica aduenit ex mæroribus, & molestijs animi, aut ex febre ipsa Ephemera. Fuisse tamen priorem putridam dicta ratione mihi fit verisimilius. Putrida materiam habet putrescentem, quæ sane in tam longinquo morbo non potest non pituitosa esse, & crassa etsi non sine bile, vt formæ accessionum ostendunt. Hoc tẽpore tamen non esse multam hanc materiam, minus occupare corpus vniuersum indicant vrinæ parum à sanorum vrinis declinantes, Sic ea potius partem aliquam certam occupauerit, quæ verò ea sit, suspicionem facit pulmo, suspicionem facit sinistrum hypochondrium, cum enim recti musculi abdominis admodum tensi sint, & duritiem præseferant, sinistri regio tensior, & amplior longe sentitur, imo fere dura multo spatio est. Pulmones ipsi quoque suã suspicionem faciũt, quoniam tussicula est, & quamquam rara est, sputaminaque plerumque naturalia, aliquid tamen continet, quod puris speciem præseferat, vt tibi Doctor ostendit. Et sane in diuturna febre mirum nõ est pulmones quoque affectos fuisse, quibus fere id solet contingere, vt sæpe tabescant alimẽto humidioris generis, quo egent, defecti, vnde excrementa praua edant praue nutriti, & vlcera contrahant, & tabem faciãt, neque verò semper tabes ex empyemate aut venæ ruptura est, sed quandoque intemperiei squalidiori euenit. De causis externis longius abest occasio dicendi, quoniam neque iudicium præsentis morbi antiquæ nimis rei, neque curationis modum ostendunt. Hæ præsentes res sunt febris hectica vltra initium progressa, corporis totius tabes cum naturalium virium infirmitate, febris putrida cum tumore sinistri præcordij, & pulmonum squallore, neque enim est difficultas spiritus vt tumorem, aut humoris vitiosi cumulum ibi ponamus. Quòd futurum sit, videre facile est, nimirum tabis consumatio, & vitæ finis. Quid per nos fieri possit. Ego tribus rebus consulendum video, viribus, putridæ febri, & hecticæ. Neque posse vos satisfacere credo. nam magna remedia magnus postulat morbus, vires illa recusant, imo penitus horrorem medicamenta.

Sic itaque me moderarer, vt vna viribus & morbo tam ex humoribus, quam ex infixo calore satisfacerem. Cibos medicatos pararem & vsu longo eorum contra longinquitatem, seu vetustatem morbi pugnarem. Etenim Vir Doctissime experimur quod sicuti externæ causæ valẽtiores morbos ὀξεῖς seu breues & acutos solummodo pariunt si breui id faciat,

A sic debiliores diutius agentes, & paulatim eos longos efficiunt, vt ab efficacia morborum, efficaciam remediorum liceat elicere, quod etiam remedia debiliora assidua, & longo vsu adhibenda sunt cũ longiores morbi demoliendi fuerint, contra valentia, & breui adhibenda, cum magni & breues fugandi sunt. Maxime verò cum cibis hic miscenda erunt, quod vires maxime sui procurationem efflagitant. Ergo ego sic agerem, cum iuribus pullorum gallinaceorum ptisanam pararem ei etiam buglossam cap. Veneris, semina frigidiora, radicem dulcem, mellissamque coniungerem, flores item violatum lactucas, & similia incoquerem, syrupumque etiam violatum in ijsdem potionibus imponerem. Quibus certo tẽpore Radices polypodij Agaricumque adijcerem.

B Lac asinæ quidem aliquibus diebus interponerem, quo alimẽtum citius darem, squallori & pulmonibus etiam succurreretem, rursus eadem repeterem, interea balnea tepidæ aquæ darem, in qua ipsum demergerem linteo semper suspẽsum, quo posset, cum primum videretur, in cubile referri, solòue vapore eorum vti, cum demersionẽ non pateretur. Etenim quamquam putrida febris subest, cum cruda penitus materia eius non sit, vtiliterque balnea recrementa euocabantur, quæ reliqua à febre fiunt, simulque hecticæ aliquid commodi fiet, quoniam squallori & calori vna occurritur, frigidis quidẽ balneis proprie hectico calori subuenitur, sed nostrorum temporum cõsuetudo frigida balnea non fert, & putridæ febri maxime officeretur, angustia meatuum inducenda,

C A balneo ego corpus inungerem oleo dulcissimo ne dissolutio spirituum & alimenti fieret, sic me gererem, nam quamuis putrida fuerit in causa ipsius hecticę, ait Galenus, quòd vrget adeò insanabilis hecticæ naturæ metus, vt ei primum etiã occurrere cogamur, quam putridæ, quoniam putridæ progressio inducias dat, non hecticæ. Ita enim, quæ factura sunt in curandis corporibus præuidenda sunt, & procuranda. De victus ratione nil restat nisi potionis ratio, quæ mea sententia probaretur e vino albo paucifero, aut aqua illa diluto, cui radix dulcis incocta esset. Dixi.

D

De insania, & non perspecta febre sub ea pro Matrona.

CONSVLTATIO DIX.

QVamquam omnia perspicue explicata sunt à viro Doctissimo, non possum tamen deficere muneri meo, minus de eadem re dicere idem esset inutile, cum in deliberationibus multorum sententiæ in eundem finem expositæ nunquã non clarius & certius rem agendam exponant. Certissimum id hac re est, quod insaniæ hoc symptomà fuit subitum, neque paulatim per multos dies incessit, ad quamcunque facultatem pertineat, vt tamen

E dubium non sit, quin ad imaginum facultatem & memoriam hucusque pertinuerit, memoriam quidem diminutam admodum, & imaginum facultatẽ corruptam. Subita inquam hæc insaniæ, seu dementiæ accessio materiam non intemperiem solã ostendit. Pulsus quoque crebritas maxima & compressio idem mihi ostendit. Vrinæ crassitudo idem confirmat. Ex quibus non solum materiam, sed locum intelligo, nam quamquam caput afficiatur vel incursu materiæ, tamen medias quoque corporis partes & viscera, cordique cognata ea materia esse conferta perspicere possumus. Genus materiæ esse melancholici conijci potest, quoniam memoria amissa est, quoniam somnus non capitur, amissione memoriæ

riæ frigus, vigilijs nocturnis squallorem indicantibus. At hoc genere materię infenso, cur, cum ab infernis partibus venire sit verisimile, sui quoque indicia in pulsu non ostendit? cur pulsus rari nō sunt. Forte sui nimia copia naturam oneret? scimus enim quòd onerata natura quod vna motione arteriæ nō potest, id pluribus conatur perficere, sic crebriores motiones cogitur edere. Verum tamen esse melancholici humoris copiam fieri fere non potest vita superstite, quare ego crebritatem hanc cum paruitate in aliam causam cogor referre nimirum in copiam maximam fumorum in corde versantium, qui non nisi à maxima putredine efferuntur. Huius vero putredinis indicia vrinæ habent perturbatæ, & coloratæ prauo admodum colore, habent pulsus cō pressi, habent extrema frigidiora, linguæ color, sordes eiusdem, & ariditas, quæ cum hodie meliora esse dicantur quam prius, ego etiam peiorem febrem fuisse existimo, neque possum assentiri Medico doctissimo asseueranti febrem non fuisse, neque pulsum hactenus tam crebrum fuisse vt hodie est. Vnde namque tanta linguæ ariditas, tamque malus color & tam multæ sordes, quam fatetur se superioribus diebus in lingua animaduertisse? & tantam sitis molestiam? Putredinis & eius fumi indicium esse potest tremor quidam obscurus artuum, seu potius tenuissima conuulsio facultatisque imaginum deprauatio tanta, eadem linguæ sordes, & color, atque ariditas, vrinarum crassitudo, conturbatio, & coloratio, pulsuum inæqualitas, & compressio extremorum frigus, dum interius colorem esse tam multa indicia declarant, quod forte incrementi putredinis notum præbet, & medio die semper fit, vt duplicis tertianæ nothæ formam seruet quasi bilis potissimam vim in putrescendo & in febre habeat, & si melancholicus humor sui notas edat, reperiuntur siquidem tertianæ spuriæ seu nothæ per admixtionem quoque succi melancholici, seu per participationem eius naturæ. Quorum humorum sordes prior profecto in medio corpore est, deinde impetum è medio in caput habet, vbi forte adhuc non inhæsit, sed præterlabitur, & non tam suo corpore quam fumis. Sequuta sunt hæc symptomata leuem quandam crurum paralysim, seu debilitatem, quum ad illud incommodum potiones salsæ pariliæ circiter octo dies sumpsisset, & ea debilitas leuata esset, vt dixerit eum Doctor, quòd forte exsiccatio salsæ ad genus melancholicum humorem redegerit.

Certe salsa discusserit partes molliores, & liquidiores pituitam magis referētes inde partes sicciores superare rationem reliquarum potuerint, alioquin salsa extenuando potius humorem etiam melācholicum potest superare dissoluereque si diutius propinetur.

Horum humorum externæ, & euidentes causæ maximæ fuere, animi grauissimæ molestiæ mærores, doloresque acerbissimi ob interitum viri frugalissimi hominis cuius discessu familia multo incommodo, & cutis insolitis erit administranda, qui dolor & maior fuit, quo repente ille interijt. Aetas quoque ad genus corporis calidius accedens nimirum 47. annorum plurimum ad id fecit. Verum ea quæ sunt, sic se habent, quid verò ex ijs sit euenturum, non solum enim ad præsentia sed ad futura dirigere medici consilia debent, id videre in promptu est, nimirumne materia in cerebro suam intemperiem figet sicciorem, vt vigiliæ nocturnæ eam celeriorem efficiant, vt febris etiam ægrotam necet, malignave euadat, nisi occurratur, quando nullus peior humor est, quam qui melancholiam sapit, quemadmodum in malis extimarum partium cernimus. Quid ergo agi debet? materia, putredo & motus illius corrigi debent, & quoniam eodem

A auxilio possumus eam detrahere, & motionem eius etiam à principibus partibus auertere. Ego cum sanguis missus sit ab altero pede, à reliquo quoque mitterem nimirum à sinistro, facilius enim per sectam venam melancholicus sanguis educitur, facillime verò per partes inferiores, quod tuto potest fieri sine vllo viarum, aut humoris apparatu, & omni morbi tempore, modo vires constent, quas constare omnino videmus, quo facto ni cesset symptoma maxime vigiliarum & dementiæ, ego aperirem venas hæmorrhoides, quæ in muliere possunt vtero maxime proficere cum quo cognationem summam habent, interea corrigendo humori vacarem potionibus ex syrup. de pomis, de buglosso, de borragine de fumoterra, & clysteribus quoque cū vias

B pararem, tum à superioribus ad inferiora naturam corporis reuocarem, interea vt febris, vtve symptoma efflagitaret, me gererem symptomate dementiæ progressiones acquirente, ego scoptulis cucurbitulas cum ferro figerem naribus hirudines apponerem; vel potius venam frontis secarem, sectio enim laxiorem viam sanguinique opportuniorem facit dorso etiam atque occipitis excitarem vesicas acrioribus medicamentis. Paratum humorem paulatim educerem, & maxime per serum caprinum cū succo fumiterræ, & folijs maceratis senæ aut etiam nigri veratij radicibus. Ex eo enim liquore dilutionē, abstersionem, & attemperationem humoris haberem, & somni etiam conciliationem, & partium ce-

C rebri temperationem, seu à squallore si vllus contractus est, vindicationem, per quod ego remediū sperarem facile conualituram. Neque credo futurum postea necessarium illud Aetij remedium quo extrahitur sanguis è capite per hirundines tribus quatuorve locis adiectas. Minus fomenta humectantibus facta, vt ex violis, maluis, lactuca, blico, nymphea & similibus, minus illitiones ex eius generis oleris. forte somno cōciliando, ne melancholicum humorem nutriat & vires vna cum febre demat ea facienda nunc sunt, in quibus etiam papauer ponendum & per os quoque medio omnibus dandum vel eius saltem syrupus cum lactucæ aqua. quæ si non satis perficiant, & recens Theriaca, & philonium erunt in censu habenda.

D Conseruas tandem ad melācholiam exponerem si eas necessarias existimarem, vt ellectuarium Regusti, vt Alchermes si recte confertum credere hoc est veni chermes ac bonum, viui lapide lazuli & bene paratum contineret, sunt mille alia quæ necessaria non existimo.

De victus ratione restat decernere num vinum sit exhibendum, febris & materiæ motus in caput vinum recusant, illis sublatis, & corpore magis puro facto tunc vinum esset apprime necessarium. DIXI.

De affectu Hypochondriorum pro Io: Bapt. Brentalo.

E

CONSVLTATIO DX.

CVm satis multa sint dicta à Viro Eloquentissimo de affectu hoc, ego multa prætereibo tamquam aperta, & pro constitutis habenda, vt quod affectus is in præcordijs sit, eorumque obstructione contineatur, quòd corpus succis melancholicis refertum sit, quòd calidum iecur, ventriculusque frigidus, & veniam ad delectum ipsorum Medicamērum. Quis enim conspiciat hunc hominem qui eum de ipso colore nigro non iudicet succis melancholicis abundare, qui non intelliget esse genere corpo-

ris calidiori, ætate vero 43. annorum, cum belle nutritum sit, fuisse etiam humidius ad siccitatem autē vergeres? quis audiat querelas rugitinum flatuum, metuum saporis vini acrioris facti, dolorum ad costas spurias, præcordia, & ijs contenta viscera complectentes, & non intelligat Hypochondria esse infarcta? præcipue verò id non credat cum manum hypochondrio admouerit, vbi dextera pars maxime contenta & fere dura est? Curationem ergo ego potius perquiram. Melancholiam hanc hypochondriacam non vocabo, quoniam mens eius minime afficitur, Hypochondria tamē affecta pro certo habebo, & melancholicis succis ipsum esse refertum, etsi cerebrum vaporibus eorum non conturbetur. Ad curationem ergo, quæ certe facilis non est, ego me refero. Video venas in præcordijs esse obstructas, vbi & materia euadat melancholica & ventriculus ab influxu bonorum spirituum non ita queat foueri vijs impeditis, malorum verò consuetudine afficiatur, vnde frigidiora male concoquat, & peius alatur, repleat verò corpus etiā succis crudis & humori melancholico materiam subministret, iecore illam facile in id genus conuertente, cum calor insignis crassam materiam in secunda coctione fere aliter conficere nequeat; quin humorem melancholicum referat; sic & genere corporis, & casu obstructionum multum eius succi in ipso est. Multum ergo eius detrahendum, & obstructionibus præcordia expedienda. Sectio venæ apparatum vllum humoris non postulat, per eam ergo humoris eius multum possumus euocare & nisi viderimus effluere, poterimus sanguinem supprimere, postea etiam loco vicino ipsę obstructiones dimouendæ erunt sanguine nimirum per hæmorrhoidas elicito per Hirudines, quod reliquum erit paulatim & parandum, & detrahendum medicamentis fuerit, non vniuersim non vi multa, ne ad vias obstructas crassum humorem adducentes illas magis ac magis impediamus, à valentioribus ergo medicamentis ego cauerem, & identidem, vicissimque apparationem, & purgationem facerem, sæpiusque sic tentarem. Sint ergo potiones primum parantes ex syrupo de pomis simp. oxymelle, & fumaria, ijs pharmacum subijciatur ex Diacatholicon, & Ellectuario Indo. postea syrupo de pomis composito, de fumaria, cum oxymelle itidem composito. His pharmacum ex iure foliorum Sene Rad. Ellebori nigri ad ℈. 2. Anisis, Maci cinnamomo, passulis. Sebesten, liquiritia & similibus, imposito Ellectuario Diacathol. & indo similiter ac Manna. Post hæc etiam serum caprinum subiungatur incoctis ijsdem vel impositis succis fumariæ & borraginis, quod serum si flatubus torqueat, vel pluribus medicamentis iuuandum, vel dimittēdum & ad aquas D. Petri Patauini agri veniēdum, quibus viæ ab eo humore poterunt perfecte expediri, neque iecur calefiet, ventriculus cum calore quodam recreabitur.

Postea aliquod medicamentum pro tempore habendum in vsu erit excogitandum, & vinum etiam medicatum parandum ex absynthio, & borragine. De vini vno vsu id proprie in hoc viro est decernēdum, quod vsque ad annum 45. aquæ potione vsus tunc primum vini potionem tentare cepit, & per hyemem totam ea vsus est deinde ad vinum redijt. Ac sicuti priori ætate omni aqua delectabatur potius quam vino, etiam si vinum non magnopere abhorrebat, nunc ab aquam noxam sentit, minusque ea delectatur, vino verò nihil minus infestari se sentit, ipsumq; arescere in ventriculo, quare vtriusque vsus iam incommodus cernitur. Hac ergo in re ego nequaquam fiderem aquæ, ætate hâc & corporis statum nunquam aquæ crederem. Vini autem delectum summum haberem vt non solū esset paudiferum, sed eo solo ortum, vnde ad lenitatem summam, etiam facilitatem & leuitatem ad concoquendum haberet, quam ego vellem, non solum iudicio Medici, & gustu quæreret, æstimaretve, sed proprij ventriculi experimento intelligeret, mallem autem si eius generis esser albū quam rubeum. De reliquis vitę partibus vnam exercitationem notarem, quod dimissa valde nocitura, si crudo ventriculo adhibeatur maxime pestifera futura est, quare cum eius vita in faciendis itineribus versetur, & ex eo laboris genere melius habeat videndum, ne id commodum expellendis recrementis acceptum, non habeat futurum incommodum cōiunctum augendis obstructionibus, pręsens enim sensus præsentis commodi est, non autem futuri incōmodi sensus est, quod obstructionis incrementum non ita subito sui sensum faciat sed hæc sint satis.

De mittendo sanguine in febre continua duplici tertianæ respondente cum lateris dolore, iam quinta die ad Medicum Cerutum.

CONSVLTATIO DXI.

CVm vires tantas esse certus fueris Vir Excellentissime quātæ sanguinis missionem possent perferre (quod non solum in præsens sed in futurū quoque intelligitur) vrgēte morbo magno sanguinem iure per sectam venam poteras detrahere & debebas, quoniam & tantus erat, quantus vires sustinere etiam imminutus posset, & morbum augere non imminutus cogeretur. Corpore namque iam oppresso magni alicuius morbi vi ea iusta sanguinis copia qua quod corporis antea sani viribus sustinendis esset grauior fit & morbo augendo idonea cuius rei metu in morbis magnis mouemur Medici ad sanguinis antea minime exuberantis detractionem, atque ad victus abstinentiam, quod fere eadē ratio sit cibi futuri alimenti, & sanguinis quasi alimenti nominati, vtriusque nimirum egentis sui transmutationis à natura, quæ morbo occupatior, non potest ei transmutationi vacare. Hic erat febris assidua in genere magni morbi numeranda, erat lateris dolor, qui siue ad febrem tamquam casus sequeretur vt in nimia copia sæpe fit siue ipse febrem faceret, necessitatem mittendi sanguinis augebat. At erat iam quinta dies, quid tum? prohibemurve die ipso si res id efflagitat, dies se ipse non prohibet, quemadmodum neque indicat se ipse, vt dies ipse quidem indicium esse potest, alicuius in muto mutationis sic animaduerti debet, qui hic si quid denoret, id sanguinis missionem non prohibet. At poterat malignitas febris impedire, si ea potest impedire, id virium defectione facit, & cum malignitas fuisse virium quoque defectionem attulisset. Si dicas poterat superuenire malignitas post sanguinem missum. Certe difficilius malignitas futura est cum morbus recte curatus est, quam cum remedia iusta præterita sinr in iustis febrium & inflammationum remedijs missio sanguinis est, qua eorum causæ submouentur & sic minus possunt postea malignæ euadere. Missio itaque sanguinis iusti adhibita futurę malignitatis idonenm remediū est; Sed de re summatim proposita fere pluribus egi, quod mihi accidit quoniā tecum libenter loquor.. Vale & me vt soles ama Veronæ Idibus Maij Anno 1587.

Tuus Christoph. Guarinonius.

De

De artuum debilitate pro Nob. Cæsari Vigio cum Excellentissimis Lazisto Rumanel. & Figio.

CONSVLTATIO DXII.

HEsterna die Viri Doctissimi hinc discedebamus cum ea suspicione quod debilitas hæc esset à siccitate, quoniã post valentes corporis purgationes, post febres, & ignium subiectorũ calores erat nata. Quam suspicionem à vobis iam præteritam, & neglectã intelligo cum in dicẽdo nullam eius mentionem habueritis. Et quoniam, si vnquã fuit necessaria vlla morbi cognitio hæc ipsa est, ego illam suspicionem non possum non expendere, quo omnia in disputationẽ reuocata obscuram rem magis aperiant. Vir iam in summo ætatis incremento generis calidioris, cum contra gallicam suspicionem salsam pariliam diu sumpsisset, nihilque suspicionis reliquum fuisset factum, postea per falsam fortasse opinionem, quod multis post mensibus per tres aut quatuor menses capilli laberentur, (quod ac nullo alio potuit per obseruationem animaduerti) Medicus iterum media æstate eum purgauit, salsam pariliam iterum exhibuit, & tandem etiam hydrargyrio vnguento illiniuit, à quo vnguento cum soleat materia in cerebrum detrudi, & inde per palatum demitti (quod horreo dicendo) in ipso nihil huius materiæ fere per palatum descendisse, aut certe paucum visum est, potius, quod non amplius antea senserat, caput indolere cępit, & graue esse, neque ea grauitas vnquam quieuit nisi decimum circiter diem post, quum in febrem duplicem tertianam est lapsus. postquam autem ab eo relictus est, & purgatus est medicamento, tunc primum crura & brachia simul sensit debilitari, & tertio die à principatu debilitatis huius lingua penitus soluta, facta est. Quibus ita habentibus facile quis colligat hoc malum ad siccitatem neruorum esse consequutum. Quòd enim debilitas neruorum ad siccitatem sequi possit, videre est apud Medicos auctores, & in curationibus præsertim per eos propositis, vt apud Paulum. Ratio etiam est, quoniam siccitas intemperies est, & angustiam potest neruis inferre, quo minus idonei sint ad spiritus transmittendos vel etiam (quoniam Galenus propensus in illam sententiam, non tandem iam firmiter eam tenet, quin etiam facultatem solam tamquam lumen traduci permittat) facultatem inquam tamquam lumen opportune non perferant. Quòd verò hæc debilitas à siccitate sit, elici potest eo argumento quod ducitur ab ea propositione tacita, quam sequi videtur Hippocrates cum dicit cõuulsiones post elleborũ, & post febrem esse tam malas, quoniã sunt à siccitate, quasi quod affectus omnis neruorũ post purgationes, & febres sint à siccitate. hanc enim communem proponerem, illa propria conuulsionis sequi debet. Cui rationi consentiunt multa coniuncta cum morbo, vt corporis huius tenuitas maxima preter eius naturam, & consuetudinem, & cum causis antegressis medicamentorum, morbi gallici, febriũ, inter quæ, vsus quoque veneris fortasse neruorum siccitatem iuuit.

Et quoniam inter medicamenta purgantia fuit antimonium. Hydrargyrum autem quamuis naturale sit humidum, tamen arte factum & vi ignis extractum calidum est, & suo calore potest exsiccare, & quamuis humidum etiam sit, tamen cum extinctum est saliua aut lixiuio, aut alia re siccius euadit. Ac quamuis etiam humidum restaret, dum tamẽ expurgat nimis, enectos reddere potest neruos, à quibus humorem extrahit, vt à cerebro, & à toto corpore illum extrudens per palatum. Quibus tamen rationibus ego non possum persuaderi hanc debilitatem à squallore esse. Neque video corpus tam male nutritum, neque medicamenta tam vehementia, quin ijs vehementiora etiam id squalloris inferre non potuissent. Minus hydrargyrum, quod vix eduxit materiam, potuit nimium eius eduxisse. Scimus enim, quod siccitas prima est proprij alimẽri, cur ergo non potuere nerui post purgationes tot, & tam laxis temporum spatijs interiectis renutriri? quod si ad corpus proprium neruorum siccitas prouenisset quomodo tribus id diebus factum fuisset, intemperies eiusmodi vel mensem suo ortui postulasset.

Neque enim tantus calor fuit, quantus in ardentibus febribus quarum conuulsiones sub Hippocratem auocare sentiunt Medici ab auditore fieri. Præterea verò si ab ariditate debiles facti essent, illi tensiores & breuiores essent facti, sic quomodo ergo non conuulsi, quomodo à potionibus salsæ pariliæ melius habuissent? At peius habent à præsenti salsæ vsu, à subiectis ignibus.

Nostis viri doctissimi quod prima actio caloris est fusio materiæ, vnde sæpissime sub ijs potionibus datis ad dolores leuandos illi increscunt, antequam tollantur. Præterquam quod in abstinentia, & discussione materiæ vires debiliores fiunt, quæ à Medicis non recte procurantur nisi post morbi absumptionem, tunc enim facilime resumuntur. Audistis ipsum quod etiam nunc capite grauiori est, & prono capite tam parum esse non potest, quin grauissimum id fiat. Qua propter ego aliam causam quęrerem à siccitate signis humoris præsentibus, neque dici potest quod proprio alimento priuati nerui suo ipsi corpore squallidi sunt, excrementis autem propter cruditates abundent, nam excrementis quidem abundare indicia sunt, & suopte corpore siccatos esse aliæ notæ prohibent vt dictum est.

Si ergo causa huius petenda sit ab intemperie vel cum materia, vel sine ea, certe à sicca petenda non est, minus etiam à calida, quoniam illa neruos si languentes reddat tamen id aut sustinendis diu motibus facit initio verò adeundis agiliores reddit, aut fundẽdo eorum corpus per humidum id facit, quod tandem ad siccitatem deueniat. Verum is etiam adeundis motibus ægre se habet & quamquam eos susceptos diutius sustinere non potest, tamen melius post difficile initium factum eos prosequitur. Prærerea causas tanti caloris non videmus.

Sed subiecto integumentis igne peius habuit. id quoque ob fusionem humoris potuit euenire. Igitur cum ab omni superantiori intemperie debilitas nascatur à siccitate & calore primum validiores, agilioresque fuissent nerui, quamquam postea debiliores cum immodica euasisset, & caloris, arque siccitatis notas malum prætulisset, quas non videmus. Potius materiæ crassæ notas cernentes arbitrari debemus intemperiem frigidam, & humidam esse. quæ aliquando per medicamentum discutiens & extenuans fuit diminuta, & sic, corpus eo malo leuatum, materiæ nota est citus huius debilitatis ortus & tardum incrementum sub ijsdem medicamẽtis à quibus orta ipsa debilitas ducitur, imo potius nullum fere illud, & interdum etiam leuamentum euidentissimum.

Crassitudinis materiæ signum præsto est in ipsa capitis grauitate, qua vix prono eo esse potest, quin cogatur alterius sustentatione innixu præsidiove.

Crassitudo materiæ intemperiẽ frigidiorem habere

bere necesse est, quanquam potius corporatura sua, quam genere lædat, & etiam humidiorem quamuis non ita cũ crassitudo ad siccum etiam vergat. Quomodo autẽ illata sit materia in principium neruorum, per totos enim eos neque facile diuidi poterat, neque sine conuulsione debilitatem intulisset, quãdo replendo totos neruos eos breuiores effecisset. facilis modus est, nam crassa materia medicamẽtis discutiẽtibus primo funditur, iam illa in caput propensa fuit vt ex casu pilorũ intelligi potuit, etiamsi paulatim defluerent, vt in plerisque videmus, hydrargyrum verò maxime eam in caput sustulit, & non volens demittere & efferre per palatum, vna cũ ea consedit in capite, præsertim in vasis membranas permeantibus, sic graue caput illæsis sensibus factum est, inde capite demissa febrem facit, iterũque per febrem in caput reiecta est iam infirmum factum, febris nimirum calore elata, inde post febrẽ solutam per medicamenta valẽtiora partim detracta e corpore partim commota in principium neruorum lapsa est, à venis namque capitis ad cerebri basim posteriorem facilis descensus est, sic crura, & brachia debilitata, cum quibus paulo post lingua quoque, quoniam nerui ei motum præbentes à septimo pari cum principio spinæ valde coniuncto nascuntur. & materia per potiones salsæ parilliæ, & sumptionem cõfectionis Mithridaticæ discussa primum à neruis linguæ deinde à principio neruorum melius habuit, debilitas ergo maior artuum, quam linguæ adhuc restat. in lingua enim vix animaduertitur cum libere loqui possit. Vna cum materia hac intemperies sua adest & præterea, quoniam ab hydrargyro in caput delata quoniam illud solet cum materia, quam impellit progredi, non potuit non eius multum ipsa retinere, & illius vitio & suo initium neruorum male habere, quod vitium frigidum & humidum est ni hydrargyrum artificiosum sit, tunc enim calidum est, & cum fuerit extinctum etiam siccum. Quæ cum ita esse verisimile sit, facile est videre quid futurum sit, ni subueniatur, quidque agi debeat; ac quantum spei sit in opera nostra statuendum. Materia si quidem vitiosa sic neruos occupans non potest non nisi in dies crassior fieri, suaque vitiositate eos refrigerando efficere, ne postea bene nutriantur, sic corpore suo siccescant, recrementis autem humecti fiant, & tandem paralysis perfecta euadat, est enim hic affectus in paralysis genere, solumque per magis & minus differens.

Agi vero oportere sic res indicat, vt toto prius corpore penitus, & ex toto purgato pars ipsa affecta demũ tractetur, ne si tractetur prius à corpore toto, plus eius trahatur, & remedia valẽtia in morbificas causas transeant. Ego itaque viri Optimi pergerem vt cæptum est, in eodemque instituto manerem, & salsam pariliam cum folijs betonicæ hypericonis, & chamepythiæ decoquerem, iusque ex illis darem, aliqua parte Guaiaci cum quo maior cognatio salsa habet quam cum illis admixta, non corticis, certisque diebus pilulas de sagapeno darem, neque postponerẽ illas pilulis de opopanaco, propterea quòd nunc potius extirpationi humoris, quam confirmationi capitis danda opera est, pilulis autem de opopanaco ad extremũ vterer, quoniam cum eo, quòd valentissime attrahunt, & propter Myrobalanos robur capiti, & neruis conciliant. His adhibitis iusto temporis spatio, vt dies monstrabit, ego tandem ad locum accederem, priusquam balnea medicata toti corpori darem, deinde parti nimirum ceruici fomẽta, atque etiam capiti, si prius illud per sua propria expurgassem, ad quã rem castoreum in pilulis bona portione adiungerem, quoniã expertus sum mouere pituitam ad palatum, & fauces, sternutamenta

A verò pararem & gargarismata, oleis tandem capiti & ceruici mederer & fortioribus tandem, vt oleo de cera de lateribus, petroleo, de iunipero, vulpinõ, de castoreo, de euphorbio, ipsoque euphorbio, interea non relictis ijs quæ per os vtilia esse mihi persuaderem, vt conseruis ex betonica, ex hyna, rore marino, vt quæ fit ex stæchade, vt ipse syrupus ex ea, neque putarem alienum, si acciperet etiam resinam terebynthinam, aut laricinam interiecto vsu Mithridati, Diacori, Plirissarticon & similium, de anacardina confectione non dicam, quoniam aliqua quæ in ea sumi debet ignoratur. De victus ratione minime est necesse dicere. De vini tamen vsu difficillimum est determinare, nam posset sic apto tempore dari vinum quod summopere esset vtile, &

B iuxta sententiam Auctorum in leui paralysi meracum vsui esse consueuit. Hoc verò non nisi purissimo facto corpore auderem. Dixi.

De cancro in sinistra mamilla pro Vxore Doctoris Todesch.

CONSVLTATIO DXIII.

Res cum per se euidentissima est, tum à Doctissimo viro adeò exposita, vt nihil mihi reliquũ

C factum sit, nisi vt ijsdem fere repetendis rem iterum ante oculos reuocem & reddam magis familiarem. Locus sensu cognoscitur esse in media glandula mamillæ cutemque comprehendere minime vero costas, tumor namque pendet & dimouetur. Materia quoque intelligitur facile esse melancholica, & admodum aspera, & sicca, quoniam est admodum inæqualis, & angulosus eius tumor, calor etiam cutis ad liuorem vergit, compressione quoque fit dolor qui propter asperitatem & duritiẽ mouetur. Num verò calorem acrimoniamve contineat is humor, vt melancholia potius, quam melancholicus humor sit, ego credo quòd si melancholia vera esset, acrisque vt illa esset, is humor non consedisset diu,

D quin vlcus fecisset. Hæc cognosci possunt, præuideri autem quæ mala non possunt, quòd is tumor qui hoc anno duplo maior factus est, in molem nimis tædiosam crescat & quòd humor posset feruefieri, & acris factus locum exedere, quòd etiam ob dolorem & partis infirmitatem cuiusque generis recrementa possunt influere, vnde si forte illa calida fuerint, vt esse possunt in corpore calidioris naturæ, facile in pus vertentur, & vlcere facto nouum malum conuertetur in naturam humoris veteris, & fiet vlceratus cancer.

De adiacentibus autem certi esse possumus quòd corpus calidum est, ex nigriori calore quòd ex ætate inclinante, etiam succo melancholico abundat, ex tempore etiam quo menses suppressi sunt, plus

E eius sanguinis esse potest. Nam quamuis tempus sit, quo desistere menses consueuere, tamen in corpore congerente sanguinem huiusmodi dum flueret ipsi minus illius recrementi poterat retineri, nunc, quamuis tantum sanguinis non fiat, quantum mensibus mouendis faciat, illis tamen minime currentibus, id melancholici humoris retinetur, quod expelleretur.

Ea propter non prius extitit is humor, quàm mẽses destiterint. Quid ergo agendum vt tollatur? molestia cum sit, & morbus vere sit lædens actionem iam motus brachij, actionem sensus ob dolorem, actionem nutritiuam & alias? quòd si tolli nequeat, quid agendum ne crescat? ne ferue-

ferueſiant, & vlceretur? Primum corpus purgandum eſt, & putum poſtea ſuſtinendum. Venæ ſectione ea qua & craſſus ſanguis & κάτιξιν detrahatur, à brachiove eiuſdem lateris an à crure? præcauentes nunc ſumus quare à crure primum deinde etiam à brachio ſi videbitur, nam ſi à ſolo brachio, nos ſanguinem à medio ad partem affectam incitamus, neque ſumus in motbo acuto, qui non faciat poteſtatem vt ſuum tempus opportunum habere queat vtraque ſanguinis miſſio, ne cogamur, vt in pleuritide ſemel tantum miſſuri à brachio mittere, vbi tantum eius mittere poſſumus, vt neceſſitati, & periculo attractionis ſatisfaciamus, nunc enim nō poſſumus multum ſanguinis mittere, & potius repetito debemus per epicraſim id facere, & quamuis menſtruarum purgationi, rurſus non ſit hac ætate mouendus, tamen curationis initium in ſanguine mittendo tutus fiet, ſi inde, vnde mali origo prima fuit, ſanguis mittatur. Maxime, quòd ſanguis craſſus in inferioribus potius partibus quam in ſuperioribus verſatur teſte Ariſtotele & ratione id dictante. Dicit Doctor à iecore malum, ergo à vena iecoraria dicta, dico ego primum omnes venas eſſe iecorarias, deinde in ijs quæ ſunt in cruoribus illas reperiri quæ nihil minus, quam quæ ſunt in brachijs iecur ſpectent, quæ verò ſunt in cruribus in contrariam partem à loco affecto ſanguinem reuocate.

At ſi ſecetur vena tali ſanguis pulcher effluit certe, quo venæ à medio magis diſcedunt eo ſanguinē magis confectum à partibus habent, ita ſecemus ſaphenam & poplitis venam.

Verum enim verò ad inferiora ſanguinem reuocaturi, poſſemus ſine vlla dubitatione venas ani prouocare, & poſtea ad reliquam curationem pergere, parando materiam ſyrupis præſertim violaceo, de fumoterra, de ſucco bortaginis, de pomis de lupulis, cum iure meliſſæ, borraginis lupullorū, fumiterræ, bugloſſæ, radicis dulcis & ſimilium portione etiam aliqua oxymellitis adiecta, quoniam pituitoſa recrementa non ſunt exigua, vbicumque melancholicus humor craſſatur præterquā quòd humor etiam melancholicus eſt incidendus propter ſuam craſſitudinem. Medicamentum purgationi adhibendo ex confect. Hamech, aut potius ex Hieralogidij ex præſcripto Aetij cum ellectuario lenitiuo ſiue per bolos dandum ſit ſiue dilutum, diluendo autem ex iure epithymi polypodij, paſſularum radicis dulcis, fenæ, aniſorum, cinnamomi, ſebeſten, & ſimilium, etiam quoniam melancholicus humor non facile cum reliquis requirit purgantia medicamenta. Ad ipſum proprie euocandum, & temperandum exhiberem ſerum caprinum recte paratum immixto ſucco fumiterræ, & incocta etiā ſena.

Ac quoniam diſſoluendo tumori etiam multa pars curationis attribuenda eſt, ego potiones ex ſalſa parilia darem, ac ne magis exſiccaret quā extenuaret, vellem enim potius extenuationem, coquerem cum ea, quæ vim exſiccandi minuerent, vt paſſulas, radicem dulcem, pruna ſebeſten, & id genus alia, vel etiam violas. Seu alternatim quibuſdam diebus ſerum, quibuſdam alijs ſalſæ potiones propinarem.

Quibus profectis ad locum accederem cui nihil penitus calfactiuum, aut exſiccatiuum apponerem. Nam calfactio faceret attractionem admodum periculoſam, & facile in corpore mali ſucci, quod ſit purgatum, nec ne difficile dignoſcimus, facere vero feruorem eſt maxime peſtiferum in hoc tumorum genere, olea etiam vitarem ob obſtructionem qua calor incitaretur. Veremur enim exulcerationem, qua ſit exetio poſtea ineuitabilis carnium. Humor enim quieſcens non ita facile exedit, ſed permotus ichorem ſuum in excrementa vlceris exprimit, qui motu ſuo erodit in oleis quidem non cenſerem oleum amygdalarum dulcium quoniam abſtergit, nec tam ſupernatat aquæ, & non ita difficile permiſcetur aquoſis rebus, tamen maxime anodinum eſt, quo vterer cum dolor tentaret, ſicut oleo de vitellis ouorum & ſimilibus alijs lenientibus.

Mammam ego celleriam faſcia ſuſtinerem ne pondere ſuo tumor laborem, & decliuitate laboreque humorem moueret & attraheret brachium etiam quietum continerem, ne in eam partem humor incitetur. Purgationem vero dictam bis in anno facerem, & quoque menſe ſemel aut bis aliquo medicamento vteter pro temporis ratione, vt æſtate flore caſſiæ, alijs temporibus folijs ſene cum lenientibus iam dictis.

Sed ſumma diligentia in ratione victus habenda eſt, qua omnes veteres carnes tam terreſtrium, quā aquatilium omnia legumina, omnia ſalita, cruda & auſtera ſunt fugienda. Ex oleribus tamquam peſtis braſſica vitanda lactuca quando præſertim æſtate admittenda, nunquam beta. Seligenda vero borrago, bugloſſum aſſaragi maluarum raro meliſſa. Caſeus quoque vetus maxime vitandus. De vinis ſumma diligentia, ſi delectus habendus vt tenuia penitus, & minime auſtera ſint, ſed ratione victus erit in dies mouendum.

Viſitaui ipſam tertio poſt anno cum exulceratus ei tumor eſſet & maximam mamillæ partem exedile tamen curatione conualuit & fouea relicta vlcus cicatricem accepit, cui Aegyptiacum vnguentum cum aceto.

De febre maligna pro Io. Maria Venturino.

CONSVLTATIO DXIIII.

Viri optimi atque Doctiſſimi nulli noſtrum dubitatio eſt, quin hoc febris maligna habenda ſit, & à vobis propterea remedia vſu quotidiano recepta ad febres malignas ſunt propoſita. Verum ego non poſſum non aliquam conſiderationem habere febris malignæ, & differentiam cum multæ ſint obſeruatæ malignorum morborum eam ipſam diſcernere in qua febrem hanc ego video eſſe, feligere vero maxime remedia ad eam accommodata ex ijs, quorum cumulus eſt congeſtus ex omnibus remedijs ad malignas febres propoſitis, & ad diuerſas longe febres facientibus, huic etiam contrarijs. Malignam febrem ſtatim facimus cum peticulas dictas videmus, quæ ſunt maculæ plerumque ſine cutis aſperitate, & tamen illas ſæpe in tertianis ego vobiſcum vidi penitus intermittentibus, quamuis longioribus, vidi etiam in nobiliſſimo Hortenſio Peregrino denſiſſimas illas & nigras ſine febre, ſine vllius actionis læſione. Vidi pariter in puella filia Comitis Gentilis Turriani, qui malo multos poſt menſes mortui, ſunt illæ ſento ſanguinis, hæc fluxu alui ſanguineo malignas etiam febres nos facimus cum vrinas turbidas cernimus. Cum tamen in dies in febribus minime malignis, & in corporibus etiam ſanis, ac nulla actione læſæ turbatiſſimas turbulentiſſimaſque conſpiciamus.

Certiſſimum illud indicium ducimus malignitatis, cum per pulſus imbecillitatem virium ſubeſſe intelligimus ſtatim, & antequam communiter à febre fieri conſueuerit, hoc proprium malignitatis videtur, & quoniam proprium eſt, ſi explicetur in

in suas causas, illæ omnino naturam malignitatis continebunt, causæ subitæ imbecillitatis, & supra consuetudinem incidentis aut est repentinus omnis alimenti defectus, aut aliquid, quod contrarium illas necet, hæc in febre quærenda sunt, cum proprie in ea casus versetur, in eiusque putredine aliqua maior causa perquirenda est ipsius imbecillitatis. Ergo vel putredo vniuersim omnes succos occupabit, vel aliquid princeps viscus, aut putredo ipsa pessimi erit generis, & naturæ penitus contraria, aut vtrumque vnde sæpe breui homines necat. Galenus Erysipelata pulmonum facere malignas febres dixit, idem Synochus cum putredine reddere vires imbecillas monet, tum vlcera maligna nominat, quæ mali generis pus, seu putredinem malam habent. Malum autem putredinis genus quod ad rem nostram attinet illud est, quod nō ad maturationem, hoc est, ad boni puris speciem, sed ad diuersum tendit, atque vt bonum pus alimentum potius ipsis partibus secum affert, sic malum putredinis genus partes nutritione priuat, vt bonum pus quadam similitudine partes fouet, sic malum sua vitiositate dilaniat. Quod quidem facit, quoniam vel acerrimi, & feruidissimi caloris est, squallidæque naturæ, quo insitum humidum absumat humoribus, & etiam partibus eos cōtinentibus vnde earum calor exterminetur, vel id facit, quoniam tepido languidoque calore quodam calorem humorum vna cum insito eorum humido euocat, sic tonum eorū naturæ, hoc est mixtionis resoluit, & mixtum dissipat, quæ propria mixti corruptio est, quoniam viam penitus contrariam mixtioni tenet, imo proprie hic dicenda putredo est, quæ porrò sic, non solum proprium humoribus tamquā mixtis affert interitum, neque eorum optimis parcet sic pus priuando suo alimento, sed suo genere contrario naturæ mixti omnibus partibus officit, viresque earum demolitur. Tot igitur causis nasci maligna febris videtur, nimirum aut ab occupato principe viscere, aut toto genere sanguinis, aut à pessimo putredinis genere. Porrò autem maligna febris, cum fiat malignissima sæpe, perniciosa quoque sæpe est, propterea si velimus illam tantummodo tamquam malignam indicare, & à perniciosa distinctam, nos ipsam adhuc sub metu spem etiam salutis retinentem definiemus, & malignam non malignissimam appellabimus.

Sic à perniciosę finibus spei vna & metus includentes, separabimus, vt cum perniciosam significare voluerimus, nec illam malignam tantum dicemus, neque intra fines spei eam retinebimus definientes, sed illis penitus excedemus. quod dictum est ad sensum Galeni primo prorrhit. cap. 14. atque etiā tertio Epid. cap. tertio probl. 12. ibi malignam distinguentis à perniciosa, hic notam maxime malignitatis nigram vrinam facientis, quæ perniciei nota est. Sed hæc de causis infirmitatis virium in febribus malignis, quibus causis earum malignitas proprie continetur. Si enim communiter de virium infirmandarum causis loqui vellem, dicerem latius, vt quod imbecilles fiunt vel quoniam opprimuntur etiam à copia boni succi, vel dissoluuntur & hoc aut nimio calore, aut inimica aliqua vi, aut alimenti defectu. Inimica porrò vis sępe non solum frigus est nimium vti calor quoque sed alicuius tacitæ, & ineffabilis contrarietatis, qualis est quæ qualitatum complexionem sequitur totam, quæ contractas, quamquam se se complectentium qualitatum sit, quæ per se manifestę sunt, certum tamen modū temperamenti continent, qui explicari non potest. In febribus omnes hæc causæ possunt incidere, & in putridis vna omnes sæpe vires affligunt, nam sæpissime quidem calor squallidus per sui excessus contrarietatem, & dissolutionem alimenti id facit, vt in hæctica.

A In putrido verò non solum suo squallido calore, sed suæ materiæ occupatione infestus est, & quandoque caloris vis non tam aperte vires demolitur, quod occulta quadam inimicitia suæ pessimæ naturæ, vt si fumosus cum sit fumus ab humore melancholia dicto & veneni speciē habente tollatur à melancholia namque ineffabiles species mali fumi offerri possunt, adeò vt etiam venenosæ esse queant, hoc est dicta ineffabili vi calorem insitum, & naturalem oppugnantes.

Cum ergo vires semper à morbis lædantur, alioquin actiones non læderentur, imo morbi ipsi sint facultates ipsę læsæ vt hæ naturę sunt, à febribus autem propter temperiem læsam in qua vita, & natura corporis est, propterea autem quod febrium intemB peries in corde est, vires vitam continentes maxime affliguntur, illę itaque febres, quæ supra morem nimis cito vires labefactant, malignæ vocantur, quasi latenter, & præter omnem expectationem id faciant. Ex his malignis verò illę perniciosæ & mortales & malignissimæ seu extreme malignæ dictæ sunt, in quibus vires penitus labuntur, adeoque nullus spei locus relinquitur. In quibus autem sub tanto metu spes tamen salutis relinquitur, illæ simpliciter malignæ dicendæ sunt. Vt illæ quibus cito infirmiores nō valde fiunt vires etiamsi aliquis metus sit interitus & si dicendæ non sint salubres, tamen benignæ seu simplicium morum & bonorum dictę sunt, in quibus vero nō solum vires non citius C infirmantur sed super vires certe morborum sunt, illæ salubres dicuntur. Malignæ ergo eam habent conditionem, qua longe citius vires infirmæ fiant, ne dum metum mortis afferant vt etiam multæ bonorum morum, sed cum mortis metu, spei tamen locum etiam permittant, sic non perniciosæ non extreme malignæ, sed simpliciter malignæ nuncupantur, non simplicium morum sunt, vt illius etiam multæ metum faciunt non sine spe salutis, quoniam simplices nequaquam cito vires euertunt. Malignæ ergo cum malignissimæ sunt tunc cum ὀλεθρίοις, & perniciosis communi eo genere continentur, quod metum faciunt mortis, vt simplices quoque cum idē faciunt, differunt autem à perniciosis, quod perniciosæ metum faciendo nihil spei salutis relinD quant, hæ verò à metu periculi spem eam salutis non disiungant, verba Galeni primo prorrhiticorum particula 14. hæc sunt, κακοήθε δὲ νοσήματα καλοῦμεν, ὅσα κίνδυνον ἀπειλοῦντα τοῖς κάμνουσιν οὐκ ἀποκόπτει τὴν τῆς σωτηρίας ἐλπίδα. Malignos morbos autem vocamus quicunque periculum minantes laborantibus, non circumcidunt spem ipsius salutis cui generi maligno opponit εὐηθὲς, & ἁπλὸν bonorum morum & simplicem primo de crisibus cap. 3. in alijs libris quandoque nomen maligni ad vlcera, difficilia esse sine periculo vitæ traducit.

Sicuti apud Galenū interdum liberum nobis videatur dubitare, num mortalium morborum & metum mortis facientium aliqui simplicis moris reperiri possint, imo num aliqui morbi simplicis moris E interdum metum mortis facientes spem retinentes sint, certe malorum morum sint multi qui nihil metus faciant vt vlcera dicta, & simplices morbi sunt, quoniam & interitum afferunt, & qui metum non sic coniunctum habent. Itaque verba suprapos ita non sunt definita contra morbos malignos nisi contra perniciosos, nam sunt ponentia quandam differentiam qua secluduntur maligni à mortiferis & ὀλεθρίοις, quoniam in mortiferis, & pernitiosis nihil spei relinquitur, vt in malignis simpliciter dictis non malignissima ostendendo, quod qui dicit malignum solummodo, non dicit necessario mortiferum penitus. Quoniam vero appellat morbum mortiferum nomine maligni non

apre

apte nec distincte proprijsve appellat, vt supra Galenus proponebat subiuncturus differentiam suprapositam illis verbis ἐσχάτως γὰρ ὀλέθριον ὂν τὸ σύμπτωμα προσηγυρίας ἑτέρας ἐδεῖτο.

Symptoma namque quod est extreme perniciosum nuncupatione alia opus habebat, hoc est quam maligni. Verum quoniam ex loco proposito Galenus non seiungit à pernicioso malignum, nisi quòd non tollit spem salutis, videtur ipsum à pernicioso non separare metu ipso per se accepto mortis, quasi omnis morbus malignus secum mortis metum habeat, quod malignis omnibus vlceribus commune nō videtur. Tamen in re nostra malignum omnino cum metu fuerit, cum morbus, de quo sermo est febris sit, quæ maligno semper metum dictum habet, quòd vero non omnis febris cū eo metu coniuncta nobis maligna dicenda sit, certum faciunt multæ febres quotidie periculosę dictę, aperte vero hectica illa quæ maligna non est, cum nulla hectica sit sine eo metu.

Ita vt quamuis mortis metus neq; solis malignis morbis, neque omnibus conueniat, non omnibus, quoniam vlcera maligna nihil metus mortis pleraque habent, non solis, quoniam præterquam à pernitiosis morbis metum maxime facientibus non accōmodatur nomen maligni, sed potius extreme maligni, hoc ipso.n. non seiungitur genere suo à metu, reperiuntur etiam multi morbi metum faciētes qui maligni non sunt, & si spem aliquam salutis retinerent, vt multæ febres quondam dictæ periculosæ, & certissime in genere febrium hecticarum quando ambigunt medici quo in gradu fuerint, vt hydrops aliqua, vt apoplexia, & multi alij. Sed longius progressa est omnino quam voluissem, iam me colligo.

Nos cū in febre putrida vires labefactari cito nimis sentimus, & inde metuimus ægro, non tamen spem penitus abijciendam putamus tunc ex ea cita virium læsione febrem malignam esse ducimus, eoque nomine eam appellamus. Sic genus febrium malignarum ea nota informamus, quòd vires cito nimis labefactat. At febris maligna cuius ea informatio constituta est, eo modo quo collegimus vim suam à putredine habet, viriumque eam diminutionem generi malo putredinis attribuimus, aut quòd illa in morbi venenoso genere aut in viscere principe fit, etenim cum in genere triplex putredo fit, vna quæ maturatio inutilis humoris ad separationē eius est, in puris similitudinem facta, altera quæ ad corruptionem penitus tenuerit siue exustionis siue proprię putredinis fit, tertia quę inter has ambigit multarumque differentiarum, & ineffabilium. Primam putredinem simplicibus febrimus cōcedimus, quoniam ex ea nihil metus fit, viresque potius ea maturatione firmātur & aluntur, vt in apostemalibus fit bonum pus facientibus, ibi enim carnes pus continentes bene nutritæ cernuntur, & ratio est, quoniā ea puris confectio & putredo non caret concoctione, cum in similem speciem alimenti materiam illā conuertat, quare in summo putredinis illius incremento vires melius nutriri, & valere maxime ad crisim possunt, & summa etiam cibi abstinentia potest haberi donec putredo, & febres summæ sunt. Alterā & huic oppositam extremeque contrariam putredinem mortiferis febribus, & penitus perniciosis damus, cum per eam corruptio fiat penitus, quæ solet vires non solum ob alimenti priuationē, sed ob vim malam diminuere, qua & spiritus, & humores etiam contagio suo corrumpit, cum enim tam distet à maturatione, vt extreme ei opposita sit, necessario totam vim corripit, humoris vsque ad intimum, & nexum ipsum arctissimum calidi & humidi petit vel humidum absumendo, vel euocando quod glutinosum cum sit, etiam adhæresit, vnde valentissima

A sit ad corrumpendum & ad vitiandum vicinos omnes humores, tanto enim valentior est, quanto in oppositum magis recessit. sic saluti sperandæ locum non permittit, pernitiosisque penitus morbis danda est, Media autem cum ambigat neque salubribus, neque perniciosis penitus, aut extreme malignis sed medijs & malignis simpliciter attribuitur, quę non tam corruptiua est, quin aliquid etiam maturationis retineat, & vtram in partem processerit vel simpliciorem morbum vel perniciosum magis facit, quæ sane putredo in casu nostro fuerit, in quo vires citissime valde labefactari intelligimus, & ita nobis curationem morbi quęrentibus necesse est videre, quo modo hæc putredo ad meliorem gradum queat reuocari. quod sane fieri non poterit nisi naturam

B huius putredinis dispiciamus & quid nam postulet in sui emendationem. Putredo omnis fieri soler cum materia calida humida aut alieno loco eoque calido, aut & proprio minime perflato tenetur, vt quando alienus est, alieno calore afficiatur, vt cum humor extra venas carnibus alendis minime natus aut quamquam ad id natus, quando non perflatur necessario alienum calorem etiam suo loco concipiat, vt cum sanguis in apostemate conficitur, hæc causa communiter cuique putredini satis idonea est, maxime autem vbi corporis calor innatus infirmior fuerit, aut materiæ, seu humoris natura caloris natiui actioni durior rebellior ve, vt à calore tantummodo præter naturam excitato male tractari, non etiam à naturali corrigi queat, quod

C accidet, aut quoniam materia nimis mali succi fuerit calorisque valde imbecillis, vt sub vsu praui succi ciborum euenit, aut quoniam obstructio vehementior fuerit, vt in corpore crassis succis nimis referto seu illis crassis ad meatus inuisibiles, & venas minores per laborem, & subitam calefactionem productis & à refrigeratione subita compactis, aut quoniam cum his partes etiam succum continentes infirmi caloris fuerint, vt in prauis constitutionibus cum longæ fuerint & prauis hominum naturis cōtingit.

Mediam ergo conditionem putredo subibit, cum medij generis causas nanciscetur, nam calore partium corporis valentiori, succorum etiam

D genere meliori, obstructionibus præterea, minus firmis, minusque occupantibus putredo ad maturationem potest magis accedere & minus, cum contra magis res se habuerit.

Verum vt supra proponebam mihi vsu venit etiā obseruare aliam putredinis differentiam, etenim cum putredo in animantibus viuis propter calorem igneum, quem accendit, non tam putredinis, quam exustionis speciem præseferat. vnde Galenus interdum exustionis, interdum purredinis, & corruptionis nomine eam vocet, videre licet aliquam putredinis maiorem speciem præseferre, illa quidem quę maturatio ob caloris naturalis multam partem est, putredinis quidem solet potius nomine quam exustionis nominari quamuis proprie magis matura-

E tionis nomine diceretur, nam Aristoteles etiam exustionem vocat cruditatem, putredinem verò non sine coctione esse affirmat, sed de illa nunc non dico.

De corruptiua putredine & exurente dico, quòd in suis excrementis & signis duplicis naturæ intelligitur, & quædam eius notæ exustionem, quædam corruptionem, & putredinem magis indicant, siue materiæ illa calidioris, siue frigidioris sit, nam cruda & pituitosa nos recrementa sæpissime asperrima & exusta cernimus quamquam etiam putrida quandoque & liuidiora sine asperitate illa videamus, quòd non solum in vlceribus, vulneribusve, sed in vrinis quoq; licet animaduertere, maxime tamen

men in sinubus purulentis, exustio namque ibi esse per putredinem non potest, vbi calor naturalis obrutus, & diminutus non solum temperamento suo non valet, sed neque ad igneam vim potest traduci cum vt in gangrenis omne genus caloris ea oppressione extinguatur, certe natiuus vna cum suo humido euocatur, & humor dissoluitur. Vnde accidit nõ raro vt minus febris iudicetur cum proxime interiturus homo est, cum febris peior euasit, quamquam si febris à copia malorum, non ab acrimonia caloris æstimanda sit, contra res habet in abscessibus: exẽplum opportunissimum nobis illius rei est cernere. in illis enim sępe calor. & feruor minuitur cum pus deterius euasit. Hæc ergo diligentissime sunt animaduertenda in putridis febribus, & ante oculos habenda, quo naturam earum recte metiamur, & quòd euenturum sit præuidere possimus, faciamus hoc in febre nobis nunc credita. Videmus nos eius materiam esse crassam & pituitosam ex qua febris non admodum vehemens fit, videmus eius putredinem ad exustionem tamen conuersam; Nam vt copiam pituitæ, & crudi humoris vrinæ crassæ, & perturbatæ indicatunt, sic postea clarescentes, & sedimentum asperum habẽtes ipsam pituitam exustione per putredinem confici certum est, & quoniam vires diminutas cito vidimus, hanc putredinem non multum maturationis plurimum verò corruptionis habere debemus indicare, nam & cerebri & iecoris vires valde languere cernuntur. torpore etiam quodam sensuum internorum ad capitis grauitatẽ accedente, pulsibus paruis & crebris, neque valde remittentibus, & alui, atque vrinæ recrementis sic exustis, & crudis. Et quoniam hæc signa non mortem, sed longitudinem & difficultatem salutis ostẽdunt, malignam potius, quam extreme malignam, aut perniciosam febrem esse dicendum est. Quibus sic habentibus restat videre quid sperandum, aut metuendum sit, & quid prouisionis à nobis præstari oporteat. Cui rei necesse est, videamus, quid nam agat natura, quo in statu sui operis sit seu ad quem terminum peruenerit, siue ad victoriam ipsa, siue contra progrediatur, sic enim & genus morbi, & magnitudo mos, & metus clara erunt. Motio naturæ in simplicibus morbis agitatur obscurissime in morbi principio, ea verò cernitur aperte morbo increscente, quoniam maturatione incipiente feruor materiæ increscit, & cum maturatio summum incrementum obtinuit, morbus quoque summam sui magnitudinem obtinet nec vires tũc alimento priuantur quoniam maturatio summa est, cũ vero plus dissoluitur materiæ quam maturescit, tunc feruor inclinat, & morbus. Vnde in febribus intermittentibus possumus dicere tot maturationum circuitus progressionesque esse, quot accessiones, & tot partes materiæ ac quasi tot morbos esse. Vnde sudores inclinantibus accessionibus succedentes maturationẽ factam sequi dicendæ sint. In quibus etiam vobis liceat in fine cuiusq; accessionis eosdem sudores mouere. Proptie vero etiam in eis euenit, quòd cum natura materiam moueat incipiente quaque occasione & extra venas propellat, non solum nos possumus post maturationem eius sudorẽ mouere, & vrinas etiam & humorem per aluum quoque mouentia exhibere, vt facit Galenus libro ad Glauconem, sed in initijs quoque accessionum tamquam initijs morborum possumus naturæ motionẽ iuuare & in melius retrahere, in vomitionesque materiam conuertere admodum vtiliter. quæ in continuis febribus toto suo vomitu vni accessioni respondentibus fieri non quaque die, sed semel aut bis in toto febris decursu ad rationem iam dictã licet, in principio enim quamquam natura non moueat, sæpe tamen necessitas mouendi offertur, & sæpe mouetur

A ad internas inflammationes faciendas à quibus retrahenda est, maturatione autem facta certa vtilitas proponitur. Necessitas mouendi initio morbi fit cum materia nimis multa, nimis morbum auctura est, vel molestissima corpori adeo eius vires exagitat vt verendum sit ne vel exagitatione in principẽ partem lapsa interficiat ægrotantem, quod materia non solum sui mala vi, sed copia solet moliri, tum in febribus perniciosis, si præuideantur, quoniam nullus alius spei locus relinquitur quam in diminutione materiæ solemus eam pariter diminuere ac si esset illa quæ naturam male exagitaret eo verò maxime, quoniam perniciosæ febres aut in mala, aut copia nimia materiæ, aut eius motu in principem, & necessariam maximæ vitæ partem facto tales sunt, B vnde plurimi intereuntium sub ijs febribus, aut capite, aut pulmonibus, aut corde, aut etiam iecore corrupto inueniuntur, rari quidem certe toto genere venoso ex corruptione sanguinis affecto. Vt tutissimum consilium sit in febribus generis grauioris initio materiam omnibus modis diminuere, perniciosis enim factis frustra expectamus coctionẽ, morte potius eam præuentura, cum diminuta materia spes aliqua comparari queat salutis. Nos ergo simus, si signa sequenda sint, initio ipsius morbi cum non dum indicium maturationis vllum extet, caput vero valde affectum videmus, quòd materia in ipsum conuertatur impedita ob vehementes ambitus obstructiones, quæ facta sunt, cum ipse ad subitum C frigus e sudore transierit, & humores crudi fusi per calorem à frigore concreti in meatibus ambitus corporis inhæserint, vnde materia collecta magis, & exagitata in venis fluens, facile in caput illapsura sit, experimur nos sæpissime grauedines & capitis dolores, & sanguinis profluuia per nares propter corporis medij calfactiones & subinde factas refrigerationes euenisse, quamquam sæpius thoracis partes ex subitis frigoribus condolescunt, quoniam tenuioribus humoribus ad fluendum opportunioribus sunt magis obnoxiæ, vnde in squalloribus non admodum quidem calidis & in tempestatibus magis inconstantibus facilius afficiuntur; dixi non admodum calidis squalloribus, quoniam in ijs potius inferior venter humores accipit. Ergo nos possu- D mus facile persuaderi e re futurum, si aliquid humoris, qui posset ad putredinem accedere, vel ad partem aliquam principem ferri dum vel copia, vel vi sua inimica naturam irritat, exhauriremus. Etenim natura nondum humorem complexa, aut maturationem exorsa est, cui nostra opera solent esse impedimento ita metus non est, ne naturę opus maturationis perturbemus, quòd si vereamur ne vias minime apertas iecoris humor non extenuatus sit infarcturus, quando illę tã angustæ sunt, vt si in natura ferum cum chylo coniungeres perpetuo obstructionibus essent obnoxiæ, possumus aliquæ potionẽ ante propinare. Sed etiam cogitare num sanguine mittendo idem auxilium præstare queamus. Qua in re diligens admodum peruestigatio neces- E saria est. Nam primo aspectu videretur id faciendũ, quòd morbus magnus sit, quòd vires aliquæ etiam constare videantur, quibus duobus propositis necessaria est sanguinis missio. At in hydrope, in frigida apoplexia ea necessitas non cernitur magnis morbis, & viribus sæpe constantibus. Ea est fallacia, quoniam vires ad sanguinis diminutionem ferendam satis futuras appellamus constantes, quales non sunt in morbis dictis, sed purgantibus valentioribus pharmacis satis sunt, quæ magnas vires requirunt. Non tamen satis sunt, vt misso sanguine, in quo ipsæ sunt positæ postea constare sub morbo queant. At quid habet virium tolerantia, cum mittendi sanguinis necessitate? idem fere quod habet

virium

virium tolerantia in magnis morbis cum victus ferenis præcepto, etenim cum sanguis sit quasi alimentum, nondum tamen factum sit, neque vitam indue rit, eget viribus viuentibus ipse quoque, quamuis illas alendo sustentet, vt moderatio summa sit adhibenda, ne aut eas opprimat, maxime cum morbi nouo labore occupantur, neue eis sustentandis desit, quod de cibo fere statuendum est, quare vt onus esset semper in magnis morbis cuiuscunque generis ille esset diminuendus, modo tantum eius remansurum esset, quo vires se se propagarent, vsque ad morbi victoriam, ita infirmioribus viribus alendis relinqui debet, vt vel in hydrope, vel apoplexia id perpetuum cernatur, mittendus namque in ijs quoque esset morbis quo naturæ leuior fieret sanguis relictus, nisi vires eo tamquam alimento meliori egerent, nisi eo mittendo minus valentes fierent, ad humores frigidos vincendos, cum quibus frigidis sanguis pugnat, & in eo a partibus naturæ stat, potiusque crudi humores essent detrahendi si vllo onere natura foret leuanda.

Vidimus etiam cum cibo sanguinem conuenire, quoniam vt cibus morbis etiam materiam præstat, sic sanguis quoque affluit ad læsas partes in morbis maioribus, & propterea in illis semper metum facit morbi augendi, quare ni ei obstet humorum frigidorum copia cum quibus pugnandum sit etiam per sanguinem, cum onus minuendum est sors potius in crudos humores quam in sanguinē casura sit, quare sub eo metu sanguinis effluxuri semper sumus, & ita in eo morbo, in quo contrarietas crudorum non est illum semper diminuere debemus consultis prius diligenter viribus non solum ad cruditatem, sed ad corporis genus ad ætatem, ad anni tempus ad tempestatem ad longitudinem morbi respiciēdo. Quid ergo in morbo hoc facere debemus? magnus quidem est, at vires? sunt ne satis tolleraturæ morbum, & sanguinis missionem iam infirmiores factas pulsus indicant. Eo tempore quo sanguinis missio morbum tollere potest, non est ambigendum, quibus & vires quantulęcunque sint tolleraturę sint, quę semper sublato morbo facile reficiuntur sic satis cōstantes censendæ sunt. Quare in principijs morborum cum per sanguinis detractionem eorum incremento occurrere possumus, in tuto omnino id habetur, post principia vero multo examine eget. Nam post primum principium communiter acceptum, & ad numerum dierum metiendum, morbi aut maturationem incipiunt accipere, quæ naturæ opera non esset perturbanda, aut corruptionem, & tunc vires periclitantur etiam si putredo illa ambigat inter corruptionem, & maturationem, & quamuis eo tempore morbus nondum notas maturationis recipiens in principio esse dicatur certa quadam artis nostræ significatione, tamen nisi admodum vires superent, tunc sanguinis missio tuta non est corruptione irrepente iam latius? In re nostra modo quid decernendum est. In corpore hoc plus materiæ crudæ est, quam sanguinis metus, si notas consideremus, & præterea iam putredo increuit, & cum eo non increuit ad maturationem quantumcunque putredo progressa sit, sed ad exustionem. Notæ harum rerum sunt somnolentia, pulsuum paruitas, vrinæ albę cum encoremate, & hypostasi aspera, totius corporis lassitudo tensiua, & languor, nulla sitis sub tanta febre, & iam 7. diebus vexante, lingua alba, & similia, quibus etiam corporis genus, & ætas, & cæli tempestas quæ primū longissimis frigoribus, postea non minori humiditate affecta est, & supra omnem anni temporis consuetudinem. De vitæ studio non dicam, quoniam id adegit potius motum materiæ, & illam ad corporis ambitum per labores, sudoresque in subita frigora incidentes, quam materiæ ipsius modum auxerit. Sanguinem ergo detrahere vererer, sed motionem habet in caput, & in partes alias principes certe aliquo auxilio auerterem, multifaceremque omnino hoc periculum maxime, quoniam nescio quid tremoris, & potius leuis conuulsionis in manibus sentio, & mentem satis conturbatam, hebetemque, quare ego cucurbitulis ad suras applicatis cute etiam incisa tentarem motum illum in diuersa, seu contraria retrahere, idemque frictionibus etiam molirer non si dorso, aut brachijs certe cruribus illas adhibendo, dorso enim non nisi maturata materia, & interiori etiam plenitudine diminuta, vel lenissimas penitus adhiberem alioquin enim & frictiones valentiores, & cucurbitulę copiam crassorum humorum e maioribus in minores venas retraherent, & obstructionem augerent. Vnde ego non facile illis in dorso vti soleo nisi vbi tenuiorum humorum coniectura est, quemadmodum in pleuriticis malignis hoc est ex erysipelate pulmones etiam complectente esse consueuit, si prius tamē sanguis per easdem ad fæmora, seu suras fuerit retractus, vel exanthemata eminentia efflorescant, quibus verisimile est naturā tentare aliquod leuamentum, vel etiam si fuerit symptomaticum, & videatur vtile futurum, quamquam Galenus nolit esse symptomaticum, quod naturæ beneficio fit lib. de symptom. nam finem a natura expetitum consequitur, lis summa est, sunt enim febres malignæ, in quibus materia tantę cruditatis, aut crassitudinis non est, in quibus vrinæ fuluæ potius quam albæ sunt, quamquā crassæ, & perturbatæ, in ijs ergo minus vereor postquam cucurbitulas suris applicui, illas dorso etiam applicare.

Quod si febris maligna alicui affectui priori superueniat tamquam symptoma, tunc in locum affectum consilium conuerto, neque enim ratum est illud, & præter Galeni sententiam quod ad erysipelata pulmonum sequantur febres malignæ. Videmus nos quoque apertius in vulneribus capitis, & aliarum partium principum, in quibus propter putredinem ibi conceptam, qua partem principē comprehendit febres malignæ excitantur, & tunc Medici chirurgi se se excusant de suis pollicitationib. causamque reijciunt in physicos, qui malignę febri non occurrerint, si etiam symptomati alicui superuenienti, vel symptomatico, aut secundario morbo sit occurrendum pariter consilium ad id dirigerem, vt hoc nostro in casu euenit quod rarum non est, videbitis enim etiam apud Hippocratem difficultatis respirandi crebram mentionem in continuis febribus nimirum quod materia in pulmones afferat tumorem, certe in nostro ægro capiti videtur metuendū, suris ergo cucurbitulas admouerem, incisa etiam cute, & frictiones cruribus quotidie adiungerem, medicamentum purgans, aut potionem frigidę non ita facile propinarem his diebus, quibus neque in eo principio sumus, in quo natura non aliquid agat penitus, quin medicamento perturbetur, neque materia cōcocta est, quæ sine difficultate possit elici, imo cruda vix dimoueretur, & concoctionis motum interrumperet, frigidæ autem potio neque crudę materiæ, neque huic ętati conuenire videatur, quamuis Galenus eam in continuis febribus proponat libro ad Glauconem non multis exceptis, cum tamen ait, si febres valde calidæ sint, & diutius durant, credo excipere omnes has, tam crassis humoribus coniunctas, cum dicit, & diutius durant, & adiungit vero etiam, cum primum coctionis notę apparuerint, negat hac nostra 7. dierum febre, & cruditate id remedium conuenire.

Potius ego materiæ putrefactę relinquendæ quæ in huiusmodi crassis humoribus solet multæ superesse, & materiæ subinde putrefaciendæ cumulum augere,

gere, detrahendis operam nauarem, sequutus Galenum in libro ad Glauconem, & quæ mouent vrinā, & leniter etiam aluum propinarem, vt rhabarbari aliquid, loco absynthij, vt syrupos ex lupulis, & cap. Veneris, & similes quamquam enim continuatim materia non inueniatur quoque die matura, vt in intermittentibus ex parte cum semper est aliqua eius pars sub putrefactione reliqua, præterea malę putredini occurrerem, & vna materiam maturationi pararem, incidentibus maxime, & ad certum tempus etiam exsiccantibus, dico ad certum tempus, ne postea coctionem impediant, cor vero etiam a fumis illis malignis tutum redderem, itaque cum illis syrupis acetosum componerem, & de succo citri, pulueres darem cum syrupo ex s. citri, ex margaritis, ex bolo armena, & potius ex cornu cerui vsto non loco ex radice pentaphyli, & tormentillę, atque ex scordeo. In potionibus quoque succum citri commiscerem, & linguæ ariditati deliniendæ eundem succum ex saccharo percoctum præberem, aut oxalidis, aut cærasorum acidorum, aut mali punici acidioris, deuenirem etiam ad succum eorum malorum cum saccharo mixtum non coctum, clysteribus quoque materiā ex capite auerterem altero quoque die inijciendis. Coctione autem materiæ perspecta purgarem ex parte materiam, quam scio non vniuersim totam maturam futuram, ex diacatholicone melle rosaceo solut. recenti diaphænicon, cum manna permixtis, atque expressione ipsius rhabarbari macerati.

De victus ratione id in memoriam reuocarem, tempus, quo incipiunt quotidie febris incrementa, vitandum esse, etenim in febribus, quæ ab alijs humoribus, quā a feruore sanguinis nascuntur, semper aliqua incrementa in dies, vel singulos, vel alternos, vel quaternos cernuntur nisi biliosus humor parum a natura sanguinis discesserit, tunc enim potest sanguinis morem tenere, præterea cum putredo ambigat adhuc maturationis ne an corruptionis finem habitura sit, ego in victu viribus consulerem, quæ a putredine corruptionis participe valde solent debilitari, ita tamen me gererem, ne ipsam opprimerem neue ab actione diuerterem necessaria saltem facillimis concoctu, & minime recrementi cibis præbendis, & facilioris etiam distributionis. In potionibus, & iusculis verò adhiberem quæ distributioni prodessent, & putredini ac obstructionibus resisterent, vt acetum, vt acetosa, vt succum citri percoctum cerasia acida, mala item medica, & similia, somnum quoque horis incrementorum esset fugiendum declinanda vero omnibus horis tristia, iucunda autem cogitanda frictiones extremorum, & totius esse corporis, sed lenes, & longæ adhibendæ quibus materia crassa, crudaque non attrahatur, non meatus impleat, sed potius in ijs subsistens discutiatur, percoquaturque, quæ varianda erunt, vt in dies videbitur opus esse. Dixi.

De febre maligna pro Antonello Todeschino.

CONSVLTATIO DXV.

IN corpore humidiori, & carnium valde laxatum, in ætate 63. annorum post acceptum subitum frigus propter demissa integumenta hæc febris leui cum frigore accessit iam 10. dies sunt cum pulsu maxime inæquali cuiusque generis inæqualitatis, cum lotio valde confuso perturbato turbidoque etsi non admodum colorato, calore acri, & valde firmo, quem ipse non sentit. Quærit iam tua Excellentia quid nam agendum sit.

Rem vt iam percepi ob oculos constituam prius, hoc est multa humorum crudorum copia, vt turbatio vrinarum, & crassitudo ostendit, a qua quamuis caput se se defendat nihil detrimenti inde adhuc nactum, aut in somno nimio, nimiave vigilia, aut delirio vllo, tamen non penitus intactum est, quoniam somnus non penitus pro ratione se habet, & torporem quodammodo, & grauitatem affert, ita nerui ipsi debiliter admodum in mouendo se gerūt & præterea in reliquo corpore notæ nimiæ eius copiæ multæ sunt, nam vix potest quietus esse quin semper cruribus locum cōmutet, quod molesti oneris, & facile mordacitatis indicium est redundātium fæmorum, fauces fere tumentes sunt, & dolēt, quod a redundantia eorum, quæ in vasis totius pectoris, & pulmonum versantur euenit spiritus est, quod iam redundare ad cauitates tracheæ molem denunciat, & pulsus ipse inæqualis habet multos paruos, & admodum crebros ictus, & in summa cum surgit e cubili, vix se se potest sustinere. Tantam hanc copiam esse mixtam, & crudis, & etiam biliosis humoribus vrina ostendit, contenta namque crassa, & cruda habet, non tamen aquosa est, vt in alijs hoc mense eiusmodi febribus obseruaui, sed habet aliquid hominis, quamuis turbulenta sit. Putredinem huius materiei longe esse a maturatione diuersam per vrinam intelligimus maxime cum eius contenta in imum maxima ex parte resideant, quamuis turbida nihilominus maneat, descensus etenim contētorum in imum significat maiorem separationem a feri natura, & superantiam, seu dominium facultatis caloris separantis siue ille sit naturæ, siue putredinis: itaque si concoctionem habeant, seu maturationem, quo magis in imo sunt, eo magis vincere videtur calor qui naturæ est, & perfectior concoctio est, si cruditas sit, ea non potest non esse exustio per quam separatio facta est, & eo maior, quo altius recrementa illa demergūtur, id enim euenit eis propter maiorem separationem, & exustionem a calore putredinis factam. Ex ijs colligere liceat genus motionis ipsius morbi, num humor a natura afficiatur magis, an natura magis ab humore, putredineve, etenim cum in omni actione naturæ rerum vtrumque semper ab altero aliquid actionis inuicem accipiat, & necesse sit, etiam in victoria naturæ eam aliquid affici a morbo, vt contra in victoria morbi etiam naturam aliquid illum afficere donec penitus superata sit, hic vtrumque videmus morbum tamen adhuc esse superiorem in materia infesta. Et vires naturæ aliquid detrimenti accepisse, ita vt si huius negotij, & laboris tempora velimus distinguere in principium incrementum, statum, & inclinationem, non penes dies, aut momentum primum metientes principium, sed penes negotij ipsius, & motionis partes; tunc, quoniā nihil coctionis est in recrementis, possumus dicere, quòd in principio sumus quotiescunque spes esset motionem, & tractationē hanc ad maturationis genus esse conuersam. Verum alioquin, si motionem sumamus vtcunque sit, cum iam morbus vires aperte affligat, & motus putredinis in corruptionem manifestam, & longe a maturatione diuersam diuertit, progressionesque iam fecerit nō mediocres, non possum de morbo dicere, quòd in principio sit, etenim in principijs omnia sunt leuiora, neque natura iam deficere incipit, quemadmodum in nostro ægro perspicimus, & cum omnia in consultatione perpendantur, quæ in actionem referri recte possint, ex hoc certi erimus nos non posse agere, aut mouere, ac si in principio simpliciter essemus. Atque hæc de motu ipsius putredinis, ad cuius diuersitatem ætates morbi distinguimus.

Est

Est ne alius motus præter putredinis considerandus, motum ego esse suspicor humorum in partes spiritui inseruientes ob angustiam, & crebritatem spiritus, & dolorem in faucibus, quæ cum illis partibus fere mihi sunt obseruatæ condolere. Est præterea motus ad cutem, vt per maculas intelligimus. Qui sane motus a natura ne sint an a morbo facile dignoscere est, quoniam natura per se non solet niti ad expulsiones humorum nisi illis fuerit dominata, alioquin irritata perturbatione omni vexatur, & ipsa vna cum excrementis videtur effundi, cum excrementis namque ipsa sic dissoluta quasi spiritus eijcit, seseque ipsa exprimit, nam excretrix vis in humorem incumbens eum cum bono humore, & spiritu amplexa, extrudit, cum spiritu autem se ipsam necessario effundat necesse est, vnde neque confert illa excretio, neque leuiter fertur, præterquam quod est admodum laboriosa, præterquam quod quãdoque partium est tenuiorum, quemadmodum hæc quæ in maculis apparet efferens tenuiores, tam boni quam mali sanguinis partes. Et quod pessimum est, nõ raro ad principem aliquam corporis partem fit impulsio, vt hoc loco ad vitæ arcem fieri pulsus, & anhelitus indicat.

Vnde si quo natura vergit, eo ducere oporteat; hoc loco tamen cõtra faciendum est, quoniam non solum non fit per conuenientia loca, sed per maxime importuna & periculosa, si motum ad thoracem seu pulmones, & cor spectemus, sin autem motum ad cutem, tunc forte ille iuuandus est, quamquam enim a morbo est, tamen ad conuenientem partem factus supprimendus non est, neque omnis motus symptomaticus impediendus, vel is motus penitus symptomaticus non est, cum non penitus contra naturæ vtilitatem fiat, aut consilium, & si non penitus secundum eius ordinem vrgente morbo, propterea excretiones sanguinis critice symptomatis nomine non notantur, quoniam non solum a natura vt morbi, sed ad minus malum consilio naturæ fiunt. Ex parte ergo is motus ad cutem, non ex toto symptomaticus dicendus fuerit, sic non impediendus, imo iuuandus potius. Ita & expositæ multæ huius morbi partes sunt, & quid agendum ostẽdant, illa restat, quæ est putredinis causa potior nimirum obstructio quæ per angustiam cutis est valde aucta, cui maxime occurrendum est. Humor ergo qui esset ei subtrahendus, is cum missionem sanguinis vires non ferant, & tamen vim medicamenti laturæ sint, erit prius omnino purgationi parandus per maturationem, & incisionem, extenuationem, atque viarum affectionem, ac quoniam in frigido humore aliquo etiam coctio, & in alimentũ mutatio facit satis, in hoc frigido etiam coctio procuranda erit, nõ solum ad maturationem, sed etiam ad meliorem conditionem, putredo ergo ad maturationẽ pro viribus conuertenda, & a vitio corruptionis sustinenda, quod verò corruperit penitus, maxime si maturum fuerit illud, vt dixi euocandum, putredini emendandæ faciet maxime, si ipsis quoque obstructionibus occurremus, & cum non solum intus præbendis, sed exterius etiam adhibendis id moliri debeamus, maxime frictionibus, per illas motum supradictũ ad cutem iuuare poterimus, atq; etiam crudorum humorum concoctionem si illæ lenes ac molles longæque fiãt, sed iam ad singula ordinanda veniamus, prius prædicto an ea præstare expetitos exitus poterint, qua in re certe ego longe plus timoris, quam spei habeo si morbi vires, & ægroti recte examino, morbus enim crudus, & magnus est, suaque magnitudine valentiores vires exposceret, eoque magis quo crudus largiori spatio egeret, a parte spei ei stant, quòd animo quietiss. est, neque vires animi conflictatione consumuntur, quodque materia non est praui generis, sed pituitosi, & nullum symptoma sæuum habet res ergo in angusto versatur, ordo autem faciendorum adhibendorumque is mihi videretur, vt quamprimum clystere aluus molliretur, quod propter vermes, quorum ascensum ad os ventriculi veremur, lac & butyrum haberet cum saccharo, & melle rosaceo, seu melle simplici cum ijs, iam enim vermis per os exijt, & ille quidem viuus, quod est indicium multæ putredinis, iam etiã alter per aluum descendet. Clyster enim incitaret excretionem recrementorum putredinis, quę omnino sunt identidem submouenda. Ante cibum vero etiam frictiones facerem mollientes, extenuantesque, minime vero durantes, replentesve, vt asperiores esse solent, sic longius illas traherem, ante etiam cibum pulueres putredini resistentes propinarem ex bolo armena, ex margaritis, seminibus citri, cornu cerui vsti lapidibus preciosis maxime smaragdo, ex cornu vnicorni, aut corrallis, ex radice pentaphylli, ex scordeo, & similibus.

In ciborum etiam iuribus saltem margaritarum, & terræ sigillatæ, & boli armenæ pulueres esse vellem, saltem in linteo collectos, cibus esset ex iure pulli bene cocti, & etiam contusi, pane loto, seu hordeo percocto, luteo oui ipsis feruentibus crudo admixto, iecur pulli ex succo acido aliquo cerasorum, vel vuæ crispæ, vel ribes, vel mali medici, vel aurantij, tandem nisi auersaretur non abhorrerem a succo tamarindorum aromate aliquo, immixto cũ saccharo, sic carnes quoque pulli delinirem, quo possit assumere. Potio aqua sit incocta aliqua re gratiam ei conciliante, vt cærasis acidis, vt succo citri cum saccharo, & etiam aceto addito cinamomo. A cibo succum citri sacchraro confectum darem, vel ribes, vel cærasa dicta, primum somnum a cibo concederem deinde post meridiem interdicerem, ante cænam pulueres eosdem, vel per se, vel cum confectis dictis exhiberem frictionibusque iterum vterer. In aurora potionem ex scordeo acetosa, seu oxalide, radice pentaphylli, tormentilli, mellissæ, & ijs similibus, cum syrupo ex succo citri, acetosoque etiam, vel ex acetosa, neque abhorrerem a syrupo nenupharino. Sicco vt facitis syrupos ego non darem, quoniam credo eas non facile excedere ventriculo priusquam a calore fere deuicti sint, diluti namque citius permeant, & viribus nondum amissis, præterea vis maxima est a liquore quo diluũtur, alioquin enim syrupi pene toti saccharum referunt quos ego propterea nunquam facile in calidioribus humoribus, nunquam penitus in alui fluore præscribo. De cucurbitulis ita censerem, quòd semel saltem repeterentur cum cutis incisione, ad suras potius, quam ad truncum seu dorsum, quoniam materia ad se pluri adducta, quam extracta locum solent nimis obstructum reddere, & hæc de causa eas sine ferro, seu incisione nequaquam affigerem, nisi in partibus remotioribus quo a medio, & a locis putredinis, & obstructionibus infestę materiam retraherem, qua ratione neque vesicas excitantia prætermitterem, motum enim cieant sat est. Quibus dictis credo loco meo satisfactum fuisse.

Is post copiam vrinæ rubibidissimam, & liuentem interijt.

De Doctore Campanea febre continua cum maculis laborante.

CONSVLTATIO DXVI.

VErſamur in ea febre, in qua motionum iam tempus eſt, propterea videndum motiones ne hæ iuuandæ ſint, an moderandæ, in febre generis maligni ſumus non propter multam ſæuitie ſymptomatum, ſed quoniam cum viribus citius infirmandus, & cumque metu retinet etiam num ſpem, & cum habeat vim necandi, tamē videtur etiam poſſe ſuperari, eius materia ſanguis ipſe non eſt, aut bilis parum ab eo deflexa, quoniam habet inclinationes, imo neque bilioſa omnino eſt, quoniam cum continua ſit, ardens tamen non eſt, primum enim inclinationes habet, quæ in ardente fiunt nulla linguæ facta eſt iam decem totis diebus mutatio, ſitis non vrget, minus etiam vigiliæ, excrementa quoque alui ſubruffa mihi videntur non autem flaua atque cum habeat inclinationes non erit etiam in vlla earum febrium, quæ cum de genere ardentum habeātur tamen ab ardente acutie differunt.

At pituitoſam minus ſtatuerem ipſam, cum neque ſomni multi, neque excrementa alui eius indicia pura contineant. Vrinæ verò, quæ quamquam in pituitoſis etiam aliquibus ſolent coloratæ eſſe, vt libro Meth. Galenus teſtatur tamen in tēpore morbi tales non ſunt, hic verò nunquam albæ fuere, vt vos teſtati eſtis ſaltem enim initio antequam materia per putredinem fuiſſet exuſta pituitoſum colorem oſtendiſſent, calor quoque carnium pituitam puram non præſefert. Maculæ tandem cutis rubeæ ſunt, & aliquæ etiam nigræ, vnde humorem cū ſanguini admixtum tum alieni à pituita generis eſſe indicant. Mixtæ ergo materiæ febris hæc erit. Putredo huius materiæ adhuc mihi videtur ijs finibus cōtineri, quibus neque exuſtio vera, neque corruptio illa peſſima ſit, ſed non tamen maturatio fiat aperte, & quando pulſus parui ſunt, eos tales credam etiam copia obruente ne dum corruptione conficiente. Vnde fatemini vos etiam fuiſſe elatiores factas poſt excretiones trium generum, nam ſudoribus primū, & maculis circiter quinta die factæ illæ ſunt & ſanguine narium primum exiguo initio ſextæ, deinde in ſeptima largiori, ſudoribus autem ad nonam vſque reuertentibus circa thoracem, & ceruicem factę ſunt, poſtea 9. die per aluum & per vrinas, vt fiunt etiam hodie, quæ decima dies eſt inchoata, quas poſtremas excretiones pulſuum elatio nobis videtur fuiſſe conſequuta. Si enim parui pulſus eſſent propter malam putredinem factam (mitto venenoſitatem illam occultam, quoniam in humoribus tanta culpa, non mihi videtur, vt videtur multis, in hoc febrium genere, quaſi copia humorū putreſcentium non habeat ſatis virium ad necandum) ſi inquam corruptio illa peſſima humorum eſſet ſola huius imbecillitatis pulſuum cauſa, tam mala eſſet illa, ipſius quoque putredinis ſigna maiora cernerentur, in vrinisque eſſent contenta, aut exuſta, aut putrida, Sunt quidem perturbatæ vrinæ ſed ruborem quendam nitidum ſeruant in flauum vergentem, flauus enim non eſt, quoniam craſſitudinem, & turbulentiā habet, potius tamen flauus quam phæniceus aut ruffus eſt, quoniam color ichorem ſanguinis bilis & pituitæ putreſcentis præſefert, neque caloris ipſius, aut interitum alium oſtendit minus humorum corruptorum, exuſtorumve penitus ſerum ichoreſue, in alui etiam fecibus non videmus, quæ multum diſcedant à naturæ modo præter copiam. In hoc putre-

A dinis ſtatu fiunt excretiones, nam factas iam prætereo, alit ad cutim, vt ſunt maculæ, & ſudores, aliç ad vrinam, aliæ ad aluum fiunt loca maxima conuenientia, fiunt tamen materia non percocta, & ad multas partes ſimul, quod non videtur eſſe ex ordine naturæ, & potius à morbo, vt maculæ præſertim nihil naturam exonerantes, itaque ſymptomatum genere comprehendendum, & non ſolum iuuandum, ſed cohibēdum potius. Qua in re ego primum id dicam quod non eſt penitus id ſymptomatis loco habendum quòd vtiliter fit, quamuis enim crudiori adhuc materia fiat, neque penitus modum ſeu ordinem naturæ ſequatur, viribus tamen ſuffecturis & interea ſic leuatis eſt ſatis profuturum. Itaque ex conſilio naturæ factum dici poteſt, atque

B etiam ſecundum naturam non tantum à natura vt morbus ſit, Habemus corpus robuſtum genere, & ætate firmum, cuius vires à copia nimia malæ materiei irritatæ coctionem nequeunt tam diu expectare, imo ſi expectarent ſuffocarētur. putredo enim ob copiam vitioſior fieret, & naturam necaret, quæ putredo imminuenda copia melior futura eſt. Fieri verò etiam ad multas partes excretionem, non ſolum vtiliter, ſed pro more naturæ, habemus ex Galeno 2. ſympt. cauſis cap. 5. dicente, πολλάκις δ' εἴσω τε καὶ ἔξω κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν ἠνέχθη, ὡς ἐδρῶσαί τε ἅμα, καὶ ἐμέσαι, καὶ ὑπελθεῖν κάτω τὴν χολήν.

Sæpe numero autem tum intro tum foras eadem die delatum eſt, ita vt & ſudare ſimul, & vomere, &

C ſubire deorſum bilē, & quod de motibus vtiliter, & ex ratione naturæ factis Galenus diſputaret.

Quam ob rem ego non vererer has motiones quadam ratione moderatas iuuare, cum ſ. nimiæ nō ſunt, quantis non ſatis proficiant. Quæ quidem iudicantur non ſunt mouenda, ſed hæc iudicatio ſimpliciter non eſt, eius quidem partem habet, minus iudicatum eſſe integre credendum febre manente imo ſi licet mihi effari, quod ſentio, febris in horas creſcit, quoniam calor in minori materia magis poteſt, & forſan maturationem iam melius molietur. Aluum non mouerem quamuis illa vix bis die deſcendat, quoniam, quę aluum mouent magis coctionem & maturationem expetunt, eamque magis perturbatam dant dum concoctio fit, quam vrinas vt

D Galenus indicat libro ad Glauconem cap. de Tertiana pura, & cap. de Tertiana notha, in quibus diuretica quidem dat non expectata coctione, forſan relicta quotidie materia ſub acceſſione expurganda. Abſynthium verò ſolum poſt coctionem, & ſolum poſt certos dies, quos ponit vt indicat ei homini ad quem ſcriberet, qui empiricus potius eſſet, ait enim maxime poſt ſeptem dies dandum vbi ſemper miratus ſum quomodo id ſimpliciter proferat in tertiana notha in qua pituita eſt cuius gratia cibum, & potiones dat, non quę refrigerent, & humectent, vt in tertiana pura, ſed quæ incidendi, & calfaciendi vim habeant, in qua etiam veretur ne longitudo febris vires diminuat, vt ſeptem dies vix quartam acceſſionem attingant, in qua, vel ſi pura, & vera

E tertiana eſſet vix coctio apparuiſſet, non concedit ergo ante notas coctionis, quæ aluum mouendo purgant, minus verò aluo fluente, quo nomine cum prohibet purgantia neceſſario intelligit ea, quæ ſolet in febribus eiuſmodi concedere, non concedit autem in huiuſmodi febribus niſi valde leuia, vt in febre tertiana notha cernere eſt, quamuis materiam craſſam, & pituitoſam habeant. Et in ſola quartana purgantia valentiora concedit, propter humoris maximam pertinaciam.

Cum ergo prohibet purgantia, prohibet leuiora quæ ſolent concedi ab ipſo neque enim eo tempore (vt videmus) in vſu erat, exhibitis quinque ſyrupis medicamentum, darē quod in purgandis ad præſeruan-

ſtudum corporibus debet, non quemadmodum noſtris temporibus in febre quoque, ſed medicamentis identidem repetendis id fiebat, vt in ſupradictis capitibus habetur, qui mos antiquus a me ſolet ſeruari, & ſummo cum commodo ægrotorum apertiſſime quidem vtilis cernitur in longis febribus, ſed in breuibus quoque commodus eſt, vt contra, qui vulgo ſeruatur, plurimum affert ſemper incommodum, materia enim potius paulatim detrahenda eſt, & facilius ſequitur, quam vniuerſim, & febris minus inceditur, minuſque corpus perturbatur, aut vires concutiuntur. Sed ad rem noſtram, ego perſiſterem in his, quæ vrinas mouerent, & materiã ad cutem per ſudorem perduceret, neque vim aliquantam calefaciendi eorum timerem, cum in poſito materiæ genere, ea neceſſaria ſit, non enim materiam tertianæ puræ habemus, minus quod ad materiam pertinet aliter tractanda eſt continua huiuſmodi, quam notha tertiana, & præterea hos motus vtiles iuuando alios inhiberem, quos inutiles morbus minitetur, vt in caput, & in cor. Coctiones vero etiam iuuarem, & putredinem cohiberem, vt in hoc materiæ genere neceſſe eſt. Itaque ego potiones pararem ex oxalide, endiuia, boragine, meliſſa, ſcordeo, ſ. citri, & melonum, radicibus ſi non petroſellini, quod vereamur opinionem ne ſit petroſelinum antiquorum, quaſi non ſit potius apium hortenſe, vt experimur, neue caput petat, afferatque in ipſum humorum impetum, eius loco radices aſparagorum ſufficerem longe minus calidas, neque vererer radices fæniculi, quoniam quamuis de fæniculo dicat Galenus quod calidum eſt in tertio gradu, de ſeminibus poſſe, non de radice illud dici exiſtimarem, contra namque ac de petroſelino dicant Arabes, ego de fæniculo iudicarem, nimirum radices minori vi caloris eſſe præditas, nec ruſci radicum calorem metuerem, quoniam amaræ ſunt potius quam acres aquæ verò, cui hæc incocta fuiſſent, ego immiſcerem aliquod ſyrupi genus eis perſimile, & mihi ſane maxime probaretur, quoniam de cicorea Nicoli vocatur, & qui de Nenuphare Franciſci pedemõtis, quoniam in eis video omnes vires eſſe, quibus iam dixi, vti in hoc morbo nos debere, putredini repurgandę, calori frangendo, motionibus dictis ciendis, & capiti etiam defendendo, cornu cerui vſtum, & non lotum in vſu eſt ad ſudores mouendos, itaque libentiſſime eo vterer.

Interea frictiones adhiberem longas, & molles, vt ſudori & inuiſibili exhalationi inſeruirem, capiti vero etiam proſpicerem, interea attente omnia ſeruarem, & pro euentu rerum me gererem, in eademque ratione victus manerem mediocri, quoniam ſi ſalubris morbus euadat neceſſario longus futurus eſt. Dixi.

Is 12. die extinctus eſt vrinis melioribus, maculis crebrioribus factis, aluo etiam bis die deſcendente minime figurata, ſed molliori, colore tamen non ad modum intenſo. Antequam interiret metus maxime turbatio ei inceſſit, cum ſacerdos accederet imprudenter indumento albo vt ſolent, cum extrema peragere volunt, a qua turbatione conuelli inſanireque cepit, vtrumque tamẽ leniter, nam brachium dextrum demiſſum repoſitumque haberi non poterat, ſed tranſuerſum per faciem porrectumque habebatur, vtrumque verò brachium leniter diſtendebatur, inſania autem cum ſiri erat, & pulſus non extremę imbecillitatis, inde tamen hora 7. defunctus eſt, huic ſubitum metum maiorem, & mortis cauſam attuliſſe veriſimile eſt, vt in alijs quoque obſeruatum fuit.

De febre continua cum tuſſi pro Matrona Septuagenaria Miniſcalcha Sacchia.

CONSVLTATIO DXVII.

FEbrem hanc vna cum tuſſi acceſſiſſe affirmatis viri doctiſſimi, & vna cum frigore, quod febre quotidie increſcẽte iam finitis quinque diebus non amplius reuerſum eſt. Eapropter ego non poſſum aliam cauſam facere febris, & aliam ipſius tuſſis, minus caput cauſari partẽ a febris loco remotiſſimam ſi notæ eius attendantur, etenim antea caput nihil male habebat minus ſubito intemperiem potuit recipere, materiam vero ſi accipit aliunde, & demittat ipſum nihil cauſæ huius mali videtur continere, ſiquidem, ſi materiam febris in ſe putreſcentem haberet, profecto non ſolum leui quodam oneris ſenſu, ſed grauitate, ſed ſomno, & lethargo aliquo premeretur.

In partibus ergo infra caput imo in thorace materiam tuſſis verſari eenſendum eſt, & eandem eſſe febris cauſam, quoniam & putreſcere pituitam color ſputi indicat in luteum vergens, & ad locum aliquem fuiſſe collatam materiam initio morbi frigus illud indicio erat, quod materiæ motum fere ſolet conſequi. Quamobrem ego ſum anceps, num febris ad alicuius loci affectum ſequatur, an ad ipſam loci ipſius affectus ſit ſequutus, aut ſequuturus, facile namque vereri poſſumus, ne thorax iam tuſſi, & tuſſis cauſa laborans materiam febris poſtea recepturus ſit, vt partes vexatæ, & infirmiores aſſolent, quare conſilium in id erit dirigendum, & attendendum ne thoraci aliquid eueniat, quod in ætate Septuagenaria qua pulmones ſuo generi humido parum alimenti poſſunt accipere, & tabefacti ſunt, maxime eſſet periculoſum, & peſtiferum. Modo febris hæc continua ne ſit, an intermittens ego non ambigam, quoniam hac hora, qua nondum incrementum quotidianum hodie febrem faremini habere, & quam longinquiſſime corpus a præcedentis diei incremento diſtat febris conſpicua eſt, qua certe hora ſi vlla vnquam integrum corpus fieret, maxime integrum eſſet, alijs horis omnibus febrem adeſſe certum eſt, & ſane per quam rariſſimæ febres ſunt intermittẽtes, quę ſine vlla notatione acceſſiones ſortiãtur, imo videtur, ſi quæ ſunt, illas quoque errore aliquo obſeruationis eſſe notatas, vidi ego in Duce Franconum Herbipolis Epiſcopo, & in per quam pauciſſimis alijs ſimilem, ſi namque aliquæ ſint in quibus materia eodem loco congeratur, & putreſcit motumque incendij adeò lente ſubeat, vt natura aliqua motionis moleſtia non percepta ſpiritu ſuo minime ſe contrahat, in hac minime id fit, quoniam febris nõ intermittit, & ante acceſſionem, quæ in propinquo eſt febris adeſt.

Materia itaque intra venas putreſcit, & forte in viſcere aliquo principe quale eſſet pulmo, vt ex notis dictis ſuſpicatus ſum, quamquam enim ſpiritus anguſtia euidens non eſt, ea non ſemper adeſt humoribus ſe ſe intra vaſa continentibus, & forte etiã in incremento febris aliqua maior anguſtia ſpiritus cernatur halitibus putridis vias ſpiritus permeantibus, & materia etiam in ipſas percolata, vnde expelli per tuſſim poſſit. Quæ ſane materia, vt videmus pituitoſa eſt, neque vrinarum color ruffus, non autem albus, vt pituitæ eſſe ſolent, iam febre vrinam inficiente refragatur, bile ſemper per febrem facile effuſa, & partibus ſanguinis tenuioribus in eam conuerſis. Eſto vero etiam bilis aliquid inſit, negotium

tamen

tamen nobis id non fecessit, sed pituita operā nostram exposcit, quam multam subesse indicant; & vrinæ sedimenta alba crassa ac multa, & caloris febrilis modus tardior ad sensum, & firmior tanquam per colum traductus, & ętas, & genus corporis non solum natura humidum, sed sexu, tum tempestas inaudita inusitataque frigorum, & pluuiarum tot mensibus perseuerantium, & tandem victus ratio cum animi perturbationibus, & mæroribus multis. Quæ cum ita sint, iam vidēdum esset, quid intus geratur, quid ve futurum sit. Pituita tardi motus est, præterea notæ coctionis non tantum valere solent in ea quantum in bile, quoniam ea vel crudior simi litudinē coctionis præ se fert, quare adhuc crudum morbum crederem, & quando nullum signum est malę putredinis, & simplicium morum, ac salubri in genere esse vos, quod ad materiam, & putredinem pertinet, possimus sperare, initium adhuc morbi esse hac parte crederem, coctio modo futura ne sit præterquam quod in pulmones nimium potest ferri, & spiritu occupato vitam intercipere, quod in sene facile fieri solet, etiam in senibus difficillime solet putrescere quod voluit Hippoc. cum dixit non maturari, quare diuturnitas hoc in morbo est certissima, ne verò etiam prius vires deficiant suspiciosum. Eo autem magis vereor ego, quoniā viæ cutis per inunctionem scabiei, a qua libera est, forte peiori malo, sunt firmiores factæ, minusque laxæ resistent excretionibus, quæ natura ipsa solent per cutim fieri. Imo eadem causa, putredo maior euadet, & profecto vidi in pluribus senibus, multis etiam infantibus, & iuuenibus mortiferas febres scabie curatas. Nobis tamen videndum ne morbus augeatur. Et maxime ne vires deficiant quod dicebat Galenus libro ad Glauconem cap. de curatione febris tertianæ non exquisitæ. Quod maxime ibi admonet Galenus positum esse in victus ratione instituenda, in qua videndum ne nimium tenuis uiribus sustinendis non satisfaciat, neue liberalior morbum augeat. Morbo tamen longo futuro potius longior, quam tenuior habenda est, & non quidem frigefaciendo, & humectādo sed incidendo, & calfaciendo idonea. Vnde nō ptisanę aqua prębēda in potū, sed potius mellicratum, aut ex saccharo, & aniso, ptisana verò ipsa in cibum, at nō sine pipere, aut cinamomo cum saccharo, non oua, vt in tertia exquisita, simplicia, sed cum paulo aceti, & sacchari, aut etiam cinamomi, non pedes & cerebella suum non alicam, non porcellorū carnes illiquefactas imo neque aniculas mollioris carnis, aut alas non talium, vt in tertiana exquisita Galenus, ego in hac concederem, nisi ex conditura meliora ad incidendum, & calfaciendum fierent, ac quod Galenus quærebat ab ijs, quæ in potione concoquebat, vt hyssopo origano, & nardi spica, ego ab ijs quærerem, quæ magis ipsi ægrotæ in vsu essent, itaque non tam alas pullorum gallinaceorum darē, quæ magis refrigerant propter neruos, & membranas, sed etiam pectora bene decocta in iure cum aceti paulo, & petrosellino ac saccharo, cum aridis aliquibus, vt cerasijs, sed per cinamomum emendato frigore eorum, sic sorbitionem etiam alicæ corrigerem, & gallorum testes, cerebella autem suum, & pedes, & porcellorum carnes penitus vitarem, neque minus pisces, maxime quod saxatiles non habemus, sunt quidem nobis pisces ex saxosis fluminibus, at sunt longe deteriores illis, qui marini cum sint, ex sale mares plurimum humoris sui temperamentum habent. Credo enim vos scire saxatiles pisces esse genus maritimorum, quod a pelasgicis, & a littoralibus distinctum est; vnde qui amaras credunt esse saxatiles falluntur, sunt enim littorales, & cum Gaza verui apud Aristotelem προσγηίους littorales errat, nam significat non littorales, sed ad terram viuentes, ad terram modo non solum viuunt, qui ad littus, sed etiam qui ad scopulos, qui longe a littoralibus genere, & vita disiunguntur. Littoralisque αἰγιαλοὺς, non προσγηίους vocat Aristoteles cum proprie appellare vult, communi quidem voce littorales, & saxatiles amplexurus προσγηίους appellat. A piscibus ergo omnis generis, sed a nostratibus maxime cauerem.

Panem ex aqua dat Galenus eum quoque ego eo querem, & suo lentore per condituram priuarē, dat in tertia exquisita herbas frigidas, & humidas, in non exquisita fugit, & vult aliquid caloris, & incisionis habere, vnde ostendit se vti cacochymis, vt medicata sint, neque veretur, vt quidam ex nostris medicato cibo vti, minus medicata ab cacochymi nomen horret. Hæc in cibis seruarem, neque enim hic mihi omnia sigillatim narranda sunt. De vino quidem sic arbitrarer, eo nos in sene cum primum leuia coctionis indicia visa fuerint vti oportere. Vtitur Galenus, vel in pura tertiana initio coctionum, paucifero, & diluto in qua ob naturam bilis tenuiorem, & leuiora semper indicia coctionis ostendentem fortasse licuit citius eo vti, sed in sene quāquam crassiorem materiam videmus, cum motum ab eo tantum, quantum in iuuenibus non expectamus in humoribus, tum maxime egemus vini auxilio ad spiritus propagandos, quod etiam reliquijs putredinis expurgandis proficiet, & humoris etiam partibus maturis, vt vt indicia coctionis fuerint, imo non cogemur etiam adeò pauci ferum, & dilutū dare, quoniam calorem potius quærimus quam timoramus, aut calorem, aut nimiam humorum motionem ante tempus.

Medicamenta ego non illa nobilia darem quę solent Medici quinto, aut septimo syrupo dare in solenibus purgationibus, sed more meo vterer, quem edoctus sum a Galeno, hoc est saltem alternis diebus lene aliquod medicamentum loco syrupi præberem. Galenus dat primum diuretica, quod nos syrupo de betonica, de lupullis, de cicorea cum oximelle faciemus cum aquis sibi accommodatis, deinde dat absynthium, nos habemus rhabarbarum, possumus etiam incoquere polypodium, & enicum. Atque si Galenus in tertiana non exquisita absynthium dat, cur nos non possumus dare rhabarbarū? Et sane ego experior quotidie multas febres maxime firmas alijs medicamentis non cedere, sed rhabarbaro tribus, aut quatuor diebus dato fuisse superatas quod in syrupis, vel iure aliquo ad vsum eius accommodato darem. Frictionibus etiam vterer lenibus, & longis, & clysteribus atque prout nouæ res inciderint, me gererem. Dixi.

De Mamillæ tumore pro Monacha Bauariensi Summi Cancellarij illius Ducis filia.

CONSVLTATIO DXVIII.

QVamuis ex literis summorum Medicorum Serenissimi Bauariæ Ducis, ego nō possem non venire in eorum sentētiam, quòd is morbus esset purissimus, & verus cancer, postquam tamē ea Veronam ad nos adducta ipsum inspexi, ac tetigi illis profecto assentiri non possum, quin iudicem penitus hunc cancerum esse naturæ valde permixtæ, quem dicere solent Medici minime exquisitum, ac non solum naturæ scirrhi esse participem, sed œdematis aliquid in se continere, ac nonnihil etiam inflammationis. Etenim cancer purus materiā squallidam habet, & crassam, quæ non solum dura penitus fit

sit sic collecta in lapidis speciem, sed etiam aspera tamquam præruptus cetera, tum quòd squallida nō de alieno termino, sed suo finitur, & lacunosum corpus, & angulosum, atque asperum reddit, tum autem quòd percolans per venas in eum locum nō ex toto effunditur, sed in venulis ex parte plurima subsistit, quæ turgentes fiunt & asperæ propter humoris crassitiem, & ariditatem, sua vero crebritate tumorē amplexæ eum lacunosum & asperum reddunt. Quo fit, vt non solum maioribus venis brachia, & crura cancrotum imitetur tumor, sed minoribus quoq; & squallore suo corticem aridum eorū vnde cāceris nomen inuenerit. Hic tumor leuis est, & globum omnino rotundatum & expolitum præfert, quasi humido multo ipsum expoliente, deliniente que, quod humidum quoniam alieno termino regitur, facit vt globum mamillæ, & figurā eius penitus imitetur, & quamquam ad cutem non pertingit, altiusque subsideat, æquæ tamen ab ea vndique & ex omni parte finitis videatur totā ex æquo mamillam occupās, cuius durities minime inæqualis, minime angulosa lacunosa ve, imo neque dura penitus, & renitens est, quin potius pleno suo corpore elata, si non multa sua parte digitis cedat, saltem minoribus partibus non resistit, nullam venæ formam, nullum nigrum colorem, aut liuorem præferendo, & pulchram speciem mamillæ permittendo vsque ad ipsum colorem, Qui tumor valentius compressus non solum sentit, sed etiam dolet, quasi non sit in humore tātum frigoris, quod sensum impediat. Quamobrem neque cancer purus esse dictis indicijs pōtest, neque etiam scirrhus item purus. Multa faciunt ne cancer, neve scirrhus purus sit. Dolor vero præcipue ne scirrhus purus, multa ostēdunt aliquid humidi humoris genus inesse, dolor autem etiam calidioris. Vnde non est mirum si aduentante mēstruarum purgationum tempore, hoc est sanguine exitum quærente vijs connexis vteri, & mamillarum aliquid etiam in mamillam hanc feratur, & grauiorem tumorem, & magis indolentem reddat, purgationibus autem menstruis perfectis malum leuetur, quod posset quidem etiā in cancro fieri, quoniam nō recusaret locus affectus, & infirmus hunc sanguinis abundantis affluxum. Sed notis cācri puri non extantibus, id in mixtum tumoris genus est referendum. Occasio facit acceptus ictus, qui tunc mamillam mollioribus, sui partibus contusione fere contabescere, coegit, & colliquari, vnde infirmitate sua tum propria excrementa collegerit, tum aliena facile receperit. Neque vero fuit difficile in corpore huiusmodi recrementa reperiri, cuius caput magnum & non admodum bene conformatum ostendit plus materiei, quā virium habere. Cuius Truncus exiguus, & tenuis, & male formatus virium infirmitatem significat, & tum exiguitatem, tum genus materiæ non admodum bonum. Color quoque corporis caliditatē ostendit iecoris non cordis, cum Thorax angustus cernatur, & quidem non exiguæ materiæ causa quando caput est magnū & materiam ossium multam ostēdit. Sed cordis frigidioris potius culpa, & formatricis virtutis infirmitate, quæ primam sedem in corde habet vnde in reliquas partes procedat; recremēta itaq; facile congesta in venis faciliius occasione ictus in mamillam tū prolapsa tum attracta sunt, ictu debilitatem & calorem alienum, ac dolorem afferēte. Mamillæ corpore valde opportuno sua laxitate ad humores in se admittēdos, cuius nexus cum vtero facit, vt cū eius plenitudine, & vacuitate maxime consentiat. Neq; verò ego facile assentiar dicenti eam materiam ex semine detento congeri, in Virgine Sacrata, quæ illius emissioni nō fuerit assuefacta, in viduis hoc crebro fieri scimus, in Virginibus autem minime,

Hæc est morbi natura, nimirum tumor constans humore crudo pituitoso iam ob spatium arescente non solo, sed ichori sanguinis, & melancholico, & humori permixto, seu sanguinis fæci, quę neque con coqui a natura poterit, neque dissipari in parte adeò frigida minus putrescere, ꝙ siccior & frigidior sit sed potius paulatim exsiccetur, & hoc in mamilla corpore frigido glandula, & fibris, & mēbranis multis constante, cui metuendum sit, ne eadem occasione vitiosior aliquis humor influat, & cancrū ipsum peiorem faciat, vnde exulceretur, & miseram vitam reddat. Vt remedijs omnino agendum sit, quibus & materia antecedens tollatur cum omni eius causa, tum interna, tū externa, & morbus ipse dissoluatur. Quæ etiam fieri posse sperē, cum nihil remediorum valentiorum adhuc tentatum fuerit, & materia multum in se pituitę habeat. Remedia modo mihi ea essent hocque ordine dispon erentur. Antecedens causa per purgationem prius remoueretur, non secta vena, quoniam iam id factum paulo ante est, & quoniam humoris genus mihi tantum virium non polli cetur, neque instante caniculæ ortu bono animo id facerem, qui Aetio, & Galeno ponitur 19. die Julij, nobis est 27. loquendo de ortu canis minoris, & eodem cosmico, seu mundano appellato, sub quo Galenus libro ad Glauconem valde pertimescit sanguinē mittere, ac post datum elletuarium lenitiuum ad ℥. 10. cum puluere hieræ ad ℥. 2. deinde syrupos ex betonica cicorea, fumoterra, oximelle cum iure melissæ, cicoreæ, boraginis, betonicæ fumariæ, cap. Veneris, cetrach. Potione vero etiam ex epithymo, polypodio, sena, agarico, ellebore, dissoluto in ea manna diacatholicon, electuario indo, ad potiones seri lactis deuenirem incocto epithymo, atque etiam sena cum ijs, quæ eorum offensam deliniant, quo sero per plures dies dando crederem corpus perfectè posse expurgari, & facile pro temporis ratione, quod valentiora medicamenta, vt sanguinis missionem propter æstum recusat, quamquam alia longe ratione sanguinis missionem, alio namq; modo illa vires tollit alio medicamenta, vt sæpissime eædem vires valentia medicamēta passuræ sint, quæ missione sanguinis, vel leni extinguerentur, vt in hydrope, & alijs id genus morbis. Corpore sic expurgato salsæ parillæ potionibus vterer, illis tandem aquas chalderianas subiungerem, sed has multa cautione. Nam quando ego hic multum pituitæ statuerim, illæ tantum humori melancholico, & iecori calidiori face rēt, & pituitę salsedinem iam nactæ, vnde lepræ, quam nomine Arabum eam accipiendo scimus esse cancrum totius cutis. Vtilis est, & huic cancro mamillæ prodesse debebit, caute vero id facerem, & diligenti obseruatione, ne ventriculo pituitæ gignendæ occasionem augeret, ea alioquin & imbecillitati partis, & viarum deferentium, & causæ gignentis humorem crassum illum, & fæcosum faceret, quibus crederem posse propositas vtilitates prętari. Diligēti interea ratione victus adhibita maxime in vini vsu, in aere, cū ipsa æstiuo tempore se e Germania huc contulerit. Quæ dixisse volui, vt confirmarem, si quid valet mea auctoritas illa, quæ ab Excell. VV. dicta sunt. De ijs quæ loco admouenda sunt, id vnum repeterem, quòd cauerem ab ijs, quæ valenter, aut discutiunt, aut exsiccant, & emollientibus cōtentus essem, vt medullis adipibus mutilaginibus, & oleo amigdalarum dulcium sesamino, liliorum alborum ac butyro, vix mel adijcerem cum farina S. lini, & fænugræci ijs quæ exsiccant tantisper admissis, quātum necessaria sunt pro viribus partis sustinendis aliqua adstrictione, vt desolatione exulceratis Galenus proponebat, rheumatis namque rationem morbus habet, ea vero semper aliquid comprimentis desiderat.

Diamel Pauli tandem valde opportunum mihi videretur, vel cũ Diamel ipsius Aetij adiecto etiam Aegyptio Andromachi diluta oleo violarum,& rosaceo. Sed forte longior fui,quam res ipsa postularet. Dixi.

De febre continua in speciem duarum tertianarum incrementa habente pro Nobil. Campa Zaccharia.

CONSVLTATIO DXIX.

Dixi Viri Doctissimi,antequam loqui aggrederemini,quòd res mihi videbatur difficilis, & quod decernẽda erant multa capita quæ singula nominabam,& quã nobis manus essent impeditæ morbo iam ad octauam diem perducto.De quibus adeo copiose iam a vobis dictum est, vt si vellẽ omnia ea persequi dies non sat esset.De statu naturali corporis in morbo acuto tantisper dictum existimo,quantum faciat ad cognitionem virium, & morbi, vt de imbecillitate ventriculi frigidioris, de bilioso corporis genere, & sollicita natura Nobil. mulieris, nam alioquin non habemus aliquam intemperiem remouendam, quã metiamur ex naturali ipsa temperie. Quid febris etiam hæc in humoribus sit, certissima signa sunt,neque est disputandum,num hectica,aut ephemera sit, accedit quotidie, vel potius increscit cum notis putridæ, habet pulsus inæquales vrinam longe a naturali immutatam colore, crassitudine,contentis crassissimis,cũ eo, quòd calor mordax sentitur; præterea caput dolet, & dorsum maxime in febris incrementis cum multa siti; quinimo quotidianæ accessiones alternis diebus sunt similes, vt a recentioribus auctoribus nostris duabus potius tertianis, quam duplici tertianæ respondeat. Melior consideratio fuit de genere materiei, & determinatum ab altero vestrum esse pituitosam multam cum biliosa,atque etiam melancholica,sed putrescere tantummodo duas priores. Nam vrinarum color non ostẽdit illam exustionem,& siccitatem,quæ bilis,& melancholiæ esse solet, minus crassitudo contentorum habet asperitatem vllam. Color mihi videtur penitus proprius pituitæ cum feruet, & bili permixta est, contenta autem pituitam sua globosa quadam læuitate mihi indicant, vt potius pituitam, quam bilem peccare statuam, & quid est,quòd seruatur bilis ipsius circuitus? in vsu febrium quotidiano his nostris regionibus compertissimum est,quòd bilis quantulacunque misceatur cum pituita trahit illam ad suos circuitus quoniam calore, & ariditate potius sua facilius putredinem ad se se reuocat,vt in alterum diem trahatur quæ quotidie fieret ni siccitas foret, quemadmodum cum miscetur;tum melancholia suo calore melancholiæ putredinem sollicitat.

Vbi de vi caloris, & efficientia cum dicitur in aliam causam ego non possum referre, cum veram causam, & propriam requiro,sustinet bilis sua siccitate procliuitatem in putredinem ipsius pituitæ, & sua etiam tenuitate non permittit, tam citas pituitæ obstructiones, imo sub putredine iuuat pituitæ dissolutionem suo calore siccitate,& tenuitate,adeo vt plus consumatur, quã si per se esset, vt non ita citus fiat apparatus ad sequentem accessionem,quam fit, cum remanet a putredine multum ex ipsa, quod in futurum cumulum, & putredinem faciat quæ nunquam exustionis multum habet minus materiã consumit,quidquid verò fit,certe plus opere Medici pituita, quam bilis postulat. Sequitur modo putredo, quæ & morbi pars maxima est; imo forte ipsamet febris est,definitione eius etiam putredinẽ comprehendente. Quæ putredo actionem naturæ, atq; morbi motionem habet. Etenim si morbus affectus factus est,febris vero est morbus in dyscrasia,illa nõ ea esse debet,quæ ita fit,vt sublatã causa non restet. Sed eousque saltem facta etiam si fiat adhuc, vt remota causa etiam per se esse possit,quod in febribus ab humore nascentibus non cernimus nisi in humore ipso putrescente,cuius semper pars sic mutata est, vt redire ad suam naturam non possit,calor inquam naturalis, ita in igneum mutatus est in humore febrem faciẽte,vt in naturalem reuocari amplius non

B possit,causa etiã putredinis detracta. Et quamquam necesse est subiectum febris esse animal humorque anima præditum esse non possit,tamen inter necessarias partes animantis humor est,& in ijs quę tamquam materia ipsum constituunt, quòd si pinguedo in partibus est, quæ minorem vsum habet quamquam animata non est,tãto magis humores, neque os præditum sensu est,tamẽ pars animantis sentientis est, & eius naturæ omninò, quæ sensu constituitur. Interna certe animantis pars humor est, & a Medico sensato artifice tamquam pars considerata. Cordi vero etiam per vapores putridos, & actes communicatur qui non igneos reddunt spiritus, vt in ephemero ignei fiunt.

C Sed vapores,& halitus ipsimet corpori cordis infesti acri suo calore sunt,& eodẽ censu veniunt cum suo humore sicuti alimentum, cum venit sub forma roris ad partes,interea tamen humoris nomine compræhenditur,putredo ergo ipsemet morbus est,hoc est calor igneus loco naturalis humoris per putredinem ingressus propter obstructiones,vt norunt Medici,neque enim hic cælo pestilenti culpa attribuenda est, quo vel sine obstructionibus humores queãt putrefieri, minus humorum vitio soli, aut continentium partium corporis imbecillitati, qua nequeant intra naturæ suæ fines humores, & alimentum continere,ac concoquere, obstructiones autem a copiã lentore,& crassitie humorum nascuntur. Restat videndum,qua in parte ipsa obstructio, & putredo sit

D an in venis,an extra ipsas. Cum extra venas putredo fit, aut certe consumatur, & si in venis incæperit,quod humori melancholico euenit, si Galenum audiamus libro secondo de sympt. causis;tunc,quoniam extra venas non gignuntur ij humores, sed eo eijciũtur cum inceperint quidem putrescere,vt melancholicus, nondum verò putrescentes,vt alij; necesse est vt motionem illam violentam expressi humoris sensus aliquis sequatur, & talis quidem, qualis in motionibus molestis, & subitis naturæ euenit, hoc est pro ratione mordacitatis, & velocitatis cursu, vnde per pituitæ motum vix frigoris sensus fit, natura sic nata, vt tamquam perterrita spiritus intus reuocet in subitis molestijs,bilis vero flauæ motu concutiens, etiam tremor qui a græcis ῥῖγος vo-

E catus est, vnde vulgo nostri Medici sonum vocis imitati rigorem, & male vocarunt propter summam celeritatem, acremque mordacitatem humoris, cuius molestiam non solum motus iam dictus concussionis, sed frigus etiam pariter sequi solet, & humor calidius fit ob spirituum, & sanguinis ad interiora concursum. Melancholici autem humoris motum ῥῖγος quoque sequitur, quoniam sua siccitate mordax est, maxime,quòd post initium putredinis solet eijci, quo incaluit, & tenuior factus iam est. Sic frigus ab eo factum non solum a frigore suæ naturæ, sed etiam a calore ascititio nasci dicit Galen. Extra venas sic eiecti humores ibi sibi meatus perspicationis obstruunt,& putredinẽ subeunt, aut

aut cæptam iam consumunt. Vt quando intra venas A vbi sensim congeruntur, se se continent, tunc ibi maiori, vt locus opus habet, copia, lentore, & crassidine obstruunt sibi vias, & perspiratu priuant, atque putrescunt, neque sensum vllum præter caloris illum faciunt, paucis quibusdam exceptis febribus, in quibus, aut nimia copia sua frigidi humores exteriores corporis partes suis halitibus imbuunt, qui in suam frigidam naturam reuersi exteriores illas partes frigore afficiunt, aut nimio intus calore excitato spiritus intus attrahuntur, & extrema frigida relinquunt, hoc loco nos frigus valde expressum non habemus, cum febris augeri quoque die incipit, sed vix motionis nescio quid ad ceruicem, & nares percipitur, dolorque capitis augetur, seu inuadit, vt hac leui nota non sit indicatum subesse vl- B lum motum extra venas factum. Contra tamen illæ iam dictæ res sine aliqua humoris delatione fieri posse non videntur, sic res in controuersia est. Febris nunquam penitus quiescit, inuasioni nulla euidens nota est, nulla ἐπισημασία, hoc est notatio, quæ εἰσβολήν hoc est inuasionem expræssam designat. Increscens tamen febris leues aliquas notas habet, quibus ἄληπτος; hoc est incompræssa penitus exacerbatio non videatur, quod si eo tempore ad essemus nos Medici in pulsu certe ipsam cōpressionem perciperemus.

Quid ergo de hac re statuendum? Posita est iam miscella multæ pituitæ cum bile, vnde febris pura esse non possit, & adeò in longitudinem ducatur, vt C etiamsi materia extra venas pelleretur, propter præsentem febrem, & calorem motionis ἐπισημάσια nulla sentiretur: recordemur, quæ loquitur Galenus quoties de accessionum confusionibus loquitur, tūc non erunt de me hæc indicata, aut de meo illata, minus noua, aut inaudita. Ergo possemus sperare nos in genere intermittentium febrem hanc esse, sed propter confusionem accessionum ἐπισημάσιαν minus euidentem esse. Posset etiam fieri, vt continua vna febris cum duabus tertianis coniuncta subesset, neque enim continuæ etiam biliosæ incrementa, tam euidentia essent, vt propriam speciem seiunctam ab inuasione alterius tertianæ seruaret sensibus nostris apertam, qui rarius ægram inuisentes, tam subtiliter hæc non possumus obseruare D longe minus verò si continua ex pituita nasceretur haberetque quotidie incrementa a duabus tertianis ea seiungerentur, potius quidem si vni tantum tertianæ connexa esset, ea die qua tertiana inuaderet specie valde diuersam, & varietate sui, & alijs notis haberet, quod non est, appellaretur autem proprie ea Semitriteus, seu semitertiana, quia media parte sui esset tertiana.

Verum nos certi sumus nunquam a febre liberari ægrotum, & febrem incrementa quotidie habere, simplicesque, & semel notas illas in capite, & collo venire, vnde neque intra venas vnam pituitosam extra vero vnam biliosam esse possumus iudicare, neque duas extra venas a bile, cum vna intra pituitosa sed mixta quidem materia ex bile, & pituita est E atque duas febres facit, quas habere putredinem extra venas conijci potest, sed adeò crassam, & tardi motus esse materiam, vt neque eiecta sensum sui facere, neque cito putrefieri, consumique valeat, sic nunquam a febre liberetur, & ea frigora, quæ initio accessionum fierent, seu horrores obscurentur calore præcedentis febris illa obruente. Materia iam, & loco putredinis constituto vbi nimirum ipsa se se obstruendo putrescat, de putredinis genere videndum est.

Sic enim, & motum morbi, & naturæ actionem intelligamus, & quid sperari possit, præsentire poterimus, maxime, si cum actione naturæ vires quoque ipsius examinauerimus. Putredinem esse corruptionem innati, & proprij caloris rei quatenus generis mixti est, hoc est non quatenus animal, aut viuens, aut organica, sed quatenus similaris, & mixta, cuius calor proprius, & innatus propria temperies est, & natura, & οὐσία, perfectio namque, & finis vltimus generationis mixti est propria ipsa temperies hoc est is calor cum suo humido complexus, quod verò est vltimum in generatione rei id est proprium, & substantia seu οὐσία, vnde recte dixit Galenus esse corruptionem, totius substantiæ quoniam corrupto proprio fine generationis rei corrupta substantia est, cum idem sint. Vltima namque forma rei propria est substantia rei; in mixto autem complexio calidi, & humidi proprij ipsamet substantia est.

Verum in ijs, quæ corrumpuntur in animali tamquam mixta hoc est putrescunt, (propria enim mixti corruptio, vt visum est putredo est) euenit vt natura valente corruptionem, seu putredinem illam, seu rem putrescentem regere, res illa censu recrementorum habeatur, ita fit, vt nunquam non maturescere cognoscantur humores putrescentes, cum natura eos amplexa potuerit tractare, & valuerit vincere, sic corruptio putredoque in maturationem conuertitur, dico maturationem, quæ recrementorum est, non concoctionem quæ alimenti, putrefacta namque res non potest in alimentum conuerti, & si ex aliqua exigua parte non tam digna eo nomine maturatio est. Etenim in abscessibus, cum putredo in maturationem perducitur, videmus etiam carnes eam continentes meliori non solum colore, sed habitu pleniores, & melius nutritas. Non valente autem natura putridum humorem vincere putredo illa propriam sui naturam retinet, & finem suum, qui est corruptio, imo est finis corruptionis, & dissolutio mixti, in qua tamquam cineres resident, quod in malis abscessibus videmus vbi malum pus partim saniosum, partim terrestre tandem cernitur, postquam putridum, & fædum penitus fuit. In vrinis quoque easdem differentias cernimus, maxime per ea, quæ contenta vocantur, non minus enim in malis contentis tandem sit delapsus ad imum locum materiæ, quæ tamquam cinis est, quam in bonis, cum maturatio est perfecta, in imo læue, leneque sedimentum, & album residet, non crassum nimis, non terrestre, sed mediocris habitus, vnde sui aliqua parte etiam sustentetur, & pyramidis formam referat.

His duabus putredinis generibus in putridarum febrium genere distinguuntur salubres ab insalubribus, & lethalibus, nam insalubres, & lethales habent illud, quod tendit certo in corruptionem, salubres vero illud quod tendet in maturationem, hoc calore naturali agente tamquam in recrementum, illud a calore alieno penitus efferato, & corrumpente.

Verum contingit in plurimis harum febrium, vt in morbi, & naturæ pugnis res anceps, & dubia sit, eo quod purredo, seu calor præter naturam cum naturali calore luctando ambiguam actionem edant. In naturalibus siquidem agentibus, quoniam materia communis est, semper agens ipsum quoque a patiente afficitur, vt vix fieri possit, quin calor naturalis etiam in saluberrimis febribus non obtundatur aliquantulum, vt in lethalibus admodū ille, qui præter naturam est, in quibus tamen longe superior est. Quæ cum ita sint necessario etiam medius status dari potest in quo modo vnus modo alter emergat, & superet, vnde opus putredinis, & maturationis, & corruptionis partem nanciscatur. Vnde hæ febres, neque salubres libere, neque lethalissimę dici mereantur, in quibus putredo quidem salubris non est,

tamen ipsæ penitus lethales non sunt, & spem salutis non amittunt, cum metu tamen periculi coniunctæ sunt, quarum genus cum vires celerius, aut inso lentius labefactantur, tunc & a mala putredine est, & maligni nomen obtinuit, ijs finibus quod cũ metu periculi spem salutis non adimit a læthali omni genere circumscriptum, siue modo ij fines essentiales, vt dicitur sint, siue accidentales, proprij quidem non sunt, nisi contra lethales accepti, nam huiusmodi etiam benigni morbi reperiuntur, neque enim credo illam esse veram malignorum definitionem, vt neque illam, quòd mala putredine continentur, nam prior definitio a Galeno inducitur ad distinguendum malignos a lethalibus libro prorrh. primo cap. 14. altera ad vlcera maligna proprie descri benda, vtramque delineationem coniungamus, tũc erit vera malignæ febris definitio. Nam quãquam vlcus per se tantum, & tum corruptiuã putredinem habere poterit quanta in lethalissimis febribus vix inuenitur, & tamen lethalissimum morbum non faciet nisi (quod raro fit) in membro valde principe fuerit, sic solũ malę putredinis finibus malignum erit, febris tamen nulla esse potest cum tam sæua putredine quæ lethalissima non sit, hæc vero non maligna, sed lethalissima a Galeno dicetur, nisi volueris tu malignissimam eam appellare sic alijs finibus includendã præterquam putredinis malæ. Putredo quidem igitur mala ne dum non adhuc tendens in concoctionem, quæ multis etiam bonorum morum accidit erit illa, quæ malignarum febrium est, non tamen illæ febres in quibus putredo ea extreme mala est, & penitus corruptiua, qualis in vlceribus malignis est, malignæ appellabuntur. Sed lethalissimę potius ex Galeno. Malignis ergo febribus medium statum continentibus, cum sua natura in putredine mala sit posita, necessario ipsis medium iam dictum in ea putredine statum dabimus, extreme vero malam putredinem malignissimis quæ ipsæ etiam lethales erunt: quod cum ita sit, de febre hac aliud iudicare ego non possum, quam quod malignitatis hactenus non sit particeps, non videns in pulsu virium insolentem labefactationem, minus in vrinis malæ putredinis notas, quæ in earum turbulentia esse solent. Medium tamen statum continere, neque penitus in tuto esse video, quin in lethale genus labi possit, aut etiam in malignum, in vrinis enim non est ea cruditas, quæ nondum progressam putredinem denotet, minus notæ putredinis iam progressæ quæ insunt, indicium aliquod maturationis tenent, ac cum latitudo medij ampla sit, vt in benignis, & simplicibus eam esse iudico. Sic etiam salubribus febribus, finitimam ipsam credo, quam lethalibus, quoniam vrinarum color pituitam naturalem cum naturali bile coniunctam significare videntur leui quodã colore, nõ exusti corporis, quamquam contenta sunt globosa tamquam nubes globosæ, & vitreum corpus liquatum habent, quod pituitam potius crudam, quem mala putredine tabefactam denotat. Ac quando non a progressione putredinis, sed a progressione coctionis morbi salubris tẽpora metienda sint, hic vero contenta nihil coctionis, vrina tamen nonnihil eius demonstret, ego morbum increscere existimarem, cuius statum breuem futurum sperarem si simplex materia esset, quoniam cum primum materia matura est, febris diminui incipit, vt pure facto fit, sed vt prædictum est simplicis naturę non est, quare in statu diu trahi poterit, & in inclinatione, identidem aliquod incrementum exiguum identidem receptura, vt vt partes eius varię maturationem recipient, maturationis siquidem molitio feruorẽ ad instar putredinis commouet, vnde a maturatione sic salubrium febrium tempora, vt a mala putredine lethalium ætatẽ metimur. Hic ergo morbus est hæc spes, & status ipsius Exactione naturę in materiam accepta. Verum cum ea spe metus etiam est, non solũ ne natura in coctione aliquid peccet & maturatio in corruptionem degeneret, sed etiam, ne vel maturata materia si forte non perfectissimam maturationem acceperit in aliquam nobiliorem partem impulsa feratur nimitum cum principes partes debilitẽtur febre, cor quidem ipsa, caput vero fumosis halitibus. Hic tandem est omnis morbi status qui est hoc anni tempore valde æstiuo, & prope canis ortum, qui si canis maioris sit nostra hac regione nunc est ad 3. nonas Augusti, vel ad 7. Cal. eiusdem, si procyon, seu caniculam spectemus. Vires autem satis valentes sunt, vnde & putredinem a maturationis spe non esse disiunctã, & posse maturationi satis operę præstare credendum est. Quid modo nobis præsidij, naturæ afferendũ sit restat decernere. Vbi cum ego videam nos non esse in eo principio, in quo mouere licet, si quod mouẽdum est, quod est, vel prima die, vel vsque ad tertiã, nam alioquin in morbis lethalibus nunquam non moue re liceret cum fere tota eorum ætas initium sit, quod citra coctionẽ sumitur dicat aliquis non tota eorum ætate vires satis valent, certe sed antequã ad id perducantur mouendum esset, propterea etiam dierum numerus est attendendus, ad spatium deligendum, quo ferre id possint, itaque hic ego viribus metuens tot diebus morbo progresso in ijs auxilijs manerem quæ, & principes partes a calore febrili, & influxu materiæ tuerentur, & præterea materiã naturæ obsequentem redderent, crassiorẽ dissecando, minueren que, lenitã abstergendo, & obstructiones etiã tollendo illam minus putredini obnoxiã, potius in coctionẽ propensam facerem. Neq; vero paruifaciatis Viri Doctissimi, ꝙ dixi occurrendum esse, ne principes partes aliquid recipiant, nam sæpissime vidistis homines perire morbo potius secundario, quam primario, nimirum ex abscessionibus febrem sequutis, quod certe maxime velim in febribus animaduerti. Ergo non alienum putarem remedium propositum cucurbitularum, quas ego nequaquam dorso infigerem, ne ab artubus ad truncum materiam retraherem, sed in suris, & brachijs etiam eas ponerem, vt a capite, & a medio ad eminentes partes materiam retraherent, quibus in locis, si obstructiones augeant, minimi vitij illæ sunt, minimæque noxæ, maximi quidem periculi forent obstructiones in dorso concitatæ. Videte Oribasium qui illas non nisi inanitis corporibus dari vult, hoc est cũ ipsi loco laboranti dandæ sunt, nam idẽ reuocandæ materiæ causa a loco laborante inter initia apponit partibus remotis. Vnde quando in locũ phlebotomiæ sufficiendæ sunt, tunc Oribasius, & cum dico Oribasiũ dico Galenum, eas cruribus, & brachijs infigit. Et certe ego Domini cum a corde materia retrahenda est potius in diuersas, & multas partes eam reuocarem, nam si in vnam tantum partem retrahitur, tanquam materia quæ in contrarijs est locis in medium reducitur, & in cor, ꝙ phlebotomiæ solet euenire quando illa fere vni parti fiat. Vnde consultissime agunt, qui ex vtraque parte sanguinem mittunt. Hac auersione materiæ in diuersas externas partes facta, ego opitularer maturationi potionibus paratis ex syrupo de cap. Veneris, de succo cicoreæ, & oximellite cum iure betonicæ cicoreæ cap. Veneris acetosæ, & graminis etiam, in his enim potionibus, tum calori febris, tum maturationi materiæ consulitur, ne calor sanguinem contaminet, aut cor lædat, materiæ tamen etiam frigidiori satis sit, vt monet Galenus libro ad Glauconem in curatione tertianæ minime exquisitæ, & Aetius ex eo describit. Si cordi tuendo a dictis periculis uideatur vobis commodus esse vsus cordialium, vt aiunt, ego non damno,

quoniã cor extat cum sua capsula, & equat anteriorem pulmonis partem costisque finitimum est, & facile sentiri commodum ex admotis potest, eo vero magis quod sua dilatatione non solum a pulmonib. sed a circumadiacentibus partibus valde attrahir, quare acetum libenter adiungerem aquæ melissę,& acetosæ,& rosarum, dico rosarum, quo sua adstringendi vi intus humorem impelleret comprimendo; pulueribus cordialibus dictis admixtis. De iecore non laborarem hac suspicione, præsertim quod per potiones, per quas materia curatur, ipsum quoque quod materiam continet, satis curatum iri sperarẽ. Capitis potius si possem rationem haberem, sed quoniam vererer, ne exterius adhibita magis continendo lederent, quam comprimendo iuuarent, ego ab oxirhodinis cauerem. Si dicatis, cur in corde hæc suspicio non permouit? quoniam cor multam habet vndequaque meatuum amplitudinẽ, multasq; vias, per quas repressa materia reijciatur, & facilius vim medicamentis firmantem accipit inter costalib. spatijs viam dantibus, & ipso attrahente per sui dilatationem. Ducendæ etiam aluo vacarem, vnde & capiti,& cordi opitularetur, alternis vero diebus id moliter. In his autem manerem, quousque natura, morbique conditio aliquid postularet, nimirũ si extrusa mihi materia satis non videretur. De ratione victus nil amplius dicerem, quã quod docemur a Gal. lib. ad Glauconem cap. de tertianæ nothæ curatione, vt atteti essemus ne in morbo minime breui, aut vires diminuerentur, ni cibi satis detur, aut morbus ipse largiori cibo augeretur, vt caput curationis huius febris id esse videatur, quod in iusto cibi modo versatur. Ac quod de cibi modo, id quoque de phlebotomia monet, eadem enim ratione vtrumque metiri debemus, cum minuendo morbo, vna & virib. vtrũque pariter faciat, sanguine tantum minori opera egente ad alendum, apto tamen sui influxu, onere, & mutatione ad morbum augendum, cum enim partes laborant influit, cum calescit in alienos humores degenerat, & morbum auget, vnde summa cũ moderatione agendum, cũ mittitur sicut, cum ratio victus instituitur. Hac ergo ratione cursum huius victus tenerem, mane largius vesperi admodũ tenuiter darem, cũ vitanda sint febris incrementa, & manẽ panem ex iure iniecto oui luteo cum paulo aceti ac facchari darem, & prærerea auiculam aliquam. Vesperi autem ptisanam cũ cinamomo ex iure quoque duabus autem horis ante vespertinum cibũ potionem aquæ cui hordeum, & anisum essent incocta præberem febre iam remittere se incipiente. Acetaria potius manẽ, quam vesperi concederem ex cicoreo cocto, vel endiuia. Lactucam minime concederem, neque mouerer ea ratione, quam afferunt multi, credentes se Gal. sequi, quòd vitanda sint ea, quæ mali succi sunt, vt cicorea est, quę vero boni succi cõcedenda cuiusmodi forte sola lactuca in olerib. haberi debet Ego enim video medicamenta esse maxime in morbis necessaria, vt cicoreum hoc loco est, cuius malus succus medicamẽti officio fungitur. At in cibo misceri, & non licet, imo licet, quo cibi in eũ succum vertatur, qui vires contrarias morbo teneat, vnde Gal. quoque palam profitetur immiscendũ esse origanum pulegium, Hissopumque, & alia cũ cibis in huiusmodi febribus exhibendis. Cum quibus cibis ea maxime componerem, quæ etiam vrinã mouerent, vt in medicamentis quoque rei naturam, & auctoritatem Gal. imitatur. Nam putredo continua est, pituitæque plurimum habet, hæc nõ consumitur sub putredine penitus, plurimumque sui relinquit, ꝙ etiam putredinẽ cum alia materia subeat, moueatq; Ergo vt vt ea reliqua sit, sic per vrinas deponi oporteret, neque maturatio eius alia expectanda cũ maturationis satis habeat ille humor, qui a putredine

A facta relinquitur, inclinanteque iam febre eius diei feruorem remittit. Sic Gal. in diureticis exhibendis coctionem non expectat, vt in alijs purgãtibus, diuretica namque facile, & quod paratum sequitur deducunt paratum nimirum putredine, & est in venis & arterijs supra ipsum iecur neque eget eo apparatu viarum, quo illa, quæ per angustos iecoris meatus deferenda sunt. De potione in cibis habẽda eãdem consideratione facere, atque anisum, vel cinamomũ incoquerem cum ordeo. Vinũ post aliquod leue coctionis signum non metuerem oligophorum, & dilutum, coctione vero perfecta etiam non adeo dilutum, vt Gal. etiam facit, nam cum materia quieta tenenda est, tunc vinum vitandum, cũ mouenda dandum, non autem quia calor solum subsit tantopere
B metuendum, potest namque calorem, & febrem sua mouendi vi opportuno tempore concessum curare, nec quia calidum est, propterea pertimescere ipsum debemus, sed quia vim mouendi habet, vnde cũ materia morbi motum desiderat, tunc tuto, & vtiliter datur. Sed plura fortasse quam requiratis a me decursa sunt. Dixi.

De febre tertiana notha continua pro Illustri N. Aemilia Lazisia.

CONSVLTATIO DXX.

C TOties ex vobis eadem audita sunt Exc. Viri, vt si vellem repetere fastidium mouerem, neque vero noua possum inferre de me, cũ a vobis omnia sint proposita, quæ huic curationi esse posse vtilia videantur, faciam ergo tamquam ille, qui vestra consilia foret sequuturus, & curationem exequuturus, illa omnia dispensabo in ordinemque curationis redigam disponãque suis locis. Hic febrem putridam habemus, quæ suo calore admodum molesta non est; nec siti vlla cruciat, vigilias tantum affert. Eius materia cernitur ipsis oculis esse pituitosa, sic vrinis crasso admodum, & quasi albo sedimento præditis sic caloris modo habentibus, bilem tamen habet admixtam, cuius propterea circuitum putredo tenere coacta sit bilem per suam ariditatem sustinente pi-
D tuitam, ne citius quam secum putrescat, cuius bilis quoque colores cernuntur, quoniam pituita per se multũ coloris non habeat, vnde plus potest inficiendo bilis quemadmodũ etiam putredinem ad se trahendo. Putredinis modus is est, vt nondũ cernatur, an ad maturationem, an vero ad malam corruptionem vergat, obstructionibus quidẽ ea conficit. Hic morbus est. Symptomata autem ea sunt, si quorum ratio in curatione habenda est, attendãtur, deiectiones alui, sub quibus etiam animi deliquia fiũt, a quibus ambobus vires solent valde diminui, vnde opẽ medicam postulent, ita cum suis causis hæc symptomata consideranda sunt, vt etiam præceptum Gal. sequamur lib. 1. ad Glaucom c. 14. dicentis τὰς δὲ ἀπὸ τῶν συμπτωμάτων τε καὶ νοσημάτων ἐνδείξεις οὐχ ἁ-
E πλῶς ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐργαζόμενην ἕκαστον αἰτίαν χρὴ σκοπεῖν. Indicationes, tum a symptomatibus, tum morbis non simpliciter, sed in causa vnumquodque moliente oportet considerare. Nos iam morbum cum suis causis considerauimus in symptomatibus idem faciamus, id animi deliquium videtur morsum ventriculi sequi, quem morsum etiam deiectiones sequuntur, materia namque exusta, & mordax est, ac non solum se ipsa, sed vapore suo sibi simili mordet, & mordendo vim ventriculi dissoluit, & vna etiam per naturæ consociationem, & noxum ipsius cordis, hæ causæ proximæ horum malorum sunt.

Materia putrescens coniuncta febris causa est, de

de qua satis dictum, & quod pertinet ad locum ego non dubito, quin intra venas saltem minores putrescat, cum frigora quæ quotidie veniunt, & alternis diebus similem speciem habet valde leuia sint, neque mirum in composita febre, & humoribus varijs continuam esse febrem, & aliquid horroris inferre. Intra venas ergo magna ex parte fit, & maxime intra illas, quæ ad inferiorem ventrem, hoc est infra septum transuersum pertinent, vt non solum inflatio hypochondriorum, sed alui deiectio declarant. Antecedens autem materia in corpore vniuerso est. Quoniam cum malum inceperit ab externo frigore mutationem vestium sequuto, nō solum cutis angustioribus meatibus euasit, sed impetus inde cepit compressione facta materiæ ad interiores illas partes, in quas nunc illabitur maxime horis accessionum, seu febris incremēti, tunc enim maxime aluus mouetur. Huius modo materiæ causæ confectrices sunt ventriculus suapte natura frigidior, & calidius iecur ætate accedente frigidiori. Præterea anni totius tempestates frigidæ, verna autem, & æstiua humidæ, caloribus raris acrioribusque.

Vnde fuit facile corpus huiusmodi humorib. infarciri, sic causæ non solum rem cōtinentes, sed antecedentes, & externæ visæ sunt. His ita constitutis, quid agat natura cum morbo quisve euentus ex eorum contentione sit expectandus, considerandum, calor præter naturam vna cum calore naturæ semper agūt, quo verò iam eorum actiones peruenere? nondum vlla naturæ victoria cernitur, morbus crudior adhuc est neque multum spei est iri materiam morbificam superatam, cum copiosa cum crassa sit, multumque spatij, & virium requirat quo superetur, vires autem caloris naturalis infirmiores sint, partim ætate partim copia longinqua ab alibili genere oppressæ. Quid tu putas ne malignam febrem esse? Si dicatis malignam, proprie ob insolentiorem virium infirmitatem, & hanc propter genus putredinis corruptiuum adhuc maligna non est, minus læthalissima dici potest, si dicatis malignā hoc est difficilem, vt apud Gal. reperitur, vel simpliciter metū facientem etiam in aliqua spe, malignam potestis eam appellare. Quod modo agi oporteat sumus in die 10. videmus feruere humores, & naturā occupatam, vires infirmas, materiam nondum concoctam, itaque ego & sanguinis detractionē pertimescerem & motionem quoque per medicamenta, coctionem autem iuuandam crederem modis omnibus, tū exterius, tum interius adhibitis fomentis illitionibus, leuibus mollibusq; frictionibus, quibus etiā priori causæ tollendæ plurimum fieret, laxanda cute, & materiæ putrefactæ exitus daretur, ipsaq; dissolueretur, ut autem eius impetus ad hypochondriam factus reuocaretur. Medicamentis autē intus capiendis vterer ad incidendum, abstergendumque materiā, & obstructiones tollēdas quo putredo inhiberetur, & coctioni materia paratior fieret, neq; enim aliter inhiberi posse putredinē melius video quam paranda materia ad concoctionē, & obstructione causa putredinis tollenda, quòd Gal. etiam sentit, quare calidiora quidē vitarem, frigida tamen non minus recusarem, & potionē facerem incoctis in aqua agrimonio, betonica, capil. Veneris, melissa, cicoreaque, quibus non solum materiæ, sed viribus viscerū consuleretur, huic vero immiscerē syr. rosaceum, de corticibus citri, & acetosum, quibus & abstersio, & incisio, & cōcoctio iuuaretur. Quibus radices postea iniungerem cruditate minore facta. Indicijs autē coctionis apparentib. rhabarbarū adijcerē, eo vtēs, vt Gal. absynthio, ꝙ non solum coctioni, & expediēdis vijs ab infarctu esset vtile, sed materię etiā detrahēdę, & visceribus confirmandis, hoc ego si alui profluuium duraret, & animi deliquia sic in puluerē redactū darē, sin aluus compressior esset, in potionibus exprimerem prius maceratum. De victus ratione duo monerem, alterum, quod ad potum, reliquum quod ad cibum pertinet, de potu namque ego iudicarē, quòd profluuio hoc deliquium afferente vinum esset necessarium, sed id dilutum, & pauciferum vt Galenus libro ad Glauconem pręcipit, aut certe initio cibi offam panis in eo intinctam darē, & in maiori metu etiam vinum malorum punicorum immiscerem. De cibo etiam monerem, vt quando vires cito, & crebro ali postulāt, cibus ter in die daretur, modo horæ quatuor potionibus medicatis superessent, illum autem liquidum, & cito alentem, vt succum carnis pulli expressi cum luteo oui, & pane cōtrito ac bene cocto.

Destillationi carniū non facile assentior, quoniā & varie conficitur, & casu quodam varium fit, neque semper boni succi esse potest, de confectionibus restauratiuis dictis ex carne capi pistacijs, seminibus melonum, sandalis, seu pulueribus diarrhod. Abbatis, ego permitto vestro iudicio, cibus est medicatus, caueatis ne copia sacchari inusitata aliquid incommodi afferat, neve non recentes boli sint, calore namque cæli facile corrumpentur. Hæc sunt quæ occurrunt mihi ordinanda ex his quæ vos hic deliberastis. Dixi.

De febre continua cum dysenteria, & vigilijs iam diuturnis malis pro N. Iacobo Schiopo.

CONSVLTATIO DXXI.

Corporis genus satis perspectum videtur, neque enim video dubium, quin calidum & humidum genere haberi debeat, ætate vero quæ prope septuagenaria est, iam frigidius & siccius factū, Morbo verò quo plurimis annis occupatus fuerat, Arquato, & si ab eo liber factus diu solitam speciem pulcherrimam sui receptam retinuerit, fuisse tamen intus aliqua visceris parte affectus videtur, si ad superuenientia postea mala respiciamus; Nam in duritiem amplam præcordij sinistri incidit, maxime post ærumnas multas, & graues dolores animi, ac solicitudines, qui tumor iecoris partem sinistram habere mihi videtur. Tumorem hunc quidam alui fluor lenis sequutus est iam mense toto trahens cum febricula, vt fertur quæ postquam ipse se in vrbem contulit, iam nos potuimus perspicere. Febricula alternis diebus quædam habebat incrementa, modo non habet, sed pusilla semper eadem est, cū aluus non ita fluit, sudor leuis perpetuo eum occupat, maxime cum quiescit. Quies vere somnus non est imo fere nunquam somnum se capere agnoscit. Nulla linguæ ariditas, nulla vehemens sitis vrget, & si lotionem eius cupiat. Quæ aluus demittit, variarunt, nam sæpe cruda, incoctaque fuere, alba, cum vitreo illo humore albo, cum quo tamen non erant permixta. ab exhibito identidem Rhabarbaro feces ad colorem & habitum naturalem accessere, & pituita illa flauo colore infecta exibat. Cum his tamen postremo exire cæpit humor sanguineus ab ipsis satis separatus qui loturam carnis recens mactatæ præsefert, vt ab vltimo intestino exire intelligatur, dolorem non affert, vix quandam quasi lassitudinem prope pubem mouet, his malis ætate esset subueniendum quamquam spes exigua est, viscere tanto tantopere affecto, & febre tam diu vexante, neque vllam notam suæ solutionis præbente, Vrinis biliosis lucidis admodum flauis, & si conti-

neant eneoremata læuitate sua coctionem indicantia, nam quemadmodum certus sum ipsam vrinam iecoris, & venarum vim indicare, dubito ego num eneorema à iecore, & venis, an ab aliqua parte veniat, vt Renes ipsi sunt, video namque à Renibus primum eneoremata deinde vrinam totam cōmoueri. Vrina enim teste Galeno & re ipsa Renum recrementum non est, sed iecoris, qui, cum dicat alicubi eneoremata esse coctionis iecoris opera, alias tamen aliter sentire visus est, si fæces minime coloratæ permansissent, colorem vrinarum felli detento attribuerem, at iam feces alui fel recipiunt vt colore suo declarant. Non curaui ego inijcere papyrum, aut linteum album, vti eius infectione iudicium decernerem, quoniam credo etiam falli nos posse & incertam eam notam esse, nam idem fel B eandem crassitudinem, qua papyrum inficit, potest etiam sine obstructione in vasis nancisci, nimirum vri, & crassefieri, illud vulgarium, & fæminarū est. Hoc medicorum, vt fæces non coloratæ obstructionem significent, præterea spuma ipsa coloratior, quod experimento certissimū est, spuma enim quæ in vrinis coloratissimis alba esse solet, vbi obstructiones non sunt vbi illæ sunt flaua est, cuius rei testimonium in hoc corpore vidimus, cuius vrinæ non aluus esset decolor luteam spumam gerebant, nūc aluo colorata vrinis infectissimis alba est. Rei huius causam alias retuli certum est, quæ spuma e fęcosi corporis parte glutinosa est, ad rem venio, symptoma profluuij periculosum est, viribusq; C valde aduersarium, febris ipsa diuturna valde metuenda, vtriusque ergo causa dignosci debet, vt ratio vtriusque in curatione habeatur. Profluuij causa videtur infirmitas iecoris esse cum sanguis incoctus defluat, sic enim attrahi quidem succus in iecur, ibi tamen neque diu posse cōtineri, neque perfici intelligitur, maxime, cum per venas inferioris intestini delabatur, quæ à porta protenduntur, per quarum partem hanc attrahi succus multus non solet, potius alimentum ad crassa illa intestina deuenit, neque enim possunt esse illæ, quæ à liene, quoniam sanguis huius generis ad lienem non peruenit, quamquam nihil referat, qua via venarum iecur ab onere se liberet siue sint, quæ ad lienem, qui alienum, & imparatum nimis hoc alimentum re- D spuat, & à se dimittat, siue sint ijs proximæ vna cū ijs, quæ ad lienem proficiscuntur ad intestina inferiora descendentes, quoniam cruor ille seri sanies separatim, & sine fæcibus fere exit. Sic contentricē, & coctricem iecoris vim accusandam censerem.

Quamquam obstructio insignis attractricem impedire potius quis credat, & quoniam non succus ventriculi minime mutatus descendit, posset existimare, quòd obstructio non venarum ad intestina pertinētes ductus, sed in viscere insertos impediēs, spatium aliquod transmutationi in prioribus venis faciendæ permitteret, sed hoc esset mirabile cur per easdem venas, per quas succus attraheretur ac in cruorem verteretur, quæ sunt superiorum potius intestinorum non etiam reuerteretur in superiora E intestina, non vt inferiora tantum. Itaque vsque in iecur viæ liberę erunt, & à iecore obstructo, debilitatoque succus non per easdem, sed per diuersas & illas quæ destinatæ etiā rudiori sanguini in lienē ferendo, quæque magis deferre solent sanguinem ad inferiora quę inquam venientes ad inferiora intestina vnde nihil boni attrahere possunt, neque ipsæ vi multa attrahendi propter hanc noxam vitandam mali succi præditæ sunt, illæ enim quæ superioribus intestinis insertæ sunt succi melioris occasionem opportunè attrahendi vi maiori quam expellendi à natura sunt donatæ. Ex quibus pro certo habere possumus, quòd iecoris vis & infirma & impedita est, quodque suo fine frustratur, non succi suggesti causa vētriculo cibos satis immutante, sed & viarum, & sua propria, quòd ipsum cōtagio diuturno eius materiæ, quæ vias in se occupat, sit vitiatum partim frigore naturali eorum succorum, qui crassi & glutinosi, non etiam frigidi esse non possūt, partim eo calore æstuet, qui per eas obstructiones consit, vnde ipsum neque penitus immutet succum à ventriculo acceptum cum imbecillum sit frigore naturalis caloris, neque non plurimum bilis, & salsi humoris gignat cum feruidius humores torrefaciat. Volunt quidam, quòd iecur, quacunque intemperie imbecillum sit aquam aut pituitā gignat, quibus ego assentiri non possum, quoniam sicuti ad imbecillitatem ventriculi genus nidorosum si illa sit à calore, acidum, crudumve penitus si illa sit à frigore sequuntur, sic ad iecoris imbecillitatem biliosum salsumve, si ea sit à calore, aquosum verò & pituitosum si à frigore. Tantam iecoris vitiositatem, tantamque humorum frigidorum prauitatem non sequutus est corporis tumor ille mollis vt solet, minus abdominis vlla tensio hydropica, quæ meo quidem animo solent ad sic affectum iecur sequi, vel sanguine à partibus, quibus tamquam res, & vapor affusus est, in nutrimentum minime cedente, vel antequam sanguis partibus affundatur, quin imo priusquam per venas diuidatur iecore sese exonerante & abdomen exprimente illum tamquam materiam alienā, quæ dum exprimitur in speciem halitus mutata ac in abdomen peruenta, si ex aqua vapor extiterit in aquam reuertitur calore amisso & ascitis hydropem facit, si halitus non ex aqua sed ex ficciori humore fuerit fumi speciem nactus, tunc in abdomen expressus amisso; calore aquam facere non potest. Sed venti speciem retinet.

Hic ergo, cum aquæ plurimum fiat, nihil tamen eius retinetur cum sanguine, vt tumorem carnibus afferat, minus in abdomen intruditur, sed partim per febriculā in sudores illos fere perpetuos dissolutus humor, partim per aluum saniei habitu defertur, Sic causa huius fluxionis patefacta est. De febricula restat, ea iam penitus continua est, nullasque habet remissiones quasi humorem aliquem habeat sibi subiectum, qui non expectet spatium ad sui cumulum, aut putredinem, quemadmodum expectat pituita, bilis, & melancholici generis omnis succus. Sed tantam semper habeat copiam quantam sanguis. Quis verò sit huiusmodi humor necessario dicendum est, quòd cum sanguis quidem perfectus non sit, bilis autem & melancholicus succus, longiori spatio egeant, necessario erit sanies illa sanguinis imperfecti species, quæ, cum æque ac sanguis abundet continuam putredinem sustentat, vnde sudores etiam perpetui fierent, si quiesceret ipse & quiescendo spiritibus motionem hanc ad cutim liberam relinqueret, neq; eos ad alias functiones retraheret. Etenim videbitis quòd sub sudoribus nulla euidēti causa factis semper anhelitus habet maiorem contractionem Thoracis ipsa dilatatione. Hanc febrem verò quòd solidum iam cordis corpus occuparit, ideo esse continuam certe nō est, quòd dubitemus, cum non habeat illud incrementum, seu notationem à cibo sine vera compressione factum vt Galen. lib. de differentijs febrium ait, etiamsi non intermittatur vbi aliquis intelligat forsan quòd Galenus permittit aliquas esse febres intermittentes, quæ sine compressione accedunt, hoc est sine caloris inæqualitate sine frigore sine pulsus submissione & alijs quibusdam notis, in quarum accessionibus, si cibus detur aliquam compressionē eas subire est necesse, intelligit quidem Gal. quòd hora etiam à compressione longinqua datus cibus id facit. In hectica verò post cibum aliquo spatio incre-

increscere non cum compressione, vt in putridis sed penitus sine ea calorem & febrem. Hic illud nõ est, Putrida ergo est & à nullo humore præter eum qui dictus iam est, intra sanguinis perfectionẽ sanguini cognatum, continuitatem etiam hanc nõ solum ab eo genere humoris esse, sed præterea à loco contingit, quoniam & si in magnis venis non sit, tamen in viscere principe versatur, à quo fit materia abundantissima, & coniunctione cum corde febris causa continuæ potest communicari. Colligamus iam huius morbi partes, & casus vrgentiores, Primum viribus timendum est ab hac defluxione tam assidua, deinde à febre, vigilijsque nec minus à iecoris debilitate corpori non satis proficiẽtis ad nutritionem. Vires ergo alimentis cito & valenter nutrientibus sustentandæ sunt, vt ex pane trito, percoctoque in iure gallinaceorum bene percoctorum, & antequam feruefiant, etiam contusorum.

Ex luteis itẽ ouorum, ex testibus & iecoribus gallinaceorum, ex auibus alijs bene carnosis & mollibus vt Galguli iuniores sunt hoc tempore, & Ficedulæ, & miliariæ auiculæ. Ex vino generis valde leuis, & boni, vt iecoris & ventriculi vis sustineatur, quæ etiam fomentis & illitionibus iuuanda est, ex Absynthio, Mentha, chamemelo, rosis, labruscæ floribus & huiusmodi alijs in vino & aqua paribus partibus decoctis, vel etiam in aqua sola, quamquã vini coniunctio facit maxime ad robur. Ne etiam vires dissoluantur tenendus est in lectulo, subijcienda vascula lignea patentia cum deijcere vult ne à motu febris incitetur. Somnus illitionibus promouendis & lotionibus ẽt, à quibus iam vidimus facilius factũ q̃ ab illitionib. Illitiones fint ex oleo Nenupharino Violaceoque addito paullo opij ad ℈. I. in quamquam vnciam vel eodem addito ex diapopuleo, illitio etiam naribus cum philonio Romano satis proficere solet. Lotiones autem, quales ei profuere ex aqua tepida cui incocta sint papaueris capita, lactuca, malua violaria, solanum, & Anethum ad halitum excitandum, in qua non modo brachia, & crura sed ipse vsque ad sedẽ demergatur, sic enim ei balneum illud profuisse experti sumus, soporifera per os præter theriacam nouam non libenter exhiberem, & syrupum de papauere cum aqua lactucæ satis vtilem à me expertum tamẽ præterirem, ne iecori officerem. Profluuij autem noxæ ne intestina debilitentur, ne ve vires ex crebra excretione debilitentur; adhibendum est cataplasma Diaphænicon clysmata etiam ex rosaceo oleo cum lacte, ex oleo chamemelino cũ eodem abstergentibus iniunctis, vt est furfur, vt ordeum, vt saccharum rubrum, quo adhærens humor infestus & irritans detergatur. Verum febri & eius causæ, tum iecoris etiam debilitati, vt potioribus necessitatibus, quomodo est occurrẽdum? Vtrique malo faceret maxime ipsum Rhabarbarũ, quod & humorem febris paulatim educeret ad Galen. præceptum libro primo ad Glauconem, & obstructiones submoueret, & viscus vna simul cum ventriculo firmaret, quod verò ego exhiberem coniunctim cum saccharo rosaceo febris & profluuij rationem habẽdo, & hoc vno remedio putarem satis vtrique malo factum, iuuarem quidem aliquo apparatu per potiones procurato factas ex cicoreo, Agrimonio, Asplenio, Betonica, & alijs eiusmodi, addito etiam cinnamomo admixto, si vultis etiam syrupo de Cicorea Nicoli & acetoso diarrhedon, sed paratis recenter cum admodum exiguo saccharo vel melle, & coctione breui ne aluum nimis laxet hæc in pharmacia haberem. In chirurgia certe nihil video huic opportunum præter frictiones ad dissoluendam paulatim febris materiam, ad eandem concoquendam, & obstructiones laxandas quo putredini occurratur, Dixi.

Is alui fluxus diutissime traxit, quæ tandem lutosum quod tamquam lateris triti egerebatur, hic paulatim æger consumptus est,

De dolore ventris pro Excellentissima D. Lauinia de Ruere Vasti Marchesia Casalis maioris.

CONSVLTATIO DXXII.

Antequam nuberet quodam tempore ei venter dolebat semper cum appropinquarent menstruæ purgationes, dolor credebatur ob id ad vterum pertinere, quamquam vterus in omnibus mulieribus cum non habet in se, quo tendatur, pubem ipsam minime excedit, porrò aluus etiã interea mouebatur, vt dolor potius vel ad crassum intestinum sub fundo ventriculi transuersum positum, vel ad ventriculum ipsum pertinere esset verisimile, aluo namque sic soluta dolor quiescebat menstruis purgationibus etiam insequutis. Modo postquam virum habet, & vtero gerere contingit, dum grauida est quod multoties iam euenit, eodem dolore afficitur & præcipue cum partus instat, qui dolor aluo etiam soluta quamquam remittitur, non tamẽ penitus tollitur. Aluo quidem non dum soluta ascendit ad os pectoris, & ad scapulas, atque ad humeros, vt ventriculi malum hoc esse intelligatur, qui detento recrementitio sanguine afficitur refrigeratur, & pituitam gignat, quam cum demittit ad intestina, ipsa quoque in condolentiam cogir. sic cernimus pituitam dolore leuato excerni admodum lentam, alui fęcibus tamen sub ea excretione melioribus factis vi ventriculi concoctrice post eiusdem expultricis operam inualescente, & demisso frigido humote ad intestina melius coquente; Dolorem hunc à frigore occasionem habuisse, & à mæroribus dictum est, à frigore quidem externo noxam facile accipit vẽtriculus, magis vero à potionibus frigefactis in niue, quo frigore vti solebat ipsa. Sic pituitam refrigeratus ventriculus, & humores crudos gignit. A mętoribus autem sanguis refrigeratur vna cum ventriculo, & serosior fit, & crassus, vnde & menstruas purgationes difficiliores, & refrigerationem ventriculi maiorem faciat, obstructionibus quoque sua crassitudine inductis, meatibusque excretionum obseratis vomitus incitentur à bile in ventriculum reiecta, & cum ea etiã pituita eijciatur. Quòd verò dolores ab humotibus ijs moueantur mirum non est, quoniam, & acres sunt & flatuosi, quòd pertineant ad dorsum facile fit quoniam eo pertinet cum ventriculus eiusque os, tum etiam colon dorso tranuerso deductum, quod ad humores etiam perueniat fieri potest propter fibras ligamentorum & membranarum succingentium. Quæ cum ita sint non solũ causæ viuendi modo remouendę sunt frigorum, & crassitudinis ciborum, & aliarum quarumcũque rerum, quæ sex generibus non naturalibus dictis compræhẽduntur, sed interna etiam vitiositas est submouẽda. Humoribus eam sustinentibus amouendis, vijs naturalibus expediendis, & calore ventriculi restituendo. Humoribus ergo remouendis eos paulatim parando, & educendo crederem idoneum esse medicamentum factum ex iure galli veteris repleti ijs medicamentis, quæ detersionem eius augerent, & apertionem etiam aliquo calore, cum eo verò inciderent humores, & iecoris calorem moderarentur, ventriculi verò calorem potius augerent. In primis ergo imponerem pulueres illos, quibus paratur confectio Diacostum, in quibus ego loco costi radicem herbæ Angelicæ dictæ ponerem, quoniam nullam radicem

radicem herbæ angelicæ dictæ ponerem, quoniam nullam radicem video costo similiorem, odore aromatis, sapore acri, & subamaro, & habet species albam, & nigram vt costus habet. His pulueribus adiungerem ea, quæ iecur refrigerarent vel saltem horum calor temperarent, vt lichenem herbam Acetosam Endiuiam, quę etiam inciderent, vt Betonicam, quæ per aluum mouerent humores noxios vt serram, cuius ego folliculos potius hoc loco, quam folia deligerem, quoniam ventriculo aptiores sunt, & præterea polypodium crassæ pituitæ, & melancholicæ materiæ deducendæ opportunum, & sua familiatia corrigentia dicta cum illis componerem. Iure hoc vno quoque mane dato ad 15. dies, pilulas deinde laudarem factas ex Alephanginis, & Rhabarbaro, vt ventriculus & iecur acciperent & leuē purgationem eorum humorum, qui in dies in ijs colliguntur. Scio ego pilulas ex hiera simpl. & Rhabarbaro ei alias maxime profuisse. Ventriculo quoque consulerem potione alicuius vini, in quo vel Guaiacum vel saltem betonica esset accepta, dum vinum conficitur, præterea cytoniatum Galeni libro 6. de tuenda valetudine darem, quo tota hac hyeme vteretur. Vere autem adueniente, nisi conualuerit, ego de Thermis cogitarē, aut Tetucij, aut Aquarij, quibus ventriculus, & venæ ad iecur pertinentes expedirentur & robur etiam acciperent. Quarum rerum descriptio infra subiungetur.

Memoria delle medicine per S.E.

Pigliarà prima l'infrascritto brodo per quindeci giorni doppò gli quararanta giorni del parto, & le pilole, che seguitano per questo inuerno al mē ogni otto giorni.

Per far il brodo si pigliarà vn gallo di cinque anni & viuo si farà bacchettar tanto che si farà furioso, & poi fatto morire e purgato si empierà con le cose soggiunte.

℞. specierum Diacosti secundum descriptionem Mesuæ. ℥.1.s.

Follicolorum senæ Orientalis	℥.2.
Prunorum Damascenorum	num. 10.
Passularum	℥.3.
Radicum polypodij quercini	℥.3.s.
Foliorum epaticæ seu lichenis, Acetosæ, Bet onicæ	an.m.1.1.

Contundenda contundantur, incidenda incidātur, & fiat decoctio vsque eo, quòd Gallus percoctus fuerit, & eius superfit ad lib. 3. quod expresso aliquantum ventre galli seruetur ex quo sumantur quoque mane ℥.7.

La presa delle pilole sarà l'infrascritta.

℞. pilularum Alephanginarum, Rhabarbari electi an.℈.s.

Cum aqua absynthij addita portione oxymellis squillitici f.p.3. & aurentur.

Viuendo fra tanto come le e stato ricordato, senza sentir freddo, ò dal aria, ò dal bere, e fuggendo le cose brusche, massime il vino, mettēdo quel spatio dal desinar alla cena, che possi hauer digesto, cioè più di otto hore. Seruando queste regole massime appressandosi li tempi delle purghe naturali.

Passato l'inuerno, se ciò non haurà bastato, se nō vi sarà impedimento, bisognarà proceder ad alcun altro rimedio, come all'hora si potrà vedere far à proposito.

A La cotognata si farà parte col gelo, parte con tutto il cotogno ben maturo, mettendo in ogni libra del preso cotogno altretanto cioè vna libra di zucchato e miele biancho, & mezza libra di aceto biancho buono, & due dramme di pepe biancho, & tre di gengeuo.

Della quale se ne pigliarà, quando piacerà più cosi auanti pasto come dopò, cosi le tre hore auanti mangiare come nel entrar à tauola. Però li giorni, che non pigliata le pilole, ne manco il brodo.

De febre duplici tertiana in sene cum Excell. Io. Iacobo Boneto Casalis Maioris.

B

CONSVLTATIO DXXIII.

DE corporis genere, quòd calidius sit, & vergat etiam ad siccius, de morbi natura & curatione à te dictum satis ad verum videtur, & profectò res minime dubia est. Duplicem namque tertianam videmus, & eam quidem spuriam cum fine rigore inuadat. Diceret Harculanus non duplicem tertianam sed duas tertianas quoniam duplicem facit, cū C duæ tertianæ persimilem speciem retinent, duas verò cum diuersam, hic altera maior, & longior, & euidentiori frigore est, altera vix euidentem facit compressionem. Quæ res quandoque euenit, vt dicit Galenus, quoniam prioris febris calore non dum soluto insequentis frigus impeditur sentimus nos nondum sine febre esse, & tamen alterius febris aduentus in propinquo est, nēpe minoris, alternis diebus accessiones, quamuis quotidie adsint, tamen sibi respondent. Quare & duplex tertiana est, seu duę tertianæ sunt, & cum spuriæ sint, ex materia quidē biliosa, sed cum plurimo phlegmate permixta fiunt.

Vbi mirum non est, si copia pituitæ superante bilis tamen spatia circuituum ad se trahat, quoniam cum plus efficaciæ habeat bilis, molem etiam maio- D rem pituitæ vincit, quæ causa iam non proprie expressa est, neque vt primo per se se ipsa intelligatur. Primo enim & se ipsa ea causa est, quòd bilis siccitate sua, & calore squallido pituitam sustinet à putredine donec ipsa bilis putrescat, nimirum in tertiam vsque diem, hoc verò facere potest cum permixtæ sunt, & eadem vnam simul febrē faciunt, iccirco spuriam dictam, quòd ex permixta materia fit, cum enim permixtæ non sunt singulam febrem faciunt, quę ambæ confusione sua speciem dictā hęmitriteum cum pituita continuam, bilis autem intermittentem incidit, aliæ namque permixtiones non proprie semitertianæ hoc est dimidia tantum sui parte tertianæ seu hæmitritei dicuntur. Hic certe vtraque febris multum pituitæ habet, quod ex E exili calore & paruitate pulsus elicitur, neque mirū est si non sitiat, si etiam satis dormit. Vrinæ quidem plurimum coloratæ sunt, sed hoc quoque sequi pituitæ permixtionem solet, vt dicebat Galenus libro Method. quæ cum exuritur coloratius serum faciat, hæc de genere materię, de loco putredinis, qui multam curationis partem ad se trahit, videndum sequitur. Nam & si febris vniuersum corpus occupet, vt calor præter naturam est, vt tamen in humore putrido sita est, locum potius vnum, quam aliū sortitur, ita quandoque in venis maioribus intra alas & inguina residet, quandoque in alicuius visceris venis, quandoque in visceris corpus etiam redundat, ex quo inflammationes & viscerum corruptiones,

ac

ac putredines fiunt, vt in resectis cadaueribus cerni licet, sæpius extra venas in carnibus rarioribus materia in halitum conuersa inflammatur, neque tumorem tamen excitat, & quod habitum suæ crassitudinis non retinet, sed natura expulsionem eius moliente in roridam quandam speciē à calore conuertitur. Sic meatus in suæ mediocritatis modo conseruat neque tumorem facit, quæ febrium ratio tutissima est, & fere per sudores discutitur, quamquam etiam multum materiæ eius in ventriculum & intestina ante deiectum dum initio accessionum, natura expulsionem molitur per vomitus, & alui deiectiones eijciātur, eodemque tempore & ad carnes & ad ventres materia feratur. Hoc loco per compressiones intelligimus materiam moueri, expellique per intermissionē, altero quoque die post minorem febrem animaduersam, esse putredinem extra vasa est necesse, in carnibus verò fieri nullus sudor non potest indicare, tamen sensus frigoris id solet denotare quamuis etiam solam caloris reuocationem ad interiora sequatur, & motum quoque factum ad intestina, quem deiectiones valde large altero quoque die reuertentes sub maiori febre declarant, motio tamen ad carnes intelligitur sub accessionibus, cum post vomitiones deiectionesque febris tamen permanet & sæpe per sudores finitur.

Hoc loco ego pertinere ad intestina putredinem crederem, vel iecoris ipsius cauum, quoniam natura faciliorem semper operam tentante, facilius in deiectionibus sequitur si materia ad iecoris cauum pertinet. Num modo putredo in malam corruptionem degeneret, an ad maturationem producatur, quo spem non metum capiamus, certiores fieri possumus ex pulsu primum qui in maturatione vires ostendit, in mala putredine imbecillitatē, & ex vrinis, in quibus eneorema solet esse eius rei indiciū habere, quod cum fuerit asperum exustionem, cum lene maturationē, cum admodum crassum aut puluerulentum corruptionem exustione factam, vt etiā cum vrinæ confusæ ac turbidæ permanent, & liuorem acquirunt malam putredinem significant. Hic eneoremata bona maturationem, color valde flauus in rubrum vergens potius serum, & saniem humoris non dum putrescentis, & ob vim venarum, & iecoris affectam in horas geniti & calore expressi ostēdit, cuius generis vrinæ solent longiores morbos indicare, quod humorum gignendorum matrem firmissimam indicet intemperiem. Vt hic longioris morbi metus potius, quam maligni iudicium sit faciendum quod etiam confirmat pulsuum tonus. Num verò aliquis morbus secundarius sit metuendus, vt fieri crebro in febribus solet naturam excruciantibus & excretionem in diuersas partes à febre debilitatas mouentibus, vt multi à secundarijs morbis intereant quod patet in resectis cadaueribus eorum, qui à febre interfecti sunt etiam febre ea cuius nulla pars habuit aut spiritus difficultatem, nisi cum proxime interituri sunt, nam in ijs pulmones inflammatos inuenimus, inflammatione vt secundario morbo ad febrem postremo sequuta & animalis facultatis nullum detrimētum, nisi ad extremum quibus cerebrum & membranas affectas inuenimus, quorum inquam febres nullum symptoma ad caput pertinens habuerant nisi in vitæ fine, imo pleuriticos pleuritide sanatos interuallo septē dierum læthargo correptos, & mortuos videres angina liberatos, postea peripneumonia necatos. Sed huiusmodi euentus suspicionem ego non haberem, vbi aluus excretioni, & motioni naturę patet, potius alui profluuium metuerem, quod in aliquibus obseruaui, nisi recte se gerant, affecta namque intestina eo materiæ motu solent ipsa quoque inflammari, & inflammata tum fluxioni magis obiecta esse, tum malis humoribus genitis profluuium magis incitare. Quibus ita propositis videndum, vti occurramus ijs malis, quæ sunt, & ijs etiā, quæ facile futura sunt, Futuris periculis recta victus ratione, & sanguinis missione, & humorum mitigatione, & in contrarias & conuenientes partes reuocatione prouidere possumus. Victus ratione instituta ne futurum alimentum, qui cibus est morbum augeat, materiamque ad alios morbos faciat, vires tamen ne debilitet. Missionem sanguinis pari æstimatione deligentes, ne sanguinē, qui proxime alimentum futurum est idem faciat, si relinquatur morbum nutriat, si nimium detrahatur, nutrire etiam nequeat vires. Eadē namque ratio cibi, & sanguinis est ad morbum & vires augēdas, quamquam diuerso gradu est sanguis tam viribus, quam morbo alendo promptior, cibus ab vtroque remotior est, alioquin nulla diuersitatis ratio est. Cum itaque in malis præsertim vel futuram magnitudinem timemus vitam per secundę valetudinis procurationem quærentes, tum cibum, tum sanguinem amolimur, eousque, ne vires deficiant. In hydropico morbo magnitudo timetur & cibus diminuitur, quoniam quamquam vires debiles sint cibo sustinendæ, ipsæ tamen eum sibi conficere nequeunt, eoque potius morbus augetur. Sāguis itaq; retinetur, quoniam vires infirmæ sustinendæ sunt, & maxime ipse nutrices. At dices tu. Dico quod medicamentum etiam valentius ferant, & sobrietatem non sustinebunt sanguinis diminutionem, neque abstinentiam, imo sæpe propter renutritionem virium, & exiguo cibo propter coctionis debilitatem hydropici alendi sunt. Sustinebunt autem medicamentum, non tamen æque vehemens, vt missio sanguinis est. In duplici ergo hac tertiana, ne ipsa augeatur, neue secundarius morbus à materia intus morante fiat, ego sanguinem aliquantum detraherem viribus non recusantibus, quod corpus satis bene validū sit, cū anni tempus etiam non prohibeat, neq; frigidius aut calidius, multū tamen sanguinis non emittere, ætate satis adulta, morboque etiam longius progresso & aluo quoque alternis diebus soluta, imo si quotidie talis esset omne genus inaniandi dimitterem, quamuis pro ratione multitudinis non educeretur, sic in cibo minuendo me gererem, ne tam tenuis esset, vt vires morbum non ferrent, neue plenior tanto, vt morbum ipsum augeret. Ergo sanguinem ad quinque vncias educerem nisi admodum sordidus & crassus ac niger esset, itaque potius à cubito quam à manu, quoniam à manu rarenter admodum niger educitur, qui si crassus est, crassitudinem alibilem habet, vt qui per cucurbitulas elicitur, magis enim à partibus alendis mutatus est, forte à manu tutius educitur. (dico à manu extrema, nam alioquin manus etiam cubitum antiquis cōprehendit) quoties spiritus seruari plus dēt, & à viscere vi maiori sāguis retrahitur. Facta hac sāguinis missione pararem paucis diebus humores & postea Galenum sequens ego detraherem paulatim humorem leuioribus medicamentis, quorum delectum T.E. relinquam, genus cibi certe probarem, quod aliquam & mediocrem haberet calefactionem, & incidendi, atque deobstruendi vim, potionesque pararem ex aqua cum Aniso & sacch aro cocta.

De vlcere vesicæ & calculo per Laurentum Palermio cum Pona, & Fumaneth.

CONSVLTATIO DXXIIII.

VLceris certissima nota est quoniam pus cernitur & illud satis copiosum, vbi modo vlcus inſtiterit aliquis dubitare posset, si quidē vrina effert pus, & illud potest accipere à diuersis partibus, neque sine vrina exit, quo in meatu vlcus sit iudicandum, aut in vijs seminis, nam hic exiguum admodum illud pus est, quod compressione colis exprimitur, forte ex eo relictum, quod cum vrina procedit, vtpote quod suo lentore adhærescens non penitus queat effluere. Vrina efferre pus eiusmodi solet à Renibus, & à Vesica, nam à iecore, vel alijs partibus per venas non adeo seiunctum ab vrina si vbi ea fit ipsum quoque eodem calore fieret, neque tam diu perseuerans pus esset, cum iecur & partes inferiores, superioresve vlcus valde diuturnum non patiantur. Modo Renes eiusmodi pus tam diu & tam multum ex vlcere demittentes, non possent non aliqua sæpe sanguinis portione sæpe ipsum exprimere, cum ipsi sanguine multo & insignibus venis perfusi sint. Id pus album & purum valde est, quare Vesicæ potius, quam Renum vlceris est, nam vesica exiguas venas habet, & alba ipsa est, refertur, quòd squamulæ quædam visæ sunt in eo, quasi vesicæ tunica abradatur, sed ego non soleo facile id credere, neque de vesica, neque de intestinis, minus de pulmone, quamquam semel certe cartilagines eius particulā in sputo vidi, nam si in externis vlceribus eiusmodi partes delabi facile non cernuntur, cur ab internis tam facile, vt referri solet, credamus? Speciem squamularum contrahere multa recrementa pituitosa & eo facilius quo magis crassa & lenta sunt consueuere, quemadmodum in capite, & facilius quidem in internis quam externis partibus propter calorem vt in naribus, quare non existimo ego propter eas squamulas exeuntes semper vlcera membranas dilacerare, quæ illam potius exedendo in succum sordidum colliquant. At ardor vrinæ sub glande est fere, imo vel si coles medius comprehendatur, constringaturque cum lotium è vesica emittitur, quamuis impeditum mediam colis viam non prætereat, neque glandi appropinquet, sub glande tamen dolor mouetur, maxime si lotium multum sit, quod præpeditur.

Dico hoc consentire cum experimento vulgatissimo, quo videmus semper eos qui vel calculo, vel vlcere vesicæ laborent, ad glandem offensam sentire, & scalpere eam cogi ob ingentem pruritum, quasi fibræ quæ intexunt vesicam (nimirum rectæ quamquam ipsam lotium attrahere negetur, omnis tamē generis fibris contexta est,) ad glandem coniunctim finientes illuc etiam molestiam multæ inferētes multiplicem reddant, vt hoc loco lotium, cum plurimum est, & eas fibras valde tendit, quamuis ad glandem ipsammet non perueniat, ad eam tamen per fibrarum cōtentionem ipsam offensam permittat. In vesica ergo vlcus esse credendum est non in renibus, maxime quoniam nulla nota affectorum Renum animaduertitur, nulli dorsi molestia est, quod quamuis renes ipsi non admodum sentiant per membranas tamen sensum molestū à Renibus quoque accipiunt, neque verò, vbi tantum puris est, non potest non aliquid caloris esse, quod hic nō est molestia vero omnis ad vesicam sentitur, circum pe-

A rinæum, circumque pubem ipsam. Quæ molestia cum in latus sinistrum decumbit, adeò augetur, vt cum decubitum pati non possit, continereque sub eo interea lotium non valeat. Quæ res non solum ad vesicam pertinere vlcus ostendit, sed intus insistere etiam corpus aliquod à quo vlcus premi grauitate, & irritari asperitate possit, id verò non nisi lapideum fuerit, vnde non solum meiendi cupiditas, sed deijciendi quoque crebra sit, & sæpe inanis, vesica cum recto intestino connexa illud vna secum afficiente. Dicebat ipse quoque cum digitum immisisset in anum loco vesicæ sensisse quasi ossis duritiem prementi renitentem. Quæ cum ita sint, mirum non est si vrina copiosa effluat, si crebra sit, cum lapis non nisi à calore de sententia Hippocratis fiat

B ipsius vesicæ, imo Renum & iecoris calore eum fieri certum sit, facile multum serosi humoris allicitur ad eas partes, vnde sitis fiat. His ergo ita constitutis nos habemus calculū, habemus vlcus ab eo certe factum, in hoc corpore iuueni sumus in autumni tēpere, humida vero satis tempestate, Ad modum ipsum figurandum quid agi potest? Vlcus curari calculo manente non potest, calculus sine ope manus cum magnus & durus est, auferri nequit. Vbi autem aliena manu vtendum est in rebus periculosis cum de magistri manu certus, & securus non sum, ego non audeo ægros manibus subijcere. Multi manus opera conualescunt, quos vidi bene valentes, iuuenes quidem multos maxime in Germaniæ finibus, vbi fluxionibus malorum humorum occasio tanta

C non est. De senioribus etiam scio quendam summū Aduocatum Cōtarenum in Regionibus nostris exciso lapide commode vixisse. De ministri tamen seu artificis arte & probitate minime tutus sum, minimeque sub hoc dubio ægrum ad manus eiusmodi hominis alligarem. Quid interim faceres cruciatus vlceris perpetuus est, id sine sublatione lapidis sanescere non potest. Ego ne ei vlla in re deessem tentarem medicamenta ad lapidem frangendum probata, ex quibus deligerem quæ nihil aut parum caloris haberent, ex illis & aceto squillitico aliquod oxymel componerem, inter vsum cuius etiam vsum lenientium medicamentorum, & curantium vlcus interponerem, quæ ratio curandi mihi valentissima

D extitit in R. P. Paulo Ordinis Minorum Obseruantium, qui tribus annis à lapide cruciatus continuas habuerat, vt propter illud tormentum vita ei morte magis abhorreretur, is ex vsu eiusmodi oxymellis fragmenta specie tamquam fractos auellanæ cortices durissima minxit, & duorum mensium spatio liber à molestia fuit, post sex menses in eam recidit propter subitum quendam & longum itineris pedestris laborem, ab eo item euasit per eiusmodi minctum, & tandē optime habuit. Scio etiam alios partim per minctum fragmentorum, partim quòd relictus lapis forte glaber & expolitior euaserit, ad cōmodiorem vitam esse traductos, vt quidam 30. totos annos lapides tres inuicem apte commissos gestarit, qui reperti sunt post mortem admodum gla-

E bri & mucore inuoluti. Conficerem ergo primum ius ex saxifragia, asplenio, radice Rubi, & Graminis Ononidis seminibus mespillorum, folijs betonicæ, capillis Veneris, & huiusmodi alijs, & quæ faciunt etiam ad vlcus vesicæ in Alchachengi. Cum hoc iure & aceto squilitico ego conficerem oxymel, quo solo vel composito cum alijs vterer, vt cum sanguine Hirci vel Vulpis, cum cinere leporis, maxime prægnantis facto sic, vt viua lepus in olla conclusa in fornace posita in cinerem commutaretur, cum quo medicamento sæpe cōiungenda sunt, quæ vias laxant, vt ius seminum maluæ, violarum, iuiubarum passularum, oleum amygdalarum dulcium & similium, maxime quoniam faciunt etiam ad ardorem delinien-

deliniendum flos etiam dictus cassiæ identidem cũ liquiritia dandus erit quæ præmissa totius corporis idonea purgatione fieri debebunt. Rubi radix maxime potuisse visa est in Nob. Dunesio Burio & nõ calfacit. Senista præfertur multis sed periculosior est, Anagallidis, & alsines atque parietariæ aquam cum oxymelle suprascripto mirifice fecisse vidi. Pubi quoque eadem apposita multum valent, & maxime vulpinus sanguis cum parietaria Anagallide, Raphano, & similibus, cumque oleo scorpionum. Ad laxandas vias balnea quoque facienda sunt, & suffitus etiam per meatum vreterem accipiendi pene ipso in foramen ollæ demisso, in qua ius talium rerum contineatur. Vlceri præterea curatio sua attribuenda & Terebynthi resina cum ijs componenda cum Trocischis Alchachengi, cum ijs qui sunt de spodio, & eius generis, cum aqua vel cineribus, vel pulueribus similibus. Sunt electuaria dicta, quæ varia sunt & multum valent vt iustinum, vt lithontribon ea apud pharmacopolas descripta inuenietis. Ego dicendi finem faciam. Nam quòd ius chinæ, aut saxafras opportuna sint, nõ valde credo, Chinæ quidem potius fiderem, quòd minus caloris præseferat. Vti soleo ego syrupo confecto ex succis limoniæ, parietariæ, Anagallidis, Betonicæ, adiectis etiam succis ex R. liquiritiæ, Maluatum, Rosatumque, cum melle despumato, quem syrupum diluebam aliquando ex iure Acetosæ, fol. Raphani, Maluarum floris chamemeli, Genistæ, Rad. Graminis Rubi & iuiubare fructus, vti etiam consueui pilulis confectis ex puluere s. Asparagorum Ononidis R. Rubi Pentaphyli, Vitri combusti, Ossium Mespillorum, Milij solis, Vermiũ terrestrium, Gumi pumorum, cerasorum, Amigdalarum, his pulueribus ex Terebynthina compræhensis, coactisque. Post eiectum lapidem ad tuendos Renes, & vesicam ab eo, ego vti soleo oxymellite facto ex melle, & Aceto squillitico & iure R. graminis, pentaphylli, Asparagorum, Althææ, liquiritiæ, Rubi, passularum cum corticibus & foliorum Betonicæ, pimpinellę, scolopendriæ, Plãtaginis, Verbenæ, Trifolij, Adianthi, epaticæ, quatuor, s. frigidorum minorum, quatuor item maiorum, s. Mespillorum citoniorum, Halicacabi, canapis, & agnicosti.

De tumore doloroso sub mandibula in febre quartana pro Nob. Alceuaghia cum Dionisio & Fum.

CONSVLTATIO DXXV.

VRget maxime tumor, qui post longum Quartanæ progressum extitit, non solum, quoniam cruciatus quartanæ tantus esse non solet, vt huius tumoris nunc est, verum etiam quoniam facto tumore ea leuior admodum facta est. Vbi si quis suspicetur leniorem eam videri propter dolorem tumoris, videat, quòd ipsa febris exigua quoque sentitur in ijs spatijs, quibus sæpe dolor remitti solet, neque enim semper pariter torquet. Si quis etiam suspicetur, quod febris aliqua dolorem sequens minuensque frigus, & rigorem quartanæ, faciat vt quartana leuior videatur, cognoscat is, quod ægrota affirmat, non solum leuiorem esse rigorem factum sed calorem valde exiguum, modo calor vnius febris coniunctus cum altero caloris potius sensum maiorem corpori afferret. Vt ego suspicer de materia febris plurimum ad caput extensum fuisse, quemadmodum capitis dolor præcedens tumorem significat, & tumorem eum peperisse, vnde minus materiæ ipsi febri relictum sit, siue modo in symptomaticũ, A siue criticum appelletis, non curo, sat est quòd crisis & imperfecta, & ad minime conuenientem locum & ita non penitus ad consilium naturæ facta est, & quòd tumor sui multam prouisionem requirit, & celeriorem quam febris faciat, præsertim, si ipsa diminuta est, vt ægra affirmat, cum ipse tam illam extorqueat, Tumoris ergo materiæ genus cognoscẽdum & locus & status, & quid futurum sit videndum vt curatio apta instituatur. Materiæ genus crassum est, cuius illa est nota certissima, quòd ad summam cutem non effunditur, sed in alto manet, vix verò cutis exiguo loco ruborem ostendit, qui forte etiam à medicamentorum impositione factus est. Præterea iam 15. diebus tumor manet, & tardi motus videtur, quod crassę materię, & frigidioris est. Dolor tamen ingens eam cruciat, quæ calorem sentit, maxi- B. me mordacem, quod significat aliquid caloris subesse, Ergo habet ea omnia, quæ humorem quartanæ nobis designant. Nam vt quartana Melancholicum genus humoris vult, & ita sæpe exustum, & caloris aliquid retinens, minime verò exquisita quartana alios etiã humores adiungit & maxime æstiua multum bilis, hæc autem propter tempestates anni & ventriculi imbecillitatem pituitæ plurimum habere potest, sic in tumore hoc tum tarditatem & altiorem sedem propter pituitam & crassitudinem, tum dolores, & calores propter exustionis reliquias & biliosas partes videmus, videmus etiam febrem, quę profecto mihi continua existimatur, cum hodie, quo quartana quiescit, febre tamen teneatur. Locus in C. quo humor insistit potissimum glandula illa est, quæ sub mandibula tamquam emunctorium posita est, quamuis dolor in capite primum, in tempore, postea ad glandulam, postremo ad aurem pertinuerit, à capite namque accepta principio materia est, deinde transmissa primũ densiori propiorique parti, acriori sensu prædita dolorem intulit, quale est ligamentum, seu corda ipsius musculi temporalis, deinde loco laxiori glandulę, quę propter suam raritatem non nisi postquam bene repleta & contenta fuit dolere potuit, nunc verò contenta nimis dolorem, & humorem communicat & cum alijs partibus, vt loco post aurem, nomen tumoris omnino παρωτὶς fuerit cum glandulam sub aure occupet. Vigeat modo tu- D mor necne. Ego fere vigere credam 14. die iam finita & doloribus non modo noctu, vt prius, sed interdiu etiam pariter exagitantibus & pulsationem aliquam etiam habentibus, ita non solum in summo sit tumor suæ magnitudinis & fluxionis, sed concoctionis quoque. Cum eo quod video vrinam continere eneorema æquabile, leneque multum, ex qua quamuis non ipsiusmet tumoris, certe humoris illuc intrusi, indicium accipere possumus, quod natura concocta materiam tractans iam 15. dies facile potest excretionem compleuisse. Quid modo sentiam de suspicione proposita nũ Gallicus tumor sit, num marito in eadẽ suspicione versante iudicium id fieri debeat, Ego non video qui fieri potuerit vt quinque annis se se tuta sit matrona, quin prius aliquid sen- E sisset, minus ego necessarium puto, vt morbus inueteratus gallicus semper communicetur, recentẽ quidem vidi facilime communicari, sed neque mariti suspicio certa est, nam artetici dolores, quibus crebro afficitur gallici morbi proprij non sunt, potius dolores ad medios artus pertinerent, Vt iam diu verò morbum mulier acceperit, quomodo inueterato Gallico tumor huiusmodi fieret? ad emunctoria tumores fieri solent in morbo recenti, qui verò tumores inueterato morbo fiũt, ij ad periostia solent pertinere, quare ego de ea suspicione nihil dubitarem, maxime quod curatio tumoris etiam si cum ea foret, eadem initio esset instituenda. Vt corpus prius purum fiat, vt ne repellentibus tractetur cum emun-

ctorius locus fit cum per crisim factus tumor, vt dolor maxime leniatur, ne vigilias & febrem moueat, vt mollientibus tractetur, ac nisi discuti posse spes sit, maturationi vacetur. Itaque per potiones ex sena paratas corpus ego diligenter purgarem, interea tumore delinito, & defensis doloribus ex oleo sesamino, de amigdalis dulcibus & amaris, de vitellis ouorum, cum pinguedinibus, & pane & sapa. Cum pane madido iure pingui caponis præsertim pane ex secala cum lacte ouorumque luteis. deinde cum emplastris ex malua, Alhea, foliui, fænigræci farinis cum mucilaginibus assungijsque. Et tandem adiecto fermẽto caricis & ijs, quæ apertionem vna cum maturatione moliantur. Si maturatio non succedat, & tumor tamen non dissoluatur ad cerata seu emplastra dicta tandem deuenirem vt diachilon sine gumis, & postea cum gumis, & ad valentiora accederem, quæ pro tempore erunt componenda deligenterque adhibenda.

De tumore sub mento & vlceribus in faucibus pro Nob. Vincentio Rocho cum Iuliario Fumanellio, & Maronio.

CONSVLTATIO DXXV.

Tumor sub mento, vlcera in faucibus sunt, hæc priora fuere, & per curationes quieuere, ita tamen vt totis quatuor mensibus, quibus sublata esse videbantur, partes illæ quodam salsum resudarent, post quos quatuor menses tumor cæpit sub mento, & paulo post vlcera in eadem parte, qua prius fuerant vel ei certe propinqua extitere, & iam per duos totos menses vna cum tumore molesta sunt. Tumor vero paulatim e paruo magnus factus est, & superioribus diebus pus concepit, atque expressit, non dum tamen solutus penitus vlcera habet plura, per quæ pus effluat, varij quidem generis partim aquosi, partim magis densi, per cuius puris emanationem longe minor tumor euasit. Modo huius tumoris, & vlcerum etiam perfecta curatio quæritur, & tutella ne amplius reuertantur.

Ego si specto hominem de facie enim iudico esse cacochymum prauis nimirum succis refertum, colore namque pallido valde est præter sui consuetudinem. Accedit verò quod pruritu quodam incertis quidem partibus tentatur, certa tamen illa, quæ ad pubem est, tum autem quod vlcera oris diuturna fuere, ac postquam conglutinata sunt, salsum tamen quiddam e partibus illis perceptũ est, prꝗterea paullo post rediere, accessit tumor, qui quamquam tarde creuerit, tamẽ pus concepit, & pustulas crassiores parit, quæ supputantur, & subinde vlcera caua per ruptionem sui relinquunt vt humor nõ modo crassus, sed malus etiam sit, maxime quod sanescere ea mala non possunt, ac medicamentis resistunt Multos verò & valde malos esse ac crassos humores hos illud mihi indicio est, quod pharmacum purgans ex pilulis cochijs eum cruciauit, quod illæ pilulæ facere non solent. Vnde euenerit ille cruciatus à multo, & crasso ac malo humore, loca originis huius cacochymiæ, proximum caput videtur, vnde materia hos affectus paritura descendat, maxime quòd locus quasi emunctorij est, in quem caput suapte natura solet expurgari, & quòd alter oculorum nimirum dexter fere visum amiserit. At iecur primam originis occasionem præstare est verisimile, saltem ea parte, qua humor bilem sapit, & salsedinem cum ea nota, quòd pruritus diuersas corporis partes habet & maxime pubem, quamquam salsedo humoris à capite quoque esse potest cum impensius calfactũ pituitam conficit. Accedit verò etiam, quod suspicio gallicæ luis ad iecur pertinere solet, quam suspicionem, faciunt nostris temporibus vlcera huiusmodi, & in ijs locis, quamquam confirmanr alij euentus magis proprij, quorum causa alias ipse tamquam gallico affectus iam curabatur. Ac corporis statu hoc proposito mirum non est, si ea mala ad eum sequuta sunt. Videamus modo eorum naturam, Vlcera quæ in ore sunt, minime altam sedem habent seu profundam, vixque extimum carnis abrasere ruboremque induxere, quare non possunt esse à crassa materia, etsi exusta, & crassiori aliquanto, quam illa sit, quæ pruritum mouet, quo enim pruritum mouet quamquam crassior sit ea quæ horrorem facit, vt hæc illa, quæ sine sensu diffunditur & per cutim emanat, tamen longe tenuior est, ea quæ per vlcus sibi viam faciens exit namque illa non aperta cute, exedit verò hæc etiam propter crassitudinem qua diu subsistens, & hærendo partim consumit, ita tantummodo pituita salsa esse non potest, cuius salsedò non tam calida, & acris est, vt possit exedere, sed cũ bile exusta est coniuncta. Tumor paulatim ortus tardo suo incremento crassum humorem, & frigidum significat, suaque duritate idem cõfirmat, quia tamen pustulas effert, quia q. pus concepit necessario cum crasso humore, & frigido, etiam calidiorem cõtinebit, sic materia permixta est. Verum modo sit melãcholicus humor exustus, dico, quòd non habet tum malam speciem in duritie in asperitate, in colore, in vlceribus, vt verear esse exustum, potius naturalis succi atri vim præsefert cum pituita, & alijs etiã humoribus coniunctam, nam si simplex genus eius humoris esset tardius etiam increuisset, nec minus sex mensibus, imo integro anno spatij consumpsisset, minime verò ita pus confecisset, aut conficeret tam bonum, vt quotidie facit. Modo vbi sedem habet tumor is? cum incæpit, non hærebat & in modum glandularum dimouebatur, cum verò maior factus est, videtur ad anteriorem metum firmari, Quæ res mihi testificatur hunc tumorem in laxa parte esse, & ad panniculum carnosum pertinere, non ad musculum aliquem, ibi enim subsunt musculi ad os yoidis pertinentes, vnde deuoratio, aut faceret dolorem, aut valde impediretur. Disputatum est, habeat ne tumor folliculũ, & eo argumẽto iudicatum habere, quoniam pelliculæ cum pure expressæ sunt. Ego verò doctissimi Viri ea ratione possum in eam sententiam venire, & multa ratione prohibeor, nam humor, qui sibi folliculum facit, non potest esse nisi lentus vel pinguis, quare neque putrescens, neque asperior, & dissolubilis, seu friabilis, minime verò acris potest sibi folliculum facere, vnde materia in folliculis reperta fere esse solet, aut pulti, aut sebo similis si alia genera reperiuntur, ea cum his mixtionem habent.

Si quis velit etiam adijcere, quòd tumores cũ folliculis facti solent æquabiliores, & rotũdati magis esse, non ita inæquales, & lacunosi partibus deductis, vt hic est, foliculus enim æquę amplectitur humorẽ, & humor ad comprehensionem foliculi formatur. Hactenus morbi natura & causæ internę videtur expositæ, restat timor quid mali hinc euenturum sit. Certe res in peius delapsura est, ni curatio instituatur, vnde ei vita molestissima futura sit. Quibus sic propositis curatio iam tẽtanda, & videndũ quomodo recte institui possit, adiuncta illis ætate, & anni tempore, nimirum secundo senio, & Autumni parte posteriori. Nullus non videt, quod summa diligentia corpus expurgãdũ est, leniter tñ, & paulatim, sic ętate, sic anni tpe, sic humorũ parte plurima postulãte, in qua purgatione ego primas partes darẽ fol. senæ, polypodio, & Elleboro gradatim exhibitis sẽperque valen-

valentioribus posterius adiectis, vt vel elleborini syrupi tandem possint exhiberi. Quo facto ego omni ratione crederē idoneas potiones ipsius salsæ pariliæ cum paullo guaiaci propter vētriculum, & viscera prima, nam & tumor, & vlcera inde possunt sanescere & cerebrū exsiccari, & suspicio gallici morbi, & totum corpus, ne dum venę omnes à reliquijs malorum succorum liberari. Quibus potionibus vtens ego exquisitam & tenuissimam rationem victus præscriberem, cubiculo'q. calidiori aliquanto continerem, & sic ad 40. dies tractarem. Sic verò conualiturum sperarē. Non præteribo tamen, quòd in omnem euentum prouisum fuerit in senili corpore duriori, & minus perflationis habente, minusque medicamentis cedente, fontemque morbi exsiccare non permittente, si riuos illius fontis diuerteremus, & sub occipitio cutem perforaremus filoque traiecto foramen seruaremus, locus enim malo appositus & proximus, citius malum auertet. Deinde in brachio etiam vlcus exurerem, quod postquam occipitij seu ceruicis foramen ibi esse non poterit seruarem.

Superest modo, vt ad curationem loci propriam accedam. Galenus emplastrum illud suum diachalciteos profert nostra appellatione cæratum, quod cum laudat, omnes pollicitationes proponit, quæ viderentur huic malo admodum opportunæ, nam & vlceribus, & rheumaticis affectibus non solum articulorum, sed aliarum quoque partium, non solum inflammationis genere, sed alio quouis contentis illud accommodatum facit, qua re eo ego vterer, & quoniam plus solutionis postulat, quam cōpressionis ego oleum amigdalarum dulcium admiscerem, vel aliquid aliud magis discussiuum non mirtinū, vt ad repellendū ipse Gal. mouet faciendum, minus illud quod est acerbū, minus ipsum vinum. Habemus etiam illud diachylon, de mucilaginibus cęrarū valde emolliendo idoneum. habemus illud mollitiuum magistrale dictum, habemus emplastrum ex farina croco, terebynthina, sed in loco glādułoso mihi maxime probaretur Diamel Aetij, aut Pauli, acrius est illud quod dicitur resinum, & alia quæ relinquo Medicis assistētibus pro opportunitate deligēda. Dixi.

Vir Excellentissime ex tuis literis diligentissime, & summa eruditione scriptis cognoui amicū carissimum fere consumpto humore radicali ventriculi esse, & iecoris eadem propemodum conditione lāguere, Materiam tamen induratam adhuc febri nutriendę in venis subesse & maxime ipsius iecoris, vnde cum febre dyscrasia principum harum partium sustentetur, ex quibus elicio victum humidum citissimæq; distributionis & alimenti esse necessarium, ex ptissana sic parata, ne in ventre acida fiat, neve nimis refrigeret, quoniam ad tantam consumptionē humidi ipsius quoq; caloris diminutio sequitur, exiguus vero calor à frigidis facile extingui pōt; cum iure ergo caponum minime seniorum ptissanam cōponerem incocto saltem pipere, vel ēt radicibus petrosellini, & cinnamomo, lutea ouorum possent vtiliter adijci. Haberet verò ēt medicamenti abstergētis vim eduliū illud, quod fit ex amigdalino succo, sacchar0, cinnamomo, & exiguo succo arantij mali, dico exiguo ne ventriculi calor inde sanguinē sentiret, ex pistacijs quoq; aliquæ offæ parari possent cū seminib. melonum, saccharo, & cinnamomo, Panis vero tritus ex aqua lotus, & ex iure supradicto coctus celeriter aleret. Lac idem faceret, sed vereor febris causam, nimirum obstructionem ex durata illa materia inhærentem. Potis esset idonea ex vino albo tenui non austero. Medicamēta abstergentia iecur expedientia, & ipsum vna cum ventriculo confirmātia essent nulla Rhabarbaro accommodatiora quod ex iure bene tritum dari posset, aut etiā ex A vino albo paucifero, & hoc nō semel sed multoties saltem quinquies altero quoque die ad ℈. 2. si ventriculus langueat nimis, proficere poterit syrup. de mētha, iecori quoque faciet multum, si cōponatur cum syr. acetoso diarrhodon. Exterius verò fouenda viscera sunt ex aqua & vino incoctis chamemelo absynthio, mentha, atque etiam Rosis, adiectis illitionibus iam hactenus factis. Quæ ego libētissime ea causa scribo, quòd & amico debeo, & tuæ etiam in me eggregiæ voluntati plurimū iam debere me sentio, cui satisfacere semper conabor. Vale meque ama, vt iam videris profiteri, quod mihi carissimum est futurum.

B *De suspicione Veneni pro Archipresbytero Bolonij cum Lazisio, & ἰδιωκον.*

CONSVLTATIO DXXVI.

QVod nobis curam reddit facilem, id cognitionem habet difficilem, & obscuram, nam cum subito post assumptum venenū euomuerit, parum relictum est, quod expellendum sit, parum etiam vel nihil indiciorum remansit, vnde & suspicionem veneni certius intelligamus & speciem veneni discernamus. Nihil erosionis in ore sentit, pręter illam molestiam, quam ipse pręfert in digiti C iniectionem, cum vomitum irritaret, nihil torsionis in ventriculo, præter quādam cordis compressionem & illam lenissimam, dicemus nos oris ventriculi nō cordis, in cordis nomine os ventriculi antiquo more & magnorum medicorum imo vulgari ēt nostro appellemus. Quare aut fere totum reiectum est, aut corrosi tum generis venenum non est. At vinum reiectum vomitu corruptum perturbatumque, ad viridem colorem vergit, ergo viride æris est. Id verò minime est necesse, nam corruptio ipsa in ventriculo facta, virorem illum parit, qui si esset à calore veneni, non post corrupionem, sed ante ipsam constitisset. Aqua venenata, per quam commixtam cum D vino vinum fuit corruptū, ipsa quoq; statim à principio viribus non cernebatur sed longo post tēpore, nimirum cū putrefieri, & corrumpi cæpit, viride æris non expectat corruptionem, vt virorem suum ostendat, aut afferat succis quibus commixtum est. At quarta die metus vomitus est pręter consuetudinem sine voluntate permotus, antecedente quadā ventriculi molestia, id vero non erosionis sed cuiusque offensionis esse potuit, imo erosionem continuo esse sequutus. Nunc præterea quoque quasi fustis ictum identidem sentit ad partem superiorem ventriculi, qua sub costis contextus est, quod vel à flatuoso spiritu potest euenire. Si ergo fuit corrosiuum venenum, id exiguum est, quod relictum est, neque noxam affert insignem pariter si putrefacti- E uum, cuius nota apertissima est, vini tāta corruptio est in alienam speciem transmutatio, frigidi quoque aut calidi notæ euidentes non sunt, Vrina quidem aliquantulum tennis & lucida est, pulsusque aliquanto concitatiores, vt caloris suspicionem faciūt, id tamen exiguum est, præterquamquod id ab animi perturbatione, & tenui victu ac vigilijs potest esse natum, frigidorum nullam penitus video suspicionem cum caput liberum sit, neque vaporibus repletum, vt ab opio, à solano & similibus solet, & identidem videtur obscuro modo reuerti cōuulsio, aut motus etiam similis, qui & breuibus finitur & obscurissime fit, sed is non magis frigidorū halitu abundantiū quam calidorū & putridorū est

iudicio, quapropter manere debemus in ijs prouisionibus omnino, quæ cum communiter ad omnia venenorum genera quam proprie putrefactiua faciũt. Duo verò sunt, quæ metuenda videntur, quibusque occurendum. Vnum est vitæ periculum, alterum noxæ quæ corpori sine vitæ periculo solet inferri. Primum iam non esse perhorrescendum videmus, quoniam nullus casus eum metum facit, restat reliquum nã vidi multos à veneno ereptos qui debilitatis mẽbris semper fuere. Porrò videmus eas qui vtuntur stibio omnes fere mali coloris, & nullum longæuũ, vidi quendam, qui cũ sublimatũ dictum accepisset mẽbris debilitatis semper fuisse, quamuis spatio longo temporis minus male haberent, vidi mulierem multos annos superstitem, sed ventriculo adeo exsiccato vt vix potione aliqua posset vti, qua tamen exigua sustentabatur. Ergo huic suspicioni occurrendũ est, maxime quoniam sæpe reliquiæ, exiguæ detẽtæ possunt humores sibi similes reddere, & malum augere, vt in demorsis à cane rabido fit. Ego itaque vomitum identidem mouerem, per aluum etiam humorem vitiatum deturbarem, absterſiuis, vt melle rosaceo, mannaque, lenientia quoque non præterirem, quæ erosionis suspicioni facerent, & ita caſſiæ florem adderẽ. Clysteribus quoque delinientibus acres humores & malos aluum diluerem, ac ducerem, vt oleis sesamino oliatum, violarum, butyro, iure maluæ, bliti, atriplicis, & similium. Lapidem bezano non aspernor, maxime quoniã vlceribus si quid eiusmodi subesset est vtilis impetum mouet in recrementis ad exteriora & per sudorem sæpe expellit ad g. 20. datus & cordi valde amicus est, verum hic libentius Theriaca vterer, vt certiori pharmaco difficilius namque lapidem illum possumus deligere, quoniam arte effingi solet, ob id ego potius occidentalem deligerem, qui nõ potest arte contingi. In cibis quoque lac probarem, & mel, quod à Dioscoride laudatur ad venena. Vino potẽtiori vterer quoniam venenis resistit, & cor maxime munit. Qua curatione crederem posse fieri tutum, & securum ab omni veneni vi, maxime si hilariter degerit, mæror namque contrahit in cor quæ ei noxia esse possunt.

De febribus erraticis cum cachexiæ suspicione pro Nob. Donzelinia Mandellia.

CONSVLTATIO DXXV.

EX ipso aspectu iuuenis nobilissima cachectica videtur, cuius verò corporis natura ad genus melancholicũ propensa est, morbi quoque & febris vetustas in idem conspirant, febre humores exsiccãte, & materia obstructionũ viscera afficiente suo frigore & squallore, vnde non solum melancholicus humor, sed crudus quoque congeratur visceribus, & vẽtriculo sic refrigeratis, tum autem propter obstructiones spiritu priuatis, eo quidem magis, quòd, quæ spatia sunt, ijs humoribus occupata spiritu necessario sint vacua, sic pituita cum humore melancholico coniuncta est. Verum neque bilis abesse potest, quoniam obstructiones se ipsæ quidem suo contagio refrigerant, ac ex accidenti ea loca, quæ spiritui aperta sunt, ab obstructionibus eo angustius comprehenso feruorem concipiunt, & sanguinem feruore illo incendunt, & in bilẽ conuertunt, bilem verò torrefaciunt, sic corpus omnibus malis humorum generibus repleat, vnde mirum non est, si species corporis malum habitum præseferat. Si febres ea humorũ varietate erraticę fiũt, si vrinæ sub febris summo incremẽto aquosæ sunt, ea vero remittente se se valde infectæ, nam vrina, quæ sub febre procedit, in venis erat cum febris non adesset, sed erat accessura, & tũc humores non dum putrescentes, non dum exusti, sed frigidi, & crudi sibi consimilẽ vrinam edunt, qui verò exuruntur, & computrescunt in summo febris incremento, ij solum post ipsum excernuntur, & vrina secum, & hoc sane mihi videtur certum crudorum & frigidorum humorum indicium. nã cur putrefactis humoribus nondum vrinam inficientibus, ea coctionem si debilitata non est præsefert, cur crudior nisi ob cruditatem est? Dicitis vos vrinas eiusmodi procedere sub summa febre, quoniã illis horis multũ potionis aquæ accipit vt illud quoq; accedat ad vrinas aquosas faciendas, tamẽ cur non etiã post remissionem febris, ersi, non etiã petet, vrina tamen aquosi aliquid non ostendit, tã cito, ne tota eijcitur aqua? imo tempus meiendi in aquam non prius, quã post febris inclinationem esset, pulsus præterea minores, quã par est, crassiorum humorum copiam indicant. Manente ẽt febricula sitis tamẽ quiescit, quoniã halitibus illis summæ febris diminutis, iam paucos halitus vincit copia crudorum humorum ventriculi. Tument præcordia vndique, maxime verò in sinistra parte durities est, quoniam infarcta sunt viscera non solum in meatibus vasorum sed in carnium quoque ipsorum, & parenchymatum insisibilibus vijs, neque enim attollerentur in tumorem nisi ad carnes humor effunderetur, emanaretque. Et Medici, qui tactis hypochondrijs nullo tumore percepto pronunciant viscera esse sine obstructionibus mirum in modum errant, quoniam non solum viscera sub costis latent, maxime iecur, quod vltima sui ora vix demissum est infra costas, lien verò demersum valde est in ilio, sed etiam obstructione vasa tantummodo tenente viscus non crescit. Hic ergo & in carnibus materia est infarcta, & in vasis vt multo verisimilius est, certe quidem sæpe flatus ad obstructiones insequutus tensionem loci facit, id tamen semper non est. Ad hæc febres quotidie increscentes cum leui horrore, seu frigore sequuntur, quasi venæ eijciant in partes sensu præditas vitiosum succum, qui postea putrescens feruorem febris faciat, & sua crassitudine adeò lõgum incendium feruet putredinis, quo sequentis febris humor cumulum, & ad putrescendum perpensionem consequutus sit, antequam prioris febris humor feruorem dimisserit. Vnde neque in visceribus, neque in vasis fieri putredinem verisimile est, siquidem obstructio potest sine putredine esse, quando frigida materia constat, maxime quæ frigori squallorẽ adiunxerit. Si enim in venis, aut in viscere aliquo putredo esset, frigora illa non sentirentur, videmus nos, quòd futuro erysipelate rigor fit, si confertim & subito fluxio fiat, siue sit ad cutim illa, siue ad pleuram seu costas, motione ipsa humoris acrioris, vel frigidioris ad sensum illum, & rigorem faciendum necessaria, vnde Galenus diceret quòd frigore & calore fit rigor, ambobus verò in humore melãcholico putrescente conueniẽtibus rigor quartanę à frigore, & calore simul fit. At potest ne aliquis humor in viscere putrefieri, & febrem continuã propter officium quo humorẽ copiosum conficit & toti corpori sufficit, assiduũ, & propter suam cum corde coniunctionem? potest quidem sed incrementũ tamen aliquod sine rigore, aut frigore haberet, quod cum ijs coniungeret, quæ cum frigore fiunt, Verum hæc incrementa tam subtiliter animaduerti nõ potuere, certe si sint, naturam habebit hæmitritæi febris, quæ non ex continuis, quoniã rigore, & frigore careret. Sed ex altera continua, altera intermittente esse solet, si proprie appellatam hæmitritæum volumus accipere, sin cõmuniter vocatã possumus multas febrium complicationes appellare eo nomine modo sui partem mediam à tertianæ genere habeãt.

Sed quorsum nos mali vim consideramus tam diligenter, vt ipsum remouere certius possimus. Febris ergo remouenda est, hæc vero ex Galeno ad Glauconem, vbi de febre cum symptomate tractat, tollitur tollendo illius causam, nisi hęctica sit, forte quis dubitet hac sui diuturnitate iam cordis habitum, & corpus occupasse, verum humoribus frigidis, & febribus mitioribus & corpore sic nutrito perspecto ego non suspicor habitum cordis adeo occupasse febrem hanc, quin sublata causa etiam tollatur, & si quid inhæsit, non facile euanescat, facile enim calor refrangitur cum sine squallore insistit. Causis ergo potissimum auferẽdis vacandum credo, nihilque fere operæ amplius opus fore. Causæ humores sunt, & dyscrasiæ ab humoribus inductę, in hęc igitur omne consilium & opera dirigi medicorum debet. Humor modo partim putrefactus relinquitur, & peiorem conditionem mox putrescentis reddit, partim putrescit, alius ad putredinem non dum adductus in eam tamen paullo post impelletur, alius etiam nõ dum genitus est, sed ab intemperie, & infirmitate viscerum ventriculique febribus sufficietur. Sic ergo opera moderanda est, sicque die tribuenda, vt quæ iam computuит euocentur cum frictionibus, tum diureticis medicamentis, tum etiam aluum mouentibus, aut vomitũ. Quæ verò iam sub putredine versatur, ea ad maturationem, quę putredinis melius genus est, conuertatur calore naturali iuuando, & putredine in meliorem sui partem retrahenda. Etenim & Aristo. lib. de generatione animalium in putredine ponit etiam aliquam partem concoctionis, quæ quoniã hic non valde vitiosa est, non egebit, vt cohibeatur frigidioribus sicciоribusque multo medicamentis vt solet, ea quæ pessimi generis est, imo his maturatio nimis tardaretur, cum frigidior sit, & putredo non admodum vehemens quare non faceret ad rem nostram, minus rationum nostrarum esset, maturationem adeò tardare, vt sæpe cogimur facere, cũ metus vitiosæ putredines est à quo morbus mortalis euadit, quod in malignis febribus euenit, & diligenter notandum est, tunc. n. operæ pretium est, pestiferi morbi perniciem certã cum longinquitate morbi minus mali commutare; quæ res tamen certo iudicio est moderanda. Nam ego vel in gangrenis non semper tutum exsiccantium vsum obseruaui, à quo diutius habito male haberent, melius vero cum concoquentibus illo commutato. Nunc ergo, cum pernicies, nulla nisi à longinquitate morbi esse possit, oportet illam vnam vitare studeamus, & maturationem hanc, vel putredine augenda procuremus. Quare calidis certe, si nõ etiam humidis (quibus in cibo saltem vti debemus) vterer, & hyssopum origanum, pulegium, thymum, epithymumque cum cetrach cap. Veneris, cum agrimonio, eupatorio, chamedriq; coniungerem, radicibus diureticis minime præteritis ad supra positã necessitatem, vt petrosellini, rusci, asparagi, ac caparorum, & apij, cũ quorum iure syrupos ex cicoreo Nicoli cum Rhabarbaro ex eupatorio, ex radicibus, cũ bisanthino, cum acetoso diarrhodõ, & de fumoterra, ac de epithymo cõponerem gradatim illos pro dimensu virium adhibendo sic cum trocischis facerem, vt de rosis, de absynthio, de Rhabarbaro, deq; capparibus. His materia etiam quæ nigra ad putredinem induci potest, à putredine sustineretur, & pręterea quæ gignenda mala est, prohiberetur, ne fieret, quoniã intemperies viscerum emendaretur, vna cum sui similibus humoribus. Ac vt dixi, per vrinas quoq; humores parati euocarentur, tum qui putrefacti sunt, tum qui maturi facti, sic. n. lenti detergerẽtur, inciderenturq;, sic crassi extenuarentur, & coctioni faciles fierent. Ac quoniam per aluum præterea essent deturbandi, ego non semel aut iterũ, aut tertio dato medicamento hoc facerem tanta mole humorũ non sine periculo confertim mouenda. Sed altero quoq; die adiecto leni medicamento cum his paratibus expurgare id mallem, essetq; mihi triplex folia senæ, rhabarbarũ, & agaricus, itaq; vel per macerationem, vel per catapotia ego hæc darem, polypodium quoq; in illis potionibus, & largius epithymum incoquerem, sicq; me diu gererẽm. Verum victus ratione summa diligẽtia instituerem & monerem nil valentius in diuturnis morbis esse, quam ne materia noua morbo veteri in longum sustentando suggeratur. Dicebat Gal. quòd rumores diu manentes necessario cursum aliquem humoris accipiunt, alioquin non diu sustentarentur calore naturali, & alieno ẽt semper humores consumentibus. Sic ipse febres diuturnas facit pp suggestã à ventriculo materiam, quare diligens esse dẽt Medicus, vt cibis tenuis materiæ vtatur ex carnibus potius auicularum, quam auium graniorum, quam pedestrium animãtium circumcisis piscibus, ouorum vsus non erit nocuus modo tremula sint, & cũ sale, aut saccharo, & paulo aceti eorũ lentor emendetur, sorbitiones parentur ex hordeo incoctis origano, pulegio, satureia, thymo, & eiusmodi odoris herbis & aromatibus dictis, vt & grata & medicata sint. Eædem herbæ in visculis coqui possunt, vt ẽt rosmarinum, cicera rubra, radices petrosellini, helenium & similia. In acetarijs cappares, cicoreum, & cæpe etiam aliquando. Vinum circumcidi non potest, sed sit non nouum, non crassum, potius album quam nigrum, nõ dulce, non admodum austerum, certe minime acerbũ, sed omnino modicum, aqua autem penitus nisi cum vino admixta sit penitus vitetur, neque petet, nisi inter cibum sumendum. Dixi.

De suspicione morbi Gallici pro Illustri B. M. Romano cum Maronio.

CONSVLTATIO DXXVIII.

Cvratio suscepta de suspicione gallici morbi est neq; valde dubia ea videtur. Caries penis curatu difficillima, & post duos menses extincta, deinde reuiuiscens, & postquam medicamentis valentioribus iterũ deleta est, tumor ille sub inguine, inferiori quidem, quã glandulæ sint loco, cibi cupiditas extincta, capitis grauitas, & totius corporis horror à quoque motu excitatus omnia coniunctim accepta mihi vitiũ ipsum gallicum explicant, & ab alijs morbis circumscribunt. Nostris siquidem tẽporibus per quam rarissime caries visitur quæ gallica non sit & cum visitur facillime curationis est, & non maligna antiquitus forsan crebrius cernebatur, at neq; huius modi malignitatis vnquã. Neq; vero frequentet bubones fiunt, quamuis non tã rarò quam caries, quin Gallici sint, sed curationi resistẽs caries & maligna, bubonesq; sequentes illam in pene sanescente, aut postquam sanuerit, & diu valentes & alia symptomata afferentes capiti, ventriculo, & toti corpori certe proprie hunc morbum designare creduntur. De ea ergo suspicione primum videndum, quid naturę habeat, & quem statum in hoc corpore. Homines eam comprehendant in se contagio, ergo putridum lentorem & adhærescentem habet in quo nitatur, citoq; adhærens exulcerat, ergo exustum quid habet & lentore comprehensum, quod crassitudine sua hærendo potest exedere. Ac cum putredo in animantium humoribus fere exustionem habeat, neq; enim est illa semper quæ omnibus mixtis cõis corruptio mixti proprie est, sed cum corruptione sæpissime vstionem coniungit, sæpe ẽt maturationem, hoc

hoc loco autem non nisi exustionem habebit, itaque A & hærere suo lentore, & vrere exedereue potest, tum per propagationem sui ad interiora perueniens humoribus quidem tamquam vehiculis vti potest, sed ad solidiores tantummodo hærere, & hærendo excedere, abradereque valet, quo maior etiã membranis, quam humoribus noxa inferatur tamquam membranæ sua soliditate eius erosioni magis obiectæ sint, non humores, qui fluidi sunt & minime firmi sub exesione esse possunt, pilæ, quæ ex æneis tubulis per ignis vim eijciuntur, si sacchos lana tumẽtes petant non fragorem faciunt, vt si in murum solidiorem, sic fulgurum diuersa genera in corporum diuersa item genera possunt. Cum ergo sanguinis, & spirituum vel potius humorum calidiorũ vehiculo putris halitus in iecur, quod est viscus solidius perti- B gerit, in eo facile hæret, cuius infectione non potest non vitiosus sanguis creari, imo infectio quæ putri eo halitu, vliginosoque corpore nititur, nisi vliginosum illius corpus seu halitus seu situs noua semper propagatione reficeretur. facile consumeretur à calore insito, sed reficit se se vt venenosa omnia, & putrida, & præterea, si lẽtor nimius forte humorum ei accesserit, pertinacissime seruatur, eo lentore tutus, & valde septus, quod certe eo fit facilius, quoniã putridum illud corpus quidquid exusti habet, id totum aliquo spatio calorem amittit more cuiusque exustæ materiæ, quamquã enim cinerum modo vestigia aliqua exustionis retineat, frigidum tamen euadit, ac potest quidem exurere, natiuo tamen calori suo cor- C pore non potest nõ frigus afferre. Sic crudus humor, & lentus ad eius intemperiem gignitur, & vitiosum illud corpus conseruat. In eundem modum mirabile naturæ opus generationis cuiusque animantiũ fit spiritus in spumoso corpore comprehenditur, eo fertur eo adhærescit & communicare suam vim potest. Hęret itaque primum iecori naturalibus coniunctissimo eoque potiorem sedem obstinet, in corde enim non ita seruari propter nimiam vim illius potest, vnde cum primum aliquã humoris copiã genuerit insolentemq; senserit noxam, insurgit ad expulsionẽ, quæ in loca dicta emunctoria fieri suapte vi solet, cum post aliquos menses iecur ei oneri assueuerit, tum non tanto impetu expellit materiam, eo verò minus, quod, vt dixi, halitus ille non amplius recens D non amplius feruens, sed refrigeratior frigidiorum humorũ in causa est. Vnde neque tam facile per cõtagium communicatur ea lues, cum spiritus ille feruorem amiserit, vt facilime communicatur lues, cũ eam quis modo & recenter acceperit, quæ res mirabilis quibusdam videtur, naturę tamen mali penitus conueniẽs, & consentanea est. Iecur exinde assuefactũ paulatim a se humorem vt vt oneratur expellit, qui ad cutem primum veniens feruoris etiam num & exustionis alicuius compos crustas illas, & cutis exesiones facit, ruboremque affert, tandẽ crassiori & frigidiori humore facto, & glutine adiuncto, quemadmodum dixi intra cutim subsistit ibique tumores duros parit, & gumata tandem, quæ vix ex ossibus se se attollunt, eosque sua parte, quæ cineris vim reti- E net, excedũt. Quandoque per Renes iecur se se exonerat, & gonnorhea dicta illa sordidissima fit, interdum cordi cõmunicatur lues & bubones vt vidi inferuntur sub axillis, sæpius capiti, imo cerebro vnde horribilia symptomata cernũtur epileptica, apoplectica lethargicaque nisi per cutem efflorescentijs expurgatum fuerit, aut certe cerebrum per os gumata emiserit, alioquin enim gumata vidi facta in medio cerebri corpore penitus viridia, cum quidam existimationem veritus Medico sic consulente efflorescẽtias intus compressisset, is enim primum in capitis dolorem intus repressis exanthematibus frontis incidit, ab hoc mitiori facto, & tandem quiescente in epilepticos motus & dementiam fatuam, & tandem, in lethargum, quo extinctus est, apertoque cerebro aquam in ventriculis, saniem in corpore cerebri, eaque media tres glandulas gumi speciem habentes virides. Vidi quoque capite affecto tumores in parotidum loco factos, sic capite se se in sua emunctoria exonerante. Sed quoniam in statu huius mali sumus, iam bubone excitato videmus quod iecur se se tentat eximere, ex eo vitio, quo affectum est, cum quo ventriculus quoque consentit halitu ipsum petente, non tamen tam afficiente, quam iecur, quoniam dilutior semper ventriculus est. Caput quidem nescio quid accipit læsionis, sed vt ventriculi, sic capitis consensio esse potest, hoc est, quoniam non hæret in eis lues, halitusve, sed percursione tantum molestat. Quid nobis ergo agendum est, quo malum vlterius non repat, quo etiã penitus tollatur? Antequam vitium iecoris petatur abstergentibus, & absumentibus medicamentis, prius materia multa submouẽda est tam boni quam mali generis, quoniam ea obruens medicamentorum vires curationem impedit, quoniam vitiosa quæ est, vitium iecoris obsepit, & conseruat, quare prius & sanguinis missione, & purgatione opus est. At quærit iecur, & corpus viam facere malis humoribus, per quam eos eijciat, in eumque locum à se remotum vitiosos humores, & sanguinem etiam cum eo vt fere solet fieri expellit. Opera ergo nostra debet ne naturam à suo munere retrahere? an cessare potius? an verò illam iuuare? Multa certe dubitatio est, Missio sanguinis, quæ præcedere alijs deberet, vel si à pede eiusdẽ lateris fiat, illum tamen a tumore auertit. Qua re ego, quo tutius agerẽ motione & labore corporis, ac crurum præsertim vterer tanto, quantus implere non etiam discutere materiam quiret, & cæratum etiam attrahens adhiberem, donec ruborem excitaret, tandem suppurantia ingererem. Attrahens esset, quale picatum est, quale est illud e gumatibus, & cæra resinaque. Maturantia verò non rara sunt, sed in omnium consuetudine versata. Aperto tumore corporis curationem perficerem, & febris, qua sublata & sitis, & cibi odium submoueretur. Quod si tumor diu nõ incresceret, & durus maneret, ego sanguinem incisa vena mitterem, & purgarem, quoniam vidi in ijs crassioribus humoribus & nimium copiosis, quòd natura leuata à nimio onere se se exonerat postea & tumorem facit. Sed hoc pro euentu erit deliberandum. Dixi.

De vehementi ventriculi dolore deliquium animi faciente pro Illustri Hieronimo Muratio cum Dionisio, & Puteo.

CONSVLTATIO DXXVIIII.

Dolor maxime vrget, facitq; animi deliquium, quare breuissimis est de re deliberandum, ac si deliberatio, & consultatio sine verbis esse posset, tunc si vnquam alias de re nostra dicerem non verbis sed remedijs esse agendum, pertinet is dolor per totum ventrem, potior tamen ad ventriculum videtur spectare, & maxime dextra eius parte, dicit Excellentissimus Vir, quòd in ore ventriculi est, non video ego quomodo non potius ad fundũ totum, cũ os ventriculi supra 7. costã ascendat, is autẽ dolor infra omnes costas est, imo si ad ilia pergeret, possemus existimare in colo esse secundum fundum ventriculi protenso & cum eo sæpius ligato per omentũ

vt videri possit alicui omentum esse gratia non solum fundum ventriculi, & facilioris tutiorisque intestinorum motionis. Sed coli plenioris corporis sustinendi factum, quamquam meo quidem animo sit potius interiectum inter intestina & peritonæũ, ne in motibus assiduis & valentioribus peritoneũ, & intestina mutuo attetantur, & inflammentur, quod facile eueniret currentibus animantibus, & intestinis etiam flatu vexatis distortisque.

Cum ergo dolot à fundo ventriculi in omnia intestina effundatur, cum vrinæ quasi icterici hominis sint, & febris adsit, ego videor videre materiã doloris causam à sima iecoris parte ad fel, atque ad omnia intestina præsertim ieiuna & superiora descendere, vnde & felle impeditur bilis in venam ca uam ad vrinam, & venis medij intestini materiam recipientibus, præsertim superioribus, neque eam capere valentibus, illa necessario in corpus tunicarum intestini ieiuni imprimitur, & dolorem facit, cuius quidem modo tenuiores, & fumosæ partes tunicam teneant, mox serosæ detenturæ sint, & tandẽ etiam crassiores, vnde inflammatio sit metuenda. Frequens est ictericus morbus in huiusmodi doloribus, vt qui icterici sunt in hos dolores crebro incidant, & qui ijs doloribus valentius vexantur sæpe icterici fiant, Illustrissimus & Reuerẽdissimus Hieronymus Matthæus Cardinalis ictericus dum esset, cum pessime habebat sub ictericia, tunc doloribus huiusmodi affligebatur. Illustris Comitissa Lauezolia Pompea cum liberatur doloribus, quibus ipsa perpetuo icterica sæpe tentatur, tunc longe flauior euadit, bile partes iecoris simas & mesenterij relinquente, atque inde omne corpus elabente, quibus dolotibus ipsa nihil leuamẽti nancisci potest ab vllo iure aut potione, præterquã ipsius vini, quamquam neque per hanc semper dolor mitigetur. Febris quoque metum facit, ne accurrens ad locũ doloris biliosus humor, aut calidior effecturus sit inflammationem, præsertim quòd aluus maxime suppressa est, neque vllo clystere potuit moueti, vnde ieiuno intestino inflammato voluulus sit expectandus præsertim fęcibus detentis. Animi deliquia sequuntur ichorem biliosum per membranas ad os ventriculi repente, etiamsi exterius id faciat, vt vidi in quodam iuuene qui quartana extinctus est sub qua in syncopum labebatur, cui repertus est ventriculus exterius ad os totus bile perfusus. Materia tamen diuersorum generum est, vt in vrinis & in vomitibus cernitur, pituitosa crassa obstruit, biliosa dolorem actiorem & deliquia facit. Generatio modo huius morbi, & progressio huiusmodi esse deprehenditur, quoniam Vir is fere octogenarius est solitus humores huiusmodi congerere, vt ex crebris doloribus articulorum, imo fere continuis, & doloribus etiam nephriticis, & vẽtriculi palam est, in qua ætate semper magis ingrauescente corpus quidem continuo fit infirmius, viuendi tamen consuetudo non mutatur, ita semper plus crudotũ humorum existit in sene, cuius ætatis conditio ea est, vt solidiora sicca, & frigida facta, & eo à natura priori remota egeant calidis, & humidis edulijs, quoniam tamẽ humiditas auget illam, quæ in meatibus est recrementitiam.

Propterea senes medicamentis repurgantibus opus habent, quæ medicamenta ipse quidem olim in vsum recepit, iam diu tamen intermissa nunquam in vsum reuocauit, sic corpus repletum est; habere etiam consueuit leuamentum illud sanguinis hæmorrhoidarum, quæ diu iam non fluxere, & cum his diebus dolente vẽtriculo apertæ fuissent, minus tamen, quam consuescat, sanguinis emisere. quasi corpus coactum fuerit sanguinem eijcere, tamen non potuerit, quantum oportuisset. Cruditatibus ergo primum ventriculus onustus ab illis dolorem acceperit facile, vnde in vomitũ excitatus plurimum illius crudi humoris eiecit, excitatæ venæ vna omnes, & iecur non solum crudum, sed biliosum, & exustum humorem exturbarunt. Crudo vero ad fel, & ad venas intestinorum, ad venas fundi ventriculi vna cum bilioso detrusus, fel obstruxerit, ei dolorem vndequaque pepererit, à quo primũ fumi, deinde serosi humores, seu sanies, tandem etiam corporatiores humotes attraherentur, imo iam fere in hoc extremo metu versamur. Vnde ego maxime ab ijs cauerẽ, quæ aut calidiora essent, aut vi aliqua humorem detraherent, detrahentia enim quamquã expetitam alui deiectionem possint præstare, cũ eo exiguo adiumento maximum detrimentum vitę afferrent, aucta fluxione, & morbo nimium vitæ inimico. Sic verò dolori præsenti, quòd maxime vrgeat, & attrahat cum periculo humores, tum materiæ decurrenti occurrendum est, & quæ iam inhæsit consumẽda, nec occasionem noui affluxus indifficile est decernere. æger quidem obediens est, sed corpus senile nimis pertinax, & vires nimis tenues vt remedia perferre possint. Tenuitas etiam corporis maxima est, vnde dicere conueniat, in eo non est quòd morbus demat, minus est, quod morbum ferat. Ordo autem subueniendi mihi is institueretur, vt postquam euomuit satis & cruditates ex cauo vẽtriculi expulsæ, cucurbitas artubus affigerem, quo sanguinem cuius fluxionem metuimus quemq; tentauit natura diminuere, neque satis potuit, ego minuere, & vna à defluxione in partes dolentes retraherem, postea si dolor vrgeret ius pingue multum cum oleo Amygd. dulcium, & oxymellite exhiberem, quo detento & dolor mitigaretur, & humor e ventriculo detraheretur, per vomitum autem reiecto ventriculus sese multo humore leuaret. Metuit ægrotus ne clysteria ex oleis mitioribus, & anodinis rebus non etiam vtilia sint, quia clysteria omnia ait inflare. Sed Domini intestina mollia seruanda sunt tum dolori sedando, tum etiam, ne fęces obdurescant. At defluxione factus & sustentatus morbus vetare videtur partium recipientium laxationem, nam sui confirmationem postulant partes fluxioni obiectæ. Quid vetat, quo minus cum anodinis, etiã adstringentia, & reprimentia adiungamus? Inflammationi ex ictu fauæ Galenus aquam tepidam cum oleo dabat, ex defluxione autem nascenti rosaceum cum pane, & sapa ipsa quid prohibet quin his quoque nos vtamur? Si dolor permiserit & iam nõ amplius fluere materiam certi fuerimus, tunc fidentius ego darem electuarium de Hiera ad ℥.1. de dactilis ad ʒ.2. rhabarb. tritum ad ʒ.s. dolore aũt vrgente ꝓpinarem theriacæ ℈.2. philonij Romani ℈.1. At inquit senior ꝙ huic ętati esset, ab opiatis metuendũ, non est in philemo, vt neq; in Theriaca opiũ adeo narcoticum vt perhorrescendũ sit, nam aromatibus admodum est modificatum, si animi deliquiũ permitteret maxime siderem ego si acciperet ʒ.3. aut amplius therebinthinę per quinq; dies quoq; mane. Interea in viribus betonicã, melissam, cap. Veneris, cicoreum, fumum terræ, borraginemq; incoquerem & mane summo darem cum syr. de corticibus citri cum syr. de mentha, & de acido citri. Exterius auocandæ materiæ à medio corpore balnea ego probarem si deliquium animi permiserit, maxime cũ enomuerit, & cum medicamentum acceperit, dolori.n. ipsi ẽt facerent, frictiones quoq; sufficerem. Emplastra anodina, vt ex defruto seu sapa furfure, & oleo absynthino, deinde valentiora subiungerem chamemelo primum adiecto, & etiam & fænugræco, meliloto que tandem emplastro seu cataplasmate de meliloto, & etiam diaphænicone quoniam iecur, & vẽtriculus robore semper opus habent.

De

De victus ratione admonerem, quòd ea mediocris esse debet facillimaque concoctu, & optimi succi, vt carnium contusarum succus cum pane trito, & iure valenti, luteisque ouorum. Potio vini propter febrem, quæ putrida est, & motionem materiæ suspectam facit a qua incresceret, non esset admittenda, ius pulli potius adhibendum quod humores omnes moderatur. Dixi, & breuiter, quoniam ipse cruciatur citoque agendum est.

Cum Medicus firmus in sua sententia voluisset pharmacum dari, ad illud quod suprascriptum est, deuētum est, a quo aluus mota est summo omnium suorum solatio, æger tamen vna perijt, nimirum hora 19. a pharmaco.

De dolore Ilij dextri pro Nob. Gallica cum Dionysio, & Turch.

CONSVLTATIO DXXX.

NObilis Matrona corpore calidiore, ætate 60. annorum, incidit in dolorem ilij dextri, sub quo sanguinem etiam atriorem minxit, quamquam postea vrina tenuis fuerit, dolor inde, vel medicamentis, vel alia causa mitior factus est, postea etiam increuit, & eo iam continenter excruciatur. Doloris species tensiua est, locūque ipsius renis si manu præhendo, in eo esse ipsum dolorē penitus video maiori, & firmiori sua molestia, & inde vsque in sedem vesicæ obliqui descendendo pertinere tactu deprehendo secundum vas ipsum vrinarium, quod a rene in vesicam pertenditur, dolet quidem etiam præcordium? dolent scoptulæ atque etiam caput, noctu verò incalescit, vt febris quoque non leuis suspicio sit. Quorum omnium ego complexionem si considero video denotari renem vna cum vase suo dolere, & eo dolore malos humores toto corpore agitari, atque fumosos halitus vi scoptularum locum, & caput attollere qui forte etiam ea agitatione in meatus intrusi, & frigore tempestatis constricti aliquam noctu putredinem concipiant. Sic materiam in rene, & vase suo, atque etiam in toto corpore versari intelligo, imo a toto corpore propter motiones aliquas, & cæli frigora comprimentia in renem illum confluxisse, & identidem confluere, quæ in hoc genere corporis, & ætate, ac victus ratione intemperantissima non potest non esse crassa vtriusque generi, tum melancholici, tum pituitosi. Num modo in lapidem concreta sit, suspicionem fecit sanguinis ille minctus sub dolore factus, etenim si post eum sanguinem dolor non constitisset, apertionem venarum significatam a sanguine simplici calori, aut motui possemus attribuere, at dolore manente post sanguinis descensum hoc denotat lapillum, qui in rene non infestabat dolore, confulsum postea e sua sede sanguinem mouisse, & vna ingressum in vas vertere iam dolorem facere, quæ res quotidie in nephiticis obseruatur. Minctus creber vrinæ ex morsu humoris fit, forte etiam debilitata vesica, nam dolor etiam maior est, antequam mingat, cum minxerit leuatur, quod in dolorem vesicæ referendum est, qui a vase renis in eam vsque pertinet, vnde mordacitas humoris, & propter dolorem vesicæ leuiter inflamatæ acriorique sensu redditæ, & propter etiam calorem incensum a dolore in renibus, & vase, & vesica ipsa, quo humor acris fiat, & salsus præsertim in qua duricies partium reddit calorem ficciorem, firmioremque, & lapillis gignendis aptiorem, nedum humori salse faciendo.

Quibus sic ante oculos statutis, ego primū totius corporis humores educerē, & a renibus retraherem. A quod maxime, & tutissime vomitus fæminis satis faciles efficerent, deinde materiam a renibus per vrinam educerem paratis prius vijs per potiones laxantes, & clysteria idem facientia, acriora etenim non facile probarem, in oleo sesamino liliaceo, chamemelino, ex seminibus lini, ex amigdalis, ex iure maluarum, Vrceolariæ, Atheæ Brance Vrsine furfurum, & similium.

Potiones essent etiam incidentes sine calore ne inflammatio irritaretur ex capil. Veneris, betonica cetrach, oximellite laxantesque ex liquiritia farfara R. Altheæ, syrup. iuiubino violaceo, & similibus, quòd si lapidis suspicio confirmetur ad aquas saxifragiæ persicorum, ananthes, limonum, terebinthine, laxantia quoque extrinsecus emplastra admo- B uenda ex furfure sapa herba vrceolari oleis supradictis, & pinguedinibus. Therebinthinam ipsam ego vidi facile lapillos euocare si parata vijs detur.

De febre cum exanthematibus non potius maculis, vt consueuit pro muliere cum Turcheto, & Pona.

CONSVLTATIO DXXXI.

C MIhi nil amplius restat viri doctissimi, quam vt colligam, & in rationes suas meo quodam sensu referam, quæ a vobis prudenter, & docte sunt proposita. Hic est putredo multa in toto corpore, & admodum vitiosa, ac præterea metus est, vt fere in lethalibus febribus putridis fit, ne materia in aliquam partem principē trudatur, vix enim vnquam aliquē interire putridis febribus videmus, quin aut in insaniam, aut in spiritus angustiam prius labatur. Ac resectis postea corporibus, vt quotidie faciendum procurare soleo ad iuniorum instructionem quacunque in ciuitate medicinam facio, sæpissime video ipsos pulmones sanie, & pure refertos, certe quidē sanguine multo, non loquor de eo quod propter decubitum sic in dorsum delabitur, fere namque pulmones ad dorsum sic habent, & tū non D in altero tantum, sed in vtrisque pariter illa defluxio est, loquor de maiori copia, quæ fere non solum in altero tantum pulmone, sed in eius latere quo plus morbi, siue in capite, siue in reliquis partibus aliqua fuerit reperitur, & tumorem facit, vt vel si in vteri altera parte inflammatio extiterit, eiusdē partis pulmo fluxionem eiusmodi accepisse cernatur. Inde Hippocrates sæpissime dixit difficultatem spiritus malum, portendere. Hoc ita confirmare volui, vt curationis partem multam eo referamus, vnde periculum vitæ maius imminete existimo, sæpe enim secundarij morbi necem afferunt. Vtriusque rei ratio sui prouisionem ostendit. Defluxio quidem monet, vt materia ad diuersa, & contraria valde lo- E ca auertatur manu, & medicamentis, & partes dictæ vitam continentes confirmentur ne recipiant. Putredo in toto corpore ipsa habet humorē, habet obstructiones, & corruptionem. Humor bilis quidem multam partem habet, vt exanthemata asperiora, & minuta cum rubore, & flauitie declarant, quæ vere exanthemata, hoc est efflorescentiæ sunt, nam maculæ tantum, quæ asperam cutem non faciunt, proprie exanthemata non dicuntur in vrinis quoque color satis biliosus est. Crudum tamen humorem cum bile coniunctum ostendit turbatio vrinarum, & crassitudo pulsuumque crebritas, & paruitas, & caloris modus ad tactum perceptus non ita multū acris, aut velox, sed tardus, & humidior, cum

eo

eo quod sitim non affert, neque vigilias multas. Obstructiones in corpore fere vniuerso sunt, nam post calfactum incidente occasione insolentiori corpus non potest non refrigerari, vt huic accidit, & quotidie incidentibus in huiusmodi febres accidisse animaduertimus, concalescēdo fundentur crassi etiam humores, postquam autem refrixerint rursus concrescunt.

Sic quoniam fusi erant ad meatus, & vias angustiores, in illis postea concreti eas obstruunt inde vero perspiratus impeditur, & partes corporis, illæ sui caloris innati detrimentum accipiunt opprimente obruenteque crassitudine humorum suos spiritus, & suam vim intemperie afficiente, ex quo neque dominati humoribus, neque eorum putredinem perspiratu impedito concitatam coercere possunt, neq; sese alere satis, viresque suas tueri. Sic verò res habet, vt humores partim putredine corrupti penitus sint, partim sub motione corruptionis versentur putrescentes. Partim ad putredinem prompti consistant, quod etiā de obstructionibus facile fit, in motu namque res viuentium corporum sunt, semperque aliquid crudi humoris funditur, atque ad angustas vias amandatur, aliquid verò hæret in illis, aliquid etiam potest paulo post diffundi. Putredinis modo vis quoque consideranda, quæ & perniciem, & salutem etiam potest pro sui varietate afferre. Etenim si ad maturationem accedat, cum eo quod humores parat expulsioni, etiā aliquid ex se alimenti naturæ præbet.

Vnde videmus in senibus, in quibus pus bene maturescit carnes nutritas, & pleniores, contra in his, in quibus pus in corruptionem cedit, carnes tabescere, quando enim pus vergit in maturationem, concipit calorem mixtum ex eo, qui est præter naturam & naturali ipso, imo fere speciem caloris naturalis ea mixtione refert, qua vnus ille calor est, non duo, vt quidam fingunt, ex quibus volunt naturalem esse effectorem, & qui præter naturam est esse ministrum, animo hęc fingi, sed re ipsa inueniri non possunt, quoniam calor vterque est agens suapte vi, & cū coniuncti sunt, necessario permiscentur, & vtrius speciē magis præ se tulerit mixtio opus illius etiam edet. Conceptus ergo is calor similis naturali propter participationem, & victoriam sua similitudine & spirituum copia fouet naturalem carnium calorem, sic valentius corpus reddit, & cū eo materiam sic modificatam subministrat, quamquam pus, aut puris species, sit tamen propter vicinitatem aliqua ex parte in alimentum accedit. Etenim, si iuxta Aristotelem in putredine non deest aliqua pars coctionis, cur in hac desit? Sic vtraque ratione corpus vires suas reficit, vt increscente putredine huiusmodi, vna & maturatio materiæ, & febris crescat, quę morbus est, & symptomata secum, & vires quoque si nō crescant saltem reuiuiscunt. Si putredo in perniciem inclinet, quòd nō maturationem, sed corruptionem subeat, tunc morbus quidem potest increscere, & symptomata non illa, quæ vehementia sua etiam coctionem feruentiorem sequantur, sed quæ minori sæpe vehementia, & potius languentia speciem eā habeant, quæ debilitatem naturæ ex corruptione humoris repręsentent, mitiora alicui forsan indicando sed longe deteriora, nam febris potest minus caloris habere corruptione calorem non mouente, vt in senibus, in quibus pus corruptum est, fere calor languet, & vna color lateris, sine colore, & sine tumore illæ partes sunt quod in vulneribus capitis perniciē ostendit, & febres etiā fiunt mitiores, sic morbi malitia increscente febre minori facta ex parte caloris, symptomatibusque imminutis ægri intereunt. Altercanturq; Medici inscientes, & admirantur, quomodo inclinante febre, & fere quiescente ægri in-

A tereant, & tamen febris nunquam vere remissa est; si putredo, quæ a Medico idem cum febre, est indicāda maior semper facta est, & eo magis præter naturam calorem habuit, quo peior putredo ipsa facit. At febris est calor igneus, est igneus, sed non ignis, neque quo maior febris est, eo magis igneus, sed a naturali magis alienus, maior verò certe febris quo plus vaporum, seu halituum putridorum habuit, etsi minus feruoris attulerint. Has ob malam putredinem vnde vires aboleantur dicere solemus febres malignas vlcerum malignorum analogia in quibus mala putredo fit, quæ vires carnium abolet. Galenus, & Hippocrates ex his corruptæ materiæ febribus illas quæ lethales penitus sunt in malignis simpliciter non comprehendunt, sed illas
B nomine lethalium magis proprie exprimi volunt, vt has nomine maligni proprie, quæ medio loco sitæ inter læthales penitus, & salubres sunt, & cum timore mortis spem salutis tenent cōiunctam, quæ neque maturationem clare habebunt, vt salubres habeantur, neque extremam illam corruptionē ostendent, quo penitus læthales dici debeant, differunt tamen ab ijs, quæ cum in medio lethalium, & salubrium sint, malignæ tamen non sunt, quoniā hæ neque malo putredinis genere continentur, neque vires adeò infirmant, vt quæ maligno genere continentur.

Hic ergo illius ea species se se mihi offert, quæ nondum aut maturationem, aut corruptionem na-
C cta sit, an tamen maligni generis putredo sit dubiū, ita vt verear ne, si partes continentes humorem minus firmæ fuerint, si obstructio crescat, aut non minuatur, putredo in peius genus ruat, continentium siquidem partium vis illa est, quæ molitur maturationem, quę si inferior humore sit, ille conuertet putredinem in malum genus, aut etiam in extremam corruptionem suo calore minime naturæ congruente, & obstructionibus stipato. Vbi duo genera corruptionis sequi possint, alterum exustionis, alterum simplic. putredinis, & corruptionis mixti quatenus mixtum est, quæ penitus coctioni, & mixtioni est contraria. Exustionis indicia in vrinis per asperitatem maxime contentorum, in lingua, in pulsu, in tactu carnium cerni solent, vt etiam in aluo, cum pro-
D fusa est, in sputis quoque cum materia in Thoracem redundarit, quod fere in malis febribus euenire videmus, & in summa exustio in omnibus, ex quibus maturatio etiam, cognosci solet. Corruptionis ipsius perniciosę indicia non tam multis locis expresse possunt colligi, nam neque tactu cutis aperte, neque semper in vrinis, nisi cum turbidæ fiunt per confusionem, crassorum humorū cum tenuibus, aut cum dissolutis naturæ viribus humores sponte diffluunt vndequaque. Sæpe enim quiescunt illi in partibus, quarum vires putredo occupauit, & extinxit, & vrina pura exit, neque est dicendum cum multis, quòd natura materiam, tam inimicam non audet aggredi, quoniam per cognitionem, aut per sensum non ęgri ea vis, sed dicendum quod succūbens, & obru-
E ta, atque diminuta mouere materiam non potest, ac nisi, cum æque omnes partes laxatæ fuerint, materia se ipsa effundi potest suo proprio motu delapsa. Potius certiusque dignoscitur, hoc putredinis genus ex pulsuum infirmitate, quæ sequitur ęgestatem idonei alimenti non suppeditati per coctionem, sed erepti per malam putredinem, sequitur etiam vitiositatem naturæ materiæ cum partibus continentibus communicatam, & vires earum opprimentem spiritibus, & corde a vitio aliarum partium affectis, infestatisque. Dignoscitur etiam ab infirmitate aliarum facultatum proprijs indicijs obscuratis præcipue cerebri cui quasi vertigo fit, & quædam tamquam ebrij insania, quamquam sæpe lenissima, in moribus quo-

que

que aliqua minus apta ratio, quæ corde, & cerebro male habente existit. Vētriculi etiam vitiata sæpe, & iecoris coctione. Nos porro in hac ægra pulsum exiguū satis percipimus vnde vires cordis nō solum oppressas, sed solutas etiam ex parte coniectemus, quod mos quidam ineptior habitum potius sequens quam rei conditionem. Fęces alui quodam liquore flauo ventriculi, & iecoris ac venarum vim satis labefactatam indicant, intemperie nimirum calidiore, quādo omnis imbecillitas in intemperiem est referenda. Etenim aluo densiori in sanis color solet fuluior esse, & etiam nigrior, aut fluida ipsa propter bilis inanitionem, & celerem transitum, quo nō potest exuri, & coloratior fieri, colorem solet habere potius subruffum, hic ergo fluida aluus cum sit, & flaua sit, calidiorem venarum habitum monet. Subruffa enim esse deberet, cum liquidior sit, si concretior esset, & subruffum colorem haberet, tūc potius frigus venarum, & deperditionem caloris denotaret, qualis in moribūdis sæpe excernitur. Vrinæ perturbatæ, & biliosæ tum venarum intemperiem calidiorem, tum coctionis defectum ostendunt, quapropter etiam nutricis facultatis debilitas declarata est. Quæ in putredinem vitiosiorem est referenda. Hæc sunt quæ in corpore hoc mala sunt, quoque pericula minantur.

De diebus ratio aliqua etiam notanda est, quoniam si coctio speretur, illius notæ suis diebus, hoc est indicibus sunt seruandæ, & nuncia iudiciorum dignoscenda. Alioquin nos esse in initio morbi non dubito nunc nulla coctionis nota apparēte, & morbo non penitus læthali æstimato. Si enim ad salubre genus fuerit reuocādum eius incrementum, per coctionem necessario est habiturus. Quid ergo futurum sit, quo sciamus prouisionum genera, sic sit statutum, nimirum nos in ambiguo versari, & metum sine spe non esse, & putredinem nōdum extremam corruptionem, aut exustionem induisse, ac de maturatione adhuc spem superesse, principem autem partem vllam nondum materiam recepisse, vt in extreme malis febribus cōtingit partibus factis infirmioribus, & se se tueri non valentibus. Quapropter ijs ita constitutis videndum est, quid curationis haberi conueniat, in qua quid quantum, quale quomodo vbi, quando, & quoties agendum determinetur. Hic materia cruda de pituitæ genere multa est, non pauca etiam biliosa, quæ sui detractionem efflagitat & quoniam moueri facile ad principes, & vitæ maxime necessarias partes potest, proprerea monet, vt in diuersas ipsam reuocemus, & viliores, & minime necessarias citum vero huius periculum citam procurationem postulat, vt si quid est, quod sine apparatu materiæ, & viarum possit, id quamprimum fiat & quod apparatu eget, ei ipsum primo quoque tempore moliamur. Putredo ipsa quoque suas habet ostensiones, nam quæ materia putrefacta est, ea tāquam parata vult detrahi e corpore, quę putrescit, vel in maturationem conuerti, vel a putrescendo inalibilem naturam reuocari, quæ nondum putrescit, ne in putredinem promittatur sustinenda auertendaque. Etsi quæ gigni interea potest prohibeatur, ac quoniam tempore egemus viribusque ad vitam, & valetudinem recuperandam, quoniam vita primum, & robur eius a Medicis sunt quærenda, deinde propter illa secūda valetudo tamquam eorum causa procuranda cum eo, quòd viribus contra morbum vtimur.

Sic non solum de medicamentis, & opera manus ratio instituenda, sed de cibis, & potionibus ad alendum corpus vtilibus, ne dum ad morbum fugādum agendum. In tanta ergo putredine viribus admodum infensa vires tueri, & reficere summo studio debemus, & ijs succis, qui valeant cum se se a putre-A dine tueri, tum putredinem etiam corrigere causis putredinis resistendo, vt calori, vt obstructionibus, vt crassitudini, & lentori humorum, vt humido illi, quod calorem natiuum nimis obruit. Ergo ptisana in primis danda, quæ quamquam lenta est, abstergendo tamen lentori, & tenuitate crassitudini, frigido genere calori febris, & temperato humido, superuacuo etiam humido potest repugnare. Saccharum permiscerem ad gratiam conciliandam cum ventriculo, & ad detersionem augendam, ad frigus ptisanæ, tantisper mitigandum, ne vētriculo aliquid officeret, ad aluum tandem mollem seruandam. Lutea ouorum ad bilem, retundendam accommodari Galenus ostendit, quando in tertianis puris ea cum cerebellis, cum petiolis suillis enumerat. Hic B vero vbi crassitudinem quoque crudorū humorum, & lentorem habemus, ne probo eorum alimento, & facillimo ægram priuemus, neue lentorem humoribus inferamus (crassitiem non metuo, quia nulla est) ego eos cum paullo aceti, aut succi aurantiorū, aut citrorum commiscerem, saccharo etiam adiecto ad detersionem, qua certe etiam non carēt ouorum lutea, & ptisana cum suo illo lentore, nam exterius adhibita facile partes detergunt, nec mirum hoc, aut insolenter dictum est, quoniam Galenus de ptisana hoc profert, & ait id ob perfectam eius corporis mixtionem ei euenire, carnium contusa in vsu sunt, cum ægri manere non possunt, ea ego cum pane trito multo commiscerem, & ex pane exrernam C partem bene tostam nulliusque lentoris participem exciperem in cibum conficiendum, certe panē optime fermentatum esse curarem, & probe coctum. Contundendæ carnes mihi essent Gallinaceorum non valde veterum, quoniam grandior ætas mali succi carnes habet, & coctionem recusantes. Ac quo minus caloris haberent, ego potius alas quam pectora acciperem.

Veruecum carnes quidam adhibent, ex quibus tostis succum extorquent, sed ego id nunquam potui approbare quoniam quamquam frigidioris naturæ animal succum febri magis resistentem habeat, nos tamen in cibo alimentum optimum potissimum requirimus, quod in ouilli generis carnibus esse nequit, maxime quod castrati mares in genus fęminarum delabūtur, testis cuique esse potest odor malus D ouinæ, & veruecinæ carnis an boni succi esse possit. In contusius carnibus, ego curarem, vt minimum pinguis generis esset, vt panis una bene coctus permisceretur ex eius externis partibus quemadmodū dixi, quo pinguedo putredini, & bili gignēdæ propensa dissipara, & succa maneret. Per destillationem nostrates excipiūt carnium succum, quem ego nisi coacte cōcederem, & cum medicatis rebus conficerem, quoniam non sum tutus quin per ignis vim mali succi sit compos facta, maxime quod nactuosa est Galenus pedes suum, & cerebella eorundē concedit, sed vbi pisces etiam concedit, cum f. bilis alios humores superat, non vt hic vero crudi humores ad miscentur, iecora gallinacea certe reciperem, vt e- E tiam testes. Condiendis iusculis acetum, omphaciū, cerasa acetosa, & succum malorum punicorum, ac Medicorum concederem. Acetaria quoque, vel in prandio probarem ex folijs, vel crudis oxalidis ex boragine cocto cicoreo, & endiuia. Potionem conficerem ex multa aqua exiguo cinamomo, succo citri aceto, & saccharo. Horas incrementi vitarem in cibo dando, somnoque mouendo, & aluo etiam ducenda, vt frictionibus & alijs operis adhibendis plusque cibi in decrescente, quam in increturo mali circuitu concederem, sed ad alias medicinæ partes, seu auxilia accedendo.

Opus manu faciendum, quod retrahere a partibus principibus humorem possit, & putredinem nos debe-

debemus præstare modo vires permittant, atque adeo, quoniam morbus vlterius iam progressus est, & coctione non substante vires infirmiores esse necesse est.

Ego incisionem venæ metuerem, cucurbitulas tamen incisa cute non præterirem, quas modo nō dorso, sed fæmoribus affigerem, frictiones quoque non dimitterem ad idem præstandum, neque medicamenta quæ vi humorem elicerent ve ficas mouēdo, quæ ad talos, & ad carpos applicarem, oleis in frictionibus non vterer nisi absterfionem habentibus ne vitiosum halitum impedirent. Quæ vero medicamentis fieri possunt ad putredinem compescendam, ad viscera tuenda, humores a putredine sustinendos, ad eos maturandos concoquendosque, & qui putrefacti sunt e corpore eiiciendos, calorem etiam febris coercendum, eiusmodi oportere esse crederem, potiones matutinas quidem si ex oxalide, ex acido citri succo, ex citri seminib. scabiosa, scordeo, melissa, radicibus graminis, petrosellini, asparagi, vel his similibus, nam eiusmodi medicamenta res omnes propositas videntur posse efficere, vrinas mouendo, viscera tuendo, putredini obstando, cum siccitate quadam, tum obstructiones remouendo, & humores incidēdo, ad coctionemque meliorem parando. Syrupos quoque permiscere possumus, vt, qui est de succo acetosę, de cicorea Nicoli, Nenupharinus, & similes. Puluis etiam potest cum potionibus his dari ex Margaritis, corrallo, & potius cornu cerui, aut vnicorni (fortasse ceruinum esset insuauius) ex lapide dicto Beza etiam illo, qui terra sigillata videtur bolus Armena, & similibus cum s. citri etiam ad maiorem apertionem cum radice tormentillæ ad lābendum, sitique leniendam ego assidue darem aliquid ex succo citri limonisve syrupo acetoso, ex cerasijs austeris, iuiubis, prunis, mucilaginibus, & id genus alijs. Coctioni ventriculi iuuandæ hypochondria fouerem, & inungerem chamemelo, absynthioque, & similis generis rebus. Coctione autem perspecta, cum non solum, quod quotidie ex putredine reliquum sit, & per vrinas elici potest, quod superioribus medicamentis factum fuisse existimarem, sed humores etiam nondum putrescentes maturi essent, ego illos non solum paulatim alternis diebus crederim facilius posse euocari, & commodius, vt Galenus suo absynthio exhibēdo, sed etiam ni sat esset hæc purgatio cum lenioribus medicamento valentiori, aucto saltem eius modo, vel quod esset ex diacatholicon, & rhabarbaro, manna quoque ad facilem faciendam purgationem adiecto.

Excellentissimo Hieronimo Mattheo Physico pro Excellentissimi Marchesij Vasti filiolo Christophorus Guarinonius Font.

CONSVLTATIO DXXXII.

Maculæ, & rubores etiam latiores, qui quoque plenilunio efflorescunt toto pueruli corpore sine vlla molestiæ nota mihi nouæ res nō sunt, quoniam sine febre vidi in puerulis, imo in senioribus maculas etiam nigras creberrimas toto corpore sæpius extitisse, quorum vnus sputo largissimo sanguinis tandem extinctus est, vt quædam puella sanguinis profluuio per ventrem. Alius verò senior interdum in erysipela incidebat præsertim capitis, non solum exterius, sed interius quoque is recrementosus sanguis, & valde tenuis est, ac naturæ nō solum copia, sed etiam vitiositate molestus, qui ni plenilunio innante ad cutem moueretur, & casu in partem aliquam compressa cute cogeretur periculum afferret non mediocriter motuendum, itaque res non est paruifacienda, sed videndum penitus primo ne frigore, aut aliqua alia causa cutis duretur, neue egressui illius obsistat.

Deinde procurandum ne vllam aliam viam non apertam habeat. In primis tamen efficiendum ne sanguis ferueat, neue amplius is humor abūdet, neue gignatur lacte maxime curāto, & iecore etiam temperato non modo nutricis, sed pueruli quoque. Nam non solum a copia, sed etiam a iecoris aliquo calore id profectum esse non dubito quacunque occasione accepto, siue per lactis genus, siue alia. Nutricis ergo, & pueruli corpus diligenter obseruarē, pueruli quidem, ne aut nimium incalesceret, aut aspiranti frigidiori flatui obijceretur. De Nutrice autem viderem num præter consuetudinem ei purgationes menstruæ, quæ quibusdam mulieribus lactantibus non cessant, suppressæ sint, num victus ratione valde mutarit, vt aut plenius alatur, quam consueuerit, aut pinguioribus, dulcioribusve cibis aut vini genus valentius nacta sit, & ab insolentia eam ad consuetudinem reuocarem vini præsertim imbecillioris, & victus frigidioris, ac minus pleni, medicato etiam cibo vti vellem non solum ex ptissana, sed ex olere aliquo iecori temperando apto, vt cicoreo, buglossa, borragine, endiuiave coctis, Potiones quoque matutinas darem ex graminis radice seminibus melonum, cucurbitarum, cucumeris, ordeo, hepaticaque ex huius etiam aqua coctis, neque alienum putarem si interdum aliquid ex flore cassię acciperet ad sanguinis acrioris vim retundendam, aut ex diapruno simplici, aut diasebesten pariter simplici, à reliquis quidem medicamentis abstinerem. Sed in victu præcipua cura mihi esset, ne ieiuno stomacho cibum ex vino sumeret, cuius loco mallem ptissanam acciperet. Vinum namque citius per venas ieiunis diuiditur, & hic ad lac decurreret nisi aliqua sorbitio, præcesserit cui immergatur, imo in mensa, etiam nisi satis cibi sumpserit, non esset dandum, ergo minus permitterem vt primus cibus mane seu ientaculum esset panis ex vino, longe autem minus si saccharum admisceatur, nā cum omnia dulcia facile in bilem conuertuntur, tum longe facilius saccharum cū vino mixtum. Ergo propter sanguinis biliosi suspicionem ab omnibus dulcibus, & à pinguibus etiam, atq; à nimia olei & butiri omnino copia vellem abstineret, ac cōditos cibos simplicius & sine pinguedine esse vellem, carnes quoque bene quidem nutritas, sed minime pingues deligerem, multo vero minus cibi darem, si præter cōsuetudinem menses ei non procederent. Aliquod exercitationis genus ieiuno ventre laudarem, quo non calefieret admodum corpus, excretiones tamē adiuuarent, vt si Rheda vehi posset, ab ira mixime eam temperari curarem, & ab ijs omnibus quæ sanguini feruorem mouere possunt. Puero balnea aquę dulcis aut lacte admixto sępe darem curato ne inde refrigescat. Neq; verò hic singula persequar, cum in oculis ea posuerim ad quæ dirigere consiliū debeamus. Et vnde in singulis rebus occurrentibus delectus certo indicio fieri queat, si attendantur. Quod reliquum est, significationes amoris in me tui mihi sunt iucundissimæ, quibus nihil magis tui Obseruantissimo conuenire videatur, quare rogo vt crebro earum mihi copiam facias Vale, & infantulum ipsum Excellentissimum pro me interdum deosculare.

De

M. Magnifico & Eccellente Signor mio.

CONSVLTATIO DXXXIII.

HO hauuta à caro l'occasion di hauer lettere dalla V.E. tenendo come faccio affettuosissima memoria di lei, mi duole non hauer tempo di ragionar seco più à longo, che mi conuien abbreuiarla, & in somma dirle, che quattro rispetti mi paion necessarij nella malatia di questa madonna con la suspicione della febre fissa, e questo per esser ella incurabile, come fosse fatta, tener il primo luogo, l'altro è il sangue, il quale se ben nō si sputa del continuo però stando la tosse potrebbe di nuouo farsi la strada con detrimento della vita, & forse col fine, il terzo la materia, che è ne polmoni copiosissima con la sua qualità, la qual facilmente è è causa della febre putrida. Il quarto la materia che le scorre continuamente. A questa non si deue negare alcun aiuto di diuersioni, & estrution della causa, che la genera corregendo la intemperie del stomacho, tenendo il ventre lubrico, deseccando il capo con poluere, con ontioni, con caustici, & tenendo ancho alcun caustico aperto per la diuersione. A quella che è ne polmoni facilitarli il sputo, & estirparla cō cose pettorali, & incisiue gagliarde, ancho desecatiue quanto comporta la arteria, & la febre, Al timor del sangue cose adstringenti accompagnate con le pettorali, & desecanti. Alla febre almen li cibi humidi molto, & frigidi, & renitenti al tanto colore, A tutti questi rispetti mi pare che potrebbono assai le decottioni di orzo, pimpinella, hissopo, cap. Venere, & salsa parilia, l'acqua di luma che destillate, la decottion delle code de gambari ben disfatte. La ptisana accommodata con questi brodi, aggiungendoui per interualli l'agarico, & il polypodio con la liquiritia passole, & anisi, pigliar il fior di cassia per interualli col rhabarbaro, & se le forze non lo ricusano le pilole di agarico di Mesue, Le qual cose tutte V.E. le moderarà col suo sano giudicio, come ancho di suo viuere. Io non propongo lambitiui dubitando, che'l stomacho non li vogli, e pur se saran tollerabili da quello, la saponea mi parrebbe mancho aliena, questo è quanto posso dire in caso cosi lontano sopra l'information di V.E. se fosse el tempo dell'acqua de bagni di chaldiero io la proponerei certo per appropriata, cosi il latte se nō fosse tanta materia pituitosa.

Li bacio la mano di Verona.

De canceroso tumore, quo filia magni Cancellarij Serenissimi Ducis Bauariæ Monacha laboraret.

CONSVLTATIO DXXXIV.

TVmorem hunc mixtæ naturæ esse statuebamus in quo etiam sanguinis fex partem aliquam haberet, eapropter verendum ne spatio humoribus tabescentibus in deterius genus delabatur. Itaque ijs vtendum esse probabatur quæ ad tumorem sustentandum peruēturos succos auferrent, tum in viuendi modo, tum etiam in Medicis auxilijs, vt sanguis suo tempore maxime verno, quale nunc est, mitteretur, & mali humores purgarentur, medicamento aliquo leuiori sæpius repetito; hoc autem veris tempore etiam valentiori. Modo medicamentum, quod ei in vsu vtiliter haberi posse videretur, esset huiusmodi.

℞. fol. senæ electæ ℥.3.
Passularum ℥. s.
Anisorum ℨ. 1.
Cinamomi ℈. 1.
Sebesten. nu. 5.
Liquiritiæ rasæ ℨ. 1. s.

Fiat decoctio in aqua fumico ctæ, & cap. Veneris f. aqua coletur cum expræssione, deinde.

℞. Diacatholicon ℥. s.
Elletuarij Indi ℨ. 3.
Mellis rosacei sol. ℨ. 2. s.
B Mannæ electæ ℥. 1. s.

M. & fiat potio sumenda per quatuor horas ante cibum, & etiam per quinque, si nondum aluus restiterit, cum valentior purgatio erit facienda huic medicamento poterit addi confectionis hamech ℨ. 2. vel amplius, vt oportere visum fuerit. Serum etiā caprinum fuerat a nobis præscriptum, cuius accipiendi tempus instat valde opportunum corpore prius expurgato, quod serum erit bene purgandum modo Dioscoridis, & iuuandum maceratis in eo folijs sæne, & cinamomo, & saccharo permixto. Corpore tandem exacte purgato potiones ex salsa parilia iudicantur valentissimę ad materiam illam discutiendam, iuuata salsa parilia per betonicam, & C melissam. Victu tenuissimo instituto, & eo tempore emplastris idoneis mamillæ appositis, vt diamel Pauli, aut Aetij, aut certe illitione facta ex oleo amigd. dulcium liquefacto. Quibus recto ordine, & diligentia præstitis cum victus ratione conueniente, crederem posse ab ea molestiam leuari. Ac si quid noui in hac re postea accidet, si renūciatum fuerit, libenter rescribam.

Christophorus Guarinonius.

Sexto anno ab his curationibus relatum est a Medicis illam commode viuere, & ipsis dictis curationibus beneficium acceptum referre.

De suspicione Gallici morbi cum melancholia, & capitis vlceribus ac grauitate.

D

CONSVLTATIO DXXXV.

IN consultatione a vobis EE. Viri constitutum est multitudinem, & varietatem recrementorum, & alienæ naturæ humorum esse submouēdam non solum a medio corpore, & a capite per soluentia medicamenta, sed ab omni ambitu etiam per ea quæ sudorem mouent, tum dyscrasian frigidā ventriculi, & calidiorem iecoris esse temperandas, & prauitatem luis gallicæ proprio remedio absumen- E dam. Sic aluo exonerata per ellect. lenitiuum, & species hierę f. venam brachij dextri iecorariam incidendam, sanguinis eam copiam emittendā, quæ ad crassitudinem sanguinis, & nigritiem erit metienda.

Humores varos crudos, salsos, biliosos, & melancholicos parandos per syrupum de fumoterra oximel, & elixationem cicoreæ, fumiterræ, boraginis, ac betonicæ. Detrahendo vero cum per fol. senę, per epithymum, polypodiumque, in syrupis altero quoque die macerata, tum per valentius medicamentum post syrupos exhibendum ex elixatione rerum cordialium cum epithy. polyp. senæ cum ℈. 2. radicis ellebori nigri, & ellectuarijs diacatholicō

atque

atque hamech. Repetendo vero subinde purgationem cum elleborinis dictis syrupis, & tandem perfecta corporis purgatione, exhibenda erit guaiaci elixatio ad dies saltem 40. cum ratione victus tenui in qua vix aliquid pullastri parui, & interdum aliquid sorbitionis ex pane trito elixatoque concedatur. Sic sudores cieantur, vsque ad perfectas conualescentis notas. Post cuiusmodi curationem saltem per 40. alteros dies victus ratio sit rectissima tamquam conualescentis retineda, & interea etiam aliquod genus medicamenti prebendum donec fir miora facta viscera, non amplius similes humores paritura esse coniectura sit.

Christophorus Guarinonius.

De tumore suræ interno secundum omnes musculos diffuso, & iam 13. annos confirmato.

CONSVLTATIO DXXXVI.

PVrgandum erit prius corpus a pituita maxime, quoniam pituitosum esse tumorem existimo, quod commode fiet, si accipiet prius bolum ex electuario lenitiuo ℥.... confect. Hamech. ʒ.2. cũ saccharo facto bolo, deinde parentur humores ex syr. de betonica, rosaceo, oximelle an. ℥. s. Decoctione saluiæ, betonicæ, melissæ, cicoreæ, acetosæ ad ℥.4. & commodum erit post vnum syrupum detrahere sanguinem per incisam venã Basilicam brachij dextri ad ℥.7. post autem 7. syrupos perficiatur tandẽ purgatio accipiendo medicamentum huiusmodi.
℞. fol. senæ electæ ℥. 3. polypodij passularum an. ℥. s. Agarici trocischati ʒ.1.s. Gingiberis ℈. 1. liquiritiæ rasæ ʒ. 1. s. prunorum num. 3. Tartari albi ʒ. 1. fiat decoctio in aqua saluiæ f.a quæ coletur cum expressione. ℞. Diacatholicon ℥. s. Diaphænicon ʒ. 3. Confectionis hamech ʒ.2. Mannæ electæ ℥. 1. s. M. & cum p. decoctione f. p. Qua purgatione facta fiat altera paratis humorib. ex oximellitis squillitici, syrup. de sthechade, an. ʒ. 6. decoctionis rorismarini pimpinellæ, saluiæ, betonicæ, sthechadis ℥. 4. quibus acceptis syrupis circiter, 7. Purgentur tandem ex pilulis cochijs, & fœtidis ad ℈. 2. s. Post hæc sumantur, quæ tumorem dissoluant, intus quidem decoctum infrascriptum per 40. dies mane, & vesperi mouendo sudorem. Quod est Recipe salsę parilię ℥.3. Ligni guaiaci ℥.5. Hermodactilorum ℥. 2. aquæ communis lib. 10. fiat infusio per 24. horas & decoctio ad consumptionem duarum tertiarum, deinde coletur cum expressione, & ex eo sumatur pro syrupo matutino, & vespertino ad ℥.7. & syrup. de sthecade ad ℥.s. & cum reliquijs expressis, atque cinamomi ℥. s. & lib. 15. aquæ fiat decoctio secunda pro potione in cibis accipienda. Dum sudores mouentur sub his syrupis post frictiones totius corporis, & cruris fiãt fomenta suræ ex infrascripta decoctione, & inunctiones, & cataplasmata descripta.
℞. florum meliloti, chamemeli, anethi an. m. 1. Seminum lupinorum fœnugræci, lini, fœniculi, bacarum lauri, an. ℥. 1. Radicum arundinis, brioniæ, imperatoriæ, angelicę an. ℥. s. foliorum calamenthi, pulegij, origani, caulium an. m. 1. fiat decoctio in lixiuio, & vino albo partibus æqualibus qua fiant fomenta tumori, & ijsdem rebus decoctis appositis crus foueatur subinde cæratum applicetur primis diebus mollitiuum magistrale, quo per 15. dies adhibito, apponatur ceratum oxicroceum totidem
A diebus, & tandem cæratum ægyptium andromachi descriptum ab Aetio, quæ si non satis fecerint, alia proponentur ad perfectam valetudinem.

Descriptio præparationis seri caprini, & potionum salsæ pariliæ.

CONSVLTATIO DXXXVII.

QVoniam iudicaui semper in hoc morbo melius fore si sero medicato, & salsa parilia vtatur, quam aqua chalderiana, quæ alioquin
B longius delata amittere suam facultatem solet, propterea de seri, & salsę parandæ, sumendæque ratione dicam. Post corporis purgationem, quam superioribus meis litteris descriptam nisi. Serum paretur, modo descripto a Dioscoride, cum ligno recenter inciso ficus, quo misceatur lac ad ignẽ positum in olla noua testacea, lac autem sit quam recentissimum, & cito & breui ferueat, atque in quamque lactis libram infundatur ad ℥. 1. oximellis facti cum paulo salis, quo clarius fiat serum. Quo facto demitti debent saltem ʒ.2. epithymi optimi, vt tota nocte in ipso maceretur, mane autem per colum exprimatur, & adiectis ℥. 2. mellis rosacei solutiui sumatur, pondus autem seri minimum sit duarum librarum, maximum autem quatuor, aut quinq; pro
C stomachi tollerãtia, sumatur vero spatio 10. aut 15. dierum, & incipiatur a minori pondere paulatim ascendendo ad maius pondus, & sic postremis diebus paulatim ad minimum põdus reuertatur. Quo perfecto purgationis decursu capiantur potiones salsæ pariliæ sic paratæ.

℞. salsæ pariliæ } an. ℥. 5.
Ligni guaiaci
Aquæ communis lib. 10.

Fiat infusio per 24. horas, & decoctio ad consumptionem duarum tertiarum, quæ coletur cũ expressione, & seruetur pro syr.

℞. reliquias expressionis
Aquæ communis lib. 15.
Cinamomi ℥. s.

D Fiat decoctio ad consumptionem medietatis, quæ seruetur pro potionibus.

℞. præpar. syrupi ℥. 8.

Pro syrupo matutino qui sumatur calefactus quatuor horis ante prandium, & contecto corpore, vt sudor moueatur.

℞. præpar. syrupi ℥. 7.

Pro syrupo vespertino, qui sumatur septem horis post prandium, & ante cænam quatuor horis contecto corpore, vt prouocetur sudor.

Sic per 40. dies, cibo tenuissimo adhibito ex luteis ouorum, & auiculis paruis, pane biscocto, passulis, & amigdalis, vino penitus vitato, & aqua suprascripta accepta.

E

De imaginibus ob oculos obuersantibus pro Illustri Paulo Teggio ad Hieronymum Ruggeium Marchionis Vasti Physicum.

CONSVLTATIO DXXXVIII.

COrporis naturam cum se ipsam, tunc ex accidenti calidam, & siccam cernimus, & inde melancholicam ætate, alijsque rebus incidentibus factam, præterea oculos cum a prima origine, tum

vitæ

vitæ ratione, & literarum studijs, valde imbecillos. A
Sic vero facile factu fuisse, vt melancholica recrementa in halitus resoluta in oculos vna cum bonis spiritibus, & alimento per arterias, & venas, quæ in idem corpus conueniunt in cerebro identidem peruenire antea consueuissent, quæ primo tempore ad oculos elata, neque dum in illis consistentia, sed in inuisibilē halitum exeuntia suo transitu morbum ex alieno affectu in oculis sustinere dici poterant, postea verò ibi ea recrementa collecta, & firmiter hærentia iam morbum in natura oculi fecisse dicēda sunt, vt proprio quoque malo oculus nedum alieno, & a se non aliunde iā affectus sit, propriamque curationem requirat, modo filamenta illa nigra, & pūcta suo colore, nobis genus humoris ostendunt, atrum quidem, & non penitus continuum, B aut glutinosum. Species tamen quædam obscura continui corporis magis perlucidi suspecta est, quæ initium concretionis alicuius corporis pituitosi, & lenti significet, sed atri humoris indicia aperta sunt pituitosi vero tantummodo suspecta. Quorum malorum nomina ego prætermittam, cum natura iam patefacta sit. Locus omnino contra pupillam est, & in humore albugineo, seu aqueo dicto, ad cuius commotionem in coniectū oculorum factam imagines quoque hinc inde dimouentur, hæc præsentia sunt. Metuendum verò illud est, ne oculus humore illo atro viam fluxioni faciente non solum eius atri humoris amplius, sed etiam pituitosi recipiat quem cum albugineus humor, ad sui alimētum paulatim C accipere consueuerit, confertim id faciens multo recremento concrescente ὑπόχυμα sibi moliatur. Alioquin ex atro solo humore id fieri nequeat, cum θραυστὸς fit, & minime continuus. Quo verò præsenti, & futuro malo occurratur, Toti corpori prius & partibus maxime principibus, vnde in oculos humor impelli solet prouidendum, vt pura sint, deinde oculus curandus, quæ quoniam difficilia factu erunt propter corporis genus, & habitum, tum partis infirmitatem via quoque aliqua erit aperienda, per quam humor queat deriuari.

Corpus, & principes partes exonerabuntur commode, si non solum inutiles humores subtrahantur, sed etiam alibiles, vnde nascuntur alieni, vnde alienorum tractatio fiat difficilis, diminuantur. Itaque D sanguis omnino erit diminuendus, ne ex se materiam alijs exhibens suis partibus minus temperatis, neue tractationem eorum impediens curationem magis difficilem reddat, secta nimirum vena capitis. Ratione autem temporis anni, & tempestatis calidioris sat est, si sanguis mittatur ad quinque vncias.

De hæmorrhoidibus non dixi, quando hoc tempore non extant, neque per hirundines crassus sanguis exprimeretur, vt per sectam venam sit si in cubito secetur non in manu extrema. Postea humores inutiles expurgandi maxime nigri, deinde pituitosi, & biliosi, quod fiet opportune, si identidem, & parentur, & detrahantur, parabuntur commodo syrupo de fumoterra, de capil. Veneris, de betonica, cum melle rosaceo, & aquis seu potius iure E earundem herbarum. Detrahentur verò paulatim repetito ter quaterque medicamento supponendo, humor namque ater non potest confertim euocari minus vtiliter vi multa, & vniuersim moueri, minimeque hoc patitur natura huius corporis, esset vero medicamentum huiusmodi.

℞. fol. senæ electæ	ʒ. 3.
Rad. polypodij querc. } Passularum enucleatar. }	an. ℥. s.
Liquiritiæ rasæ	ʒ. 1. s.
Fæniculi	ʒ. 1.
Cinamomi	℈. 1.
Prunorum	nu. 3.

Fiat decoctio in aqua fumiterræ, & euphragiæ s. a. quæ coletur cum expræssione.

℞. Rhabarbari infusi cum suis correct.	ʒ. 1.
Diacatholicon	℥. s.
Mannæ electæ	℥. 2. s.
Syr. rosacei solut.	℥. 1. s.

M. & fiat potio sumenda quatuor horis ante cibum.

Hoc medicamento repetito, & medijs diebus etiam ijsdem syrupis datis corpus perfectius esset expurgandum per potiones salsæ pariliæ, quibus vniuersum corpus per belle purum redderetur, sed interim deriuando humori viæ essent aperiendę, & ad deriuationem natura excitāda, cucurbitulis dorso saltem sine cutis incisione, vesicatorijs dictis, tum dorso, tum post aures appositis, & tandem via post hanc excitationem aperienda perforanda cute funiculoque traijcienda in ceruice. Vesicatorium fieri posset hac ratione.

℞. Cantharidarum præparatarum	ʒ. 2.
Costi amarioris	ʒ. 1. s.
Fermonti medullæ	℥. s.
Aceti squillitici	q. s.

M. pro vesicatorio super linteum perforatū, aut intra filum cereum apponendo.

Vesica vero excitata perforetur, deinde butyro cum folio caulis leniatur, & tandem vlcus curetur. His curatis funiculus cuti ceruicis traijciatur, potionesque salsæ pariliæ subinde capiantur, cum victu tenui satis non tenuissimo concessis ouorum luteis, & auiculis at vino circumciso, & secunda aqua epota.

Potiones vero eiusmodi essent.

℞. salsæ pariliæ incisæ, & contusæ	℥. 3.
Euphragiæ	M. 1. s.
Fæniculi	ʒ. 3.
Macis	℈. 2.
Aquæ communis	lib. 10.

Fiat infusio per 24. horas, deinde decoctio ad consumptionem medietatis, quæ coletur cum expressione pro syrupo ex quo accipiat ℥. 8. quoties accipiet, nimirum mane, & vesperi semper quaternis horis ante cibum.

Septenis autem post eum ipso die, sudor leniter esset sub ijs potionibus mouendus, capite minime contecto, intereaque non errhinis, non masticatorijs, sed gargarismis purgandum, & frictionibus, & alijs auxilijs humor a capite auertendus, quo per 22. dies facto, erit de reliquis cogitandum, nam ego oculo nihil medicamenti admouerem, quoniam profunda nimium materia est, & nihil auxilij acciperet, plusque materiæ in oculum incitaretur.

Si quid præterij, alias rescribam, si opus fuerit nam angustia temporis vrgens latius cogitare, aut excurrere non permisit. Non prçteribo quidem, quòd finita dicta curatione, potionem suprascriptam ex folijs sæne repeterem, quo ater humor leniter educeretur, quod & oculis, & toto corpori esset summopere vtile. Vale meque ama.

Christoph. Guar. Cons. Med.

De Melancholia cum symptomatibus multis pro Nob. Vberto Romanio cum Dionisio.

CONSVLTATIO DXXXIX.

NVllum symptoma video in hoc morbo nõ inconstans,& varium præter vnam varietatem ipsorum,quæ est constantissima,propterea cum Medicus non debeat curationem sumere eius, quod se ipsum est cessaturum, nos debemus id vnde mala renascuntur,quod firmum est curare.

Videmus hic modo somnum nimium, modo nimius vigilias, interdum paralysim, interdum conuulsionem, modo mærorem, modo nimiam hilaritatem,& risum,interdum febrem,interdum a febre vacuitatem, quæ tamen mala nunquam sua reuertendi vicissitudine ipsum relinquunt.A somno si incipio audeo ego illum lethargum statuere,cum læthargus cerebri apostema sequatur, apostema autẽ non possit alternis diebus fieri, & euanescere minus earum appellabo,cum febrem accedentem comitetur, potius somnum præter naturam natum ex illis crassis vaporibus,qui cum primum calor prẹter naturam a pituitosa,& multa materia compræhenditur, inde in cerebrũ per carotidas arterias attolluntur, ibique calorem amittentes in crassitudinem suam naturalem reuertuntur, sic facultatem ligantes somnum faciunt adeò altum arctumque,vt aperte morbosus agnoscatur, & crassitudinem materiæ a natura alienæ referat, non mediocrem humoris alibilis habitum, qualem solet somnus naturalis sequi. In hoc itaque corpore copiam crassæ pituitæ subesse intelligere debemus.

Vigiliæ autem, quæ etiam sine febre identidem eum habent,cum mærore coniunctę humorem melancholicum indicant,siccus namque ille est, neque potest sic sensum hebetare ligareve, nam & hoc siccitas non potest, neque multitudo halitus tanta, & tam continua corpulentia sicci humoris datur, quæ vias impediendo somnum faciat, potius, si impediret, quæ succi crassitudo, & densitas est, sensu, & motu hominem penitus priuaret, & Apoplexiam pareret, quomodo etiam mærorem faciat non est disputandum, nam succi huius aritudo,& frigus vitæ aduersaria sunt, principioque vitæ contraria, in quo principio vitæ, quando vita animantis sensus est, necessario molestum quendam, quamquam tacitum, sensum faciendo mæstitiam parit, sic melancholicum humorem subesse cognoscimus. At quomodo is humor cedit alteri humori,qui hilaritatem pariat? siccus est, & minime mobilis. Dico Viri Doctissimi, quòd hilaritatis duplex ratio esse potest, vna quando hilaritas vera non est, sed quædam animi fuga, & auersatio a mærore, & timore, vt cum pueri timentes in tenebris canunt, conuertitur namque animus ad speciem quandam falsam hilaritatis dum mærore, & metu exagitatur, quod sæpe quisque potuit obseruasse, vnde quidam ad spem vitæ futuræ conuersi inde solatium petunt, & de bonis eius vitæ loquentes vultu etiam risum, & hilaritatem præ se ferunt, homo namque non solo sensu homo est,sed ratione ipsa, atque hæc vna causa speciei hilaritatis est, quæ familiarissima cernitur esse eorum, qui liberaliter moribus instituti sunt, vt cum aliorum vtuntur consuetudine vultum hilarem effingunt, alioquin multo mærore affecti, quare morem etiam insanientes retinere possunt, & longe magis, qui speciem religionis profitentur,

A seque dedere penitus in fidem Optim. & Maxim. IESV hæc igitur est hilaritas ad rationem referenda.

Altera hilaritatis ratio est, quòd humor propositus, cum melancholia non sit, neque per exustionem cuiusquam humoris factus sed melancholicus succus dictus, fexque sanguinis est, neque à medio sanguinis temperamento tantopere distat, quin aliquas sui partes ei vicinas habeat,vnde sanguinis quoque effecta præseferat, atque conclusus, concalfactusque, vt Aristot. lib.problemat. differuit, symptomata vini efferat, quod si in corporis genus eiusmodi inciderit, risum faciat,quemadmodum, si in aliud genus, aliud symptoma parit. Vino namque ipse humorem hunc assimilabat. Cõ-

B staret ergo mihi facile duo hæc genera humorum tam diuersa in corpore hoc abundare, nimirum pituitam, & succum melancholicum. Quod qui fieri queat, non est difficile videre, quando corpus calidum,& siccum ætate saltem factum cum antea sanguine abundaret facile multum fęcis sanguinis congerat, nisi excretiones eius habeat, vt Hippocrates proponit, maxime externis causis accedentibus, vt huic multæ & valentes accessere.

Quo verò succo abundante ventriculus refrigeratus plurimum cruditatum facit,iecur vnde affectũ minus corrigere potest errores ventriculi, sequutæ vigiliæ omnem pituitæ generationem augent, sic cum melancholico humore sæpissime pituitosus cõiungi solet. Sic effecta vtriusque identidem visuntur. febris etiam propter motum, & obstructionem

C humoris fit,cum quo propter calorem corporis facile bilis, & coniungitur, & tertianos circuitus facit, quando plurimum sua siccitate potest putredinem sustinere,vl non in dies, sed in alternos dies fiat.

Modo symptomata conuulsionis, & paralysis considerandasunt, dum vigilat capite dolet in sinistro tempore, dextrum vero brachium arctissime contrahitur, cum somnus illum præhendit brachium laxatur, de dolore incertum est, sit ne an non. Lingua interea semper videtur paralysim habere, quoniam loqui non potest etiamsi loqui velle videatur. Nam id neque defectu anhelitus fit, cum ipse spiritum libere ducat, neque sola vocis edendæ facultas te impedita,quoniam in multis videmus, etiam sine

D voce linguam,cum potest se flectere dialecton efformare tacitum, quare vel lingua ipsa resoluta est,vel vna etiam musculi voci edendæ destinati. At lingua tamen mouetur, potest moueri motu eo rudiori,& minus articulate facto, at eo quo dictiones cõformantur,non, quoniam subtiliorem is & validiorem requirit informationem,linguæque fluxionem.

Sic neruos à ceruice ad linguam venientes ad motum impeditos esse verisimile est,quamquam qui ad sensum gustum facientes à tertio,& quarto pari demissi liberi essent. Et forte ij, & qui recurrentes à se producunt voci excitandæ dicati, qui à basi cerebri posteriore descendunt, non linguæ corpus affectum est,quoniam cernitur integrum, brachij verò

E conuulsio vult neruos sibi motum præstantes toto corpore longo repletos cum stabilis illa conuulsio sit, toto tempore, quo fit, relaxatio autem vult eos si vera resolutio est, parte quadam impeditos obstructosque. Veram namque esse resolutionem non possum asseuerare, quoniam sub somno arctissimo fit, & eo qui penitus præter naturam est; Vnde potest esse symptoma toti corpori commune, propter principij vniuersi occupationem, quo oppresso facultas ad ceruicem seu ad spinæ originem & inde ad neruos ferri non possit, dicũt tamen proprie hoc brachium tractatum sub hoc sopore nihil facultatis motricis ostendere, solamque pondere ferri, quod non facit alterum.

A Ac quod dixi de brachio idem in crure esse suspicio est, nam cum vigilat æger si in pedes erigatur crus valde rigidum manet, quasi distentis neruis, ꝙ dormiente ipso non facile potest cognosci an resolutione debilitetur, cum tam facile nequeat manu tractari, sed eadem esset omnino brachij, & cutis ratio propterea nihil peculiariter de crure requiro. Iam quo pacto nerui repleri vigilia, & inanes reddi sub somno relicta vna sui parte obstructa possint, summæ difficultatis res videtur. Eapropter ego conuulsionem cogor in dolorem referre, vt quamquã neruorum initium hoc medulla spinę in dextera parte in origine obstructa est, non tamen adeò conclusa sit, quin vehementem dolorem non sentiat, & ad se se neruos retrahat quasi irritatis eorum initijs humore acri perfusis, a quo dolor etiam mouetur, qui humor ab eo altero humore vnde somnus fit hebetatus iam neque dolorem, neque conuulsionẽ moueat somno maxime, tam arcto facultatem occupãte, cuius obstructionis perpetua nota est, ꝙ lingua vel in vigilia solui non potest ad loquendum quæ res firmam obstructionẽ indicat eorum neruorũ, & quam quã solum qui a dextera parte nascũtur obstructionem habere conueniat, dextera tantum parte spinæ affecta, lingua tamẽ quæ vtramque partem vult integram quæ sermonem exprimat, altera impedita resoluta dicenda est, quoniam ad sermonem, attinet & loqui non poterit, etsi deuorari demittiq; cibum videamus, linguam tamen resolutam esse dicemus, quoniam ad opus deuorandi alterum neruum integrum esse sat est. Itaque non sum cum viro Doctiss. qui videns ęgrotum cibos demittere, non potest putare linguam esse resolutam, quamquam quotidie videntur multis hoc arridere, qui in omnibus alijs muneribus bene valentes sunt, & mente & cogitatione & fantasia, & ambulatione & gestu omni, vti tamen dialecto non possunt. Vt si vellemus referre impedimentum dialecti in facultatem a cerebro profectã, & in fantasias defectionem, esset omnino absurde factum, etsi enim cerebrum in hoc ægro grauiter affectum agnoscatur, fantasia tamen, & motionis ac loquendi cupiditas ablata non est. Atque hactenus nos obstructionem neruorum reperimus ex paralysi, quæ ab eodem genere materiæ fieri debet, a quo nerui soleot nutriri, nimirum pituitoso, quod cum crassius sit, & ad alendũ attrahatur, & propterea a cerebro, vt solet expellatur, copiosius verò propter ægritudinem, & morbum, proprerea obstruũtur. At aphorismus est quadragesimus 7. parte, qui vi huiusmodi paralysis melancholici generis esse, id pręterquam quod simpliciter acceptum minime verũ est, etiam a Galeno non recipitur, neque a parte probatur. Potest enim facilius pituitosum esse quam melancholicum, quod si melancholicum sit dicendum id potius consequutione quadam, & ex accidenti quemadmodum ad intemperiem frigidã, & siccam frigidi, & humidi succi sequi solent, & creberrime quidem id fit, & ab Hipp. potuit aphorismo proferri quod creberrime fieri solet, qui etiam quę non ita crebro eueniunt sit aphorismis amplexus. Pituitę ergo, & melancholici humoris copiam subesse iã perspectum videtur. De locis vtroque hoc genere humorum affectis, originemque eorum habentib. insequitur, vt dicam exijsse hominem a mente, minimeque apud se esse videmus, neque vllam esse facultatem cerebri, quæ nõ male habeat, potius verò deperditionem præ se ferre, quam vitium, & deprauationem, non vtitur memoria non cogitatione, non alia mentis percussione. Vnde frigus cerebri iudicetur, membranis interea acriter dolentibus in tempore sinistro, vt si quid acris humoris, vel fumi sit, id ab inferna parte submitti per venas videatur atque ea quidem sinistra. Cum eo tamen stat, vt acris dolor acutiem fumi sequatur, qui tenuitate potius sua, quam calore id præstet. Sed cum non solum pituitæ sed melancholici etiã succi effecta sint, vt nihil prohibet aliquid etiam caloris insistere eius saltẽ generis quod in cineribus habetur, præsertim in corpore sua natura calidiori neque tamen adeo vt sui effecta præstet in cerebro quod nihil maniæ prę se ferat, potius mærorem ostendat, quasi iam ille melãcholicus humor dilutus sit, & minime incalescat, imo calorẽ penitus amiserit, ꝙ non repente a calore exustus vel sanguis fæcosus sit, vel bilis, sed longo tempore fæcosus tãtummodo sanguis arefactus, quare calorem non valde respiciendum crederem neq; in cerebro, neque etiam in toto corpore, aut visceribus. Verum credis ne cerebrum se ipso iam malum amplexũ esse? hoc est humores hoc ipsum non præterfluere sed

B in eo inhærere quod dicunt Medici laborare per essentiam, non per cõsensum? Cum ego videã omnes cerebri actiones læsas esse, & quamcunque facultatem in omnibus suis actionibus deficere iam possum facere, quod non soleo frequenter, cum enim video veram facultatem v. g. imaginum non in omnibus imaginibus, sed in una tantum, vel altera falli, quasi id non culpa facultatis, aut organi proprij, sed aliquo illi imagini potius quam facultati adiuncto, & causa omnino aliena fiat, non soleo culpam in organum ipsum, aut facultatẽ referre, qui enim fieri posset si facultas se ipsa, & organũ deprauata sint, quin facultas in omnibus suis operibus deprauate agat?

C certe contingit sæpissime hominem errare in vna tantum imagine, vt quod venenum sibi datũ sit, aut dari a quibusdam moliatur, in reliquis actionibus eiusdemmet facultatis nihil penitus peccare, vnde, si in innumerabilibus actionibus eademmet facultas læsa non sit, cur in vna perpetuo læsa sit? si organũ, vnde ea facultas existit, in omnibus alijs actionibus eiusdem facultatis est integrum, cur in vna eadẽ sola subito deprauatum sit, & semper? Sic ergo ego in illis hominibus sic melancholicis cogor lęsionẽ eius actionis priuatæ in imaginis casum, & obiectum potius quam in facultatem referre tamquam in acinos vuæ causam, quod ventriculus eos non tabefaciat colliquetur. Obiectum verò, & imago id habeant exterius ab animi perturbatione, & organo, in quo

D illa fit, nempe corde, cuius actio quidẽ semper metu, & mæstitia læsa est, & dum eam imaginem cerebrum non exercet, neque vnquam recte habet, imagini tamen vni addicta adstrictaq; esse potest, quæ proprium ipsius facultatis cordis non est obiectum. Contigit vero a principio, vt eã vnam imaginẽ sua perturbatione mouerit, quæ ideo falsa est, quoniam homo illam primo non vt simplicem imaginem rei ducit, non vt rem simplicẽ imagine constantẽ. Sed imaginem in rem refert cum eaque falso componit non in se ipsam, vt talem simpliciter cogitur, asserit vero potius esse ita, & talem quam simpliciter illam intueatur. Hoc vitium vt dixi, non ab organo nimirum cerebro facultateve ipsius, sed a propẽsione vitiosa animi quam habet homo in corde quã exercet

E semper, & cum ea imagine illum agitat, quoniam ea sat est ad perturbationẽ illam exercendã, quæ verò imago si casu a vitio remoueatur, necessario alteri illud homo applicet, in qua altera falsò quidem æstimata vigere perturbario possit. Eapropter plurimos melancholicos causam in corde habere soleo iudicare. Maxime vero quod metus a tenebris illis in cerebro affectis a Galeno nasci non possit, nullo lumine, ibi alienoque lumini excipiendo penitus corpore cerebri existente. In corde vero potius, vbi uita est, cui humidum, & calidum amicum est, si humoris halitus siccioris, & cum frigidioris percipiatur animum necessario coerceat, & opprimat, effectumque contrarium lætitiæ faciat, cum læ-

titia foras spiritum, & sanguinem effundat, & quasi liquefaciat, hoc autem intus cogat, & comprimat atque exsiccet induretque. Hæc inquam in nostro ægro diuersam originem, & locum possunt habere, in quo nil impedit quin cerebrum se ipso malum contineant, quando locum possunt habere, quando non solum omnes vnius alicuius facultatis actiones læsæ sunt, sed omnium facultatum penitus & corruptæ, & allatæ sæpe visuntur. Sic hac ratione organum ipsum læsum possum iudicare, quod quamquam in corde Arist. velit huiusmodi facultates originem habere, non negat tamen ipse esse cerebrum, tãquam in quo facultates dictæ expressius habeantur vnde oculorum quoque, & nariũ, & aurium meatus hoc est neruos quos cerebrum positos esse statuebat quod ibi facilius, & opportunius eorũ actiones fiant, vbi quies maior existit. Cerebrum modo malum continere afficique, seu lædi potest læsione præterfluente, quæ fieri etiam dici queat non iam facta, aut læsione manente quæ iam facta conquiescat. Nam vel vapor, seu materia affluens vt vt accedit sic etiam abit, discutiturque, vel ibi inhæret etiam quod affluat adhuc, illud alieno, hoc proprio morbo laborare dicitur. De qua re constanter possũ asserere quod iam multum materiæ insederit, etiãsi influat alia aliunde, & symptomata modo maiora modo minora interdum vnius generis interdum alterius excitet pro natura nouæ materiæ aduenietis. Certe antequam perpetua læsio esset, nondum inhæsisse materiam existimassem, modo cũ læsio perpetua sit, & si variet, varietas tamen semper, & omnino læsionis est, & perpetuæ, ego defixam altius malam materiam arbitrarer. Sic affectum cerebrum se ipsum intemperie cum materia statuerem iam in eo permanentibus, habere tamen ab infernis partibus, & a toto corpore adhuc cursum humoris eiusmodi, illæ namque partes vnde diu affluxit, restauratæ non sunt, cerebrumque magis, atque magis infirmum in dies fit, idoneumque ad imperum humorum excipiendum, qui in infernis partibus quidem varij, cum sint, varij ad se mittuntur, pituitosoque putrescente vna cum bilioso vapores pituitosi abundantiores ipsi magis copiosi elati somnum faciunt, eo verò putrefacto, in fæcemq; redacto halitus melancholici superantes vigilias sustinent, consumpti autem vtriusque generis fex in cerebro hærens frigore suo memoriam aufert, & omnem cogitãdi vim cuius memoriæ, & cogitationis hæ perpetuæ læsiones sunt, nisi cum interloqui posset ipse admodum excitatus potius ex habitu loqueretur, quam ex cogitatione exercita, nunc verò ne loqui quidem potest. Dolor vero etiam ni sensus impediatur perpetuus videtur, qui vehementer illũ vngit, & quoniam dolor corrupta actio dicitur, forte quia sensorium corrumpit sui vehementia, necessario ob obiecti vi vehementiori esse necesse est, obiecti autem vis vehementior, aut intemperies primarum qualitatum, aut acuties asperitasve corporis contangentis, lacerationemque molientis est, quarum causarum posterior mihi facilior hoc loco videatur, quoniam biliosi humoris, aut calidioris notæ non sunt, potius vero a melancholico humore halitus sicci, & ferientes tamquam fumi lacerationem afferant, maxime flatu suo tendentes, qui eò peiores sunt, cum putredo incensa eos effert, nam postquam humidiores consumpti e pituita putrefacta sunt, tunc sicciores nudi relicti dolorem excitãt, maxime quod tunc somnus non adest, vnde sensus hebetetur, tollaturve. His ita perspectis nos cognoscimus corpus refertũ melancholico, & pituitoso humore, qui humores identidẽ aucti obstructiones in medio corpore augent, & febrem faciunt. Impetum quoque in caput habẽt, vnde tot symptomata sint, & morbi in capite, peiora

A vero etiam expectari possint, quoniã res nostri corporis sẽper in motu sunt, in hoc vero eiusmodi motum habeant, vt primum vapores tantum, ad caput peruenirent, deinde humores, qui iam in eo constiterint, in quo vero possunt cumulatiores fieri obstructionesque maiores facere, & inde febrem cũ putredine in cerebro compræhensa, ex qua læthargus, & mors adueniat extenuata siquidem pituita a calore facile in cerebrũ introducitur, vbi concreta demum putrescat. Quibus sic propositis admonemur nos, & corpus esse inaniendum, & a capite retrahendum & idem caput tandem inaniendum, tum viscera atque caput restituenda suæ temperiei, etiam confirmãda, neque enim de putredine, aut febre præcipue propriam curam susciperem, cum neque putredinẽ malignam

B videam, sed simplicem, neque febrem eiusmodi vnde tabes, aut mors sequi possit. Quæ nũ consequuturi simus, ego difficillimũ existimarim, nam humores eiusmodi sunt sua crassitudine, & intemperies viscerum ac capitis inde nata tanta est, quòd neque humores posse expurgari, neque intẽperies tolli crederem, minus cursum in caput ab eo auerti posse crederem ea parte, tam obnoxia iam facta incursui huiusmodi humorum. Tamen si ægrum desperationi relinquamus, deesse multum officio humano videbimur, quare dicam simpliciter quid agendum existimarem, post apertas hæmorrhoides, post sanguinis missionem e brachio vtroque, missumque atrum sanguinem. Ego pararem humores, vnaq; partes

C emendarem syrup. ex betonica, ex stæchade oximellite, syrup. de lupullis, de pomis, & de fumoterra de cap. Veneris, & identidẽ purgarem, & syrupos cõpositiores subiungerem, purgarẽ vero sero caprino incoctis polypodi sena, epithymo cum electuarij hamech, cum oximellite solutiuo descripto ab Alex. Tralliano cum Hiera maiori aliqua in qua Veranum existeret, ni coquerem, etiam Veratrum in se ro cum alijs dictis, & aromatibus veluti Mari, Gariophyll. f. citri cum radice dulci passulis, & alijs eiusmodi. Interea symptomatibus repugnarem, vt vt vrgere viderentur, & capiti prospicerem, vt vt materiam recipere intelligerem, auersionibus omnibus factis cum clysteribus valentioribus, cum frictionibus, cum cucurbitulis, cum cauterijs ad brachia ad

D ceruicem applicatis, cum vesicatorijs, & tandem caput ipsum quoque fomentia namque, & stillicidia olei chamemelini ante prouisionem totius corporis exhorrerem fouerem verò postea betonica rosis, & chamemelo ad penetrationem aliorum, sinapismata capiti non admouerem, dum materiã influentem intelligerem, nisi sopor aliquis obfirmatus me terreret, cordi prouiderem exterius etiam apponendis idoneis, & item ventriculo. Ratio victus mihi esset extenuans, fere etiam tenuis, luteo ouorum, auiculas, & pullos gallinaceos probarẽ panis intriti percoctique ex iure sorbitionem minime densam, cum S. Melonum, ordei etiam sorbitionem cum pipere, vel cinamomo. Acetaria ex boragine buglosso tantum concederẽ cum minimo aceti a reliquis abstire

E rem, potiones ex aqua incocto cariophillo darem, vel cinamomo, vel rore marino, vel eiusmodi aliquo, vt etiam pipere somnum diurnum prohiberẽ, nocturnum iuuarem, & hilaritatis omnes occasiones præberem. Dixi.

Post longum morbum accessit tandem febris cum lethargo, & malis vnde extinctus est.

pro Marchionissa Vasti, & Marchione filio, & Teggio a sat.

CONSVLTATIO DXL.

PArandis, & educendis humoribus in ventriculo versantibus ego hac æstate leuiora darē quemadmodum oximel coniunctum cum syrupo de corticibus citri, & de pomis, & vomitorium ex iure copioso cum oximellite, aut cælo refrigerato, per imbrem pilulas ex Rhall. & ephangine, de externis illitionibus sic cogitarem, vt in re vrgente tantum essent adhibendæ, alioquin nequaquam ne res in morem, & consuetudinem transiret, vnde præsidium ex illis euaderet inane. De salute modo Marchionis pescharię ego nihil opportunū magis video, quam vt lacte frigidioris temperiei vtatur, neque tutum crederem si cibis ex ptisana, aut alijs refrigerantibus procuretur, quoniam nimis inflaturum suspicarer, eapropter mulierem eius naturæ frigidioris perquirerem, qua nutrice vteretur. De nostro tandem Teggio doctissimo, ego existimo quod vesicæ sint excitandę post corporis purgationem continuo, neque differendæ, quoniam cita & breuis deriuatio, postea minus erit vtilis, alioquin commodo maxime futura recenti defluxioni. Cauterium pro melius differri poterit, cuius vtilitas longior naturam assuefacere ad experimentum in diuersum locum materiæ poterit.

Pro Melancholia.

℞. Elletuarij lenitiui ʒ. 10. spe. hieræ s. Galeni ʒ. 2. m. & cum saccharo f. sumat hora ante prandium, deinde sequenti die secetur vna basilica sinistri brachij mittaturque ad ℥. 8. Tum si hæmorrhoides extent apponantur hirudines. Postea sumantur syrupi infrascripti.

℞. syr. de pomis, de fumoterra, de corticibus citri oximellis s. an. ℥. s. Decoctionis boraginis, cap. Veneris cetrach fumiterræ, lupullorum ℥. 4. m. per syrupo, & sic per 7.

℞. infusionis hic vsitatæ senæ ℥. 4.
Elletuarij indi mamis ʒ. s.
Mellis ros. solut. ℥. 3.
M. & fiat potio.
℞. fol. senæ electæ ʒ. 2.
Passularum ℥. 1. s.
Cinamomi ʒ. 1.
Infundantur, & decoquantur in s. 2. seri caprini, & facta colatura, atque expræssione.
℞. syr. de corticibus citri } an. ℥. 1. s.
Mellis rosacei solutiui }
Seri caprini lib. 3.
M. & fiat potio cura, & sic pro alijs 15. singulo quoque die capiendis.

De febre maligna pro vxore Iosephi Fabricij cum Puteo, & Maronio.

CONSVLTATIO DXLI.

COllegę doctissimi ego ex vestris sermonibus video morbum hunc tamquam sub oculis apertissime esse constitutum, & curationem etiam valde apposite accommodatam, quare nō possum non in vestram sententiam descendere, quam sic meo

A Marte, atque ad sensum meum recensendam existimo. Continua febris est cum virium lāguore, maior languor, & valde manifestus à cathartico medicamento fuit, quo euidētissime vires confici visę sunt, calor febris admodum vehemens non est, etsi lingua aridiuscula, non tamē valdè sordida, aut nigra, aut aspera pulsus cerebri, sed longè magis exigui, spiritus angustia, crebritatesque. Vrinæ colorem ferè naturalis similem habent, crassiusculæ tamē sunt. Vigiliæ cum propensione in somnum iunguntur, & cum capitis grauitate, cerebrique, ac sensuum interiorum hebetudine. Ex quibus clarum videtur, quod materia huius febris pituitæ plurimum habet, exiguum autem bilis, quod natura corporis satis pleni, & candidi, & muliebris confirmat similiterque B anni tempus hybernum, & tempestas impense humida, vnde cum pulsuum languor insolentior, & mouendi se debilitas malignam febrem denotet, exiguitas etiam pulsus, tam multa pituitam potest ostendere, maximè quod non adeo creber est, vt febris, tam grauis postularet, si ab alio humore esset, quod facit etiam calor cutis minimè vehemens, & satis hebes vrinæ crassæ, & minime pro ratione febris coloratæ; grauitas totius corporis, & capitis cū ea in somnum propensione, & taciturnitate inusitata, quandoque propter malam fumorum vim à putredine acceptam, & a portione bilis crassioris etiam auctam dormire nequeat.

Huiusmodi materię genus, malignam febrem facere ipsa virium tam cita infirmitas indicat, cum C calor eius potius mitis sit, neque ad soluendas vires idoneus, Malignitas modo quid substantis naturæ mali denotet, Ego sic iudico, in febribus simplicitas tutissima videtur, etiam si vehementissimæ sint, & periculum, de simplicitate febres insolentia quadam recedant, loquendoque de putridis febribus, seu ijs, quæ sunt dictæ humorales, malum putredinis genus habent, quo vires citissimè debilitantur, quæ si pęnitus perniciosissime neque spem salutis in periculo relinquant, non malignæ modo, sed lethales dicuntur, quibus accidit, vt, cum populares fuerint, & communes, pestem faciant vulgo vagantes, quæ propriè dicta pestis in publica quadam ratione sita est, non in priuata, & singulari cuiusque, ita vt D cuiusque singularis febris, eius quidem naturæ, eo tamen nomine dicenda non sit; nisi in vulgus relata pluresque vulgo laborantes similibus febribus complexa, & hoc ratione duplici, vel quoniam cœli genus malum febres eiusmodi vulgo fecerit, vel quoniam suapte vi ipsa potest se se per contagionem in vulgus propagare.

Hæc inquam pestis est lethalis vero tantum, cum in vulgus non pertinet, sed singulari aliqua ratione, & varia necat. At cum periculum minabitur, vt spem penitus non subtrahat salutis, siue contagiosa sit, siue non modo insolentius viribus officiat, ni mirum quoniam mala putredine cōtinetur, aut viscus aliquod occupet princeps sua putredine. Ea maligna a Galeno, & Hyppocrate vocatur, cuius natura E cum in eo putredinis, & insolentiæ genere media sit, inter salubrem febrem, & lethalem, ex illis extremis tantummodo poterit intelligi, omnis febris humoribus nata putredine eorum concitatur, qui incalescere adeo, vt calorem igneum se ipsi compræhendant, nulla ratione possunt, nisi putrescant, neque enim calor eorum natiuus in calorem igneum mutari potest alia ratione, solo minus seruore spirituum id consequentur, quo ephemera potius trium dierum fiat. Nam putredo humoris siue sua, siue aliena causa fiat, ipsa vel exustionis, vel corruptionis proprię mixti speciem acquirit, quæ corruptio mixti est, ea leuiter procedendo, neque absumendo humidum, sed educendo illud vna cum calore, alte peni-

tus humorem corrumpit, proprioque calore priuat relicto alieno, atque hæc propriè putredo est. Illa autem quæ vehementi, & graui calore exurit, vt in ardentibus febribus euenit, sæpè etiam a veteribus Medicis exustio dicta est, vtraque harum ad interitum corpus deducit ni inhibeantur, & ad maturationem reuocetur, non cedit remedijs, vires conficit, vtraque autem lethalissima est, & vtriusque notas etiam in pestilentia videre Medici potuere, aliæ non cum putredine propriè dicta etiam exustionis, & acerrimi caloris speciem habent, alię multo calore, & placidæ penitus sola putredine proprie dicta homines tollunt.

Si vtriusvis generis putredo in maturationem a calore naturali conuertatur maturatio ea simplicis, salutarisque febris quamuis vehementioris causa erit; Sin modo putredo propriè dicta subsit, & ambigat & periclitetur, ne à calore naturali queat in melius cõuerti, dũ res in dubio est, & in timore mortis spes tamen salutis non aufertur, ea febris intra fines maligni manet, & non ad lethales fines pertinuit, causæ simplicitatis erunt totidem, quot malignitatis, sed opposite simplicis putredinis causa erit materia minus mala, meliorisque succi cibis nata, minus multa, minus obstruendo idonea, partium continentium corpora sic occupans, ne aduentantem in eas vim, in principibus præpediat, minus principem partem occupet, minime vero illam vnde spiritus ad omnem vitæ sustinendę functionem veniũt, quod cor, & pulmo est, eiusmodi ergo materia simplicis putredinis causa fuerit. Partium quoque continentium materiam vis, quando valida extiterit, hoc est temperiem integram tenuerit. Contra autem putredo maligna se habebit, quæ vel partes etiã influente spiritu priuabit, vel principes occupabit, præsertim quę vitæ fontem continent. Tum partes corporis quibus humores continentur infirmas sortita erit, ac vel omnes, vel plures harum causa; tum sortita fuerit, duas vero illas omnino, nimirum mali succi humores, & glutinosos, crassosque. Alioquin tenues succi, quamquam omnes, & ferè soli propriè mali succi appellentur, putredinem seipsi separatim accipere non solent, quoniam perspiratum facilè habent, neque eius vias sibi impediunt. In maligna ergo febre dictarum causarum quædam ratio supra mediocritatem erit, ita tamen, vt anceps etiã vtrunque finem spectet, in qua si partes corporis cõtinentes dubias vires suas interea sustentent, si principes partes influentem ad se materiam possint arcere, vel quam receperint maturare, ne dixerim concoquere si crassitudo, & lentor materiæ possit frangi, si malus succus emẽdari & maturari, & naturę cedere, ad salutem hic perducetur sin contra ad lethalem febrem quæ ægrum consumet, Malignam febrem hic ex virium infirmitate recte iudicauimus, cũ ea fiat non nisi ob malum succum minimè alẽdo idoneum ob putredinem consumentem, quoniam maturatio potius vires nutrit, (vt in carnibus sinuum apostematum apparet) & si non tam perfectè, quã faciat vera concoctio, tum etiam, quod ille partem principem oppressam teneat, siue se se, siue fumis, suæ putredinis, suæ partes omnes inficiat, pariat verò etiam ipsa imbecillitas eam putredinem, a qua facta ipsa est, vt putredinis malignæ ipsa imbecillitas tum signum sit, tum causa. Cuius putredinis causa illa, quę à crassitudine esse potest, aperta nobis multis indicijs existit.

Quæ habuit, vnde magis impingeretur ad obstruendum, imò vnde etiam augeretur. Nam vapori calido, & medicato se obiecit, accepitque, quo cutẽ sibi nitidam faceret, quod mulieres ad comparandum sibi nitorem solent, minimeque exsiccato corpore refriguit, sub quo materia à calore primum fusa a frigore subinde concreta fuit, a calore extenuata, eliquataque & in omne corpus diuisa, à frigore impacta constrictaque fuit, sic frigus non solum angustiam, sed obstructionem ambitus corporis confecit, ex ea vero impedito perflatu, primum vapores coerciti, iterum coacti sunt, & in eundem humorem reuersi, à quo efferebantur, sic corpus pituita magis completum, maxime in ipso corporis ambitu, postea perspiratu prohibito concaluere humores, putredinem concepere toto corpore, totisque venis, cuius fumi prohibiti, & intus à partibus extimis frigore firmatis compulsi cor maxime petant, & inde pulmones, per quos cor maxime se se exoneraт, cum fumis vero periculum est ne impellantur etiam humores, cum cor putredinosis tum fumis, tum humoribus exagitatur. Pulmones vero etiam periclitentur, ne, dum tyrhannus, in quem hic populus coniurauit, & conuersus in illum facit impetum, dum repellere ipse in populum incommodum non potest, in principem sibi ministrum & coniugatum omnem anxam reijciat, nimirum in pulmones, eisque tumorem inferat, qui tum lata via, tum sua laxitate humores facile recipiunt, cuius rei nota iam spiritus angustia est, quæ quanquam tussi conuicta non est, repleta saltem vasa à corde nascentia, & iam vrgere sua tensione, constringereque vasa arteriæ aspere possunt, tussim vero non moueri, quoniam nihil humoris hactenus in corpus pulmonum emanarit, vnde quidquam in arteriæ bronchia exudarit, quo tussis fiat. Quibus non solum, quid mali subsit, cernimus, sed etiam quid impendeat deterius. Manna Medicus dedit scilicet vt protraheret veriora, & magis idonea auxilia, cucurbitulas tantummodo admouit quatuor, leue certè præsidium tanto periculi apparatui, dorso illas affixit, vt è reliquo corpore materiam proximè ad principem partem adduceret, ibique obstructiones augeret, quinque syrupis datis ad numerum non ad naturam se gerendo medicamentum catharcticum propinauit, scilicet, vt e toto corpore, ab ambitu eminentiori ad medium retraheretur, quod in corpore, cuius ambitus sit repletus, maximè exhorret Galenus primo de tuenda valetudine cauendo maximè à vomitu, ne materia crassa à latioribus vasis ad angustias iecoris adducta magis se se impingeret, & obstructione facta putredinem augeret. Quo medicamento non valente crassos, & crudos humores elicere admodum hærentes alibi lem succum è partibus extorqueret, & spiritus, vnde vires, vt fecit, maxime labefactaret, corpusque affligeret. Dicunt, quod post medicamentum illa spiritus angustia afficit, quæ antea nulla erat; Hinc potestis intelligere quantum possit iecur infarctum, & putredine æstuans fumis septum transuersum vrgentibus, cuius iecoris æstuantis signum etiam in lingua est. certè à pulmonibus raro tam afficitur, quã à iecore facit lingua, cum quo per ventriculum & internam eius tunicam consors est. At nobis quid agendum restet huic febri, huic putredini, huic plenitudini huic motui introrsum conuerso? his viribus resolutis? Copia à medio ad eminentes partes reuocanda, ad eas quæ cum remotiores à medijs sunt, tum, si obstruantur, sua obstructione illis minimè officiunt, frictionibus ad artus ad motis, atque etiam cucurbitulis saltem sine ferro. Vt enim sanguinis missio à principio viribus valdè valentibus fuisset accommodata, ita illis nunc languentibus est metuenda, etiã per incissam cutem cucurbitulis facta, quoniam sanguinis detractio inter valentiora auxilia est. Vesicas quoque exurente medicamento illis locis excitare, quo non tenuis humor, & liquidus eliciatur, tantum qui minimi incommodi se ipse est, sed attractu illo auersioni impetum excitarem, naturamque sui officij admonerem, & putredinis etiam malos fumos, & fa-

ſaniem euocarem. Dorſo lenes omnino frictiones A nudis manibus, & mollibus ad mouerem, oleo non oliuarum, ne obſtrueré, ſed amigdalarum dulcium, quod extergit, meatuſque purgat, ac relaxat, ſi ſal vſtum, aut nitrũ adijciamus, melius id aſſequemur. Ab opera manuum, ſeu chirurgica ad Pharmaceuticam venio, vt putrefactus eſt humor, frictionibus quidem euocabitur, ac diureticis etiam melius id habebit, ſed qui ſub putredine eſt, ad maturationem impellendus, qui integer eſt, tuendus, obſtructioneſque factæ tollendæ, & item, quæ fieri poſſent, ne fiant, procurandum, & omnino materia maturationẽ aſſequuta deducenda. Ergo potiones in cibis capiendas, quæ longè maiori copia quam ſyrupi longè maius auxilium habent, pararem ex aqua, in qua hordeum cynnamomum, radices graminis, & pen- B taphilli decoctæ eſſent, & parum adiectum ex ſyrupo de ſucco citri, & acetoſo. Matutinas potiones ex ordeo, radice graminis, & pentaphilli Acetoſæ, cap. Veneris. f. Citri conficerem, cui ſyr. de ſucco acetoſæ, de ſucco citri, de duabus radicibus, & acetoſum ſimplicem componerem. Ante tamen eam potionem non theriacam, non quippiam aliud nimis mouens antidotum, ſed bolum ex ſaccharo roſaceo ad ℥.1. ex puluere cornu cerui vſti, Margaritis, & f. citri compoſitum, non bolum armenam aut aliquid ſimile quod poſſet pulmones aſpero aliquo motu infeſtaré. Scio theriacam, opiata ſimilia non multi caloris eſſe, Eſto itaque ne primum, aut ſecundum gradum excellat, habet tamen magnam mouendi vim, vt vinum, ita cum in morbo tempus quietis eſt, ea vitare C oportet, vt in quartana quoque febre monuit Galenus, in qua certe non calorem, ſed motionem theriacæ metuit, quamquam dicit ſemper humorem abſumere, cordi ne exterius aliquid confirmantis apponeres, an timeres? quid repellere in cor poſſunt confirmantia à tam exiguo ſpatio cui applicantur? quid noxæ facere? quantum verò prodeſſe poſſunt cor à malignis halitibus tuendo? quod maximè eſt neceſſe, certe maximè neceſſarium, & idoneum auxilium non eſt denegandum, metu ſuſpicionis leuiſſimæ nihili faciendæ, ita epithema non liquore madens, ſed illitionis craſſitudine pararem, ne liquor refrigeratus offenderet, reciperem autem vnguenti ſandalini ℥. 1. puluerum cordialium, ʒ.1. Theriacæ ℈.2. croci ℈.s. aceti roſacei q. ſ. pro cordiali faciendo. D Victus autem ratio inſtituatur non ex carnibus vitulinis, quæ grauioris alimenti, & craſſioris, ſunt, ſed pullaſtris, auiculis, elixis, vel certè iurulẽtis ſed multo iure cum ceraſis, & aceto, non iurulentis illis cõdituris, ſed dilutioribus, vitella ouorum non recuſarem, ſed magis laudarem, ſi iure pulli diſſoluta cũ paullo aceti componerentur, vel cum ſucco aurantiorum. Ptiſſanæ ſuccum probarem, ſed incocto cinnamomo in linteolo comprehenſo, vt tenuior eius calor, & ſolutu facilior communicaretur, ad ſitim leuiendam in ore habeat aut ceraſia acetoſa in aqua macerata, aut ſuccum citri ex ſaccharo, aut iuiubas ex eodẽ ſaccharo coctas, aut folia acetoſæ ex aqua, vel lactucæ, vel radices bugloſſę ex ſaccharo coctas, E conditasve, vel Ribes, aut ſuccum prunorum ex ſaccharo conditum, aut grana mali punici acetoſi, audio propter ſitim lac appetiuiſſe, lactuiſſeque, quod non laudo propter febrem, & capitis infirmitatem oxiſaccharum dilutiſſimum valde eſſet idoneũ maxime paratum cum ſucco citri acetoſo, Mucilagines, f. cytonij, aut ſemina ipſa madefacta in linteolo contuſa, oreque detenta, Interea ſi coctionis notæ exiſtant poterit conſilium enim de medicamento cathartico, dando.

De quo non poſſum præterire quandam dubitationem, ex qua diſcuſſa conſtabit etiam, quomodo medicamentum præbendum ſit. In morbo ſimplicis, & ſalubris febris, certa coctio expectatur, ibique medicamentum poteſt in id tempus differri, ſed in malignæ febris morbo, qui, quod putredinem eam habeat, quæ periculum minetur, ideo malignus dicendus eſt, non lethalis penitus, quoniam ſpem penitus non adimit, omne ne auxiliũ medicamenti cathartici in tempus id differetur, quod incertum eſt, an futurum ſit? ſtandumque naturæ quam dubitamus? de cuius opera, & vi diffidimus, an efficere coctionem valeat. Cur non potius materiam diminuamus, vt è maligno ſalutis certioris fiat. Et profecto ſi medicamentum certius mortem, quam ſalutem paraturum ſit, id dandum non eſt, ſi ſperetur pro futurum, omnino non eſt prętereundum. An vero profuturum ſit, vt præuideatur & dandum ſit, ijs capitibus res definienda eſt.

Si totum corpus præſertim in ambitu repletum craſſis humoribus ſit, iecoriſque viæ non ſatis liberæ certum periculum à medicamento valentiori eſt metuendum, potius etiam clyſteribus, quam vomitu vtendum ſi Galeno credimus in primo de tuenda valetudine, ne materia ad medium corpus, & viſcera, ac loca vita neceſſaria adducatur; quæ ſi pauca eſſet, nec ita craſſa, ea neque obſtructionem tam certam afferret, & coctionẽ in medio corpore faciliorem eſſet habitura, quæ eminentibus tamen partibus melius relinquetur adhuc, quam ad nobiliorem attrahatur, & longè magis hoc eſt fugiendum, ſi iecur, & via portarum ſint obſtructæ, neque enim venis occluſis e corpore euocari ea poſſet, neque ſine extremo periculo intra illas vias ſubſiſteret, ſic frictionibus lenibus, & longis manibus vnctis ex oleo amygdalarum, & nitro materia extenuanda, digerendaque, & potionibus idem facientibus vtendum. Sed cum eſt in toto corpore, quam omnino in maligna putredine copiam inſignem habere eſt neceſſe, & principem aliquam partem maximè cor, & pulmones, aut occupet, aut facile occupatura ſit, tunc certum mortis periculum tutius eſt euitare cum periculo, quo ſpatium morbo auctis obſtructionibus iecoris paretur, quam malum obſtructionum vitantes ægrum mori ſinere. Cui etiam obſtructionum periculo poſſumus occurrere præbibitis extenuantibus & incidentibus vel eadem die, & delectu præterea medicamenti leuioris repetita eius exhibitione potius, quam valentiori ſemel vtentes, ſic in hoc morbo, ſimul ac leue indicium coctionis apparuerit, aliquid ex Rhabarbaro, Diacatholicone, & Manna, ac ſyrupo roſaceo exhibebimus, deinde reſumptis parantibus materiam iterum medicamentum ſubijciemus pro neceſſitate illud deligentes, ſed hæc ſuo tempore erunt determinanda.

De melancholia cum cordis tremore pro Nobili Rambalda Vigia, cum Fumanellio, & Turcheto.

CONSVLTATIO DXCII.

NE meo loco deſim, ego quoque ſententiam dicam de re, quam vos pro certa habetis, quamquam minimè eſtis in quaque eius parte conſentiẽtes. Vbi primum ego vellem definita, & certa habere ea, quibus tanquam palam poſitis ad intelligẽtiam abditorum duci debemus, pronunciatur hæc nobiliſſima iuuenis melancholica, quid ergo in ea ſit hoc, vellem prius determinare, dicitur cũ eo palpitatione cordis laborare. Quid etiam palpitatio hæc ſit, vellem prius mihi patere, & certum eſſe, ex

incertis

incertis namque, & minimè constantibus nihil certo differere poteſt, aut inueniri, in vniuerſum melancholia non tam humorem, quam læſionem functionis rectricum, ſeu cognoſcentium facultatum cum morbo ſubſtante vobis ſignificat, vt Medici multi affirmāt, re tamen ipſa ego in hac nobiliſſima iuuene animaduerto, quòd quamquam etiam rectè cognoſcat, & nihil penitus fallatur aut in iudicando, aut in viſis ipſis, non poteſt tamen non mæreri, ac metuere, certa penitus ſæpiſſimè, quod nihil cauſæ ſubeſt, & cognoſcit hoc ſuum mœreri, & timere à morbo eſſe, quod pariter de iracundia dici debet, nam in eam quoque procliuior eſt, ipſa enim iraſci ſe ſcit ſine cauſa, & vehementer tamen ira agitatur, quapropter eo tempore, cum ſic habet cerebrum nihil affici eſt certiſſimum. Dico eo tempore, quoniã increſcente interdum malo etiam mente fallitur, fortè tunc etiam cerebro ipſo affecto, nedum functionibus cordis, atque cerebri ſic ſe inuicem cogẽtibus. Nam iratus iudex aliter iudicare cogitur, ac ſedatus faceret, functione cordis afficiente eam, quæ cerebri eſt. Hic nos non ſolum perturbationem animi habemus, qua increſcente interdum iudiciũ peruertatur, ſed cor ipſum affectum morbo, vt ex continua ipſa perturbationẽ animi patet. Propterea facile vt functio functionem, ſic corpus cordis corpus cerebri poteſt afficere, ita cerebrum quoque, ſi non proprio, ſaltem alieno affectu quandoque premeretur, & perperam fungetur ſuo munere, ita ſi quid vitij in eius munere eſt, id non ad ingenium, aut habitum moremque perſonæ, vt in multis neceſſe eſt, quoniam hęc temporibus quietioribus optimè iudicat etiam in medio metu, minus ad morbum proprium cerebri referendum eſt, quoniam ab errore liberum eſt, & cum in eum incidit, ab eo facile ſubtrahitur, etiam morbo in inferioribus manente. Itaque non humore ipſo ſuſcepto afficitur cerebrum, quoniam ille ex cerebri corpore nõ facile diſcuteretur, præſertim ſubiectis partibus nunquam carentibus materia, quam ſubmittant, affici ergo potius debet per id, quod tranſeundo afficiat, in motuque ſit, non etiam inſiſtat, aut quieſcat, id vero nõ niſi ſpiritu fuerit, quando nõ ita purus à corde ſubminiſtratur, quin ſub mutatione à vi cerebri facienda aliquid impuritatis, & vitioſitatis retineat. Alioquin tam firmum cerebrum eſt, vt niſi valdè impurus ſpiritus ſuppeditetur, eius impuritatẽ immutando elidat. quare non niſi increſcente valde cordis affectu cerebrum affici cognoſcitur, via vero, quæ non ad membranas continentes, ſed ad corporis eius ventriculos intus eſt. Et quoniam medici factos tantummodo morbos curant, futurorum autẽ, aut eorum, qui fiunt, tantum cauſas ſua curatione petunt. Ideo reſtat mihi, vt cor ipſum conſiderem, quod perpetuo affectum dictis notis intelligitur. Quod vero non ob id, quod perpetuo laboret, habẽdum neceſſario, & tamquam ſe ipſo laborans, quoniam affici etiã aliunde poſſet perpetuo, ſi quæ pars ei cognata continuaret actionem ſuam afficiendi, præſertim cum cor difficillime affectus retineat, certè ſine totius corporis læſione maxima non poteſt. Nam eſto frigida, & ſicca ſit affectio hæc, vnde mæror, quoniam aliter eſſe non poteſt, quia non totius corporis maciẽ oſtenderet? præſertim cum cor vt Tyrhannus ad ſe alendum meliores ſemper ſuccos attrahat, & valentiſſime ſeſe tueatur, vt credamus partem non proprio, ſed alieno morbo laborare, ſat eſt, ſi continuus affectus non eſt, vt continuè laboret, proprio tamen morbo laboret, non neceſſe eſt, & potiſſimum de corde cogitantibus id vſu venit, quæ illius vis & præſtantia eſt, atque cum totum corpus neque calore, neque frigore minus ariditate, aut humore affectum eſt, cor alieno affectu in

A longis vitijs laborare credendum eſt, in longis malis inquam, quoniam in acutis quidem poteſt cor ad necem vſque conſumi (quamquam rariſſimè) corpore reliquo pleniorem habitum retinente, cum tãtum ſpatij non fuerit, quo corpore demi cato potuerit, rari porro ſunt acuti morbi qui interficiant ſine decubitu materiæ in aliquam partem vitæ ſeu cordi neceſſariam. Naturam huius affectus videamus, deinde parti propriè attribuemus. Duplex affectus in corde extat, prior ad animi perturbationem alter ad motionem cordis pertinet, ad perturbationem referuntur mętor, & formidatio, & iracundia, ad motum vero ipſa dicta palpitatio. Mœror, & formidatio ſimpliciter frigiorem ſpiritum habent, & etiam ſicciorem, quoniam vigilijs quoque
B illæ perturbationes ſæpè coniunguntur, cum validius cor exercent, iura autem calidiorem pariter, ac ſicciorem, illæ melancholicum hæc bilioſum humorem, ſeu habitum ex eo genere humoris expreſſum; nam & à corde accipi habitum ſtatutum eſt, & ſemper halitus eius humoris naturam refert, à quo expreſſus eſt, Et quoniam duæ hæ perturbationes ſimul eſſe non queunt, ordine aliquo fieri eſt neceſſe, ex cuius ordinis ratione non parum luminis huic cognitioni accedet. Cum malum hoc acceſſionem facit ab ira exorditur, quæ poſtquam diu vexarit degenerat in timorem, & triſtitiam, vt liceat intelligere bilem, vnde ira fit, melancholicum humorem relinquere, vnde metus, & triſtitia naſcuntur, quod ſanè fit non niſi à calore bilioſum humorem conficiẽ
C te exurenteque; locus modo, in quo calor mutationẽ hanc efficiat, nõ videtur poſſe eſſe ipſum cor, in quo ſi tantum caloris ferueret, profecto ſine febre illa torrefactio non fieret, nulla ergo manifeſta febre animaduerſa relinquitur, vt opus hoc caloris in alia parte, quam corde fiat, à qua tamen ſubinde in cor halitus, vt fiunt, ſic modo bilioſi, modo melancholici ſubeant, iecur eſſe partem dictam prohibet, quòd neque in eo tanta exuſtio fieri poſſet ſine febre aliqua, aut noxa nutritionis inſigni, quæ nulla eſt, & quod de iecore iudicium ſit, idem de venis principibus eſt faciendum. Quæ modo venæ minus principes ſunt, à quibus hanc exuſtionem continentibus facile halitus in cor veniant? Vir Excellentiſſimus
D melancholiæ tripartita diuiſione à locis nimirum ipſis ſic ratiocinatus eſt. A cerebro non eſſe ſua indicia faciunt, ab hypochondrijs quoque non eſſe itẽ ſua, ergo à toto corpore venire neceſſe eſt. Et quando notas hypochondriorum affectorum narrat, ſumit, quæ Gal. ex Dioclet. 3. de locis affect. cap. refert. hypochondriorum grauitatem, feruorem, tenſionẽ, flatum, ructus acetoſos, Vomitum etiam acetoſum, & ſaliuæ copiam aquoſæ. Qui ſane primum in concluſione errat, cũ non poſſit melancholicus humor à toto eſſe, quin etiam caput ſeipſum affectum ſit, & vt dicunt per eſſentiam, Vnde Galenus duo genera melancholici affectus primum facit, alterum à capite, ab hypochondrijs reliquũ, quòd à capite eſt, deducit in eam ſpeciem, quæ in ſolo capite humorẽ
E habet, & in eam, quæ præterea etiam in toto, videte in fine libri Secundi de ſympto. cauſis: & in tertio de locis affect. cap. 7. Equidem ſum cum illo, quod in capite humor non eſt, niſi tranſitu quodam, dum ipſe vel vapor ſolum ab internis caput petit, quare in toto eſſe conſentire non poſſum; Ac cum certum ſit os ventriculi ſub nomine, & ſenſu cordis ſæpe peruelli, atque cruciari compreſſione, ab eoque irã ſæpiſſimè, & mętorem venire, vicinum quoque ei focum eſſe hunc exiſtimo, nimirum in hypochondrijs.

At notæ illæ deſunt, dico primum, quod Galenus quoque quaſi reprehendat Dioclẽ ait eas notas eſſe aſſidentes, quæ ſolent morbos iam factos, & magnitu-

magnitudinem suam assequutos sequi pathogmonicas vero fuisse ab Diocle prætermissas, forsan qđ essent satis publicæ, puta tristitiam, & metum, quæ incipienti etiam morbo adsunt, vt forsan is morbus incœperit quidem, sed magnitudinem suam nondū sit consequutus, ad quam postea assidentia symptomata accedunt, quamquam nō omnia, sed ad vnius vnum, ad alterius magnitudinem aliud superuenerit, ita neque in progressionibus hypochondriacæ melancholiæ omnes illæ notæ requiri debent. Dico deinde, quod Galenus locis citatis ponit alteram tātum hypochondriotum causa factam melancholiā. Nam reliquam refert in 6. de locis affectis, cap. 1. à liene proficiscentem, cuius nullam præterea notam esse cognoscitur præter ipsum lienis affectum cum ἀθυμια, & διαδιμυα melancholica.

Atque adeo cum nos sentiamus locum lienis pleniotē, quam conuenit, est enim longe plenior quam dextro in latere, qui contra solet esse vacuus magis, quam iecoris sedes sit, cum ipsa sentiat cruciatum illum in sinistro hypochondrico, nos multa, & recta ratione conficere possumus, & melancholia hæc, tristitia, & animi abiectio διαδυμια si & ἀθυμια cum timore à liene sint reiecto humore in ventriculi os, & non semper per vomitum exeunte, qui tamen bis visus est per vomitum valde ater exijsse, Iecur concalfactum bile tentet ventriculi os, vnde iracundior mulier fiat, adeo vt modum penitus excedat perturbationis, tempore autem humor exustus refrigescat, is à liene absorptus, & inde in os ventriculi reiectus hanc certè ægrotationem corporis, & has ægritudines animi pariat. Neque à ratione, neque ab authoritatibus alienum est sentire hominem iracundum fieri ventriculi causa sicuti neque sentire eiusdē ventriculi causa fieri melācholicum, ore ventriculi cum corde coniunctissimo, fac vero sit tātum melancholicus humor vtriusque generis perturbationis causa, hoc est, iræ, & tristitiæ, hoc item cum maximo auctore Aristotele, & cum ratione naturæ consentiet. Humore melancholico contrarias penitus species subente facile, vt qui calfactus bilem, refrigeratus vero melancholiam præseferat, & potest modo furorem, modo metum concitare. Huius iram humoris causas inspectemus, Ventriculi frigidioris notas habemus, cuius refrigerationis etiam causæ multæ à suis relatæ sunt, & maxime ab animi illis ægritudinibus, quæ potuerunt ipsum valde labefactare. Iecoris temperamentum calidius esse compertum est, & à vobis ostensum ex colore corporis, & venarum magnitudine, quæ ipsæ quoque illius temperamentum sequuntur, ei similes semper genere, quo calore facile succum ante attrahant, quam bene à ventriculo præsertim frigidiori concoquatur, vt crudior, & crassior suscipiatur, calore vero venarum etiam glutinosior fiat, neque à cruditate vindicetur, totus cū multoties in vrinis resideat multus crudus humor, qui crassus, & albus est, vrinæ vero etiam valdè liquidæ, & crudæ sæpè sunt. Vnde & ventriculi cruditas, & venarum auiditas in anteuertenda attractione intelligitur, Attractus humor sua crassitudine sibi officit obstruendo, exinde incalescit, & impeditus torresit, & exsiccatus, & tenuioribus partibus inflauā bilem, fumumque biliosum digestis, terrestrem partem retinet, & melancholicus fit. Ab eo vero elati halitus in os ventriculi, vel etiam humor à liene repleto per suum frigus, & aritudinem, quæ à sensu aliena sunt, vt vitæ contraria, maximè ipsum torquent, & vna simul cor cruciant, vti fumi biliosi irā mouent. Cum quibus partibus caput quoque naturæ coniugatione afficitur. Nam præter eam, quæ est naturæ conspiratio, sunt etiam ligamenta, & viæ commeatuum communes, nō dixerim œsophagum, seu gulam per suum canale, & cauitatem, quæ faciliorem egressum habet per os, quam aditum in cerebrum, sed per membranas, & longè magis per neruos, & venas, atque arterias, quando membrana interna gulæ cum cerebri membranis eadem est, nerui vero magni à cerebro ad os ventriculi pertingūt, per quos saltem affectionis vis, si non humor, percurrit, viæ autem venarum, & arteriarum notissimæ sunt, cor modo non solum membranis, quibus colligatur septo, & gulæ, sed vicinitate ori ventriculi cōiunctissimum afficitur, repositum enim est cordis corpus supra gulæ ipsius initio, & ore ventriculi, illisque penitus abstrictū continetur vno septo transuerso intercedente, neque quidquam mali esse potest in ore ventriculi, quin cordi communicetur, maxime vero si halitus faciat malum, & dolorem, hoc est asperam motionem à sensu alienam, qualis ab dicto vitioso succu existit, sic & mestitiam, & metum à frigore humoris communicato habere cor potest, os autem ventriculi dolorem, & cum vehementiora sunt, etiam cerebrum accipit noxam suarum functionum tum functionibus conspirantibus cum cordis muneribus, tum cerebro etiam à corde affectum excipiente. Referebat ex Diocle Galenus 3. de locis affectis vomitum illum, & citam deiectionem ad hunc morbum sequi, quoniam occupatæ erunt viæ, quibus à ventriculo in iecur succus perducitur, vnde necessario aut euomatur, aut infra delapsus eijciatur, quem locum si attentè legamus non est sine aliqua difficultate, quoniam vijs à ventriculo in iecur præpediris, succoque inferius delapso innumerabiles sunt portæ in intestinis, quæ in vnam communē pertinent ad iecur ferentem, per quas allici humor potest, quod si nomine viarum, seu venarum à ventriculo in iecur succum importantium venas omnes medij intestini intelligat, tunc non succus ille ventriculi, sed longà diuersus cerneretur, nimirum quæ in intestinis à venis tanquam lotura carnium recens mactatarum esset, neque enim venæ intestinorum tota sua longitudine possunt impeditæ esse quin succus per oscula vsque ad aliquam partem adducatur venarum, à quibus mutationem illam accipiant. venæ namque ipsæ habent omnes à corde, dicat alius à iecore, vim mutandi succum illum in sanguinem, sic illa melancholia hypochondriaca ad magnitudinem perducta, fluxum alui hepaticum haberemus, & è contra in omni fluxu eiusmodi viderentur notæ eius melancholiæ, Vt cogamur potius in ventriculi venis malum hoc deponere, in quo si vomitus sit iam dictus, pilorum quoque nimis sit angustum, & tumens factum vt ex Diocle referebat Galenus, si deiectiones, alui nimis citæ, illuc in materiæ corruptæ causam reijciemus, quæ ab intestinis excepta, ab illisque non tollerata ob accidam illius vim extra expellant. Sic morbum videmus, & mœroris, ac timoris causam explicatam. Nomina ijs iam licet accomodemus, nempè Melancholiæ, dicente Hippocrate & consentiente Galeno, quod vbi metus, & mæstitia longius trahunt, illud melancholicum est, nimirum & morbus, & causæ proximæ, & symptomata melancholica dicenda, maximè cum præter metum, & mæstitiam etiam imagines, aut cogitationes, aut æstimationes eiusmodi euadunt, quę metum, mœroremque incutiant, aut sustentent, vicissim enim possunt moueri à metu metuendæ imagines, & metus certe, semperque à metuendis imaginibus, cogitationibusque, eo præcipuè adiuncto, si cum assensione ipsa apprehendantur, nimirum ὑπολείφει, alioquin, vt dicebat Aristo. neque visa Phantasiæ, neque cogitatio quidquā, moueret magis, quam moueant imagines ad memoriam in anima fictæ, addito tandem, vt vis ὀρεκτικὴ appetendi, & fugiendi moueatur. Atque, cum Melancholicum esse dictum sit hoc, videndum, ne tanquam factum ab

ab atra bile, seu Melancholia proprie dicta accipiamus, potius namque Hippocr. & Galenus maniacum dixissent, accipiamus vero tanquam factum ab humore melancholico, vt hæc melancholia à melancholico dicta sit humore, quemadmodũ humor ipse melancholicus à melancholia sic appellato humore nomen accepit. Maleque fecisse non ignoremus eos, qui Ciceronem sequuti 3. quæst. Tuscula. græcorum linguæ copiam irridentem & malè eorum voces capientem vertunt cum eo μανίαν insaniam, Melancholiam vero furorem, cum contra omnino faciendum sit, & melancholia insania dicenda, cum qua homo e potestate mentis penitus non exit, & potest etiam mediocritatem officiorum tueri, & communis vitæ vsum sustinere, μανίαν autem furor, quo homo penitus e potestate exit, nec potest vllo modo officiorum munera retinere, vsumve communis vitę sustentare, sic attentè legendus Galenus latinus est, ne capiamur. Mania nanque ab humore fit, quæ melancholia verè est, quanquam sine febre fit, vt etiam insania, quæ melancholia dicta est, non à melancholia, sed a melancholico humore facta, quæ nominum explanatio, cum ad intelligentiam rerum, & ad remouendos errores noscendarum rerum pertineat, non fuit aspernenda, in ijs vitiosa est, in quibus satis cõperta à nominibus nihil habere possunt ambiguitatis, sic aperta natura omnis huius affectus est, quod ad melãcholicum symptoma attinet, quod in affectum cordis consensione factum cum ventriculi ore, quem cordis affectum ipse quoque cordis tremor confirmat, Tremor ille ergo cordis restat, seu saltus, seu palpitatio, à quo casu si indaganda mali natura sit, primum ipse certo constituendus est, ipsa egrota palpitationis nomine appellat motum quendam magnitudinis, & celeritatis inusitatæ sub quintam costam sinistri lateris, quam dilatationem, & constrictionem cordis existimat, & certè ille locus habet id cordis latus costis illis aduersum, in quo sinus maior est, & dexter est, qui, dum in contractione cordis vna cum reliquo eius corpore ab breuitatem retrahitur in latitudinem intumescit latus. i. illud in costas medium impellit. Et profectò sine vlla dubitatione hoc statuere debemus sensu ipso in viuo corde id vidente, quod ictus ille inter duas costas à constrictione cordis fit qua cor cuspide retrahenda in se ad breuitatem reductum fit rotundius, & in latera amplius. quæ res Excellentissimi viri maximum lumen rei à vobis quæsitæ, & disputatæ affert; Nam dum inimicum halitum valenter exprimit, illum vehementem ictum edit.

Nam palpitatio itaque non videtur satis declarata antiquis auctoribus in corde, vt illa quæ in alijs partibus fit. Recentiorum autem nonnulli adeo in tenebris agitantur, vt putent motum quemque cordis insolentiorem sub ardentioribus febribus, & vẽtriculi oris morsu factum, & quandam speciem similem palpitationi habentem verè palpitationem cordis vocari, & quod peius est, ad huius naturam volunt omnem cordis palpitationem metiri, & eiusdem generis facere, à caloreq; nimio esse, esto enim illa esset singularis quædam palpitationis differentia, non tamen hoc proprium iam in commune patere debet, & omnes alias differentias amplecti, & quod pars est, iam genus generis fieri, dicunt non omnem palpitationem à calore vehementi fieri, cũ possimus bona ratione rectissimoque iudicio affirmare, nullam palpitationem à calore ipso fieri posse, nullamque esse quæ non frigore existat, Etenim, si naturam palpitationis consideremus, illa requirit flatum, à quo vno eiusmodi motus citus esse potest, & quiuis alius, vt etiam generationis suæ, & discussionis subitæ, flatum vero suapte vi calor maior non efficit, Ac quando nos palpitationes cordis rarissimas cordis culpa factas, ab ore autem vẽtriculi obseruauimus quam plurimas, certè ab halitu fieri videntur, qui maiorem forte calorem requirat, aliqua in parte, quo humor, vnde excitatur, exuri queat, at absolutè calore potius ipse consumeretur, nec faceret palpitationem. Proponit etiam Galenus certam palpitationis cordis differentiam, in qua cordis ipsa capsula dicta humore frigido completa est. Et certe posito cordis eo, quem dixi, motu, & ab ore ventriculi halitu melancholico vitæ admodum alieno, qui propter cognationem, & coniunctionẽ maximam cordis cum ore ventriculi facile in cor potest impetum habere, & illi infestus eius compressionem concitare, nihil deest ad palpitationis huius descriptionem, informationemque perficiendam. Corde, quo plus valuerit vehementiorem, & celeriorem compressionem, hoc est ictum maiorem moliente, qua compressione inimicus halitus elidatur, cuius rei signum obseruaui illud, quod post eiusmodi cordis conatum pulmonum angustiam aliquam sentiunt ipsi laborantes. Equidem vidi quasdam palpitationes cordis, in quibus arteria quoque vna motum suum cõcitatiorem haberet, vidi tamen aliquam, & illam quidem diuturni temporis, in qua ad vehementiorem illum ictum à corde inter multos mediocres factũ arteria compressa illius vnius ictus spatio maneret, & ictum vnum interea prætermitteret, scilicet vehementissima cordis constrictione vi sua omnes arterias contrahente; & ea palpitatio à vẽtriculo, & hypochondrijs erat, quæ eructatione leuabatur, & cibo ad intestina delapso raro nõ quiescebat, ac, nisi multa materia cruda in ventriculo confidente, ieiuno homine sentiebatur, cũ eo quod, sicuti dixi, leuem anhelitus angustiam homo post saltum illum sentiebat, ordinem autem hunc diu seruauit, vt quoque mense decem totis diebus hominẽ tentaret, horis præsertim dictis, reliquis 20. diebus hominem penitus liberum dimittebat, post decem annos cum plus se homo exerceret eum illo ordine non amplius tentabat, sed tamen aliquando sine ordine, & breuissime. Et profectò non video, quo pactò cor seipsum queat sibi tantum mali fabricari, aut in se causam eius sine totius corporis labe pati; is enim, quem dixi, multis annis ea exercebatur, & tamen corporis habitu satis nutrito, & bono colore erat. Quod in hac nobilissima iuuene etiam videmus, cuius propterea palpitationem ab hypochondrijs cor petere sit verisimile, & tanquam certum, cum videamus cum bono corporis habitu, & colore palpitationem hãc esse, ex hypochondriaco morbo eam teneri, à quo palpitatio tam facile oriatur. Quibus sic constitutis conijcio quidem ego cor laborare ex mæstitia, ex metu, ex ira, & id à vaporibus, vnde hæ perturbationes mouentur partim refrigerantibus, partim calefacientibus, exsiccantibus vero cunctis, & aliquid omnino inde noxæ siccitatis iam accepisse, sed exiguum illud, cuius nota mihi videor sentire in pulsu aliquanto minore, & duriore, quam in mulieribus esse consueuerit, crebrior etiam est, sed hoc naturæ potius, quàm morbi esse confido, quoniam cor suapte vi calidius habeat. Ventriculum autem frigidiorem longè factum esse, quam antea esset, elicio ex vrinis partim liquidis, & albis, partim crassitudinem albam demittentibus in imũ fundum, iecur præterea calidius, & siccius euasisse, non tam ab humore tractato à natura, quam feruore illius ex obstructionibus concitato, & cum iecinore venæ quoque, præcipue, quæ inter ventriculum, & iecur sunt, erunt ficciores factæ, quarum ariditudo multum momenti affert humori melancholico gignendo, quam ariditatem, & colorem cum renibus quoque communicatam fuisse vrinæ illæ tam multum materiæ sæpe efferentes ostendunt, quam

materiam

materiã renes suo calore squalidiori attrahente valentius accipere est necesse. Quibus perspectis, & cognitis, vedẽdum restaret ad perfectam de re hac explicationem, quid in futurum metuendum sit, & an quid impendeat maioris mali. Certè viri Excellentissimi sub continua tristitia, & metu non potest cor non confici & calorem quoque à natura alienum contrahere, ne dum siccitatem, ac purgationes menstruas inhibendo corpus multo humore replere melancholico, à quibus multa genera sint euentura incommodorũ, præter ipsum melancholiæ hypochondriacæ incrementum, vnde & Tympanitis hydrops ob flatum, & cæliacus affectus ob ventriculi malum nasci possit. Iam de prouisione loquẽdum, quæ quoniam auxiliando naturæ innititur, ob id de statu naturæ explicatio fuit necessaria, quomodo habeat se quantum præter sui rationem, vt cui subueniẽdum, & quibus, ac quantis, & quomodo, tum quibus locis, & temporibus innotescat. Quæ nanque deprauata sunt, illa consilium petunt, & docent quid agendum sit, hic dyscrasia perpetuo frigida ex perpetuo timore ostensa, petit calfactionem, illa vero, quæ mittendum ex ira patefit, calida, quoniam ex obstructibus est, citoque ipsa dissoluitur, Medici opem non eflagitat, nisi vt obstructiones tollat, vtrumque vero satis habebit à Medico, si Medicus materiam melancholicam subtrahet, & ne vlterius fiat, procuret sanguinem, & viscera temperãdo contrarijs, nimirum humidis, & calore intra angustos fines se continente præditis. Quæ multa ordinem postulant, & pręcedere aliquem apparatum volunt, nam antequam tractetur melancholicus humor, locus ve, in quo est obstruendo exagitetur, ne exagitatione commotus attrahat sanguinem, neue sanguis vias occupans auxiliorum aduentum remoretur, ratio prouisionis postulat, vt sanguinis aliquid dematur, & missione eius facta per incisam venam. At quid habes tu, quod moueat te in melancholico humore, vt sanguinem imminuas? statuisti iam à toto non esse melancholiam hanc, Galenus etiam præcepit, in quartana febre, nisi sanguis melancholicus in venis omnibus abundet, minimè sanguinem esse mittendum; scilicet nisi corpus eiusmodi sit, & nisi signa generationis eius in causis suis præcesserint, atque nisi vena secta ater exeat, illum esse supprimendum. Iam dixi, quid indicat mihi sanguinis missionem, metus nimirum incommodi maioris à sanguine impendentis, si aggrediamur curationem, semper enim sanguinis mittendi communis ea indicatio est, quam metus ipsius futuri magni incommodi facit. Et nulla alia in magno vllo morbo apparet, magnus enim cum primũ morbus est, viribus manentibus semper sanguis hũc metum facit, cum, quantuscunque sit intra modum etiã naturæ manens, semper corpore sub morbi vi agitato, & natura occupata impensius incommodũ queat augere, quod non solum sui causa morbi magnitudo, sed magnitudine quoque remediorum à se requisitorum facit, quibus, vt supradixi, cum corporis ipse affectus locus tractãdus est, à sanguine aliquod periculum timendum est; itaque magnitudo morbi non solum, quod magnum remedium sit sanguinis missio, sed quod sanguis periculum augeat, indicat sanguinis missionem, sanguinem ergo mitterem, qui si integer fuerit, & minimè ater, quoniam ipse metum minuit, solum detraherem, ad.5. vncias auertendi causa, sin ater, & corruptus, ad eum copiæ modũ, quo Medico placuerit, & viribus sustinentibus vsque ad eius mutationem. Etenim sanguinis integri nequaquam tantus ille modus demendus est, ne, qui in loco magis affecto malus inhæret, magis posset nocere à moderatione eius absolutus. A brachio autem sinistro e regione affecti loci mitterem, vena communi dicta secta, quo citius tum caput, tum affectus

A primo locus leuaretur. Quo vero etiam purgationes menstruæ nimis parcæ ad iustum modum cierentur, suo tempore ad talum dextri pedis iterum exiguum quid sanguinis detraherem, interim vero dempto primum semel sanguine, humorem melancholicum ad egressum pararem. Sed dicat quis, cur non potius sanguinẽ per hæmorrhoidas educis, quæ proximę loco affecto sunt, & per eas facile inimicus sanguis detrahitur? Dico, quod cũ eo, quod vicina pars affecto loco in incipienda curatione, si sanguinem e toto corpore per eam demamus, tuta non est, quoniam ad locum affectũ vicinum sanguinis impetus incitaretur, verer etiam, ne, qui per vterum motus sanguinis à natura est, quique iam lente nimis fit, sic penitus auerteretur, diuersæ namque nimis venæ hæ B ab venis vteri sunt. Sed reliquam iam curationem à medicamentis petendam persequamur. Ante venæ primam sectionem ventriculo, & intestinis, vt verisile est, sub hoc affectu crudis humoribus obductis, non prætermitterem solitam ventris resolutionem medicina aliqua faciendam, & ea quidem molli, quo etiam suo contactu vias ipsas posset resoluere, ita pilulas non darem, at potiones omnes vomit, in bolum componerem, Ellectuari lenitiui.ʒ. 10. specierum Hieræ. s. ʒ. 2. Quod si ijs diebus ali quid apparatus in humoribus præcesserit ego iam bolum conficerem ex ellectuarij diacatholicon ʒ.6. ellect. Indi, specierum Hieræ ʒ. 2. Post hoc, sanguinis subtractionem, pararem humores potionibus dilutis, quo, C vt dixi, non sola vi secunda, vt dixi, aut tertia sed prima eos emollirẽ, & citum transitum potionibus facerem, essent vero primum ex syrupo de pomis. f. de succo boraginis, seu buglossæ, de corticibus citri, & acetoso, vel oxymelle, quæ diluerem aqua vel fumariæ, buglossæ, in qua decocta essent Borrago, buglossum, Capillum Veneris. Mellissa, asplenium, Fumariaque ipsa . . . . . . Medicamento horum vsui subiecto, deinde valentiores potiones adiungerem ex syrupo de pomis comparato, qui à Mesue datur capitis dolori, vel illo D. Augustini, & tandem illo, qui describitur à Fipindemontio ad febres quartanas. Vel syrupis dictis mirachialibus, quibus rectè paratis maximè confiderem. Medicamentum prioribus potionibus subiũgendum es- D set eiusmodi ℞. ellectuarij lenitiui ʒ.5. confect. hamech ʒ.3. ellectuarij Indi ℥.s. m. & cũ saccharo f.b. Ac si potioni locus esse speraretur, Reciperem fol. senæ electæ ʒ.3. rad. polypodij passularum enucleatarum an.℥.s. epithymi ʒ.1.s. thymi, anisorum, liquiritiæ rasæ an.ʒ.1. prunorum num. 3. cetrach p.1. facerem decoctionem in aqua cap. Veneris, & cardui Benedicti paribus partib. f.a.... quæ colantur cũ expressione, & ℞. diacatholicon ʒ.7. conf. hamech ellectuarij Indi an. ʒ.2. mannæ electæ ℥.1. s. mellis rosf. solut. ℥.m. & f. p. Quod medicamentum si foret iterum sumendm post validiorum potionũ vsum, adijceretur veratrum nigrum cum mastiche, ex f. citri, vt ℞. veratri nigri ʒ.1. mastiches ℈. 4. seminum citri ʒ. 2. Sed spem certiorem ponerem in supradictis E multoties repetendis, quos etiam cum sero lactis pararem, Imo, quoniam morbus spatium recipit, adueniente vere serum in modo darem; vt Græci faciunt, & non caprinum, vt in vsu est, sed bouillum deligerem, equinum isti proponunt sed bouillo ego non præferrem, quod darem immixtis syrupis suprapositis. Viscera vero identidem vna, & venæ sunt attemperandæ, roburque illis conciliandum, & humores vna meliores reddendi cum bolis inter potionem interponendis, & cum illis etiam dandis Mithridato, Theriaca, plirisarcotico, Ellectuario Regum, cum conseruis ex borraginis, & buglossi floribus, cum syrupo de corticibus citri, cum dianthos, cum pulueribus diamargariton, Diambræ, & similibus,

similibus, sed confectio Alchermæ, mihi visa est, & cognita certè admodum idonea, à qua exigua calfactio expectari potest, & multum auxilij expetiti, quoniam præter cætera habet vim maximè confirmandi oris ventriculi præter cætera alia opera. Exterius quoque sua auxilia molienda cordi, atque ventriculo erunt. Cordi iam ipsa experta est admotam theriacam profuisse, & somnum conciliasse, eius itaque opera continenter vtenda est, qua forte non respõdente non desunt aliæ confectiones opiatæ dictæ. Ventriculo quoque post demptum ex aliqua parte humorem fomenta accommodata, & illitiones imperandæ sunt, de quibus nolo nunc longiorem habere explicationem, somnus quoque sæpe erit eliciendus, quoniam vigilijs identidem premitur, quæ lotiones primum cruribus ex aqua dulci in qua decocta sint papaueris capita, lactucæ, salicis folia, Violæ, Nymphea, Mandragora, & similia, sed Anetho adiecto ad vaporem magis mouendum, quæ post purgationem capiti quoque erunt accommodata demptis validioribus maximè Mandragora, clysteribus quoque cum opiatis factis somnus maximè cõciliatur, qui & necessarius est, & non minus idoneus, sub quo plerique sanescant, sed cautè cum illis agendum est. Philonium Romanum certè tutum est, vt quidquid opiati ei simile paratur. Ac per os syrupus de Papauere cum aqua lactucæ interdum, non sæpè dari posset. Cum æstas fuerit Balnea toti corpori ex aqua dulci accommodata erunt, cuius rei ratio satis nota est. De balneis potandis natura sua medicatis ego non agam nunc, cum tam longè à tempestate eorum distemus, nihilominus dicam illa duci valde valentia ad venas eiusmodi affectu expediendas, maximè si temperatiora fuerint, vt de Patauinis, quæ. S. Petri appellantur, vel quę ijs similia sunt, vt etiam ea, quæ del copo nomen habent. Ac si quis dubitet ne exsiccent, sciet, quod intemperies sicca non ita cito induci potest, quin citius materia obstruens extergatur, sic sine periculo dari posſũt, maximè quod accepto commodo ex viarum illarum apertione, & corpore sano facto, si quid ex breui aquarum earum vsu aritudinis relictum agnoscetur, id longo spatio, & vsu madefacientium, & alibilium emendabitur, & maxime victus ratione, quæ ex vdis rebus, madefacientibusque esse debet, præterquam quòd boni succi, facilis concoctu, & tẽuioris instituenda est, nec sine potione vini tenuis, minique acerbi, quamquam neque dulcis. Quibus seruandis sperarem Iuuenem nobilissimam conualituram. At ne ijs quidem omnibus satis valentibus optatam valetudinem præstare. Tunc demum in crure dextro vlcus excitatem, quo & defectui mensium, & humori melancholico subueniri ex parte posset, Ac tunc hęmorrhoidas quoque mouerem, De motu autem, de frictionibus, de Cæli temperie, deque animi perturbationibus, & alijs multis ego curam, & cogitationem Medico suo permittam. Dixi.

Excellentissimo Hieronimo Rugiero physico alumno Carissimo Chistoph. Guarinoni S. D.

CONSVLTATIO DXLIII.

NOn sine multo animi dolore accepi à te Vir Doctissime de Illustrissima & Excellentissima Marchesia, quod scribis, in quo metuo primum specie accessionum febris notata, ne ipsa continua fiat; quod si eueniat, suspicor, atque pertimesco ob copiã, crassitudinem, & lentorem humorum, qui ex agitatione corporis inusitata ob itinera ad ambitum corporis delata cęli vero mutatione in eodem ambitu adstricti sunt, ne tantopere meatus vniuersi corporis occupent, quòd putredo e simplici in malum genus traducatur, iam detentæ quidem sunt menstruę purgationes trium mensium, minimumque de congesto inde sanguine in conceptu consumitur, vnde in corpus magis plenum febris magis sæuiat. Non tamen sine periculo sanguis minui per incisam venam potest, ne conceptus minimus, & mollissimus ea commotione turbatus corrumpatur, nedum per ipsam sanguinis, & alimenti diminutionem à Galeno in causam inductam 5. aphoris. 31. & 32. Vidi quidem multas vtero gerentes fortissimis medicamentis, & multis venarum incisionibus tractatas, non fecisse tamen abortum, & si Galenus 5. aph. 55. fortia auxilia metuat. Sed agimus de ea, quæ alias leuiori de causa abortiuit.

Præterea, cum iam morbus processerit, & putredo, si salutem spectet in immaturationem conuerti debeat, si in perniciem, quod Iesus auertat, iam in corruptionem, neutrum videtur venæ sectionem, aut sanguinis diminutionem sustinere, ex qua maturatio turbationem, corruptio viribus corporis diminutis vires acciperet. Quid ergo restat, vt nihilominus periculis à sanguine instantibus occurramus? nimirum ne sanguis sub febre cõmotus principes, & vitam continentes adeat malos humores sequutus, quas occupando perniciem posset afferre.

Ad auertendum itaque impetum potius, quam ad sanguinem minuendum respiciens ego cucurbitulas eminentibus partibus affigerem, quo à medijs ad eminentes motus reuocaretur, non cruribus, ne ad conceptum incitaretur, sed brachio vtrique cute incisa binas, quæ nisi satisfecisse viderentur, iterum die intermisso affigerem. Ac nisi aut febris intermiserit, aut certè putredo in tutiorem speciem vergeret, etiam ad vesicatoria ijsdem brachijs prope carpum adhibenda accederem. Cantharidas quidem vitarem, conceptui non minus ac vesicæ suspectas; sed aut flammula Iouis, aut Ranunculo, aut Helenij radice, aut allio ipso vterer, vidi sæpè per cantharidas vrinæ maximum ardorem, & sanguinis minctum, & calculorum etiam, si ceruici, aut humeris, aut ischio applicatæ, vel etiam extremis diutius detẽtæ fuerint, vel in cęrato aliquo minima portione. Per os si veniat, vomitum leniter iuuantia præberem, vt ex oxymelle, & iure tepido, valentiorem vomitum dubitarem materias ab ambitu ad viscera attracturum, sin vomitus non sit, mel rosaceum, seu syrupum rosaceum solutiua propinarẽ, quo materia in vijs communibus ad venas lapsura per aluum depelleretur, non relictis clysteribus identidẽ inijciendis, illis leuioribus. Parandæ materiæ, putredinique in maturationem conuertendæ, & humoribus à putredine sustinendis, causæ etiam putredinis detrahendæ, pararem potiones ex iuribus minimè valentibus, decocto ordeo, acetosa, borragine, buglosso, lupulis, Radice pentaphylli, & graminis. simulque melonum seminibus crudis expressis, quibus potionibus adijcerem aliquid ex syrupo de succo acetosæ, de succo citri, & rosacei. In cibis adhibita ptissana, & vino penitus circumciso.

Quæ scripta à me in confirmationem eorum, quæ à te accepi, vtinam reperiant nostram Dominã conualuisse, quod precor Iesum Opt. Max. & Monachas nostras D. Claræ admonebo, prima luce id faciant. E quibus soror ad me miserat antea inclusam in ijs epistolam, quam obsecro dabis S. E. cui nomine salutem dicas; de sorore vero subiunges ignoscat tantæ simplicitati. Vale. Ver. 18. Cal. Ianuar. 1588.

Tuus Christ. Guarino.

Ex-

Excellentiss. Hieronymo Rugierio Physico amico Carissimo Christoph. Guar.

CONSVLTATIO DXLIIII.

VIx fieri posse crediderim, quin Excell. Dom. senserit capite calorem, subinde & frigus, his nanque hybernis rigorib. si quis excalfiat, necessario refrigeratur. fortè etiam pexa fuerit, & sub agitatione illa caput repletum, calfactumq; postea à frigore adstrictũ destillationẽ in fauces mouit. Caput. n. istud præteritis diebus oneratũ sanguine vidimus ex oculorum, & faciei rubore. Quicquid vero causæ fuerit iam inflãmatio columellæ, seu gurgulionis cernitur, atq; vna ẽt paristhmiorum, seu tonsillarum, quod cũ post febris inclinationẽ fuerit, verendum est, ne difficilius discutiatur corpore præsertim minimè leuato, aut per sanguinis, aut per aliorum humorum detractionem, grauiditate nimirum prohibente, prętere a timerem ẽt, ne inflãmatio reperet ad partes inferiores arteriam. s. & pulmones, quotidie fieri obseruamus, & exemplum habemus in inflammationibus externis, quæ à parte in partem labuntur, & cum in vna quieuerit inflammatio excitatur in altera. Vnde quot videmus angina liberatos interire pulmonia? Hoc itaq; metu proposito causis minantibus id periculi occurrendum est, nimirum sanguini, atq; cũ prohibeatur venæ incisio, vtemur cutis ipsius minuta cõcisione, cucurbitulis admotis ad extractionem ipsius sanguinis, quod in grauida brachijs pręsertim vt partibus vilioribus, & superioribus dẽt fieri, quo facto, ne malum renuetur, hirudines post aures admouendæ sunt, & cucurbitula in ceruice cute concisa, subinde vero non remanẽte mali incremento venæ sub lingua aperiendæ essent, & tandem ẽt brachijs extremis, & scapulis vesicam mouentia medicamẽta affigenda cãtharibus vitatis. Interea gargarismis ex decocta myrto, rosis, passulis, & cum non amplius augebitur inflammatio, ex rad. dulci, sebesten, & tandẽ ẽt ficubus siccis, lacte quoq; cum ijs cõposito, quo dolor, calorq; leniatur, & materia ẽt leniter digeri possit. Clysterum interea vsus necessarius est, altero quoque saltem die, vna vero ẽt frictionum, Quibus auxilijs credo conualituram Dominam Excellentissimã. Solent qñque glandulæ illæ pus concipere, & facile tunc rumpũtur, vt vix adacto digito pus effluat, hoc faciendum erit, deinde melle rosaceo liquori dicto adiecto locus erit diluẽdus, solent relinqui vlcera caua repleriq; mucore putrido, qui adacto stilo, cum linamento in oleo sulphuris intincto facile aufertur, & inde locus sanescit. quod nisi satisfaciat liquore aliquo per fistulam iniecto perficitur incoctis ijs, q̃ detergunt, & adstringũt. Quorũ si inciderit necessitas, non erit prætermittenda eorũ desctiptio. Vale meque ei, & Viro Excellentiss. plurimum commenda.

Excell. Hierony. Rugierio Physico alumno Cariss. Christoph. Guar.

CONSVLTATIO DXLV.

VEreor, ne, si, quæ ori ventriculi apta sunt, Excell. Marchesiæ demus, vomitũ supprimamus, tam ei, quam omnibus grauidis vtilẽ ad bilem, quæ copiosa fit in hac grauiditate, exhauriendam. Quapropter quærentes cibi cupiditatem ei restituere, eã magis aboleamus, & valetudini officiamus. Eapropter ego mallem humorem hunc biliosum lenire, refrigerareve, quam comprimere os ventriculi adstringendo, sic clysteribus adhibitis ad auertendum à vẽtriculo eiusmodi humore iuribus ex rebus refrigerantibus, lenientibusque vterer, vt ex pulli gallinacei carne quæ temperat humores, & delinit, ex violis, endiuia, ordeo, borragine, & similibus, Humori quoq; è ventriculo deturbando, & ventriculo moderatè corrigendo non admodũ confringendo satis valeret confectio illa ex malis dulcibus citonijs quę describitur à Gal. 6. de tuenda valetudine cap. vlt. nos ipsam sine aromatibus conficeremus & solum succi malorum communium dulcium, & cytoniorum caperemus librã singulam, similiter mellis, & facchari tantundem, & aceti, sic decoquendo recte conficeremus, si placet etiam diarrhodon Abbatis, & diatrionsandal. dari posset. Medicamentum detrahens bilem ego nõ audeo proponere tẽpestate frigidissima, & muliere grauida, nondũ tertio mense ꝑterito.

De inflatione tonsillarum cum tussi, & febre pro Illustri Equite Peregrino.

CONSVLTATIO DXLVI.

REs quidem valde perplexa, & multiplex mihi videtur, tua tamen Excellentia ipsam distincte adeo explicauit, vt non possim non tuis vestigijs insistere, dum de eadem re debeo deliberare. Certum illud est, quod oculis cernimus, nimirum est tumor in signis tonsillæ dextræ, & vndique faucium omnium rubor cum sputis cruẽtis, cum raucedine, & ἰσχνοφωνία vocis. s. summa tenuitate, obscuritateq;, ita inflãmationem faucium per hæc certo intelligimus, eamque iam inclinatam cum dolor tenuatus iam sit, sic ego de hoc tumore non valde sum sollicitus, cum ex eiusmodi morbo in tonsillis compresso, si fuerit simplex, nũquam quemquã viderim interijsse, solicitor ego tussi, angustiaq; cum sonitu ipsius spiritus; perturbor ijs, quæ eijciũtur per tussim, longè magis pulsu, atq; non parum ipsis vrinis, quamquam certè vel in solis tonsillarum inflammationibus ego paruũ, & crebrum pulsum ferè sentiam. Vox læsa esse põt faucibus solis affectis, nam sola columella, seu gargareona, seu gurgulione male habente illam sæpè affectã vidimus. Ac tussis hæc satis altè ducitur, & non videtur nõ ad asperam arteriam pertinere, vt persuadet ille dolor tota longitudine ossis thoracis & spiritus quoq; ea angustia, Angustiam inquam dictã vulgo, quam in morbis thoracis variam obseruaui, saltẽ vero eas quas dicam differẽtias notaui, quædam est, in qua maximè dilatari cogitur thorax, quo satis aẽris adducatur, ex quo colligere soleo cauitatem thoracis, ad distentiones pulmonis accipiendas destinatã non satis patere, angustioremque factam esse, quod aliquo humore fit ipsammet cauitatem thoracis occupante, vnde pulmones, & branchia, quæ primum sunt spiritus instrumentum, non satis distendi valeãt spiritui recipiendo, nisi maximè thorax distendatur, & quod repletione cauitati detrahitur, magnitudo dilatationis restituat. Altera differẽtia est, in qua minimè dilatari thoracẽ videmus, vnde crebra ea fiat, quod angustia branchiorum fit, vel pulmonis tumore, bronchia & asperas arterias vrgente, vel arterias ipsas aliquo corpore complente, quo non possint satis spiritus recipere, sic quod vna dilatatione fieri nequir, pluribus contendit, põt quidem crebra & exigua fieri, ẽt dilatatio, eo quod vel vires facultatis mouentis imbecilles sint; vel dolore aliquo prohibeatur à magna dilatione, quæ dolorem excitet. Vel pulmone consumpto, & exiguo facto, sed hic locũ dicta suspicio non habet; vt neq; dolor nisi sub osse pectotis qui dilatatione thoracis non pariatur, neq; viriũ infirmitas est, satis iustam hic dilatationẽ videmus, vt neq, magnitudine, neq; exiguitate excellat, minus crebritate sollicitatur, ait tñ ipse se se difficilem & angustum spiritũ sentire. Quod satis spiritus recipiat, moderata illa distentione intelligitur, eo quod effla-

tio copiosa est,& cum vult sibilo seruos vocare, sibilum altissimum reddit, & quod voce nō pōt eius instrumento multo nempè laringa,& faucibus,id sibilo assequitur,cum spiritus , & labia,quibus fit sibilū, sibilo satis valētem modum retineant. Vbi ergo erit causa huius difficultatis? i via media spiritus,nō in cauitate recipiente ego impedimentū esse suspicor,qm̄ non spiritus copiæ,sed itineri eius angustia facta est, illa ergo arteriæ parte,quę tanquam via spiritus est, vnde labor attrahendi fiat,via non cauitas recipientis impeditur,sic sonus,& clangor quidam fit,sic sibilus edi pōt celerem, & angustum spiritum quærens, sic quibusdam tēporis spatijs angustia illa magis laboriosa,quibusdā minus est , & subito ea mutatio,& varietas fit, vt maior labor subito iuxta minorē existat,vt corpora impedientia modo magis plana tunicis arteriæ vndequaq; adhæresc unt, illisq; obducta, cōplanataq; minus impeditum meatum relinquūr , modo globosa , spirituq; absterfa à tunicis in cauum meatus eminent,collectaq; vrgente spiritū meatum suo cumulo impediūr. Nā videmus sputamina eiusmodi eijci,quæ vix lacerari, dissoluiq; pn̄t,& membranæ crassioris spēm habent , ea ergo dum arteriæ parietibus quasi illita vndiq; adhærent , non tm̄ spiritui offendunt,cū verò vna parte auulsa sunt,altera aūt adhuc adhærescunt, quemadmodū spiritu quiescente penderēt, sic eo agente tolluntur, & agitata, conglobataq; spiritui viam occludunt, & maximam tussim summo labore cōcitant.Suspicatur Doctor ea corpora per sputum eiecta carnes esse in faucib.genitas ad vlcus ipsum ab inflāmatione factum, qđ sane ego non possum sentire,nam caro primū est,qm̄ ea, q̄ in vlceribus gignitur siue fibris est, & tamq̄ noua, & mala sanguinis fere cōcreti modo digitis contrita tabescit,& in sanguinē ferè dissoluitur , capiatis vos carnes,q̄ in fontanellis dictis increscunt, & rē ita esse experiemini. Corpora hæc contrita digitis nō dissoluuntur,neq; ex toto rubra sunt, q̄q̄ infecta rubore cernuntur,neq; ēt oīa,qm̄ aliqua candida efferuntur. Membranas idē ait vlceri esse adnatas,Mēbranę quidem cuiusdam , & crassæ admodū spēm habent, at qūo tam cito increscant , vt duob. aut tribus dieb. id consequi potuerint ? qđ spatium ne carni quidem mollissimę satis fuisset ad concrescendū.Carnes esse non pn̄t,si speciem respiciamus,& tēpus ēt,quo mēbranas longè minus esse datur suspicari , & si speciē membranæ hēat. At cum membranas esse cōcesserimus , nequaq̄ genitæ nunc veræ membranæ erunt, qm̄ seminales partes cēsentur,& à prima origine tm̄ consistunt, folliculi in tumoribus reperti speciē mēbranæ habent,tn̄ membranæ nō sunt. Forte inquiet Doctor , membranæ erunt internam faciem arteriæ vestientes tamquam epidermides,q̄ inflāmatione sic increuerint in tumorem , vt videmus facere tunicas pulmonis inflammati.Sed quo pacto ab arteria auelluntur? vos Chirurgici obseruastis semper,qđ non resoluuntur membranæ à suis partibus , & corporib. q̄ vestiūr,nisi post multam suppurationem,qua media auelli,& rescindi à partibus suis pn̄t.Hic nullum sputum pus refert , nulla puris generatio percipitur , & quo pacto duobus dieb. quibus febris cōtinua facta est ex quartana,q̄ febris necessaria inflammationi,& eius suppurationi fuit , tā breui spatio & inflāmatio, & suppuratio eo adducta sit, vt membranā à cartilaginibus marcore separarit,& lacerarit? Eapp.ego nō possum putare ea corpora esse nisi pituitam crassam per calorem cōcretam, quæ iam diu potuit parietes, & mēbranas obleuisse,& calore semper cōcretior fięri. Audio.n. qđ multo iam tpe ante continuam febrē & spiritus,& vox afficiuntur,q̄ pituita spatiū suæ cōcretionis habuerit,formā figuramve etiā retinent ea corpora ramorū ipsius arteriæ, vt pituita per eos diu distenta fuit , nunc vero separatur facile per inflam-

A mationem erisypelatis vim habentem, quæ, vt sæpe fit, cæpit quidem in faucibus , sed paulatim ad arteriæ tunicas peruenit, & inde facile etiam posthac ad pulmones repet , quod ego maximè exhorresco , nā maiora mala subesse video , Pulsus creberrimi sunt, quam crebritatem etiam si ob angustiam spiritus haberēt,multitudinem tamen materiæ indicarent, cū febre,viribus nondum solutis,alioquin, sine febre si fit,raro propter vnam angustiam spiritus magnopere crebros pulsus videmus,potius pulsuum crebritas ob angustiam aliquam non in arterijs asperis, sed lenibus fieri obseruatur,inæqualitas quoque maxima, & paruitas idē confirmant, paruitas naturæ oppressionem à materia crassa factam,inęqualitas contentionem , & repugnantiam naturæ indicat,ex quo timendum est ne parte cordi tam coniuncta sic impe-

B dita , obstructaque huius febris putredo & propter magnas obstructiones maligna,& propter vicinitatem cum corde morbum malignissimū, nedum maximum faciat. Cuius rei vrinæ quoque subingalibus dictis proximè signum præbēt,Adeo vt aliquis posset suspicari aliquanto prius febrem hanc cæpisse,& inflammationem, quam febris sequuta est , in gangreneam conuersam esse , & membranas illas ipsius tracheæ tunicas esse , sed in historia priori manendo dicam,quod pituitæ fons febris quartana esse potuir, cuius humor quamquam siccus est , frigore tamen pituitam gignere maximè potest. Pituitam mouere in pulmones potuit subitus labor , & armorum iamdiu dimissorum , diuque intermissa postea rece-

C pta gestatio , quamquam item subito eam secuta est eorundem demissio , illud fuit cur corpus concalesceret , hoc cur refrigeraretur , illud fudit humores alios in pulmones etiam per cor , alios in caput , frigus à capite in fauces, & pulmones compressit, & qui in pulmonibus illapsi erant magis coegit summa cute à partibus ei subiectis firmatis , & ad comprimendum intus humores comparatis, humore tenuiori facilius ascendente , à capite erysipelas emanauit,cuius vis,cum asperam arteriam attigit, pituitam,quæ ibi erat detersit,& quæ vicina erat, suo calore in arteriam attraxit , sic casus omnes prædicti extitere, nam & febris erysipelam cordis propinquitate sequuta est , & putredinem per obstructiones

D concitatam longe maior sequitur,quam continuam esse omnino tenendum est à primo eo die quo erysipelas cæpit,dicit tamen Doctor se post cęptum erysipela eum integrū reperisse , qui forte deceptus est, forte etiam sine febre fuit , cum sæpe erysipelas mitescat vno loco, deinde in alium prolapsum febrem reuocat.Hodie quintum diem,à continua autem secundum narrat , pulsumque numquam huiusmodi fuisse, ac si subito secunda continuatæ febris die materia in locum principem veluti arteriam , & putredo mala euaserit , & febrem malignam fecerit, quæ etiam fieri facile potuere.Hæc adsunt.Quæ vero futura metuam,iam dicenda sunt si inde dirigi curatio debet,ego concursum materiæ in locum vitæ principem erysipelatosam inflammationem in pulmo-

E nes vitæ maximè necessarios , & crassitudinem materiæ in arteria video , vnde & gangrenam pulmonum partis admodum humidæ calore nimis obstipato , & propter nimiam obstipationem diminutos sicuti contra minori obstipatione maiores hactenus euasit , metuere cogor,tum suffocationem, strangulationemq. à gangrena,& à crassa materia in asperis arterijs dispersa, præter id, quod mala putredo posset etiam sine his partium malis . Quibus adiungamus,quod vires iam solui cępere. Iam de agendis dicendum, quo, quæ sunt, amoueantur,& quæ futura sunt possint prohiberi , in magno morbo metuimus semper à sanguine tanquam communi alendorum morborum materia , & cum hoc necessarium est

leuare

leuare naturam ab onere sanguinis, etiãsi in bona valetudine esset mediocris, quemadmodum in cibo facimus, quam naturam leuaremus etiã, si possemus, ab onere pinguedinis, qm̃ ipsa quoq; vita propria caret. Magnum.n.est onus morbi magni, quod vt ferre queat alterius oneris quantũ fieri põt detrahere debemus quale alimenti est, tantumq; alimenti sanguinis relinquere quantum satis sit, vt natura morbum superet, id longe magis in ratione ciborum seruandum est, cibus namque futurum alimentum est, vt sanguis ipse ferè alimentum, adeo vt semper oneri naturæ sint, donec non transierint penitus in alimentum vel spiritus, vel corporis, hoc aut partium viuentium, & animalium, aut earum, quæ sunt proximum animæ instrumentum, hoc est in continẽtia, & impetum facientia, contenta siquidem nõ vires habent fouentve, nisi quatenus in continentia, & impetũ facientia mutantur, ac quanto plurima sunt, tãto plus morbum alere possunt, & naturã onerant, vix ergo tantum relinquendum est ex ijs, quantũ viribus sustentandis est necessarium, quod coniectura colligitur è genere corporis, ætate, sexu, consuetudine, habitudine, anni, tempore, tempestate, & alijs casibus toties decantatis. Missus iam sanguis, & secta vena, cursum eius in thoracem item reuocarẽ in diuersum cucurbitulis in fœmoribus admotis, eum cutis concisione, quid melior ẽt vesicas excitantib. medicamentis ad extrema, frictionibusq; ẽt tum clysteribus acrioribus, & aliquo præterea medicamẽto aluum mouente, vt manna syr.rof.solut. & diasebestẽ, quamquam scio mannã nos non habere in Pharmacopolijs, est.n.quod venale est, res factitia, & credo scammoneum vt plurimum habere. Inflammationi aũt pulmonum ne fiat, neve augeatur, &, si quid eius in pulmones peruenit, discutiatur, ego cõponerem, quæ vtramq; vim habent tum discutiendi, tum reprimendi, & sputum mouendi, & pulmones confirmãdi, alioquin.n. sola pectoralia dictã materiam nimis mouerent ad pulmones, atq; cum metus sit malæ putredinis, gangrenęve, idonea quoq; eis cauendis cõponerem. Itaq; cum cap.Ven.cum gramine, cũ rad. dulci, rad.pentaphylli, & rad. borraginis componerem succum mali medici, aut punici, & acetosæ, sicq; potionem conficerẽ matutino tp̃e exhibendam, saccharum adiũgerem sputitionis causa, pp quam etiam semper ore haberi vellem aliquid ex syr.iuiubino cũ penidijs; aliquid sacchari ex violis, aliquid ex succo prunorum cum sacch aro, semper composita cũ succo citri ex saccharo decocto, pulueres facientes contra putredinem minimè exhiberem, qm̃ sputo nimis aduersarentur, & si sistendæ inflammationi forent. plus.n.mali facerent arteriam asperiorem reddẽdo, quam commodi sistendo inflammationem. Bolũ ante potionem matutinam putarem esse vtilem ex saccharo nympheæ, rosarũ, & violarum ẽt cum paullo sacchari ex succo citri; In victu ego, cũ ægrè cibum capiat, vterer ouorũ luteis in iure dissolutis cũ succo aliquo vel aurantij mali, vel limonis, vel citri, aut ẽt mali punici, & saccharo, vterer ptissana ordeacea cũ iure, Vterer expresso succo s. melonũ in pulte ex pane trito in iure decocto, cibo.n.medij generis opus esse existimarem cũ pro spuendo valentioribus viribus egeamus. Nequaquam tñ vinum concederẽ, qđ fluxione, qđ putredine, & inflãmatione prohibetur, sed potionem ex aqua pararẽ, decocto ordeo, rad. dulci, passulis, & coriandris, atq; immixtis aliquibus succis saccharo cõditis de quibus superius mentio facta est, delectu ad ipsius ægri gustum facto. Ordinarẽ vero sic, quæ dicta sunt. Continuo ego clysterem iniici vellem ex decoctis malua. Mercuriali, parietaria, beta, furfurib. & ex oleo cõi, melle rosaceo, & elect. Hieralogodij, eo deiecto frictiones instituerẽ, sub his concisa cute cucurbitulas admouerem, post

A vero aliquam quietem cibum darem, post cibum horas saltem 8. potionem dictam propinarem, interea in ore semper aliquid ex dictis haberet, & quod prętereã thoracem illinerem vnguẽ. pectorali, addita portione pinguedinis anseris & vnguen. dialtheę, in dies vero reliqua pro necessitate disponerẽ. An vero hæc exequi & sanitati eũ possint restituere, ego summopere timeo, maximè qđ ille respuit auxilia. Dixi.

Is die sequenti eiecit quatuor, aut quinq; corpora supra descripta, deinde cępit spuere purulenta sub ruffa, ac subuiridia, & meridie genæ, mandibulæq; ruberrimæ, in purpureum inclinantes factæ sunt, angustia spiritus aucta, vt de ea ipse doleret, pulsu eodem inæqualitate, paruitateque, & longè etiam imbecilliori, noctu sequenti interijt.

B Paterni ad suffusionem oculorum.

Vt corpus ad purgationes paretur. ℞. syr. de betonica compositi ℥. 1. de stęchade ʒ.s. decoctionis euphragiæ pro vno, & sic pro alijs, quousq; corpus bene paratum sit, vt purgari possit, capiat autẽ pro purgando corpus infrascripta catapotia.

℞. pilularum lucis } an. ℈. 2. b. p.
Cochiarum

Cum melle ros. sol. fiant. & capiantur summo mane cum custodia. Purgato corpore apponatur setaceum in occipitio. Aperiantur nares cum ijs, quæ citra sternutationem excrementa educere valeãt veluti aqua hordei, cum saccharo rubro succus betæ, & similia.

Applicentur oculis medicamenta infrascripta.

C ℞. succi fœniculi } an. partes 2.
Euphragiæ

Decoctionis fœnugraeci optimè loti partes quatuor, vel quinque, & oculis adhibeatur, vt à Galeno præceptum est.

Aliud

℞. succi chelidoniæ par. 1.
Succi fœniculi par. 2.
Aloes parum.

Et cum decocto eodem parentur collyria.

Alia similia plurima parari poterũt pro voluntate, & prudentia Excellent. Viri cui plurimum me cõmendo. Si quandoque vtetur theriaca mediæ ætatis, vtilitatem afferet hieme sola vtendo, æstate vero cõserua betonicæ ad duplũ. Si ieiuna abluat pedes sępe D aqua valde calida & hoc vtilitatem sibi afferet seruãdo tamen in oĩbus conuenientem victus rationem.

De febre tertiana continua, cum symptomatibus pro Dom. Iacobo Sempreuiuo.

CONSVLTATIO DXLVII.

Ego vero Dom. Excellentissimi cum videam vires cordis valdè oppressas, non possum iudicare hanc febrem, hoc est eius putredinem non ad interiores partes pertinere, cum.n. febrem intelligo, non possum nõ cum ea causam propter quam est, & sine quã nõ esset, etiam amplecti, qualis hic putredo est, E humorve putrescẽs. Pulsus & sub symptomate, & sine eo semper exigui, & creberrimi sunt, vt vobis etiã imbecilles videãtur, hoc sine cordis maxima oppressione, vel sine consensu cum principe, vicinave illi alia parte, eoque continuo esse non potest, vnde febrem quoque continuam esse necesse est, quam febrem pulsus ipsius crebritas maxima, omnibus horis ferè eadem demonstrat, & calor acrior corporis, nũquam ex toto cessans, quamq̃ in extremis frigus sępè odiosum existat, quo pariter incẽdium vehemẽtius, internarum partiũ indicat. Vnde horrores illos, qui quotidie hoĩem tentant, ego non putem esse febris intermittentis indices, itaq; febris solũ subeuntibus sese accessionibus cõtinuetur, sed eos potius fieri pp aliquam

aliquam materiæ portionẽ ad partes ventriculi eie-
ctam, eo tpe quo cumulus materiæ factus naturã ir-
ritat ad sui expulsionẽ, tunc.n.hoc in corpore aliqua
eius cumuli pars, eaq; tenuior, & exitus facilioris ex-
primitur, petens vero mẽbranosas circum ventricu-
lum partes horrorẽ affert, vt Hipp.lib.6.epid.5.parte
ẽt ad os vẽtriculi appulsa symptoma illud excitatur
compressionis ventriculi in cardialgiæ modũ, fortè
ẽt horror, vt ferè in intermittẽtibus febribus euenit,
ex aliqua parte materiæ per carnes expulsa, spẽm va
poris habente, vt hẽt materia ẽt alibilis, dum tradu-
citur, ad membra alenda. Verum, cũ videamus ad os
ventriculi, hoc est, ad ventrem superiorẽ symptoma,
qđ sub horrore fit, pertinere, verisimilius est mate-
riã quoq; horroris causam illuc expressam ipsum ẽt
horrorem efficere, sunt.n.satis sentientes illę partes,
imo nimis acri sensu prędítæ, cum animi deliquiã, &
conuulsiones ẽt moueat sui molestia, quæ in hoc etiã
metuẽda sunt, ni ventriculus defendatur. Vrinę quo-
que biliosæ, sed crassiusculæ, & exustæ persuadẽt ma
teriam putrescentem in venis versari. Ea pp colligo,
quòd, q̃q̃ credo horrores, & rigores febrium inter-
mittentium fieri pp materiam, quæ partes carnosas
totius corporis perferatur, cuius rei testimonium est,
qđ cum emersurum est erisipelas ad cutem, rigores
fieri solent, & cum sudor criticus expectatur pariter
rigor anteit, hoc tñ loco cum videam ventriculum
male habere, possum facilius cõi horroris, & ventri-
culi laboris causa facta putare horrorẽ ex morsu ma
teriei per mẽbranas illapsæ fieri, quæ, si in cauum si-
num intestinorũ, aut ventriculi veniret, illa vomitu,
aut deiectione extruderetur, sed põt ẽt in exteriores
ventriculi, & intestinorum tunicas illabi, vt factum
fuisse videmus in multis, eorũ cadaueribus apertis,
qui ẽt per syncopem sublati à cardialgia fuerãt. Hoc
ita constituto sequitur indicium angustię ipsius spiri
tus, quæ, qm̃ ex inflatione facta inferius in septum
transuersum vrgente põt euenire, ppea illam quoq;
eadem cõi causa amplexus ad ventriculum pertinẽ-
re nõ statuã in pulmonib. originem habere, nisi qua
tenus arctiore facto thorace ipsi quoq; angustiores
tenentur, & hoc de angustia illa, q̃ sub huius sympto
matis summo incremento. Nã alioquin quædã angu
stia cõtinua cernitur, q̃q̃ non valde magna, quæ põt
indicare materiam eã, vnde cor opprimitur, esse ipsis
spiritus partibus propinquã, vnde partes vrgeantur,
& angustiores fieri cogantur, sic non solum in vasis
est, sed, dũ feruet, ad solida quoq. pertinet spiritus or
gana suo saltẽ vapore, metumq; facit, ne post vapo-
res ẽt humores sequantur à vaporib. facti, & attra-
ctione p inductum calorem concitati, ex quo pericu
lũ promptius vitæ sit, vnde Hipp. in Aph. & alibi tã
pestiferũ signum faciat difficultatem anhelitus, si nõ
in accessionib. intermittentiũ febrium, sed in conti-
nuis febrib. existat, maximè si cum delirio coniunga
tur, vt hęc quoq; coniuncta est. Quod vero delirium
habuit capitis dolorem sibi pręcurrentem, qm̃ prius
exteriores, & sentientes partes nimirũ mẽbranæ, de
inde natura partis principis debiliori facta cerebrũ
ipsum halitũ putredinis excepit. Esto ergo, vt cogere
indicia videntur, putredo intra venas etiã materiæ
multæ, ac crassæ, vnde cordis vis occupetur, qđ in lo-
cis sibi vicinis, & partib. secum coniunctis illa sit, sic
crebros, & breues pulsus nõ tñ imbecillos faciat, qñ
nondum est vis dissoluta, sed ob copiã oppressa, põt
ẽt esse paruus eo magis pulsus, qđ non solum breues
motiones habeat, sed arteriam quoq; naturã paruã,
metior tñ ego paruitatem tm̃ motu ęstimato, vt fieri
dẽt, & facit Gal. qui senum pulsus paruos dicit, qui
tñ arteria per ætatẽ, & longũ vsum maiori facta ma
iores ipsi aliquibus viderentur. Inde sentitur ãt quod
arteriæ dilatatio non tã intenta est, neq; contẽtione
tanta fit, quanta fit ipsa constrictio, natura expressio

A nẽ fumorũ potius quærente, q̃ refrigeratione. Febris
ergo est continuæ speciei, & ex materia crassa, vt bi-
lẽ cum pituita maximè, deinde ẽt melancholico suc-
co permistam habeat, atq; in spẽm duplicis tertianæ
quotidie increscat, tenuioriq; parte sui, hoc est, bilio
sa sub incrementis effusa symptoma iã dictũ efficiat,
quomodo hæc permixtio hæmitriteũ faciat, hoc lo-
co non dixerim, qm̃ nõ video binas altera quoq; die
factas accessiones, vnde cõpositio continuę quotidia
næ cũ intermittente tertiana existat. Magnam quidẽ
febrem hanc esse puto, nam q̃q̃ caloris multa vehe-
mentia non est, copia tñ fumorum multa, materiaq;
febris plurima esto q̃ calorem sui generis, nẽpe hebe
tiorẽ habeant, sine quibus dictus calor esse non põt,
suiq; causas eas habeat, neq; vero semper febris mi-
B nor dicenda, cũ minus caloris hẽt, sed cũ minus fu-
morum febrem facientiũ, & meo quidem aĩo credo
naturã febris non solum ipsis fumis, sed putrescente
quoq; humore contineri, & putrida est, nam oĩs rei,
quæ continetur in gñe accidentis, perfecta natura;
completaq; definitio nõ solũ amplecti dẽt, quod ip-
sum accidens sit, sed pp quid, & vnde existat, ea pp
tonitruum definiens Arist. dicit eũ esse extinctionẽ
ignis in nube, & Lunæ eclypsim esse interpositionẽ
terræ inter Solem, & Lunam, enunciatis ijs in secũ-
do modo dicẽdi per se, si ergo naturę definitione cõ
præhensæ magnitudine res magna ęstimanda est, fe
bris quoq; à plurima multitudine fumorũ, & putre-
dinis ipsa magna esse dẽt. Magna itẽ erit hæc febris
C pp magnitudinẽ symptomatum, pp prestantiam par
tium læsarum, nimirum cordis maximè, deinde pul-
monũ capitis, & vẽtriculi. Celerem ne modo, an tar-
dum habiturus sit suum circuitum, discernere possu-
mus ex materia, ea namq; multa, varia, & crassa sua
varietate, & copia, ac crassitudine longũ ferè suum
circuitũ prænunciat, nimirũ si tantę vires sint, quan-
tis queat morbus ad finẽ peruenire, alicquin.n.natu
ra succumbente põt citius finiri, ita vires ppa erunt
expendendæ, alioquin.n. ego non video morbũ suo
genere pestiferum, sed sola magnitudine cum virib.
collata. Genere pestiferũ dici deberet, si putredo ip-
sa penitus corruptiua esset, neq; sui natura posset ad
maturationẽ deduci, hoc est, effici, ne cineres sub pu
tredine reliqui facti, potius fętida materia, & sordi-
D da, q̃ matura, & puris spẽm referens euadat, quod iã
ad morem morbi attinere certum est. De more ergo
dicere pergamus. Mos Galen. pertinet ad simplicita-
tem, & malignitatem, hæc vero à symptomatib. su-
peruenientib. seu post apparentibus metienda est, vt
ait ipse, illa.n. cum impense torquent ægrũ, maligna
vocantur, morbumq; malignum denotant, pręcipue
vero cum imbecillum ægrum significat, plusquã ra-
tio morbi cõiter postularet, interdum ẽt, cum diffi-
cultatẽ curandi maiorem, cum quibus est vitæ peri-
culũ, sub quo tñ Gal. tãtisper malignum morbũ dici
vult, cum nondum desperata salus est, spesq; etiam-
num est reliqua, alioquin in desperatione certa, non
malignos morbos dici, vt verè sunt, sed ab eo, qđ po
tius in eis est nominari lęthales vult, ab eo nõ qđ ma
E ius est, & excellentius, denominati, designatiq; in at
te sunt. Maligni sint, hoc tñ noĩe non satis ei attribu
tum est, si lęthales sint, ita facies illa Hippocratica, q̃
Gal. malignã morbi vim sequi vult, potius læthalẽ,
q̃ malignam vocat, vt alia similia symptomata. De
hac febre quid sentis? symptomatum rõne maligna
est, in quibus imbecillitas virium potissima est, quã-
quã hæc imbecillitas non penitus, & ex toto ad viriũ
naturã, sed ad actionem, & oppressionem pertineat,
At malignas febres, de illis nimirum, quæ putredine
continentur, ob putredinis malam rõnem dicunt, q
corruptiua nimirum penitus putredo sit, vel quod in
locis prope cor, aut principibus ea versetur, aut etiã
in cordis ventriculis. Quod hæc in locis ad cor atti-
nenti-

nentibus fit, iam suspiciosum mihi fuit, & hæc causa A mihi maligna statuetur, quod vero putredinem illã prauam habeat, minimè, quoniam nec vrinæ turbatę sunt, quales eius putredinis sunt indices, neq; liuorem vllum ostendunt, sed exustę potius, non sum tamen tutus, quin viribus partium continentiũ debilitatis putredo non potius corruptionem, aut exuctionẽ, quam maturationem, quæ recrementorũ concoctio est, sit allatura; hoc non sæpe sub febribus vidimus, cum post lõgum spatium natura infirmata materiæ putredinem peiorem subeunt, & mirantur postea medici, cur febris, quæ primũ simplex esset, postea maligna euasit, cur vrinæ post multos dies subiugales sint factæ qđ sæpè euenit ob largiorẽ cibi modum, infirmior.n.natura fit, quoties grauiori onere alimenti prēmitur, facilius vero ea mutatio putredinis est, qm̃, dum cruda adhuc est, ambiguo in statu, B & anceps põt paulo momento huc, & illuc impelli, hoc est, antequam ad statum, & summã morbi vim res perducatur, morbus.n.semper augetur, dum augetur putredo, augetur vero illa in quocunq; genere siue maturationis, siue corruptionis, aut exustionis fiat donec perfecta res est, sic maturationis vim habens, ẽt dũ in summa maturatione est, maximè opus feruet, & febris maxima est, in alijs, anteq̃ ad summum perueniant, tolli ægrum necesse est. Gal. ait qđ symptomata sunt in summo, cũ morbus in statu est, status tñ, vnde ea sunt, melius habet, sed mirum videtur, quod modo causa imminuta effectus increscat, sano ergo sensu ea verba capienda sunt, & sic intelligenda, vt dixi, qđ mitior materia sit, qm̃ maturescit C magis feruorem tñ interea maiorem, vnde maior febris fit, hẽt, crescũt fumi, qui idẽ cum febre sunt, crescit itaq; febris, quæ in illis est posita, crescit copia materiæ putrefactæ, quæ cũ naturam febris continetur, sic febris maior fit, tñ res mitior dici põt, quod saluti est propior, Contra in pestifera putredine, cũ increscit materiæ vitium, propiusq; accedit ad corruptionem, põt tñ deferuescere calor, & symptomata remitti, natura nihilominus febris, vt continetur in suis causis, non vno calore metienda, maiorem vim suæ naturę acquirit, & peius vitium. Atq; hæc de malignitate præsenti, & de futuræ metu, quæ ratio iam ad prædictionem videtur pertinere, prædictio autẽ ea certe põt esse, quod nisi causæ putredinis minuantur, nisi materia à locis viscerum principũ, & à corde D auertatur, nisi ventriculus defendatur, facile malignior febris fiet, & vires cum morte succũbent, facile ẽt materia in pulmones suos vapores sequuta deferetur, & hominem extinguet, fere.n. sic in morientib. fit, quemadmodum ex apertis cadauerib. certior facta sum, vt copia multa humorũ in venis sub calore febris exagitata, corde vero maximè laborãte suis dilatationib. & constrictionib. vehementiorib. materia in cor facile adducatur, inde vero ab ipso vt potẽtissimo Tyrrhãno in pulmones suopte corpore laxos apertissima, & facili via expellatur, sic hoĩes suffocẽtur, quid in hoc ęgroto facilius futurũ verear, qm̃ oppressum admodum cor sentitur, & vna cũ ore ventriculi, à quo vehemẽter afficitur, laborat, qđ si morbi E cursus ad salutem teneri poterit, ille certè longus futurus est, cũ materia crassa multa, & cruda sit posita. Nõ sum versatus in causis externis huius materiæ tã multæ in hoc corpore colligendæ, qm̃ à vobis satis de his dictũ est, quo pacto vigiliæ nimiæ, ventriculi cruditates faciant, maximè sub intemperãtia cibi, & potionis, qũo labores studij literarum eas augeãt, & tandem qũo corporis potentissimi, & subito post studia, & vigilias suscepti labores eas cruditates in vẽtres, & interiora viscera intrudant, cũ eas extenuãdo tũ attrahendo per artuũ, & pulmonũ exagitationes. Adiungam ergo qđ post sudorẽ illa corporis refrigeratio stipauit ambitũ ipsius corporis meatus, materiã vi caloris extenuatam, & eo allicitam ibi condensando, cõpingendoq; sic meatibus obstructis perflatus cohibitus est, halitusq; retentus, qui primũ in suum humorẽ redijt, ex quo efferebatur, corpusq; repleuit deinde minimè perflatus, & halitu plurimo calidiori affectus, ab eo vt à calore externo putredinẽ concepit, sua.n.copia, & meatuum obstructione maximè prohibitus est perspirare. His itaq; propositis oĩs huius morbi status præsens, & futurus in conspectu est positus si vires possent ęstimari, difficillimum namq; est oppressas vires vitales expendere, naturales item multa materia onustas. Verum, cũ corporis genus robustæ admodum naturę non sit, verisimili ego coniectura censerẽ hunc clarum hoĩem ab hoc morbo minime posse euadere, quia tñ morbus copia potius cruditatũ, q̃ vitio putredinis nititur, forsan diligenti cura, & virium tutela poterit absumi. Eliciamus modo, quid agendum nobis sit. Morbus.n. eorũ non est, qui prognosticis solis sit relinquendus, cũ signa lethalia non habeat, sed vt dixi, in difficilibus tm̃ numerandus est, virium præsertim causa, cũ homo non sit robustæ admodũ naturæ. Quare imprimis earũ tutela statuatur, nõ quidem cibis augendis, qm̃ vires cruditatib. oppressæ maiori onere afficiendę non sunt, sed symptomatibus à vẽtriculi ore nascentib. tollendis, verget non noxa maximè ventriculi illa, ea ꝓpter ẽt si corpus inanitione opus habeat, cum Gal. tamen lib. ad Glauc. in exordio curationis symptomata respicientis, confirmare prius ventriculũ, & munire cõtra offensam debemus, ita exterius ego apponerẽ cõtta ventriculum lenimentum ex oleo melino, seu de cytonijs, & de absynthio, cum succo mali punici, & aceto ad iuuandam illitionis penetrationẽ, vel apponetem illud emplastrum de crusta panis dictũ bene munitum eodem succo. Quæ ẽt appellant cordialia, sub mamma sinistra ingererem, qm̃ locus est non solum cordi, sed ori ventriculi vicinus, & forte magis quam dorsum, cum tanto interstitio carnis ille sit ab ore ventriculi seiunctus, in illis vero aquam rosarũ, acetosæq; pulueres temperatos dictos cordiales cũ aceto rosaceo imponerem, sic ventriculo, & ori eius cordi dicto, & cordi ẽt ipsi crederem satisfactum, & vidi multos, qui ore vẽtriculi male haberent, ab eiusmodi cordialibus dictis iuuatos. Quidam medici opinantur per hæc cordialia multum offensæ esse posse ex repressis intus malis vaporibus, & adstricta ibi cute, sed exigui loci constrictio offensam alicuius momenti non põt afferre, minus tantã, cuius causa cor, & ventriculi os periclitari videantur. In cibis quoq; succos mali aurantij permiscerem, pulueres ex Margaritis, ex cornu cerui, & Bezaar, & huiusmodi alijs, vt pentaphilonis radice, qm̃ hæc partim emplastica quadam vi, & confirmante possunt os ventriculi defendere, partim humores dissoluere, &, si qui vermes molesti essent, quemadmodũ his diebus multis ægrotis visum est; ẽt per diarrhęas biliosissimas descendisse, eos deturbarent, panem etiam in vino punici mali intinctũ ob dictas causas concederem; Cibus modo, qui omnis ad vires sustinendas datur, ipse tamen sic est temperandus, ne morbum potius, q̃ ægri vires alat, præsertim in eo, qui multitudine crassorum, & crudorum humorum excitatur, putredinis quoq; ratio habenda, sic iura minimè pinguia, sed bene tabefactæ in eis carnis pullarum gallinacearum grandiorum quidem, sed non vetustiorum darem ad citũ, facile, & bonum alimentum, veteres.n. præterquã qđ crassi succi sunt, certè nullæ boni succi, nullæ facilis alimenti sunt, & præterea pinguiores existunt, sic obstructioni, & putredini noxiæ, in ijs iurib. lutea ouorũ liquefacerem, quæ cũ facilis alimenti, & boni, tũ biliosis succis deliniendis suo lẽtore, & tẽperamẽto idonea sunt, nõ est vitiosus eorũ lentor, vt neq, ptissanæ, qm̃ potius abstergit, & tenuis corporis est, ac mixtio-

mixtionis quandã absolutionẽ sequitur, qui lẽtor tñ, si vobis suspectus sit, maxime ꝓpter pituitã, is succo dicto aurãtiorum, aut mali medici, aut aceto potest à dicta suspicione lentoris vindicari, quod etiã pauxillum sacchari satis poterit, in eodem iure puls ex pane trito percocta, & liquefacta idoneum alimentũ erit, sed ptissana omnibus præstabit, coctura potius tabefacta, quam contrita pila, & in extrema sui coctione adiuncta carne supradicta, & paulo cinnamomi, quibus vna contabefactis vis percoletur, & saccharum iniungatur, semina melonũ adhibere soletis, cõtrita, ex iure liquefacta, & percolata. Ego habeo præ oculis sententiã auctoris libri de Dieta, quæ non est simplex, & propria auctoritate prolata, sed cum ratione, non.n. solum ait, quod exurunt, seu inflammant, sed rationem supponit, quoniam habent τὸ λιπαρὸν, ϰ̀ πιον vnctuosum.s. & pingue. Dicebat quidam doctor, quòd etiam ex ligno aridissima re ignis vi elicitur oleum, quid tũ? non tamen pingue, aut vnctuosum à prædominio vocaretur lignum, vt hæc semina iure dici possunt. Dixerat alter Doctor aliã rationem, quoniam.s. illa semina sunt humida, ideo in putridis febribus suspecta obijcienti autem ptissanam, quæ teste Gal. humida est, respondeat q̃d ordeum est siccum, quæ certè ad rem non sunt, minusq; ad verum prolata. Nam ordeum cũ aqua per coctionem multam facit ptissanæ succum humidũ, semina vero etiam hęc non sunt humida, quãquam, etiamsi humida forent, eo nomine minimè essent reijcienda. A cibis non reijcerem iecora, neque testes gallinaceorum, alas eorundem laudarem, nõ reijcecerem pullos fascianorum minus perdicum, minus auiculas miliares, acetaria concederem ex endiuia, atq; etiam cicoreo coctis. Dicet Vir Eccell. quod cicoreum mali succi est, & mauult lactucam, quam cicoreum, ac respondenti, quod vtilius hoc est, quoniã vim medicamenti habet, repetit non benè cõmisceri cibis medicamenta, cum tamen vix cibi vtiles parentur sine condimentis, quæ rationem medicamẽti habent, vt sal, acetum, & apud Gal. porrum, anetũ, & similia. Acetaria etenim ad ventriculum detergẽdum, & ad vias cibo faciendas, visceraq; opportuna alimento reddenda dantur; oxalis etiam cruda cum floribus buglossi, & borraginis concedi in acetarijs summa vtilitate possunt, à quibus ego non arcerem flores calthæ, tamq; valẽtissimos contra ea, quę cordi infesta sunt, & tamq; maximè obstructiones delẽtes, cibum ego sic partirer, ordinaremq; quotidie quarta hora, antequam febris increscat sorbitionem vnam, & item alteram ex dictis generibus darem, summum incrementum febre tenẽte, inclinaturaq; potionem ex ptissanæ succo, post hanc quarta itẽ hora tandem cænam ex duplici ferculo cum acetarijs exhiberem, cuius cibi modus ex morbi futura lõginquitate mihi visus est sic metiendus. Ad vires reficiendas, & defendendum ventriculum, proponit vir Doctissimus maluaticum vinum, & theriacam, de vino maluatico male sentirem, quoniam stomaticum propriè non est, cum adstrictione careat, sic tueri vẽtriculũ non potest, at datur ad dissoluendos humores, quod facit suo calore, datur ad spiritus reficiendos, alia habemus suo calore dissoluentia cũ adstrictione hoc loco necessaria, tantum vero abest, vt spiritus reficiat in imbecilli ventriculo, quòd etiam eos maxime dissoluat, cum virtutem feriat vinum valẽtius ex Gal. At esto spiritus creet, eos tamẽ creat, qui citissime dissolui possunt, vt non nisi in subita viriũ dissolutione, quo refecti possint subinde spacium sui solidius reficiendi habere. Hic vero spatium datur etiã sine eo vino, nec cadit vis adeo, vt periculosum remedium cogamur arripere, potius quam nullum, periculosum ob motionem humorum, qui cũ crudi, & multi sint, nequaquam vino sunt excitãdi. Periculosum febri augendæ, putredini amplificandę, dolori capitis imitãdo, delirijs summo cum damno somni, & vigiliarum promouendis, In aliqua necessitate labentium virium, non ob oppressionem multitudinis humorum crudorum, sed mordacitatem biliosorum, & dissolutionem deficientium, Ego potius cũ Gal. 1. ad Glauc. vinum pauciferum deligerem, & sic offam panis intingerem, & postremo cibo etiam darem, quo uis illius diutius os ventriculi haberet. De theriaca non adeo contenderem, quoniam videtur malos, & infestos humores discutere, & vim ventriculo, & cordi præstare, ac, cum fuerit recens, etiam somnum in multis conciliare, dico in multis, quoniã nonnulli etiam sine somno post eam acceptam fuere, si videatur vobis, illa posset cum aqua rosac. dari, aut dicto mali punici vino. Recordamini tamen, quid de ea suspicionis habeat Gal. cum in quartana febre eam proponit, nisi enim humorum crudorum copia remota sit non vult exhibere, ergo quando dicti generis potiones cibis coniungerem non ex vino, sed aqua igne modificata cum coriandro, sacharo, & pauxillo vini mali punici, aut oxisacchara. At hæc symptomata ipsum cauendum, & vires sustinendas respiciunt. Multitudo malorum humorum, putredo eorum obstructiones, & motus in viscera curanda, nam de febris calore tantum abest, vt rationem habeam, quòd credam nobis vtilem fore ad crassos humores moderandos, de tenuibus exigua cura mihi est, quoniam ille sine etiam ope medica eijci possunt, crassi opem multam efflagitãt. De sectione venæ in magno morbo iusta deliberatio est, cum sanguis alimentum sit, idque à natura mutandum, & interea seruandum summa vi, ne putrescat. Contrarium ergo tanquam alimentum est, exanime quoque est, animatæque naturæ onus, vt pinguedo quoque ita paulo minus, quam cibus sub morborum curationibus moderatione sui eget, nã qui sano corpori vix satis esset, nunc ægrę naturæ superuacuus, & grauis, quæ enim morbum latura vis est, ea sanguinis iustam antea sano corpori molem ferre non posset, minus morbo fugando vna, & alimento tractando vacare, idem vero etiam sanguis, et alimentum, alendo morbo potest non minus prę sto esse, quam corpori, cum nondum similis penitus corpori sit, sed etiamnum ex parte contrarius, potest etiam in partes læsas, in quas necessario ob earum molestiam, & imbecillitatem infert, quemadmodum in exterioribus partibus videmus, multum periculi importare, ac præsertim sub febribus laboranti cordi, & concalfacto. Morbi ergo magni ratione sanguis esset diminuendus, sed vires recipiendæ, respiciendum symptoma ventriculi, symptoma à cęli calore, quæ omnia prohibent sanguinem detrahi, sicuti enim minus viriũ minus detrahi de cibo vult, sic detrahi sanguinem prohibet, Vir Excell. sanguinem detraxit per cucurbitulas, quæ res minus officere videatur, & tamen motui magis ei occurrit, qui sanguinis, & malorum etiam humorum in viscera esse posset, cui sanè motui ego occurrerem etiã medicamentis acribus ad extremas partes applicitis, & frictionibus, & clysteribus, quo per ventrem etiam reliquię putredinis euocarentur, & à ventriculo impetus humorum infra alliceretur, quæ iam pertinent ad medicamẽta, quibus per vrinas quoque reliquias putredinis deducerẽ. Rad. graminis, cap. Vener. radice pentaphilli, & similibus, quibus vos soletis etiam peponum semina componere, Materiæ autem crudæ parandæ diligenter vacarẽ, quo concoctioni fieret opportunior, siue ad bonum alimentum, siue ad maturum recrementum expurgandum, sic eam idẽtidem purgarem. Parantia essent syr. de cap. Ven. de succo acetosæ, cũ portione syrupi de succo mali medici, ob ventriculi rationem, qui liquefierent aqua cap.

cap.Ven.cui incocta esset eadem herba,& lupuli, & gramen,& acetosa,& endiuia, & radix pentaphilli, cui syr.altero quoq; die ego Rhabar.& agaricũ macerarem,aliquidq; Tamarindorũ imponere, quibus ventriculus cum confirmatione sui,coniunctã haberet purgationẽ,iniũctis cynnamomo,& Maci,clysteribus cassiã pro clystere cõponerem cũ Melle rosf.sacch.rubro,& alijs solitis,propositã hierã ego nõ possũ probare,quoniam nos venientẽ humorem, nõ in ventriculo hærente habemus, potius non venturum humorem magis alliceret,noxamque augeret, quoniam non adstringit.

Huic conuulsio sub accessione affuit,qua brachia, & caput antrorsum contraherẽtur, sudores quoq; in fine accessionum, sed pulsus semper exiguus remanebat, & creber, visa est theriaca eũ liberare ab eiusmodi symptomate, & item vinum, vnde quotidie quater cibus cum vino dabatur, post vigesimum diẽ Parotis maxima imo multæ coniunctim extitere, aperteque plurimum saniei, & puris emittebant, cibus tamen eadem largitate cum vino semper, dabatur,30.die post magnum febris calorem,& notas inflammationis in thorace vrinæ subiugales fuere, & 32.interijt.

De Variolis pro Prencipe Stilliani Sabloneta habitum.

CONSVLTATIO DXLVIII.

Ne ego deseram locum meum in tanta re, & pro tanto Prencipe,à quo sum propterea magnis itineribus accersitus, dicam quod sentio de natura corporis, morbique, & de eiusdem curatione. Corporis quidem natura mihi ea videtur, quæ à vobis constituta est,nimirum calida,& humida, potius autem humido,quam calido abundans,cum non solum carnosum, sed pingue quoque corpus cernatur, pinguedine in adolescentibus, & calidis corporibus non ita facile concrescente, concrescit quidem circum cor calidissimum pinguedo,sed calor ille potius copia,quam acuitate excellit,& non bili, sed spiritui gignendo idoneus, sic,quod superest,ex eius coctione vaporosum,id vnctuosum est,& aereum,atque in exteriori,& tepidiori ambitu concrescit, à priori calore desertum maximè circum mẽbranas vasorum, sæpe etiam totius corporis, quod iecori non euenit ob rudem in eo nimis sanguinis inchoationem, pinguedo tamen cordis,vt in sebosis animantibus videre est, longè minus concreta est, à calore nunquam destituta. Alioquin calor non copia, sed acuitate, & temperie valentior partes sanguinis pinguiores in bilem facilius, quàm in pinguedinis materiam vertit, præsertim ætate etiam num adolescente, neque dum annum 22.superante,sic in calidioribus temperamentis non est materia,quæ in pinguedinem possit concrescere,minus à calore illo concretio permissa est,hæc de corporis genere. Morbi autem natura, vt à vobis constituta est,mihi videtur sic examinanda,ea tres partes continet sui, prima est humor genere, & copia infectus, altera est putredo, tertia est febrilis calor, quas partes sequuntur omnia ea,quæ casus,seu symptomata appellãtur. Habet autẽ morbus duo maximè tempora sui naturam variantia, alterum humorum excretionis, maturationis verò reliquum,incipiam ab humore. Humor,si vrinas spectemus, multum crudi succi habet, sunt enim perturbatissimæ,& admodum crassæ, neque adeò coloratæ, quin intra rufi coloris speciem maneant,huius etiam copiæ crudæ nota mihi maxima in pulsibus cernitur, qui parui creberrimique sint,si quale cuiusque generis corpori conueniant, ne dum calido, & humido,consideremus,& adolescẽti, etenim ea paruitas debilitati corporis attribuenda non est, cum nondum à morbo confici potuerit, cum vigere admodum suis facultatibus cernatur, cum omnia illa, quæ in corpore cernuntur, adhuc speciem robusti corporis teneant, præterea pulsuum quoque vehemẽtiam digitis minime cedentem sentiamus, quem oppressione humorum potius,& põdere, quàm propriæ naturæ infirmitate paruos pulsus facere cogetur. Videmus multos externi corporis speciem benè robusti hominis seruantes,mente tamen, & internis sensibus languere, ac si è somno proximè essent excitati in ijs parui pulsus,& imbecilles sunt,si diligenter æstimentur, quoniam infirmam vim sequuntur, vt in quibus putredo corruptiua, atque ab ipsa maturatione aliena est. Eandem humorum copiam sic onerantem significat sudor ille copiosus, prima die visus, febre non definiente, idemque reuersus non amplius toto corpore, sed circum ceruicem solummodo, & caput, generi etiam materiei crudæ consentit calor ille febris non protinus tactum feriens, sed primo occursu mitis,deinde satis durus persistẽs, primis diebus calor fuit vehementior, & exanthemata colorariora,tum vigil ipse, quoniam quidquid biliosi suberat, protinus commotum fuit tenuitate, & calore humorem proptiorem, faciente, quod vomitu ipso quoque fuit confirmatum bile multa excreta, nunc neque vigil est, neque vllus vomitus habetur, imo lingua etiam cerneretur alba. Exanthemata dilutiorem colorem nanciscuntur, & calor corporis eiusmodi,vt dixi,factus est. Huius humoris copiam potuit parere constrictio inuisibilium meatuum victus ratione, quæ mali, & frigidioris generis, alijs alioquin temporibus tantum copiæ crudæ non efficit, hoc tempore potuit præstare, quo post calores, & æstus maximos cælum subito frigidissimum factum est,cum imbribus largissimis, cum niuibus ad Alpes, vnde venti acriter admodum corpora feriebant,subita neque ea mutatio motum corpori excitauit contractionis, sic enim niuis maximè corporibus euenit, quorum vis expultrix solet inimicam quamq; vim à se repulsura se se,corpusq; cõtrahere,vnde angustiores meatus fiant, angustis ergo meatibus huic corpori factis cohibiti sunt anhelitus humorum omnium, qui necessariò detenti in eosdem humores reuersi sunt,à quibus efferebantur, sic corpus magis replerunt eodem humorum generẽ,quo prius etiam abundarat, abundabat autẽ sanguine quidem,vt est calidum,humidumque, sed pituita etiam ob viuendi genus, & tempestatem iam dictam frigidam,& humidam,quæ eo valentior fuit cruditatibus pariundis, quòd subita potuit corpus magis mouere, valentiusque refrigerare, & interius suam vim inducere in visceribus, & maximè ventriculo,atque hæc de humore,hoc est de materia morbi mihi dicenda visa sunt, vt suis indicijs, & causis certo constaret,sequitur putredo,& omnia,quę cum ea continentia sunt, nimirum locus, obstructiones & motiones omnes,quas potest ciere.Angustia meatuum facile potuit cum dicto genere in ipsis subsistente obstructiones parere, è quibus calor primum deinde motus halituum contentorum toto corpore fuerit excitatus, qui halitus, quoniam à calidiori primum humore,tenuiorique, & calorem facile cõcipiente elati sunt, propria prima die etiam horrorem sensit,& quasi rigorem, & inde calore vincente eam febrem,quæ ab acribus illis fumis principio potuit solũ spiritus calefactos sequi, & in genere ephimeræ esse,vrinasque minimè mutasse, vt multis euenire solebat antiquitus, cum balnea pręteribant, quibus primum rigor, deinde ephemera febris fiebat,

bat, nostro etiam tempore multis, quibus natura variolas, aut morbillos expressura est, ephemera tantum febris sit, nihilque vrinæ mutantur, & pulsus summam seruant magnitudinem, & æqualitatem, in quibus tutissima ea res est, esto quod à spiritibus ad sanguinem calor peruenerit, sed in nostro ægroto res longius progressa est, nam vrinæ non solū à naturali statu per colorem discessere, sed per maximā crassitudinem, & turbulentiam, quare non solum spiritus, non solum sanguis, sed vitiosi humores à calore præter naturam compræhensi sunt, id quod sine putredine esse non potest, quamquam in integro sanguine euenit, in quo tamen calor is minimè diu seruatur, quin in eo etiam per tertium diem putredinem moueat, interea verò neque id est vnquam cum eo caloris, neque vrinarum genere, quod habemus, minus cum pulsuum paruitate tanta. Putredo itaque eiusmodi calorem igneum, quem tactu percipimus, & febrem concitauit in humore iam constituto, vt communes notæ vrinarum, & pulsuum demonstrāt, à qua putredine vix huiusmodi feb. distincta potest intelligi, cum febris sit ille ipse calor in humoribus per putredinem conceptus, neque intelligi, neque definiri, quid ipsa sit, queat, nisi putredo, & humor putrescens accerseatur, compræhendaturque. Euenit namque hoc accidentibus, vt definiri perfecte non possint, nisi definitione dicta causali, cum sua namq; causa semper vim suā sortiuntur, nunquamque à sua causa queūt separari, vt substantiæ ipsæ possunt, quæ se ipsæ esse, & se ipsæ intelligi, & definiri valent. Sic cum putredine etiam huiusmodi febris coniunctim explicata est, quoniam naturam coniunctam habēt; putredinis modo vim, & naturam consideremus, & in suas differentias, quas posset subire, diducamus, eiusque inde motiones, & pericula subiungamus, cum ex angustia; & obstructione calor excitatur, ille prius partes humorum à perfecto, & temperatissimo sanguine remotiores absorbet, ac illas in primis, quæ adeò ab illius medio temperamento recedunt, vt alibiles amplius non sint, recremētique nomen merentur. minus enim aduentitio, & alieno calori resistunt, quæ minus naturæ conuenientia, minus ab ea tutelæ habent, certè eo magis infirmæ sunt, quo longius à naturali temperamento discessere. At quandoque tantæ sunt obstructiones, tantaque vis caloris ignei, vt non solum humores recrementitios, sed alibiles etiam compræhendat, semper tamen prius eos, qui à perfecta sanguinis, mediocrique natura sunt remotiores, qui sanè sub febre facile multi putredini suppetunt, quoniam febris suo calore sanguinem afficiēs ex eo mediocri statu aliquam semper eius partem euocat, conuertitque aut in biliosum, aut in serosum, aut in melancholicum humorem, quando fieri non potest, quin à calore immutetur, eaque immutatione non prius putredinem subeat, quin in aliquam partem abducatur, sub quo tamen statu nō continuo nomen sanguinis amisit, quin putredinem accipiens dicatur sanguis etiam putrescere, siquidem nondum alibilem naturam ex toto amittit, nomenque sanguinis tenet, seu biliosi, seu ichorosi, seu melancholici, fieri autem non potest, vt putrescat sanguis simpliciter quemadmodum dicit Galenus, & cum ipse dicitur putrescere, tunc intelligitur sanguis quidem, sed non perfectus, non simpliciter sanguis, verum cum adiectione serosi biliosi, melancholici. Vnde ciborum ea genera, quæ eiusmodi sanguinem non perfectum creant, ea mali succi dici consueuere, & esse in causa, si obstructiones inueniat, similis putredinis, quæ etiam maligna à Galeno, & à Græcis Medicis nominatur, quoniam cum sanguinis partes attingat, maximi etiam periculi, & difficultatis est, & potest sæua, & maligna symptomata parere, sic putredo potest diuersas naturas subire, prout diuersas humorum species corripit, potest etiam idem facere, vt maiorem, vel minorem copiam humorum sortita est, quando namque plurimorum vitiosorum copiam tenet, tunc, vel si frigidi illi calorem mitiorem faciunt, maligna putredo, malignaque febris, vt monet Galenus libro de crisibus, dici consueuit, etiā si mitis, & nihil sæuioris symptomatis habeat, potest quidem etiam maligni nomen subire, cum partem aliquam principem tenuerit, vt ventriculum. Iecur, pulmones, & etiam cerebrum, vnde dicebat Galenus libro de crisibus, quod erisipelata dictarū partium febres malignas edere consueuere, sic nomen maligni, quod non naturæ differentiæ, aut speciei febris est, sed moris, vnam non habet sui causam, aut significationem, quin quandoque nomen id latè acceptum curationis difficultatem, quandoque periculum, quandoque latentem quandam vitiositatem, quandoque sæuitiam symptomatum, & terrorem eorum significet, sic Galenus quandoque nigras vrinas, quæ mortis indicium sunt, malignam febrem deregere dixit; & faciei lætalis causam facit morbi malignitatem, quandoque multitudinem vitiosorum humorū malignum morbum facere vult, quandoque sæua symptomata malignæ febris esse, quandoque etiam mitem febrem malignam esse posse asseruit, vt vlcera curatu difficilia, & morbos eius generis maligni nomine donarit; vt maligni nomen communiter, & latè acceptum nō solum genus certum febris non comprehendat, ne causam quidem sui moris. De putredinis ergo genere, & more omnino huius febris existimaturus considero, quod dixit Excellentissimis vir, nimirum quod, cum huiusmodi febres exanthematibus affectæ in corpora cōtagio traducantur, malignum morem habere censendi sunt, qua modo causa, videndum. Contagium per halitum fit, qui quodam lentore præditus est, qui, cum sit ex putredine corripiente, & ad simile corpus accedat, facile adhærescit, & imprimit, nam, præter quam quod suo lentore, & similitudine potest facile adhærescere, etiam vim corrumpentem, & sibi simile gignentem exercet in eo humore, qui sibi genere similis est, in dissimili idem non facile facturus, cum generatio, & mutatio in contrarium facienda materiam tamen similis generis requirat, ac, cum non sit in hominibus humor similitudine communiori, quàm sanguis, id eo ipsa sanguinis putredo contagione communis fit. Hinc præter vaporem lentum duo necessaria ad contagium esse deprehēduntur, vis corruptrix, & similitudo, vt modo corruptrix vis putredinem tanquam matrem requirat, non quidem omnem, sed propriam, & eam, quæ penitus contraria mixto putrescenti est, quod, vt clarius euadat, id prædicendum, quod omnis quidem putredo contraria est humori putrescenti, quoniam illum mutat in aliam, & contrariam naturam, hactenus tamen ijs verbis penitus non distinguitur à concoctione quæ idem facit, sed ab ea differt, quoniam concoctio mutat materiam in nobilius genus, hoc est in alimentum, vt in chylum, in sanguinem, & in carnem, in recrementum verò etiam vtilis & vltimi alimenti. i. sanguinis quale est semen, quæ seminis concoctio etiam, vt ipsum est in recrementorum genere, ab Arist. maturationis nomine donaretur, vnde maturari propriè dicimus etiam fructus & περιπάμια; At putredo contra in peiorem naturam conuertit materiam, & illam quidem penitus inutilem, & nocuam, nedum superuacuam viuenti, ita corruptionis nomine digna est, quæ porrò ipsa quoquè variæ naturæ est, vt variè id facit, aliquaque putredo conuertit humorem, aut etiam carnes in pus perfectum, quod lacti simillimum videtur, aut humori alibili, aliqua autem in humorem penitus sordidum, & fætidum, & ab specie alibilium penitus

nitus remotum, imò alibili adeo contrarium, vt spiritum viuentis, & alimentum inficiendo corrumpat, aut aspernabile naturæ corporis faciat, prioris generis putredo corruptionis causa penitus, & ex toto esse non potest, cum teneat alimenti, & rei amicæ similitudinem, quæ suo contagio non solum non lædit, sed fouet sępe partes corporis, & ex aliqua etiam sui parte alit. Vnde videtis vulnera, quæ bonum pus habent, semper bono colore, & nitore esse, & valdè nutrita. Quemadmodum vlcera illa, quæ malò pure scatent, cum male nutriuntur, tum carnes habent, quæ eo pure semper conficiuntur, consumunturque, & serpentia etiam fiunt. Putredine igitur corruptiua nasci eos vapores, vnde cōtagium morbos transferat, necesse est, lentore vero & similitudine esse præditos oportet, quo hæreant, vt dixi, & afficiant. B Quæ res facilius fieri solet, cum putredo ad alibiles magis humorum partes, vt potè corporibus magis communes accedit, & eas non tantum exurit, quàntum proprio elicito calore cum humido in modum putredinis propriæ mixto propriam corruptionem afferentis illas colliquat, & dissoluit, non tantum caloris vi, quantum familiaritate quadam natiuum calorem vna cum suo humido euocante, ita si partes propriores sanguini corripiat, tunc similitudinē communiorem cum multis corporibus sortitur, & vapores lenti magis sunt, quoniam acris admodum calor non est, neque exurens, quo humidum lentum absumatur, sed dissoluens potius lentum humidum calore illud continente educendo. Non est corpus, C quod alibili humore, & sanguine simili refertum nō est humor, qui mediocri illo calore facilius quàm is ipse humor alibilis putrescat, biliosus enim tū acrem excitat calorem, & exurentem, tum ipse à mediocri superari nequit, pituitosus quoque, si à sanguine valde distet, non potest putrescere, nisi à vehementiori calore agitetur, cum frigidus humor sit. Minus omnia corpora simili horum humorum genere necessario pariter scatent, cum semper varij admodum generis sint. quæ à medio, & alibili recedunt, & corpora, quæ illis scatent, minus contagione affici consueuere, vt neque tempestatibus ad eiusmodi humores gignendos idoneis, quæuè morbosæ, & insalubres sunt, contagione admodum solent crassari, si animaduertistis, nam, quando pestis contagione illata D est, eo tempore semper temperies summa cæli, & salubritas corporum extitisse animaduersa est. Hęc itaque febris, cum exanthemata emiserit, non maculis, sed pustulis constantia, à me sic iudicaretur, quod contagiosa quidem esse iuxta experimentum potest, non tamen ita, vt, quæ vicinam sanguini perfecto partem corrumpit, quæque maculas rubras tantum facit; illæ namque maculæ non solum infirmiorem naturæ vim indicant, quæ non materiam potest à se disiungere, & repellere putrescentem, sed tantum colliquatæ à morbo materiæ vapores in cutem inficiendam exprimere, verum etiam ostendit vaporem illum à sanguine tabescente, & liquato attolli, ita maculæ malignioris putredinis notæ sunt, quàm pustulæ. Hæc ergo contagiosa febris est, tamē E partes sanguinis magis biliosas, & pituitosas, ac crassas cum sero quidē admixtas putredine corrumpit, ex quo natura debilitari adeo non potest, quin facile eas separet, & ad cutem extremam repellat, non autem tabescentis sanguinis vapores maculas cutis exprimant, sic non adeo malignæ putredinis est, quamuis contagione libera, & vacua non sit. Vt sperare etiam possimus naturam putredinem hanc in meliorem statum esse conuersuram, tamquam putredo non extremam malitiam attigerit, sed in medio versetur inter maturationem, & vitiosam illam, corruptiuamque speciem, à quo quidem medio facile huc, & illuc queat declinare, adolescentia verò, &

A optima natura corporis, & vestrę curationis diligentia, tum ipsius ægri obtemperatione citius in meliorem, quàm peiorem partem perduci posse videatur, sed antequam procurro ea, quæ speranda sunt, colligam quæ præsentia substant, nimirum, quod habemus hic materiæ copiam crassæ, crudæ, atque etiam biliosæ, habemus, quod crassitudo illa, & cruditas à sanguine non valdè distat, sicuti neque bilis. Habemus, quod partes hæ sanguini propinquæ putrescūt, & febrem faciunt continuam, & sua putredine generis peioris malignam, quamquam in peiori genere gradum summum aut extremum non tenet, habemus tandē, quod natura videtur materiam ad cutim expellere, dico videtur quoniam maculæ mihi potius sunt vaporum à morbo effusorum. Hæc præsentia sunt. Quæ modo futura suspicari possimus, videndum. Viri doctissimi à calore febris, & ab humoribus putridis corde se se defendente possunt multa Principi nostro accrescere nisi res in melius vertatur, febris coctiones debilitat, & vitiosas reddit, sanguinem etiam afficit, & in bilem, & melancholicum succum vertit, humores verò eiusmodi, & ij, qui putredine tenentur, facile in cor possunt sub febre labi, quoniam ipsum primum afficitur, agitaturque, quo fiat, vt ea materia in pulmones impellatur, dum ipsum se se exonerare contendit, vnde metus vitæ sit, pelli etiam posset in caput, & phrenitidem facere, & cum multum materiæ crudæ sit, ea etiam in cerebrum impulsa lethargo posset hominem finire, materia valde copiosa est in venis, quæ cum febrem longius producere, tum naturā cogere ad aliquem inutilem motum posset. Febris verò nō solum à materia, dum in venis versatur, sed dum extruditur, & ambitū corporis in venis minoribus sua copia multa occupat obstruendo, tum etiam dum extrusa ad cutim in pustulis conficitur, potest sustentari, & longe etiam maior fieri, imo lethalis euadere, si ibi materia non ad maturationem, sed ad corruptionem compelleretur. Posterior si quidem morbus quidam est, dum pus in pustulis conficitur, & valdè peior primo, quoties multæ pustulæ sunt, maximè si corpus adhuc impune intus permanserit. Vnde videmus ferè quarta die sub exitu pustularum febrem remitti, postea vero illis increscentibus, & suppurantibus rursus increscere, nullumque ægrum in prima febre, sed in secunda tantum interire, ideo in tanta materiæ copia, cuius nota cum illa extat, quod febris in exitu pustularum remissa admodum non est, nō tam in primo hoc excretionis motu, quàm in secundo hoc est putrefactionis pustularum verēdum est, hæc itaque possunt timeri, hisque occurrendum penitus est, nisi quid impediat, occurri autem debet materia quocunque modo imminuenda, & in diuersum à principibus, & necessarijs vitæ partibus auocanda, modo ne naturā agentem pertubemus, deinde materia exigua quantum fieri potest reddita, motus etiam naturę, qui fit per conuenientia loca, commodasque regiones iuuandus: & quoniā actio Medici est ipsi naturæ accommodanda, iam de tempore actionis naturæ seu morbi ratio habenda est. Die tertia ipsius putredinis, & feruoris pustulę enasci cępere, verisimile est, vt dierum criticorum obseruatio suadet, quod die septima perfectè expressæ futuræ sint, alijs verò septem diebus maturationem, & solutionem habituræ, priori quidem quaternario maturationem, posteriori solutionem, si res rectè progrediatur, sumus iam in fine quarti diei, qua lotium adhuc crassum, & turbidum maximè cernitur, sumus, vt videtur, in principio, certè in prima parte huius totius morbi, quæ ad actionem naturæ attinet excernentem, ergo naturam habemus excernētem, propterea ambiguum alicui videatur, num detractione vti materiæ nos possimus, nam quamquam ini-

initium ipsum morbi id permittat natura non dum
A coctionem aggressa, tamen excretio eius per loca conuenientia non debet interrumpi. Qua in re ego sic statuerem, quod copia materiæ tanta à qua vitæ periculum metuendum est, penitus diminui debet, quo naturam reliquam eius melius regat, & coquẽdo, & etiam excernendo, motu vero eo diminui, qui detrahendo humorem illum ad loca, in quæ tendit natura, & magis conuenientia sunt, permoueat, neque naturæ impetum vtilem frangat, sed ex ea parte humor attrahatur, vnde sustineatur, ne in caput, aut thoracem, aut fauces præceps ruat, ita nequaquã secta vena sanguinem detraherem, ne ab eminentibus partibus ad medium motiones naturæ reuocarem, quamquam enim secetur vena in parte eminẽti, in eaque fluens sanguis à medio retrahatur, inde
B tamen ad medium ab omni corpore confluere sanguis cogitur, & ab ambitu ad medium vergit, incisa potius cute in partibus eminentibus per cucurbitulas sanguinem elicerem, non in superioribus, sed inferioribus, quo in diuersam à principibus à capite, à faucibus, à pulmoneque humores auerterem, itaque natibus ex fæmoribus incisa cute cucurbitulas saltem sex affigerem, cute prius fricationibus, & aqua tepida ad ruborem adducta, quo sanguis facilius effluat. Medicamento nunc valenter purgante nõ vterer, ea ratione qua etiam dicebam venæ sectionem esse refugiendam, ne actio naturæ interrumpatur, & in contrarium refracta frangatur. Antequam enim natura motionem hanc aggrederetur, profecto me-
C dicamentum, eiusmodi potuisset adhiberi in materia tam copiosa, & quæ turgentis rationem haberet, antequam motum certum à medio ad extrema inciperet, quemadmodum sectio quoque venæ quam vos adhibuistis fuit accommodatissima, cruda namque materia perspecta tanta non est, quanta vires infirmet, cum vicina alibili succo sit, Hac perfecta diminutione sanguinis, & motus ad inferna reuocatione (vtinam etiam aliqui humores per medicamentum initio fuissent detracti) tunc ad materiæ motum iuuandum accedere poterimus, ijs quæ sudores mouent, & etiam vrinas, non prẹterita interea ductione alui, altero quoque die clysteribus facienda cum cassia, melle violaceo, & iure herbarum cõmunium dictarum. Quæ autem motum natura iuua-
D rent opportuna esset, si etiam putredini sua siccitate aduersarentur, & febri suo frigore, nam putredinis quoque, & febris ratio habẽda est, in ijs essent Radices Pẽtaphylli siccitate. Tertij gradus prẹditæ, calore autem vix vllo. Radices graminis, & etiam eryngij peponum semina, cucurbitarumque vulgo probata sunt, quamquam propter τὸ λίπαρον ἤπιον ab antiquissimo auctore secundo de dięta comburentia dicantur. Raporum femina tutissima videntur, & maximè idonea iuuandæ expulsioni, cum quibus componi possunt ordeum, endiuia, buglossum, Borrago, cicerbita, & similis generis, atque si placeat Asplenium, cap. Vener. & polytrichon, ficus, sebesten, passulas, Dactilos, Radicem dulcem non ita probarem. Quam tamen arabicæ sectæ Medici in hoc morbi
E genere dant, cum lenticula, & multis alijs. Ego enim ea non possum probare, cum rationem eorum medicorum habeam suspectam, fortasse dum metuimus sub pustularum maturatione nimium sanguinis feruorem, qui secundus motus est, ius lentis, pulueres cornu cerui ῥινοκερωτις, vnicorni, & similes cũ tragacantha dare aliqua rarione possemus, vti cum serius segniusque excretio illa fieret, caricas, seu ficus siccas, sed quis est hoc loco metus feruoris? timet doctor nimium motum. Ego non video quin satis occurri possit motui nimio, & inutili ad partes principes, oculos, faciemque per materiæ diminutionem, & auersionem dictam, si pulueres sint ad febrem, & putredinem frangendam coercẽdamvẽ dandi, ego cornu cerui, & similium animantium deligerem, vt armenam bolum, terramque sigillatam ob nimiam adstrictionem reijcerem, potius lapidem bezaar darem, illum quo sudor moueri solet, præsertim qui non ab animali, sed è fossilibus capitur, tueret sic cor, & pulmones cum eo, à quo se se defendente pulmones ipsi affici alioquin solent supradicta ratione. Accederem vero ad fauciũ, oculorumque tuitionẽ, oculis aquam ex rosis cum sumach, & croco, si vultis aurũ candens immergere non veto, faucibus aquam ex ordeo cum rosarum expresso cremore, saccharo condito cum succo citri eodem modo parato, cum succo aurantij, aut mali punici, cum Diatragagãtho, aut diacodion, cum diamoron, aut Diacaridion cum syrupo violaceo iuiubino, de papauere, mirtino, rosaceo, de Ribes, & similibus. Victus ratio debet instituí, vt victus maxime sit ex ptissana, aut etiam ex ouorum luteis, quibus bilis frangi, & bonus succus gigni solet, sic tenuis victus seruandus, maxime, cum proxime ad statum morbi accedetur, parum idoneæ carnes videtur febribus, propter illud liparon, quod inflammari facile potest, tamen nisi satis ex his accipiat, aliquid ex alis pullorum, ex iecore, & testibus eorundem concederem, ex pane vero etiam trito, & loto iure pullorum incocto, potio probaretur mihi ex aqua ordei, incocta Graminis radice, & pentaphylli cum syrupo ex malis punicis, vel citrijs, vel nenupharino, aut simili, & non solum in mensa, sed etiam septem horis à prandio, tribusque horis ante cænam largam eiusmodi potionem darem. Somnum quibusque horis etiam interdiu concederem, cum noctu eum capere non possit, non procurarem autem ipsum maiori vi, ne morbo officerem, si vlla alia vi, quam eorum, quæ dixi ad morbum ipsum facientia, ipsum quærerem, sic vitarem etiam syrupi de papauere largiorem vsum. Integumenta corporis solita retinerem, nec nisi pro maiori caloris cæli incremento leuioribus vti vellem, nam neque corpus exterius est refrigerandum, neque nimium calfaciendum, æstuque cruciandum nimio sanguinis feruentis periculo. Cubiculum quoque calidioribus horis temperarem aqua non lateribus perfundendis, seu solo, quoniam fumum halitumque calidiorem, & nimis crassum, & pulmonibus, ac spiritui infestum educit, sed folijs arborum identidem mutandis recentibus aqua, & aceto respersis cubiculum spargerem, aer namque inspirandus, attrahẽdus esse debet frigidior, tunc autem corpus contectum esse conuenit, ne cutis meatus adstringatur, fenestræ post noctẽ, seu prima luce aliquantisper referandæ, patefaciendæ, quo aer cubili noctis conclusione impurus factus expurgetur, quod certis item horis interdiu quoque faciendum est, interea, vt dixi, corpore bene contecto. De alui ductione satis supra commemoraui, quare nihil reliquum videtur ad hãc consultationem, in dies vero si quid noui inciderit, id prosequemur. Dixi.

De eodem morbo variolarum nondum finito.

CONSVLTATIO DXLIX.

QVæritur ab Excellentijs vestris, quid prædicẽdum sit de hoc morbo, & an aliquid præsidij adhibere debeamus. Ego hic statuam prius de historia huius morbi omnia manifestè constantia, deinde ex illis ducam rationem huius prædictionis, & deliberationis. Variolas habemus in facie densissimas, vt etiam in pectore, & toto corpore, sed

sed in pectore, & manibus lõge maiores. Quod prædixeram, hæ, cum tertio die ab initio febris exire cœpissent, 7. finem exeundi fecere, inde crescere, & maturari cœperunt, & , quod etiam superioribus diebus dicebam futurum, illæ prius, quæ in facie sunt, deinde, quæ in pectore, tandem, quæ in manibus, id sunt consequutæ, quæ enim in cruribus, & fæmoribus, & pedibus non adeo crescunt, maturanturve, quoniã ob id, quod contectæ seruantur, tenuem cutilam sortitæ, habent inuisibilem discussionem. Itaque octaua die albæ factæ sunt, quę in facie nono die, & modo, quæ sunt toto pectore, de his, quæ in manibus, quoque dico, quod cras hoc est decimo albæ cernentur. Quæ in facie iam disrumpi, & siccari hodie incipiunt, cras, quæ in pectore, idem facturas credo; B Modo sub maturatione eorum, quæ in facie sunt, febris magna fuit, sub maturatione eorum, quæ sunt in pectore, longe maior, vt admonuerem fore, quoniam amplectuntur partem cordi contiguam, minorem longe futuram spero cras, seu hac nocte, cum manus pustulæ albescent. Pulsus ad meridiem quotidie crebriores vna cum incremento febris fiunt, bene validi sunt, nisi quod aliquantò debiliores sentiuntur nunc ex longitudine febris, & tenuitate victus duorum horum dierum, quibus, quoniam in statu esse morbum statuebamus, tenuissimum illum dedimus, sorbitionibusque fuimus contenti, addatis, quod pluribus diebus somnum capere non potuit. Vnde vir Excellentissimus, qui nunc tetigit, reperit eum firmiorẽ, eo quod per horam iam dormierit, mirum est enim quantum vires soluant vigiliæ. C Vrinæ, quæ vsque ad 5. diem admodum crassæ, & turbidæ euaserant, inde paulatim meliores factæ sunt, præsertimque 7. & inde in præsentem vsque 9. diem copiosæ, & subrufæ, & nitore aliquo præditæ fuere. 8. quidem posterior, & item 9. posterior ferè ad naturales accedere sunt visæ, nisi, quod aliquanto pluri suspenso, & crassitudine etiam maiori essent. Numquam delirium, semper bene constans mens, bene validæ corporis motiones omnes, etiam nunc, cum iam tantæ coctionis notæ vndique conspiciantur. Quid ergo prædici debeat, quidquam auxilij præberi. Ego hinc sic colligo, quod si vnquã in huius morbi cursu salus potuit denũciari, hodie certè possit, nam interno malo finito, eiectoque, maturatio in D externo morbo, hoc est in variolis fit, & celeriter, viresque corporis constat, ergo etiam morbus finietur, nam exteriora non possent concoqui vniuersim in ambitu, nisi interius quoque natura valens esset, in aliqua quidem particula exteriori visa est quandoque concoctio contra intus male valente natura, quod rarum est, at in toto ambitu id fieri non posset, nisi in principe quoque parte id fit, in vrinis præterea concoctio manifesta est, & tanta, vt cum maior cernetur, sani penitus hominis indicium futura sit siquidem longe post exit vrina, quam fit concocta, & affert indicium præteritæ rei, citum ergo finem, ne dum salubrem prædicere etiam possumus. At febris grandior continua humores intra venas putrescere ostendit, hoc non infertur, nisi cum febris E seipsa est in putredine sua propria, neque morbum alium sequitur, hic vero pustularum infinitam copiam sequi eam videmus, & earum maturationem. Dicit doctor, quod omnes febres ad tumores sequutæ malæ sunt, præter diarias, & hæc non diaria, sed putrida est, ergo mala, si mala, ergo, quod dicebat Galenus sequitur putredinem in venis. Dico malè esse acceptam, relatamque sententiam, quoniam febres, quę sequuntur tumores, & inflammationes putridæ omnes esse consueuere. Dicit Galenus exceptis ijs ephemeris, quæ ad bubones sequuntur, nam dicit libro de crisibus, quod ephemera nõ sequitur vllum tumoris genus per bubones. Satis vero causæ est huius putridæ febris in pustulis admodum densis circum cor, & faciem putrescentibus, cur ergo aliã causam quæramus? Esto vero alia quoque causa sit, nimirum materię intra venas putrescentis, cuius notas in vrinis subiugalibus superius habebamus, profectò illa materia iam à natura deuincitur, concoquiturque, Etenim febris aucta semper putredinem maiorem indicat, quæ putredo omnino vel concoctio, vel corruptio, exustioque est; sit modo hæc concoctio, an exustio, decernere possumus inspectione vrinarum, quæ nullam penitus exustionem habent, sed maturationem, quam etiam sequi potest ingens febris, qualem videmus, siue modo intra venas sit eius materia, siue solum extra ipsas, certe etiam, quæ extra venas est, concoctionem recipit; nam in toto rosaceo colore infecta extant pustulæ, quæ candidæ paulatim fiunt, in quibus certè materia non admodum crassa est, quod sanguinis tenuioris, & aquosi excrementum sit. Ita neque magnæ pustulæ sunt; quamquam planæ, & admodum frequentes, cũ modo dicta coctionis indicia sint virtuti satis valenti coniuncta, sperare possumus magis nunc, quam antea esse conualiturum. Virtutis bene validæ notæ sunt, facultatum, omnium functiones ad motũ omnem, ad cogitationem, ad excreãdum, respirandum, & reliquæ, aliquibus etiam partibus morbus inclinat, nam os non feruet amplius, anhelitus non est fædus, vt antea, oculi non infestantur, quorum lachryma candidum pus est, est satis concretum, sputa sunt alba, & penitus ęquabilia. Vtrum modo aliquid auxilij sit opus, ego febri omnino resistendum iudicarem, quę creberrimos edit pulsus, nec mirũ, nam si, ex angine exigui loci inflammatione magnæ febres solent excitari, quid fiet in hoc corpore, cuius tota facies, tota ceruix, thorax, dorsum, & omnis cutis feruet pustulis, adeo confertis, vt inuicem contextæ videantur? febri ergo & cordi succurrerem pulueribus ex margaritis, & lapide bezoar, ex ceruino cornu vsto, & similibus, cum syrupis ex acetosa, endiuia, gramine, lupulis, nenuphare, succo citri, & eius generis alijs paratis, incoquendo herbas, radices, ordeum, & semina peponum, atque alia similis generis. Pustulis exterius nihil darem, quoniam sub cute satis tenui sunt, & facile, cũ maturuerint rumpẽtur, vt quę in facie sunt, fecere. Virtuti modo plus cibi dando subuenirem, cum iam status extiterit, & cum ptissana ouum liquatum iure, & aliquid etiam ex iecore pulli, aut testibus eiusdem, vel ex contusis candidioribus pulli carnibus, sic me gererem.

Febris hæc tam diu traxit, vt vel Medicis tædio summo esset, pustulæ namque disruptæ in corticem crassissimum euasere tanta putredine, & fætore, vt assistere non possemus, faciei vero crusta vix oculis, & ori exiguum quod foraminum relinquebat, & sicubi hiabat aliqua fissura, inde sanies lutea, & fætida exibat. Tandem conualuit, & in speciem suę pulchritudinis rediit. Augusto sequenti eiusdem anni diebus 50. post in febrem tertianam notam incidit difficilem admodum, quamquàm vnus ex Medicis ab illa tãta variolarum purgatione audacter illi bonam valetudinem ad 20. annos pollicitus fuisset.

De febre maligna pro Excellẽtissimo physico Ludouico Beuilaquio Larisio Consilium, quod quamquam in summa desperatione fuerat breuibus habitum, postea tamen in gratiam excellentis Augustini lucidi fusissime descriptum est, quo ipse iunior comprehendisset in ea cõsultatione doctrinam maxime necessariam haberet explicatiorem.

Conuenistis Viri doctissimi, & sine vlla controuersia omnes pro constituto habetis hanc febrem malignam esse nullo etiam symptomate in ea apparente eorum, quæ vulgò eo, quod sæuiora sint, maligna dici consueuere, siquidem in ea non sentitur

aut

aut calor admodum mordax, aut summus ille feruor à Galeno malignus dictus ij. de crisibus (tametsi aliquando exiguas etiam febres malignas dicat) lingua aspera non est, & minus nigra, non est sitis vehementior, non fastidium cibi, imo nec vlla à cibo auersio, nullus cordis dolor, nullæ nocturnæ vigiliæ, nulla vllius generis deprauatio humoris, aut aperta insania, non capitis dolor, non sopor grauis, non aliud quidquam eiusmodi generis sæuioris, ne maculæ quidem illæ, quæ communiter malignitatis indicium censentur, vt, posito, quod maligni vox ab hominibus ad morbos deducta sit, quod tertio com. in librum prognost. narrat Galenus, videamur omnino ipsum malignum morbi genus hic accipere; quemadmodum videtur determinare Galenus primo prorrh. 13. vbi maligni nomen generi cuidam medio inter læthale, & maximè tutum attribui vult; nobis ergo malignum inter læthale, & maxime tutum medium est, quod, vt ibi ait Galenus, vitæ quidem periculum minatur, minime tamen tollit salutis spem. Verum nolim quis putet Galenum sentire quod malignus mos in læthalibus quoque morbis non reperiatur, cum plerique maligni morbi læthales sint, imo ferè in maligno genere comprehensi ipsi maximè maligni dicendi sint, & Galenus vrinas nigras, atque alia læthalis generis sæpè maligna appellet. Appellationem potius, quàm rem malam credat eo loco à Galeno determinari, cui commodius in arte attribuenda est. Etenim cum malignum morbum dicimus, tunc infra læthalis nuncupationem manemus, & meritò Galenus eum scriptorem ibi damnabat, qui nomen maligni morbo læthali attribuisset infra eius vim subsistens, nec pro dignitate morbum appellans, aut commode designans, eius reprehensionis causam credo iam odoramini. Artis, & præceptorum ea ratio esse debet, vt consilia, & deliberationes, quas inde duci oportet, admodum distinctæ, & definitæ in sua opera referantur; ideo morbi semper sunt ex ea parte notandi, proprieque ab ea appellandi, qua maxime rationem curandi variant, & propriũ consilij modum requirunt, læthales ergo, & perniciosi morbi, quamquam maligni ijdem sint, nomine tamen non maligno, tanquam vero, sed læthali, vt magis proprio, & arti distinguendæ apto dicendi sunt, sic enim ipsi in maligno genere compræhensi ab alijs malignis discernentur, & sua ratione, eaque longe alia ab illis, nempe vt læthales, non vt simpliciter maligni tractabũtur, neque maligni propterea nomine vocandi quãuis maligni sint, citra verò læthale genus oppositis maligni dici debent, ita tamen, ne in alterum errorem incidamus, arbitremurque Galenum ibi voluisse morbos omnes, qui citra læthale genus sunt, nondum vero ad tutissimos accedunt malignos esse nũcupandos, quamquam enim malignos nisi citra læthale genus positos vocari voluit, non omnes tamẽ citra illud genus positos malignos nobis esse putandos censuit, sed, qui in eo genere essent. Hæc de maligni appellatione erant omnino prædicenda. Et quamuis artifices ipsarum rerum de vocibus dimicare acrius non deceat, semper tamen inter ipsos constare oportet, quid quisque velit quoque nomine significari. Vt modo nominis, & vsu notato insequens est, vt de re ei nomini subiecta videamus, quam vim ipsa in se concludat, vnde illius curationem docere possimus, solet multum facere ipsa nominis enodatio ad rem explicandam, cum nomem alicuius rei fuerit non vacuum, & inane, sed rem habeat subiectam, cui apposite datum sit, tunc enim nomen rei sua ratione cum re continetur, nec ratio nominis simpliciter nominis esse potest, sed rei quoque est sibi subiectæ, ita verò fit, vt vi nominis explicata res quoque ipsa delecta, & designata ex infinito omniũ

A rerum genere teneatur, & sumpto ab nominis enodatione exordio, ad rei naturam conspiciendã possit perueniri, atque inde explicatione rei deductã definitionem naturæ eius colligi, qua rei omnis vis, & proprietas compræhendatur. Quod cum nos hoc loco fecerimus tunc ea doctrina in vniuersum constituta, & ante oculos posita, poterimus naturã huius febris æstimare, & eius curationem instituere, ac quid futurum sit præuidere. Maligna ergo febris ex nomine morem simplicem habere non potest, cuius moris genus omne ephemeratum existit, vel quæ à sanguine concalfacto in tertium diem solet produci, sic illarum generis non fuerit.

B Cum vero etiam maligna febris ex Galeno 3. de causis pulsuum in acutis numeretur, qui cum 3. de crisibus hemitritæum malignæ compressam dicit, morbum minime acutum, non febris ipsius naturæ morem, sed illum, qui vnius eius compressionis est, denotat, iccirco maligna ipsa neque in hecticis habenda est. Non ephemera, nõ hectica est, ergo putrida febris maligna ipsa est. At earumne putridarum, quæ alios morbos sequuntur, an quæ se ipse sunt? cõuenimus iam omnes hanc febrem ipsam esse malignam, & nullo alio nomine, quàm suo esse nominãdam, & ita non ad alium morbum, sed ad causas sequi, ex quibus putredo ei intima penitus est, & ipsius naturam constituit, & continet. Habet à putredine suam naturam, ergo habebit ab eadem etiam morem, & maligna erit non alterius morbi causa, sed sũa, quæ putredo est, cum non ad alium morbũ,

C sed ad suas causas tantum sequatur. Ad alium morbum sequẽtes febres, si malignæ sint, id ab illis morbis habent, à quibus ipse quoque sunt, ab illis namque effectæ ab ijsdem mores suos quoque effectos sortiuntur. Malignæ ardentes ergo, quæ teste Galeno ad erysipelata ventriculi, aut iecoris, aut pulmonis sequuntur, illæ necessariæ suam malignitatem ab ea, quæ erysipelatum est, habent, quæ propterea eorum symptomatibus feris expressam malignitatẽ sortiuntur. At quæ febres se ipsæ sunt, & se ipsæ etiã malignæ sunt, ac putridæ naturæ cum sint, morem à putredine, vt à sua natura, seu proxima suæ naturæ, & suæ naturæ continente causa nãcifcuntur. Putredinem itaque hanc deterioris cuiusdam generis esse necesse est, quam simplex, febrisque simplicis

D putredo existat. Putredinis ita genera consideranda sunt. Omnis quidem putredo generationi, & cõsistentiæ mixti ipsa corruptio est, ac sicuti mixtum suo proprio calore humidum cum sicco amplexante continetur, & seruatur, sic eius corruptio fit ab alieno calore proprium calorem, & vna cum eo humidum educente, ex quo primum humidius mixtũ fiat, tãdem sicco relicto solo squallidum remaneat, quæ omnia putredinis ipsius sunt, vt idem putredo, & propria corruptio ipsius mixti sit, sub ea enim nõ solum forma mixti perditur, quæ proprius calor est, sed etiam materia dissoluitur, quæ humidi, siccique complexa constat, in hac putredine morbi positi rectè à medicis dicerentur esse contrarij à tota substãtia, quoniam in vera substantiæ corruptione consistunt.

E Quo autem humores alienum in animante sentiant, vnde putrefiant, in eius animantis corpore congeri, & contineri fumos acriores opus est, quorum fumorum calor naturali calori aduersatur, vbi, si continentium partium corporis calor naturalis ipsi alieno penitus cesserit, tunc corruptio prorsus animal tandem extinguet, vbi putredo sæpissime acris humoris vim sequuta exustionis speciem subit, calore alieno proprium iam non educente vna cum humido, sed ipsum humidum acriter absumẽte. Interdum vero propriæ putredinis speciem retinente, putredoque pessimi generis fuerit; sin continentiũ partium calor validus sit ita, vt alienum compescat, aut

aut certè regat, tunc alienus calor humorē, seu mixtum minime potest dissoluere, quin ipse à naturali rectus, moderatusque humorem ipsum quidē corrūpit, ea tamen & meliori corruptione, qua ad quandam coctionis speciem perducatur, quæ, vt à naturalis dominatu fit, similitudinem, & temperamentum alibilis humoris habet, vt tamen interuentu caloris alieni fit; minime alere potest, & recrementi genus retinet, vnde tamquam recrementi coctio nomine maturationis merito dicta est. Huius generis constat esse ipsius boni puris confectionem, & omnem ei similem concoctionem, seu maturationem, quæ in venis quoque fiat per putredinem. Duo itaque sunt prima putredinis genera exposita maxime contraria, vnum in quo nihil penitus calor naturalis possit, ac si illa putredo in cadauere haberetur. Alterum in quo naturalis calor alienum compescit. In primo calor naturalis penitus ab humore putrescenti euanescit, vnde non amplius humidum eius cum sicco queat contineri, aut vna cum humido ab acriori calore absumitur.

In altero calor naturalis in humore per alienum calorem compræhensum putrescente à naturali calore partium continentium fotus sustinetur, ita humidum cum sicco complexa seruantur, quamquàm ad alienam ab alimento vim per alienum calorem impulsa non possint ad alibilem vim à naturali calore reuocari, ad eius similitudinem certè, & æmulā naturam cōuertuntur. Inter hæc duo contraria putredinis genera tertium consideratur, cum putredo mediæ naturæ est, & ancipitis motionis, & vterque calor vires suas exercet. Vbi latum spatiū est, & varietatis plenum, vt vnus, aut alter magis, vel minus superat, & magis, aut minus ad hoc, vel illud extremorum contrariorum res inclinatur. Medium itaq; putredinis genus medio febrium putridarum generi est attribuendum, & cum dicimus febris malignæ putredinem deterioris cuiusdam generis etiā, eo pacto deteriorem intelligere debemus, quo etiam nomen maligni morbi accommodabam. Nomen maligni medio cuidam generi inter læthale, & tutissimum dabatur, hæc itē deterior putredo medio putredinis generi, sic deterius putredinis genus malignæ febri datum per corruptionem illam mixto cōtrariam nondum ad illam certe peruenerit, neq; ēt ad maturationem, sed in illo malo genere eam, quæ inter illas diuersas ambigere dicta est, putredinem habebit, quę quando non dum facta sit, nondum ad exitum alterutrum contrariorum peruenit, sed etiānum fiat, interea non minus ad corruptionem cursum tenere, quam ad maturationem possit, ac cum corruptionem minetur, maturationis tamen interea spem non adimat, sic & salutis spei, & metui necis locum relinquat, ita quod malignitatis medium, & ambiguum fuit, id ipsa malignitatis causa in se contineat, rationemque eandem putredo cum effecto à se morbo, seu febre subeat, & quemadmodū de maligno morbi genere dixi, nō id ita dico, quòd haud quaquam malignam illam quoque putredinem esse existimem, quæ sua illa extrema corruptione penitus læthalem febrem facit, hanc enim ipsam vel maxime esse malignam scimus, & summè malignā nominare cum Galeno possumus, sed quòd cum eo hāc læthalem, aut perniciosam dici aptius arbitrer, quā malignam, quo artis officia, & distributè tractari, & referri ad distinctas morborum rationes aptius possint. Hæc ergo putredo quę malignę febri subest intra illos fines coercetur, quibus non dum aut maturationem, aut extremam corruptionem spectet, sed inter vtramq; medium cursum tenere videatur. Ita vero hanc mediam inter putredinis duo genera posita, vt inter veram alimenti coctionem, quæ eius generatio est, & putredinem illam fædam, quæ extre- A ma eius corruptio est, eam mediam quis recte collocarit, quam maturationem nuncupabamus.

Ad verum itaque loquentes in Gal. instituto maneamus, vt nunquam non mansuri simus veritate permittente, & pro constituto ponamus, quòd febris medij cuiusdam generis, & putredo mediæ cuiusdam prauitatis malignæ sunt, & cum ad perniciē prauitate sua accesserint, quamquam etiā malignæ, potius tamen læthales appellandæ sunt. Cæterum de putredine hic præteriri non debet, quod est & iunioribus scitu necessarium, & nobis commemoratu admodum iucundum, ipsam .s. putredinem à febre putrida minime distingui sensu medico debere, minus huius malignitatem ab illius prauitate. Hoc quę so ne grauemini è Philosophiæ fontibus haustum, B & initijs altioribus repetitum agnoscere. Rerū earum, quæ se ipsæ non sunt, quæque οὐσίαι, dici non possunt, naturæ tum alterius sunt, tum in illo cuius sunt existunt, ab illiusque vi, & natura emanant, atque cum ea continētes sunt adeo, vt ipsarum vis ne intelligi quidem perfectè queat, quæ nam sit, ni id ipsum quoque, vnde sunt, comprehendatur. Sicuti enim res, quæ seipsæ sunt, nil aliud causæ habent, quòd sint, nisi ipsum quid ipsæ sint, sic hæ ipsæ res, quæ ex alijs ortę vi illorum consistunt, etiamsi, quid sint, ipsæ exponantur, non tamen in eo habent causam cur sint, ideo ne quid sint, quidem perfectè sciūtur, perfectè siquidem traditum, quid est, continet etiam causam, cur res est, itaque earum rerum nulla percipi perfectè potest, quæ sit, ni res quoque, vnde C est, apprehendatur, qua vna secum comprehēsa, qm̄ causam refert, cur sit, perfectè quid ipsa sit intelligitur. Hinc Arist. solidæ doctrinę magister definiendo Eclipsim, qm̄ ab interpositione terræ est, dicebat Eclipsim, nimirum Lunæ defectum esse terræ interpositionem: & tonitrū, posito quod ab extinctione ignis in nube existeret, dicebat esse ipsā ignis in nube extinctionem. In huiusmodi rerum genere febris putrida est, ideo non possumus dicere, quid sit, non cōpręhenso eo, vnde proximè ipsa existit, in quo nimirum igneus calor continetur. Secus .n. ipsum quid sit, & pp quid, vt debent, coniuncta in vnam naturā non erunt, neq; vna notione compræhendentur, vt perfecta notio efflagitat, in quo genere cum omnes D morbi à materia præsertim nascentes reperiantur, qđ de febre putrida dictum est, id in oībus ipsis perpetuum debet existimari. Hinc factum est, vt indicatio ab eiusmodi materia sumpta non ad præseruationem, sed ad curationem spectare dicatur, & quoties curatio instituitur indicatio potior ab ea causa elicitur, quod recte dictum est, quoniam ea indicatio à natura morbi duci existimanda est, & hoc, quia ea causa omnino potior naturæ morbi pars est, à natura vero omnis ratio curationis sumitur in hoc à præseruatione distincta, quod pręseruatio ad eam causam spectat, quæ non naturæ morbi pars est, neque non sine eo reperiri potest, quin sæpe non dum facto morbo existat, sæpe etiam remota morbum à se factum relinquat, quod causæ, vnde E proxime morbus est, quæque quid, & propter quod morbus sit, refert, non euenit, ita indicatio ab hac sumpta causa à natura morbi est, in quem sensum Galenus quoque loqui solet, cum ait, febrium putridarum curationem ad causam spectare, nimirum ad illam, quæ naturam febris complexa est, cumque ea penitus continens est, sine qua febris illa esse nō pōt, qua ponenda poni, tollenda tolli febrē necesse est, qm̄ aliter nō pōt se habere, vt ab illa causa febris cum vim, & naturā, tum morem penitus nãciscatur, ac quo febris maligna existat necessario mala putredo, malusq; humor est, ita verò mala putredo, vt medij cuiusdam generis sit inter viam, quæ ad maturationem, & quæ ad extremam corruptionem tendit.

De qua vero mala putredine, eiusque genere medio id quoque adnotandum est, quòd contagione solet cum similibus facile communicari, & id consentaneum esse propriæ eius naturæ agnoscitur, si putredinis natura suprapofita ante oculos habeatur. Ea mixtum corrumpit ea forma, quæ calor naturalis est, abducta, & cum ea humido elicito, siccoque relicto. Materia illius formæ, & caloris siccum erat, & humidum, ad terram, & aquã maximè pertinentia, quæ complexa in mixto vi caloris, & formæ suæ continebantur, & quodam lentore continua seruabantur, qui vi mixtionis suæ per coctionẽ perfectè natus esset, itaque cum calore, & humido etiam lentor decedit, qui cum sicco remanente non potest retineri, siccum ergo dilabitur, humidum vero secum lentorem effert vna cum calore in anhelitum dissipatum. Cum itaque lentor ille, & gluten in humoribus alibilibus admodum magnum insistat, eo maius illud erit, quo humor alibilis magis, & naturæ sanguinis propior fuerit, & eo magis lentos halitus per suam putredinem effundet. His visis hoc aliud adijciamus, quod halitus è putredine profecti duo habent in primis, vnum est, quòd corruptionẽ, vnde sunt, redolentes, cum corruptio maxime rei cõtraria sit, non minus, quam illa ipsi contrarij, sint eiusdem rei, nimirũ cuius corruptione effecti sunt, ea enim re corrumpẽda extitere. Alterum est, quòd propter suum lentorem cuique facile adhærescunt. Vnde efficiatur, quòd, cum similis generis rebus, vt facilius fit, adhæserint, illas vi sua contraria maxime possunt afficere, & eis eandem corruptionem inferre, quam tenent. Sic, qui cũ affectis versantur eiusmodi, facile ab eisdem febribus inficiuntur, præsertim, si illi vapores spiritu per pulmones introducti corpus inuenerint non bene perflatum, & obstructum, humoribusque imperfectis, & ad corruptionem opportunis scatens. Aberat in nostro lentore ab hoc extremæ corruptionis genere putredo ipsius malignæ febris aliquantum eius quidem compos tãtum, quantum medium genus solet extremi esse, ex parte itaque prauitatis, & corruptionis illius compos necessario ipsa quoque poterit plus minusve per contagionem impertiri, quamquam non tam facilè, quam, quę extremæ esset corruptionis. Atque hactenus natura, & proprietas malignæ febris exposita est, cuius explicatione nõ solum quid, sed propter quid sit, vna cum proprietatis causa comprænhensum videmus, vt ratio cuiusque rei comprehendere debet, inde enim & moris maligni, & contagij rationẽ apertam habuimus. Neq; vero ego ineptus habear, qui res illas sim oratione prosecutus, quæ viris peritissimis minime esse necessaria videantur, nam is sermo non tantum apud ipsos habetur, sed audiunt ẽt iuniora ingenia, quæ in arte nostra instrui à nobis debent, neque huiusmodi vtilitatibus priuãda sunt, quamquam igitur forsan est, cur vestra causa grauemini, horum certè causa debetis alleuari. Cæterum malignæ febris notitia hactenus solas eas causas cõprænhendit, quæ pars naturæ illius sunt, restant aliæ, quę eiusmodi sunt, vt ad illius originem conueniãt, quam non necessario illis ponẽdis illa ponenda sit, tollendisve tollẽda, nam, sicuti sine ea illæ esse possunt, sic sine illis ipsa, cum facta iam putrida febris est, potest consistere. Verum enim vero illis manentibus ipsa non facile tolleretur, à quibus ali, fouerique admodum solet, vnde necessario sunt à medico submouendæ, vt ne aut ipsam febrem faciant, aut aliquo pacto conseruent, ita tamen, vt earum detractio non curationi, sed preseruationi attribuatur, quemadmodum subtractio superius dictę causæ febrem complexæ curationi data est. Alienus calor erat causa putredinis, cuius cõtractio in animante est facilis, quoniam in eo halitus semper fit, qui nisi è corpore effluat, si prohibeatur, alienum calorem repræsentat, imo alienam naturam caloris, & igneam inducit, sicque naturalem humorum calorem educere, & veram putredinem mouere potest, aut humidũ absumere vna cum insito calore, & putredinem cõmuniter dictam facere. Obstructiones ergo inter causas sunt, & itẽ humores crassi, lenti, & multi, vnde ipsæ obstructiones cõficiuntur. In causis quoque numerari potest humorum certa ad putrescendum opportunitas, in ijsdem maximè est etiam continẽtium partium caloris innati infirmitas, ita multum refert, quam habeant humores, & ad obstruendum copiam, lentorem, & crassitudinem, & quam habeant ad putrescendum opportunitatem, nempe quam infirmi in suo genere, & quam inconstantis suæ naturæ sint, hoc est quàm non bene cocti, nec perfectè suum naturalẽ calorem coctione consequuti, dubia etenim quasi natura facile in contrarium potest ab alieno calore impelli, & vel etiam seipsa delabi. Quantum vero etiam intersit, quarum virium fuerit ille calor, cuius est eos humores conficere, & conseruare, putredinemque eorum in maturationem cõuertere, partium nimirum continentium vis.

Quæ porrò causæ cum sint ad medium putredinis genus efficiendum accommodandæ, ipsæ quoque medij cuiusdam modi circumcisis extremis definiendæ sunt. Atq; vt corrumpens illa extrema putredo alienum calorem, aut solum tamquam in cadauere, aut penitus vincentem, exurentemque sortitur, & quam plurimos anhelitus, & fumos detentos, & obstructiones admodum multas, & copiam humorum maximam vna cum lentore, & crassitudine, tum vero humorum corrumpendorum imbecillitatem, & continentium partium exiguam vim postulat. Vt pariter illa altera putredo, quæ maturat, alienum calorem naturali obsequentem, eiusq; ferè ministrum vult, & obstructiones tam diminutas, vt naturalis calor queat perflari, vnde neque ita multos humores, neque valde crassos, aut lentos, minus admodum ad corrumpendum opportunos, & partium cõtinentium calorem satis validum, sic media putredo causas cuiusque eorum generum habebit mediocres, & inter horum extremorum causas omnino mediam conditionem sortitas, tantumdem verò à causis extremę corruptionis recedentes, quãtum ipsa quoque putredo ab illa putredine remouetur, non tantum sit caloris alieni, non tantũ obstructionum, humorum, crassitudinis, lentoris, non tãtum imbecillitatis vel humorum, vel partium eos complexarum, quantum erat in putredine ipsa penitus corrumpente, in ea namque alieno solo calore vsa fere, vt in cadauere, humores corrumpebantur, in hac aliquæ caloris naturalis vires retinentur, quo maturationis spe non penitus destituantur. Maturationis tamen expectatio tam certa nõ est, vt in simpliciori, & minori dicta putredine ad maturationẽ contendente. Atq; vt maturatio fit in eundem modum, quo fit pus ab alieno quidem calore, sed naturalẽ non exterminante, vt in extrema putredine fiebat, non etiam admodum impediente, vt media, sed ipsum retinente vt potiorem sui operis auctorẽ, vt maiorem feruorem ẽt vtrique caloris naturalis, & præter naturã simul concitent, quam in extrema illa corruptione, sub qua alienus solum superstes esset, imo cũ putredo hæc maturationẽ maxime molitur maturatione humorũ modificante, nihilominus feruor illius summus tunc est, & summum febris incrementũ cum summa maturatione coniunctum habetur, vt meliori causa facta maior tñ morbus sentiatur ad operã maximã maturationis consequutus. Cũ contra in perniciosa, & extrema putredine eueniat, in qua alieno calore naturalem penitus eradicante

te vna cum naturalis extinctione alienus quoque à naturalis radice natus deferuet, &, qui non nisi ipsius naturalis vitio existat, naturali extincto feruorem amittit; & si non putrefaciendi vim, donec in cinerem humor peruenerit, qui exiguus quidem est, acris tamen semper, ideo putredo hæc non exustionem, sed fœdam corruptionem afferat; huiusmodi itaque febris, quo interitui magis homo appropinquat, eo minorem, ac debiliorem calorem habet, non dixerim mitiorem Galenum authorem sequutus.

Ab hac extrema corruptione parũ deflectit corruptio altera etiam perniciosa: feruorem retinens, in qua calor naturalis ita in igneum mutatur, vt quamquam vires suas nequit exercere, sed igneam tantùm vim, ipse tamen non penitus dissoluatur, quin igneam vim sustentans ipse maxime exurat, & corruptionem instar exustionis faciat, cuiusmodi sæpissimè in læthalibus febribus videmus, quarum vrinæ sedimenta, & nubes instar puluerem minutissimum, & nigrum contuemur.

In maligna modo ipsa febre, cuius putredo inter contrarias supradictas media est, neque penitus superat alienus calor, neque tamen à naturali eius actio certo regitur, quo maturationem firmiter efficiat, multæ vero varietatis eius putredinis conditio fuerit, vt magis, & minus in alterutrum extremorum inclinat, ita interdum maiorem, interdum minorem ardorem præfert. Ac cum in læthalem delabitur modo exustionem summam, modo frigidiorem corruptionem habet, vt vel naturalis substans igneus fit, vel penitus euocatus dissoluitur, cũ autem febris ad salutem reuocatur, tunc ferè per summum feruorem putredo perfectæ maturationis finem consequitur.

Hæc de communi febrium malignarum natura per medicorum sermones tam turbulẽter tractata, quo distinctius potui, narraui, causis etiam comprehensis, quæ intus in corpore esse consueuere, euidentes enim hic necessariam occasionem non habebant, siue ad imperfectum humorum genus, & vitiosum creandum, siue ad crudos succos in meatus attrahendos, siue ad meatus constringendos faciant, modum quidem generationis non prætertij. Quæ iam notitia communis rei tanquam thesis ante oculos posita facile potest ad examinandam, & curandam hanc febrem referri vsu tum theoricæ in disputando, tum practicæ in deliberando coniunctis, quod propter iuniores libẽter admonui, & præterea de vtraque medicinæ parte non possum, quin hoc quoque in eorum gratiam attingam, qui fieri possit, vt Theorica, hoc est, contemplatiua pars sit Medicinæ, quæ omnino Ars est, & quidem factiua? Medicus siquidem artifex est, & de rebus suis agere debet, vt Artifex, hoc est, non, vt ipsæ sunt, sed vt faciendæ sunt, aut ad faciendum referuntur, & quamuis Medicus res multas natura incidentes contemplетur, nequaquam tamen, vt Philosophus, intra earum rerum intuitum coercetur, sed omnem earum rerum intuitum, quæ sunt, aut incidunt, in eas, quæ faciendæ sunt, dirigit, & faciendi rationes, ac consilia inde deducit. Vbi videre est omnem intelligẽtiam rerum, quæ sunt, in præcepta, & rationes præceptorum earum rerum, quæ faciendæ sunt tamquam in partem Artis potiorem, & maximè expetitam, imo in verum finem referri, quo maxime efficiatur, vt si à fine quæque artis pars ad finem referenda debet nomen accipere, certè vtraque harum partium Medicinę factiua, seu practica dici debeat, quamquam inter se collatæ partes possunt vna theorica, seu intra intuitum contenta, altera practica vocari.

Neque vero certè nos practici non vtramq; partem amplecti debemus, quamquam in rebus singulis versamur, nulla rerum valente effectionem, aut actionem Artificis recipere, ni singula substet, vt hypothesis, tractanda, sine namque notitia ipsius rei, vt est, & quemadmodum habet, nunquam illius consilium potest moderari. Itaque nos primo loco ea, quæ sunt in hoc morbo, ad thesim supra comprehensam examinabimus, subinde vero ex ea contemplatione, quæ sint facienda, ad Artis præscriptam methodum, & informationem per scholas nobis traditas eliciemus.

Ea autem quæ sunt, nimirum morbi, eorumque causæ, & principia, quæ à Physico cognosci debent, altius in corpore condita sunt, propterea ex quibusdam alijs cognitis intelligenda, propositis ergo quæ palam in conspectu sunt, quæque sensibus subiecta sunt, inde reliqua perspiciamus.

Primum occurrit ipsius faciei ægrotantis color, qui admodum certè variat, quòd illa modo coloratur, modo decolor est, occurrit deinde calor ipsius corporis, qui videre quidem alicui mitior posset, mitis tamen non est, nam acris omnino percipitur, sed tardus, & ferè paruus, seu imbecillis, atque interdum cum frigore extremorum; alius est etiam Galeno mitis calor, alius imbecillis, quamquam tactum sæpe eundem habere videantur, quẽadmodum etiam homines plerique imbecilli animo mitiores creduntur, acrioris tamen sæpe iræ sunt, est postea corporis grauitas, & tensiua lassitudo cum iactatione eiusdem, sunt horrores quidã obscuri identidem nullo ordine reuertentes, sunt pulsus in primis signis habẽdi, qui valde parui sunt, & admodum crebri, qui etiam videantur imbecilles, certe inæquales inæqualitate dum dilatantur maximè conspicua.

Quorum verò celeritas maior longe in contractione est, quam in dilatatione, vt contra dilatatio contractione est breuior. Ac, ne cui videatur admirabile quid cum Galeno fingere, sciat ille, quòd quamuis vtraque pulsantis corporis arteriæ motio idem spatium decurrat, spatio tamen ad statum arterię medium relato magis id contractioni, quam dilatationi intelligitur inseruire, ponamus medium arteriæ habitum, quo ipsa neque intenta, neque cõtracta est, & ab hoc tamquam signo dilatationem, & constrictionem metiamur, cum arteria contrahitur longius à medio illo signo, quàm distendatur, tunc spatium ipsum, per quod motio fit, longitudini contractionis maiorem sui partem dat, quàm dilatationis, idem quidem est spatium vtrique motioni, vni tamen maiorem partem sui impertitur, quam alteri, quemadmodum etiam contra fieri cõtingit, hic ergo arteriæ habitu proposito, quæ in sene vsu longo, & amplior, & durior ætate semper est, intelligemus arteriam minus dilatari, vnde etiam pulsus minus attolli, & minor sit dicendus, ac longe plus se contrahere, quam dilatare, vt paruitas pulsus senibus familiaris nõ arteriam paruam significet, sed breuem motionem.

Hic motionem ad exteriora breuiorem habemus eo magis, si cum corpore arteriæ senilis conferatur. Habemus etiam pulsus inter se valde dispares, ne dum disparibus dictis motionibus dilatandi, & contrahendi constantes, nam plurium facta collatione minime easdem habent magnitudines, celeritates, crebritates, & imbecillitates suas. Cum pulsibus conuenire thoracis motiones admodum videntur contractio nimirum, & dilatatio.

Vbi efflatio quæ thoracis contractione fit, quamquam vsque adeo inualida, & curta est, vt orationis vel breuissimum cursum vna vocis contentione perficere non queat, quin in media prolatione ad circuitum complendum etiam, atque

etiam ſpiritum recipere,& renouare cogatur, id nō compreſſionis defectu, ſed dilatationis euenit, dilatatione tam exiguum ſpiritum ſua breuitate adducente, vt prolationi iuſtæ non ſat ſit, nec habente contractione ſpiritum, quem comprimendo prolationem producat, donec ad exitum oratio peruenerit, ſic illa motio, qua ſpiritus attrahitur, nempe dilatatio, breuior eſt.

Sequuntur vrinæ, hæ primis diebus à naturali ſtatu recedere non cognoſcebantur, deinde coloratiores factæ ſunt, cum ſuſpenſis aſperis, & nigris, poſtea etiam craſſæ, tum turbidæ, turbatiſſimæque euaſere lumen minime referentes, quale vrinæ ſub febribus flauæ ſolent, neque enim hæ perlucidæ ſunt, ſed obſcuræ, & colore tetro in rubrum vergente ſunt, quem peiorem vna cum craſſitudine denſiori, & perturbatione maiori in horas acquirunt. Alui fęces cum rufo colore exeunt, qui nimirum flauo dilutior videtur, quo nomine ex Hippocrate à naturalibus non diſceſſiſſent, verumtamen, ſi cum eo colore conferantur, quem nos in naturalibus obſeruare poſſumus, certè minus infectæ, & potius decolores videantur, molles quidem nimis ſunt, & crebrius, & largius deſcendunt. Vigiliæ ſanè nocturnæ nullæ, perturbata tamen ſomnia multa ſine vllo ordine, & minime continuata ſerie. lingua ferè habitum naturalem ſeruat, ac ſi qua parte ab eo recedit, is color eſt, qui modo in plumbeum, modo in purpureum obſcuriorem vergit, & nitore ſuo vt plurimum caret, ac ſi quando nitet, id ſecus eſt, ac ei conueniat, & læuor quidam eſt, quaſi vitri à viuente natura alienus.

Nullum etiam cibi faſtidium, neque vlla tamen cibi cupiditas eſt, vt ne ſitis quidem, quæ magna alioquin eſſe deberet. Sub præcordijs ſatis multa tenſio eſt, attamen ea ſine dolore eſt, & pondere etiam vacat.

Mores eius habitum ſequi potius, quàm delectum ad res accommodatum, nimirum vt ſumma ſemper comitate vir fuit, verumtamen illi videntur eſſe ad res, vt nouæ accidunt, nequaquam ſatis accommodati, & præterea ſunt quaſi hominis, qui modo è ſomno excitetur, aut aliquantulum à vino concaluerit, ita vt, nec illa ſua blandities exprimatur, nec modeſtia decus ſeruare agnoſcatur, tum lautiſſimus ſemper fuit, & delicatus, de morbo dolere, vt opus eſt, minimè videatur. Tacitus quidem in eo ſubeſſe quidam ſenſus mali, & naturæ ipſius formidatio intelligitur & videri poteſt, quaſi faciat more eorum, qui timidum animum vultu meliorem nituntur effingere.

Corporis etiam motus quodammodo incitatiores, affectatioreſque ipſum quaſi ſimulare robur perſuadent, cum alioquin ipſi debilitari in horas agnoſcantur. Hæc ſunt, quæ in corpore modo cerni poſſunt, præterita illa narrantur, quod ipſe protinus à cibo labori ſe commiſerit, quæ res, quamquam non penitus ei inuſitata eſſet, aliquanto tamen ſupra ſuam conſuetudinem tunc fuit, & tempeſtate inſolentiſſima propter pluuias ventos, & inæquabilitatem maximam, in qua vero frigus acrius moueret, ſic corpus à laboribus ſæpe ſudore vdum peſſimè afficeretur, præditum præſertim pulmonibus ob longam deſtillationem, tandemque copioſam valde imbecillis. Quibus rebus ſub aſpectu conſtitutis iam vim eorum poſſumus æſtimare, & ex ijs elicere, quæ intus infeſtent.

Ac calore acri corporis febrem nobis putridam indicante, cuiuſmodi ea ſit, & alijs perquiramus, & cum Galeno primum pulſus aſſumamus, & ſubinde alia, maxime vero vrinas. Sub facie ergo in hunc modum colorata, vt ſæpe eſt, pulſus crebri,

A & parui non poſſunt certè aliud nobis perſuadere, quam quòd facultas minime par neceſſitati perflationis eſt, cui nequeat ſatisfacere, ita facultas aut imbecillis, aut impedita ſit, paruitate pulſus, vt dixi, non arteriæ corpore, ſed motu eius metienda, quod ergo magnitudini motus detrahitur, id crebritas reſtituit, & ita perflationis ſatis habetur. Perflationis neceſſitas in creſcentibus fumis augetur, dum illi calore ſuo, & corpore infenſi cor, & arterias complent, infenſi quidem ſemper ſunt fumi, quoties aliqua obſtructione detinentur, quod etiā ſine putredine eſſe poteſt. At, vbi putredo eſt, acriores admodum ſunt, vt hic tactu ipſo percipimus, & multa eorum vis, vnde magna perflandi neceſſitas à copia, & genere putredinis effertur,
B putredinis copia humorum copiam, illius genus horum naturam, & genus conſequuntur, ſiquidem humores, & natura ſua, & copia genus putredinis variant, natura quidem cum putreſcentes, tum obſtructionem molientes, copia autem, qua obſtructionem, & putredinem multam faciant, multa ergo, & craſſa, & glutinoſa materia perflatum ſibi cohibens, putreſcenſque multam, & malam putredinem facit, vnde plurimi fumi moueantur, eoque peius putredinis genus euadit, quo ea materia ad putreſcendum fuerit procliuior, naturam ſuam antea per concoctionem minime firmam aſſequuta.

Huic modo tantæ neceſſitati non ſatis præſtare
C facultatem, & crebritate contendere, quod iuſta magnitudine conſequi non poteſt, vel ea infirmiori facta, vel occupata contingere debet, cæterum facultatem ſe ipſam infirmam eſſe hoc loco cenſere non poſſumus tam breui morbo, & febre caloris admodum mediocris, & ſymptomatibus, ſeu caſibus vacua, longitudo namque, & calor vehementior, ac ſymptomata vires ſolent conficere ſpiritibus diſſipandis, & corpore diſſoluendo, quibus rebus cum vacet morbus, non videtur corporis vis propria natura langueſcere. Citius ergo facultas præpedita ſit fumorum, & humorum obſidione, quod illi quidem incenſi, & non admodum inflammati vires obtundant, hi autem etiam craſſitudine, & genere ſuo vitioſo eas obruant, ſit copia potius
D obſeſſę, quàm fractæ vires fuerint. Eſto enim ipſe humoribus ab alendo alienis minus nutriatur, ea tamen vna cauſa non ita breui ſpatio adeo infirmæ vires euaſiſſent, ſubeſt enim ſemper cum vitioſis humoribus tantum etiam ſanguinis, quantum ipſa vita, & vires ſuſtententur, in eo maxime corpore, quod non vſque adeo inſignes cacochymiæ notas habet, oppreſſæ ergo vires ſunt maxime ab humoribus, vt paruitas, & crebritas pulſus ſignificat. Videamus modo nos, quo pacto id fiat. Humorum copiæ non vna, vt ſcimus ratio eſt, atque ea quæ ſanguinis eſt, qui quatuor humorum generibus conſtat, dum à ſua natura minime deflectat, ea nunquam vires afficiat, quibus ſcilicet alendis eſt nata, quæ tamen copia, ſi eo vſque excreuerit, vt conti-
E nentium partium vis non poſſit humoris intra iuſtum ſanguinis temperamētum continere, aut meatibus completis humores ſibi ſui perflationem impediant, tunc ſanguis concaleſcens pauco dierum ſpatio à ſua natura degenerare cogitur. Hæ enim duæ res ſunt, quibus ſanguis protinus vitiatur, ſicque alienam ab alimento vim, & infeſtam vitæ nactus vires duplici de cauſa opprimit non ſolum, vitio, ſed copia. Hic oppreſſas vires videmus, copia ergo vel in eum exceſſum deuenerit, quo à continentibus non poſſit conſeruari, vel cum eo etiam ſanguis non admodum integer ab origine fuerit, quod certo ſtatuere poſſumus, ſi & naturam corporis, & ætatem, tum autem vitæ modum reſpi-

respiciamus, neque enim aut suapte naturæ origine corpus tam temperati generis est, aut ætate, aut vitæ modo tam conseruati, vt credere possimus sanguinem nullo vitio à natura sua recessisse. Corpus, vt ad motiones maximè robustum esset, visceribus tamen, & capite non admodum belle habebat, quin & sæpe in arquatum incideret, & fere semper tussi cum sputo crassissimo laboraret, iecore ad obstruendum, bilemque gignendam nimium procliui, pulmone vero cum imbecilli, tum ad malos succos reddendos apto.

Capite vero etiam plurimum destillationum faciente. Aetas ipsa iam ad septuagintaquinque annum peruenit, qua ipse nequaquam cautæ vitæ esset numquam cibis, & laboribus recte vtens. Vt omnino in vitiosam copiam tantum onus virium sit referendum. B

Cui vero sententiæ congruit, quòd nullum in eo simplicis copiæ indicium extare videatur, & quamuis in corpore aliquis sit, & in venis tumor, atque in facie rubor, ille tamen faciei color perpetuus, constansque non est, & in summis febris incrementis tantum, neque etiam in illis semper existit, identidem namque recedit nō solum febre facta remissiori, sed ea quoque summa consistente, quod longe peius est, quòd ab interiori incendio spiritus, & sanguis intro reuocetur, quibus intus repressis semper rubor consideat. Ergo non corporis penitus genere, sed febris vi color ille excitatur. Febre autem, & vitio in humoribus constante sequitur, vt, quo genere humores sint, vnde vires obruantur, videamus. C

Atque illos quidem ad calorem, & bilem non multum pertinere persuadetur, quoniam ab illis febris esset vehementioris, & actioris generis, quod nequaquam tam vires ipsas occupasset, quin liberius possent se exercere, & venas spiritui accommodatas satis superque attollere. Vbi ipsæ caloris alieni vires, priusquam innatum calorem consumant, vim illius amplificant, eamque acriorem reddentes certè quidem illam exacuunt, eiusq; impetum citant, vnde plerumque etiam medicis imponant, qui, quod est ab alieno calore incitationis, id naturalis caloris viribus attribuunt, qui contra in crassis, & crudis succis subeuntem, & humilem arteriam sentientes, id in virium imbecillitatem, nō in humorum vim referunt. D

Restat ergo, vt nos tantam virium oppressionem in crassos humores referamus crassitudine ad vires retundendas, occupandasque apprimè idonea. Crassus porrò humor semper aut pituitosi, aut melancholici generis est, pituitosi generis crudus quoque pars est, nobis vero omnium horum certa suspicio habetur in cruditatibus ventriculi, & iecoris vitio, & vitæ erroribus posita. Cruditates tam crudi, quàm omnis generis pituitosi in causa sunt, atque etiam melancholici materiam sua crassitudine terrestri subministrant. Animi labores, sed maximè corporis, contentiones, excandescentiæ, studia, sollicitudines ventriculi maxime cruditates faciunt, & reliquas etiam coctiones deprauant, crudioremque subinde materiam exagitant, eam vero primum in interiores venas, & arterias adducunt, deinde ibi eam exurunt, ex quo partim salsa, partim crassior fiat, quæ terrestri sua parte non potest, quin aliquid humoris melancholici pariat per exustionem non humidis, sed siccioribus crassitudinis partibus exceptam, vnde omnino crassior ea sanguis euadat, sic autem vires sui crassitudine, lentore, & copia dictus humor opprimat, maxime quod non solum venas, sed arterias etiam occupet, quæ arteriæ cum intus, tum extra onustæ ab eo premuntur, & suis angustioribus partibus ipsæ, & E

A venæ quoque, ac omnes meatus inuisibiles obstruuntur.

Corpore sic onusto, obstructoque vapores humorum non possunt effluere, sic detenti, & eo feruore, quo facti sunt, relicti in eandem, è qua expressi per calorem sunt, materiam reuertuntur, ita magis, & magis omne corpus malo eo humorum genere completur non solum in venis, & arterijs, sed in inuisibilibus meatibus, in quos per totum corporis ambitum calore extenuati penetrarunt, adeo, vt maioribus inde sequutis obstructionibus peius semper cum corpore agatur, maxime si vllo quopiam frigore aspirante affectum sit, vt affectum hoc fuisse narratum est, obstructo subinde sic corpore alienus calor excitatur, naturalisque ipse vim igneam acquirit, vnde vires eneruentur solidis partibus ea intemperie affectis, & eo malo halitu calorem, & virium humoris, vnde est, retinente offensis, & dissolutis, ex quibus arteriæ sunt in læsione priores, spiritibus quoque ipsis detrimentum inde nactis vires etiam, atque etiam infirmantur, nam neque bonum vaporem sibi sustentandis necessarium habent, & alieno in locum boni veniente, secumque se permiscente eorum actiones infirmantur, deprauanturque, ita mali anhelitus, partes continentes, & humores in eis contentos, & spiritus per omne corpus penetrantes contaminando, dissoluendoque sua mala vi, & calore vires omni instrumento earum affecto reddunt imbecilles.

Huc paruerum pulsuum significatio cum crebritate coniuncta nos perduxit. Crebritas propria examinanda sequitur, hæc necessitatem perflationis auctam, calorem necessitas maiorem, & item fumorum vim infensiorem indicat, vis fumorum esse comprehensum in humoribus incendium, hoc tandem obstructionibus corpus occupari. Eadem crebritas propter necessitatem, quando coniuncta cum paruitate est, oppressionem, & virium imbecillitatem significat. Oppressionis ratio superius visa est, imbecillitatis etiam ex parte causa explicata, ex alia parte iam explicanda relinquitur.

Scire ergo licet, quòd febre, & putredine maturationem assequente vires corporis confirmantur, ea autem à maturatione remota languentes redduntur, istud nos in vulneribus, & vlceribus intelligimus, in quibus, cum bonum pus fit, eorum oræ, & carnes bene nutriri cernuntur, maturatione non multum à nutritionis coctione remota, cuius etiam multam partem in se comprehendat, cum autem in vlceribus malum pus est, eorum quoque oræ, & carnes concidunt, collabuntur, & tabescunt putredine illa nihil coctionis habente, quin etiam infensam vim efferente, vnde & spiritus, & solidæ, continentesque partes exoluantur.

Etenim vis insita omni corpori, & eius partibus, in quibus præcipuæ arteriæ sunt, ipsa ali continenter vult, tum sanguine, tum spiritu à corde misto, quo quidem insiti arterijs, & alijs partibus spiritus assiduè suopte calore soluti assiduè reficiantur, ita & sanguine, & spiritu detrimentum accipientibus necessario vires fiunt infirmiores, maxime cum hoc adiunctum sit iam dictæ intemperiei humorum, & halituum, vnde partes pertentatæ laxentur, & omnino reddantur languidiores.

Constat ergo ex rebus propositis, nimirum paruitate, crebritate, & imbecillitate pulsuum arterias esse crassis, & malis, ac putrescentibus humoribus infarctas, eorumdemque anhelitus plenas, nec non aliqua vitiosa intemperie inde affectas, & bonorum spirituum penuria laborantes.

Putredini humorum attestatur ipsa pulsuum inæqualitas supra narrata, & quòd dilatatione cõtractio intensior, maiorque sit. Rationem vtriusque indicij, iam tempus est, vt nos videamus. Vbi ego de cõtractionis, & dilatationis ratione primum, deinde de inæqualitate me expediam. Atque in contractionis, & dilatationis ratione, quibus necessario, & suæ quietes iungendæ sint, Rhithmus ipse pulsuum continetur, qui ad varietatem causarum maximè variet, in quibus præcipua refrigerationis, & fumorum expurgationis necessitas est. Arteria ergo refrigerij necessitate ducta sese è medio statu suo dilatat, necessitate autem fumorum exprimendorum impulsa non solum ad medium sui statum se recipit, sed arctius etiam, & interius contrahit, à qua cõtractione interea refrigerandi necessitate renouata, non solum ad medium reuocatur, sed vlterius etiam extrorsum se amplificat. Harum motionum partes potius, quæ sublimè contingunt, quam quæ altius subeunt tangentibus sentiuntur, in digitosque se attollente arteria potius quàm à digitis deorsum reuertente, hinc factum est, vt multi opinentur quietem internam pulsus non esse spatij longioris, sed videri, eo quòd tactui sese subripiat, cum tamen id non errore sensus opinandum sit, sed re ipsa ita esse tenendum, sunt enim homines, in quibus ictus contractionis in corde adeo vehemens est, vt ipsi eum sentiant, forsan, quòd cordis auriculæ à cordis contractione repletæ ab ictu contractionis cordis ictũ suum dilatationis excipientes sensum illum faciant, cum quo ictu arteria sese intus recipere cognoscitur, & tam breuis temporis contractio arteriæ fit tamquam proxima à dilatationis fine, vt totius tẽporis, quo circuitus vnius pulsationis fit, partẽ vnã occupet contractio cum externa eam antecedente quiete, reliquas duas cum interna quiete dilatatio, vt post ictum contrahentis se cordis duplex spatiũ sit expectandum, quo arteria quiescat, & sese dilatet, duplex inquam eius spatij, quo vna cum corde ipsa & quiescit, & se contrahit. Hic sanorum Rhithmus est certe. Febrem autem habentium non semper, neque in omnibus idem est, in quibus namque febribus plus flammæ, quàm fumi est, quemadmodum, cum aut soli spiritus inflammantur, aut ignis ex humore biliosoputrescente incenditur, vbi fumi ferè in flammam conuertuntur, & plus longe calor, quàm fumus lacessit, in illis dilatatio contractionẽ ex omni parte superat maxime celeritate, ita breuioris temporis est, & motum suum anticipat, vnde quietem internam etiam breuiorem reddit, externamque producit, in quibus autem fumorum copia incendium, & flammã vincit, quod aut sola humorum crassitudine, & frigiditate humorum incendiũ aspernantium fit, aut naturalis caloris nimium obruti, & strangulati, putredinisque non exurentis, sed corrumpentis causa, tunc non solum, quod in sanis esset, contractio celerior, quiesque interna longior est, sed apertior contractionis celeritas videtur, ita & in febrium accessionibus incipientibus propter fumorum vim nondum flammam comprehendentium eiusmodi Rhithmus sentitur, & in malignis dictis febribus, & pessimæ putredinis supra descriptæ, ideo horum pulsuum Rhithmus celeriorem habens contractionem, internamque quietem longiorem mihi significat certo putredinem crassorum humorum, qui penitus incendi non possunt, atque etiam si hæc cum alijs notis coniungatur, genus deterioris putredinis, aut adesse, aut imminere, cum enim febris annotatio perpetua esse non possit, seu accessionis initium, semper tamen eiusmodi pulsuum contractio fit, id non annotationi, sed generi putredinis, & humorum attribuendum est, è quibus plus fumorum, quàm caloris, & flammæ efferatur. A cõ-

A tractione ad inæqualitatem me rerero. Dimittam vero hic eam inæqualitatem, quæ inter multos pulsus ordine longo hic etiam obseruatur, quoniam hic illa ferè perpetua non est, minus vero certã morbi naturam significet, præter aliquam humoris crassitudinem, quin potius pugnam naturæ cum materia referat, sed vrgebo eam inæqualitatẽ, quæ morbi genus, & causas, vt quærimus, maxime detegit, eaque in eadem motione est. Constare debet, quod motiones arteriæ, quæ ab extremis dilatationis, vel contractionis ipsam ad medium, & statum naturalem reducunt, potius actionis remissiones, quam intentiones sunt, vt cõtra motionum partes extremæ, quibus arteria à medio statu ad summam dilatationem, vel contractionem refertur, intentione actio-
B num fiunt, & arteria ad extrema se mouens agere, ad medium se referens remittere se dicenda est, eapropter incidente aliqua maiori necessitate à calore, vel (quæ plus ad inæqualitatem potest) à fumis non est mirum, si inter has partes motionum æquabilitas non retineatur. Accedente præterea ea causa, quod in quaq; motione maior necessitas est eius incipientis, quam progressę, incipit enim contractio propter maximam exprimendi fumi necessitatem sub spatio dilatationis summè auctam, quæ postea necessitas, dum fit contractio, remittitur à contractione leuata, pariter dilatatio finem contractionis excipiens, sub qua contractione creuerit ad summũ refrigerandi egestas, initium concitatissimum face-
C re cogitur, ac dum dilatatio fit, egestate refrigerandi se remittente etiam remissior, & tardior dilatatio euadit, quo propius ad medium motionis accedit, atque de partibus motionum arteriæ, cum ab extremis incipit mouere se ad mediumque accedit, hoc est, de initijs, & medijs motionum sic habere est verisimile, in quibus natura corpore quidem sano remissior sit, vel in initijs ordiendis, in habente autem febrem, & maxime putridam, in initijs admodum conetur propter dictæ necessitatis incrementa.

De finibus motionum, qui semper post conatum naturæ sequi debent, sic habendum, quòd id fit lõge magis in febribus, quãquã enim procedente motione remissio necessitatis eius fiat, tamen motionis ea extrema pars sæpe incitatius exilit, non quoniam
D agentem vim intentam magis habeat, sed quoniam corpus arteriæ in fine celeritatem impetu acquisierit, sicuti omnes non admodum longæ motiones faciunt. Etenim corpus quoque arteriæ, dum à medio, & naturali habitu suo ad habitum minime naturalem vi impellitur, non potest non suapte vi impellente initio reluctari, ex qua contentione motui semper impetus spatio excitatur, qui ideo ad extremum motionis non admodum longæ, & ante finiẽtis, quam impetus tenetur, maior vel maxime reseruatur, vnde etiam bis ferire sæpe arteriam reluctantem, sub eaque reluctatione impetum retinentem valentiorem videmus.

Hoc agnoscamus in operibus euidentioribus, si vnquam aduertimus operas falcibus vtentes, eæ,
E dum ligna, secant siue ductim, siue cæsim id faciãt, semper contentius facta abscissione in motus parte postrema plus celeritatis, & vehementiæ est. Ferramentum namque ictum, adiectumve, aut contẽtius tractum semper ad extremum impetu maiori fert, ac, ni ipsum contineas, longe vlterius, quam conatus sis impellere, & impetu longe maiori prolabatur, quòd tamen in media contentione, & conatu maiori sępe, quòd ei materiæ pondus renitatur, subsistat, hæreatque, vt impetum ad extremum renouare videatur, & citatius in fine, quã in medio ferri. Quam rem in pulsibus fieri etiam videmus, cũ propter necessitates validæ vrgentes natura impensius ad mouendum irritatur, materiaque resistit, & etiã

instrumentum, vnde pulsus bis ferientes caprizantes, & intersecti fiunt.

Atque hæc de inæqualitatis causa dicta sint, in cuius ratione multas difficultates prætereo, nã scio opponi multa posse è varijs opinionibus nascentia, vt quod motio dilatationis sola actio est, quemadmodum quidam sentiũt, quod sola contractio actio quemadmodum alij.

Vt etiam quod reuersio ad medium, vt ad statum habitus naturalis ea velocior esse deberet, quod tamen tolli potest, quoniam hic plus possunt cogentes causæ ad extrema, quam reuersio ipsa in naturæ statum. Huiusmodi ergo rhithmus pulsuum, eorumque inæqualitas, cum putredinem, tum illam in humoribus crassis, & multis incensam demonstrant, & suspicionem faciunt, ne ea peioris generis euadat, B cui suspicioni multa alia supradicta consentiunt. Consentit quoque ipse respirandi modus, seu thoracis motus, qui Rhithmo ipso maxime est pulsibus consimilis, similemque in pulmonibus reperiri calamitatem significat. Vbi quamquam efflatio parua stat à parte coniecturæ, quod fumorum exprimẽdorum necessitas exigua sit, contra tamen se habet, si res interius perspiciatur. Parua vsque adeo efflatio est, & tam parum valida est, vt spiritus efflatus non possit vna contentione, vt solet, orationis circuitum vel breuem perficere, quin nouum spititum adducere oratione interrupta cogatur, hoc vero non tam in necessitatem refrigerationis admodum auctam referri debet, qua spiritus crebrius adduci cogatur, C quam in eius adducti exiguitatem, quid enim prohiberet multam refrigerationem accipi à multo spiritu quamquam rarenter adducto, non posse ergo ad exitum perducere circuitum orationis in exiguitatem adducti spiritus etiam cadit, ea vero non in facultatis motricis languorem, quoniam ea facultas minime languida cognoscitur, neque etiam, si esset languidior multo, non posset non satis thoracẽ mouere, cuius facilimæ motioni habitu ipso non minus, quam viribus potest satisfacere, sed potius in instrumenti deprauationem est referenda, quæ est in pulmonibus aut ob angustiam vicinis vrgentibus partibus, aut ob obstructionem, quod aut vicinæ partes ijsdem humoribus completę tumeant, pulmonesque compleant, aut ipsorum pulmonum meatus ijsdem D humoribus infarcti sint, Faciamus vero etiam, si vultis, cum Aristotele illam efflationem, qua verba proferuntur tamquam insito pulmonibus spiritu elisam præstantissimi generis, ac quasi viuentem, tunc nihil mirũ, si alieno anhelitu, & impuro permixtus spiritus, ab eoq; è sua sede extrusus, sede à fumoso genere occupata non queat tantus adesse voci, quantus sit satis, & eo fumo sordidatus, inquinatusque ipsius vocis tono non satis inseruiat producendo. Certè pulmo eo malo anhelitu, & vitiatis humoribus refertus nequeat tantum animæ adducere, quantum sit opus, alieno vero etiã anhelitu spiritum idoneũ, quantuscunque sit, perturbante, qui alienus spiritus etiam maxime à linguæ specie, & habitu indicatur. Læuor ille linguæ cuiusdam siccitatis externi eius E corporis est, & sublimem squallorem interno eius humori obductum refert non altius insidẽtem, qui à spiritu propter ipsam linguam promisso, eiusque faciem percurrente fiat, à venis enim, & coniunctis partibus, maxime vero à iecore affecta lingua, vt solet ob febriles occasiones, cum sordem contrahit, tum aspera est, & altius squallida, iecoreque inflammato etiam nigra. Cum ergo venæ à iecore eam altius permeent, idcirco ipsa ab illo etiam altius afficitur, à ventriculo autem, cum noxam accipit, sorde solet infici atque inquinari, quemadmodum etiam quando ex capite affecta est. At vero sic squallet hęc lingua, vt in extima tantum facie id fiat, & altus hu-A mor continente siccitate coactus glabram, & nitidam faciem linguæ reddat quoniam lucet eo humore lucido, & lento delinita quasi vitro obducta videatur, efflationi itaque impuræ is squallor ferendus est, quę efflatio ob copiam halituum fumosorũ per pulmones erumpentium eiusmodi est, quorum indicium erat etiam, quod thorax pariter, ac ipsæ arteriæ suas motiones permutauit. At enim non semper in hominibus pulsuum, & respirationis mutatio eiusdem rationis est, aut simul fit, neque par eodem tempore varietas, aut similitudo illis vtrisque perpetua est, cuius rei obseruatio hoc loco necessario commemorari debet, quo ea res probatione sui priuata non sit. Experimento siquidem ego compertum habeo, & iamdiù animaduerto, quod raris pulsibus creber sæpe anhelitus assistit, & è contra illi raro ipsi crebri iungũtur. Eodem pacto obseruo, quod vna cum pulsu, cuius contractio celeritate superet dilatationem, cuiusque interna quies quam externa est longior, coniungitur anhelitus sępissime, in quo thorax tardius se cõtrahit, quam dilatet (sumpta à medio illius statu ratione,) & longius quiescat elatus, quàm contractus faciat, & dico, si referamus hęc ad Rhithmum horum naturalem. Nam, cum se habent secũdum naturæ morem, quemadmodum in pulsu, sic etiam in thoracis motionibus semper contractio citior, & quies interna longior. Vt ferè, si externa quies, & contractio thoracis totum vnius pulsus spatium æquent, interna quies, & dilatatio duorum spacium volunt, & quandoque etiam trium, quod proprie & maxime sub sudoribus sponte factis apertissimè fieri obseruatur, vt sub alijs etiam excretionibus vel vtilium recrementorum, quod Aristoteles etiam notauit, quasi quòd spiritus longiori compressione, & citius facta in arterias impulsu maiori intrudatur, vnde excretionibus vim afferre possit.

Verum de Rhithmo motuum thoracis tantum dixisse sat sit, quo videamus sub hac febre non solum calorem, & refrigerandi necessitatem creuisse, qua sola aucta, vt in febribus ephemeris, bini pulsus cõsueuere vni thoracis quieti externæ, & contractioni, & totidem quieti internæ, & dilatationi dari, sed pariter creuisse etiam edendorum fumorum egestatem, qua multo plus spatij datur internæ thoracis quieti, & dilatationi, cui rei cum crebritas quoque eius valde concitata coniuncta sit, & tanta, quæ Rhithmum superet, qui esse natura solet inter pulsus, & respirationem, vt si ille est, quo ternorũ pulsuum, aut quaternorum spatium quoque respiratio compræhendat, hic crebrior lõge respiratio fit, hoc est signum, quo pulmones quoque ab humoribus, & fumis putredinis maxime vrgeri intelliguntur. Eadem enim respirationis, & pulsuum ratio cernitur, atque vtriusque actio alterius actioni respõdet, sic ambę cum eandem occupationem sui instrumẽti repręsentant, tum læsionem ipsam in omnes corporis partes iam deuenisse, ac crassos humores, eorumque infensos halitus vbique esse denunciant. Confirmant hoc alia, quæ omnia supradictis consentiunt, illa corporis exagitatio, conflictatioque assidua, creber ille hominis gemitus, quæ, cum, quid mali sentiat, nequeat eloquendo exprimere, offendunt ipsum interno quodam, tacitoque labore, & humorum, & putredinis mala vi facto teneri, tacito quidem illo, hoc est in parte minime aperto sensu prædita, quale cor est. Vnde mores etiam aliquãdo mutati, & insolentiores facti sint, vnde turbulenta, & tumultuosa insomnia, varijque faciei colores, confirmat idem grauitas corporis totius, ac pondus, quo intelligi debet dictam materiam in carnes ne dum in arterias quoque penetrasse, sicut à Galeno libro de plenitudine edocti sumus. Dorsi vero crurumque grauitas cum suam, tum ferè totius corporis

poris plenitudinem indicant. Vrinæ quidem maxime eamdem demonstrant, & crassorum humorum plenitudinem,& vnà putredinem, malumque illius genus, si illas diligenter examinemus, quod modo sumus facturi, sed prius è medio tollamus læuiora caloris exiguitatē, quā necessario ad humores crassos,& putredinem mali generis sequi declaratū est, quæ exiguitas Medicos fefellerit, arbitrati siquidem sunt,eam non exiguitatem, sed mitem caloris vim, qui tamen sub ea exiguitate acris deprehenditur. Extremorum illa identidem reuertens refrigeratio tanto peiorem putredinem subesse docet, quanto eam interius cogi,comprimique demōstrat, vbi malos halitus interno calore non eijci, & vias à crassis humoribus obsideri, Vbi partes quidem interiores incendio maiori flagrare esset necesse, nisi eius pessimi generis illa putredo existeret. Tractemus corpus attentius,calorem semper post assurgere,& succendi persentimus,quod propter materię crassitudinem, & lentorem ille tardius emergat, vt quandoque λειπυρίας speciem hæc febris præseferat, & si λειπυρία non sit, cum incendium internum non sentiatur, sed in vrinis dictorum omnium valentissima indicia habemus, si rationem caloris, crassitudinis, perturbationis animaduerterimus, de quibus omnibus ego,cum pulsuum,& respirationis rationem curiosius perquisierim, non possum, quin idem perficiam, & singularum initia altius exponam.Vrina est aquosum sanguinis recrementum, quod sicuti sanguine extra corpus refrigescente separatur, sic eo in corpus alendum conuerso relinquitur ab eo secretum. Atque id quidem vnà cum sanguine fit ex materia in ventriculo ad creandum sanguinem comparata, ita cum omnibus sanguinis partibus, & recrementis naturam suam nancisci ipsum oportet in venis,in quibus secunda nuncupata concoctio, hoc est sāguinis generatio cōficitur. In venis ergo vrina non loco, sed natura ab ipso sanguine distincta ab eo non prius loco secernitur, quàm ille alendis partibus adheserit, & sanguinis speciem, quæ ab vrina seclusa esse nequit amiserit, interea verò dum sanguis speciem suam retinet vna cum spiritu, ipsa vrina sanguinem liquatum,& fusum seruat, quo ille in omnes partes in modū roris diuidi, & aspergi queat,munere perfuncta vrina tunc repellitur, & vna cum reliquis recrementis excluditur, maxime vero in Renibus ab omni sanguine,& sanie, seu rudi sanguine liberata,cum solis à sanguine separatis recremētis in vesicam eliditur, vbi demum vrinæ nomen subitura est, antequam enim in vesica sit,potius serum sanguinis vocari debet,aut lotium.Serum ergo effert recrementa,cuiuscunque generis in venis sint, siue naturali necessitate, siue vitio aliquo facta fuerint.Naturali quidem necessitate vt bilis vtraque superuacua, vt terrestris exustaque aliqua materia, & humor,qui tertiæ coctionis operam seu nutritionem refugit,ab eaque excedit. Vitio autē,vt humor crudus,vt corruptus, aut exustus;cum enim lotium vnà cum renum alimento ad eos ex toto venoso genere allicitur, à venarūque expultrice vi depellitur, cum ipso omnia eiusmodi recrementa pro viribus suis à venis depelluntur, ita ipsi renes, cum sibi alimentum coniunxerint, aut per coctionem propriam separarint, lotium ipsum in vesicam exprimunt vnà cum dictis recremētis.Vrinę specimen apertè agnoscimus,cum sanguis per sectam venam missus refrigescens, & spiritu relictus concrescit comprehensis omnibus suis partibus pituitæ, & vtriusque bilis, modo alibiles fuerint.Tunc enim sanguis serum ipsum exprimit, ac quicquid bilis, aut pituitæ minime in eo alibile fuerit,ita vt, quod lentum, crassumque fuerit, quod lentore suo propelli longius nequierit, saltem in extimo concreti eius corporis ambitu cohærescat illuc expressum, quod sane eueniat eidem sanguini, si ad ignem positus fuerit, quod eo dico, ne putemus illam sanguinis concretionem fieri vi, aut caloris, aut frigoris, sed causa separationis fieri, & spiritus,cum quibus in venis confusus est, in quibus,vt dixi,quamuis natura esset separatus, loco tamen coniunctus versaretur spiritu sustentante illius liquidum habitum, ne putemus illam sanguinis cōcretionem ad rationem concretionis corporum similarium communiter ab Aristotele quarto Meteororum explicatam fieri,hæc enim ab Aristotele proposita est simpliciter in similaribus corporibus, in quibus,si calidi generis fuerint, si terrestris, à calore potius sit, si humidi,frigidi, à frigore, & hæc à contrarijs liquescunt,contra quam hic fiat, vbi sanguis in calido genere adhuc manens, & terrestri à sanguine tamen cogitur.Hæc itaque sanguinis concretio, inquam, ad similarium corporum rationem referri non debet,& cur contraria ratione fiat,mirandum non est, quoniam sanguis dum liquidus est,& in venis versatur, similaris generis non est, dissimilesque, & natura penitus distinctas partes complectitur,& quamquam loco coniunctas,genere tamen contrarias, quo Aristoteles contraria etiam protulerit de sanguine in venis versante, vt confusus diuersis generibus est, atque vt partem suam terrestrem tantum continet,quæ alendo corpori est. Erit ergo concretio sanguinis partium illarum segregatio,qua spiritus prius extinguuntur, inde vero aqua effluit, sic sanguis relinquitur terreo eo glutinoso genere constans, quo genere omnino alibilis est.Vrina ergo,quamuis in secunda coctione fiat, in tertia tamē coctione primum separatur,ita, vt quæ in ventriculi, & intestinorum opere, à chili natura haud quaquam distincta est, ea in iecoris, & venarum opificio propriæ naturæ euadat, quamquam loco cum sanguine per spiritum coniunctissima continetur, in tertio vero transmutationis genere separatur,& sanguinem in alimentum transeuntem relinquit, à quo penitus expurgatur ad renes adducta, vti reliqua quoque recrementa à nutritione reiecta,sic vrinę separatio in tertia coctione est loci, cuius distinctio in secunda fuit naturę,neque vllam insignem mutationem,præterquam separationis in tertia suscipit, aut in renibus, quorum omnino concoctio tertij generis est,vt ad verū penitus dictum sit à Galeno, quod Vrina recrementum venarum, non renum est, cum à venis suam naturam nanciscatur, vt etiam earum facultatis,& operis indicium efferat. De reliquis recrementis, quæ cum Vrina exeunt, videmus, quod est crudioris generis in secundo, & sic ab alibili genere minus abest,id in tertia coctione aliquid expolitionis accipit, non tamen penitus in alimentum transmutatur, atque ita nutritionis opus subterfugiens, & tamquam alienum reiectum eo opere excedit, ea vnà cum sero expellitur, & qui resistit mutationi, cedit ipsi excretioni, id ergo non perfecta iecoris, & venarum concoctione plus abundabit. Recremētum autem illud, quod è pinguiori, & dulciori succi parte in calorem incidente,& in amarum mutata existit,cui occasio præerepta non est, à frigore, à quo pinguis pars in pinguedinem cogi solet, sed vel in iecore,vel in venis mutatio sui in amaram anteuerterit concretionem,ipsum bilis flaua est,quę postquam vsum excesserit, vnà cum vrina, seu sero eliditur,illudque suo colore inficit, & sic cū eo confusa crassius reddit. Color vrinæ inde ruffus est, nam flauum corpus aqua dilutum coloris ruffi, aut subruffi speciē refert,quæ Græcis ὑπόπυῤῥον dicitur, eapropter quo plus bilis,& caloris fuerit in venis,eo magis vrina ad flauum accedit, solent etiam aliquæ crassiores, & terrenæ partes esse in vrina quæ multa vi caloris in prima,& secunda coctione expressæ, in ter-

tertia penitus exurũtur,& separatæ cũ vrina exeunt, atque vrinæ sæpe in ipso minctu resident, sæpe etiã paulo post, vt magis, & minus in corpore fuerit ea materia confecta, & separata, nam si in prima coctione orta, in secunda distincta fuerit, tunc in tertia separatur,& in vrina separata conspicitur, si posterius sui confectionem sortita fuerit, tunc in vrina expectat refrigerationem, antequam resideat, sed hoc tertium genus prætermittamus, quod ad rẽ nostram parum faciat, duo priora maximè consyderanda sunt. Vnum quod vrinam inficit,& crassam, aut tenuẽ sui crassitudine, & tenuitate reddit, vtrisque his per copiam,& exiguitatẽ variantibus, crassitudine quidem per admixtionem præcipue cum pituitoso genere, ac crudo. Alterum, quod vocata cõtenta in vrina parit sæpissime multum prioris recrementi biliosi amplexum, quod à sero, cui est commixtum efferatur, à quo etiam inficiatur ita, vt in corpore inciderit præter naturam aliquid. Corpore ergo etiam secundum naturam se habente,& secunda valetudine vtẽte semper aliquid est, quod in tertia coctione, ipsa nimirum nutritione, superfit, cuius etiam partem exire per cutem videmus, albam illã, & crassam, ac multam in vrina, quæ omnino in venas propriores intus à carnibus reiecta, cũ sero permixta per renes effluit, eluiturque eam venis exprimẽtibus. Hoc genus ergo in vrina cernitur varium, & varias sedes tenere pro sui pondere, pro ea densitate, quam à frigore cogente acceperit, per sui caloris expressionem,& pro ea tandem maturatione aut exustione, quibus per calorem fuerit ad densitatem perductum,& humore priuatum, exsuctumque, vbi sedem infimam petens sedimenti nomen sortitur, seu ὑποςάσεως, mediam vero tenens, aut summam ab Hippocrate nubes dicitur, apud Galenũ in summa nomen nubis retinet, in media nomen suspensi nactum est, in sanis corporibus recrementa hęc sunt alba,& læuia, atque humoris proximè nutrituri admodum similia, cum quo mutationem multam ab albis partibus, & similitudinem nacta fuere, cũ autem ægra fuerint corpora, alio modo ea recrementa se habebunt, si nimium crudi generis creent, neque tamen febris fiat, tunc plus eius, & minus permutatum vrina continebit, quod non solum genere, sed copia nutritioni restiterit. Vbi, si in secunda coctione, in qua gignitur, valde peccatum fuerit,&, antequam tertiam subeat, è venis eijciatur, tunc cõfusum id cum sero manet, sin tertiæ etiam coctionis operam subierit, eamque vllo pacto senserit, tunc aliquo etiam pacto post minctionem à sero separatur, Adeo modo secunda concoctio deficiat, tantaque sanguinis cruditas sit, vt ne quidem à sanguine distingui queat, quod crudum est, quoniam per solam coctionem distinctio fit, tunc vrina, quæ sine eiusmodi recremento est, vacua, & aquosa cernitur, quo diuersa sit ab ea, quæ propter optimam coctionem nihil effert huiusmodi, nam hæc aquosa nõ est, sed habitum naturalem retinet, in cruditatibus vero huiusmodi vrina aquæ simillima est, quoniam coctione deficiente exiguum pinguedinis, aut nihil fit. Putant quidam sæpe aquosam, ac tenuem eiusmodi vrinã procedere, eò quod bilis intus ab obstructionibus detineatur, quod certe rarenter admodũ fieri posse arbitrarer, nam quamquam bilis sero crassior est, nisi tamen cum pituita penitus coniungatur, satis tenuis est, vt vix tantum obstructionis fieri queat, quo ipsa egressu prohibeatur, atque id cum euenit, ipsa sua quadam pinguedine partibus adhærescente subsistit. Hæc de cruditatis vitio simpliciter accepto, ad peiora transeamus. Febre modo corpus teneatur, igneo tunc febris calore primum pinguiores sanguinis partes in bilem impensius vertuntur, quam in sano homine fieret, etiam si abstinendo à

A cibo ille huic exustioni facultatem faceret, ergo vrina saltem sub finem diei febris inuasionis flaua procedit, quæ sub ipsa febre noua flaua non fuerit, quoniam sub illa iam venas exijsset, vt sæpe posteræ diei vrina tantum notas febris præteritæ diei efferat, eoque magis flaua vrina est, quo calor febris acrior, feruentiorque perstiterit, siue ea febris ex humoribus, siue ex spiritibus, siue etiam ex solidis partibus fuerit. Humore autem aliquo per putredinem inflammato (alioquin enim inflammari penitus non potest, quod si sanguis potest, id à spiritu secum permixto inflammato habet, & incendium non retinet diu, quin tribus diebus illud excutiat) humore inquam aliquo putrescente, atque ita inflammato fiũt recrementa, quæ cum vrina eliduntur, & varia pro

B putredinis varietate, ita si hæc ad maturationem vergat, tunc simile recrementum eius est, quod in sanis è nutritione accidit, eiusmodi namque maturatio à continentibus partibus fit, & coctionis tertiæ similitudinem assequitur, ac si vlla re differt, ferè ea maior copia est, ita coctionis specimen nuncupari consueuit, sin autem putredo ad maturationem non vergat, sed aut ad exustionem ob humorum incendium, aut ad propriæ putredinis genus, quę mixti propria corruptio, & mixtioni contraria est, harum quoque recrementa cum vrina exportantur, exustionis quidem aspera, & coloratiora, vel etiam nigra, autem sordidiora, & minus exusta, neque à sero admodum separabilia, vnde etiam vrinam quoque reddunt turbulentiorem, cuius rei causa facile

C illa sit, quod in ea humidum innatum à calore non absumitur, vt in exustione, sed vna cum innato calore educitur, idque facile cum sero similitudine quadam commiscetur, in quo cum leuius, & pinguius sit, ac glutinosum in summa vrina magis consistit, & ita coronam quandam liuidam, & varij coloris parit,& quandam pinguedinem, & coloris fœditatem vrinæ infert, atque eo quidem facilius, quod vrina defectu secundæ coctionis à putredine debilitatis partibus concoquere minus valentibus suam naturam ab humore sanguinis non ita belle distinctam reportet, & sæpe inde quoque perturbatior est, neque vero hic repetendum est, quod ad distinguenda recrementa à sanguine, quæ cum eo in vnum cor-

D pus, vnamque naturam in chylo erant coniuncta, concoctio necessaria est, vel certe exustio, vt à sero secum tamquam genere recrementi coniuncto separentur, vt quo perfecta magis concoctio, aut intensa magis exustio est, eo recrementa magis separata à sero cernantur, & sæpe quod in secunda coctione attingere non possunt, in tertia consequuntur, vt & à sanguine secernantur,& à sero, aut à sero tantum, si in secunda coctione à sanguine satis fuerint distincta. His itaque perspectis iam vrinam præsentis ægroti cognoscamus, & de re iudicemus. Ea ad quartam circiter diem colore admodum flauo fuit, sic acriorem febris calorem indicabat, quo tenuiores sanguinis partes, & pinguiores in bilem versæ serum colorarent. Nubem seu suspensum sublime

E habuit asperius,& atrius, id materiæ quoque morbi exustionem declarauit. Nunc crassior, & turbulentior semper euadit vrina, ita prius illud incendium vna cum calore naturali seipsum rabescere,& putredinem ipsam peiorem à materia crassiori iam comprehensam esse monemur, nam ea sunt illius putredinis, & materiæ, tum caloris infirmioris indicia, quibus & sanguis multas partes rades, & imperfectas sortiatur è sero non admodum disiunctas,& serum iam pinguioris humidi multum sub putredine dissoluti recipiat, & vt sanguinis partes illæ imbecilles facile putredinem comprehendunt, sic putredo, & eius recrementa multiplicantur, neque à sero valde possunt dictis causis separari. Inde vrina non

non solum crassa, turbidaque est, sed obscuro colore non nihil vmbræ ruboris retinente, & illius quidem fœdi partium illarum sanguinis putrescentium notam præseferentis, de quibus inchoatis sanguinis partibus supra dicebam, quod imbecillem, imperfectumque suum calorem, ac mixtionē, cuius ille vinculum est, obtinentes facillime ab alieno calore suo proprio priuantur, quo debili contineri diu nō possunt, quę nisi putrescant, à calore tamen affectę alieno longius à sanguinis natura abducuntur, & in saniem seu ichorem tenuiorem conuersæ facile sero admiscentur, illudque crassius reddunt, omnino eo crassiores, & si in suo genere tenuitatem sortiantur, Vrinæ rubræ, quas Hippocrates tutas vocabat, & longitudinem tantum morbi prænunciantes, illæ & melioris coloris sunt, & ichorem sanguinis non corruptum sequuntur, ita cruditatem quidem, sed illam non perniciosam, quæ spatium ad cōcoctionem postulat, non citam perniciem significat, vt huiusmodi putredo facit à fœdo illo rubore cum nigro, & liuido coniuncto indicata, præsertim cum circulum ipsum varij coloris, & pinguioris corporis sibi adiungat. Vtriusque horum generum saniei nimium à cruditate, & ex putredine, seu corruptione fecit mētionem Aristoteles libro secundo de partibus animalium, vbi de humoribus habet explicationem. Ex huius ergo vrinę specie clarum est & secunda coctione calorem naturalem non admodum posse, & naturalem humorum imperfectorum calorem ab alieno exolui, vnaque cum proprio humido dissipari, in quibus humoribus multæ partes sanguinis imperfecti, & minime firmi sint, quæ dicto modo corrumpantur, ex quibus multæ prius in saniem, seu ichorem conuersæ fuerint, vt in vrina tum ichorum, tum putredinis indicia cernantur, vnde intelligamus facile non solum hanc pessimam putredinem, & hos ichores fieri, sed sanguinem partibus suis tenuioribus per calorem, & putredinem delibatis crassiores solas retinere, ex ijs plurimas ad alendum ineptas factas, atque ad putredinem potius ire posse. Ex ijs vero causæ suæ inferuntur, & mentis acie iam perspicimus multam obstructionum vim, magnamque humorum procliuitatem ad putrescendum, tum maximam partium continentium, & concoquentiū imbecillitatem, sed iam quæ de turbatione vrinæ diximus ad Galeni doctrinam illā reuocemus, quam habet libro de crisibus. Ibi Galenus triplicem modum turbationis vrinæ profert, vnū, quo claræ minguntur, & manent, tertium, quo turbatæ minctæ postea clarescūt; primum modum certe raro videmus, nisi vt communiter fit, vrina corrumpatur, quod facile ei euenit, cum aut crudior, aut crassior calorem amiserit. Primo hoc modo dicit Galenus significari, quod calor iam materiam aggreditur, altero iam coctionem inchoatam, tertio coctionem proxime iri perfectam. Ad primi modi intelligētiam erit obseruandum, quod ille in sanis non idem est cum eo, qui ægris est positus. In sanis namque fit eo, quod calor vrinæ dissoluitur, aut à frigore exprimitur, ita cum humido in vrina siccum non amplius continetur continuatum, quorum alterum terreum, alterum aqueum in mixtis melioribus communiter materia est, sic dissoluta hæc vnum amplius corpus non sunt, ita longe minus perlucidum, vt cum vitrum perfringitur in exiguas partes non amplius peruium lumini est, propterea quod continuatio vna esse debet, vt lumen per corpus perferatur, hoc inquam vrinæ euenit in sanis quoque hominibus eius partibus dissolutis. Aegrotis autem illud proprium est, quod vrinæ calore proprio manente, ipsaque minime corrupta turbatio tamen fit ab eo primo genere non dissimilis, quæ in vrina etiam est sæpe cum mingitur, quod profecto eueniat, quoniam vel non dum perfectè mixtæ illæ partes vrinam complentes fuerint, non dum calorem se continentem conceperint à vi caloris concoquentis tractatæ, vel in venis illum suę mixtionis calorē amiserint, hoc alienū calorē obstructionib. multis valentem, & corrūpentem significat, illud quo nondū permixtio suum calorē obtinuerit, multitudinem crudorum humorum sequi debet, & concoquētium partium infirmitatem. In hac re ergo sic eueniet, calor à partibus multis crudioribus etiā sanguinis obruetur, putredo ab illis sese obstruentibus, & perflatione priuantibus, in vrina autem visuntur sic confusæ partes mixtionem suam non assequutæ, quoniam crassiores ibi neque à calore per maturationem sunt à sero distinctæ, neque per exustionem aliquam putredinis separatæ, vt sero refrigescente seorsum colligantur. Cum ergo claræ minguntur, tunc nec putredinis, neque maturationis calor nondum agere cæpere, cum vero postea turbantur, iam incipiet, quoniam aliquid omnino male in mixtione continetur, nec diu in mixtione persistit.

Cum turbidæ minguntur, postea clarescunt, iā aut maturatio, aut exustio incipit distinguere, vt nōdum id fecisse significat, cum manent perturbatæ, ad distinctionem vero ego tātum maturationem, & exustionem citaui, non etiam putredinem ipsam propriam, quoniam hæc, vt supra exponebam, distinctionem non potest parere. Hoc ergo iudicium propterea ex vrina turbida ęgroti nostri faciendum est, vt putredinem malam illam significet, & imbecillem coctionum operam, vt materia vim caloris tantummodo sentiens, ab eaque exagitata cum sero cōfundatur vna cum putredinis recremento, quod humidum genere est, & illud, quod mixtum amplexu caloris constituebat, vt etiam partes sanguinis ab eius perfecto genere abductæ, putredinemque cōprehendentes suum humidum dimittant, quod propter similitudinem recrementi generis, & liquoris cum sero confundatur, cum quo sero etiam à prima origine fuerat eo coniunctius, quo ab imbecilli calore minus fuerat à sero ipso distinctum. Sic ex vrinæ genere vim putredinis cognoscimus, & eandem esse intelligimus, quam ex ipsis pulsibus deprehendebamus. Aluus ipsis vrinis, & pulsibus maxime respondet, non minus quàm reliquæ notæ faciant, imo, vt ferè fieri debet, æque, ac cum pulsibus respiratio, alui fæces cum vrinis congruunt generi, copiæque humorum, & putredini attestantes, fæcum color subrussus est, quod sano conuenire videatur, temperamētum autem mollius figuram nullam retinens, & lentum, eggestio crebrior est, quæ humorum copiam, & crudum genus, imo colliquationem, & putridam saniem præseferunt. Sic putredinis malum genus aut esse, aut proxime certo futurum videmus, vt ex plenitudine vitiosa suspicari, & ex alijs hic indicijs cognoscere potuimus, aliquam insuper colliquationem perspicimus, & omnino malignam febrem esse propter genus putredinis debemus cōstituere ita morbum magnum, celeris motionis, & mali moris, causas vero illas primo humorum minime firmam naturam, aut mixtionis vim, secūdo obstructiones, easque facientem copiam, crassitudinē, & lentorem humorum. Caloris quoque partium continentium imbecillitatem, ex quibus causas etiā externas, & euidentes intelligamus. Obstructionum modi videntur hic considerandi. In animante si obstructiones perflatum penitus prohibeant, calor naturalis penitus tabescit, quod non solum in flamma, sed in carbonibus ipsis videmus, qui eadem re, quā exurūt, & se propagant, si nimis occupentur, restinguuntur, Calor itaque innatus animantis constipatus erepto sibi perspiratu tabescit, vnde facile gangrenæ, & inde sphacelli partium, & nęces animantium

tum consequuntur, nondum autem obstructiones tanto impedimento sint, illæ eo genere halitus primum corpora replent, quo genere humorum illa abundarint, nam, cum detenti sunt halitus, ni calore maiori consumantur, in eundem humorem concrescunt refrigescētes, à quo per vim caloris elati sunt, vt boni succi corpora primo obstructionum tempore bonis humoribus onerentur. Diutius vero obstructionibus trahentibus, & magis densis factis corpus ita onustum, nimisque completum, & longe magis obstipatum halitus suos continet, illisque occlusione incensis spiritus ipsi primum inflammantur, & ephemeram febrem excitant, vnius illam diei, postea durāte re sanguis quoque spiritibus inflammatis perfusus incendium compræhēdit, & ad tertium diem integer calorem perfert, longius tandem re B producta sanguis calore vitiatur, & partibus suis putredinem compræhendit, quæ vt vitiantur, & à natura eius dimouentur, sic à putredine corrumpuntur. Si autem corpus frigidioris generis fuerit, & frigidis humoribus refertum, mediocribus obstructionibus primum vapores in sui generis humores, & aquam relabuntur, & sui generis humoribus corpus complent. Deinde longius, & arctius occupato corpore putredinem humores comprahendunt, febresque epihalas faciunt, quæ tamen res non admodum crebro accidit. Illa crebrius, quæ in corporibus calidioribus obstructis à bilioso genere humorum contingit, vbi si mediocris obstructio fuerit, bilis vapores fumi potius dicendi eggressu prohibiti primum horrores, præcipuè vero cum concussione, cum qua C à Græcis rigor dicitur, mouentur, deinde feruor in spiritibus, & ephemera febris, quæ prima die tantum potest se sustinere. Obstructione autem maiori facta fumi illi iam suo feruore in humores putredinem inducunt eo peiorem, quo obstructiones angustius opprimunt, vt cum ad extremam constipationem venerint, innatum calorem extinguant, & inferant gangrenosas corruptiones, quam vero putredinem, & corruptionem febres eis respondētes consequantur, semper quidem putridæ, & ad corruptionem malam malignæ.

Huius modo corporis obstructiones, si metiri eas effectu suo velimus, certe maiores esse perspiciemus, nam hesterna die exustionem videbamus, nūc D autem peioris etiam putredinis, & corruptionis notas, vt, quamuis calor non penitus extinguatur, longe tamen infirmior euaserit, & cum hac putredine tam magna exigua vis caloris tactu percipiatur, vt humores ea putredine dissoluti, non exusti, minus maturati vrinarū dictam speciem efficiant, quæ turbulentia, & colore rubro in atrum vergente, & sordido ostendit partes sanguinis vitiatas, aut minus perfectas corrumpi, dico partes has, quoniam alioquin meliores sanguinis partes in venis, vt in sede propria, non ita possunt putrescere, vt extra venas faciūt in inflammationibus, partes ergo potius crassæ terrestres, & fæcosæ vnà cum tenuioribus, & saniosis corruptæ eiusmodi vrinam reddent, sic nos hac etiam via ad idem genus morbi sumus perducti. Insequens est, vt iisdem notis locum, & sedem humoris, putredinis, & obstructionum agnoscamus. E Est quidem febris hæc seipsa morbus, non aliū morbum sequens, verumtamen putrescens humor potest partem aliquam intra venas saltem occupare, vt docere videtur Galenus libro. 11. Meth. cap. 7. Atque ex vrinis ipsis colligitur primum, quod humores putrescentes intra venas sunt, cuius rei ratio sit propterea quod non essent tam affectæ vrinæ, si materia extra venas putresceret, quod enim ex ea in venas retruderetur, id & concoctionis speciem haberet à carnibus aliquam, & quamquam confusum cū vrina excerneretur, postea tamen separatum cernere- A tur, neque ita multum, cuius separationis causam supra in amissionem eius caloris relata est, quo id recremēti genus fusum cum sero in vnum corpus seruari, & perspicuum serum retinere cōsueuit. Sed febris ipsa potioris notæ est materiamque intra venas putrefieri, indicat, quæ non solum continua cernitur, sed etiam incompressa, quamquam habet incrementa. Nostis, quod incompressio dicatur à Galeno certè hic nihil eius potest notari, non contractio caloris, non pulsuum depressio illis horis, quibus incrementa instant, quæ tamen fiunt sine ordine identidem reuertentes, ita non occasiones annotationis, sed materiæ variæ feruorem alio, & alio modo excipientis. Minus illis horis fiunt oscitationes, aut pandiculationes, aut calefactionis illæ dictæ inæqualitates, minime vero somni, ne dum absunt illæ maiores compressionis notæ, vt frigus extremorum, horror, & rigor, atque alia id genus. Fortasse habeat aliquid eorum, & id leue quoties ei cibus exhibetur sub febris incrementum, sed cibi causa id eueniat, vt in febribus putridis solet, etiamsi incompressæ sint, cum habent incrementa, & illis instantibus cibus datur, dixi in febribus putridis, quoniam in hecticis à cibo incremēta quidem fiunt, sed illa sine eiusmodi compressione. Materia ergo hic intra venas putrescit, & illas quidem satis magnas, nam sicuti in maioribus putredo incrementa non parit, & continuitatem æquabilem retinet, ita in minimis venis compressiones facile faciat, in ijs autem, quæ inter has mediæ sunt, incrementa sine compressione potest efficere, vt hic habemus, à motu namque materiæ à maioribus venis ad minores fieri videntur incrementa, & quo longius motio fit, eo magis compressionem parit. A materiæ etiam dicto genere vacuitas compressionis esse potest, nimirum quod ad sanguinis naturam pertinet, qui communis, & æqua toti corpori, ac multa materia illas varietates in corpore non faciat, vt humores à sanguine remoti tam exuberare in corpore nequeunt, quantum ad eiusmodi continuitatem sustentandam faciat, sanguinis vero partes, quarū copia semper maior est, & æquabilior, quo ipsæ magis sanguinis natura sua erunt participes, & cum perfecto sanguine coniunctiores, vel minus ab eo remotæ, eo æquabiliorem reddunt febris continuitatem, neque enim spatium suæ congestionis faciēdæ expectant, minus admodum longe expelluntur, vt expressas faciant annotationes cum compressionibus, hoc est, per nouitatē suæ congestionis, suæ expulsionis, & incendij calorem intus retrahant vna cum spiritu, & sanguine, vnde homines oscitare, pandiculari, frigescere, & pulsus subeuntes habere cogantur. Non solum autem intra venas materia dicta versatur, sed effusa quoque latius ambitum ipsum corporis amplectitur, vt notæ suprapositæ multæ ostendunt lassitudinis, & grauitatis, & aliæ. Ad ventriculum præterea, & intestina eandem pertinere demonstrant alui feces. Ad thoracem, & pulmones ipsum genus respirationis. Imbecillum vero etiam ipsum ventriculum euasisse alui feces crudiores commonefaciunt, Vt caput quoque noxam saltem à fumis accipere, quos facile humor sit sequuturus, notæ eius propriæ supra cōpræhensæ attestantur, & magis metuendum videtur, quoniam angustior spiritus sæpe est à materia venam cauam complente, & in caput ascendente. Verum hactenus de morbo, & eius causis satis ex indicijs ostendisse, & indagationis rationem ad exitum perduxisse videor, imo etiam res omnes per inuentionem perspectas, & cognitas in suum ordinem retulisse. Colligam iam hic omnia in vnum quasi aspectum, quo suis locis disposita, & constituta conspiciantur. Euidentes primum causæ extitere, vt illi labores sine ordine suscepti, à cibo sumpto subiti hyber-

berno tempore, tempestate inæquali flatibus, & imbribus inferiore, hac ætate senili, & corpore iam in distillationes procliui, quibus laboribus concoctio ventriculi prohiberetur, concitatoque calore crudi humores citius in iecur, & venas funderentur, atque in corporis etiam ambitum attraherentur, vbi illi eo calore destituti subsisterent, suamque priorem crassitudinem recipiendo meatus infarcirent, idque arctius facerent, qui meatus ab eodem calore laxiores facti, plusquam humori recipiendo opportuni, postea eo calore exoluto, & frigore subsequuto in habitum contrarium, & in angustiam retraherentur, hyberno siquidem tempore, cum causa caloris cesset, frigus succedit, cum eo, quòd vnaquæque caloris cessatio frigoris opus importat, sed præter hyberni temporis vim, etiam tempestatis inæqualitas valentissimas habuit opportunitates.

Vbi ad destillationes pariundas ea multa conuenire intelligitur, quod sub laboribus, & calefactionibus vapores in caput efferuntur, & frigore subsequuto in pulmones deprimi solent. Obstructiones ambitus corporis primum copiam humorum accumularunt, eius generis, quo corpus onustum esset & sanguinis, & pituitæ, atque etiam bilis, deinde perspiratione prohibita etiam vitiarunt, sanguinis densiores partes in crassas, & terrestres, vertendo, alios in ichores, & biliosum genus, alios autem priores humores in pessimam naturam impellendo, postea putredinem, & febrem incenderunt.

Vbi, si bilis iustam copiam haberet, ea putredinem, & febrem ad sui mutationem contraheret, quoniam magnarum virium est, vt humor est calidus, tenuis, ac siccus, ita melancholicum quidem humorem citius, & vna secum putrescere cogit, pituitam vero etiam, quam sustinet sua ariditate, ne quotidie corrumpatur, vt illius naturæ est, sed secum altera quaque die tantum, cum scilicet permixtione multa inuicem continentur, alioquin enim quisque humor suos circuitus separatim per se retinet, vt cum bilis tertianam puram, & pituita quotidianam facit, hemitritæique veri species existit, quod perfacile est, quoniam bilis suo calore, & tenuitate e vasis prompte extruditur, pituita autem suo lentore, & crassitudine eiectioni resistit, & in vasis manet, sic hæc continuam, illa intermittentem febrem faciunt.

Vnde hemitritæus horrifica febris etiam dicitur ob horrorem illum, quem edit ipsa bilis. Verum, quoniam bilis copia hic iustum modum consequuta non est, ab humoribus vero superatur, qui crudioris generis sunt, & si parum à genere sanguinis absunt, crassioresque sunt, ideo & in vasis se continent, ibique putrescentes febrem supradicti generis efficiunt, continuam quidem, sed cum incrementis sine compressione, quamquam cum tentationibus identidem factis ab horrore, vbi illi humores, qui fusi extra venas exciderint, cum in vapores prius dissoluti, & per ambitum excurrentes tandem ex ijsdem vaporibus refrigescentibus resurgant, in ambituque maneant. Illi enim sic meatus suos obstruunt, sibique putredinem fabricantur, & fumis iterum ex se editis horrores identidem sine ordine, incertisque interuallis excitant, horrificam ipsam febrem reddentes.

In partibus igitur continentibus id mali fit, vt ipsæ infirmiores fiant ad concoquendum, & se alendum, vnde humores, quibus occupantur, non coerciti, non seruati à calore suo innato ab alieno facile per obstructiones, & detentos anhelitus excitato dissoluuntur, sic non solum putrida, continua, intra venas materiam habens febris est, sed horrida etiam tentatis locis, qui extra ipsas venas sunt, sed

A maligna ex malo putredinis genere, à multitudine obstructionum, & pessimorum humorum facto, qui ad putrescendum paratissimi subsunt, & à partium tandem maxima imbecillitate humores à mala putredine non valente sustinere, cuius febris maligne genus etiam sæpe contagione solet communicari, quoniam à mala putredine est, vti si ex erysipelate visceris fieret maligna, vt solet contagionis periculum non esset. Ex quibus illa in conspectum, & sensum veniant, in calore, in pulsu, in vrinis, præter pondus, & lassitudinem, eo quod carnes, & extremæ venæ, atque arteriæ completæ sint humore fuso illuc illato, ibique concrescente, atque etiam putrescente. Vrinæ certe non tam crassæ esse possent, si materia aut in carnibus, aut in aliquo viscere

B contineretur.

Tales vero fiunt, quod in venis ea materia versetur, quòd cum sanguine coniuncta natura, & loco sit, quod sanguis à sui perflatione prohibitus à suo integro naturæ statu deturbetur, & partibus suis crudioribus in aquosam materiam, aut aquosam bilem, partim in ichorem, alius in melancholicum succum, vnde possit etiam in venis putredinem subire, & per vrinas eius incrementa emitti, putredinem partibus continentibus minime prohibentibus ob suam infirmitatem. Sanguinem à febris calore contaminari dubium non est, tamen febres sunt, sub quibus longissimis conseruari videtur, quod fieri potest, cum & pluribus satis perflatur, & partes continentes validæ sunt, quibus ad

C sui conseruationem est commissus, quod sub hac febre fieri non videmus, propterea quod sanguis tam est prohibitus perflari, & continentium partium calor tam est occupatus, & sanguini sustentando tam infirmus, vt integritatem suam nequeat retinere, seseque contra alieni, & febrilis caloris vim defendere, quin eius partes plurimæ ab integritate sua detorqueri, multæ vero etiam putrescere cogantur.

Vnde vrinæ dictæ, pulsuumque paruitas, & inæquabilitas, & spiritus affectio, inde aluus quoque habet tamquam reliquias humorum tabescentium mollis, citataque, præsertim quod neque succus è ventriculo satis à iecore alliciatur nimia humorum

D colluuie impedita, cum eo, quòd ventriculus calore febris labefactatus, & influentibus spiritibus non satis munitus parum conficiat, minusque conficiat succis liquidioribus, & serosis dilutus. Euomit à principio, non quod languidior tam subito euasisset, sed quòd humore crudo onustus esset, pituitosa vero primum, deinde etiam biliosa cum eis, quoniam tenuitas bilis facile cum alijs euocatur, sic subinde aliquandiu vexatus fastidio fuit.

Casus multi alij sunt, qui in easdem causas referuntur. Illa morum, & somniorum permutatio, cum cor, caputque halitus detentos excipiant, & illos generis vitiosi, illa extremarum partium refrigeratio, cum ambitus corporis crassis humoribus sit occupatus, lingua minime nigra, aut aspera

E est, neque sitis est, nullæ etiam vigiliæ nocturnæ, aut aliquid aliud ad exustionem sequi solitum, quoniam, vt visum est, putredo hæc nil exustionis habet.

Sic huius febris Idea cum causis, & casibus suis in conspectum nostrum adducta est, & magnitudo, ac motus, & tandem mos ipse malignus. Dicat quis magnum morbum non esse, quoniam febris in calore igneo posita magna esse non potest, dum calor exiguus est.

Iam ego supra narrabam, quòd febris putridæ magnitudinem à copia, & genere putredinis æstimanda est, ita hæc febris maxima statuetur. Magnitudinis etiam aliam habet rationem, nimirum

illam,

illam, quæ à dignitate partium censetur, nam putredine ipsa, nedum calore partes multas principes occupat, à detrimento etiam facultatis rectricis id augetur.

De motu præterea aliquis putaret, ne, quoniam materia crassa est, celer ille esse posset, morbusque minime acutus esset censendus. Certe, si ad salutem vergat morbus, è tanta cruditate ad maturationem non nisi longiori spatio, quàm decimumquartum dierum egeret. Putredine etiam coctionem, seu maturationem iuuante, sed si ad interitum procedat, putredo hæc citissimum motum habebit.

De more tandem nullum dubium esse videtur, quin ad malam putredinem, ad principium partiū occupationem malignus sequatur, ac si velitis malum morem à suo contrario nempe simplici æstimare, hic neque humor simplex est, neque putredo, minus pars vna occupata, quamquam sat est ad morem malignum, si vna tantum pars princeps capta sit, vt ex Galeno, cum pulmo est ex erysipelate affectus, pulsus id quoque confirmabant, qui in putredine ad maturationē tendente valentiores fiunt, cum illa nutritioni faueat, in hac pessima putredine sunt imbecilles eo, quod nutritioni aduersetur.

Quæ vero malignitas hic fere ad læthalis nomen accessit, si res diligenter expendamus, cuius rei nota tunc erit certissima, cum vrinæ nigriores conspicientur, aut liuidiores. Hactenus præsentem statum pessimi huius morbi sumus intuiti, insequens est, vt de metu futuri loquamur, vbi volentes præuidere id necesse est facere ex ijs, quæ iam cognouimus, nimirum viribus maximè, & morbi magnitudine, ac more. Magnitudinem præ oculis habentes in morbi specie seu Idea, in partium occupatarum necessitudine, seu dignitate, in facultate. Morem etiam explicate considerantes. Qua in re ego certe non spero vires posse tantum morbum superare, si illas à pulsu, ab vrina, ab alui excretis, & ab animi actionibus æstimo, si ætatem & reliqua respicio, neque enim mihi possum persuadere huiusmodi vires tantam putredinem tam pessimam posse compescere, & ad maturationem retrahere partibus principibus necessitudine maxima vitam continentibus, eique coniunctissimis, quin pro certo potius habeam vires exiguas à morbo magno, & malignitate, & reliquis omnibus iri superatas, si cum eo ipsas confero. qui certè tantus est, vt non solum has exiguas vires, sed magnas etiam euerteret, neque enim sat est vires magnæ sint ad victoriam, sed morbo comparandæ sunt, vidimus sæpe robustissimos pulsus, & satis bonas vrinas, & mentis constantiam in ijs, quibus ex pulmonum infarctu mors immineret, quid non pertimescam in eo, cuius pulsus oppressissimi sunt? Vrinæ peiores, quam, si flauæ, exustaque contenta haberent, quæ colore liuidæ sunt à rubro in obscurum inclinantes, turbulentissimæque fœda putredinis, & pessimæ nota maxima.

Vnde intelligamus innatum calorem non ignem comprehendisse, sed dissolutum esse, & ex humoribus euocatum. Humidi vero insiti genus non absumi calore, sed eliquari. Cuiusmodi putredinem rectè Medici vocant contrariam à tota substantia, & pestiferam, quoniam proprium humorum interitum.

Cuius putredinis causas firmissimas supra intuebamur in materiæ genere, & copia, ac varietate in obsessarum partium præstantia, necessitudine, & numero, in partium continentium infirmitate, vt genus materiæ imperfectum, & vires suas per sui creationem non assequutum nequaquam à partibus continentibus infirmis queat sustineri, quin in id genus pessimum putredinis labatur, eo vero magis, quod, cum ne mali quidem halitus queant obstructas vias penetrare, ad membraque peruenire, multo minus boni spiritus ad tuendas partes perducantur cum malis halitibus confusi, atque si boni se ipsi tenuiores sunt malis, & ethereo corpori similes, vt Galenus commento secundo, de ratione victus in acutis ait, cum malis tamen permixti, suffocatique, & oppressa admodum obstructione prohibentur, ita externæ partes frigidiores sunt. Spiritus ita permixtim cum halitu malo ferri nota est præter cæteras corporis grauitas, & languor, quæ non solum ab effuso in carnes malo humore, à spirituum exiguitate, sed à malis halitibus esse potest, qui & spiritus bonos dissoluant, ac necem suo genere pessimo, sed neruos ipsos resoluant suo illo humido è putredine cum ijs elato, qui si generis exusti essent potius neruos sua exsiccatione distenderent, aut mordendo irritarent, sic omnino conuulsionem efficerent.

Hæc sunt quæ mortem in morbo perspecta prænunciant. Fieri modo in morbo alia possunt, quæ citius mortem moliantur, nam ad febres, quæ se ipsæ morbi sunt, neque alios morbos sequi coguntur, morbi alij sæpe accedere consueuere natura à putredine, & copia vitiosorum humorum lacessita, & se exonerare coacta, humores vero etiam continere certis sedibus non valente.

Etenim partibus corporis externis densioribus, & adstrictis factis humorum excitatio, aut expressio ad interiora conuertitur, & viscera petit, præcipue vero pulmones, propterea quod laxiores alijs partibus sunt, & cor, quod facile sua agitatione, & calore cum bono sanguine malos etiam humores ad se sub febribus adducit, perfacileque eos repellens in pulmones intrudit, quam rem nos vidimus creberrimè cadaueribus resectis, rara enim inuenietis corpora, quæ sola putredine exincta sint, ferè omnia etiam per acutissimas febres extincta, cum tumore alieno, aut alterius generis vitio in visceribus inueniuntur.

Mitto enim quod pulmones inuenietis semper colore purpureo præsertim versus dorsum, & venis admodum nigris, nam hoc è defluxu sanguinis è corde illuc etiam post mortem facto euenire potest, vos inuenietis sæpe pulmonum corpus durum aliqua sui parte, ipsosque pleniores, & non raro pus continere, & interdum etiam cum gangrenæ notis, & sphacelli, vbi ferè membranæ pulmonum tam succingenti costas adhærescunt, vt ab illa nisi per incisionem queat separari, altero saltem in latere, tamquam humor lentus à putredine exsudans cum spiritu intro, extraque ductus sic illas partes conglutinet, atque colliget calore maximè humorem lentum, & firmum reddente, adeo, vt credere quis possit membranas sic ab origine fuisse coniunctas, certe deduci non possunt nisi lacerentur, aut nouacula diligenter adhibita intersecentur. Videbitis in alijs sæpe iecur mutatum, aut durum, aut fractu facile cumque lien sæpenumero affectum, ac interdum. Aliquando inuenietis cerebrum aliqua corruptione deprauatum, sæpe venis admodum nigris, in ijs maxime, qui delirarint, vt pituita multa, & aqua onustum, cum somnos & stuporem habuerint. Et quidem propriè in peste illud à nonnullis fuit animaduersum, quòd quibus carbunculi exterius extitissent, illis, si ipsi tumores in trunco fuerint, viscera quoq; similibus infecta fuere, sic autem rem respondisse vt, cum illi tumores in inguinibus, iecur, cū in axillis extitissent, cor id habetet. quibus

vero exanthemata efflorüissent, ijs proprie pulmones male haberent, nonne videmus quotidie multos postquam diu febre laborarint, & interdum etiam cum illæ remissiores factæ fuerint, aliquando etiam postquam cessarint, lethargo tamen, aut phrenitide superueniente interire, plures vero parotidibus necari? Horum profecto aliquid sub morbo hoc timere possumus, in quo vires corporis humorum vitio, & copiæ minime pares videmus, pulmonibus autem præcipuè timeri vult ipsa antiqua eorum infirmitas per destillationes assiduas cognita, cogit vero magis præsens spiritus difficultas inchoatum iam decursum materiæ esse significans, & quamuis ea difficultas à sola humorum copia fieret, sub tanta tamen copia, & infirmitate virium perfacile esse videtis, vt ad spiritus, & fumos cursus etiam humorum consequatur, laxi pulmones sua natura sunt.

Et hi etiam infirmi, & recipiendo impetui assuefacti, cor sua exagitatione conuersum ad interiora ab exterioribus humorum impetum facile excipit, facilius per apertam viam venæ arteriosæ in pulmones repellit, in quibus certè à natura consultum est, cum venam in eos apertam crassa tunica donauit, ne crassos humores tam facile per eam pulmones exciperent, qua de causa vena illa sæpe in cadaueribus pituitæ crassæ valde plena inuenitur, & pituita illa valde diu in vena fuisse detenta agnoscitur, quoniam e capite venæ pituitæ initium retractum omnem illam pituitam in ramos eius venæ productam secum educit ex omnibus venæ ramis ab illis in formam eorum redactam, vt arbor videatur, difficultas ergo spiritus nobis eũ metum confirmat. Locus est Hippocrati secundo prognost. 66. qui habet, quoties spiritus difficilis sine euidenti causa fit, & deinde difficultas confestim cessat, indicatur obscessum in caput peruenire, qui locus certè non est accipiendus, vt materia à pulmonis corpore in caput reijciatur, sed potius, vt recepta in venas thoracem traijcientes per collum in caput perueniat, qua de causa collum quoque sæpe grauius, vt cum dolore est.

Certum igitur hic est pulmonum periculum, aliquam etiam suspicionem hoc loco periculum capiti habet, quod suapte vi calidius, & humidius est, & destillationibus maxime opportunum, sed quod pulmonibus instare videtur, id citissimum homini afferret interitum viribus etiam valentioribus repertis, vt intra septimum diem suffocaretur, atque ea maxime hora, qua febris incrementa incipiunt, non ea, qua ad inclinationem accedunt, cum morbus copia, non dissoluente vi pugnet. Aliquis curiosius percunctatur, exhibunt ne maculæ, vt sub huius generis febribus solent?

Ego certe scio illas sequi sæpe hanc malam putredinem, imo tam frequens id fit, vt vulgo hæ febres à maculis nomen retulerint, quarum euentum sic semper æstimaui, vt ab eo nihil acciperem rationis curandi contra ac papularum, in variolis, & morbillis.

Etenim, vt exeant etiam post morbi maturationem, quod non admodum, fit maculæ hæ; nihil ab eis auxilij sperem, cum nihil graue, aut infestum efferant, non humorem malum, sed vaporem sanguinis contabescentis habentes, qui forte per oscula arteriarum, & venarum erumpat, qua de causa etiam fere in initijs, & incrementis existunt, vt morbilli, & variolæ in summo febris feruore, & iam desituro quamquam febris putredinem pustularum sequuta expectetur.

Illis ego citius, vt malignitatis febris notis, vterer, quibus tamen non egemus, cum potiores, & cognatiores notas habeamus in pulsu, & vrinis, & non semper maculæ extent, neque, quod ausim experimento fisus dicere, malignitatis febris propriæ sunt, cum illas viderim in alijs, recordor ego inter cæteros ægrotos vidisse me maculas creberrimas, & in nigrum vergentes in quadam muliere vbi aluntur, & custodiuntur Veronæ cuiusdam conditionis fœminæ apud D. Franciscum quæ tertiana febre, & salubri, q̃quam longa laboraret, in febre diuturna Vrbini in nobilissima adolescentula, sine febre Veronæ in Nobili Hortensio peregrino, & illas quidem admodum nigras, & crebras, adeo distinctas, vt in candidissima cute atramento viderentur impressæ, & maiores quam lentium grana essent, ac totum corpus occupabant, cum ipse nihil molestiæ sentiret pro sano ageret.

Qui spatio trium circiter annorum bis, aut ter copiosi sanguinis sputum postea haberet, & tandem eo nimis copioso repente extinctus est, vidi eas rubras in puella quinque circiter annorum, optimi habitus, quæ sana alioquin erat, post annum tamen fluore sanguinis extincta est.

Sed iam nimius fui in explicando, quid sit, & quid futurum timeatur in hoc morbo, quo curationis ratio ostenderetur. Iam ea ratio ex illis eruenda est, & præsertim his rebus, quæ sunt, in quibus vires earum, quæ futura sunt continentur. A morbi ergo natura curationis ratio haurienda est, & à viribus ægroti moderanda. Humores ergo infesti primam morbi partem, & causa habent propinquam, magis illi ipsi, qui putrescunt. Hi ergo sui detractionem docent, & quoniam multi sunt, illam multam esse faciendam.

Ex ea autem parte, qua impetum habent in partes vitæ necessarias, ostendunt se in diuersum omnino esse retrahendos. Putredo ipsa quoque, si partem habet, quæ queat in maturationem reuocari, aut aliqua ratione inhiberi, indicat mitigationem, & emendationem sui faciendam in contrarium mutationem eam reuocando aut delapsum in eam esse sustinendum, nimirum causis putredinis remouendis, vt corpori perflatio restituatur, naturalis calor recreetur, & alienus omnino discutiatur, refrigeretur.

Quod verò humidum diffluit sub putredinis motione, est exsiccandum. Febris quoque in alieno calore posita idem confirmat, ne sanguis sub eo calore pressus vitietur, qui calor igneus, & alienus, quoniam in halitibus, & fumis nititur, illi quoque sui discusionem monent esse procurandam, quibus ita distributè explicatis, vt ad agendum accedatur, definite videndum est genus operis faciendi, quod & quale sit, & deinde quantum, tum autem quo tempore, & qua sede, ac quemadmodum agi oporteat, quibus omnibus natura semper, & corporis vires sunt opponendæ, quoniam ea, quæ malis fugandis faciunt semper viribus solent officere, quæ sane tantæ sunt sustinendæ, quantæ morbum euadere queant, hoc est vitam, quæ primo Medicis sustineri debet, quousque morbus sublatus sit, contineant, citra id vero etiam diminuendæ, quo morbus tollatur, quo dempto illæ rursus reficiendæ à Medico, & in suum robur reuocandæ sunt, quo vita tutior, & commodior euadat.

Ad primum curationis caput me refero, quo infesti humores erunt detrahendi. Infesti quidem omnes illi censendi sunt, non solum, qui putredine tenentur, & vitiosi sunt, verum etiam, qui viribus naturæ in pugna cum morbo sunt impedimento, & qui in augendum morbum sunt procliues, tum etiam qui curationem impediunt,

Vi-

Viribus purgaturis impedimento sunt omnes etiam boni, & alibiles, vt sanguis, quoniam tamquam alimentum adhuc contrarium vires occupāt in sui confectione,& mutatione.

Augere etiam morbum ijdem possunt,quoniam vnà cum vitiosis complexi mole sua meatus magis obstruunt, & vna cum spiritibus ad offensam accurrentibus, semper ad morbum fluunt, & occupationem augent, tum autem, quòd, dum vitiantur, plus materiei morbo præstant. Boni humores, & sanguis per sectam venam commode subtrahuntur, itaque vena secanda videretur, modo vires non prohibeant, quæ imbecilles sanguine egeant, ad sui renutritionem.

Eo etiam tempore subtrahi sanguis debet, quo nondum corruptionem contraxit, nondum morbum auxerit, in eum, namque vsum demitur sanguis, ne morbum augeat, ita cum id fecerit, cessat eius mittendi commoditas. Itaque in magno morbo, seu vehementi, vel eius metu hac ratione sanguis mittendus, ni vires prohibeant, quæ omnino ab alibili etiam humore tamquam contrario, & eas occupante, quantum per ipsarum supra definitam nutritionis necessitatem licet, sunt leuandæ, exonerandæque, eadem ferè ratione qua etiam in cibo diminuendo fit, vt enim numquam ægrotis sanorum cibus, ita neque sanguis sanorum ægrotis est permittendus, vterque enim,quamquā non æque, naturæ oneri est,atque si naturæ alimēto est,est etiam alimento ipsi morbo.

Si ergo ad vsum propositum, & conditiones explicatas sanguis mittendus est, certe initio morbi mitti debet, tunc enim detractus viam curationi non impedit,corruptus non est,morbum non dum auxit, & vires nondum diminutæ, eo vero leuatæ expeditiores sunt in reliquam materiam,quod vtinam in nostro ægroto factum intelligerem, neque enim tantum materiei ad corruptionem delatum fuisset, neque tantum copiæ ad obstructiones, & morbum augendum, vt videmus, quamquam enim ætas sexagintaquinque annorum sit, robustus tamen senex dici initio morbi poterat. Sanguinis missio præseruatiuæ curationis est, ita non expectandum est, vt morbus consistat, Sed ante omnino facienda est, quàm plus mali initio succrescat. Hic viridis senectus, corpus semper rubrum, beneque coloratum, hyems iam finem attingit, & ab ea corpus potius in calorem, quàm in frigus mouetur. Si venter fuisset crudis succis refertus, tunc leni aliquo medicamento prius, quàm vena secaretur, rectè fuisset repurgatus, alioquin Galenus, vt præcipue in libro de tuenda valetudine ostendit, modo aluus descenderit, venam secat, sic clystere sæpe solo iniecto mitti continuo sanguis potest, quæ sane dolere possumus facta non fuisse, sumus in quinta die morbi acutissimi, videmus putredinem. Longius progressam, vt finibus initij morbus excessisse rectè dici queat.

Neque enim in tam pestifero morbo maturationis, sed putredinis progressiones notari opus est, atque ex malis signis sequutis iam incrementum morbus accepisse iudicandus est.

Quæ certè forsan non eo progressa viderentur, pars sanguinis suo tempore submota fuisset, neque sanguis ita contaminatus cerneretur, neque contaminatus in putredinem venisset. Imo ego iudico, quod valde necessarium fuisset (& id dico ad locum præstantissimum artis nostræ declarandum) tamquam in turgente materia, & extremum, ac certum materiæ turgentis periculum habente, quod purgari corpus continuo post missionem sanguinis debuisset solum syrupū acetosum, aut eiusmodi alium ad apparatum interponendo, eademque vesperi dando eius diei, quo sanguis esset detractus, & sequenti mane medicina exhibenda, vt sit clarum quos,quibus,quando & quomodo purgare oporteat, quod in tertiam ad summū diem incidisset. In acutissimo hoc.n.morbo aliter fieri nō oportebat, præsertim, quod nos mitiora medicamenta habemus, quàm sit elleborus, aut colocynthis, & certiorem pestem hic morbus habet, quàm simplex ille, qui est à turgente materia. Verum,cum nihil horum sit factum, & sanguinem, ne dum malos humores, iam nocentem, & corruptum habeamus, vt materia, noxia non solum vitio, sed copia nimia oppressura hominē videatur visceribus omnibus minitans, ego non video, quid potius fieri queat, quàm, vt humores turgentibus magis formidandi ab illis partibus retrahantur, quibus vita continetur,quibusque ea maxime opus habet.

Porro autem id valentiori medicamento tentare tutum non est, vbi tanta vitiosæ materiæ copia, tam cum sanguine coniuncta est, minimeque ad exitum parata, quæ per vim etiam tracta non veniret, & æque sanguinis partes, ac humores in carnibus fusi tractum sentirent, liquarentur, spiritus dissiparentur, omnium maius incendium, & conturbatio ob calorem medicamenti fieret. Ac si qua materia veniret, ea egressum angustum in iecore sortita ibi angustas venas, & arterias infarciret, ad incendiumque maius moueretur.

Qua de causa minus tutum etiam esset valentioribus ad humorum, & viarum apparatum medicamentis vti, tamquam nimis mouentibus. Crassitudo namque humorum nimis obsisteret, & copia, tum vtraque ad obstructiones per incitationem humoris augendam faceret, & maius incendium mouendum.

Quapropter ego malim potius humores à partibus, quibus maximè timeri debet, auertere cucurbitulis, non dorso, sed naribus, & fæmoribus, ac suris incisa cute applicandis, sic enim & copiam loco incisionis venæ minuerent, & à partibus dictis maiori vi materiam retraherent ad extrema, maxime quòd non solum e venis, sed ex arterijs, per quas cor expurgatur, vt per venas non potest ostiolis venæ cauæ obsistentibus, sic & Galenum, Oribasiumque imitabimur, & vitaremus illud incommodum, quòd multi timent à cucurbitulis, quòd illæ humorem ad venas minores attrahendo, & partes obstruendo possint peiorem febrem reddere, Videmus enim nos, quod ab eminentibus, ijs partibus, cum obstructæ fuerint, & putredinem conceperint, offensa putredinis ad medium parum pertiuet, & vix quidquam infertur visceribus horum incommdorum, quin longius à partibus principibus materia euocata in eminentibus cō sideat. Ineptius resistunt quidam, & nobis illa Galeni Oribasij, & Celsi verba opponunt; Cucurbitularum vsum minime tutum esse, ni prius totum corpus fuerit expurgatum, non videntes, quòd cucurbitularum duplex in summa vsus est, vnus, quo pars ipsa affecta morbo per cucurbitulas curatur, & ex ipsa exhauritur humor eam iam occupans, ibique considens.

In quem profecto vsum si dentur,antequam corpus totum expurgatum, exoneratumque sit, ex eo materiæ plus in affectam partem trahunt, quàm auferant eius, quæ consedit; sed clare videre possunt, quòd hic is vsus à cucurbitulis nōn quæritur, de quo illi auctores recte eam sententiam protulere, cuius magna ratio allata est.

Nam & alter vsus est, ab eo longe diuersus, & in eum nos cucurbitulas applicare consulimus.

Is vero est, vt corpus totum exoneretur, & vna à partibus principibus, aut affectis morbo, vel in affectum aliquem casuris materiam nocituram retrahamus.

In quem vsum illi ijdem authores illas sæpe dant, & loco sectionis venæ sufficiunt, & artubus tantum affigũt, tum vero etiam oppositis, cum pars aliqua eminens ab influente humore est defendenda, neque in hoc vsu purgatum corpus requirunt, cum hoc pacto purgandum esse affirment, &, vt dixi, loco venæ incidendæ, quòd nos facimus, cucurbitulas dant. Ij igitur nostri iam resistere desinant.

In eos potius sentẽtiam illorum magnorũ auctorum conijciant, qui audacter nimis contendunt cucurbitulas potius dorso, quàm artubus esse affigendas, quòd & loco magis vicino vim maiorem habeant, & nihilominus materiam auertant à partibus, quibus metuendum est, & dicant, quòd dorso applicatæ cucurbitulæ, quamquam e medio ad ambitum materiam eliciunt, etiam ab eminentibus partibus, & remotis membris eam in sedem vicinam trahentes in locum medium quoque reuocant ad viscera cursu iam ab extremis ad medium incitato.

Certe veteres, cum corpus purgant, artubus semper illas dant. Equidem video ego summum periculũ, si illas dorso affigeremus, nam quamuis è medio ad ambitũ illa, quæ in medio est, eliceretur materia, ad locũ tamen medio proximum à remotioribus vndique partibus plus eius cogeretur, quæ maiori impetu in sedem mediam inanitam succederet ea attractione, & vi vacui incitata, sic plus quàm haustũ foret ingereretur. Artubus ergo maxime inferioribus cucurbitulas apponerem cute prius incisa, & corpus sic à copia leuaret viscera defenderem. Frictiones in eundem vsum continenter adhiberem dorso quidem leues, ac leues, seu molles, & postremo loco, artubus autem validiores ad retrahẽdum, quibus quotidie mane ante cibum factis cucurbitulas quoque sine ferro subiungerem. Insuper extremis partibus acria medicamenta ingererem eidem vsui accommodata. In ijs haberem oleum scorpionum, aut illud celebri Magni Ducis, quod ad pulsuũ loca inunctum per venas, & arterias vim suam promittit, & non solum ex visceribus malos humores attrahit, sed etiam vi quadam malos halitus consumit, & viscera tuetur, quod etiam lateri inungitur, vbi cordis motus sentitur, & ad carotidas, ac tempora, primo quater quidem, semel septima quaque hora, deinde bis, & semel quaque tertia decima. Postremo semel inde ad vigesimamquartam. Valentioribus, præterea vesicas in extremis excitarem ibidem, vbi pulsus sentiuntur, quibus maxima attractio fit ab omnibus visceribus, & à capite, vt expertus sum, vidi enim sæpe ingentes capitis dolores ab his esse finitos. Damnant id genus præsidij nonnulli, eiusque feruorem exhorrescunt, & trahi ab illis humorem tantummodo tenuem existimant, quæ res sub crassis succis videtur inutilis. Alij ij ad verum cogitare non videntur, nam illorum medicamentorum feruor, & subito cessat, & vix summam partem transit, quamquam ex alto diu mouent natura sic excitata, & tractu inducto, ille enim feruor, & si breui cesset, vt experimur, in crassa tamen materia hæret, alioquin vesicam non attolleret. Euocant vero ea incitatione tractus humores etiam crassos, atque ex alto, vt in doloribus ischiadicis clarum est, & in liquore illo, quem exire videmus, maior crassitudo est, quam in materiam sudoris obseruamus, per quẽ tamen sudorem non raro eius generis febrium materiæ efferuntur.

Sed, vt nil aliud iam per hæc medicamenta consequamur, natura certe excretrix irritatur, quæ in eorum tractum conuersa in eas partes à medio corpore noxiam materiam facilius expellit. Neque mirum, si his, & eius generis alijs medicamentis salutem referant multi, cum huiusmodi malignis febribus essent occupati, vt celeberrimo eo oleo Magni Hetruriæ Ducis.

His ergo fieri posse imminutiones & retractiones humorum posse credam. Illa postea his subiungenda erunt, quæ intus hærentes humores ad egressum, & vias parent, putredinemque malam in viam maturationis reducunt, incidendo, abstergendo, extenuando, & vnà obstructiones abradendo. Sic enim calor alienus diminui, naturalis recreari, & coctiones, maturationesque incisa, & perfracta materia possent.

Neque hic miretur aliquis, quòd in internorum humorum maturationibus perinde, atque in externorum tumorum non fiat, vt obstipantia adhibeantur. In internis namque obstipatio nequaquam aut necessaria, aut tuta est, quin internorum putredinem citius in pessimum statum compelleret calore alieno congesto, & naturali occupato. In inrernis certe apertio cum putredini emendandæ necessaria, tum maturationi percommoda, excernendis infestis humoribus expetita omnino procuranda est.

Interim autem cum ijs, quæ dicta faciunt, vterer permixtim etiam ijs, quæ refrigerent calorem, & reliquias putrefactæ materiæ, aut, si quid paratum esset, continenter educerent, id vero maxime facerent per expeditiorem viam, quæ per vrinam est, cum materia in venis superioribus dictis versetur, non prætermissis illis, quæ etiam per inferiores venas, & per aluum moueant, atque si in vomitum aliqua propensio esset, quæ vomitum possunt iuuare interdum præberem.

Primum ergo darem syrupum ex succo acetosæ, acetosumque cum alijs tamen hunc valde temperatũ, ne nimis incidendo multitudinem humorum nimis dilataret, & amplificatã in principes corporis partes diuideret, atque incitaret. Cui acetoso moderãdo idoneus esset syrupus ex succo mali Medici, qui incidere ipse quoq; potest, verum ẽt incitationẽ coercet, cum eo quòd cor maxime colligit, atque confirmat, & pulmones quoque in quos materia, quæ in cor maxime sub febribus exagitatum attrahitur perfacile reijcitur.

Opportunum præterea iudicarem syrupum de Capill. Veneris, qui cum incidat, atque extenuet, non admodum tamen commouet, cui solet attribui, quòd fluentem aluum inhibeat. is, quod putrefactum, & paratum offendit, id per vrinas, & sputum valenter expurgat, nec minus iecur, pulmones, cor, ac renes expedit. Syrupum de lupulis non reijcerem, qui sine euidenti calore admodum detergit, sine inquam euidenti calore, quoniam flores lupuli non recipit, qui certè bene maturi amari sunt, & ita manifestum calorem habent, imo lupulum ipsum adhuc tenerum solum recipit.

Verum in primis syrupum de Nymphea haberem, præstantissimum vero ipsum de Cicorea Nicoli cum illis coniunctum, quæ ei valentem incisionem adiungerent, ego alijs omnibus anteponerem tamquam omnia expetita completurum, cuiuscunque enim generis materia paranda sit, quacunque ex parte expellenda, aut viscere euocanda ipse potest eam expurgare.

Hos syrupos ego diluerem aqua, vel potius iure acetosæ ex propria aqua confecto, & ordei, radicum graminis, & pentaphylli, non item Tormentillæ, quam duco nimis adstringentem. Mallim vero eius in locum sufficere mali Medici semina,

na, quæ cordi commoda putredini maxime aduersantur, & præcipue vermibus, qui præcipue in huiusmodi febribus solent generari.

Contra quos propriè vermes damus aut emulsionem, quam vocant, fit autem contusis illis, & aqua dilutis postea expressis, aut oleum eorum, quod ad eundem modum fit, ad quem modum oleum amygdalarum, & hæc semina etiam à quibusdam frigidiora existimantur.

Ego ne scordium quidem, quamquam calidum repudiatem, cum videam Galenum calidiora adhibere in febribus etiam à calidiori materia factis, vt pulegium, origanum, & hysopum. Scordium namque nec admodum calidum est, & malignis febribus est apprimè idoneum, quod, amarum cum sit, si aspernetur æger, ego per bolum, non per potionem exhiberem. Conteri quidem ea subtilissimè vellem, quo altius per corpus possent emanare, & cum puluerem cum syrupo de succo citri comprehenderem, & saccharo inuoluerem.

Ad illud ius reuertor, quo syrupi liquefaciendi sunt. In eo vtiliter admodum incoqui posset capillis Veneris, scabiosa, calthaque ex frigidioribus autem cicerbita, quam certe suffragijs nostris nunquam vellem præteriri, vt neque santala, præcipue vero probarem, si quæ ex frigidis sunt, quæ vrinam ciere possunt, vt graminis Radices, alioquin etiam de vrinam mouentium genere alia modo minus calida essent, vt asparagorum radices, quarum vis non eos caloris effectus edit, vt caulis, seu asparagus illius, quoniam is, dum in ventre corrumpitur, plus caloris concipit. Lupulos etiam, & semina melonum cum ijs componerem.

Darem vero etiam frangendo feruori, & putredini compescendæ, tum cordi confirmando margaritarum puluerem subtilissimum, corrallia non tanti facerem, potius cornu cerui vstum, quòd penetrantius est, & sudori mouendo aptum. Aeque vero etiam ad sudorem, & cordis expurgationem darem lapidem bezaar legitimum, qui, cum cognitu difficilis sit, in dubia re potius ego Occidentalem darem, quamuis non tam validus sit, vt Orientalis, quoniam minus in eo falli possumus. Sed duplo pondere darem, sic ad grana 20. Profertur, quidam fossilis generis, qui certe est ad terras referendus, & earum laude commendandus, ille ergo, vt Bolus armena, vt sigillum lemnium ad rem faciet. Lapidum quoque preciosorum pulueres prætereundi, non sunt, vt neque ossis de corde cerui. Sed nimis multa iam recensui, neque cornu vnicorni, aut Rhinocerotis, neque lapis Histricis tam laudatus necessario est recensendus, Theriacam, & Mithridaticam cōpositionem permulti in ijs febribus malignis magnifaciunt, nullam aliam rationem adducentes, nisi quoniam venenum hæ febres habent; sed non vident, quòd præterea habent tantam putrescentium, & ad putredinem procliuium, & obstruentium humorum copiam, cui certe illæ compositiones possunt occurrere, si iusto tempore dentur, nimirum cum concoctiones factæ saltem ex aliqua parte sunt, & tunc tamen venenum erit extinctum, nec commendationem illam habebunt & vsum, spe cuius illi mouentur. Ego illis compositionibus fido etiam, cum non dum cocta est materia, & iuuandæ coctioni do, atque vna cordi, & visceribus recreandis non dixerim confirmandis, & reliquijs putredinis eijciendis, sed exiguo admodū modo, vt in singulo syrupo ℈.1. pondo, in corporibus quibusdam generis frigidioris, & febre nō admodum acri.

Habeo enim eius vsum hoc pacto, & vtilem deprehendi. Alioquin in casu simili, ac is est, datas vidi, & citissimè ægrotos suffocatos. Iusto enim modo datæ in corpore tam pleno, & putridis humoribus oppresso febre propter copiam & putredinem saltem magna, nimium commotionis pariunt, & ad viscera humores discussos trudunt. Dant quidam soporifera mitigationem febrium pollicentia, sed post eam mitigationem resurgunt ardentiores.

Inter hæc curatem, vt per aluum etiam reliquiæ in eam delapsæ à putredine quotidie educerentur, vel altero quoque die saltem per clysteres ex communi iusculo, melle aut crudo, aut rosaceo, & saccharo rubro, oleo vero violaceo. Oua ego in meliorem ipsisque aptiorem vsum reseruarem, quòd si materia, quæ in dies ex deliquijs putredinis cogitur in ventre, per hæc non satis educatur, ad potiones idem facientes erit deueniendum, de quibus dicam, si prius dixero, quòd interea principes partes erunt defendendæ, sustinendæque etiam ijs, quæ exterius ponuntur, contra quidem cor illinendo vnguentum ex sandalino, & Theriaca, immixto ad penetrationem vino, atque aceto, vt Rosaceo vnguento cum eisdem. Vidi ego ex inunctione Theriacæ somnum fuisse conciliatum. In vsu communi etiam est epithema dictum ex aqua acetosæ, mellyssæ, nymphæ, rosarum, pulueribus cordialibus dictis, croco, vino, aceto rosaceo, aut simili alia re.

Quidam hoc vituperant factum, eo, quòd pectus, & thorax nunquam in suis necessitatibus adstringi volunt cordis ratione, atque etiam pulmonum, vt Galenus libro Method. habet. Vbi certe errant, nam thoracis partem non admodum latè his attingimus, vnde comprimi intus aliquid alicuius molestiæ, aut oneris possit, sed vix partem qua cor magis eminet, suoque dextro sinu pulsando sentitur, sic plus longe commodi, & adiumenti illud accipit, quàm damni, quantumcunque illud esse posset. Iecori quoque tutamen suum possemus adhibere, & ventriculo. Iam vero si humores sese præstiterint obsequentes, & maturatio aliqua succedat, illi maioribus auxilijs expurgandi, de quibus modo loquendum est. Duo sunt tempora omnino, quibus mouere, purgareque humores licet, Principium nempe, & inclinatio.

De principio iam cogitare non possumus, in quo per hos pessimos morbos potius id faciendum est, cum raro in eis inclinationes sine Medici huiusmodi prouisione expectantur. De inclinatione tamen restaret consilium, si vnquam speranda sit, si ergo vnquam putredo ad maturationem possit retorqueri, vt per summam maturationem morbus summā suam magnitudinem assequutus postea queat inclinare, tunc sat erit deliberare, quòd certe fiet perfacile. Sed ante eam perfectam maturationem solet in dies morbo in eam directo aliquid semper, vt dixi, relinqui à putredine, quod sui detractionem postulet, quod vt exiguum est, ita exiguis viribus medicamentum postulat, quod parum vim clysteriorum superet, quod per iusta dierum interualla datū propositam necessitatem expleat. In ijs manna est, & diaprunum simplex, diasebesten item simplex, sunt tamarindi, est cassiæ dictus flos, serum etiam lactis à nonnullis nostrorum recentiorum in hoc genere febrium probatur, quod non ita audenter assererem, cum pinguis ille suus humor, & vis petendi caput, & copia, qua in eum vsum potandum est, mihi suspectum sit. Valentiora sunt illa, quamquam non infesta. Syrupus rof. solutiuus, & mel rof. item solutiuum. Non equidem Rhabarbarum in copia tanta, & cruda putredine reciperem, quoniam videtur hærentes, & lentos ac crassos humores petere, & à minutis venulis euellere, quod opus obuijs tot, & tam crassis humoribus præstare nequiret, & sua adstrictione potius, & calore putredinem concitaret.

Et certe quidem ego vidi sæpe tantam ariditudinẽ A febri adiunctam, & tantum febris incrementum ex Rhabarbari potione, vt citissime ægroti consumerentur, quod ego non tam in aridum, & calidum genus Rhabarbari referrem, quàm in obstructionum maiorem compressionem eius vi constringendi factam, & præterea in maximam humorum crassorũ, & exustorum commotionem ab eius vi euellente, & ad eradicandum nata incitatam, qua humores crassiores permoti, nõ educti, altius essent impecti. Medicinæ ergo exemplum mihi esset huiusmodi ℞. syr. rosf. solut. ℥.2.s. Mannæ elect. ℥. 1.s. pulpæ tamarin. ℨ. 2. Vel floris crass. vel Diapr. vel Diasebe. simpl. ℨ. 3. quæ dissoluantur in iure pectorali addita ℨ.1. cinnamomi facto. Eas pulpas, & elect. ego libentius cum melle rosf. solutiuo compono, quoniam asperius est, B & videtur in ventre feruere, cum syrupo autem rosaceo propter alias cæteras causas, vt tamarindos ad putredinem emendandam. Quæ Medicina in cursu vsque ad maturationem, nisi æger ante in eo tollatur, dari bis, & ter posset, quæ res de futuro suspiciosum admodum me habet. Non restabo tamen, quin etiam dicam de victus ratione, quo cursum consultationis perficiam, hactenus enim ea, quæ morbo minuendo etiã vires extenuant, compræhensa sunt, nunc ad ea, quæ viribus sustentandis idonea etiam, ni moderentur, morbum augeant, & profecto difficillimam definitionem victus ratio habet, si modum spectemus, & periclitatur, ne sub ea aut tenuiori vires ægroti deficiant, aut minus tenui morbus ipse C quoque nutriatur, eandem ergo sequi rationem in victu debemus, quam in missione sanguinis obseruamus, totidemque verbis à Galeno admonemur in vtraque instituenda. In multo maioribus angustijs, hic nos versamur, propterea quod in morbo progresso non solum spiritus consumpti sunt, sed multæ partes sanguinis ab eo derasæ tum calore, tum corruptione fuerunt. Sic vires diminutę sunt, & morbus auctus. Vires exiguo alimento dato non satis poterunt sustineri, morbus largiori cibo nimium crescere t. Tanta semper est in malignis febribus angustia, vnde ferè Medici controuersentur. Certe sub tanta corruptione minus vires ali possunt ex eo, quod in corpore est, ita cibus ei sufficiendus est magis. Ego ptissanam totam darem, si potest mandere, sin minus, D cremorem ipsius, & ad præceptum Galeni bene percoctam vellem, neque eos audirem, qui ex libro de ratione victus in acutis tunc illam non dant, cum corpus egere purgatione certum est, Nam ibi, quidquid de ptissana indicitur, de quocunque cibo eiusdem crassitudinis dictũ putari debet, cibus enim omnino ex ptissana erat tunc in vsu in ægrotis, itaque nos hoc tempore, qui in morbo hoc pultem ex pane audenter damus, cibum crassiorem, cur ptissanam dare verebimur? Certe ijdem illi qui hoc loco persuasi ptissanam vitant, pulmenta ex pane, & alia similia abundè dant, Ego itaque ptissanam potius, vt tenuioris generis probarem, interea etiam dum corpus eget purgatione, quam cibos alimenti valentioris, quos illi tamen large exhibent, & carnibus E contusis, qui præterea etiam suo pingui, & vnctuoso genere febrem alunt, & ex pane in pultem redacto, quo crassitudini humorũ plurimum accessionis fiat, Minus ego vererer, ne humores ante tempus sua ab stersione moueret, cum abstergentibus valentioribus egeamus, & ea conquirimus vndique ad materiam parandam. Quæ ptissana, si non satis alitura videatur, vel bis die propinata, vt viuendi consuetudo sub morbo, quoad fieri potest, retineatur. Ego oui luteum ex iure liquatum non ita valde percoctum adiungerem, cui, ne lentore suo alibili, & ex perfecta sui mixtione nato lentorem humorum augere posse suspicetur, quo tamen lentore & alibile magis ouum est, & acribus humoribus deliniendis vtile. Ei inquam adiungerem, quę eum dissecarent, ac dissoluerent, vt succum mali Aurantij, aut Medici, puniciue. Verum ptissana quoque lentore eiusmodi prædita non caret tamen abstergendi vi, quem lentorem ex optima coctione acquirit, quem vero lentorem possumus ijsdem succis frangere si suspectum illum habemus. Cæterum vires examinandæ sunt diligenter, ac, ni hæc illis satis proficere ad sustinendũ corpus videantur, & crassiori alimento opus esse, tunc pultem, aut certe sorbitionem ex pane trito, & iure carnium gallinacearum factam, & bene coctam cõcederem, quæ, quoniam ipsa quoque lentorem habet, & cum eo amplius crassitudinem, propterea diligentius illam cum dictis succis condirem, neque ei oui luteum immiscerem, propterea quod pultis crassitudo tamdiu feruorem continet, vt oui luteum nimium crassescat, vt postea cum suo lentore crassitudinem etiam habeat adiunctam, ita libentius eam pultem sine oui luteo parari vellem, imo liquidiorem, & cum seminibus melonum cõdirem, quo etiã illi multum lętoris adimeretur, sicuti cucumerorum quoque, & cucurbitarum. At enim horum seminum τὸ πίον καὶ λίπαρον non crederem, quod de carnibus dixi, feruorem posse crassis humoribus afferre, quæ res libro de diæta nobis est admonita, quin potius dictos humores inde iri extenuatos, non enim hoc pingue, sicuti carnium, vere pingue est, quin aliquid frigidi generis & abstergentis ob naturã eorũ seminum teneat. Carnium vero contra calidius genus, & verius pingue dici potest, siue illæ expressæ, siue torculari extortæ sint, quo magis ab igneo calore facile inflammetur, qua de causa etiam iura omnia carnium sic omnino parari deberẽt, vt pinguedine vacua sint. Et quoties ipsum carnium cremorem dare cogemur, quod plerique omnes persuasum habeãt, inde alimenti plurimum elici, tũc pingue, quantum fieri potest, eximendum est, carnibus diligenter curatis, & iure purgato. Verum, si ægrotus potest mandere, caro pullorum gallinaceorum est potior, præsertim, quæ in alis inuenitur, quorum iecora quoque probantur, tum ad faciliorem comestionem caro concidi minutim potest, ac cum saccharo, iure, & cinnamomo, atque aliquo ex prædictis succis condiri. Vbi nolim præteriri ipsius cinnamomi delectũ, vt gustui minime asperum sit, imo ne tactui quidẽ, gustui certe suaue potius, quam admodum acre, mansu, glutinosum, minimeque lignosum, minime etiam χιστὸν seu scissile, potius vero θραυστὸν, hoc est, fragile primo mansu, quo tamen mansu glutinosum euadit, odore vero etiam suauissimum, quod cũ occurrit colore est fuluo quidem, sed ad cinereum vergens, cuiusmodi ego habui sæpe. Medici cum ægrotus sumere sorbitionem, aut cibum non potest, non solum cremorem carnis parant, illa in elixum, aut assum per torcular exprimendo, sed liquorem magis tenuem ignis vi expressum, alium per elambicum carnibus cum suo iure, in quo coctæ sunt, impositis in ipso, alium per vas in modum descensorũ vocati, positis in eo etiam crudis carnibus, aut coctis sine vllo iure. Is posterior modus à me ob pinguedinem respuitur, prior autem ob speciem aquæ alendo minus idoneæ. Vtrisque tamen minus apte accommodandis maxime opportuna est dictorum acidorum succorum permixtio cum ad pinguedinem eorum frangendam, tum ad alimentum eorum extenuandum, incendiumque retundendum, qua de causa etiam horum intinctus concedi debent, & insuper ex succo acetosæ, Ribes, cerasorum acidorum, prunorum, malorum punicorum, atque aceto. Quẽadmodum acetaria quoque ex endiuia, cicoteo elixis, & acetosa, floribus borraginis, buglossique crudis. Neque mihi hic aliquis illud dictum opponat,

quod

quod non sunt cum alimentis medicamenta permiscenda, quod certe nunquam Hippocrates aut Galenus, aut alius magnorum Medicorum iusta occasione est aspernatus. Qui Mellicratum cibi loco dabant, cum eo tamen hyssopum, vt etiam cum ptisfana,& origanum,pulegiumque,tum alia similis generis coquebant, & cum piscibus, & alijs cibarijs porrum,anethumque, & in prima mensa etiam fænugrecum concedebant,à quibus non alimenti materiam; sed vim efficiendi aliquid requirerent,neq; quòd ea mali succi vere sint,timendum arbitrabantur, propterea quod ex his exiguo modo datis exiguum materiæ intus manet, quod nihil ad alimentum faciat,& cum exiguum sit,facile excutitur.

Hæc de cibis sat sint, de potione id vnum dicendum restat,quod aqua,in qua ordeum incoctum sit, B dari debet, quæ si minus apta esse stomacho intelligatur,ea coriandro potest concinnari, & cinnamomo, atque etiam cariophyllis in eum modum, quo ei magis placuerit. Vellem quidem, ne aspernaretur paratam potionem ex materia eorum, quæ supra numerata sunt, cui oxisacchara quoque poterit vtiliter admisceri, aut syrupus de succo acido citri cum maiori parte vini malorum punicorum, quorũ omnium temperamentum ad gustatum erit moderandum vel ipsius ægroti. Hora autem cibi ea capescenda erit, vt ipse concoxerit, & remissio febris fuerit, & ante incrementa horis saltem quaternis. Nec enim in crudum ventriculum cibus, neque ipsum febris incrementum venire sine multo detrimento potest. C

De somno ea admonitio prætermittenda nõ est, vt noctu potissimum,si fieri potest,conquiescat, aut mane ante cibum, sin minus post eum, à meridie certe numquam ratione non solum temporis, sed morbi, qui ea hora ferè solet increscere, ita à cibo meridiari nocuum est. Corpus contectum, ac velatum stragulis solitis, & vestimento, tum in strato solito habendum est. Neque insolenti multo vestimento obruendum,minus est leuiori solito refrigerandum.Etsi enim febris aspirationem frigidiorem postulet, illam tamen per oris anhelitum, non per cutem vtiliter accipit, frigidus siquidem aspiratus, cum cutem attingit, eam contrahit, eaque contracta ipsi halitus,& humores intus reprimuntur,& vis D excretrix ad interiora conuertitur, & in viscera media quodcunque sibi infestum comprimit, sic comprimit, sic compressio febrem auget, & morbum perniciosum reddit. Quod sub corporum refrigerationibus persæpe obseruari potest. Conclaue ergo fenestris quidem interdum apertis ad breue spatium perflari, corpus tamen semper curiose contectum seruati velim. Reliquas vitæ partes prosequi oratione non videtur necesse, ita finem dicendi faciam, eo prædicto, quod omnibus diligentissimè obseruatis, non sperarim ægrotum ad bonam valetudinem posse reuocari,vel à morte sustineri. Nolim tamen mirari vos,quod tantum orationem protraxerim, tam certus eam parum ægroto, profuturam, propterea quod ego si non ægroto,saltem iu- E nioribus audientibus vtilem eam esse sperabam, vt illam non tam consultationis,quàm doctrinæ causa habuerim.

A quinta die,quæ consultationis fuit, vrinæ crassiores,magis fuluæ,ac fere nigræ,turbidioresq; fuere. Spiritus numquam difficilis, nisi ad extremum, scilicet pridie,antequam moreretur, quo die etiam pulsus maxime languesceret, & vna etiam mens, nequaquam tamen verbo, aut facto insanire videbatur, nocte,antequã m decederet,hilaritatem maximam suis, & Medicis etiam præsentibus excitauit, cum per subiectam glandem abunde excreuisset, interea tamen ipse sensibus, & pulsu deficere, A labia vero exagitare, tum maculæ etiam toto corpore efflorescere.

De Diarrhæa cum febre maligna pro Vicario Prætoris Veronæ.

CONSVLTATIO DL.

Dysenteriam, & Tenesmum appellatis vos viri doctissimi eiusmodi fluxum alui, sub quo homo crebro deijcere cogitur, prioribus quidem deiectionibus sanguineum mucum, seu strigmenta pituitosi, glutinosique sanguinis distincta tamen fibris pituitæ albæ,& ea modo cum alui fæcibus,modo sine eis,modo ijs densis,figuratisque,modo mollioribus,& liquidis, posterius vero humores exustæ bilis,& variorum colorum cum spuma, & alui fæcibus liquidioribus, nouissime tandem omnia in liquidum humorem ex bile, pituita, & chylo conflata, sub quibus neque semper alui dolor, neque vnquam inanis egerendi cupiditas fuit. Ego vero Domini Excellentissimi sic rem hanc expendo. Illa infecta sanguine egestio subito homini sanum se putanti excitata, & sine dolore facta, quamquã aperta venarum oscula denotat, sua tamen tam subita origine non potest abrasionem vllam significare, ne dum vlcus intestinorum, vnde proprie Dysenteriæ nomen est ortum, & inde ad omnem sanguinis deiectionem similitudinis opinione traductũ. Esto enim deiectio fiat etiam cum aliquo dolore, cum is à prima profluuij origine existat, abrasione, & vlceris generatione alioquin spatium postulantibus vlcus tam subito adesse non potest. Maxime quod post spatium aliquod, quo abrasio per longam detersionem fieri potuit,& vlcus, cessat potius sanguinis ea species,& biliosæ; serosæque tantum egestiones cernuntur,vna cum pituita, & alui fæcibus sanguine minime infectis, aperta ergo alia ratione, quàm vlcere oscula venarum sunt, qua etiam diu seruari aperta possunt. Sic vero aperta,vt non sanguinem verum, qui concrescat, vt verus sanguis facit, quive colorem,& habitum sanguinis venarum teneat, sed humorem glutinosum obscuro sanguinis colore præditum emittant, alienum scilicet ab alimenti natura, & qui oneri potius naturæ corporis sit.

Hunc humorem hac tempestate Veronæ sæpe vidimus cum febre posterioribus maxime diebus descendere, sæpe etiam sine ea, certe febrem raro initijs adesse,hoc est prima die,aut ea inchoata.Visum quidem etiam est ijs diebus,quod multæ febres tertianæ continuæ in huiusmodi alui profluuia recidere,sed biliosa, in quibus si sanguinis color,& mucus eiusmodi fuit, id post priores subito impetus visum est,certe paucis ad extremum fuit seruatum, vt Dysenteriæ nomen meruerit.

Hoc itaque determinato ego intelligo humorem eum suo onere potius, quàm genere infestum naturæ deijci, cuius excretionis impetus ad se omnis corporis excretricem vim incitarit, atque in eo corpore, quod insolenter esset multis, & malis succis refertum, euenisse, vt humorum copia,crassitudine,& vitio per febrem maxime aucto multa mala sequuta sint. Corporis vim excretricem sæpe ab externis ad interna moueri, quemadmodum contra ab internis sæpe ad externa facit, vt primus impetus hinc,aut inde oriri incidit; non est obscurum scienti naturę rationem,aut Galeni studioso,sub eiusmodi vero excretione copiam,crassitudinem,& malam humorum vim posse multa generare mala rationi

est

est consentaneum. Nam venæ tenduntur copia delata, tenduntur etiam membranę continentes, imbibuntur tenuioribus humorum partibus per earum meatus emanantibus etiam altius intrusis, sic tumere, & tendi eas partes necesse est, specieque inflammationis tentari, obstructionibus vero, & inflammationibus febres excitari, & simplices, & malignas, vt perflatio locorum occupatorum magis, vel minus cohibetur, & calor naturalis ea cohibitione vel extinguitur, vel igneus fit, & vt humores magis, vel minus mali, opportunique ad putrescendũ sunt, vt calor partium continentium plus, vel minus imbecillitatis habuerit.

Etenim videmus sæpe in externis partibus, quod exigua promota inflammatione gangrena fit, cum multæ magnæ inflammationes nihil tale periculum afferant, ob partium scilicet, & corporum & humorum opportunitatem, quod in febribus etiam animaduertitur, nam maximæ, febres sæpe de facili finiuntur, contra vero minores sæpe malignæ euadunt, & interficiunt opportunitatis humorũ, & partium causa, defluentes inquam humores sæpe febres afferunt, & illas quidem varias, vt variæ opportunitates sunt. Vidi ego interdum homines pluribus diebus similem humorem egessisse, nimirum quoddam gluten sanguineum obscuro colore sine febre, sine vlla alia noxa, quoniam is exiguus esset, & paulatim descendendo mala supradicta nequiret efficere, sed cum plurimus vnà, & crassus est, & à natura confertim detruditur, totusque corporis ambitus in mediũ corporis incitatur, neque spatium expectat, tũc iam dicta mala facile oriuntur, dinque sustẽtantur, quoniam orta inde febris humores torret, & irritationi aptos reddit, vt innuit Galenus libro prognosticorum, vbi de facie Hippocraticorum loquitur. Ecce morbi huius naturam multis malis coniunctã symptoma fluoris alui, inflammatio ad fluorem, seu ad causas proximas fluoris sequuta, obstructio, febris, eaque maligna, vt symptomata ostendunt, quo nomine appellem modo hoc profluuium, nisi nomine Diarrheæ? de quo genere Galenus libro primo de crisibus, & in epid. & libris Aphorismorum. Quam diarrheam tamen disiungit Hippocrates à dysenteria, vt vnam in squallidis, alteram in humidis tempestatibus oriri faciat, à vẽtriculo non esse hoc profluuium sanguis indicat, à venis esse vult, & cũ multæ copiæ sit, certè à iecore, deinde etiam à corpore toto. Causæ huius vitiosæ copiæ euidentes multæ extitere, nam & maxima intemperantia in cibo, potioneque fuit, eaque, quod maioris momenti est, supra eius consuetudinem, & morem, mali vero etiam succi cibi insolentes admodum fuere, frigori tandem se obiecit, vnde compressi meatus humorum, anhelitum, & exhalationem prohibuere, corpusque magis compleuere concreti in priorem naturam, vnde elati fuere, & vna vim expultricem ab summis partibus ad medias concitarunt, sic robusto facto exterius corpore mediæ partes necessario illius vim excepere, & recremẽta. Non est dolor alui, quoniam iam inflammatio febrem afferens gangrenosa facta est, tangite pulsum, creberrimus ille, & paruus, ac imbecillis in sene est, in qua ætate breuiori quidem ictu esse solet, at arteria maior certe crassior elatiorum etiam pulsuum speciem faciat, & rarior tamen, & arteriæ duritie falsam firmitatis speciem præbeat. Infirmum itaque longe magis intelligo hunc pulsum, & sub multa febre, quoniam languidus, & admodum demissus, & creber est. Febrem autem ipsam, cum vix quintum diem attigerit, & tantũ mali fecerit, ego non possum non malignam existimare, iactatio corporis, genitus eius sine expressis querelis, quin bene se habere etiam profiteatur, vigilijs multis, & odio cibi attestantibus, omnia id mihi persuadent. Sed quid moror vos? Vrinæ crassæ, & colore atro, perturbatissimę, cum tamen recrementorum tantum per ipsam aluum auferatur, non ne illã malam putredinem in venis omnium humorum indicant? Anhelitus quoque insignis difficultas putredinem non solum suis fumis, sed humoribus quoque ad partes spiritus pertinere demõstrat, quod in proximè morituris sæpissimè fit, ac, si partes longius distantes, sic male habent, quid de intestinis dici debet, quorum causa illæ, non sua, afficiuntur? Corruptione certè praua tenentur inflammationeque in gangrenam conuersa, quæ calore naturali obstructionibus deuicto fieri consueuit. Quibus sic propositis ego vereor ne citissimè intereat, vt vereri se dixit alter vestrum. Quare colligam quidem ego, quid faciendum esset, non tamen puto effectum quidquã posse. Intestina tamquam inflammatione affecta debent tractari, vt in principio delinientibus dolorem, & leniter reprimentibus, frigidioribusque demulceatur, vt oleo rosaceo, cremore ptissanæ, oui luteo, lacte, iure furfurum, maluarum, violarum, plantaginis, & similium, rosis etiam non præteritis, postea etiam inflammatio leniter discutienda, defendenda etiam primum intestina ab abrasione, postea, si qua facta fuerit abrasio, & dysenteria nata erit, tunc ea curanda. Ad defendendum ius capitis veruecis, & eius intestinorũ, & sebum hircinum opportune per clystere inijcientur. Ad vlcus curandum idem sebũ cum aqua, vel succo plantaginis cum aqua fabrorum, & ea, quæ è lapide molari delabitur dum ferramenta exacuuntur, aut sero chalibeato, & succo eodem plantaginis, verbenacæ, solatri, consolidæ, & eius generis, terræ etiam omnes lautiores, & lethargirium, & tutia commode cum ijs inijciuntur. Dolori autem illa priora etiam facient, cui eadem exterius quoque adhibita apta sunt, vt reprimendæ fluxioni, in quibus est oleum melinum, mirtinum, emplastrum, vel potius cataplasma, diaphænicon, omẽtum hircinum frixum, seu calfactum cum oleo rosaceo, & chamemelino, contra ventriculum etiam, oleum absynthite cum vino punicorum, & aceto opportune adhibetur. Dorso aliqui apponunt idem, omentum, alij terram armenam illam rubram cum albumine oui, aut aliquo alio liquore. Mastiche quoque, & eius oleum opportuna sunt. Hactenus intestinorum ratio tractata. Iam ad ea, quæ non solum ipsam inflammationem intestinorum, & vlceris metum, sed vna etiam cõfluuium humorum, & febrem respiciunt.

Hic humores penitus essent detrahẽdi, & in contrariam omnino partem motus eorum reuocandus, mitigandi quoque deliniendique, & ad meliorem frugem reducendi, ne naturam male haberent, excretionemque tam nocuam irritarent. Viscera quoque ob eorum motum languentia colligenda, viæque laxiores factæ cogendæ. Sed id cum eo faciendum, vt obstructiones tamen cum incidentibus decernentibus, & extenuantibus auferantur, hoc est crassitudo materiæ, & lentor tollatur, & ex angustis meatibus conuellatur, abradaturve, ita namque febri quoque occurretur, vt delinientibus humorem ipsi quoque inflammationi intestinorum, & abrasioni inseruietur. His omnibus hæc mihi suo tempore antea fuisse accommodata viderentur cucurbitulæ superioribus partibus affixæ, & per eas sanguis incisa cute detractus, deinde illæ eadem sine ferro identidem repetitę, frictiones quoque, & quidem molles ad meatus aperiẽdos dorso, & thoraci, duriores autem extremis manibus ad magis retrahendum, at pedibus factæ quamquam à medio humorem retrahunt, sicque ab intestinis auertunt, communiter tamen timentur in alui fluxu, ob id, quod de rectitudine interpretantur. Balnea metuerem, ne profusis hu-

humoribus profluuium magis incitarer. Contectum quidem corpus haberem, ne aspiratio aeris cutem colligeret, & humores ad ventrem magis moueret. Cubiculo tamen frigidiori ipsum haberem capite satis velato, ne destillatio aliqua moueretur, ab ira maxime, & metu cauere vellem, ciborũ genus probarem frigidius, & lenius, vt lutea ouorum, vt lactuca bis decocta, metuunt ptissanam ob detersionem. Ego potius ob id, quod stomacho minus apta sit, & sæpe in eo imbecillo, aut acescat, aut corrumpatur, faciut quidam sorbitionem ex seminibus melonum, quod maxime vrinam cieat, & ab intestinis humorem ad renes auertat, quod experimur semper in ijs, qui chalderianam aquam sumunt, cum enim ea per renes non processerit, succo horum seminum maxime illuc affertur. Timidus nequaquam cum nonnullis ego sum, ne sub febre pinguis ille succus inflammetur, cum frigidioris naturæ sint, ventriculi potius causa à quo aliena sunt preterirem. Alicam non reijcerem, seu far in modum ptissanæ paratum cum aliquo succo incidente frigiori compositum, vt aurantij, aut alterius similis generis, pultem etiam ex contrito pane, & ex aqua loco, deinde iure decocto, probarem, præsertim si luteum oui commisceatur, ius ex carnibus ad ignem tabefactis, aut sorbitio ex ijsdem contritis, aut succus ex eis expressus mihi non magnopere probatur, quoniam vnctuosa omnia sunt inflammabilia, & ventriculo minime apta, omnia vero ex aqua aut chalderiana, aut chalibeata decoquerem. Metuunt quidam aquam chalderianam propter febrem, alij illam quæ chalibe parata est, quod acres eas existimẽt. Sed chalderianam qui iure extimescunt in febribus, ij respiciunt copiam, quã in vsu balneorum vti solemus, non aquæ eius vim moderatè datæ. A chalibe autem acumen eiusmodi est, quo solidæ partes potius robustæ fiant, quam irritentur, adstrictionis namque multũ secum habet.

In alui fluxione vidi chalderianam aquam dari, & sub eius longis potionibus fluxionem quiescere, atque illis finitis fluxionem reuerti. Cornei fructus ad ignem ex saccharo modificatos non reijcerem, quoniam aluo leniter inhibendo idonei sunt sic ipso saccharo moderati, & experimentum quoque id cõfirmat. Num modo ante, an post cibum sumendi sint, si Galeni dicto stemus iam constitutum est, quã quam in hac re ego sum valde dubius, cum videam vtrumque ventriculi os superiorem sedem in ventriculo tenere versus transuersum septum, & quod postremo loco cibi sumitur, propius esse, vel certe non magis abesse ab ore naturæ inferiori, quã quod primo loco ingestum sit, quod certe summa ratione à natura factum est, vt, quæ essent descensura necessario superiorem ventriculi partem peterẽt, nam sic nil facilius descẽdit, quam quod percoctum est, etenim quæ percocta sunt, sua leuitate, & spiritu concepto facile superiorem sedem appellunt, & sic descendere omnia, vt cocta sunt, sine mora possunt. Spiritu namque mixtionis, & liquore ipso innatant, & superiorem ventriculi partem tenentes breuiori linea, ac spatio ab inferiori porta absunt, si vos ventriculi figuram consyderetis, hoc pariter his, quæ in ventriculo corrumpuntur, accidit, quoniam leuium fiunt. Ita ego non factam tantam difficultatem, quo mensæ tempore hæc adstringentia hic sumantur. Certe si postrema mensa sint sumpta, credam vtrũque ventriculi os posse confirmare vt experimenro edoctus sum. De hora cibi dandi nihil est proprie determinandum, cum morbus continentes affligat, Potio probaretur ex aqua chalderiana, aut ferro cãdenti cocta, cum vino punicorum permixta, & aliquo aromate, vt coriandro, aut Maci. Restat genus medicamentorum ad humores auertendos, ad vomitum mouendum, ad humores modificandos, visceraque confirmanda, vomitum ego iuribus pinguioribus cum pauxillo aceti mouerẽ, aut sero vaccini lactis ei aliquo ex rosarum recentium maceratione adiecto, fortiora vitarem. Succum cicorei libenter darem potandum cum sero lactis Chalibeati, ex eis enim lenitionem humorum, detersionemque, & refrigerationem maxime iecoris, & tonum viscerum sperarem. Florem cassiæ cum puluere cornu ceiui non improbarem à quibusdam laudatum. Laudarem etiam diacatholicon ob ea, quæ recipit vrinam mouentia, & humores delinientia, cum eo vero coniungerem tamarindos, & aliquid micletæ, pulueres ex terra sigillata, ex bolo armena, ex trocicis de spodio, & cornu cerui componerem, & cum aquis stillatitijs cicorei, agrimonij, trapogonis, pimpinellæ, absynthijsque darem, capillum veneris omnibus modis præberem, quoniam & sistit fluxiones alui, & viscera potest expedire. Gramen in illis aquis incoquerem ad maiorem earum vim. Incoquerem radicem tormentillæ ad eandem viscerum expurgationem, & firmamentum, folia vero cetrach ad eorum expurgationem. Aquam vero agrimonij, & absynthij trahente morbo summopere probarem, & succum eorum longe magis. Syrupis non vterer, quoniam expertus sum, quod, qui ex his aquis melius habuisset, cum ad certius auxilium syrupos ex cicorea nicoli præscripsissem, ægrotus amisit vna hora, quod pluribus diebus erat consequutus. Sed hæc frustra tentanda propono, quoniam cito vitam ei ereptam fore existimem.

Is 6. die incipiente decessit, quæ fuit postera diei consultationis.

Medicamento pro Stilliani Principe à febre tertiana notha continua fere liberato.

CONSVLTATIO DLI.

Qvamquam ipse tertio, quarto, quinto paroxismo per sudores multos est ab altera febre liberatus, ex continua in intermittentem conuersa est, post alterum sudorem, vnus tamen ipsius tãtum paroxismus fuit, posteaquam e continua intermittens euasit, illeque medio die illo, qui accessionibus alterius febris intermittentis intercedebat, & quamquam postremus fuit, tamen nullo sudore finiuit, longusque admodum præter cæteros fuit, nam à 16. hora ad octauam noctis sequentis traxit. Propterea suspicio esse non mediocris potest, ne febris, quæ desijt sine indicijs resolutionis, iterum reuertatur. Vrinarum septimo diei vna tantum nubem elatam admodum bonam habuit, nulla præterea non exusta fuit, omnes vero etiam flauæ admodum, & corpore aut tenuiori, aut crassiori, varietatem, & copiam humorum indicante. Quare purgatione egere summopere existimo. Accepit hucusque syrupos ex acetoso. s. ex quinque radicibus, & cicoreo cum iure cap. 5. cetrach. luppulorum, endiuiæ, ijs ego supponerem Medicamentum huiusmodi, quod & pituitam, & succos exustos biliosos educere posset per aluum, quæ admodum adstricta est.

℞. Fol. senæ electæ
Passularum enucleatarum } an. ℥. s.
Polypodij quercini ʒ. 6.
Liquiritiæ rasæ ʒ. 1. s.
Prunorum Damascen. num. 3.
Cinnamomi ʒ. s.
Gingi-

Gingiberis ℈.1.
Tartari vini albi ʒ.2.

Fiat decoctio in aqua cap. Veneris s.a. quę coletur cum expressione.

℞. Rhabarbari electi infusi s.à ʒ.1.s.
Ell. rosacei M. ʒ.3.
Diacatholicon ʒ.2.
Syr. rosacei solut. } an. ʒ.2.
Mannæ electi

Aqua cardui Benedicti mihi summopere placeret in corpore tam pituitoso, & melancholicis humoribus referto, quoniã experimento doctus sum, quantum in ijs possit, imo quartanas febres ea aqua vidi extinctas, & semine etiam composito cum agarico, & theriaca, & alijs pro conditione ipsius corporis, & morbi.

De profluuio sanguinis narium & alio quodam affectu pro Excellentissima Lauinia Marchionissa Vasi.

CONSVLTATIO DLII.

Ad Excellentissimum Hieronimum Rugerium.

LIteræ tuæ vir Excellentissime tamdiu in itinere fuere, vt non nisi ea die, qua hæc postea scribebam eas acceperim, quo nitebar celerius me expedire. Quod pertinet ad naturam affectuum Marchionissæ Excellentissimæ illi continentur tum copia, tum infesto sanguinis genere, vtrumque vrget venas, vt expellant per nares, vitium quidem ipsum proprie mouet alteram expulsionem per alias illas quas scripsisti partes, itaque ego timeo, ne, si narium quidem profluuium sistatur, saltem succedat capitis dolor, sin illud alterum profluuium, ne corpus malis humoribus compleatur.

Et quoniam prouidẽdum est, ne nimium sanguinis subeat, ne ve facultas infirmetur, ratione vtriusque inanitionis, propterea causis ipsis huius nimiæ fluxionis occurri debet. Veluti calori ipsius capitis, humorem ad sese nimis attrahenti: calori viscerum, qui sursum humores effert, cuique vero etiam frigori externo, quod constringendo inuisibiles meatus potest corpus boni habitus nimio sanguine complere, & caput ipsum comprimendo facile ab eo sanguinem in nares exprimere, sed non minus procurandum, vt humorum modus, & temperamentum ad iustam rationem reuocetur. Hæc communiter in animo tenenda sunt, quorum singulę res admodum multæ, & varię numerantur, in ciborum, potionumque generibus, & in omni reliqua viuendi ratione, atque etiam medicamentis. Summo ego quodam capite complectar, vt calefacientia omnia vitentur in potione, & esca. Vitetur, aut certe moderetur omnis motio vnde viscera, & caput concalescant, omnis inquam motio tam animi, quam corporis, tam voluptatum, quàm offensionum generis vtriusque nocturna æquè, vt diurna, quemadmodum & calor à nimia veste, ab igne, & ab omni alio genere occassionis. Frigus pariter a Cælo, & à quacunque alia re fuerit. Sed maxime refert, quo cibi, potionisque genere vtatur. Omnes siquidem tam potiones quam escæ, quæ calefaciant viscera, sanguinemque in caput efferant vitandæ sunt, illæ vero vtendæ, quæ contrarium moliantur. Tu quid comprehendam his verbis nosti, & id in res singulas potes referre.

A Quod modo pertinet ad ea, quæ à manu Medici expectantur, si rectè consideres, cucurbitulę scoptulis applicitæ præsenti quidem malo præsentes proficient, & in euentu nimij profluuij videri possunt necessariæ, sed ratione eius, quod postea expectari poterit, contrarium potius efficient, siquidem illæ sanguinem à medio corpore sursum adducunt, quẽadmodum alias ostendebam, vt, ni vteri gestatio esset, rectius ipsæ cruribus possent apponi, & multo melius præcordijs ad latus, vnde sanguis effertur, sic enim opus perficerent. Ni molestæ essent deligationes minimorum manus digitorum, hæ maxime valere solent ad sanguinem è naribus flentem retinẽdum. Aspersio aquæ frigidæ repentina, & in nare infusio, inflatione, & subita horroris prouocatio maxi-
B me valent. Ad ea, quæ parti affectæ adhiberi solent, ego non facile deuenirem, neque nisi incidat, quod maxime vrgeret. Non duco tamen valde vim infeferentia, quæ Amuleta secum gestari solent ita, vt corpus contingant, vt lapilli, qui ad eam rem in vsu sunt, qualis est vulgo diaspro dictus, scilicet diaspis qualis ille, qui in capite cyprini reperitur cartilago potius, quam lapillus, quæ in naribus imposita adhærescit, prius tamen frigida aqua debet macerari, lapilli etiam frigefacti temporibus, & manibus detenti, per os, vt medicamenta sanguinem à mordacibus humoribus expurgantia graueditate nõ dum quartum mensem attingente tuta non sunt, sic solũ temperantia, delinientiaque humores darem, idque per cibos, maxime procurarem, neque vero supra
C eboris, aut agalochi, aut corallij pulueres ascenderem, qui non possum existimare tantum incommodi hunc sanguinis profluuium afferre, quantum eius integra suppressio esset allatura, ita hæc via cautionum supradictarum in victus modo progrederer, præsertim quoniam, quemadmodum coram tibi affirmaui, arbitror, quod quarto mense aduentante profluuium quiescet. Restat vt meo nomine Excellentissimis DD. salutem dicas, ac D. Alphonso, & omnibus istis viris nobilissimis, Vale, Veronæ Nonis Februarij 1589.

Tuus Christophorus Guarinonius

D Appropinquante quarti mensis fine, sanguinis profluuium cessauit.

De suffusione oculi ex ictu ad Illustrissimum Fabium Landrianua Montisfelcini Comitem.

CONSVLTATIO DLIII.

CVm me vir Illustrissime in alijs tuis Medicis recenseas, & meum consilium requiras, nõ possum ab officio meo abesse, quin sententiam dicam,
E tam quo ad morbi naturam, quàm quo ad ipsa genera remediorum. Visionis, ergo hoc impedimentum meo quidem animo non potest esse in neruo optico dicto, minus ex re præterfluente, quæque in motu existat ita vt vesperi illa eadem fere res non sit, quæ mane extiterit.

In neruo quidem ea esse non potest, quoniã neruus ille adeo laxis meatibus non est, neque adeò cauus, vt humore aliquo alieno ipsum penetrante queat tamen aciem retinere, & longe minus eam, quæ circum positas ad latera quidem res cernat, mediarum autem, & ex aduerso positarum tantum intuitum amittat, quin penitus, & ex toto à re in neruo versante aspectus vndique prohibeatur.

Quod

Quod vero ille humor crassus tam celerem habeat percussionem, & dissolutionem sui, vt apertis ambobus oculis in vtrumque neruum partiatur, altero autem clauso nūquam nisi ad eundem oculum totus decurrat, mihi nequaquam facile, minus necessarium iudicatur, neque enim fieri potest, vt frigido, & crasso humori, visumque impedienti conueniant, quæ calido, & tenuissimo spiritui attribuuntur, vt est tanta motionis celeritas. Sed quid ego in tam subtilem cogitationem prouehor, si visio non in neruo, sed in humore ipso chrisstallino consit? vbi enim species suscipi perfectè potest, ibi sensum eius fieri necesse est, nulla autem pars est, in qua species perfecta consistat, nisi ipse Christallinus, per neruiū vero tātum spiritus proferuntur, qui in neruum obstructum incidentes via penitus prohibiti visionem nullam possunt efficere, ea autem via ex parte tantū impedita non rerum pars visione priuatur, sed in omnibus rebus debilis visio fit, cum minus spirituū ad chrisstallinum perueniat, quàm ei opus sit. Est itaque potius id impedimentum humore hæsitante in ea magna cauitate, quæ est inter foramen Rhagoidis, & Christallinum, qui non occupans vniuersam illā magnā cauitatē, & quasi innatans in aqueo, seu albugineo illo humore efficit illa, quæ dicta sunt & oculo attollendo, demittendoq; aliquem hiatum à latere relinquit, per quem res nonnullæa latere sub ea motione cernantur. Quid quod Medicus ipsemet in ipsis literis asserit humorem illum in oculo se videre, quo etiam extra Rhagoidem aliquis illud impedimentum esse arbitretur? Cur modo ambobus oculis apertis vir Illustrissime fere non internoscas eiusmodi impedimentum, alteriusque oculi defectum, Dico primum quòd quotidie id contingere videmus in plerisque eorum, qui suffuso altero oculo sunt, deinde quòd huius rei causa est certissima, quoniam visus alterius integri oculi rerum obiectarum species omnes perfecte consequutus non dat locum sentiendi agnoscendiue intimo sensui communi defectum alterius nullam speciem attingentis, nisi spatium illud inter vtrumque oculum attendatur, quod vtriusque oculi visioni commune esse non potest, quemadmodum conuersis oculis ad læsi oculi latus in eam partem, in quam ob nasi interiectum integri oculi acies sua recta linea adijci non potest, tunc etenim quamquam ambo oculi aperti in eam partem aspiciant, res tamen eius lateris a quo nasus officit integro oculo nequaquam cernentur, neque hoc loco magna Mathematica Illustrissimi Guidubaldi egemus, cum vel exiguum eius disciplinæ rudimentum satis sit, quo Physicus hæc assequatur. Ac si ambobus oculis apertis muscarum, & fuliginis falsę imagines videntur, id fit, quoniam illæ in oculo non impedito sunt, & quamuis impedimentum læsi oculi non agnoscas, quod visionem eius penitus tollit, nō potes tamen nō videre, & animaduertere, quod alienum, & corruptum in meliori oculo existit. in meliori namque esse illud vitium necesse est, cum læsus oculus non tantopere videat, sunt vero in meliori, quoniam melior quoque sua coniunctione, quam cū læso oculo habet, ab eo afficitur, & aliquem fumum ex illius humore cogitur accipere. Credo meum sermonem iri intellectum saltem a Medicis, quod sat est, nam ego præterquam quòd non possum hæc longiori sermone ob temporis angustiam explicare, nullam etiam video longioris disputationis necessitatē, qua opus esset ad eiusmodi res illustrandas. Atq; hæc ad præsentis morbi vim, & naturam spectant. quod vero ad futurum pertinet, ego non arbitror peius esse expectandum cum hoc totum ex causa externa, & ea valentissima factum sit. Spero potius id spatio aliquo consumptum iri præsidijs præsertim adhibendis. Quæ quidē præsidia ad rem magis factura sunt, cum nullam vim attrahendi plus humoris ad oculum habuerint, sed tantummodo extenuandi, dissoluendique, & leniter exsiccandi. Salsæ pariliæ potiones modo, quo sunt iam descriptæ, aut simili composita, instructæq; iuuabunt saltem submouendæ causæ defluxionis a capite in oculos extimescendæ, vt ingestis præsidijs ipsi oculo valentioribus tutius illa oculus patiatur. Etenim quamquam longe alia ratio est affectus vi inducti: externa, atque eius, qui intus causam tantum nactus est, & iam Rheumatis rationem habere potest, vt Galenus inflammationi ex ictu hydreleon, & solummodo dissoluētia adhibeat, qui inflammationi a causa tātum interna nunquàm dissoluentia sine reprimentibus, vt facit quoque in Rheumatibus, proponat, Hoc loco tamen quo partem tam caram tractamus nimirum oculum etiam, & in eo corpore, in quo à capite solemus defluxiones in articulos videre, ego viam tutiorem probarem, & localia dicta numquam sine ijs, quæ firmare partem possint, numquam sine diligenti totius corporis, & capitis expurgatione adhiberem. Ita ne salsæ quidē pariliæ potiones tam ad corpus, & caput expurgandum aptas darem prius, quàm per medicamēta purgantia dicta diligentius purgationem perfecissem, ne salsa ipsa humorem tantum inueniat in corpore, quantum dissoluere non valeat, sic per corpus necessario dissipet, in caputque, & in oculum protrudat. Quod modo ad localia dicta medicamēta pertinet, dico, quòd illud continere oculum in vino demersum, præsertim valentiori, quale est maluaticum, aliquam affert secum suspicionem, nisi oculus paulatim assuescat, quod commune est omnibus oculorū medicamentis, quæ valentiora, & mordatiora existunt, non desunt innumerabilia remedia ex succo Fęniculi, aut Chelidonij, aut Eufragiæ, cum felle animalium confecta, & cum melle, cum tutia, & aloe, ac similibus coniuncta, est humor, qui ex melle destillat ad ignem posito, tam, qui primo, quàm qui secundo excipitur, solent gumata vt sagapenum probari, quibus quo oculus paulatim assuescat in hunc modum liquantur. Gumata ipsa ad flammam incenduntur, guttæque ex incendio delabentes in aquam Euphragiæ, aut Fœniculi, aut Rutæ, aut Chelidonij excipiuntur, sic illud quod ex guttis congeritur, in oculum ingeri potest tamquam minus acre, aut mordax, sic etiam Thus solet adhiberi, est illud, quod fit ex pinguedine collecta post feruefactam in vino suillam assungiam, quę pinguedo in vino post elixationem supernatat, ex ea inquam, & Tutia. Sunt aquæ supradictæ, quæ cum pauco vini albi, aut aquę vitæ vtiliter infunduntur. Est aqua ex pane, & Fœniculo, & quibusdam similibus excepta per ignem, sed posito elambico in aqua ad ipsum ignem posita, quidam adijciunt puluerem lapidis Tutiæ, sed quid hoc ad discussionem humoris intra tunicam corneam positi? est vtilis magis humor ille iam dictus, qui ex melle destillat ad ignem posito, primo quidem qui primum, deinde qui posterius excipitur. Sed nolo esse longior, quamquam morbi diuturnitas, quæ vsum eiusdem medicamenti solet reddere minus valentem, remediorum varietatem, & copiam requirit, id vnum adiungam, quòd commoda est pinguedo viperæ cum melle primum, deinde cum aqua ex melle per ignem excepra, aut ex melle solo, aut vna cum eo etiam pane ordeaceo percocto composito excepta, cūm quibus semper vtiliter paullum aquæ vitæ permiscetur. His finem scribendi faciam, & bonam valetudinem secundaque omnia precatus literas concludam.

De mingendi impotentia, & cœliaco quasi affectu.

CONSVLTATIO DLIIII.

DVo mihi videntur affectus deprehensi ab ipso Excellentissimo viro in hoc eggregio adolescente, quorum alter ad aluum pertinet, alter ad vesicam. Nam cum creberrime lotiū ipse nitatur emittere ad incommodum narratum euitandum, fœces alui quoque excernuntur plerumq; dum emittere lotium conatur, quod ostendit nec fœces alui quidem se habere secundum naturam, neque enim earum locus est aliquis sinus latus satis prope sedem, vt aluo sese comprimente semper collecta ibi sit fex, quæ possit excerni, quemadmodum vrinæ accidit, quæ latam vesicæ sedem habet, in qua colligitur, ita quaq; hora potest propterea aliquanta mingi, sed sinus valde longos, & angustos tenent alui fœces, quos non ita cito queat decurrere, & coli sinus omnium latissimus non est sedi propinquus, sed sub ventriculo transuersus; tenuia vero intestina, si non situ, saltem sinus forma multo longius absunt, fere ergo in nostro ægroto citius deuoluuntur feces, quàm de more naturæ est, vnde exeunt tempore non secundum naturam. Ipsæ vero etiam suo corpore, & habitu proprio declinant à statu naturali, quoniam molliores fusioresque sunt. Colore quoque, quoniam fere modo flauæ nimis, modo cinereæ sunt, & plerumq; spumosæ, vt suspicionem quoque faciant ventriculi affecti. Cōfirmat hanc suspicionem, quod subest tumor in aluo, qui pertinet à regione hepatis inferius vsq; ad sinum ventrem inter ilij os, & pubem, qui tumor esto alterius vasis Renum vitium esse possit, vt vrinæ læsio Medices persuadet, Mesenterium tamen, intestinaq; necessario vna, & ventriculum affecerit, quas partes male habere fęces ostendunt, vnde ventriculus malè concoquat, venæ mesaraicæ tarde attrahāt, & intestina sub onere continendi deficiant, sic facile alui recrementa molliora sunt, minimeque colore suo prædita, citiusque delabantur. Sed hæc forte vitia ad ventriculum, & intestina, Mesenteriumq; pertinentia priora fuerint, vnde omnio primum malum fuit, & originem insequenti præbuit, alteri inquam affectus ad minctionem pertinenti. Qui vero videtur imbecillitatem vesicæ primo denunciare, eiusmodi siquidem est, quod nisi crebro mingat, & pene quamque hora, difficillime potest lotium eijcere, & ab eo contento molestiam in omnem ventrem pertinere sentit, vt vero quaq; hora minctionem tentet oportet tamen totus in ea vna re sit, hoc est vacet attentissime vni penitus minctioni, & compressionem quoque ventris adiungat, animo certe prorsus omnibus alijs rebus vacuo, cuius vel leuissima motio, contractioq; intentior musculum vesicę contrahere vna secum videatur. Laxato vero etiam penitus animo, nisi omnibus suis partibus in hanc vnam mingendi operam conuersus sit totus, non potest mingere, sic quaque hora aluus fere compressa deijcit nacta feces valde ad labendum faciles. quòd musculi illa remissio animi multam quoque remissionem velit, & ab omni alia re vacationem, hoc in multis hominibus inuenitur, quin aliqui sunt, qui vel conspectu hominum à mingendo impediantur, animis eorum id in aliorum conspectu non ferentibus sine aliqua sui commotione contractionem quandam faciēte, ad quam potius intentio, quàm laxatio musculi sequatur, quorum tamen hoc alioquin vim vesicę comprimentem non multum posse significat, nam mu-

A sculus eius viribus tandem obsequi cogeretur. Vesicę quidem certe imbecillitatem denotat illud oportere omni conatu in id intentum esse. Huius porro ægroti imbecillitatis in mingendo causa non meatus angustia erit, cum largè admodum lotiū effluat, sed vesicæ corporis affectus. Vesica quidem ferre multum sine læsione lotium non potest, exiguum tamen minus difficile exprimit, quid hoc est? vtinæ expressio naturæ est non voluntatis actio, quamquā voluntariæ quoque multæ motiones vna cum remissione illa hanc iuuēt expressionem. Naturæ ergo corporis ipsius vesicæ actio difficilior fit, etiam cum vesica est nimis plena, quoniam nimis distenta contractionis motum ordiri difficilius potest, sit ergo hæc vesica eiusmodi, vt non multo etiam lotio nimis distendatur, & aliquanto angustior forte natura B sua sit etiam per morbum multo angustior facta sicuti, si malo alimento, & frigidiori, crassiorique nutrita diu sit, si frigus aliquo pacto acceperit, vnde bonum etiam alimentum vitiarit, sic omnio imbecillitatem conceperit cum crassitudine, tum intempetie alimenti, à crassitudine vero etiam angustiam, ea namque membranatum natura est, vt quo crassiores fiunt, eo in angustum magis contrahantur. Qua vero angustia videmus eo imbecillitatem augeri, quoniam distendi nimis contingit vel ab exiguo lotio, ob quam distentionem fit actio infirmiter, pręsertim cum crassitudinem, quæ sibi præter naturam obuenit, tunc magis sentiat, & sub quaque tensione lædatur. Molestia quoque illa quæ hic ad ventrem pertinere sentitur, angustiæ huius soboles est, nam vidimus in cadaueribus resectis sæpe, quòd vbi vesica ali C qua causa minuta impeditio plenior diu fuisset, lotium in vasis vrinaris remoratum illa vasa distenderat in mirabilem penitus amplitudinem, quod certe non nisi cum dolore esse potuit. His itaque expositis mihi videtur huius morbi status omnino cognitus, cuius origo, & incrementum sic habuerint, vt primum crassus humor abundarit occasione cruditatum ventriculi in adolescentulo, qui a puero scriptioni, & lectioni fuerit perpetuo adstrictus, partim proprio studio addictus, partim etiam metu patris coactus, non solum ergo cruditates diuturnas, sed ab eis etiam imbecillitatem ventriculi sortitus fuerit. D Humoreq; eiusmodi in dies etiam, atque etiam abūdante secundum mesenterium tumor ille sine dolore paulatim contractus sit, inde vero ipsa quoque vesica male affecta frigidiori eius morbi genere ob vicinitatem, & malo etiam alimento, vnde ipsa quoq; tandem imbecillis fuerit. Cuius mali ortum præcipuè in his partibus molita est illa crebra, & laboriosa equitatio illas ex assiduis scriptionibus, & lectitatione factas cruditates excipiens. Vitatis modo illis studijs, & equitationibus, quid restat cui occurrendū esse videatur? Ventriculi frigidius genus, humor in mesaraicis uenis adhuc in eas fluens, & in vicinis partibus concretus admodum crudus. Vesicę crassitudo, & durities quædam, torpidaq; hebetudo crasso, frigidoque alimento nata, e quibus intemperies calefacienda est, humor autem, & succus crudus concoquē E dus, molliendus dissoluendusq; est. ne autem ex eo, qui toto corpore permeat in venis præsertim, ad partes affectas alliciatur, prius totius corporis cura suscipienda, corpusq; à superuacuis pęnitus liberandum. Quæ modo iam res propositas præstent uidendum. Manu ne est opus, vt sanguine detracto materię horum malorum submoueamus omnem etiam à sanguine occasionem? Ego in longissimo morbo, in adolescente tenuissimi corporis, cibi exigui, ventriculiq; admodum imbecillis, & cruditatum tantarum nullo pacto sanguinem detrahere auderem, sed à medicamentis omne auxilium peterem, Ventriculo primum à recenti cruditate leuādo, communibusq; dictis vijs

leniter

leniter liberandis, & expediẽdis, deinde humoribus A parandis, & tandem expurgandis, purgatione nõ ita valde valida, sed iterum, & tertio repetenda, & tandem non ea contentus, quæ per interiora mediũ corpus exonerat, vterer etiam ea, quę per exteriora ambitum illius sudoribus, & vna corpus vesicæ expurgat, cum his componendo semper, quæ genus intemperiei emendare possent. Sic ergo deligerem, & ordinarem materiam remediorum. Pro primo darẽ hoc medicamentum. ℞. Elect. lenitiui ℥. x. Specierũ Hieræ. s. ℥. ij. m. & cũ saccharo, & cinamomo fiat bolus. pro apparatu humorũ. ℞. Mellis rosacei. s. syr. de cap. vener. syr. de succo betonicæ an. ℥. s. decoctionis betonicæ. cap. vener. cicoreæ, melissæ, hyssopi, ℥. iij. m. pro syr. & sic pro. r. Ad expurgandos humores primum hoc darem. ℞. fol. senæ electæ ℨ. iij. rad. polyp. querc. B passularum enucleatarum an. ℥. s. anisorum ℨ. 1. cinamomi ℨ. s. liquiritiæ rasę ℨ. 1. s. fol. betonicæ m. s. prunorũ num. iij. agarici trocischati ℈. iiij. aquę cap. ven. cardui benedicti an. q. s. fiat decoctio. s. a. quę coletur cum expressione, deinde ℞. mellis rosacei soluti ℥. iij. marinæ electæ ℥. 1. s. diaphenicon ℨ. iij. m. & fiat potio sumenda quinque horis ante cibum, quæ postquam tres horas contenta fuerit, si vomitũ moueat, euomatur etiam data opera, quia per vomitum pituita ventriculi melius exit, & tutius est medicamentum, cito exire post præstitam suam operam. repetito vero apparatu fortiora sufficerẽ, vt syr. de stechade, qui maxime facit etiam ad loca vrinæ repurganda, & oximel squilliticum cum eo cõiungerem. Purgandis vero tandem humoribus libentius darem po- C stea medicamẽta pro catapocia, quo colocinthis nõ aspernaretur tam idonea ad eorum genus euellendum, qua re acciperem pilularum cochiarum ℈. iiij. trocischorum alandal g. iij. miscerem que, & in. v. catapotia partiter. Ad repurgandum modo per exteriora propinarẽ pro xxx. dies ius factum ex salsa parilia, saluia, & betonica, cui postremis diebus adijcerẽ etiam rubiam, quo vesicę quoq; corpus melius discuteretur, ijs vero non solum repurgatio, sed attemperatio cum totius corporis, tum etiam affectarum partium haberi posset, non ob id tamen pręterirem, quæ valẽtius id possent, sed post sudores perfunctos exhiberem theriacam, aut mithridatum, aut pilulas ex terebinthina, aut sagapeno, & opopanaco, & D bdellio atq; eius generis aliquid, suo tandem tempore aquas. s. petri, vel aquarimias exhiberem, quibus vesica curaretur. Exterius quoque sua apponerẽ maxime ad pubem, & perinæum, nimirum fotus, insessiones, illitiones omnes ad materiam discutiendam, & reuocandum ipsi vesicæ temperamentum. Dixi.

Hic post vsum potionum salsæ pariliæ, & therebinthi resinæ mihi visus est conualuisse. Cæliaca certe affectione liber, & cum facultate retinendi longo tempore lotium, idq; prompte mingendi, cũ vellet.

Illustris D.

CONSVLTATIO DLVI.

DE viuendi modo mihi nihil præterea scribendum restat, præter id, quod ore tibi discessuro E dixi, & literis etiam consignaui, ab eodẽ namq; malo, cui tunc occurrere tentabã, febris quartana nunc exorta est, eidẽ itaque, vnde ea est, occurrentibus nobis ea tolli põt, & debet. Verum tamen ego vomitũ commendarem, & vsum fol. senæ maceratorum, recteq; correctorũ. Quod autẽ pertinet ad hęmorrhoidarum profluuium, quoniã illud modum non excedit, vtile futurũ iudico, & admodũ accommodatũ. ei tanrummodo suspicioni erit occurrendũ, quæ est, id facile vlcus posse in sede cõmittere. Cui metui satis, superq; occursum fuerit, si locus mundus ab ea sorde seruetur lotione facta præcipue cum mellicitato, aut aqua, cui incoctum sit ordeum, cum melle rosaceo, aqua, cui incocta sit plantago, cum tutia, cum lithargyro, melle etiam admixto. Aqua, cui incocti sint lupini portione aliqua aloes liquata. Vino etiam admodum diluto ex suprascripta aliqua aqua, quorum vnum tantummodo sat esset, superuacuum certe est, plura describere, quare cum hac spe, & precatione salutis multa finiam.

Ad varios affectus pro Duce Sablonetæ Vespasiano Gonzaga.

CONSVLTATIO DLVII.

Illustris. & Eccellentiss. Sig. e Padron mio Colendiss.

PEr tutto questo anno fin, che vengano li caldi, V. E. Illustriss. potrà vsare lo aloe rosato, & per più sicurezza composto con vn puoco di mastiche, come a dire

℞. Aloes loti in succo rosarum ℨ. 1.
Mastiches chiæ ℈. 1.
M. & f. p. v. & aurentur

Pigliandone vna pilola per volta, & ben spesso almen ogni altro giorno. Non tralassando di pigliar alquanto di zuccharo rosato la sera nell'entrar a letto, ne tralassando l'vso della pimpinella; sarà poi a proposito ancho il siropo di papauere, non il semplice, ma il composto in occasione di vigilia, & che'l catarrho sia salso, ouer acre, cõ rosume delli fauci, ouer gorgozzo, le pilole di cinoglossa, le quali vsate, mi parebber più accõmodate, se le componesse almeno con vna terza parte di theriaca, sendo l'vso tanto assiduo, come anco parendomi molto a proposito l'elettuario diasulfur di Mesue, si dourebbe misturar seco vn puoco di essa theriaca, del quale potrebbe pigliar due scropoli cõ vn scropolo di theriaca per interualli, più breui, che non fa nell'vso delle pilole di cinoglossa, anzi lo potrebbe pigliar alcun tempo di più bisogno ogni mattina. Ogni volta, che vorrà vsare vnguenti alle parti inferiori per alcun rosume, o corrosione, le ricordo di comporle l'aloe, sia mò l'vnguento desiccatiuo, come quel di lithargyrio per consolidar l'vlcera, ouer rinfrescatiuo dell'infiammagione, come il rosato.

Per diffender li denti, & la gingiue dal catarro.

℞. Folie di rose rosse secche m. 1.
Noci di cipresso. num. iij.
Mastiche ℨ. 1.
Aqua ferrata q. s.
Facciasi decottione, & colisi.

Per il dolore, & conseruation de denti.

℞. Capi di papauero bianco num. ij.
Semi di acetosa ℨ. 1. s.
Fior di viole m. 1.
Corno di Ceruo brusato }
Auorio limato } an. ℈. ij.
Radice di rumici num. 1.

Facciasi decottione in aqua commune, & colisi, & vi si aggiunga vn scropolo di camphora, & rengasi ben otturato in vaso di vetro. Tralasso di ripetere questo, sà del suo viuere, nel quale non deue pretermetrere mai per vn tempo l'vso delle decottion di lumache, & quando anco le volesse aggiunger quel del siropo de testudini magistrale non sarebbe se nõ bene per il sputo del sangue, che torna spesso. Ricordarò sẽpre, che si guardi dalle subite mutationi, dal caldo al fresco, massime, perche alla testa fanno certa la destillarione, & al resto del corpo partoriscono febri acute. Le faccio riuerẽza pregãdole da N. S longa vita, come certo puol hauere hauendosi cura.

Ad destillationem, & metum sputi sanguinis cum diminuta nutritione, ad vigilias, & dentium dolorem. Pro Duce Sabloneta Vespasiano.

CONSVLTATIO DLVIII.

VSum Aloes rosacei cum tertia parte Masticхes ratione ventriculi,& capitis,iura,in quibus essent cochleæ tabefactæ,potiones ex pimpinella, vsũ syrupi de testitudine magistralis,& syr. de papauere compositi Mesues probarem quam maxime, pilulas quoque de cynoglossa non damnarem, quando eas in vsu habet, & sine euidenti noxa vtiles experitur, frequenterq; acciperem, modo compositæ essent cũ parte Theriacæ, vt essent g.xij. de cynoglossa, & g. viij. Theriacæ experimento etiam comperi Diasulfur Mesues cum Theriaca multum facere ad pituitam in pulmonibus congestam,vt essent ʒ.1. Diasulfuris, & ʒ.s. Theriacæ, vel,si nimium facere videatur,℈.11.Diasulfuris,& ℈.1.Theriacæ.Quæ si vigilijs non satisfaciant, ad somnum conciliandum inunctio alicuius compositionis opiatæ certissima est, si fiat naribus,temporibus,& ad carpum,quemadmodum esset ipsius Philonij Roma: in quo non solum opium est suo vapore cerebrum petens, sed iuuatur aromatibus multis secum compositis. Ad Dentium porro mala primo, ne veniant, facere poterit, aqua (quoniam vinum abhorret) ferrata,cui incocta sint folia rosarum,nuces cupressi,mastiche, & ebur. Dolori autem, quem dicit fieri sub esu rerum dulcium, vtilis erit aqua,in qua decocta sint capita papaueris, non solum semina, quoniam in capitibus est maxima succi vis. Præterea semina acetosæ, flores violarum, cornu cerui vstum, ebur, & radix rumicis post decoctionem addita comphora.

Pro gingiuis Illustrissimæ, & Excellentissimæ Principissæ Stilliani.

℞.	Mellis rosacei	℥. 1.
	Aluminis Roche comb.	℈. ij.
	Macis pulueri sati	g. v. m.

De febre hectica destillationem sequuta pro Flaminio Gradario equite ad Excellentis. Hieronimum Gradarium Physicum.

CONSVLTATIO DLIX.

QVod meã manu non scribo, T. E. potest colligere tempus mihi per maximas occupationes meas vacuum nõ dari, sic etiam aliud agens breuissime dictaui has literas. Quid istic actum sit, quidue mali subsit, aut futurum vobis existimetur, ex vestris literis cognoui, neque sane ego secus possum arbitrari narratione, & rationibus propositis adductus. Ita tria mihi maxime attendenda in curatione videntur. Macies corporis, destillans materia,& vlcus. Illa alimento,hæc duo medicamentis etiam opus habent. alimenta esse debent humidioris generis,boni succi,& facilis, citæque nutritionis, vt vitella ouorum, lac recens, prissana maxime hordeacea, iura mollium carnium maxime gallinaceorum, iura cochlearum, cancrorum, donec tabescant eorum carnes, percocta, pisces ex marinis saxatiles, vel auratæ ex littore glareoso captæ, Asellique circumcidenda sunt dulcia maxime mel,

A sacharumque, quoniam materiam bili siccissimæ rei præbent maxime in corpore iuuenis, & febre oppresso, circumcidenda acria, & omnia, quæ saporis vehementis sunt. Ex fructibus nuclei pinei, castaneaque molliora, beneque elixa concedi possunt, amigdala quoque, tum mala punica, & cerasa minime austera, vt pepones, eorumque semina, cucurbitæ, & generis similis, vt ex herbis cymæ etiam cucurbitarum, lupuli, borrago, & buglossum, lactuca vero maxime. Vinum tandem non valde potens, lene, tenue, & stomacho facile, quæ omnia in alimentis numeranda ad humidam nutritionem totius quidem corporis, sed præcipue etiam pulmonis maciei necessariam idonea censerem. In medicamentis vero quæ habenda sunt,
B ea ad extergendam, incidendam; & facile expuendam materiam distillationis, & præterea ad eandem consumendam, vlcus vero exsiccandum, pulmonesque tutandos opportuna esse debent. Quæ ne materiam præbeant alimento sicciorem, & propositæ nutritioni contrariam, oportet exigua esse, & vi potius, quàm corpore admoueri, quemadmodum si medicatis potionibus incoquantur, & potiones ab illis incoctis per colum separentur, aut, si tota dentur, in exiguo modo id fiat, quemadmodum si mel ad extergendum, & expuendum detur, si oximel, similisque generis, si hyssopum, melissa, liquiritia cap. veneris, pulmonaria, pimpinella, & sic de reliquis eiusmodi. Et, vt ad aliqua præterea nominatim proponenda veniam, cum vi-
C no ego aquam thermalem aliquam, quæ exsiccandæ materiæ, & vlceri, pulmonibus vero confirmandis faceret commiscerem, si forte in more esset positum parari isthic vinum cum aqua eiusmodi, quemadmodum multis in locis fieri consueuit in usu Renum exulceratorum, conficiuntur namque vina ex aqua thermali, chalderiana hic, isthic autem possent confici ex aqua,s.marini, aut lucensi, mirum est enim quàm faciant pulmonibus confirmandis, destillationibus siccandis sistendisque, & vlceribus curandis, Vt etiam, si tempus esset vsus earum aquarum, ego nihil præstantius iudicarem, & sunt isthic, qui ab extrema macie, & putridis penitus sputis, cum desperata salute essent, ad floren-
D tissimam valetudinem reuocati sunt vsu similium aquarum. Potest parari aqua ad vinum temperandum ex pimpinella, ex barba hircina, uel simili incocto ad dictum propositum spectanre, Ex medicamentis ad id idoneis esset aqua stillatitia ex cochleis,& canchris cum eiusmodi herbis confecta,esset conserua violarum,boraginis,buglossi,cum rosaceo,& theriacę confectione.Esset maxime opportunum ad omnes partes curationis diasulphur ipsius Mesues,quod sistit, exsiccat, confirmat, & somnum etiam inducit,Esset syr.de pimpinella dictus,& de testudine ad eundẽ vsum excogitatus. Quod vero attinet ad ea, quæ materiam confluentem subducendã facerent, nimirum corpus expurgantia, quę in longo morbo identidem sunt certis diebus repetenda, illa
E leuissimi generis esse deberent,& paulatim,crebroq; repetenda, vt pulpa cassię, sebesten, prunorum dissoluta iure Agarici, polypodij, cnici q; cum suis vocatis correctiuis, passulis scilicet, liquiritia, iuiubis, aniso, feniculo,& aromatibus. Clysteria etiam lenientia nequaquam essent pretereunda ex oleo dulci maxime, & oliuarum, & amigdalarum tum butyro, & similibus, Quod vero materię euocandę,& squallori mitigando faciat in vsu dulcium balneorum est. Balnea ergo aquæ dulcis omnino necessaria sunt, sic tamen subeunda erunt, ne incommodum, aut periculum afferant, Comparato commodo ad id instrumento. Verum quoniam pulmones recrementis multis onusti, proprio vero humore exhausti male nutriun-

nutriuntur, ij non solum alimentis propositis, sed aere valde salubri egent, qui & exsiccandæ materiæ, atque vlceri, & ipsis confirmandis, alendisque idoneus sit. cuius delectus isthic in Piceno non erit difficilis, in eo vero degat illo maxime tẽpore, quo lacte vtetur.

Et lacte quidem idoneo, vt Asinino, quo non solum alendis, sed curandis ab vlcere pulmonibus faciet. hæc sunt, quæ pro salute Nepotis T. E. mihi dicenda visa sunt, hisque adscribenda, quæ in literis T.E. obseruari potui. Si quid aliud opus sit, ego semper libentissimè pro viribus perficere conabor. Vale, meque vt soles ama. Veronæ 6. Calend. Martij 1590.

De destillatione cum nocturno mærore, ac metu pro Illustri Maximiliano Stamanter Salzpurgensi.

CONSVLTATIO DLX.

CVm destillatione in pulmones sunt quidam mærores, & metus nocturni, ijque à somno, & per quietem tantam incidentes, quibus incommodis, vt occurrere Medicus possit, eorum naturã, & originem teneat, necesse est. Atque destillationis quidem ratio minime obscura est, & quod pituitæ sit, & quòd proximum initium à capite nacta altiorem tamen originem à toto corpore, & à ventriculo ducat. Ventriculum namque valde bene habere alter ille affectus non permittit suo vitio, cum à melancholico succo profectus ventriculum necessario frigefaciat, vnde crudus humor in venas, & totum corpus, atque inde caput, in quod tamquã proprium alimentum propensissimus est, illius vero calore maiori allicitus magis etiam adducatur, ita capiti superuacua copia necessario tum, antequam in cerebrum sese insinuet, per venas depellitur in arteriam via, qua sanguis ei in alimentum accedit, tum postquam in cerebrum subiuit, per colatorium in fauces cadit, & aliqua etiam parte sui glutinosa admodum lubrica, & leni, ac laryngis tunicæ simili in asperam arteriam. Dissimilia namque ea tunica non fert, ne aquam quidem, quin primo appulsu tangenrem se ea citissimè reijciat tussi, fert autem quoddam genus pituitæ admodum leue, & glabrũ suo maximo lentore, quo tacite queat in bronchia defluere. Hoc vero pituitæ genus in bronchijs moratum, idem genus seruare non potest, sed calore loci permutatur, saltem concalescit, atque ita dissimilem ei tunicæ vim nactum tussim mouet, vt ea quoque materia, quæ à capite per venas alimentũ asperæ arteriæ inferentes, deuoluta est. A toto etiã corpore per venas pulmonibus per cor sanguinem ferẽtes piruitosa materia in arteriam confluit, sic tussis vndique copiosam materiam sortitur, & quantã ab vno capite diutius habere nequiret. hæc est ratio destillationis satis conspicua. Alterius modo affectus natura obscurior est, siquidem metus, mærorisque genus, & origo non ita constare videntur, de quibus vero ego sic statuo, si sub illis animi perturbationibus falsæ imagines sint, illæ quidem ad cerebri vitium, aut proprium, aut aliunde secum cõmunicatum referri debent, in cerebro namque imagines ipsę exprimuntur, etiam si primam sui originem à corde haberent, sin autem mæror, & metus per se sine opinione, aut imagine falsa moueantur, aut quamquam illæ perturbationes cũ imaginibus falsis, aut opinionibus alienis à vero sunt, id fit, non

A quòd ab ijs perturbationes illæ oriantur e contra e perrurbationibus ipsæ opiniones, & imagines falsæ mouentur. Certe illæ perturbationes intra cordis proprium, aut aliunde in ipso incitatum affectum cõtinentur. Eapropter de eis subtilius omnino perscrutandum est. Ipse ægrotus per quietem à somno excitatus mæret, & imaginibus falsis agitatur, vt somnus ei eiusmodi afferat laborem, Cerebrum itaque tamquam seipsum id vitij non habet, rantũ per somnum afficitur, quasi malum ab internis partibus accipiẽs, illud per vigilias discutiat, quòd ipsum aut tenui humore, seu halitu, aut eo consistat affectu, qui non nisi per quietis summum otium, & feriantibus sensibus possit sentiri. Etenim quòd cerebrum ab internis partibus id genus mali accipere consue-

B uerit, inde fit planum, quòd sæpissime accidere videmus, vt corde laborante, vel ore ventriculi vexato mẽs inde affecta ea cogitet, & videat, quæ ei cordis, seu animi ægritudini, & perturbationi respondeanr, iccirco aliter iratus homo, aliter sedatus de eadem re iudicet, & per somnos ea videat, quæ ad oris ventriculi malum similitudine accommodantur, vt sub bile ignes, sub melancholico humore tenebræ, & mortui offerantur. Fiunt autem hæc per quietem, quoniam sub ea externorum visiones non sunt, quæ prohibeant errorem. Imo, si Galenum sequamur, & causam huiusmodi erroris faciamus ascensum spirituum vitiatorum, qui cum integris spiritibus permisceãtur, vt quamquam in cerebro nec lumini, nec eius visioni, minus tenebrarum sensui

C locus esse potest, spiritus tamen atri aliquam ipsi tenebrarum speciem intra illud faciant, illi atri spiritus sub somno non ita facile, vt in vigilia discutiuntur, & in loco imaginum firmius continentur, sic illas vitiant, & perturbant. Vtrouis autem horum modorum id fiat, dignosci debet à toto ne, an ab Hypochõdrijs malum veniat. Itaq; cum à toto ęgroti huius corpore, quod est à melancholico genere positũ à Medicis admotum remotum, ij fumi melancholici non ascendunt, & tamen omnino internæ partes cerebrum male tractent. Certæ quidem erunt illæ, quæ cum cerebro consociatæ sunt, e quibus ventriculi os est, quod cum cerebro neruorum quadam vi singulari, & membrana sua interna cõiunctissimum

D in hac suspicione culpæ maxima esse consueuit. At cor quidẽ ipsum quoq; cum cerebro, imo magis ẽt, quam ventriculi os, & naturæ socierate, & munere sui continetur, atq; ad oẽm cordis perturbationem cerebri opinatio, ad oẽm boni, vel mali opinationẽ cordis perturbatio excitatur. Verumtamen in affectu proposito nos causari proprium oris venrriculi, aut cordis affectum non possumus. Non cordis quidem quando mæror, & metus perpetui non sunt, & illæ imagines cessant, quæ sane, si corde affecto excitãtur, eodem affecto numquam quiescerent. Etenim propter coniunctas cerebri, & cordis operas, si cor seipsum male haberet, non posser non suo affectu cerebrum perpetuo infestare, nõ modo quibusdam horis, & per somnum tantũ, Causari quoq; oris

E ventriculi proprium aliquem affectum eadem rõne nequimus, quoniam non continenter, sed ex interuallo malũ excitatur, quod sua necessitudine summa cum cerebro non per interualla, sed cõtinuo affectu continenter cõicaret. Videndum ergo est, vnde cor, & ventriculi os cum corde loco, & noĩe coniunctissimum ex interuallis dictis afficiantur. Nulla profecto pars est, quæ se ipsa affecta, & propterea perpetuo deprauata possit ex interuallis tñ cordi, & ori ventriculi incõmodum sui affectus afferre tanq̃ partibus sibi cõiunctissimis, præter ipsas mesenterij venas, quibus ꝑpea & huius mali culpa est attribuẽda, & earũ vitium considerandũ, constituendumq;, neq;.n. est præterea pars, quæ tã propinqua cordi, &

ventriculi ori tam solet fumos ex se offerre, & noctu a contractione spirituum, & humorum æque affici, ad quam eo tempore ob cibi confectionem, & commeatum eiusmodi cõcursus fiant, vnde feruores moueantur, quorum fumos ventriculi maxime os sentire possit. ita in os ventriculi nos huius affectus potiorem vim debemus referre, ita tamen, ne ipsum se ipsum morbo occupatum faciamus, quoniam interrupte ad hæc mala conuenit, sed a venis mesaraicis incommodum accipiens id cum corde, & cerebro sibi coniunctissimis cõmunicet, quod facilius facit per occasionem cibi conficiendi, quæ maxime ipsum, & mesaraicas venas exagitet, & per quietis, ac somni tempus maxime halitus, & vapores cohibeat, ne difflentur. Sic ergo venæ ad ventriculum, & præcipuè ad os illius pertinentes, & partes illæ omnes, quę per eas venas in ventriculum sese exonerant, aut ex eo sugunt humorem; necessario in hunc affectum conspirabunt, nec minus, si quod præter eas venas est viscus, a quo humor, aut sanies ad hoc genus melancholicæ ægritudinis pariundum venire possit, id vero vnum splen est, Iecur namque potius biliosos, & ad iram mouendam idoneos humores impellat. Splen ergo humori melancholico per sui nutritionẽ repurgando factum, si sit imbecillum, tunc eum humorem minus conficiens vel totum corpus, vel præcordia seu hypochondria huius humoris plena reddit, & ventriculi præcipue os afficit, a quo mens ipsa quoque perturbetur sic Galenus lib. . . . . Melancholicum affectum etiam a liene nascentẽ faciebat, cuius vero affectus causa est fortasse non solum, quoniam eiusmodi succum aut nimium, aut vitiosum in ventriculi os eijcit per eas venas, quæ ab ipso in os pertinent, aut etiam, si illæ obstructæ sint, per obscuriores meatus, sed etiam, quoniam vt verisimile est, lien per easdem venas, per quas in ventriculum sese exonerat, a ventriculo quoque aliquid elicit humoris sibi apti, ventriculo autem inutilis, atque infesti, quo quidem humore in ventriculo relicto, quòd eũ lien præ sui infirmitate, aut obstructione exsugere non possit, ad quem succum exsugendum Aristoteles datum fuisse lienem iudicauit, eo humore ventriculus omnio tamquã re aliena profusus grauate habeat. Sic liene affecto alienus humor ori ventriculi molestus est. nihil enim magis est molestum vitæ, sensuique partium vitam continentium, quam humoris frigus aritudine asperum, quale melancholici succi existit, cum ore autem ventriculi mirum est, quam corpus omne animantis, potissimum vero cor, & cerebrum vexentur, quocirca affectum humore melancholico ventriculi os vna secum cor, & caput solet afficere, tristesq; tum animi perturbationes, tũ imagines, & opiniones ciere. Conuenientes vero, & conspirantes in eum affectum messenterij venæ eo maxime casu id faciunt, quòd, vt Galenus assentitur, ipsæ solent infarctu sanguinis occupatæ concalescere, qui sanguis in eis adstrictus aliquo temporis spatio torresit, aterque redditur, suo vero feruore fumũ atrum & ipsum effert, qui os maxime ventriculi feriens ea inimica vi, admodum infestet, in quod malum cor quoque, & cerebrum deducantur. Maxima quidem certè, & maxime aduersaria vitæ eius fumi molestia est, qui siccus est, & postea etiam adhærescens tamquã fuligo frigidus euadit, præter tacitum quendam, & asperum calorem, quem omnes res exustæ solent retinere. ita is fumus calori naturæ apprime contrarius frigore, & aritudine ori ventriculi summe molestus est, ac mẹrores, metusque in corde, terribilis vero etiam imagines in cerebro per eiusmodi oris ventriculi vexationem commouet. Ea in ægroto nostro esse referuntur, præcipue somno tentante, ac per noctem, vt supra propositum est, quapropter & a liene, & a venis cum liene continenti-

A bus, & per lactes, seu mesenterium seu medium intestinum discurrentibus id malum est, quod consistit crasso, exustoq; humore meatus aliquos occupante, aliquos inquam non plures, minus omnes, quoniam si omnes aut plures venæ mesenterij essent obstructę, tunc succi tractus ab intestinis impediretur, profluuiumque alui fieret, quod non est. Materia illius crassi, humoris a ventriculo per diminutas coctiones suggeritur, quæ plurimum terrestris generis sua cruditate continens, plurimum fœcosa, & crassi sanguinis parit, qui in illis angustijs assatus melancholicam vim induit, suoque fumo ventriculum petente, & in eo quasi fuligine concreto illum refrigerat, & cruditatum in causa est. Ori autem ventriculi dictas molestias affert, cum acerrimo sensu præditum sit,

B quoniam nõ minus, ac dulces, sapidosq; cibos iucunde amplectatur, amaros, & asperos aspernetur, eiusmodi fumos ægre fert, & quamquam sine aperto dolore, cum tediosõ tamen cruciatum excipit, atque in idem malum cor, & cerebrum secum adducit. Hinc partes, initia, atque effectus huius morbi apparent. Primum est crudiorum humorum copia, est ventriculi ipsius frigida intemperies. Capitis vero etiam eiusmodi uitium, quo & quodam calore nimium succorum attrahat, & imbecillitate eos parum uincat, consumatur. Iecur quoq; in uitio esse suspectum est, nam, ni calidius esset, non ita facile crudior succus in venas alliceretur, minus in venis torre fieret, neque adeo prompte in caput ostenderet. iecore etenim temperato materia non haberet ab internis in-

C citationem unde attolleretur. Habemus præter hæc pulmonum offensam, quæ a materia fit in eos confluente partim a capite tum per cerebrum, tum per uenas demissa, partim a toto corpore. In cuius tamẽ mali partem, & culpam non exiguam pulmones ipsos conuenire existimo, eo, quòd suo calore ipsi plus succorum, & magis crudorum attrahant, quam possint conficere, quorum caloris indicium familiare rubor ille genarum est. In quibus malis præterea considerandæ sunt ipsorum motiones humorum una a uentriculo in iecur, altera a iecore in pulmones tum recta per cor, tum autem per uiam longiorem, qua primum in caput, deinde in pulmones fertur? Habemus postremo fumorum ipsorum impetus, unde ca-

D pitis, & cordis molestiæ. Quæ profecto præsentia sunt, illa autem futura timeri possunt, tum ne quod uitium firmius a fumis capiti imprimatur, ne item pulmonibus idem ab humore contingat, cum ne in humoribus fiant putredines, a quibus possent & ulcera, & abscessus moueri, tum aliqua uenula dissolui, unde sanguinis sputum consequatur. Mitto febriculæ periculum, mitto, quòd rheumata possent in plurimas partes corporis excitari. Quibus uero omnibus à Medico occurrendum est, ijs nimirum, quæ præsentia sunt, submouendis, & ipsorum causis tollendis, tum, ni hæc tolli queant, effectibus certe ut nascuntur delendis. Quorum porro omnium ratio hunc ordinem postulare uideatur. Vt primum quidem cruditas e ventriculo deturbetur, non semel

E tantum, sed identidem multoties, ut colligi eam acciderit, tertio nempe, aut quarto quoque die, atque, cum semel illa sublata fuerit, aliquid protinus de sanguine detrahatur, tamquam qui magnum morbum possit fouere, atque etiam augere, & qui eam naturæ operam ad se reuocet, quæ ad morbum eijciendum nobis ministrare liberius deberet, qui sanguis pulmonum, & iecoris calorem foueat, & accitus ad cursum cum reliquis humoribus pulmones grauet, eo quidem facilius, quòd illi exagitati ipsum attrahant, ex quo in ipsis infarctus aliquis facile queat consistere, & tandem etiam abscessus contrahi, qui tandem sanguis in venis Mesenterij grauiores obstructiones reddat. Eapropter ip-

se

se vena iecoraria secta diminui debet modo ipso pro A viribus, ætate, & rebus alijs incidentibus determinando. Ex inde vero humores ad exeundum diligenter parandi sunt, atque vt parati intelliguntur, paulatim, & omnino leniter medicamento educendi, ne Mesenterij obstructiones confertim atracti augeat, a quibus leuato corpore tam demum ad eos elidendos veniendum, qui certam sedem altius obstruunt, & ad temperiem cuique visceri, & capiti restituendam. Quæ si ad exitus expetitos perduci nequeant, & remanentibus causis subinde in posterum effectus morbi propagatos iri metus relinquatur, tūc in quæque tempora, & ad nouos casus futuros ea molienda, instituendaque, vnde illæ noxę, vt impendebunt, paulatim subtracta causa prepulsentur. quod cauterijs, & medicamentis, tum ratione victus procurandum est. A principio iam tota ratio curationis suo ordine instituatur. Expediantur primo viæ ad ventriculum, & intestina pertinentes per potionem ex mellis ros. solut. ℥. iij. Mannæ electæ ℥. i.s. Elletuarij Indi maioris ʒ. ij. & iure communi rerum pectoralium. Vel idem fiat per bolum ex Elletuarij lenitiui ʒ. ix. puluerum Hieræ.s.ʒ.ij. & saccharo confectum. Detrahatur deinde sanguis ad ℥. vij. secta cubiti dextri vena iecoraria dicta, & tantundem etiam sequenti die a sinistra, postea dentur potiones matutinæ ex syrupo de succo betonicæ, rosaceo, & de fumoterra.s. cum aquis betonicæ lupullorum, & fumiterræ. Vel ex melle rosaceo, syrupo de succo boraginis, de fumoterra simplici, & de capil. Veneris cum aquis, vel iuribus eorumdem addita Melissa. Interea cruditates e ventriculo dimoueantur, & aluus mollis seruetur iniectis altero quoque die Clysteribus, interdum etiam acrioribus, fere quidem lenibus. quorum vis potius, quàm copia quæratur, nam clysteres largius iniecti colon intestinum distendunt, quod vētriculum, cui subtensum est, etiam afficit. Paratis postea humoribus detrahendis leuia semper medicamenta dentur, ne si valentiora sint, nimium humoris a toto corpore ad vias obstructas deducant, eaq; maiori infarctu compleant. Sic Medicina valentior non sit, quam, quæ eiusmodi esset, quæ reciperet fol. senæ electæ ʒ. ij. Radicum polypodij. q. passularum enucleatarum an.℥.s. Cinamomi ʒ.1. Schænāthi ℈.s. Galangæ ℈. 1. florum, & fructuum cordialium m.1. D factaque decoctione.f.a. tum colata, & expressa, recipiat diacatholicon, & ellectuarij Indi an.ʒ.iij. mannæ electæ ℥.ij.s. Cui purgationi succedant syrupi valentiores, quales essent ex oximellite, & syrupo de polypodio, & de pomis sabor, de epithymo, vel de fumoterra composito liquefactis ex iure epithymi, thymi, hyssopi, agrimonij. cap. Vener. cetrach. betonicę, & similium, non præterito interea iusto vsu clysteriorum. Humoribus sic paratis medicina eiusmodi præcipiatur, quæ recipiat ellebori nigri rad. præp.℈. ij. macis ℈.1. anisorum, cinamomi ana.ʒ.1. sem. citri. ʒ.1.s. fol. senæ electæ ʒ.ij. polypod. q. passulatum enucleatarum ana.℥.s. radicis dulcis rasæ ʒ.1.s. florum, & fructuum cord. m.1. factaq; decoctione in aquæ cap. veneris, & in seri caprini paribus partibus, tum colata, atque expressa recipiat ellect. Indi maioris ℥.s. diacatholicon tantumdem. Mannæ electæ ℥.1.s. Qua E porrò facta purgatione ad eradicandas affectæ partis obstructiones, ego per eosdem syrupos humores pararem, deinde per idem medicamentum purgarē, rhebarbaro addito ad ʒ.1.s. in macerationem. Tandem ad membra temperanda erit deueniendum potionibus ad id comparatis per multos dies exhibitis, quæ tamen materiā, qua intemperies sustinetur, deradant. Illę vero ad temporis rationē maximæ erunt deligendæ. Si frigus erit, ex iure galli gallinacei femoris ad maiorem detersionem, vt enim iuniorum carnes ad meliorem materiā alimenti aptiores sunt, sic veterum iura, quæ non materiam, sed vim conferunt ad efficiendum, medicis longe præstant in illis medicis operibus, quibus non mitigare, sed deradere, & discutere humores volumus, Sin æstas impendeat potiones ex sero sint caprino, vel etiam vacino, cum aluus mollis fuerit seruanda, aut largius subducenda, postea etiam ex aquis thermalibus. Vbi Galli ius, & serum muniri idoneis medicamento oportet ad ea, quæ supra sunt proposita, efficienda, vt fumoterra, boragine, betonica, cap. veneris, melissa, farfara, hyssopo, agrimonio, eryngij, & graminis, & rubicæ radice, hepatica, cetrach, cardaco benedicto, & similibus. Atque diebus certis etiam epithymo, sena, & polypodio. Modus iuris galli erit ad summum lib. semis. Modus seri ad libr. iij. & amplius pro ventriculi tolerātia. His autem ad multos dies datis, ad humores absumendos, & viscera expedienda, postea, si qua aritudo restiterit, illam tunc viuendi modo alimentoq; humidiori tolli oportebit, alia namque ratione, quàm nutrimēti tolli squallor viuentis corporis nō potest. In victus ratione itaq; erit idoneus vsus lactucæ, boraginis, buglossi, bliti, cucurbitarū, & germinum earum, pariter vero melonū, cucumerumq; maturorum, seu peponum, fructuum cerasorum nō austerorum, passularum, seminum melonum. In sorbitionibus autem vsus ptissanæ ordeaceæ, alicæ, vitellorum ouorum, succi amigdalini, & pineorū. In carnibus gallinaceorum maxime, & iecorum etiam generis eiusdem vsus, cerebelli suilli, & pedum eius generis. Veruecum carnes videntur grauiores, neq; ita multum boni succi habere, auicularum quidem certe solummodo hæ quæ molliores erunt deligendæ sint, Vsus aromatū, aceti, & omniū acriū parcissimus esse debet, vt mellis, & sacchari. Hæc de cibo breuiter tacta sint, de potione id vinum dicam, quòd vinū oportet esse potius album, quàm rubrū, idq; tenue, lene, maturum, nō tamen aperte, aut penitus dulce. quod si ipsius soli causa vinum album aliquid incōmodi haberet, rubrum vinum item tenue admodū, & parum potens esset deligendum. Hora cibo sumēdo idonea ea fuerit, qua ipse perfecte cōcoxerit, nec multo post est differendum. A cibo somnus minime proximus, minimeq; diurnus sit, nisi perquam leuissimus. Sed notturnus vt tutior, sic magis necessarius est. Eger vero semper a principio somni in dextrum latus decumbat cum concoxisse videtur tunc in sinistrum quiescere opportunius est, tunc enim eo decubitu, cum non habeat os ventriculi, vnde grauetur. colon intestinum decliue in intestinum rectum facile in illud onera fæcum deponit. Vigilia porro nocturna vitanda est penitus. Cœlum vero omne calidius semper declinādum, siccius nō semper, sed pulmonum exsiccando recremento temperate adhibendum. Frigus pariter maxime extremorum, & capitis, præcipue quod aspirante vento est, diligenter vitandū, labor nec crudo, nec famescente vētriculo subeūdus, non solum qui corporis, sed etiam qui animi est, vt cogitationes, & animi sollicitudines, ac perturbationes omnes, quę alioquin pro viribus numquā non vitandę sunt. Aluus semper mollis seruāda vel clysteribus, vel leuioribus medicamentis, nūquam vero nimia repletione cibi, aut potionis vtendū. Venus non nisi rarenter permittēda, & semper ipsius naturæ vtilitate metienda. Balnea, & lotiones corporis vtiliter adhiberētur ex aqua dulci, incoctis ēt ijs, quę corpus mollius reddere, & expurgare ab recremētis possūt, vt furfuribus, maluis, violis, & alijs eiusdem generis. facta quoq; inunctione a balneo ex oleis similiū virīū, vt violaceo, aut amigdalarū dulciū, quod magis ēt extergit. Submouendę uero materiei, quæ in dies nata: in dies incōmoda posset afferre, opportunū esset ęstate quidē medicamentū huiusmodi, quod reciperet syr. rosacei, & uiolacei solutiui an.℥.ij.s. Ellect. Indi

Indi ʒ.ij.facta potione cũ iure florum,& fructuũ cordialiũ. Aliquãdo ẽt diapruno simplici cũ eodẽ Indo. Hyemẽ uero medic.qđ reciperet ellec.de hiera.s.ʒ.1. confect. Hamech. ʒ. 2. vel Ellectuarij Indi tantumdem. Inter hæc inserenda erunt, quæ viscerum intemperiẽ possunt corrigere, & Ellect. Alchermes, quod etiam reliquias obstructionum, & humorum posset absorbere, vt Plirisarcoticon, vt Ellectuarium Regum, vt Antidota maiora theriacæ, vel Mitridatij, vel alterius eiusmodi cum saccharo violaceo cõiuncta, aut conserua ex borragine. Quibus curiose adhibitis, ni malum cedat, non erunt prætereunda tempore, vt proponebam, Balnea naturalia, quę per potionem venas omnes ab infarctu expediant, & data in caput, & totum corpus destillationem compescant. Cuiusmodi esset lucẽse balneum, &, si quod ei simile loco commodiori sit. Atque vt lucense balneum della villa dictum proprie destillationi, & capiti faceret, sic Hipochondrijs omnino; seu ventriculo, & mesaraicis idoneum apprime esset balneum Tetucij dictum, hoc vero prius darem, & postea ordinanda.

Delle volatiche crostose del capo per il Ducha di Mandragone al suo Medico M. Magnifico & Excellente Signor mio.

CONSVLTATIO DXI.

IL caso del Signor Duchino Eccellentissimo e chiaro assai più di quel, che sia facile à curarsi, massime considerando il suggetto per la dignità, & per l'età, che non se potrà tener in quella regola, & purga che bisognerebbe. Sarà ben necessario darle spesso il decotto del polypodio corretto, ouer l'vua passa preparata con esso, ouer il Mechiacan, & se si potesse, l'agarico à qualche modo, & guardarlo della bocca più, che sij possibile. Quanto alle locali, l'acqua de lupini, de Fumoterra, e di Remola, di iride con vn puoco di acqua di tartaro lauando le croste le lauarà, il medemo farà il succhio della radice d'iride toccandole, il medemo farà l'acqua doue siano bolliti li rami del Fico, e cose simili, leuate le crostarelle si potrà vngere con vnguento di lithargirio aiutato dalla poluere di Radice di Elleboro, & stirace liquido, ouer con l'acqua di Terebinthina, che farà venir sù li capelli, ouer con quel balsamo di Spagna, ouer postoui il ceroto Diapalma aggiuntoui la Terebinthina, & la istessa poluere di Elleboro, & quella di iride cose, che credo basteranno vsandole con diligenza; ne bisognarà venir à cose più gagliarde, come solimato, le quali ancho in corpo cosi tenero sarebbe sospetto in parte tanto principale. Guari ben presto vn putto di 14. anni con l'vntione d'oglio di ginepro misto con lo ladano, baccio la mano di V.E. di Verona alli 23. Febraro del 1590.

D.V.E.

Christoforo Guarinoni.

A

De profluuio sanguinis per podicem immoderato pro Reuer. Orlando Belga Illustrissimi Cardinalis Veronæ.

CONSVLTATIO DXII.

DIfficultas à VV. EE. proposita in hoc profluuio sanguinis curando certe maxima est, non minus tamen periculum illud existimo, ne, si penitus hic sanguis retineatur, grauiora mala consequantur, vt in magno discrimine versemur eius miseræ vitæ, qualis non retento eo est, & eorum malorum, quæ eo suppresso possunt oriri; siquidem ea excretio, cum à natura sit, & tamen præter munus proprium partiũ per quas fieri cernitur, & præter vsum materiæ quæ effluit, & cum hoc etiam inutiliter, & ita præter naturæ propositum fiat, necessario à natura coacta fieri oportet, & ita quamquam à natura, tamen non secundum naturæ rationem facta, præter naturam esse dicenda est. Coacta autem natura esse non potest, nisi ab aliqua re sibi incommoda, & admodum vrgente, qua minime sublata, si excretio hæc supprimatur, illius incommodũ augeri necesse sit, & eò maius futurum, quo vires viscerum, venarum, & totius corporis imbecilliores factæ sunt, illæ namque per inanitionem exolutæ, nequaquam poterunt sanguinem conficere, conseruareque integrum, ne si iustum quidem modum non superet, ne dum si nimium abundet, ex quo aperte periclitetur, ne in hydropem postea delabatur, mitto alia multa morborum genera, quæ à retento eo sanguine possunt existere ab Hippocrate & Gal. narrata. Cuius sane discriminis ratio vult, vt diligentia summa adhibeatur causis huius Symptomatis tollendis, vt summa moderatio in ipso Symptomate inhibendo.

B

C

De causis itaque Symptomatis huius noscendis primo, deinde remouendis omni studio agam, eo maxime, quòd de eis inter nos controuersia tã magna existit. Sanguis exiens varij generis est, partim niger, & crassus, partim flauus, & tenuis cum spuma flaua, partim medij coloris, qui, cuiuscunque generis sit, semper, postquàm excretus est, concrescit, & nihil seri ex se exprimit, concretione penitus similium partium, & æquabili existente, & quãuis quandoque spumam in superiori parte habeat, fere tamen sine ea est, eius excretio bis die fere ad summum fit, & semper, cum aluus, quę naturalis est, descendit, & semper sanguis à fęcibus penitus separatus est, & super eis insistit. Dolor nullus vlla in parte sentitur, & cum vult etiam potest sustinere excretionem, differreque in aliud tempus, quod sæpenumero facit, ne excretio alui sanguinis profluuium moueat, quandoque tamen dum credit se aluum depositurum, solum sanguinem exprimit. Vbi ego video, quod vos facile assentiemini, & Galen. etiam proponit, profluuia sanguinis ab vna occasione, & vno sanguinis genere primum excitata, ab alia occasione, & cum alio sanguinis genere progressiones suas postea habere. Ordiatur namque à bilioso sanguine vim excretricem lacessente, dum sanguis ille depellitur in venas casu infirmiores, vt, si sint propter humidum genus infirmatæ, ab influente etiã bilioso sanguine illius colore afficiuntur, sic calore postea plus attrahunt à parte amandante, quàm illa sua sponte mitteret. Copia vero humoris attracta venæ illæ latiores fiunt, quod factum sæpe vidimus in multis venis, dum influentibus humoribus

D

E

bus obiectæ sunt, adeo vt intestini magnitudinem, & speciem adeptæ sint. Vidimus etiam proprie in hæmorrhoidarum venis, quòd vsu longo defluxus adeo dilatatæ sunt in viro Illustri Nogarolio Comite, vt copia sanguinis in eis contenta, dum alui excretionem expectaret, in largissimum pus conuerteretur, tam amplæ factæ erant venæ illæ, vt sinum magnum sanguini præstarent, quæ vero amplitudo ab vsu longo, & ab attractione incitatori fit, quo facto non solum calore, sed etiam amplitudine sua venæ compleri affectant, vt ventriculi naturæ est, & partium viuentium omnium, quæ extendi ad suã magnitudinem semper appetunt. Sic attractio pluris longe sanguinis fit, atque inde excretio maior, quàm vel vires corporis ferant, vel viscera sponte permitterent, nisi vi sibi ille eriperetur. Ita quamuis profluuium ab acri humore, & concitata vi excretrice inceperit, produci tamen postea potest ab attractricis incitatione, per calorem facta, & præterea à debilitata contentrice venarum, nimium attrahentium, quoniam quamquam dilatata capacitate plus sanguinis amplectuntur, & appetũt, minus tamen possunt illud sustinere, sic eo delabente nouum semper alliciunt, & inde profluuium produci necesse est. Non est igitur mirum, si varia sanguinis genera in longo profluuio excernantur. Nam quod profluuium tractamus certe à copia nimia sanguinis effici non potest, neque enim tam assidue, & tam abundanter efflueret, quin natura à copia nimia interdum, & sæpe leuata sese colligeret, & quod sibi necesse est, contineret, nulla intemperie à bono sanguine partibus eius defluxum recipientibus inducta.

Certas vero etiam periodos, seu circuitus statos haberet, pro causis sanguinem augentibus, cuius rei exemplum habemus apud omnes scriptores, vt eorum, quibus membrum aliquod amputatum fuerit, aut qui ad vitam otiosam se conuerterit. Ergo in hoc profluuio nos copiam tantum accusare nequimus, maxime, quod nullæ illius causæ extitere, acrimoniam quidem certe arbitrari causam eius saltem ab initio fuisse debemus, & interdum etiam post aliquam intermissionem eius noua exordia irritate, quoniam indicia calidioris, & biliosi sanguinis adsunt in flauo illo colore, & spumoso etiam habitu ipsius sanguinis, præcessere etiam notæ calidioris iecoris per febres multas tertianas, & per exanthemata olim ei familiaria, tum per mores eius valde iracundos. Cum vero nunc quotidie profluuium tentet, quod superioribus mensibus tantum longioribus interuallis accedebat, iam possumus acrimoniæ sanguinis identidem irritanti expultricem adiungere etiam intemperiem venarum, qua attractrice sint concitatiori, & laxitatem earum, seu dilatationem, qua & attractrix impellatur, & retentrix infirmior fiat.

Hæc de profluuio, & causis eius à me dicta sint. Nam quod de obstructione superioris partis iecoris à doctissimo viro dictum est, quasi illa transitũ sanguinis e iecore in vniuersum corpus impediat, & sic ille cogatur ad intestina reuerti, ego non video huius tantæ obstructionis notam vllam, neque per febrem, quæ nulla est, neque per atrophiam maiorẽ, quàm esse soleat in ijs, qui aliquanto plus sanguinis, quam opus sit, excernunt. Febris hæsternæ diei penitus res noua fuit, &, quod vomitus patefecit, à cruditate est nata, quæ ventriculi imbecillitate, & prauitate ciborum extitit, ad cruditatem corruptio ciborum in ventriculo, ad hanc animi deliquium cũ sudore, & totius corporis frigore, ad hæc febris sequuta est, quæ non est expectanda, si recta ratione viuendi vtatur. Causis ergo profluuij expositis de venis, per quas illud fit, determinare necesse est, cũ

A apud vos adeo sit controuersum. Non possum ego assentiri dicentibus hoc profluuium esse dysenteriam illam improprie vocatam, & hæpaticam, quoniam illa sanguine imperfectum habet, minimeque concrescentem, sed loturæ carnium recentium similem. At dicit Doctor iste quod 5. de locis affect. c. 7. Galenus sentit posse in eo genere profluuij sanguinem excerni bonum, videte locum diligenter, nam minime claram sententiam in hunc sensum esse iudicabitis, vt iste affirmat. Minus à venis intestinorũ supra rectum intestinum venire hunc sanguinem iudico, quoniam non tam diu expectaret, vt bis solum in die tanta copia exiret, quin & ater in intestinis euaderet si non omnis, saltem illis partibus, quæ diutius moratæ fuissent, & aliquibus etiam concretis, alijs quoque serosis per concretionem illarum separatis, & omnino certe partium dissimilium, esto enim aliquandiu intestina suo calore sanguinem à concretione sustineant, diutius tamen id facere non possunt, cum frigidiora sint, quacũque vena, & quocunque alio ventre, diutius quidem thorax seruabit calore suo valentiori, tunc tamen ab ipso ater etiam educitur, imo in intestinis nõ solum ater fit, sed corrumpitur, si diutius maneat, & fætet. Quare solę sanguinis partes posterius venis excedentes puriores fuerint, omnes tamen eiusmodi esse non possent, & sanguis corpore penitus dissimilari exiret ex aluo. Similium modo penitus partium, quantum sanguinis natura patitur, & æquabili concretione consistit, postquam exit tantum, & ad formam catini figuratur totus, ideo à vena valde sedi proxima erumpit, & tunc tantum erumpit, cum comprehenso intestino e sede excernitur, spuma quoque idem confirmante, quæ necessario ab agitatione existit, cum non à calore vehementiori fiat. Agitatio vero erit necessaria propter angustum meatum, quare exiens e sede id non habet sanguis à lato sedis meatu, sed e vena certe, quapropter à vena protinus excidit, cum e sede exit, proxima ergo sedi vena ea est.

Quod tollat etiam admirationem, cur sanguis is venas onerans, non ex illis paulatim à vi earum excretrice eijciatur, sed voluntatis motum expectet, quo musculus podicis dilatetur. Etenim id fieri nequit, nisi eo, quòd venæ illæ prope eum musculum ora sua habeant, vt cogantur constrictæ manere, dũ musculus constrictus est, eo autẽ remisso, ipsæ quoque venæ ora sua laxare queant, ita voluntatis motu, excretio etiam illa, quæ sine voluntate alioquin se exercet, mouetur. Venæ ergo hæ necessario sunt musculo coniunctæ, & in eam intestini partem ora infixa habent, quæ à musculo constringi potest. At sint modo illæ quæ à vena caua ad podicem, vel, quæ à vena portæ, ego sic discernerem, quæ à vena caua veniunt ad exteriorem magis cutem pertingunt, neque solent valde sæpe aperiri cute crassiori obtectæ, dolores quidem magnos mouent, cum sanguis in eas eliditur. hæ interius sunt, sine dolore sunt, ergo neque densa cute obducuntur, & à vena portæ deductæ sunt.

Neque vero deterreat me ab hac sententia, quòd sanguis melancholicus non sit, qualem venæ illæ ferre consueuere, quoniam etiam Galenus id vidit, & nos monuit, quòd, cum sanguinis multa copia excernitur non solum, qui partis est proprius, sed alterius longe generis effluit, atque si per pulmones erumpat, non omnis spumosus, & flauus est, ita si per hæmorrhoidas multus exeat, non omnis melãcholici generis fuerit. Mihi iam videor casus huius omnem vim, & omnes causas explicasse, cui si infirmitatem virium, & maxime iecoris, & ventriculi adiungamus, nihil est, quòd præterea sit adiũgendum. Intemperies hic iecoris calidior est, cum sanguine calidiori, venarum quoque in messenteria

ria ad imum rectum intestinum pertinentium calor A non minor,& earum dilatatio,ac laxitas multa, cui casui non mediocris crudorum humorum repletio successit, per eam necessitatem, quæ ex nimia sanguinis inanitione cogit crudorum humorum attractionem, cuius etiam indicium spuma illa in sanguine habet. Iam de occurrendo huic casui agendum est, eo proposito semper discrimine in hoc casu, vt nisi seruetur fluxio moderata corpus in varia morborum genera casurum sit, præsertim causis vitiosis intus relictis. Qua de re pro viribus primum materiæ acrioti, atque etiam crudæ submouendæ vacandum, deinde intemperiei mitigandæ iecoris, & venarum, tum laxitas ad iustam cauitatem,& tonum reuocanda, motus vero etiam propensio in cōtrarium, vel diuersum retrahenda. B

Itaque si vires aliqua quiete refici poterunt, & cruditates concoqui, secta vena in manu extrema sanguis exiguo quidem modo mittendus est, causa auertēdi dictum impetum, sin vires non possint refici, nec concoctio iuuari, cucurbitulis saltem sine ferro id moliendum, affixis nempe partibus supernis, seu humeris, frictionibus quoque brachijs adhibitis idem conandum. Balnea non probarem, quamquam à pletisque proposita, quoniam sanguinis fusionem faciunt. Vinculis potius fiderem. Acres porro humores timide valentioribus medicamentis, & acribus educerem, quoniam illa tum acri sua vi, tum humorum delatorum venas illas nimis irritarent. Ita ego solis myrobalanis maximè citrinis fiderem, tamarindos stomacho labefactato minus idoneos crederem. Rhabarbari vim conuellendi altius defixos humores timerem, illa enim acrior est, & glutinosi illi succi exusti, quos educit, nimium valenter mordent. Vnde sub Rhabarbari purgationibus venter solet dolere. Et quoniam vobis maxime arridet illius vsus, ego non concederem nisi valde lotū, terrestres namque illius partes maxime aptæ sunt vanis, & visceribus colligendis, firmandisque. Modificandis vero humoribus,& tollendæ intemperiei, atque laxitati venarum contrahendæ vterer potionibus sacchar o,& melle penitus vacuis, herbis tantum, quas incoquerem aquis stillatitijs earundem, quales sunt rosæ, myrthi, plantago, eiusque semen, rubus, acetosa, cetrach, pilosella, pimpinella, barba hircina, equisetum, tormentilla, eius generis alia, in quibus ferè cum adstringente vi, fibrasque colligente, est coniuncta illa, quæ humores extenuat, & per lotia auertit. Sunt trocischi de terra sigillata, de carabe, de spodio, sunt pulueres corrallorum, margaritarumque. Sed, qui mihi summopere probatur, est puluis chalibis, vel ferri præparatus, qui per se,& cum alijs dari potest. Aqua quoque chalibeata dicta, vel ferrata commendatur. Et, cum tempus fuerit, aqua balnearum naturalium Chalderiani agri. Inijci quoque in aluum debent, quæ venis illis refrigerandis, colligendisq; faciant, vt aqua molaris lapidis, quæ molito ferro decidit, aqua lapillis ignitis iniecta, vel candenti ferro incoctis adstringentibus omnis generis. Emplastra quoque ex ijsdem composita, & suffumigia, quæ quandoque vidi facta vtilissime ex sulfure incenso. Inunctiones ex oleis adstringentibus, & exsiccantibus, sed proprie ex oleo cantharorum domesticorū, vel puluis Hirundinum, aut sanguinis eiusdem, qui effluit. Cuius vero rei Amuletum esse compertum est illud ostiocollon, quod saxifragiæ nomine circumfertur. Quæ de medicamentis mihi satis esse videantur. De victus ratione vero vno verbo dicā, nil comedat, aut bibat saporis vehementioris. Medicus cui cura commissa sit, nominatim illa explicabit.

C

D

E

Consilium de Hydrope pro Nobili Drusilla Lauezolia Sagramosia.

CONSVLTATIO DLXIII.

IN re tam difficili, in qua à curatione meo quidē animo fere nihil sperandum est. de notitia autē naturæ, & principij morbi non videtur à Galeno, neque à Scriptoribus hominum ingenijs satisfactū. Ego quod potero præstabo. Conuenistis omnes hunc morbum potissimum Hydropem esse eam quā Tympaniti vocamus, à flatu nimirum inter Peritonæum,& intestina contento factam, sub esse tamen aliquid etiam aquæ, & cum eo demum fęmoribus, & cruribus iam tumere incipientibus etiam pituitā in ambitum effundi, quo & Ascitis, & Leucophlegmatia iam in propinquo esse videantur. De atrophia superiorum partium manifesta,& inferiorum etiam obtecta à mala nutritione, deque febricula rebus ad hydropem accedentibus, & quæ hydropem sequutæ si fuerint, ea sublata abituræ sint, hic non est valde differendum, de hydrope vero diligenter videndum, quæ sit, quidve ostendat nobis esse agendum. Communem causam affert Galenus omnis hydropis frustrationē generationis ipsius sanguinis, quasi ea infra subsistat, neque finem suum attingat, vt differat à corrupta generatione sanguinis, qualis morbi Gallici vis esse existimatur, quoniam hæc corruptæ generationis est. Hydropis autem causa generatio potius diminuta. Cuius diminutio quidem in Leucophlegmatia minime dubia est, in qua aperte videmus nutrimentum e chyli materia deductum ad sanguinem à sanguinis absolutione deficere, vt sanguis, qui quasi alimentum est, pituitæ speciem retineat, quæ in roris quidem habitum funditur, & partibus adhærescit, nō tamen queat in bonum nutrimentum partium traduci, minus vero similis fieri hac vna sanguinea sua materia à perfecto sanguine, quod quasi alimentum est, distans. Vnde apertis cadaueribus Leucophlegmatia affectorum, si quid aquosi generis est intra abdomen, id ad album fere vergit, & serum lactis imitatur, quod pituitosi generis est, ita omnino pituitosi ipsius generis est. Leucophlegmatiæ materia, quod imperfectum, & minime absolutum sanguinem refert.

Verum in reliquis hydropis generibus ea causa non penitus naturam iam dictam præsefert, quoniā aqua potius,& serum flauum,& fuluum etiam, quā pituita, vel sanguis imperfectus est; sicuti in Tympanite flauus omnino, adeo, vt in frigidam iecoris intemperiem, à quā crudior, & imperfectus sanguis fit, neutra harum simpliciter possit referri. Cuius rei causæ ea est, quoniam omnis concoctio, dum fit affert semper incrassationem, ac cum diminuta est, eam affert diminutam, numquā autem affert tenuitatem maiorem, modo chylus, cum secundam coctionem subit, quamquam dum minus coctus, minus etiam crassus est, numquam tamen aquæ habitum nanciscatur, quæ tenuior ipso chylo est, sed aliquanto saltem crassiorem, ita ille aquæ halitus à calore potius colliquante fieri videatur. Augetur ea suspicio, quoniam à febribus ardentibus sæpe hydrops eiusmodi nascitur, vt à pituitosis ipsa Leucophlegmatia, atque tumores artuum œdematosi. At sub ardentibus febribus torreri potius sanguinis materiam, quàm minus confici verisimile est, calore nimirum admodum igneo facto. Vbi vero illud tollat dubitationem vulgo ab omnibus in hac occasione adductam, quòd quamquam calor igneus in-

increuit, naturalis tamen diminutus est, sic aqua illa à frigore non positiuo, vt dicitur, sed priuatiuo nasci, quòd vis caloris naturalis infirma sit, siquidē hoc dictum non satis consore video cum ijs. quæ de viribus temperamentorum habemus certissima, nā fiat intemperies in quocunque membro, tunc semper quidem vis natiui caloris infirmatur, humores tamen, qui gignuntur acres sunt, & biliosi, exustionemque præseferunt. Potest quidem intemperies sicca, cum fuerit frigori coniuncta, humidum succū parere, at calida non potest frigidum, minus calida sicca humidum, ac frigidum propagare. Eapropter sub ardentibus febribus Galenus solet aquosi humoris generationem nō sanguinis generationi, sed colliquationi attribuere, quam ipse ἀναστοιχείωσιν vocat, quasi dicas in elementa dissolutionem, quæ nūquàm frustratio generationis sanguinis fuerit, sed semper torrefactio, & fusio materiæ in aquam. Generatio itaque aquæ aut non eandem causam habet in nostro corpore, aut, si habet, semper, & vbiq; eius generatio fusio, & colliquatio fuerit, non habere autem vnam, & eamdem causam idem effectus nō potest, si primo, & per se illa fuerit. Certe colliquatio ea esse videatur, quæ materiæ fiat in vapores, a quibus concrescentibus postea aqua fiat.

A

Itaque humor, qui in ventriculo à cibis per coctionem expressus est, dum sub venarum torrefaciente calore versatur, in vaporem primo, deinde in aquam transmutatur. Itaque non gignetur aqua à calido sicco, sed fundetur in vaporem tabescens, humor itaque cum per vaporem in aquam concreuerit, exustionis opera retinet vt aquæ etiam multæ thermales, e quibus etiam lapides sępe concrescunt, vt ex vrina, quarum aquarum vapores vi caloris ex eiusmodi materia expressi in aquam versi eiusdem materiæ vim retineant etiam concreti, & aquę corpus induti, quo pacto omnes vires aquarum thermalium innasci eis oportet, non, cum aquæ factę per mineras transeunt. Sed cum vapores, vnde aquę cogendæ sunt, e sua materia efferuntur, cuius materiæ vim teneant quarum multæ limpidissimæ aquæ lapidescunt. Sic à calore fient aquæ hæc, quamquam à frigore postremo speciem concretionis sortiantur. Etenim frigus in iecore ponas, cur illud non potius crudum chylum permittat vt in anasarca, quam aquam tenuiorem e chylo crassiori, & mixto magis corpore euocet? sic Aristoteles ichoris causam vnam in defectu concoctionis, alteram in eius corruptione ponebat sub qua corpora euocet? Euocabit aquā valde facile acrior calor, & faciet ascitem. Verum alia dubitatio est, cur ille humor, seu aqua ad venas superiores (dico superiores natura non loco, vt etiā Aristoteles, & magni Medici solent) & ad vniuersum corpus non diuiditur, vt in anasarca crudum alimentum sed in spatium intra peritonæum extruditur? Dicebat Galenus in principio. 4. de ratione victus in acutis, quod, cum vis attractrix se exercet, non discernit inter malum, & bonum succum, vt arefactæ, calfactæque venæ attrahant sæpe, quod eis cedat in erysipelas, cur ergo serosus, & aquosus humor sanguini tam familiaris non vna cum eo in totum corpus, & inde ad renes adducitur? Erasistratus crassitudinem eius causabatur, & eam impediri propter obstructiones iecoris iudicabat. Verum, si tanta angustia esset, quanta serosus humor prohiberetur, quo pacto sanguis, quem in venis superioribus hydropicorum quotidie per resectionem corporum videmus crassissimum, per eas angustias penetrat, per quas serum eo tenuius penetrare nō potest? Certe hunc serum non admodum peruenire in venam cauam videmus, neque admodum per renes expurgari, imo rarenter fit, quin hydropici ex ascite semper nimia seri copia onusti, tamen minus mingant, quam sani faciant, & crassius, ac coloratius multo.

Quo vero ad serum, si ob angustiam venarum nō ascenderet, cur potius humor ille à coctione defectus vt Medici volunt viam faciliorem non teneret? & tamquam lotura carnium recentium per ventrem feretur? Cur potius per mēbranas irrumperet in abdomen, si per meatus latos, & vsitatos cum sanguine procederet? Itaque non solum intemperies calidior in sima iecoris parte ponenda est, quæ dictam colliquationem chyli, & fusionem in vapores efficiat, sed calorem iecoris totius certo quodam metro constante in acrimonia statuere debemus, qui proprie eundem chylum ibi contineat, & in vaporem dissoluat, atque per membranas sub habitu vaporis in abdominis cauitatem extrudat, vbi calore amisso in aquam reuoluatur. Certo suo temperamento renes id faciunt, quod naturæ est, cur simile præter naturam iecur nancisci non possit, quod factum ab euentu deprændenditur? quę cum ita fuerint, necessario habitum etiam corporis densiorem iecur sortietur, qualem ipsi renes habent, qualem iecur habere in resectis hydropicorum cadaueribus nos creberrime videmus, numquam enim iecur molle, vdumque reperimus nisi in hydrope leucophlegmatia, in qua semper plenius laxius, & albo humore nutritus est.

B

In ascite autem, & tympanite cōtra semper densius in renum modum, sed prauo admodum & atro colore, & male nutritum, non dico scirrho tumore definito, & circumscripto affectum, sed toto suo corpore mala nutritione obdurato, sic facile suo duro corpore duriorem calorem tenens acrius in chylum agit, &, vt renes faciunt, illum in vaporem fundit, & per membranam extrudit. Atque adeo mirum non est, si hydropici plurimi ascite detenti exiguum, & valde crassum, coloratumque lotium excernunt, cum parum eis serosæ materiæ permittatur, cum bilis tum multa à iecoris calore fiat, tum illa, quantacunque fit, exiguum lotium plenius inficiat. Minus mirum illud, quod hydropici, nisi ad extremum vitæ hoc est extinctionis, seu oppressionis caloris fuerint deducti, aluos naturales semper ferunt, & feces bono habitu, & bilioso colore eijciant, tam qui ascite, quàm qui tympaniti laborant, vt nec mirum si aliqui etiam erysipelate tententur.

C

D

Sed cur halitus inter peritoneum, & intestina expressus in ijs quidem aquam, in illis autem flatum, seu ventum facit? Necesse est id materiæ, & efficientis causæ culpam esse, efficiens nam forsan magis torrefacit, materia autem certe magis terrestris est, quàm in ascite sit. In ascite enim potius edat vapores, qui in aquam necessario conuertantur, cum à calore visceris inter frigidiores membranas relicti sunt, quoniam & materia, & efficiens eiusmodi est, nimirum illa magis aquæ est, quam terræ, is vero minus torrere potest. In tympanite autem non vapores, sed fumi ob naturam terrestrem humoris, & assantem vim. Quare, vt etiam obseruatione certum est, melancholici generis magis sunt hi, qui in tympanitim labuntur, ventriculique siccioris. Hæc ad naturam rei dicta sunt, & in principijs Galeni, & Aristotelis, & naturæ stant, non tamen, quod Galenus proprie sentit de hydropis his duabus differentijs, inferunt, qui tympanitim à ventriculo, conspirante etiam iecore proficisci etiam voluit, & à minori frigore, quam ascitim, quando flatus aliquid caloris requirit valentius, quàm aqua. Ascitem à iecore quidem, & illo refrigerato magis, quàm sub tympanite, quæ sententiæ primo euentibus non respondent, minus obseruationi Aetij, deinde neque cum ratione suptadicta naturæ conueniunt, & in multa absurda incurrunt. Addatis vos, si vultis, quod

E

Asci-

Ascites ad sententiam Galeni curatu difficilior esset, quàm tympanitis, cum magis à naturali statu illius intemperies sic statuta diducta sit, contra tamē quotidie euenire videmus. Et ratio ex nostris illationibus deduci facile potest, quoniam melancholico succo contracti morbi duriores se præbent curationi, quàm qui in pituita consistunt, & profecto mirum sit, si flatus via lata ostiorum ventriculi spreta per membranas eius in abdomen penetret, atque id sine dolore vllo faciat. Sed hactenus de thesi, & vniuersa natura hydropis ante oculos ponenda. Sequitur, vt ad hanc nostram ea, quæ dicta sunt referamus. Si prius illud adiecero, quod sub hydrope huiusmodi cum vita numquàm potest tam euersa esse iecoris vis, quin ex meliori saltem chyli parte idoneum sanguinem paret. Vbi tandem venæ prorsus refrigerentur, maxime, quæ in eminentibus partibus sunt, sic vel bonam materiam in pituitosum sanguinem vertant, & extremis leucophlegmatiam efficiant, ipsis quoque partibus refrigeratis minus belle suum alimentum conficientibus. Sed iam ad rem nostram illa accommodemus. Calidioris, & siccioris naturæ mulierem Illustrem esse significāt illæ omnes notæ, quæ ab Excellentissimo viro dictæ sunt, in quibus corporis tenuitas ob exiguam carnem, color, agilitas, mores ad animi magnitudinē, ad celeritatem iræ, & omnium perturbationū propensi, partusque marium numeranda sunt. Illa vero diarrhæa, qua multis annis per interualla crebro tentabatur biliosissima, si color eius attenderetur, calorem iecoris superantem, immoderatumque declarabat. Atque, cum biliosus color in materia tamen esset admodum glutinosa, & ventriculi noxa sæpe molestaret, frigidam ventriculi intemperiem fuisse ostenditur. Ventriculi causa Guaiacum interdum accepit, inde iecur peius habuit, puta calfactum, & exsiccatum magis præsertim quia cum cortice erat, Rhabarbarū ob diarrhæā dabatur, ab ea semper peius habebat, omnia caloris nimij non in ventriculo, sed in iecore indicia. Quod suo calore, & aritudine, vt dicebat Hippocrates de venis ambitus totius corporis, auide nimis, & sine delectu succos e ventriculo frigidiori, & intestinis etiam crudos alliceret, quos vero bile à se genita infectos, dum eorum onus, & morsus sentiret, expelleret, & diarrhæam partim pituitosam, & crudioris humoris, partim biliosam pareret. Post multos annos lentatis plurimis remedijs diarrhææ illæ cessarunt, & dolores etiam ventriculi, verum in ventre tumor altus ad latus dextrum inter iecur, & os Ilij constitit, qui fere sine dolore erat, & facile à pituita non amplius per diarrhæam expurgata fieri potuit, bile per vias naturales, & sua tenuitate facile vndequaque eiecta. Fiunt intus tumores omnium generum, vt in summa cute etiam videmus, quod Galenus sæpisse asserebat, & facile extra viscera in membranis laxioribus consistunt, vt in ijs, quæ circum renes, quæ circum vterum ad eius cornua, quæ in omento, & apud intestina sunt, quemadmodum sæpe depræhendimus in resectione corporum, qui tumores habent materiam variam adeo, vt viderimus nos verissimos crines equorum, ac si tunc recenter modo detonsi fuissent, præter multa alia lanam, & villos referentia.

Sed fere ea materia sibi corpus habere solet, & pituitosa est, sæpe etiam durior. Hic ergo tumor eiusmodi à causis iam expositis sine dubio est factus, à quo per contagionem, vt rem naturalē opus fecit, etiam vicinæ partes continenter afficiuntur, vt iecur affectum in dies peius habere coactum fuerit, fuerat calidius primo, deinde medicamento Guaiaci etiam, atque etiam magis excalfactum, non minus illas cruditates à ventriculo acceptas corrumpebat, vt enim frigus infra iustam coctionem succos retinet, ita calor intemperatus potius corrumpit, vt neque crudiora ob imbecillitatem concoquat, sed asset, & eorum tenuiores partes in acriorem bilem flauam, crassiores vero in terrenum, & assatum humorem conuertat, à crassis humorem educendo, absumendoque illa reddit crassiora, at renuia acriora reddit, sic quoniam à crassiori parte alitur non potest diu se sustinere, ne crasso, & terreno succo, atque etiam assato nutrimento duriorem sui carnem nanciscatur, & suum calorem item semper duriorē, à quo tandem succus chylus dictus magna ex parte colliquefiat, suisque crassioribus partibus tantum in sanguinem vertatur, & à corpore iecoris ad similitudinem renum perducto, similem inquam renum actionem edere coacto inter peritoneum, & intestina per illas tunicas effundatur sub halitus specie, qui, quoniam ab humore multum terrestrix naturæ habente effunditur, plus fumi habuerit, quam aquæ, donec is quoque diuturnitate temporis, & refrigeratione in crassiorem aquam reuertatur. Dolores etiam attulit in partes ventris varias, vt fumus ille siccior impetu agi potuit. Non dum artus intumescunt, quoniam, quod ad cauam venam peruenit, siccius est, videtur tamen iam iam incipere aliquem tumorem accipere, quoniam refrigeratur, tandem venæ toto corpore effusæ, & etiam cor, in quibus locis sanguis paratur, neque à frigidiori eorum intēperie potest perfici, quin in pituitam declinet, & si loca illa sicca sint succum præsertim crudiorem, & minus belle paratum excipientia.

Hæc natura huius morbi est, is est eius status, à quo etiam timeri peiora debeant, nam etiam propter obstructiones febris, quæ exigua est, valentior fieri posset, & propter copiam aquæ, & malorum succorum dicta corruptione nascentium vires opprimi, & defectu probi alimenti consumi. Neque vero placet, quod ab Excellentissimo viro dictum est, quod pulsus hi ita crebri sunt, non propter vllam febriculam, sed propter impeditam thoracis respirationem, nam & quantum oportet ipsa respirat, & quamuis id facere non posset, pulsus tamen non ob id crebrior efficeretur, experiamini quæso vos, & videbitis, quod compresso etiam vi spiritu, & diu, nisi aliquid aliud accesserit, pulsus tamen crebriores non fiunt. Habemus ergo tumorem pituitosum, & durum, habemus iecur male nutritum corpore duriori intemperie siccior affectum, vnde potius chylum asset, quàm elixet, potius colliquet, quàm concoquat. Habemus aquam, etiam flatum inter peritoneum, & intestina tendentes abdomen, eaque omnia non sine febricula, cum periculo, ne vires consumantur, suffocenturque, neue hydrops leucophlegmatia insuper adueniat ad dicta incommoda acceleranda. Quas res ostendunt nobis faciendas, & quo ordine tot mala? Aqua impedit ne viscus tractari, iuuarique medicamentis possit, propterea illa tollenda, & prima tollenda iuxta illud 6. Epid. sec. 7. cito secandus hydropicus. Tollenda certe illa vna tam aquosa, quàm flatuosa, si fieri queat, maxime punctione, seu incisione abdominis, vel incisione furarum, vel vstione ipsius abdominis, tum vero hypocaustis, seu sudationibus ventri saltem soli accommodatis, vt doliolum compræhendat tantum ventrem, vel illud aliud genus sudationis sub tentorio ex asserulis facto, vel fumo adhibito per mensæ foramen, quo totus venter anterius comprænhendatur, & per foramen venter fumum accipiat reliquo corpore defenso. Medicamentis educi aquam non sine periculo, & summa difficultate crederem, quoniam non potest rursus in venas reuerti sic crassefacta, minus per tunicas intestinorum cauitates eorum ingredi. Propterea, si tam valentia medicamenta

sint,

sint,quā,quæ possint aquā illam in intestina retrahere, poterunt etiam humores e venis ad iecur adducere, eiusque duritati materiam augere, & obstructiones,iecurque peius tractare.

Ita leuiora adhibeantur, quæ vna & discutiant, quæ in iecore est materiā, & vim eius,vt publicum eius munus postulat,confirment.Tumor tandem ipse quoq; esset dissoluendus. Quæ præparari ne possint an non,ego summopere dubito. Imo vereor ne sub ipsis remedijs æger in peius labatur, quoniam vires citius dissoluentur, & tanta copia non potest, nisi cum summa perturbatione, & occupatione virium,& putredinis periculo tractari. Ad auxilia veniamus. Aqua primum esset per punctionem, seu incisionem abdominis educenda, vt potestas reliquis remedijs fiat.Dicit Doctor Excellentissimus illud auxilium esse post vsum moderatiorum differendum. Dico ego quorsum ea dilatio? forsan quo necessitas augeatur?quasi non etiam nimia sit, quo vires facilius patiātur?Quæ omnino debiliores quotidie fient, forsan quo vtilius fiat? cum, quo magis progreditur morbus, eo inutilius auxilium sit futurum.

Quoniam tumor incipit descendere per fæmora, & suras,incisio etiā infra suras poterit educere eundem humorem. De educendo humore per sudores ego non ita facile determinarem,nisi per superiorē operam fuerit prius deductus: ne turbationem, & fusionem humor accipiens periculum maius vitæ afferat, quemadmodum in alijs obseruaui, qui sub sudoribus aluo considente credebantur sanescere, tamen citius interiere. Medicamenta aquam educentia per aluum nisi supradictis perfectis non tentarem, ea vero essent ex Rad. Ebuli. Ex sambuco, ex brassica marina, ex succo Iridis, qui valde viscera expedit ab humoribus illa imbuentibus summa sua absterfione. Elaterium apprime idoneum est, at nisi exiguum dandum esset, & valde vetus, & cū rebus ventriculo amicis,vt cum Hiera, cum pilulis Alephanginis, cum pilulis de tribus,cum Rhabarb. parantia humorem multa esse possent,sed ego deligerem illa; quibus componitur syrupus de Cicorea Nicoli,& acetum inungerem, & Rhabarbari modū augerem.Clysteribus etiam vterer cum supradictis, vt Iride, Ebulo, & eiusmodi alijs. Fomentis ventri appositis cum spongia, & emplastris,& illitionibus non solum reliquias aquæ siccare vellem, sed ventriculum quoque, & viscera confirmare, cum proprijs medicamentis vt absynth. Chamena, cetrach, cappare,ciclamino,& alijs,cum quibus asarum, salsa parilia,& radices cānarū componerem, quæ per suffumigia,& per emplastra applicarem. Emplastra proponuntur ex fimo capræ, & supradictis herbis, quæ in vsu sunt. Illud ab antiquis valde vsurpatum est, quod fit ex cochleis contusis. aliud expertum est, quod fit e tritico integro bene exsiccato, quod adhærescendo intumescit, & aquam ad se allicit. Alij sabulo,alij furfure, & milio, alij etiam lixiuio antiquo calce in eo extincta,per spongias totum vētrem amplectentes adhibito. Alij vrina ad ignem valde exsiccata idem faciunt.

Hæc forte nimia sunt,cum parum profutura conijciam. Cauteria in cruribus, & vesicatoria Doctor probabat, quæ & dolores, & periculum gangrenæ allatura ego non possum laudare in corpore mali succi. At inquit ille ferro candenti facta erunt tuta,& cauendo à butiro,loco eius ponendo cæratum Diapalma, quæ cautiones quantum valeant, permitto peritis iudicādum, ego certe nihil valere existimo scarificationes ad talos factas oridi aquam exhausisse. Hæc sub sudoribus peius habuit,& interijt.

A

B

C

D

E

M. Magnifico Signor mio osseruandissimo.

CONSVLTATIO DLXIIII.

VOrei puoter per proprie forze, & per agio di tempo seruir V. S. tanto, che pochi possono voler seruir più, si che se & non le darò satisfattione incolpi pure il non potere. Quel che lei vede ne gli occhi, e pochissima cosa, ma per che il luoco piccolissimo viene ad esser molto maggiore. Eglie escremēto il qual come alieno dal humore acqueo, ouer albugineo,nel quale è, ne potendosi transmutar in lui, ne scacciarsi fuori,resta immobile come è l'humore, nel quale risiede, e però perche è melācholico, il quale puol venire col spirito visiuo per li ventricoli del celabro misto con esso, & mandato costa da li hipochondrij, doue per alcuna estruttion si abbruggia il sangue, puol ancho venire col nutrimento delle membrane, & delli humori de gl'occhi, massime del albugineo per li vasi nati dalle arterie, & da le vene, nelle quali abondi detta sorte di humore. Et essendo il luoco freddo questo escremento non puol resoluersi essendo ancho detto escremento melancholico, perche è negro, necessariamente è secco, & per la siccità è difficil da risoluere, & ancho difficil da continuarsi in catarratta, se non le se aggiunge altro escremento pituitoso. E se bene vien detto, che'l veder tal figure innanzi gli occhi prenuncia la catarratta, ciò vien detto, come quell'altro,che dice la renella esser indicio di pietra, perche certo mancho sono,che vrinano la Renella hauendo la pietra,che non hauendola, poscia che la renella venga da materia, che non si puol continuare senza altra mistura. Quanto al mal, che ne possi seguire prima dico, che non ne guariscono quasi niuno, ogni volta che passa sei mesi, che non si risoluano. E poi che molti sono vissuti li trenta anni con questo il successo della catarrata per la cagion detta. Quanto alla cura poi sarà perciò più necessaria per preseruarsi da peggio, & vna cautella grande da vini potenti, da speciarie, da fuoco, da le cose, che riempano il capo, da latte, & cosa fatta di esso, & da ogni cibo grosso, massime di succo melancholico,come in specie li cauli, & le lumache, ne meno da tutte le cose escrementitie,e pituitose.

De medicine dico,che bisognarebbe pigliar spesso la sena,le pilule sine quibus, le Arabice, & de fumoterra,per tener leuata dalli hipochondrij la melancholia; come sarà consigliata da prudente medico, che basta hauer accennato il fine, massime non hauendo io tempo di dittare più à longe. Le baccio la mano, & le prego ogni contento. Di Verona alli 18. Giugno del 1590.

Reuerendo Padre & Patron osseruandissimo.

CONSVLTATIO DLXV.

V.P. Reuerenda per non lassar à dietro cosa alcuna spettāte à la sanità puotrà pigliar l'acqua de bagni propostale,ma fatta prima in cura diligente purgatione, sotto la quale se potrà promettersi, che'l capo sia molto ben euacuato, potra ancho fidar-

darsi de fanghi, massime se d eliberera di viuer dopò l'vso loro con grandissima custodia come li Medici le douran prescriuere. Sotto l'vso di medicine, & del viuere esquisito. Perche il male longo vorria longhissima cura, & poi che hà durato la decenna de anni vorrà più, che decenna di mesi per leuarsi, ò mitigarsi, non posso venir à maggior particolari per esser lontano del fatto. Le faccio riuerenza di Verona alli 19. Giugno del 99.

De principio suffusionis.

CONSVLTATIO DLXVI.

EOdem studio, quo semper meam operam vestro Sancto Monasterio præstiti, eademque caritate tuis literis respondebam, quę meæ erga te obseruantiæ debetur, & dicendum putabã, quòd oculi exiguum illud impedimentum, si aliqua nigra nota constat, non ita multum habet periculum catarrhactæ, quamquam difficillimum sublatu sit. Quoniam ab humore melancholico ortum est, & sustentatur.

Itaque, quod ad curationem attinet, probo salsæ parilię vsum bono tempore habitum, si parum ex ligno Guaiaco iuuetur. Paullum dico ne ipsam exustionem incitet, & præterea folijs fumiterræ, & borraginis, ita tamen ne sudoribus mouendis caput multum calfiat, cura maxima adhibita, quo corpus diligentissime prius expurgatum sit, & à sanguine exoneratum. interim frequenter vtatur infusione senæ ter saltem, aut quater in mense, prout Medicis commodum existimabitur. Oculo nihil admouerem, sed ab ingruente humore omni studio defenderem.

De Renum affectu, atque oculorum pro diuersis.

CONSVLTATIO DLXVII.

Excellentißime mi Obseruandissime Ambiorix.

AQuas Thermales materiam adhærescentem detrahere, & inde meatus etiã inuisibiles expurgare certus sum, ita sępe causa submouenda modo calorem, modo frigus inde natum remouere, sed cum siccum genus iam suspectum in Renibus sit, & id omnium aliorum generum pertinacissimũ, sublatuque difficillimum habeamus, quod nullo verius modo tolli, quam ipsa nutritione re in intemperie eiusmodi difficillima queat. Ego omnib. prius tentandis conarer calorem, & squallorem mitigare, quàm ad Thermalem aquam accederem, qua vel calore sublato squallor tamen ibi ad calculum gignendum valẽtissimus, aut retineretur, aut etiam facile augeretur. Præterea antiquam alteram suspicionem, quæ si non alijs sui indicijs metuenda sit, certe ijs ijsdem affectibus potest nobis cum metu cum excitari, illud namque morbi genus mirum est, quam suum fomitem, & focum diu seruet, sub quo tamen, cum inueterauerit, non amplius communicatur, vti cum recentior est, & floret, vbi non nullos morbos vidi ego acerbiores, pertinacioresque factos ijs, qui iã per plures annos indicijs proprijs eius morbi caruerant, in alijs post 12. annos demum, quibus totis nihil infestasset, sui indicia præbuisse maxima, cui vero morbo sua siccitate, & natura fossibili Thermæ sunt apprime aduersariæ.

Itaque, vt Thermales aquæ per aliquot menses sint profuturæ, vereor tamen ne in posterum noxæ perceptæ effectus Renes sint edituri. Quod soliditas eorum corporis pertinaciter admodum retinere, & facile accipere squallorem possit. De cibis incrassantibus loqui possunt Medici, cum vrinam acriorem retundere, & delinire quærunt, sed alia via tutiori id hic tentandum est, nempe delinitione per vsum tenuiorum succorum, vt est ptissana, vt sunt vitella ouorum mollia, quæ sine crassitudine succi deliniunt, cuius generis erit lactuca, violæ conditæ, melonum semina præsertim expresso ex iure eorum succo, ipsi melones, & cucurbitæ, & alia eiusmodi. Crassi succi calidis Renibus quid mali non minentur? quin etiam lapidis generationem, quo nomine lac tam ad deliniendam vrinam accõmodatum fugiendum tamen penitus scimus.

De vino ad modum loræ facto, nisi scapi vuarum ante nimis expressi sint erit satis cõmodum, & post purgationem etiam album, potiusque in prima, quã in secunda mensa, non ventriculi ratione, sed Renum, in prima enim ventriculi causa merum potius dandum. At Renum nunc causa agitatur, quod pariter sentirem etiam in Serenissimo Domino nostro Colendissimo in quo quidem faciei ille feruor in fine mensæ tentans potius ex postremis potionibus est, neque enim per œsophagum, & ventriculi os, sed per arterias, quæ primum vini spiritum exhaurientes illum in calidiorem conuertunt, & in caput efferunt, in quo pariter inquam aquæ Thermales à me non tentarentur. Maximæ enim efficaciæ sunt, & nihil mediocre agentes, ita ni admodum aptentur, incommoda nõ mediocria possunt afferre. Et profecto vno calore Renum recenti excepto, nihil certi vidi ab his frigidioribus auxilij.

Verum in metu calculi quid ageres? In sero caprino admixtis lupullorum, & acetosæ, & fumiterrę succis dando ego Anonidis radicis corticem incoquerem, & succum etiam f. melonum iniungerem, pluribusque diebus darem, corpore prius à crassis humoribus vacuo reddito. Multis profuit summopere succus limonum, quem ego diligenter expurgatum cum maluatici vini paulo sumptum nec ventriculo infestum & Renibus purgandis valentissimum expertus sum. Quòd si ventriculus noxam accipiat succus ille, per elambicum exprimatur in aquam, & tunc res tutissima est.

De amico vestro quod ad suffusionis initium pertinet, videor iam videre etiam pituitæ specimẽ, itaque cauterium etiam sub occipitio aliquandiu esset habendum, & salsa parilia post exquisitam purgationem cum euphragia, & betonica, & fœniculo capienda, cum victus ratione tenuissima, & sudoris motione, ita tamen, ne caput nimis contectum calefiat, hæc in medijs Scriptitandorum consiliorum occupationibus, nam quo senior, & minus valens sum, eo mihi magis in laboribus esse necesse est, eo quidem grauioribus, quo pro potentioribus, & delicatioribus id faciendum. In memoria Serenissimi Domini, & illi cariorum me serua & crede meas rationes cum vestris velle me esse penitus coniunctas. Vale. Pragæ.

De

De Renum affectu pro Comite Mamiamo, & de affectu dentium pro D. Illustri Ambiorigi Samperolio Ducis Urbini.

CONSULTATIO DLXVII.

Excellentissimo Physico Christophorus Guarinonius Veron.

Excellentissime vir tuę literæ mihi redditæ sunt, dum in venationibus tenerer, quibus, cum primum Pragam reuerti respondebam. De amici nostri summa obseruatione digni suffusione, si illa speciem albam, & continuã præfert, metuendũ ne compleat pupillam, & omnibus modis ei est occurrẽdum, si nigri coloris corpuscula habeat, leniter potius tractãda, quoniam solent eiusmodi suffusiones maiori metu, quàm damno hominem vexare, veniuntque ab exusto humore, qui crebro, & leniter per fenam ellicitus solet facile ab oculis tandem auerti, rebus interea alijs omnibus obseruatis, quæ ad studia maxime, & ad omnem viuendi rationem pertinent. De nostro Illustri Comite Mamiano, vt breui me expediam tecum loquuturus, hoc est, cum viro intelligẽtissimo, Dico in summa idem meum iudicium esse, & noxam esse acriori Renum calori tribuendam nimis attrahenti, ac, cum lotium sit satis à sanguine separatum, completumque Renũ opus ostendat omissis aliorum opinionibus, & exẽplo vẽtriculi βυλίμῳ laborantis ego non possum aliud vitij genus quam ipsius facultatis attractricis in Renibus suspicari. Expultricis enim facultatis munus est, totum, quod nutritioni superest, expellere, vt hic fit. Retentricis vero est tanto spatio lotium detinere, quanto à sanguine secernatur, cum non coctionis Renum id recrementum sit, sed venarum. Renum vero tantum opus est, vt ab eo sanguis purgetur, ipsumque recrementum secretum excernatur, si quid ergo crudius habet, id venarum operi potius dandum imperfecto siue ob crudiorem chylum à debili ventriculo suggestum, siue, is coctionis defectus ob breuitatem spatij euenerit, quod serum ab acriori calore Renum venis subripiatur ante sui perfectam absolutionem, quo breui spatio etiam bilis comprehensionem non sortiatur. Acris modo Renum calor fit ob eorum carnem satis duram, & siccam. Nam nouimus quantopere siccum genus caloris vim exacuat, & quàm facile in duro corpore squallor moueatur. Renibus vero maxime biliosos humores, & exustionis omnis corporis cineres, excipientibus, ex quo senes ætate frigidiori sua noxas eiusmodi acritudinis sentiant Renibus tantummodo longa dictorum recrementorũ consuetudine exsiccatis, imo, quod sæpe vidi, etiam consumptis.

Cuius ætatis recrementa eo tantum exusta esse queant, quod diutius in vijs tarditate excretionum morentur, vnde in senibus salsa quoque fiat ipsa pituita Renibus, & vesicæ admodum infesta.

A Renum ergo calore non solum sua, sed squalloris causa valentiori facto malum hoc euenire potest, sub quo Renum vitio mihi sæpe obseruatum est, quod per cibi coctiones sæpe calor, & horror dorso toto excitatur, & ad humeros vsque pertingit, & quamquam Renes siue exiguo suo sensu, siue quod res habitum contraxerit, calorem, aut dolorem non sentiant, partes tamen eis circumsistentes

A à fumis, & halitibus Renum identidem calores, & horrores recipiunt. Renum calorem etiam si non interuenerint illi horrores, febricula sequi solet, nam vt acris, & igneus eorum calor tamquam febricula corpori suo defixa est, cum diu ibi manserit, etiam potest cum corde communicari, & toti corpori, quãquam admodum obscure, & latenter depascatur, & noxam vt plurimum perniciosam afferat, citius id faciat iecur, longe citius pulmones, sed tamen Renes quoque spatio aliquo maiori idem possunt. Huiusmodi intemperies non potest à principio subsistere in ipso visceris corpore solo, nisi materia insistente, in eo contineatur, postea tamen inducta, infixaque altius ibi etiam sine materia potest manere, Raro quidem etiam infixa, stabilisque non
B materiam sibi similem secum habet, à qua validioris quoque noxæ fit.

Hoc mali genus cum ijs, quibus tamquam accidens continetur causis, & naturam suam est, nactum, mihi videtur expositum, quam postea necessario illa reliqua consequantur, in quibus sunt calores identidem dictis locis reuertentes. Est sitis, est aluus non ita mollis.

Inde etiam exoritur metus ne Diabetis genus iam inchoatum perficiatur, ne corpus consumat febricula, certe corpus cordis compræhensura, ni subueniatur. At, quæ nam fieri à nobis debere noxa ipsa ostendat, T. E. videt, id vero maxime nobis indicare sua natura videtur, vti ne cupide refrige-
C rantes Renum corpus etiam ventriculum refrigeremus materiam cruditati seri suggerendo, ne Renum corpus nimis exsiccemus, ne ad Thermales aquas, aut aliud genus valentius exsiccantium confugiamus, ne diureticis nimium fidamus, nisi quo ductum medicamentorum vtilium præstent. Materia namque quæ in toto corpore est, cum à Renibus auersa fuerit in ventrem, ea postea, quæ in Renibus eorum vitium continet, per vrinam necessario erit deducenda, & ventriculus confirmandus, ne cruditates ad serum nimium creandum suggerat. Dum autem corpus totum purgatur, scammonium tamquam pestem Renum vitandum, valentiora quoque non facile, aut crebro exhibenda, & leuioribus repetitis potius agendum, illis ma-
D xime, quæ acritudinem caloris Renum retundant, nitendum autem, vt coctioni iecoris, & venarum consulamus.

Ita postquam Clysteribus materia prior fuerit deducta, per Medullam Cassiæ res esset peragenda per Diacatholicon, aut lenitiuum, aut Diasebesten, & Diaprunum non solutiua, paulatim etiam per interualla Agaricum cum Rhabarbaro ijs adiecto Syrupo violaceo, aut Rosaceo solutiuo, cum non fuerit violaceum, vt fere vidi, quem tamen longe rosaceo præstabiliorem sua lenitate morbi natura ostendit. Manna non recusarem, modo dilueretur iure ad humidum genus comparato, quo reliqua quoque purgantia liquefacienda sunt ex violis, prunis, Nymphea, liquiritia, passulis, sebesten, ordeo, &
E similibus.

Quibus etiam, & multo maxime vtẽdum est post corporis purgationem, prefertim in sero caprino, aut vaccino incoctis, adiectis lupullis halicacabo, atque vel capitibus papaueris, nisi quid impediat, quod serum sic paratum diutius erit dandum immixto Syrupo rosaceo, & de Nymphea, vel vsque ad 20. dies, tanta copia quanta maxime poterit, quibus, si aliquid Guaiaci ob vitij antiquioris vestigiũ adderetur, forsan remedium certius euaderet. nam siccitatis vitium vna cum veteri illa prauitate venarum tolleretur. Quæ res hoc tempore quidem facienda est, ne malum eo vitij deducatur, cuius in metu sumus. Vere autem primò repetenda, nisi vale-

tudo firmior facta fuerit. Exterius quoque tum le- A nes frictiones, tum balnea, tum inunctiones similis generis adhibendæ, & oleum violaceum, maxime, ac nenupharinum. Frigus in primis vitandum, & vẽti aspiratio, ne ambitu corporis compresso impetus maior in Renes fiat, acres omnes cibi, & salsi fugiẽdi, tum motus, aut status nimius in pedes, & labor omnis dorsi, concubitus ille tantum habendus, qui sine labore fit, & quo demisso corpus hebetatur, nimisve completur. Ptissana assidue in cibis habenda, vt lactuca omnibus modis, & potio vini Oligophori. Quidam fructus quoque vtiliter poterunt in cibis sumi, vt mala punica, aurantia, peponum semina, iuiubæ, mespila illa rubra mala imperialia dicta, & mala etiam omnia condita maxime, & bene percocta. Pruna pariter, & sebesten, cucurbita quo- B que, & suo tempore potissimum pepones. Sed propositæ rei ratione non est, vt in singulis morer. De dentibus excogitemus. humor ab illis auertendus, absumendusque, sed hoc non sat est, nam ligamenta eorum non solum ab humore liberanda sunt, sed nutrienda, tabescunt namque malo humore, tum eorum nutritioni inepto, tum bonum humorem, & alimentum consumente.

Ita humore malo, & inimico tollendo, vel ipsum, oxymel squiliticum, iridis radix, & pyrethri, lentiscus, mastix, saluia, capparis, rosmarinum, cupressi nuces, & huiusmodi alia ex aqua vita, vel ex aceto stillatitio adhibita facient.

At bono humori adducendo, & ligamentorum C squallori reficiendo vti deberemus sæpissime fomẽtis calidis ex vino potenti calido, & lenioribus frictionibus maxillarum, ita ne dentes concutiantur, tam diu vero illa ore continenda, quamdiu attrahi, non etiam obsumi succus queat. Sed omnia corpore, & capite prius purgato. Credo iam T. E. videre me potiora tuæ prudentiæ deligenda, & ordinanda permisisse, quam semper maximam iudicaui.

Quare, quod reliquum est, me in tua, & nostrorum amicorum memoria conseruato, & tuæ valetudinis curam habeto. Vale. Pragæ 12. Calendas Decembris 1590.

Consilium de valetudine Serenissimi Guglielmi Bauariæ Ducis. D

CONSVLTATIO DLXIX.

Serenissime Dux, cum ego tuo nomini semper addictus fuerim, vt virtutis maximo, & solidæ pietatis clarissimo, quod vbique celebrari audiui, nihil mihi potuit hoc tempore optatius accidere, quàm posse me aliquid officij præstare, quo tuæ valetudini consuleretur. Itaque vt summa mea voluntas erga Tuã Serenitatem est, sic maxima celeritate rem pro viribus perficere conatus sum. De E qua re sic ego in summa statuerem. Dolorem quidem capitis ob molestiam primum locum habere, hypochondria tamen, hoc est, quæ sub præcordijs consident, quòd in ijs mali causa contineatur, quodque maiora etiam vitæ incommoda essent paritura, potius spectanda esse. Hypochondriacus inquam morbus est, etiam si melancholia hypochondriaca dici proprie posse hucusque non videatur, quod hic à me pluribus explicari non debet, quoniam T. Serenitati cum Medicis intelligentissimis res est, minus etiam facile à me potest, quoniam aliorum Medicorum scripta de hac re mihi missa non sunt, nec sententiæ aliquo pacto communicatæ, ex quibus & iudicandi certius, & disputandi subtilius potestas fuisset.

Hoc quidem constare credo, quòd in corporibus (cuiusmodi istud mihi descriptum est) crassus sanguis, & omnino crassa materia à frigore ventriculi, & à calore venarum, ac iecoris notis satis his rebus certam habet sui originem. Certa quoque hic sua indicia res præbet ipsa doloris varietate. Crassa siquidem materia in humano corpore semper dissimiles partes habet, diuersumque ex se edit anhelitum, non tantum sua, sed efficientis caloris causa, vt huius vires fuerint valentiores, & viribus agendi spatium longius accesserit, quo calore, si eadem pars materiæ soluta modo fuerit, vapores efferat, veluti, si aquosa tantum illius pars agitetur, vnde somni, & hebetiores dolores, & stupidi dicti moueantur; magis vero ea calfacta dolores non ita obscuros, longius etiam affecta, & exsiccata, non iam vapores, sed fumos efferens, & illos quidem varios, nam ex pingui parte biliosos, ex alijs vero melancholicos dolores iam acres, aut erodentes pro modo suæ exustionis, & pro ratione fumorum, ac sui corporis excitat, varietate à capitis quoque partibus varijs maximam sui occasionem habente, vt quas dum tentat, ipsis non solum erosionis, & acris generis, sed tensionis, sed claui infixi, & cinguli adstricti sensum faciat; quòd ipsi halitus modo vni parti densiori impingantur, modo membranæ amplexum, circuitumque ambiunt.

Sed ad causam seu priorem morbum, & illius primam originem me refero. Venarũ, & iecoris acrior calor, qualis esse in hoc corpore dicitur, fere siccitate earum partium talis fit, & acri suo genere in causa est, cur iecur, & venæ, priusquam succi in vẽtriculo percocti iusto spatio sint, eos absorbeant, & primum quidem recentes prima caloris actione fundant, deinde spatio adiuncto, si sanguini creando illi apti non sint, aquosas quidem eorum partes in vapores attollant, crassas autem, & terrestres diutius agendo siccitate maiori afficiant, & crassiores reddant, ita vt sub exustione acris caloris melancholicæ euadant. Ab illis melancholicis eodem calore fumi illorum generis exprimuntur, quibus ventriculus perfusus tandem refrigescat, & illius os maxime, & sæpe torqueatur. Fumi namque, vbi ad partem præsertim frigidiorem appulerint, in eaque consederint, calorem, cuius viribus sublati sunt, amittunt, sic in naturam suæ materiæ reuersi non solum refrigerant, sed inimico suo genere os maxime ventriculi, quod acri sensu & neruorum sit infestãt, ibi vero homo tacita quadam ærumnosa, & misera molestia, quam nesciat explicare, cruciatur, mœstus, & sollicitus, ac sine quiete suæ sollicitudinis, & mæroris nullam causam expressam percipiens, minus vlla opinione, vllave falsa imagine percitus, nimirum si cerebrum illis fumis non perfundatur.

Qui vero fumi si in caput efferantur, & per cerebri corpus meent, tunc quidem falsis etiam imaginibus, & opinionibus hominem melancholicum reddunt, si ventriculos tantum illius tentent, vertiginem pariunt in ventriculis circomuoluti, si membranas feriant, dolores omnino faciunt, si per arterias Carotidas ferantur, somnos prohibent, nisi multis dulcis pituitæ vaporibus fuerint inuoluti, cum pituita enim tamquam naturę præcipue cerebri magis amica illi facile attrahuntur, qua obliniti impedire adeo somnum non possunt.

Ventriculo itaque multum pituitæ suggerente, quæ à calore liquata vapores sui generis effundit, somnus tunc capi iustus potest, & frigidus ipse ventriculus cibi etiam cupiditatem retinet, non ita concoquendi vim, imo non esset mirum, si

appetitio

appetitio cibi maior fieret, cum os ventriculi fumis illis refrigeratis, & fuapte vi squallidis comprimatur interea acida ẽt pituita lacessitus. Ex eiusmodi succis crassis, & terrestribus, quidquid per venam magnã defertur, a calore aridiori venarũ, siccius ipsum non elixatur, sed torresit, perfusum tñ calore tamquã recrementum cũ seroso sanguine ad renes attrahitur, & sic postq̃ corpus membranarum traiecit, in arenã vertitur, atq; ẽt calculos. Serosus sanguis tenuis quidem videtur, qm̃ sero dilutus, & liquatus est, & liquidus calore sustinetur, cum tñ à sero secernitur, solidioris corporis oĩ alio sanguine euadit, qm̃ solidius ẽt, & siccius, duriusq; corpus renum ei alendum est. In sero lactis idẽ cernitur, ex quo reliquiæ lactis secum delatæ collectæ crassioris casei materiæ sunt. non est itaque mirum, si è crasso alimẽto, & solido, ac terrestri supersint etiã recrementa arenosa in ijs corporibus, in quibus dictum materiæ genus abundat, & multũ exusti cineris fieri necesse est, cuius materiæ transitus per Renes eo facilior est, qm̃ ea materia quamquam terrena sit, à calore tñ venarũ, & viscerum cum sero fusa seruatur, vt illa, quã non videmus in vrina nisi post eius refrigerationẽ, & quæ in aquis currentibus limpidis delabitur, & calculos, ac tophos in canalibus creat. Cum vero corpus Renum q̃q̃ densum ea materia à calore liquida sustentata permeauit, ab eo tamq̃ aliena cũ sero excreta intra sinum eorum residet, ibiq; loco ob membranam minus calenti tenuitatem vna cum calore eius tenuitatis causa penitus amittit, & considẽdo in arenã, aut tophos concrescit, vbi si casu corpore Renũ excedẽs gluten aliquod continuerit, & non frigidiores Renes, sed longe calidiores inuenerit, non arena sed lapis fit, vt lateres in fornace indurantur, quod sępe in calidiori vesica euenit. Et hactenus de arena in vrinis visa. Casuum reliquorũ aliqui ita habẽt, vt vnus ex alio nectatur, quemadmodum flatus alij ex cruditate, cruditas ex ventriculi frigore, alij ex fumis iam dictis os ventriculi petentibus. Verum nescio, an qñque inciderit quidam cordis dictus morsus, ꝙ ore vẽtriculi cruciato credant vulgo oẽs cor ei maximè coniunctum torqueri, vnde ẽt à doctis, & intelligẽtibus vocabulo accepto καρδιαλγία ille dolor sit dictus, & καρδία vẽtriculi os. Ille quidem casus ab ijsdem fumis, & halitibus, tum ex sanie quadam tenui exustorum succorũ fuerit, nã halitus quoq;, si acrioris generis sint, ꝙ squallidæ, & frigidæ, acris tñ ob exustionem naturæ sint, sensum oris ventriculi acerrimũ cruciatu maximo angunt, & cor ei connexum vrgendo hoĩem in animi deliquium compellunt, ad quod tot alij mali casus consequi cõsueuere. Vigiliæ ẽt sæpe sequi solent, nõ solum causis supradictis, sed ea, quæ ex cruditate est, & acida corruptione continetur, nam os ventriculi quasi demorsum illa corruptione, & eius sicco halitu cum arterijs cõicato vigilias parit. Cruditate vẽtriculi ẽt non corrupta fit illa vẽtriculi θλίψις, hoc est cõpressio tantæ anxietudinis, & angustiæ, ac si fungi pessimi generis fuissent deuorati. Qđ aluus ante mollis fuerit, id cruditatib. magis abundãtibus dandum est, ꝙ nunc adstrictior sit, id iecoris, & venarum calori, qui à cruditate non ita multa non anteuertatur, quin prius succũ valentius exsugat, ꝙ cruditas diutius in ventriculo, & intestinis contineatur. Qđ è naribus aquosa materia defluat, id nõ cerebri frigiditati, sed largiori succo crudo illuc ꝑ calorẽ nimis attracto tribui dẽt, qui, cum non possit in alimentũ illius conuerti, delabatur, vt hoc non tã cerebri, q̃ ventriculi causa fiat. Eisdẽ causis ꝓpositis minime mirũ est, si à largiori cibo peius, à vomitu melius valetudo habuerit. Prauitas saporis, q̃ in ore identidẽ incertis horis sentitur, cũ cibũ, aut eius vacuitatẽ non sequatur, ab ipso ventriculo esse non videtur, cũ sputũ interea insipidũ sentiatur, neq; à vẽtriculo, neq; à pulmonib. neq; à capite. Ita fumis ijsdẽ iam positis permittẽda est, qui, qm̃ varij sunt, in eorũ varietate est interdum, qđ eiusmodi saporẽ faciat, qui hęrentes mẽbranis nequaq̃ cũ materia aut à capite, aut à pulmonib. aut è vẽtriculi cauitate veniente confundũtur. ita vero eius saporis discussio, huiusmodi materiã tm̃ fumosam, seu halituosam cõsequitur. Ascendant modo ij halitus ꝑ mẽbranã ventriculi interiorẽ, sic minus cum alijs vaporib. à vẽtriculi cauo elatis insipidis cõmisceantur, & maxime linguę, faucibus, palato, & mẽbranis ẽt cerebri cõicabuntur, cũ quibus partib. oĩb. ea ventriculi mẽbrana cõis, continuataq; est. Aestate iste sapor cessarat, cuius rei multę alię causæ esse pñt, & maximè internæ, externa tñ, & euidens ea est, ꝙ tunc meatibus laxiorib. oĩs corporis factis, calore ẽt valentiore agẽte fumi in diuersum trahi, & discuti potuere. Insipidi sputi, aut acidi, aut salsi fiunt, vt pituita aut naturam suã retinet, aut corrupta frigore, vel calore fuerit, acida quidem à frigore, salsa vero à calore facta, terrestres namq; partes, quas hẽt, cũ crassa est, à calore assatę, exustæq; salsum saporẽ induunt. Sitis nõ est ob frigus, & pituitam, q̃ sua copia alia humorũ genera oblinit, atq; inuoluit, neq; ad os vẽtriculi eos ascẽdere permittit. Hypochondriacę signa ad esse dñr, iã causæ narratæ sunt. Oculi sæpe rubẽt, & ꝑsertim dexter. iam calor venarũ, & iecoris prospectus, non põt non sanguinẽ ex cruditate serosum, & calidiorem gignere, & bilẽ ẽt aquosam, quib. oculi rubere solent, & maxime dexter, quia is è regione iecoris est. Aquę Tettucij profuere, ꝙ illę maxime sua salsedine vẽtriculũ, & meatus vicinos purgent, & à crassis, lentisq; humorib. expediant. Sudorifica remedia cũ cibo nõ exiguo sumpta dolorẽ ad sinistras costas excitarunt, qm̃ materia, q̃ sudoribus e medio corpore ad cutim impellitur, si multa sit, & crassa, nõ põt confestim in sudorẽ excerni, sed prius fundi dẽt, & liquari, & ita amplificata sæpe in partes incidit, in quib. calore amisso in priorẽ suam naturã, & crassitudinẽ relapsa hæret, & dolorem parit, in meatus namq; angustiores liquata potuit ingredi, in quib. casu frigidiorib. cõcreta molestior fit, & eo infestior, quo ibi sæpe flatu intumescit, qđ facile locis lieni cõiunctis accidit, quibus colluuies, & cloaca crassorũ, & melancholicorũ humorũ vicina est, ad costas ergo spurias sinistri lateris & intrudi facile, & inde tamq̃ è loco frigidiori excuti non potuisse contigit, vsq;.n. ad legitimas dictas costas cauum hypochondriorũ pertinet. Qđ tandẽ vir magni ingenij, & rerum magnarũ pręsertim sui regni moderandi, tũ aũt maximæ pietatis studijs dedit⁹ huiusmodi valetudine sit, minime mirũ videatur, si rei naturam vna cũ Arist. intueamur, qui nullũ heroa, nullum magni ingenij virũ, nullum administrationi ciuitatũ deditum ab hac valetudine disiunxit, vt rei causam longiori disputatione prosequi conetur. Ex his ego videor oẽs morbi partes, causas, & casus quoq; amplexus esse, nam externæ à studijs, sollicitudinib. & à reliquo vitæ genere euidẽtissimæ sunt. Ex internis prima ventriculi frigidioris fuit, q̃ cum ab origine esse, tum à corporis tenuitate, augeri potuit, ꝙ malè carne obsitus ventriculus, malè fouere suum calorẽ potuit. Altera iecoris, & venarum acrior calor censendus est, qui viribus vẽtriculi consumendis maxime creditur idoneus, saltem nimis cito à ventriculo succos ex sugendo, & minus illis foueri, & satiari permittendo, sed hæc causa forsan non ita in vniuersis erit, vt, quæ supra dicta est, ipsum enim iecur in causa esse perfacile est, cur pinguedo paucior ventriculũ foueat. Certe iecoris calor eiusmodi crudiores succos coctioni citò nimis subtrahendo, quemadmodum dictum est, altera huius malæ valetudinis causa est, quod caloris genus & à prima origine nasci, & incidentibus rebus augeri

potuerit, quales essent excandescentiæ, Nemeses, seu indignationes, iracundiæ, vigiliæ, sumendi cibi dilationes, abstinentiæ, labores, genera ciborum, & potionum calidiorum. Restat iam, vt natura, & causis morbi positis de loco, vbi potissimum malū est, aliqua adijciam, id enim ad mali naturam maxime faciet exprimendā. Multum siquidem interfit, an humor infestus vias tantum meatuum, & canalium occupet, an vero etiam altius corporibus viscerū membranarum, & venarum imbutis inhæreat, & molem eorum tumentē reddat, & duram, cuius rei porro suspicionem diuturnitas mali facit, neque præcordiorū mollities nobis metū illius tollit, nā multæ viscerum partes sunt, q̄ costis, & spina cōteguntur. Diuturna intemperies non nisi à materia valde impacta, & altius corpori defixa solet existere, alioquin materia, quæ in cauis tantum versatur, facile medicamenta sequi potest, & à malo sustinendo retrahi. Qua parte modo hypochondriorum dextra ne, an sinistra subsit, indicia nulla mihi descripta ab vllo sunt, natura quidem morbi potius sinistram indicat, & profecto id libentius credā, quamuis enim dexter oculus coloratior sæpius quàm sinister fiat, & vel capitis dolor eādem partē magis tentaret, ea facere iecoris calor posset, qui dictos halitus, & humores quodammodo absorbens & eorum confluuium in se conuertens, eos suo calore quoque in sublimè a parte sua efferat magis, & in capitis dextrum submittat. Sinistrum quidem hypochondrium eius generi humorum magis destinatum, magisq; obnoxiū est, quoniam à iecore omnem crassitudinem sibi demissam excipit, & debilius ibi viscus nempè lien, & laxius, & ad recipiē dum opportunius asistit, locus ergo is potissimum affectus sit ea materia, quam imbibitam habet, remotiores tamen partes quoque halitibus afficiat, primo quidem vētriculum, deinde cor, & caput. in quo capite si firmior affectus insedisset, iam nōn videremus dolorem sedes tam cito, commutare, infirmū quidē sit caput, non tamen firma læsione affectum. Humores tandem sint omnes generis crassorū, sed non sine aliqua parte, bilis flauæ, quæ caloris iecoris necessaria filia est, ita tamen ne suo calore intemperiem à crassis humoribus illatam separare possit, effectus quidem caloris efferet, cū ad partes effunditur, quod faciūt etiam frigidi humores, dum obstructi concalescunt, sed bile sublata vnà cum hac omne caloris vestigiū tolleretur, nisi iecur, & venæ calidiore natura essent. Verū nō solum halitus ab hac parte in alias dimittuntur, verum etiam humores quoque inde redundantes in omne corpus permeant, hæc sunt, quæ de morbi genere, & causis videnda erant. Verū præter hæc, quæ instant, est ne quidquam aliud metuendum ab ijs emanaturum? si per adhibita remedia valetudo meliuscula facta est, mihi de metu non alia ratione mentio facienda est, quàm quo Serenitas tua in officio suæ valetudini debito contineatur. Et sane, nisi curā habeat in peius delabi corpus posset. Ei itaque certum sit, omnino cautè viuere in posterum, & medicorum consilia non spernere, quod cum hominibus à summo Deo præceptum est, tum Principibus maximè, quibus potius id seruandū sit, qui Deo maiori vsu sunt ad aliorum moderationē, & ita cariores. Ratio modo curandi à rebus singulis, quibus morbus cōtinetur est capiēda, quoniam illę, quod sibi quamquam agendū sit, ostendunt, Halitus ostendunt se esse à capite, & ab alijs partibus auertēdos, caput, & alię partes sese esse cōtra illos muniendas, obfirmādasque, quo illis queant resistere. Materia ostendit sese esse submouendā. Calor fumorū, & melancholiæ confector, qui proprie iecoris, & venarum est, refrigerari oportere corpus valde indicat. Frigus, quod pituitā, & omnem humorum crassitudinem parit, aut proficit, quod ventriculi est, & earū

A partiū, quæ à crassis humoribus occupatę sunt, ipsum quoque partes illas cōcalefaciendas se esse efflagitare ostendit. Vbi scire licet, quod in his, quæ à ventriculo, & iecore proxime nascuntur, nulla vis tāta esse pōt, quanta, quę in ipso viuendi modo posita est, qua non adhibita reliquis auxilijs semper frustra, sæpissime vero etiam cum summo detrimēto vtimur, certe ni vitæ, & victus ratio prius diligenter instituatur, corpus medicis auxilijs tentandum non est, alioquin sub illis omnino peius habebit. Primum itaque à T. Ser. velim exoratū, quod modis omnibus efflagito, vt in primis certas negotiorum, & studiorum horas statuat ab illis omnino remotas, quibus ventriculo, vel iecori spiritus sunt ad eorum functiones permittendi, ne hi sollicitudinibus, & attētionibus ipsis visceribus sub labore illorū subtrahantur, B quod de oībus alijs animi motionibus dictum velim, eo enim tpe potius iucundæ cōsuetudines, & sermones adhiberi debent, hęc in primis seruanda sunt, deinde quę ad cæli temperiem, & aera captandum, pertinēt, vbi frigus summa cura vitandum, vt calor quoque, ita tñ velati corpus, & caput debet, ne subitis mutationibus vestium cōmoueantur, paulatim namque mutatio facienda, cum nouis iniurijs aeris est resistēdum, quod corpori quidem maxime debetur, cū ad vestimenta leuiora transitus faciendus est. Capiti vero ēt, cū ad grauiora, vento maximè per angusta aspiranti, vt per fenestras, & ianuas numq̄ se obijciendum, numq̄ aperto soli se committendum, ni caput satis defendatur. De cibo non possum quidem dicere, q̄d C Medicis probatissimis quales sunt ij, quibus tuæ valetudinis cura cōmissa est, nouum, aut inauditū esse queat. Possum quidem in mentē eis reuocare, q̄d ciborum gñra, quæ & facilis cōcoctionis, & boni succi deligenda sunt, illa semper melius suā vim retinent, donec superantem aliquē saporem non acquisierint, & infra dulce genus suum saporē continuerint, vt saporē, qui ptisanæ est, non excedant, nā, quæ aut salsa, aut nitrosa, aut acida, aut acria extiterint, illis saporibus ad alios vsus potius, quā ad alendū opportuna ipsa mali succi sunt, saporum materiæ in eos vsus spectāt, exquirendæque sunt, vt acide ad bilē frangendā, mitigandāque, tum ad pituitam, & oēs crassos, & glutinosos succos incidēdos, abscindēdosque, D salsa, nitrosaque ad eos abradendos, & detergendos, vt austera ad ventriculum firmādum, & caput à vaporibus defendendum deligantur. Quorum propterea vsus ad eam rationem moderandus est, quo non sua copia succum corpori præbeant, sed vi sua, quod quæritur, efficiant, sic certo tantum mensæ tpe capienda, vt amara, nitrosa, salsa, atque acida primis mensis, quo ventriculi os ab oī humorum gñe expediant, & quæ etiam in imo vētriculo sunt, ad exitum parent. Austera autem postremis mensis degustētur, quo os ventriculi constringant, & ad meliorē cibi amplexū firment, & vapores coerceāt. Homines aulici, quo magis, quā Medici scire se ostentēt, cōtra eos defendūt vsum bibendi post pyrorum comestionem, eo quod pyra in vino, & aqua supernatent, maE gis enim meatibus referta sunt, quàm mala, vt sit verisimile pyra idem in vētriculo facere, & ab ore eius non deprimi potione, supra quam ascendūt. Sed nescij sunt, quod pyra in ventriculo commansa, cū cibisque commixta, & ac dissipata non possunt ex ea miscella se attollere, neque ex miscella se expedire, vt cum postremo comeduntur. Attentè ergo spectare Medici debēt, vt cum boni succi cibi, & firmioris ac multi alimenti fere crassioris generis sint, cū illis ea genera misceantur, quæ eos extenuent, quo intra vsum tenuiorū maneatur, vbi tñ tutior tenuioris generis ciborū, modo boni succi sint, vsus retinendus est, quo is volucrium potius, & carū quidem leuiorū, quàm quadrupedum, & eorum grauiorū generis sit.

Quæ

Quę scribere hic speciatim, nisi Serenitas T. aliter imperet, non credo esse necesse, quando quid nam quodq; genus alimẽti vitium habeat Medicos latere non debet. Vt nec de potione quoq; quidquã audeam dicere, quæ sane sic æstimari debet, vt facilius de ventriculo decedit & vrinam magis ciet, ea præferatur, qđ genus tenuioris, & maturi vini erit. Venio ad exercitationem, & quietem, sicuti exercitatio artubus alendis, roboreq; firmandis, sicuti visceribus ab omni recrementorũ genere liberandis, calori demum totius corporis partium augendo, purgandoq; est, sic quies ipsi viscerum concoctioni penitus necessaria est, vtrumq; itaque suis temporibus partitè capiendum. Atq; vbi exercitationis potestas non est, in eius locum frictiones totius corporis sufficiantur. De somno mihi ea obseruatio prætereũda non videtur, quòd si à cibo grauiori, insolentioriq; intra duas, aut tres horas somnus capiatur, cum eo, quòd caput replere opinio est, tardioris quoq; coctionis in causa est, & sæpe materiam in acidum genus cõuertit, forsan quòd, cum locus coctionis imus ventriculus sit, eum in locum penitus deprimi, cogique cibus non potest, antequam à primo illo feruore rudis adhuc fuerit relictus, flatibusq; expressis, qui initio cibum in modum bullentis feruentem habent, consederit. Ea itaq; demum hora cubandũ est, qua in imo sui fundo ventriculus cibũ collegerit, & amplexus arctè fuerit. Aluus vt quoq. die respõdeat, omnino procurandum, ne eius operis propria recrementa intus manentia à iecoris, & venarum calore exsugantur, prauumq; alimentum corpori præbeat, quotidie ergo aluus descendat, videndũ, quo & eius recrementa, & quę nouo ventriculi vitio succrescũt, & præterea, quæ à visceribus excedunt, educantur. Neq; vero ipsa alimenti vtilis recrementa, quæ in locis naturalium ad generationem quotidie congerũtur, intus manere nimium, & præter consuetudinẽ tutum est, ita tñ emittenda, vt tunc tantum, cũ oneri, & noxæ corpori sunt, exeant, alioquin.n. simpliciter suo genere non noceant, copia certè, & nouo tio per moram contracto tantum nocitura.

Hactenus breui ratio victus comprẹhensa est, insequens modo est, vt de ijs, quę manu, & medicamentis fiunt, verba faciam, & qm̃ ea conferte adhibentur, contextè quoque, & permixtim scribẽda sunt, & cum illis ẽt miscenda multa, quæ in viuendi modo numerantur. Fumis à capite auertẽdis ambulationes à cibo lenes, ante cibũ valentiores adhibendę sunt, sin minus ante cibũ quidem frictiones eadẽ moderatione, aut ẽt balnea, ni admodũ insolentia, seu inusitata sint, quę certe magnam partẽ curationis habitura videantur, quòd & recremẽta ab omni corpore purgent, & succos vnà cum corpore temperent, coctiones succorũ, & nutritionem iuuent, & in summa melancholicis halitib. & siccis apprimè apta sint, certo quidẽ modo danda cruribus saltẽ creberrimè, quibus si podagra, aut Gonagra timeatur, tũc quoties adhibebuntur, toties eorum vsui postremo vinum adijciendũ, aut aqua, in qua nuces cupressi, rosæ, & sal effetbuerit. Quo ẽt caput fumis ipsum petentibus resistat, nisi insueta lotura sit, in ea macerãda, quæ confirmare ipsum possunt, vt rosę, verbenaca, mirtus, & eius generis alia. sub ipsomet dolore, cum incipit, ea quæ fumos reprimant, ex aquis restringentium rerum, & aceto, sin tempus discutiẽdi est, oleum ex cãphora experimento mihi probatissimum est, quod ẽt prius cum aquis adstringentibus põt vtiliter ingeri, fumos.n. & materiam discutit, & exsiccando ẽt caput firmius reddit, si dolor in vna tm̃ parte capitis sit, tunc cõmode vel in principio, si maximè excruciet Thapsia alteri parti apponitur ex aceto, quemadmodũ Aetius magnus Medicus ꝓponit. Cucurbita sæpiꝰ repetita sine ferro, ceruici, & ad extremas manus, quib. partib. & Thapsia, & quæ vesicã mouent certissimo auxilio esse cõsueuere. Verũ ad causam, & morbũ priorem propius accedendũ, à quo rectius curatio incipiet, & validior erit. Itaque materia, quæ hæret in visceribus cum sua intemperie, & item illa, quæ toto corpore, & totis venis diffusa inde est, Vitium demum calidum venarũ, & iecoris, tum frigidum ventriculi submouẽda sunt, qui locus potissimum affectus, obstructusq; est materia crassa, cuius intemperies erit illi similis cũ siccior, tũ frigidior. Vti ventriculi frigida quidem, at pp recrementa humidiora ob cruditates minimè sicca, quin potius humidior. Materia in oĩbus venis eiusdem generis est, quæ, q̃q̃ non sentitur, vt incõmodo esse nõ videatur, à partibus tñ à se oneratis paulatim eijcitur, & ad morbum sustinẽdum, augendumq; compellitur, tamq̃ in parẽ minus resistentẽ, alioquin.n. nisi quotidie tum ab vniuerso corpore, tũ à quotidiana coctione, & publico munere materia maximè abundãte obstructio illa sustentaretur, iã spatio fuisset consumpta. Hic cõtraria efflagitari auxilia cernimus, hinc videmus quot, quantaq; pericula impendeant ex Medicorũ curatione, nisi ea prudenter, & iudicio summo dirigatur. Discrimen porro illud maximũ est, ne dum materiã eradicare conamur, qđ calidis, & siccis medicamentis moliri cogimur, primũ mali causam, quæ in iecoris, & venarũ corporib. calida, & sicca est, augeamus. Qua in re postq̃ ꝓxima morbi causa sine calidis, & siccis nõ põt absumi, ego ita operas partirer, vt ciborũ quidem genere ipsorũ viscerum squallori, caloriq; consulerẽ. Medicamẽtis vero deligendis vtrorumq; rõnem haberẽ. Medicamentorum aũt sic vsus institueretur, vt illa prius, q̃ incidendis, detergendis, exhauriendis, abstrahẽdisque humoribus sunt, darentur, deinde ea, quæ eorũ noxam siccitatis, & caloris emendarent, & tandem consumpto morbo, in eorum vsu manerem, quæ cũ calorem attemperarent, tum humidum restaurarẽt, qua quidẽ rõne sic diligenter obseruata, cõfido nos optatũ finem assequuturos. Aliud modo obseruari dẽt hoc loco maximè, vt fugiantur oĩa, quæ ventriculo, vnde vires restaurãtur, infesta sunt, & vt T. Serenitas fidenti aĩo ea, quę vtilia fore explicamus, accipiat, neq; vero multifaciat leuẽ, & breuẽ eam molestiã, qua longas, & graues molestias propulsamus, & à cruciatibus diuturnis, & à vitæ periculis corpus liberare contendimus, sic.n. vel miserum remediũ semper tollerabile miserius malũ fecit. Iucundè quidem curandum, sed tñ cito, ac cito quidem ita, vt ẽt tuto fiat. Eapp non modo insuauia caueri, si fieri id põt sine curationis tarditate, debent, sed longè magis illa, quæ potius tardã, & minime tutam reddunt curationẽ, vt hoc loco purgantia medicamenta oĩa, quæ valentius attrahunt. Nã, quamuis ea citius agere videantur, morbum tamen huiusmodi agerent, & longiorem efficerẽt. Dum enim à toto corpore multum crassorum humorum confertim ad aluum cõuertunt, vbi viæ expeditæ non sunt, & penitus obstructis vicinæ, tunc materia impetu, & confertim delata facilè in obstructas vias vicinas incurrat, & magis obstipet, tum minus expeditas eas, per quas fertur, compleat, ibique impacta partes infarciat, sic morbum peiorem, duriorem, & magis diuturnum reddat. Hæc in vniuersum de medicamentorũ vsu prędici oportebat, iam ad delectũ cuiusque medicamenti esset veniendũ, qui sane delectus exquisite à nullo vnq̃ fieri queat, nisi ante certior sit factus, quo pacto ab hoc, vel illo medicamẽti genere corpus alias affectũ fuerit, quo hoc fugiendũ, illud deligẽdũ esse intelligatur. Vnæ Terucij aquæ in literis istis, vt alias cõmodæ, nominantur, & certè in tenebris videor versari, itaq; nõ sine temeritate vltra progrederer in medicamentis approbãdis. Possũ ego ꝓferre, quòd

ꝙ venarũ intemperiei propositæ deliniendę,& eiusmodi humoribus abluendis,tum ventriculo à cogestis suis recrementis exonerando,& item primis, venis repurgandis idoneum esser admodum illud medicamentum, quod constaret ex flore cassiæ, & puluere Hieræ, possum in secunda purgationis tentatione laudare, vt vel loco pulueris Hieræ, vel cum ea etiam simul & flore cassiæ aliquid Electuarij indi exhibeatur, quam cōponerem noui in huiusmodi malis optimam, quoniam illud Ellectuarium facillime omnes venas circum ventriculum, & in hypochondrijs expurgat, & vires ventriculi retinet. Sed incertus sum, quo modo T. Serenitas ad bolos,ad eiusque modi medicamēta se habeat, subdit, quod mel rosaceum cũ manna,& exigua parte floris cassiæ dilutis omnibus, & eliquatis in iure suanium quidem rerum, & aromatum, at incocto etiam epithymo,Mirobalanis,& maceratis senę folijs,fit medicamentum opportunũ, forsan tamen aliquid scrupuli fastidijque in eo fuerit, pariter, si ad complendam medicamenti virtutem, vnde altius defixæ obstructionum materiæ eruantur.Rhabarbarum,iniecero, aut puluerem michiocain saltem vt maxime abstergentem, quare in recensendis purgantibus medicamentis vltra progredi non possum, nisi alia apparantia humores subiungam, quod quidem faciam,si prius de manuum opera meminero. Nam profecto ea tanto magis in hoc morbo quærenda est, quanto commodior est ad submouendam eam materiam, quæ in venis contenta, non ita tuto medicamentis contrahi ad hypochondria potest, præsertim, quoniam & crassa est, & per angustas vias non facile rraducitur, vt facile aperta vena exit,ita, ni quid maximi impedimenti sit,ætas, genus corporis,& morbi maxime efflagitant,vt mane postquam aluus descenderit, aut aliquo ex suprapositis medicamentis ducta fuerit, vena primum dextri cubiti interior, deinde duobus, aut tribus diebus circiter interpositis sinistra quoque secetur, atque etiã certo tempore hirudines hæmorrhoidibus applicentur, vt in summa curatio epicerastica habeatur T.Serenitatis corpori maxime necessaria, qua malus, & crassus sanguis absque eo, quod ad locum affectum trahi periclitetur, exibit, & interim melior sanguis spatio interiecto per cibos lectos in eius locum sufficietur, quæ tamen curatio omnino conferrè cum purgantibus leuioris generis medicamentis habenda est, ita,vt medijs diebus, & inter medicamentorum purgantium vsum positis illa adhibeantur, quę humores cum ad purgationem parant, tum obstructiones eradicant,& è corporibus viscerum, ac mēbranarum materiam absumunt. Quæ sanè summo ordine capiēda sunt,quo semper leuiora primis,valentiora sequentibus ex ordine dentur, quo leuiora multæ,& non hærentis materiæ,valentiora exiguæ, & altius defixæ applicentur, si enim valentiora in multam,& vagantem materiam inciderint,nimiam turbationem, & aliquam incitationem moueant, qua humores in angustiora loca intrudantur, quod de purgatione corporis sæpe in libris Hippocrates habemus, ea ordine hoc sic exponam. Syrupus de succo cicoreæ, & de succo borraginis cũ oxymellite simplici.Syrup.de lupullis, & de fumoterra cum eodem oxymellite.Syrup.de capil. Veneris, de succo betonicæ cum oxymellite composito ex radicibus, Syrup. Acetosus diarrhodon cum oxymellire simplici, & tandem cum squillitico,Dissoluantur primi ex aqua boraginis, cicoreæ,mellissæ.Secũdi ex aqua fumiterræ,lupullorum melissę, agrimonij.Tertij ex aqua cap.Ven.betonicæ, cetrach.Quarti ex ijsdem aquis, quibus incocta sint cicoreum, epithymum, cetrach,agrimonium,lupulli, melissa. &c. Confici etiam commodè potest syrupus longus dictus, qui

A larga potione sumendus sit,ex agrimonio, cicorea, lupulo,fumoter.Polypod. epithymo,buglosso,asplenio, hepatica, mellissa,cap.Ven.spica,cinnamomo, radicibus fæniculi,seminibus anisorum, in quorum iure aceti aliquid,& sacchari,ac syrupi de corticibus citri conferueant, in quo syrupo interiectis certis diebus macerari vtilius poterunt folia senæ, atque etiam vna Rhabarbarum cum cinnamomo, schænãchoque quo paulatim,facilè, & tutò morbus eradicetur, in quo postquam corpus purgatum esse intelligetur,ad mollienda viscera, & omnes reliquias duriores liquandas, discutiendas, & absumendas iniji poterit aliquid ex genere dicto elixir confectum ex ijs,quæ opportuna Medicis visa sint, quod sanè minimè tutò fieret, nisi prius viscera essent à B copia crassorum humorum, & cruditarum liberata, In quorum vsu interijcienda certis diebus illa fuerint, quæ venarum calori, squallorique moderandò faciant, quæ etiam post omnem aliorum vsum diu erunt sumenda ex hordeo,ex violis, ex nymphea, buglosso,boragine,cicerbita,lupullis,radice dulci,s. melonum,lactucæ,Maluæ,& similibus.

Ac nisi flos cassiæ odio naturæ esset, is esset identidem aliquo pacto capiendus, quo caloris vis acris demulceretur,& omnes venæ,& renes diluerentur, & à squallore,& quadam asperitate, vt à duritie vindicaretur.Sic prunorum, sic passularum succus probaretur. Verum quod auxilij à sero caprino, ab aquisue thermalibus sperari posset? Suo tempore mihi videretur serum aptissima materia excipiendis C & in corpus importandis suprapositorum medicamentorum viribus,si in eo decoquantur, quod optimè paratum modo Dioscoridis,& clarum, ac tenue factum fuerit, nam amicum venarum, & viscerum naturæ, & per illa facilè permeat, cupidèque attrahitur cum viribus,quas à medicamentis acceperit, qua causa nos saccharum, & mel cum syrupis componimus. Aquæ thermales ipsæ quoque, vt experimur, omne corpus comeant, & meatus omnes,per quos omnes pertinent, expurgant,& diluendo etiã, nisi feruentiores sint venis, & visceribus omnibus temperamentum afferunt, quod certè afferrent etiã vna corporis purgatione ab humoribus facienda, à quibus variæ hæ intemperies inferuntur, vt calidis D educendis refrigerare, frigidis verò detergendis calefacere putanda sint. Sic autem eas deligerem, & in vsu ordinarem, vt prius aquæ tettucij sumerentur, quinque circiter dies nimirum altero quoque die, vt ipsis viæ expedirentur, vnde melius aliæ in omne corpus peruadere possent. Alteræ vero mihi essent aut chalderianæ,aut lucenses, quas superioribus statim subiungerem, neque ab illis ipsis ventriculo metuerem vsu longo edoctus, cum eo, quod Medici non carent ijs munimentis,quę ad eiusmodi noxas defendendas opportuna sunt.

At verò, quoniam suo quæque tempore facienda sunt,ego sic decernerem, vt, quoniam hybernum penitus tempus est, nunc in leuioribus maneamus, neque corpus deseramus omnino,si sectionem venę E in vernum tempus differamus,interim, si in hæmorrhoidas natura moueat, ex illis protinus sanguinem euocemus appositis ipsis hirudinibus, alioquin natura illuc non conuersa,nisi aliqua maior causa, aut necessitas inciderit,illud nequaquam tentemus,quibus sic expositis ego ea assertione orationem concludam, quam etiam superius proponebam, nimirum quod, cum vetus morbus sit, vt aperte in eius generis morbis videmus, ipsa victus ratio primas partes,& omnino potiores vires habet, in qua, quæ de studijs,de negotijs, & accōmodata viribus exercitatione dixi,potiora sunt,ac, nisi diligenter seruētur reliquæ, curationis labor inanis fiet, & morbus sub curatione peior euadet,vt,cum penituerit, tunc

oc-

occasio minus commoda restituendi erit, quod ad maiorem abundantiam, & diligentiorem curationem dictum sit, & quamquam T.Serenitati non est necessarium, meo tamen studio, & voluntati erga illam est consentaneum. Hic a IESV Opt. Max. salutem T.S. precatus, & omnis reuerentiæ officio perfunctus finio.

Serenitatis T.

Deditissimus ex corde

Christophorus Guarinonius Veronensis M.

Ad appendicem informationis ad quam superius consilium scriptum erat.

B

CONSVLTATIO DLXX.

STernutatio, quæ omnino aliquo genere acri fit, communem cum capitis dolore, & malo sapore causam sequuta cum iisdem quoque magis, & minus moueri potuit. Hæc cum parum causæ inuenit dolores leniuit, cum multum eos lacessiuit, siquidem paucam materiam facilè expurgat, multam verò potius in caput adducit. Saporem item, qui situ quodã ex halitibus congesto inducitur, eadem sternutatio excitet, dum materiam è colatorio in oris partes deturbat. Destillationi modo, quæ nunc infesta est, cũ aliquod ex propositis medicamentis faceret, præsertim si aliquid agarici incoqueretur, tum a cæna sumptum illorum aliquid, quæ oris ventriculi constrictionem moliuntur, at etiam saccharum rosaceum, cum somnus petendus est.

C

Pro Duce Sablonetæ Vespesiano Gonzaga.

CONSVLTATIO DLXXI.

Illustrissime, & Excellentissime Dux Patrone mi colendissime.

D

QVidquid ex humanissimis literis T.E.Illustriss. poteram capere voluptatis, id mihi ea parte subreptum est, qua me faciunt certiorem metuere te, ne in hydropem cadas, in quod ego conuersus omni cogitatione veni in eam spem (dimissis omnibus verborum officijs) quod cum corpus tuum sit ab omni intemperie humida remotissimum, imo in contrariam magis inclinatum, si T.E.Illustrissime certum fuerit dimittere omne ciborum crassorum, & vitiosi alimenti genus, sic corpore bene nutriẽdo calorem innatũ, qui iam infirmior est, maxime iuuabit, atque cum viribus eius bono alimento recuperatis, & iam sublata a cibis omni praua occasione, facile poterit se ab eo metu periculi vendicare. Qua in re nisi hoc sit constitutum omne aliud auxilium frustra quæratur, immo in grauius incommodum cessurum sit, vt T.E.Illustriss. iudicare poterit, si voluerit animaduertere, quoniam auxilia omnia ad exsiccandum dirigentur, quæ omnia quamuis siccior natura facile passura videatur tamque à se minus aliena, tamen, cum corpus hoc per squallorem nimium recedat etiam a statu suo naturali, periclitabitur, ne, nisi alimento resistatur, longius in hoc genere trahatur, quod innatum calorem consumit. Bonum itaque cibi genus erit fundamentum, sine quo reliqua maioris periculi futura sint, maxime si ad remedia dicta

E

A

etiam humorem hunc purgare voluerint. Deinde præter moderatum absynthij vsum macerati in iure gallinacei galli, aut pulli columbacei, præter etiam modicum rhabarbarum ego maximè siderem vsui aquæ, quam in mensa potat, si in ea chinæ radix incoqueretur, cum aliquo ex aromatibus, quod ei magis placeret, & minus caloris haberet, & cum sputũ sanguinis metuerit, vna quoque cum his esset pimpinella, quã credo iam me auctore in vsu habere. Ego è longinquo loco non possum tuto, certoque ad singulorum definitionem descendere, in qua re etiam deferre iudicium Medicis, qui propriam notitiam istius rei habuere, necesse est. T. E. Illustriss. a me, quod potest, accipiat, quod certe exiguum est, & excogitabit, si quid me amplius voluerit, nam ego semper promptissimus in opera præstanda sum futurus. Vale. Pragæ iiij. Cal. Februarij anno MDLXXXXI.

Illustris vir.

CONSVLTATIO DLXXII.

IS literis quas ad iiij. calend. Februarij Excellentissimo Duci rescripseram, ego sententiam meam de ipsius valetudine compræhendi, quam repetere superuacaneum puto. nisi laudem iterum chinæ, absynthij, & rhabarbari vsum, vt illis proponebã, quibus aqua limacum seu cochlearum stillatitia adiuncta plurimum faceret ad destillationem sistendam, pulmones firmandos & corpus etiam alendum. Si tumor crurum ijs non tollatur, electuarium de chalibe cum dialecta dicto mihi valde profuturum videtur. Quod reliquum est, ad superiorem epistolam referendum esse iam accepisti.

Ambiorix Samperolius Christophoro Guarinonio. S.

CONSVLTATIO DLXXIII.

QVod à Serenissimo Duce sum iussus Vir Præstantissime libentissime his paucis comprendã. Noua enim affectio, quæ de nouo ipsum inuasit maxime eius animum perturbauit, dubitans ne ex Renum doloribus ex sabulosa, & glutinosa materia ortis in lapidis generationem, vlcera, ac alios molestissimos, ac vesicæ incurabiles morbos incurrat, quos vt fugiat Te consulit Medice eminentissime. Cum vero tibi & natura corporis, & vitæ genus, ac affectiones omnes sint manifestæ, tantum ea quæ de nouo surrexerunt, narrabo. Post purgationem corporis mense Maij factam, sub quibus semper, vt nosti, peius habet, consuetæ stomachi molestiæ, vt pote imbecillitates, anxietates, ructus acidi quandoque, quandoque nidorosi, sitis, & alia rediere, quibus somnium turbationes, lassitudines, manuum, ac pedum molestus calor, aliquando napitis dolor, ac dorsi inferioris, ac superioris quædam grauitas coniuncta erant. Proximis autem diebus illud fuit molestissimum, quod fere singula nocte, hora circiter quarta a cena, post breue somnum a lecti frigore corriperetur, corpus incalesceret, pulsus velociores, & frequentiores euaderent, & vna respiratio grauis, & densior fieret, Caput; & manus incenderentur, & etiam pedes, artus, & maxime crura dolerent, pauco demum madore aduentante simul omnia fere spatio duarum, aut trium horarum decederent, aliquando sine madore semel tantum aluus nigra excreuit. Sub quibus somni perturbabantur, & interrupti

rupti fiebant. Vrinæ,quæ calidiores,&biliosæ esse consueuerunt,leniori colore sunt præditæ. Hieme vt plurimum albiores,sub caloribus coloratiores,crassiores minguntur, quæ tamen paulò post clariores, & lucidiores fiunt. Earum sedimen fere semper crassum,copiosum,asperum,lentore non vacuum,& coloratius. In eis excernendis aliquando calorem percipit,raro pruritum,rarius leuem difficultatem. Sed quo maxime torquetur, & quo præcipue consilium tuum expetit,est,quod ipsi accidit die xix.huius mẽsis Iulij. Hora.n.xx. post alui excretionem a dolore renis dextri illico correptus est,qui acutus erat,& fixus. Cui dolori alter in pectine mitior, & obtusior coniunctus erat.Aderat testiculi dextri consensus,& retractio.Extremæ partes frigidæ factæ sunt,sudore frigido præcipue capite,& collo aduentante,pulsusque obscurus,& rarus factus est. Excreuit in principio doloris bis lotium paucum ad vnciam circiter, cui crassum,glutinosum,& rubeum sedimẽtum permanebat.Post vmitum,ac clysteres corporis anxietas,sudor, & inquietudo remissa sunt, Dolor tamen fixus in eodem rene permansit,qui hora septima noctis post somnum desijt.Quędam tamen grauitas,& obtusus dolor,vsque ad sextam diem permansir, qui etiam spinæ dorsi inferiori communicabatur,& crura stupore quodam leui aliquando perturbabãtur,& in motu, & ambulatione euidentior dolor fiebat. Vrinæ post dolorem fuerunt copiosiores, & crassiores cum sedimento arenoso,& crasso,& rubeo,& sine dolore,& acrimonia excernuntur. Solum post mictum ait semper videri aliquid sibi retineri,& in pectine super regione oris colli vesicæ aliquid molestiæ indicibilis permanere.Hæc sunt quæ tibi proponere necessaria iudicaui, Tuo prudentissimo consilio iudicanda.

Serenissime Dux.

CONSVLTATIO DLXXIIII.

EX literis tuæ celsitudinis & physici ipsius ego cum maxime, tum uarie affectus sum, in illis enim & fides in me tua fuit mihi iucundissima, & isthæc occasio ualde molesta, ut admodum perturbarer. Spero quidem certe istud incommodum posse nõ difficile remoueri,attamen id in Domino meo, cui tantopere ex animo addictus sum, non possum nisi moleste ferre, in quo, vt quàm citissime possem T.C.inseruire, sic me expediebam. Incommodum istud tres partes habere iudicaui, earumque unam à iecore,præcipuè qua ventriculum spectat,aliam à renibus præsertim vero dextro,tertiam à vesica pendere.Eam iecoris partem cum venis aliquibus illarum, quæ ad medium intestinum perueniunt, & maxime minoribus glutinoso,& limoso humore occupari indicant molestiæ, quæ post purgationes per medicamenta insequi consueuere, ac cum iam diu illæ eueniant, firmiorem esse, & obduratã illam obstructionem significant, ita, vt humor ibi inhærens iam siccior factus sit,quo venarum illarum corpus,& iecoris pars genere eodem ficciori afficiantur.Itaque sub purgationibus fiat,vt attractus vndique, & ex totis venis euocatus humor non omnis per aluum educi queat, sed illius non exigua pars in meatus occupatos incidens,ibique detenta propter angustiam concalescat,& vna secum humores obstruentes cum glutinosos,tum limosos incendat,sic vero fumi, & vapores,seu cuiusque generis halitus efferantur,quod sæpe etiam sola cibi, porionisque occasione fieri facilè possit illuc humore attracto, fumisque excitatis, à quibus illæ tot molestiæ existant; quarum varietas

[A] tum ex partium, quæ tentantur diuersitate, tum ex anhelitus vario genere fiat, ita exempli gratia præter capitis, & aliarum partium incommoda ventriculo ructus modo acidi, modo fumosi, seu nidorosi euenere, vt halitus inrerdum à glutinoso, crudoque succo,partim a limoso,interdum a bilioso excitabantur, bilis namque suo calore, saporis nidorosi causa est,illi vero cum acidi esse solent,tum suo frigore acidi succi in causa sunt. Sed hoc anno post illas solitas molestias spatio aliquo interiecto grauiores sequutæ sunt, quoniam quamquam corpore quidem ad grauiora procliui, purgatio tamen materiam subtraxerat, vnde illis faciendis non suppeteret, nisi postea dato spatio,quo ipsa materia reficeretur, præsertim iam tempestate calidiori accedente,quæ poterat magis fundere humores,eosque huc illuc incitare, vt in [B] locum iam solitum iecoris facile conuerterentur, idque pro certos circuitus fieret, vt fere complura fluxionum genera consueuere, & quidem cum frigidis nimis,vt omnibus subitis humorum motionibus euenit,quoties per partes sentientes fiunt. Itaque cum humor moueretur frigus attulit,cum in angusto cõpressus resedit,concalfactus fumos excitauit, sic calores,sic spiritus densus,& grauis,sic pulsus crebri, & omnes reliqui casus extitere. sic ad extremum modo per sudores,modo per ventrem humoribus expressis fumorum vis cessabat, & molestiæ omnes tollebantur.Quo minus mirari liceat, si aluus quandoq; atra descenderit,cum limosus humor melancholicus sit, & sub illo feruore etiam atrior fieri potuerit. Certe [C] cum in caua iecoris parte esset, facilius in anum descendit. Atque horum quidem humorum copia, si maior fuisset obstruendo febrem profecto effecisset, & illi casuum dictorum circuitus omnino inaccessiones febrium euasissent.Sed hic non tamdiu sustentabantur illi fumi, quam posset ex illis cor intra se eum ignem comprendere, qui inde toti corpori firmior impartiretur.Verum interea euenit,quòd iecore malos humores ad se cõfluentes propulsante,aut, qui iam in se consedissent, & feruore commouerentur, expellente, pars humorum crassior forte, vt fit, viam ad aluum minime nacta retro in cauam venã necessario resilierit,vbi quidem tandiu permanserit, quàm diu ibi natura eius onus, & malum genus ferre potuerit. Sed vbi per caloris operam numquam [D] cessantem mutari coacta materia in melius adduci nequierit, necessaria mutatione in peius conuersa tunc naturam irritarit,vt eiecta plurima sui parte in renem dextrum perducta sit, & potius quidem in eum, quòd is cum magis rectam viam à iecore habeat, tum vero etiam sæpe iecori vicinior sit, quod semper quidem non esse animaduerti,forte etiam calidior fuerit.Sic alter morbus, qui in rene est, facile extitit,quo morbo factum sit, vt materia non multo post in meatum vrinarium expressa illi eiusmodi dolores cõcitauit acri sensu prædito, inde vero magnis laboribus in vesicam vas amplum eiecta non ita infestarit, & dolorum illæ grauiores molestiæ leuatæ sint. Fuit illa materia partim arenosa, partim glutinosa,quoniam cum iecoris, tum renum calorem assantem potius,quàm elixantẽ inuenit, hoc est squalidiorem,non udum,itaque illius materiæ pars, quæ [E] terræ plus haberet in sabulum versa est, quæ verò pituitosa penitus esset,glutinosa magis ea calore facta est, hæc verò sæpe abundat in morbosis partibus, vt lingua,pulmone,vesica,& renibus,quoniam affectæ partes præcipuè dolentes semper plurimum lentæ aquæ ad se alliciunt. In sabulosis modo plerumq; aliquid crassius,& plenius est,quod asperum,angulisq; præditum vna cum glutinoso humore vesicæ adhærescit,intusque retinetur, vbi ferè post mictum, & vesicæ compressionem, quæ motio læsionem rei noxiæ semper irritat, crassius illud sabulum sua asperitate

tate cõstrictam vesicam molestat, & quemdam sua A obscuritate inefabilem dolorem mouet, ac mingendi conatum, qui post aliquam vesicæ quietem, & noui lotij in vesicam percolationem, lenitur. At verò id sabuli maius genus, & quidem asperius eo, quod ex pluribus asperiusculis arenulis coniunctum fuerit, eos dolores attulisse eorum magnitudo, & malum genus ostendit, nam & pulsuum submissionem, & sudores effecere. Etenim minutæ arenulæ quantæcunque copiæ sint, tantos, & tam malos cruciatus facere non possunt, quoniam multitudine sua molis inconstantis sunt, qua continenti corpori cedunt, atque ad eius figuram sua multitudine efformantur, ad angustiamque, & penetrationem se accommodant. Quo perspecto nos de tertio quoque affectu ad vesicam pertinente certiores facti esse possumus. Atque ijs præuisis latere doctissimos, & multi B vsus Medicos non potest, quid quodque ad sui curationem agi velit. Nam quod vesicæ adhæserat, nisi adhuc resoluto glutine dissipatum sit, illud quamprimum dissoluendum, detergendum, & eluendum est, alioquin vesicam nimis diu detergendo sua asperitate exulceraret, & spatio factum maius, ac solidius maiora incommoda afferret. Renum vero noxa exposcit, vt calor ille squallidior, & acrior, qui facilè cum vesica communicatur, madore deliniatur, mitiorque fiat, & vna renes defendantur, ne sibi nimis materiæ influat, & ab ea, quam iam receperint, vindicentur. Iecur quoque cum omni venoso genere, indicat faciendam esse sui purgationem, expeditionemque a materia, & sui omnino temperationẽ C efflagitat. Ac quibus rebus hæc facienda sint, ea valde publica sunt, & admodum trita, neque opus esset me quidquam eorum recensere, nisi quo suspicionẽ vitarem me labori huic subtrahere velle, ita ego quædam in exemplum percurram, eo primum prædicto, quòd omnia valentius purgantia renibus maximè aduersantur, quoniam per ipsos multa sui parte exeunt, humoresque malos secum educunt, sic intra leniorum vsum manere cogimur, vt floris cassiæ cum puluere dulcis radicis, & anisorum, non semel sed iterum, & tertio sumendi, qui non solum ventriculo, & primis venis ab humore nocituro expediendis, sed iecori, renibus, & vesicæ detergendis, diluendisque, ac eorum calore deliniendo faciet, maxime D interiecto medijs diebus mane earum potionum vsu, quæ facta essent ex aqua aut betonicæ, aut pimpinellæ, in qua decocta esset saxifragia, cortex radicis anoidis, cauliculi maluarum, fragaria, cuius aqua post vsum aliorum diu accepta omnia præstat renibus, quæ potiora a medicamentis expetuntur. Ijs vero nisi propositæ vesicæ necessitati fuerit satisfactũ, adijciatur primum oximel simplex, deinde squilliticum, tandem cum hoc etiam sirupus de sthæchade, quæ quidem, si hora, postquam sumpta sunt, in balneum descendatur vsque saltem ad vmbilicum, magis perficient. Cuius quidem balnei vsus creber vel ex sola aqua dulci esset valde pro istiusmodi valetudine. Si sub his vesica non satis repurgari videatur, pubi cataplasma apponatur, & perinæo, veluti ex E herba parietaria, ex apio palustri, ac raphani radice cum oleo scorpionum, cum vetusto butyro. Quo autem iecur, & renes in meliorem statum reuocentur, commodus esset seri caprini vsus capræ frigidiori pabulo pastæ, & quo melius seri vis ad renes, & per totas venas perferatur, fit maxima, quæ sumi possit copiâ, & plurimis diebus, cui sero succi immixti sint aliquorum, aut certe incocta ipsa sint, quæ renibus, iecorique apta habentur, vt fumustertæ, agrimonium, cicoreum, lupulli, pimpinella, scolopẽdrium, fragaria; quibus certe satis renibus, & iecori prouisum videatur. Erit tamen etiam per annum certis diebus, vt occasio postulauerit, aliquid sumendum, vt terebinthi resina lota cum aliqua ex dictarum herbarum aqua, velut fragariæ, aut scolopendrij, vt potio ex aqua anonidis, vt ea, cui maluarum cauliculi, sebesten, & radix dulcis incocta sint. Frequens quoque vsus esse vtiliter poterit florum maluarum, nympheæ, & buglossæ, qui saccharo conditi sint. Aqua item fragariæ, vel sola, vel cum aqua hederæ terrestris renes, & iecur mirificè puros seruabunt, & attemperabunt, tum aqua scolopendrij. Ego aquã pilosellæ, & alsines, & helxines, parietariæ, valdè cõmodas expertus sum. Multæ aquæ thermarum huiusmodi malis opportunæ habentur, apud nos Italos verò præcipuè Lucensis de villa dictæ. Chalderianæ in agro Veronensi, & illæ S. Marini, e quibus Lucenses, quoniam asportatæ suas vires seruant magis, & proprio domicilio quisquis ipsas sumere potest, viderentur commodiores, quas vero certus sum multis in recenti renum vitio calculoso profuisse. Nonnulla tamen sunt, quæ de harum vsu me reddant suspiciosum. primo forsan hoc anno eas sumendi opportunum tempus iam præterierit, dum consilium expectatur. deinde tempestates, proximè præteritæ aquis thermalibus aduersariæ admodum fuisse videntur. Tertio ea summa cautio, quæ in eis sumendis, & postquam etiam sumptæ sunt, haberi debet, cum nõ seruaretur, fecit, vt aliquos viderim paucis post mensibus interijsse. Tanta enim cautio habenda est, vt à paucis præsertim lautioribus seruetur. Sic ego, nisi aliquis eiusmodi aquam alias expertus fuerit, non facile periclitari consulo. Alijs itaque auxilijs potius interea contendo vsu longo, & abundanti fructum ab eiusmodi aquis expetitum exæquare, quod nisi fieri queat, ad illarum quoque auxilium cum summa cautione me conuerto. At in ratione viuendi cum necessariam, tum maximè valentem partem curationis ponerem, neque abstinentiam laudarem, vt neque etiam intemperantiã. Abstinentia siquidem cogit naturam partes etiam inutiles, & limosas ciborum retinere, excoquere extenuare, fundereque & in venas attrahere, cuius rei signum est, quòd sub abstinentia alui comprimuntur, & duriores fiunt, adeo vt limosi succi per calorem in melius traduci non valentes necessaria sub mutatione in salsam, aspersam, & terrestrem materiam conuertantur, quæ acceptum calorem etiam duriorem referat ipsi iecori, ac venis omnibus, tum vero renes, per quos omne terrestre expurgari debet, pessime, & suo acri, duroque calore, & corpore afficiat. Vnde, qui calidioribus ventriculis sunt, etiã magis sub abstinentia periclitẽtur, vt qui sunt aluis siccioribus. Sic itaque in cibis temperandum, vt neque ventriculi vim superent, neque adeo superentur, vt vel crassas partes cogantur extorquentibus venis concedere, sed multo humido genere retento aluum interea sibi apertam seruent, qua molli non facile calculi solent habere, vnde concrescant, nam venę non coguntur materiam penitus omnem exugere, nedum calore suo niti illam conuertere in sanguinem, quod cum fieri non possit, in terrestre potius genus materia trahatur, quin potius meliori, & lautiori succo saturę reliquum respuunt, & per aluũ excernunt. Tutissimum quidem certe fuerit, quãdo cibus exiguus sumendus non est, vt is lautioris, mollioris, & tenuioris materię sit, boni tamen succi, quoniam in genere tenuiori rari cibi sunt, qui malo succo vacui sint, de qua re memini me præcepta in quodã libello T. C. descripsisse, & notas tradidisse, quibus boni succi cibi dignoscuntur. Sed Medicorum, qui assistunt, hoc erit. Elixa itaque, & iurulenta, & sorbitionum genera potiusquàm assa, aut dura deligenda, parum cocta, parumque igne modificata erunt fugienda, vt glutinosa omnia, vt salsa, acria, & exusta, ac, si quid viriũ medicarum in cibos cooptãdum

dum sit, ego probarem amigdala, semina cucurbitarum, & peponum, atque etiam eorum pulpam, tũ cauliculos teneros ex iure coctos. Raporum vsus nõ esset aspernandus; vnde renes maxime expurgantur, & diluuntur, materiæque aspersæ deliniuntur. Napi idem faciunt, sed cum non exiguo calore, dulciores, & molliores tamen ex illis vtiliter sumentur. Quidam succo limonum sese à calculo, cui fuissent obnoxij, defendunt, consulendus vero ventriculus est, pro certo tamen habendum, quòd liquidus factus ille succus vẽtriculo etiam facilis est, cum vino maluatico in eam cautionem solet potari, qua in re diligenti moderatione vtendum fuerit. Aurancij succus huic proximus est, si medij saporis sit. Renes enim expurgat, & temperat. Sed nominatim omnia referre ei, cui magni Medici assistũt, & supetuacuũ, & importunum est. Vinum quod album deligendũ est, id maturum, non admodum potens, lene, non asperum, & omnino tenue, poterit etiam aptius fieri, si paretur cum aliquo ex ijs, quæ idonea medicamenta recensebam, vt fragaria, boragine, betonica, scolopendrio, & eiusmodi. Verum in omnem euentum etiam ex halicacabo erit aliquid vini conficiendum, quoniam maximè à renibus, vt vesica vtinam expedit. Vomitus, ni penitus difficilis sit, ni aliquid læserit, maximè crassam materiam à iecore, & renibus retraheret, quæ spatio numquam melior fit, potius crassitudinem maiorem à calore viscerum accipit. Sed quoniam videndum est, ne ventriculus vacuus inedia teneatur, propterea numquam matutinus cibus longius est differendus, eo enim tempore sanguis extorretur calore, multumque vtriusque bilis parit, à quibus venæ cum iecore concalescant, & squallorem contrahant. Renes vnà cum calore etiã lutum accipiunt torrefactum, & pituitam à calore magis glutinosam. Sic exercitatio, quæ calori naturali excitando, & recrementis eijciendis sæpe necessaria est, non iusto modo, & tempore alieno semper fit nocua, quando non solum excitare, sed acriorem reddere calorem solet, aut ei sanguinem assando recrementa efficere, aut crudum adhuc succum e ventriculo in venas attrahendo materia crassa corpus, iecur, & renes complere. cui si modum persinire certum non sit, ab ea potest aliquid detrahi, & frictionibus corporis quantum detractum est, restitui, quod etiam balneo tutissimè, & vtilissimè fiet. Stare diutius, & in pedes insistere solet renibus quodam labore officere, itaque ambulandum potius leniter est, aut sedendum, ita ne dorsum lassitudinem sentiat. Cumque opus fuerit, potius equo, quàm rheda, aut carpento vtendum, quibus mirum est, quàm renes commoueantur, vt ab iracundia quoque in motibus animi certum est, nam bilis indè & fit, & in renes funditur, quibus ob eorum solidum corpus maximè noxia est. Sed doleo vehementer me tam longè abesse, quoniam incommode multa scriptis tractantur, & minus exactè conferri possunt, illud quidem solatij est, quòd Medicos T.C. habet benè peritos, & doctos, de quorum etiam probitate iam diu ipsa certa est. Fio quidem sæpissimè proprior T.C. sermonibus, quos habeo frequentes de ipsa cum C. M. quos illa sanè semper hilari admodum vultu solet excipere, & libentissimè de T.C. loqui, vt quandoque videar vtrique adhuc adolescenti in Hispanijs adesse, & inseruire. Sed quod T.C. potest, à me benigno animo accipiat, quam ego à IESV Opt. Max. omnem optatam salutem & felicitatem consequi summopere expeto. Pragæ 13. Cal. sept. anno MDLXXXXI.

Tuæ Celsitudini addictissimus

Christophorus Guarinonius.

Ad Ambiorigem Excellentissimum De præseruatione a calculo renum ac vesicæ pro Serenissimo Duce Vrbini.

CONSVLTATIO DLXXVI.

Literæ tuæ ad iij. Non. Nouembris datæ, quòd ex illis cognoui, seu agnoui potius prudentiam, & diligentiam tuam in tuenda Serenissimi Domini nostri valetudine, ipsæ mihi summopere gratæ, iucundæque extitere, quemadmodum, quæ à Domino lõge prius mistæ fuerant, illæ cum sua, cum muneris magni causa fuere honorificentissimæ. Pergis igitur primum in tuis percumctando ea, quæ superioribus etiam literis rogaras. Postea de meis etiã rebus resciscere aliquid velle te ais. Sic prius ego pergam respondere quantum potero ijs, quę ad salutem Domini pertinent, postea ei percunctationi, quæ de me est facta, satisfaciam. In primis itaque dico, quòd casus illi, qui sub vsu aquæ Lucensis incidere, & calor, quem noctu persensit, &, si quæ alia eius generis sunt, ab obstructione, quæ est adhuc reliqua priorũ venarum nata sunt, cuius obstructionis iam diu notæ admodum propriæ extitere, neque causæ latuere, si in memoria habes, à nobis diu olim obseruatæ, & nunc sanè, quidquid eius rei subsit, quantumcũq; reliquum factum, id certè duriùs spatio factum fuisse est necesse, quo venæ illæ & infarctæ, & male nutritæ, ac mala pariter intemperie affectæ sint. quarum angustijs materia sanguinis illac delata remoretur, & interea naturam sanguinis nacta, vt à venis sibi est necesse, eam minus bonam sortiatur. Nam vi ea caloris alieni per obstructionem excitati, & intẽperie dicta humores diuersi generis pro materię diuersitate tum melancholici, tum biliosi, ex parte etiam pituitosi gignuntur. Vbi humor per illas angustias à calore iecoris tractus etiam bullas, & flatum ex se efferat, fumos verò certè varios, & vapores, qui ad partes diuersas appellentes, prout illæ magis, vel minus calidæ eos attraxerint è medio corpore eiectos, varias etiam læsionum species afferant, vt illæ partes sunt, quibus infesti accedunt, capiti dolorem, cordi tristitiam, quę alicui semper generi suspicionis applicata illam semper longe firmioris assensus, & peiorem facit. toti corpori calorem, musculis vapore molesto perfusis iactationem, ori ventriculi tum anxietudinem, tum per eam toti corpori nocturnas agitationes, propinquæ vero dorsi parti suam quoq; molestiam. Quorum halituum pars, quę in caput peruenit, solet etiam ad inferiores concretior demissa reuerti, & dictas molestias augere, imo descensu subito facto etiam horrorem cum concussione mẽbrorum excitare ad instar illius, qui post minctionẽ mordacem & acriorem aurium titillationem fieri consueuit, quem horrorem ego post capitis dolorẽ sępissimè & factum, & dolorem finijsse obseruaui. Atque toto dorso cum nulla pars sit, quæ recrementis magis pateat, ac ipsi renes, propterea ij solent, pręsertim cum validiores sunt, & corpora iam ętate duriora halitui ęquè, ac prius facilem exitum non prębent, maximè infestari. Cũ ergo Lucenses aquę, quibus adeundi renes vis est, sumerentur, etiam si ipsę sua tenuitate illas angustias superarent, secum tamen crassiorem humorem trahentes illum nõ valebant per ipsas angustias traijcere, nec nisi ad ipsas vsque angustias illum ducebant, vbi materia & subsisteret, & partes illas infarciendo etiam, atq; etiam duriores redderet. Vnde necessario pulsus ipsi quoque duri, tensique, & compressiores, ac minores, atque adeo crebri efficerentur. Cuiusmodi quidem

pulsus ego vel sola lingua tumore durata factos vidi, ne dum faucibus inflammatis, quod quotidie obseruamus. Cuius verò humoris intrusi fumus eadem, quæ dixi, incommoda diuersis partibus, vt ipse quoque diuersus est, diuersorum generum afferret. Atque hæc de eo, quod in primis venis subesse existimamus, sat sint, ad Renes me refero, quorum status à me alijs literis consideratus est, nimirum calidior, & siccior cum natura, tum externis, & nobis iam antea obseruatis causis. Nam credo T. E. in memoria habere, quando vsum aquæ stillatitiæ cinnamomi metuebam, renum causa id fuisse, quoniam illa sui tenuitate nimis cito, nec dum victa ad ipsos pertinet. Qui, cum iam sic affecti sint, humorum inutilium omnem confluxum non solum excipiunt, sed incitatiorem ad se faciunt, non solum per venas, vt eorum muneris est, sed per omnes inuisibiles meatus è toto dorso, & capite etiam. Quapropter, quamuis dorsi molestiæ modo hoc, modò illo loco sentiantur, id tamen renum vitio fieri potest, & si ipsi nullo, nisi grauitatis sensu infestetur, ipsi enim sunt exiguo sensu præditi, præsertim intra se. quod à naturæ summo opifice summa ratione factum est, ne à confluxu acrium, & exustorum humorum continenter facto, eis nimiæ, & continuæ molestiæ essent, qui humores continenter per eos sint expellendi. Itaque, dum eorum calor multum recrementorum acceptorum dissoluit, & in halitum fundit, vicinæ partes eo perculsę molestia illa, quam ipsi renes non sentiunt, afficiuntur.

Quibus vero ita constantibus videmus, quod nō sunt diuretica tentanda, antequam procuratio primarum venarum expediendarum habita fuerit. Et quoniam eo genere antiquæ obstructionis melancholico facto, vt vidimus, ventriculus non potest multum pituitæ, & crudi humoris congerere per frigidam illius generis vim secum per vicinitatem cōtagio, & halitu, & ichore ipso communicatam, ideo illo humore ventriculus ante omnia leuandus est, ne & coctione prohibeatur, & humorem eiusmodi sumenda medicamenta ad angustias dictas deducant. Abstinentia multa cibi id fieri periculosum, & inutile penitus est, vt ego expertus sum certissimè, quoniam illa crassam pituitam fere in peiorem, & crassiorem habitum trahit, & acriorem sanguinem, & bilem reddendo viscerum calorem exacuit, tum vero aluum exsiccat, & compressam reddit. Itaque multum inutilis, ac terrestris materiæ retentæ calore extenuatum ex aluo in iecur, & venas omnes adduci cogit, quod calore venarum obstructionibus aucto, & acriori facto etiam magis torrefiat, & lapillorum in causa sit, in quos concrescat, postquam tenuitatem à calore factam, qua membranas renis penetrare potuit, vnà cum calore amisit. Alia ergo omnino ratione ventriculus eo humore leuandus est, & pituita non per ipsam abstinentiam consumēda, sed per vomitum potissimum eijcienda, aut certè per aluum, per quam tamen difficilius expelli, quam per vomitum experimur, præterquam quòd fieri nō potest, quin medicamentis ipsis, dum longo intestinorum itinere defertur, multa eius pars in venas intrudatur soluentibus medicamentis nullis non multa sui portione renes adeūtibus, & recrementa illuc secum afferentibus, vt propterea vtillimum, sit soluentia medicamenta postquam tres horas retenta sunt, euomere, sic enim & satis per aluum purgant, & corpore suo venas, & renes adire non possunt. Vomitu ergo potissimum id procurandum fuerit, quo non solum materia in ventriculo congesta, sed ea quoque valenter euocatur, quę in venis ventriculum amplectentibus reperitur, & per eas quoque illa, quæ in caua iecoris parte hæreat. Vsus tamen etiā medicamentorum per aluum ducentium ad eam materiam, quæ antiquitus venas obstruit deradendam erit necessarius, quæ quidem curationis partes cum per interualla vicissim ordine quodam identidem sunt recipiendæ, tum post apparatum quendā adhibendæ, vt medijs dierum interuallis ea dentur, quæ humores detergere, & abradere valeant. perfecta vero hac curationis parte, tunc ad renes per diuretica, quod tutò tunc demum fieri queat, erit transeundum. Vbi ea maxime obseruatio necessaria est, ne longus extenuantium vsus venarum genus exsiccet, sic enim illę sanguinem crassiorem generarent, & magis melancholicum, contra quam per ea medicamenta quæreremus. Præterea videndum diligenter, vt aluus mollior seruetur, quoniam sic viscera, & venæ, quæ omnino stirpium naturæ sunt, tunc præstantiores tantum succorum partes sugunt reliquis cum aluo exeuntibus, cum quibus venæ etiā aliquid semper inutilis attracti iam antea succi ad aluum illius profusione inuitatæ depellunt, vnde videmus, quòd post cruditates, cum aluus largior descēdit, multum cum ea ad extremum etiam adustorum humorum exprimitur natura in aluum profusam tunc sua expultrice vi conuersa ad molestiā, & onus suum deponendum.

Quæ obseruatio sententiæ Hippocratis respondebit, qua ipse illos à calculo tutos facit, quibus aluus mollior esse consueuit, in ijs enim minus sugunt venæ ex crassiori materia, & magis terrena alimenti. Alioquin, vt dicebam, cum alui sicciores sunt, terrestris materia diu detēta à calore extenuatur, & cum melioribus succis fusa, confusaque in venas allicitur, quæ, cum in Renes aut Vesicam perducta est, ibi ab eo calore, quo extenuata fuit, deseritur, & in suam naturam reuersa aut sabulum, aut arena, aut lapillus euadit, quæ postea à calore Vesicæ, aut Renum solidiora fiunt. Res quidem, quæ me audentiorem facit, in consulendo, ne calidiora corpora vnquam minus iusto ciborum assumant, potius verò etiam amplius, ac quo ventriculus illum largiorē pati possit, & concoquat, exterius adhibitis iuuetur, quæque in dies cruditates fiunt, ea non abstinentia absumi credantur, qua potius sæpe magis crassiores fiant, sed cum Galeno, qui multis id rationibus libro de vsu partium confirmat, vomitu bis saltem in mense repetito euocentur, nam, vt dictum est, nec repeti inutile fuerit, sæpe per abstinentiam humores crassi magis alieni à nutritione euadunt, fiuntque magis exusti, & magis glutinosi, sola tenui, & naturali pituita in melius genus perducta. Humidum vero corpus, & Renum pręsertim, humidæque venæ seruandæ cum sint, quo omnes coctiones non assationis, sed elixationis genus retineant, necessario interdum est contra extenuantia, & Diuretica medicamenta, quæ exsiccant, calorem squallidiorem reddunt, ad assationemque, nōn elixationem aptum, nitendum est inquam cibi genere & iusta eius copia, quo illis medicamentis resistatur, coctionesque ventriculi exterius saltem iuuentur, cruditatesque identidem vomitu maxime, alui vero etiam solutionibus idoneis submoueantur.

Hoc itaque ordine curatio instituēda, vt primum vomitus, aut aliqua solutio alui fiat, deinde tum parandis tum euellendis humoribus in primis venis defixis opera conuertenda, tandem ad Renes per Diuretica tractandos deueniendum. Ac primo quidem duobus, aut tribus diebus per oxymel cum syrupo rosaceo coniunctum humor lentus ventriculi ab eius parietibus resoluatur, postea vomitu eijciatur, quem, nisi libeat post sumptum cibum mouere, certe ventriculus iure aliquo pingui, & abstersiuo benè complendus est, incoctis prius ijs, quæ illud tale efficiāt, vt bouilla carne cum folijs betæ, aut brassicæ, aut spinacij, seu rapi, aut napi, aut Rhaphani adiecto

adiecto Oxymellite. Nonnulli ad vomitum perfacile mouentur, si calicem vini maluatici sumpserint, sed nolim capiti obesset, poterit tamen experiri. Aquæ stillatitiæ ad id idoneæ multæ sunt, vt quæ ex aurantijs malis elicitur, est oleum amigdalarum, tandem valentissimum est lixinium.

Non dicã ius idem valentius fieri posse incocto asfaro, agarico, rhaphano radicibus ellebori traiecto, post vomitum oximellite aliquo composito venæ poterunt tentari, quo expediantur, quemadmodum si fieret è succo fumiterræ, lupullorum, betonicæ, cicoreæ, melissæ, chamedris, atque etiam absynthij, rosarum maceratione expressa, seu succo, & radicum capparorum cum melle, & aceto, vt solet, post cuius oximellitis aliquorum dierum vsum medicamentũ eliciens paratos humores est dandum, cuiusmodi esset ex ℥.ij. & s. sir. rosacei solutiui. ℥. I. s. mannæ, & ℥. ij. elect. Indi maioris. & totidem ℥. pulpæ cassiæ fistulæ dilutis ex iure, in quo aliquid senæ, radicis dulcis, prunorum passularum, & cinamomi esset incoctum, ac, nisi prima alui solutio fuerit, thabarbarum cum spica indica maceratum, expressumque sit. At nisi per potionem placeat, diacatholicon, & indùm idemmet adiecto rhabarbaro idonea essent. Catapotiorum quoque genus aliquod posset in hunc vsũ facere, vt quæ de rhabarbaro sunt, non dixerim illa de tribus, sed quæ huius nominis recipiunt etiã myrobalanos instituta à Mesue, quoniam ad obstructiones dictas propriè faciunt. Alioquin enim rhabarbarum, & aloes non ita omnibus suis partibus apta renibus sint, rhabarbarum vero nisi permixtione, & exiguitare sua accommodetur, quòd & suis viribus acrioribus renes petit, & acriores humores eo perducit, etiam nocuum. Catapotia quoque illa, quæ lucis dicuntur mihi viderẽtur oppottuna, in quibus medicamentorum calidorum vis fracta est ab aliorum permixtione, & humores altius in primis venis defixos, & melancholicos eliciunt. Ad vsum Catapotiorum propriè ea obseruatio referenda est, ne visceribus squallorem aliquem, aut asperitatẽ relinquãt, sic propè cibum omnino dentur, vel tribus tantum horis ante prandium, vel duabus à cæna. A cæna quidem darem, cum valentiora essent, vt, si opus esset cum supradictis cochia, aut eiusmodi alia commisceri, cuius rei sæpe necessitas potest incidere, sic enim nihil penitus molestiæ habebunt, quemadmodum ego sæpe in valentioribus pilulis expertus sum, & quoties turbationem fugere volui, ita votum obtinui. Vsum pulpæ cassiæ siliquę maximè probarem, quo & primarum venarum succos obduratos molliri, soluique posse, & pituitam è ventriculo excerni, renes vero etiam tandem expurgatos iri sperarem. cum qua propter inflationem radicis dulcis pulueres, & anisum coniungerem, terebynthi resinam idẽ posse non dubitarem, sed quòd calore suo materias funderet, & natura sua secum ad renes duceret, nisi corpore, & primis venis bene expurgatis, non ita commoda videretur. Præterea, si in exigua copia detur, potius renes appetat, quàm ventrem soluat, sin in multa ventriculum male habeat. Itaque tunc tantum exhiberem, cum in medio corpore nihil metum fecerit, alioquin curationis ordinem subuersuram, & vires illius ablaturam crederem. De rhabarbaro quoque id proprie admonerem, quòd primis quidem venis, & cauæ iecoris parti expurgandę admodum apertum est, initio tamen purgationum numquam bene commodum, propterea quòd a copia materiæ perturbatur, impediturque, ne suam exiguã vim possit exercere, quæ minutim, & per angustos, & inuisibiles meatus sparsam materiam, & altius defixam subtiliter eruere idonea illam non potest subtili, & exactissimo opere suo afficere, cum prius in eã materiam inciderit, quæ copiosior latiores meatus

A complet. Ita sæpenumero solet importunè datum dolores mouere reluctanti materiæ sua imbecillitate obuium. Cæterum corpore per hæc diligenter tractato tandem ad diureticam audacter potest transiri, quorum diuturnus vsus, cum extenuantia sint, sicciores venas reddere potest, ideo, vt dixi superius cõtra illa cibus humidior opponendus, & præterea etiam, cum fieri poterit, illa cum sero lactis propinãda. Lac nonnulli etiam ex his, qui à nostra memoria remoti sunt, exhibebant, quod cum forte ad ardorem vrinæ fuisset delectum, post eius vsum etiam non amplius congeri arenulas obseruassent. Etenim renum, & venarum squallorem sua nutritione leniẽdo, cum eo, quòd ex parte calorem mitiorẽ reddat, causam tostionis tollit, & loco illius copiam elixa-

B tionis facit, sic vero facere aduersus calculum affirmarunt, quod ego hac ratione non negarim. Sed quoniam habet materiam calculo gignendo idoneam, propterea in calidioribus renibus, & venis nõ est periclitandum, nisi lac tenuissimi generis fuerit, vt asininum, quod cum caseum non faciat, minus calculi materia esse possit, & non est à remedijs nostris eijciendum, modo ipsum suo tempore corpore expurgato, & bona obseruatione sumatur, & maximè illa, ne multum refrigeretur, sed continuo bibatur. Serum quidem certè optimè purgatum commodum, & quàm tutissimum fuerit ipsum quoque suo tempore exhibitum, & ad excipiendam propriam Diureticorum vim maxime idoneum, quod, quo purius sit, quidam per elambicum vi ignis traijciũt, vbi

C vires etiam suas amittat. Diureticorum delectum ego dirigerem ea ratione, vt non admodum calida, aut sicca essent, nisi necessitas alioquin vrgeret. Sic ego primum aqua stillatitia Fabarum viridium cũ siliquis, aut parietariæ vterer, aut ex fragaria, aut alsine, aut anagallide, aut gramine, aut halicacabo. Vterer frigidiorum seminum emulsione, millegrana, malua, cap. veneris, scolopendria, rubo, & puluere eiusmodi, quem iam in vsu habetis, ea animaduersione, vt in tenuissimum pollinem contritus sit, alioquin enim in renes non perueniat, vt ex illo non paucus primas venas possit impeditiores facere. genera eiusmodi medicis nota sunt, vt semina asparagi, lanugo, cetrach, ossa mespillorum, cornu cerui

D vstum, anonis rubi radix, similiaque alia. Venirem postea, si fuerit opus, nec suspicio desit, ad terebynthi resinam aquæ sarfare aut halicacabi, aut fragariæ, aut graminis lotam, & eius ad Diureticum vsum exiguam copiam darem, quo ipsa ad renes peruenire permitteretur, nec per aluum detruderetur. Aquã anonidis, aut ius corticum eius non dixerim radicũ his supponerem, cum opus per ea perfectum non esset. & in maiori necessitate ad illam venirem, quę ex nucleis persicorum, cerasorumque, & floribus sambuci cum vino maluatico fit, aut ad syrupum confectum ex succo limonum, & raphani syluestris, aut etiam domestici, pariterque ad oximel squilliticum. Syrupus de sthechade cum eodem oximellite squillitico à me sæpe datus est, & iuuare visus. Sed syluã

E hic medicamentorum cõscribere superuacuum est, videorque iam quæstioni de ipsis diureticis respondisse. Cum tempus erit balneorum, tunc, si opus erit, de illis loqui poterimus. De vsitatis aquæ dulcis balneis certum sit, penitus ea non esse dimittẽda, quod si intermissus ordo eorum vsus est, illum penitus esse reuocandum. Pro corporis exercitatione potius ambulet, quàm stet, potius equo quàm curru vehatur, quàmue pedibus fatigetur. De cibo iam dictum est, elixo potius quàm asso, sorbili vero maxime, certe molli esse vtendum, in prima mensa assiduè caricæ dissectæ, & in aceto demersæ magnopere ipsos renes purgant, in fine vero nuclei pinei. Aquæ delectus potissimum habendus, quæ nihil aptius arenulis

nulis gignendis esse potest; ni boni generis sit, propterea cum alijs notis hunc in vsum ea non est negligenda in aquæ probatione, quæ à pondere est, leuissima enim semper minimum crassi, terrestrisq; elementi habebit, minimè verò ea prætereunda, quæ à facili coctione eorum, quæ in ipsa elixantur, est. Atque hactenus de primæ percunctationis partibus, quod quidem satis esse videatur, etenim in superioribus literis videor, nisi immemor sum, plurima esse prosequutus.

Ad alteram percunctationem modo me conuertens non videor aliter posse respondere, quàm vt proximis literis feci. Neque enim te de mea voluntate erga Dominum, aut animi propensione erga mores Patriæ tuæ dubitare credo, neque existimare me vnquam alia causa detentum iri, quàm quæ in morum honestate, & hominum opinione, ac quadã existimationis verecundia est posita. Sumus in hac scena, attendunt homines, non quid verisimilis, & honesti in fabula sit, sed quàm bene, & quo pacto illorum oculis, & auribus inseruiatur, quod ni ad eorum iudicium gesserimus, deridemur. Fac me has difficultates superare posse, hoc est, quod etiam superius responderam.

Vt vero finem dicendi faciã, me Serenissimo Domino plurimum commenda, & eum fac certiorem, quòd hi Illustrissimi Domini petunt à me, vt certatim suo cratere nobis inter nos pro eius salute propinare liceat nõ solum alacriter, sed vsque ad ebrietatem. Doctor meus, & idem tuus Lucidus hinc abest trium dierum itinere, & præest curationi Magni Principis huius Regni Proregis, sic diu eo cogor carere, fuit tribus diebus proximis hic apud me, sed instante ægroto citius, quàm voluissem est reuocatus. Vidi de libris Andernaci, ij nulla harum Bibliothecarum habentur. Bene vale Doctor Excellentissime, meque vt soles ama, & in amicorum memoria me conserua, maximè verò si adhuc me diligit Gratiosus. Pragæ 4. Non. Decemb. Anno 1491.

T. E.

Obsequentissimus

Christophorus Guarinonius.

Ad Augustinum Lucidum Doctorem Excellentissimum. De Prorege Boemiæ Guglielmo Rosimbergio in hydropem labente.

CONSVLTATIO DLXXVII.

Doctor Excellentissime.

ET de solertia, diligentiaque tua nihil dubitamus in Illustrissimi, & Excellentissimi Domini curatione, & nostrum studium ei numquam deesse patiemur; propterea certa est Illustrissima Domina Maria, nihil quod in nobis esset, iri præteritum, & quòd ego tibi omnia ante oculos scripto constituerem, quæ tecum de eius valetudine sæpius egi, & ad nouas etiam postea res ei casuras excogitauero. Credo ego te in memoria habere, quòd inter nos iam fuit deliberatum, & videre nunc melius, quod ęgroto tibi ante oculos posito suis notis sese patefacit, id ipsum tamen absens ego hac ita persequar ratione. Sunt tumores œdematosi artus fere totos, certe inferiores continenter amplexi. Est ille, qui ad guttur identidem increscens, & decrescens infra etiam iugulum multam partem occupat. Huius quidem causa capiti potissimũ danda non videtur, quod & suapte natura, vt vides ex eius conformatione, & caluitio, atq; oculis calidius, & propemodum siccius est, & affectu vero etiam ipso minime ad frigidum, aut humidum est reuersum, cum non minus vigilijs, quã somno insolentiori sæpe tentetur, quæ vigiliæ propriam capitis, vt somnus totius fere corporis affectũ consequi debeant, constante eà capitis specie. Nisi illa ratione caput quoque causemur, quòd suo calore validiori humorem ab inferioribus attrahit, & in se collectum depellit. Alioquin certe sua intemperie illum humorem non procreat, quam ille humor frigidam, & humidam exposcit. Nulla vero rei huiusmodi intemperiei nota est, maxime cum vigiliæ sæpius intercidant, minus certe frigidæ; cum memoria, & prudentia constet. Tumor ergo gutturis quoque, vt alij, suã originem in venis habebit, præsertim ad iecur pertinentibus, & in iecore ipso, ac liene, vnde venæ suspensæ maxima affinitate cum illis continentur, quamuis cũ venis illis, quæ iecur cum intestinis colligant, ego eam culpam adhuc cõicari non suspicer, idq; non exigua ratione, quando venæ illæ solẽt potius aquosum humorem carnibus minime adhęrescentem, & vrinæ similem, cum eiusmodi culpã habent creare, illumq; suo quodam sudore in ventrẽ, & ad abdomen exprimere, siquidem tum venarũ illarum, tum materiæ in ipsas ab intestinis exceptæ ea natura est, vt, quoniã materia rudior incidit, ipsæ vero venæ intestinis, & ventri cognatæ non ita validæ sanguini gignendo sunt, quidquid suo vitio aquosi humoris ipsæ ex ea materia gignunt, id longius ab alimenti genere recedat, quam quod in sinu venarũ earum fit, quæ carnibus iecoris, & aliarum partium suffultæ sunt. Atque is humor penitus aquosus, & à glutine alibili remotus, quoties in venas superiores attractus, aut expressus fuerit, facile totus per vrinã, & per sudorem expellitur, vt prorsus inutilis, neque vnquã in vllum alimentum carnium potest promoueri. Hic modo humor, quem cernimus horũ tumorum causam esse, ipse carnibus tamquam alimentũ per eas totas perfusum applicatur, & glutine quodã, & habitu alibilis generis adhærescit, quamuis suo genere frigidiore, & humidiore numquam carnibus fiat simile. itaque non adeo à sanguine, & alimento distat, vt aqua illa vitio primarum venarũ facta, neque ipse primarum venarum vitio fit, sed viscerũ, & venarum superiorum. Minime vero mirũ videri dẽt, aut nouũ hoc, quod de diuersa origine diuersorum horum humorũ dixi, nam Hipp. quoq; siccæ hydropi visus est originem ad ilia statuisse, nimirum circũ ipsa intestina, cùm dicit doloribus diuturnis eius loci morbum illum succedere, nimirum cum nõ aquã, sed flatum suo acri calore materiam assante conficiunt. Tumorum ergo dictorum is humor causa est, qui viscerum, & superiorum venarum, nempe viscera continentiũ, & ad carnes, non ad intestina pertinentium intemperie gignitur, ex materia iam nõ penitus rudi ventriculi, sed ante à primis venis in genere sanguinis initiata, inchoataque. Etenim neq; nos vidimus vnquam in hoc corpore ventriculi concoctionem tantopère labefactatam, aut cruditates tãtas, quæ in hoc genere humoris omnino ad verã cruditatem spectarent, vt eius venis & intestinorum id frigoris attribuere possimus. Dixi cruditates in hoc genere humoris ad veram cruditatem spectare, nã is humor certè non fit per illam cruditatẽ, quæ exustio est, vt sæpe aquam in inferioribus venis videmus, sub qua & alui, & vrinæ exustionem potius, quam cruditatem proprie dictam pręseferunt. Quãquam vero hic aluus decolor sæpissimè seu cinerei coloris visa est, numquam tamen non æquabilis, nõ materię penitus transmutatę & in vnũ corpus cõuersæ, qđ ventriculi quidẽ perfectã coctionẽ ostendit, iecoris

coris tamen etiam venarum, defectam, qua sanguis pro modo naturæ suis omnibus partibus compleri non posset, infraque iustum suæ naturæ habitum relictus bile flaua careret, & ad genus pituitæ declinaret. Nam quòd aluus esset decolorata in obstructionem fellis causa referri non poterat, quoniam tunc bilis ad vrinam reiecta fuisset necessario, neque illas tunc in eo statu coloris reliquisset, aut habitus, quo nos semper conspeximus, numquam enim supra morem, & naturæ consuetudinem coloratę fuere, potius vero infra sæpe, raro crassæ, & nisi sub illius doloris accessione singulæ, quæ & crassiores longe & minus coloratæ essent, quæ pro sano fieri soleant. Aluus ergo eiusmodi, qualis obstructo felle esse soleat, cum nulla illius obstructio subsit, carere bile sanguinem denunciat, quæ res omnem frigidum affectum in venis superioribus, & iecore præsertim demonstrant capite non conspirante, nisi quatenus accepto eius generis humore, quo nutriri nō queat, illum deorsum reprimit accepta parte omni ex eo, quæ pro se faciat, quo magis alendo ineptus ille humor relinquitur, cum ex eo pars alibilis absumpta sit, antequam infra depellatur. At inquies, in intemperie frigida, cur efflorescunt in cute quandoque notę, quæ calidioris generis sunt? nam & pustulæ rubræ, prurientesque, & etiam color in tumore erisypelatis affuit, præterea sæpius ipse interius calorem sentit, & sitit, nec semper tectus esse vestimento potest, noctu vero se detegit, & exagitatur, interdiu quoque se aspiranti flatui libenter obijcit, & contra fenestras sedet detecto præsertim capite, & sæpenumero etiam thorace, quasi alienum calorem sentiat, quo supra suam naturam sit calefactus, quem calorem significant & rubores, & pustulæ, ac pruritus, qui à salso genere pituitæ esse solet caloris omnino opera effecto. Equidem video huiusmodi multiplices, & contrarios euentus quotidie, quibus frigidæ notæ calidis misceantur. Nobis ante oculos semper Senes sunt, in quibus maxime salsos humores abundare ex vrinæ ardoribus, & pituita necesse est dicere, in illis tamen refrigeratam naturam esse opus est, sicuti humidissima recrementa habent, cum tamen natura eorum propter squallorem declinet ad interitum. Quæ prorsus ita esse certum est. Quo pacto autem fieri queant, id subtiliori indagatione opus habuit, & summo studio à Galeno 5. de temperamentis explicatum est, neque vero nobis illud inauditum, aut nouum est, quòd calor nisi cognatus naturæ sit, & modo illius temperatus, cum præter genus corporis & supra morem naturæ increscit, tunc naturā corporis infirmat, & quo magis corpus frigidæ naturæ esset, eo magis affligit, & offensa per calorem corporis natura ipsa, ad offensæ caloris modum maiorem refrigerationem requirit, eo vero magis corpus ægrotat sub calore, quo humidius genere fuerit, ab eo enim calore humidum primo agitatur, liquescitque, & tandem ad siccum, hoc est ad contrarium suæ naturæ statum detorquetur, quo quidem quàm maxime vis nutrix dissoluatur. Quemadmodum huic nostro corpori facile euenerit, quod suopte genere humidius fuit, neque ita tamen calidum, præterquam capite, nam & candidissimis ac plenis carnibus, & nitidissima, ac læuissima cute, non admodum colorata fuit, vt à calore maxime offendi semper potuerit, eoque magis, quo siccius corpus spatio redderetur. Itaque vis nutrix facillime potuerit imbecillior euadere, & loco sanguinis crudos humores generare. Caloris alieni notæ validæ sunt, illa frigoris & potionum aquæ antiqua cupiditas, vestimentorumque reiectio, & aspirantis flatus delectatio ac desiderium. cupit enim natura ad suum statum vel potius ad se ipsam per hæc se recipere, cuius frigi-

A dioris sui generis causa etiam vinum semper exhorruit. Fuere vero etiam caloris aduentitij causæ euidentes, seu externæ multæ, quas recensere non est necesse. Verum squallori tamen necessario per calorem inducto frigidum genus superuenit, sic vtroque genere & præsertim frigore vis nutrix infirmata loco sanguinis crudos humores facit, & frigidioribus effectibus corpus complet, atque etiam humidioribus. quod quidem vitij genus cum à calore inductū est, habet se vt cineres solent, qui post ignem sicci, & tandem frigidi relinquuntur, vestigium tamen latens caloris retinent, quod quoties excitatur, toties sese exerit, & vim suam acrem, & salsam, atque amaram ostendit. Quòd ergo in huiusmodi corporum frigido statu calor subsit, nouum dictu nō est, quòd

B cruditates abundent, vetus est, quæ sane vtriusque generis esse solent. At quo pacto is casus tumorum subito euenerit, id etiam nouum, & admirabile videatur, neq; enim intemperiei ortus subitus esse potest, minus illius notæ repente oriri. Quicunque Medico illi qui fœlicitatem suam in curando iactat, fidem dabunt, nulla dubitatione tenebuntur huius rei, quoniam ipse arte sua admirabili id medicamentis procurasse profitetur, nimirum quo doloris interni materiam extrorsum deduceret, sed absurdas nimis, nec minus multas res hæc illius professio comprendit, siquidem neque tam copiosa tumorum tantorum materia dolores intus tam breues, & binarū tantum horarum fere fecisset, neq; latere intus adeo

C potuisset, quin æqualem, & pro sua copia tumorem intus effecisset, vt nunc extra videmus, minime vero in venis tanta contineri sine pessimis signis vrinarum, & febre etiam potuisset, tum autem humida cū sit, dolorem non effecisset, quem neque in eminentibus partibus perfecto sensu præditis faciat. At doloris præterea causa non solum humida esse non potuit, sed neque etiam humoris alicuius corpus habere, quod corpus non tam cito solui potuisset, vt sępe etiam intra horam quiesceret. Itaque fumus potius fuit, qui vel ab exiguo humore fieri solet. Exiguus ergo humor vt causa antecedens suberat, qui postea subito, & repente in plurimum fumum euaserit, ac si vel sanguis in eius genus transierit. Alia itaque causa quærenda est, quàm vna illa Medici ad sui gloriā adumbrata, & post euentum inducta per industriā.

D Vide quid ego causæ subesse existimem. Superioribus mensibus ipsi Illustrissimo & Excellentissimo viro aluus crebro soluebatur, & tantam humoris crudioris copiam excernebat, vt metum faceret vel Medico, hoc per interualla sine ordine, tamen crebro reuertebatur, ita vero etiam, ne vnquam in ipsis interuallis esset aluus adstricta, nisi perquam rarissimè, vt, quando tentationibus dolorum tenebatur, quo tempore clysteribus protinus ad suam mollitiem redibat. Nunc ergo intelligo aluum non ita fluidam minus ita, vt solebat, identidem solui, & liquidam fieri, sic humoris crudi multum detineri, & vi venarum attractrice cum reliquo alibili succo in venas trahi, sic in sanguinem parum profectum, parumque alimento idoneum conuerti venis præser-

E tim ad concoquendum imbecillioribus factis, & ad suum munus sanguinis gignendi sustinendum, quæ tum frigidis nimis medicamentis, vt succo Citri, tum nimis calidis, quibus omnibus aluus adstrictior facta est, caloris vim naturalem propemodum amiserint, & in eius locum acrioris caloris genus, & minime naturalis mutuatæ sint, vt humoris crudi partem essent, atque exurant, & tamen non benè concoquant, quæ iam humorum exusta pars aliquo medicamento ex postremis temperatioribus, & visceram generi aptis permota excernatur, & vsque in cutem erumpat, qui humor antea multò genitus,

tus, & moratus intus longo spatio exustior, & magis salsus factus sit, vnde in cutem procursus pruritum efficiat. Exeat vero cum his multis humoribus ille quoque quo dolor moueretur, aut ad dolorem non amplius à calore obruto nimijs humoribus queat in fumum verti. aut horum copia dilutus, delinitusque sensum sui non faciat, quod verisimilius est, qui semper ne sit exiturus, aut ita lenis mansurus, an etiam aliquando intus detenendus fumumve editurus, & acre suum genus liberum habiturus, ac dolorem facturus certum non est. Atque vtinam non tanto comitatu inuitatus sic exiret, neque viscerum, & venarum maiorem intemperiem tot humorum procreatricem haberemus. Sed quorsum hæc? quo nimirum statum Illustrissimi & Excellentissimi Domini cognoscamus, & incidentibus casibus occurramus. Nam certe & præsens incommodum est submouendum, & quod fore metuimus defendendum. Fore autem suspicio est, ne anasarca totum occupet, aut tabescentia senilis subsequatur, & priora omnia fiant. Partes itaque istius morbi amouendæ isthæc sunt, intemperies frigida per siccitatem à calore relicta cum ipso caloris foco, & materia partim frigidæ intemperiei, partim calidæ germen submouenda, ac quidem, prius, quo intemperies suo integumento spoliata tolli facilius possit. Vtrique materiæ generi tres iam omnino viæ ad expurgandum sunt, vna per aluum, alia per vrinam, tertia per sudores, nam ea, quę per operam manuum tentatur ipsa sanguinis detractione, hic opportuna non est, cum neque satis virium sit, & à sanguine nobis nihil timendum videatur, nimirum vt vel sua fluxione, vel transmutatione materiam exhibeat morbo augendo, potius vero eo egeamus ipsis viribus sustinendis, & corpori alendo. ne à malo humore malè nutriri cogatur, & à malo nutrimento malam temperiem sibi peiorem faciat, viresque infirmiores reddat. Tres ergo inquàm viæ tantum sunt materiæ huius morbi submouendæ, vt dictum est, ratio vero semper virium in illis tentandis habenda. Per aluum expurgabitur primum illis passulis in hunc vsum paratis, deinde pilulis de tribus cum rhabarbaro, & etiam cochijs, quibus addi possent in necessitate grana aliqua Elaterij vetustioris, vt terna, aut bina grana illius quæque sumptio Catapotiorum haberet. Parabitur materia ad exitum, & vna viæ, venæque omnes, tum viscera obstructionibus, & intemperie, ac sua imbecillitate liberabuntur, si confectus iam syrupus adhibeatur, qui humores parantia incidentia, extenuantia, abstergentia, & viscus quodque confirmantia continet. Quo per vrinas quoque humores propellentur, eoque magis si diluatur iure graminis, pimpinellæ, cetrach, radicum asparagi, petrosellini, eringij, aut etiam rubiæ. Carduum quoque benedictum in ijs haberem. Syrupus porrò, si recte memini, habet betonicam, melissam, cap. veneris, agrimonium, cetrach, & pimpinellam. Per sudores item ijdem syrupi materiam effundent ex ijsdem iuribus sumpti, præsertim si Guaiacum quoque adiungatur, & balnea insuper tepida adhibeantur, quæ quidem non aquæ simplicis sint, sed cui incocta habeantur illa, quæ possint exsiccare, non tamen admodum adstringere, quod in fomentis quoque adhibendis seruari oporteat, ne materia intus comprimatur. Optima erit betonica, saluia, rosmarinum, chamemelum, anethum, althea, verbasci folia magis, quàm radices, quoniam nimium forte illæ adstringant. Syderitis quædam saluiæ folijs, & similis generis alia. Siccorum dictorum balneorum, seu sudationum eiusmodi vsum, quoniam magna vi fiunt, ego non admodum laudarē, quia nimis isti naturæ debili vim inferrent. Inter illa vero, quæ parant, & educunt materiam vitiosam, ego multa non numeraui, quæ valētia sunt, quoniam aut sapore suo offenderent, aut viribus valētioribus, sapore quidem, vt succus radicum Iridis. vi autem vt gratiola, vt mezereon, vt ebulus, & similia. Brassica marina ijs nominibus quoque forsan dimittenda. Mechiachum aquosum quidem humorem exportat, tamen incertum semper eius opus est, neq; admodum robur visceribus relinquit, nonnumquam tamen illud tentarem. Reliquum nostri instituti persequamur. Antidota maiora illa vt theriaca, & mithridatium, alchermes quæ cum alijs, atque etiam diasulphur Mesues optimè facerent, quod de lapide quoque bezaar indicatur, præcipuè ad sudores excitandos, visceraque confirmanda. de reliquis numerandis non credo esse necesse laborem. De ratione victus etiam nequaquam, de qua toties dictum est, totiesque instituta, quamquam à fœlicissimo medico interrupta, quo ipsi ægroto placeret, qui non dicam ἄρεσκος, sed χόλαξ omnino esset. Certè ea malè successit, cum ægrotum in malum hoc genus deduxerit, non est discedendum ab auicu lis paruis, quæ alijs omnibus præferendæ sunt, deinde perdices in vsu habendæ, phasiani, atagenæ, quæ nostris dicuntur Francolini, & si quæ his similes. Diacitonite illud ad imitationem Galeni confectum cum aromatibus, & aceto tam in prima, quàm in postrema mensa erit appositissimum, sed aromata diminuenda. In potione, quæ omnino parca esse debet, eadem moderatio adhibenda esse, vt, cum abstemius sit, ea, quæ in aqua coquuntur calidi generis temperatiora deligantur. magis vero temperata sint ea, quæ non incocta, sed permixta cum aqua exhibentur, vt aqua cinamomi stillatitia, & aliorum eiusmodi aromatum, per venas enim sua tenuitate celeriter possunt fere integra transire, & illis nimiā siccitatem afferre. Renibus vero etiam maxime. Valdè itaque temperanda sunt per aquam elementalem, quæ quidem leuissima sit etiam ad stateram, quæ iudex est quantum crassi elementi contineatur. Sed chinæ radicem ei incoquerem magna spe, nam expertus sum, quantum sit in hoc genere affectuum vtilis. Illam commixtionem olei sulfuris, aut vitrioli, seu atramenti sutorij ego penitus exhorresco, quoniam duriter admodum agit exsiccando. De somno credo clarum esse tibi, quàm diurnus discussioni humorum sit aduersarius, & quàm nocturnus coctioni necessarius. Motus quidem etiam nullo pacto esset suis iustis horis dimittendus, in lectica tamen potius, quàm in rheda, & in hac potius, quàm pedibus esset habendus. Sed ego nimius sum, nam & hæc, & quæ de animi motibus, & quæ de inanitione, & repletione dici possunt, omnia tibi notissima sunt. Vides vero præcipuè, qua causa ego calidiora antidota præterierim, ea tamen, quæ, quo eorum calor frangatur, temperata sunt, enumerauerim. Sic non est, quòd de hac re longius edisseram. Nos hic bene habemus, tu quoque cura vt valeas. Pragæ Nonis Decemb. MDLXXXXI.

Tuus Christophorus Guarinonius.

Is Illustrissimus Vir, cum semper doctrinas suspectas habuisset, & rudiorum hominum operam potius vellet, quòd eam posse dirigi a diuino spiritu quadam singulari gratia pro certo haberet. Curationem ratione institutam latenter subterfugit, & clam opera rustici homini vsus est, à quo accepit metallica vomitum, & aluum mouentia, à quibus penè extinguebatur, dum mouerenr. inde sine tumoribus artuum, & colli fuit, corpore adeo squallido toto, vt mensium quatuor spacium tantum vixerit, quo spatio sæpe à καρδιώγμῳ grauissimo corriperetur, sub quo neciproximus

ximus credebatur, eodemque etiam sublatus est. Vt squalloris totius corporis, & ventriculi notas certiores dederit, & humorum siccorum ad ventriculum appellentium.

INFORMATIO.

CHristianissima Regina annum agens 38. temperamenti sanguinei biliosi, hepatis nempe calidioris, vt ex venarum latitudine, corporis gracilitate, fæcum alui magna difficultate, & exsiccatione constat. Capitis etiam calidiusculi, & ex colore faciei satis florido, capillorum nigredine, sensuum omnium interiorum, ac exteriorum integritate, ac intellectus acumine conijci potest, nec non medio critate somni, & vigiliarum. Cordis autem, vt fert sexus femineus, minus calidi. Renes videntur aliquo modo excalfacti, quod circa ipsorum regionem quandoque aliquem sentiat calorem, quandoque arenulas mingat rubras.

Menses non modo peccant quantitate, cum parum expurgetur, verum etiam qualitate, cum sint decolores. Christianissima inquam Regina aliquot ab hinc diebus cæpit conqueri de palpitatione cordis non leui, tertia quaque die, magis noctu lædens, minus quietis, plus autem debilitatis afferens. Sputum tum quantitate tum etiam qualitate peccat, cum sit magis crassum, tenax, & aliquid sanguinis modo nigricantis, modo rubicundioris adiunctum habens, quod sputum modo tussi, modo solo excreatu educitur. Vrina tum in colore, tum in substantia à naturali non admodum declinat: pulsus paruitate, frequentia, & inæqualitate magis recedit, sine tamen caloris, & sitis querela vlla. Lenita aluus manna, syr. rosf. sol. cum aquis cordial. exhibiti syrup. respicientes affectum, & materiam peccantem. Secta vena in talo propter defectum mensium optimoque cum successu, Exhibiti pulu. ex rebus pretiosis, & cordial. facta epithemata, appositi sacculi ad locum affectum. Reliqua requisita in hoc affectu adijcientur tempore opportuno.

Hæc currenti calamo propter angustiam temporis ita dictata scripta fuerunt.

De peripneumonia pro Christianissima Regina Galliæ Elisabet Austrina.

CONSVLTATIO DLXXVIII.

DE Christianissimæ Reginæ Maiestate, si recte ad eorum narrationem, quæ mihi scripta sunt, existimo, non possum non putare confluxum esse à toto corpore in partes cordi vicinas, & in pulmones factum, atque ea concursione humorum, si non pericardium, certe vasa illud complectentia distendi, & pulmonibus idem euenire, quarum partium distentis vasis primum sanguinis aliquid vnà cum pituita eruperit, quod in sputis visum est, clarioris quidem coloris cum modo venam exiuit, acri verò cum spatio antea aliquo. Metus vero sit, ne in corpus quoq; dictarum partium humores emanent, cum in vasis cohiberi non poterint, sic inflammationem earum mixti generis faciat, cuius rei signum erit spiritus angustia, quam suspicor etiam nunc adesse, & inflammationem iam cæpisse, quamuis in historia neque spiritus angustia posita sit, neque febris, cuius omnino aliquam suspicionem habeo. Quæ vero febris pulsu potius, quàm alijs indicijs cognoscenda sit. nam pulmonum ferè febres pituitæ multum habentes nec semper acrem calorem, neque sitim solent afferre, nisi febre postea longius progressa, & multi sic affecti linguam sanorum retinere visi sunt; imo & pulsus, vt dicit Galenus, raros, ferè vero molles,

A nisi morbus ad erisypelas vergat, vbi febris insuper maligna fit, quæ eiusmodi hic fieret quoque, si putredinem mali generis, hoc est illam propriæ suæ naturæ, non maturationis sortiretur. Hi vero pulsus cum parui, & crebri ideo sint, & cum adeo inæquales, multitudinem materiæ denotant. Vrinæ in febribus eiusmodi, quæ ad alium morbum sequuntur, qui morbus certa parte concludatur, non necessario multam habent mutationem, quam vero cum habent, ob communicatam putredinem cum venis id nanciscuntur. Quæ res fieri solet, quando corpora valde repleta, & malis succis referta non benè perflantur. Palpitatio vel saltus cordis propulsationem influentis noxij humoris sequitur, cuius quidem modi diuersi sunt, cum incurrentibus flatibus fit, tunc B compressionem cordis insolentius factam sequitur, ita pulsus intermittit. Verum is, in quo pulsus atteriarum speciem saltus cordis sequuntur, non potius sub quoque cordis saltu subsident, in ipso corde materiam habere videntur, aut certe in capsula, seu pericardio. Sic duo valdè grauia mala haberemus, quorum causæ sunt humores multi, & mali generis, quibus corpus refertum est, maximè ob diminutam muliebrem purgationem, & propter vitam, qua animum potius, quam corpus, diu exercuerit, & in templo assidue frigora senserit tempestatibus, frigidioribus, quibus squallori coniunctis pulmones, & totus thorax malè habuerit. Huiusmodi status morbi mihi esse videtur. Vires referuntur imbecilles, vnde C nō possit separari facile, si putrescat is humor, ad bonum pus posse reuocari, & ita pulmones iri expurgatos, propterea vita in periculo esset maximo. Qui porro metus nullus mihi esset, si certus essem vacuū corpus esse omni febre, sic. n. careret partium inflammatione. Auertendi autem mali futuri, & tollendi præsentis ratio in eo posita est, vt confluxus iste humorum auertatur, sectione primum venæ non solū à talo, sed à cubito etiam, aut cucurbitulis ad artus positis, ferroque adhibito, nisi vires venæ sectionem perlaturæ esse videatur. Certè & ijs, & omnibus alijs modis auersio vndiq; facienda est, in qua profecto potior spes est. Nam, cum materia iam confluxit vix periculum potest vitari, locum. n. vitæ maxime necessarium occupat, & viribus maximis eget, quibus D concoqui, & eijci possit, Vidi enim mortuos post cōcoctam materiam circum cor febre iam duobus diebus quiescente, quos retenta materia extinxerat. Ea vero auxilia, quæ cor confirmant, materiam magis impingunt, cōstrictionesque, & exsiccatione obstructiones, & inde putredines, & suffocationē moliuntur. At eo tempore potius sputum iuuandum, & toti pectori ea danda exterius, non quæ abstringunt, sed quæ euocare, & discutere materiā possint, vt ab adstringentibus sit penitus cauendum tam intus dandis, quàm extra admouendis. Quòd si copia nimia eiecti sanguinis cogeret nos viribus ipsis metuere, tunc alia ratio consilij esset ineunda. interea potius à suffocante intus materia, qua vires occupari est verisimile, corpus vindicandum est. Factis ergo identidem repetito auersionibus, in quibus præter supra- E dicta ipsæ frictiones quotidie essent faciendæ, & artuum molestæ constrictiones, & cucurbitulæ artubus vel cum ferro, vel sine eo applicandæ. Clysteria vero etiam acria, & medicamenta per os purgantia danda, tunc ad illitiones pectoris discutiētes erit veniendum, & ad ea, quæ coctionem materiæ in pulmonibus, & dictis locis, eiusdemque materiæ, vt in horas concocta fuerit, excreationem iuuent. Primū pectoralia dicta, quæ vtramque facultatem habent, deinde etiam magis incidentia, quæ in initio alicquin essent suspecta, ne materiam magis ad partes affectas incitarent. Quę ratio in viuendi modo quoque diligentissimè seruanda est, & ante auersiones dictas

dictas

dictas illa cauenda, quæ incidere possunt, aut pulmones laxiores reddere, quę sane post illas prouisiones omni studio danda sunt quemadmodum ptissana, & amigdalarum cremor, dulcia ex saccharo, & seminibus maioribus, aut etiam ex melle. Quod si sanguinis effusio nimia metueretur, in contrarium genus ratio victus vertenda, & tunc præter bezaar, & os de corde cerui, etiam cornu combustum illius, & bolus armena, & lemnium sigillum, & alia eiusmodi tribuenda. Interea commodius theriaca sub ijs malis vel recens cordi subueniet. Quod si IESV Opt. Max. benignitate fiat, vt Regina acutum periculum elapsa confluxu tamen longo postea teneatur, tunc præter eclegmata valentiora, quæ necessaria erunt, & cuique Medico nota, ego illud Mesues darem, quod diasulphur appellatur, in quo etiã sistendi confluxus, & exsiccandæ materię, & cordi confirmando aptę vires sunt, quod tunc cum theriaca quoque poterit commisceri. B

Et hęc Doctores pro narratione vestra repentè dictata, & scripta, vt profitemini, & pro viribus meis dicta sunt, atque vtinam ad salutem Maiestatis Christianissimę Reginę proficiant, In quibus nihil proprie ad palpitationem cordis recensere curaui, quoniam hæc palpitatio est casus, qui ad confluxum, & inflammationem propositam consequitur, neque nisi illis submotis potest tuto remoueri, nisi oleum aliquod admodum discutiens, & materiam extrahens post communem curationem thoraci ad quintam costam adhibeatur, in quo vis sit etiam cordis confirmandi, vt illud, quod à Magni Hetruriæ Ducis opificibus, & Magistris conficitur. C

Nono circiter à decubitu die interijt magna respirandi difficultate, neque vero illa fuit, vt referebatur palpitatio cordis, sed quędam arcta nimis compressio spiritus, & exagitatio, quę dum mouebatur eam vexaret, & multum materiæ copiam in pulmonibus indicabat. Medici causam mortis in suppressionem menstruorum dicebant referendam, numquam quid morbi fuisset explicantes.

De febre ex putredine in primis venis pro Illustri Polono D

CONSVLTATIO DLXXIX.

Eccellenti Domino Augustino Massæ.

MEa profecto hæc sententia est, quod febris ea à cruditatibus per primas venas meantibus, ibique putrescentibus filiat. nam post morbi præteriti conualescentiam continuo se conuiuijs, vel potius συμποσίοις dedit, & crassos, ac glutinosos cibos congessit, vinaque varietate, & copia, tum acerbitate valde noxia vsque ad ebrietatem. Huiusmodi febrium genus notarũ scio etiam ab antiquis, & credo Stephanum Atheniensem de eo scripsisse. Ego itaque venam modo non secarem, sed medicamento prius intestina diluerem; ne postea plus harum cruditatum in eas venas ingrederetur, & subinde parantia medicamenta darem, quibus materia, quæ in illis venis consedit abstergi, & incidi quæat, & tandem illas purgarem, vt postea deliberari poterit. E

Vale ex Arce Pragæ
10. Cal. Iulij
1592.
Tuus Christophorus Guarinonius Fontanus.

De magna cordis exagitatione per circuitus redeunte. pro nobili Boema. A

CONSVLTATIO DLXXX.

EXagitatio maxima cordis fit, sub qua etiã spiritus arctatur, & sudoribus factis, qui sponte veniunt, id tollitur. Vos Excellentissimi Viri hunc motum appellatis palpitationem, ego noui palpitationem fieri à materia morbi, non à facultate naturæ, qua materia in flatum versa inflatio fit, soluto vero flatu cessat, sic sine ordine motiones illæ fiunt, & impares penitus, ac imparibus interuallis. Hæc exagitatio paria interualla habet, & rhithmum pulsus seruat, tantum celeritas, & magnitudo impense aucta est, ictusque tum citos, tum validos habet, sic non à materia, sed à facultate per vim tamen materiæ coacta, fiunt hæ exagitationes, quæ specie sua nil causæ referunt præter vsus ipsius inusitatum admodum incrementum, sic & calor, & fumus valde, & insolentissimè increuerunt, id vero non nisi humoris fumo crasso, calidoque opportuna exustione, quę propter sui crassitudinem consumi facile nequeat, & propter squallorem fumum potius, quàm vaporem edat, vt humor fecem sanguinis, & genus omnino melancholicum præseferat. exustio vero sic repente facta omnino putredo sit, cuius locus prope cor, & in arteria arcta sit, intraque thoracem, ex quo cor inficitur, & arteria arcta, & spiritus angustia fiat. Quam rem si rectè inspiciamus profecto febrem esse iudicabimus, quoniam cor concalescit. quod per fumos humorum putrescentium cum sit, putridam ipsam necessario dicemus, itaque putrefactione finita sudor, & finis huius exagitationis fit. Vbi cor magis, quàm arteriæ attollitur, imo initio accessionis illæ contrahuntur, quoniam corde sese multum attollente, nec dum perfectè materia inflammata, arteriæ minus caloris sentiunt, & à cordis agitatione ad ipsum quasi ad suam radicem retrahuntur, posteaquam vero incendium secum communicatum est, tunc ipsæ quoque æquè attolli sentiuntur. Eiusmodi autem humorem abundare in hac matrona, & genus corporis, & ætas, & mensium cita cessatio persuadent, nam in corporibus multi sanguinis, cum ætas inclinat, semper multum fæcis sanguinis colligitur. teste Hipp. quod præcipuè mulieribus fit, in quibus minus sanguinis, quã in viris consumitur, ita plus congeri necesse est, siccioris quoque esse generis sanguinem indicat creber sabuli per lotium exitus. Quo subueniamus, & ne periclitetur, quod in dies magis eueniret, materia eiusmodi à dictis locis, & à toto corpore presertim à partibus vteri, per quem exire solebat, & vnde redundare cogitur, erit detrahenda. Sic, quoniam vena secta est, exiguumque sanguinis eductum, iterum sanguinem mittere aut à saphena, aut à talo, aluo prius ducta, quoniam sicca nimis est. postea humores, & vias pararem, interea tertio sanguinis aliquid educerem è cubito, tandem humorem proprio medicamento exhaurirem. Aluum lenirem ea potione.

℞. Mellis ros. sol. mannæ electæ ana. ℥. ij. s. cum decoctione pectorali addita ʒ. 1. anisorum t. p. Parantia vias, & humores essent eiusmodi. ℞. Syr. de cap. ven. de betonica, oximellitis ana. ℥. s. decoctionis melissæ, betonicæ, cap. ven. fumiterræ, borraginis ℥. iiij. pro syr. Quæ paratio si esset repetenda, darem in eumdem modum syr. de cicorea Nicoli cum oximellite. Medicamentum mihi probaretur post apparatum materiæ eiusmodi.

℞. fol. senæ elect. ℥. 2. s. epithymi, liquiritiæ an. ℥. 1. s. thymi m. 1. cinnamomi ℥. 1. passularum enucleatarũ ℥. s. cariophylli ℈. 1. fiat decoctio in aqua mellissæ s. a. quæ coletur cum expressione, qua dissoluatur ellect. Indi maioris ℥. 2. s. diacatholicon ℥. 3. mellis rof. solut. mannæ electæ an. ℥. 1. s. si medicamenta à paracelsista exhibita nocuere, id duplici de causa factum est, tum quia natura animatis eorum genus infestum habet, tum quia humores parati non erat. Exterius quoque epithema ingererem, vt ℞. aquæ mellissæ, borraginis an. ℥. 5. croci ℈. 1. vini aromatici, aceti an. ℥. 1. s. puluerum cordialium temperatarum ℥. 2. Neque ego reprimentibus vterer, quoniam & Thorax ea non accipit sine cordis, & pulmonum periculo, & cor vult potius per discutientia onerari. Aliquid etiam Theriacę in eo epithemate permiscerem, frictionibus vterer, & alijs à corde auertẽtibus, & victu mediocri, extenuante quidem, & maxime hordeo cum aceto parato. A vino abstinerem, potius ceruisiam ex hordeo, & lupulis addito cinnamomo concederem.

De affectu renum pro Serenissimo Vrbini Duce.

CONSVLTATIO DLXXXI.

Illustris & Excellentissime Doctor.

Binis T. E. literis eodem tempore respondebo, quoniam in idem argumentum scriptæ sunt. Vnæ 3. idus Decemb. alteræ 6. Cal. Febr. datæ. Crede mihi, tantopere ego afficior tuarum literarum lectione, vt postea multis diebus nil nisi tecum agã, sed iam quod rogas nimirum, vti ego particulatim meam tibi de omni isthac curatione sententiam describam, id, cum idonei Medici curant, nec admodũ soleo, nec puto ita multum oportere, neque etiam facile esse ea, quæ incidentibus quotidie nouis rebus conueniant, tanto ante definiri. Hic vero multo maxime id præteriri posse existimo, vbi non solum idonei, sed longe maximi Medici præsto sunt, cum quibus ego meas libentius dubitationes conferrem, & quos in difficilibus rebus malim authores habere. Certe quidem multa sunt, quæ non nisi pręsentibus, & inspectantibus cognosci possunt, multa etiã præsens consilium requirunt, omnino tamen mihi mos gerendus est Duci Serenissimo. Capita ergo, ad quę omnis curatio dirigenda est, illa esse existimo, quæ in iecore cum omnibus venis, in renibus, & ventriculi considerantur. Nam de cerebro, arbitror ipsum à suo statu naturali minime multum recedere, cuius porrò rei notæ sunt, quòd integris suis facultatibus vtitur, quæ temperiem etiam probandam significẽt. Vigiliæ enim neque à genere huius capitis esse possunt (quod & suapte natura humidius, & nulla ratione ad contrarium genus nimirum siccum præter naturam perductum vnquam esse cognoscitur) neque ipsæ continuæ sunt, quo suspicionem faciant suã originem in capite habere, ab inferioribus itaque dictis locis, ijsque male habentibus vigilias fieri necesse est, præcipuè arterijs soporarijs halitus inde sicciores excipientibus, sæpe vero etiam ventriculi ore ab illorum halituum morsibus infestato. Caput ergo si quas in hoc malo partes habet, illæ sunt, quòd materiam, quam ab inferioribus suo calore allicit, propulsans in locos affectos repellit. At ventriculi vitium sic ab hypochondrijs sustentatur, vt à ventriculo quoque hypochondria sui vitij originẽ traxere, ab ipso enim ventriculo hypochondria materiam crassam in sui obstructionem nacta sunt. ab his

A autem ventriculus tum communione naturæ sui corporis, tum halituum suffusione afficitur, interdumq; malo caloris genere ab illis tentatur, fere quidem certe halitibus postea refrigescentibus, sibique adhærescentibus eorum frigore occupatur, & eo sicco, quæ halituum natura est, à sanguine in locis indurato excitatorum, Renes modo consortium caloris cũ iecore habent, & vnà siccitatis, quod suis antea indicijs, & causis fuit deprehensum, quibus vero postea id amplius spatio euenisse intelligitur, si recte signa examinemus, quod, dum suo calore nimium attrahunt, succumque vitio ventriculi crudiorem, illum conuertere in alimentum probum non possunt, malèque nutriuntur, & malum halitum acquirũt, adeo quòd, quamuis suo contextu, & corpore solidiore
B in siccum, & calidum vergant, carnibusque suis vetustioribus, & firmioribus eam intemperiem retineant, recenter tamen inductis, & mollioribus habitum nimis crudum, & humidum nancisci facile possunt. Sic videmus, quòd modo sabulum, modo crudum humorem efferunt in vrinis, & ad lumbos quidam tacitus oneris, & laxitatis sensus fit. vnde etiam Vrinæ ardor diutius defendatur crudo humore causam salsedinis hebetiorem eo habitu factam inueniente.

Hoc autem ad dextrum potius Renem pertinere verisimile est, quod in hoc corpore, vt in plerisque forsan vena emulgens iecori proprior sit, ne dum rectæ magis ab ipso viæ obiecta, quàm sinistri, quo
C Ren cum iecore magis communicet, & materiæ inde venienti prior obuius fit. Hypochondriorum autem vitium, vt alias proponebatur in venis illis præcipue est, quæ intestina, & lienem amplectuntur, ventriculoque coniunctæ sunt. id vero ita habet, vt, cum calidiores, &racciores sint, materiam tamen cõtineant se obstruentem, quæ spatio tum crassior, tũ siccior, ac frigidior euaserit, vnde halitus primum à calore excitati, paulo post à calore relicti, & in genus suæ originis relapsi ventriculum refrigerent. Hæc itaque habere ante oculos Medici debent, in quæ sua consilia, & operas referre nitantur, eoque ordine illa remouere, quo aut ipsa consistunt, sesque sustentant, aut ita habent, vt sine vno alterum tolli, vel recte tractari non possit, aut aliquod eorũ
D cæteris magis vrgere intelligatur, id enim semper ad se curationem retorquere consueuit. Modo quidem prorsus leni omnia facienda sunt, sic hypochõdrijs, & Renibus planè efflagitantibus, qui ab acrioribus medicamentis semper infestantur. Venæ ergo hypochondriorum sunt ab imbibita sibi materia expediendæ, & in meliorem temperiem reuocandæ. Renes item primum à recrementis, deinde à mala nutritione vindicandi, postea ad temperiem suam, & meliorem, firmioremque habitum reducendi, tũ melius nutriendi; atque ideo priori curatione expurgandi, exsiccandique, posteriori autem ad frigidius, & humidius genus retrahendi adiecta aliqua semper leni, quæ visceribus debetur adstrictione.

Quibus vero omnibus totius corporis procuratio
E anteponenda est, ne ad partes tractatas humores alliciantur. Sic à sanguine mittendo initium curationis faciendum, cum sanguis materiam cuique augẽdæ noxæ idoneam habeat, non solum dum male transmutatur in corpore, sed etiam dum ipse integer ad morbum attrahitur. Mittendus vero est prouisio prius, ne aliquid crudi in ventriculo resideat, & omnino cibus ante descenderit aliquo leni, & minimè molesto, magisque ei visitato medicamento exhibito, vel, si fuerit aliquod catapotiorum genus, cui assueuerit. Venæ, vnde sanguis mittendus sit, illæ mihi probarentur; primum iecoraria brachij dextri, subinde saphena cruris sinistri, tandem eæ, quæ ad anum sunt, quoniam hoc loco hypochondria, &

Renes

Renes tamquam sedes affectuum habemus. Modus A sanguinis pro viribus metiendus est, ne tamen minus quàm septenæ vnciæ à quaque parte mittantur, præterquam ab vno, à quo vel tres vnciæ possent sat esse, ijs interuallis hæc fiant, quæ Medicis videbuntur, ad minus tamen diei sint, neque interea aliquo medicamento purgante dato, ne sanguis inutilius, & minus tuto postea detrahatur, minus etiam ijs datis, quę valentius humores ad purgationẽ parant, ne ad Renes copiam humorum deuoluant. Interea itaque ius cicorei, borraginis, sonchi, acetosæ, buglossæ, & eius generis aliorum dari poterit. Sanguine autem penitus diminuto tunc iuri eo vsque dato poterunt adijci radix dulcis, capill. Veneris, agrimonium, lupullus, fumus terrę, aspleniumque, sub ijs lenior aliqua medicina danda est, quemadmodum ex B floris cassiæ ℥.3. mellis ros. solu. ℥.2.s. mannæ electæ ℥.1.s. Qua tribus horis contenta, ego vomitum expeterem, & aliquo iure leniter inuitarem, quo crassa pituita ventriculi euolueretur, neque Renes, vt solet, vis medicinæ incederet. Repetendi subinde erunt syrupi adiectis iuri suprapositio herbis, & alijs, quæ valentiora sint, vt betonica, melissa, eringio, pimpinella, thymo, cinnamomo, melle ros. syrup. Acetoso, & de cicorea Nicoli. Post quorum vsum medicina purgans altera subiungatur, quæ eiusmodi esse posset. ℞. fol. senę elect. ℥.2. cort. R. veratri nigri prępar. ℥.s. passularum ℥.s. turbith, Tartari albi an. ℥.1. Rad. dulcis ras. ℥.1.s. mastiches, calami arom. an. ℈.2. cinnamomi ℈.4. prunorum num. 3. fiat decoctio in aqua C cap. Ven. s.a. quæ coletur cum leui expressione ℞. supradictæ decoct. ℥.3. florum cassiæ ℥.3. mellis rosac. sol. ℥.3. mannæ elect. ℥.1.s. m. & f.p. Qua item tribus horis detenta vomitus pariter irritetur, quoniam sic superius crudiores, inferius exusti humores eijcientur, neque materia medicinæ viscera infestabit, & ab hypochondrijs, ac Renibus auersio fiet. Tertiam ego libenter Medicinã repeterem, in qua Rhabarbarum esset, & vomitum minime mouerem.

His perfectis, quæ vagãtes totis venis succos educunt, alia adhibenda forent, quę adhærescentes magis, & quasi nutrientes, & malè quidem succos deradant, pręsertim è Renibus, & hypochondrijs, quẽadmodum si ex sero caprino, & succis cicoreæ, aut fumiterræ, betonicæ, quidem certè, atque alsines, tũ D parietariæ, & pimpinellæ demum, atque halicacabi multo sero ad rationem Dioscoridis dando, ac per multos etiam dies, cui quinto quoque circiter die aliquid senæ, & mellis rosacei soluti adijci debebit. Post cuius vsum ego puluerem stomomatis præparatum darem tutissimam rem, & Renibus purgandis, firmandisque idoneam, & per aliquot quidem dies à ʒ. s. vsque ad vnam ex aliquo iure deliniente, vt esset ex ptisana, quo deuorato protinus ambulatione vti vellem. Tum pulueres ex pimpinella, saluia, & betonica ipsa resina terebynthina exceptos, quo bolo pluribus diebus accepto, si non satis bene hypochondrijs, & Renibus factum videretur, ad aquas Thermales postremo me referrem, & primo hypochondriorum causa aquis Tetucij vterer per E dies 7. saltē non quotidie sed alternis diebus, subinde ad eas, q.s. Marini sunt, me conferrem, ni aliquid detrimenti his annis perpessæ sit.

His verò confectis, ego Renum, & venarum omnium nutritionem quærerem, & humectationem proprij habitus illorum, atque ita lac darem vel caprinum cum multo saccharo, vel asininum quàm recẽtissime mulctum, & inde postea nihil aliud à medicamentis peterem, & viuendi modo, ac naturæ reliquam omnem rem permitterem, mediocribus omnibus confidens non solum genere, sed modo, in cibis, potionibus exercitijs, & cæli ipsius temperie, atque animi etiam motionibus. Ventriculi porro ratio sub proposita curatione semper habẽda erit, & post aliquam purgationem fomentis, & illitionibus atque profusionibus iuuandus, illis quidem tantopere calidis, ne cutem, qua ventriculus fouendus est, aut extenuent, aut aliquo alio pacto malè habeant. Capiti autem, vt proposui, nihil valentius molirer, nam vt materiam prohiberemus, ne ipsum adiret, eam nihilo secius Renes allicere cogerentur, qua verò à toto corpore ablata per purgationem caput quoque sit ab ea tutum futurum. Neque ęquum sit ipsum caput è suo statu nunc dimoueri, cum corpus ægrotum habeat, quãdo naturalis constitutio sub morbis mutanda non sit, sed penitus retinenda, pręsertim quod nos certi non sumus ipsum posse in melius reuocari. Lumbis quidem vnguenta suo tempore admouerẽ, vt vnguentum ex Benigno, seu Beligno dicto, & alabastrite permixtum, quod ijs partibus admodum profuisse recordor. De ijs ergo, quę in curatione vernali videntur facienda, sic me expediui, reliqua in alijs meis literis credo reperientur. Madamam bene valere ego mirum in modum gaudeo, vellemque semper de ea idem audire, tum hæc illi tuo ore significari, & mei memoriam apud illam aliquo pacto renouari. Lætor quoque nostrum Gratiosum tã egregiam Matronã in vxorem duxisse, & Peruzzium sese è turbulentijs Romanorum aulicorum in istud quietis asylum se recepisse. Eos, qui obiere, nobis deesse plurimum dolet, quorum certè multorum memoriam facile nequeam amittere. Quod verò T.E. in schedula habet, sic insomnium fuit, quod flatus ab Argeste, seu coro longe alius videretur ab eo, qui à Thrascia, is enim lenissimus, placidissimusque, tum non admodum densus, aut plenus, minus vero validius, minusque sua lenitate, & mollitie penetrans. Ille vero quamquam à longinquo magis veniens, & plenior, acrior tamen, asperiorque, & longe vrgentior, varietate etiam refertus. De oculis, ij profecto qua parte specularibus iuuantur, à materia obstruẽte eam læsionem non habent, quæ hoc modo leuari non posset. Sed habent ab eius generis squallore, & membranarũ duritie, quæ senibus domestica est. Obstructio itaq; à fumis illis nigris tanta nõ est, quãta aciei illud impedimentum faciat, ac generis siccioris halituum cum sit, minimè continuari poterit ad obstruendum, vt alias prædicebam, quod de aurium sonitu fieri solet, cum ille subtilis, & varius est. Sed dum ego scriptioni intẽtus sum, neque à te possum auelli tabellarium discessisse audio, vt in alterum proximo tempore discessurum differenda harũ literarum missio sit, bene vale. Vir Excellẽtissime, & mihi sæpius scribe. Pragæ 13. Cal. Martij 1592.

T.E. Obsequentissimus,

Christophorus Guarinonius Fontanus.

CONSVLTATIO DLXXXII.

Excellentissime Vir.

Qvantum attinet ad istum vsum recentiorum, quo per vim ignis, & per quandã ἀναστοιχείωσιν sic à Galeno nominari solitam huiusmodi colliquationem humores e medicamentis eliciunt. Dico esse incertam admodum rem, & in vno quoque medicamento prius proprie, & longa experientia dignoscendam, antequam ad opus adhibeatur, cum non idem sit omnium exitus sub eo opificio, nisi quod à priori sua natura longe possunt deturbari. Imo potes experiri, quod neque idem prorsus medicamentum, vel sub eodem artifice easdem vires solet

let inde semper reportare. Certe quidem solutiua plurima, quibus soluendi vis in tenuioribus partibus sita est, per eam operam vires suas soluēdi amittunt, pauca autem retinent, quemadmodum Metallica certo modo deducta.

At quando de sero lactis id consilij petitur, ego tam incerta re hic non vterer, nisi tamquam materia aliorum medicamentorum vires deportatura. Alioquin eo minus crederem eum vsum, quem expetimus ab illo, nos tunc posse expectare, quo minus perfectè in ipso permixtæ sunt illæ partes eterogeneæ, in quibus auxilia expetita consistunt, nam partes illæ nequaquam possunt sub ea mutatione retineri in eo humore, qui à Medicis, nescio qua ratione, tamquam præstantior elicitur, priorem vero humorem in ea stillatione magis probant, quorum ego nihil laudo, facile enim dissolui multæ partes vsui nostro idoneæ possunt, multæ in imo remanentes non extillare, quæ detergendis, & firmandis Renibus valent. Vna tenuitas, & ad penetrandum celeritas istos mouet, opus consilijs nostris non ita potissimè quæsitum. Sic ego cogitabam dum scribebam, forsan aliter iudicaturus si veriorem rationem, audiero. Certum quidem est, quod seri illa pars per colliquationem vi ignis factam excepta abstergendi, & purgādi vi priuata solum vehiculum remanet, cui ingerendæ vires sunt ab herbarum succis, quarum supra mentio facta est. Quod sane vehiculum alicui etiam minus aptum forsan iudicari possit, quod pinguius, & aerosum magis videatur. Purgandi sane, & confirmandi Renes sunt, quod male nutriti sunt, vt vrinæ ostendunt, & timeri possunt lapilli, vt debent, cum vrina alba, & turbida est, neque credendū est, quod lapis vel magnus quidem in Renibus semper molestum ei sedi sensum afferat, nam multa cadauera eorum, qui nullum eiusmodi sensum habuerāt, cum lapidibus in Renibus reperta sunt, quibus vrinæ turbidæ, & decolores tantum eam suspicionem fecerant. Illud dare lac, quo Renes nutriantur, & meliorem habitum acquirant ego suo tempore laudo, sed postea dare aquam Villensium balneorum, nequaquam. Nam si lac suo tēpore datur, & Renes tunc purgati sunt, balnea opus non sunt, si balnea opus erunt, nutritio suam opportunitatem non habuit, vt post sui munditiem.

Christophorus Guarinonius Fontanus Physicus Veronensis.

CONSVLTATIO DLXXXIII.

Excellentissimo Augustino Lucido Physico.

HAbes mi Lucide hic breuibus comprænhensa, quæ ego existimem de his, quæ ex te Andreas Chiocus vir optimus, & in omni literarum genere Excellentissimus de mea sententia quærebat, nimirum de sanguinis missione, Vesicatorijs, & Theriaca, quibus hodie plerique Medici in febribus malignis, præsertim cum maculis Petechijs dictis vti cōsueuere. Quo enim tu posses hæc illi certius significare, ego, vt potui, his literis commisi. Sit vero prædictum primo, quod hæ febres, quæ eiusmodi maculis (non etiam facile dixerim exanthematibus) corpora afficiunt, in malignarum febrium genere à me constituuntur, non quod maculas ego in benignis quoque febribus non viderim, quoniam & in eis, & sine febre etiam illas vel atras admodum conspexi, quin proprie recordor, quod ij, quibus acciderant, non multo post tempore sanguinis profusionibus extincti sunt, bis autem cuidam eorum prius visæ sunt, non macularum inquam causa ego eiusmodi febres malignas existimo, minus harum malignitatem illarum genere, aut copia proprie existimarim, cum hæ sine illis inueniantur, sed quoniam fere certum febrium genus malignarum insequi videantur, ipsumque etiam denominent, quemadmodum solent morbi à casibus vulgo appellari. Ipsæ quidem certe maculæ posterioribus tantum temporibus notatæ sunt, nec à superiorum seculorum Medicis vllū febrium genus hoc macularum nomine ab Actuario tantum è recentioribus Græcis ego obseruaui illas maculas, quas nos Petechias dicimus, primum designari, qui ipsas pulicum morsibus similes faciat, non vt Aetius sua exanthemata culicum. De hoc ergo febrium genere ego sic statuerem, quod ea ratione, qua proprie maculas effert, nihil proprie à Medico efflagitat, siquidem eæ maculæ non ipsius naturæ conatum, sed morbi vires, hoc est putredinis maleficium in sanguine dissoluendo sequuntur, qui in saniem quandam sui generis fusus vaporisque habitu ad cutem elatus, vt primum ad extimam cutem peruenerit ibi sub cuticula loci frigore in sanguinem cōcretus consistit, calore enim relictus in suum quam maxime potest priorem habitum reuertitur, eoque facilius maculas molitur, quod vapores in ambitum corporis obstructum, quemadmodum in his febribus contingit, incidentes, eius angustia reiecti in diuersum resiliunt, & quas alicubi laxiores vias nacti sunt, vasa maxime arteriarum in illis collecti impetu suo confertim ad cutem facto in maculas sic distinctas, & coloratiores conueniunt, breuiori vero id via facientes, hoc esse faciliori, in dorso maxime, & pectore consident, partibus scilicet ei sedi proximis, in qua putredo est. Alioquin enim naturæ viribus non febris acri ad longinquas, & extremas potius partes pellerentur, vt in Variolis salubrioribus videmus, siquidem, quæ minus salubres sunt, ad pectus potius, & dorsum consistunt, quòd etiam Auicenna adnotauit. Non naturæ ergo, sed morbi dictā corruptionem maculæ sequentes propriam vtilitatē non habent, quod vero si aliquam haberent, ea valde exigua foret, quoniam valde parum humoris efferunt. Malignitatem modo harum febrium non possumus in aliam æque causam referre, vt macularum dicta origo nos admonet, quam in malum putredinis genus, quod propria mixti corruptione fit, non per exustionem, sed per caloris proprij mixtum continentis discessum, & humidi à calore continendi dissolutionem, quo fit vt minus ardoris efficiat, & in tāto vitæ discrimine salutis tamen spem retineat, atque halitu suo glutinoso quale est humidum proprium dissolutum, facile similibus humoribus, & corporibus adhærescat, & putredinem inferat, maxime si illa obstructa fuerint, & male perflata, sic enim eorum humores cito putredinem comprehendunt. Multa vero corpora obstructa, & angusta sunt, cum Borealis tempestas subito Austrinam exceperit, aut è calore & insuetato labore, & concalfactione, in subitum frigus inciderint, nā fusi in ambitum humores, ibi e tenuibus crassi fiunt, & meatus obstipant. Quo casu quamquam viscus aliquod compressos intus à frigore humores in se plerumque accipit, Erisypelateque, aut omnino aliqua inflammatione occupatur, inde tamen primam febrem factam putredo in omnes venas pertinēs sequi solet corporis obstructione conuenientem perflatum sanguini concalfacto non permittente. Vnde cor dum fumos expellere conatur, plurima agitatione vsū tū halitus, tū humores ad se attrahere cogitur, quos via apertissima in pulmones extrudit. Vbi vero donec sanguis primum feruorem comprehenderit, primumq;

putre-

putredinis feruorem, fere febris ipsa synochi speciẽ primam retinet, nisi corpora multo humore bilioso abundarint, in quibus præterea etiam ardentẽ præsefert. Ac plerumque cum putredo suas progressiones fecerit, in febrem mitiorem malum degenerat, vt inclinare febris videatur remissiori facto calore, copia tamen putredinis interea longe maiori facta prius malum est, ac quoniã febris hęc ex putredine metienda est, maior inde tunc ipsa esset dicenda, certe peior, quoniam putredo, qua continetur illius vis, peioris longe generis, & amplioris copiæ subest.

Sic vrinæ fere turbidæ sunt, quæ non exustionem, sed dissolutionem sanguinis indicant, & pulsus humiles, ac imbecilles sæpe non admodum agitati, & maxime subeuntes. Quæ cum exustio nõ B sit, sed mixti dissolutio, vapores etiam magis glutinosos, quàm fumos, vt dixi, profert, atque ita facile ea corpora in quorum pulmones fumorũ ille anhelitus incurrit, ad eandem putredinem compellit.

Quibus ita propositis, & ante oculos constitutis non videtur difficile videre, quid sit illis quęstionibus respondendũ ei Medico, qui Methodi medendi ignarus non sit. Nam, qui non ignorat sanguinis missionem hoc loco potius ad morbi, & putredinis incrementum impediendum valere, quam ad putredinẽ exhauriendam iam factam, & debere omnino dimi nutionem sanguinis ipsum incrementum morbi, & putredinis anteuertere, cum sanguinem, & humores omnes nondum putridos, & nondum obstruentes C putredini, & obstructioni faciendæ subtrahat, is intelliget etiam, quòd sanguinis diminutio in principijs tantum febrium adhibenda est, siquidem febres hæ magnæ sunt, & maiores tunc postea futuræ, & ægroti adhuc valentes vires habent, nec dum per putredinem debilitatas, ita in alijs morbi temporibus id auxilium idoneum non est, quoniam in illis commodum expetitum nequeat afferre, minus à viribus tolerari. Vbi sanguis, qui in bene valente corpore nullius oneris antea esset, iam ægroto corpori grauis est, sicuti etiam cibus, itaque sit omnino diminuendus, alioquin neque à viribus naturæ contineri integer poterit, & ad putredinem necessario delabetur, qui saltem tres suas partes præbeat in omne malum augendum, nimirum bilem, pituitam, & me D lancholiam, quæ à calore febris facile vitiantur. Sic sanguis ante detrahendus, quam subeat corruptionem, præsertim quòd ipsę vires maxime infirmantur. Potius vero secta vena id faciendum, interdum tamen per cucurbitulas, cum sectionem non pati vires videbuntur.

Atque principium febris hic non dierum numero, sed putredinis signis communiter metiendum est, quæ putredo in febre, quæ penitus est salubris, maturatio est, & concoctio dicta, in dubijs autem diuersa à maturatione est, atq; non in omnibus mor bis totidem dies spatij habet. Intra ergo huius principij spatium, si diminuto sanguine leuatæ vires corporis fuerint, tunc inchoata, & nondum progressa longius putredo potest ad melius genus nimirum E ad maturationem retorqueri, nimirum potest natura in ea mutatione materiam superare, qua victoria habita Medicus reliquum febris feruorem potest vnà aquæ frigidæ potione tuto extinguere.

De qua vero sanguinis detractione nihil amplius videtur necesse dicere, nisi illud adiungam, quòd, quando cucurbitulis hæc in hunc vsum, non ad locum affectum exhauriendum facienda est, illę artubus ipsis sunt applicandæ, vt ex Galeno tradidit Oribasius, vsus enim dictus sanguinis diminuendi ita postulat, ne propius à parte vitam continente attractio fiat, cum morbus nondum in aliqua parte consedisse videatur. Insequens modo est, vt de Vesica- A torijs exponam, & vna de eo cucurbitularum vsu, qui cum Vesicatorijs est communis.

Eiusmodi porro ille est, vt superuenientibus quibusdam casibus occurratur, sub his enim febribus, & capiti, & pulmonibus, & cordi maxime metuendum esse, ab illisque materia noxia modis omnibus retrahenda, atque in longinquas, & diuersas partes reuocanda, quod fieri commodius non potest, quòd naturæ incitatione in eas facta, quæ à cucurbitulis, & Vesicatorijs apprime fieri potest.

Itaque horum vtilitas ad illud tantum, quod humores extrahunt, non debet æstimari, sed ad illud incitationis, quod naturæ afferunt, vt monita non in cor, & pulmones cum periculo suffocationis, sed in diuersum fumos, & humores exprimat. A Vesicatorijs, & cucurbitulis ad Theriacam me refero, eius generis esse harum febrium putredinem proposui, quo mixtum, vt mixtum est, interit, facta caloris continentis illud exolutione, factaque humidi à calore continendi contra calorem tamquam rebellione, dissipationeque, in qua nõ vis exustionis, quæ in animantis humoribus sæpe, modo quodam putredinis fit, ne dum modo maturationis, quæ & concoctio, & perfectio mixti est, sed propriæ putredinis mixto interitum proprium molientis, vt sæpe ardor non multus existat, potius contagio cum partibus omnibus ipsa facile communicetur, & ex vna parte in aliã repat, res vitæ, in qua vis, & natura viuentis est, maxime aduersaria, quoniam vita in mixti corporis ratione radices tenet, sic cito animal necet. Hoc posito non videtur alienum, quod plurimi e magnis Medicis libenter exsiccãtia præbuerint ad humidũ compescendum, & in caloris amplexum coercendum, quæ via in maturationem & coctionem est. Qua vero etiam in re maluerunt periclitari potius, vt humores exurerentur, quòd ea maligna putredine lõgius à maturatione remota, quam exustio sit, contabescant, atque adeo non solum ea, quæ exsiccant adhibuerunt, sed, quæ calefaciunt etiam veriti nõ sunt.

Et non modo bolum armenam, cornu cerui, sigillum lemnium, lapides bezaar dederunt, sed audacter Scordeum, dictamnum, citri semina, & theriacam, ac mitridaticam confectionem, vt alia quoque eius generis, quemadmodum diascordium à concive meo viro cum probatissimæ doctrinæ, tum literatissimo Fracastorio propositum, per quę genera non solum putredo compesci, calore continendo, & humido coercendo, sed cor, & viscera contra contagium, firmari, & putrolaginem ab illis in lõginquas partes propelli maxime possunt. Etenim lapis quoque bezaar per excellentiam dictus, si boni generis sit, & Orientalis qui vere lapis non est, neque in terram teritur, vt Occidentalis, si sit benè paratus, & iusto pondere exhibitus, ferè sudorem, quamquam non admodum valenter, mouet. De cuius differentijs, & apparatu, modoque exhibendi tecum sæpe, vt potes in memoria habere quos ego ex ijs putem in felle animalis, quosue prope Oesophagum, & in intestinis creari, & cur illum, quem dicunt in Histrice reperiri, quamuis rarissimè non lapidem existimem, minus in felle gigni, sed & conglomerationem esca mihi videri, & tantum in intestinis posse succrescere, quod vero etiam non datur tritus in puluerem, sed liquor tantum, in quo diu ipse maduerit, illique amarorem tradiderit, qua potione sudor maxime excitatur, sic à medio corpore, & corde ipso mala propelluntur. Atque hactenus, quid de propositis credam statuendum, videor satis exposuisse intelligenti præsertim homini. Diluenda modo essent illa, quæ obijci consueuere, è quibus potiora ego attingam, quando re explicata non est difficile, quid cuique respondẽdum sit, videre. Dicere solent nonnulli, quod venæ sectio vires deijcit, & quod intus malum

lium reuocat, sic ad cucurbitulas confugiunt, quę sane ambo incommoda, si suo tẽpore, hoc est, in principio vena secetur nulla sunt, cum nondum vires periclirentur, neque putredinem sanguis compræhenderit, anr alij humores ab eius temperie excedentes, & e medio corpore sanguis educatur, alijs postea auxilijs sufficiendis, quibus, ni putredo consederit, eius offensa extrorsum retrahatur. Contra alia auxilia communiter dicunt, quod eorum motiones coctionem interrumpunt. Vbi non vident, quod tunc tantum adhibentur, cum putredo mala est, & notæ illius malignitatis terrent, neque apparentibus coctionis indicijs illas auersiones Medici tenrarent, nisi casu aliquo pernicioso incidẽte, cuius causa etiã interesset, coctionem longius differre potius, quam sub ipso casu ægrum periclitari. Et certe maxima amentia esset, vitam à casibus ijs, & à mala putredine non defendere, quando non nisi vita sustentata nobis spes coctionis sustentetur. Differebat quoque Galenus putridæ febris curationem, cum ei hectica esset coniuncta, ne non curata prius, & contra ordinem hectica sine remedij spe æger remaneret. Dicunt præterea, quòd mouentia mareriam extrorsum, illam è locis coctionis facilioris ad locum, quę necessario obstruant adducunt, è venis inquã magnis ad minores, & angustiores, cui rei facilis respõsio est, quoniam illa non adhibentur, quin prius à copia corpus sit per sanguinis missionem, & aliqua medicamẽta leuatum, eoque esse tutiora vna, quòd humores extenuant, & in halitum, & sudorem conuertunt. Altera autem eo quòd extremis ingesta ibi, si obstruantur, parum incommodi toti afferant. Ad hæc dicunt quidam non quo natura vergit humores deducunt. Iam visum est, quòd natura non vergit ipsa ad dorsum, atque vt eo vergat, non per loca conuenientia adeo vergeret, vt si ad extrema humores conuerteret, ad quæ propterea Ars illam debet incitare, & quamuis exiguum, & tenue illud sit, quod ars per eas partes extrahit, multum ramen est adiumentum quod per eam incitationem comparatur. In his modo ego longior non ero, quoniam neque est necesse pluribus cum viro harum rerum scientissimo agere, neque mihi sparium scribendi, vt nosti, superest, illud quidem concludendo orarionẽ addam, quod ego de his audio magnos Medicos nuper scripsisse, quorũ scripta forsan me aliter persuaderent tu potes ea videre, & inde rem hanc melius iudicare. Bene vale, & meo nomine grarias plurimas Chioco Excellentissimo age, qui ita sit delectatus de me suis elegantissimis Græcis versibus honorificè scribere. Pragæ 11. Calend. Maij Anno 1592.

V. E.

Amantissimus

Christophorus Guarinonius.

De dolore in hypochondrijs pro Rectore Societatis Iesu, Pragæ cum Simonio, & Sigismundio.

CONSVLTATIO DLXXXIIII.

A Svmmam ego voluptatem accepi ex doctissimis sermonibus Vestris Clarissimi Viri, neque vero minus commodi, quando factam mihi viam cogitãdi de re tam difficili non solum ad cognoscendum, sed ad curandum hunc morbum conspicio. Narratio eiusmodi fuit, quòd secundus iam agitur annus, cum Reuerendus Pater ætatis 40. ann. cæpit quadã molestia tentari in ventriculo, cum ipse peracto Sacro, Sacrã potionem accepisset, qui dolor rosionis, ac morsus speciem haberet; breuique finiebatur. Et quòd huiusmodi molestia in alteram postea speciẽ degenerauit, q̃ sexta circiter hora à cibo rediret, & primo ad ventriculum sibi pertinere videbatur, deinde ad lienem, tandem ad media hypochondria consedit, vbi paulatim auctior facta est, & iam tumorem ibi nacta dolorem ad os etiam pectoris fundit, inrerdum quoque vel ad sinistram vsque ad scopulam. Nunc, si tangamus, ractum vix potest perferre, quo nos duritiem quasi ligneum scutũ ibi subiectum sentimus inter mucrenaram Cartilaginem, & vmbilicum totum illud spatium occupantem, & vsque ad cutim pertinentem ita, vt ipsa cutis tactũ non pariarur. Corpus tenue sua natura nunc tenuissimum est hypocratica facie, ac liuida, pręsertim circum oculos. Nulla sitis fuit, nisi postremis his diebus, sumptio cibi facilis, antea ẽt eius iusta cupiditas, cum nullus protinus à cibo sumpto dolor fieret, & non nisi ad horam sextam ille tentaret, tribusque tãtum horis. At his rribus postremis diebus, aliquid offensę etiam statim à cibo accipit, quæ quidem breui finitur. postea ad horam non amplius sextam, sed tertiã reuertitur, imo fere iam aliqua molestia quasi continua est, & angustiam etiam spiritus facit, cum in summo suo incremento est. Aluum habet adstrictam, os sæpe amarum, pulsus crebros, duriusculos, & paruos, Vrinas, quas Doctor dicit, hactenus tenues, & albas fuisse, nunc coloratiores, & lucidiores, in reliquis mediocriter habentes, contentisque bene coctis, nisi quòd exiguæ quædam exustiones tamquam arenulæ in imo resident. Pro cuius mali curatione prius natura corporis, & morbi, tum causarum, & casuum omnium noscenda est, deinde quid postulent potius deligendum, & ita curatio suis instrumentis instituenda.

De natura corporis ego sic statuerem, quòd, vt multum recedit à medio corporum præsertim Boemorum per nigrum colorem, & pallorem, ac pilorũ nigredinem, sic ad calidum, & siccum genus vergit, atque ad siccum magis, quàm ad calidum vasis venarum, & arteriarum intra mediocrem latitudinem consistenribus, moribus etiam non ad animi elationem, sed ad religionem, ad modestiam, & mansuetudinem propensis, maxime vero quòd pili prætèrquam in capite, & barba non sunt in eo multi. Ego certè ex vasorum angustia exiguitatem quoque cordis colligo, quod experientia comperi semper, cum aperiri notorum hominum corpora vidi. Imo venas semper arterijs magnitudine respondere tamquam vnam, & eandem originem habentes, quod certe cor est, ni sensum, & rationem abhorreamus. Et profecto quis audeat dicere venas non à corde, sed à iecore oriri, cum venæ longè prius iecore ipso, in animante consistant? cum iecur ex venis materiam suæ generationis sortiatur? iecur enim suum corpus ex eo sanguine consequitur, qui è suis venis exsudat, postquam illæ à corde productæ sunt, & sanguinem ab eo accepere, quem ex se exprimentes parenchyma iecoris efficiunt. Quis vnquam primis diebus cõceptum in ouis inspexit, quin viderit cor, & à corde venas vnà cum sanguine in dies lõgius proreperent, donec ad membranas fætuni amplectentes veniant, & illas tandem muniant? tum post plures dies non viderit quendam mucorem pallidum è venulis infra cor emanare, quo corpus iecoris diu mucosum consistat? quod luteum, seu pallidum diu postea manens indicio est, quòd à luteo oui conficitur, nõdum bene in sanguinem à venis, & cordis vi cõuerso.

so. Si iecur post venas consistit, & illæ sanguinem gignunt, antequam iecur fiat, vnde eam vim habeant potius à corde. Quoties nos vidimus iecur in apertis cadaueribus in alienam penitus speciem immutatum, vt interdum testam, aut durum coriũ, interdum fungum, aliquando crudum laterem referret, corde tamen meliori, & integro habitu existente, cum integris venis, & sanguine optimi coloris? Sed harum locus hic non est, ad perquisitionem huius morbi, & loci illius me refero. Partem affectam pendere intus in medio indicat ille collisionis sensus, & dolor, qui ad conuersionem corporis in latus factam sequi consueuit, cuiusmodi nulla alia pars præter ventriculum esse videatur.

Qui vero ventriculus, cum sub hoc affectu huc vsque ferè in muneribus proprijs benè habere visus sit, neque in cibi appetitione, neque in eius retentione defecisse, eapropter in suis membranis, hoc est in suo corpore id mali habere credi non potest, certè in illis nequaquam, quod ad os ipsius pertinent. Itaque ad fundum potius, & ad exteriorem membranam. Verum, quoniam neque admodum concoctio læsa fuit, & antea etiam molestia longo spatio post acceptum cibum abesse consueuerat, propterea ego sic de hac re statuerem, quod superioribus mensibus, cum neque durities percipiebatur, neque is dolor collisionis, qui conuersioni in latus factæ occurrit, neque ea molestia statim à cibo accedebat, tunc solum ad venas medij intestini malum pertinebat, & inter chyli distributionem, quæ per eas venas fit, eum dolorem sentiebat, nunc autem, cum malum plus spatij occuparit, etiam ad eas venas accesserit, quæ imum ventriculi fundum amplexæ sunt, quæque primum, & vix inchoatũ succi apparatum è ventriculo exsugunt, itaque & citius adesse, & duritiem extare loco, quo fundus imi ventriculi situs est, & cum in latus conuertitur, ea durities in id latus impingens dolorem mouet. Et quoniam illa ad exteriorem potius membranam vergit, propterea minus signorum in ventriculi operibus profert, quod ego eo minus miror, quoniam in alijs vidi ventriculum toto suo corpore durum, & scirrosum factum, qui tamen etiam concoquere, nedum continere cibum, & appetere ad extremum fere vitæ potuissent, vt Vesicas quoque vrinæ multas vidi crassefactas, & duras, quę non nisi ad summum huius mali cumulum suam operam excernendæ, accipiendæque vrinæ amisissent. Pertineat ergo iam durities hęc ad imum, & exteriorem vẽtriculi fundum, & ad omenti originem, & nunc demum etiam ad interiorem tunicam diffundatur, cum iam protinus acceptus cibus ei dolorem afferre incipiat. Continere quidem cibum, cuius indicium adstricta aluus est, ostendit, quod durities nondum ipsum totum occupauit, labor namque cõtinendi tantus est, vt opera illa ab imbecillitate facillimè debilitetur, ita quemadmodum concoctionis defectus excretionibus crudis intelligitur, sic cõtinendi vitium, & labor non solum rugitibus, sed sensu etiam quodam tacito laboris. Cum igitur huius mali initium in venis Mesaraicis fuerit, ad lienẽ quoque nũc molestiam proferebat, quoniam membranæ continentes infestabantur, indè verò increscens per easdem venas ad fundum imum ventriculi repsit, & ad omenti originem tumorem durum excitauit, certe tensionem, si non aliud genus tumoris. Cuius porro mali ea vẽtriculi erosio à principio fuit prænuntia, humoris nimirum melancholici index, qui ex vini acrimonia acrior fieret, & ventriculi os morderet, ac vellicaret, qui humor auctior in dies factus venas Mesaraicas, & pene lienem compleuit, deinde nõ solum caua venarum, sed solidiora etiam occupauit, & semper malo ampliori facto, semperque noua affluente materia iam non solum eas venas sibi familiares tenet, sed eas quoque ventriculi, quæ dictæ sunt, maxime in anteriori fundi facie, vt breue reuersionis molestiæ interuallum, & cita à cibo offensa indicat, nec non quædam spiritus angustia, quæ à spiritu flatuoso ex his humoribus elato fit, cum eo septum transuersum vrgetur. Scopulaque etiam aliquid eius recipiente dolor ibi moueatur, quo pacto & costæ, & humerus condoluere. Neque vero dubitandum est, qui fieri possit, vt venæ Mesaraicæ impeditæ sint, cum succi recta in iecur veniãt, non autem ad aluum repellantur, quo aluus mollis esset, & liquida, quæ omnino sicca nunc est. Etenim non omnes venæ occlusæ sunt, sed aliquæ per quas vi tantum trahi potest succus, & tensis locis molestus est, quibus etiam molestiam affert, cum venas vicinas, q̃q̃ apertas complet, vicinis namque malè habentibus distentio aliarum infesta est. Sed vidi ego sæpè obstructas venas Mesenterij, seu medij intestini per vim adeo dilatatas natura conata munus suum perficere distributionis, vt speciem intestinorũ potius, quam venarum præseferent. Sic & distributio non impeditur, & propter nimiam distentionẽ molesta est. Vidi etiam vasa vretera, quæ, cum non possent in vesicam obstructam, & plenam humorem comprimere, adeo ab eo dilatata fuerant, vt latissimum intestinum referrent, ita dubitatio ob non impeditam distributionem nulla est. Minus vero ea causa dubitari debet, quoniam possunt obstructæ esse venæ illæ tantum, quæ à iecore ad glandulas medij intestini perueniunt, quæ tumentes dolorẽ membranis continentibus possunt excitare tum distentione, tum etiam calore, & per has nullus succus è ventre in iecur adducitur, sic impeditis illis tractus solitus in iecur non impeditur. Vbi non facile quis de venis intestinorum Galeno assentiatur, qui libro 4. de vsu partiũ c. 19. ait, quod sunt aliquæ intestinorum venæ propriæ, quæ ex illis non ex iecore initiũ capientes in glandulas desinunt, neque perueniunt ad hepar, cum in resectione corporum id nõn inueniatur. Minus quis Galenum laudet tamquam minime sibi constantem, qui ab hepate omnes venas oriri contendat, aloquin huiusmodi venæ essent admodum opportunæ in quibus nulla distributionis noxa tumores fierent. Completæ itaque esse possunt aliquæ medij intestini venæ, & tamen satis succi distribui, quod in hypochondriacis quoque fieri cum Galeno opus est. Eò ergo malum hoc peruenit, vt iam ventriculum, vt dixi, amplectatur anteriori eius fundo, atque propter humorum cõclusionem intra obstructiones etiam aliquam febriculam moueat, neque enim semper obstructiones ventriculi febrem faciunt, vt neque iecoris, si Galeno credimus, & experimento, nam in illis sæpe humores non sunt ad putredinem, & calorem compræhendendum idonei. Pulsus itaque, qui propter tensionem, & durities, & propter duritiem minores sunt, ij propter calorem maximè frequentes, & celeres euadunt. Vrinæ minus affectæ sunt, quoniam putredo in superiores venas non pertinet, coloratiores tamen ob febrẽ, qua omnino sanguis biliosior fiat. Concoctam itaque materiam continent, quod venæ superiores sint ab eo humore vitiato liberæ. Exustionem tamẽ aliquam per arenulas indicant, quoniam venæ aliquãtisper siccentur, & vna etiam Renes, vnde elixationi aliquid etiam assationis adiungant.

Atque hactenus à me morbus inspectus est cum causis suis, ipsa nimirum obstructio primum in venis Medij intestini, quæ iam fundum ventriculi corripiat, exterioremque tunicam in tumorem attollat, & febriculam faciat, & dolorem, vnde corpus maxime extenuetur, hæc præsentia sunt, illa autem metuenda euentura, nisi occurratur, ne ventriculus vim suam concoquendi amittat humore semper eius interio-

teriora magis penetrante,& plures partes, ac totum tandem ventriculum occupaturo. Inflammatio quoque potest superuenire calidis humoribus valde ad confluẽdum in debilem partem proclinibus, & præsertim dolentem, ita is morbus tum sua, tum febris causa queat hominem tollere, potest etiam febricula hæc nulla superueniente inflammatione longius duci, & cor iam siccius factum à morbis corripere calore, atque ita hominem hecticum, tabidumque reddere, hæc in morbo spectanda sunt, causæ modo illæ notandæ, in internarum quidem genere humor crassus, & fæcosi sanguinis, atque exusti species, tum vero illius origo, quę tacita dyscrasia, seu mala temperies est, quæ tum humores malos gignit, tum ab illis sustentatur, in externo autem, & euidenti genere fuere ieiunia, & importuni labores, & etiam repletiones repente post ieiunia incidentes, quibus vẽtriculus, & viscera præsertim iecur, & Renes tum squallescere, tum crudis humoribus infarciri solent, quemadmodum sanguis & exuri, & crassus fieri, non solũ exustione, sed cruditate, quæ, cum non põt cõcoqui longe maiorẽ crassitudinẽ accipit à calore. Vinorum ẽt austerorũ vsus ea mala maxime potuit augere. In laborib. q̃bus importunis viscera crudis humorib. replentur, itinera duriora fuere, q̃ subita ab otio literario, & studijs suscepta fuere crebro proprie vero ieiunia importunis laboribus coniuncta ventriculum ijs malis succis infarcire potuere. Quæ cum ita sint, & curatione remouenda sint, externæ primũ causæ auferendæ, vt cibi modici, lenes, & suis horis dentur, potiones vero minimè austeræ, otium animi, labor corporis, sed is opportunis horis adhibendus, visceraque fouenda, in quiete tamen corpus interea continẽdum, donec meliusculum fuerit, & internæ causæ aliqua ex parte erunt remotæ, si tamen id vnquam fieri queat. Ante enim erit procurandũ, ne à toto corpore materia ad dolores confluat, sic humores primum minuendi, deinde illi, qui iam cõsedere sub morbo, submouendi. Quæ num fieri possint nobis cernere facilè non est, vetustas certè mali difficultatem minatur, & natura iam debilitata, tum febricula, quæ vires in dies magis labefactat, & remedia valentiora reddet periculosa. Instrumenta à chirurgia necessaria sunt ad humores minuendos, & sanguis tamquam humorum omnium materia mittendus est, atque à sinistro quidem brachio, si semel tantum vires id pati videantur, sin minus, à dextro primum, deinde à sinistro hoc faciendum, & tandem etiam ab hemorrhoidibus & à loco tandem morbo vicino debet. A purgantibus medicamentis auxilia tuta nõ sunt, quoniam materiam ad obstructũ hunc locum adducunt, vnde Hippocratis libro de ratione victus in acutis admonuit, ne tensis hypochondrijs purgantia medicamenta daremus; quæ quandoque quidem & obstruentem humorem, & postea à toto corpore venientem educunt, sed crebrius obstruentem euellere nõ possunt, largius vero trahentia materiam, locum obstructum magis complent. Medicamentis igitur leuioribus agi debet, & parantibus humores, & ab obstruentibus, visceribusque amicis, imò paulò abest, quin ego ducam hanc curationem modum epicrasis postulare. itaque inter has sanguinis detractiones, syrupis vterer primo ex betonica, ex cap. Ven. Agrimonio, boragine, cicorea, & postea altera interiecta sanguinis missione darem Oxymel cum syrupo de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro, & postea etiam Rhabarbari amplius adijcerem, ac mãnæ, Tertia facta missione sanguinis, accederẽ ad epithymum, Thymumque cum Radicis vsitatis, postea ad pilulas de Hiera cum Agarico, de tribus cũ Rhabarbato tandem ad gumata, & lachrymas, seu resinas arborum, ad myrrham, galbanũ, thus, terebynthinam, balsamum Orientale non illud rubrum, sed

A quod postremo aduectum est nostræ terebynthinæ Cypriæ simile. Quæ ni satis proficiat deuenirem ad Chynam cum Guaiaci, vel ad ius Galli paratum ex supradictis, & demum ad aquam Thermalem aliquam, cuiusmodi illa Hetrusca esset, quæ Tetucij vocatur in agro Montis Catini. Interea non haberem in viliotibus confectionem factam ex pulueribus Diarrhodon Abbatis, & Rhabarbaro, & aqua absynthij. Is summum cõmodum accepit à pilulis de tribus Ruffi, & illis, quæ de Hiera cum Agarico fiunt, rum autem de tribus cum Rhabarbaro quibus à febre liberatus est. Adijt balneationẽ totius corporis nescio quorum balneorum, aut cuius consilio, à qua reuersus non est, sed per internuntium interijsse delatus.

B

De dolore ventriculi pro Illustrissimo Curiæ Magistro Regni Boemiæ.

CONSVLTATIO DLXXXV.

DOlor ferè quotidie accedit hora circiter quinta à cibo, is in medijs hypochondrijs versatur, & circiter duas horas infestat, nisi vomitus anteuerterit, nam eo dolor penitus finiri consueuit, adeo vt

C soleat tunc etiam tribus proximis diebus abesse. Mane quoque interdum, si longius differatur cibus, solet is dolor inuadere, qui sumpto cibo tollitur, quo etiam, qui à cibo hora quinta venit, tolli consueuit, leuatur vero etiam semper, si ructus superueniant. Cum vomitur, nil exit præter pituitam albã, & glutinosam nullo sapore præditam, in qua vix aliqua frustra cibi sunt valde quidem mutati, tamen à specie Chyli penitus diuersi, crassumque genus referentis, vix vnquam vomitus amarorem præsetulit. Dolor ipse interdum ad dextrum, & sinistrũ latus percurrit, maximè cum per ructum abiturus est, interdum ad vmbilicum descendit. Hypochondria aliquantulo elatiora sunt, & tensa, in dextra quidem

D parte potius, quàm sinistra, & in media magis, quàm dextera. Sitis nulla esse consueuit, nullaq; pulsuum mutatio, ni sub dolore sit. Vrinæ post vomitum, & abstinentiam aliquam coloratiores visæ sunt, alioquin omnia coctionis signa continent. Somni item, ni dolore interrumpantur, pro illius natura sunt. Multis ab hinc annis hoc incommodo tentatur, primum quidem per longiora interualla, deinde per breuiora. nunc tandem, ni vomitu iuuetur, etiam quotidie. De natura corporis ego statuerem ipsam medij generis esse satis quidem humidi, & calidi, sed nõ multum. Ab hinc annum fluore hæmorrhoidum tenebatur, qui exigui quidem sanguinis esset, sed continuus tamen, à quo quibusdam adhibitis, liberatus fuit.

E De hoc dolore dubij esse non possumus, quin in ventriculo fiat, non ad stomachum, seu os illius proprie referendus, nam ille in medio penitus non est, & præterea videtur ad cor potius pertinere, & caput etiam afficere. Itaque antiquitus doloris cordis nomen obtinuerat, vt ait Galenus, etiam os ipsum ventriculi cor nominabatur. Species huius doloris acris non est, sed comprimentis, & torquentis modum habet, ac si acerba quadam re fieret, cuiusmodi dolorem experimur sæpe afflatu ficciori, & frigidiori fieri, vt is cum per ructus leuetur ab eiusmõdi caua fieri credendus sit. Et quamuis illa flatus acerbum saporem non habeant, possunt tamẽ ab humore eius generis efferri, & illius genus infensum si

non

non gustu, certè tactu repræsentare, hoc est, non austeritate, sed asperitate offendere, adeò quòd non tẽsione tantum, (quæ à flatibus etiam minor, quã à cibo facta, infesta tamẽ magis est, quoniã cibus omnẽ ventriculum vndique ex æquo dilatat, flatus vero in vnã partem solet vrgere, in quã casu erumpit.) Sed præter inquam tensionem flatus, vitioso quoque genere offendit, & tenuitate membranas vellicantes, mordenteque. Maximè vero, quod ventriculus se ipse ẽt nõ omnino bene habeat. Videte ĩ omnibus, ipsi oculi bene habẽtes nil infestantur ijs rebus obiectis, à quibus maxime cruciãtur, cũ ægri sunt. Sed aliquis dicat, si ventriculus ipse aliqua dyscrasia affectus est, cur, cùm illa semper maneat, ipse quoque dolor continuus nõ est? Ego dicam, quoniã dolor proximè ab ea dyscrasia non est, sed interueniente alia causa gignitur, quæ causa certis spatijs dissoluitur, certisque alijs renouatur; quin neque ea sola causa se ipsa dolorẽ facit, sed alijs tñ vnà secũ conuenientibus. B Vẽtriculũ modo intemperiẽ affectũ esse pituita ostẽdit, & flatus ipsi, illam nõ esse admodum humidã liquidãque, vti naturalis pituitæ genus est, indicant flatus adeo infensi, qui minus offendere solẽt, cũ humidioris generis sunt, vel cũ vapore permixti, tũc vero leniores sunt, & in ore cõcrescunt, vbi tunc solet aquosus humor abũdare. Vapor. n. per illã aquã potius in ore, q̃ in vẽtriculo dolorẽ facit. Neque mihi illud dubitationẽ habere videtur, qđ, cũ ventriculus cibo tẽsus est, dolor potius non tentet, quã, quando iam incipit considere. Nã, vt dixi, tensio, quæ fit à cibo æquabilis est, & humore amico fit, quo membranæ æquè deliniuntur, delectanturque. C Et interea etiam flatus humens est, & hebes; cõtra vero, cum succi distributio est ex parte facta, certe tũc partes cibi molliores, citiusq; percoctæ, sua leuitate elatæ per pilum excessere, qui situ altior est, tunc. n. cibi partes magis duræ, & magis terrestres, ac graues in imo vẽtriculi relinquuntur, quæ non tam vapori, quã halitui sicco edẽdo idoneæ sunt, is vero semper impetu eliditur è sua materia, & vt in angustam aliquam partẽ irrũpit, sic ventriculũ distorqueat modo hanc, modo illã partẽ feriendo, impellẽdoque, quas non solũ vi motus sed tenuitate sua, & genere inimico infestet, crucietque. Rem hanc minime dubiã esse existimo, naturã vel in vino quisq; potuit animaduertere, qđ protinus, cũ as- D sumptum est, hominẽ recreat partibus eius tenuioribus cito concoctis, in venasque & arterias absorptis, qui tamẽ, si post quintã horã vomat, sæpe adhuc vini partes crassiores in ventriculo residẽtes excernit, qđ ex sapore, & colore, si rubrũ maxime vinum fuerit, & odore cognoscitur. Sic de cibo fieri consonũ est, cuius partes valde sunt dissimiles, neque eodẽ spatio coctionem accipere idoneæ sunt, quorum quędam in pituitæ genus minime alibile conuertuntur, qđ crassum est, valdeque glutinosum, vel etiam fæculẽtum, & humor crudus appellatur, siue cibo tũ, siue ventriculi causa id fit, certè sæpissime euenit, certius quidẽ, cum ventriculus non bene habet, & in viuendi modo, & cibi genere intemperantius agitur. Ea itaque hora ipsi ventriculo res est cum materia sibi minus E amica, & flatibus magis inimicis pariundis idonea, quo tempore etiam ipse iam in suas membranas succum alibilem attrahere solet, & sese alere, qua opera membranæ præsertim malè affectæ magis laborent, nam & cum succo sibi apto aliquid alieni attrahunt, & ipsæ humore iam antea malo affectæ peius longe sub suo opere agitantur, ipso igitur opere perfecto, & fæculẽta materia aut ex parte superata, quod rarissime euenit, aut ad intestina expressa labor doloris quiescit. Atque hæc de ipso dolore, & proxima eius causa dicta sint. Iam de remotiori eius causa in ventriculo, quæ perpetuum statum habet, non interruptũ. Ea vero ventriculi intẽperies est, quę materiã

A se continentem, & sustentantem habet, nec meo iudicio æqualis dici potest, aut habitu firmata, quin tollẽda materia intẽperies quoque decessura sit. ea propter omne huius morbi pondus in materiã sit referẽdum, quę venas fundũ ventriculi amplectẽtes occupet, & obstructionibus etiã afficiat, vt hypochõdriorũ tensio docet, atque in corpus quoque mẽbranarũ emanet, meatus saltẽ earũ occupãdo, vnde ipse intẽperiem materię comprẽhẽdant, & parum absit, quin ea materia male nutriantur, & intemperiẽ in habitũ recipiant. Materię genus ad sanguinis fecem referẽdum est, non solum ob flatus, quorum causa admodum humida esse non potest, quamquã frigida esse oĩno debet, sed eo quod venæ ad fundum vẽtriculi pertinentes communionẽ habent cũ ijs, quę ad lienẽ veniunt, & cũ eis ẽt materiã communẽ habent, quapropter cũ Illustrissimus Vir fluxionẽ hæmorrhoidũ habuerit abũdãsse eiusmodi materiã necesse est, quę neque tota per eã expurgari posset, neque fluxione adstricta queat nõ peius vẽtriculũ tractare, cũ in eũ sese recipiat, alijs sibi itineribus occlusis. Hic morbus est, & causæ breuibus cõpræhensæ, nã de externis, & euidentibus plura dici nõ debent, quã, quod intemperãtia præsertim in potione est, dũ in conuiuijs, aut potius in Symposijs minime satis gratiosum se esse veretur. Præsentibus his malis ni occurratur, aut ni occurri queat, quid insequi possit dubitandũ est, ne obstructiones totum ventriculũ occupent, ne materia ipsum male alat, habitũque malũ inducat, vnde homo ali nequeat, quare, & vnà ẽt cruciatu cõsumetur, & cum his febricula quoque ex obstructionibus excitata id citius fiat. Succurrẽdũ itaque cõtinuo est, quod fieri posse confido, cũ remouenda materia in loco propinquo sit, & viribus medicamentorũ satis obiecto, apertoque, etiam si vetustate iã confirmata altius hærere intelligatur. Verũ priusquã ad delectũ remediorũ venio, ad artemque curandi morbi constituẽdam, dubitationes aliquas cogor remouere, siquidem amaror oris bilem flauam ostẽdit, vt necesse esse videtur acidum fore saporem, aut austerum, si fex sanguinis subesset, bilem præterea indicant vrinæ coloratiores, & sæpe tenuiores, indicat etiam dolor ille, qui ante cibum solet interdum aduenire. Cuius causæ explicationem huc distulimus eo cõsilio, ne bis ea repeteretur.

De prima ergo dubitatione id dicere sat erit, qđ nunquam ait amarorem in vomitu sensisse, prætorquam semel his proximis diebus, quamquam sæpe dolorem mane habuerit, & vt amaror etiam in vomitu frequenter fuisset, is tamen naturæ temperatæ cõueniens esset putandus, nam alioquin vomitus naturæ non conueniunt, cum sinceri sunt, & vnius tñ humoris, bilis vero in vomitibus naturæ cõuenientibus semper præsto est, quoniam tenuis humor est, & eiectu facilis, ita non semper sui maiorem superantiam ostendit, tunc vero tantum maiorem superantiam bilis ostendit, cum in vomitu aut sincera est, aut admodum abundans. Vrinarum modo color is fuit solum, cum abstinentia vsus esset, aut vomitu ventriculum exhausisset, cum alioquin colorem quidem vegetiorem habeat, vt tamen inde necesse non sit iudicare bilem ad ventriculum reiectari, etiamsi corpus biliosum fuerit, quotidie enim videmus aluos biliosas, vrinasque coloratiores, in quibus vomitus sunt simplicis pituitæ. At sapor austerus, aut acidus non est, ergo humor fæcosus non est. Dico id necessario non confici, nam neque omnis fæcosus humor eius saporis est, sed fere cũ vitiosus est neque semper cũ est, flatum eius saporis effert. Doloris quoq; accessio, quæ ante cibũ fit, nõ semper à bile esse putari debet, nã põt noctu è capite pituita in vẽtriculũ delabi, & cũ prãdiũ differtur, qm in bonũ succum reduci nõ potest, in flatum à calore conuerti-

tur,& illis quidē infestum, quoniā crassa pituita est, & cum ea, quæ eiusdem crassitudinis est in ventriculo commiscetur. Trahit quoque ventriculus famēscens eum humorem semper, qui sibi à vicinis partibus facilius permittitur, qui eiusdem fæcosi generis multus ei circumsistit, ac, quamuis nullum humorem attraheret, ille tamen, qui ventriculi venas cōplet, sat esset flatibus pariundis, dum à calore cibum quærente agitatur. Atque si biliosus humor tunc attraheretur, tum os ventriculi tentaret sua leuitate, ac cordis similem dolorem, & vertiginem faceret, quæ res nunquam in Illustrissimo Domino, contigit. Sed ad curationem mali iam progrediamur. Humores è ventriculo sunt submouendi, & illi, qui ad eum confluunt, retrahendi, intemperiesque, & causę omnes, vnde gignuntur, tollendæ. Quibus modo ea facienda sint definiamus. Chirurgia hic necessaria nō videtur, quamuis ad retrahendum illum humorem esset maximè opportuna, sanguis enim est tanquam communis materia omnium humorum sustētatrix, & illius dissolutio in omnes humores ipsum distrahit, sic eius missio perbellè à visceribus, & ventriculo humores auertit. Morbus is missionem sanguinis non postulat, quoniam neque magnus est, neq; magnitudinē minatur, modo rectè tractetur. Præterea cruditates ventriculi, quamquam nō semper prohibent sanguinis missionem, tamen, cum morbus non vrget, illæ quoque debēt eam prohibere. At per hæmorrhoidas sanguinis missio aptissima videretur, quæ à parte vicina humorem deduceret, & deriuare videretur. Quas hęmorrhoidas tamen ego non tentarem, quando fluoris illarū moderatio in manu Medici non est, & periclitamur, ne aut plus fluant, quā ex vsu sit, aut supprimantur post consuetudinem cū naturæ incommodo, vt Galenus in Aphor. admonebat. Qui vero morbus ventriculi causa neque vllum aliud magnum remedium postulat, & è purgātibus leuiora tantum, nam neque ventriculus valentiora patietur, neque obstructio illa sine periculo excipiet, quæ humores à toto corpore valenti medicamento tractos in se colligeret, & sese augeret, cum in via sit, qua è toto corpore humores in ventrem delabūtur, vt tensio hypochondriorum ab Hipp. tamquam suspecta nobis proposita significat. Ego igitur omni no ita me gererem. Primum materiam, quæ in ventriculo est, nec dum inhæsit, hoc medicamento dedu cerem, quod haberet mellis rosacei solut. ℥.3. mannę electæ ℥.1.s. ellect. Indi ʒ.1.s. dissoluta cum iure rerum pectoralium addita ʒ.1. cinnamomi. Deinde inhærentem materiam, & obstruentem etiam ad exitum, & purgationem pararem potionibus, vt syrupo de succo cicoreæ, de succo fumiterræ, & oxymellite an. ℥.s. iuris vero betonicæ, cicoreæ, cap. Ven. cetrach, lupullorum, fumiterræ ℥.4. addito sapore ex cinnamomo, post quorum iustum vsum eodē medicamento fere purgarem, sed ius ita pararem. ℞. thymi, m.1. epithymi ʒ.2. s. polipodij q. passularū an. ℥.s. Tartari ʒ.1. fol. senæ electæ ʒ.2. Radicis dulcis ʒ.1.s. cinnamomi, cariophyllorum an. ℈.2. fiat decoctio in aqua fumiterræ, s.a. quæ coletur cum expressione. ℞. Rhabarb. electi ʒ.1.s. cinnamomi ℈.1. vini arom. paulum, fiat infusio per 11. horas, quæ coletur cum expressione. ℞. mannę electę ℥.2.s. mellis ros. solut. ℥.1.s. ellectuarij Indi maior. ʒ.2. m. & f.p. Repeterem potiones ex syrupo de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro ad ℥.1. oximellite, ℥.s. & iure eodem, quibus subiungerē pilulas de Hiera cum Agarico adiecto Rhabarbaro, quæ ni satisfaciant, subiūgerem pilulas de tribus cū Rhabarbaro adiectis pilulis aggregatiuis ex quibus ni coaluerit, darem trociscos de Rhabarbaro de absynthio, & eiusmodi alijs & haberem in vsu Alephangines cum Agarico. Gumata etiam ad emolliēdas, & eximendas obstructiones opportuna sunt. Vt myrrha, galbanūm, sagapenum, terebynthina, & delatum ex Indijs Gumi sub Balsami nomine, quod speciē terebynthinæ habet, etiamsi sapor longe alias sit, vt est etiam à sapore Balsami antiquorum. Quibus inter longum vsum oxymellitis squillitici adhibitis, quod maximopere in ijs ventriculi affectibus proficit, nisi satisfactum videatur, poterimus confugere ad ius Gallorum, vel Columborum cum medicamentis paratum, qualia sunt, quæ in syrupis, & purgantibus etiam medicamentis comprehendebam, adiecto thymo, cum epithymo, & assari portione, quod ex alto humores solet euellere. Chinæ quoque radix adijci poterit, & Guaiacum, cuius maxime potest incidere, & detergere cum aliqua adstrictione, quod etiam non adeo arefacit viscera, & ventriculum, vt facit China, cum pinguedinem quandam habeat. Quæ tandem ni effectam rem dent, maxima vis erit in aliquo aquarū Thermalium genere, vt quæ Carolinæ sunt dictæ in hoc Regno, vel eiusmodi aliæ. Vt si Italicas vellemus, eæ, quæ Tetucij in agro Montis Catini dicuntur, quas tutiores iudicarem. De victus ratione mihi superuacaneum videtur verba facere, cūm non solū Medici, sed eius artis quoque imperiti scire possint, quæ grauia, quæque leuia ventriculo sint. De vini quidem genere id dicam, ne fallamur stomachi nomine, quo adstringentia, & rubra vina deligeremus, quæ obstructionibus firmandis valerent, potius, quā eximendis. Alba enim, & matura, & tenuia in vsu habenda sunt. Dulcia quidem omnino fugienda. Dixi. Facta purgatione adeo leuatus est, nullis alijs adhibitis, vt nullam aliam curationis partem admiserit. Itaque postea in idem reuolutus est.

Num ad curationem veteris Podagræ Chiragræque balnea exsiccantia exterius toti corpori adhibenda sint.

CONSVLTATIO DLXXXVI.

Pro Illustrissimo Domino Octauio Spinola. S.C.M.

EGo non possum in vestram sententiam descendere Doctores optimi, cum videam vsum balneorum huius aquæ prohibere quidem humorū fluxionem posse, illos tamen non cōsumere, vt humor ad artus effundi prohibitus, & ad medium reiectus, ibi cum nimius congeri, tum viscera, & vitam opprimere cogatur. Completis siquidem venis cor facilè suo motu malum, crassumque humorem vnà cū sanguine ad se adducit, eumque per aperram viam venæ arteriosę in pulmones reijcit, idque facillimè per suam cōstrictionem, & pulmonū dilatationē in quorum verò corpus nō difficile ob laxitatē humor recipitur, & tandē hominem suffocat, eoq; citius, quòd inflāmatio ferè, & febris sæpe etiam maligna sequatur. Sed hæc superiori anno, cum ad ea balnea Virū Illustrissimum deducendum consulebatis, ego diu, sæpeque, & longis disputationibus persequebar, tū postea etiam animaduerti idem dicere Authorem Libri de Theriaca ad Pisonem de medicamentis ijs, quæ per os accepta prohibent fluxiones, quæ ad pedes fiunt, neque tamen vt Theriaca humores consumunt. Nunc præter illa pericula accedit totius corporis incredibilis squallor, quo Vir Illustrissimus nimium certe à sua natura, & habitu remotus est, vsque adeò, vt vix longius abduci possit, quin limites vitæ exeat. Quocirca si vsum balneorum

rum exsiccantium adhibeat, ipso prorsus vitæ limitibus sit excessurus. Corpus antea bono habitu erat & carnosum sua natura, nunc vix cutem retinet cum ossibus coniunctam. Ea vos de causa ipsum ad balnea ire oportere contenditis, quoniam superiori anno profuerint, & non solũ illis doloribus minus longè vexatus sit, sed vrinæ minus turbidæ fuerint, & ipse nutritior etiam à balneis discesserit. Cõtra vero ego (fuerint vrinę etiam clariores de illis postea dicam) certe cũ multis, qui consuetudine maxima illius vtẽtes id potuere obseruare, animaduerti ipsum postea & tenuiori corpore fuisse, & doloribus diutius, & cum peiori febris genere laborasse. De corporis tenuitate prẹter cæteros M. C. cuius cubicularius intimus est, maxime affirmat. Sed ratio vestra idem postulat. Nã assentimini omnes ea balnea exsiccare. De podagra, & chiragra, etiam cũ eo indicio, quod vsque inde vix per mẽsem in cubiculo suũ munus præstitit toto hoc anno. Equidem recordor me obseruasse, quod vix quinto post die ab vsu balneorum reuersus Chiragra tentatus est in vtraque manu, qua totis 23. diebus fuit impeditus, etiamsi purgatus admodum esset, & noua sibi, ac præter suũ morem abstinentia vteretur, & solus inusitato modo parcissimè semper comederet, sub quibus eo vero etiam anni tempore malè à doloribus tractatus est, quo superioribus annis liber esset, & libere, largeque viuere, & purgantia medicamenta aspernari cõsueuerat. Recordor etiam, quod quamquam genua sine tumore erant, cum quo fere esse consueuissent, ea tamen flectere facile, & in illis flexis insistere, dum Sacro interesset, non poterat ab illis primum vsque diebus, quibus è balneis in Aulam reductus est, qui antea tumentibus etiam genibus poterat illis inniti toto tempore, quo Sacrum haberetur, quo genuum rigore quisque possit existimare nimium squallorem illis inductum. Tempore autem, quo dolores annis superioribus solebant accedere nimirum ad Calendas Nouembris, dolores statim præsto fuere, minus quidem, inquiunt, acres, & tumoris minus afferẽtes, & breuiores, ita tamen, vt cum quieuisse viderentur, hominem etiam supra cõsuetudinem aliorum temporum in cubili continerent, neque interuallum soli tum integrum relinquerent, quin vix è cubiculo exire potuerit, & se ad amicum aliquem conferre, cum continuo in alteros dolores recidit ea cum febre, quæ cessantibus illis etiam inhæresceret, & periculum vitæ minaretur, ita à Calẽdis Nouembris vsque ad Idus Martij vix quinque diebus cubiculo exeundi facultas fuit, atque vix Aprilis mensis nonas attigit, cum subito in eosdem dolores, & febrem lapsus est, doloribus quidẽ iam minus molestis, febris tamen eum relinquere non videtur, sub qua & per lyenteriam, & per vigilias primis 20. diebus periclitatus de vita est, eam certe vix retinuit. neque adhuc lenta quadam febricula dimittitur, & ad secundum iam mensem perductus est. Vt nequeam non summopere admirari vos, qui audeatis affirmare Illustrissimum Virum melius à balneis habuisse, qui ante eorum vsu, interualla longissima haberet, quibus & officium suum exercere, & liberè viuere posset, venationique vacare, & in conuiuijs frequẽter esse, nullumque cibi, aut vini genus fugere, quod placeret, & sæpe nouum, ac etiam num mustum suo tẽpore potaret. postquã autem à balneis reuersus est recta, & sobria admodum vitę ratione vsus vix è cubili integro anno potuerit excedere, nisi interdũ per pau cos admodum dies, & in summa ante balneum Vir esset, postea cadauer. At vos, quo balneorum laudẽ prolatam à vobis tueamini, culpã huius peioris status, quem omnino fatemini, & maximè squalloris in nonnulla medicamenta reijcitis, quæ ipse accepit latenter à quodam Medico illius ordinis, qui suam ar-

A tem cum nullo cõmunicant, & contra illum toti estis conuersi. Certe id Medicorum genus suum hũc morem non seruat, nisi ne sua medicamẽta ab alijs ęstimentur, reprehendanturque & quo lucrum maius faciant, & vilissimam artem suam tegendo in aliqua opinione retineant. Sed cum eorum medicamentorum vsum Illustrissimus Vir leniter admodum tulerit vsusque ille breuissimus fuerit, ego non video cur quinque dierum lenissimis potionibus potius causa tribuenda sit, quam longissimæ balneationi, quæ ad 50. dies adhibita est, & quoque die octonis horis, quaternis mane, & totidem vesperi, præterea Medicum illum ipse non adhibuit, nisi tertio post vsum balneorum Mẽse, quo spatio ipse tenuissimo, & im- B becilli corpore semper fuit, & adeò infestæ valetudinis, vt ad huiusmodi Medicum confugerit. Id meæ quoque rationi responsum est, quod horum balneorum vsus non modo prohibet fluxionem, sed materiam etiam consumit, nam quemadmodum exterius adhibitæ illæ aquę corporis exteriores partes ab humoribus liberant illos absumendo, ita intus per potionem acceptę venis, & visceribus idem præstant. Quod certè summo ingenio comminisci videmini. Verum si res ipsa cominus perspiciatur, non erit verum commentum vestrum, quoniam aquæ illæ nihil penitus ventrem soluunt epotæ, neque sudorem multum, aut lotium valdè mouent. Certè hæc admodum parum, vt illud penitus numquam efficiunt. Esto vero exsiccent, ea opera numquam crassos humores absumat, quin crassiores ẽt reddãt, visceribus- C que magis infigant, neque intemperiem eorum humorum Matrem tollant, quæ frigida in ventriculo est, in iecore autem calida, & siccior tandem facta, qua remanente humorum malorum generatio non cessabit, his autem ad artus exitum non habentibus restat periculum propositum, præter id, quod corpus eo squalloris deuenit, vt non tam parum cogatur vltra progredi, quin vita extinguatur, quæ omnino in humido posita, in hoc verò humidius genus erat à principio nacta, citius suam vim per siccum amissura sit. Sed neque calix aquæ singulis quibusdam diebus sumptus potuit visceribus multum proficere, quamquam etiam posset ea expurgare. Affirmat Excell. Vir, quod vrinas clariores D quas videmus minus turbidas habere cæpit, postquam balneis vsus est. Hoc vero mihi maiorem timorem mouet Domini, quoniã vereor ne lutosum illud, quo lotium turbidum reddebatur, intus detẽtum sit, & sic saltem calculum faciat, ni multa alia mala, quæ in visceribus posset. Alioquin enim vrinæ meliorem concoctionem humorum non ostendunt, quam prius, quoniam æquè albæ, & crudæ sunt liuorem præferunt, & nullum nitorem, & turbidæ etiam sunt. fuerint turbidiores antea, non indicant tamen vim firmiorem factam, sed potius materiam detentam, Vidi ego multos, qui eius generis lotiũ ederent, calculum in Renibus habuisse, sed pondus non sentit, nisi per interualla. Qui toto corpore ægre, & E grauiter habet, confuse, & permixtim omnes molestias fert, & non ita potest distinguere, præterquam quod ego vidi alios, quibus, nullum pondus fuit animaduersum sub calculis etiã valde magnis in Renibus, fit. n. eorum generatio adeò paulatim, vt non interstinguatur illa mutatio à natura, & cum pondus est, in eo homine præsertim, qui non exagitat corpus, illud non percipiatur, sed esto Renes liberi sint, materia tamen in venis cogi potest, vnde partes aliquas necessario fit eruptura. Cuius notæ sunt, non solum in vrinis crudis, sed in aluo, quæ quamquam sæpe crudior est, semper tamen bile multa est perfusa, tum flaua, tum ẽt acriori. Cum eo quod sanguis quoque non boni generis per venas hæmorrhoidas decidit sine illius sensu, quasi laxio-

res illæ sint factæ, ne dum malo sanguine onustæ aperiantur. Quibus rebus sic habentibus nullo pacto ego Virum Illustrissimum illis aquis committerem, à quibus & corpus exsiccari vsque ad interitum facilè possit, & humores mali intus in aliquod viscus, præsertim vero pulmones compingi.

Hæc de proposita quæstione, num ad balnea duci debeat dicere possum, quę ipso rogante vobiscum communicaui; nam alioquin Illustrissimus Vir iam diu de mea sententia certior factus est, etiam antequàm primo balnea adiret, neque vos vnquam meę huius sententiæ ignari fuistis, forsan ipse sperabat me iri persuasum à vobis, & vobiscum consensurum. Sed aliter euenisse multo intelliget, & forsan mutabit sententiam, in qua se esse affirmauit, nimirum se non aditurum balnea ni vobiscum consensero. Mutet, vt vult, sententiam, & deliberet ad ea accedere, certè tamen non accedet, nisi humeris portetur, tam video illum consumptum & cadauerosum. IESVS Opt. Maximus faxit salutem aliquo modo recuperet vel balneorum etiam vsu.

De inflammatione pulmonum cum maculis pro Illustrissimo Domino Octauio Spinola.

CONSVLTATIO DLXXXVII.

CVm pauca fieri possunt, in consultationibus pauca dicēda sunt, atque illa minus multis verbis exponenda, ita quamquam res hæc à vobis est longis orationibus, & diuersis, ac varijs opinionibus obscurata. Operæ tamen pretium non est à me subtiliori disputatione declarari, siquidem iam referūt Illustrissimum & Optimum Virum pręcipitanter ad interitum labi. Summa ergo rei capita amplectens dicam, quòd subitus morbus simplex intemperies esse non potest, quę subito fieri nunquam potest, minus vero subitum illius incremētum, sic non video, quo modo hæc spiritus angustia difficultatis nomine proposita à calidiori cordis intemperie simplici sine materia esse possit, cùm repente superuenerit. Vna modo est materia, quæ subitum confluxum habere potest, & subitos morbos, ac neces parere. Nullus vero etiam tantus esse potest cordis calor, qui huiusmodi difficultatem spiritus faciat; illa enim non ex parte vsus, sex ex parte facultatis, aut instrumenti est, & quod ratio ostendit, id etiam experimentum confirmabit; nam nullus maior in corde calor esse potest, quam qui ardentis, aut eius generis tertianæ febris est, in quibus tamen spiritus angustia nulla visitur. hic vero minus inde ea nasci potest, vbi vos Doctores existimatis pulsum ægri vix à suo statu naturali recessisse, adeò vt sibi contradicere ille Doctor videatur, qui cum hunc pulsum talem statuat, tantū tamē velit esse in corde calorem, quanto difficultas spiritus fiat, quasi cordis calorem pulmones, nō cor ipsum sentiat. Quapropter ego hāc spiritus difficultatem cogor cum in morbum materia constantem referre, tum illum in instrumento, cuius actio læsa est, constituere, non in vsum, minus in facultatem, vt alter Medicus asserere conabatur, qui vitio capitis illam facultatis imbecillitatem natam proponebat. Etenim DD. Excellentissimi quamuis caput nō admodum robustum sit, & materiam destillationis accipiat, quam deorsum repellat, tantum tamen habet virium, quantum non solum respirationi sustinendæ satisfaciat, verum ēt, quantū corpori toti mouendo. Cum respiratio vel in ijs, qui Apoplexia tenentur, & non solum mouēdi, sed sentiendi vsu causa capitis priuantur, motus tamen respirationis retineatur, neq; nisi in valentissimis Apoplexijs ea difficilis sit, nedum difficilis esse queat hic ea causa, vbi & sensus, & motus omnes liberi persistunt. Sed quid illa persequor? nos morbi vsitatissimi pulmonū notas certas videmus, cur ad alium morbum comminiscendum confugimus? Angustia spiritus cum frequentia pulsuum coniungitur, ruborque homini insolens genarum tam familiare, & proprium pulmonum affectus. Anhelitus intēsum odorem effert, qui à copia spiritus exit. Sputamina etiam exeunt partim pus referentia, partim pituitosa, & liuida. Expuendi quædam necessitas intelligitur ex maximo eius conatu.

Cum hac difficultate spiritus febris est, cum dicto genarum rubore, cum maculis toto dorso. Quid restat ni videamus, quòd pulmo ipse inflammationis aliquo genere intumescit? Thorax namque si id in se haberet dolore afficeretur, quem vidi etiam sæpè esse à pulmonis tumore affectum, & tunicam pulmonum adeo succingenti membranę agglutinatam inflammatione, & eius exsudante glutine, vt sine laceratione disiungi ab illa non posset. Sed tussis rara admodum est, & etiam sputum, id vero est, quoniam & sanguis pituitosus est, & è corpore pulmonum non exprimitur in tracheam illo imbecilli facto. Vnde sæpè in Asthmate tussim non videmus. Inflammatio pulmonum fit humore non in solis vasis contento, sic enim neque difficilis anhelitus efficeretur, neque humor tam concalesceret, vt febrem moueret, sed in corpus eorum impresso, vbi obstipatus incalescit, putredinemque comprehendit; & cordi vicino febrem putridam affert. Quæ putredo, quoniam partes cōtinentes imbecilles sunt, nec humoribus contentis possunt dominari, propterea putredo longè intensior fit, & maligna, cuius sæpenumero tantus calor non est, quanta caloris naturalis dissipatio, & humidi superantia. Vnde febris mali moris, & contagio communicabilis fiat, ex quo etiā maculæ in dorso extitere, venis, vel arterijs potius à putredinis vi laxatis, & sanguine in vaporem tabescente. Neque enim maculæ hæ à natura, sed à morbi vi exprimuntur. quas quidem maculas vt plurimum ad huiusmodi pulmonis inflammationes sequi animaduerti.

Pręter ipsam virium infirmitatem partium continentium multum facit etiam multitudo humorum malorum ad malam putredinem patiundam, eo. n. facilius vires superantur, & obstructiones arctiores fiunt. Multam vero subesse materiam, eamque ad putrescendum procliuem facit ipsa viscerum infirmitas, quòd autem ad pulmones illa moueatur, ea causa fuit. Ipse antea crebro Podagrà, Chiragrà, & Gonagra laborabat, & ab ea genua, pedes, & manus valdè tumere consueuerant, atque adeo in eis locis materia consumebatur. Nunc postquam in balneo fuit, artus illi adeo exsiccati, & adstricti, ac densati fuere, vt non amplius eam copiam excipiant, sic, vt monet Auctor Lib. ad Pisonem c. 15. vagus in corpore humor à pulmonibus tandē receptus est, quoniam laxi sunt, & perpetuò mouentur. Quin dicam ego humores in cor ad eius dilatationem valentissimam adducti inde in pulmones ab eius vi, & contractione expressi sunt via admodum aperta venæ arteriosæ, nec inde in cor ab ostiolis redire permittuntur.

Et certè balnea illa corpus exterius admodum exsiccarunt, tenueque, & asperum reddiderunt, in quibus ad dies quadragintaquinque fuit mane, & vesperi quaternis semper horis, non est itaque alia maior causa quærenda, quando hæc tam aperta, & tam idonea cernitur, quæ non hodie primum animaduersa est, sed quando resistebam, ne

ne ad balnea iret ei explicata, & vobis Medicis inculcata à me est, & totis his 11. mensibus timor huius successus semper indicatus, & scit ipse, quam ego admonuerim, vt cum primum sentiret aliquam spiritus angustiam, & Vrinæ mutationem, statim Medicos accerseret, siquidem pulmonibus, & Renibus maxime esset à materia detenta metuendum. Cuius vero materiæ indicia vrinæ copiosæ, decolores, & turbidæ præbent, eoque magis, quo aliquanto tenuiores, quam antea cernuntur, nam retentæ materiæ notam habent, & alio retractæ etiam. Sed quæ occasio, quæque πρόφασις fuit, vt his diebus in hunc morbum conficiendum materia sit inducta? Dicam ego eam, quæ mihi valentissima existimatur.

Diu fuit ipse in lectulo propter debilitatem, quæ maxima fuit in postremi morbi conualescentia, præsertim in neruis materia intus iam compressa, nec amplius ad articulos delabẽte, vix è lectulo excessit, quod contra fenestras apertas totos dies manebat non longius ab ipsis, sed ad ipsas penitus sedendo, vnde Cælum austrinum, & constitutione valde humida à meridie aspirabat, sic corpus multis rationibus repletum est, nam à frigore vapores retrusi in eandem humoris naturam reuertuntur, à quo elati fuerint, & eo humore corpus complent, venæ itaque admodum onustæ factæ sunt, & quæ sunt in capite præsertim. Pulmones vero ea tempestate Cæli laxiores redditi sic externis partibus compressis à capite, & à toto corpore venæ humores ab exterioribus ad interiora, & ad medium, quod est cor, compulere, & cor acceptum humorem paulatim eos reijcit in pulmones. Auctor ille ad Pisonem cap. dicto profitetur se multos huiusmodi euentus vidisse, & multos homines suffocatos, quibus humores ferri ad pedes prohiberentur, neque ego aliam causam suspicarer, vt vos Doctores fecistis. Omnes enim vnam adducitis Medici eius operam, qui medicamentum illud propinauit, nam eo medicamento is vult cor esse nimium calefactũ, alter vult malum genus medicamenti venenosi in cerebrum inductum, vnde motrix vis thoracis debilitata sit. vult etiam pulmones infirmasse adeò, vt respirando laborent. Videritis vos, num pulmones efficiant motum respirationis, & non potius thorax sit, quo dilatato necessitate vacui aer in pulmones sic rari corporis inducatur, vt compresso eo exprimatur, potestis etiam facilè cognoscere, si rem attenditis, quod calor cordis respirationem quidem sollicitat, magnamque illam, & celerem & crebram facit, quemadmodum ipsa vsus necessitas aucta potest, sed non prohibet illam, non angustam, minus difficilem se ipso facit, aut potest facere. Capitis vero imbecillitas vix vnquam tanta est, quanta faciendæ difficultati respirandi sat sit, nisi omnibus prius corporis motionibus defecerit. Quod vero medicamentum lenissime purgauit, & sine vllo penitus molestię sensu, atque in principio huius fluxionis omnino erat aut ipsum, aut aliud huiusmodi dãdum, neque enim Medici in principio morborum multam litem faciunt, quo medicamento ad aluum mouendã vtendum sit, nam communes, vt aiunt, vias expurgare tunc sat est. Ante quidem, quam medicamentum id sumeret, Vir Illustrissimus cæpit febre insigni laborare cum anhelitu valdè corrupto, & fœdo, quo vt ipse narrabat anxiè & os, & nares infestarentur. Voluit postea ille Medicus sanguinem mittere, vos cum ægroto recusastis, infirmitas virium vos perterrefecit, non repræhendo, corporis totius grauitas quidem erat, qua ego permotus superioribus mensibus in illa vehementi febre ei sanguinem misi. Sed iam hęc dimittamus. Inflammatio pulmonum clara est, & videtur iam facta, materiam tamen semper occurrere, vt in alijs inflammationibus, credendum est, nam vel in declinatione aliquid semper accedit. Auertenda ergo materia affluens, & quæ iam consedit maturanda, & per sputum euocanda esse, atque etiam exterius adhibitis discutienda. Sed in discrimine tanto oportet prius se cũ I E S V Opt. Maximo conciliet, dum medica instrumenta parantur. Auersioni faciendæ iam viribus tã deiectis Phlebotomia adhiberi non potest. Cucurbitulæ cum ferro locis auersioni idoneis sunt affigendæ, non dorso, quoniam ad nimis vicina pulmonum loca ducerent. Obest motus à medio ad extrema, à centro. s. ad circumferentiam, vt dicunt, sed non sat est, cum locus sit in medio magis, quam aliæ partes, vnde humor trahi potest ad medium. Vesicatorijs ibidem appositis eam auersionem tentarem, frictionibus etiam toti corpori, sed maxime extremis partibus. tum inunctionibus valdè retrahentibus, vt ex eo oleo, quod contra venena apud Magnum Ethruriæ Ducem conficitur, quo etiam thorax, seu pectus inũgi posset ad discussionem. Interea etiam sputum leniter mouendum, iuuandumque. leniter inquã, quoniam ea, quæ id faciunt, materiam etiam ad pulmones ducunt. Sed à corde, & pulmonibus materiam auertere poterunt etiam intus accepta, illis cordi amicis vitiatis, quæ adstringunt, & tantummodo exsiccant, ne sputum impediant pulmones constringẽdo, vt faceret bolus armena. Eapropter lapidem bezaar ego ex eo genere omnibus anteponerem, quo humores extenuari, & per sudorem ad exteriora cõpelli Medici experiuntur, & cordi summè amicus esse admodum creditur. Legitimus autem est deligendus, & ad 15. granorum pondus exhibendum. Deligendus verò est minimè lapideus, ex ijsque qui habent colorem, & habitum quasi Mali insani, sed obscuriorem, & dicuntur afferri ex Oriente. Alij sunt lapides colore intus albo extra terreo in argillam vergentem, qui ab Occidente creduntur afferri, & duplo amplius dantur, & libenter potius deliguntur hi, quoniam difficilius adulterantur, sed parum possunt. Loco etiam bezaar ego darem puluerẽ cornu cerui, sed exustum, quem sudorem mouere experientia est. Vbi miror ego magnos Medicos, qui malignitati febrium credunt se resistere quibusdam, per quæ nihil educitur è corpore, & potius in eo omnia comprimuntur, cum Malignæ febres multã putredinem contineant, qua ipsæ consistant (quod licet in cadaueribus sublatorum morte eiusmodi cernere.) & fere pulmones cũ inflammatione sint, vnde ægros citius extinguant. Lapis bezaar ille non lapideus sudore mouendo humores putridos expellit, & contra putredinem etiam facit, sic ipsum præferrẽ, vt cornu cerui vstum, vt scordeum, vt semina citri, & Radices etiam pentaphyli, & scabiosam. Clysteribus vterer auersioni idoneis, vel glandibus pro virium modo. In cibis ptissanam probarem, sed ex iure in quo caro pulli Gallinacei contabuisset, nam viribus eget ipsa expuitio, & quoniam hæ imbecillę parũ possunt cõcoquere, ipsum partirer, & ter die darem luteumque oui adderem, & amigdalarum emulsionem ad sputum mouendum, seu facilem spuitionem reddẽdam, vel etiam vterer ex aqua ptissanæ cum Radice dulci, cum herba fœniculi recentis, & saccharo, ac nisi inflammationem etiam iecoris metuerem caricas adderem. Sed auersiones acceleremus.

Is sequenti die interijt, quæ circiter 11. fuit à principio ipsius febris, tertia tantum à decubitu, namquamquam infirmissimo facto iam corpore esset, non curabat tamen in lecto iacere, neque Medici eum aliter hortabãtur. Suffocatione quidem perijsse visus est, quoniam in lectulo ad extremam horam se mouit, quamquã loqui non valebat spiritu subducto, & in latus decũbebat cũ expirauit, qua hora neque strepitum respiratio retineret, neque pulsus amplius cere-

cerebri essent, neque extrema frigida, quamquam antea frigere cœperant. Cadauere aperto pulmo inflammatus fuit maxime dexter, & in eo plurima materia pituitosa comprehendebatur. Ren dexter lapidem magnum habebat ad vasa vsque pertinẽs, & ad eorum figuram informatus, cuius nullum signum fuerat nisi quòd vrinæ minus turbidæ ab vsu balneorum fuissent.

Is semper pollicẽtibus bonam valetudinem credidit, & ita hominibus ignaræ arrogantiæ potius, quàm intelligentibus se committebat, affirmãti itaque è podagra veteri, & pertinaci ipsum euasurum, si balneis vteretur, non aquæ dulcis, sed mineralis, meum consilium quo balnea dissuadebam credidit esse hominis nimiũ subtilis, & suspiciosi, & alterius pollicitationes audiuit.

De resolutione musculi buccæ pro Cardinali Valerio Episcopo Veronæ.

CONSVLTATIO DLXXXVIII.

Christophorus Guarinonius Illustri & Reuerendo Domino Vincentio Sirtio Illustriss. Cardinalis Veronæ à Secretis, Romam.

Cvm tuas literas legi de valetudine Illustrissimi Domini Nostri scriptas totus in eã cogitationem raptus sum, & adeo absorptus, vt nesciam, an vnquã de salute mea par studium me incesserit. Ergo, quidquid ex me potest ei vtile esse, efficiã, id vero est, quo Medici, qui illius curã habituri sunt, ante oculos ea collecta habeant, quæ ego vnquam potui de eius corporis natura, de vitæ genere, & valetudine obseruare, vnde rationem, & causas incidentium ęgritudinum dijudicent. Corpus Illustrissimi Domini dum ætate floreret valdè tenue fuit, pallidumq;, & nigris pilis, somno semper breui non studiorum solum causa, sed naturæ. Ab anno 31. ætatis canities celerrima extitit, paulatim vero corpus inde melius nutriri cæpit, & intera robur suum retinebat, nam ipse non solum in concionibus ardens cernebatur, sed in itineribus, quæ sæpe ad Ecclesias cũ suæ Diœcesis, tum etiam alias summi P. authoritate haberet, semper plurimas itinerum partes pedibus faciendo suos familiares viribus superabat. quod robur posteriori hac ætate tum senium, tum corporis grauitas imminuit, & ipsum ad sudores facilem reddidit, ac somnos minus breues effecit, contra quam senectuti accidere soleat. Venę eius quamquam plenioris corporis amplæ videntur, & arteriæ etiam satis magnæ sentiuntur cum magnis pulsibus, & raris. Vrinę semper copiosæ fuere, satisque pro copia coloratæ non ita crassæ. Aluus siccior, quamquam quotidie satis respondens, nec admodum colorata bilis parte forsan per vrinas eiecta, quę etiam multum arenularum ferè efferre consueuere. Eius mores semper benigni, quamuis hæc ętate paulò ad excandescendum, & ad Nemesim proniores, sũt vero serijs semper abdicti, à iocosis penitus auersi, adeo vt in ea re, cum mos alteri gerendus est, vix vno, aut altero verbo iocoso illius cũ risu leni excepto, deinceps fastidio ipse affectus aliud continuo agere videatur. Quibus propositis videre Medici possunt, quòd cor ipsius aliquãtò humidioris generis est, in calore verò temperatioris. Iecur autem vnà cum Renibus calidioris, & siccioris, ita vt, cum corpus posteriori ætate plenius euaserit ob refrigescentem calorem id habeat, & ob intermissas corporis exercitationes, ea saltem causa, quòd ad se exercendum corpus minus validum euaserit, atque ob vẽtriculi meliores concoctiones, quæ iam fieri possunt, tũ quòd ipse præcordijs carne magis munitis calorem suum firmiorẽm obtineat, tum propter somnos etiam minus iã breues, si vis, adde, quòd ijs excretionibus semper caruerit, quæ maxima vltimi alimenti, & spirituum diminutione solent per naturalia fieri. De vẽtriculi natura non facile in ijs, qui cupidi literarum sunt, iudicari põt, eo tamen, quòd ei aluus siccior fuerit, quæ res non solum iecori, sed ventriculi rõne fieri solet, & quòd singulas potiones largas nõ patiatur, potiusq; illis repetendis satisfacere necessitati iecoris opus habeat, tum vero, ꝙ à pinguibus molestiam accipiat, ita vt ex sola pulte ex pane, & butyro cõfecta certò ei vomitus moueatur, etiamsi sub longiori abstinẽtia fuerit, existimari siccioris naturæ ventriculus dẽt. Caput, si ingenium, perspicaciam, & memoriã spectemus, si somni breuitatẽ, maxime antequam consenesceret, profectò siccioris, & purioris est. Tum si capillos in capite siccioris ad hãc ætatem sine euidenti caluitio seruatos, respiciamus, certè ibi calor insignis esse nõ põt, quo cum siccitate cõiuncto citissimum penitus, & maximum caluitiũ affuisset, & ingenium non ad prudentiam, non ad solidas disciplinas idoneum, vti est, sed ad temeritatẽ ad spinosas, inanesq; cogitationes ꝓcliue, neq; constantis sententiæ esset, vt videmus; nã nisi quandoq; benignitas ipsum de sententia quadã animi dulcedine deducat, constantissimæ sententiæ est, quod cum siccitatis cerebri est, tum multũ calorẽ sequi non põt, idẽ & indicat canities tã cita, q̃ huic gñi capitis à Gal. attribuit sõni hac posteriori ætate facilè minus breues fiũt ab eo ascititio humore, quẽ à nutritione superuenisse toti esse corpori cernimus, vnde etiam fluxionibus iam caput obnoxiũ fit, à quibus semper maxime abfuisse certum est. Rarissimè ægrotauit, &, quòd sciam, iam 30. annos semel tantũ vel iterum febre tentatus est, quæ vix vnum, aut alterum diem eum habuit. Ac postquam corpus cæpit melius nutriri, sanguinis fluorẽ è naribus habuit, primum quidem Vere ineunte multis diebus, postquã ipse in paruo conclaui, in quo ignis esset, per multos dies cũ Ciuibus suæ Ecclesiæ assiduè, & magno studio egisset de pauperib. sub summa annonæ caritate alcidis, & secum cum illis eo sumptu partiendo, quã fluxionem tandem ipse maxima abstinentia superauit, solo cibo modici panis, & potione aquæ vsus. Semel quoq; post multos annos Romę oculi rubore tẽtatus est hyeme ineunte, vt hoc anno quoq. Veris itẽ tempore audio. Destillationem ẽt bis Veronæ sensit hac posteriori ætate hyemis tẽpore, & illam quidem longã. Et in itinere semel grauedinẽ copiosissimæ, & pallidæ pituitę, & hoc anno ẽt iterum Romæ, vt audio. De vitæ illius modo, pręter id qđ Medici ipsi videre pñt, animaduerti ego semper ipsum nihil penitus cutẽ curasse, minus ciborũ, aut potionum delectũ vllam ve sollicitudinẽ habuisse, nam vix à somno expertus ẽt hora quietis aut videre lectorẽ, aut ad scribendũ continuò conuerti solet, nullo tpis momento cultui, expolitioniue corporis concesso, imo vix, dũ capilli tondendi sunt, pectinę tangi perfert. Sępè tota die cum dimidia sine cibo laborib. concionum, & huiusmodi negotijs se fatigauit. Noctu nulla obseruatio capitis muniendi. Interdiu sæpè solus meditationib. intentus non animaduertit, aut aspirãtem vẽtum per fenestrã, aut ignem proximum sibi nocuum esse. De proximis per electiones Pontificũ tot cõclauiorũ incõmodis nihil dicã rerum earũ ignarus. Possum quidẽ suspicari, ꝙ angusto loco corporis exercitationes in aĩ labores cõmutatę sint. & sudores soliti detẽti, & scribendi studia inter grauissimarũ rerũ curas fuerint nocẽtiora, cubiculũ vero aut atriũ, in quo versabatur in illis angustijs potuit habere vicinũ aliquẽ murũ recentẽ, vt multi ad cõcludendũ cõclaue fiunt,

fiunt, vnde halitus pessimi venire solent, & similes A aliæ res, quæ præsentibus Medicis cognosci possunt. Ex quibus humores omnium generum congesti fuerint, caput verò præcipuè angustia meatuum affectum, vt veris tepore humores fusi, atque in caput sublati, dum ibi illa angustia detinerentur suo onere, & malo etiam genere vim expultricem irritarint, deorsumque repulsi sint, sic ad oculum ad vicinos neruos, & eorum ramos, qui ad buccam pertinent, deuenerint. Hæc mala iam sublata dicuntur, metus tamen est, ne identidem reuertātur, aut similia alia cum maiori etiam periculo, quod ne fiat omnino prouidendum est, in primis verò humores suspecti, & eorum gignendorum causa submouenda, & capitis meatus expediendi, caputque firmandum. Ac nisi impediri humorum dictorum procreatio queat, illis B egressus aliquis procurandus, quo natura in dies illis se exoneret, ita aliquis meatus visibilis excitādus. Quæ præstari à Medico poterunt, si corpus singulo quoque anno purgetur. Vere quidem certè ineunte, nonnumquam vero etiam Autumno, cuius purgationis ratio pro temporis & status corporis ratione semper erit instituenda, & sanguis maxime instante ad oculos fluxione minuendus. Ventriculus autem singulo quoque mense bis repurgandus, nisi vomitu, quoties nempe ab eo oculis metuerimus, certè medicamento leniter aluum deducente, quemadmodum melle rosaceo solutiuo cum portione oximellitis, aut oximellite solutiuo ad antiquorum Medicorum exemplum parato, aut hyemis maxime tēpore pilulis mastichinis cum Assaieret, aut Arabicis C coniunctis, pilulis lucis cum portione aliqua cochiarum. Ex his namque & purgationi, & firmitati ventriculi, ac capitis consuleretur. reliquis medijs diebus ventriculus extergeretur commodè, & firmaretur eo medicamento, quod Galenus pro senibus instituit ex cyconijs malis, aceto, melle, & aromatibus, quæ erunt moderanda, prout ex vsu forte iudicabitur. Oximel quoque squilliticum validum est ventriculo extergendo, & omnis corporis pituitæ modificandæ, cauendo tamen, ne corpori nondum purgato detur, ne pituitam, & alios humores, quos multos purgare non potest nimium mouendo in caput, oculos, & neruos trudat. Aestiuis caloribus saccharum rosaceum cum paulò rhabarbari, cum car- D thamo prodesse posse videretur, aut pruna cum sena, & succo rosarum, & melle, aut saccharo condita. Meatus capitis etiam inuisibiles curandi sunt, & detergendi quoque mane, & videndum quid impediat, ne ad vsum lotionum possit reuocari, quæ lotiones medicamentis essent afficiendæ, quæ magis abstergant, & siccent, quæ calefaciant, aut adstringant. Toti corpori id quoque præstandum, & maxime nisi sudores respondeant, tunc enim quoque mane purgato præsertim corpore esset vtile, & pedum item lotiones, vel si metus etiam podagræ instaret, quam tamen etiam defendere poterunt, si in lotionibus, quæ firmant articulos, incoquentur. Ac nisi hæc satis profecerint, cauterium sinistro brachio erit dandum. De cibis quisque Medicus facile delectus E rationem præscribat. videndum quidem maxime ne glutinosa, dura, crudaue in cibum sumat, panibus benè fermentatis, benèque coctis vtatur, vino nec admodum potenti, nec cum multa aqua, sed medij generis illo, & stomacho idoneo. carnes grauiorum animantium, & maxime vetustiorum vitentur, quorum partes semper molliores, & magis exercitatæ deligantur, vt alæ, & crura magis, quàm viscera, nisi sint iecora lactentium, aut gallinaceorum. In mollioribus, & iunioribus quadrupedibus semper suilla, & agnina mala est, imo in hoc casu suilli etiam pedes. Lac penitus cauendum, & ex lacte facta omnia, quæ sunt omnino subtilius, vt dixi, à Medicis præscribenda. Prandium certè numquam differendū, quoniam inde renes incalescunt natura auidior crudiori succo se replet, & homo semper plus iusto cum cibi, tum potionum assumit, qua causa etiā omnis aut prādij, aut cœnæ intermissio nocua est, & sicuti exercitium vtile vitæ est, sic illud nimium eadem mala maxime affert, à quo certè plus potionum assumitur. Nunquam à cibo sumpto nisi lenta ambulatione quies interrumpatur, animus vero non nisi leuioribus cogitationibus excitetur, grauia negotia, & scriptiones studiosæ fugiantur. Sed mihi longinquo homini hæc forsan nimis multa sunt cum præsentibus tantum cerni rectè possint. Vos qui interestis eius seruitijs, ne cessetis ei in memoriam reuocare, quàm intersit publicis rationibus illius vita, & ipsius vna atque vestram salutem curate, meque amate. Vale Vir Illustris, & mi obseruantissime. Pragæ.

De Illustri quodam Collereto.

CONSVLTATIO DLXXXIX.

AN sint vlcera sananda, quæ cauterio facta sūt. Et vinacea adhibenda in eo, cuius pedes rheumare laborant, siue id sola podagræ ratione, siue Gallici etiam suspicione fiat. Ego non possum aliter existimare, nisi quòd neutrum periclitari auderem, quoniam beneficio vlcerum submoto, quamq; hactenus non satis profecerint, posset facile corpus in peius labi. At non nisi post facta illa vlcera pedes intumuere, vnde ad incessum crura sint debiliora Dico quòd tumor is quoque à multa repletione malorum humorum seu crudorum venit, quę vlceribus clausis maior fiet, & hac proprijs prouisionibus dempta ille minimè futurus sit. Vinacea vero cum partes adstringat, & confirment, rheumatis descensum in pedes non adeo parum possunt prohibere, quin nimium sit id, quod maiori incommodo in partibus nobilioribus, & vitæ magis necessarijs subsistere eo descensu prohibitum cogatur. De cuius corporis conditione, si ego melius possem cognoscere, loqui etiam exactius, & longius auderem.

De affectu renum pro Serenis. Vrb. D.

CONSVLTATIO DLXXXX.

Excellentissimo Domino Ambiorigi Samperolio eius Physico.

SVperius certum fuit renes esse expurgandos primum, deinde confirmandos, postea alendos bono alimento, quo humidum proprium reciperent, & calorem suum molliorem sortirentur. Nunc T.E. literis vero nonas Septembris datis rogatur, num aqua thermarum de spa dictarum vtilis esse possit, si in potum sumatur. Ego itaque vim vehemētē aquæ, & genus illius intuens dico, quòd, ni, satis dum expurgati esse renes, & confirmati videantur, ea ad illud opus vti possumus non multis tamen diebus, ne renes nimis arefiant, magisque idonei lapillis, & arenæ efficiendæ reddantur, quin subindè ad lactis asinæ vsum sit deueniendum, quo renes habiliori, nutritiorique corpore suo euadant, nec tam acrem, aridumque calorem retineant. Etenim vis atramenti sutorij exsiccantissima est, vt maxime abrasiua recrementorum, quo genere præditam aquam hanc ex gustu intelligere quisque potest, ac veluti in externo

terno corpore nos vlceribus, aut alijs sordidis morbis vehementius abradentia longius ingerere non audemus, quoniam carnes etiam bonas demunt, ita multò minus in internis, & vitam continentibus partibus, aut opus publicum molientibus id audere debemus, quibus nimium abrasis, & arefactis vitæ necessaria humidi adminicula tolluntur, quod ego experimento etiam exploratissimum habeo, qui multos vidi vsu medicamentorum huiusmodi vires habentium sibi ab Empiricis commendatorum tabe esse consumptos, etiamsi eousque hydropici fuissent. de quibus cum multò antea id prædixissem eis interitum minitatus, quo ab eorum vsu desisterent, euentus admirationem hominibus attulit, & prædictionem non scientiæ de natura, sed Astrologicæ attribuerunt. Itaque cum in hac aqua atramenti sutorij multum præter alia sit, ego sobriè admodum, & vsque modo ad iustam purgationem renum vterer, continuoque ab ea desisti vellem. Dicunt mulierem quandam tota vita vsam fuisse huius aquæ potu, & diu vixisse. At humidiori forsan corpore erat, ita têperatiori ea aqua faceret. Etenim, quamquam ego non credo mixtionem in aquis thermalibus fieri cũ metallis iam factis, quorum vim habent, mixtionis tamen modum valentiorem alium existimo esse, qui est dum eorum origo intra halitum adhuc manet, nec dum aut aqua, aut metalla concreuerint, halitibus illorum per calorem terra conclusum è visceribus certi generis terræ elatis, & inter se commixtis, ac postea concrescentibus abundatiore vero eo, qui vapor est, quàm altero, qui metallo gignẽdo opportunus est, aqua fit metalli vim tenens. calore primũ subterraneo eos anhelitus commiscente, vt aqua è vapore concreuerit ea necessario uim halitus secum comprensi habeat, & eo firmius, quo propius à prima eorum origine ea mixtio fit, atque eo magis aquæ inde factæ vim illam conseruent. quo vero propius ad sui perfectam generationem metalla, & aquæ accerserint, antequam confundantur anhelitus eo minori spatio aquæ metallorum vim possunt retinere, quoniam firmior seorsum est vtraque materia, magisque in sese concreta, mixtioniq; durior, cum constantem iam naturam suam sortita est, & vires alienas per mixtionem minus in naturam suam iam factam, & constantem potest contrahere, & minus valentes. neque hæc ratio à me proposita virium aquæ thermalis alicui mirabilis videri debet, quoniam in aqua admodum clara videmus esse vim lapidum gignendorum, quæ certe non à lapidibus cõtracta est, sed ab halitu, qui materia lapidum est. In aquis modo his de spa & vehemens vis est, & retinetur, quare ab vltima origine, quæ concitatio halituũ est, credo commisceri. Ac, quod de renibus dixi, de primis quoque venis sanguinem melancholicum identidem sua intemperie congerentibus putandũ est. Nam huius aquæ potione poterunt quidem liberari, sed ni intra fines dictos permaneamus huius vsus, venæ illæ aridiores factæ postea peius sanguinis genus subministrabunt. sic & paucis diebus adhibẽda ea aqua est, & vsus lactis continuo subijciendus, quo vtrique necessitati ad completam curationem satisfaciamus, cui rei forsan instantia frigora obstabunt, quæ res in manu nostra non est, temperatiori certè adhuc se habente cælo fieri posset. Quid postea in vsu haberi queat, quod ijsdem malis resistat, dico, quòd multa condiri in hyemem possent, veluti essent succus limonum, cum succo pimpinellæ, & floribus saluiæ, buglossæ, boraginis, rosarum, aceto etiam adiecto, quæ cum saccharo conficiantur, iniectis pulueribus schenanthi, cinamomi, & seminum mespillorum. Confici etiam potest cytoniacum ex succo citoniorum, & malorum dulcium, aut limonũ cum aceto, saccharoque adiectis similibus pulueribus. In cibis plurimum faciet assiduus vsus amigdalarum, s. melonum, & nucleorum pini. Sed alias hęc, & dictu tibi non necessaria. De capite illo postremo tuarum literarum ei homini hoc tempore restat vna cogitatio, nam vndique cernit angusta omnia, ac ni insequens tempus viam faciat, ille effugere non potest, qui tamen interea magnis vitæ commodis, & vtilitate eximia sustentatur. Salus mihi ab istis nobilissimis, & Illustrissimis Viris per tuas literas dicta suauissima fuit, & eam ego multis modis refero, si possum eis multo maiorem, Vale. Pragæ Idibus Octobris. Anno MDLXXXXII.

CONSVLTATIO DLXXXXI.

Eccellentissime Vir.

Literis tuis ad V. Non. Oct. datis narras fuisse tibi admodum repentinum, & præter omnẽ expectationem, cum nunciatum est huius Regni Proregem Illustrissimum Rosimbergium interijsse, & ita eius rei tamquam maiorem aliquã causam à me scire te cupere, quasi non meas literas legeris ad te Non. Iulij datas, in quibus illam cõualescentiæ professionem ore ipsius Illustrissimi Domini, & suorum tantoperè decantatam, & iactatissimam carere bonis indicijs extimæ speciei affirmabam, dicebamque quòd æger chymistas extollebat, & quemque hortabatur verbis, non facie hypocratica suo illi eiusmodi Medico valetudinem committeret. sub qua vero ostentatione eò progressus est, vt, cum meliores postea expeteret Medicos factã iã professionẽ deserere puderet, sic sine medico vllius generis diu fuit, dũ consumeretur, dũ animi deliquijs identidẽ crebrò malè tractaretur, vt vel ipso moriente adhuc rumor vigeret ipsum melius habere. quo primum tempore ego maxima diligentia, celeritateq; accerseor, nimirum vti postremum vale dicerem, nam altera hora post transmigrauit. Eum inuenio modo è syncope ereptum & aliquantulum recreatum, summa tamen spiritus angustia oppressum, omnibus nihilominus signis humanitatis, & officiosissimis verbis ab eo excipior, vbi dum volo Medicum ab eo tam laudatum alloqui, iste refugit, & à cognatis, affinibusq; Illustrissimis subducitur, interea dum hæc colloquia differuntur, ęger moritur. Etiam Galenus admonuit ante marasmum animi deliquia incidere, nimirum antequam corpus penitus opprimat. Certè quod potui cernere in facie, cum occurrebat antea, adeo erat consumptus (nam circumferebatur sella, aut lectulo, neque enim currum amplius poterat pati, minus incedere domi, nedum domo procedere etiam portatus valebat, ita sella continenter vtebatur,) vt post mortem meliori longè facie visus sit. quæ res totis tribus circiter mensibus palam in conspectu omnium fuit, neque improuisa eius mors prudentioribus visa est. Cogebantur alioquin vulgo credere ipsum semper melius se habere sic suis omnibus constantissimè affirmantibus. T. E. cognoscet reliqua, si quæ à me præterita sunt. Certè illud non prætermittam, me amet de more, & memoriam mei apud amicos seruet. Valeat. Pragæ vj. Cal. Nouemb. Anno MDLXXXXII.

T. Eccell.

Deditissimus

Christophorus Guarinonius Fontanus.

De eodem vertiginoso, & flatuoso affectu pro Canonico, &c.

CONSVLTATIO DLXXXXII.

Valde Reuerende Vir.

FLatus fieri nequeunt (vt tuæ Epistolę paucis respondeam) nisi materia subsit idonea, quæ cum cibi genus eiusmodi non est, Certè pituita crassior, aut melancholicus succus est, tenuis namque pituita non flatus, sed humidos vapores effert, qui in aquā, & eandem pituitam cito vertuntur, nec valdè citi, aut incitatioris motus sunt, torpidumque potius, & somnolentum, quòd flatuosum hominem reddunt. Potius quidem flatuum causa sæpe est aut nimius, aut exiguus ventriculi calor; quoniam exiguo calore flatus non dissoluitur, vt caloris officium est, magno vero calore quædam delicatiora cibi genera in fumum quadam sui exustione conuertuntur. Quarum originum quam nàm habeat iste flatus, iudicari facile non est ex his, quæ mihi scripta sunt. Potius quidem pituitam esse mihi persuadeo cum humore melancholico coniunctam, quod vitæ genus, & studia moliuntur. Huic ergo, & imbecillitati caloris occursum esse in præscriptis medicamētis per alteram Epistolam nostram videri potest, neque ab illis recedendum, quoniam quamquam dum materia tractatur, fumus idem, aut etiam maior supra consuetudinem sentiatur, id solet suæ materiæ exagitationem sequi, vt ea penitus dempta, nullus est futurus. Si quis enim ligna incensa submoueat, quo fumum auferat, sub ipsa tamen lignorum retractione eum videt augeri, pariter, si quis pulueris materiam velit detergere, eum interea densiorem excitat. Itaque ab inceptis ego non desisterem, donec melius cœlū anni tempus attulerit. Neque exterius interea lotiones, aut suffumigia adhiberem, quoniam illa in caput è corpore toto sui purgationem nōdum adepto plus materiæ attraherent. Victus quidem ratio omnino tuta tenenda est, & flatuosa omnia, atque crassa, cruda, pinguia, glutinosaque vitanda, vt butyrum quoque sit fugiendum cum omni lactis, & casei genere. Vino mediocri vtendum, eoq; bene maturo, non dulci, non etiam valde austero. Somnus longus noctu, interdiu nullus habendus, nec vnquā, nisi duabus à cibo interiectis horis adeundus. Quæ diligenter conseruari oportet. cum vero clementius cælum euaserit antequàm Virgilię oriantur post æquinoctium de validiori curatione erit cogitandum. Vale, fœlixque sis.

De auditus sensu affecto pro Possouiæ Canonico.

CONSVLTATIO DLXXXXIII.

HViusmodi læsio potest quidem corporibus variorum generum incidere, fere tamen in calidis, & humidis capitibus, cum ventriculus frigidior subest, & cruditatibus est obnoxius, siue culpa propria, siue causa externa, aut studiorum, aut alia eiusmodi id fiat. Eapropter, cum mihi simpliciter solo nomine res significata sit, hic multa essent circumspicienda, quo rebus aduersantibus occurram. ita er-

A go me geram, vt saltem, ne obsint alijs bene habentibus, quæ mihi opportuna ipsis affectis partibus esse videbuntur. In quo primum contra vapores caput est defendendum, qui vapores in eius membranis ad cerebri basim recepti colluctantur exitum quærentes, vbi dolorem non mouent, quoniam humidi, & lenes sunt, scilicet quia non fumi, sed vapores sunt, neque impetu feriant, vel per externas venas elati intra eas circum aurium meatus, & exagitantur, & obstruunt, tum tinnitus, hebetudines, & subitas per interualla surditates, atque in capite crepitus faciunt. Deinde materia vaporum, quæ in ventriculo quotidie generatur, & in venis ventriculum, atque intestina amplectentibus percurrit, subtrahēda, initiumque ab hoc faciendum. Ad quæ præstan-
B da ego vsum trium medicamentorum adhiberem, Vnum est, quod ductam materiam à parietibus, & meatibus detergeret, & vna simul caput defenderet. Alterum, quod illam paulatim per aluum deduceret. Tertium, quod ventriculum maximè, & caput confirmaret, materiæ tamen quoque apparatum respiceret, & capitis ac ventriculi tuitionem retineret. Primum esset eiusmodi quod reciperet foliorū beronicæ, saluię, roris marini an. m. ij. Florum stechadis, roris marini, saluiæ an. m. j. Nucis moscatæ, macis, cariophyllorum an. ʒ. s. radicum iridis ℥. s. serpētariæ ʒ. iij. galangæ, zedoariæ an. ʒ. 1. s, myrobalanorum omniū ℥. 1. & facta decoctione. s. a. in s. q. aquæ communis ad consumptionem mediæ partis, & colata cum expressione. Recipitur suprascripta decoctio.
C Mellis, & aceti squillitici, quantum requiritur ad oximel conficiendum, & proficiatur rectè s. a. De quo vero sumat quoque die saltem, duo coclearia horis tribus ante prandium, à quo sumpto conueniret exerceri leniter, & sine labore. Alterum medicamentum erit per catapotia sumendum, quod recipiat. Rhabarbari electi ʒ. ij. s. aloes rosacei ʒ. v. spicę, macis an. ℈. 1. gingiberis, salis gemæ, nucis moscatæ, an. ʒ. s. diagridij ℈. ij. pulpæ colocyntidis ʒ. 1. succi absynthij concreti ʒ. 1. s. myrobalanorum, citrinorum, chepulorum, emblicorum, belliricorum an. ℈. ij. s. agarici opt. ʒ. iij. turbich gum. ℈. v. mastiches, gumi ammoniaci, sagapeni, oppopanacis, castorei, an. ℈. ij. cinamomi. sthechadis arab. an. ʒ. 1. cariophyllorum ℈. ij. succi saluiæ, syrupi de succo betonicæ an.
D q. s. m. & fiat massa s. a. Atque si inciderent interdū articulorum dolores in eamdem massam inijci debebent hermodactilorum ʒ. vj. hieræ arteticæ ʒ. ij. s. Ex qua sumat modo ℈. j. modo ij. interdum tres prout ei otium liberum est, atque hoc per interualla, veluti quinto quoque die. etiamsi eo die oximel acceperit, quo tamen non accepto pilulas potest sumere, tribus item ante prandium horis. Tertium medicamentum erit, quod recipit pulpæ cytoniorum lib. 1. mellis, sacchari, an. ℥. vj. aceti vini albi ℥. iij. pulueris nucis moschatæ, macis an. ʒ. 1. piperis albi. cariophyllorum an. ʒ. ij. coriandrorum ℥. 1. misce & secundum artem fiat cytoniatum. Quod ex succo etiam cytoniorum fieri potest, sed tunc plus sacchari est impo-
E nendum, alioquin succus non reciperet crassitudinis cytoniati temperamentum sine multo glutine. Ex hoc medicamento potest sumere ʒ. ij. vel ℥. s. in principio, vel in fine mensæ. Ex quorum diuturno vsu sperari potest melior valetudo modo reliqua in vita obseruentur. Neque à cibo labori, aut studijs se committat, minus negotijs, aut sermocinationibus cum intentione animi se credat, omneque cibi genus fugiat, quo ventriculus grauari videatur, quemadmodum præterea pingue, butirosumve, ac quòd in sartagine frixum sit, quodque durū, crudum, glutinosumque sentiatur. Aromata quoque moderatè adhibeat. Potione non admodum frigida vtatur, non aquæ, non vini potentioris; & cum ijs ea omnia vitanda,

vanda, quæ vsu compererit sibi incommoda esse. Hæc pro tempore admonita sint, quæ nisi profuerint, cum ad maiora erit ascendendum, tum vero ad cauteria in brachio saltem. De quibus suo tempore consultatio erit habenda.

De traducendo cauterio à ceruice ad humerum sinistrum pro Nepote Episcopi Patauiensis.

CONSVLTATIO DXCIIII.

Cauteria in ceruice diu nec possunt, nec debent haberi, quoniam difficillimè aperta seruantur, & nequaquam tutò ibi relinquantur, ob intemperiem, & humorum decursum loco spinæ proximo, sic & in alijs ex tempore adhibendis habentur, & paulò post in humerum maxime sinistrum solēt referri, quod nos facere debemus, prius tamen corpus purgando, medicamentoque ob id deligendo, quæ facile æger ferat, sectionem venæ etiam prætermittendo, nam corpora eorum, qui istiusmodi muneribus obstricta sunt, his valentioribus tractata nimiū affligi, & subinde infirmiora reddi consueuere. Sic manna, & melle rosaceo solutiuo, & syrupis ex succo betonicæ, & cicoreæ, melleque rosaceo medicamentum in potionem darem, maxime quoniam à catapotijs solet molestiam nimiam accipere.

Reciperem ergo myrobal. citrinorum ʒ. 2. foliorum senæ electæ ʒ. 3. passularum exacinatarum ℥.s. liquiritiæ rasæ ʒ.1.s. cinnamomi, zedoariæ an. ʒ. s. aniforum ʒ. 1. prunorum num. 3. & f. decoctio in aqua cicoreæ s.a. quæ coletur cum expressione ℞. suprascriptæ decoctionis q.s. Rhabarbari electi pulverizati ℈.2. syrup. rof. solutini ℥.1.s. mānæ electæ ℥.2.s. diaphænicon ʒ. 3. miscerem & facerem potionem sumendam mane in aurora. Subinde humero sinistro cauterium imponatur, neque sanescere vlcus, quod in ceruice est permittatur, donec hoc humidū esse cæperit. Ceruicis autem locus vlcere exsiccato latè inungatur rebus illis, quæ ceruicem exsiccare, & ei robur conciliare possint, vt ℞. emplastri diacalciteos ℥. s. olei rof. Mirtini, vulpini an. ʒ.2. m.

De vlceribus autem crurū dubito ne vtrouis curato crus incommodum sit accepturum.

Oxymel pro Renibus calculosis cuiusdam.

℞. pimpinellæ, cetrach, cap. Veneris, saxifragiæ, alsinæ, parietariæ, betonicæ, corticum radicum capparorum, anonidis ana m. 1. ossium mespillorum, fructuum brusci, alchachengi an. ℥.1. fiat decoctio in s.q. aquæ communis s. artem quæ coletur cum expressione vehementi. ℞. suprascriptæ expressionis lib. 1.

Succi limonum, Succi cæpe	an. ℥.2.s.
Mellis clari	℥.9.
Aceti squillitici	℥.4.s.

Fiat oxymel.

Superius cytoniacum ad imitationem Galeni scriptum est, quod ipse fecit lib. 6. de tuenda valetudine, & etiam libro de compositione medicamentorum per loca, hoc quoque ad eius imitationem conficerem pro ventriculo.

℞. pulpæ cytoniorum	lib. 1.
Mellis, Sacchari	an. ʒ.6.
Aceti vini albi	℥.3.
Pulueris cinnamomi	ʒ.2.s.
Gingiberis, Piperis albi, Cariophallorum	an. ℈.2.
Coriandrorum præpar.	ʒ.4.

M. & fiat citoniacum s.a.

Possumus loco pulpę sumere succum, sed tunc augere partē sacchari ne nimium glutinosum, aut humidum restet. Possumus addere ambram, augere aromata & diminuere pro ratione gustus, & necessitatis ægroti.

Balnea Patauina iecori calido, Renibusq; ad calculum gignendum procliuibus non sunt ita vsitata; minus superioribus temporibus tuta iudicata. Huic vsui sunt Chalderiana in Agro Veronensi, sunt Villensia in agro Lucensi, atque etiam S. Marini in Romandiola.

Potest tutò vti electuario Dialacca ad duarum ʒ. modum epoto post ipsum vino. Quoties dolores senserit saltem quinque diebus.

Ad menses autem mouendos puella post purgationem potest sumere ʒ. 1. trocischorum de mirtha cum vino albo, aut iure cicerum rubeorum septem diebus.

De affectu Renum pro Serenissimo D. Vrb. ad Samperolium.

CONSVLTATIO DXCV.

IN curatione narrata à T. E. non possum non summopere laudare istos Excellentissimos Medicos, vtinam possem tam de effecto opere gratulari. De faciendis etiam mea sententia rursus requiritur, ego non repetam, quæ antea me scripsisse toties recordor, ni id ante oculos statuam, quòd duobus morbis curatione postulātibus, propterea quòd, quamquam alter ab altero natus est, eo tamen, vnde alter natus est, curato, reliquus non tollitur, tunc ei semper prius curatio attribuenda, qui magis vrget, quiq; curatione sui differenda nimis firmus sit euasurus. Videmus Galenum curantem prius Hecticam à putrida natam ante, quam putridam respiciat, vllamve eius rationem habeat. Curemus itaque Renes, à quibus maior metus instantis periculi est, deinde si quid causæ in ventriculo superfuerit, ei vacemus, quamquam, dum in Renum curatione versamur, ille non debet negligi, Hypochondria vero etiam minus. De quibus omnibus à me iterum, & tertio scriptum est, neque amplius puto repetendū. Id in memoriam reuocarem, male nutritos esse Renes nos suspicari, & malis recrementis redundare, præcipuè terreis, quæ retenta facile intelligimus, quid mali sint paritura. Id vero etiam repetā, quòd serum lactis stillatitium multis suis opportunis partibus priuatum, ni medicamentis idoneis muniatur, nihil iuuabit, quin potius Renes laxabit. De virga aurea nil luminis habemus in scriptoribus memoria dignis, quod fide dignum sit, præter id quod Arnoldus de Villanoua narrat, cui credat quisque pro sua voluntate.

De libris agam sedulo. Quod Medici satisfecerint libentissimè, & summa cum voluptate credidi, itaque merito etiam alteri tanta conditionem fuisse oblatam, indicium quanti ipsum feceritis, tam honorificam illi amico non obtulissetis, tunc cum adhuc liber in Patria viueret, vt iste.

De sanguinis effusione per vomitum, & aluum pro Serenissimo Duce Vrbini, ad Ambiorigem Samperolium eius Physicum Excellentissimum.

CONSVLTATIO DLXXXXVI.

ET sollicitus eram, vt quamprimum meæ hæ literæ ad vos perferrentur, ne tam diu Serenissimus Dominus suspensus animi esset, & citissimè me expediebam. Non possum enim pati ipsum diutius insolentissimi casus memoria torqueri. Equidem videre videor sanguinem istum è vena ventriculi per anastomasim excidisse, qui sui insolentia ventriculi tunicæ molestus inde est partim per vomitum, partim per secessum eiectus. Vbi pars, quæ per aluum viam sortita est, longi itineris spatio magis perfrixit, & humido vnà cum calore amisso non solum rubore in atrum colorem commutauit, sed frigidus, & siccus factus molestiam naturæ corporis intulit, & promissis ex se sui generis fumis in ventriculi os casus illos deliquij animi effecit, cuiusmodi fungi mali generis solent, nil enim naturæ corporis inimicum magis, quàm à frigido, & sicco infestari, quæ in calido, & humido sita est. Neque hoc fieri à sanguine nouum est, nam sæpe Medici id potuere animaduertere in effusionibus sanguinis tum in thoracem, tum in ventrem inferiorem, aut etiam in vterum, & vesicam, si eueniat, quòd in illis stagnet, & refrigeretur, eadem siquidem mala facit, quæ à fungis, & lacte in ventriculis coagulato eueniunt. De istius modo periculo statui potest, quòd cum effusio isthæc in eum locum fiat, quo quantæcumque copiæ sit, facilè expellitur, nihil ab ea timendum est, præter vomitus, & deiectionum molestiam, à qua etiam facile queat liberari, quòd eo loco vena laxetur, cui præsidia prestò esse possint, quo & minus multum sanguinis effluat, & nequaquam concrescat. Huiusmodi sanguinis effusiones vitium sanguinis numquam non aliquod sequentes sæpe perniciosi generis vitium habent, quod hic non videmus, difficile namque cum eo vitio sine febre esset. Vidi ego cum febre huiusmodi effusionē, quæ non nisi tollenda febre, & continentibus causis tolli potuit, alioquin etiam ex sola effusione per nares febre manente vidi hominem tolli, febre autem sublata vidi hominē à multa sanguinis effusione per ventriculum, & intestina facta, sanum quidem dimissum, sed adeò languidum, & decolorem, vt mortuus videretur, cuius cutis tota, & lingua ipsa cartæ pergamenæ penitus esset similis colore saltem. Miserū illud magis, quod vidi homines interficere, cum vena non in ventriculum, aut intestina, sed extra illa in cauum abdominis aperitur, nam intestina sanguine conteguntur, & tamquam lorica eo cōcrescente in crustā vestiuntur, sic eius frigore homo frigidis sudoribus, & sine pulsu, & sine animo breui interit. nam nunquam, quod viderim septem horas cum vita præterit. quæ res etiam cum ad vterum confluit in puerperis, & exire ob concretionem non potest, facile euenit, & vidi aliquas optimi habitus, & facillimi partus hoc pacto paucis diebus obijsse, quod per effusionē sanguinis in thoracem etiam factum sæpe animaduerti. Sed hic longissimè abest res ab huiusmodi periculo, vt apertè intelligitur, ex his quæ cognita, & perspecta sunt, & nobis sui prouisionem ostendit, atq; cum renes iam diu malè habuerint, & sui curationē etiam num postulent, in eo occupatus esse Medicus debet, vt procuret, sint cum ijs, quæ renibus purgandis continenter danda sunt, illa etiam quæ venarū ventriculi oscula colligant, & illa, quæ faciant, nē sanguinis aut vitium, aut copia nimia in corpore creetur. Neque vero difficile est ea inuenire, quæ vnà simul & renes purgent, & adstringant, cum ad tutam, & certam viscerum, & venarum purgationē ea vis adstringendi expetatur non solum quia semper robur eorum retinendum est, sed quia purgatio eorum, multò maxima partem ab eorum vi excernendi habet coria, & lintea, & ex materia facta omnia cum exanimis naturæ sint, ad sui purgationem sat habent, si detergantur, abluanturvè, at viuentis naturæ omnia debent ipsamet vi sua excernēte vti, quo expurgentur, propterea nos vim illam excitare, & firmam habere in opere oportet, quod per ea, quæ corpus viscerum colligunt fieri est necesse. Quod certissimum est, & in eo experimento maxime clarum, quòd ad calculos è renibus deturbandos cum ijs, quæ humores liquefaciunt, & detergunt, aut vias laxant, ea vtiliter in primis cōiunguntur, quæ adstringunt. Vt rubi partes ad spongias eius, & radicem pertinentes, vt mespillorum semina, & similia, quæ cum sero lactis stillatitio tamquam viribus suis adstringendi, nedum abstergendi per stillationem priuato componenda esse alias dicebam, & cum vestra illa aqua è siliquis recentium fabarum stillata. Hoc itaque sanguinis metu manente, ego ijs modo vterer, quæ cum incidendi vi, & detergendi eam quoque haberent, qua tonus partibus continentibus retinetur, aut conciliatur, cuiusmodi maxime mihi esse videtur pimpinella, quam & lapillis excutiendis, dissoluendisque, & sanguini sistendo apprimè vtilem experimur, Asplenium pariter, & helxine, ac gramen, tum plantago vtraque, oxalis, lapis iudaicus, & eiusmodi alia, quorum genus ad propositam rationem erit à T.E. examinandus, in quibus etiam puluerem chalibis haberem, vel etiamsi candens chalibs, aut ferrum in sero extingueretur. Quod si incidat ipsa sanguinis effusio, tunc videndum, vt sanguis perfacilè euomatur, vnaque os apertæ venę colligatur, effluxus retrahatur, eiusque concretio soluatur, & impediatur. Quæ omnia per poscam efficientur, vt in non paucis sum expertus. terribiles vero casus concretio inducit, ita omnino defendenda. Post poscam rhabarbarum, aut solum, aut cum saccharo rosaceo erit commodum, quo & venæ concludantur, & concretus omnis sanguis descendat. Difficilè modo fit deliberatu num vtilitas vomitus ad renes curandos maxima hoc metu effusionis sanguinis sit fugienda. Sic vero me gererem, vt vomitum non nisi eo tempore, & ijs auxilijs mouerem, quibus sperarem non solum vires posse valere, sed venas ventriculi firmas fore, cum eo ne corpus sanguine onustum esset. Nunquàm vero sine aceto vomitum mouerem, & ex aqua pimpinellæ cum eo poscam pararem tutissimam, quæ opportuna sit venis continendis, concretioni sanguinis prohibendæ, & eiusdem incursui inhibendo. Res tecum mihi est viro intelligentissimo & oculi fatigati in scriptitando sunt, propterea pluribus nō agam, si id de corporis exercitatione adiunxero, quòd illa ex toto dimittenda non est, modo non insolens sit, aut corpus calfaciat nimis. T.E. beneualeat, & mihi gratiam Serenissimi Domini conseruet. Pragæ iij. Idus Augusti. Anno MDLXXXXIII.

T. Eccell.

Deditissimus

Christophorus Guarinonius Fontanus.

De

De neruorum debilitate pro Illustrissimo DD. Guilhelmo à Sancto Clemente Regis Hispaniarum Consiliario, & apud Cæsarem Oratore, &c.

CONSVLTATIO DLXXXVII.

Iudicium & Consultatio Excellent. Doct. D. Christophori Guarinonij Fontani S. C. Maiestatis Medici Primarij.

ILlustrissimus Dominus D. Guilhelmus à Sancto Clemente Regis Hispaniarum Consiliarius, ac eiusdem ad S. C. Maiestatem Orator debilitatis adeò neruis est, vt quantulacumque occasio inciderit à cælo austrino, aut re alia eius modi, vix trahere crura, & vti manibus possit, difficileq; se in dorsum erigat, ac non nisi viribus omnibus adhibitis, & intenta ceruice id faciat, Scipione interim, & homine se sustinente, quod maxime ei pomeridianis horis euenit. Ad horam autem illam, qua sol ab orientis plaga maxime distat, siue adhuc supra Orizonte, vt æstate, siue infra, vt hyeme, sit, ipse melius semper habet, & modò magis, modò minus potest ipse fine vllo Scipionis, aut rei alterius auxilio, incedere, vt interdum etiam, & facilè ambulet, & scalas attedat. A cubili, & à somno grauior est, sic mane cum surgit aliquandiu debilior, postea firmior, qua hora sæpe potest incedere. Hæc debilitas longo admodum tempore, & paulatim cum incessit, & aucta est: nam multi an ni sunt, cũ ægrè habet, & in dies infirmior euadit. Numquam tremor vllius membri fuit, numquam paralysis, nec manifestus torpor, ipsi sensus integerrimi omnes sunt, ratioque, & memoria, tum ingenium nulli inferius, somni iusti, interdum tamẽ interrumpuntur. Cor solùm quandoque peioribus horis præsertim languere videtur, & et tristitiam afferre. Ventriculus non ita multum validus est, neq; admodum concoquit, præsertim quòd vini potione non vtitur, & antequam ipsum corpus tam debilitaretur, medicamenta acciperet, pituitam seu crudum humorem mane sæpe vomebat, quod post vsum medicamentorum nõ facit, pletumque tamen, si aluus medicamentis soluatur, aut clystere ducatur, ea crudior descendit. Iecoris nil manifestè vitij cernitur, nisi humidius esse intelligitur, ex eo quòd in dextrum maxime crus, cum in pedes insistit, subito rubor, & tumor delabitur sine dolore, cui impressus digitus, colorem quidem disijciat, foueam tamen non relinquat, nam & color, & tumentia continuò reuertuntur, qui color ferè refrigescente crure obscurior, & purpureus fit.

Renes interdum sabulum pariunt, & hactenus saltem bis lapillos edidisse memoria est. Natura corporis temperatior videtur, nisi ad humidius genus vergat, quòd & mores, & omnes in corpe notę ostendunt. Aetas L. annorum, habitus verò etiam propter diu intermissas, aut potius dimissas corporis exercitationes, obesus est, idque non carnibus, quoniam non omnia musculorum loca æquè plena sunt, sed pinguedine, quoniam abdomen maxime, tum pectus, ceruix, & humeri valdè pleni sunt, quorum etiã pondere ipse grauior esse videatur, vt vita in sedili semper lucta, & neruos magis debiles reddat. Hic subitæ illæ mutationes in peius, & in melius quoque die factæ, prohibent, ne causam omnem in obstructionem neruorum referamus, potius verò alicui rei mutabili, & exiguæ, ac tenui attribuamus. Vniuersi etiam corporis affectus, quamquam parte dextera maior sit, omnino in principium commune est referendus. Itaque sit ipsa neruorum perpetua, & paulatim increscens debilitas ab humidiori ipsorum nutritione, atque habitu leuem obstructionem faciente, subitarum certè harum mutationum culpa est, cum generi spirituum, tum principio neruorum tribuenda, & generi humoris admodum tenui, & vaporoso. Debile ergo laxumque sit neruorum genus, neque admodum peruium, id facilè ab externis caussis læditur, spiritus sint tenuissimi, & magis ad rationem, magisque ad sensus, & ingenium quàm ad motum idonei, ij quoque facili de causa minus valebunt, è corpore quoque pingui, & humido ascendat ad originem neruorum vapor, perque illam incet, vt per oculos à ventriculo solet, is quoque & cito impediat, & cito etiam ab impedimento remoueatur, vt aut internis rebus, aut externis moueri contigerit. alioquin crassus humor à neruis frigida, & densa parte difficillime, potest dimoueri. Nos tenuitates spirituum, mollitiei neruorum etiam naturalis, & generis quoque eiusmodi humorum indicia omnia propria à recrementis, & alijs habemus. Præterquã quod delicatioris, lautique admodum corporis est, ingenijque maximi, tum prudentiæ singularis, & morum mitissimorum vir, vt vel de facie floridus color, & vultus subuerecundus ostendunt. Pinguedo præterea vapores ex se non nisi laxantes emittit, cũ eoque etiam neruorum vim suo onere opprimit, vt enim caro cum viuat, & animata sit in crescendo vim vnà secum amplificat, & suo vitali calore spiritus excitat, sic pinguedo exanimis cum sit, tum ponderi viribus est, tum suo vdo corpore, & vapore spiritum hebetat, neruosque laxiores reddit. Exsiccando itaque huic corpori omnis fere materia est adhibita, & nihil restare videtur, nisi vt aquis præterea thermalibus vtamur, eius nimirum generis, quæ neruos firmiores siccando reddant, & totius etiam corporis humidum moderentur. Cuius generis num istæ vestræ sint tanti nominis aquæ, & num in caput etiam, & ceruicem instillari queant, nos, vt oportuit, à vobis Excellentissimis Viris quærimus.

De neruorum debilitate pro Illustrissimo D. D. Guilhelmo a Sancto Clemente Comendatario, & Regis Catholici statuum Consiliario, atque apud Imperatorem Oratore.

CONSVLTATIO DLXXXVIII.

QVoniam res ipsa iam longius progressa est, nos ad ea, quæ anno superiori scripseramus de neruorum debilitate Illustrissimi Viri aliqua adijciemus hoc tempore, quo eius curatio recipienda est, vt certius Medicorum consilia dirigantur. Ipse ergo tam integer non relinquitur illis melioribus interuallis, vt tunc faciebat, quamuis adhuc eosdem circuitus seruet, & illis horis meliusculus sit, atque vt vento Australi, siue ei simili alio, quòd à locis pluuia madefactis veniat, languor crescit, sic à boreali, seu eius intemperiei alio incommodum minuitur. Manet itaque ea facilitas mutationis, quoniam genere alimenti humido nerui debilitantur, & molliores sunt. Mollities namque tum facilè calore, frigore, & alijs rebus incidentibus afficitur, tum

tum ad mouendum neruos minus idoneos reddit. Ita molles nerui sentire quidem possunt, minimè autem mouere, quamquam hi sint neruis valētibus mouere reliqua sua natura, & origine similes, quapropter neruorum etiam minimè mollium, & ad motum destinatorum fibræ, cum musculos ingressæ sunt, adhuc fiunt duriores, quo ad mouendum sint magis opportunæ. Dimissis ergo dictis anno superiori alijs causis à spirituum tenuitate, nunc superest dicamus de reliquis hoc spatio iam magis cōfirmatis, quòd nerui humida iam dudum intemperie affecti, dum alimentum proprium humidum illud quoque sibi conficiunt, necessario illud semper deterius transmutant, & humidius relinquunt, ex quo habitū sui etiam, atque etiam magis mollem nanciscuntur, & illi dissimilem, qui & naturalis fuerit, & ad tēsionem idoneus. Ad id autem accedit, quòd, vt nutritionis bonæ nimia copia meatus impedit, ita & longè magis hæc, quæ suo humido genere à natura declinat. Maxime quidem id faciat nutritio humorum glutinosorum, qua nerui indurentur, densitateque sua vijs, & meatibus spirituum priuentur. non tamen humida ipsa quoq; non aliquid meatus perturbet, & inconstantes, conniuentes, ineptosque spiritibus excipiendis efficiat. Sic si nondum Paralysim, vt illa, hæc certè debilitatem faciat. Quæ debilitas hic per quam rarissimè stuporem habet, & illū extremis manuum digitis, non tamen raro ob id accedere hæc debilitas dicenda est, & tunc tantum stuporem habet, nam ea iam continua est, & quamquam omnis stupor debilitas est, ac sola maioris, & minoris differentia à Paralysi distat, nō tamen omnis debilitas necessario stupor est, quæ certè ipsa quoque à Paralysi ratione eadem maioris, & minoris distincta est. Discessit ergo habitus neruorum à sua natura ad genus humidum valdè, quantum modo discesserit, nō est facilè reputare nobis, qui ipsum nunquam benè integrum cognouimus.

Nonnulli quidem sunt, qui eius consuetudine per ea tempora, quibus benè valeret, vterentur, à quibus audimus, quòd nunquam admodum rigidis artubus fuit, sed semper delicatioribus, & potius solutis, quamuis in militia illis parum pepercerit. Vnde forsan huius debilitatis maxima causa extiterit, militiæ incommoda ab ipso quilibet potest audire. Humidioris itaque generis etiam carnes, & chordę, & ligamenta ab ineunte ætate fuisse videntur, sic pinguedo, dum floreret ætas, non extitit, quoniam humido genere potius carnes fiebant. postea autem iam frigore per ætatem subeunte pinguedo succreuit, suis verò maxime locis, nimirum abdomine, & Thorace.

Quòd modo etiam ad humidum genus partes principes conspirarint, iam alias dictum est, Vt maxime cor, quod placidissimis, & benignis moribus tale esse intelligitur, vt iecur, quod ipsum quoque in eam partem aliquantum inclinare multa ostēdunt: atque si sanguis è vena mittatur, is sua specie id maximè confirmat, qui semper tamquam adolescentis videtur. Peculiare etiam illud tumoris rubri quod in crura, præsertim in dextrum, identidem repentino defluxu emergit, tamquam aquosi, & serosi sanguinis, rem maxime confirmat, cerebri natura si vsum ingenij, & prudentiæ spectemus, non potest multum ad intemperiem deflexisse, humidi quidem certè generis ipsum quoque aliquid potius notæ habet, nam, & si somni difficillimis, & grauissimis negotijs in homine solertissimo, & muneris sui studiosissimo, ac sollicito, sæpe interrumpuntur, atque melancholici etiam succi aliquid interdum circum hypochondria cutis ipsis congestum eosdem somnos interpellat, multò tamen sæpius, & quoties animus laxari potest, somnos habet satis longos. Sincipitis etiam cutis pilos hucusque retinuit, & quidem molles, & demissos, quod quidem illa pars sine carne cum sit, facere non potest, nisi multum humidi, aut exiguum admodum calidi sibi subsit. Itaque cum hic tanta caloris remissio non sit, si functiones cerebri spectemus, certè in humidum potius ea nota fuerit referenda. Spinæ quidem certè dorsi medulla humidioris longè naturæ esse intelligatur, quoties propriæ eius notæ animaduertentur. De ventriculo etiam alias dictū est, quòd frigidi præterea aliquid adiecit, vnde medij intestini venæ potuerint facilè aliquid obstructionis sortiri. Cuius verò ventriculi os valdè acri sensu est, & à Medicamentis, ni apposite componantur, solet torqueri, præsertim si minimè diluta exhibeantur, singulariter autem à scammoneo. Cæterum conspirent illa omnia in humidum genus ad incommodum tam graue faciēdum. Renes ipsi potius in contrarium vergere videntur, eò quòd calculo obnoxij sunt. Qui tamen post sumptas è Guaiaco potiones bis modo diu bene habuere, temperatè quidem admodum datæ sunt. Atque vt accipienda à Medicamentis indicia persequar, cū potiones Guaiaci sumpsisset, sub illisque diligentius, quàm solet, victus rationem seruasset, sudoribusque vsus esset, multis inde diebus potuit etiam in agro pedibus ire sponte, & longis spatijs deambulare, ac nisi in subitos, & frigidos ventos, & pluuiarum cælum etiam, atque etiam incidisset, certè diutius in eo statu se cōseruasset, sed adeo subitæ sunt in hac Regione Cęli mutationes, vt difficillimè ab illis caueatur. At habitum hūc neruorum humidum alia multa circumsistunt debilitatem eorum vario modo afficientia. Sunt vapores, qui è medio corpore efferuntur, & spiritibus admixti eos impuros, & hebetiores identidem faciunt, & nisi aut in faciem, aut in crurum carnes, & cutem exprimantur, neruos debiliores retinent, vt expressi eos liberiores, & habiliores relinquunt. Sunt succi serosi, & humidiores, qui, quamquam neruos vrgere, & comprimere nequeūtes eis nullum impedimentum, aut debilitatem aliquam inferre queant, cum tantū neruis adhæserint, nō etiam penetrarint, complendis tamen carnibus, grauioribusque reddēdis, & humido alimento præbendo multam partem hotum afferant incōmodorum, grauia tamen membra plerumq; non sentiuntur, vt perpetuo debilia maxime mēsibus his postremis. Melancholicus humor potiores hic partes habere non potest, qm̄ is neruos duriori, & crassiori succo affecisset, & obstructionibus densis iam diu cōsummatam Paralysim attulissent; biliosus vero duritatē quidem solet etiam arterijs inducere, sed eam, quæ neque obstruat, & neruos firmiores reddat, nisi suo morsu potius irritando tensiones conuellentes neruis moueat. Pituitosus quoq; crassus obstructiones ab initio fecisset, & subitam Paralysim. Humido ergo hoc habitu aliàs exposito, iam ijs postremis dieb. etiam eo deducto, vt aliquam angustiam contineat, retinentur tamen circuituum antiquiorum ordines. Nā à somno quidem nerui humidi refrigerati, & dēsiores relinquūtur. Deinde per vigiliam, & aliquam actionem natiuo calore excitato habiliores euadūt. Postea Cælo vi solis tepidiori facto, & vaporibus cibi matutini humidis rursus fiūt hebetiores, & ad extremum suæ debilitatis deducuntur. Tandem Cælo rursus post meridiem refrigescente, vaporibusq; cōsidentibus, & alimento à spiritibus, & partibus cōtinentibus recepto nerui firmiores, quo tempore etiā sæpissime serosus, & vaporosus sanguis ad extrema extrorsum propellitur. Quod autem sæpius quotidie pariter se habeant ij circuitus, interdum vero ēt tertio, nonnumquā quarto quoq; in die, id in conditionē, qua corpus ab humorū genere diuerso magis occupatur, omnib. quidem illis dieb. debilior est, quib.

cælum si nō pluuia, certè vento grauiori fit humidū. Hic ergo nerui ipsi, & medulla spinalis, atq; etiā caput potissimum spectanda sunt, quorum gratia corpus reliquum est tractandum.

A

De remedijs vero videtur ex propositis statuendum esse, quòd resiccantia esse debent, & omnino in memoria habendum, quòd ea moderatione adhibenda sunt, ne celeriter, & multa vi id faciant, nam tum humido tantum tenuiori absumpto crassum densius relinquerent, tum corporis humores liquarent, valentius enim resiccantia cum calore coniuncta esse solent, & ita illas pars quæque infirmior recipere cogeretur. Quem ob metum etiam corpus ante diligenter, & quantum fieri potest, ab humoribus est liberandum sanguinis missione, & medicamentis. A calidioribus quoque est cauendum inter initia maxime, ne pinguedine, & recentioribus carnibus celerius solutis plus nobis timoris afferatur.

B

Nerui ipsi porro postulant, vt medicamenta, siue exterius, siue interius dentur, altius queant sese insinuare, alioquin obesse multis modis posse videantur.

Quæ enim interius ad neruos non peruenient, plus visceribus, & præcipuè renibus nocitura sunt, vt viperini sales, illisque similia. Exterius vero adhibita, vt aqua maris, & thermalis etiam circumpositas, & externas tantum partes exsiccando, illas angustiores reddent, quo humori neruis infesto dissolutionem prohibeant, & repletionem moliantur, quæ est nobis tam reformidanda. Hæc communiter admodum, & per summa capita sub oculis posita sunt, vt quæ viris intelligentibus, & vsum medicum habentibus satis futura sint. Nam ipsi ijs capitibus poterunt sua prudentia omnia moderari, atque post diligentem corporis purgationem tum de potionibus, tum de exterius admouendis deligere, quæ pro tempore, & statu corporis opportuniora esse existimabunt, & præcipuè de suis aquis balneorum, quæ maxime expetuntur.

C

Illustri, & Excellentissimo Samperolio.

CONSVLTATIO DLXXXIX.

NEnupharim, & violam cum sero lactis stillatas posse Renibus humido genere suo squallorem, & frigore etiam calorem remittere dubium non est, quibus etiam helsine, & alsine commodissimè adijci possent. Squallorem tamen potius ab alimento tolli, quod à lacte afferri potest, certius, & tutius est, qui quidem ante lactis vsum bene purgati fuerint, nam ante eum ab alimento peius haberent, & lactis omnino. Renibus quoque abstinentiam obesse alias considerabam per literas ad te scriptas, ita tenuiori cœna vti, & mane sequenti multum exerceri à renibus alienum est. ac si qua in re illa sententia est vera ὅπου λιμὸς οὐδεῖ πονεῖν in hac re certè maximè est, quoniam renes calidius serum, & plus terræ habens, recipiunt, sic & causam effectricem, & materiam calculi nanciscuntur, propterea non ita tenui vti oportebit, sed mediocri.

D

E

De difficultate spiritus pro Illustri Consiliario Boemo.

CONSVLTATIO DC.

ESto ipse asthmate laborarit, seu dijspnea, nam non differunt nisi maiori, & minori, vt orthopnea illa casus est, non morbus. Nunc spuit ipse biliosa sputamina, & per noctem etiam exit è mente, vrinæque sunt admodum coloratæ, & crassæ. Sic ego febrem accessisse existimo, nam, quamquam pulsus rari admodum sunt, quæ raritas sæpe peripneumonijs adiungi solet, celeres tamen sunt, & inæquabiles. Ipsa febris, & sputamina indicant pulmones genere aliquo inflammationis tentari, quale esset erysipelas Edematosum. nam longis morbis, & humoribus frigidis nil prohibet calidos etiam aliqua occasione insequi. Vidi enim sæpe scirrhos, & cancros multorum annorum accessione nouæ, & calidæ materię inflammatos pus concepisse. Casus itaque fit dijspnea, morbus eius causa fuerit iam diu obstruens pituita, nunc certè ad ea accessit inflammatio. Curatio ergo eiusmodi tumoris instituenda est, & credendum morbum ex longo acutum factū, & magnum, & posse etiam malum morem acquirere. Ita ego sanguinem mitterem, cum nondum factum id sit, & medicamentum ex syr. rosac. solut. & manna, parteque rosacei elect. Mes. darem cum iure pectorali dicto, victumque tenuem instituerem ex ptissana maxime, potionem vero ex aqua, cui esset incocta dulcis radix, & iuiubæ, cum saccharo. Is postea etiam pus, & sanguinem spuit, quibus expeditus asthmaticus tamen remansit magis multò, quàm antea fuerat, nihilque expuebat. Sic aquam multam ego iudicaui intra pulmones, & thoracem defluxisse, vndè etiam pedes ei intumescerent edemate, oximel squiliticum proderat, & ius salsæ pariliæ cum Guaiaco. Multo spatio post cum Physicos recusasset, chymicis interfectus est.

De calculi renum metu, & sabulo eorum. Pro Serenifs. Vrb. D. ad Excell. Ambiorigem Samperolium.

CONSVLTATIO DCI.

QVoniam in isto corpore, vt aliàs constitutum est, purgatio renum, & hypochondriorum debet renutritionem, & confirmationem eorum antecedere, ego aquam de spa darem ijs ante positis, quę ad corporis iustam purgationem spectare videantur, neque illam diutius, quàm decem dierum spatio. eius deinde vsui serum stillatitiū subiungerem ex ea aqua cinamomi, sed modica, vt largæ potioni seri aurei pondus eius aquæ adderetur. Si aquæ de spa vsus ob certum aliquem casum esset repudiandus, tunc serum lactis munirem cum lupulis asplenio, & eryngij radicibus, ac fumoterra, tum oximellite, & hanc potionem illius loco sufficerem, nam ab hac ego credere renes, & hypochondria cōmodè habitura. Postea lacte asinæ vtramq; partem renutrirem, sic aliquibus diebus darem. Illum vero vsum aquarum naturalium balneorum, quòd valentiores sint, ego, vt alias monebam, cum multa obseruatione adhiberem semper, ratione primum, deinde experimento vsus permotus. Nam postremo

tremo euentus Ducis Parmensis, cuicunque ille attribuatur, in aquarum earum intemperatiorem vsum mihi videtur referendus. nam eodem pacto alij postremo hoc tempore post eiusmodi vsum eius generis balneorum interiere, & experimenti iudicium confirmarunt, vt mulier quædam, vt nobilis Consiliarius, vt Boemiæ Prorex Rosembergius. vt Octauius Spinola, quamquam is non eo cordis dolore, & oppressione, vt Parmensis Dux, & Rosembergius extinctus est, sed Peripneumonia maligna, eo, quòd exterius potissimum balneum accepisset, per os autem parcissimè. illi namque non solum quodam spatio institutæ curationis vt fit, sed per menses, & annos aliquos quotidie in mensa vtebantur. Quo audito ego habita aliqua eorum corporum notitia ratione nitens, & experimento illorum mortem eiusmodi prædixeram. Possunt quidem plurimum prodesse, si certa artis moderatione sumantur, quod de quibusque valentioribus remedijs statui debet. atque hactenus de ijs aquis, ad reliqua pergens, ego rebus ita confectis hoc anno sine alterius generis balneorum vsu manerem. At, quod modo etiam percunctaris frigidane, an calfacta aqua bibenda sit, quidquid in vsu sit. Ego quidem non auderem tantam potionis copiam frigidam dare, in eo, qui hypochondrijs affectis est. ita vero etiam calefacerem, ne per feruorem nimium partes subtiles dissoluerentur, quibus aqua priuata tardius per hypochondria, & vias vrinæ permearet, quod in nonnullis aquis thermalibus, quæ semper longius à fonte datæ prius calefieri à Medicis consueuere, ego expertus sum. Itaque in aqua communi feruefacta vas huius aquæ tenerem seruato feruore donec potio finita sit. Quæ à me T. Eccell. plusquam opus est, erunt narrata. Valeat, meque vt solet amet, & in memoria apud Serenissimum Ducem seruet. Pragę Idibus Februar. Anno MDLXXXXIII.

T. Eccell.

Deditissimus

Christophorus Guarinonius.

De dolore ossis sacri pro Comite Mamiano.

CONSVLTATIO DCII.

Genus corporis, ætas, quæ florens est, & anni tempus cum reliquis omnibus rebus sanguinis copiam afferunt, & indicant, vt color quoque. Ita dolor ad Os sacrum pertinens materiam non penitus sanguine vacuam tenere credendus est. fit verò dolor materia periostium, & ligamenta inuadente.

Vbi partes materiam recipiunt, non tam vitio aliquo debilitatæ, quam, quoniam casu sunt firmiorum partium consortia sortitæ, reliquum namque totum corpus robustissimum cernitur. Viribus ergo inferior pars in consortio onera aliorum solet excipere, cuius etiam fortis indicia alias mihi ipse Comes Illustris narrare solebat. Crederem itaque missionem sanguinis ea apprimè fore vtilem, in quo spero nos consore. prius autem à brachio, deinde à pede facienda erit, quo certior vsus habeatur. facienda quoque corporis purgatio est, maximè, quòd longioris vsus, & validiorum virium remedia quærenda sint.

Christoph. Guar. Cons. Med.

Aquarum Lucensium potioni casum hunc ego non committerem, quoniam neque tam altè penetrant in solida, & potius illa indurant, quamquam meatus expurgant.

Aliquam potionem malim, quæ penetratior esset, quemadmodum ex china, & salsa parilia, atque exigua guaiaci parte, à qua mouendis etiam sudoribus vtilitatem quærerem, sic enim altius in solida remedium insinuaretur. sub qua potione etiam parti fomenta, & illitiones, quibus primum internum remedium ad partem alliceretur, discussioque materiæ fieret, deinde pars ipsa confirmari posset. Veluti ex chamepythi, saluia, amaraco, rore marino, chamemelo, rosis, nucibus cupressi, corticibusque glandium, oleo vero ex therebynthina, ex succino, ex hipericone, vulpino de saluia, chamemelino, & myrtino & similibus.

De Asthmate pro Consiliario Aulæ Imperialis.

CONSVLTATIO DCIII.

Recidit iam ter in hanc spiritus angustiam, quæ ab humore frigido facta videtur si raritatem pulsuum considero. incidit quidem etiam, cum secundo tentatus est, aliquid calidi humoris in pulmonum corpus, & tamquam peripneumoniam, seu pulmonum inflammationem effecit, à qua fuit liberatus exiguo sanguinis sputo, sed prætere a nihil penitus sputi postea affert hæc maxima angustia, vt ego dubitem ne extra pulmones thorax aquoso aliquo humore completus sit. Eapropter ego illum expurgarem ijs, quæ aquam educunt, vt elaterio, pilulis de Mezereo, succo iridis, brassica marina, atque etiam elleboro nigro. Sunt, qui antimonium dictum dant benè præparatum, & ex eo vel eius flore per vitrum maceratis vires accipiunt. Sed ego turioribus, & minus turbantibus vterer, vt, quod profuisse mirabiliter vidi, pilulis de Nitro Alexandri cum rhabarbaro, & elaterio. Tum potione aquæ syluestris rhaphani, cum aqua stillatitia cinamomi. Ad emendandam vero etiam intemperiem huius mali causam ego exhiberem ius guaiaci, & salsæ pariliæ cum chinæ maiori parte, quam expertus sum mirabiliter aquam educere per vrinam, & exsiccare.

Huic vix semel expurgato pilulis de agarico Mes. potiones solius guaiaci datæ peius attulerunt. sic commisit se ei qui per antimonium incredibilem aquæ copiam ei subduxit, & ab ea angustia liberatur. sed cum aqua reuersa cum eadem angustia illud iterum sumpsisset, sub labore medicamenti obijt.



A

De vlcere maligno in faucibus cum febricula, & corporis extenuatione, ac catarrho pro Præfecto Custodiæ Imperatoris.

CONSVLTATIO DCIIII.

Corporis extenuatio iam diu incepit, & tunc, cum primum hoc vlcere tentaretur, non cessauit tamen vlcere sanescente. nunc verò cum tertio iam vlcus reuersum sit extenuatissimo corpore: B est, quoniam nunc etiam primò cum tertia hac vlceris accessione febricula venit. Gallicum vlcus esse multa confirmant, sic ad remedia rectè venietur.

Interea tamen, ne vlcus columellam absumat, neuè faucium maiorem partem auferat, illi auxilia propria danda sunt, extenuationis quoque ratio multa habenda, & febriculæ. Itaque vlceri adhiberem oleum expressum per ignem è sulfure, vel è chalcanto sic, vt quinque vnciæ aquæ rosarum, vel plantaginis singulam alterius nempè eius olei dragmam haberent. Valentiora quidem sunt multa, vt si sublimati ℈. s. cum puluere thuris, cum cerussa, cum tutia, & camphora in eiusmodi aqua C aliqua dissolueretur, vel præcipitatum dictum Mercurium, vel potius ex aqua aliqua, in qua esset dilutum. sed non libenter ego eiusmodi maligna in os do, indicatione seruata, quam à parte accipere solemus. Olea hæc tuta, & certa esse remedia expertus sum, & ratione etiam confirmor, nam austero sapore possunt influentem materiam retrudere, & partem firmare, atque vlcus exsiccare maxime cum eo, quòd altè etiam possunt penetrare, magisque vtilia ob id esse, quàm alumen exustum cum melle rosaceo.

Dilutionem quoque oris, & faucium pararem è guaiaco, salsa parilia, plantagine, consolida, thure & camphora, radicibus capparorum. Purgarem autem corpus leniter cum sero caprino adie- D cto succo cicoreæ, vt libræ 2. seri, aut etiam tres si potest ipse accipere, haberent ℥. 4. succi cicoreæ, & alteris diebus ℥. 3. syrupi rosac. solutiui cum ʒ. 2. confect. harmech. interdum etiam adiecta ℥. 1. elect. ros. Mesues. postea benè purgato corpore hoc pacto, vt tenuitatem corpis omnia respiciant, ad potiones illas pro curando Gallico accederem, & quousque febris abigatur eas mitiores darem, neque per vim sudorem elicerem, sed potius largis potionibus adhibitis viderem, si sponte moueri vellet, sic manè ad ℥. 10. iuris illius darem, Vesperi ℥. vij. Sic factum est, & sudor spontè largissimus exibat, & febris sublata, vlcusque curatum.

De morbo intestinorum pro Illustriss. D. D. Ioanne Delphino. Pro Serenis. Veneta Rep. apud Imperatorem Oratore, postea etiam Cardinali.

CONSVLTATIO DCV.

Agitur iam LXXXIX. dies cum ægrotare subitò cæpit vir Illustrissimus dolore vniuersi abdominis præcipuè verò supra pubem, & vrinæ simul atque alui adstrictione, qua ne clysterem quidem diu retentum vnum, & item alterum non nisi post multos labores redderet, post hæc excretio assidua pituitæ albæ muco similis, sequuta est, quę paulatim increuit. Ea vero cessante excretione dolores crescunt, febres etiam incertis interuallis identidē, nulloq; ordine ipsum tentant, cum horrore modo maiori, modo minori accedentes. Dolores semper cum tensione partium abdominis, & qua maximè dolet, ea semper dura admodum sentitur, nam modo vna, modo altera pars magis cruciata est. Intermittente dolore tensio, aut durities nulla percipitur, nisi valdè comprimente manu, tunc enim proximè sub vmbilico versus sinistrum ilium tensio percipitur, quæ validius compressa semper aliquid doloris mouet.

Ibi vero dolor acrior esse solet, cum (vt ferè fit) à regione coli intestini sub ventriculo siti, & ventriculo dolor, tensioque ad inferiora descendit. Solet enim id sæpè euenire, præsertim quoties pituita illa exitura est. Genus dolorum ipse non potest sæpenumero exprimere, quæ tantum dicat interdum cum magna angustia esse, ac quasi spiritum impedire, nisi cum ad imum ventrem vnà cum exitu muci malum descenderit.

Dolores hi, cum primum eum ab initio inuasere, pulsum statim paruum, & languidum, ac crebrum reddiderunt, vnaque frigidos sudores, in capite pręcipuè mouerunt, nimirum cum etiam vrinam, & aluum supprimerent. Pituita alui raro, & ab ijs, quæ desuper à iecore labuntur, inficitur, alioquin alba, perlucidaque est. Semel quidem certè, cum diutius suppressa fuisset, exijt non paulatim, vt solet, sed confertim, & maxime putrida, ante cuius exitum febris etiam aliqua fuisset, quamuis nunquam amplius ad vllam febrem, vel etiam maiorem id excretionis secutum non sit. Interdum, & quidem rarissime cum ea pituita gutta aliqua sanguinis satis integri, ac puri excidit, parum certè guttæ modum superauit, id sanguinis autem visum est, quando fortè pituita illa occasionem maioris impetus nacta, exijsset. nullo namque conatu maiori elabi solet, soloque sensu ponderis molesti effertur, quamquam dum exitum tentat partes eas complendo, & distendendo infestet, excreta quidem à molestia liberat. Alui recrementa multo tempore sub ijs malis inter- E uallo solito suis horis descendebant, ac sæpe non nisi inuitata aliquo auxilio. Postremo eo res deuenit, vt non descendat aluus etiam clystere ducta, aut medicina adhibita, nisi admodum paulatim, adeo vt, quod semel solet excerni, id totis duobus diebus crebetrimis excretionibus, minimisque particulis emittatur. Vbi sæpe alui feces cum eo humore solutæ sunt, qui referre chylum videatur, etiamsi diu detentæ fuerint, vt postremis his diebus bis, terue, aut etiam amplius certè obseruatum est. Sæpissime flatus tanti erumpunt vnà cum pituita, aut etiam sine ea, vt vix tanti in decem ventribus flatuosis capi posse videantur, quoniam interdum totis noctibus continenter cum crepitu magno erum-

erumpere consueuere. Fæces alui ferè albæ ipsæ quoque sunt, certè a medio, & naturali colore in cinereum, & cretaceum vergunt, & quamuis ab hinc mensem etiam compactæ, & figuratæ essent, albæ tamen penitus erant, vt calce constare paulò cineris admixto viderentur, lythargirium album interdum referrent. Tunc verò, cum magis albæ essent ipsæ, vrina contra coloratissima, & crassa erat, nunc cum aliquando fæces aliquid coloris habent, etiamsi id numquam pro sano sit, neque naturalem bilem referat, sed ferè chyli coloris sint participes, vt etiam corporis, vrinæ quoque ad colorem naturalem reuertuntur. Quæ in reliquis malæ sunt, nam sæpe tenuiores, interdum turbidæ, & nimium decolores, interdum etiam nimium copiosæ sunt, vt cum aluus adstricta manet. Vigilijs præter hæc infestatur, quæ non solum interrupto, ac prohibito à doloribus, seu ab assiduis minimis alui excretionibus somno, quemadmodum ferè fit hoc tempore, sed antea doloribus etiam quiescentibus, & nulla euidente re prohibente somni non adueniebant, quin imo ab hinc mensem nullus vnquam nisi breuissimus somnus capi poterat. Os mali semper saporis extitit, sæpe malo lentore affectum, postremis his diebus arida multoties lingua, atque etiam nonnunquam nigra. e contra verò sæpe decolor penitus, & minimè vda, nullo nitore prædita. Primo mense facies nihil penitus extenuabatur, suumque etiam colorē retinebat, nisi cum sub maximis cruciatibus esset. Pallidior quoque à somno, quamquam exiguo, relinquebatur. Corpus quidem extenuari dicebant. certè languidum ad motiones erat, vt ipse vix insistere potis esset. nunc corpus tenuissimum factum est, quamquam facies melioribus horis videtur sæpe hominis benè habentis, à somno semper ea pallidior est, & corpus languidius. Cibum quidem iustum sumit, nunquam tamen sine labore. In quo sumendo potiones largas cupit, alioquin sitire non videtur, etiamsi ariditate oris sæpe conqueratur, incidit bis, aut ter, quòd totum diem cum vellet, vrinam liberè emittere non posset, neque tamen continere penitus, quin paulatim efflueret, & interdum guttatim sic iustam eius copiam tandem excerneret. Ea interdum feruere visa est. Vsque ad hoc tempus numquam facilè iacere in alterutrum latus potuit intestinorum, seu viscerum molestia, sic quietis captandæ causa iacere in dorsum cogitur. Multoties calor quidam è medio corpore in caput ascendit nullo interea capitis dolore, quæ res maxime primo mense ei fuit suspecta, molestaque, & sæpe in alterutra tantum parte, præsertim sinistra. extrema quoque crebrò concalescere consueuere, ita ipse semper à calore timuit, nullamque ob rem magis suspiciosus, etiam si numquam ei dolor minus molestus, quàm, dum incalesceret, rarò quidem certè caloribus vnà, & doloribus tentatus est, sicuti alui mollitie manente dolores semper leuati sunt. Verum nonnumquam, cum omnes supradictæ molestiæ quiescerent, dolor vtriusque interdum cruris, interdum alterius tantum fæmoris (quo infestari alias sæpe consueuisset) cruciatus est. aliquoties etiam dolore ossis sacri. quorum omnium malorum tempus certè in noctibus potissimum fuit. Medicamentis aluum soluentibus leuari solebat, & proxima nocte ab illis, vel quiescere, vel esse doloribus vacuus, nisi cum parum nimis eduxissent, debilibus itaque vexatus est, vt nouissimè totam diem exagitaretur, vsq; quo aluus aperiri cæpta est. à clysteribus etiam iuuabatur, nisi ab vno aut altero. ab vno certè illo, sub quo tot malorum initium est factum, pessimè habuit, quod tamen clystere nil habuit præter ius cicerum rubeorum, & ℥.2. diacatholicon, & ʒ.2. hieræ præter illa communia. Tāto tem-

A poris spatio non adeo multa facta sunt ægro admodum resistente tamen, cum initio sub dicto clystere, quod redderetur alijs tantum clysteribus incitantibus, & paulatim admodum mingere tantum posset, nisi cęreo funiculo adhibito, & tensa vesica maxime doleret, sanguis per sectam venam detractus est, ne materia ad dolorem attraheretur, inflammationemque induceret, idque post lenia ad mingendum auxilia tentata ex folijs parietariæ cum butyro veteri, ex chamomelo cum eodem, & ex alijs eiusmodi cū oleo scorpionum. Post etiam ingesta molliora clysteria, & post diacatholicon exhibitum cum ʒ.2. puluerum hieræ simpl. Per sectam venam cubiti sanguis missus boni profecto generis fuit. Erat autem in animo ni ingens ille dolor vesicę cessaret, vrinaq; B procederet, etiam è pede seu talo sanguinē detrahere. At die quarta finita vrina etiam sine funiculo cęreo processit, quod etiam semel tantum diebus prioribus fecerat, inde dolor mitigatus, ac die septima præter vigiliarum laborem rectè se habere visus est, nulla quidem molestia alui, aut alterius partis erat, pro somno ius boraginis interea accipiebat, nō multò post febricula inuadebat quotidie cum frigore tā leuis, vt ipse non animaduerteret, interim aluus non facilè descendebat, perseuerantibusq; vigilijs mærores, metusq; eum habebāt. vt interdum à lachrymis nequiret abstinere. molliendæ alui causa tunc manna cum syr. ros. solutiuo datum est cum rhabarbaro tamen ventriculum, & obstructiones mesaraicarum suspectas respiciendo. neque vero melancholicus hu C mor adhuc tutò moueri, aut vtiliter posse videbatur, qui quidem, quoniam sanguis missus pulcherrimus fuerat, tantum in hypochondrijs contineri videbatur, ibiq; angustijs aliquibus coerceri. Imò cum hypochondrium sinistrum maxime tumeret, ac tensū in duritiem sentiretur, quod sibi ipse alias sub ægritudinibus suis accidisse affirmabat, illas maximè partes obstructas tenere videbatur crassus, & terreus humor. Cum ergo aluus adstricta esset, mucosaque tantum quædam deijcerentur, flatus in dies crescerent, confectio ei quædam parabatur, quæ pulueres haberet diatrion pipereon crasso modo tritos, & Diarrhodon Abbatis cum rhabarbaro, & turbith. quam cum bis sumpsisset piperis feruorem, quē ore sentiebat metuens, omnino recusauit. Paratis postea D humoribus ex syr. de cap. ven. de absynthij succo, tum oximellite, & iure cap. ven. cetrach, violarum, lupullorum, buglossi, boraginis, fumiterræ, betonicæ, & absynthij. tunc pulueres hieræ repetiti sunt cum electuarij Indi maioris ʒ. 1. s. & rhabarbari paulò a quo electuario maxime solent partes ad ventriculum pertinentes, locaque intestinorum, & Mesenterij expurgari, vt à hiera pituitosus humor è tunicis illarum euelli, quamquam admodum infixus. ab eo medicamento sine doloribus, sine tumoribus, qui cum doloribus modo in hanc modo in illam partem aluum attollebant, totos quinque dies fuit, somnum tamen capere nihilo magis potuit. tunc noua theriaca fuit exhibita, à qua tamen ferè E vix somni quidquam euenit, & nisi cum primum data est, nam iterum repetita nil effecit, eam vero ipse maxime repudiabat, quoniam calorem eius metueret, sic tandem ad requiem Nicolai cum theriaca deuentum est, semel tamen tantum data, cum summa videretur à vigilijs læsio. Somnum ab ea cępit, qui satis contulisse visus est. Calores illi, & æstus in caput ab hypochondrijs identidem ipsum tentabat, sic etiam nomen rerum alicuius, vel mediocris caloris formidabat, semper enim in remedia quauis suorum calorum causam referrebat, nec medicinam vllam admittebat, vix hieræ simpl. pulueres solos tunc semel admisit. Syr. rosac. postulabat, quo refrigeraretur interea flatu, & pituitæ copia refertus,

fertus, & nullum calorem præter dictos æstus, qui A obstructionibus hypochondriorum solent esse familiares, vt etiam Diocles apud Galenum tradit, persentisceret. vixque manuum palmæ interdum, & pedum incalescerent. Ius absynthij libenter sumebat, imo etiam vinum absynthite, quo tempore ea febricula iam longis, dierumque multorum interuallis vix, & incõstantibus circuitibus reuerteretur. Quoniam vero Aloem succo rosarum, & Rhabarbari iure lotum in vsu multis annis vtiliter habuerat, illius vsum iam diu intermissum reuocare expetiuit, sed cum dolores à primo eius catapotio non prohibiti fuissent, illum continuo aspernatus est, ei vero catapotio pars ex pilulis Alephanginis adiecta fuerat, & etiam ex Rhabarbaro. Persuasit facile quosdam gratiosos Medicos, vt sibi refrigerantia darent, itaque in ea ipse omnes dolorũ intermissiones referebat, eorum vero reuersiones etiam maiores in quãque rem obuiam, eoque res deuenit, vt, cum vel clysteribus ordeum, rosas, & chalibis etiam illi extinctionem imponerent, ipse ijs cruciatibus dolorum, & alui, atque vrinæ angustijs obrutus fuerit adeo, quòd ab ijsdẽ Medicis iam proximè interiturus crederetur, & pronunciatus iam esset. A quibus vero cruciatibus oleo amygd. amararum iniecto cũ oleo Chamemeli, & seminum lini est ereptus, quæ enim per clysteres accepta plurima ipse reddere non poterat, eo incepit cum flatu emittere, & pituita multa, doloribusque penitus confestim liberari, postea sic temperatum est, vt cum cicoreo, endiuiaque, fumoterræ, absynthiumque semper syrupis adiunctũ sit. Octo dies tamen ante postremum casum hunc tam molestum accepetat medicinam, à qua se iam sanum penitus factum arbitrabatur, & prædicabat, quæ medicina fuit ex eo syrupo rosac. solutiuo, quẽ tam appeteret, ex iure agarici, cnici, senæ, epythimi, & Rhabarbari, cui manna quoque adiectum esset, quam medicinam antea quoque multos dies sumpserat, cum angustijs & doloribus ijsdem vexaretur, & item ab ijs fuerat liberatus, post enim huius auxilium vix octo, aut decem dies leniter habebat, & identidẽ eo spatio præterito in eosdem cruciatus recidebat. Sic Medici ad idem auxilium tamquam certum facile reuertebantur; nam eo casu instante vel clysteres recipere non poterat, ac quos labore multo recepisset, reddere tamen nequibat. Ergo per minorem fistulam olea iniecta ad ℥. 3. ad summum fęces euocabant, & ægrum à maximis molestijs eripiebant. Interea non deerant exteriora auxilia à fotubus absynthij, menthæ, chamem. rosarum, anethi, rutæ, &c. ab oleis mastiches, nucis moschatæ, spicæ, absynth. à cataplasmate de meliloto, cum cera, & alijs. Fuit Medicus magni animi, qui pollicitus est, se eum suo certo remedio quatuor, aut sex diebus liberaturum. post finitos supradictos cruciatus accessit, emplasttum ex ladano, & bdellio superposuit, tribus diebus ad vesperam pilulam singulã è bdellio, & ladano dedit, octauo vix die appropinquante cruciatus reuersi sunt, ad mannam confugit, vixque impetratum est à quodam alio Medico, quem solum sibi socium admisisset, vt Rhabarbari pullum adijceretur. Medicina toto eo die non descendit cruciatus aucti sunt, hypochondria dura, tumidaque cum dolore facta, & febris ea, qua lingua arida, dura, asperaque esset, multis auxilijs adhibitis aluus cępit paulatim, & quasi guttatim descendere, vt duos totos integros dies exitu illo continenter teneretur, doloribusque à superiori ventre ad inferiorem delapsis tãdem vix crebra illa vna deiectione infestabatur, ita vt erupturam fęcem rectum intestinum haberet tamquam ferientem molestiam, fęce cessante mucos glutinosos, & albos identidem molestos, & flatus semper sentiret, certè cum molestia infernum intestinum tentaret, superna sine dolore, sineque tensione erant. Ab ijs leuatus vix septem dies ab accessione nouissima cruciatuum præterierant, cum reuertuntur, aluo maximè suppressa. Cui suppressioni etiam Medicus iam solus alijs vitatis operam dederat opinatus longam illam alui excretionem esse Diarrhęam, cum tamen non copia, non genere suo esset præter naturam, sed eo tantum, quòd paulatim, & ideo continenter fieret alui excretio, dederat enim & puluerem ex ebore, & trochiscos de spodio, & puluerem è maxillis lucij piscis. In cibis etiam crassa, & adstringentia, vt orizam, & caseum quoque, atque alia eius generis. Itaque cum omnia auxilia, quæ sciuerat, admouisset, medicinam propinasset, quæ toto die, totaque nocte nõ moueret nisi B dolores, Clystere vero etiam iniectum cum dolore vllo conatu non redderetur, Medicus ad languentis ægroti aurem os admouet, eique insusurrat se mane sequenti cum remedio certissimo reuersurum, qui postea non amplius in conspectum ægri redijt. Hos eosdem cruciatus habuit ab exhiibitis ℥. 6. terebynthinæ, cum iam tumentia, & dolor, & alui suppressio suo spatio illo octo dierum reuersa fuissent, quibus malis duos totos dies moratis aluus aperta est, & tres totos dies paulatim exonerata eum doloribus leuauit. Nouus ergo Medicus de gratiosis accedit statim se morbum reperijsse alijs adhuc incognitum pronunciat ad Magnatum, Procerumque mensas, & in salutationibus matutinis, inflammationem in C recto intestino eam esse, morbum vero Tenesmum vocandum.

Confirmat suam sentẽtiam ex exigua abrasione, quæ esset inter capitula Mariscarum, seu venarum hęmorrhoidum ex assiduis deiectionibus, seu potius abstersionibus continuis, quæ linteo fierent, dum fex exciperetur, extergereturque illa quidem decolor, & muci omnino perlucidi, & albi, ni enim deiectionesillæ minutę abstergerentur non excidebant. Sed dum aliud firmamentum quærit, adducit Senẽ institorem, & interpretem suum, ac de quo Medici per speculum erant certiores facti, ipse vult hunc digito explorare, qui se nil sensisse tandem asseuerauit, vti æger contrectatus nil molestiæ percepisse, nisi cum adigeretur digitus asper ad os extremum, D vbi ea abrasio foris extaret, intus nihil penitus offendi dura etiam asperioris digiti tractatione. Sed ad auxiliorum narrationem me reuocans, etiam de clysteribus id adiungam. Cum ipse à principio ante malos hos casus propter pedis dolorem abstinentia vteretur, nec aluus descenderet, primo clystere vsus est iure domestico carnium cum melle rosaceo, à quo aluus pro necessitate commodè deiecit. Accedit Medicus singulari pollicitatione pro pede curãdo, persuadet contra institutum ægroti, accipiat clystere ex iure Mercurialis, & cicerum rubeorum, cum ℥. 2. diacatholicon, & ℥. 2. elect. de hiera, quem acceptum reddere ne alijs quidem deinceps iniectis poterat, & initium acerbissimum malorum sensit, alij clysteres proximè fiebant è iure caponum cum E saccharo, deinde ad aluum adstrictam cum melle rosaceo.

Postea ad mucos deradendos ex præscripto Oribasij, ex iure Caricarum, adiecto oleo amygdal. dulcium, vel amararum, & aliquoties resina terebynthina ad ℥. 2. interdum etiam acceptum est ius intestinorum bouis, cui interdum Chamemelum fuit in coctum, interdum vini paulum iniectũ, bis ad summum vrgente re Carminatiuis vsi sunt. Medici intestini recti vlcus metuentes ordei iure extincto chalibe, incoctisque rosis vsi sunt, vnde etiam aluus maiores labores habuit suppressa. Res ita nunc etiam habet, vt in metu simus ne cruciatus ijdem suis circuitibus reuertantur; nam mucosa materia, & flatus

etiam

etiam abundant, quibus manentibus, si aluus adstringatur, eadem vexatio præsto futura sit.

Ad causam, & naturam morbi huius noscendam non est prætereundum, quod corpus calidæ naturæ est, ætatis inclinantis, qua calor notas sui relinquit in pilis, ipse tamen remissior est, ariditas nihilominus ab eo inducta manet. Ipsum intestinis debilibus semper fuisse indicium id est, quod à clysteribus molestiam habere consueuit, nisi exiguo modo indantur. Hypochondrijs quoque semper in omni ægritudine affectis fuit, vt à febre semper diu illis malè haberet, & sinistro præsertim, vt sub hoc morbo, quamquam iam melius habeat sinistrum hypochondrium, quā reliquæ ventris partes. neque enim tam tumet in doloribus, vt aliæ, neque tensum est vnquam. Ventriculo non benè firmo esse indicat id, vnde ipse catapotiorum vsum tam longum adhibere coactus sit. Vertiginosus quoque superiori anno diu fuit, & vix liberatus, quæ res ventriculo attribuebatur. Obnoxius est etiam doloribus Ischij, & pedis dextri, cuius causa chinam, & salsam anno ab hinc tertio accepit, cum annis ego tandem iam duobus cataplasma ex Helenij radice adhibuissem, erysipelate excitato liberatus est, nec amplius malum reuersum.

Hac hyeme post vertiginis curationem comessationibus se dedit, quarum causa, & cænaret largius, cum cænare minimè consueuerit, noctes etiam insomnes duceret tempore carnis priuium præcedente, dum proceribus obsequi studeret, inde in abundantiam pituitæ incidisse se querebatur, ex hac in pedis dolorem, per abstinentiam, & quietem huius causa habitam in mala exposita. His ad narrata indicia adiectis constare morbi natura potest, quod intestini recti inflammatio non est, cum ibi malum nō hæreat, sed modo huc, modo illuc vergat. Vlcus minus eadem ratione, aut Tenesmus, sed si à muco illa assidua deijciendi cupiditas est, ea tamē inanis non est, nam numquam non aut mucus, aut fex descendit, neque cupiditas deijciendi est, nisi cum fex, aut mucus aduenerit, neque tam acris illa est, quam requiritur in Tenesmo, vt declarat Oribasius lib. 8. collect. Medic. c. 26. Is. n. mucus nullo genere mordaci affectus vehementem, & intollerabilem illam cupiditatem non mouet, qualis in tenesmo est. Diarrheæ minus nomine hæ deiectiones dicendæ sunt, cū nisi quod opus est, intestina demittāt, non quidem quēadmodum opus est, & id nullo humore biliosο, aut acri mixtum, sic deiectiones cessent sæpe, donec collecta fex moueat, solum vero diuturnitatem deiectio retineat, quoniam, vt oporteret, confertim non potest fieri, si semel puris speciem habuere deiectiones, id in diu retentam pituitam referri potest, quæ, cum maturescit, ea speciem subit, vel quoniam tunc semel putrescere coacta sit, guttæ sanguinis ex aperto aliquo hæmorrhoidum osculo esse potuere. Si etiā fuisset tumor certus, & calidus in intestinis, necessario ileon potius, quàm huiusmodi excretiones esset sequutus, neque malum interualla repente accepisset, redijssetque. Si in Mesenterio etiam esset ob viarum illarum frequentiam, tum chylosæ deiectiones magis abundaret, tum tumor esset maximus factus, frequentia materiæ ab intestinis eas vias petentis. Certe quidem ipsi muci intemperiem frigidam suæ originis indicant, nempè earum glandularum, quæ hunc in vsum factæ venas habent ab intestinis ad se non ad iecur desinentes, per quas & materiam accipiunt, & mucum necessarium illis remittunt. Esto ergo vt clyster ille copiosus, & frigidioribus rebus constans copiæ maximæ pituitæ obuius illam in vasa sibi familiaria reiecerit, per quam pituitam reiectam vasis distentis, & refrigeratis, & vna secum etiā glandulis tumefactis, diuque ita oppressis intemperies glandularum, & vasorum impressa, auctaque sit, ab ea malæ nutritiones factæ in frigidam, & alienam naturam tunicas, & glandulas deduxerint, ac vna cum vasorum eorum vitio etiam intestinorum vitium sit exortum, vnde ipsa quoque malum habitum ob malam intemperiem, & peiorem nutritionem sortita fuerint, & penè habitu malo intumuerint non circumscripto tumore, & certo, sed toto suo corpore, quæ res præcipue ad colon intestinum pertineat, in quo sentimus tactu inflationem identidem redeuntem cum dolore, flatu scilicet excitato, alioquin enim intestinum dicto habitu angustum effectum denotat id, quod feces nō capit iustam earum copiam expectando, vt deberet, sed vt à superioribus exigua quæque partiuncula demittitur, sic eam deprimit angustia sua cogendo, eo enim vsu id intestinum priuatur iam angustum factum, in quem latius à natura effectum est, nimirum, quo collectas diu feces contineret ad certas excernendi horas, completis autem superioribus intestinis, & fęcem demittentibus in colon hoc angustum, turbatio fit colon non facile demissam materiam recipiente, flatu in ijs angustijs excitato, colo quod distento, neque leuari molestia potest donec materię exitum inueniunt, in quo vero egressu etiam molesta est, maxime ea in parte, vbi colon flectitur sursum, & deorsum donec in rectum intestinum desinant, sic cum pars superior molestia liberatur, inferior infestari incipit. fæces etiam quasi chylo fusæ descēdunt, quoniam multæ venæ Mesenterij à materia pituitosa impeditæ sunt, quæ cum melancholico, & terrestri humore obstructæ essent, tunc vigilias pariebant, etiam quiescētibus doloribus, nunc, quoniam pituita ob frigus partium successit in locum Melancholici succi, propterea vigiliæ non nisi ob molestiā fiunt, alioquin enim somnus accedit non mediocris, dulci etiam pituita ad somnum idonea procreata.

Hinc mirum non est, si febres intercidant, & ęstus ille, quoniam materia detenta in angustijs, & fumos calidos effert, & etiam putrefacta putridos, & oris malus sapor, & mille alia tædia, cum cibi sumendi difficultate. Sed aliqui mirantur, cur quamquam nō sitit, copia tamen potionum sibi placeat, & multū egere, multūque delectari videatur, non tamen mirum est, quoniam exiguo alimento ad venas perueniente corpus iam exhaustum est, & alimētum exoptat, sic liquore videtur delectari. Causa autem multitudinis horum crassorum humorum satis valida anteceßit à victu, ab anni tempestate frigidissima, longaque nimis hyeme. qua copia multa collecta, & per abstinentiam crassiore facta, cum in melius perduci idonea non esset, à clysteri refrigerantibus multis, & multa in copia confecto est commota, & magis intrusa.

Hæc ita sunt. Periculum autem est multiplex, primum ab alui suppressione, quę identidem potest turbationem afferre ab exigua, & mala nutritione, & certè, cum aluus arida sit, crudusque humor in venas attrahitur, nisi is per Renes euocaretur in multam vrinæ copiam, timerem ne in hydropem laberetur. Profectò affectus magnus videtur, & quāuis in parte minus principe sit, in necessaria tamen valde est, vt sunt intestina, & Mesenterium, longus vero etiam morbus futurus esse videtur sua natura, modo symptomata longitudinem ei permittant, præsertim id, quod suppressione continetur. Auxilia modo expurgandis intestinorum tunicis idonea, & venis Mesenterij etiam danda sunt, ijsdemque locis ab intemperie frigida vindicandis, & à malo habitu, & nutritione defendendis. Venrriculusque sustinendus in beni caloris temperie, vt facilior materia alimento pręsto sit, leuiora tamen purgandis intestinis deligenda sunt, ne à toto corpore ad ipsa plus alieni humoris attrahatur. Sic vsus hieræ simplicis, & Terebynthinę pau-

paulatim dandę nō esset transcendēdus in substātia, vt dicunt, eis tribuendis, quo non in ventriculo tantum agerēt opus suum ibi explendo, vt potiones, sed ad intestina descenderent, ibique vires suas exercerent, sunt etiam resinæ aliæ, quæ discutiendis humoribus intestinorum opportunæ essent, sunt gumata, vt bdellium, myrrha, mastiches chia, balsami lachryma illa durior ex Oriente delata, & alia. Aquæ vero etiam Medicatæ sponte nascentes aptæ viderentur, quemadmodum essent eæ, quæ Tettucij dicuntur ad intestinorum purgationem maxime accommodatæ. In ratione victus caueat omnia crassa, cruda, flatuosaque, omnia mali succi, ne oneretur inutilibus ventriculus, & etiam vino optimi generis vtatur nō admodum potenti, sed benè maturo, ac tenui, & albo potius quàm rubro.

In primis quotidie alui descensum inuitet exiguo aliquo liquore iniecto, ne diutius fex retineatur, vt esset serum lactis cum saccharo ad ℥. 3. saltem, nisi sumpta ʒ. 1. Terebinthinæ cum mastiche, & myrrha aluum satis educat, sic enim à reuertētibus illis molestijs tueri se potuerit, donec intestinis per eadem expurgatis, & in suum bonum statum restitutis eiusmodi auxilijs non egebit. Arun dicebat Aristoteles assumi ab Vrsa, cum exit è latibulo suo hyberno, vt intestina sua dilatet, quæ inedia hyberna constricta sunt. Sic nos aliqua eiusmodi re vti debemus, cum calidi sit dilatare, modo vim detergendi, & confirmandi habeat. Motu vero quotidie pro viribus vtatur saltem in curru, à quo maxime iuuare poterit.

Is per minutos illos Clysteres, & per motum in curru liberatus est in itinere somno maxime recepto.

De Renum affectu cum multis alijs pro Edoardo Kellero Anglo.

CONSVLTATIO DCVI.

Ad Senecinum, & Iacobum Crusium.

EX literis, quæ mihi datæ sunt de D. Edoardi mala valetudine tāquam ad verum scriptis ego sic rem mihi explicarem, & capita curationis colligerem. Quæ in ipso conspiciuntur magis molesta protinus ostendunt Vesicam affici, & proprio quidem malo, quando excernere lotium non potest, communi autem cum renibus, & toto corpore, quādo lotium tam mutatum, tanto malo humore refertum, & fædi odoris excernit. Affici autē Renes propriè ostendunt carunculæ in vrina, & limi copia, quamquam verò, vt carunculæ Renes tantum affectos denuntiant, sic ea limi copia tanta etiam corpus, vt omne venarum genus in partem culpæ esse ostendit, ipsumque malè alimentum suum conficere, ac vitiare, & vitiatam partem in Renes demittere, quam partim quidem ipsum sibi deprauarit, partim etiam à iecore malè confectam, & deprauatam accipit. Iecur vero cum ipsum à liene affectum, tum ab illo minime satis purgatum male habet, & præterea etiam à ventriculo, qui à liene ipse quoque affectus est, crudam materiam excipit, adeo vt ordo malorum is extiterit, liene, & ventriculo malè suum munus exercentibus, iecur facilè affectum fuit, inde necessario totum corpus, ab ijs vero omnibus Renes deprauantur. Totius tandem corporis, & venarum deprauatio per ipsam καχεξίαν seu malum habitum descriptum ostenditur, & hydropem, quæ

A ventrem occupauit. Renum vitiositas suis signis iam positis nota, tum laxitate, tum abrasione, tum autem intemperie continetur, Vesicæ etiam debilitas, & obstructio in ἰσχουρίᾳ, seu Vrinę detentione patet, præter alia multa, quæ cōsequuntur, In ijs morbis id, quod Renum est, difficultatem, & longum spatium semper habet, quod Vesicam impedit, etiā breui potest interitum afferre, potest enim hominē suffocare, hydropem certè quàm citissimè augere, à qua cum partes Thoracis occupātur mors sequitur. Curatio itaque, si tempus detur, ab eo, quod magis vitæ minatur, ordiri debet, à suppressione vrinæ nimirum. Sic cęreo funiculo meatus, & Vesicæ os aperiendum, expediendumve, qui oleo violaceo sit delinitus, aut oleo amygd. dulcium, aut eo, quod è

B luteis ouorum elicitur, non tamen multa ignis vi, Vbi si vlcus esse deprehendatur, inungi potest funiculus vnguento albo cum Tutiæ puluere, oleo plūbi, aut Antimonij, aut eius fęce, si inflammatio aliqua subsit, cum vnguento rosaceo Tutiæ puluere permixto. Inijci etiam vtiliter potest serum Caprinum cum puluere lithargyrij, vel aqua plantaginis, & violarum cum eodem, vel alia ex illis, quæ his pares vires habere videantur. Exterius pubi ea danda erunt, quæ vesicæ robur concilient ad excernendū, vt Chamemelum, rosæque cum vino, ac, si meatus laxandus sit, parietaria cum butyro antiquo, vel apium cum eodem, vt illa ipsa, aut similia cum oleo Scorpionum.

C Interea morbi curatio omittenda non est, sed totum corpus pro ratione virium, & humorum generis, & copiæ erit purgandum, &, nisi quid obsistat, per vomitum, quo à Renibus etiam materia auerteretur. Parari verò materia debet syrupo rosaceo, de succo betonicæ, de capill. Vener. melle rosaceo, syrupo de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro illis vitatis, quæ acetum recipiunt, dissolutis his iure Radicum altheæ, lupullorum, fragariæ, Alchachengi, maluarum, fumiterræ, farfaræ, pimpinellæ, pilosellæ, cetrach, ordei, & similium, adiectis emulsionibus seminum maiorū, & minorum frigidorum, humores parati purgari etiam poterūt cum agarico, Rhabarbaro, myrobolanis, terebynthina exceptis vel in bolos, vel in catapotia, aut diacatholicon cum ijsdē,

D vitatis semper scamoneatis dictis. Quæ purgatio multoties repetenda est. Deinde vero Renibus propria danda, vt serum lactis caprini per stillicidium purgatum admixto succo pimpinellæ, & betonicæ, vel puluere chalibis tenuissimo facto, aut parte etiā aliqua olei stillatitij terebynthinæ. Aqua fragariæ, & pimpinellæ ijs maxime solent prodesse præcipuè si eis addantur Trochisci de Alcaorengi, autem etiā oleum de terebynthina.

Quæ nisi satis fuerint, dato spatio non deerunt multa alia ex amplo Medicinæ campo, quæ nunc non sunt persequenda, sicuti neque ratio victus exponenda, in qua, quæ vitanda sunt, satis cuique Medico nota esse possunt. Acetum certè fugiendum, & omnia, quæ mali succi sunt, præter medi-

E camenta idonea, vinum ex Alcachengi paratum vtiliter certè daretur, lac post exactam renum purgationem ipsos maxime renutriret, & temperaret, sed & antea dictis prius agendum est, & videndum, ne obstipatio viscerum augeatur.

De lacte Renum causa sumendo pro Seren. Vrb. D.

CONSVLTATIO DCVII.

Illustris, & Excellentissime Vir.

DE lacte Renum causa sumendo ea mihi sententia fuit, vt numquam illud opportunum esset, nisi Renes admodum expurgatos inueniret, etiamsi lac asinæ sumeretur. Numquam vero eos purgatos crederem, dum dolore tentantur, dumque arenulæ minguntur, ita in superioribus ego prius corpus totum etiam, atque etiam purgabam, deinde per Aquã de Spa Renes, tertio vero etiam per serum caprinum admixto eryngio, lupulo, & cetrach, demum lac dabam, his rebus propter hunc ordinem præcipuè confidens. Cum ergo in eo statu res sint hoc tẽpore, ego repurgandis Renibus cum sero primum operã darem, scilicet in ea copia, qua non ad libræ modum vix primis venis sat esset, sed ad libras cum minimum tres vsque ad quinque, si ventriculus pateretur, & facile quidem laturum crederem eum, qui aquam de Spa prima potione sex libratum pondere tolerauit, & facile, deinde vsque etiam ad 8. lib. Atque ne vires herbarum per ignem tanta vi extortæ amitterentur, ego herbas libentius in sero incoquerem, quàm per alembicum exciperem, & cum eo potius in alembico parietariam ponerem, quã hoc pacto certè multum fecisse cognoui, ac ponerẽ Fragariam, à qua pariter multos iuuari vidi. Potionibus autem huius per 15. dies acceptis, si Renes expurgari per eas notas intelligerentur, ego tunc demum lac darẽ, ipsique loco sacchari ad morem antiquum mel tenuissimum, & purissimũ adijcerem, quod quidem & tutius lac redderet, quàm saccharum, & Renes, ac vẽtriculum magis repurgaret, tum capiti opportunius foret.

In viuendi modo Cælum quo tenuius, eo melius videtur, Aqua etiam pariter. Sic æstiuo tempore Cælum Vrbinas, & aqua. Hyberno Pisaurense, Verno ad colles Imperialis, Autumnali etiam ad castrum durantis. Cibi, de quibus iam toties dictum videtur, ptissanam assiduè habere vtiliter poterunt, inter reliqua cucurbitas, vel etiam cucumeres benè percoctos, pruna, caules maluarum cucurbitarum, lactucas, betas peponesue maxime loco limonum, eorumque succi mihi placerent. Aurantia mala etiam dulcia dicta, nam potius subdulcis, quàm dulcis eorum sapor est, horum succo vti vellem loco succi limonum, vbicunque limonum succus laudatur, eumque etiam ex saccharo, vel melle Hispano coqui vellem, à cuius vsu multum sperarem. Limones autem in id tempus reseruarem, cum arenulæ fuerint extrudendæ. Interea ipsos immaturos, viridesque ex saccharo conditos in vsu haberem. Pimpinellam incoqui in aqua vellem, qua vinum dilueretur. Aqua nulla alia vterer Pisauri, nisi cisternarum quam purissimarum etiam in cibis elixandis, & pane conficiendo. Multum porro ab aqua timerem, nam vidi eos, qui, Podagra, & Renibus laborarent, cum Podagræ causa aquam loco vini potarent, Renibus multo peius habuisse, cum Renum causa vino vterentur, à podagra peius, ac nil crederem tutius, quam vti tantũ aqua, quæ vel per alembicum igne purgata fuisset vel more antiquo ad tertias esset percocta. Somnus certe procurandus ob cruditates vitandas, qui diminutus mihi vnius ventriculi tacito continendi labore, aut melancholico humore videtur, vnde etiã memoria ob vigiliarium detrimentum diminuatur, atque etiam ob cerebri refrigerationem, quæ à melancholico humore, & à longis etiam vigilijs solet proficisci. Balneis itaque aquæ potabilis frequentius vterer, quibus & corpus leuaretur multa humoris parte, quæ ad Renes mitti consueuit, & motus eius materiæ aliò reuocaretur.

Sic dorsum à dolore tutius esset, & melancholicus humor mitesceret, ac somnus conciliaretur, in quo balneo vellem etiam aliquantum sudaret. Sic lacus è materia lignea struendus est, in quo ipse cõmodam sellam habeat, & concludi possit solo capite exerto, vt balnei vapor ad ipsum non pertingat, post cuius semper vsum in cubile se recipiat, & ab aspiratione auræ se tueatur. Articuli vero subinde sale, oleo, & aceto confirmentur aut simili alio genere. Quæ res mihi nunc in mentẽ venere, vt longo morbo lõgo vitæ vsu opportunæ futuræ, neq; iã mihi aliud sit reliquũ homini occupatissimo. Serenissimæ Celsitudinis reuerenter meo nomine manum deosculator, & me ama, ac nobiles omnes istius aulæ salutato. Comitem Iulium Cæsarem, & Peruzzium in primis. Doctor Lucidus abest hinc. Viennæ est, quem in dies expecto Scheleton Leonis S. C. M. perfecturum. Pragæ ex arce Idibus Septembris. Anno 1593.

T. E.

Obsequentissimus.

Christophorus Guarinonius Fontanus.

Vide vulgates literas anni 1593. Mensis Aprilis & Maij, de modo bibendi aquas de Spa ad Ambiorigem Samperolium.

De ventriculi dolore cum alijs casibus, pro Illustrissimo Comite Imperij D. V.

CONSVLTATIO DCVIII.

VOmitiones pituitæ ferè semper syncerae, & crassæ, ac glutinosæ indicant nobis huius doloris causam, maxime quod post quamq; vomitionem dolor leuari consueuit, qui alioquin quotidianis cruciatibus hominem affligit, quoniam materia continenter in ventriculo gignitur, neque vomitionem mouet, nisi postquam ad certum cumulum pituitæ congestio peruenerit, cuius abundantiæ indicium quoque est tumor ille œdematosus, qui vesperi maxime ad pedes increscit, & neruorum crurum debilitas, qua interdum dicat in pedes non posse fidẽter insistere. Cum qua vero pituita ego facile suspicor non parum humoris melancholico coniungi, si corporis genus, si ætatem, & morbi longitudinem, & hominis etiam mores perspicio. Genus enim corporis calidius est, quod ipse aspectus, quod vrinæ maximè ostendunt.

Hæc autem corpora in ætate inclinante, etiamsi sanguine abundarint, melancholicum humorem solent colligere, vt habemus 6. Epid. 6. diuturnitas etiã generationis huius crassæ pituitæ in calido corpore non potest non exhibuisse materiam crassam in melancholicum humorem gignendum. Sic mores Comitis, qui antea hilares essent, iam taciturnitatem, & mærorem quendam præferunt. Subest ergo iam multis annis ipsius ventriculi frigida intemperies, & humor illam conseruans, pituitosus modo dictus, à

qua continenter generatur, qui sub iecoris calore crassior, & purior, hoc est sine serositate redditur. Ita ab aquis Carolinis in balneum adhibitis meliusculus fuit.

Hinc iam ratio curationis denotatur, quòd calefaciendus ventriculus sit, quòd pituita submouenda, & ad sui detractionem incidẽtibus, abstergentibus, & extenuantibus paranda, quodque id est leniter, & paulatim agendum, ne, dum hęrentem altius, & cõfirmatam intemperiem eruere valentioribus conamur, vnà vim naturæ exterminemus, & cum eo semper retinentia robur ventriculi cum reliquis componenda sunt, quoniam in illis partibus ipse est, quæ publicum opus corpori administrant. Cum ijs vero semper ordienda curatio est, quæ materiam parant, postea aliqđ præbendum, quod eam detrahat, B demũ, qđ cum adstrictione vẽtriculũ calfaciat respiciendo semper iecur, ne ei calor inducatur. Vsus ergo oxymellitis cum syrupo rosac. vel de succo cicoreæ alijs esset anteponẽdus, postea vsus eorum, quæ vel per vomitum, vel per internam aluum pituitam detrahant. Opus verò vomitum mouentibus erit, cum vẽtriculus pronus in vomitum intelligetur. Inter vomitum mouentia cõmodissimum videtur oximel ex multo iure carnium præsertim bouillarum epotum, quod valẽtius erit, si oximel ex aceto squillitico paratũ fuerit, valentiora ego non darem. Inter ea, quę per aluum deducant eã materiam, roburque ventriculi retinere possunt, opportunæ mihi videntur pilulæ infrascribendæ, maxime postquam C materia parata satis fuerit.

Tertio his omnibus supponendus erit syrupus infrascribendus ad ventriculi calfactionem, iecoris ratione habita, confirmationemque, & pituitæ quoque horetim genitæ expeditionem, interponendo etiam bis, & ter in hebdomada vsum eius cõfectionis, cuius exemplum infra describetur, quo pituita vnà detrahatur, & tonus ventriculi, & calor recipiatur. Vsus autem dictorum per circuitum eodem ordine erit producendus, repetendusque. Continuo vero post primam ventriculi purgationem fomentum ventriculo debet adhiberi ex oleo de spica Indica, nimirũ infusa lana purpurea in ipsum oleum feruens, & expressa, atque contra ventriculum sub costis alligata. debet etiam idem tunc locus inungi D ex eodem oleo adiectis alijs vt de nuce moschata, de anisis, de cariophyllis. Decoctum Guaiaci ventriculo quidem ipsi esset admodum idoneum, sed iecori, & toti venoso generi calidiori, ac Renibus esset aduersarium, propterea quòd per omnes venas decurrit. At aquæ genus Thermalis, quod per aluum descendat, & purget ventriculum, atque intestina, quod eadem calfaciat, atque colligendo confirmet, id suo tẽpore sumptum mihi videretur maxime profuturum, quale esset in his Regionibus Carolinum, antea expertum, & in Italia Tettucianum ad Opidum Corsennæ, quæ aquæ etiam exterius in balneum adhibitæ profecto abunde facturæ viderentur. E

Porro crurum debilitas ex ventriculi malo profecta sub his curationibus tolleretur, præsertim sub ea, quæ balneorum est. Ita propriè de ea debilitate non mihi videtur dicendum, nisi quòd pars originis neruorum ad crura venientium, quæ sub lumbis est, ipsa respici deberet, atque si aliqua exterius adhibere sit in animo, ea ad lumbos extremos applicanda sunt, vt oleum vulpinum de perforata, de terebynthina, & de iunipero tunc cum corpus fuerit bene expurgatum. Aqua vitæ etiam maceratis rebus idoneis esset commoda, vt chamepyti, saluia, ruta, roremarino, verbasco, perforata, salsa parilia, ligno iuniperi, & similibus alijs. Quæ aqua etiam genibus ingeri poterit, vt ipsa quoque olea, quo ligamenta etiam firmitatem accipiant. At de ratione victus multa nimis dici possent, quæ forte Medicis curam habituris necessaria non sunt, sic hæc pauca scribam. Cælum humidius, & frigidius vitandum est, ita matutinum, & vespertinum frigus, & eiusmodi tempestas omnis. Pedes vero maximè, ac manus extremæ, contra frigus muniendæ, & partes ad ventriculum pertinentes. Cibi molliores, & benè maturi, ac cocti deligendi, cruda, dura, penitus vitanda. Potius auiculæ paruæ, quàm graues, & in his potius pulli columborum, & perdicum, atque Attagenum, & gallinaceorum, tum phasianorum, quàm grandioris ætatis capiendi, nec vllis alijs post habendi. Anserum solæ alæ recipiendæ. Iecora vero solius gallinacei generis, aut lactentium vitulorum, sed quadrupeda nisi tenella, vt vitulæ paruæ, atque ædi teneriores sunt, auibus dictis sunt grauiora. Verueccina meo quidem animo huic ventriculo, & ętati est aliena, cum enim ouillum genus humidius, & frigidius sit, castrata vero etiam frigidiora euadant, eorum carnem nisi calidis, siccisque hominum naturis numquam idoneam crederem, vt in Hispanijs reperiuntur, vbi etiam Cælum carnes illas minus frigidas, & humidas faciat, & calore conficiat, ac minus recrementitias reddat.

At in locis frigidioribus, & humidioribus in diuersum longè res agitur. ex syluestribus quadrupedibus tenellos tantum lepores interdum admitterem, ex pultibus nullam probo, quæ mixturæ multę sit, ex simplici pane, vel farre factam non improbo, neque ex simplici hordeo, si eius frigus aliquo aromate temperetur, præsertim pipere, si etiam cũ multo saccharo condiatur. De herbis, cum nulla alibilis sit, præter lactucam, hæc vero frigidior sit, nullam quidem possum censu alimenti laudare, lactucam interdum, sed aromatibus admodum modificatam, borraginem, & buglossum, & lupulum tamquam moderationem sanguini afferentia, non improbabo. De Radicibus nullam idoneam video, nisi censu medicamenti apti ad vrinam mouẽdam, & Raphani aliquam portionem, ad pituitam detergendam, quod etiam de Bulbis dicam, nam cæpe potest maxime pituitam extenuare, legumina omnia sunt abigenda, nisi eorum solis iuribus vti velit, quæ multum faciunt ad pituitam dissoluendam. Fructus quoque suspecti habẽdi etiam per cocti (nisi cytonium eo pacto paretur ex melle, aceto, & aromatibus, vt Galenus docet 6. de tuenda valetudine sub finem) de quibus fructibus cum castaneæ tantum & amygdala alere possint, pituitosi tamen castaneæ nimis generis sunt, amygdala tutiora ob detersionem sunt. Ficus siccæ, seu caricæ sumi audacter poterunt, præsertim aceto maceratæ, nam pituitam maxime domant. Vuæ etiam passæ omnis generis timendæ non sunt, sed res infinita esset, certè cauenda varietas, & mixtio ciborum est, lac, & caseus omnis fugiendus, Mel, & saccharum, in hac ætate tutissima, & vtilia sunt, salis etiam modicus vsus retinendus, nisi destillatio salsa casu incidat, aut vrinæ minctus crebrior. Potus esse debet vinum lene, matutumque, & tenue, quod non diu in ventriculo manere sentiatur, quod si Renense tale sit, ante alia ego præfero, & magis necaricum, sed in multis contra experior, quoniam sæpe maturum nõ est. Mediocris ciborum, & potionum modus semper habendus, neque ante quàm prandij cibus concoctus sit cæna admittenda. Noctu diu quiescendũ, ante cibum diu ambulandum pro corporis viribus. Aluus nisi respondeat clysteribus ducenda, quæ leuiora sint, nisi aliquo casu maiori ellectuaria ex Hiera, & illud, quod benedicta dicitur allijciantur. Animi perturbationes maximæ fugiendæ, cibo præsertim nondum concocto. Quæ nunc satis mihi videntur

dentur esse profutura huius Generosissimi Viri saluti, si diligenter, vt opus est, obseruentur, quod IESVS Opt. Max. faxit.

Pilularum exemplum.

℞. Pilularum de tribus cum Rhabarb. } an.ʒ.s.
de Hiera cum agarico
Trocischorum Alendal. g.3.
M. & cum aqua absynthij f.p.vj. & aurentur.

Confectionis exemplum.

℞. Specierum Diaturbith, cum Rhab. } an.ʒ.1.
Aromatici rosarum
Rhabarbari electi ℈.2.
Olei Anisorum ℈.1.
Aquæ Absynthij } q.s.
Sacchari albi
M. & fiat confectio in rotulis.

Syruporum exemplum.

℞. Oximellitis squillitici, syrupi de succo absynthij rosacei simplicis ana ℥.s. Decoctionis herbarum suprascriptarum ℥.3.s.m. pro syrupo. q.s.

De Vertiginoso, affectu & cordis palpitatione pro Illustri Salij Colonelli vxore.

CONSVLTATIO DCIX.

Matronæ Illustris corpus genere calidius est, ita per ætatem iam declinantem fuit melancholico humore completum, maxime quo tempore menstruis purgationibus carendum fuit, ac ipsa sollicitudinibus multis, & tristitijs diu esset exagitata, sub ijs necessario ventriculus crebris cruditatibus oppressus suum calorem ex parte amisit, vt illas cruditates, quas antea per iniurias externarum causarum subiret, postea iam ex magna parte ipse sua culpa committeret. Ab illis vero cruditatibus postea crassæ, & glutinosæ materiæ à calore attractæ partim in melancholicum, & terrestrem succum versæ sunt, partim glutine etiam retento, & mora aucto pituitosæ manentes, & crassæ obstructiones meatuum, & vasorum effecere, & suæ naturæ vapores, & flatus à naturali calore exagitatæ emiserũt in caput, & cor, eo quidem peiores, quod è melancholico humore magna sui parte extorqueantur. Nõ est autem adeò refrigeratum iecur, & cor, vt ventriculus, quoniam illa non sunt ita obiecta crudis cibis coquendis, minus sunt è frigidis membranis constituta, quando calidiori carne sua munita valdè sint. Caput forsan intemperiem recepit propterea, quod minus sua natura carnibus munitum est, ab illisque vaporibus, & fumis refrigeratum fuerit, & debilitatum quibus cũ recipiendis, tum attrahendis sua cucurbitulæ forma obiectum cernitur. Ex quibus possumus statuere hic frigidam intemperiem ventriculi esse. Venarum infarctum ex humoribus dictis & calorem præter naturam inde conceptum, & fumum elatum, corque, & caput debiliora facta, caput quoq; refrigeratum. Sic partim sua debilitate reliquis partibus cedente, partim quod sæpe incalescant, anhelitus illos ad se abũdantius alliciunt, atque vertiginem, saltumque cordis pariunt.

Hæc mala tedij, & timoris plena suis causis dictis internis continentur, & ab illis iam obfirmatis identidem nascuntur, certeque illis ijsdem tollendis prohibebuntur, nimirum crassis humoribus subtrahendis, eorumque remouenda origine, quæ primum intemperies est. Itaque humores erũt parandi, & purgandi, Iecur ad genus humidius, & frigidius reuocandum. At ventriculus calefaciendus. Principio tamen aliquid de sanguine, tamquam de communi materia aliquid submouendum, & id à brachio dextro, ac, si vires tolerabunt, etiam à sinistro, infernis partibus iam per ætatem cursum sanguinis non recipientibus, alioquin enim per inferna melius sanguis retraheretur quo grauior sanguis pronus est. Modus sanguinis pro modo virium erit metiendus, postea humores crassi Oxymellite cum syrupo de succo borraginis, cicoreæque, & fumiterrę tum betonica, mellissa, cap. Vener. parandi, parati subinde purgandi, præcipuè folijs senæ in iure prunorum, radicis dulcis, passularum, & aromatũ maceratis, mãna adiecta & Diacatholicon. Quo facto purgatio erit ijsdem repetitis Medicamentis, & potu aquarum Thermalium perficienda, illorum inquam balneorum, quibus, alias vtiliter vsa est. Quibus ni malum penitus conuellatur, necesse esse ad alia progredi, vt potiones è Guaiaco, & salsa parilia, ac carduo benedicto, borragine, & cicoreo. Eo temperamẽto, quod statui corporis conueniet, vt vel cicoreum, vel buglossum etiam adijciatur.

In interuallis aũt harũ purgationũ habeat in vsu longo Oxymel squilliticum, & ad ventriculum gerat emplastrum factum ex spica, cariophyllo, Mentha, absynthio, mastiche, oleo absynthino, & de nuce moschata, ac spicato cum cæra, neque longitudinẽ, vsus horum tedio habeat, quoniam in long[i]s morbis curationes longæ habendæ sunt, si sint ad naturam morborum accõmodandæ. Victus ratio non est subtiliter statuenda, Genus omne crassum, glutinosum, durum, & crudum interdicendum, maxime vero aspera, & immatura vina, ita tamen ne ad dulcia transeatur. Sed medij generis deligantur, longo somno vtatur, vitetque solicitudines quantum fieri potest. De reliquis vitæ partibus non credo necesse esse dicere, minus multò plura à lõginquis locis possunt comminisci. Nolim autem mirari, quod nostri temporis Medici post corporum purgationes veniant ad Thermalium vsum, & eorum, quæ per vim mouent sudores. Quoniam id non sine necessitate faciunt. Neque enim hoc tempore corpora tam exactè purgantur pharmacis, quam antiquitus fiebat, cum purgationes ad mensem, & amplius ducerentur, & illæ quidem per vomitus vehementissimos, Quæ res apud Oribasium clarissima est, vt hoc tempore quoque, qui audent valentioribus vti, experiũtur se alijs auxilijs non adeo opus habere, quo factum est, vt cum rationales Medici elleborum timerent, qui in eius locum certiori cum periculo malunt Atramentum sutorium, aut floridum colorem retineat, sed à seroso quodam, & humido genere, quod sua tenuitate citò partes permeet, & copia nimia in tumorem attollat. Motus ergo vis, quæ isthic neruis vtitur hebetioribus, & motui ineptis, per eos officium suum non potest exercere, præsertim quod musculi iam ipsi quoque grauiores facti eodem iam nutritionis genere hebetantur, ad quos verò quo pacto vis mouendi perueniat, nunc nihil attinet disputare. Verum si spiritu permisso, ille quoque eo habitu turbidior fiet.

Si facultate tantum, quam nescio quo pacto tam libenter isti radijs assimilant rei, quæ per lucida tantum corpora permeet, atque adeo neruos non posset permeare, sat habebit ea res tunc impedimenti, quoniam nerui suam naturam ei idoneam non retinent. Humidi modo tantopere humorum generis causa in partibus materiam alimento parantibus sita erit, in venis, & iecore maxime atque etiam ventri-

triculo, qui alias pituitam vomere consueuisset, cuius recrementa sub purgationibus sæpius dilutam cum pituita bilem, quam puram, & pituitam tamen sæpe sine bile habent, rarissimè melancholicum humorem, vt inde iecoris quoque, & venarum habitus indicetur. Missus etiam sanguis numquam colore eo est, qui huic ætati conueniret, adolescens potius sanguis videtur, aut pueri. Transire ad neruos alimentum per cerebrum, qua via etiam spiritus à cerebro ad eos eat, & in cerebro illud attemperatè ad eos alendos modificari magna ratio esse, ei tamen potest contingere, quod bene habenti iecori contingit sæpissimè, si à ventriculo crudam nimis materiã accipiat, ne illam penitus superet, sic humidior accepta à cerebro materia in neruos remittatur. Etenim cerebrum hoc, quamquam sicci generis non est, ab humido tamen tamquam alieno admodum nō grauatur, neque malè ab eo habet, spinæ certè medulla grauius ab eo genere habere intelligitur, in qua proximè alimentum neruis comparetur, quam ab ortu humidiorem fuisse multæ notæ extitere, nunc vero nimis admodum excedere.

Hæc profecto morbi ratio est, cuius externas causas Medici facile videant otium corporis inusitatum superiori ætati, nunc longissimum, varios labores mentis, Mensas lautiores, cibos crassi succi, tum aquę potiones, quæ certe causæ ante essent submouendæ, quam ad internorum curationem accederetur. Neque vero ego hic laboro, quod Medici quidam suspicentur humorem melancholicum, & eum à medij intestini obstructionibus huic debilitati originẽ præbere, nam mærorem non obseruabūt in hoc Viro Illustrissimo vllum, quin è te nata non proficiscatur, modo in animo habeant Virorum Magnorum, magnarum rerum curas habentium mores, quibus ipsi numquam non tegant suas animi ægritudines, & cum delicatiores ipsi eas tegere, ac comprimere nequeunt, illas potius in corporis noxam, quam in animum malis euentibus affectum referant, vt habeant aliquid pręcordia melancholici generis, id nō semper infestat, & sanguis omnium venarum contrarij generis cernitur, cui omnes affectus ij respondent. Quid futurum modo sit ex hoc morbo, nisi curetur nullus non Medicus videt, vt num possit curari, nam in genere humido est constitutus, quod curatu facillimum omnium generum est. Neque terreat, quod multa facta esse dicantur, quoniam & longissimis intercedentibus spatijs distractæ fuere vires cæterarum curationum, & minus obseruatæ curandi deliberationes, ferè quidem semper mitius tractatus est, Principes enim Viri rerum administrationibus illigati sunt, & plures semper sunt, qui obsequium malint eis præstare gratiæ spe, quam durius agendo in repugnantes verum sustinere, & inimicam speciem induere sub incerta salutis spe. Faciant spem sibi Medici curatione idonea, & certitudinem salutis moliantur, cum rei natura non prohibet. Est vero exsiccandus prius totius corporis habitus, ne si ad neruos prius accedatur, cum id non sine calefacientibus fieri queat per caloris fusionem illi plus humecti fiant suo habitu, magisque debilitentur. Antiqui Sales Viperinos seu Theriacales dabāt corporis habituí exsiccando. Nos tutiora, minusq; ventriculum, & Renes lædentia, & altius sese in neruos insinuantia in vsu habemus, quam illi Sales sint per tostionem calidiorum rerum facti. in nostri tẽporis medicamentis vsitatissimum est Guaiaci ius, à quo omne venarum genus, & viscera omnia exsiccari, & confirmari possunt, nec minus nerui ad suū statum reuocari, modo eius vis in ambitum corporis, & ad neruos promoueatur, quod non nisi sudoribus ciendis fieri posse credendum est. Salsæ pariliæ deinde, cuius vis maxime dissoluit, & ad remotissima penetrat. Chinæ præterea, quæ visceribus minus aliena, quam salsa est, & cum penetratione, extenuationeque maximam habet exsiccationem. Aquarum etiam Thermalium vsus tum intus, tum extra adhibitus ad idem videtur valde accommodatus, & rem nobis effectam daturus. Vbi ne horum vis dum neruos petit, secum ferat humoris in corpore medio eliquati multum in neruos, corpus debet ante penitus expurgari, idque medicinis multoties repetendis, & sanguine etiam detrahendo. Genera medicamentorum ad humidi, & pituitosi generis humorẽ educendum faciunt, quoniam & is in corpore hoc peccat, & inter bilem purgantia scammonea huic ventriculo inimica admodum deprehensa est, adeò vt hominem longis animi deliquijs presserit, cum vel Medici dedere, vel aromatarij forte eius medicamenti aliquid suffecerint in leuioribus à se putatis medicinis. Agaricum ergo melius erit, & sena tamquam serosum etiam humorẽ educens, & colocynthis, atque etiam elleborum, quæ data ei sine molestia profecere. Rhabarbarū vero purgationes semper perfecit. Itaque post lenitam aluum, & sanguinẽ missum, ac corporis, humorumq; apparatum per syrupum de betonica, capil. Ven. cicoreoque, cum iure similium, & rorismarini, saluiæ, ac chamepitys. Idoneum esset ius ex fol. senæ ad ℥.3. rad. ellebori nigri præp. ad ℈. 2.s. agarici ad ʒ.1.s. cum lenientibus, & aromatibus factum, cui addita præsertim aqua cinnamomi stillatitia, ad ℥. 2. imponatur Rhabarb. & post macerationem exprimatur, atque ea potio cum Melle rosaceo, Manna, & Diacath. commisceatur.

In secunda purgatione corporis, humorumque apparatu repetito, pilulæ cochiæ cū trocischis, alandal, & pilulis de tribus cum Rhabarbaro, nisi satis abundè fuerint, erunt tertio apparatu facto repetendæ, postea ad Guaiaci iura cum salsa, & china, tum ad thermas veniendum. Sub Guaiaco abstinentia solita seruata, exterius autem fumi siccantes sub sudoribus, & inunctiones, postea stillæ tota spina dorsi ingerendæ, quæ summa erit huius curationis minutioribus alijs Medico curaturo ad delectum permissis. Sic vno scrupulo remouendo finẽ scribendi faciam. Is iniectus est à quodam præstantis ingenij, & nominis Physico, nimirum quòd Chinæ vis, cum minimus spiritus extenuet extimescenda sit hic, vbi tenuitas spirituum in parte culpæ reperta est. Cui vero respondere facile est, nam esto spiritus extenuatio mala sit, illa tantum interea dum medicamentum extenuans sumitur noxam haberet, & paulò post noui spiritus nihil à medicamento affecti succederent, qui horetim generãtur, & partibus continentibus exsiccatis, extenuatisque manentibus neruos firmiores & vias apertiores inuenirent. Sic debilitas sub vsu tantum medicamentorum manens non debet nos priuare curatione, non est metuenda ea breuis debilitas, quæ robur firmum & permanens esset continuo allatura. Nullus Physicus non nouit, quod Medicus vires minuit per victum tenuem, & minutionem sanguinis, ac medicamenta, res, quæ salutem corpori afferentes virium resumendarum facultatem præbent.

De

De Vlceribus callosis in partibus ad Vrinam spectantibus pro Illustri & Excellentissimo Domino Borgarnicio.

CONSVLTATIO DCXI.

Ad Illustrem, & Excellentissimum Campolongum.

MAgnum profectò est tuum Excellentissimum tam celebrem me per literas meam sententiā petere voluisse, non minus etiam est me velle periclitari, vt quæ à te prudenter, & summa doctrina tractata sunt, rudi meo sensu ineptè repeterem, quo sic mihi temperandum pro viribus esse video, vt meo more tuæ humanitati, meo studio amicorum studijs respondeam. In re ergo proposita mihi videtur non minus corpus ipsum medium, quā partes eminentes malè habere, quamquam id in aperto non existit. Diarrhea namque ab eo euidēti malo non nascitur, minus ipsum diuertit, quod iam in scroto, in pene, & vesica factum consistit, sed illud certè incommodū suspicari vult qđ his partibus è medio corpore malè affecto amplius & supra solitam fluxionem etiā immineret, ac quo peioris diarrhea est generis, eo peius vitium in medio corpore tamquam sui originem indicat, quod prioribus omnibus circum naturalia existentibus pessimæ naturæ malis etiam confirmatur, vt metuendum præterea sit quoque, ne & quæ constitere deteriora in dies euadant, & noua alijs in partibus nascantur, adeo vt potior cura, medio corpori attribuēda videatur. Pessimum certè humoris genus priora mala habuere, cum exederint, tam facile, & ab initio facto vicinas partes comprehenderint, & cum callum contraxerint. Eiusdem vitiositatis esse diarrhea videtur, cum atrum humorem efferat, & mordacem, qui eiusmodi non nisi per exustionem euadat, ita metuendæ omnino malitiæ, infestissimaque mala minatur, nimirū similia ijs, quæ antea perpetratus est, & peiora etiam, cū intestina, & interiora pressurus videatur, neque enim pōt otiari sua mala vi. Vt ergo incommodis iam vesicæ, & scroti factis ac peni manus Medici vlcera curantis adhiberi debet, sic cauendis futuris, internisque morbis tāto magis tua prudentia opus est, quātò illa vitæ magis aduersaria sunt futura. Manum adhibenti omnis callus auferendus, durities mollienda, & partes in suam tēperiem referendæ, quo tandem carnē moliri, & continuitatem sibi restituere possint, intereaque ab influentibus inimicis humoribus defendendæ, ne opere prohibeantur. Corpus autē medium curaturi Medici erit iecur, & illas partes omnes, quas appellatione eadem vnà iecoris sanguinem conficere intelligimus, aut conficientibus inseruire scimus in meliorem temperiem retrahere, humidiorē scilicet, & minus calidam, ijs faciendis, quæ opportuna, & necessaria sunt. Necessaria, vt humorum impedientiū opus detractionē efficere. Opportuna, vt quæ suo frigido & humido genere calorem mitigare, & humidiorē reddere possunt. Detrahendus vero humor est prius, qui non solum in magnis meatibus vagatur, sed qui in inuisibilibus cuique parti adhærescit, & eius intēperiem continet, quo euulso facile partes in suā naturam reuertentur. Itaque post repetitas per Senam, per epithymū, atq; etiam elleborū purgationes serū caprinū multis dieb. datum bene facturū videretur, cum succo fumiterrę, cum succo lupulorum, & etiam sena, & Rhabarbaro maceratis interdum quæ ratio medendi certè ad 20. dies spatij produci deberet, postea potiones salsæ pariliæ maxime idoneæ viderentur ad duriorē, & magis alte defixam materiā in visceribus, & eminentibus etiā partibus molliendā, & discutiendam, tumoresque illos, & callos dissoluendos, sic etiam exteriorum curationē prętaret, quorū vlceribus commodior ea euaderet, si bolū terebynthinæ lotæ vnà cū quaque potione huius acciperet, quæ etiā visceribus repurgandis apprimè prodesset, & diuturnæ diarrheæ. Si salsæ pariliæ tamque dissoluentes potiones ventriculo minus cōmodę agnoscerentur, illæ essent aliqua re ventriculo aptiore muniendæ, nimirū aliquam vim adstringendi habente, cuiusmodi etiam Guaiacum videretur, si etiam calor potionis mitigandus sit, cicoreū postremis decoquēdi feruoribus erit adijciendū, sub horū potionibus sudores erunt leniter mouendi, victusq; tenuis, sed non extreme habēdus, intra tñ vsum luteorū ouorū, & paruorum pullastriū gallinaceorum continēdus. Post longū sudorum spatiū ptisana, atque etiam lac caprillum subijcienda esse ad renutriendū viderentur, sic.n. corpus mitiorē, & humidiorem calorē posset adipisci, quo temperamento demū benè valeret. Quæ vero manu adhiberi oporteret prudentissimo alicui Magistro permitterē, qui videret diligēti partiū exploratu medicamentis ne, an ferro, an igne id tuto, & certo fructu fieri posset. Certè Physicus dēt eū admonere, quod omnino partes in suum habitū naturalem, & temperamentum sunt reuocandæ, alioquin nunquam vlcera nutriri, aut conglutinari poterunt. Atque hæc T.E. ita erunt exposita, vt ei, qui cū mecum voluerit humaniter de suis consilijs communicare, coegit me meam quoque sententiam dicere. Cui & gratiæ à me propterea habendæ sint, & multis alijs de causis officia mea offerenda. Vale.

E. D. T.

Studiosissimus

Christophorus Guarinonius.

De debilitate artuum pro Illustriss. D.D. Guglielmo à S. Clemente Hispan. Regis à Consilijs, & apud Cæsarem Oratore.

CONSVLTATIO DCXII.

VIdemus debilitatem hanc artuum semper maiores progressiones fecisse, adeo vt quinq; annorum spatio, cū à principio incedere, quamquā debiliter, & pati posset, iam nullū gressum queat facere, sæpius vero vix breui posse insistere quāquam cū omni conatu. Videmus ēt artus ad rationē debilitatis fieri obesiones, & carnibus inutilibus grauari, vt ad pedes vel œdematis species veniat, maxime postquā eos decliues habuerit, quamuis coloratiores illi sint, & tumor eiusmodi rubicūdior, qui color à frigore facile in purpureum è rubro conuertitur, vt quasi liuorē, & nigredinē rubori admisceat, cute alioquin pedū, & crurum nitida, ac lęui semper, nunquā aspera, numq̃ dura, aut rugosa, ab hinc annum cæpit in mādibula dextra, & in eius lateris radice lingue molestiā sentire identidē reuertentem, q̃ subitis tētationibus ictus quidā inferrent, qui idētidē pariter breui cessarent, q̃ res ēt nunc pseuerat, alioq̃n caput benę habere videtur, oīno pollēt sensus, pollet memoria, ratiocinatio, ac prudētia, breuesq; somni, & pro cōsue-

suetudine suæ naturę permanent. ante quidem purgationem hoc postremo Vere somnus alienis horis, & interdiu tentabat,& decũbenti caput rubore suffundebatur, incalescebatque.Sed vtrumq; sub purgatione cessauit.A qua vero purgatione,& lõga abstinentia, atq; à quotidianis potionibus exsiccantib. sudoribusq; insignibus nulla vnquam sitis affuit eo ẽt diu loquente, nullus oris amarôr, nulla ariditas, tum corporis obęsitas vix diminuta esse animaduerti potest,& aluus totis 30. diebus semper respondit, ac mollior fuit.Ex quibus profectò corpus totũ pręter caput genere humidiori oppletum cognoscitur, nisi id excipiamus,quod ad renes attinet,nam renes sabulos flauos sæpe eijciunt vrinæ etiam colorationes crebro visuntur, sicuti crassiores præsertim sub sudoribus,& abstinentia,vt humidioris venosi generis sub ea esse cõsueuit, Caput,quod somnos breues habet,eos iam minus insomnijs affectos habet, quã ętate iuniori,quasi iam aliquanto magis ad humidũ genus vergat,cum insomnia sicco generi cerebri, & quietis spiritibus tribuantur. Ingenij tamen acumen idem quod antea semper, & prompta excogitatio, semperq; maior mentis,& rõnis agitatio, vt nunquã quiescere à cogitatione possit,quin continenter subtilissima quæq; in quocunq; genere persequatur, ne dum vt vnquã torpere videatur. Obruitur potius interdum animi solita eius hilaritas męrore, qui, quãuis in negotiorum grauiorum dubitationes, & euẽtus queat referri, qm̃ præsertim nostris difficillimis temporibus non semper pro voto res cedant,tamen non raro sine euidenti causa eum occupat animi tristitia ita in vaporem melãcholicum referenda vitales spiritus vi admodum aduersaria pręmentem. Ea interdũ certos circuitus seruabat,nam quotidie quõdam, cum cæpisset, inde semper hora certa reuertebatur,nimirum à prandio, totisq; tribus circiter horis manebat.demum vero,cũ discessit, non quotidie redijt,sed longiorib. interuallis,atq; omnino incertis,& raro quidem omnino iam sine causa euidenti, ꝙ nimirum homini sic debilitato, atq; impedito lõgè infensius incidũt res aduersæ,quàm ei, qui liberè vti suis mẽbris põt. Causæ vero internæ non sunt ei raræ, cui venæ mesaraicæ ab humorib.crassis facilè cõplentur, quemadmodum huic,cui vẽtriculus humidioris naturæ est,qđ ex notis supradictis põt intelligi,ex proprijs maximè recremẽtis semper molliorib.atq; ex eo,ꝙ raro sitiat, & largiori potione sitim superare soleat.qui si purgantib. medicamentis non admodum mouetur,id non nisi à copia humida habeat,vim medicamentorũ obliniente, q̃ è contra ab ariditate aliqua,aut venarum angustia. Ergo totius si nos corporis habitum humidiorem cõsideremus, hanc motionum debilitatẽ non solum in neruos,sed chordas,seu tẽdones,& musculos eo genere affectos referemus præsertim, qđ caput neruorũ initiũ eo vitio carere videamus, erant antea illæ faciles,& quotidianæ huius debilitatis mutationes in melius,& peius,q̃ aucto malo iam obscuratæ sunt.nam antea euidentissime fiebant, adeo, vt, cum ne surgere quidẽ è sella posset, mox & surgere,& ambulare cerneretur, nunc vix ab ipsomet animaduertitur leuamenti aliquid noctu fieri. Ex qua porrò ẽt facilitate mutationis nos tũ idẽ humidum genus in dictis organis intelligimus, tum aũt tenuitatem ipsorũ spirituum. nullũ.n.genus ad mutandum facilius est,q̃ humidũ. facillimè vero tenues spiritus afficiũtur, de quorũ tenuitate alias cõstitutũ est.Mutabatur vero huius debilitas in grauius,& leuius non solũ ad minimã quãque tempestatũ mutationẽ, & venti austri,& boreæ, vt hac polleret ambulando,altera ne sedendo quidẽ se posset sustinere, sed quotidie Sole à meridie magis remoto firmitatẽ mẽbra euidentissimam recipiebant ad incedendũ,& scalas ẽt ascendendas sine vllo auxilio, ad meridiẽ aũt appropinquante Sole cõtra fiebat. qua in re Solis situs supra,aut infra Horizontẽ nihil,sed interstitiũ à meridie poterat, vt æstare id fieret ante occasum Solis, quod hyeme quarta fere post Solis occasum hora, non solum autem nũc sunt obscuratæ mutationes illæ quotidianæ, sed horam ẽt distulerunt, nam nõ nisi post mediam noctẽ fiunt,& breui. Hæc ergo humidi generis vis est. De cuius causis alias dictum est,& ꝙ in natura corporis ab origine primum q̃dam propensio fuerit in humidam intemperiem, & quod eius incrementũ postea rebus incidentibus inductũ est,vitam in militia fuisse,& nocturno Cęlo sæpe vsã in Belgia regione maxime humida, postea in legati munere multis annis Pragæ locis vtrisque à patrio Cælo non solũ spatio, sed natura valde dissitis, & profectò fuit tandẽ vitæ genus minus laboriosum, & victus frequentibus cõuiuijs,& quotidianis epulis cõfertus,interueniẽte tãra quiete corporis,vt pauci essent dies, quibus immotus in sedili totis quinq; horis sæpe ẽt pluribus non esset,cũ eo, quod in Germania non minus aquæ potu vsus sit,ac si in Hispanijs fuisset.Notæ humidioris naturæ à prima ætate fuere euidentissimæ in leuiori corporis figura,pręsertim genũ,& articulorũ omniũ articulisque minime nodosis,tuberosisve,neq; rigida crurũ figura,sed remissiori.Itaque non est, quod aliquis hic putet locũ esse ei vulgato circulo, qui agitatur à maximis auctoribus, ab ipso Aristotele primũ prolatus,vt à ventriculo frigidiori, iecore præsertim calidiori pituitosi halitus in cerebrum ferantur. inde vero, postq̃ in naturã pituitæ reuersi sunt, relabãtur, aut etiã depellantur atque vt in neruos per cerebrũ cadunt,ita eos obstruãt, & quos alere deberent,suã crassitudine impediãt, quod eadem via fit oĩno tam inutili,quam alibili materiæ.Enimuero circulus certè est ad naturã admodũ accommodatus, & ab vniuersi exemplo confirmatus, sed ex suprapositis huic ægroto minimè mihi videtur aptari. Siquidem tam diuturnus pituitæ per cerebrum traiectus, cur tandẽ in cerebro sui similitudinẽ temperiei non defixisset? põt ne reijci à cerebro in neruos materia, quã ipsum in se prius non habuerit?non receperit? nõ amplexũ ante fuerit?Et hoc illa non affecisset,non affectũ reliquisset tãto annorũ spatio?vis excretrix sequitur suo ope attractricẽ,retentricem, & concoctricẽ,& sẽper retentrici laboranti inseruit, onusq; eius deponit,nõ deponit autẽ,quod non prius acceptũ, & graue perceptũ fuit,quo vero diuturno cõmeandi vsu nõ posset cerebrum nõ intẽperie simili affici, & eam demũ impressam retinere.Atque vt non impressa sit, dum commeat tamen per cerebrum pituita, cur prohibetur, ne cerebro frigus, ne humidum, ne torporem ingenij, ne somnum, neue alia sibi propria afferat? Vt etiam sentiamus cum Aristotele aĩæ vim omnem in corde primum positã tamq̃ in quodam aĩali alijs partibus vt organis vtente. id vtitur tamen alijs, vt idonea sunt, sic cerebrũ pituita perfusum sensus obtundit, quãuis pituitæ intemperiẽ altius in se nõ acceperit, bile vero suffusum nondum eius accepta intemperie subito insaniam facit,tangens enim quodque corpus oĩno afficit, vt aqua manum tangẽs eam madefacit.Cum ergo notis proprijs sui vitij cerebrũ vacuum sit,& habeat contrarias,atque oĩo integritatis in ingenio,in mentis,& animi agitatione, & prudentia, certè pituitam,& humidum eiusmodi genus non habet,neque ei circulo locum dat. In venis forsan, & arterijs exterioribus ad caput pertinentibus potuit aliquid eius generis tãdem adhærescere, quoniam cum totius corporis venis cõmunicant,illisque vicinæ sunt, vnde sunt flatus illi, qui ab hinc annum in dexteram maxillam, & radicem linguæ ab eo latere faciunt crebros impetus, sed hoc quod leue est, & ad aliud consequitur, post habito ego ad id,

quod

quod prius eſt, & maius pondus habet in ægritudine me referam, ad humidum nempè genus venarum, carnium, muſculorum, chordarum, ligamentorumque, & neruorum, ad quod omnino actio Medici dirigenda eſt. Hæ partes diu genere humido nutritæ hunc habitum contraxere, ſic ſpiritibus immiſſis ad motum, qui per tenſionem fit, languidè inſeruiunt, humidum namque contentionem non retinet, ſed quaſi diffluēs, mollis certè laxationem ſemper habet, & præſertim in partibus, quæ à principio ſuo magis ſunt remotæ.

Sic crura magis, quàm manus debilia ſunt. ſic magis refrigeſcũt, in dextris vero magis, quàm ſiniſtris, quoniam humidum cum alimento, & maius, & vi maiori proficiſcitur. Neque verò poteſt ſuſpicari, vt ferè fit, quod in aliqua tantum parte neruorum humor craſſus obſtruat meatus ſpirituum, quemadmodum cõmuniter in paralyſibus fit, quoniam, vt vniuerſa membra debilitata ſunt, ſic & in ſumma ſpinali medulla eſſet obſtructio, & ſubito etiam facta, & ad eam debilitas ſubitò ſequuta fuiſſet, non paulatim, & annorum ſpatio. Is namque meatus ille eſt tamquam medullæ eius corpus, vt, ſi in id materia craſſa incidiſſet, repentè, & obſtructio facta, & debilitas ſequuta fuiſſet, nõ ita paulatim, vt toto quinquennio vix motus incrementi animaduerteretur.

Non ergo ex obſtructione craſſæ materiæ intruſæ, & in meatu collectæ, ſed ex intemperie inducta malum incepit, eaque humida, quemadmodum notæ omnes atteſtantur, & nullus quidem hanc debilitatem eſſe ex ariditate neruorum poſſet ſuſpicari, ſi agnoſcat eum conſenſum omnium ſignorum, quæ humidum genus demonſtrant, animaduertatq; quòd ariditas neruorum primo tremorē, deinde vitioſam tenſionem cum debilitate coniunctā affert. Senum quidem certe tremorē ab ariditate eſſe vult Gal. in ariditate enim nerui laxi non ſunt, ſed tenſionem recipiunt. Spiritus ipſi non hebetantur, non prohibentur, ſed debiles ipſi organo grauiori vſi agunt, tenſionemque neruorum efficiunt, & ita ponderi reluctantur, vnde contrariam motionem ex reſiſtentia eliciunt. Humidus habitus neruos ad actionem, quæ tenſio eſt, inhabiles reddit, & minus cum pondere contendentes, ne partim queant vincere, partim tantum vincantur, ſed potius tardi, & laxi pondere cunctantur, & tenſionem numquam integram recipiunt. In humidum ergo harum partium genus dirigi conſilium debet, quod non ſine tenui materia eſt, qua partes tanquam alimento vſæ ſint, & in habitu proprio eam complectantur. Craſſa ſiquidem materia aut vnam partem occupans, vt dixi, ſubitò debilitatem intuliſſet, aut omnem neruorum longitudinem comprehendens eorum diſtētionem faceret. Huic ergo intemperiei à materia tenui ſuſtentatæ eſſet occurrendum. Spiritus ipſi non ita ab arte corrigi poſtulāt, qui ſua tenuitate ſenſui, & rationi melius inſeruiant, vt ſanguis tenuis facit, vnde tenues fiunt. Incraſſatio vero etiam ſanguinis tum Medico difficilis, tum ægro minimè tuta foret. Putare vero etiam debilitatem hāc à ſpiritibus eſſe, & illis quidem craſſioribus, qui tamquam caligo radium facultatis motricis non liberum deferant, eſſet omnino alienū ab his, quæ ſupra perſpecta ſunt, nam omnino illecebri vitio tales eſſet, & eo functiones cerebri neceſſariò prius læderentur. Recipientibus ergo organis eā vim à cerebro omnis curatio tribuenda eſt, & illis opera danda vt exſiccentur, firmitatem acquirant initio facto à materia, quę eum habitum fouet, & à viſceribus, & partibus, quæ illam materiam creant, Ventriculo, iecoreque, & venis; inde ad habitum muſculorum, chordarum, & neruorum accedendum habita interea, quantum fieri poteſt, Renum ratione, ne in calculum gignen-

A dum idonei per exſiccationem eorum caloris fiant. Venarum quoque meſaraicarum incommodum vitandum, quæ, dum aliquam habent obſtructionem, valentioribus, & durioribus medicinis magis replētur. Os etiam ventriculi præcipuè reſpiciendũ, quod ſolet à durioribus medicinis peſſimè tractari, ſi præſertim ſcammonium habeant, vt etiam à vaporibus bilioſis, vel melancholicis maxime torquetur, & cruciatur. Nullus non videt curationis huius difficultatem, ſi morbi longa facta, vt paulatim incrementa videat, eiuſq; firmitatem in habitu longo tempore acquiſitam, inſtar macularum vetuſtiorũ, & quæ lanam altius occuparunt. ferè enim 10. anni ſunt, cum initium fecit, & eo ſpatio tantum incrementum acquiſiuit, quod nulla curatione inſtituta impeditum
B eſt, quamquam nulla adhibita lōgè maius eſt factũ. Purgantibus ergo medicis ventres erunt exonerandi, venæ vero ſuperiores diureticis, habitus ſudoribus, poſtea exſiccantia liberius adhibenda, miſſione ſanguinis facta initio, quo medicamenta ſine periculo, & facilius ſuam operam præſtent, cum ſanguis inſtar alimenti viribus onus ſit, & meatus etiam replendo impediat, & tamquam materia etiam diuexata queat aliquem morbum parere. Ea ergo ratio alia, aut ſimilis fuit inſtituta. Principio Receptum eſt mannæ præp. ℥.3. mellis roſ. ſolut. ℥.1.s. elect. lenit. ℥.s. & diſſoluta illa iure prunorum, ſebeſten, liquiritiæ, paſſularum, cinnamomi, florumque cordialium. Deinde miſſus ſanguis, partito tamen, ne cor-
C pus ſic onuſtũ genere humido refrigeraretur, quod interpoſita die factum eſt, & in vtroque brachio vena ſecta. Subinde humores parati ſyrupi de betonica, roſis, oxymelle, iure betonicæ, agrimonij; lupullorum cicoreæ, cetrach, & paullo cinnamomi. Purgatio poſtea facta, ex folijs ſenæ p.ʒ.3. rad. polypod. paſſulis, p.℥.s. epyth. p.ʒ.1.s. agarico trociſch. p.ʒ.1. gingibere p.℈.1. cinnamomo p.ʒ.1. quorum iure diſſoluta ſunt. Confect. hamech, diacatholicon, an.ʒ.3. mellis roſ. ſolut. ℥.1.s. mannæ electæ ℥.3. Rhabarb. infuſi cum ʒ.1.s. aquæ ſtillatitiæ cinnam. ʒ.1.s. tandem repetitus eſt apparatus humorum cum ſyrupo de ſtechade, de corticibus citri, roſaceo an. ℥.s. & iure epithymi, lupullorum, cetrach, betonicæ, cap. Vener. niuæ, ſtæchados, ſaluiæque. Et inde purgatio cũ
D ſuperiori medicina aucta cum ℈.2. corticum ellebori nigri incoctis, & maſtiche, ac nuce moſchata. Sequenti die datum Mithridatum, & tertia. Sic iis ad vrinam, & ſudorem mouendum exhibitum, ſalſæ pariliæ ℥.3. Guaiaci ℥.4.s. Chinæ ℥.1. corticis Guaiaci ℥.2. Aquæ lil.7. facta de more maceratione, & decoctione ad tertias conſumptas, & in fine ſerioris additis m.3. florum roris marini. Cuius iuris colati, & expreſſi mane acciperet ℥.8. veſperi 6. ſub quo vſu victus eſſet tenuiſſimus, & extenuans, certè exſiccans, ad quem tamen, vt ad ſudores, ſenſim ductus eſt, ſpatio nimirum 8. dierum. Ac, cum à ſudoribus cruciaretur nimis, & animi deſponderet poſt 23. diem ſudorum frictiones eorum loco datæ ſunt ma-
E nibus madefactis aquæ vitæ infuſis multis exſiccantibus. Quo & humidum genus conſumeretur in habitu, & neruoſis partibus, tum vero alimentum melius, & robur induceretur. Interea aluo pilulis de Aloe lota cũ ſucco roſarum conſulendo, & neruos pariter reſpiciendo, pariterq; id factum cum Clyſteribus eiuſmodi virium incocta etiam colocynthide, admixtoque vino, quo ſpinalis medulla maxime expurgaretur. Pilulis ēt de nitro, & cochij idē procuratũ eſt. Nec minus exſiccatio tētata p Mithrid. cũ potione matutina dāda. Ac ne ſub ſudorib. vapores in caput elati aliqd humidi relinquerēt, ſternutatoriũ eſt ex aq. amaraci, & Rad. elleb. albi factũ vt & inūctio ad finē ſudorũ dorſo facta ex validiorib. oleis, vt oleo de nuce moſch. de ſuccino, de cariophyll. pe

troleo,

troleo balsamo Orientali rubro, & oleo de craneo, à cuiusmodi curatione ego non discederẽ, thermales quoque aquas adijcerem post supradicta.

De timore nephritici pro S. Duce Vrbin.

CONSVLTATIO DCXIII.

Ad Ambiorigem Samperolium Excellentissimum Physicum.

CVm ex ijs, quæ hactenus fecimus, Serenissimus Dominus melius habeat, ego in eodem ordine viuendi manendum putarem. Atque quod ad purgationem, & reliquam curationem hoc vere faciẽdam pertinet, nunc sic de re statuerem, vti se habebit eo tempore, certè, ni molestia augeatur, aut metus, ego aquas de Spa vitarẽ, manerem vero intra vsum primo aquarum Tettucij, deinde seri caprini in iusta copia capiendi ex antiquorum, & Dioscoridis præscripto, in primis autem calicibus incoquerem scolopẽdrium, agrimoniũ, betonicam, & pimpinellam. Post vero huius vsum 15. diebus, aut amplius habitũ ego lac asininum darem cum melle Hispanico mixtum, non relictis his interea, quæ stomachum tueantur.

De metu Diabetis, pro Illustri Com. S. Angeli Iul. Cæsare Mamiano.

CONSVLTATIO DCXIIII.

PRofectò mirum videtur renes tãtum vrinarum trahere, cum nullum sit caloris indicium, neque in vrinis, neque in alui fecibus, cum omnia decolora sint. At feces alui albæ non sunt, sed cinereæ, tamen neque is color calorem in iuuene ostendit. Quæ omnia humores frigidos multos toto corpore infixos ostendunt, qui abstinentia, exercitatione, & expurgatione demendi sunt. Sed vos Medici contra in calorem omnia refertis, & notas contrarias has sic exponitis, quod propter calorem ante multo potest attrahi chilus à iecore, & serum à renibus, quam à calore perfecta sint, & instar lyenteria id fieri, quod renum calor plus attrahat, & citius, quam possit concoquere, neque gignendæ bili spatium detur, minus id, quod bilis gignitur in tanta vrinæ copia posse cerni. Id omne vero cum vrinis exportari, nec multum aluo inficiendæ permitti. Renum itaque intemperiem potissimum calidam esse coniectura est vestra, deinde etiam iecoris. Ventriculi autem indicium apertum non est. Sic ego, si certior fierem cicoreis vterer, & syrupo de cicorea Nicoli cum Rhabarbaro, vel ea quæ ille syrupus continet in iure galli incoquerem, & ius multis diebus bibẽdum mane darem, neque Rhabarbarũ cum ijs coniunctum timerem, quando ad eruendos calidos, & infarctos humores aptissimum est, & ab illis alijs rebus noxa caloris prohibetur. Quod reliquũ est, meo nomine reuerenter Serenissimo Domino salutem plurimam dicito, & Comiti quoque, vt Peruzzio mihi antiqua obseruantiæ necessitudine firmiter coniunctissimo. De me id vnum sciat E. T. quod gratia ea me apud Cæsarem esse intellexi, quam numquam pro meritis meis sperassem, qui ad pretium mihi hactenus constitutum adiecit sponte sua, & nullius rogata ducentos aureos, vt in quemquem mensem mihi iam soluantur centeni aurei, & præter hos etiam dono dat quingentos alios certè nescio qua causa, quoniã nullam adhuc operam ei præstiti tam bene semper valuit. Ad hæc designauit Doctorem meum Augustinum Lucidum ipsi Aulæ in Physicum, & ei dictum voluit se id fecisse, quo mei diutius curam haberet, illa omnia Aulæ noua, & singularia visa sunt. Me nosti, & sic facile credes me tam præclare voluntati esse penitus obstrictum, quando me omnino inscio illa facta sunt, bene vale & me, vt soles, ama Pragæ 15. Calend. Martij anno 1594.

T. E.

Amantissimus

Christophorus Guarinonius.

Is Comes validissimis purgantibus, inedia maxima, & exercitationibus laboriosissimis multo tempore adhibitis melius habuit.

De Arenulis Vrinarum Excellentissimo Ambiorigi Samperolio Serenissimis Vrbini Ducis Physico.

CONSVLTATIO DCXV.

MIngere Arenulas crassiores absque eo, quod crassæ Vrinæ minctus præcedat, non indicat renes minus aptos gignendis calculis effectos, sed quidem meatibus laxioribus, & vi expultrice valentiori esse nunc, quàm antea essent. Eapropter eo nostrum consilium dirigi debet, vt etiam, postquam ea, quæ ad expellendum calculum necessaria in natura corporis sunt iam præstò futura in euentu videntur. Omnẽ nihilominus operam adhibeamus, ne calculi occasio detur, quæ datur maxime Renũ corpore indurando, eorumque calore aridiore faciẽdo. Itaque si suspicio sit aliquid reliquum factum in renibus esse expellendum aquas de Spa darem, sin minus eorũ operam arefacientem dimitterem, aut in re dubia paucis diebus permitterẽ. Vale. Quingenti aurei numi à Cæs. in monile eius ponderis pulcherrimũ redacti sunt, & monile mihi collo impositũ manu proceris summi in Aula, verbis omnino munus ornatius facientibus. Pragæ 6. Calend. Maij Anno 1594.

Tuus,

Christophorus Guarinonius.

De tuenda Valetudine Ducis Franciæ Orientalis Iulij &c.

CONSVLTATIO DCXVI.

Serenissime Princeps.

SVmma tuendæ valetudinis T. C. hæc mihi visa est, quod cum Excellentissimo Gottifredo etiam cõferebam, vt solitas quoq; anno faciat purgationes nunquã Rhabarbaro ab illis remoto tamquã suis visceribus admodũ necessario, & sub his potiones illas ad sudores mouendos, visceraque repurganda, & confirmanda capiat, tum interdum etiam potiones aqua-

aquarum medicatarum Chiffinenfium interponar, A Chiffinenfium inquam præcipuè, quoniã nõ parum falis, & nitri habent, quibus maxime vifcera T. C. indigeant, cum viæ, quæ per aluum bilem purgant, non adeo apertæ videantur, fi bilis copiam, quæ per vrinas fupra communem confuetudinem fertur, cõfideremus, neque enim renum culpa tanta id fieri poteft, quin à toto corpore ipfi materiam accipiant, quos non ita multum vitiatos calore oftendat vrinæ lenitas, quæ diutius poteft fine moleftia contineri, quamquam tam diu tantum bilis efferat. Facient vero etiam rei propofitæ, & renibus quoque recreandis conferuæ iam præfcriptæ ex rofis, & floribus cicorij cum pulueribus aromaticis, faciet etiam conferua abfynthij cum rofacea coniuncta. faciet ijs, & ventriculo fummopere conferua fucci, vel pulpę citoniorum à Galeno defcripta, quæ cum aceto fit, & aromatibus, atque adeo poteft loco Oxymellitis tam opportuni ventriculo pituitofo, & iecori non bene libero fatisfacere.

Vt non fpernatur tamen fuis temporibus etiam Oxymel dilutius factũ, & addita ftillatitia aqua cinnamomi, poteft enim fieri cocto melle cum multo maiori parte aquæ, quam confueuerit. Sed vfus Oxymellitis tantum tribus horis ante prandium effet, conferuę autem cytoniorum feparatæ non folum hac eadem hora, fed in ingreffu mẽfæ, atq; ẽt in eiufdem fine. Interea præcordia femper bene induta habeantur, at renibus proprie ille nos geratur, ne cingulum adftrictius fit, neue aliquid grauius ex eo pendeat, & omnino ne laborem lumbi fentiãt, alioquin à frigore muniti femper fint. Verum id, quod valetudini maxime faciet, cum mutandum Cælum eft, numquam hyeme è denfo in tenue tranfitus faciendus, numquam æftate è tenui in denfum. Vitandæ vero etiam omnes fubitæ mutationes, non folum Cæli, fed etiam indumentorum, in primis vero, quæ corpus calefactum fubito poffunt refrigerare, paulatim enim tranfitus eiufmodi faciendi funt. Extrema corporis ab humido, atque à frigido tuenda. Caput fummopere ab afpiratione frigida præfertim feneftrarum defendendum homine maxime quiefcẽte, & longè maxime dormiente, aut alicui ftudio legendo, fcribendoque vacante.

Sed ciborum ratio longe amplior eft, ita capitibus D tantum amplectenda. Prima menfa aliquid femper incidendæ, & deradendæ pituitæ idoneum habeat, vt falitorum, & acetariorum generis. Acetarium commodiffimum ex cicoreo effet, ex raphano, aut cepe, aut fimili, at exiguo quidem modo, poftea forbitionem ex Ordeo cum pipere, aut pulmentum fimile ex farre cum aceto, aut pane & bene percocto ex iure. Genera aliorum fic comprændã fugiat oẽ glutinofum, craffum durum, & crudius, ita vt intelligat glutinofi nomine etiam panes ex farina nimis pura, quem florem farinæ dicunt, durioris vero nomine etiam vetuftiorum, & grauiorum animantium carnes quas fugiat. Animantium quoque otioforum. deligat vero ex eis potius, qui alis fidunt, quàm quæ pedibus nituntur, nifi ętate tenera, vt vituli, & E ædi, aut etiam teneri lepores fuerint. Ex illis auiculæ potiffimum, deinde perdices, attagenæ, columbæ, & maxime earum pulli, qui huic ætati maxime conuenirent, & facillimè coquuntur, phafiani poftea, randem gallinaceum genus, à quo ad nullum grauius effet afcendendũ. nam de anfere nil nifi alæ funt recipiendæ, aquaticæ aues omnes vitandæ, vt omnium capita, glandulæ, renes, inteftina, & vifcera præter iecur gallinaceum, & teftes. Cafeus in craffis, & glutinofis eft, & eo magis tum in iufculis infperfus ferbuerit, vetus præterea particeps eft biliofi, & mali fucci. Oua nimis cocta in eodem craffo genere funt, & pifces item omnes maiores, glutinofi, ac duri, &

omnia conchilia præfertim carnis durioris, nec minus cætera exanguia. In condimentis faccharum erit opportunum, & acetum potius, quam omphacium, fuccufque aurantiorum malorum potius, quam limonum. Limonum tamen fuccus cum faccharo, & cinnamomo erit apprimè vifceribus vtilis. Intinctus fieri ex ijfdem poffunt, & amigdalis, & petrofelino cum aromate aliquo gratiori guftui, poffunt fieri è raphani radice, aut fimili. Vfus tamen radicum eas, quæ ex petrofelino, aut fimili fumuntur, folent humores craffos, & crudos gignere, vt rapum maxime cum his ponam etiam tubera, & fungos tanquam peffimos. Raporum tamen ius vfurpari poterit, tamquam quod maxime vrinam liquet, & purget per ipfam, in fructibus præter amigdala funt phiftici, qui B parum admodum nutriunt, iecori tamen admodum vtiles funt repurgando. Maximè nutriunt caftaneæ, fed iftius corporis conueniens alimentum non habent, quod grauius fit, & cruditatem maximam, & flatus parerent. Amigdala etiam mouendæ vrinæ facient, & femina melonum, ac cucurbitarum, quę faccharo condiri poterunt. Vuæ, & ficus potiores fructus habentur, vuas tamen non nifi paffas probarem, vt ficus pariter aridos. Hi vero propriè incifi, & aceto madefacti, ac primo ingreffu menfæ accepti ftomacho, iecori, & renibus apprimè vtiles funt. Pruna frigidiora funt, neque nifi cum aromatibus, & faccharo percocta fumenda, vt etiam cerafa, quorum acida tantum admittenda effent. Perfica nimis frigida funt. Armeniaca inutilia quoque, quamquã C illis, minus corruptibilia, de alijs multis fupra eft narratum. Nefcio, quo modo in fructibus cinaram recenfere cogor, vt etiam carduum.

Hæc purum corpus poffunt vrinas mouendo purius reddere, alioquin impuro materiam nimiam in renes mouerent, copiofius vero fumpta bilem generant. Oleribus borraginem, bugloffum, & lupullos adfcribam, vt vtilitatis alicuius herbas. Lactucam, quamquam alibilis generis ex herbis fola eft, non laudarem in corpore humidioris generis. Poftremæ menfæ folent pyra, & mala apponi, quæ certè parcè admodum, & cocta fumenda funt, quoniam crudos omnino humores gignũt, nifi fuccus malorum cum faccharo diutius in modum cytoniati percoquatur, qua longa coctione etiam cytoniatum leuius fit ventriculo cytonio alioquin grauiffimo. De potione nõ eft neceffe fcribere, cum iam coram vinum tenue, & maturum necarici generis laudatum fit. Ordo ciborum à liquidioribus confilio omnium Medicorum eft habendus, neque cibus vnquam fumendus, nifi priori bene confecto, quod difficillime feruari poteft. Somnum tribus horis à cibo, & totis noctibus habendum crederem, æftate vero etiam mane, nifi noctu concoctum fit, vt, cum longiores noctes funt, nũquam ante perfectã coctionẽ furgendũ. Mane ante cibum aliquis corporis motus habendus eft, & fub dio, fi poterit, fin minus fub tecto deambulãdo, equitatio certè potior ambulatione erit, quoniã non defunt ei gradarij & leuioris inceffus equi, à cibo quiete agendũ, aut certè leniffimè, non folũ motionibus corporis, fed etiã animi. plura me perfequi neceffariũ non videtur, ob eius Medici opera vtatur, qui cũ probitate doctrinam, & vfum eius coniunxit. Iefus Opt. Max. votis noftris faueat ad eam T. C. valetudinem, quę Chriftianę Reipub. tam vtilis cognofcitur.

Ex vfu aquæ acidæ peffimè habuit nempe naturalis.

Ex vfu etiã aquæ acidę, falforum balneorũ importune adhibito in tormina feu dolores ventris fubitò incidit, per quem tamen recto ordine receptum bene valuit. Huic proderant catapotia, quæ pulueribus hieræ fimplicis cõftabunt comprehenfis iure, in quo Rhabarbarum maceratum, & valde expreffum.

Pro Serenissimo Vrbini Duce F.M.

Ad eius Physicum nobilissimum Ambiorig. Samperol.

CONSVLTATIO DCXVII.

PRofectò ego nil certius inueni ad dolores calculi finiendos, calculumque exportandum, quàm ipsa resina terebynthi, facta quidem prius emollitione viarum cum potione ex oleo amigdalarum, dulcium, & Manna, quam resinam ego libenter firmioribus bolis, faciendos compono cum pulueribus aliquibus, maxime illis, qui ad extrudendum calculum validi sunt, sæpe vero solum cum puluere Hieræ simplicis. Purgatio autem illa, quæ est quoque anno facienda, mihi placeret per Medicamenta ad crassos, & exustos humores idonea, quæ si vomitum moueant, commodiorem, & vtiliorem purgationem meo iudicio reddunt, modo tantisper contineantur, vt purgari corpus possit, sic enim non solum humores purgant, sed via breuissima, neque aut per aluum vagantur cum noxa, aut per venas diducta, iecori, & Renibus nocent, quod faciunt præsertim corpore suo exhibito, sic enim vires suas longius ferunt. Possunt quidem etiam solido habitu exhiberi sine suo corpore, vt accepta per macerationem vi illorum in aqua aliqua, aut iure medicato, & additis pulueribus aromatum, si multo saccharo in rotulas redigantur.

Atque si corpus medicamentorum non sit adeo metuendum addi possent pulueres turbith, & Rhabarbari. Idem vero quoque ius, in quo essent purgãtia cum suis correctiuis macerata, atque expressa, posset excipi prunis, aut passis vuis, aut ficubus, siccis, Quorum delectus, & apparatus est T. Excellentiæ omnino permittendus, quæ opportunitatem eorum omnium potest cognoscere. Vtrum vero cauterio obserato alterum sufficiendum sit, an vero suæ Celsitudini obsequendum, ne amplius cauterij molestiam adijciamus. Dico multum interesse ad hanc deliberationem, an illud diu admodum nihil eduxerit humoris, & quoniam spatio tantum trium mẽsium dicitur nihil eduxisse, an eius humor aquosus, an crassior fuerit, vt pus, & pituita esse consueuit. Etenim si aquosus humor, & exiguus fuisset, non admodum grauatè ei obsequere, sin minus alterum cauterium in locum obserati sufficiendum crederem. Vale.

De febre longa cum catarrho:

CONSVLTATIO. DCXVIII.

DE Equite Gratioso multa mihi essent dicenda, sed in summa scribam. Capiti non multã partem culpæ ego attribuo, atque existimo momẽtum omnem in corde esse, atque in pulmone, in quem cor, quidquid mali humoris à vena caua accipit, remittat, quæ vena materiæ eius plena est, quam excipit à locis, in quibus sanguis primum suum rudimẽtum sibi conciliat, quod in eiusmodi corporis visceribus, & hypochondrijs valde bonum esse nõ potest, neque in corde acquirere potest, multò meliorem perfectionem, adeo quod partes saniosæ seu Ichorosæ fiant salsæ & febris diuturna exsiccãdo eas postea reddit crassiores. Per quam porro exsiccationem pulmo quoque ineptus factus est tali humori excernendo, æquè ac humor difficilis magis resudationi.

Ita vt ego vellem hoc corpus humidum reddere, & moderatè refrigerare, quo etiam meliorem sanguinem gigneret. Vellem interea cuiusque necessitatis causa obstructionibus viscera expedire, neque retardarer vlla capitis ratione. Exordirer autem à cassiæ siliquæ medulla, progrederer per vsum seri caprini cum succo fumiterræ & ea ratione auxiliorum quam stomachus exposceret. Vellem diacatholicon mihi loco purgationis inseruiret, & lenitiuum ac cassiæ siliquæ medullam.

Ad apparatum humorum, & temperationem radices altheæ, farfaræ seu tussilaginis, passulas ab acinis purgatas, boraginem, buglossum, lupulos, flores nympheæ, violarum, lactucam illam minutam syluestrem, endiuia etiam Romanam dictam, ac cicoreum, Oxymel satis dilutum pauco aceto, & multa aqua factum. Iura pullorum gallinaceorum, pullorum columbaceorum, & carnium veruecum iuniorum, Raporum bene tabefactorum, atque etiã brassicæ, & lactucæ. Ptissanam quoque colatam Galeni modo, & ius cochlearum bene tabefactarum coctione. Adhæc, quoties obstructiones essent submotæ, lac caprinum cum bono melle, pultes ex Arnido ipsæ quoque ad rem facere mihi viderentur, quod illud præbeat facile, & leue alimentum. Nonnullas aquas Thermales deligerem detersorias ad vsum obstructionum, & viscerum temperamentum, ac pulmonis, & mihi in hoc primas partes tenerent, vt Sancti Marini Chalderianæ, Lucenses.

Atque cum hac curatione crederem posse in statũ reuocari tutum, & satis bonum. Vale. Is post annum vnum, aut alterum eadem morbo sublatus est.

S.M. Regis Maximiliani.

CONSVLTATIO DCXIX.

VSus rerum calidiorum, si breuis sit potest vtiliter crassos humores extenuare, viasque, & meatus aperire, ne dum frigidam intemperiem delere. Sin longius trahatur, is vsus non solum calorem nimium imprimit, sed ariditatem quoque, & in humores, & in venas, ac viscera. Quam vero ariditatem tandem longius progressam necessario in viuente corpore frigida intemperies sequatur. Vbi quidem ob ariditatem crassi humores ob frigidam intemperiem, tum crudi, tum crassi fiant, vt per calorem ad calefaciendum, & extenuandum, ad aperiendum natum nos frigus, crassitudinem, & angustiã, ac obstructiones incurramus, & in arenarum, ac calculorum generationem deducamur.

In corpore T. S. M. compertum habemus, quod calidiores, & aridiores venæ vna cum visceribus factæ sunt, id omnibus recrementis renunciantibus, quę coloratiora, & humore priuata visũtur, & squallorem referunt. Decoloratio quoque, & frigus extremarum manuum angustos meatus esse redditos, angusti meatus crassos subesse obstruẽtes humores indicant. Ea porrò valetudinis ratio efflagitat, vt calidiorum rerum vsum omnino vitet, ac cum fuerit ratione aliqua, & ventriculi præcipuè recipiendus, ac pituitæ causa in ea genitæ, tunc piper tantum, & cinnamomum habeat, quemadmodum, omnino debet, quoties succi frigidiores in escis adhibentur, sicuti sunt limonum, & aurantium austerorum. Sint vero ea aromata crassiori etiam modo contrita. Pituita quidem certe tutius è ventriculo deturbabitur,

tur, quàm calidioribus tractabitur, ita potius Oxymellite, aut alio eiusdem operæ. A

At humores alij quoque vtcunque gignuntur essent per aluum, & vrinas promouendi, tum intemperies eorum causa temperanda. Aridior quidem humido potius alibili, calidior autem frigidioribus, cum quibus coniuncta semper dicta aromata sint ventriculi causa, qui omnino semper est respiciendus, cuius calor tamquam frigidæ partis semper fouendus est. Interea verò cibi vitandi, qui crudiores humores, & crassiotes possunt generare, vt qui ex tritticea farina sine fermento induratis ouis, & caseo sunt. Caseus enim penitus vitandus, quamuis eius salsugo iure excepta non sit metuenda. A carne suilla, Aprunaque abstinendum, longè verò magis à ceruina, omnisque similis generis grauiorum animantium syluestrium, tum etiam bouum. Illorum quoque grauiorum, quæ alis nituntur. B

In potionibus ceruisia ex tritico facta minus adhibenda erit, quàm quæ ex Ordeo. Hæc vero etiam vtiliter in vsu haberi poterit, si calix saltem in mensa capiatur. Motus, qui vtilis membris nutriendis est, Ille ventriculo onerato vitari debet, sic etiã animi labores. Verum inter illa, quæ temperare, & educere commodè humores posse mihi videretur, cùm leniter agendum est, & posse longo vsu firmiorem valetudinem reddere. Præter dictam ceruisiam ex Ordeo, & lupulis factã, esset id, quod acciperet succi malorum punicorum partes quinque. Aceti partem vnam, succi vel infusionis Violarum partes tres, succi florum buglossæ, & borraginis partes item tres. C Cinnamomi partem mediam, macerato cinnamomo in dictis succis, & deinde illis saccharo conditis ad conseruationum.

De quo liquore sumatur mane altero quoque die tribus horis ante prandium ad ℥. 1. Diebus vero inter vsum huius liquoris interiectis, quibus huius vsus intermittitur, sumatur alterum hoc, quod accipiat sacchari rosacei partes septem, violacei partes tres, buglossati partes item tres, pulueris cinnamomi partem mediam, Rhabarbari partem vnam, de quo sumatur pondus dimidiæ vnciæ altero quoque die, quo, vt dixi, illud prius intermittetur. Sin moles hęc fastidio sit, loco huius suppositum accipiat, quod fiat ex puluerum Diatrionsantalon partibus duabus, ex puluerum Aromatici rosacei parte vna, & D Rhabarbari parte vna cum tanta aqua cicorei, & saccharo, quantum satis sit ad solidas tabellas conficiendas, cui etiam adijciatur aliqui olei anisorum. De quibus sumatur pondus trium dragmarum, eodem modo. Quæ descripta erunt separatim, quo pharmacopæo dari præscriptio eorum possit.

T. Reg. Maiest.

Addictissimus.

Christophorus Guarinonius.

T.C.

℞. Aceti vini albi ℥.1.
Succi malorum granatorum ℥.5.
Flo. Violarum ℥.3.
Flo. Buglossæ, Flo. Borraginis } an. ℥.1.s.
Cinnamomi ʒ.4. E

Infundatur cinnamomum in succis per 12. horas, deinde addito saccharo fiat syrupus liquidior.

Sacchari rosacei ℥.7.
Borraginati, Buglossati } an. ℥.1.s.
Violacei ℥.3.
℞
Rhabarbari electi ℥.1.
Cinnamomi ℥.s.

℞. Specierum diatrionsantalon ʒ.3.
Aromatici rosacei, Pulu. Rhabarbari } an. ʒ.1.s.
Olei anisorum ʒ.s.
Aquæ cicoreæ, Sacchari } q.s.
Fiat confectio solida in rotulis.

De cauenda calculi generatione, de quo alias fusius.

CONSVLTATIO DCXX.

Pro Serenissimo Vrbini Duce. F. M.

SIc relatum erat. Triginta tribus mensibus commodè habuit post diuturnas illas renalis morbi tentationes, vna leui lassitudine lumborum proprie in dextro latere manente. His diebus modo subitus dolor à somno ei arripuit sinistrum latus, atque is intolerabilis, quo delinito non sine remedijs per clystere, per vomitorium, & per exterius adhibita, postquam duas horas circiter Serenissimus Princeps laborasset, interiecto etiam spatio quadrantis horæ, quo deambulasset, eiecit tenuissimam arenam, quæ cum longitudine à uenæ granum æquaret, crassitudine tamen vix crassiorem linum, seu filum referret. Die vero etiam sequenti iterum dolor incessit, quamquam minor, à quo duas arenas instar granorum milij minxit. Quæ arenæ rubri coloris fuere. Sic consilium petitur quod sit agendum in posterũ.

Fortasse ego absurdè loqui videar, si dixero casum istum à T. E. mihi posttemis literis scriptum omnino indicare Renes minus, quàm antea, hoc est, quã ab hinc tres annos, malè habere. Sic enim potest iudicari, & (ita me IESVS amet) is meus animus est, quod molestię quidem plus fuit, indicauit tamen minus subesse periculi, aut damni, & renes meliori calore valere, quo cum statu vero viui diutissimè potest, cum illo superiori non posset, qui vnà cum imbecillitate malum habitum alterius certè Renis haberet, & eius pessimam nutritionem, neque tam facile remedia inueniret, aut tam breui excuti posset, quam facilè, & breui is cruciatus potest. Vbi iam diu dexter ren, qui in culpa erat, nil mali præstitit, & quo sinister præstitit, id aliqua etiam externa causa fecit, & potius, quam sua. Is certè nullam imbecillitatem ostendit, nullam malam nutritionem, aut vitiatum habitum, cum eo, quod illa arenulæ tenuitas id habet coniecturæ, vt non in renis sinu, sed extra renem in aliquo meatu è rene eiecta materia concreuerit.

Qua vero externa causa id fuerit necesse accidere, non desunt multa, in quæ illa referatur, fuerit noua aliqua animi perturbatio cum indignatione, aut excandescẽtia. fuerit nimia ambulatio, aut laboriosior, cum locutione incitatiori, cum arctiori cinctu, cum ensis pondere, quo propriè lumbi premantur, cui rei etiam vis aucta esset, si aut cæna tenuior præcessisset, aut insequens prandium longius dilatum fuisset. Facile quidem causam præbuerit, si nouæ alicuius aquæ vsus intercesserit, aut largior vsus omnino aquæ fuerit.

Ac facilius longè id effecerit saxosum iter in curru habitum, quo nil citius calculos pariat, aut moueat,

ueat, vel magis materiã in Renes contrahat, vt alias recordor me dixisse. Currus concussio semper durior est ea, quæ in equo est, durissima cum solo saxoso ducitur.

Quod autem de memoria, & somno adiungitur, id prorsus melancholicum est; quam rem sensus ille hæmorrhoidum confirmat, atque si hæ laxarentur, cum somnum, & memoriam, tum renes maiorem in modum iuuarent. Ad quæsita iam venio, & breui me expediam, cum alias multoties de his explicatum sit.

Vt victus tenuis nunquam mihi in renum huiusmodi malis placuit; sic extenuans, & vel mediocris, vel aliquanto plenior tutissimus videtur, aliquanto pleniorem dico, quousque ventriculus leuiter fert, quo bene concoquente, numquam in ijs casibus à pleno victu metuerem, vti ab exiguo cibo, quem ventriculus aut torreret, aut nimis exsugeret, alias causam T. E. referebam in eum sensum, quod in vẽtriculo primum fiat elixatio, sub qua ciborum humidum ipsorum proprium cum proprio calore calor ventriculi tamquam illis externus exhauriat, & in liquorem potionum euocet qui liquor sic mixtũ tandem suo proprio calore percoquatur. Si ergo ventriculi calor è cibis elixandis nimium exhauriat, profecto post humidum, etiam crassius, & terrestre magis extrahitur, quod insequuta succorum coctione non semper potest segregari, neque à liene totum trahi, retentum itaque in venis calidioribus, & sicco calore præditis assationem non potest non accipere suo terrestri genere, indeque partim ad partes melancholici sanguinis speciem accederet; partim secretum vnà cum sero ad renes reuocari, vbi calculorum, & arenæ, aut sabuli formam recipit. Cruditas porrò non minus vitanda est, qua humidum alibile, & glutinosum crassius, & glutinosius manens, neque à terrena parte per coctionem purgatum multorum incommodorum renibus præsertim est causa.

Ita intra quandam moderationem ciborum manendum, & ea moderatio ab excretis per aluum, & per vrinas metienda, & maxime ab alui suppressione, quæ certissima nota est nimium omnino fugi de succo ciborum, & inutile, vt propterea humidioris quoque generis cibi deligendi sint, & exiguitas potionum fugienda, à qua semper acrius, & asperius lotium esse consueuit, nec minus videndum, quod, cum à cæna ad prandium plus spatij sit, & ea suctio longior, ideo, si consuetudo paulatim in contrariam reducatur, vt cænet plenius, certissima ratione opportunius erit, & consuetudo cõciliando somno magis idonea, neque vero destillationi contraria, si duæ horæ totæ inter cænam, & somnum interponantur, quo spatio colloquijs hilaribus, & placidiori ambulatione teneatur. Acetaria, vt ordinem quæstionum sequar, aceti nomine renibus huiusmodi noxia habenda, humoribus tamen incidendis sæpe necessaria. Herbæ, quæ in ea recipiuntur, minime metuendæ, atque hæ, vt crudæ plus possunt, tamquam medicamenta, sic coctæ plus lædunt, si modo alimentorum largiori accipiantur, quoniam fere mali succi sunt, ita videndum, vt parce sumantur, sic enim & suo medico muneri satisfacient, neque crudę sumptæ coctioni officient, ex quibus etiam crudis minus succi per suam elixationem ventriculus exprimit. In meliorum numero lactuca est, præsertim cum refrigerare, & humectare volumus.

Si & sanguinem eiusmodi quærimus, coctam sine suspicione adhibemus, quoniam vna ex herbis omnibus malo succo vacat. Campestris illa, quam isthic latuchellam vocatis, vi medicamenti cum priori videtur par, vi alimenti non crederem cum ea esse cõferendam, borrago, buglossumque cum suis floribus venas, & sanguinem mundare possunt, & cruda po-

A tius id facient. Sic cicoreum, endiuia, & acetosa, diuersis quidem viribus, at vtilibus omnibus. Pimpinella mirabilis videtur, cum meatus expurget, & eorum parietes, continentia tamen meatus colligat, & confirmet. Sic Renes validos ad expellendas arenas, & lapillos redigat, & genus lapidosum incidat, ac dissoluat, ac quando duum generum est, vna minor, altera maior, quæ odorem hirci habet, hæc in necessitate eijciendi humoris crassi, & sabuli renibus potior est, quas vires cocta maiori ex parte amittit, & aquæ, cui incoquitur, permittit. Sed hæc subtilius persequi nimium laborem legenti afferret. Coronopus, tragopogon, hieracia, chondrillæ, sonchi tam leuis, quam asper, tenera fæniculi foliola, tenera bellis maior, & similes admitti possunt. Calidio-

B res autem vitari debent. Fructuum breuior ratio est. In primis tutæ renibus vuæ sunt, maxime si delectus eatum, & seruatio iusta habeatur. Ficus quoque recentes, siccæ etiam dum aceto illis acrior calor frangatur, vt docebat Dioscorides, melones nostri temporis sunt renibus tutissimi, & admodum proficiunt. Guidubaldus pater, dum ijs vescebatur, copiã solitam arenularum non procreabat, imo nil earum penitus. Cucurbita in cibis numerata, ea vt medicamentum etiam cocta prodesse suis temporibus poterit. Mala grauiora sunt, vtiliter tamen sumi possunt, etiam interdum cruda, si benè matura, & boni generis fuerint, qualia apia, aut apijs similiora. Pira cautius vescenda, neque nisi tenerioris generis, &

C humidioris, & quoniã, quamquam minus boni succi sunt, quam mala, minus tamen grauia sunt, si boni generis sint, ideo tutius etiam cruda sumuntur. Iuiubæ, non inutiles habendæ. Mespilum vtriusque generis exiguo modo sumptum, non erit incommodum, quod proprie renibus purgandis saltem suo semine idoneum habetur.

Vbi cum alij fructus in prima, alij in extrema mẽsa capiantur, vtrique mensæ parti suum genus dari potest, singulo tamen fructu satisfieri singulæ parti debet. Potionis modus omnino pro modo cibi metiendus est. Sed iste modus propositus 15. vnciarum tenuiori cibo tantum conueniret, aliquanto pleniori vnciarum circiter 21. homini etiam Italo, & tem-

D perato, nec minor certe debetur ei, qui cibum liquidiorem vult reddere. Duo vinorum genera in eadem mensa, modo ne minus apta alioquin renibus sint, nostro negotio non incommodant. profectò tenuia esse debent, & perlucida, ac lenitatis multum habere, non dixerim dulcedinis, certè quidem non acerba, nõ aspera, nisi id mordacitatis potius, quam aspritudinis intelligas, alba potius quam nigra, aut certe rubra clarissima, non potentia, neque penitus aquosa, aquæ vero omnino vsum in calculi metu fugerem præsertim largiorem.

Et profecto vidi magnum virum, qui proprio experimento edoctus, cum volebat sibi aliquãdiu cruciatus incidentis sæpe podagræ mitiores esse, tamdiu intra aquæ vsum se continebat, certus interea in calculi labores magis se casurum, contra cum calculum vitare mallebat, aquam vitando id faciebat, sic-

E que calculo minus, podagra magis vexabatur. Equidem si vini vim metuerem, aqua illa diluerem, quæ leuissima ad pondus esset, & ad stateræ examinationem eius delectum haberem. Sentiant, quid velint, doctius Hippocratem explicantes, & grauiorem accipere coactus illam non per filtrum vellem ascendisse, sed per elambicum, quoniam quod in sua natura terreum habent claræ aquæ, id, antequam in aquam concrescant, fortiuntur, & cum sua natura conflatum continent, nec nisi per ignem illud separatur. Qua porrò suspicione aquę ego cum illis etiam vinis agerem, quæ isthic Pizznola vocantur. Purgantia medicamenta, quod alias scripsi, omnino noxia

xia Credo, ita non nisi ad necessitatem reseruanda, cum certus est à tot ocorpore metus, & ad consuetudinem corporis retinendam purgandi suo solito tempore, medijs spatijs nescio, an quidquam malim prætet terebynthi Cyprij resinam cum aliqua parte myrthæ, aut bdelij melioris. Cui myrthæ Trallianus multum, & nimium attribuit. Acritudinem omnium vitarem, florem cassiæ interdum, præberem, non sæpius, ne nimis, quam opus esset renes laxarentur, tempus horum ex statu corporis metirer, præsertim vero, dum clarior vrina mihi non tam puritatis corporis, quam detentæ impuritatis nota esset, vel pondus lumborum, vel aliquid aliud simile, in caloribus flos ille cassiæ, in alijs temporibus resina vices suas commodius haberet. Clysteres mihi nunquam, nisi lenes probarentur, absit necessitas lapidis valentius detrahendi, quo tempore à lenioribus semper opus illud inchoãdum esse cõstitutum habetur. Matutina illa medicamenta ne redigunt ancipitem, cum multa eorum non semper ventriculo idonea esse possint, etiamsi renibus apta sint, alia, dum ventriculum iuuant renibus nocitura videantur, vel importune materiam ad renes mouendo, vel aliud faciendo, saltem calorem aut squallorem inducendo, itaque ego referam de vsu Oxymelitis simplicis parum decocti, & liquidioris, facti, nempe ad Galeni, & Dioscoridis præscriptum, sed ex aqua non communi, verum vel absynthij, vel betonicæ, vel asplenij, vel pimpinellæ, vel graminis. Amigdalis illis amaris, aut persici non facile nisi sub dolore vterer. Scio quidẽ Gal. in humidiorib. corporib. calculo obnoxijs vti absynth. cũ amigdalis his, & aniso, sed nõ fido ijs mouentibus semper, prǽsertim solis, vt nunq̃ non Oxymeliti fiderem, quod, quando valentiorum tutus vsus à corporis totius conditione esset in hunc modum componerem, cuius ferè simili Illustrissimus quidam vir iam 8. annos à tentatione calculi alias crebetrima penitus defenditur.

℞. fol. linguæ ceruinæ, asplenij, boraginis, cap. Vener. cuscutæ, fragariæ, parietariæ, lapatij, acetosæ an. m. 1. radicum bistortæ, graminis, boraginis an. ℥. 1. s. florum violarum, boraginis, an. m. 2. fiat decoctio in aqua fumiterræ. s. a. quæ coletur cum vehementi expressione.

℞. præparatæ colaturæ lib. 1. s. Infusionis violarum, rosarum an. ℥. 3. s. mellis opt. lib. 1. aceti squillitici ℥. 5. m. & fiat Oxymel. Quod potest aromatizari ad gustum sumentis cum ambra, cum aqua stillatitia cinnamomi, & similibus.

In quo ego valentiora diuretica non accepi, quo possit longo tempore in vsu haberi, qualia alioquin mihi essent, cortices radicis ononidis, eringij, raphani syluestris s. porri, & erysimi, corpore autem minus ab humoribus tuto oximel simplex ad modũ Galeni pararem, & ex aqua ad tertias decocta, vt antiqui præcipiunt. Quæ ante somnum solet sumere, tutiora sunt, nempe saccharum rosaceum, & mastiches, & vtiliter in vsu haberi possunt, quibus syrupus de succo limonũ commodè adijceretur. In procedendo ad ambulationes matutinas ego nullas tẽpestates, nisi nimis ventosas cauerem, his saltem cautius vterer, sub quibus ambulationibus necesse est, vt lumbis laxioribus, & sine pondere præcipuè ensis sese exerceat. Solitæ purgationes non sunt dimittendæ. Minerales aquæ iam non nisi maiore necessitate repetendæ, vbi, si renes completi sentiantur, illæ, quæ de Spa præmittendæ, si incaluisse, Chalderianæ sumendæ omnino sunt, vel eis similes. Chalderianæ quidem parum exsiccant, & facillimè feruntur, neque labores afferunt etiam ni pertranseant, ferè autem pertranseunt, nec facile retinentur, quoties eis emulsio seminum melonum admiscetur, cuius vel ℥. binæ quoque die satisfaciunt. Autumnus ratione generis huius corporis purgationem postulat. Vinum medicatum esset idoneum meo quidem animo, si ex asplenio, si ex betonica, potius si ex boragine, buglossoue cum suis radicibus, aut fumoterra esset, lauationes in aqua potabili probarem maxime cum æstate, tum etiam autumno. Aperta indumenta contra lumbos nescio an prorsus velim. Summus quidam nostræ memoriæ Pontifex à laboribus calculi se tuebatur lumbos pelle semper indutos habendo. Certè frigus externum magis quam calor proprius læsurum videatur.

At iacere diu in cubili apertè lædit. Laxos quidem thoraces, & cinctus omnes esse oportet, ne laborem lumbis faciant, qui à pondere etiam cingulorũ sunt defendendi. In cibis vsum sacchari, aut etiam mellis iam ætate florem suum prętereunte laudarem. Somno conciliando Medicamentis non libenter vterer, vnam lactucam, & boraginem concederem, violarum odorem in vsu haberem, in vespertina mensa elixis potius, quam assis vterer, & cubitum ituro violaceum saccharum darem, aut rosacei loco, aut cum eo mixtum. Hactenus quæsitis respondi, quod potui, si quid desit, potes ea, quæ alias sæpe scripsi, & fusius, reuisere. De meo discessu scias, quod ad Cæsarem tandem post multas contentiones relatum est à duobus, ad quos summa consiliorum, & administrationis defertur, & ita relatum est, vt publicis de rebus, & grauissimis consueuit. Sic apud suam Sacram Cæsaream Maiestatem consilium habitũ, quid effectum, non resciui, alter eorum mecum ne hiscit quidem, ex altero spem longius duci subodoratus sum. Vale, & meo nomine suæ Celsitudini plurimam salutem dicas. Pragæ 10. Calend. Februarij Anno 1596.

T. E.

Studiosissimus

Christophorus Guarinonius.

Christophorus Guarinonius Fontanus Marsilio Cagnato Doct. Excellentissimo.

CONSVLTATIO DCXXI.

Lectis literis T. E. ad 4. idus Febr. datis, non potui, quin de morbo Reuerendissimi Cauenagij eundem tecum dolorem, & sollicitudinem caperem, pręcipuè Illustrissimi & Reuerẽdissimi Speciani causa. itaque coactus sum ad te has literas protinus dare, quibus ego, quæ in animum veniebant tecum communicarem. posse quidem timeri, ne ad longam febrem, cui robur genarum, & leuis spiritus angustia accesserit, interdum etiam tussis, qua semel etiã sputum eiectum est sanguineum, phthisis consequatur, quoniam longa febris longum ascensum in caput vaporum habuerit, vnde destillationes fiant, quoniam pulmonum quoque membranæ bronchia prǽsertim induentes febrium longo anhelitu aridiori squallescunt, quoniam destillatio acris sit, quæ nimium detergens erodere illas membranas potest, quodque facilius factu est in eo corpore, quod tenue est, colloque longo, & depresso pectore. Num vero id hactenus euenerit, sic existimabam, si squallorem illum, aut vlcus membranę bronchiorum iam accepissent, certè tussim crebriorem mouerent, si locus putrescentis materiæ in pulmone esset, is suo acriori genere, dum febre funditur eandem agitationem

tionem tussis faceret, & maiorem multo spiritus angustiam, quorum vtrumque sub febris compressione incitationem haberet, & in remissionibus sputa mouerentur, quæ porrò compressio cum frigore euidenti esse non solet, cum materia in pulmonibus versatur, nisi inde ob eius copiam aliæ partes afficiantur. Minus facilè tertianarum speciem seruare, minime vero si ab vlcere sit, ex quibus rebus fiat in eo metu id spei reliquũ, febrem hãc difficillimã esse à crassissima materia in locis ad obstruendum facilioribus, & ea materia abundatioribus, vti sunt ij, in quibus & omnis materia rudior ad alimentum administratur, & venarum angustia maior est, & arteriarum copia minor, quemadmodum in iecore, non autem in pulmone contingit, à quo iecore sic affecto illa etiam leuis spiritus angustia esse potest, vt à longa febre defluxio, destillatioque, & genarum rubor, vt sanguinis sputum, quod nec salsa destillatio, neque diuturna tussis præcesserit. Quæ si ita sint, vt sperari potest, illa etiam profutura videantur omnino, quæ iecori expediendo, crassisque humoribus ab eo extorquendis faciunt, vt illa sanguinis retractio à iecore per extremam manũ, vt vsus Rhabarbari longior cum cicoreis, & agrimonio, quorum vis etiam cõmodior esset, si sero lactis exciperetur, spica nunquam prætermissa, tutella pulmonum interea non intermissa, & humidi generis conseruandi procuratio per ptissanæ vsum, & similium alimentorum, & potionum, in quibus nisi aliquid obstiterit, chinæ etiam radicem ad expediendum iecur, & destillationem etiam absumendam ego in aqua incoquerem. Quæ audentius scribo, quoniam in alijs eiusmodi timoribus tales curationes bene successisse recordor. Verum has literas T. E. si non in aliũ vsum saltem ad memoriam nostri referat, & bene valeat. Pragæ 3. Non. Martij Anno 1596.

T. E. Studiosissimus

Christophorus Guarinonius.

Is interijt post tertium mensem, cum antea conualescere visus esset, dissecto corpore pulmo paruus inuentus est.

De minctu sabuli cum irritatione ad extremum minctionis aliquandiu manente.

CONSVLTATIO DCXXII.

Minctus sabuli non eget incitatione, neque cõpressione sui, sed suæ originis remotione. Irritatio autem illa post minctum lotium postul... , vt detersionis offensa per causam tollendam tollatur. Hæc sæpe lapillus est, de quo nobis videndum est. vt asperitas leniatur. Sic materiæ terrestres à venis in aluum essent retrahendæ, earumque ortus submouendus, procuratioque habenda, ne in iecur ex ventriculo vi nimia caloris trahantur, ne iecoris, & venarum, aridiori, acriorique calore per tostionem ibi generentur, neue recrementum eiusmodi genere caloris renum aridioris humido proprio alimẽti priuatum in terrenum genus conuertatur. Sic aluus semper mollis seruanda, ventriculoque humidum retinendum prunis, passulis, iure violarum, luteis ouorum ex iure cum saccharo, ptissana, spinaceo olere, & beta, ficubus etiam & cerasis, tum esculenta minime terrestria, minimeque crassi succi capienda.

Sic caseus vitãdus, & item legumina, & vetustiorum animantium carnes, & salitæ, & salis copia, purgato tamen bis in anno corpore iecur, & totum genus venosum à calore, & ariditate vendicanda. Violis, malua, lactuca, boragine, buglosso, lupulis, nymphea, & eius generis alijs, vt cibis etiam eiusmodi, qui cum remissioris caloris sint, tum terrei generis parum habeant, vt ptissana, pulli gallinacei, columbacei, & auiculæ, cucurbitæ, melones, fraga, & similia. Purgationes omnes non solum terrenæ materiæ detrahendæ, sed eidem molliendæ faciunt. Sic vna ætatis ratione missio sanguinis in illis omittenda, quæ alioquin & refrigerium visceribus, & terreni sanguinis subtractionem haberet. Pro leniente Medicamento flos cassiæ dictas necessitates respiceret, sic electuarium lenitiuum dictum vel diacassia cũ manna.

Pro apparatu humorum syrupus de lupulis, de Fumoterra simplex, rosaceus, de endiuia, & Oxymel cum iure liquiritiæ, betonicæ fumiterræ, lupulorum, boraginis, buglossæ, nympheæ, violarum, maluarum, helxines, anagallidis, alsines, bardane, & similium. Pro purgatione senæ folia, epithymum, polypodium cum galanga, & aromatibus solitis, & floribus, ac fructibus cordialibus cocta, & cum excepto horum iure manna, flos cassiæ. Diacatholicon, & Indum maius ad moderationem Medici metienda. Post purgationem quamque potiones seri caprini ad libram cum minimum cum syrupo ex floribus nympheæ sumi deberent. Hæc sabulum mingentibus facienda credo, qui etiam ab illius detersione post minctum doleat, ijs vero, qui sabulum retinentes lapillos creant, aliud consilium debetur.

F I N I S.



tionem tussis faceret, & maiorem multo spiritus angustiam, quorum vtrumque sub febris compressione incitationem haberet, & in remissionibus sputa mouerentur, quæ porrò compressio cum frigore euidēti esse non solet, cum materia in pulmonibus versatur, nisi inde ob eius copiam aliæ partes afficiantur. Minus facilè tertianarum speciem seruare, minime vero si ab vlcere sit, ex quibus rebus fiat in eo metu id spei reliquū, febrem hāc difficillimā esse à crassissima materia in locis ad obstruendum facilioribus, & ea materia abundatioribus, vti sunt ij, in quibus & omnis materia rudior ad alimentum administratur, & venarum angustia maior est, & arteriarum copia minor, quemadmodum in iecore, non autem in pulmone contingit, à quo iecore sic affecto ille etiam leuis spiritus angustia esse potest, vt à long febre defluxio, destillatioque, & genarum rubor sanguinis sputum, quod nec salsa destillatio, neq diuturna tussis præcesserit. Quæ si ita sint, vt sp potest, illa etiam profutura videantur omnino iecori expediendo, crassisque humoribus ab totquendis faciunt, vt illa sanguinis retra core per extremam manū, vt vsus Rhabar gior cum cicoreis, & agrimonio, quoru cōmodior esset, si sero lactis exciperetu quam prætermissa, tutella pulmonu intermissa, & humidi generis cons tio per ptissanæ vsum, & similiu potionum, in quibus nisi alic etiam radicem ad expedier tionem etiam absumend rem. Quæ audentius s modi timoribus tales cordor. Verum ha saltem ad memor

Pragæ 3. Non. M

T. E. St

Ch

Is interi ualesc in

A ratio ar detersi Hæc s vt a a